

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Collegij Societatis Jesu Dusseldorpij ex liberalitate R. P. Godefridi Ottersteet. 1658

IOANNIS TRITHEMII SPANHEMENSIS PRIMVM, DEINDE D. IACOBI IN SVBVRBANO HERBIPOLENSI, ABBATIS ERVDITISSIMI

OPERA

PIA ET SPIRITVALIA,

QVOTQVOT VEL OLIM TYPIS EXPRESSA, VEL M. SS. REPERIRI POTVERVNT;

A

R. P. IOANNE BVSÆO SOCIETATIS IESV THEOLOGO IN OMNIVM RELIGIOSÆ VITÆ CVLTORVM GRATIAM DILIGENTI studio conquisita, & in vnum volumen, mendis expurgatis, redacta.

QVORVM OMNIVM

ELENCHVM PROXIMA PAGINA EXHIBEBIT.



Cum gratia & priuilegio Cæsareæ Maiestatis.

MOGVNTIÆ

EX TYPOGRAPHEO IOAN. ALBINI.

ANNO DOM. M. DCV.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ELENCHVS OPVSCVLORVM HOC VOLVMINE COMPREHENSORVM.

CHRONICON monasterii D. IACOBI in Suburbio Herbipolitano, ex Codice manu Trithemii exarato. Pag. 3.

De viris illustribus Ordinis S. Benedicti, libri quatuor. Pag. 17.

Commentariorum in Regulam S. Benedicti liber I. nam II. desideratur. p. 150.

Sermonum, vel exhortationum ad Monachos libri duo. p. 409.

De triplici regione Claustralium. p. 562.

Modus & forma quotidiani exercitii Monachorum. p. 627.

Compendium spiritualis exercitii. p. 656.

De religiosorum tentationibus libri duo. p. 661.

De vitio proprietatis monachorum liber vnus. p. 723.

De laude scriptorum manualium liber vnus. p. 741.

De Vitæ sacerdotalis institutione Liber vnus. p. 765.

De vanitate & miseria humanæ vitæ, Liber vnus. p. 784.

Liber Penthicus, vel Lugubris de statu & ruina Ordinis S. Benedicti. p. 806.

Orationes in annuo Abbatum Bursfeldensis Congregationis conuentu habitæ. p. 840.

Epistolarum ad familiares, Liber vnus. p. 916.

De visitatione monachorum liber vnus. p. 979.

Modus & forma celebrandi Capitulum Prouinciale in prouincia Moguntina. p. 1003.

Constitutiones Prouincialium Capitulorum per prouinciam Moguntinam & diœcesin Bambergensem celebratorum, liber vnus. p 1026.

De miraculis B. MARIÆ Virginis in Ecclesia noua prope Dittelbach Franciæ orientalis oppidum factis, libri duo. p. 1074.

De miraculis in Vrticeto iuxta Heilbrunnam VVirtzburgensis diœcesis oppidum ad inuocationem beatissimæ Virg. Mariæ factis, Libri tres. p 1130.

LANDES- UND STADT- BIBLIOTHEK DÜSSELDORF

RE-

21. O. u. H-G. 511 (2°)

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, ET ILLVSTRISSIMO DOMINO D. IOANNI SVICHARDO ARCHIEPISCOPO MOGVNTINO ELECTO, SACRI ROMANI IMPERII PER GERmaniam Archicancellario, & Principi Electori, &c. Domino suo clementissimo,

IOANNES BVSÆVS

SEMPITERNAM FELICITAtem precatur.

PRODIERE in lucem, REVERENDISSIME, & ILLVSTRISS. PRINCEPS ante biennium IOANNIS TRITHEMII Abbatis Spanhemensis opera historica binis tomis comprehensa, quorum alter Illustrissima Cels. T. decessori IOANNI ADAMO, alter Illustriss. Wirceburgensium antistiti IVLIO fuit inscriptus & dedicatus. Quoniam verò editionis auctori nihil aliud propositum fuit, quam historica tantum Trithemii monumenta diuulgare, haud inane operæ pretium me facturum existimaui, si cæteros quoq; fœcundi ingenii partus, quibus ille sacras nobilis Benedictinæ familię suę, quam profitebatur, leges atq; ritus, tum vniuersam religiosæ vitæ & disciplinæ παναπλίαν mirificè illustrauit, in eandem lucem vendicarem. Eam ob rem permultas licet vicinas, remotas, mea alienaq; ope excusserim Bibliothecas, non potui tamen omnes nancisci Trithemii lucubrationes, quas vel ipse in Ecclesiasticorum scriptorum Elencho, Chronicoq; Spanhemensi, & Epistolis, vel eius discipulus IOANNES DVRACLVSIVS vno ante obitum eius anno in epistola ad Nicolaum Hamerium data accurate consignauit. Spe quidem aliqua proxima superiori æstate tenebar, medicinam me huic incommodo facturum, si locupletissimæ olim Spanhemensis Bibliothecæ reliquias, quæ Stauronesi, Crucinacum nunc vocant, in Augustiniano cœnobio iam deserto supereſſe ferebãtur, ex-

plorarem, sed spes me egregiè frustrata est; tam exiguum enim ibi cum aliorum, tum Trithemianorum codicum numerum offendi, merito vt dicere possis, nullum hoc funestissimo seculo monasterium, à tempore quo apostata monachus infaustũ pseudoeuangelii sui semen in Germania proseminauit, tantam litterariæ supellectilis iacturam ac vnum Spanhemense, fecisse. Conuexerat quondam in illud Trithemius simulatq; summam Præfecturam adiit, studio indefesso, sumptu maximo, tam immensam, qua manu exaratorum, qua arte Chalcographica, recens Moguntiæ tunc reperta pressorum librorum copiam, nulla vt id temporis in omni Germania exstaret Bibliotheca, quæ cum hac de palma contendere posset. Sic enim Herbipoli in epistola 47. libri secundi ad Ioannem Damium missa scribit. *Scis, quod plus quam mille quingentos auri ducatos pro libris*
Anno 1507. *expositimus in quatuor & viginti annis nostræ Prælationis, magnamq; eorum copiam comportauimus in vnum. Duo quippe millia numerauimus voluminum Bibliothecæ monasterii Spanhemensis ante hoc triennium, quorum nullum fuit in loco tempore introitus nostri ad Abbatiam: quod tu frater minimè poteris ignorare, quippe qui & monasterium mecum intrasti, & multo tempore minister mihi & camerarius fuisti. In omni facultate scientiarum multa volumina comportauimus, non solum impressa, sed etiam pergameno scripta complura pretiosa & rara, vt confidenter ausim dicere in tota Germania similem non esse Bibliothecam, in qua tot rara & peruetusta reperiantur volumina in omni varietate scripturarum, tam diuinarum, quam secularium; diuersarum quoq; linguarum; Hebraicæ, græcæ, latinæ, Chaldaicæ, Arabicæ, Indianæ, Ruthenicæ, Tartaricæ. Taceo reliquas consultò, quæ nostris vtuntur characteribus, vt Italicæ, Bohemicæ, Gallicæ, & similes. Scio enim, quod Græcorum voluminum, scriptorum simul & impressorum numerus centenarium excedit.* Hæc ille. Præclaram sanè ex his alienæ eruditionis opibus congerendis collegit nominis sui apud omnes existimationem, sed multo illustriorem ex locupletissima proprii ingenii doctrinæq; eximiæ gaza, quando iisdem annis inter summas angustissimæ rei familiaris occupationes, atque creberrimas ad annuos Bursfeldensis confœderationis cœtus (in quibus fere ad Abbates sermonem habebat) profectiones, tot tamen librorum, tractatuum qné variorum, quasi superfœtante semper aluo, effuderit partus, vt mirum sit ei vel exscribendorum, minioq;, vti consuerat, exornandorum, otii satis suppeditauisse. Vtrarumq; verò splendore opum illectos mox doctissimos homines, non modo ex Germania vniuersa, verumetiam ex prouinciis longa intercapedine disiunctis visendi magni animo & corpore Trithemii, spectandiq; litterarii thesauri apud Cynonotos, gentem ignotam, retrusi & defossi, percupidos exciuit. *Bibliotheca huius Spanhemensis monasterii*, (inquit ipse Chronici Spanhem. scriptor) *hodie in omni terra prædicatur intantum,*

vt

vt multi Principes, Episcopi, Doctores, Magistri, Nobiles, viri clarissimi, non solum è vicino, sed etiam è regionibus longinquis, nomine & fama Ioannis Trithemii Abbatis, & voluminum eius excitati, hunc locum inuiserint, quibus antehac nec nomen quidem cœnobii constabat. Inter quos, vt paucos cæteris præstantiores commemorem, fuit Ioannes Dalburgius Episcopus VVormatiensis, Ioannes Capnion Portzensis, Conradus Celtes Protutius Poëta laureatus, Franciscus Bononius Reginæ Romanorum Secretarius, omnes viri doctissimi, græcæ quoque & hebraicæ linguarum peritissimi. Henricus Bunaugius Saxoniæ Ducum Secretarius, Ioan. Cuspinianus Poëta Laureatus & Medicus. Iacobus VVimpfelingus Theologus. Aquinus natione Suedus mathematicus subtilissimus. Ægidius Delphius Theologus Parisiensis. Iason Italus. Iodocus Gallus Rubiacensis, Theologus, Gabriel Biel Theologus famosissimus, &c. aliique multi, quorum nonnulli ad mensem, quidam ad duos vel tres, alii etiam ad vnius anni spatium, solutis expensis, amore litterarum tam græcarum quam latinarum, quibus instructus affatim habebatur Trithemius, in hoc manserè cœnobio. Huc vsq; Chronicon. IOAN. BOVTZBACIVS Piemontanus Lacensis cœnobii in Euphalia Prior, qui superstite adhuc Trithemio libris senis denis laudes eius persecutus est, testatur ALEXANDRVM HEGIVM Dauentriensis scholæ in Belgis gymnasiarcham, & Erasmi Roterodami quondam præceptorem eadem de causa, ætate licet decrepita, & tota ciuitate obstupescente, apud Cynonotos inuisisse Trithemium, indeq; reuersum coram tota iuuentute, quæ tunc erat ducentorum capitum supra mille (inter quos & ego, inquit, tunc censebar) asseuerauisse se incredibili cum voluptate magnũ illud mundi iubar, eiusq; locupletem bibliothecam spectasse, omniqué fama & opinione maiora inibi offendisse. Iam quanta in gratia & pretio fuerit apud summos Germaniæ Principes longum esset commemorare. PHILIPPVS Comes Palatinus, Bauariæ Dux, & Princeps Elector creberrimè apud Budoras eius colloquio in multos dies fruebatur. nonnunquam etiam cum liberis cœnobium Spanhemense & Bibliothecam interuisit. IOACHIM quoq; Marchio Brandeburgicus, Princeps item elector, quoties comitiorum causa Coloniam, Francofurtum, vel ad alias viciniores vrbes à Cæsare euocatus est, Trithemium à latere suo discedere noluit, ac tandem etiam in Marchiam longis itineribus traxit, & in nonum vsque mensem, ab eius institutione suspensus, detinuit. Quanta autem in existimatione apud eundem, absens licet, fuerit, variis muneribus missis, epistolisq; scriptis sæpe testatus est, quarum vnam Berlino anno 1507. datam his verbis terminauit. *VALE Germaniæ decus, totiusque arca sapientiæ, mei memor ad Deum, & amans, quia te vehementer amamus.* Neq; minore amore atq; beneuolentia eum complexus est Romanorum Imperator MAXIMILIANVS I. is enim non modo Trithemiana consuetudine

impensè delectabatur, vt liquet ex Spanhemensi Chronico, sed magnopere etiam optabat eum in suam familiam adsciscere, vt hac ratione commodius in Reip. bonum, tum consiliis communicandis tum conscribendis historiis, opem qualem qualem vna secum conferret. Etsi ille monastici sui instituti tenacissimus etiam tunc cum Spanhemensis cœnobii Præfectura ob æmulorum quorundam inuidiam cessit, multis quantumuis maximis stipendiis, siue à Cæsare, siue ab aliis cum secularibus, tum Ecclesiasticis Principibus crebro propositis, adduci potuerit, vt monasterium cum aula commutaret: immò simulatque sapientissimus Wirceburgensium Præsul ei cœnobioli pauperculi S. Iacobi Maioris, quod dicebatur Scotorum, Abbatiam, quæ est in Herbipolensi suburbio gubernandam obtulit, libenter suscepit, & in ea reliquum vitæ cursum cum ingẽti animi voluptate & consolatione, vti multis ipse litteris inde ad varios scriptis testatus est, confecit. Vt verò hasce Trithemianas vigilias Illustriss. Celsitud. tuæ nomini inscriberem, dicaremque, multæ me causæ impulerunt. Mouit exemplum eorum, qui nuper Trithemii historica laudatissimo antistiti Ioan. Adamo Cels. T. decessori dedicarunt. Mouit Trithemius ipse, qui & magnam vitæ partem in tua diœcesi Moguntina transegit, & in eadem pleraque omnia opuscula, quæ nunc in lucem damus, elucubrauit. Mouit sacra D. Benedicti, quam ipse professus est, familia, quæ si vsquam in vniuersa Germania, in Moguntina imprimis diœcesi efloruit. Testatur enim in hoc ipso opere non semel dictus Trithemius suo adhuc æuo in sola prouincia Moguntina vicena quaterna supra centum numerata fuisse Benedictina monasteria. Mouit singularis & eximia Illustriss. Celss. T. humanitas & beneuolentia, qua Archiepiscopale Collegium hoc, totamq; Societatem nostram, à primis annis quibus adolescentiam suam Christiana pietate, bonisque litteris nostris Doctoribus informandam dedit, complexa est, & verò præclarè testatam reddidit hoc ipso anno, quando cum ingenti omnium bonorum applausu ad hierarchicum Moguntinæ sedis thronum, & septemuirale imperii fastigium euecta non dubitauit humilium seruorum suorum domicilia semel iterumq; visere, in sacra æde nostra concionatori aures præbere, reique diuinæ interesse, atque etiam in ipsa ædium penetralia ad triclinii angustias se demittere. De me, vt quidquam dicam, prohibet verecundia, quem anno ab hinc trigesimo, quo in Vrbe orbis principe sub vno celeberrimi Collegii Germanici tecto vna philosophabamur, ita tibi deuinxisti, vt si aliud non sup-

pe-

peteret argumentum testificandi editione huius operis grati animi erga Illustriss. Cels. T, mei, hoc vnum abunde sufficere mihi videatur. Quod supereſt, DEVM Opt. Max. enixè rogamus omnes, vt Reuerendiss. & Illustriss. Cels. T. nobis, Ecclesiæ qué suæ Moguntinæ, diœcesi, totiqué Imperio quàm diutissimè saluam & incolumem conseruet. MOGVNTIÆ in peruigilio Natalis Deiparæ Virginis. Anno à partu eiusdem Virginis M. DCIV.

HISTORICA RELATIO,

DE IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEMENSIS VITA, MORIBVS, ET SCRIPTIS, EX EIVSDEM SPANHEMENSI CHRONICO, EPISTOLIS, ALIISQVE OPVSCVLIS EXCERPTA.

DE EIVS PATRIA, PARENTIBVS, ET LITTERARUM ſtudiis ante ſuſceptam vitam monaſticam.

Ad annũ Dom. 1483.

Ioa. Heidenberg.

IOANNES TRITHEMIVS, ait Spanhemenſe Chronicon, *fuit patria Moſellanus, ex quadam villa Trittenheim, quæ à Treuiri in deſcenſu Moſellæ fluminis ad læuam diſtat ferme quatuor milliaribus, oriundus parentibus honeſtis, mediocris fortunæ, liberis tamen; natus patre Ioanne de monte gentili, matre verò Elizabeth de Longouico nuncupata progenitus, quibus, vini cultura vitæ neceſſaria miniſtrabat. Cum autem puer eſſet vnius anni, pater defunctus eſt, matre ob amorem infantis, ne tenellus iniuriis vitrici, vt fieri ſolet, exponeretur, vidua per ſeptennium permanente: quo tandem elapſo, ſecundum duxit maritum, cum quo & alios liberos procreauit plures; qui tamen omnes, præter vnum filium* (Iacobum nomine, ad quem exſtant libri duo epiſtolarum in Abbatia S. Iacobi apud Herbipolim ſcripti) *Ioannes verò cum eſſet annorum XV. inuitis parentibus & cognatis omnibus, amore litterarum tactus, & quadam viſione mirabili de futura ſcientia quodammodo certificatus, litteras furtiuè diſcere cœpit. Quod vbi vitrico innotuiſſet, duris eum verbis, durioribusq; verberibus aggreditur, & à propoſito litterario, quod habebat, totis viribus trahere conatur. Verum, quanto illum plus prohibendo quotidie afflixit, tanto feruentiori deſiderio litterarum incendit. Noctibus enim (quia diebus, niſi feſtiuis, & id furtiuè, non licebat) dormientibus cunctis domum exiens ad vicinum quendam amicum, qui litteris olim dederat operam, pergere conſueuit: à quo puerilium inſtitutionum rudimenta tempore breuiſſimo percepit, ita vt etiam præceptor ipſe vehementer miratus diceret, ſe nunquam tam docile ingenium, & memoriam viuaciorem in aliquo homine conſpexiſſe: & hanc viſionem quam habuit præſignauit, quam talem fuiſſe cognouimus.*

DE

DE VISIONE ILLI FACTA, ET PROFECTIONE AD VARIAS SCHOLAS

Chron ibid.

ADVnius anni spacium ieiuniis & orationibus continuis duo quædam maxima à Domino Deo cum maxima intentione postulauit, quorum alterum fuit scientia scripturarum, alterum nulli vnquam se manifestasse dixit. Ecce quadam nocte iuuenis claro habitu sibi dormienti astare visus est, qui habebat duas tabulas in manibus, quarum altera scripta litteris, altera depicta quibusdam imaginibus fuit, qui dixit ad eum. Elige ex his duabus tabulis vnam, quam volueris, Qui mox amore litterarum, quas adhuc penitus illo tempore ignorabat, etiam dormiendo flagrans, eam tabulam quæ scripta videbatur, elegit. Cui iuuenis, qui apparuerat, dixit. Ecce Deus orationes tuas exaudiuit, dabitq; tibi vtrumq; quod postulasti, & quidem plus quam petere potuisti. Altera mox die, nihil eo de visione cogitante, mirabili occasione data fuerunt principia litterarum cupienti. Aliquamdiu ergo in eadem villa operam dedit litteris in occulto, quia publicè metu parentum non audebat. Alphabetum, orationem Dominicam, cum salutatione angelica, Symbolum quoq; Apostolorum, Confessionem altaris, benedictionemq; cibi & potus in septem diebus perfectè didicit, ac memoriæ tenacissimè commendauit. Sed & libros linguæ Teutonicæ posthæc à semetipso legere perfectissimè in vno mense assueuit. Videntes autem amici, & maximè sacerdotes tantum ingenium iuuenis, & amorem ad litteras patruo eius Petro de monte gentili, viro maturo atq; seuero persuaserunt, quatenus quid sibi tam vehemens litterarum cupiditas in eo prætenderet, experiretur. Consensit ille, & se tutorem iuuenis, quia patruus, reclamante vitrico, in medium exhibuit, & iam deinceps patrimonii eius rationem habere cœpit. Sed quot verbera, quot iniurias, quot contumelias iuuenis innocuus à vitrico sustinuit, quot imbres lacrymarum angustiatus effudit, priusquam iugum eius omni seruitute crudelius subterfugere potuerit? Euasit tamen tandem domum nouercam, sicut Israëlitica turba Ægyptum, & iter trium dierum amore litterarum in deserto peregit: primum apud Treuiros, deinde in partibus inferioribus, ac postremo in oppido Heydelbergensi.

QVA OCCASIONE MONASTICAM VITAM in cœnobio Spanhemensi apud Cynonotos inierit.

ANNO Domini M.CCCCLXXXII. vt habet idem Chronicon, Ioannes Trithemius via trium dierum, vt diximus, confecta, cœnobii Spanhemensis, quod interuallo vnius milliaris abest Stauronesso, vel vt nunc vocant, Crucinaco, monachus satis miraculosè, & præter eius intentionẽ factus est: quod ita contigit. Cum ex Heydelberga iter instituisset cum socio scholari ad patriam, monasterium Spanhemense, quia in via erat, comite nõ modo persuadente, sed cogente potius, visendi gratia, VIII. Cal. Februarii mane circa horam nonam intrauit, factóq; prandio nihil minus quam religionem cogitans, inceptum iter continuaturus recessit. Cumque viarum ignarus ad montem villulæ Bockenauu contiguum ambo veniissent, cœpit oriri subito niuium immensa congeries, densáque tempestas nubium, quæ non solum viarum tramitem oppleuit, verum etiam facies ex aduerso confundens oculos pæne

excæ-

excæcauit. Suadenti ergo comitii itineris ad monasterium reditum, cum progredi non liceret, Trithemius respondit. Verecundum est nimis redire, progrediamur potius, quantum possumus. Verum præstolantibus eis vsq; tertio sub arborum tutela finem tempestatis, cum prorsus augeretur, iterum Trithemius ad comitem suum dixit. Reuertamur ad cœnobium oportet, ecce me ibi mansurum videbis. Hoc nescio quo inspirante numine tunc dixit, nihil etiam minus, cum ea diceret, quam religionis introitum cogitans. Inuitus igitur, sed necessario ad hunc locum reuersus anno & die præscriptis iuxta verbum suum, quod nesciens dixerat, permansurus, Henrici de Holtzhausen Prioris persuasione inductus animum mutauit, & in die purificationis B. MARIÆ semper Virginis sæcularem habitum exuit, & nouitius in die sanctissimi patris Benedicti factus est, & eodem anno in festo purissimæ Conceptionis MARIÆ cum aliis tribus Professus secundum regulam fuit. Factus autem monachus inter fratres sine querela conuersatus est, studiumq; litterarum & solitudinem cellæ omnibus deliciis mundi prætulit, nihilq; in hoc mundo amplius quam scientiam scripturarum sitire videbatur.

QVIBVS PRÆCEPTORIBVS VSVS FVERIT.

Ad an. 1489. Et Chron. S. Iacobi, ann 1508. HABVIT autem, (ait Chron. Spanhem.) duos in litteris græcis Præceptores sibi inuicem succedentes, quorum primus fuit Conradus Celtis Protucius, natione Francus, orator & Poëta laureatus, à quo Grammatices, & prima græcanicæ institutionis rudimenta percepit. Secundus fuit Ioannes Capnion alias, Reuchlin, natione Sueuus ex oppido Pfortzensi oriundus, homo eruditissimus & singularis gratiæ docendi, à quo in altioribus Græcæ linguæ præceptis simul & Hebraicis meruit edoceri. In Hebræo quendam Iudæum baptizatum pauperem Heydelbergæ quoque habuit Præceptorem, quem postea effectus Abbas ad se in monasterium Spanhemense accersens, quam diu vixit, propter Deum enutriuit. In primo verò libro epistolarum Herbipoli ex S. Iacobi cœnobio scriptarum Libanium Gallum vocat præceptorum suorum optimum & post Deum fidelissimum. Alibi & Treuiris, & in inferiori Germania se litteris operam dedisse confitetur.

Epist 38.

QVANDO IN EIVSDEM CÆNOBII ABBATEM, & quo ordine sit electus, confirmatus & consecratus.

Ex eodem Chron. ANNO M.CCCCLXXXIII. cum Ioannes de Kolnhausen Spanhemensis Abbas voluntate Domini ALBERTI Ecclesiæ Moguntinæ administratoris ad Abbatiam monasterii in Selgenstatt translatus esset: Henricus Præsidens & fratres Capitulares pro electione noui Pastoris diem mensis Iulii 29. præfigentes, præmisso triduano ieiunio & orationibus consuetis, Visitatoribus sibi ab Ordine deputatis, Hermanno S. Iacobi prope Moguntiam, & Conrado S. Ioannis in Ringauia monasteriorum Abbatibus ad præfixum terminum vocatis, & vna cum Domino Ioanne Kolnhausen Abbate tunc Selgenstadensi comparentibus negotium electionis in Dei nomine 4. Kal. Augusti celebrandum inchoarunt. Igitur Missa de spiritu sancto solemniter celebrata, conuenientes ad locum Capitularem fratres viam compromissi, quæ videbatur tutior, in electione seruandam susceperunt, compromittentes in duos Abbates

Here

Hermannum S. Iacobi, & Ioannem Selgenſtadienſem, ac tres de conuentu, Henricum de Gelnhauſen Præſidentem, Ioannem de Donna Cuſtodem, ac Ioannem de Dreyſa Magiſtrum Donatorum, vt auditis in occulto votis ſingulorum coram notario & teſtibus, illum in Abbatem monaſterii nomine totius conuentus eligerent, in quem maior & ſanior pars ſua vota direxiſſet. Scrutatis igitur votis omnium, maior & ſanior pars Ioannem Trithemium in Abbatem elegit, qui octo menſes, & dies ſeptem poſt profeſſionem ſuam duntaxat in ordine fuerat: erat omnibus Profeſſis in ordine iunior, vtpote qui à tempore aſſumpti habitus nouitiorum anno vno, menſibus tribus, & diebus ſeptem, & non amplius vſque ad diem electionis ſuæ in monaſterio conuerſatus fuerat. Agebat autem tunc ætatis annum vigeſimum ſecundum: natus enim fuit, teſte Ioanne Duracluſio, eius diſcipulo, anno Domini 1462, indictione Romanorum decima, Calendis Februarii, hora vndecima, minuto poſt meridiem triceſimo, eo videlicet anno, quo Moguntina ciuitas in diſſenſione duorum antiſtitum capta libertatem perdidit, & ſeruitutem inuenit, multis ciuium in exilium actis, anno Pii Papæ eius nominis ſecundi quarto, & Friderici III. Imperatoris viceſimo ſecundo. Electus itaque Abbas Trithemius anno & die præſcriptis eodem anno in die Aſſumptionis B. MARIÆ ſemper Virginis per Albertum adminiſtratorem Eccleſiæ Moguntinæ in caſtro Steinheim confirmatus eſt, præſentibus ibidem Hermanno S. Iacobi, Ioanne in Selgenſtatt, & Melchiore in Schoenauuen Ordinis S. Benedicti Abbatibus, & aliis compluribus. Poſthæc eodem anno V. Iduum Nouembris à Bertholdo Epiſcopo Pariadenſi præfati Domini Adminiſtratoris in Pontificalibus Vicario munus benedictionis accepit in Eccleſia S. Iacobi prope Moguntiam aſtantibus ſibi ex more Pontificalibus indutis, Hermanno eiuſdem loci, & Anſelmo Lympurgenſis cœnobii Abbatibus ab eo rogatis. Quod autem Trithemius huic ſuæ electioni reclamauerit, ipſe teſtatur libro primo exhortationum ſuarum his verbis. *Quotieſcunque, fratres chariſſimi, ad memoriam recordatio illius momenti venit quando reclamantem & renitentem me vobis indignum conſtituiſtis Abbatem, totiens amaritudine cordis mei totus in memetipſo concutior, & lachrymas etiam inuitus & nolens fundere compellor, Cur ita voluiſtis fratres? iuuenem me, indoctum & nequaquam idoneum ad militiam quam profitemur, erexiſtis in ducem, vt mihi docere ſimul & diſcere iam ſit neceſſarium, quando nec vitæ perfectio commendat doctrinam, nec ætatis conſideratio neceſſariam paſtori adhuc conſequitur auctoritatem.*

Epiſt. ad Nicol. Hamer.

Chron. Spanh.

Homil. 2. pag. 413.

QVIBVS REBVS ABBAS EFFECTVS CÆNOBIUM ſuum iuuerit.

ABBAS factus & conſecratus omnem mox operam adhibuit, vt cœnobium ſuum tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus promoueret. Quod ad temporalia attinet, primis ſuæ gubernationis annis curtem in Nosbach à centum annis impignoratam multis laboribus & impenſis redemptam ad poſſeſſionem monaſterii ex media parte reduxit. Hoſpitum hypocauſtum de nouo cum cubiculis conſtruxit. Horreum quoq; lapideum, cum ante eſſet ligneum, à fundamentis in ſuperiori monaſterii parte exſtruxit. altare in ſacriſtia à Bertholdo Archiepiſcopi Moguntini ſuffraganeo, multis ſanctorum ornatum reliquiis in honorem S. Annæ, aliorumq; ſanctorum

Chron. Spanh.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

rum consecrari curauit. Aliud item altare in castro Spanhem ruinæ vna cum capella proximum consensu Archiepiscopi eiusdem, & Principum in villulam subiectam transferri, ita tamen vt prouentus consueti soli cederent cœnobio, ac demum consonari per Henricum Episcopum Venecomponensem Archiep. Moguntini suffraganeum voluit. Anno verò regiminis vndecimo nouam Abbatiam partim ex veteri, partim ex fundamentis construxit satis pretiosam & ornatam: erat enim habitatio ante nimis angusta, inconueniens, & propter ignis periculum metuenda. In eadem construxit & sacellum cum altari, quod ab Erhardo Episcopo Venecomponensi Bertholdi Archiepiscopi Moguntini Vicario in Pontificalibus consecratum est in honorem Beatiss. MARIÆ Virginis, S. Annæ, & S. Andreæ Apostoli. Pro cuius altaris decore Trithemius Abbas primum è Gallia reliquias S. Mariæ Magdalenæ, deinde aliorum sanctorum pretiosissimas successu temporis à diuersis Principibus, Episcopis, Abbatibus, aliisq; Ecclesiarum & monasteriorum Prælatis impetrauit, inter quas fuit brachium S. Hildegardis virginis à Magistra & conuentu montis S. Ruperti iuxta Bingium oppidum obtentum. Hæc nouum hypocaustum pro triclinio hyemali à fundamento erexit, Molendinum item, & alias domus vetustate pœne collapsas restituit.

QVAM INSIGNEM BIBLIOTHECAM INstituerit.

Ad ann. 1483.

VIX quadraginta octo volumina inuenerat Trithemius, vt habet Chron. Span. in suo cœnobio tempore suæ electionis, eaq; paruæ æstimationis, & minoris ad veram eruditionem vtilitatis. Postquã autem regimen illius adeptus est cœpit paulatim libros & multos & varios in omni facultate studiosius comparare, græcos atq; latinos. Anno autẽ ab electione sua XIX. qui fuit annus Dominì 1502. libros Bibliothecæ recensuit, & inuenta sunt in ea mille sexcenta quadraginta sex volumina, & inter ea multa græco & Hebraico idiomate conscripta. Cum verò iam Herbipolim commigrasset, non semel in epistolis ad amicos absentes datis asseuerat se duo voluminum millia, nominatim autem centum græco idiomate scripta vel impressa in Bibliotheca Spanhemensi reliquisse: nec alia de causa eam secum in Orientalium Franciam transferre noluisse, quam quod de monasterii substantia, vt ipse loquitur, eam comparauisset. Nihil enim, inquiens, proprium mihi est, qui monachum iuxta regulam sanctissimi Patris nostri Benedicti profiteor. Ita scribit in libri primi epistolarum epist. secunda, quæ est ad Ioannem Nutium, & secundi libri epistola 44. & 47. quarum altera ad Iacobum Kymolanum Carmelitanum Theologum, altera ad Ioannem Damium Spanhemensem monachum data est.

Ad ann. 1502.

QVAN-

QVANDO, ET QVA DE CAVSA LIBRIS SCRIbendis cœperit operam dare.

ANNO ætatis suæ 23. Ioan. Trithemius vt est in ep. ad Rogerium Sycambrum, qui studiolitterarum (quantū licebat) alioquin semp erat intentus: cogitationes suas & adinuenta cœpit literis demādare; duplicē causam, cur hoc auderet, affe/rens. Primam, quod dum hæc ageret, vanis & inutilibus, vel etiam noxiis cogitationibus mens videretur esse præclusa. Secundam: esto, quod ea, quæ scriberet nulli prodessent, sibi tamen intellectum successu temporis perficerent, & ingenium vsu ad quandam facilitatem exercerent. Nec eum fefellit opinio, quia quotidiano & continuo scribendi vsu tam facilis ad quælibet occurrentia dictanda factus est, vt omnes etiam doctissimi de eius orationis facilitate mirarentur, & qui eum scribentem, & tempore quocunq; non præmeditata viderunt, fluere orationem potius, quam scribi confirmarint. Quatuor autem in locis librorum à se scriptorum Catalogum pertexuit. Primo, in libro de scriptoribus Ecclesiasticis in lucem edito anno 1494. Secundo, in libro illustrium virorum Germaniæ edito anno 1495. Tertio in epistola 51. libri secundi ad Rogerium Sycambrū Herbipoli data anno 1507. Quarto in Chronico Spanhemensi perducto ad annum 1511. Ex quo Chronico annotatis annis quibus conscripti sunt singulos libros hic subiiciam. Ac primo quidem ab inita Abbatia vsq; ad annum quintum regiminis hæc in lucem monumenta protulit.

Epist. 51. lib. 2.

Chron. Spanh. ann. 1488.

De institutione sacerdotali lib. 1.
De tentationibus monachorum libri 2.
Exhortationum ad monachos lib. 2.
In regulam S. Benedicti lib. 2.
De proprietate monachorum lib. 1.
De vita spirituali, lib. 1.
Inuestigatorium scripturarum
De vero modo studendi lib. 1.
Speculum vitæ hominis religiosi lib 1.
De miseria humanæ vitæ lib 1.

ANNO 1489. & regim. 6.

Vita S. Irminæ libel. 1.
Laudes S. Andreæ Apostoli libel 1.
Laudes S. Ioseph nutricii Domini libel. 1.
Laudes S. Benedicti Abbatis lib. 1.

ANNO 1490.

De modo & forma visitationis claustralium lib. 1.
De modo & forma celebrandi Synodum Prouincialem Ordinis lib. 1.
Statuta capitulorum Prouincialium à tempore Conc. Constantiensis lib. 1.
Laudes vitæ cœnobiticæ liber. 1.
Oratio de fuga sæculi habita Moguntiæ in monte S. Iacobi.

ANNO 1492.

Oratio de ruina ordinis S. Benedicti habita Erphordiæ.

De laude scriptorum manualium, lib. 1.

ANNO 1493.

Liber Penthicus, id est, lugubris de Ordinis S. Benedicti ruina. Collatio de Repub. Ecclesiæ & monachorum habita Coloniæ.

ANNO 1494.

De laudibus S. Annæ matris B. Virg. Mariæ.
Soliloquiorum hominis ad animam suam lib. 1.
De laude & vero studio scripturarum lib. 1.
De Ordinis Carmelitarum exordio & progressu lib. 2.
Quæstiones græcæ de Euangeliorum dissonantia.
Dialogus Maximi Abbatis de incarnatoine, è græco conuersus.
Epistolæ quædam Cyrilli Alexand. è græco à Trith. conuersæ.
Catalogus Scriptorum Ecclesiasticorum.

ANNO 1495.

Catalogus illustrium virorum Germaniæ.
De miraculis S. Annæ lib. 1.

ANNO 1496.

Oratio de cura Pastorali habita Selgenstadii.
Oratio de duodecim excidiis obseruantiæ regularis habita in cœnobio Reinhartzo bornensi in Hercynia silua.

ANNO 1497.

Oratio de operatione diuini amoris habita Erphordiæ.

ANNO 1500.

Oratio de vera conuersione mentis ad Deum, habita Erphordiæ.

ANNO 1502.

Oratio de laudibus religionis monasticæ, habita Erphordiæ.

ANNO 1503.

Rosarium de S. Anna, cum Cursu horario, Officio Missæ, & Sequentiis.
Orationes variæ supplicatoriæ ad Sanctos.

ANTE annum verò 1505. *quo è cœnobio Spanhemensi vltimo Aprilis egressus, nunquam rediit: scripsit & hæc, (sed incertum quo anno) vti fatetur ipse in ep. ad Rogerium Sycambrum, vt* Chronicon Hirsaugiensis cœnobii: *sed imperfectum, quod ob mortem Blasii abbatis, quæ contigit anno 1503. cuius rogatu illud scripserat, tunc non perfecit. Deinde* de viris illustribus Benedictini Ordinis libros quatuor, *qui tamen anno 1507. necdum in lucem prodierant, vt est in dicta epist. Et ad F. Albertum Latronem* de Computo Ecclesiastico *librum vnum. Et librum* de triplici regione claustralium, & spirituale exercitium monachorum *Moguntiæ olim impressum anno 1. Item* Quæstiones in Euangelium Ioannis. *Et.* Dubia in psalterium. *Et*, de mi-

miseria Prælatorum claustralium libros duos. De origine & progressu Ducum Bauariæ historiam. Orationes habitas in capitulis, & alibi viginti. Epistolas ad amicos in vnum librum compilatas *quas scripsit initio Abbatiæ.*

Post discessum verò è Spanhem in Marchia constitutus scripsit Epitomen de Vitis sanctorum cum variis orationibus. *de eisdem, vt est in eadem epist. ad Rogerium, Deinde* Panalethiam, *id est, libros* 14. *de variis quæstionibus. Et* Opus Hieraticum pro variis morbis depellendis.

Anno verò 1506. *factus Abbas S. Iacobi in suburbio Herbipolitano hæc addit se scripsisse vsque ad Augustum anni insequentis.* Laudes Ioseph nutritii Domini cum rosario 50. articulorum. Officium quoque cum orationibus & sequentia. Epistolarum libros duos, *à tempore egressus ex Spanhem scriptarum. Tum* Polygraphiæ libros sex, *anno* 1507. *Et* contra morbum Simoniæ claustralium & monialium *librum vnum. Hæc in ep. ad Rogerium. In epistola autem eodem anno ad P. Eberhardum Campis data, quam habes in opere pag.* 973. *addit se scripsisse* rerum suarum Nepiachum, *vel,* Hodæporicon libris 2. *vt habet epist. ad Iacobum Siberti pag.* 978.

ANNO 1508. *scripsit librum* 8. quæstionum ad Maximilianum Cæsarem. *&* Antipali maleficiorum libros 4. *vt liquet ex præfatione librorum. Qui videntur ex duodecim esse libris, quos in dicta epistola ad Rogerium promiserat se scripturum* de dæmonibus, artibusq; prophanis, & maleficiis eorundem, quibus humanum genus decipiunt. *Anno verò* 1509. *se totum occupatum fuisse in* Chronico Hirsaugiensi *complendo, quod aliàs imperfectum reliquerat, testatur in epistola ad Ioannem Piemontanum, quàm habes pag.* 576.

Anno 1511. *duos libros* de miraculis. in Dittelbach prope Herbipolim à B. Virgine Mariæ patratis. *vt liquet item ex præfatione, edidit.*

Ioannes Duraclusius in epistola ad Nicolaum Hamerium, quæ præfixa est Polygraphiæ, & primo tomo historico Trithemii plures enumerat Trithemii libros, & inter eos Steganographiæ libros octo. Verum ipse Trithemius in ep. 51. *ad Rogerium sæpe citata sic anno* 1507. *de iis scripsit.* Magnum & nimis arduum opus Steganographiæ mirabilis adinuentionis in octo libros partiendum scribere sum adorsus, cuius primum quidem librum & secundum ad finem vsq; perduxi, tertium verò mancum & reliquos omnes dimisi vsque in hunc diem omnino sepultos, multiplici consideratione persuasus, cum & labor sit magnus, & forsitan retributio parua. Maneat ergo imperfectum, sicut iacet, donec aliud persuadeat vtilitas. *Hæc ille. Nec vulgo plures in manibus paucorum manuscripti circumferuntur, de quibus censuram nostram proferemus ad libros de maleficiorum Antipalo anno* 1508. *ab eo editos.*

Anno 1515. *edidit compendium annalium de origine regibusq; Francorum, vt est in fine libri annotatum, cum esset* 52. *annorum. Quod eodem anno à Ioanne Schæffer Moguntiæ est excusum. Eodem anno, & insequenti* 1516. *quo & obiit, vt est in c.* 14. *lib.*

2. miracul. exarauit sex libros de miraculis Beatißimæ Virginis in Vrticeto iuxta Heilbrunnam patratis. Quorum tres priores tantum ex MS. Codice benignè à Strenuo & prænobili Domino HARTMANNO A CRONBERG Illustriss. Principis Moguntini in Vrbe Aschaffenburgensi Vicedomino mihi suppeditato, in lucem damus. Forte reliquos morte præuentus non perfecit.

QVA DE CAVSA DESERTO SPANHEMENSI cœnobio migrarit Herbipolim.

ANNO Domini 1505. litteris Philippi Comitis Palatini Principis Electoris mense Aprili euocatus erat Trithemius Heydelbergã, quo absente magna perturbatio contigit in Spanhemensi cœnobio in magnam illius cedens iniuriam, quæ causam dedit tandem, vt de deserenda illa Abbatia cogitaret. Mense deinde Iulio à Ioachimo Marchione Brandeburgico, Principe Electore inuitatus est Coloniam Agrippinam, vbi à Cæsare indictus erat principum conuentus. Inde verò rogatu eiusdem Principis concessit in Marchiam, vbi 9. menses est commoratus, & varia opuscula pro institutione adolescentiæ Principis composuit. Anno verò insequenti 1506 cum mense Maio inde recessisset, Heydelbergam redüt, ibiq; vsque ad mensem Octobrem hæsit, donec monasterii sui statum, & fratrum æmulorum mentem perfectè didicisset. Quibus cognitis & perspectis tandem decreuit omnibus consideratis, consultissimè se facturum, si Abbatiam resignaret, & ad aliquod aliud cœnobium commigraret. Inuitabatur quidem id temporis à variis Principibus tam secularibus, quam Ecclesiasticis, ad ipsorum aulas, maximis oblatis stipendiis, sed à monasticæ disciplinæ obseruantia & vnione Bursfeldensi nunquam voluit secessionem facere. Itaque cum Conradus Abbas S. Stephani Herbipolensis pauperculæ cuiusdam Abbatiæ S. Iacobi maioris in suburbio Herbipolensi tum pæne collapsæ mentionem fecisset, annuit se illam recepturum, si antistes vrbis D. Laurẽtius Bibera annuisset, & Chilianus tunc loci Abbas sponte officio cederet. Vtrumque factum est. Trithemius Herbipolim venit: in Abbatem 10. Octobris electus est, & ab Episcopo confirmatus anno ætatis 43, & ab assumpta Abbatia Spanhemensi 23. mense 2 die. 18. Per litteras autem Spanhemensibus fratribus potestatem dedit alium Abbatem loco suo eligendi. Causas autem sui discessus varias multis epistolis Herbipoli datis, & quomodo induci potuerit, vt locupletissimam illam Bibliothecam Spanhemensem tantis impensis & laboribus coactam desereret, pertexuit, quas habes in tomo Historicorum operum Trithemii secundo, & iam olim separatim excusæ fuerunt.

QVAMDIV IN ABBATIA HERBIPOLITANA VIxerit; deq; eius obitu, & Epitaphio.

IN Abbatia Herbipolitana in decimum vsq; annum vixit; obiit autem anno Domini M. D. XVI. Decembris XIII. D. Luciæ virgini & martyri sacro. Lapis enim sepulchralis in monumentum erectus hanc habet inscriptionem.

ANNO DOMINI M.D.XVI. IPSO DIE S.LVCIÆ OBIIT VENERABILIS PATER DOMINVS IOANNES TRITHEMIVS ABBAS HVIVS COENOBII. CVIVS ANIMA IN SANcta requieſcat pace. Amen.

EPITAPHIVM HEPTASTICHON.

HAnc meruit ſtatuam Germanæ gloria terræ,
ABBAS TRITHEMIVS, quam tegit iſta domus.
Quam fuerit literis, ſimul & virtute celebris,
Admiranda ſui dant monimenta ſtyli.
Arguit hoc etiam multorum gratia Regum,
Maximi lianus I. Ex quibus imprimis MAXIMVS ÆMYLIVS.
MAXIMVS ÆMYLIVS Romani gloria ſceptri,
Qui fuit Auſtriacæ clara propago domus.
Huius magnifica fuit acceptiſſimus aula,
Et primum tribuit docta caterua locum.
Abſit ſuſpicio de dæmonis arte Magia,
Contra quam magnum ſcribere cœpit opus.
Libri 12. de damonib. & malis artib. Vt viuit fama, ſic viuat mente beatus,
Et videat ſummi cælica regna Dei.

Eſt autem lapis ille cum Epitaphio erectus à D. Georgio Flachio Herbipolenſis antiſtitis in Pontificalibus Vicario, quarto in Abbatia S. Iacobi, poſt exceſſum Trithemii, ſucceſſore, qui, vt habet monimentum è regione lapidis Trithemiani, fuit Doctor Theologiæ Ordinis B. Benedicti, vir pietate & doctrina conſpicuus, à Reuerendiſſ. Conrado à Bibra Præſule VVirceburgenſi electo ad S. Concilium Tridentinum à Paulo III. Pontifice Maximo inchoatum olim miſſus, qui cum hoc cœnobium S. Iacobi Scotorum XVI. annos rexiſſet, anno Domini 1564. Kalendis Ianuarii è viuis exceſſit.

QVONIAM verò dictum cœnobium Scotorum idcirco nomenclaturam Scotorum obtinuit, quod olim in gratiam nationis Scotorum, qui Euangelium Chriſti cum proſuſione ſanguinis in Francia Orientali prædicarant, à fundamentis excitatum fuit & fundatum, Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Princeps, ac D. D. IVLIVS Herbipolenſis Epiſcopus, & Franciæ Orientalis Dux, præſentibus inclytis Franconiæ proceribus, ac Reuerendis & Nobilibus DD. Cathedralis Eccleſiæ Canonicis, anno à D. Virginis partu M.D.XCV. die menſis Aprilis extremo Patribus Benedictinis ex Scotica natione oriundis ſolenni ritu illud reſtituit, vt teſtatur. R.P.F. Franciſcus Hamiltonius Scotus tunc Prior, nunc autem eiuſdem cœnobii Abbas digniſſimus, in oratione eodem die coram Principe Iulio & cæt. proceribus habita, ac typis poſteà Herbipoli expreſſa.

CVR deniq; in hoc opere Trithemiano Chronico eiuſdem cœnobii manu Trithemii exarati, & mihi à Patribus eiuſdem cœnobii benignè communicati, primum locum attribuerim, geminam cauſam habui. Alteram, quod in tomis hiſtoricis Trithemii nuper in lucem editis viderem hoc opuſculum, & aliud de viris illuſtribus Ordinis S. Benedicti deſiderari. Alteram, quod in eo cœnobio Trithemius Abbas vitam cum morte commutaſſet. Videtur quidem æquo aſperius Trithemius priſcos anteceſſores ſuos Scotos, qui cau-

sam dederunt olim, vt monasterium hoc transferretur in monachos Germanos, carpere, sed hoc libertati ei consuetæ condonandum, cum passim in scriptis suis non solum exterorum, sed etiam suorum Spanhemensium monachorum, vt liquet ex Chronico Spanhemensi, & duobus epistolarum Herbipoli datarum libris vitam & mores acerrimè perstringat, vel certè cogitandum eum direxisse stylum, non tàm in omnes superiorum temporum Scoticæ nationis cœnobitas, quam in paucos quosdam eorum antistites & Prælatos, vt bene monuit in dicta oratione D. Abbas Hamiltonius. Hi enim, si acerrimos disciplinæ monasticæ vindices, vt debebant, ac capitales vitiorum hostes se præbuissent, non fuisset, vt idem loquitur, tantus de recta semita deflexus insecutus, vt aut tunc opus fuisset Scotis substituere Germanos, vel Germanis, licet potiori iure id factum, nunc postliminio substituere Scotos. Sed sit satis de Trithemio.

Illud postremo monendum occurrit, non omnia Trithemii opuscula, quæ ad manus nostras peruenerant hoc opere contineri, tum quod æquo spissius videbatur futurum, tum quod ante autumnales nundinas paratum & absolutum esse vix poterat, si plures libelli adiecti fuissent. Quare necesse erit separatim reliqua, vt Antipalum maleficiorum. Responsum ad octo quæstiones Maximiliani I. Imperatoris, Tractatum de S. Anna, cum eius Cursu, variisq; precationibus. Libros duos de ortu & progressu Ordinis Carmelitarum, & alia quædam, in lucem emittere.

CHRO-

I

CHRONICON MONASTERII SANCTI IACOBI ORDINIS S. BENEDICTI IN SVBVRBIO VRBIS HERBIPOLITANÆ.

AVCTORE

JOANNE TRITHEMIO EIVSDEM MONASTERII ABBATE OLIM AVTEM SPANHEIMENSI.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

COMPENDIVM BREVE FVNDATIONIS ET REFORMATIONIS MONASTERII S. IACOBI ORDINIS S. BENEDICTI IN SVBVRBIO HERBIPOLENSI.

AVCTORE

IOANNE TRITHEMIO.

ANno Domini nostri Iesu Christi millesimo centesimo quadragesimo, indictione tertia, regnante Conrado Imperatore tertio, anno eius secundo, reuerendissimus Ecclesiæ Herbipolensis xxvij. Episcopus æterna memoria dignus monasterium Ordinis diui Patris Benedicti sub honore S. Iacobi maioris Apostoli in suburbio præmemoratę ciuitatis construi fecit: quod Scotis inhabitandum concessit, conferens ad illud præbendam vnam maioris Ecclesiæ Canonicalem, sicut patet ex litteris eiusdem Pontificis, quarum tenor sequitur & est talis.

LITTERÆ FVNDATIONIS monasterij.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Embricho *Dei gratia Wirceburgensis Ecclesiæ Episcopus. Ratio diuinitus nobis creditæ dispensationis expostulabat omnibus nostræ speculationis præsidia ex debito suæ conditionis amplectentibus nos pro studio respondere, ac summa prouidentia, ne in posterum eos à sui iuris statu forte declinare contingat, prouidere. Ad notitiam tam præsentium, quam post futurorum* Christi *fidelium volumus peruenire, qualiter nos imprimis, tum Dei intuitu, tum pro reuerentia pretiosi Martyris* Kiliani *Scotos collegerimus. Igitur cum Moguntiam Herbipolensis existens Episcopus aliquando contigit ire, ex improuiso quidam monachus, nomine* Christianvs, *genere Scotus occurrit, qui me coram multis obnixis pulsauit precibus, quatenus ego Herbipoli peregrinis Scotis hospitale fieri vellem. Consilio itaq; sociorum meorum meorum, Gebhardi, scilicet longi, Buchardi, Reghinhardi, ac cæterorum, præfatum monachum Herbipolim transmisi, vbi omnibus annuentibus, tam populo, quam clero, in suburbio nostro, loco qui Girberch dicitur, locum diuino seruitio inhabitandum assignauimus. Ad quem locum primum Abbatem, nomine* Macarivm *habui, sanctum per omnia virum, cuius sanctitatis euidēter signum probaui, quod de eius meritis vinum in aquam coram testibus conuertit, Pelegrino videlicet Abbate de S. Burchardo, Gebhardo Præposito de nouo monasterio, Burbo Henrico Muckelino, Iringo de Zabelstein, & cæteris multis, tam clericis, quam laicis. Ob cuius præclarissimi signi meritum nos communi consilio fratribus Scotis, eorumq; successoribus in Christo peregrinantibus integram in maiori Ecclesia Canonicam constituimus inuiolabiliter possidendam, atq; in dotem capellæ, quam sexto Idus Iulij Deo & S. Iacobo dedicauimus. Pratum adiacens prædictis fratribus, & partem de flumine Mogi ad latitudinem eiusdem prati Domino Pelegrino offerente cum suis fratribus perpetua donatione confirmauimus. Hæc ergo vt rata & inconuulsa permaneant præsentis scripti pagina confirmauimus, eisq; auctoritatem impressione sigilli nostri dedimus. Si quis igitur ea in posterum aliquo*

Christianus Scotus primus monasterii autor.

Macarius primus Abbas Miraculum.

Donatio fratrum S. Burchardi.

malo ingenij dolo, seu iniqua suæ temeritatis p̃sumptione infringere vel infirmare attentauerit, anathema sit, maranatha. TESTES. Otto maior Præpositus. Babo Decanus, Sifridus Præpositus noui monasterij, Guntherus Præpositus S. Ioannis. Gozelinus Scholasticus. Hartuicus Cellerarius, Grimo Portenarius. Guntramus, Berengerus. Laici, Coteboldus Burgrauius, Boppo filius suus, Ludouicus de Franckenstein, Coteboldus de Hennẽberg, Giso de Hildenburg, Rupertus de Castel, Heroldus Vicedominus, Billung Scultetus, Adelricus Richalmus, Godeboldus sinister, Henricus Weso, Cadeloch, Godefridus de foro. Conradus de Busenzheim, Volcnandus de Burchartenrode, Otto de Wirdenhenn, & alij quamplures. Acta anno Dominicæ incarnationis millesimo, centesimo, quadragesimo, indictione tertia, regnante CONRADO *anno secundo regni sui, Goteboldo Vrbano Comite existente.*

De S. Macario, primo huius cœnobij Abbate, qui præfuit annis 14. mensibus 4. diebus 20. & de miraculis eius.

MACARIVS, natione Scotus, professione monach⁹, de Abbatis sui permissione pro Christi amore peregrinus & exul factus de Hibernia, venit in Franciam Orientalem, quæ antiqua nominatur, anno Christianorum millesimo centesimo tricesimo octauo, eo videlicet tẽpore, quo Embricho reuerẽtissimus Præsul Herbip. strenuè gubernabat Ecclesiam anno Põtificatus illius secundo; quo huius cœnobij D. IACOBI Apostoli fundamenta locauit ad instantiam & preces CHRISTIANI monachi, qui beato MACARIO postea in Abbatia successit. Fuit autem MACARIVS vir per omnia Deo deuotus, vita & conuersatione sanctissimus, quippe qui ab infantia sua omnipotentis Dei seruitio mancipatus in monasterio sub norma & institutione Diui patris BENEDICTI regulariter viuere à sanctis præceptoribus didicerat. In orationibus ad Dominum semper fuit peruigil atque deuotus, mente & corpore omni puritate nitens virgo incorruptus, & in obseruantia mandatorum Dei studiosissimus. Nemo vidit illum otiosum, nec tristem, nemo mente turbatum: sed amore diuino æstuans semper aut orationi, aut lectioni diuinarum scripturarum intentus erat. Studebat se in omnibus irreprehensibilem Deo seruum exhibere, vt nihil penitus eorum negligeret, quæ illũ nouerat præcepisse. Corpus suum cupiens spiritui subijcere, magnam multo tempore abstinentiam tenuit, & vsque ad mortem nec vinum bibit, nec carnes manducauit. Veniens itaque in Franciam cum duobus fratribus, Christiano videlicet & Eugenio, primus huius cœnobij Abbas ordinatus est ab EMBRICHONE prænominato Pontifice anno Domini M.C.XXXIX. indictione secunda, die videlicet mensis Septembris tertia, & præfuit annis quatuor decim, mensibus quatuor, diebus viginti.

Macarii virtutes.

Ordinatus primus Abbas.

ORDINATVS autem huius tunc inchoati cœnobij Abbas pristinæ conuersationis rigorem in nullo minuit, sed vsque ad mortem in sanctis operibus perseuerans etiam viuus miraculis coruscauit. Contigit enim anno Dominicæ natiuitatis prænotato millesimo centesimo tricesimo nono circa festum S. Archangeli Michaelis, quod à Pelegrino Abbate S. Burchardi cum aliis quibusdam notabilibus viris inuitatus ad mensam resideret: cumque pro sua consuetudine abstineret à vino, & aquam iniussus nemo præstaret, ministro aliud nihil infundente quam vinum, vtpote, qui vitæ eius institutionem aut nesciebat, aut certè dissimulabat, cæpit vir Dei in medio epulantium sitire. Sed cum præ verecundia aquam postulare non auderet, præmissa oratione mentali ad Deum, siniſtra manu poculum arripuit, & faciens desuper crucem dextra vinum in aquam conuertit, & cum gratiarum actione bibit. Videntes eum bibere, qui circumsidebant eius instituti scientiam habentes poculum obseruabant, & inuento certissimè, quod vinum oratione mutasset in aquã, vltra modum sunt admirati. Hoc miraculum attestatione multorum, qui fuere præsentes, notum factum est per totam prouinciam Francorum, & in ore omnium MACARIVS verus Dei cultor & seruus prædicatus & laudatus est. EMBRICHO quoque Herbipolensium reuerentissimus Præsul huius intuitu miraculi sancto Abbati MACARIO, & eius successoribus, clero consentiente sua benedictione contulit integram præbendam Canonicalem in Ecclesia Herbipolensi maiori perpetuo duraturam. Magna ex

Miraculum.

Vinum conuertit in aquã.

hinc

hinc populi deuotio creuit ad locum, & multi pro animarum suarum remedio huic cœnobio multa contulerunt.

Miraculum 2. POST annos ferme septem, Ecclesia monasterij iam pœne consummata, beatus MACARIVS Abbas pro acquirendis * indulgentiis, & reliquijs sanctorum in propria persona sanctam Romanam visitauit Ecclesiam litteris commendatiis *Abit Romam.* Episcopi Herbipolensis comitatus. Eo tempore præfuit Ecclesiæ Romanæ EVGENIVS Papa III. S. BERNARDI Abbatis Claræuallis Cistertiensis ordinis quondam monachus, atque discipulus, pater pauperum, & hospes peregrinorum, qui venientem ad limina Apostolorum diuum Abbatem MACARIVM, vt verum Dei seruum, cum ingenti lætitia suscepit, & omni humanitate liberali prouisione tractauit. Factum est autem in quadam feria sexta, sedente ad mensam summi Pontificis paupere MACARIO, turris * Ecclesiæ S. Iacobi Herbipolensis aquilonaris impulsu turbinis mota corruit, & *Turris casum absens in spiritu vidit.* quasi funditus collapsa fuit. Quod cernens vir Dei in spiritu, non considerans ad cuius mensam sederet, cũ gemitu exclamauit. O Deus parce miſellis, ne deuotio fidelium pereat. Quem manu contingens Pontifex dixit. Quid habes frater, & quare ingemiscis? Qui verecundia tactus nihil respondit. Iterum postea interrogatus ad partem, turris ruinam monasterii sui tam longè distantis aperuit, & quomodo hoc viderit in Spiritu Pontifici reuelauit. Notauerunt horam, qui fuerunt præsentes, & reuersi Herbipolim, omnia, sicut dixerat contigisse, inuenerunt, ita vt visio Patris & ruina turris vno momento concordarent.

Miraculum 3. ERAT homo in ciuitate Herbipolensi, nomine Dudo, qui febrium diuturno languore exhaustus iam prope videbatur morituru. Eius vxor, cuius nomen non tenemus, famam sanctitatis Macarij non ignorans, & sanitatis viri cupida, ad monasterium sancti Abbatis deuota cucurrit, & vt preces ad Deum pro infirmo suo marito funderet humiliter rogauit. Cui vir Dei respondit, non sum eius apud Deum meriti, vt infirmantibus possim dare sanitatem: orabo tamen libens, quatenus omnipotens & misericors dominus tuam deuotionem exaudiat, & quod iudicauerit viro tuo esse salubrius faciat. Vade, & tu ora similiter. At mulier postulauit ab eo, vt aquam vrceolo contentam & oblatam in nomine Christi benediceret, asserens se in Dei misericordia omnino habere fiduciam. Qui mulieris importunitate victus crucem super aquam edidit, & eam abire iussit. Læta igitur abscedens aquam à viro Dei benedictam marito bibendam plena fide ac deuotione obtulit: quam vt bibit mox omnis ab eo infirmitas recessit. *Aqua cruce signata curat ægrũ.*

ANNO de hinc Domini nostri IESV Christi M.CC. LXIII. p̃fuit monasterio S. IACOBI præsenti, IOANNES Abbas vir magnificus & Deo deuotus, qui chorum Ecclesiæ nostræ amplians de nouo construxit, & fenestris exornavit, & iacet ante venerabile Sacramentũ corporis Dominici sepultus, crurium & tibiarum debilitate infirmabatur aliquanto tempore grauiter; qui tandem ad merita S. MACARII confugiens, se supra sepulchrum eius in orationem posuit, & omnium membrorum suorum sanitatem plenariè consecutus fuit. *Miraculum 4.*

Contigerunt & alia circa eius monumentũ retroactis temporibus miracula, quæ veterum negligentia fratrum & incuria litteris nõ sunt commendata. Hoc etenim præcipuum à Deo munus beneficij præstandi fidelibus obtinuit, vt sicuti pro Christi amore incendium carnis suæ vincendo superare studuit, ita morbos febricitantium hominum inuocatus fideliter extinguit.

ANNO M.C.XL.

HOc anno sancti MACARII Abbatis secundo, EMBRICHO Episcopus Herbipolensis præsens confirmauit cœnobium, & fecit donationẽ sollemniter superius in priuilegio fundationis contentam. Capellam primam, in qua hactenus sepultura fuit Abbatum & monachorum iuxta introitum portæ monasterii, vt altare vnicum in honorem S. IACOBI Apostoli maioris sexto Iduum Iulii anno præscripto dedicauit in præsentia multorum Christi fidelium, quia maior Ecclesia, quam nunc videmus perfectam, nec dum erat consummata. *Confirmatio donationũ.*

ANNO M.C.XLII.

HOc anno sancti MACARII Abbatis quarto, Embricho memoratus Her- *Donatio facta in*

VVolffsdale. bipolensiũ reuerentissimus antistes contulit huic monasterio *D. Iacobi* nouale suum quoddam Wolffstal nuncupatum, quod nunc propter capellam S. *Iudoci* in eo constructum Iustale nominatur, cum omnibus appendiciis suis, agris, pratis, nemoribus, aquis, aquarumque decursibus, & cunctis vtilitatibus excogitatis & excogitandis, prout in litteris donationis continetur.

ANNO M.C.XLIX.

Episcopus Embricho moritur. HOc anno, qui fuit sancti *Macarij* Abbatis cœnobii decimus, obiit reuerentissimus Herbipolensis antistes *Embricho* fundator noster in maiori Ecclesia sepult⁹, cuius cadauer prima nocte in Ecclesia nostra mansit repositum, sicut ipse in vita sua ordinauerat: alteraq; die ad Ecclesiam principalem clero præcedente fuit cum honore deportatum. Etista consuetudo vsq; in præsente m diem sepeliendi Pontifices nostros obseruatur.

Consuetudo sepeliendi Episcopum Herbipolensem.

NAm quolibet vita defuncto Pontifice Herbipolensis Ecclesiæ, cum fuerit de consilio Dominorum sepeliendus, denunciatur dies & hora Prælatis, vt omnes q̃ tenẽtur occurrant. Deinde à suis ministerialibus ad hoc ordinatis de mõte portatur defunctus, cui mox in pede montis domini de S. BVRCHARDO debẽt occurrere, & cum cantu ante funus processionaliter versus nostram Ecclesiam venire. Interim Abbas S. IACOBI Pontificalibus se ornamentis induit, & funeri in occursum vsque ad lapideam crucem extra Ecclesiam cum fratribus obuiam pergit, campanis interea sonantibus. Cumq; ad Ecclesiã peruenerint, defunctus ante altare S. Crucis in medio Ecclesiæ ponitur, & vesperæ mortuorũ per dominos de S. Burchardo iuxta feretrum decantantur. In quarum fine Abbas noster consuetas orationes debet subiungere, & cadauer aqua benedicta conspersum thurificare. Mox debent adesse fratres quatuor ordinum mendicantium, & inchoatas mortuorum complere vigilias, q̃libet in loco sibi deputato. Ministeriales defuncti Pontificis illa nocte cadauer eius custodiunt, & choraules Psalterium cũ lectionibus & responsoriis mortuorum decantantes circa feretrum cõsistere consueuerunt. Fratres quoq; nostri in choro si tempus admittit, vigilias nouum lectionum debent, vel cãtare vel legere, & ea nocte se nihil amplius occupare. Mane autem facto, Abbas noster, aut cui commiserit, defunctorum cantabit officium, sub quo dabuntur ad altare candelæ quatuor paruæ, & duæ maiores, quæ post Missam in Ecclesia remanebũt. Finita Missa Dominus Abbas noster cum ministris & fratribus vadat ad feretrum, & cantẽt ibi consuetum pro mortuis responsoriũ, subiunctis orationibus ad hoc specialiter institutis. His peractis melior & pretiosior pannus, qui est supra feretrum, pertinet ad nostrum cœnobium, & inde fiat Ecclesiæ ornamentum. Defunctus autem in Ecclesia nostra vsq; ad horam vesperarum dimittitur, & vesperis decantatis totus clerus ad maiorem Ecclesiam congregatur, veniẽtesq; processionaliter ad Ecclesiam nostram iterum decantabunt vesperas mortuorum: quibus finitis cum processione reuertuntur ad maiorem Ecclesiam feretrum præcedentes quilibet in ordine suo: ita quod Abbates infulati ante mortuum incedãt vltimi, post omnes, videlicet canonicos. Sequenti verò die per aliquem Episcopũ vel Abbatem defunctorũ in maiori Ecclesia cantetur officiũ, sub quo Abbates infulati stent cum canonicis in ordine suo. Missa autem finita cadauer ad sepulchrum traducitur, & cum orationib. debitis sepelitur. Mortuo Embrichone venerabili Episcopo Sifridus ei successor eligitur, sub cuius Pontificatu monasterium Eberacense fundatur.

Sifridus Episcopus successor Embrichonis.

ANNO M.C.LIII.

HOc anno sanctus MACARIVS primus huius cœnobii Abbas moritur. In cuius transitu voces sanctorũ angelorum cantantium audiuntur. Sepultus est in capella prima S. IACOBI sub lapide eleuato cum tali inscriptione. *Hic iacet MACARIVS primus Abbas huius Ecclesiæ, per quẽ Deus vinum in aquam conuertit.* Successit autem sancto patri MACARIO in Abbatia monachus quidam, nomine CHRISTIANVS, qui causam institutionis huius cœnobii dederat, & præfuit annis 26. vir magnæ religionis, & morum sanctitate integerrimus, sub cuius regimine donationes multæ fidelium huic monasterio pro Dei honore, & S. IACOBI, factæ sunt.

Christianus 2. Abbas.

ANNO

ANNO M. C. LIIII.

Gebhardus Episcopus.

ANNO isto, qui fuit CHRISTIANI Abbatis secundus obiit SIGEFRIDVS Episcopus Herbipolensis 28. cui GEBEHARDVS successit, & præfuit annis sex, ac mensibus totidem tempore Friderici Imperatoris primi.

ANNO M. C. LXI.

Henricus Episcopus.

ANNO Christiani Abbatis octauo obiit GEBEHARDVS Episcopus Herbipolensis 29. cui HENRICVS succedens præfuit annis sex, qui fuit in ordine Pontificum Herbipolensium 30.

ANNO M. C. LXVII.

Heroldus Episcopus

HOc anno, qui fuit Christiani Abbatis 14. obiit HENRICVS Episcopus huius nominis secundus, cui successit HEROLDVS, & præfuit annis 7. mensibus quinq; , diebus duobus, qui precibus obtinuit à FRIDERICO Imperatore I. bullam iurisdictionis & libertatis per totum Ducatum Francorum Orientalium, quæ aurea dicitur. Anno eodem HEROLDVS Episcopus per suas litteras authenticas confirmauit donationem HENRICI cuiusdam militaris de Gonrichsheym, qui monasterio S. IACOBI tradidit omnia bona sua, quæ habuit in villa memorata, sicut patet ex litteris ipsis: quarum tenor sequitur, & est talis.

LITTERÆ DONATIONIS Henrici de Gonrichsheim.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, HEROLDVS Dei gratia VVirceburgensis Episcopus. Qui dignatione diuina sanctæ Dei Ecclesiæ præsidemus, ea quæ fideles Christi in sustentationem filiorum Dei tradiderunt, litteris annotare, & posterorum memoriæ relinquere debemus. Proinde notum esse volumus præsentibus ac futuris fidelibus, qualiter HENRICVS de Gonrichsheym, bonorum, quæ sibi ex paterna hæreditate prouenerant Christum hæredem constituerit. Pater enim eius Raboto nomine filijs suis, Conrado, Adelberto, item Adelberto ex altera vxore genitis partem bonorum ad se de iure pertinentium æquè diuidendo distribuit, & præfato HENRICO possessiones & prædia, quem prædicta villa Gonrichsheym habuit cum suis vterinis fratribus hæreditario iure dereliquit. Qui Henricus non solum ista bona, sed & alia à fratribus suis redempta, totamque hæreditatem vterini fratris sui VVolfframmi quieta pace possedit. Denig, post aliqua temporum spacia cum vxore Elisa nomine filia Billung de Gotimbicchun legitimè viuens, & liberorum carnalium se successione iam priuari videns, de bonis sibi à Deo concessis spirituales filios volens enutrire, pari assensu & voluntate vxoris & propinquorum omnia sua pro remedio animæ suæ & fratris sui VVolfframmi, patris etiam & matris, & omnium prædecessorum suorum ad Ecclesiam S. IACOBI in nostro suburbio positam deuote tradidit ea conditione, vt vxor ipsius, ipso viuente vel defuncto ad terminum vitæ suæ possideat. Quod si forte eo defuncto alterum virum duxerit, & ex eo filios habuerit, eadem sibi cedant, ita vt nulli hominum inuadiare, aut vendere possit. Ac ipsa defuncta nihil in his bonis filij potestatis habeant, sed libere ad præfatam Ecclesiam pertineant. Duos etiam mansos primitus Ecclesiæ: quos quidam ab ipso hac lege suscepit, vt quousque prædictus Henricus vixerit, ex vno eorum quinque solidos, & de altero quadraginta nummos persoluat, & post obitum eius Ecclesia liberè eos possideat. Præterea fratres Scoti, quibus idem Henricus prædicta bona tradidit, petitioni eius satisfacientes omni hebdomada tres Missas ei in claustro, & tres alias in villa eius persoluere decreuerunt. Et etiam fratres eiusdem Henrici Conradus & Adelbertus pari voto curiam vnam cum omnibus suis appendicijs in villa etiam Gonrichsheym pro remedio animarum suarum, antequam vxores duxerant, S. IACOBO & eisdem Scotis tradiderunt: quæ curia quinq; solidos & modium tritici annuatim persoluet. QVORVM autem testimonio sint ista confirmata subscripti denotantur. *Richolphus Præpositus maioris Ecclesiæ, Perseus Decanus. Reinhardus Præpositus de nouo monasterio, Ioannes Scholasticus, Godefredus Cantor, Adelbertus Custos, Henricus Præpositus de Hanoldespach, VVernerus Præpositus S. Ioannis, Conradus Cellerarius. LAICI, Beppo Vrbanus Comes, Marquardus de Grumbach, Comes Gerhardus de Berstainn, Rupertus de Froburg, Otto & Adelbertus filij Marquardi de Grumbach, Boto de VVirciburg, Billingus Vicedominus, Item Billingus & Henricus Sculteti, Heroldus Camerarius, Godefridus de foro, & eius frater Engelbertus, Rutgerus de Danbach. Rituuicus, Henricus, Rheinerus de Dorligsburg, Henricus filius Ottonis, Adelbert⁹ filius Conradi de Berstainn. Billingus & cuno frater eius. Cõradus frater ipsius Henrici de Gõrichsheym, Rabnold⁹, Hermãnus, Adelbert⁹.*

Hoc igitur legitimo & conuenienti testimonio corroborata, & præsentis scripti pagina confirmata, & impressione sigilli nostri consignata si quis inposterum ausu temerario infringere vel infirmare præsumpserit, anathema sit. AMEN. Acta anno Dominicæ incarnationis. M.C. LXVII. indictione quintadecima.

ANNO M. C. LXXIX.

Eugenius Abbas 3.

HOc anno CHRISTIANVS Abbas secundus obiit, vir moribus & eruditione præclarus, cuius vita & doctrina multos ab iniquitate ad normam iustitiæ conuertit. Huic in Abbatia huius monasterii successit EVGENIVS & præfuit annis ferme decem & octo. Hic imitator atque discipulus beati MACARII quondam sanctissimi patris vita & conuersatione in omnibus se commendabilem exhibuit.

ANNO M. C. XCV.

HOc anno Eugenius Abbas huius cœnobii tertius anno promotionis suæ decimo sexto à Cœlestino Papa III. Priuilegium confirmationis huius monasterii & omnium bonorum eius obtinuit, qui cœnobium ipsum protectione sacro sanctæ sedis Apostolicæ suscepit. Cuius priuilegii tenor sequitur, & est talis.

PRIVILEGIVM CÆLESTINI PAPÆ.

CAElestinus Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filiis EVGENIO Abbati monasterij Scotorum de VVirceburg, eiusq; fratribus, tam præsentibus, quam futuris regularem vitam professis, in p. p. m.

Quotiens à nobis petitur, quod religioni & honestati conuenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desiderijs cõgruum suffragium impertiri. Ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium, in quo diuino estis obsequio mancipati sub. B. PETRI & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. In primis siquidem statuentes, vt ordo monasticus, qui secundum DEVM, & B. BENEDICTI regulam in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Præterea quascunq; possessiones, quæcunque bona idem monasterium impræsentiarum iustè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum oblatione fidelium, seu alijs iustis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisq; successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentijs suis, qui est iuxta ciuitatem de VVirceburg. *VVolffdal.*
Curiam cum decem & octo mansis de valle luporum. Curiam vnam cum nouem mansis de villa VVitulshusen. Curiam vnam cum tribus mansis de villa Pertehem. Curiam vnam cum quinq; mansis de villa Pleipfelt. Curiam vnam cum duobus mansis & dimidio de villa VVelanze. Curiam vnam cum medio manso de Y-penzen. Curiam vnam cum manso vno de villa de Herbulsen. Curiam vnam cum tribus mãsis de Manheim. Curias duas vna cum manso vno de villa planac. & viginti mensuras terræ de villa de VVigenhem. Mansum vnum de villa Heresbret. Curiam vnam cum prædio vno ad aratrum vnum de villa Cogrischim. Curiam vnam cum sex mansis de villa Hedinstat. Curiam vnam cum manso vno & dimidio de villa seligne. Et præbendam S. KYLIANI de Episcopatu VVirceburg. & sexaginta iugera vinearum. Curiam vnam, quæ reddit vobis talentum vnum Ediffelt. Sane noualium vestrorum, quæ propriis manibus, aut sumptibus colitis, siue de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos, & absolutos à sæculo, fugientes ad conuersionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, vt nulli fratrum vestrorum, post factam in monasterio nostro professionem fas sit absque Abbatis sui licentia, nisi arctioris fortè religionis obtentu, de eodem loco discedere. *Nulli licet, nisi ad arctiorem religionem discedere.*
Discedentem verò absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum fuerit, liceat vobis clausis ianis excluſis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis suppressa voce diuina officia celebrare. Obeunte verò te nunc eiusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum maior pars consilij sanioris secundum Dei timorem & beati BENEDICTI regulam prouiderint eligendũ. Adhæc libertates & immunitates antiquas & rationales consuetudines monasterio vestro concessas & hactenus obseruatas ratas habemus, & eas futuris temporibus illibatas permanere sancimus. Sepulturam præterea ipsius loci liberam esse decernimus, vt eorum deuotioni, & *Abbatẽ eligendi apud quẽ potestas.*

extre-

extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberauerint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat: salua tamen iustitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum fas sit præfatum monasterium temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt omni modis profutura, salua sedis Apostolicæ auctoritate, & Diocæsani Episcopi iustitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, sæcularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentauerit, secundo tertioue commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisq; sui dignitate careat, reamq; se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Et à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine diuinæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax Domini nostri IESV Christi: quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant, AMEN. EGO Cœlestinus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi. Ego Albinus Albanensis Episcopus subsc. Ego Octauianus Ostiensis, & Velitrensis Episcopus subsc. Ego Pandulphus Basilicæ 12. Apostolorum presbyter Cardinalis subsc. Ego Ioannes tituli S. Clementis, Presbyter Cardin. Viterbiensis & Tusc. Epis. subsc. Ego Hugo presbyter Cardinalis. S. Martini tit. Equitij subsc. Ego Ioannes tituli S. Stephani in Cœlio monte presbyter Cardinalis subsc. Ego Soffredus tituli S. Praxedis, presbyter Cardin. subsc. Ego Bernardus S. PETRI ad vincula presbyter Cardinalis tit. Eudoxiæ subsc. Ego Ioannes tit. S. Priscæ presbyter Card. subsc. Ego Gratianus SS. Cosmæ & Damiani Diaconus Cardin. subsc. Ego Gerardus S. Adriani Diaconus Cardin. subsc. Ego Gregorius S. Mariæ in Porticu, Diac. Cardin. subsc. Ego Gregorius S. Mariæ in Aquiro Diac. Cardin. subsc. Ego Lotharius SS. Sergij & Bacchi, Diac. Cardin. subsc. Ego Nicolaus S. Mariæ in Cosmedin Diac. Card. subsc. Ego Petrus S. Mariæ in vialata Diac. Cardin. subsc. Dat. Laterani per manum Cencij S. Luciæ in Orthea Diac. Cardinalis Domini Papæ Camerarij 7. Idus April. Indictione octaua. Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo nonagesimo quinto, Pontificatus vero Domini Cælestini Papæ III. anno quarto.

ANNO prænotato Dominicæ natiuitatis, M.C.XCV. HENRICVS Imperator VI. regnum Siciliæ obtinuit, ac suæ ditioni subiecit. Post glorioſum Herbipolensis Ecclesiæ Pontificem HEROLDum, qui obiit anno Christiani Abbatis vigesimo primo succeſſit Episcopus REINHARDVS, & præfuit annis quatuor, mensibus decem, diebus quindecim. Quo anno eiusdem quinto & vicesimo similiter defuncto, GODFRIDVS de Pistenberg succedens præfuit annis quinque, mensibus octo, diebus viginti sex, qui apud Antiochiam moritur in expeditione terræ sanctæ, anno Eugenij Abbatis huius cœnobij septimo. Huic in Episcopatu HENRIGVS de Biblierith succedens præfuit annis sex, mensibus octo, & diebus octo, vir bonus.

Reinhardus Epiſ. Herbip.

Godfridus

Henricus.

ANNO M. C. XCVII.

HOc anno Eugenius huius cœnobij tertius Abbas moritur: cui GREGORIVS succeſſit, & præfuit annis decem, vir moribus & doctrina reuerendus, cuius tempore HENRICVS Imperator sextus in auxilium Christianis misit exercitum in Syriam, qui Henrico in Sicilia mortuo reuertitur. Et Saraceni Christianos in Syria desolatos plaga miserabili persequuntur, & omnia recuperant. Eodem quoque anno HENRICVS Episcopus Herbipolensis obiit, cui GODFRIDVS de Hohenloe succeſſit, & præfuit mensibus quatuor, diebus nouem.

Gregorius Abbas 4.

ANNO M. C. XCVIII.

HOc anno Henricus Episcopus Herbipol. obiit; Cui CONRADVS Cancellarius regius succedens, præfuit annis quinq;, mensibus, tribus q. postea in Herbipolensi ciuitate fuit occisus. Eodē anno Henricus Imperator sextus in ciuitate Panormitana Siciliæ obiit, cui PHILIPPVS frater succedens annis octo regnauit.

VERVM cum non sit propositi mei hac vice & loco huius cœnobij Chronicon diffusum componere; quod me cōstat in priori monasterio meo Spanheimensi antea feciſſe, ſtatui materiam, licet copioſam, intermittere, & succeſſiones Abbatum breuiter annotare. Duo sunt enim, quorum consideratione motus post editionem Spanheimensis historiæ

Cur Trithem. hoc Chronicon ediderit.

riæ huius etiam monasterii S. IACOBI Herbipolensis breuissimum compendium volui edere, & ad ipsum opus præcedens in fine copulare. Altera fuit, quatenus non maneret ignotum huius cœnobii principium. Altera, vt sciat omnis posteritas, quâ iustè & rationabiliter fuerit à Scotis in Teutonicos de obseruantia monachos translatum. Primam causam breuiter expediuimus: restat nunc, vt præmisso compendioso huius cœnobii Abbatum Catalogo, ad secundam quoque properemus.

NOMINA ET SVCCESSIONES omnium ABBATVM *huius monasterij S.* IACOBI *Herbipolensis, qui reformationem præcesserunt.*

ANNO Domini nostri Iesu Christi millesimo, centesimo & tricesimo nono, indictione octaua EMBRICHO Herbipolensis reuerentissimus Præsul, Duxque Francorum Orientalium hoc monasterium in suburbio memoratæ ciuitatis suæ constituit, & in honorem S. IACOBI maioris Apostoli sequenti anno consecrauit. Vbi primum Abbatem instituit *Macarium*, natione Scotum, virum sanctissimum, de quo iam diximus.

ABBAS I. *Macarius* igitur primus huius cœnobii Abbas institutus fuit anno Christianorum M.C.XXXIX. indictione octaua, & præfuit annis quatuordecim, mensibus quatuor, diebus viginti: obiitque anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo tertio, sepultus in capella S. IACOBI, miraculis clarus.

II. *Christianus* Abbas secundus, institutus fuit in festo sancti Papæ *Clementis*, anno Christianorum M. C. LIII. indictione prima, & præfuit annis viginti sex. Obiitque anno Domini M. C. LXXIX.

III. *Eugenius* Abbas huius monasterii tertius eligitur anno Dominicæ natiuitatis M. C. LXXIX. indictione duodecima, & præfuit annis decem & octo, moriturq; anno Christianæ salutis M.C.XCVII.

IV. *Gregorius* huius cœnobii Abbas quartus, institutus fuit anno Dominicæ natiuitatis M. C. XCVII. & præfuit annis decem. Mortuus est autem anno Domini nostri Iesu Christi M.CC.VII.

V. *Matthæus* Abbas huius monasterij quintus, ordinatus fuit anno salutis Christianorum M. CC. VII. & præfuit annis octo, sub quo rigor monasticæ disciplinæ paulatim cæpit in monachis isthic sepescere. Mortuus est anno Domini M. CC. XV.

VI. *Teclanus* huius monasterii sextus Abbas, qui sub Matthæo Prior claustralis extitit, ordinatus fuit anno Domini M. CC. XV. & præfuit annis duobus, mensibus quatuor, diebus 6. sub Ottone Pontifice Herbipolensium trigesimo octauo, & mortuus est anno M. CC. XVII.

VII. *Elias* Abbas in ordine successionis septimus ordinatus fuit anno Domini M. CC. XVII. indictione quinta, & præfuit annis sex, diebus octo sub Ottone Episcopo prænominato. Et moriur anno salutis nostræ M. CC. XXIII. Et eodem anno obiit ipse Otto de Lodenburg Herbipolensis Episcopus in præfesto S. Nicolai, cui Theodoricus successit, & præsedit anno vno, mensibus duobus, diebus viginti quatuor.

VIII. *Cælestinus* huius monasterii Abbas octauus post Eliam fuit ordinatus eodem anno indictione sexta, & præfuit annis vndecim, mense vno, diebus quinq; sub Hermanno Episcopo Herbipolensi quadragesimo. Moritur autem anno Domini M. CC. XXXIV.

IX. *Gerardus* Abbas præsentis monasterii nonus fuit ordinatus anno Christianorum M. CC. XXXIV. indictione septima, & præfuit annis octo, mensibus quatuor, diebus viginti tribus, obiitque anno M. CC. XLII.

X. *Ioannes I.* huius monasterii decimus Abbas, institutus fuit anno Dominicæ natiuitatis M. CC. XLII. indictione 15. & præfuit annis decem, mensibus octo, dieb. tredecim. Obiit anno M.CC. LIII.

XI. *Ioannes II.* Abbas huius monasterii vndecimus, ordinatus fuit anno Domini M.CC.LIII. indictione octaua, & præfuit annis viginti vno, mensibus quinque, diebus octo sub *Iringo* Pontifice Herbipolensium.

XII. *Mauritius I.* huius cœnobii Abbas duodecimus post Ioannem ordinatus fuit anno Domini M. CC. LXXIV. indictione secunda & præfuit annis viginti quatuor, mense vno, diebus quatuordecim, & mortuus est anno salutis fidelium M.CC. XCVIII.

XIII. *Iohel* monasterii huius Abbas decimus tertius post Mauritiũ fuit institutus anno Domi-

Dominicæ incarnationis M. CC. XCVIII. indictione tertia. Et præfuit annis octo tempore ANDREÆ. Herbip. Episcopi.

XIV. *Elias II.* Abbas huius cœnobii quartus decimus, Ioheli præfato successit anno Domin. Natiuitatis M. CCC. VI. indictione 4. & præfuit annis 12.

XV *Ioannes III.* huius monasterii Abbas quintusdecimus institutus fuit ab ANDREA Herbipolensium Episcopo anno Domini M.CCC.XVIII. indictione prima. Et præfuit annis ferme septendecim, sub GODFRIDO Episcopo. Mortuus est autem anno M.CCC.XXXV.

XVI. *Micheas* monasterij huius XVI. Abbas, mortuo Ioanne ordinatus fuit anno Dominicæ natiuitatis M.CCC.XXXV. sub OTTONE Wolffskele Herbipolensium Episcopo, & præfuit annis quinque, mensibus octo, diebus viginti. Et mortuus est anno Domini M. CCC. XLI.

XVII. *Philippus I.* huius monasterii XVII. Abbas post obitum Micheæ Abbatis institutus fuit, anno Domini M. CCC. XLI. sub Ottone memorato Episcopo. Et præfuit annis XXI. vir ad secularium rerum magisteria tractanda ingenio acutus. Hic anno regiminis sui decimo quarto confirmationē omnium priuilegiorum præsentis monasterii à CAROLO Imperatore IV. impetrauit. Mortuus est an. Dom. 1361.

XVIII. *Donaldus* præsentis monasterii Abbas XVIII. ordinatus fuit sub Alberto de Hohenlohe Herbip. Episcopo, anno Domini præscripto M.CCC.LXII. Et præfuit annis 23. Cuius tempore præfatus Episcopus ciuitatem Herbip. per dies plures obsidione vallauit, vt ciues rebelles in deditionē interuentu tandē Imperatoris CAROLI pacifice recepit. Obiit autem iste Donaldus anno Domini 1385.

XIX. *Timotheus* Abbas monasterii huius 19. post mortē Donaldi fuit ordinatus anno Domini præscripto M.CCC.LXXXV. indictione octaua sub *Gerardo* Episcopo. Et præfuit annis XIV. Turbulenta nimis fuerunt hæc tempora, & apud Francos tribulationibus plena.

XX. *Imarus* huius monasteri 20. Abbas institutus fuit anno Dom. natiuitatis 1399. & præfuit annis 8. mens. 5. Huius anno secundo, q fuit vltimus *Gerardi* de Schwartzenburg Episcopi, videlicet Dominicæ natiuitatis 1400. die mensis Ianuarii vndecimo *Gerardus* Episcopus cum ciuibus sibi rebellantibus cōflictum iuxta villam Bertheym habuit, & glorioſe triūphauit

XXI. *Rutgerus*, qui & Donaldus Abbas huiut monasterii 21. ordinatus fuit an. D. 1407. indictione 15. sub Ioanne de Eglofstein Episcopo Herbip. & præfuit annis 10. mensibus 11. diebus 5. Cuius anno septimo Conciliū *Constantiense* sumpsit initiū.

XXII. *Thomas I.* huius monasterii Abbas 22. post Rutgerum fuit ordinatus anno Domini 1417. & præfuit annis fere 20. sub Ioanne de Brun Herbip. Ecclesiæ Pontifice primo & quinquagesimo. Moritur autem anno Domini 1437.

XXIII. *Roricus* monasterii huius 23. Abbas post mortem Thomæ fuit institutus anno Dominicæ natiuitatis 1437. tempore Ioañis de Brun Episcopi, & p̄fuit annis 10.

XXIV. *Alanus* huius monasterii Abbas 24. post Roricum ordinatus fuit anno salutis Christianorum 1447. Et præfuit annis octo. Mortuusque est anno 1455.

XXV. *Mauritius II.* Abbas huius monasterij 25. post mortem *Alani* ordinatus est, anno Domini 1455. & præfuit annis sex. Et nota, quod ab hoc tempore monasteriū istud in vtroq; statu mirabiliter defecit, in tantum q; Abbates sæpius sine monachis soli in eo residebant, aut certe monachum ex ordine Mendicantium aliquem fugitiuum secum habebant.

XXVI. *Ioannes IV.* huius cœnobii 26. Abbas institutus fuit anno Dominicæ natiuitatis 1461. indictione nona, præfuitq; annis duobus, mense vno, diebus viginti.

XXVII. *Otto* præsentis monasterii Abbas 27. post Ioannis mortem fuit ordinatus anno Dom. 1463. indictione vndecima & præfuit anno vno, mensibus decem. Et obiit anno 1465.

XXVIII. *Thadæus* hui⁹ cœnobii 28. Abbas mortuo Ottone ordinatus fuit anno Domini 1465. Et præfuit annis decē pro suo modulo satis vtiliter. Nam totius Ecclesiæ tectum de nouo reformauit, duo ambitus latera occidentale videlicet, & meridionale à fundamentis reparando construxit, & census renouauit.

XXIX. *Dauid* mortuo Thadæo huius cœnobii Abbas 29. constituitur anno Domini 1475. indictione octaua, & præfuit annis octo: ac deinde anno 83. ad Ratisbonam in Abbatem *S. Iacobi* translatus eligitur, & meliora huius monasterii priuilegia secum abstulisse perhibetur.

Thomas

XXX. *Thomas II.* huius cœnobii XXX. Abbas ordinat⁹ fuit anno Dominicæ natiuitatis prænotato M. CCCC. LXXXIII. & præfuit annis vndecim in paupertate magna. Obiitq; anno Domini XCIV.

XXXI. *Edmundus* post mortem Thomæ huius monasterii Abbas tricesimus primus. ordinatus fuit anno Domini prænotato, scilicet M. CCCC. XCIV. indictione duodecima, & præfuit annis duobus.

XXXII. *Philippus II.* huius monasterii Abbas 32. post mortem Edmundi fuit institutus anno Domini M. CCCC. XCVI. & præfuit mensibus sex, & diebus viginti sex, obiitque anno Dominicæ incarnationis M. CCCC. XCVII. circa festum S. Margarethæ virginis & martyris, nullum relinquens in hoc cœnobio monachum, sed locum prædecessorum suorum negligentia in vtroque statu miserabiliter desolatum, & in extremam paupertatem deductum. Quo mortuo secuta est monasterii huius necessaria reformatio. De cuius modo & causa simul & promotorib. consequenter narrationem quam breuiter prosequemur.

De Reformatione huius monasterii ex mandato sedis Apostolicæ per Reuerendissimum Patrem D. Laurentium Episcopum.

ANno Domini nostri Iesu Christi Millesimo, quadringentesimo nonagesimo septimo, indictione secunda, mortuo Philippo huius monasterii vltimo Abbate de natione Scotorum, locus non solum pastore destitutus, sed etiam ouibus vacuus remansit. Ad tantam siquidem sub regimine Scotorum desolationem præsens monasterium deuenerat, vt Abbas sine monachis inane Pastoris nomen portaret. A multis etenim annis malè hic rexerunt Abbates, quousque tandem monasterium in vltimam paupertatem deuenit. Nam, sicut diximus, Philippus moriens cœnobium sine monachis vacuum, & debitis, sicut inuenerat, grauiter oneratum dereliquit. Nunciata sunt hæc Domino Papæ Alexandro VI. qui desolatione tam insignis quondam monasterii condolens Domino reuerentissimo Laurentio Herbipolensium Episcopo, Francorumque Orientalium Duci, vt Ordinario loci & fundatori cœnobii memorati super eius reformatione mãdatum in hæc verba trãsmisit, sub annulo videlicet piscatoris.

Mandatum Apostolicum super reformatione huius cœnobij Reuerendissimo Patri D. Laurentio Præsuli nostro transmissum.

VEnerabilis frater salutem & Apostolicam benedictionem. Accepimus, quod in monasterio S. IACOBI maioris Scotorum ordinis S. BENEDICTI tuæ diocesis trans flumen Mogonum nõ longe ab arce tua Herbipoli constituto à primæua ipsius monasterij fundatione solum monachi Scoti recipi possunt: sed propter negligentiam & incuriam Abbatum, qui illi pro tempore præfuerunt, seu alias monasteriũ ipsum ad tantam desolationem deuenit, quod in ipso à longissimo tempore citra solus Abbas sine vllo conuẽtu, aut monacho residet, & illius bona paulatim dissipantur. Et si alii monachi, (dicti ordinis regularis obseruantiæ) quàm Scoti introducerentur profecto monasterium ipsum in spiritualibus & temporalibus sumeret incrementum. Quo circa cupientes dicti monasterii feliciori statui & successui, quantum nobis conceditur, ex pastorali officio nobis commisso prouidere: fraternitati tuæ, de qua in his & in aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per præsentes committimus & mandamus, quatenus ad monasterium ipsum personaliter te conferas, seu alias vocatis qui fuerint euocandi, super præmissis te diligenter informes. Et si per informationem huiusmodi ita esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, quod de cetero monachi teutonici dicti ordinis regularis obseruantiæ in ipso recipi, & etiam quod natione teutonicus alias idoneus illi, quoties Abbate destitutum erit, in Abbatem præfici possit, statuas & ordines: ac monachos præfati ordinis teutonicos in illud introducas. Ita tamen, quod in memoriam prioris fundationis dicti monasterii etiam monachi Scoti, si reperianrur, in illo semper admittantur. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec nõ fundatione prædicta: cui, quoad hæc derogamus, ac monasterii & ordinis prædictorum iuramento, confirmatione

Papa decernit vt Scotus succedãt germani.

Apo-

Apostolica & quauis firmitate aliæ roboratis statutis & consuetudinibus cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris, die vltima Septembris M. CCCC. XCVII. Pontificatus nostri anno sexto.

Quemadmodum Reuerendissimus in Christo Pater & Dominus D. Laurentius Episcopus Herbipolensis, Orientaliumque Dux Francorum commissarius Apostolicus & Iudex reformationem introduxerit.

COmmissione Apostolica cum reuerentia & honore suscepta Reuerendissimus in Christo Pater & Dominus Laurentius Herbipolensis Episcopus, Francorumque Orientalium Dux inclytus, præmissis omnibus & singulis de iure vel consuetudine præmittendis mandato summi Pontificis quantocyus satisfacere curauit. Magno siquidem desiderio honestati & obseruantiæ regulari claustralium pastor vigilantissimus prouidere curabat; nec ferre vnquam æquanimiter potuit mores inordinatos, & institutionibus sanctorum contrarios in quibuslibet habitu religiosis. Ad istud quoque monasterium S. IACOBI singulari ducebatur amore: quoniam & suo castro & proximum, & Episcopali munificentia fundatum. Vnde non minus iustè, quam debitè oculum cõsiderationis adhibuit: & ne sub regimine Scotorũ pessimo funditus rueret, maximè cum nullus illud religiosus inhabitaret, sapientissime prouidit. Monachos introduxit religiosissimæ conuersationis de obseruantia regulari, quæ à loco suæ originis Burfeldensis nõminatur, ex monasterio sancti protomartyris Stephani in ciuitate constituti numero tres. Quorum ista sunt nomina. Maternus Lyeser. Henricus de Culsheim, & item Henricus de Heidingsfelt eos in realem possessionem huius monasterii auctoritate tã ordinaria, quam Apostolica locauit, transferens in eos, & eorum successores omnia iura, priuilegia, dominia, libertates, redditus, & census: bona simul cætera omnia, quæ ad ipsum monasterium ab olim constat pertinere. Ita videlicet, vt quicquid iuris in hoc monasterio & extra Scoticæ nationis monachi dudum antea, & nouissime habuerunt, vel habere poterant, in istos, & eorum successores teutonicæ nationis monachos perpetuo iã deinceps sit plena commissione transfusum. Et quia monasterium per malam vitam, & nimis inordinatum regimen Scotorum in extremam paupertatem deuenit, iusta ratione ab eius administratione sunt remoti. A multis etenim annis nulla in monasterio religiosæ institutionis obseruantia viguit, nulla vitæ monasticæ puritas fuit, inordinatè, & carnaliter in eo sine monachis viuebant Abbates, propter suam inobedientiam, & reprobam vitam à præsidentibus Capituli Prouincialis ordinis auctoritate Apostolica sæpius excommunicati, & nunquam absoluti, Deum in obliuionẽ posuerunt: & ob id non solùm in spiritualib. sed ẽt in temporalib. defecerunt. Miseranda & nimium periculosa fuit eorum conuersatio: quippe qui redditus & census pro viginti vel triginta monachis in hoc cœnobio quondam sufficientes eousque desolauerunt, vt hoc tempore duo vix queant ex reliquiis perditorum sustentari. In structuris etiam vsq; adeo fuit collapsum, vt nouiter introductis fratribus numero duntaxat, vt dictum est, tribus locus vix esset manendi. Nulla sunt isthic inuenta clenodia, nulla præter duos calices argentea vasa, non vinum, non frumentum, non quicquam ad victum necessarium. Cœnobium ære alieno grauatum extitit, & nec vnus quidem obolus in monasterii promptuario inuentus fuit. Omnia enim bona eius præter solam præbendam S. KILIANI canonicam distracta fuerunt, & muri pæne omnes minabantur ruinã; sicuti videmus in latere ambitus Aquilonari, quod cecidit: vt in domo torcularis, quæ similiter collapsa ruit. Necessarium igitur fuit prouidere de remedio, alioquin cito factum extitisset de hoc loco.

Cur à Scotis translatum.

Qui monachi germani Scotis primo successerint.

Quanta bona fecerit huic pauperi monasterio Reuerendissimus & Sapientissimus Præsul noster Laurentius fundator secundus.

POstquam fratres de monasterio S. Stephani reformationis gratia imperante Reuerendissimo in Christo Patre & Domino Laurentio Episcopo & Duce Francorũ memorato ad præsens monasterium fuerunt introducti non ilico

volebat Abbatem super eos instituere, sed iussit illos ad tempus sub obedientia Domini Conradi Herloch de Colshem, Abbatis S. Stephani permanere, donec paupertas nimia releuaretur ex tẽpore. Et quia sæpe dictus reuerendissimus Præsul magno pietatis affectu locum hunc dilexit multa ei beneficia gratiose pro Christi amore & reuerentia S. Iacobi siue intermissione sedulus impendit. Imprimis siquidem sua munificentia liberũ & absolutum fecit ab oneribus debitorum, & multa ex suo fisco fratribus munera donauit. Ecclesiam intrinsecus totam suis impensis renouari fecit. Pauimentum quoque lapideum in choro, & sedilia de nouo similiter fieri procurauit. Calices duos argenteos deauratos & nouos Ecclesiæ, simul & quædam indumenta sacerdotalia donauit. Vineas insuper & certos redditus annuos huic monasterio tradidit, quorum suis locis consequẽter mentionem faciemus. Hinc meritò alter huius cœnobii fundator censendus est, & tam successorum, quam nostra omnium memoria perpetuo celebrãdus. Deniq; volumina q̃dam non contemnendæ vtilitatis, tam scripta, quam impressa huic monasterio contulit, & alia multa beneficia quotidie impendit.

ANNO M. CCCC. XCVII.

HOc igitur anno vacante monasterio præsenti tam monachis, quam Abbate, Reuerendissimus Pater Dominus Laurentius de Bibera Herbipolensium Episcopus, Francorumq; Orientalium Dux monachos obseruantiæ regularis optimos cultores de sancto Stephano tres numero introduxit, quibus sub obedientia prædicti Abbatis ad tempus breue constitutis Priorem secundum consuetudinem ordinis, præfecit. Introducti autem fuerunt anno prænotato decimoseptimo die mensis Iulii, qui est festo S. Alexii sollemnis, quibus de necessariis copiose prouidit, qnoniam nihil penitus in loco repererunt. Procuratorem fisci habebat sæpefatus Reuerendissimus Præsul, nomine Ioannem Hickerich, virum æterna memoria dignũ, qui fratrum hui' loci necessitatibus iuxta vires studiosissime prouidere curabat. Nam quicquid ex mortuorum testamentis computatione facta & debitis solutis vspiam remãsit, de consensu & iussione munificentissimi Pontificis Laurentii ad huius monasterii commoditatem hilari totum deuotione ordinauit. Etenim hunc locum vehementer dilexit, & ideo quicquid potuit pro honore Dei & reuerentia S. Iacobi pro eius restauratione libens impẽdit: qui si plus potuisset, plus hilari deuotione fecisset. Eius namque directione, instantia, & cooperatione monasterii extrema paupertas in parte releuata extitit, quoniam memorati Præsulis fidelis cooperator fuit.

De Kiliano huius monasterii sub reformatione Burssfeldensium primo Abbate qui præfuit annis duobus, mensibus duobus, diebus duodecim.

ANNO M.D.IV.

ANno Dominicæ natiuitatis 1504. indictione 7. in festo S. Annæ parẽtis Dei genitricis & virginis Mariæ quæ fuit 26. dies mensis Iulii, de consensu & voluntate Reuerendissimi Patris Domini Laurentii Episcopi Herbipolensis, Francorumq; Ducis, ne præsens monasterium Pastore destitutum viduitatis suę aliqua subiret incommoda, Kilianus Crispus de Oxenfurt monachus cœnobii S. Stephani fratrum electione Abbas huius monasterii sub reformatione primus ex Teutonicis iuxta tenorem commissionis Apostolicæ institutus est: qui confirmatus & benedictus ex more præfuit annis duobus, mensibus totidem, diebus duodecim. Eodem anno chorus lapideo pauimento, simul & sedilibus, quæ stalla vulgo appellantur mandato & impensis sæpedicti Pontificis Herbipolensium Francorumq; Ducis reuerendissimi innouatus est.

Kilianus Abbas XXXIII.

ANNO M.D.V.

HOc anno vinetum ante valuas monasterii nostri emptione publica, pro centum videlicet, ac vndecim aureis florenis in huius cœnobii & fratrũ possessionem deuenit sub Kiliano Abbate per sollicitudinem fratris Laurentii eo tempore huius domus cellerarii, ad cuius solutionem Dominus Reuerendissimus prænominatus Episcopus sexaginta florenos auri contribuit. Acta est emptio anno præscripto 28. die Dec. Eodem anno Kilianus Abbas cameram pro sua persona Abbatialem in superiori parte domus ad Orientẽ construi fecit, quoniã, sicut dictum est supra, omnia pœne huius cœnobii ędificia, ruinosa fuerunt.

ANno

ANNO M.D.VI.

HOc anno, Kiliani Abbatis secundo Dominica tertia post Pascha celebratum fuit Capitulum ordinis nostri Prouinciale in monasterio sanctorum Vdalrici & Afræ in Augusta Rhetiorum, vbi & ipse comparuit. Eodem anno 31. die mensis Augusti Moguntiæ in monasterio S. Iacobi celebratum annale Capitulum Patrum de obseruantia vnionis Bursfeldensis. His quoque temporibus Kilianus Abbas huius monasterii quibusdam causis animum suum mouentibus stimulatus Abbatiam decreuit pro pace sua dimittere, & ad cœnobium suum remeare: creuitque paulatim concepta in mente cogitatio donec eam consilio amicorum, tandem anhelus effectui mancipauit. Anno igitur præscripto die mensis Octob. decima vocatis ad se Reuerendis Patribus Dominis Abbatibus S. Stephani & in Suartzach coram notario & testibus expositis causis animum suum mouentibus de consensu ordinarii Abbatiam sponte & libere conuentui resignauit, & ad monasterium suum, vnde venerat, spontanea voluntate reuersus est. Erat autem homo religiosæ institutionis, & viuere solitarius in trãquillitate monastica consuetus, idcirco minus ad curam aliorum videbatur voluntarius, sed propriæ pacis & salutis amore sine aliquo, vel crimine, vel necessitate spontaneus cessit, non compulsus, nec inuitus anno promotionis suæ secũdo, mense quoque secundo, die decima tertia.

De Ioanne Trithemio huius monasterii sub reformatione Bursfeldensi secundo Abbate, qui prius fuerat Abbas Spanheimensis annis 23.

Io. Trith. Abbas 34.

ANno Domini nostri Iesu Christi pnotato, videlicet M. D. VI. indictione nona, die mensis Octob. duodecima, quæ fuit secunda feria post festum S. Dionysii & sociorum eius Martyrum *Ioannes Trithemius* Abbas Spanhemensis per reuerendissimum in Christo Patrem & Dominum D. *Laurentium* Episcopum Herbipolensem, Francorumq; Orientalium Ducem, & Conradum S. Stephani & Georgium in Swartzach monasteriorum ordinis nostri Abbates, in quos tres huius cœnobii fratres cõuentuales simpliciter & sine exceptione compromiserant, nominatus & electus est, atque in numero Abbatum præsentis loci quartus & tricesimus ordinatus: qui quorundã æmulorum agitatus iniuriis Abbatiam suam priorem Spanhemensem diutius regere noluit, sed eam sponte deserens hanc pauperculam acceptauit. Præfuerat autem in Abbatia monasterii Spanhemensis annis vigintribus, mensib. duobus, diebus quatuordecim & Cynonotorum inuidia cessit. Hanc vero intrauit electus, sicut est dictum, & confirmatus decimoquinto die mensis Octob. feria quinta post festum S. Dionysij proxima, quando solemnitas D. Buchardi Episcopi quotannis celebratur.

ANNO M. D.VII.

HOc anno Ioannis Trithemii Abbatis in monasterio S. Iacobi Herbipolensis primo Maximilianus rex conuentum Principum indixit apud Constantiam, ad quem Dominus Laurentius reuerendissimus Præsul noster decimosexto die mensis Aprilis Herbipolim exiens octaua die mensis Augusti reuersus est. Anno prænotato mensis Nouembris die 23. venit nuncius sereniſſimi principis Ioachim Marchionis Brandenburgensis de Marchia cum litteris quorundam dubiorum à Trithemio solutionem suo more postulantis. Eodem anno hiems lenis & tepida fuit, sed morbo pestilentiæ in plerisq; locis non caruit. Item eodem anno vltima die mensis Decembris reuerendissimus Princeps Laurentius Herbipolensis Episcopus per fiscalẽ suum Gasparum Pfister donauit nobis litteras census decem florenorum annui, qui empti pro ducentis florenis super balneatorio Carmelitarum singulis annis cedunt nobis ad festum S. Luciæ, vt patet in litteris.

ANNO M. D. VIII.

ANno hoc, Ioannis Trithemii Abbatis secundo quarta die mensis Februarii obiit Conradus Celtis Protucius Poeta Germanorum optimus, natione Francus, Trithemio cariſſimus, & eius ante Ioannem Capnionẽ in lingua græca & hebraica quondam præceptor, Viennæ in Austria sepultus more Christiano fidelis. Eodẽ anno sexto die mensis Martii Ioachim princeps Brandenburgensis sereniſſimus ex Marchia misit Abbati Trithemio tria vasa piscium salitorum. Item eodem anno memoratus Princeps

abbati Trithemio dono misit duos schyphos argenteos marcarum ferme quatuor aut quinq;. Ioannes quoq; Trithemius Abbas iam tertio vocatus per litteras ad Cæsarem Maximilianum descendit ad Coloniam & eius curiam, q̃ mensibus tribus secutus fuit. Eodem anno bellum cœpit inter Maximilianum Cæsarẽ & Venetos imperio rebelles, quod multorum sanguinis effusione non paucis deinceps mensibus durauit. Hoc ipso anno in mense Decembri obiit Macarius Abbas Lymburgensis.

ANNO M. D. IX.

HOc anno nona die mensis Martii Ioannes Trithemius huius loci Abbas sæpius vocatus per Comites de Isenburg descendit ad Budingen, & mansit ibidem cum eis diebus viginti in quadragesima. Anno præscripto sereniſſimus Princeps Ioachim Marchio Brandenb. iterum nũcium pro Abbate Trithemio misit, & viaticum, qui aliis causis & negotiis impeditus venire ad illum non potuit. Apud Wormatiam in mense Maio iterum cõuentus fit Principum, ad quem Dominus Reuerendiſſimus Præsul noster Laurentius iturus secunda die mensis Maii Herbipolim exiuit, & decimoquinto die mẽsis Iunii reuersus est. Cæsar Principũ inuocauit auxilium & simul ciuitatum Imperii contra Venetos, sed illa vice minime obtinuit.

HVCVSQ. CODEX MS.

In Schedula autem Codici inserta erant hæc.

Complementum Catalogi huius monasterii a Ioanne Trithemio vsq; ad Georgiũ Suffraganeum primum Administratorem eiusdem monasterij.

IOannes Trithemius omniscius ille, & mirandi ingenii Abbas obiit anno D. 1516. ipso die S. Luciæ, non sine omnium doctorum virorum, imo etiã Cæsaris & multorum Principum luctu & plãctu. Eodem anno postulatus fuit in Abbatem huius monasterii frater Mathias conuẽtualis ad S. Stephanum hic in Herbipoli. *Matthias Abbas 3.* Hic quoq; fuit vir non contemnẽdæ doctrinæ, & bonus paterfamilias. Obiit anno Dom. 1535. ipso die S. Michaelis. Et hic fuit tertius Abbas post reformationẽ.

Eodem anno fuit postulatus in Abbatem huius monasterii frater Erhardus, *Erhardus Abbas 4.* qui quoq; fuit Professus apud S. Stephanum, Hic plus valuit manuali exercitio, quàm litteris. Obiit anno Domini 1542. tertio die Aprilis. Et hic fuit quartus Abbas post reformationem. Eodem anno *Michael Abbas 5.* fuit postulatus in Abbatem huius monasterii frater Michael ex monasterio mõtis monachorum in Bamberga. Hic nullos habuit fratres tempore sui regiminis, sed solus possedit monasteriũ. Obiit anno Domini 1547. 27. die Maii. Et hic fuit quintus Abbas post reformationem.

Post huius Abbatis mortem non habuit hæc Abbatia verum Dominum, sed gubernata fuit per œconomos vsque ad vigiliam D. Thomæ Apostoli. anno Domini 1548, Tunc, ego Georgius Flachius Episcopus Salonensis, Suffraganeusque Herbipolensis præfectus fui huic monasterio, non Abbas, sed administrator.

FINIS.

IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEIMENSIS, DE VIRIS ILLVSTRIBVS, Ordinis S. Benedicti, Libri quatuor.

PRÆFATIO.

COGITANTI mihi, ac crebrius animo reuoluenti priſtinum ordinis nostri sacrati decorem, sortis eius dolor incutitur: quod cum in omnibus ordinibus cæteris, fortia ac memorabilia gesta patrum, scriptis commendata sint, in solo ordine nostro (quibus antiquitate, dignitate, & authoritate præstat) nihil aut parum cernimus singulariter esse conscriptum: vel si quid in laudem illius ab antiquis editum est, ad manus meas minimè peruenit, quamuis non mediocriter inquirendo laborarim. Nam, vt dicere cœperam, alij penè omnes ordinis sui historias in vno codice habere noscuntur, quibus iuniorum animos ad præcedentium patrum exempla imitanda prouocent, Habent etiam illustrium virorũ catalogos, habent sanctorum actus conscriptos suorum: quorum notitia quantum conferat infirmiori-

mioribus fratribus, nemo expertus, qui dubitet. Noſter autem ordo, cum ſit cæteris pene omnibus antiquior tempore, ſtabilior authoritate, non æſtimandus eſt, doctis ſanctiſſimiſque ab olim unquam caruiſſe luminibus, qui vita & doctrina ſanctam illuſtrauerunt eccleſiam. Cuius rei gratia ego frater Iohannes in Trittenhem, Abbas in Spanheim eiuſdem ordinis, ad preces amicorum & fratrum perſuaſus, ex diuerſis Chronicis veterum atque hiſtoriis, præſens opuſculum comportare inſtitui ad laudem omnipotentis Dei, & præfati ordinis Benedicti honorem: in quo breuiter me expediam, ne prolixitas tædium pariat, & vt memoriæ lectoris conferat puritatem operis compendium. Nam ſi vitam ſingulorum, quos in hoc volumine breuiter ſignaui, latius voluiſſem exponere: opus profecto prolixum, & ingentis magnitudinis conarer efficere. Vnde breuitati conſulens, geſta eorum non dilataui: ſatis fore computans, ſi nomina, dignitates, ac tempora compendio deſignem. Nemo autem, qui præſentem librum dignabitur inſpicere, putet me omnium, qui in noſtro ordine floruerunt, facere mentionem: cum hoc mihi non ſolum difficile, verum & impoſſibile ſit. Ab initio etenim ordinis noſtri multi doctrina excelluerunt & vita, quorum nec ſcripta cognoſcimus, nec tempora: quorum numerus in tantum creuiſſe dicitur, vt ad multa millia extendatur. Ego autem ſyluam hiſtoriarum tranſacti temporis, quantum licuit, ingreſſus, paucos collegi de pluribus: ſequentibus viam, qui reſtant, præbiturus, non terminum.

LIBER PRIMVS IOANNIS TRITHEMII, SPANHEIMENSIS ABBATIS,

de Viris Illluſtribus Ordinis ſancti Benedicti.

ORDINIS itaq; noſtri principium perſtringentes, ab illo ſumamus loquendi exordium, qui nobis regularis obſeruantiæ primũ præbuit inſtitutum.

BENEDICTVS igitur, à quo nomen benedictionis hæreditamus, huius noſtri ordinis primus inſtitutor eſt: qui normam religioſe viuendi in cœnobiis edidit: qui pater & dux monachorum ab initio fuit. Hic Nurſiæ prouincia exortus, de claris parentibus vir clariſſimus enituit: cuius pater Probus Iuſtiniani Imperatoris nepos, Comes Nurſenſis: mater verò, Abundantia dicta, marchioniſſa Monteferratenſis fuit, Hæc periclitata in partu, geminos edidit: filium, ſcilicet, Benedictũ, & filiam nomine Scholaſticam: qui ambo ſeculum Chriſti amori poſtponentes, Domino in monaſtica vita militarunt. Nam Benedictus cum adhuc paruulus eſſet, Romæ ſcholis traditur: ſoror autem in domo paterna reſeruatur. At Benedictus puer, cum Romæ ad literas poſitus, multos per abrupta vitiorum ire in mortem cerneret: relicto ſtudio, ſeculariq; philoſophia deſpecta, ſoli Deo ſeruire cupiens, deſerti locum, Dei ſpiritu vocatus, petiuit. Ibi multis annis carnem macerans, in virum ſanctum, atque perfectum euaſit: q; tandem cœnobia multa conſtruxit, in quibus monachis viuendi regulam tradidit, ſecundum quam viuere pro noſtra poſſibilitate profitemur vſque in hodiernum diem. Ipſe autem ſanctus Benedictus, conſtructo monaſterio in monte Caſſino, in quo caſtrum & ara Apollinis habebatur antiquitus, locum ab omni immunditia diaboli purgatum, monachis fecit habitabilem: in quo geſſit Abbatis officium triginta & quatuor annis, & regulam ſcripſit omni diſcretione præcipuam, ſermone luculentam: ordinemque ſuum, dum adhuc viueret, in multas mundi partes dilatauit. Audientes enim principes catholici, & eccleſiarum præſules deuoti, ſanctiſſimam vitam patris Benedicti, cupiebant ſinguli cœnobia illius inſtitutionis in ſuis prouinciis & regionibus à fundamentis erigere. Palmites etenim ſuos Benedictus extendit vſque ad mare, & propagines vſque in longinquum: qui non ſolum ſibi laborauit, ſed omnibus exquirentibus veritatem. Nam quantum ad conuerſationem eius pertinet, fuit fide firmus, ſpe robuſtus, gemina charitate feruidus: mente purus, deuotione præcipuus: in oratione ardens, in meditatione accenſus: in lectione ſanctarum ſcripturarum ſedulus, in contemplatione altus: &, vt breuiter concludam, omnium virtutum ornatu inſignis: humilis, pudicus, ſobrius, caſtus & quietus. Cuius ſi conuerſationem interiorem & exteriorem ſcire deſideras, regulam, quam ſcripſit, legas. Sanctus enim vir, qui vſque ad prophetiæ ſpiri-

* *S. Benedictum ab vtroq; parente illuſtrem fuiſſe.*

S. Benedicti virtutes.

tum exaltari meruit, ne quaquam aliter viuere potuit, quam ſuis viuere præcepit. Ad exteriorem conuerſationem totus erat igneus, totus exemplaris, humilis, charitatiuus, benignus, manſuetus, & ouium Chriſti paſtor vigilantiſſimus: qui amori Dei nihil vnquam præpoſuit. Et tamen, cum ratio exigebat, zelo diſciplinæ accenſus, peruerſorum vitam conſtãter arguebat. Huius conuerſionem, vitã & admiranda geſta ſi quis plenius noſſe deſiderat, ſecundum librum dialogorum beati Papæ Gregorii legat. Hic itaque Benedictus legifer noſter, natus fuit anno Dom. quadringenteſimo octogeſimo. Venit ad conuerſionem anno ætatis ſuæ 14. Moritur anno Domini 542. ætatis ſuę LXII. indictione v. 21. die menſ. Martii: ſepultus in eccleſia S. Martini, quam ipſe in eodem cœnobio conſtruxerat. Et ab hinc ordo noſter incepit ſancti Benedicti nomen retinere, & regulam.

De multiplicatione ordinis, & profectu, & de fundatione cœnobiorum.

CAP. II.

COepit exhinc ordo S. Benedicti valde multiplicari, & vſq; in longiſſimas terrarum prouincias extendi. Nam, vt diximus, cum ſanctus Pater adhuc viueret, nobiles terræ, & eccleſiarum pontifices de remotis regionibus legatos ſuos ad eum miſerunt, poſtulantes ſibi fratres deſtinari monaſticæ inſtitutionis magiſtros: qui apti eſſent & alios docere, & Benedicti conuerſationem quãvidiſſent, inſtruere. E quibus in Cenomaniam beatus Maur⁹ Abbas ab epiſcopo poſtulatus mittitur, qui fundato cœnobio multos filios in Chriſto congregauit. Placidus etiam in Siciliam dirigitur, vbi poſt aliquot annos cum triginta fratribus pro fide Chriſti martyr efficitur. Poſt deceſſum vero beatiſſimi patris Benedicti, ordo ſacratus per annos ferme ſexcentos magnifice dilatatus eſt, &, multis cœnobiis vbiq; fundatis, inter omnes ordines & numero, & merito obtinuit principatũ. Sed Ciſtercienſiũ, & Mendicantium ordinibus nouiſſime exortis, non adeo monaſteria fundabantur ordinis noſtri, quẽadmodum temporib. cõſtruebantur præteritis. De his autem poſterius habendus eſt ſermo. O quanta principum vetuſti temporis ad ordinem noſtrum deuotio: ô quanta præſulum eccleſiarum pro monachorum neceſſitatibus ſolicitudo: qui conſtruendis cœnobiis pro laude Dei omne ſtudium impenderunt & cenſum. Et quanquam omnium monaſteriorum noſtri ordinis, fundationes deſcribere ſingulatim non valeam, multorum tamen fundatores, & tempora principii memoria teneo: quorum idcirco recordatus non ſum, ne cæteris videret, feciſſe iniuriã. Generaliter autem quem reperi, numerum perſtringam, vt, multiplicationem ordinis promiſſam inſinuem. Nam, vt fertur, numerus monaſteriorum ordinis noſtri Abbates habentium, exceptis Præpoſituris, Prioratibus, & cœnobiis monialium, vltra quindecim millia extenditur. Vnde, ſi vnuſquiſque ſua poſſideret, tertiã partem Chriſtianitatis ſanctus Benedictus habere crederetur. Si cui hæc videantur incredibilia, hiſtorias veterũ legat, geſta tranſacti temporis reuoluat: & maiora noſtri ordinis laudum præconia inueniet, quam ego aut dicere velim, aut poſſim. Vt autem magnorum fidem adſtruam minimis, nemo tantam multitudinem cœnobiorum abbatialium in tot mundi partibus velut incredulus miretur: cum in ſola prouincia Moguntina adhuc habeamus Abbatias noſtri ordinis cẽtum xxiiij. præter illas, quæ ab ordine dimembratæ ſunt: quarum numerus denarium ſuperat. Igitur à tempore ſancti Benedicti per multos annos ordo noſter in maxima religione viguit, & Eccleſiam Dei per annos ſeptingentos laudabiliter ſuſtentauit: dum fratres in eo degentes, non ſolum ſanctitate cõuerſationis ſibi proficerent, immo etiam populis doctrina, & librorũ multiplicium editione prædicarent. De quibus omnib., quantum nobis cõcedere dignabitur altiſſimus, in ſequentibus ſub compendio dicemus. Quid ni multiplicaretur hic ſacer ordo, cuius inſtitutor ſanctiſſim⁹, regula diſcretiſſima eſt? Scripſerunt multi ſancti Patres monachorũ propoſito regulas: ſed Benedicti regula iure omnibus præfertur, quæ diſcretior, ſolidiorq; in ſingulis comprobatur. Laudet quiſq; ſuum propoſitum: nos Benedicti præ omnib. amplectimur inſtitutũ.

S. Maurus.

S. Placidus.

Abbatiarum ordinis Benedictini numerus quantus.

Abbatiarum Benedictinarũ ſolius prouinciæ, Mogunt. numerus quis.

De multis ordinibus, qui regulam S. Benedicti profitentur, ſtatutis tantum ſingularibus appoſitis.

CAP. III.

COmmendant nõ mediocriter diuerſorum ordinum principes regulam Benedi-

Benedicti, qui discretione & securitate conscientiæ eandem præcipuã intuẽtes, colla suæ cõuersationis eidem humiliter voluerunt submittere, gaudentes se ducẽ habere sacrati exercitus, quem patrem monachorum sanctissimum non ignorabant. Militant enim sub eius regula multi ordines monachorum, statutis singularibus duntaxat appositis. De quibus primus est ordo, quem ipse princeps monachorum Benedictus instituit: ordo quoq; Specuensis, ordo Carthusiensis, ordo Cisterciensis, ordo S. Wilhelmi, ordo Scotorũ, ordo montis Oliueti album portans habitum, ordo Cælestinorum; ordo Sclauorum, ordo vallis Vmbrosæ, ordo fontis Ebrandi,* ordo Humiliatorum sub albo habitu, qui primus cœpit in Alemania: sed puto, q̃ iam ex toto defecerit: ordo Grandimontensis, ordo S. Ambrosii, ordo Camaldulensis album portans habitum, ordo vallis Scholarium, ordo S. Pauli primi eremitæ, ordo de sancta* Burga vidua. Omnes hi ordines sub regula sancti Benedicti militare feruntur. Si q̃ plures eam obseruent, ad notitiam meã non venerunt. Ecce quemadmodum Pater sanctus non tantum sibi laborauit, sed omnibus exquirentib. veritatem. Nullus dubitet, quin sub hac regula in tot ordinib. multi sanctissimi viri Domino militauerint, qui iam cum Christo coronati regnent in cœlestibus: sicut de nostris ex parte dicemus in sequentibus.

* à Pio V. extinctus.

* forte Birgitta.

De sanctis, & canonizatis ex ordine sancti Benedicti.

CAP. IV.

GLoriosus Deus in sanctis suis, hũc ordinem præteritis ab initio multis sacratissimis viris mirabiliter decorauit, qui vita claruerunt, atq; virtutibus: sicut diffuse in gestis eorum continetur. Et quid mirum, si tot luminibus claruit, qui tanto iam tempore durauit? Nam per septingentos ferme annos nunquam sine viris ordo fuit illustribus. Et quidẽ nobis impossibile est, omnium sanctorum huius ordinis vel sola nomina describere: quorum tantus est numerus, vt multis in summa videatur incredibilis. Et, vt ꝓmissus locus seruetur compendio, clarorũ virorum huius instituti summa paucis afferatur. Temporib. Ioannis Papæ 22. ex annalibus summorum pontificum, & historiis veterum reperti sunt de ordine sancti Benedicti, tam ex monachis simplicibus, quam ex prælatis diuersarum dignitatum, sanctorum catalogo inserti 1555. Quis omnium horum singularem posset facere mẽtionem? In tertio autem huius operis libro, quorundam memoriam, Deo largiente, habiturus sum: quorũ nomina, gesta, & tempora potui inuenire, sicut ibidem patebit. Gaude pater Benedicte, qui tuis sacratissimis institutis, Christo regi tot animas adduxisti, vt se nullus ordo prę̃sumat tuo gregi numero profiteri æqualem. Iam exultans cum angelis in cœlestibus regnis, propheticis verbis ouando testaris: *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus.* Quemcunq; igitur, fratres charissimi, præmia sanctorum clara delectant, laboriosa exempla nõ terreant. De multitudine autem sanctorum nostri ordinis vane gloriamur, nisi eorum vestigia pro posse imitemur. Quid enim prodest nobis, si nos millia sanctorum habuisse legimus, & conuersationem illorum fugiamus? Cum itaq; sanctos nostros extollimus, per bonos mores ad eorum consortium peruenire festinemus. Tunc enim de sanctorum nostrorum multitudine fructuose gloriabimur, si bene viuẽdo eorum numerum augere sedulo conemur. Idcirco nobis tanta sanctorum multitudo proponitur, vt, dum mundum vicisse multos conspicimus, pusillis & nobis, Deo iuuante, idem facere possibile confidamus. Multi autem sanctos ordinis sui laudibus extollendo prædicant, qui conuersatione morum ab eorum vita discordant: de quibus per sapientem dicitur: *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Vos autem, fratres, nõ sic: sed qui sanctos nostros verbis extollitis, eorum vos imitatores esse moribus probetis. Homines illi fuerunt, similes nobis, mortales, & corruptibiles: sed gratia Dei facti sunt immortales. Quod ergo gratia illis contulit, nobis amantib. non negabit. Cor tantum & animum gratiæ conformemus: & quod illi poterant, Deo largiente, poterimus.

Esai. 8.

Eccli. 15.

De summis pontificibus, cardinalibus, archiepraesulibus, atq; episcopis ex ordine nostro assumptis.

CAP. V.

VEra Domini sententia est, & nostro etiam completa ordine, qua dicit: *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita:* &

Matth. 5.

ta: & nemo accendit lucernam, vt abscondat eã sub modio, sed super candelabrum ponat, vt luceat domum intrantibus. Non latuit ordo sancti Benedicti sub modio abiectionis & obliuionis: sed supra candelabrum Ecclesiæ exaltatus est, vt doctrinæ & sanctitatis lumẽ eius præberet fidelibus. Vnde mox ab exordio plantationis suæ, multipliciter in Ecclesia Dei meruit exaltari, dum populi quique fideles, de grege Benedicti patris ecclesiarum suarum maximopere sibi eligerent sacerdotes. Quęnam ecclesia non summis tunc optasset desideriis, de ordine tanti patris habere pastorẽ, in quo Christianæ religionis amor viguit, sacræ scientiæ lumẽ effulsit, honestas morum resplenduit? Factum est itaq;, vt multi fratres ex hoc ordine ad diuersas ecclesiarum dignitates vocarentur: aliqui propter eximiam sanctitatẽ, aliqui vero propter sacræ doctrinæ excellentiam, nonnulli ob singularẽ agendorũ industriam, quidam etiam propter generis claritatẽ: omnes autẽ ob regularis vitæ disciplinã. In omnibus enim amor religionis monasticæ miro populũ modo in sacerdotibus afficiebat. De hoc sacratissimo Benedicti ordine fuerunt sanctæ, Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ summi põtifices decẽ & octo: qui sibi succedẽtes diuersis temporibus, ordinem magnifice dilatarũt. Cardinales quoq; sanctæ Romanæ ecclesiæ nostri ordinis fuerunt centũ octoginta quatuor, viri in omni literatura scripturarũ doctissimi. Archiepiscopi aũt in diuersis mundi partibus ex nostra religione fuerunt mille, quingenti, sexaginta quatuor, Episcopi vero huius instituti reperti sunt, tria millia, quingenti, duodecim. Hi oẽs de nostro ordine pontifices fuisse inuenti sunt ante concilium Constantiense, quod fuit anno Domini 1417. Si qui postmodum venerint, in præscripto numero non sunt. Et de his etiam singulariter dicemus in quarto huius operis tractatu: nõ quod omniũ vel nomina signaturi simus, vel tempora: sed paucos recẽsentes de pluribus, argumento fidem adstruemus. Floruit ordo diui Benedicti olim in ecclesia Dei multis decoratus præsulibus, quando Spiritus sanctus sibi sacerdotes elegit moribus & conuersatione lucidos, scientia scripturarum illustratos. Sed nunc monachorum tepet deuotio: amor scripturarum extinctus est: & ideo ab ecclesiarum regimine, velut inutiles, repulsam iuste patiuntur. Olim nãque monachi ad gubernandas ecclesias vocati, nouerunt se Deo in monastico proposito exhibere fideles, & populo nihilominus idoneos in omnibus præbere pontifices. Nunc vero si monachum ducem populorum constituas, statim in superbiam elatus, obliuiscitur, quod antea fuerat. Nec tamẽ hoc de omnib. generaliter dixerim: quoniã & nostra ætas in ordine viros, licet paucos, doctrina & merito excellẽtes continet, qui, si ad regimen animarũ positi fuerint, ab antiquis nequaquam degenerarent. Sed nobis sufficiat nostra curare, aliena non appetere, in officio nostræ professionis firmiter militare. Officiũ autẽ monachorum est, tã sua, quam aliorum peccata deplangere: vitia fugere, virtutes colere: humilitatem custodire, solitudinẽ amare. Felix talis monachus, qui etymologiam sui nominis actione cõfirmat. Felix, qui vnus est puritate simplicis conscientiæ, qui duplicitatem cordis refugit, qui dolos nescit, qui mundi vanitatẽ cõtemnit. Felix, inquam, ille monachus, qui, omnib. curis seculi postpositis, super custodiam sui solicite vigilat: q; à sancto proposito, quod semel assumpsit, non declinat. Ad hanc summam nobis ex ordine nostro pontifices recẽsentur: vt sanctitatem & religionem imitemur, non ambiamus officium. Meritis enim & sanctis moribus debetur præmium, non gradib. dignitatum. Si forte nos delectat, cum legimus numerum pontificum ex ordine nostro intantum creuisse, vane gloriamur: quoniam durum infortunii genus est, aliquando fuisse felicem. Nec dixerim, quod sublimitas personarũ ordinem felicẽ reddiderit: sed doctrinarum eruditio, & merita sanctitatis. Fateor tamen dolorẽ meum, quem ex recordatione tam excellentium virorum in nobis deficientium, accipio. Verecundor enim, & contristor, q; nostris temporibus tantis honoribus monachi indignos se exhibent. Qui tantum gloriatur in alio, se non habere, vnde gloriari possit, ostendit. Heu perit à monachis sacræ studiũ lectionis, quod veteres olim insignes reddidit, & tãtis dignos honoribus. Iam sanctis moribus pauci deseruiunt: scientiæ scripturarum, pauciores. Et ex hoc vtilium personarum defectus in ordine surrexit monachorum.

* *18. Papas ex S. Benedicti ordine assũptos.*

* * * *

De doctoribus nostri ordinis, & mirabili studio monachorum antiquitus.

CAP. VI.

A Principio autem ordinis nostri vsq; ad tẽpora Henrici Imperatoris quarti, multi viri doctissimi in eo floruerũt: sicut in secundo libro huius opusculi ex parte, quantum poterimus, explicabimus. Nã adhuc sancto Benedicto viuente, & ordine per diuersa terrarum spatia diffuso plerique nobiles, eruditissimiq; iuuenes, monasticis institutis secundum regulam eius colla submiserunt: qui non solum in scripturis diuinis, sed etiam in secularibus literis peritissimi habebantur. E quibus clarissimus ille senator Cassiodorus, vir vndecunque doctissimus, senatoria dignitate deposita, pro Dei amore monachus cœnobialis efficitur. Succedente vero tempore summum monachis erat studiũ scripturarum, & in omnibus doctrinis bonarum artium amor discendi continuus. Nã qui docti ad conuersionem venerant, iunioribus fratribus præcepta discendi vtiliter ministrabant. Nec minor ætas proficiendi desiderium impedire potuit, quæ magistrorum imperio regebatur. Vt vero paucos è pluribus in exemplum demus, Bonifacium, & Rabanum archiepiscopos Moguntinos, Bedam quoq; presbyterum intueamur: quorum primus Bonifacius adhuc puer quinq; annorum, in Anglia monasterio traditur: vbi intãtum profecit iugi studio scripturarum, vt Doctor & Apostolus Germanorum habeatur. Extant eius ad diuersos elegantes epistolæ, extant & varia syntagmata, quibus ingenii eius vena redundans, fluenta sacræ doctrinæ effudit. Rabanus etiam, qui eidem Bonifacio in archiepiscopatu sextus ex ordine successit, in monasterio Fuldensi puer ad conuersionem venit: qui quãtum in scripturarum scientia profecerit, infinita pene testantur volumina, quæ composuit. Et non solum in expositione sacrarũ literarum, sed etiam in omnibus humanitatis artibus peritissimus fuit. Quantum in Poesi valuerit atq; carminibus mirabile opus de sancta cruce indicat: quantum in historiis veterum exercitatus fuerit, insigne volumen eius, de vniuerso prænotatũ, declarat: Rhetoricæ artis notitia, in scriptis & epistolis eius copiose relucere dinoscitur. Beda monachus & presbyter venerabilis, toto notus in orbe, cum esset annorum septem, à parentibus cœnobio traditur: cuius opera in vniuersa Ecclesia laudibus attolluntur. Hi sanctissimi viri, atq; in scripturis peritissimi doctores quicquid de scientia scripturarum norũt, in monasteriis sub regula ordinis didicerunt. Non mittebãtur causa discendi ad exteras nationes, cũ in cœnobiis sẽper haberent bonarũ artium præceptores. Taceo de cęteris plurib. eruditissimis viris, qui ad monasticam vitã in pueritia venientes, tam doctrina, quam sanctitate glorioſi effulserunt. Amor enim & vsus discendi, ętatis supplent defectum. Legimus autem de sanctis patrib. huius sacratæ religionis multa laudum præconia, q̃ ad imitationem eorum nobis proponuntur. Magna in eis feruebat deuotio: arsit in eorũ mentib. regularis disciplinæ zelus commendandus, qui eos nũquam sinebat esse ocioſos. Saluo enim officio diuino, cui omnes deuote insistebãt, de reliquo monachi studio vacabãt scripturarum: quibus non solum illuminabantur intellectu, sed etiam compungebãtur affectu. In exercitio monachorum sancto semper viget amor, qui de lectione ad orationis vigilantiam vocat studioſos. Nã qui se in sanctis scripturis amplius exercitassent, vacantibus horis, studio & expositionib. earundem intendebãt: libros conficientes & varios tractatus, quib. studia fratrum suorum ad Deũ quotidie ꝓuocabant. Cæteri autem fratres, iuxta q̃ regula vetat, ocio non vacabant: sed post orationes operi manuum deuote insistebant. Libros scribebant, qui ad hoc erant idonei, & à doctorib. edita, ex schedis ad mundum redigebant. Alii scriptos codices artificioſe conglutinabant, corrigebant alii, rubro minio cæteri exornabãt. Nullius manus huic sãcto deerat officio, gaudebant se oẽs participes haberi studiorum, quæ in expositionib. scripturarum gerebantur. Iuniores etiam fratres disciplinis instituebantur scholasticis, prout vnicuiq; eorũ conueniebant: alii in Grãmatica, alii in Orthographia: in Rhetorica nonnulli, vel Dialectica: quidã in Musica, Arithmetica & arte Computistica: alii in Philoſophia: atq; alii in his iam fundati, ad scripturas introducebantur Theoreticas. Nullus in cœnobiis locus dabatur ocio, sed suis studiis atq; laborib. singuli

Cassiodor. *S. Bonifacius.* *Rabanus* *S. Beda.* *Exercitia veterum monachorũ.*

guli insistebant. Vndè etiam multi sanctissimi, doctissimiq; in omni scientia scripturarũ viri, cum magna laude nominis sui & ordinis, euaserunt: quorum suo loco inferiùs, in quantum Deus dederit, faciemus mentionem. O, si nunc in ordine diui Benedicti ferueret tantus amor scripturarũ, quàm felices nos essemus eius professores. Nil monachis olim iucundius erat, quã in sacratissimis scripturis cõmorari, illas legere & exponere, & nouos semper ad laudem Dei libros cõpilare. Mittebãt quæ pscripsissent opuscula imperatoribus, regibus, principib. & ecclesiarum prælatis: quorũ authoritate comꝑbata, ad posterorum ædificationem securè in lucem prodirent. Hoc testantur, quos scripserũt, librorum exordia: testãtur præfationũ capita, diuersis authoritatibus destinata. Sed vbi nũc est veterũ studium & disciplina monachorum? vbi sanctus amor perdiscendi scripturas? Periit studium, periit disciplina, monachorum. Iam magnus, & vtilis dicitur, non q scientia scripturarum clarus effulserit: sed qui diuitijs colligendis inhians, temporalibus sordescit. Verum non est huius temporis, laudibus ordinis vituperia inserere personarum: ad finem ꝓpositi stylum conuertamus. Iam nunc igitur, chariſſimi fratres, sancta studia veterum pro possibilitate nostra imitemur: amem⁹ scientiam scripturarũ, vt vitia carnis intereant. Nemo à sancto studio se excusẽt, nemo præceptorem in culpam vocet: quoniam amor omnia vincit, charitas omnia potest, omnia quoq; suffert humilitas. Si autem præceptor desit, sanctos patres in suis opusculis legito, tibi opportunè de omnib. præcipientes. Sẽper enim, si quæras, doctores bonos, qui doceant, inuenies. Prouerbio nanque dicitur: Non petit * amor verus discendi Athenas: domi sufficiens Minerua cõsistit. Sẽper enim, quod discas, inuenies. Sed caueam⁹, fratres, nè magistri nobis fiamus erroris. Solitudinis * studiũ nisi ardeat amore Christi, frequẽter parit errorem. Nulla ars absque magistro discitur. Habẽt singularũ artium instituta suos præceptores, qui principia artis tradant discentibus. Et hoc in scripturis discendis nihilominùs obseruãdũ est.

De mirabili profectu ordinis nostri antiquitùs.

CAP. VII.

SAncta quoquè studia monachorum antiquitùs, magnam deuotionẽ principum & populi meruerunt: quibus auxiliantibus, ordo noster in altum succrescens, mirabiliter profecit. Videntes enim nobiles, atque rectores terrarum, sanctissimã conseruationem monachorũ, multa cœnobiis eorũ beneficia contulerunt, quatenùs ipsi fratres in Dei seruitio quietiores permanerẽt. Alij ędificabant ordini monasteria bonis propriis, quæ suis eleemosynis magnificè dotârunt: alii fundata iã dudum, copiosis beneficiis ampliarunt. Gaudebant omnes, & lætabantur singuli, se monachis ob honorem Benedicti aliquid cõtulisse. Sancti etenim monachi quãto plus amabant cælestia, tãto magis terrena substantia, deuotione populi aucta, crescebat. Amabant Deũ, & omnia possidebant: contẽpserunt mundũ, & Christus eis necessaria copiosè prouidebat. Hoc enim in Euangelio ita fieri ipse præceperat, dicens: *Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis.* Vbi autem spiritualibus præponuntur temporalia, vtraq; cito deficiunt. Crescebat tũc quotidie numer⁹ personarũ seruientiũ Deo: crescebat substãtia tẽporalis, sine cuius adminiculo spiritualia diu non possunt subsistere. De diuersis. n. mundi partib. ad monachorum studia homines properabant: nobiles & ignobiles, docti & indocti vitam seruorũ Dei assumebant. Multi quoque reges & principes suos filios, sub norma Benedicti enutriendos, monachis tradiderunt. Stetit ergo multis annis in sancta cõstantia, & magnifice profecit, donec tandem deuotio in pluribus tepuit, studium periit, curiositas subintrauit. Cõseruauit autem ordinem multis tẽporibus in sua prima institutione industria prælatorũ, scripturarum studium, zelus disciplinæ, & correctionis seueritas. *Matth. 6.*

De ordinis defectu in obseruantia regulari.

CAP. VIII.

INcrassat⁹ est dilectus, & recalcitrauit: impinguatus & dilatatus, de reliqt primæ institutionis sancta exercitia, abiit post vanitates & insanias falsas, inopem quem copia fecit. Peperit olim religio diuitias: at * nunc matrem filia suffocauit. *Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationes diaboli.* Di- *Deut. 32.* *1. Tim. 6.*

li. Ditauit ordinem nostrum aliquando cultus Dei, sincera deuotio, quem nunc cæca monachorum ambitio bonis omnibus denudauit. Mox enim, vt cœperunt terrena sapere, & commoda temporalia amare, defecit color sanctæ religionis optimus, deuotio tota expirauit. Spiritualib. autem neglectis, iusto Dei iudicio etiam temporalia defecerunt. Causa vero primi defectus in ordine, negligentia prælatorum. Cœperunt enim paulatim fratres suos negligere, diuina postponere, pompam seculi colere, necessaria vitæ monachis denegare. Iactabant se quidam ex eis de nobilitate generis, &, ne professione monastica parentibus viderentur iniuriã facere, despectis statutis regularibus, mũdo, quam Deo, maluerunt militare. Alii autem, vt diximus, diuitiis affluentes, Deum obliti sunt: & post desideria carnis suę ambulantes, in vanitatibus suis euanuerunt. Nonnulli etiam rudes, inexperti, & sine scientia scripturarum, cum nõ haberent vbi cor suum delectabiliter figerent, ad amorem seculi conuersi, disciplinam ordinis miseri destruxerunt. Duo enim sunt, quæ ordinem in obseruantia tenuerunt: amor videlicet Dei, & studium scripturarum: quibus deficientibus, monachi quoq; à sancta institutione recesserunt. Qui amat Deũ, ordinis sui præcepta magno zelo custodit: quoniam charitas Dei, statutum disciplinæ non negligit. Qui amat scientiam scripturarum, à bono proposito non recedit: quia stimulis scripturarum, ad studia sanctæ compunctionis quotidie reducitur. Qui autem Dei amorem non habet, ab omni opere bono vacuus est: ordinis statuta floccipendit, animam suam negligit, obliuiscitur cæleſtiũ, de solo amore pendet terrenorum. Cor enim hominis amoris impatiens, & instabile, semper circa aliquid speciali intentione versatur, quia sine amore non viuit. Amor autem duplex est, spiritualis, videlicet, & carnalis. Qui ergo cælestium amorem deserit, solis caducis huius habitationis intendit. Et hic amor terrenus, religionem destruit, ordinem disciplinæ cõfundit, æquitatem nescit, charitatem fraternam de cœnobio repellit. Perit omnis deuotio, zelus disciplinæ regularis deficit, vbi amor Dei nõ consistit. Homo, qui charitatem Dei abiicit, quid aliud diligere potest, quam mundum, & desideria carnis? Amator sui nunquam potest diligere Deum: & omne opus, cuius radix in charitate Dei non figitur, cito dissipatur. Sciẽtia quoq; scripturarum, non parum facit ad timorem Dei, si tamen, vt oportet, religiose tractetur. Huius amorem & studium non habebãt, qui disciplinam regularem olim destruxerũt. Sed ista transeamus, ne veterum defectibus diu immoremur. Nõ latet nos causa ruinæ regularis, non latet monachorum deformitas: de remedio opportune conferamus.

De diuersis reformationibus ordinis.
CAP. IX.

QVanuis autem à prima institutione ordinis, multi successu temporis defecerint: nunquam tamen Deus ordinem sacrum ex toto deseruit, nunquam perire totaliter obseruantiam permisit. Semper enim inueniebantur, qui ad synceritatem regulæ studerent ambulare. Nam per annos ferme ducentos in magna sanctitate perdurauit, donec tandẽ curiositas à monachis depulit simplicitatem. Et quidem collapso in multis ordine, omnipotens Deus bonis eum viris non destituit: sed eorum studio diuersis illum temporibus magnifice reformauit. Surrexerunt enim viri misericordiæ, quorum iustitiæ nunquam obliuioni tradentur: qui tantis calamitatibus ordinis compatientes, humerum labori submiserunt, & Deo largiente, ordinem in pluribus locis restaurarunt. Adfuit enim huiusmodi reformationibus clementissima semper diuina benignitas, per quam pristinus decor ordinis in multis cœpit reflorere cœnobiis. Vnde etiam plures sanctissimi patres in ordine instaurato diuersis temporibus postea Claruerunt. E quibus Berno, vir integerrimæ conseruationis, ordinem in Cluniacensi monasterio glorioſe restaurauit. Huic multi religiosissimi viri successerunt, qui locum ornarunt, & gentem: de quibus non modo dicendum per singulos. Deus-dedit, vir valde venerabilis, abbas Cassinensis, multa cœnobia monachorum suis temporibus ad regulæ obseruantiam reformauit. Temporibus etiam Caroli Magni sacratissimi principis facta est quædam generalis reformatio ordinis in Alemania, in qua multi viri doctissimi claruerunt. Aliis quoque diuersis temporibus ordo in multis locis reformatus fuit.

S. Berno reformator Ord. S. Benedicti.

Deus-dedit item.

fuit: videlicet, in monasterio Fuldensi, vbi multis annis deuotio maxima viguit monachorũ: In Hirsauwe sub abbate Vuilhelmo reuerendissimo valdè vito, anno Domini millesimo, octogesimo: q̃ reformatio in multa cœnobia diffusa fuit. In Hirsfeldia etiam specialis reformatio pluribus annis viguit, quæ se ad multa monasteria dilatauit. In aliis quoq; monasteriis pluribus magna olim reformatio iteratis vicibus incepta est, q̃ nõ paucis annis perdurauit. Sed nullam vnq̃ reformationem generalem totius ordinis factam inuenimus. Legimus quidẽ particulares reformationes in ordine viguisse plurimas, in vno videlicet regno siue prouincia: sicut illa fuit, quæ in monasterio Viuariensi quondam inchoata, tandem per multa cœnobia dilatata, Castellensium nomine, ad tempus non modicum perdurauit. Mellicensis quoq; reformatio adhuc in quibusdam cœnobiis viget: & si quæ fuerint aliæ, de quibus longum esset loqui per singula, nulla in primo durauit feruore, sed ex tempore tepuerunt. In his tamen, aliisque reformationibus pietas Dei magna conspicitur, quæ à nobis continuis laudibus meritò prædicatur: quòd ordinem nostrum nunquam deseruit, sed tam crebris restaurationib. visitauit. Qui olim filiis Israel temporibus Iudicum peccantibus, & suis demeritis aliquoties castigatis, misertus, semper prouidit saluatorem: ipse etiam ordinem sancti Benedicti, peccatis nostris toties collapsum, post diuturnam calamitatem misericorditer intuẽs, ad libertatem spiritus pristinam dignatur reformare: & qui deficientibus iudicibus colliditur, aliis surgentibus denuò restaurarur.

Reformatio Castellensis.

De reformatione ordinis per Generalia Concilia, & summos Pontifices, diuersis temporibus facta.

ATtendentes autem summi Pontifices ruinam sacratissimi ordinis nostri, & ad memoriam reducentes, quantos olim Domino fructus protulerit suauitatis: magno compassionis afficiebantur mœrore, quòd tãta in eo succreuisset deformitas. Multi itaq; ex eis p̃ reformatione ordinis varia statuta ediderunt, p̃cipientes etiam rebelles per censuram ecclesiasticam ad eorum obseruantiam compelli: vt, quos amor Dei ad disciplinam non potuisset allicere, timor potestatis adduceret. Vt autem huiusmodi statuta ab omnibus prælatorum vigilantia obseruarentur, Innocentius Papa tertius, Clemens quintus, & Benedictus duodecimus, capitulum generale de triennio in triennium celebrandum instituerunt: in quo conuenientibus abbatibus, diligens haberetur tractatus de obseruãtia regulari, sicut in iisdem constitutionibus adhuc clarè ostenditur. Post hæc etiam patres conciliorum generalium Cõstantiensis & Basileensis, plura ad ordinis nostri reformationẽ vtilia, per hanc nostram Moguntinensem prouinciam, cæteraque Alemaniæ terras, constituerũt. Anno autem Domini millesimo, quadringentesimo, septimodecimo, vniuersi abbates nostri ordinis per prouinciã Moguntinam, & diœcesim Bambergensem, authoritate concilii Constantiensis citati & conuocati, capitulum prouinciale celebrarunt in cœnobio Petri domus Constantiensis, indictione decima, vltima die Februarii cum sequentibus: in quo magna de reformatione ordinis cõsultatio habebatur. sed non diu perseuerauit metu assumpta religio. Nam soluto concilio maior pars in pristinam deformitatem relabitur. Similia quoque in concilio Basileensi inter zelosos abbates authoritate eiusdem concilii tractabantur, sicut patet in bulla super ordinis reformatione, à cõcilio patribus missa anno Domini, millesimo, quadringentesimo, tricesimo nono, indictione secunda, cum celebraretur capitulum prouinciale apud sanctum Ægidium in Nurenburga. Sed & felicis recordationis dominus Nicolaus de Chusa, sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ cardinalis, & Apostolicæ sedis per Alemaniam legatus, ad reformationem ordinis nostri multum laborauit, multumque profecit. Anno siquidem Domini millesimo, quadringentesimo, quinquagesimoprimo, indictione decimaquarta, vicesimatertia die mẽsis Maii, patres de ordine huius Moguntinæ prouinciæ, celebrauerunt capitulum prouinciale apud sanctum Stephanum in Herbipoli, in quo idem Cardinalis præsens fuit, ac summam Missam solenniter cantauit: post cuius finem ante altare sancti Stephani ab omnibus Prælatis

Capitulũ quoque triennio habendũ generale in cœnobijs.

Reformatio in Con. Constant. instituta.

Nic. Cusani reformatio.

tunc

tunc præsentibus, & absentium procuratoribus, iuramentum ac promissionem, manuumq; adstipulationem accepit: quod omnes, qui per Moguntinam prouinciam nondum essent reformati, infra anni spatium, sub pœna amissionis omnium priuilegiorum, reformationi cella submitterent. Ad cuius rei executionem visitatores constituit, qui ad meliora singulos compellerent. Sed praua consuetudo multos seduxit, & in pristina deformitate vsq; in hodiernum diem concluſit.

De capitulis prouincialibus, & visitatione monachorum.

CAP. XI.

ANno Dominicæ natiuitatis 1215. indictione tertia, Innocentius Papa tertius in magno concilio Lateranensi 1300. patrum constituit, vt in singulis regnis, siue prouinciis, de triennio in triennium ordinis nostri fieret capitulum generale, in quo de reformatione eius ageretur: vt patet c. in singulis, de statu monachorum. Anno deniq; Domini 1310. Clemens Papa quintus Romanæ & vniuersali Ecclesiæ præsedit, qui in concilio Viennensi de celebrando capitulo prouinciali, & visitationibus monachorum, varia statuta edidit, vt patet eodem titulo, Ne in agro, in Clement. circa finem. Benedictus quoq; Papa duodecimus, qui præfuit Ecclesiæ anno Domini 1335. de eadem re multa edidit, quæ in extrauagante continentur. Idem quoq;, & Honorius tertius, qui claruit in pontificatu anno Domini 1228. de visitationib. monachorum multa vtilia statuerunt: quæ tamen successu temporis sine practica viluerunt. Nam ante concilium Constãtiense, quod fuit anno Domini 1417. capitula prouincialia ordinis in prouincia Moguntina defecerant, visitationes interierant: vnde grauem ordo iacturam sustinuit. In ipso autem concilio capitulorum celebratio denuo instaurata est, & visitationes monachorum vtiliter institutæ. Exinde igitur in prouincia nostra Moguntina, & diœcesi Bambergensi, & in prouinciis Treuerensi & Colonienſi, capitula celebrari secundum decreta Patrum vsq; in hunc diem cœperunt: quanquam adhuc multi in suis deformitatib. perseuerent, quos nec capitula emollire vnquam poterant, nec quæ Cardinali olim præstiterunt iuramenta. In multis etiam Christianitatis partibus capitula prouincialia non seruantur, nec visitationes monasteriorum aguntur.

De vltima reformatione Burſsfeldenſi.

CAP. XII.

EO pene tempore, quo concilium terminabatur in Cõstantia, post longos, multosq; de ordinis reformatione tractatus, refloruit sacra Benedicti religio, nouiter denuo reformata: quæ indies valde conualuit, & in longinquas regiones, adhuc hodiè diffunditur. Hæc autem reformatio nouissima, cœpit in quodam cœnobio Saxoniæ, quod Burſsfeldia dicitur, à quo etiam Burſsfeldensis nominatur. Mirabile quidem huius reformationis exordium, cuius seriem, si adsit facultas, sæpe cupio posteris reserare: sed non est huius temporis exequi propositum, eo quod de historia adhuc multa proponam inquirere. De obseruantia igitur Burſsfeldensi sermonem prosequentes inceptum, hanc pro viribus nostris amplectamur vt sanctam, vt veram, vt regulæ sancti patris Benedicti consonam: quã veraciter nemo diligit, nisi bonus: nemo persequitur, nisi deceptus: in qua ad puritatem regulæ secure viuitur: quam Deus plantauit, & rigat: quam diabolus cum suis satellitibus, vt valet, persequitur. Hæc est, quæ diuinum officium in cœnobiis diu neglectum recuperat, obedientiam docet, abdicationem proprietatis suis cultoribus indicit, diligit & amplectitur castitatem. Hęc est schola humilitatis, doctrix sapientiæ, virtutis exemplum, norma disciplinæ. Hæc est, quæ vitam monasticam diuinitus illustratam commendat, mores sanctos instruit, amat pacem, concordiam diligit, conseruat charitatem. Hæc est, quæ carnem castigat, vitia fugat, ieiunium seruat, abstinentiam colit, pauperes pro posse largiter sustentat. O sancta monachorum vnio, in qua charitas imperat, humilis subiectio obtemperat, obedientia militat, castitas sancta triumphat, oratio vigilat, perseuerantia bonorum operum fructificat. Felix, qui cultor tui verus existit, qui primæ institutionis

tuæ præcepta custodit: qui carnem macerat, qui vitia domat, virtutibus redolet, discretione nitet, ordinat charitatem. Hęc itaq; sancta reformatio post concilium Constantiense mox sumpsit exordium, & intantum, largiente Deo, creuit, vt sub eius vnione multa iam cœnobia habeantur. Multi enim principes, multi ecclesiarum in diuersis locis pontifices hanc synceram in Domino vnionẽ contuentes, cum magno charitatis desiderio cœnobia nostri ordinis in suis terminis posita, reformationi submiserunt. Sunt autem plura monasteria, quæ ad vltimam paupertatem per monachorum insolentiam detrusa, in temporalis defectus remedium, reformationi concedunt ingressum. Et quidem satis iuste. Nam qui spiritualia bona negligit, temporalia bona merito amittit: & quem prospera in superbiam erigunt, dignum est vt contrariorum ictu ad humilitatem reducantur. Ad oculum videmus, quæ dicimus: quamuis interdum parabola fallat. Ecce monachi regulari obseruantiæ rebelles & contrarii, in multa sæpe angustia viuũt: & destruentes cœnobia, in egestate continua conuersantur. Sed cum causa martyrem faciat, non pœna: quicquid isti patiuntur aduersi, virtutis decore priuabitur. Non enim propter Deum aduersa sustinent, sed propter voluntatis insolentissimæ libertatem. Sed transeant hæc, nostris iam importuna sermonibus: tuas denuo, si liceat, laudes, sacra vnio, canam. Tu Deum famulatu continuo colis: tu spiritualia præfers caducis: tu ad puritatem regulæ sacræ (quantum hoc tempore infirmitas debilium patitur) gressus tuorum dirigis: tu vanas mundi pompas deuota contemnis, iustitiam diligis, fraternitatis vnitatem custodis. Et, quia Domino Deo tuo in synceritate conscientiæ famularis, idcirco benedixit te in miserationibus suis: vt, quanto in obseruantia regulari ferues amplius, tanto in necessariis corporis abundantius eius pietate cumuleris. Sed caue, ne tibi saturitas panis & ocium, materiem præbeant delinquendi. Intuere pristinas reformationes, feruoris antiquorum exordia metire: & te quoq; periculis, si negligas, pertimescas obnoxiam. Te lucernis comparãdam existimo, quibus si oleum desit, cito extinguuntur Multæ olim, vt diximus, reformationes diuersis temporibus in ordine viguerunt, de quibus hodie in vita monachorum nullum inuenitur vestigium. Feruor deuotionis ex tempore consumitur, nisi prouidentiæ fomentis quotidie renouetur. De tua perseuerantia quid dicam, ô mater fructifera? Peribisne cum tempore more cæterarum? Quamdiu, credam, subsistes? Non sum propheta, & nulla mihi de futuris euentibus relucet cognitio. Sed cum præteritorum notitia plerunq; futura metiamur, liceat mihi paululum spei meæ ancoram in altum eleuare. Annis iam ferme quinquaginta reformatio nostra viguit, adeo fortis in pluribus, sicut ab initio feruebat in paucis: quanquam infirmos semper nobiscum habeamus, quib. fortiorum industria comprobetur. Non enim omnia volumus omnes: nec est dilectio singulorum communis, sed paucorum infirmitas, multorum virtutes non potest minuere. Duo sunt, quæ mihi spẽ magnam de perseuerantia nostræ vnionis pollicerividẽtur: annale, videlicet, capitulum, & visitatio monachorũ. Vnum eorum si tollas, cito reformatio peribit. Quod si opponens dicas, veteres quoq; cum visitationibus celebrasse capitula, & nihilominus defecisse: magnum nobis labyrinthum ne putes apertum. Bene quidem inceperunt, ad tempus capitula celebrarunt: sed defuit perseuerantia. De nostris autẽ præterita rememorari possumus, nequaquam futura prædicare. Si, inquam, tollatur annale capitulum, si visitationes monasteriorum fuerint intermissæ: reformatio Bursfeldensis, vt cæteræ, expirabit. Ad vos nunc igitur, patres venerandi, conuertor: vos, qui nobis ex tempore rectores monachorum succeditis, contestor: seruate ordinem in disciplina, mores vestros ad normam sanctæ reformationis corrigite, mundum fugite, seruate charitatem, annale capitulũ, & consuetæ visitationis officium in robore suo excolite: quia quod duo in capite faciunt, hoc agunt hæc duo in reformatione. Nam si oculos de capite videntis eruas, hominem cęcum reddis atq; deformem: capitulum & visitationes si intermiseris, reformationẽ in nihilum redegisti. Igitur, ô patres, veterum instituta seruate, & hæc duo quæ diximus, nolite deponere, si reformationem sanctissimã

Causæ duæ vnionis perseueraturæ.

cupitis

cupitis inuiolabilem perdurare. Sed vereor, ne post decessum reuerendissimorum Patrum, qui zelum habent disciplinæ, & reformationem magnificè dilatarunt, iuuentus noua sibi quęrat concilia, statuta negligat, reformationem cõtemnat. Scio enim, quia exurgent multi, quales & nunc in ordine surrexerunt, qui reformationem sanctam habebunt exosam, nomen originale detestabuntur, confundent vnitatem. Hi sunt, quos ex humilibus & abiectis, reformatio fecit excelsos, leuansq; de stercore, posuit in sublimi: ditauit pauperes, ex miseris fecit glorioſos. Væ tibi, qui tantorum beneficiorum immemor, matrem sanctam, te glorificantem, temerate contemnis. Nos autem, patres, in adiutorio altissimi confidẽtes, sedulis eum precibus exoremus, vt ad laudem nominis sui hanc, de qua loquimur, venerandam vineam religionis nouiter instauratam, solita benignitate sua conseruet, & ab omnibus tueatur aduersis.

De persecutione huius sanctæ reformationis, & odio peruersorum.

CAP. XIII.

MOribus bonorum, prauitas æmulorum inuidentium semper ab initio aduersari consueuit: quæ se alioquin tutam non æstimat, nisi laudes innocentium peruerso dente corrumpat. Cum itaque hac nostra ætate variæ ordinum reformationes vigeant: scilicet, nostri, Canonicorum regularium, Prædicatorum, & Minorum: nulla est, quæ dentes æmulorum non sit experta. Reformatorum enim vita, semper displicuit deformatis: & malis hominibus, bonitas deuotorum nunquam placere consueuit. Vnde non miramur, si nostræ quoq; reformationi quosdam patiamur infestos: cum virtutes semper inuidia sequatur, *feriantq;*, iuxta illud Horatii, *summos fulgura montes*, Solet enim bonos mores odire peruersa conditio, quæ suam innocentiam æstimat, si vitam aliorum velut nocentem corrumpat. Sed consolatio Apostolica nos confortat, dicens: *Omnes, qui pie viuere volunt in Christo, persecutionem patientur.* 2. Tim. 3. Qui, teste conscientia, in via Domini fortiter ambulat, latratus canum insipientium non formidat. Multi sunt deniq; tam principes, quam ecclesiarum rectores, qui reformationem nostram Bursfeldensem magno fauore prosequuntur. Cur ergo peruersorum odia timeremus, quibus displicere laudabile est? Sed nunc iam, si libet, aduersariorum argumenta discutienda proponamus, & quanta poterimus breuitate refellamus. Dic mihi, bonarũ inuide rerum, dic mihi: quid est, quod te in Bursfeldensi vnione offendit? genus, an species? nomen, an virtus, vita, an meritum? Si tibi genus displicet, audi scripturam: *Vos*, inquit, *genus electum*, Cuius electum? Vtiq; Dei. Quod ergo Deus elegit, qua temeritate condemnas? *Ipsius enim genus sumus*, cuius exequimur voluntatem. Sed causaris forsitan de generatione sanguinis, quasi contemptos ingenuos doleas. Si legem monachorum attendas, nulli nos iniuriam fecisse agnosces. Non spernimus nobiles, quorum ingenuitas moribus relucet decentibus. Regula omnibus se deuote subeuntibus sine generis differentia patet: quam nobis non licet in contrarium constringere. Sed habet interdum elationem amicam generis alti progenies, quam norma Benedicti abhorret. Præfert enim regula illius non genus, sed mores. Esto humilis, quod maxime decet monachum: esto mansuetus, obediens, morumq; lenitate decorus: & generis in te nobilitas iure commendabitur. Si species displicet, Dominum audi protestantem: *Species agri mecum est.* In odore huius agri vnguenta virtutum miris sunt insignita ornatibus. Sed fugit bonos aranea venenata odores. Et quidem decet religiosos, peruersorum moribus fulgere contrariis. Nomen Bursfeldense si displicet, stolidus es: qui, rerum maiestate omissa, de vocabulo nominis altercaris. Deniq; infer vlterius; cur nomen Bursfeldense tantopere detesteris? Putasne in nomine consistere virtutes, aut vitia? Si humile nomen offendit, non lædit, nisi superbum. Porro elatum humiles non aduertunt. Si vero nec virtutes in nomine haberi consentis, nec vitia, Bursfeldensib. sine causa indignaris. Si displicet virtus, vitiosissimus es. Virtus enim non potest displicere, nisi perversis: vitia etiã non displicẽt, nisi contraria. Tu autem, si vitam huius sacratę vnionis professorum reprehendis, tibi esse contrariam fateris. Cum autem non lateat sub vmbra, inuidus iudicaberis testimonio euidenti, qui

1. Pet. 2.

Actor. 17.

Psal. 49.

ſancta monachorum exercitia corrodis, ieiunia oppugnas, diſciplinam peruertis, ſimplicitatem iudicas, blaſphemas vnitatem. Quod ſi meritis inuides, gratiam Dei oppugnas, qui merita largitur & præmia. Non curant veri monachi verba detractorum, qui teſtimonio conſcientiæ ſuæ intus contenti, probationem foris non quærunt: quanquam ſuo exemplo neminem velint abire ſcandalizatũ. Sed veritas ſcandalo iuſta peruertentium præponenda eſt. Quieſcit ſub vmbra Apoſtolici culminis hæc vnio reformata, & ideo non metuit odia detractorum.

De approbatione ordinis noſtri ab initio, & de confirmatione vnionis Burſfeldenſis.

CAP. XIV.

ETenim ſummi pontifices, & concilia generalia, quæ vniuerſam repræſentant Eccleſiam, hunc ordinem ſacrum diui patris Benedicti ab initio ſui approbarunt, & magnis donatum priuilegiis, ei inter omnes ordines cæteros conceſſere principatum: quippe numero, perſonis, & merito ordines excellit vniuerſos. Ad cuius euidentiſſimam confirmationem accedit, quod multi præſtantiſſimi Romanæ, aliarumq; eccleſiarum pontifices, de illo noſcuntur aſſumpti: de quibus in quarto libro, adiuuante Domino, ſumus habituri ſermonem. Succedente quoq; tempore, poſt aliquantulam in pleriſq; locis ſacri ordinis ruinam, nouam reformationem denuo inceptam ſummi pontifices approbarunt, & maximis fauorib. extulerunt, gratum omnipotenti Domino iudicantes, ſi quid in laudem ordinis Benedicti feciſſent, quem olim clariſſimis nouerant ornatum luminibus. Sed & hanc noſtram quoq; nouiſſimam reformationem ſub alis Apoſtolicæ protectionis recipientes, confirmarunt, & non ſpernendis priuilegiis munierunt: q ẽ admodum hoc multis poſſemus manifeſtare documentis, ſi nunc immorandum talibus probaremus. Statuta inſuper annalis capituli pro conſeruatione reformationis ratificantes, ad monachorum obſeruantiam approbata decernunt. Nemo igitur quorumlibet regioſorum inſtaurationes deſpiciat, quorum mores & ſtabilitatem ignorat. Nemo currere non potens, bene currentes iudicet: nemo agiliter occurrens, ſtantes contemnat. Non enim omnia poſſumus omnes: & ergo bonum quod non poſſumus, vel alios poſſe gratulemur. Etenim Deus, quam dedit, remunerat voluntatem: contemptus autem ignominiam parit. Non iudicans, tutior eſt.

Exhortatio concluſiua, & compendioſa finalis.

CAP. XV.

IAm nunc igitur, fratres chariſſimi, vocationem veſtram diligenter attendite, & ad quid ſitis vocati, ſedula intentione penſate. Vocauit autem nos Deus in ſanctificationem, vt ſimus ſynceri, virtutumq; decorati ornatibus: obedientia maxime, paupertate, & caſtitate. Hæc eſt enim via trium dierum, per quam à Domino vocati de Ægypto huius ſeculi egredimur, vt eidem in deſerto monaſticę ſolitudinis immolantes vota reddamus pro liberatione noſtra, quæ vouimus. Hic eſt funiculus triplex, qui difficile rumpitur, quo caro monachi reſtricta ſpiritui ſubiicitur. Hæc tria ſi conſentiant ſuper terram, ſi à monacho perfecte cuſtodiãtur, petitiones eius in conſpectu altiſſimi faciunt eſſe placabiles. Memores ſemper debemus eſſe venerabilium patrum, qui nos in hoc ordine ſacratiſſimo præceſſerunt, & magno ſtudio curare, vt ſanctis moribus eorum inhærentes, filii ipſorum eſſe mereamur atq; participes. Niſi enim ſanctorum exempla imitemur, fruſtra de profeſſione æquali gloriamur. In hac itaque peregrinatione poſiti, fratres, ad illã cæleſtem virtutum greſſib. patriam feſtinemus, in qua legifer noſter Benedictus cum imitatoribus ſuis monachis ſine fine lætatur: vbi his, q veri monachi ſunt, ſumma felicitas in laborib. præmium donabitur. Nemo ergo, poſita manu ad ſtiuam, retro reſpiciat: nemo tempus gratiæ, ad pœnitentiam indultum, negligat: nemo à ſancto monachali propoſito tepeſcat: quia ſicut bene conuerſantib. monachis excellentiſſima præmia, ita negligentibus acerbiſſima tormenta parata ſunt. Deus autem omnipotens, qui nunquam deeſt inuocantib. eum in veritate, meritis & interceſſionib. ſanctiſſimi patris noſtri Benedicti, donet nobis ita in monaſtica conuerſatione proficere, quatenus poſt hanc calamitoſam vitã ad æterna gaudia mereamur peruenire. Amẽ.

1. Theſſ. 4.

Eccleſ. 4.

Pſal. 144

FINIS.

PRO-

PROLOGVS DOMINI IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEIMENSIS, IN SECVNDVM LIBRVM de illustribus viris ordinis S. Benedicti.

CVM studia veterum, ad imitationem sui animos prouocent iuniorum, qui exemplis interdum plus proficiunt, quam verbis: post finem primi libri, in quo, auxiliante Deo, initium ordinis diui patris Benedicti breuiter perstrinximus, secundo libro manus imponimus: in quo de scriptoribus agendum est, qui ordinem nostrum scriptis suis atq; doctrinis exornantes, sanctam magnifice sustentarunt Ecclesiam. Hos autem viros insignes partim de illo magno volumine, quod nuper ad dominum Ioannem VVormatiensem edideram pontificem, extraxi: partim ex eorum voluminibus deinceps agnitos, in subiectum catalogum comportaui. Sed nemo putet, me omnium illustrium scriptorum nostri ordinis fecisse mentionem, quoniam id meis conatibus esset impossibile: sed illorum duntaxat, quos ad manum habere potui, de quorum scriptis minime dubitaui. Fuerunt enim (certus sum) & alij complures illustrissimi viri, quorum nomina signata sunt in libro vitæ iustorum: qui in ordine nostro suis temporibus varia scripserunt, quanquam ad notitiam meam non venerint. quorum ego nullam feci mentionem. Nec enim mihi ocium erat perquirendi eos, qui deessent, exigentibus finem operis amicis, quibus diu erat promissum. Quorundam etiam tempora ad nutum scire non potui, quos tamen, vt poterã, loco conuentiori ordinaui. Vndè lectorem meum oro & obtestor, ne mihi velut de errore succenseat: quippe, qui nihil veritatis huic operi congruum, scienter omisi, falsitatis voluntariè nihil inserui. Omnes autem, quos in hoc catalogo recensui, vel ex veterum historijs, vel certe ex proprijs eorum opusculis inueni. Iam nunc igitur promissam diu narrationem inchoantes, à sancto patre Benedicto loquendi sumamus exordium.

Lib. de scriptor. Eccliast.

LIBER SECVNDVS DE ILLVSTRIBVS VIRIS ORDINIS SANCTI BENEDICTI, TRACTANS DE DOCTORIBVS ET PRÆcipuis scriptoribus.

CAP. I.

BENEDICTVS igitur dux & princeps monachorum, ac regularis vitæ institutor magnificus, patria Nursensis, de nobilissimis parentibus exortus: vir sanctissimæ conuersationis, spiritu prophetiæ illustris fuit. Eius vitam plenã virtutibus beatus papa Gregorius ornato descripsit eloquio, sicut in secundo dialogorum volumine patet. Hic sacrum ordinem nostrum primus in monte Cassino incepit, anno videlicet Domini 520. vbi multitudinem monachorum ingentem Domino colligens, religionem etiã suam vsq; ad extremum terræ dilatauit, quẽadmodum in exordio primi libri iam nos dixisse meminimus. Hic scripsit regulam monachorum omni discretione pcipuam, sermone luculentam: sub qua nos Domino militare gaudemus. Fertur etiam breues quasdã scripsisse epistolas, de quib. nihil certi possum adstruere. Moritur, vt volunt quidam, anno Domini quingentesimo, quadragesimo secundo,

indictione quinta. Sed Marianus Scotus monachus Fuldensis aliter sentit, dicens, eum obiisse anno Domini sexcentesimo primo, indictione quarta, ætatis suæ anno plus minusve nonagesimo. Et verisimile est.

De Fausto monacho.

CAP. II.

FAustus monachus, & discipulus sanctissimi parris nostri Benedicti, vir moribus & conuersatione insignis, in diuinis literis non infime doctus fuit. Hic septennis, sancto magistro à parentibus traditur, monasticis institutis imbuendus: à quo in timore Domini diligenter instructus, boni præceptoris imitator magnificus efficitur, qui cum beato Mauro in Galliam missus, Domino ibidem in cœnobio multis annis strenue militauit: donec tandem post eius mortem ad cœnobium Cassinense reuersus, petentibus fratribus omnibus, vitam eiusdem sancti Mauri claro descripsit eloquio, quam Bonifacius papa confirmauit. Claruit anno sexcentesimo.

De Cassiodoro Abbate.

CAP. III.

CAssiodorvs Theodorici regis Italiæ quondam cancellarius, ac deinde vrbis Rauennatæ senator, vir in secularibus scripturis eruditissimus, philosophus & rhetor insignis: cum sancti patris nostri Benedicti famam & religionem audisset, diuino amore inspiratus, seculum contemnens, in vno cœnobiorum eius monachus effectus est: in quo omnipotenti Deo ex toto corde seruire cupiens, ad studium sanctarum scripturarum totum se contulit, in quibus tum legendo, tum scribendo adeo profecit, vt suo tempore vix haberet æqualem, in quo tanta vtriusq; literaturæ abundaret scientia. Testantur hoc multa præclara, quæ scripsit, opuscula: de quibus ego ad præsens tantum reperi subiecta. In Psalterium totum, opus egregium, 150. tractatus: de ratione animæ librum vnum: tripartitam historiam nostram fecit lib. 12. in Cantica canticorum lib. vnum: de institutione diuinarum lectionum libros tres: memoriale diuinarum scripturarum lib. 1. in epistolas Pauli breues complexiones lib. 14. in Actus Apostolorum lib. 1. in Apocalypsin lib. 1. catalogum Romanorum consulum lib. 1. de Grammatica, de Dialectica, de Rhetorica, de Philosophia, de Mathematica, de Geometrica, de Astronomia, de Musica, epistolarum ad diuersos, libros viginti octo: etymologiarum librum vnum: de tropis & schematibus librum vnum. Alia quoq; multa edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Hic post aliquot conuersionis suę annos, Abbas electus est, & monasterio multo tempore vtiliter præfuit. Cum esset annorum nonaginta trium, rogatu fratrum scripsit de orthographia elegantissimum librum, cuius regulas de duodecim nominationibus collegit. Claruit autem circa annum Domini sexcentesimum.

De Dionysio Exiguo Abbate.

CAP. IV.

DIonysius Abbas Romanus, cognomento Exigui, vir in diuinis scripturis valde eruditus, & in secularibus literis peritissimus: calculator & geometer insignis, Græco & Latino instructo eloquio: qui doctrinæ suæ magnam apud veteres authoritatem consecutus, edidit non spernenda opuscula, de quibus pauca ad meam notitiam peruenerunt. De ratione Paschæ librum: cyclum quoq; magnũ quingentorum trigintaduorum annorum: epistolas etiam nonnullas composuit. De Græco in Latinum transtulit scripta Proterij Alexandrini ad Leonem papam de Pascha celebrando, & librum Gregorij Emisseni de hominis conditione. Vitam quoq; sancti Pachomii Latinam fecit. Claruit anno Domini quingentesimo septuagesimo.

De Columbano Abbate.

CAP. V.

COlumbanus fundator, & primus Abbas Luxouiensis, natione Scotus, vir meriti & sanctitatis eximiæ, multos pro Christo sustinẽs labores, cum adhuc in Hybernia adolescens degeret in monasterio, tantum in scripturis studendo profecit, vt non contemnenda opuscula ediderit: è quibus extat opus insigne limato sermone in totum psalterium, lib. 1. De cæteris, quæ cudisse dicitur, nihil ad meam recolo peruenisse notitiam. Erat autem verbi Dei prædicator zelosus, & valde egregius: qui amore Dei natale solum dulce relinquens, peregrinus Christi factus est: & veniens in Alemaniam,

Galli-

Galliam, & Burgundiam, multos verbo & exemplo ab iniquitate auertit. Construxit multa cœnobia tam in his nostris regionibus, quam in Hybernia. Claruit anno Domini sexcentesimo.

De Iona monacho.

CAP. VI.

IOnas monachus, & discipulus sancti Columbani, & socius beati Galli, vir in diuinis scripturis studiosus, & secularium literarum non ignarus, ingenio purus, eloquio compositus: multorum sanctorum vitam scripsisse dicitur. de quibus ego tantum reperi vitam sancti Columbani Abbatis magistri sui, lib. 1. vitam sancti Eustasii Abbatis, qui Columbano expulso in regimine Luxouiensis cœnobii successit, lib. 1. vitam sancti Attilæ monachi & discipuli sancti Columbani, lib. 1. Claruit anno Domini sexcentesimo, tricesimo sub Heraclio.

De Eugipio Abbate.

CAP. VII.

EVgipius Abbas in diuinis scripturis studiosissimus, & librorum beati Augustini feruentissimus indagator & lector, ingenio subtilis, & clarus eloquio: hortatu Randucis episcopi Neapolitani, defloravit ex omnibus libris Augustini codicem magnæ vtilitatis ad Probam virginem, quem per manus præfati pontificis, ecclesiæ Neapolitanæ obtulit. Scripsit etiam vitam sancti Seuerini monachi, lib. 1. & regulam viuendi monachis eiusdem cœnobii per modum exhortationis, lib. 1. Si quid amplius edidit, ad notitiam meam non peruenit. Claruit, teste Sigeberto, sub Tiberio Constantino imperatore, & Pelagio Papa secundo, anno Domini quingentesimo octogesimo.

De Gregorio Papa magno.

CAP. VIII.

GRegorius papa primus, ex monasterio & Abbate S. Andreæ Apostoli in vrbe Roma, quod ipse fundauerat, vir sanctissimæ conuersationis, in diuinis scripturis eruditissimus, & in secularium literarum disciplinis valde peritus: philosophus, & rhetor insignis, eloquio dulcis, & mirabili venustate disertus: cui profunda scripturarum spiritus sanctus visibili specie visus apparere, inuisibili patefecit instinctu. Scripsit multa præclara volumina, de quibus subiecta feruntur: Ad Leandrum episcopum Hispalensem commentariorum Moralium in Iob libros trigintaquinque, opus profecto vtile, & omni laude dignissimum: in primam, in vltimam partem Ezechielis homiliarum libros duos: ad Marianum episcopum, in quibusdam euangeliis homilias quadraginta lib. 2. ad Ioannem episcopum Rauennat. de cura pastorali libros duos: ad reginam Longobardorum, dialogorum libros quatuor: de conflictu virtutũ ac vitiorum, librum vnum: in Cantica canticorum, homil. quatuor: in quatuor Euangelia expositionem breuem & succinctam, quam reperi in quodam cœnobio nostri ordinis, in vetustissimo codice, quę alias rarissima est: rationale diuinorum officiorum, lib. 1. proœmiorum noui & veteris Testamenti, librum vnum: de sacramentis librum vnum: regulas viuendi, ad Anglos nouiter conuersos, lib. 1. Epistolarum libros tredecim. Alia quoque multa opuscula edidit, quæ inuidia æmulorum igne combussit: videlicet, de Prophetis, de quinque libris Moisi, in Regum & alia plura: sicut Ioannes Diaconus in vita eius expressit. Hic etiam beatissimus Pontifex antiphonarium dulci melodia centonizauit. Missale ordinauit, & scholas cantorum in vrbe Roma constituit, & alia multa laudabiliter fecit. Moritur anno Domini sexcentesimo tertio, indictione sexta.

De Leandro Hispalensi episcopo.

CAP. IX.

LEander ex monacho nostri ordinis, episcopus Hispalensis ecclesiæ prouinciæ Bæticæ, natione Afer, patria Carthaginensis, patre Seueriano genitus, beati papæ Gregorii singularis amicus, à quo commentarios expositionis libri Iob impetrauit: vir sanctæ, & religiosæ conuersationis, in scripturis diuinis studiosissimus, ingenio præstans, eloquio suauis & compositus: cuius prædicatione & industria tota Vuesegothorum gens ab Arriana impietate ad fidem catholicam est conuersa: scripsit multos ac varios tractatus, in quibus doctũ ingenium eius ostenditur, de quibus ista feruntur:

Aduersum hæreticos libros duos: Aduersum instituta Arrianorum librum vnum: Ad Florentiam sororem de institutione virginum, librum vnum: orationes pulcherrimas in totum Psalterium secundum duplicem editionem: de baptismo ad sanctum Gregorium Papam: ad fratrem de contemptu mundi, librum vnum: Epistolarum ad diuersos, librum vnum: in sacrificii quoq; laudibus multa dulcisonè composuit, & alia plura nobis incognita. Claruit cum Gregorio Papa sub Phoca imperatore, anno Domini sexcentesimo.

De Gregorio Turonensi.

CAP. X.

GRegorius Florentius, ex monacho nostri ordinis archiepiscopus Turonensis, vir sanctus, Deo & hominibus dilectus, in sacris scripturis optime peritus: in perscrutandis gestis sanctorum studiosissimus fuit. Hic magna sanctitate beato Papæ Gregorio innotuit, quem ad limina sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Romam venientem & reuerenter suscepit, & vere sanctum agnouit, sicut in tertio huius opusculi libro plenius, Deo largiente, dicemus. Qui cum esset vir doctus & eruditus, scripsit aperto sermone plura opuscula, de quibus ego tantum vidi subiecta: Ecclesiasticam historiam de gestis Francorum, libros decem: de laude sanctorum martyrum librum vnum: de miraculis sancti Iuliani martyris librum vnum: de miraculis sancti Martini, Turonensis quondam archiepiscopi, libros quatuor: de vita sanctorum patrum librum vnum: & quædam alia edidit, quæ necdum vidi. Claruit anno Domini sexcentesimo.

De Claudio Abbate.

CAP. X.

CLaudius Classitanæ vrbis Abbas, in scripturis diuinis studiosissimus & beato Papæ Gregorio magna familiaritate cõiunctus, multa de Prouerbiis & Cãticis canticorum, de Heptatico, de Prophetis, de libris Regum, q̃ loquente Gregorio audierat exponi, nec tñ ab Gregorio ꝓpter infirmitatẽ absoluta erant, ipse suo sensu dictauit, ne perirent: vt apto tempore emendatius dictarentur: quæ cum Pontifex comperisset valde in multis permutata esse, studiosiùs recollegit, & oportune correxit. Si quid Claudius amplius composuit, ad notitiam meam non peruenit. Claruit anno Domini sexcentesimo.

De Hæderico monacho Romæ.

CAP. XII.

HÆdericus monachus sancti Gregorii Papæ, tanto ad libros eius flagrabat desiderio, vt in eorum versari lectionibus summas æstimaret delicias. Fuit enim vir in diuinis scripturis studiosissimus: vnde fertur nonnulla perscripsisse opuscula, quibus doctum ingenium eius ostenditur. Extat volumen insigne, quod ex commentario eiusdem sacrati Pontificis libri Iob, in vnum multo labore deflorauit, in quo sententias optimas congessit. Claruit anno Domini sexcentesimo quadragesimo.

De Martino Dumiensi episcopo.

CAP. XIII.

MArtinus ex Abbate Dumiensis cœnobii episcopus Galliarum, veniẽs ex partibus Orientis in Galliam, populos Sueuorum ab Arriana impietate ad fidẽ conuertit catholicam, regulamq; fidei & sanctæ religionis constituit, ecclesias reformauit, cœnobia condidit, ac piæ institutionis præcepta copiosa premulgauit. Scripsit inter alia ad Mitonem regem de differentia quatuor virtutum, librum vnum, & alia. Claruit anno 650.

De Eutropio episcopo Valentino.

CAP. XIV.

EVtropius Abbas monasterii Sirbitani, & Episcopus Valentianæ vrbis, vir in diuinis scripturis admodum eruditus, & regularis disciplinæ zelosus amator, ingenio clarus, & fulgens eloquio: scripsit non contemnendæ lectionis opuscula, de quibus ad meam notitiam pauca peruenerunt: Ad Licinianum Carthaginensem Spartarum episcopum, de baptizandis infantibus librum vnum: ad Petrum Episcopum de coercione monachorum librum vnum: Epistolas etiam multas scripsit ad diuersos. Claruit anno Domini sexcentesimo decimo.

De

De Ioanne Gerundensi episcopo.
CAP. XV.

IOannes ex monacho Gerundensi sanctissimus antistes, natione Gothus, prouinciæ Lusitaniæ, vir scientia & doctrina, morumque religione venerabilis fuit. qui cum adolescens esset, & amore discendi Orientem peteret, apud Constantinopolim literis tam Latinis, quam Græcis per septennium vehemens studium impendit: deinde ad Hispaniã doctissimus reuertitur. Hunc rex Leuigildus Arriana impietate fœdatus, cum eum ad errorem suum inflectere non posset, per decem annos continuo damnauit exilio, vbi pro fide catholica multas sustinuit iniurias. Tandem liberatus Biclarense monasterium condidit, in quo deinceps Domino militauit. Scripsit exhortatorium ad monachos librũ vnum * additionẽ Chronicarum librum vnum: Alia insuper multa scripsisse dicitur, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit anno Domini sexcentesimo decimo.

De Cæsario Arelatensi episcopo.
CAP. XVI.

CÆsarius monachus & Abbas Lirinensis cœnobii, & postea episcopus Arelatensis, vir doctus & sanctus, & egregius prædicator: ingenio promptus, eloquio suauis & dulcis, & pulchra varietate distinctus, ad persuadendum satis idoneus: scripsit ad instructionem monachorum pulchros, vtilesque sermones. de quibus nos viginti & duos duntaxat legimus, in quorum tertio se beati patris nostri Benedicti imitatorem profitetur & discipulum, dicens: Hæc itaque, fratres charissimi, cogitantes, & in hoc agone desudantes, glorioſi & præclari patris nostri Benedicti nos discipulos noueri-mus esse, & filios. Cætera, quæ scripsit, non vidi. Claruit anno Domini sexcentesimo nonagesimo.

De Adamanno Abbate.
CAP. XVII.

ADamannus presbyter, & Abbas Scotorum insulæ Huensis, vir in diuinis scripturis valde studiosus & eruditus, secularium quoque literarum non ignarus, ingenio cautus, & dulcis eloquio, vita & moribus venerabilis: pater multorum millium monachorum fuit. Huius cum laude meminit Beda in quinto ecclesiasticæ historiæ libro. Qui cum vir doctus esset, & vndecunque peritus, scripsit de locis terræ sanctæ opus insigne librum 1. & alia nonnulla, præsertim epistolas. Claruit anno Domini sexcentesimo nonagesimo.

De Theodoro archiepiscopo.
CAP. XVIII.

THeodorus monachus Romanus, natione Græcus, à Vitaliano papa septimus archiepiscopus Cantuariẽsis in Anglia destinatus, vir in diuinis scripturis valde eruditus, & in obseruantia catholicæ traditionis studiosissimus: habita synodo in Anglia, multa ad vtilitatem Ecclesiæ constituit. De cuius laude sanctissimisque laboribus, Beda in quarto & quinto ecclesiasticæ historiæ pluries fecit mentionem, Scripsit autem librum de pœnitentiæ qualitate notabilem, quem Gratianus decreti compilator sæpe allegat. Moritur anno Domini sexcentesimo nonagesimo indictione tertia, ætatis suæ anno octogesimo octauo, pontificatus autem vicesimo secundo.

De Benedicto Abbate in Anglia.
CAP. XIX.

BEnedictus Abbas sanctorum Petri & Pauli Apostolorum in Anglia, sub cuius magisterio Beda, cum esset puer septem annorum, à parentibus traditur, vir in sanctis scripturis admodum studiosus, & regularis disciplinæ gubernator zelosus, qui non sine sanctitatis opinione decessit: scripsit librum vnum ad monachos, quem vocauit Concordiam regularum, multorum patrum regulas regulæ sancti Benedicti Casinensis conferens & ostendens, quod illa omnibus regulis patrum consentiat. Claruit autem anno Domini sexcentesimo septuagesimo.

De Ceolfrido Abbate ibidem.
CAP. XX.

CEolfridus eiusdem cœnobii post Benedictum Abbas, sub quo Beda monachus multa volumina scripsit, vir doctus & deuotus: fertur nonnullas scripsisse epistolas eruditione plenas ad diuersos

uersos, de quibus ego illam duntaxat legi, quam ad regem Pictorum de legitima
* rationePaschæ consulentem satis idoneam dedit, in qua regi satisfaciens, ad vnitatem Ecclesiæ gentem Pictorum reduxit. Claruit anno Domini septingentesimo.
* Qui dum Romam amore Apostolorum visitasset, reuertens cum multis aliis, vbi Lingonas peruenisset, tactus infirmitate, moritur, anno ætatis suæ septuagesimoquarto, presbyteratus quadragesimoseptimo, Abbatiæ autem tricesimoquinto.

De Beda presbytero & monacho.

CAP. XXI.

BEda presbyter, & monachus cœnobij sanctorum Petri & Pauli Apostolorum in Anglia, discipulus Benedicti & Ceolfridi Abbatum, vir in diuinis scripturis studiosissimus, vita & conuersatione insignis: non minima pars doctorum fuit. Qui cum septem esset annorum, præfato cœnobio cura parentum traditur, in quo sub dictis Abbatibus mirabiliter proficiens, in virum doctum & sanctissimum euasit. Omne tempus vitæ suę studio scripturarum impendit: qui non solum in sacris literis, sed etiam in omnibus humanitatis artibus longe doctissimus fuit. Nunquam torpebat ocio, quod multi nostrorum iam faciunt, nunquam à studio cessabat: semper legit, semper scripsit, semper docuit, semper orauit, sciens, quod amator scientiæ salutaris, vitia carnis facile superaret. Vnde officium Abbatis oblatum nunquam voluit suscipere: ne curis rei familiaris distractus, ab amplexu speciosæ Rachelis vel ad modicũ se cogeretur elongare. Nam si Abbas fuisset, nunquam tot & tanta volumina edidisset. Officium quippe curã requirit; cura mentem distrahit, distractio studium literarum impedit. Scripsit autem multa præclara opuscula in omni varietate scripturarum, de quibus ista feruntur: in Genesim, in Exodum, in Leuiticum, in Numerum, in Deuteronomium, in principium libri Regum libros tres: quæstiones triginta de libris Regũ, librum vnum: de tabernaculo & vasis eius, libros quatuor: de ædificatione templi, libros duos: in Iosue, librum vnum: in Iudicum, librum vnum: in Paralipomenon, libros duos: in Prouerbia Salomonis, libros tres: in Ecclesiasten, librum vnum: in Cantica canticorum, libros octo: item in Cantica canticorum ex dictis beati Gregorii Papæ, deflorauit librum vnum: in Psalterio, librum vnum: in Esdram & Neemiam, libros quatuor: in Tobiam, librum vnum: in Esaiam Prophetam, libros duos: in Ezechielẽ Prophetam, libros duos: in Danielem, librũ vnum: in duodecim Prophetas minores, libros duodecim: in Euangeliũ Matthæi, in Euangelium Lucæ, libros sex: in Euangelium Marci, libros quatuor: in Euangelium Ioannis: homiliarum in diuersis Euangeliis, libros duos: sermones quoque in diuersis materiis, librum vnũ: in epistolas Pauli omnes, libros quatuordecim: in epistolas Canonicas, libros septem: in Actis Apostolorum, libros duos: in Apocalypsin Ioannis, libros tres: de temporibus volumen minus, librum vnum: de temporibus volumen maius, libros duos: scintillarum ex sententiis patrum, librum vnum: de gestis quorundam sanctorum, librum vnum: Martyrologium, librum vnum: de passione sancti Felicis, librum vnum: de vita sancti Alberti Episcopi, librum vnum: Chronicon sui monasterii, libros duos: Ecclesiasticæ historiæ de gestis Anglorum, libros quinque: Hymnorum diuerso metro, librum vnum: epigrammata heroicis versibus, lib. 1. de locis sanctis, lib. 1. de Christo & Ecclesia, lib. 2. distinctiones in Ieremiam, librum vnum: in Iob distinctiones, librum vnum: in vetus Testamentum lectiones, lib. 2. in nouum Testamentum lectiones, lib. 2. de Orthographia, lib. 1. de Arithmetica, lib. 1. de arte Poetica, lib. 1. de cõputo Ecclesiastico li. 1. epistolarũ ad diuersos li. 1. Alia quoq; multa edidit, quę ad notitiam meam non venerũt. Huius eruditissimi viri opuscula etiam adhuc eo in carne viuente, ac semper noua scribente, tantæ authoritatis habebantur ab omnibus, vt, iubentibus ecclesiarum prælatis, in ecclesiis & conuentibus fidelium publice legerentur. Vnde factum est, vt, cum in homiliarum titulis viuentem non possent sanctitatis nomine appellare, venerabilem nuncupabant: qui titulus tunc libris eius semel insertus, nunquam postea deleri potuit. Vnde vsque in hodiernum diem nõ sanctus Beda, sed venerabilis, appellatur, quam-

quamuis de sanctitate eius dubium non sit. Sed non refert, quo nomine appelletur in terris, qui cum sanctis omnibus regnat in cælis. Sunt qui huius tituli alias fingant causas, cum eius epitaphium non ita habeat, quemadmodum isti putant: nec cæcus fuerit, vt somniant. Moritur anno Domini 733. indictione prima, ætatis suæ anno 72.

De AEgidio monacho & Abbate.

CAP. XXII.

ÆGidius Abbas, natione Græcus, vir in diuinis scripturis eruditus, & in secularibus literis valde peritus: philosophus, poeta, ac medicus insignis, metro excellens & prosa: scripsit metrice opus egregium de pulsibus, librum vnū: de venis quoque eodem genere dicendi, librum vnum. Si quid amplius edidit, ad notitiam meam non peruenit. Hunc nonnulli æstimant sanctum illum fuisse Abbatem, cuius festum Kalend. Septembris colitur: quod an ita sit, non satis perspicuum habeo. Hoc autem scio, quod tempus & patria in eum consentiunt, nec duo huius nominis monachi in chronicis reperiuntur, sed vnus. Et verisimile est, quod sanctus Ægidius ante conuersionem suam philosophiæ ac medicinæ operam dederit. Claruit circa annum Domini 710.

De Ioanne Damasceno.

CAP. XXIII.

Trithem. alium Damasc. posuit in lib. de scriptor. Eccl. cum fuerit tãtum vnus: & quidem non Benedictinus.

IOannes monachus & presbyter de Damasco Syriæ, vir vita & doctrina clarissimus, animatus scriptis Gregorii papæ secundi (quem nostri ordinis plures fuisse asseuerant) scripsit Græco sermone contra Leonem imperatorē Constantinopolitanum, imagines sanctorum deponentem, magnæ authoritatis opuscula. Sed & alia quædam edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit temporibus eiusdem Gregorii papæ secundi, anno Domini 720.

De Bonifacio archiepiscopo.

CAP. XXIV.

BOnifacius ex monacho primus archiepiscopus Moguntinus, natione Scotus, vir doctrinę & sanctitatis incomparabilis fuit. Qui cum puer esset adhuc quinque annnorum, in quodam cœnobio Angliæ nostri ordinis, quod Muschellæ dicitur, à parentibus Domino seruiturus oblatus est: in quo proficientibus ex tempore meritis, presbyter ordinatus, tantum diuinis literis studium impendit, vt doctor omnium opinione clarissimus haberetur & esset. Tandem amore CHRISTI, & zelo animarum accensus, cum licentia sui Abbatis peregrinus factus, prædicando verbum Dei, venit in Germaniam, vbi multos fide & exemplo ad fidem Christi conuertit, cuius prędicationis instantiam cum beatus papa Gregorius secundus audisset, episcopum Moguntinensis ecclesiæ ordinauit, quem eius successor Gregorius tertius honore pallii in archiepiscopum sublimauit, qui cum vir esset doctissimus, scripsit vitam quorundam sanctorum, & breues tractatus: de quibus ego tantum reperi vitam sancti Lebuini librum vnum: epistolarum ad Zachariam papam, & alios diuersos, librum vnum: opus versibus exoratum insigne de virtutibus & vitiis, librum vnum. Tandem post multos labores in Frisia prædicans fidem Christi, martyrio coronatus est, anno Domini 755. indictione octaua. episcopatus sui anno 36. Nonis Iunii: & Fuldam relatus, ibidem, sicut ante disposuit, sepultus est.

De Vuillibaldo monacho.

CAP. XXV.

VVillibaldus monachus, & presbyter. discipulus beati Bonifacii Moguntini archiepiscopi, & martyris: vir in diuinis scripturis eruditus, & secularium literarum non ignarus, ingenio clarus, & disertus eloquio: non minus religionis honestate, quam doctrina venerabilis: scripsit ad Lullum archiepiscopum successorem sancti Bonifacii, vitam & passionem eius librum vnum. Fertur & alia ingenii sui monimenta reliquisse, quæ in manus meas non venerunt. Claruit anno Domini septingentesimo septuagesimo.

De Alcuino Abbate Turonensi.

CAP. XXVI.

ALcuinus, siue Albinus, Abbas cœnobii sancti Martini extra ciuitatem Turonicam, de Britannia oriundus, & inde à Carolo Magno euocatus, apud quem

quem tanta familiaritate acceptus fuit, vt magister appellaretur eius delicioſus. quo maxime docente imperator ipſe omnes artes, quas liberales vocant, didicit: vir certe tam in diuinis ſcripturis, quam in ſecularibus literis, ſuo tempore omnium opinione doctiſſimus. Hic fuit diſcipulus quondam venerabilis Bedæ preſbyteri in Anglia: poſt cuius deceſſum cum tribus ſociis monachis venit in Galliam, & aliquandiu in monaſterio Fuldenſi moratus, plures ex monachis clariſſimos enutriuit diſcipulos: inter quos habuit præcipuos Haymonem poſtea epiſcopum, Iſuardum monachum, & Rabanum Maurum tunc puerum, qui in virum magnum poſtea excreuit. Tandem prouiſione Caroli Abbas ſancti Martini Turonenſis effectus, doctrina & ſanctitate clarus effulſit. Hic iuſſu Caroli
* ſtudium Pariſienſe à Roma tranſlatum primus inſtituit, vbi multos etiã ex monachis diſcipulos inſignes educauit. Scripſit autem multa & varia opuſcula, de quibus iſta feruntur: In Geneſim librum vnum: quæſtiones Geneſis librũ vnum: in Cantica canticorum librum vnum:
* Enchiridion in quibuſdam Pſalmis librum vnum: in Eccleſiaſten: in epiſtolam Pauli ad Hebræos librum vnum: in omnes Epiſtolas Pauli libros quatuordecim: in euangelium Ioannis libros ſeptem: ad Carolum imperatorem de ſancta Trinitate & fide catholica lib. tres: dialogus de ſancta Trinitate lib. 1. ſententiarum librum vnum: ad Eulaliam virginem de natura & immortalitate animæ librum vnum: ad Guidonem Comitem, de virtutibus & vitiis, ſumma librum vnum: ad diſcipulos ſuos dialogus, librum vnum: in Apocalypſin Ioannis lib. 1. de adoptione filiorum Dei librum vnum: de benedictionibus patriarcharum lib. 1. de vita ſancti Vedaſti epiſcopi lib. 1. quæſtiones de ſancta Trinitate librum vnum: de eccleſiaſticis dogmatibus lib. 1. ſpeculum quoque paruulorum lib. 1. de proprietatibus nominum, quæ
* Deo attribuuntur in ſcripturis librum vnum: de Grammatica, de Logica, de Orthographia, de Muſica, de Aſtronomia, de arte Poetica, de ſparſione literarum de metris, de Arithmetica & Geometria, de Rhetorica: epiſtolarum ad diuerſos, quæ raro ſimul inueniuntur librum vnum: Prognoſticon de futuro ſeculo librum vnum. Edidit & alia multa, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit ſub Carolo Magno, anno Domini 780.

De Ioanne Scoto.

CAP. XXVII.

IOannes Scotus monachus in Anglia, auditor quondam venerabilis Bedæ preſbyteri, ſocius & collega Domini Alcuini iam dicti: vir in diuinis ſcripturis doctiſſimus, & in ſecularibus litteris magnifice inſtructus: ſcripſit non contenendę lectionis opuſcula, de quibus ad meam notitiam pauca peruenerunt: in euangelium Matth. lib. 4. de officiis humanis liber vnus, & multa alia. Claruit anno Domini 780. ſub Carolo.

De Claudio monacho.

CAP. XXVIII.

CLaudius monachus, & Bedæ quondam, vt fertur, diſcipulus, Albini que collega & ſocius, vir vndecunque doctiſſimus, Græco & Latino peritus eloquio: multa ſcripſiſſe dicitur, de quibus iſta potiora feruntur: in Geneſim, in Exodum, in Leuiticum, in Numeri, in Deuteronomium, in Ioſue, in Iudicum, in librum Ruth, in euangelium ſecundum Matthæum, & alia multa nobis incognita. Claruit anno Domini 800.

De Yſuardo monacho Gallo.

CAP. XXIX.

YSuardus monachus, natione Gallus, cœnobii, vt dicunt, Fuldenſis in finibus Francorum, auditor Albini abbatis, vir ſtudioſus, atque doctiſsimus: iuſſu Caroli Imperatoris ad imitationem Euſebii Cæſareenſis geſta & paſsiones ſanctorum martyrum, confeſſorum, virginumq; ſacrarum in vnũ volumen comportauit: quod opus Martyrologium Iſuardi vſque in hunc diem perſeuerat, & in multis eccleſiis religioſorum legitur. De cæteris, ſi qua compoſuit, nihil reperi. Claruit ſub eodem Carolo magno, anno Domini 780.

De Paulo Longobardo monacho

CAP. XXX.

PAulus Longobardus, monachus Caſſinenſis, natione Italus: ante conuerſionem

sionem suam Aquileiensis Diaconus & Desiderii regis Longobardorum familiaris secretarius fuit. Hunc Carolus Imperator cum Desiderio rege captiuum duxit in Galliam, eumq; propter ingenii acumen in honore maximo habuit, cuius doctrina & eloquentia plurimum delectabatur, qui tandem diuino spiritu afflatus, contempto seculo, Cassinense cœnobium ingreditur, & se habitu, moribusque monachum profitetur, qui cum vir doctissimus esset, scripsit multa volumina, de quibus subiecta ferun tur: Gesta Longobardorum lib. 6. ad Chronicam Eutropii abbatis rogatu Aldebergæ filiæ regis Desiderii edidit libros duos: de vita & miraculis S. Benedicti metricè lib. 1. gesta pontificum ecclesiæ Metensis lib. 1. de vita sancti Gregorii papæ Magni lib. 1. de vita & miraculis sancti Arnulphi episcopi Metensis lib. 1. iussu Caroli ordinauit historias & Legendas sanctorum ad vnamquanq; festiuitatem per annum pertinentes, hymnos quoque plures vario metro composuit, in quibus & ille Sapphicus de sancto Iohanne Baptista: Vt queant laxis, habetur. epistolas etiam ad diuersos, plures edidit, & alia nonnulla, quæ ad notitiam meam non venerũt. Sunt qui scribant eum de monasterio Cassinensi per Carolum propter doctrinam sapientiæ denuo in Galliam reuocatum fuisse, & multis conscriptis voluminibus, ibidem vsq; ad mortem in quodam cœnobio permansisse. Claruit sub eodem Carolo, anno Domini 790.

De Hincmaro archiepiscopo Rhemensi.

CAP. XXXI.

HIncmarus monachus sancti Dionysii Parisiensis, & Rhemensis ecclesiæ post archiepiscopus, vir tam in diuinis scripturis, quam in secularibus literis eruditissimus, ingenio subtilis, disertus eloquio, & ad persuadendum valde idoneus: scripsit nonnulla commendanda opuscula, de quibus ego tantum reperi subiecta: vitam sancti Remigii primi archiepiscopi Rhemorum lib. 1. epitomen eiusdem operis lib. 1. ad ecclesiam Rauennatensem sub persona Caroli Imperatoris, lib. 1. Alia, quæ scripsit, nobis incognita sunt. Claruit sub Carolo Magno anno Domini 790.

De Haymone episcopo Halberst.

CAP. XXXII.

HAymo monachus Fuldensis, deinde abbas Hirsfeldensis, postremo tertius episcopus Halberstadensis, Albini auditor, vir vndecunque doctissimus, ingenio acutus, eloquio compositus: non minus sanctitate vitæ, quam eruditione scripturarum venerabilis fuit. Scripsit multa præclara volumina, quæ apud veteres magnæ authoritatis erant, de quibus ego tantum reperi subiecta: De sancta Trinitate lib. 1. in Esaiam prophetam lib. 3. in Ieremiam prophetam lib. 1. in Ezechielem prophetam lib. 1. in Danielem prophetam lib. 1. in duodecim prophetas minores lib. 12. commentariorum in psalmos lib. 1. in Canticis canticorum lib. 1. in omnes epistolas Pauli apostoli lib. 14. in epistolas canonicas lib. 7. in Apocalypsin Ioannis lib. 1. de Christianarum rerum memoria lib. de varietate librorum lib. 3. homilias in Euangelia per circulum anni, duo magna volumina implentes, composuit. dicitur etiam scripsisse in quinque libros Moisi, & in totam Bibliam. puto quod commentarium eius in Genesim aliquando viderim. Nec te moueat, optime lector, si nomen eius in diuersis exemplaribus diuersimodè inuenias scriptum: quia etsi pro idiomatum varietate aliter apud Saxones, atque aliter apud nos appelletur, siue Haymo, Heumo vel Hemmo, vnus atque idem de quo loquimur. Moritur autem anno Domini 834. indictione duodecima, episcopatus sui anno 14. in maiori ecclesia sancti Stephani Halberstatensis, non sine sanctitatis opinione, sepultus.

De Adelmo episcopo.

CAP. XXXIII.

ADelmus abbas Maildubensis in Scotia, & postea episcopus occidentalium Saxonum sub Cantuariensi archiepiscopo vir deuotus & sanctus, atque in diuinis scripturis, secularibusque doctrinis valde eruditus, prosa & carmine valenter excellens: cum adhuc esset abbas, iubente synodo gentis suæ, scripsit aduersus errorem Britonum, quod vel Pascha suo tempore non celebrarent, vel alia plura agerent, paci & consuetudini Ecclesiæ contraria: quo volumine mul-

tos ad concordiam ecclesiasticæ vnitatis reduxit. Scripsit etiam insigne volumen de virginitate sanctorum metro lib. 2. & quasdam ad diuersos epistolas. Scripsit & alia nonnulla, testante Beda, in quinto, vtpote, vir vndecunque doctissimus, sermone nitidus, & scripturarũ liberalium diuinarumq; eruditione mirandus. Rexit episcopatum annos duntaxat quatuor. Claruit sub Pipino rege patre Caroli, anno Domini 700.

De Hilduino Abbate.

CAP. XXXIV.

HIlduinus Abbas sancti Dionysii Parisiensis, ad quem Rabanus Maurus, Fuldensis eo tempore abbas, edidit tractatus in libros Regum, vir in diuinis scripturis admodum eruditus, & in secularibus literis apprime instructus, ingenio subtilis, & disertus eloquio: fertur nonnulla scripsisse opuscula, in quibus se virum doctissimum ostendit: sed pauca eorum ad meam notitiam peruenerunt. Reperi enim tantum opus illud insigne, quod vtroque stylo, prosaico videlicet & metrico, ad Lodouicum Caroli Magni filium, composuit de vita sancti Dionysii Parisiensis, lib. 2. Claruit anno Domini 840.

De Vualafrido Abbate.

CAP. XXXV.

VValafridus Abbas sancti Galli, natione Teutonicus, vir in diuinis scripturis eruditus, & in secularibus literis valde peritus, rhetor magnificus, & poeta insignis, ac monasticæ disciplinæ gubernator quam strenuus: scripsit vitam sancti Galli prosaice lib. 1. eandem postea metrice lib. 1. de officiis diuinis lib. 1. & alia nonnulla adhuc nobis incognita.

De Vuandelberto monacho.

CAP. XXXVI.

VVandelbertus diaconus & monachus Prumiensis cœnobii in diœcesi Treuerensi, natione Teutonicus, vir in diuinis scripturis doctus, & in secularibus literis valde peritus, rhetor & poeta insignis, sermone clarus & nitidus: scripsit iussu Marckuuardi abbatis, vitam & miracula sancti Goaris confessoris lib. 1. ad eundem de miraculis eiusdem, suo tempore ostensis, lib. 1. Scripsit etiam metrice martyrologion totius anni lib. 1. & alia plura, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit sub Lothario imperatore, anno Domini 854.

De Freculfo episcopo.

CAP. XXXVII.

FReculfus monachus quondam Fuldensis, & exinde episcopus Lexouiensis sub Rothomagensi archiepiscopo, ad quem Rabanus quatuor libros in Genesim scripsit: vir studiosus & doctus, & non minus religione, quam scientia, mirandus: scripsit opus valde egregium ad Helisacharum, à conditione mundi vsq; ad natiuitatem Domini in libris septem, vbi historiæ difficiles interserit quæstiones scripturarum. Epistolas etiam non abiiciendas composuit, & quædam alia nobis incognita. Claruit anno Domini 840.

De Ratbodo episcopo.

CAP. XXXVIII.

RAtbodus episcopus Traiectensis, habitu & conuersatione monachus in episcopatu, vir doctus & sanctus, prædicator egregius, ingenio subtilis, & clarus eloquio: scripsit inter cætera ingenii sui opuscula, vitam quorundam sanctorum, item sermones & homilias non inutiles: de sancta Amalberga virgine tomos etiam duos, & quædam alia nobis incognita. Eius autem memoria inter sanctos relata est.

De Rabano Mauro archiepisc.

CAP. XXXIX.

RAbanus Maurus Magnentius, ex abbate Fuldensi sextus archiepiscopus Moguntinus, natione Teutonicus ex finibus Francorum in sylua, quæ Buchonia nuncupatur, distans à Moguntia milliarib. ferme quindecim versus Thuringiam, Albini quõdam auditor atq; discipulus: vir in diuinis scripturis eruditissimus, & in omni doctrina secularium literarum valde peritus, philosophus & poeta nulli suo tempore inferior: cum adhuc puer esset, cœnobio Fuldensi à parentib⁹ traditur, in quo adeo studendo profecit, vt Alemania doctorem similem non haberet. Deinde succedentibus doctrinæ meritis, in abbatem omnium assensu

mona-

monachorum præfati cœnobii eligitur, & in illo officio 24. annis præsidens, monasticam disciplinam strenue gubernauit. Scripsit autem multa volumina, de quibus ego tantum reperi subiecta: ad Frecolfum episcopum Lexouiensem, in Genesim lib. 4. in Exodum lib. 4. in Leuiticum lib. 4. in Numeros lib. 4. in Deuteronomium lib. 4. in Iosue lib. 2. in Iudicum lib. 2. in Ruth lib. 1. ad Hildeuuinum abbatem in Regum lib. 4. in Paralipomenon lib. 4. in Esdram & Neemiam lib. 3. in Tobiam lib. 1. in Iudith lib. 7. in Hester lib. 1. in Iob. lib: 1. in Psalmos lib. 1. in Prouerbia Salomonis lib. 1. in Ecclesiasten lib. 1. in Cantica canticorum lib. 1. in librum Sapientiæ lib. 3. in Ecclesiasticum lib. 10. in Esaiam Prophetam lib. 8. in Ieremiam prophetam lib. 20. in Ezechielem lib. 20. in Danielem lib. 3. in duodecim prophetas minores lib. 12. in Machabæorum lib. 3. in Euangelium secundum Matthæum lib. 8. in Euangelium secundum Marcum lib. 3. in Euangelium Lucæ lib. 4. in Euangelium Ioannis lib. 1. in epistolas Pauli lib. 20. in Actus apostolorum lib. 1. in epistolas canonicas lib. 7. in Apocalypsin Ioannis lib. 1. Cum adhuc monachus esset annos natus triginta, scripsit opus admiratione dignum mirabili poemate de laude sanctę crucis lib. 2. quorum primus metro, secundus prosa compositus est: quos postea sancto Petro per manus Sergii papæ obtulit. Scripsit ad Haymonem episcopum Halberstadensem, etymologiarũ seu de vniuerso, lib. 22. de vniuersali natura lib. 1. ad Haistulphum quartum Moguntinum archiepiscopum, de institutione clericorum lib. 3. ad Heribertum episcopum de quæstionibus canonum lib. 1. ad Regenbaldum de eadem re lib. 1. de benedictionibus patriarcharum lib. 1. de officiis diuinis lib. 1. de computo ecclesiastico satis vtilem lib. 1. ad Lodouicum regem lib. 1. epistolarũ ad diuersos lib. 1. sermones etiam & homilias scripsit pene innumerabiles. Vidi ego in bibliotheca Fuldensis cœnobii alios complures libros Rabani, maxime in artibus liberalibus: quorum titulos iam à memoria tulit obliuio. Nam inter omnes Alemaniæ Italiæque doctores nullus Rabanum scribendo, & numero & vtilitate librorum, excesit. Multa enim volumina scripsit, quæ nos hic minime signauimus. Fuit enim vir studiosissimus, qui semper intentus erat lectioni, multosque discipulos doctissimos habuit. In abbatia Fuldensi à sancto Sturmo primo abbate quartus fuit, in archiepiscopatu Moguntino sextus. Rexit autem episcopatum annis octo, vir in pauperes misericordissimus, qui eis tempore famis magnam pietatem exhibuit, & omnes large sustentauit. Hic habita synodo apud Moguntiam, multa ad vtilitatem fidelium constituit. Moritur anno Domini 855. indictione tertia.]

De Theodulpho episcopo.

CAP. XL.

THeodulphus ex abbate Floriacensis monasterii episcopus Aurelianensis, vir doctrina & sanctitate venerabilis: fertur nonnulla cudisse opuscula, sed nullum eorum ad manus meas memini peruenisse. Hic nescio ob quam suspicionem à Lodouico imperatore in carcerem coniectus, notissimum hymnum illum: Gloria, laus, dulci melodia compo- suit: quem cum in die Palmarum, transeunte imperatore iuxta carcerem, alta voce ceciniisset, eius dulcedine placatus, è carcere statim dimisit. Hinc consuetudo ecclesiæ laudabilis inoleuit, vt in die Palmarum hymnus idem quotannis cantaretur. Claruit non sine opinione sanctitatis anno Domini 840.

De Strabo monacho Fuldensi.

CAP. XLI.

STrabus monachus Fuldensis, natione Teutonicus, Rabani Mauri abbatis quondam discipulus, & scriba necessarius, vir vndecunque nobiliter eruditus, qui diuinas scripturas optime didicerat, bono explanante magistro: scripsit non contemnendę lectionis opuscula. de quibus ista feruntur: in Genesim, in Exodũ, in Leuiticum, & in multos Bibliæ libros. Hic fertur glosam ordinariam super totam Bibliam comportasse de scriptis & opusculis antiquorum patrũ, opus tantæ vtilitatis, vt omnem procul excedat laudem, Strabus iste, vt diximus, Rabani discipulus erat & scriba: qui opuscula eius de schedis ad mundum scribebat: quo docente, vir & ipse doctissimus euasit. Claruit anno Domini 840.

De Angelomo monacho.
CAP. XLII.

ANgelomus monachus Luxouiensis, in exponendis scripturis diuinis vir alti & excellentis ingenii, non minus in secularibus quam in diuinis literis eruditus: scripsit plura egregia volumina, de quibus ad manus nostras pauca peruenerunt. Iussu & rogatu Drogonis episcopi Metensis nostri ordinis, filii Caroli imperatoris magni, scripsit in libros Regum, commentariorum libros quatuor, quibus nunquam legi simile opus, ita subtile, ita mysticum, ita deniq; in omnibus conueniens ad propositum. Scripsit etiam ad Lodouicum imperatorem fratrem Drogonis in Cantica canticorum lib. 1. de officiis quoq; diuinis lib. 1. Claruit sub Lodouico Caroli filio, anno Domini 840.

De Amulario Fortunato archiepiscopo.
CAP. XLIII.

AMularius monachus Luxouiensis, ac postea Treuerorum archiepiscopus, in scripturis sanctis valde eruditus, & in secularib. literis ad plenum instructus, vita & moribus venerandus: tantæ sapientiæ & eloquentiæ fuit, vt missus à Carolo Constantinopolim ad Michaelem Imperatorem, pacē inter eos omnino componeret. Fertur nonnulla plena eruditionis cudisse opuscula, de quibus ista feruntur: de officiis ecclesiasticis lib. 1. scripsit de eadem re latius postea ad Lodouicum Caroli filium, lib. 4. de mysterio quoque Missæ lib. 1. Si quid amplius edidit, ad notitiam meam non peruenit. Claruit sub Carolo Magno, & Lodouico eius filio, anno Domini 830.

De Floro monacho sancti Trudonis.
CAP. XLIV.

FLorus monachus sancti Trudonis Leodiensis diœcesis, vir in diuinis scripturis studiosissimus, & satis eruditus, librorum sancti Augustini amator præcipuus, de quibus sententias suo congruentes proposito collegit. omnes epistolas beati Pauli Apostoli ita magnifice exposuit, vt Augustini opus in toto videatur. Nihil enim de suo inseruit. Alia quoque nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt.

De Ansegiso archiepiscopo.
CAP. XLV.

ANsegisus abbas Lobiensis, & postea Senonensis archiepiscopus: vir vndecunq; peritus, & regum sui temporis necessarius amicus: ingenio subtilis, & cautus eloquio; scripsit ad communem ecclesiæ vtilitatem non spernēdæ lectionis opuscula, de quibus ego duntaxat legi subiecta: edicta Caroli Magni Imperatoris, ad ecclesiasticam legem pertinentia, digessit in lib. 2. eiusdem edicta, ad mundanam legem pertinentia, in lib. 2. edicta Lodouici filii eius ecclesiastica, lib. 2. eiusdem statuta ciuilia, lib. 2, De aliis opusculis eius adhuc nihil vidi. Claruit anno Domini 840.

De Ioanne Abbate Vercellensi.
CAP. XLVI.

IOannes Erigena abbas Vercellensis, natione Scotus, vir excellentis ingenii, Græca & Latina eruditus lingua, iubente Carolo Lodouici Imperatoris filio, fratre Lotharii Imperatoris, libros beati Dionysii Areopagitæ de Græco in latinum transtulit, quos etiam suis commētariis primus explanauit. Scripsit etiam de naturæ diuisione lib. 1. & alia nonnulla, quæ ad manus nostras non venerunt. Claruit sub Lothario Imperatore, & Lodouico & Carolo fratribus eius regibus, anno Domini 850.

De Milone monacho.
CAP. XLVII.

MIlo monachus sancti Amandi, vir tam in diuinis scripturis, quam in secularibus literis eruditissimus: apud Carolum magno habitus in precio, scientiæ suæ opinionem in remotas etiam regiones diffudit. Fuit enim ingenio subtilis, eloquio discretus, musicus, rhetor, & poeta insignis: qui carmine excellens, & prosa non contemnenda descripsit opuscula: ad Carolum Caluum de sobrietate lib. 1. de musica lib. 1. vitam sancti Amandi metrice, lib. 1. & quædam alia nobis incognita. Claruit anno Domini 880.

De Bertranno monacho.
CAP. XLVIII.

BErtrannus monachus, in diuinis scripturis studiosus, & eruditus, atque in se-

in secularibus literis nobiliter instructus: scripsit non paruipendendæ lectionis opuscula, quibus suum magnifice exercitauit ingenium, è quibus ego tantum reperi de corpore & sanguine Domini lib. 1. ad Carolum de prædestinatione lib. 1. Claruit anno Domini 870.

De Hucbaldo monacho.

CAP. XLIX.

HVcbaldus monachus sancti Amandi cœnobii Elnonensis, peritia liberalium artium ita insignis, vt antiquis philosophis haberetur æqualis, musicus & poeta egregius, ingenio valde subtilis: scripsit tam metro, quam prosa, multa præclara opuscula, de quibus ego tantum reperi subiecta: gesta sancti Lebuini lib. 1. de musica lib. 1. ad Carolum Caluum Imperatorem scripsit librum trecentorum versuum, in laudem caluorũ, satis mirando poemate, cuius omnia verba incipiunt ab vna litera, id est, c: vt, Carmina clarisonæ caluis cantate Camœnæ. Scripsit etiam vitam multorum sanctorum, cantusque varios dulci ac regulari melodia composuit, epistolas etiam edidit non nullas ad diuersos, & quędam alia nobis incognita. Claruit sub Carolo Caluo, anno Domini 880.

De Almanno monacho.

CAP. L.

ALmannus monachus Altuillarensis, in scripturis sanctis admodum eruditus, & in secularibus doctrinis sufficienter instructus, ingenio clarus, & comptus eloquio, rhetor & poeta insignis: scripsit non abiiciendæ vtilitatis opuscula, de quibus pauca reperi: vitam sancti Vinardi archiepiscopi Rhemensis lib. 1. vitam sancti Sindulphi lib. 1. vitam sanctæ Helenæ reginæ lib. 1. de translatione corporis eiusdem ad cœnobium Altuillarense lib. 1. & quia suo tempore Francia vastabatur à Nortmannis, exemplo Ieremiæ prophetæ, desolationem Franciæ & sui monasterii quadruplici deplanxit alphabeto, lib. 1. Alia quoq; nonnulla scripsisse dicitur, quæ ad notitiã meam non venerunt. Claruit anno Domini 890.

De Adrealdo monacho.

CAP. LI.

ADrealdus, qui & Adelbertus monachus Floriacensis, vir doctus, & suo tempore celeberrimę opinionis, scripsit nonnulla opuscula, in quibus abundantem ingenii sui venam ostendit, de quibus tamen ad meam notitiam nihil peruenit. Extat liber vnus, quem scripsisse dicitur, de miraculis sancti patris nostri Benedicti, ab eo tempore, quo corpus eius translatum est ad Floriacense monasterium, per Galliam ostensis. Et nota, quod Gallici corpus eiusdem sanctissimi patris de monte Casino ad se per manus Aigulphi monachi dicunt esse translatum, & in Floriacẽsi monasterio reconditum, quod multis & innumeris conantur probare miraculis. At contra negant Itali, seque corpus eius & habere, & semper habuisse contendunt, non minus testimonium miraculorum producentes. Quibus sic certantibus, iuxta quod dicit Horatius, *adhuc quod sub iudice lis est*: nisi quod quidam Romanus Pontifex à monachis Casinensibus interpellatus, inhibuit, ne quisquam translatum corpus Benedicti aliquando fuisse audeat asserere, & hac de causa non translationis, sed commemorationis illius festum quinto Iduum Iulii celebratur. Claruit anno Domini 900.

Vide Ligunum vitæ, p. 2. pag. 221.

De Remigio monacho Antisiodorensi.

CAP. LII.

REmigius monachus Antisiodorensis, & postea, vt fertur, episcopus: vir in diuinis scripturis eruditus, & in secularibus literis omnium opinione suo tempore peritissimus: scripsit multa in secularibus scripturis, veteres exponendo authores, atque in diuinis literis non pauca volumina fecit, in Cantica canticorum lib. 1. in canonem Missæ lib. 1. de diuinis officiis lib. 1. de singulis festiuitatibus sanctorum lib. 1. ad episcopum Eduorum de duabus quæstionibus lib. 1. super Donatum quoque lib. 1. & alia multa, quæ ad notitiam meam non venerunt. Hic fuit præceptor domini Odonis postea Cluniacensis abbatis, & multorum insignium virorum, quos in omni scientia seculari & diuina instituit. Claruit anno Dom. 980. sub Carolo Caluo.

De Odone Cluniacensi.

CAP. LIII.

ODo abbas Cluniacensis, Remigii Antisiodorensis quondam auditor

& discipulus, vir in diuinis & secularibus literis eruditus, musicus excellens, morumque sanctitate insignis, ex archicantore Turonensi monachus Cluniacensis factus, post Bernonem Abbas omnium consensu electus, doctrina & sanctitate venerabilis fuit. Scripsit autem magnæ vtiliratis opuscula, de quibus pauca ad notitiam meam peruenerunt: Chronicon breue de temporibus lib. 1. vitam quoque sancti Geraldi lib. 1. de laudibus S. Martini Turonensis lib. 1. sermones & homilias plures & elegantes composuisse dicitur. hymnos quoque & cantus in honorem sanctorum varios edidit. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 900.

De Reginone abbate Prumiensi
CAP. LIV.

REgina abbas Prumiensis cœnobii in diœcesi Treuerensi, natione Teutonicus, vir in diuinis scripturis eruditus, & secularium literarum non ignarus, historiographus & iurista insignis, qui suo tempore inter Alemanos doctor famosus habebatur: scripsit iussu Ratbodi archiepiscopi Treuirorum, de disciplina ecclesiastica & religione Christiana decretorum libros duos, nongenta capitula habentes. ad Adelberonem episcopum Metensem scripsit chronicam temporum continentem præcipue gesta Francorum & Alemanorum à natiuitate Christi vsque ad annum eiusdem 908. & quædum alia, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit sub Arnoldo siue Arnulpho, anno Domini 900.

De Paschasio abbate Corbeiensi.
CAP. LV.

PAschasius Ratbertus abbas Corbeiensis, vir vndecunque doctissimus, Græco & Latino ad plenum eruditus eloquio, theologus & philosophus suo tempore omnium laude celeberrimus, ingenio subtilis, scientia profundus, sermone disertus: edidit non spernendæ authoritatis opuscula, de quibus ego tantum reperi subiecta: ad Placidum abbatem de sacramento altaris lib. 1. vitam sancti Adelhardi lib. 1. in threnos Ieremiæ prophetæ lib. 1. vitam etiam quorundam patrum de Græco transtulit in Latinum: & alia scripsit pleraque, adhuc nobis incognita.

De Erico monacho.
CAP LVI.

ERicus monachus, cuius nomen cœnobii non inueni, quanuis diu quæsierim, (volunt tamen aliqui, quod fuerit Antisiodorensis) vir quidem in scripturis diuinis eruditus, veterum lectione diues, & secularium literarum non ignarus, carmine excellens & prosa, declamator egregius fuit. Scripsit metrico stylo volumen insigne de vita & virtutibus sancti Germani Antisiodorensis episcopi lib. 1. homilias etiam diuersosque sermones composuit, qui à multis habentur. alia quoq; multa scripsisse dicitur, quę ad notitiam meam non venerunt.

De Ratherio episcopo Veronensi.
CAP. LVII.

RAtherius monachus Lobiensis, & episcopus Veronensis, vir miræ simplicitatis, sed magnæ literaturæ: ab episcopatu bis pellitur, eo quod Bauaris fauere videretur, totiesque restitutus, tandem episcopus Leodiensis factus, & etiam inde repulsus: scripsit varia syntagmata, de quibus ista feruntur: Contra anthropomorphitas lib. 1. agonisticon seu præloquiorum lib. 6. confessionum lib. 1. Cum ab episcopatu Veronensi pelleretur, scripsit librum, in quo faceta satis vrbanitate deplorat ærumnas suas, multa causæ suæ interserens, quæ legentibus placere valeant, & prodesse. Cum pulsatus iniuriis etiam à Leodiensi pontificatu pelleretur, scripsit librum, quem prænotauit phrenesim. scripsit alium, cuius titulus est: in efficax, vt sibi videbatur, garritus, de corpore & sanguine Domini, & de prædestinatione scripsit lib. 2. vitam quoque sancti Vrsmari Lobiensis episcopi lib. 1. & alia, quæ non vidi. Moritur apud cœnobium Lobiense anno Domini 974. indictione secunda, ibidem sepultus.

De Amonio monacho.
CAP. LVIII.

AMonius monachus Floriacensis, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, & secularium literarum non ignarus: exemplo Adrealdi prouocatus, historiam miraculorum S. Benedicti, vbi ille dimiserat, continuauit, adiiciens plura in Floriaco, & per Galliam facta, vsque ad tem-

ad tempora Roberti regis doctissimi Frãcorum. Alia, quæ scripsit, ad notitiã meã non venerunt. Claruit sub eodem rege Roberto, anno 980.

De Ruperto abbate Cassinensi.

CAP. LIX.

RVpertus abbas Cassinensis monasterii, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, ingenio & eloquio clarus, vita & morũ honestate spectabilis, ac regularis disciplinæ amator zelosus: scripsit ad vtilitatem fratrum suorum satis elegantes sermones, qui illo tempore studiose legebantur. Alia quoq; nonnulla edidit, sed ad manus nostras adhuc minimè venerunt.

De Volquino Lobiensi abbate.

CAP. LX.

VOlquinus abbas Lobiensis, in diuinis scripturis valde studiosus & doctus, secularis quoq; eruditionis non ignarus, ingenio promptus, & clarus eloquio, temporum cognitor insignis: scripsit, perentibus fratribus, gesta Lobiensium abbatum, in quo volumine per digressionem multa inseruit, quę legentibus iucũda sint & vtilia. Sermones quoq; & homilias plures edidit, in quibus abundantem ingenii sui venam ostendit: & alia, quæ ad me non venerunt.

De VVindichino monacho.

CAP. LXI.

VVindichinus monachus Corbeiensis in Soxonia, natione Teutonicus, vir doctus & eloquens, in secularibus literis valde peritus, & suo tempore doctor famosus: scripsit nonnulla præclara opuscula, de quibus extant subiecta: historia Saxonum vsq; ad mortem Ottonis primi lib. 3. vitam Pauli primi eremitę alterno stylo descripsit lib. 1. passionem S. Teclæ virginis metrice lib. 1. scripsit etiam vitam & gesta Ottonis imperatoris primi ad filiam eius lib. 1. alia quoq; multa edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Huius rempore floruerunt multi doctissimi viri in Alemania nostri ordinis, in cœnobiis præcipue Corbeiensi, Fuldensi, Herfsfeldensi, cæteriſq; : sed paucorum scripta ad notitiam meam peruenerunt. Claruit autem Windichinus, alias Windichildus, temporibus Ottonis imperatoris secundi, anno Domini 970.

De Albone Floriacensi abbate.

CAP. LXII.

ALbo Floriacensis monasterii abbas, vir sanctæ conuersationis, & regularis disciplinæ zelosus amator, in diuinis scripturis doctus, & secularium literarum non ignarus: reliquit ingenii sui monimenta complura: quæ tamen ad manus nostras non venerunt. Extat eius tantum apud nos commentarium super calculo Victorij lib. 1. de cæteris, quæ scripsit, nihil vsquam reperi. Hic beatissimus vir post multos tandem prædicandi labores, in Vasconia pro fide Christi martyrio rubricatus, penetrauit cælestia regna. Claruit sub Ottone secundo, anno Domini 970.

De Herigero abbate.

CAP. LXIII.

HErigerus abbas Lobiensis, (cuius meminit Berno Augiensis in lib. de aduentu Domini ad Aribonem archiepiscopum Moguntinum) vir suo tempore famosus, & vndecunq; doctissimus, tam in diuinis, quam in secularibus studiis eruditus, non solum apud Gallos in præcio habitus, sed etiam apud Romanos, Italos, & Germanos excellentis opinionis: scripsit multa præclara volumina, de quibus ista feruntur: Gesta pontificum Leodiensium lib. 1. vita sancti Vrsmari episcopi Lobiensis metrice, lib. 1. scripsit dialogum sub persona sui, & Adelboldi episcopi de dissonantia ecclesiæ: de aduentu Domini lib. 1. quem ad eundem Adelboldum tunc Romæ commorantem misit, ad Hugonem de quibusdam quæstionibus lib. 1. de diuinis officiis lib. 1. congessit etiam contra Ratherium multa catholicorum patrum scripta, de corpore & sanguine Domini. alia quoq; multa edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit sub Ottone secundo, anno Domini 970.

De Adelboldo episcopo.

CAP. LXIV.

ADelboldus monachus Lobiensis, & Traiectensis postmodum episcopus, ad quem Herigerus de aduentu Domini conscripsit dialogum, vir in diuinis

scripturis eruditissimus, & in seculari doctrina multum peritus, ingenio cautus, sermone compositus, vita & conuersatione deuotus: fertur plura scripsisse opuscula, de quibus ego tantum reperi subiecta: vitam sancti Henrici Imperatoris secundi, lib. 1. vel, vt alii volunt, primi: quia Ottonis filium quidam inter imperatores non ponunt, eo, quod coronam Imp. de manu Papæ non susceperit. scripsit etiam de laude S. Crucis: & in laudibus sanctæ Mariæ metro & prosa varia composuit, aliaq; complura, quæ ad manus nostras non venerunt. Claruit eiusdem Henrici temporibus, anno Domini centesimo.

De Radulpho monacho.

CAP. LXV.

RAdulphus Flauiacensis, monachus Fuldensis, (vt plures volunt) vir tantæ doctrinæ & sapientiæ, vt in tota Alemania, Italia, Galliaq; suo tempore similem non haberet, in diuinis scripturis eruditissimus, philosophus nulli secundus, qui velut alter Augustinus, omnib. eum quæstionibus interrogantibus, copiosissime respondebat: scripsit multa præclara volumina, de quibus ego tantum reperi subiecta: in Leuiticum lib. 20. in epistolas Pauli lib. 14. addidit ad Chronicam Eusebii vsq; ad sua tempora lib. 1. historiam quoq; de gestis Francorum & Alemanorum lib. 1. Fertur autem in multos Bibliæ libros commentarios edidisse, & sermones, alioſq; diuersos tractatus, & epistolas, sed in manus nostras non venerunt.

De Osberto monacho.

CAP. LXVI.

OSbertus monachus Cantuarienſis, vir in omni literatura seculari peritus, & in diuinis scripturis admodum studiosus, musicus & rhetor insignis: reliquit ingenii sui monimenta clarissima, de quibus ego tantum reperi vitam sancti Dunstani archiepiscopi lib. 1. de musica lib. 1. cātus etiam dulci melodia composuit, alioſque diuersos tractatus, quos necdum vidi. Claruit temporibus sancti Henrici Imperatoris, anno Domini 1020.

De Christiano monacho.

CAP. LXVII.

CHristianus, qui & Druthmarus, mōnachus & presbyter, veniens ab Aquitania in Galliam, in monasterio Corbeiensi aliquanto tempore moratus, vir doctus in scripturis diuinis, Græco & Latino eruditus sermone: scripsit non spernendæ lectionis opuscula, de quibus ego tantum legi volumen insigne, quod rogantibus fratribus aperto sermone composuit, in Euangelium Matthæi lib. 1. Fertur etiam in alios Euangelistas scripsisse, quemadmodum in prologo primi voluminis promisit, sed in manus nostras minime peruenerunt.

De Flaualdo monacho.

CAP. LXVIII.

FLaualdus monachus Rhemensis, in scripturis diuinis eruditus, & in secularibus literis magnifice peritus, ingenio subtilis, & disertus eloquio: edidit non contemnendæ lectionis opuscula, quibus nomen suum cum gloria transmisit ad posteros. Scripsit autem gesta Remensium pontificum, orditus narrationem suam à conditione eiusdem ciuitatis, in quo quidem opere multa de sanctis martyribus, aliisq; rebus commemorat, quæ studiosis lectoribus iucunda sunt. Vitam quoq; plurium sanctorum, & passiones martyrum claro descripsit eloquio, & pleraq; alia, quæ ad notitiam meam non venerunt.

De Notgero episcopo Leodiensi.

CAP. LXIX.

NOtgerus abbas S. Galli, & Leodiensis postmodum episcopus, natione Teutonicus, vir in diuinis scripturis valde eruditus, & in secularibus literis suo tempore omnium fama peritissimus: scripsit tam metro, quam prosa, multa præclara opuscula, quibus lepor dicendi, subtileq; ingenium ostenditur, sed pauca eorum ad notitiam meam peruenerunt: de musicis notis, & symphoniarum modis lib. 1. ad Salomonem discipulum suum, Constantiensem postea episcopum, de expositoribus sacræ scripturæ lib. 1. sequentiarum per totum annum lib. 1. quas Nicolaus papa confirmauit, & in ecclesia cantari permisit. Scripsit etiam hymnos, cantus, carmina, epistolas,

ſtolas, ſermones, diuerſoſq; tractatus, qui ad manus meas non venerũt. Claruit autem anno Domini 970.

De Conſtantino monacho.

CAP. LXX.

CONſtantinus monachus Cãſſinenſis, vir in ſecularibus literis eruditiſſimꝰ, medicus & philoſophus inſignis, Græco, Latino, & Arabico ad plenum imbutus eloquio: cuius præclara opuſcula vſq; in hodiernum diem apud medicos magnæ authoritatis ſunt: multa ſcripſit, multa de Græco & Arabico in latinum tranſtulit, quæ profeſſoribus medicinæ artis non reor incognita. Ego enim de omnibus, quæ ſcripſit, pauca vidi, ſcilicet, de dietis vniuerſalibus lib. 5. de dietis particularibus lib. 3. de ponderibus lib. 1. De cæteris, quæ ſcripſit, nihil me vidiſſe memini. In præfatione illius libri, quem de vrinis ex Arabico tranſtulit, ſe monachum Caſſinenſis cœnobii fuiſſe fatetur: & alibi pluries.

De Alberto Gemblacenſi.

CAP. LXXI.

ALbertus monachus Lobienſis, & exinde abbas Gemblacenſis: vir in diuinis ſcripturis valde eruditus, & ſecularis doctrinæ non ignarus, regulariſq; diſciplinæ zelator ſtrenuus: ſcripſit vitam multorum ſanctorum ſatis ornato eloquio, cantus quoq; varios & dulces in ſanctorum honorem compoſuit, quibus adhuc multi in diuino officio vtuntur, alia quoq; nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Huius diſcipulus fuit Burckhardus epiſcopus Wormatienſis. qui decretum poſt Iſidorum compoſuit. Claruit anno Domini 1000.

De Bertario Caſſinenſi.

CAP. LXXII.

BErtorius abbas Caſſinenſis, in diuinis ſcripturis exercitatum habens ingenium, in ſecularibus doctrinis multum eruditus, philoſophus ac medicus famoſus: multa compoſuiſſe fertur opuſcula, quæ venam abundantis ingenii oſtendant, è quibus extant præclari ſermones ad fratres lib. 1. In medicinis, aliiſque materiis quædam ſcripſiſſe dicitur, quæ ad me non venerunt.

De Burckhardo epiſcopo VVormatienſi.

CAP. LXXIII.

BVrckhardus monachus Lobienſis, deinde Wormatienſis epiſcopus, diſcipulus quondam Alberti abbatis Gemblacenſis, cum adhuc ambo morarentur apud Lobias, magnum diuinis literis impendit ſtudium, vnde & doctor magnus euaſit. Scripſit decretum poſt Iſidorum ex ſententiis patrum lib. 20. epiſtolas etiam plures ad diuerſos: & quædam alia quæ non vidi. Huius viri mentionem facit Gratianus 73. diſtinctione, In nomine Domini. Claruit anno Domini 1010.

De Guidone monacho.

CAP. LXXIIII.

GVido Aretinus monachus cœnobii de cruce ſancti Leufredi, vir doctus, & eloquens, muſicorum magiſter inſignis, in hoc merito præferendus omnib. quod ignotos cantus etiam pueri & puellæ facilius diſcunt per eius regulam, quam per vocem magiſtri, vel alicuius inſtrumenti dummodo ſex literis, vel ſyllabis modulatim appoſitis ad ſex voces, quas ſola muſica recipit: hisq; vocibus per iuncturas digitorum ſiniſtræ manus diſtinctis, per integrum diapaſon ſe oculis auribuſq; ingerunt intentæ vel remiſſæ eleuationes vel depoſitiones earundem vocum. Scripſit ergo de muſica lib. 1. de corpore & ſanguine Domini librum vnum: & quædam alia, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit ſub Henrico ſancto Imperatore, anno Domini 1020.

De Odilone Cluniacenſi.

CAP. LXXV.

ODilo abbas Cluniacenſis, vir doctus, & ſanctus, multis & in vita, & poſt mortem coruſcãs miraculis, fertur multos egregios ad fratres ſermones edidiſſe, quos ſalutis ſuæ amatores illo tempore ſtudioſe legebant: ſi quid amplius edidit, ad notitiam meam non peruenit. Huius vitam Petrus Damiani claro deſcripſit eloquio. Moritur anno Domini 1048. indictione prima, ætatis ſuæ 87, abbatiæ autem, 56.

De

De Helperico monacho.
CAP. LXXVI.

HElpericus monachus sancti Galli, natione Teutonicus, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, & in secularibus literis nobiliter doctus, philosophus, musicus, astronomus, & calculator insignis: scripsit multa præclara (vt ferunt) opuscula, de quibus ego tãtum legi de computo & arte calculatoria opus commendatissimum lib. 1. de musica lib. 1. Cætera, quæ scripsit, nondum potui inuenire. Claruit anno Domini 1020.

De Bernone abbate Augiensi.
CAP. LXXVII.

BErno Abbas Augiensis cœnobii, natione Teutonicus, vir doctus, & regularis disciplinæ custos insignis, sanctarumq; scripturarum studiosissimus interpres, ingenio profundus, sermone disertus, propter ingentem doctrinam suo tẽpore in magno precio habitus, scripsit multa præclãra opuscula, è quibus ad me pauca venerunt: ad Aribonem archiepiscopum Moguntinum de aduentu Domini lib. 1. dialogum de ieiunio sabbati lib. 1. de officio Missæ lib. 1. de ieiunio quatuor temporum lib. 1. de musica & regulis symphoniarum lib. 1. scripsit etiam librum de mensurando monochordo vltra regulam Boethij & Guidonis, supponens vnum tonum tetrachordo hypaton, & contra vsum Maiorum in ipso vtiliter inseruit synemeticon. Alia quoq; multa edidit, quæ ad manus nostras non venerunt. Claruit anno Domini 1020.

De Alberto monacho Metensi.
CAP. LXXVIII.

ALbertus monachus Metensis, tam in diuinis, quam in secularibus scripturis eruditus, historiarum transacti temporis cognitor insignis, scripsit ad episcopum Metensem, breuem quidem, sed vtilem temporum chronicam lib. 1. Alia etiam nonnulla edidit, quæ ad manus nostras minime venerunt.

De Adam Abbate Persenna.
CAP. LXXIX.

ADam Abbas de Persenna, in sacris scripturis studiosus & doctus, non minus conuersatione quam scientia venerabilis, scripsit ad ædificationem fratrum suorum vtiles sermones, qui monachorum instructioni deseruiunt. Epistolas etiam plures ad diuersos. Et pleraque alia, quæ ad notitiam meam non venerunt.

De Guimundo episcopo.
CAP. LXXX.

GVimundus monachus cœnobii (vt quidam existimant) sancti Leufredi, Auersanus postmodum episcopus, vir doctus & eloquens, tam in diuinis scripturis quam in secularibus literis eruditus, suo tempore magnæ opinionis & authoritatis: scripsit tres libros dialogorum sub persona sui & Rogerii monachi, de corpore & sanguine Domini, contra Berengarii errorem Andegauensis diaconi, opus sane dignissimum, & omni studio legendum. Alia quoque nonnulla composuisse dicitur, sed ad manus nostras non venerunt. Claruit sub Henrico tertio, anno Domini millesimo quadragesimo.

De Rogerio monacho.
CAP. LXXXI.

ROgerius monachus, ad quem Guimundus episcopus Auersanus tres libros de corpore & sanguine Domini scripsit, vir studiosus & doctus, ingenio admodum subtilis, & cautus eloquio: scripsit ad ædificationem fidelium, vitã S. Brunonis Colonienſis archiepiscopi, qui fuit dux & frater Ottonis imperatoris. Alia quoq; nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit sub Henrico III. anno Domini millesimo quadragesimo.

De Erhardo monacho.
CAP. LXXXII.

ERhardus monachus, cuius cœnobii nomen non occurrit, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, ingenio subtilis, sermone, disertus, in componendis ac declamandis homiliis excellentis peritiæ fuit. Scripsit valde notabiliter in Genesim, in Exodum, in Leuiticum, in Numeros, in Deuteronomium, Homilias in Euangeliis ex tempore multas declarauit. In alios Bibliæ plerosque libros commentarios edidit, diuersosq; tractatus, qui ad me non venerunt.

De

De Smaragdo abbate.

CAP. LXXXIII.

SMaragdus abbas sancti Michaelis, in diuinis scripturis valde studiosus & doctus, ingenio promptus, & clarus eloquio, non minus honestate morum & regularis disciplinæ ornatu, quam studio venerandus, multa præclara volumina scripsit. Exposuit enim Donatum Maiorem commentario perpulchro: & multa in secularibus literis explicuit. Scripsit etiam super Psalterio librum vnum. In quatuor Euangelistas lib. 4. Euangelia etiam & epistolas per totum annum exposuit. In regulam sancti patris nostri Benedicti librum vnum. In epistolas Pauli libros quatuordecim. Collegit de virtutibus & vitiis opus non contemnendæ lectionis, quod diadema monachorum appellauit, librum vnum. Alia etiam multa composuit, quæ ad manus nostras minime venerunt.

De Hermanno monacho.

CAP. LXXXIV.

HErmannus monachus, qui dicebatur Contractus, natione Teutonicus, filius (vt tradunt) Comitis de Veringen, vir in omni literatura seculari peritissimus, philosophus, astronomus, musicus & poeta celeberrimus, ingenio subtilissimus, ore facundissimus, Græco & Arabico instructus eloquio: multa volumina composuit, de quibus ego tantum legi de Musica librum vnum: de sex ætatibus librum vnum: de compositione Astrolabii lib. 3. de vtilitate Astrolabii lib. 1. de Eclipsibus Solis & Lunę librum vnum: de computo post Helpricum lib. 1. de quadratura circuli lib. 1. Legendas sanctorũ plurium & historias composuit. Hymnos quoq; , antiphonas & cantus dulces varioq; edidit, quos in Ecclesia Dei cantari ex parte conspicimus. Hic Hermannus composuit deuotam illam antiphonam in laudem beatæ Dei genetricis Mariæ, videlicet, SALVE REGINA MISERICORDIÆ &c. Quam ad eius honorem vniuersa frequentat Ecclesia. Sed & alia plura tam metro, quam prosa, edidit, quę ad manus nostras minime venerunt. Transtulit etiam de Græco & Arabico multa in Latinum. quæ à multis habentur. Iste Hermannus, Comes (vt diximus) de Veringen, in Sueuia, à iuuentute sua contractus fuit, vnde & nomen ab infirmitate accepit. Cum autem monachus factus fuisset, magna deuotione sedulisq; precibus beatam Virginem rogauit, quatenus eum suis dignaretur sanare meritis: à qua per visum tale fertur habuisse responsum: Fili charissime, tuis precibus sedulis inuitata, duorum tibi optionem impetraui, elige quod volueris. Contractus permanebis, & omnium scripturarum scientiam accipies, tam diuinarum quam humanarum: vel sanitatem corporis accipiens, idiota permanebis, & ecclesiasticam cathedram ascẽdes. Iam alterum ex iis, quod volueris, elige: quoniam ambo habere non poteris. Hermãnus autem considerans quod Regina cæli singulariter suadebat, elegit permanere contractus, & scientiam scripturarum accipere, magis, quam corporis sanitatem absq; doctrina possidere. Erat enim iam tunc, licet rudis & idiota, deuotus tamen & scripturarum amore accensus. Et illo tempore in omni doctrina scripturarum vltra omnes contemporaneos suos proficiens, excellentissimæ opinionis vir factus est. Trium linguarum, Latinæ s. Græcæ & Arabicæ ita peritus extitit, ac si natus in eis fuisset. Vidi plures libros Aristotelis, & aliorum antiquorum authorum, quos de Arabico transtulit in Latinum, videlicet Rhetoricam Aristotelis, poetriam, & de Astronomia, quantũ ad rationem computi Ecclesiastici pertinet, varia. Claruit anno Domini millesimo sexagesimo.

De Brunone Archiepiscopo martyre.

CAP. LXXXV.

BRuno monachus cuiusdam cœnobii in Italia, cuius nomen non occurrit: archiepiscopus Ruthenorum, vir doctus & sanctus, & verbi Dei prædicator egregius, scripsit præclarũ opus in Genesim, & nonnulla alia, quæ ad manus nostras non venerunt. Hic tandem post multos prædicandi labores, pro fide CHRISTI à Prussis martyrio coronatus est, anno Domini millesimo octauo, Indictione sexta.

De

De Theodorico monacho.

CAP. LXXXVI.

THeodoricus monachus Herſsfeldẽſis, natione Teutonicus, vir doctus, & eloquens, ingenio ſubtilis, lectione diuinarum ſcripturarum diues. ſcripſit ad Richardum Abbatem Fuldenſem, de vita & laudibus S. Benedicti librum vnum: de de translatione eiuſdem in Floriacum librum vnum, de locis terræ ſanctæ librum vnum. Et alia plura, quæ videre non merui. Claruit anno Domini milleſimo triceſimo.

De Alphano Archiepiſcopo.

CAP. LXXXVII.

ALphanus monachus Caſſinenſis, & archiepiſcopus Salernitanus, Philoſophus & rhetor ſui temporis celeberrimus, in ſacris quoq; ſcripturis magnificè doctus, ſcripſit ingenii ſui nonnulla profunda opuſcula, de quibus extant ſubiecta: de quatuor humoribus humani corporis lib. 1. de vnione corporis & animæ, lib. 1. de vnione verbi & carnis, lib. 1. Alia quæ ſcripſit, inuenire non potui.

De Anſelmo monacho.

CAP. LXXXVIII.

ANſelmus monachus Rhemenſis, vir in diuinis ſcripturis doctus, & in artibus humauitatis ſufficienter inſtructus, ingenio acutus, & eloquio clarus: fertur nonnulla compoſuiſſe opuſcula, quibus ingenium ſuum magnifice dilatauit: è quibus reperi tantum Itinerarium Leonis papæ noni, à Roma in Gallias, in quo geſta eius in ſynodis Rhemis & alibi habitis deſcribit, quanta videlicet iuſtitia & authoritate cauſas examinarit Eccleſiaſticas: quàve diſtrictione peccantes corripuerit, & quemadmodum ei virtus ſit cooperata diuina: ſicut patuit in epiſcopo Freſingenſi, qui cum in ſynodo Rhemenſi contumaciter ageret contra authoritatem Apoſtolicam, in conſpectu omnium repente obmutuit. Alia inſuper edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit anno Domini 1050.

De Humberto Cardinali.

CAP. LXXXIX.

HVmbertus monachus Tullenſis, patria Lotharingus, vir incomparabilis doctrinæ, ſcientia diuinarum ac ſecularium literarum apprime eruditus, non minus ſanctitate quam eruditione venerandus. Hunc Leo papa nonus propter excellentiam doctrinæ de Lotharingia ſecum traduxit, & ad prædicandum verbum Dei Siculis, primum archiepiſcopum, deinde Cardinalem Romæ ordinauit, deinde ad confundendos hæreticos ab eodem Conſtantinopolim miſſus, Leonem Bulgarorum epiſcopum ſuperauit. Nicetam Pictoratum monachum ita confutauit, vt coram imperatore Conſtantino libros ſuos anathematizare, & manu propria igni comburere ſit compulſus. Humbertus autem, quicquid ibi dixit in hac cauſa vel fecit, quaſi per dialogum Romani & Conſtantinopolitani, conſcripſit. Alia quoq; nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit anno Domini 1050.

De Algero monacho.

CAP. XC.

ALgerus ex ſcholaſtico monachus Corbeiẽſis in Saxonia, natione Teutonicus, vir in diuinis ſcripturis valde eruditus, & in ſecularibus literis doctor peritiſſimus, ſubtilis & vehementis ingenii. Scripſit inſigne volumen de ſacramento altaris libros tres: de gratia & libero arbitrio librum vnum, & alia complura, quæ ad manus noſtras minime venerunt.

De Bernardo monacho.

CAP. XCI.

BErnardus monachus Cluniacenſis, diuinarum ſcripturarum ſtudioſus amator, ſecularium q; literarum peritus interpres, ſcripſit iuſſu domini Hugonis Abbatis ſui conſuetudines Cluniacenſis cœnobii, quæ pro conſeruatione regularis diſciplinæ vtiles erant. Alia inſuper nonnulla cudiſſe dicitur, quæ in manus noſtras non venerunt. Claruit anno Domini 1050.

De Arnulpho monacho.

CAP. XCII.

ARnulphus monachus, in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, ſingularis doctrinæ cultor ſingularis, ingenio & eloquio clarus, metro excellens & proſa,

prosa, fertur non pauca scripsisse opuscula. E quibus extat opus metricum insigne super Prouerbia Salomonis lib. 1. De cæteris, quæ scripsit, nihil vsquam inueni.

De Petro Damiani episcopo.

CAP. XCIII.

PEtrus Damiani, monachus Viuariensis cœnobii, episcopus Ostiensis & Cardinalis, vir in diuinis scripturis eruditissimus, ingenio subtilis, & eloquio disertus, & Gregorianæ eloquentiæ instar, dulcis & ornatus, & ad persuadendum satis: cum per aliquot annos pontificatū strenue rexisset, & vitia impiorum sine delectu personarum corriperet, senio tādem affectus & tædio, ad consulendum propriæ saluti, episcopatum deseruit: & exemplo Gregorii Magni, Nazianzeni quondam episcopi, ad monachorum studia remeauit. Vnde super hoc à tribus Romanis pontificibus arguitur, quod vir tam doctus & vtilis Ecclesiæ deseruit episcopatū, & commodum priuatum vtilitati præposuerit communi: cum ad regimen animarum verbo & exemplo esset idoneus. At Petrus humiliter se excusans, scripsit pro suo facto apologeticos, quibus ratione & exemplo potifices fecit tranquillos. Scripsit alias multa volumina, de quibus ego tantum reperi subiecta: Ad Nicolaum Papam secundum, Apologeticum lib. 1. ad Alexandrum secūdum, & Gregorium vij. lib. 2. de profectu monachorum lib. 1. Antilogion contra Iudæos lib. 1. de auaritia prælatorum lib 1. contra episcopos simoniacos lib. 1. de continentia sacerdotum lib. 1. de vxorib. Clericorum lib. 1. ad Leonem solitarium, an solitarie orans canonicas horas, debeat etiam, Dominus vobiscum, dicere, cū non habeat respondentem, lib. 1. Regulam eremitarum & incluforum, lib. 1. Exhortatorium ad fratres lib. 1. de quibusdam incredibilibus suo tempore factis lib. 1. Vitam sancti Odilonis Abbatis Cluniacensis lib. 1. de terrore mortis lib. 1. de meditatione mortis lib. 1. de Flora & Lucilla lib. 1. alium, qui prænotatur gratissimus seu probatissimus, lib. 1. aduersus quendam episcopum, qui monachos ad seculum reuocabat, lib. 1. de insolentia malignorum hominum lib. 1. declamationis Rhetoricæ lib. 1. de natura quorundam animalium lib. 1. de sancto Cassiano martyre tractatum 1. de sancto Bonifacio tractatum 1. de situ & fundatione Viuariensis cœnobii, lib. 1. Sermones & homilias luculento sermone scripsit pene innumerabiles. Epistolas etiam plures ad diuersos. Et alia multa, quæ in manus nostras adhuc minime venerunt. Claruit sub Henrico III, anno Domini 1060.

De Gunthero monacho.

CAP. XCIV.

GVntherus monachus cœnobii sancti Amandi, vir in diuinis scripturis eruditus, & secularium literarum non ignarus, theologus & poeta insignis: descripsit metrice passionem S. Cyriaci martyris lib. 1. Alia quoque multa metro & prosa scripsisse dicitur, quę ad manus nostras minime peruenerunt.

De Mariano Scoto monacho.

CAP. XCV.

MArianus Scotus, monachus Fuldensis, de Anglia pro Christi amore peregrinus venit in Alemaniam, & primo quidem apud sanctum Pantaleonem Coloniæ monachus factus, duobus annis ibidem inclusus stetit. Postea de Colonia exiens, venit ad Fuldam, vbi vndecim annis in incluforio stetit. Deinde iussu abbatis sui & Maguntini archiepiscopi ad Maguntiam veniens, ibidem apud sanctum Martinum annis quindecim pro Christo stetit inclusus, videlicet vsq; ad diem mortis suæ, & maximo in honore habebatur ab omnibus propter excellentiam doctrinæ & vitæ sanctitatem. Scripsit chronicam ab initio mundi vsque ad sua tempora, mira subtilitate ostendens errorem priorum chronographorum, ita ponentium natiuitatem Christi, vt annus passionis eius, quantum ad rationem computi, non concordet veritati Euangelicæ. Vnde ipse 23. apponens annos illi anno, vbi priores scribunt natum fuisse Christum, ponit in margine libri alternatim, hinc annos euangelicæ veritatis, illinc annos falsæ priorum computationis: vt non solum intellectu, sed etiam visu discerni possit veritas à falsitate. Scripsit etiam de concor-

dantia Euangeliſtarum lib. 1. & quædam alia nobis incognita. Produxit autem chronicam ſuam vſq; ad annos Domini 1082. Moritur anno Domini 1086. Indictione nona, ætatis ſuæ anno 58. Moguntiæ apud ſanctum Martinum cum honore ſepultus.

De Theoderico abbate.

CAP. XCVI.

THeodericus Abbas monaſterii ſancti Trudonis Leodienſis diœceſis, vir in diuinis ſcripturis admodum eruditus, & in ſeculariibus literis nobiliter exercitatus, metro excellens & proſa, in deſcribendis ſanctorum geſtis ſtudioſus fuit. Scripſit autem metrice Vitam ſancti Trudonis lib. 1. Vitam ſancti Bauonis lib. 1. Vitam ſancti Reinoldi lib. 1. Alia quoque multa compoſuiſſe dicitur, quæ ad notitiam meam adhuc minime venerunt.

De VVillerammo abbate.

CAP. CXVII.

VVillerammus Abbas Mersburgenſis, natione Teutonicus, primo fuit ſcholaſticus eccleſiæ Bambergenſis: deinde contempto ſeculo factus eſt monachus Fuldenſis, poſtremo Abbas præfati cœnobii Mersburgenſis: vir vndecunq; doctiſſimus, tam diuinis ſcripturis, quam ſecularibus literis perfecte inſtructus, carmine excellens & proſa: ſcripſit non ſpernendæ lectionis opuſcula, de quibus ego tantum vidi opus metro compoſitũ in Cantica canticorum de nuptiis Chriſti & Eccleſię, lib. 3. Cætera quæ ſcripſit, ad me non venerunt. Claruit anno Domini 1070.

De Luca Abbate.

CAP. XCVIII.

LVcas montis ſancti Cornelii Abbas, in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, ſeculariumq; literarum non ignarus, fertur non contemnendæ lectionis varia cudiſſe opuſcula, de quibus ego tantum reperi: ad Milonem epiſcopum Taruanenſem, in Cantica canticorum opus egregium: de cæteris autem, quæ cudiſſe dicitur, nihil vſquam inueni.

De Lanfranco Archiepiſcopo.

CAP. XCIX.

LAnfrancus ex Abbate Cadonienſi Archiepiſcopus Cantuarienſis, vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, & in ſecularibus literis fama omnium peritiſſimus, dialecticorum ſuo tempore omnium princeps, lumen & magiſter Theologorum. Hic Papia ciuitate Italiæ oriundus, cum literis diu impendiſſet ſtudium, multiſq; annis publicam ſcholam glorioſe tenuiſſet, Alpes tranſgreſſus cauſa ſtudiorum, tendebat Nortmanniam. Cumque iret Rothomagum, latrones incurrit, à quibus captus & ſpoliatus, per deuia ſyluarum noctu abducitur: qui poſtquam aliquantulum murmuraſſet, in ſe reuerſus, tacitus dixit: Væ mihi. Tanto iam tempore ſtudium impendi ſcripturis, & Deum laudare in tribulatione non didici. Vouit ergo ſe de cætero ſeruiturum Deo, liberatuſque de periculo, monaſterium Bectenſe ingreditur, ſeque monachum ſub Abbate Herleuuino profitetur. Ibi tribus annis manſit incognitus, gaudens, quod abiectus eſſet in domo Domini: quouſque tandem à mercatoribus Italiæ fuit publicatus. Cum die quadam ad menſam legeret, & omnes doctrina eius adhuc lateret, inter legendum quiddam dixit vt debuit, veluti ſi dixiſſet docere media producta, vt eſt: correxit eum Prior, non multum literatus: & aliter dicere iuſſit, veluti docere media correpta. Lanfrancus autem, qui ex magno humilem ſe factum eſſe pro Dei amore gaudebat, ſciens obedientiam Chriſto magis deberi, quam Donato, dimiſit quod bene pronunciauerat: & dixit, quod ſe non recte dicere ſciebat. Denique per illud triennium, quo manſit incognitus, tanta ſe humilitate deiecit, ac ſi nihil vnquam literarum didiciſſet: ita vt nunquam aliquid in conuentu legere vellet, niſi prius à magiſtro nouitiorum in priuato audiretur. Manifeſtatus autem, quis eſſet, Prior ibidem conſtituitur, & ſcholam tenere publice iubetur. Poſtea factus eſt Abbas Cadonienſis, & poſtremo Cantuarienſis archiepiſcopus, vita & doctrina commiſſam ſibi ſtrenue gubernans Eccleſiam. Scripſit quædam magnæ authoritatis opuſcula, de quibus ego tãtum reperi ſubiecta:

subiecta: In omnes epistolas Pauli commentarios edidit, & vbicunq; opportunum sibi videbatur, dialectico more proponit, assumit & concludit. Aduersus Berengarium Turonensem clericum, diaconem Andegauensem, de corpore & sanguine Domini opus egregium composuit, lib. 1. Gesta Vuilhelmi Nortmannorum ducis, qui regnum Anglorum primus inuasit, lib. 1. Alia quæ composuit, ad manus nostras non venerunt. Claruit anno Domini 1060.

De Engelberto abbate.

CAP. C.

ENgelbertus Abbas monasterii Admontensis, vir in diuinis scripturis lõgo studio exercitatus, & secularibus literis pro suo statu sufficienter instructus, ingenio & eloquio clarus, non minus cõuersatione, quam scientia venerabilis: scripsit ad ædificationem fratrum elegãtes sermones: vbi, quantum valuerit in scripturis, liquide ostenditur. Scripsit etiam de vitiis & virtutibus librum vnum. Et quædam alia, nobis adhuc incognita.

De Anselmo Cantuariensi.

CAP. CI.

ANselmus ex Abbate Beccensis monasterii, post Lanfrancum archiepiscopus Cantuariensis, eiusdem Lanfranci quondam discipulus, & post eum Prior Beccensis, & scholæ monachorum rector, vir sanctus, & tã in diuinis quã in secularibus scripturis eruditissimus: cum Abbatis adhuc fungeretur officio, vt fratres suos ad studium sacræ lectionis prouocaret, omnibus in generali concessit, vt quicunq; vellet de quæstionibus scripturarum eum audacter interrogare posset, neq; desistere vnquam ab interrogatione deberet, quousq; per solutionem responsi satis sibi factum agnosceret. Hoc ideo fecit, quatenus & sibi & fratribus discendi materia semper adesset atq; occasio. Scripsit multa præclara opuscula, de quibus ego tantum ad præsens reperi subiecta: Cur Deus homo lib. 2. aduersum Iudæos de incarnatione verbi, librum 1, Ad Bosonem de conceptu virginali, li. 1. Monologion. li. 1. Prosologion. li. 1. de processu spiritus S. contra Græcos li. 1. de casu diaboli lib. 1. de diuersitate Sacramentorum li. 1. de fermento & azymo lib. 1. de voluntate Dei li. 1. de concordia gratiæ Dei & liberi hominis arbitrij, li. 1. de libero arbitrio li. 1. de veritate lib. 1. de similitudinibus lib. 1. de mensuratione crucis lib. 1. Meditationum seu orationum lib. 1. Meditationum redemptionis humanæ lib. 1. de passione Domini lib. 1. contra insipientem lib. 1. pro insipiente lib. 1. de miseria hominis lib. 1. de membris quæ Deo attribuuntur in scripturis, lib. 1. de Sacramentis & officiis diuinis lib. 2. de domo conscientiæ lib. 1. de sancta Trinitate lib. 1. in Cantica canticorum lib. 1. de pace & concordia lib. 1. de beata sufficientia lib. 1. de beata vita lib. 1. de bona occupatione lib. 1. de laudibus sanctæ Mariæ lib. 1. de antichristo lib. 1. dialogum inter Christianum & gentilem lib. 1. de beatitudinibus lib. 1. de beatitudine cælesti lib. 1. ad Lanfrancum episcopum lib. 1. in Exameron lib. 1. de Grammatica lib. 1 sermones & homilias varias. epistolas quoq; plures ad diuersos: è quibus vnam reperi ad Wilhelmum Hirsaugiensis cœnobii abbatem clarissimum virum, quem specialiter dilexit, quod epistola ipsa testatur. Sed & alia nonnulla edidit, quæ ad manus nostras non venerunt. Claruit anno Domini millesimo octogesimo.

De VVilhelmo Hirsaugiensi.

CAP. CII.

VVilhelmus abbas Hirsaugiensis cœnobij in confinibus Sueuorum, Spirensis diœcesis, beati Anselmi Cantuariensis archiepiscopi specialis amicus, vir in diuinis scripturis eruditus, & secularibus literis nobiliter instructus, non minus virtutibus, quam scientia venerandus, ita vt viuens adhuc in carne legatur coruscasse miraculis: dum in ponte versus sanctum Aurelium de maiori cœnobio transiens, claudum obuiantem sibi, precibus ad Deum fusis, sanauerit. Scripsit non spernendæ lectionis opuscula, de quibus tantum vidi subiecta: De musica librum 1. de horologio lib. 1. Constitutiones monasticæ reformationis, per eum in suo & aliis multis cœnobiis factæ, lib. 2. Correxit etiam psalterium. Epistolas ad diuersos plures edidit, quæ

raro inueniuntur simul. Monachus antehac fuit sancti Hemerammi Ratisponensis, inde ad abbatiam Hirsaugiensem omnium fratrum consensu electus, præsedit ibidem annis 20. Moritur tertio Nonas Iulii, anno Domini 1091. Indictione 14. sub Henrico IV.

De Peregrino monacho.

CAP. CIII.

PEregrinus monachus Hirsaugiensis, Wilhelmi abbatis prædicti quondam (vt ferunt) discipulus, vir certè tam in diuinis, quam in secularibus literis eruditissimus, ingenio subtilis, eloquio succinctus, disertus & nitidus, rhetor & poeta nulli priscorum inferior: scripsit metro & prosa clarissima quædam opuscula, de quibus ego tantum vidi subiecta: Opus grande & insigne volumen, sub persona sui & Theodoræ virginis Christi, ornato stylo composuit, cuius titulus est. Speculum virginum, lib. 8. commentariorum Euangelii lib. 1. de vita spiritus & fructu mortis. lib. 1. dialogum matricularii lib. 1. didascolon lib. 1. in laudem S. Benedicti versus quosdam edidit. Omnia autem opuscula, quæ soluta oratione composuit, in dialogi morem ordinauit. Claruit año Domini 1100.

De Francone abbate.

CAP. CIV.

FRanco abbas Hafflingensis, in diuinis scripturis studiosus & eruditus, secularis doctrinæ non ignarus: cum adhuc monachus esset, iussu & instantia Fulgentii abbatis sui, inchoauit opus insigne, de gratia Dei prænotatum: quod post mortem illius, abbas ipse factus compleuit. Scripsit etiam metrice de statu futuræ gloriæ satis eleganter. Et alia plura scripsisse dicitur, quæ ad manus nostras non venerunt.

De Giselberto VVestensi.

CAP. CV.

GIselbertus Præpositus monasterii West in Anglia, beati Anselmi Cantuariensis quondam auditor, vir doctus & eruditus, ingenio promptus, & cautus eloquio, scripsit ad eundem Anselmum altercationem, quam habuit cum quodam Iudæo. In Esaiam prophetam lib. 1. In Cantica canticorum lib. 1. & alia plura nobis incognita. Claruit anno Domini 1100.

De Ansberto monacho.

CAP. CVI.

ANsbertus, qui & Ambrosius, monachus, in diuinis scripturis valde studiosus & eruditus, secularium quoq; literarum non ignarus, ingenio promptus & clarus eloquio: scripsit multa præclara opuscula, sed ad me pauca eorum peruenerunt: In Cantica canticorum lib. 1. In psalterium lib. 1. in Apocalyp. Iohannis lib. 10. de cupiditate lib. 1. Epistolas etiam ad diuersos edidit, varioq; sermones. Claruit anno Domini millesimo centesimo octogesimo. Vel, vt alii nonnulli volunt, anno Domini octingentesimo nonagesimo. Et forsitan hi melius sentiunt.

De Eckardo abbate.

CAP. CVII.

ECkardus primus Abbas monasterii S. Laurentii mārtyris in Vraugia Herbipolensis diœcesis, natione Teutonicus, vir tam in diuinis, quam in secularibus scripturis eruditus, theologus, rhetor & poeta insignis, non minus vita, quam scientia spectabilis: scripsit ad imitationem Boethii consolationes monachorum, vtroq; stylo, metrico videlicet & prosaico, libros 5. Quod opus, Laternam monachorum, prænotauit. Si quid amplius scripsit, ad notitiam meam nō peruenit. Claruit anno Domini millesimo centesimo vigesimo.

De Honorio monacho.

CAP. CVIII.

HOnorius monachus in Anglia, & pro Christi amore inclusus, B. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi singularis amicus, ad quem eius nonnullæ extant epistolæ, vir doctus & deuotus, scripsit nonnulla deuota opuscula, de quibus est, Quæstionum & responsionum diuersarum lib. 1. Et quędam epistolæ ad compunctionem vtiles. Claruit temporibus Anselmi, anno Domini millesimo octogesimo.

De

De Ruperto Tiutiensi abbate.

CAP. CIX.

RVpertus abbas Tuitiensis cœnobii iuxta Coloniam Aggrippinam, natione Teutonicus, vir in diuinis scripturis à spiritu sancto per visum eruditus, nõ minus vita, quam doctrina, clarissimus fuit. Nam cum idiota esset, & parum de scripturis sanctis posset intelligere, orationibus tamen & deuotioni semper intentus, beatissimam Dei genetricem Mariam sedulis precibus orabat, quatenus sibi à filio suo Domino nostro Iesu Christo, qui fons est sapientiæ, intellectum & scientiam scripturarum impetraret. Apparens igitur ei beatissima virgo in visione, dixit: Orationes tuas audiui, postulata impetraui. Ecce omnium scripturarum tibi arcana patescunt, ita, vt similem hoc tempore habeas neminem. Tu ergo confortare & esto robustus, ad multorum vtilitatem labor tuus proueniet. Tantum, ne torpescas ocio: ne gratiam tibi collatam prætereas: ne talentum scientiæ salutaris, quod accepisti, terrenarum cupiditate rerum in terram abscondas. Alia insuper secretiora sibi dicta fuisse in quodam loco fatetur, quæ tamen non audet exprimere. Ex eo igitur tempore vsq; ad diem mortis suæ, tanto amore & desiderio sacras scripturas intellexit & exposuit, vt ab earum studio nunquam cessaret. Semper legit, orauit, aut scripsit, vt nec horis quidem, iuxta morem cæterorum, parceret nocturnis. Quod vt liberius posset facere, curam temporalium rerũ aliis commisit idoneis: ipse internis tantum studiis insistebat. Scripsit multa pręclara volumina, de quibus ipse per se in quadam epistola, subiecta recensuit: De officiis diuinis libros 12. Commentarios in Iob, libr. 10. In euangelium Iohannis, 14. Opus de operibus sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, lib. 40. In Apocalypsin Iohannis, libro 12. In duodecim prophetas minores, lib. 10. De victoria verbi Dei, ad Cunonem Sigebergensem Abbatem, postea Ratisponensem Episcopum, lib. 13. In Euangelium Matthæi ad eundem, lib. 8. In libros Regum de glorioso Dauid, ad Fredericum Colonien sem Episcopum, lib. 11. In Cantica canticorum, lib. 7 In regulam sancti patris nostri Benedicti, lib. 4. Apologeticum eiusdem operis, lib. 1. De incendio Tuitiensis cœnobii, instar confessionum Augustini, opus deuotioni conueniens, lib. 3. Fertur etiam in alios Euangelistas & in multos Bibliæ libros commentarios edidisse, qui ad manus nostras non venerunt. Claruit sub Henrico V. anno Domini millesimo centesimo vicesimo, & sub Lothario tertio moritur.

De Ruperto monacho.

CAP. CX.

RVpertus abbas Limpurgensis, cœnobii in diœcesi Spirensi, natione Teutonicus, vir honestate morum & obseruantia disciplinæ regularis venerandus, in diuinis scripturis studiosus & eruditus, secularium quoq; literarum non ignarus, ante conuersionem suam in Gymnasio Parisiensi philosophiæ seculari multis annis studiose intentus, doctrinam ac gloriam non paruam acquisiuit. Tãdem vitæ præsentis instabilitatem considerans, ad patriam remeans, ad Deum se totũ conuertit, & in dicto cœnobio monachus factus, crescentib. meritis, in abbatem omnium suffragiis electus est. Tãtæ puritatis & religionis fuit, vt multis releuationib. diuinitus meruerit recreari. Scripsit autem, per visionem admonitus, in Cantica canticorum lib. 4. De contẽptu mũdi & amore Dei lib. 2. Reuelationũ quorundã lib. 1. Sermones etiã de sanctorũ laudib. quorum apud Limpurgense cœnobium reliquiæ vel patrocinia habentur. Claruit anno Domini millesimo centesimo vigesimoquarto.

De Bernardo monacho.

CAP. CXI.

BErnardus monachus Corbeiensis in Saxonia, natione Teutonicus, vir in diuinis scripturis satis eruditus, & in secularibus literis excellenter doctus, scripsit luculento sermone, sed amaro, ad Hartuuinum Archiepiscopum Magdeburgensem, contra Henricum Imperatorem quartum, rebellem Gregorii septimi Papæ, lib. 1. Alia quoque plura com posuisse dicitur, quæ ad manus nostras non venerunt. Claruit sub eodem Henrico quarto, anno Domini millesimo centesimo.

De Sigeberto monacho.

CAP. CXII.

SIgebertus monachus Gemblacensis cœnobii, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & in secularibus literis valde peritus, ingenio subtilis & comptus eloquio. cuius doctrina magnæ authoritatis suo tempore erat, sicut liquido patet ex opusculis suis, quæ ad principes Ecclesiarumq; prælatos scripsit, de quib. ipse subiecta quodam loco recensuit: Historiarum seu temporum chronicon, magnum & insigne volumen. De illustribus viris lib. 1. Vitam sancti Theoderici Metensis Episcopi, heroico metro, lib. 1. Vitam Sigeberti regis lib. 1. Passionem Luciæ virginis, elegiaco carmine, lib. 1. De translatione corporis eiusdem martyris ad Metim, lib. 1. Passionem sanctorum Thebæorum martyrum, heroico versu, lib. 1. Vitã sancti Guiberti monachi & fundatoris Gemblacensis cœnobii, lib. 1. Gesta Abbatum Gemblacensium lib. 1. Ad Henricum quartum Imperatorem, contra eos, qui calumniabantur Missas sacerdotum concubinariorum, lib. 1. Eiusdem regatu respondit Treuerensibus de ieiunio quatuor temporum, lib. 1. In Ecclesiasten triplici expositione, heroico metro librum 1. Epistolas etiam ad diuersos plurimas scripsit, sermones quoq; & varios tractatus, qui ad notitiam meam non venerunt. Vitam etiam quorundam vrbaniori stylo meliorauit. Responsoria, hymnos & Antiphonas in laudibus sanctorum dulci melodia composuit. Hic primũ de cœnobio Gemblacensi ad monasterium S. Vincentii Metensis positus ad instruendos iuniores fratres in scientiis primitiuis, nonnulla in laudem eiusdem vrbis composuit. Inde ad monasterium suum Gemblacense reuersus, omne tempus vitæ suæ studio scripturarum impẽdit, & magnam apud omnes doctrinæ laudem promeruit. Claruit sub Henrico IV. imperatore, anno Domini millesimo centesimo vigesimo.

De Gratiano monacho.

CAP. CXIII.

GRatianus monachus Bononiensis siue Classensis, vir in diuinis scripturis valde studiosus, & veterum lectione diues, secularium que literarum non ignarus, exemplo Ruth Moabitidis post terga metentium spicas colligens, inclytus factus est, dum patrum sententias ac cõciliorum sanctiones diligenter inquirẽs, nobile opus Decretorum composuit, quod concordiam discordantium canonum appellauit, lib. 4. Dicitur & alia quędam scripsisse opuscula, sed in manus nostras non venerunt. De varietate Decretorum notandum, quod Isidorus Iunior Episcopus Hispalensis decretum ex patrum sententiis & conciliorum ingentis magnitudinis composuit, anno Domini 530. Post hunc Burckhardus VVormatiensis Episcopus cuius supra fecimus mẽtionem, decretum in viginti libris comportauit, anno Domini millesimo vigesimotertio. Post quem sanctus Iuo Carnotensis Episcopus decretum in decem libris abbreuiauit, anno Domini 1095. Postremo Gratianus iste, de quo loquimur, considerans materias sine debito ordine dispersas in præfatorum patrum decretis iacere: apposuit manum, & diligenti studio quæque ordinate composuit, anno Domini 1127. Et hoc decreto Ecclesia vtitur in præsentem diem. Scripserunt & alii plures decreta, ex dictis patrum & conciliorum vt Ansegisus Lobiensis abbas, Regino Prumiensis, & alii multi: sed non erant vniuersalia, neque in Ecclesia Dei adeo dilatata. Claruit Gratianus anno Domini millesimo centesimo trigesimo.

De Emundo monacho:

CAP. CXIV.

EMundus monachus Cantuariensis, vir studiosus & doctus, fertur ingenii sui nonnulla relquisse vestigia, in quibus vtriusque literaturæ abundans vena conspicitur. E quibus tantum reperi Vitam S. Anselmi Cantuariensis, lib. 1. De discordia inter Vuilhelmum regem & Anselmum archiepiscopum prædictum. De libertate Ecclesiastica lib. 1. de cæreris quæ composuit, nihil inueni. Claruit sub Henrico Imperatore quarto, anno Domini 1120.

De Hugone monacho.

CAP. CXV.

Hugo

HVgo dictus de Foligeto, monachus Corbeiensis in Francia, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, & in secularibus literis competenter instructus, eloquio dulcis & apertus, non minus honestate morum quam scientia insignis, scripsit experientia magistrante pro ædificatione monachorum nonnulla præclara opuscula, de quibus ego tantum reperi subiecta: de claustro materiali lib. 1. de claustro spirituali lib. 1. de claustro animæ lib. 1. de claustro paradisi, siue cælesti, lib. 1. alia quæ scripsit, non vidi. Claruit temporibus Henrici quarti, anno Domini 1120.

De Adelpho Abbate.

CAP. CXVI.

ADelphus Abbas, in diuinis scripturis exercitatum habens ingenium, secularium quoq; literarum non ignarus, scripsit ad fratrum ædificationem (vt ferunt) elegantes & suauissimos sermones, qui à multis habentur. Scripsit etiam cõtra errores perfidi Mahometis & Saracenorum lib. 1. alia quoque non pauca scripsisse dicitur, quæ videre non potui.

De Ioachim Abbate.

CAP. CXVII.

IOachim Abbas Florensis cœnobii in Calabria, vir in diuinis scripturis admodum eruditus, sermone simplex & apertus, in reprehensione Petri Lombardi Parisiensis episcopi, iure reprehenditur, dum de sancta Trinitate bene sentientem redarguere non veretur. Et huius imprudentis reprehensionis libellus debitas exoluit pœnas. Nec tamen ipse Ioachim vel eius cæteri tractatus damnati sunt, quoniam omnia sua opuscula examini Apostolico subiecit, vt extra de summa Trinitate & fide catholica, Damnamus. Scripsit autem varia in diuinis scripturis opuscula, de quibus ista feruntur: In Ieremiam Prophetam lib. 1. in Danielem prophetam li. 1. In Euangeliũ Ioannis lib. 1. in Apocalypsim Ioannis lib. 1. ad Henricum sextum de oneribus lib. 1. de septem sigillis lib. 1. de Concordantiis lib. 1. de quindecim Pontificibus lib. 1. ad Innocentium Papam, apologeticum lib. 1. & quædam alia, mihi adhuc incognita. Hic Ioachim vt propheta suo tempore habitus, multa de futuris temporibus prognosticauit, & in omnibus opusculis suis futurorum temporum nititur euoluere casus. Claruit sub Henrico quinto vel sexto, anno Domini 1170.

De Ottone Abbate.

CAP. CXVIII.

OTto abbas in diuinis scripturis nobiliter doctus, ingenio subtilis, scientia promptus, & eloquio compositus: scripsit non contemnendæ lectionis opuscula, de quibus extant præcipue sermones & homiliæ notabiles ad fratres lib. 1. in canonem Missæ lib. 1. disputatio cum quodam Iudæo habita, ad Vuilbodonem monachum Hafflingensem, lib. 1. alia plura edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Hunc Ottonem nonnulli affirmant episcopum post abbatiam fuisse Ecclesiæ Cameracensis.

De Hildegardi Bingensi.

CAP. CXIX.

HIldegardus sanctimonialis virgo, prima abbatissa montis sancti Ruperti Bingensis in diœcesi Moguntina, oriunda ex comitatu Spanheimensi, discipula quondam beatæ Iuttæ, comitissæ ibidem in monte sancti Disibodi, virgo sanctæ conuersationis, quæ multis in vita legitur claruisse miraculis, quam in scriptorum catalogo non ponerem, nisi me authoritas summi Pontificis Eugenii tertii animaret, qui scripta eius in conuentu Treuerensi coram S. Bernardo Clarauallensi & multis Cardinalibus atq; episcopis publice lecta confirmauit, quemadmodum in libro de Ecclesiasticis scriptoribus dudum dixisse me memini, vbi & aliã rationem, impellentem me, posui. Multis hæc virgo diuinis reuelationibus illustrata fuit, quibus etiam subiecta volumina magnæ quantitatis composuit, videlicet: In Regulam sancti Benedicti quæstiones lib. 1. ad Guibertum monachum de 30. quæstionibus lib. 1. vitam S. Ruperti ducis lib. 1. vitam S. Disibodi episcopi lib. 1. homilias 58. in Euangeliis Dominicalibus, lib. 1. de Sacramento Altaris contra Catharos lib. 1. Sciuias, i. de scientia viarum Dei & hominis, grande volumẽ, & mirabile opus, lib. 1. Vitæ meritorũ lib. 3. diuinorum operũ lib. 1. Simplicis medicinæ li. 1. Cõpositæ medicinæ li. 1. ad Clerũ Coloniẽsem de futuris periculis

culis in Ecclesia lib. 1. ad Treuerenses de eadem re lib. 1. in quo calamitatem eiusdem vrbis propter peccata clericorum cito futuram, nisi præuenirent eam pœnitendo, prædixit. Fuit autem personaliter in Treueri, missa à Domino. Cumq; mala Ecclesiæ propter delicta sacerdotum prædiceret, omnes clerici responderunt: Dic nobis domina, in quo offendimus Deum, vt hanc iram incurrere debeamus? Respondit, notabile verbum dicens: Spiritus sanctus non confundit. Omnia autem quæ prædixerat super Ecclesiam Treuerensem euenerunt anno Domini millesimo centesimo octogesimo quinto, sub Volmaro archiepiscopo, quæ per septē annos miserabili schismate laborabat. Scripsit etiam exhortatorium secularium ad quosdam presbyteros lib. 1. ad sorores suas lib. 1. ad monachos Erbacensis cœnobii paregoricon. Epistolas multas ad diuersos numero 136. lib. 1. Carmina & cantica cum dulci & mirabili melodia de vitiis & virtutibus per modum dialogi plura composuit. Et quædam alia minora, sed instructa opuscula. Claruit anno Domini millesimo centesimo sexagesimo.

De Elisabeth Schonaugiensi.
CAP. CXX.

ELisabeth monialis & abbatissa Schonaugiensis cœnobii diœcesis Treuerensis, virgo sanctæ conuersationis, multas à Deo reuelationes habuit, quas ad vtilitatem fidelium literis demandans, subiecta volumina composuit: Viarum Dei notabile & vtile opus, lib. 1. De reuelatione xj. millium virginum Coloniensium lib. 1. Reuelationum suarum lib. 3. Epistolas etiam non paucas ad diuersos. Non mihi insultet præsentium lector futurus, quod fœminas in Scriptorum illustrium catalogo posuerim, quod non sine veterum exemplo fecisse putandus sum, cum beatus Isidorus Hispalensis Probam Adelphi proconsulis vxorem, inter illustres viros posuerit, propter Virgiliocentonas, (nihilominus apocryphas) quas scripsit. Nec Probæ maritatæ nostræ virgines Christo consecratæ inferiores censendæ sunt. Claruit autem beata Elisabeth eodem tempore, quo Hildegardis, cui amicissima fuit, cuius monasterium vix tribus milliaribus ab ea distat. Vitæ eius seriem in tertio libro breuiter exponemus. Moritur ante, quā Hildegardis decederet, anno Domini millesimo centesimo sexagesimoquinto, Indictione 13. ætatis suæ anno 36. 14. Calendas Iunii, In ecclesia sancti Florini sepulta.

De Eckeberto Abbate.
CAP. CXXI.

ECkebertus abbas cœnobii sancti Florini Schonaugiensis, in finibus Treuerensis diœcesis, frater beatæ Elisabeth abbatissæ cœnobii monialium ibidem. cuius iam fecimus mentionem: cum esset canonicus Ecclesiæ Bonnensis, monitis sororis suæ iam dictę prębens assensum, seculum contemnens, monachus factus est sub Hildelino præfati cœnobii primo abbate: quo defuncto, in eius locum abbas constituitur: vir quidem in sacris scripturis studiosus & eruditus, & secularium literarum non ignarus, metro excellens & prosa, in declamandis homiliis atque sermonibus excellentis ingenii fuit. Scripsit aduersum hæreses librum 1. In principium Euangelii Ioannis, lib. 1. In Euangelium Lucæ, Missus est angelus, lib. 1. super Magnificat lib. 1. Sermones multos & elegantes per totum annum, lib. 1. De obitu sororis suæ. Epistolas plures ad diuersos: orationes quoque & carmina. Alia quoque nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Tantæ eruditionis & facundiæ fuit, vt hęreticum quendam Cardensem, male de corpore & sanguine Domini sentientem, & subtiliter dogmatizantem, omnibus formidabilem, prima (congregatis multis doctis viris) disputatione deuicerit. Denique anno Domini millesimo centesimo sexagesimotertio, Indictione vndecima, secunda die mensis Augusti, quæ fuit sexta feria, in ciuitate Colonensi tres hæresiarchas Cataphrigas seu Catharos, Arnoldum, Marsilium, & Theodericum, disputando conuicit, vt nihil contra mutire possent. qui pertinaciter in errore manentes, combusti sunt cum sex viris & duabus mulieribus extra ciuitatem iuxta sepulturas Iudæorum, in colle qui dicitur Iudaicus. & contra talium hæresim nonnulla scripsit syntagmata. Claruit anno Domini 1170.

De

De Petro Cluniacensi.

CAP. CXXII.

PEtrus Abbas Cluniacensis, in scripturis sanctis eruditus, & secularis doctrinæ non ignarus, ingenio & eloquio clarus, non minus religione & morum integritate, quam scientia venerabilis, scripsit sermones ad fratres vtiles & elegantes, lib. 1. de vita solitaria lib. 1. epistolarum ad diuersos lib. 1. Scripsit etiam quędam mirabilia & reuelationes varias suo tempore factas, quæ à multis habentur. Alia quoque nonnulla edidit, quæ necdum vidi.

De Helmando monacho.

CAP. CXXIII.

HElmandus monachus Frigidi montis in territorio Beluacensi, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & in secularibus literis magnifice doctus, ingenio subtilis & vehemens, eloquio disertus, & venusto lepore decorus, non minus vita, quam scientia præstabilis, composuit quædam præclara opuscula, in quibus vndecunque peritus ostenditur: Opus magnum & insigne historiarum lib. 48. de reparatione lapsi lib. 1. Sermones etiam varios & multas ad diuersos epistolas. de aliis quæ scripsisse dicitur, nihil vsquã inueni. Claruit anno Domini 1020.

De Vuilhelmo monacho Parisiensi.

CAP. CXXIV.

VVilhelmus monachus sancti Dionysii Parisiensis, in scripturis diuinis studiosus & eruditus, secularium que literarum non ignarus, scripsit opusculũ insigne historiarum transacti temporis, lib. 3. Fertur etiam in quosdam Bibliæ libros commentarios edidisse, & alia diuersa opuscula, sed in manus nostras minime venerunt.

De Simone monacho.

CAP. CXXV.

SImon monachus Hafflingensis, in diuinis scripturis exercitarum habens ingenium, qui veterum lectione non parum diues effectus, abbreuiauit Moralia beati Gregorii papæ in Iob, morales tantum ex eo sententias apponens textui, totum volumen verbis exposuit alienis. Scripsit etiam elegantes sermones: & in Cantica canticorum lib. 1. Alia quoque multa scripsisse dicitur, quæ ad manus nostras minime venerunt.

De Vuilhelmo Abbate.

CAP. CXXVI.

VVilhelmus Abbas Pictauiensis, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, & secularium literarum non ignarus, Theologus & Iurista insignis, ferrur de Sacramentis notabile cudisse volumen, quo ingenii sui venam abundantem ostendit. Alia quoq; nonnulla scripsisse dicitur: sed ad notitiam meam non venerunt.

De Henrico monacho.

CAP. CXXVII.

HEnricus monachus Hafflingensis patria Brabantinus ex oppido Bruxellensi, vir in diuinis scriptutis admodum studiosus & eruditus, & in artibus humanitatis egregie doctus, calculator & computista insignis. Scripsit de ratione computi & Kalendarii librum satis vtilem & necessaria eruditione instructũ: Epistolas etiam nonnullas ad diuersos. Alia insuper multa scripsisse dicitur, quæ ad notitiam meam adhuc minime venerunt.

De Theoderico Abbate.

CAP. CXXVIII.

THeodericus Abbas, natione Teutonicus diœcesis Moguntinensis, vir doctus &, eloquens, scripsit ad vtilitatem legentium, Vitam admirabilis virginis Christi Hildegardis Bingensis, cuius supra fecimus mentionem, lib. 4. Fertur etiam alia quædam composuisse opuscula, quæ in manus nostras non venerunt. Claruit anno Domini millesimo ducentesimo.

De Philippo monacho.

CAP. CXXIX.

PHilippus de Pergamo, Prior cœnobii sanctæ Mariæ de Auantia de Padua, vir in diuinis scripturis eruditus, & in secularibus literis nobiliter doctus, eloquio dulcis, apertus & compositus, edidit non contemnendæ lectionis opuscula, de quibus ego tantum vidi volumen magnum & insigne, quod scripsit super Ethicam Catonis, lib. 1. De cæteris quæ cudisse dicitur nihil vidi.

De

De Bernardo Cassinensi.

CAP. CXXX.

BErnardus Abbas Cassinensis, in scripturis sanctis studiosus & eruditus, regularis disciplinæ zelosus amator, ingenio subtilis, consilio promptus, sententia solidus, eloquio apertus & compositus, scripsit quædam præclara opuscula, de quibus ego tantum reperi subiecta: In Regulam sancti Benedicti lib. 1. Speculum quoque monachorum, lib. 1. Vtrum omnia regulæ cadant sub præcepto. Cætera quæ composuit, ad notitiam meam non venerunt.

De Petro Pictauiensi monacho.

CAP. CXXXI.

PEtrus Berthorii Pictauiensis, monachus & Prior sancti Eligii Parisiensis, vir in diuinis scripturis studiosissimus, & secularium literarum non ignarus, scripsit multa præclara opuscula, qui abundantis ingenii venam aperuit: In Genesim lib. 1. In Exodum lib. 1. In Leuiticum lib. 1. In Numerorum volumine lib. 1. In Deuteronomium lib. 1. In Iosue lib. 1. In Iudicum lib. 1. In Ruth lib. 1. In Regum lib. 4. In Paralip. lib. 2. In Esdram & Neemiam lib. 3. In Tobiam lib. 1. In Iudith lib. 1. In Hester lib. 1. In Iob lib. 1. In Isaiam lib. 1. In Ieremiam lib. 1. In Ezechielem lib. 9. In Danielem lib. 1. In duodecim Prophetas minores, lib. 12. In Machabæorum, lib. 2. In Euangelium Matthæi lib. 1. In Euangelium Marci lib. 1. In Euangelium Lucæ lib. 1. In Euangelium Ioannis, lib. 1. In Epistolas Pauli lib. 14. In Epistolas canonicas lib. 7. In actus Apostolorum lib. 1. In Apocalypsim Ioannis, lib. 1. Scripsit etiam grande opus in tribus voluminibus, quod Morale repertorium prænotauit, quod alii Dictionarium vocant. Morale reductorium in tribus voluminibus. Morale inductorium in tribus voluminibus. Scripsit breuem summam historiarum Bibliæ lib. 1. Sermones quoque, epistolas, & alios diuersos tractatus, qui in manus nostras minime venerunt.

De Lapo Abbate doctore.

CAP. CXXXII.

LApus de Castellione Abbas, sancti Miniatis, vir in vtroq; iure peritissimus, & tam humanarum quam diuinarum scripturarum non ignarus, fertur nonnulla suæ facultatis ed disse opuscula, de quibus ego tantum reperi: In Clementinas lib. 1. Cætera quæ scripsit, ad notitiam meam non venerunt. Claruit anno Domini 1340.

De Clemente Papa sexto, Abbate.

CAP. CXXXIII.

CLemens Papa sextus, Petrus Rogerii ante vocatus, Abbas Fiscauiensis, de quo etiam in quarto libro mentionem faciemus, vir certe vndecunque doctissimus, ingenio subtilis & clarus eloquio, in declamandis ad populum sermonibus valde egregius fuit. Sermones elegantissimos edidit, qui à multis in precio habentur. Collationes multas in diuersis materiis, aliaque plurima scripsit. Claruit anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimoquinto.

De Petro Boherii Abbate.

CAP. CXXXIV.

PEtrus Boherii, Abbas Auiani, doctor Decretorum suo tempore famosus, & in diuinis scripturis admodum eruditus, ingenio clarus, scientia profundus, sermone scholasticus, edidit non spernendæ lectionis opuscula, de quibus ego tantum vidi subiecta: Super Specula Bernardi Abbatis Cassinensis, lib. 1. de signis locutionum pro monachis, lib. 1. Scripsit etiam super Regulam patris nostri Benedicti, opus certe laboriosum & commendabile: in quo ipsam Regulam iuri & canonibus pene in singulis verbis concordare ostendit. Cætera quæ scripsit, in manus nostras, non venerunt. Claruit anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo.

De Ioanne monacho.

CAP. CXXXV.

IOannes monachus Castellensis in diœcesi Eistetensi, vir in diuinis scripturis valde studiosus, & secularis literaturæ non ignarus, ingenio subtilis & disertus eloquio, edidit venerandæ lectionis non pauca volumina, de quibus ista feruntur: In Regulam sancti patris nostri Benedicti, lib. 2. Summa compendiosa in totam Bibli-

Bibliam, lib. 1. Sermones super Epistolis & Euangeliis per totum annum, tam de tempore quam de sanctis, lib. 2. de Passione Domini sermones 42. Epistolas quoque multas ad diuersos. Et alia plura, quę in manus nostras non venerunt.

De Andrea monacho episcopo.

CAP. CXXXVI.

ANdreas ex monacho nostri ordinis, vt per se in quodam tractatu fatetur, Episcopus Megarensis & Ciuitatensis, & deinde Aiacensis, natione Hispanus, & Romanæ curiæ Pœnitentiarius, doctor iure peritus, & diuinarum scripturarum non ignarus. Scripsit de pœnitentia lib. 1. de modo & forma confitendi, tractatū breuem, sed vtilem. Alia quoque plura edidit, quæ ad manus meas non venerunt.

De Petro monacho Mellicensi.

CAP. CXXXVII.

PEtrus de Rosenheim, monachus Mellicensis cœnobii in Austria, vir in diuinis scripturis studiosus, & secularibus litteris sufficienter instructus, metro valens & prosa. Scripsit, magistro Nicolao Dinckelspuel rogante, ad Brandam Cardinalem sancti Clementis, Apostolicum legatum, opus metricum in totam Bibliam: quod roseum memoriale diuinorum eloquiorum appellauit, duobus versibus semper exprimens, quid in quolibet capitulo contineatur. Scripsit etiam chronicam historiarum lib. 1. epistolas quoque & sermones, & alios diuersos tractatus. Claruit temporibus concilii Constantiensis, anno Domini millesimo 420.

De Henrico Abbate.

CAP. CXXXVIII.

HEnricus de Gulpen, Abbas monasterii sancti Ægidii in Nurenberga, natione Teutonicus, doctor Decretorum admodum eruditus, non minus cōuersatione, quam scientia venerabilis, cuius ingenium laudat Ioannes Nider in suo formicario: scripsit non spernendæ authoritatis opuscula, de quibus feruntur subiecta: Super septem distinctiones de pœnitentia, lib. 1. super distinctione quoque de consecratione, lib. 1. de passione Domini tractatum vnum. Si quid amplius edidit, ad notitiam meam non peruenit. Claruit tempore concilii Basileensis, anno Domini 1430.

De Nicolao Panormitano.

CAP. CXXXIX.

NIcolaus Abbas Monacensis, natione Siculus, Archiepiscopus Panormitanus, & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, vir in vtroque iure peritissimus, dubiorum cautus interpres, qui apud iuristas in magno precio habetur: scripsit multa præclara opuscula, de quibus ego tantum inueni subiecta: Super decretalibus magnum & importabile opus in multis voluminibus, lib. 5. Super Clementinis lib. 1. Super sexto Decretalium, lib. 1. Apparatum super Decreto inchoauit, sed non perfecit. Consilia multa, numero centum quatuor, lib. 1. de ordine iudicii lib. 1. Scripsit pro authoritate concilii Basileensis [redacted] prolixum tractatum, quem in audientia principum & cleri Franckfordiæ publice legit. Disputationes etiam ac varias repetitiones edidit, quæ in manus nostras non venerunt. Claruit in concilio Basileensi, anno Domini 1435.

De Ioanne Rode abbate.

CAP. CXL.

IOannes Rode abbas cœnobii sancti Matthiæ Apostoli, extra vrbem Treuerensem, natione Teutonicus, doctor in iure valde peritus, & in diuinis scripturis multum studiosus, moribus & vitæ conuersatione conspicuus, regularis obseruantiæ zelator insignis, qui pro restauratione monasticæ disciplinę in prædicto cœnobio multum laborans, multum profecit: scripsit aperto sermone constitutiones pro reformarione ordinis necessarias, quas ibidem practicauit. Scripsit etiam de regimine abbatis simplicem quidem sermonem, sed vtilem, effectu tractatum. Et quædam alia, ad monachorum ædificationem exercitia. Hic primo fuit Officialis curiæ Treuerēsis, postea contempto seculo, domum & ordinem Carthusiēsem ibidem ingreditur: vbi per aliquot annos laudabiliter conuersatur, donec tandē authoritate Apostolica (procurante id archiepiscopo Treuerorum) ordinē nostrum ingressus,

abbas

abbas pro reformatione eius consecratus est. Erat enim vir doctus, zelosus, & deuotus, de quo nulla vnquam siniſtra opinio haberi potuit, qui Carthusiam coactus deseruit ad Dei solius honorem & nostri ordinis honestatem. Claruit in concilio Basileensi, Anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimoquinto.

De Andrea Monacho.

CAP. CXLI.

ANdreas monachus cœnobii nostri Spanheimensis, (cui Deo authore, licet inutilis deseruio) patria Traiectensis, vir in scripturis sanctis exercitatum habens ingenium, in secularibus quoq; literis satis eruditus, carmine valens & prosa, eloquio dulcis, & pulchro venustatis lepore compositus: edidit non [illegible] opuscula, de quibus extant subiecta: Soliloquiorum hominis ad Deum lib. 1. de profectu virtutum lib. 1. de esu carnium à monachis quando liceat, lib. 1. de vsu floccorum ad abbatem sanctæ Mariæ Treueren. lib. 1. epistolas multas ad diuersos, collationes etiam & varia carmina composuit. Claruit anno Domini 1440.

De Conrado abbate sancti Ioannis.

CAP. CXLII.

COnradus de Rodenberg, abbas mõtis sancti Ioannis Baptistæ Rinckaugiensis, vir deuotus, & regularis obseruantiæ nouiter introductæ ardentissimus amator, in diuinis scripturis admodum studiosus, & declamator sui temporis insignis: scripsit simplici & aperto sermone nonnulla opuscula, quorum lectio deuotis viris nõ erat inutilis. E quib. extat opus prolixũ & insigne de laudibus B. Mariæ semper virginis, cuius amator præcipuus fuit, de singulis membris eius sub figuratione botri laudes speciales contexens: cui titulum de vinea Domini Sabaoth imposuit. Scripsit etiã quoddam exercitium deuotionis ad instructionem nouitiorum, lib. 1. de accessu Altaris tractatum breuem. Collationes etiam plures & notabiles, diuersis vicibus in capitulis patrum declamauit. Ipse denique vnus fuit ex iis, qui ordinarium & cæremonias reformationis nostræ iussu patrum descripserunt. Moritur senex plenus dierum, octauo Kalendas Ianuarii, anno Domini millesimo quadringentesimo octogesimosexto, Indictione 4.

De Nicolao Donis monacho.

CAP. CXLIII.

NIcolaus Donis, natione Teutonicus, monachus nostri ordinis, cuius cœnobium memoriæ non occurrit, vir in secularibus literis admodum eruditus, cosmographus nostro tempore admirandus: scripsit ad Paulum secundum summum potificem, laboriosum opus cum picturis super Ptolomæi tabulis, de Cosmographia lib. 8. de quibusdam locis & mirabilibus mundi, lib. 1. Et quædam alia nobis inuisa. Claruit sub Paulo secundo & Sixto quarto, Anno Domini millesimo quadringentesimo octogesimo, & ante hoc ferme septennium moritur.

De eo, quod non omnes nostri ordinis scriptores in hoc Catalogo posuerim, propter multitudinem eorum.

CAP. CXLIIII.

NEmo arbitretur hos solos esse monachos & patres, quos nominauimus, qui suis ingeniis & opuscvlis diui patris nostri Benedicti ordinem illustrarunt: cum longe plures & maiores propter ingentem eorum multitudinem omiserimus, eo quod nec ocium nobis esset, nec inserendi, qui desunt, opportunitas. Quis enim dubitat, multos adhuc restare præstantissimos nostri ordinis viros, quorum nos mentionem non fecimus, si tempus, si mores, si dignitatem eius intueatur? Nongentis annis ordo nostri legislatoris viguit: qui nunquam sine viris in omni scientia doctissimis fuit, quanquam nos omnium non possimus facere mentionem, propterea quod eorum nomina ignoramus. Non enim scripserunt ad ambitionem & nominis sui famam perpetuandam, (quod multi faciunt) sed ad gloriam Dei & animarum salutem, cuius amore nominis titulos humiliter transierunt. Vtilis quippe materia etiam absque authoris nomine valet. Quanquam tanta sit hominum nostræ ætatis curiositas, vt sine authoris notitia omnem lucubrationem æstimet viliorem.

liorum. Cæterum cum nos paucos recenſuerimus è pluribus, nulli feciſſe iniuriam eſtimamus, ſi aut ſui cœnobii claros viros, nobis incognitos, ſilentio tranſiuimus: aut aliter quoſdam, quam multi volunt, deſcripſimus. Scio enim noſtri ordinis Abbates & fratres complures, q vt cœnobia ſua de aliena laude inſigniorareddãt, doctores aliorum ſibi vſurpant. Et vt fidem verbis vel vnico demonſtrẽ exemplo, tacito nomine eorum, quid de Haymone quidam ſentiant, breuiter inſinuabo. Conſtat, Haymonem monachum fuiſſe Fuldenſis cœnobii, & epiſcopum Halberſtatenſem tertium: ſicut ſuperius ſuo loco deſcripſimus. Et nihilominus noui tria monaſteria, quæ eum velut ſuum defendant. Duo autẽ ex eis, ducentis vel trecentis annis poſt mortem eius primo fundata ſunt. Quomodo ergo fieri poteſt, vt illius cœnobii monachus fuerit, cuius fundationem tot annis præceſſit? Stulta eſt huius rei decertatio, quæ ex laude pendet aliena. Hæc ideirco dixerim, ne quis factam ſibi à me cauſaretur iniuriam, ſi doctores ſuos, vt falſo æſtimat, aſſcriptos cerneret alienis. Ego enim non ſine maxima diligentia multarum gentium hiſtorias chronicaſque ſæpe reuoluens, quantum poſſibile mihi erat, ad hoc animum appuli, ne opinionibus quorundam deceptus, falſa pro veris adſtruerem. Veruntamen cum ſim homo & non angelus, caro & non ſpiritus, fallere poſſum & falli, non ita meam ſtatuo ſententiam, quin alterius opinioni probabili acquieſcam. Si quis igitur in iis aliquẽ errorem inuenerit, ſaniori libentiſſime cedam ſententiæ. Quanq̃ enim diligentiam fecerim immodicam, non audeo affirmare ſufficientẽ, cum in magna varietate hiſtoriarum, magna ſit opinio rerum. Si quis autem plures noſtri ordinis ſcriptorum inuenire deſiderat, veterum ſcripturas legat. Nos enim, quantum præ aliis occupationibus licuit, ad ordinis decorẽ paucos conſcripſimus, poſteris occaſionem præbituri, vt ſi vnquam futuri ſint, qui religionis ſuæ laudem amabunt, addant eos viros illuſtres, quos in noſtro catalogo non viderint contineri.

Exhortatio finalis ad fratres huius profeſſionis, vt ſe ad ſtudium conferant ſacræ lectionis.

CAP. CXLV.

IN fine huius 2. voluminis libet eos paucis alloqui, qui ſub regula S. patris noſtri Benedicti terram infructuoſe occupant & veterũ exempla, cum poſſint, imitari diſſimulant. Libenter quidẽ audiunt de ordinis honore, laudibuſq; tractantẽ: ſed eorũ ſeq; veſtigia, quos laudabiles extitiſſe norunt, ſuadẽtem non aduertunt. Credite mihi, patres & fratres, ocium nõ fecit ordinem noſtrum glorioſum: ſed labor, ſed vigilantia, ſed ſtudium. Et vt breuiter ſumma gloriæ noſtræ afferatur, duo ſunt, quæ ordinem ad eminentiam honoris proexerunt, meritum videlicet ſanctitatis, & ſciẽtia ſcripturarum. Quibus extinctis, grauiter cecidit, qui prius fortiter ſtetit. Si ergo volumus ordinem noſtrum (vel in parte) ad priſtinum ſtatum reducere, oportebit nos ſanctitatem vitæ & doctrinam ſapientiæ amare. Neque enim poſſibile eſt, diſciplinã in ordine conſiſtere, ſi aut moribus ſanctitas, aut diſciplinæ ſcripturarum deſit authoritas. Alta cœnobiorum ædificia, magna reddituum ſubſtantia, ampla terrarum prædia, non faciunt ſtabilem in ordine diſciplinam. Ideirco ad ſtudium ſacræ lectionis, veterum nobis exẽplo recurrendum eſt: vt diuinitus illuſtrati, in virtute & ſanctitate valeamus proficere, & gloriam ordinis etiam noſtris ſtudiis augmentare. Vnuſquiſque iuxta datam ſibi cælitus gratiam diligenter inuigilet: nullus à ſtudio ſcripturarum ceſſet. Omnes ſe vtiliter inſtruant: omnes ſcientiæ ſalutari diligentiam impendant. Nõ eſt abbreuiata manus Domini, vt nobis poſſit negare, quod illis tam liberaliter condonauit. Hoc ſolum à nobis exigitur, vt voluntate bona & ſtudio gratiam cõmendemus. Ecce iam opportune ſtudẽtibus arridẽt omnia: quibus nouitas impreſſoriæ artis, multa millia librorum producit in lucẽ. Iam enim modico ærẽ quiſque doctus eſſe poteſt. & felix ætas noſtra, quæ hoc donum à Deo promeruit. Erat olim magna librorum penuria, quando maximis precĳs & expenſis parabãtur. At nunc in omni varietate ſcripturarum, ingens copia voluminum eſt, quibus ad ſcientiam literarum vnuſquiſque iam facile poteſt accedere. Quid ergo, fratres, negligitis vobis tam neceſſariam rem? Cur inerti lãgueſcitis ocio?

Ordinem monaſticum euexerunt duo.

Typographiæ laus.

Cur oblatam paruipenditis ſalutem? An putatis virtutem ſine labore, ſcientiam ſine ſtudio poſſe quenquam apprehendere? Intueamini eos, quorum in hoc catalogo fecimus mentionem, quomodo in ſcientia ſcripturarum mirabiliter profecerunt: & cognoſcite, quia non eſt ſtudium ſine amore, non ſcientia ſine labore, non victoria ſine certamine. Sed habet labor iſte ſolatiũ, quem diuini amoris confirmat incendium. Erant ii, de quibus loquimur, homines ſimiles nobis, mortales, infirmitati & paſſionibus ſubiacentes: ſed vicit in eis gratia Dei, amor ſcripturarum inſolentiam carnis ſuperauit. Nouerant enim optime, quoniam qui amat ſcientiam ſcripturarum, vitia carnis non amaret. Nihil in hac vita dulcius apprehenditur, nihil iucũdius ac ſecurius poſſidetur, nihil ita mentem à voluptatibus retrahit, ſicut amor & ſcientia vera ſcripturarum. Hæc eſt, ô fratres, mater honorificata, quæ diligentes ſe diligit, & ordinem noſtrum à principio exaltauit. O ſi ſciretis, quanti honoris & vtilitatis ſit amor ſcripturarum: ab eius cultu nunquam torperetis. Vultis vt dicam breuiter, quid de ſacra ſcientia mihi videatur? Audite: Monachus, qui eſt amator ſanctarum ſcripturarum, ſicut leo fortiſſimus beſtiarum, ad nullius pauebit occurſum. Quare? Quia ſacra hæc ſcientia velut turris Dauid, ędificata cum propugnaculis, ex qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium, tantam virtutem & fortitudinem in ſe continet, vt verum amatorem ſuum quaſi inuincibilem reddat, dum illius mentem ab omni voluptate terrena ſegregat. Ipſa dat ſuo amatori in tribulatione conſtantiã, in aduerſitate tolerantiam, in humilitate victoriam. Amorem Dei cordibus infundit fidelium: timorem & pauorem mentibus incutit ſuperborum. Si inuenerit hominem dignum ſe, ab omni ſeruitute facit liberrimum. Docet eum vitia fugere, virtutes diligere, terrena deſpicere, cæleſtia quærere, Deũ ſuper omnia amare. Cum autem nihil in terra diligit, de nullius amiſſione dolebit. Et hæc eſt vera libertas, animum terrenis affectibus facere alienum. Ad hanc liberrimam libertatem, ſancta ſcriptura & prouocat, & informat, ſi cum amoris ſynceritate tractetur. O quã dulcis eſt, Domine, ſpiritus tuus, qui amore ſanctarum ſcripturarum, ab humilis cordis puritate imbibitur. Nihil hic talis amare poteſt terrenum, nihil ambire caducum. Tota mentis illius affectio flagrante deſiderio ſurſum erigitur: totum eius ſtudium in amore Dei ſolidatur. Scriptura quippe eſt, quæ torpentes ad deuotionẽ nos excitat, mentem ad dilectionem Dei inflammat, contemptum præſentiũ ſuggerit, voluptatem carnis occidit. Hãc ergo ſi ex toto corde amaueris, honorificabit te: ſi colueris, exaltabit te. Sine illa, hominis vita aut voluptas, aut vanitas eſt. Sed in noſtris maneamus. Monachus aut Abbas, qui ſcientiam ſcripturarum non amat, quid aliud, quam vana, poteſt diligere? Et enim ſi non habeat, vbi cor ſuum in ſancto ſtudio delectabiliter occupet: neceſſe eſt, vt vanis inſeruiens, turpiter ſordeſcat. Hinc eſt, quod noſtri Abbates ſine ſtudio ſcripturarum terrena ambiunt, diuitias vanas quærũt, honores falſos cupiunt, terrenis curis totaliter ſe immergunt. Oportet enim intentionem eorum circa aliquid verſari, ſiue bonum, ſiue malum ſit. Cor quippe humanum, ſine affectione eſſe non poteſt, dum viuit intelligens. Qui autem ſanctis ſtudiis occupari renuit, ſine dubio contrariis inſeruit. Hi ergo in curribus & equis, iſti in diuitiis & ſtructuris: illi in conuiuiis & ebrietatibus, iſti in ludis & vanitatibus: illi in mulierum factis delectantur. Pauci ſunt, qui ſine amore ſcripturarum in clero & monachis bene conuerſantur. Multi ergo ſunt vocati, pauci vero electi. Scripturas ſacras diligunt, qui nouerunt: quia hæc ſcientia vel maxime non habet inimicum niſi ignorantem. Ordinis igitur noſtri priſtinum decorem intuentes, ſic animum ſcripturis ſanctis curemus apponere, vt per bonorum operum exercitia, fructum earum vitam æternam mereamur poſſidere. Hoc iam fine ſecundum tractatum noſtri operis concludentes, voluminis tertii deinceps, largiente clementia omnipotentis Dei, ſumamus exordium.

FINIS.

PRO-

PROLOGVS DOMINI IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEIMENSIS, IN TERTIVM LIBRVM de Viris Illustribus Ordinis S. Benedicti.

Glorioſum in ſanctis ſuis Deum omnipotentem inuocantes, poſt diuturnum ſilentium, manus ad laborem denuo relaxamus, tertium librum de illuſtribus viris inchoantes, in quo, iuxta quod ſæpe promiſimus, de ſanctis & canonizatis ſumus habituri ſermonem, qui ordinem diui Benedicti profeſſione ſua & moribus, veluti aſtra cæli in generationibus ſuis ornauerunt. Et licet multitudo eorum pene innumerabilis, à cœpto nos terreat: confidimus tamen in eo, qui dixit: Omnia poſſibilia ſunt credenti: quoniam ſicut illis ſua benignitate ſanctitatẽ contulit, ita & nobis virtutem loquendi de ſanctis miniſtrabit. Sed nemo æſtimet me ſanctorum omnium noſtri ordinis feciſſe mentionem: quorum tantus fertur numerus, vt ſolis recenſiti nominibus, volumen non paruum implerent. Ego autem vix paucos ſignaui è pluribus, quorum certam ad manum notitiam habebam. Illos vero, quos in hoc catalogo omiſimus, in libro vitæ conſcriptos non dubitamus. Sed & eos, quorum mentionem fecimus, breuiter conſignaſſe ſufficiat: ne liber iſte amplius, quam cæteri, in immenſum creſcat. Neque enim propoſiti noſtri eſt, vitam ſingulorum deſcribere, ſed qualitatem conuerſationis, vbi poterimus, compendioſe demonſtrare. Qui autem geſta ſanctorum plenius ſcire deſiderat, veteres hiſtorias, de quibus nos iſta extraximus, inquirat, nobiſque de ſermonis breuitate indulgeat. Nec moueat lectorem, quod pleroſque breuius, quam cæteros, pertranſiuimus: quoniam ſub neceſſitate laborantes, non omnium conuerſationes poteramus agnoſcere: nec opportunitatem inquirendi conſecuti fuimus, propter curas rei familiaris multiplices, quibus adeo interdum diſtendimur, vt vix penes voluntatem incepti poſſimus conſiſtere. Tempora etiam omnium non potuimus exprimere, quos lector ſtudioſus in veterum chronicis poterit inuenire, Nec multum refert, quo tempore in terra vixerit, qui ſine tempore apud Deum viuit in æternum. Placuit autem mihi, eo modo etiam in hoc tertio libro procedere, quo in ſecundo ſcriptores illuſtres non ſecundum excellentiam dignitatum, ſed ordinem temporum, vt potui, digeſſi. Omiſſis igitur ordine alphabeti, differentia dignitatum, ſexuſque diſcretione, omnes quos reperi de Ordine ſanctos, ſecundum temporis exigentiam, viros ac mulieres, in vnum comportaui: indignum iudicans, vt quos meritum ſanctitatis aduna- Marc. 9.

uit in cælis, calamus in terris diuideret. A ſancto itaque patre noſtro Benedicto, huius ordinis principe, inchoantes, tandem loquendi tale ſumamus exordium.

LIBER TERTIVS IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEIMENSIS, DE Viris Illustribus Ordinis S. Benedicti, Tractans de Sanctis & Canonizatis ex eo.

CAP. I.

BENEDICTVS itaq; monachorum nostri ordinis dux sanctissimus & principalis institutor, nobili genere ortus, fide nobiliori effulsit: cuius vitam virtutibus plenam, beatus Papa Gregorius in secundo libro Dialogorum descripsit, patria Nursensis, ex patre secundum carnem Probogenitus fuit. Hic adhuc puerulus, ad studium literarum Romę positus, cum multos secularis philosophiæ sectatores per vitiorum abrupta perire cerneret, vanitatis studiũ deseruit, ad veram se philosophiam spiritualis disciplinæ transferre cogitauit. Relictis igitur mundanis literarum studiis, mũdum cum flore pro Dei amore in sua iuuentute contempsit: fugiensque tumultus hominum, ad eremi secreta puer sanctus euolauit. Ibi aliquot annis incognitus mundo latuit, & in se præmisit, q; monachis postmodum prædicauit. O quantus feruor diuini amoris iuuenile pectus possederat, quod contra antiquũ hostem tam fortiter armabat. Spiritus sanctus iam tunc in Benedicti pueri corde locum mansionis sibi parauerat, quẽ de seculo excutiens in solitudinem trahebat. O quam dulcis est, Domine, spiritus tuus, qui etiam infirmorum corda iuuenum, contra aduersarium salutis nostræ tam valide confortat. Tribus igitur annis in specu latuit, nemini cognitus, nisi Romano monacho, qui secretorum eius conscius erat: donec tandem celebri fama sanctitas eius ad omnium aures delata est. Hic post multa spiritualis cõuersationis exercitia, Cassinense fundauit cœnobium: in quo multitudinem Deo seruientium habuit monachorum, quibus bonæ vitæ se viuum exemplum præbuit, ac monasticæ disciplinæ regulam descripsit. Qualis autem conuersatio eius fuerit, quam sancta, quam austera, quamq; discreta: & eius, quam scripsit, regula probat, & Gregorius in dicto volumine. Scribit de eo beatus Abbas Faustus, eius discipulus, quod corpus suum continuis macerauit ieiuniis atque vigiliis, adeo vt in admirationem cunctis cederet atque exemplum. In quadragesima vero ita duplicauit hæc omnia, tanquam si de nouo iam videretur incipere. Nocturnas consueuit præuenire vigilias, sub cuculla durissimo vestiri cilicio, & duabus tantum vicibus in hebdomada paruissimum sumere cibum. Denique quis instantiam eius orationis non miretur, quæ tanta fuit, vt ab eius mente nunquã discederet? Amor quippe Dei, cor, quod semel perfecte inflammauerat, per desiderium sanctum in altum iugiter trahebat. Ad tantum celsitudinis fastigium diuina gratia promotus est, vt prophetiæ spiritum meruerit accipere: quod multa in eius laudem per præfatum Pontificẽ conscripta, testantur. Huius beatissimi viri familiarissimus erat amicus Boëthius consul Romanus, sub nomine Seuerini canonizatus, quem rex Theodericus occidit, atque Romanorum ciues, senatoresque plurimi, qui sub eius magisterio suos filios Deo militaturos obtulerunt. Sed quid opus est, me pluribus immorari? Si quis vitam & conuersationem sancti patris huius scire desiderat, librum, quem sæpe diximus, Gregorii Papæ legat. Multi autem de vita & gestis eius scripserunt. E quibus ego paucos potui inuenire. Primus fuit Marcus poeta fidelis, beato patri familiaris amicus, qui cõuersationem eius atque miracula heroico metro descripsit. Paulus etiam Longobardus monachus Cassinensis, cuius in secundo huius operis libro fecimus mẽtionem, sub Carolo Magno & Lodouico eius filio, vitam & miracula sancti Benedicti metro egregie satis digessit. Theodericus nostri ordinis monachus, natione Gallus, ad Richardum Abbatem Fuldensem, de vita & laudibus diui Patris nostri varia composuit. Sigebertus quoque monachus Gemblacensis, de vita eiusdem sancti, & miraculis optime scripsit.

scripsit. Sed & alii quam plures de vita & conuersatione huius sancti Patris varia scripserunt, quorum singulatim longum est facere mentionem. Moritur autem sanctus Pater anno Domini 542. ætatis suæ 62. sexta feria Parasceues, quæ fuit duodecimo Calendas Aprilis. In oratorio suo, quod in laudem sancti Ioannis ipse construxerat, sepultus, vbi multis postmodum crebrisque miraculis claruit. Post beatum vero Patrem, Constantinus Abbas Cassinensis fratrum electione efficitur, post quem Simplicius, post hunc Vitalis, ac deinde Bonitus, sub quo Longobardi cœnobium sancti Patris Cassinense nocte inuadentes, omnibus direptis, incenderunt, nec vnum quidem de monachis tenere potuerunt, vt prophetia venerabilis Benedicti Patris, quam longe ante præuiderat, compleretur, qua dixit: Vix obtinere apud Deum potui, vt ex hoc loco animæ meis precibus concederentur. Fugientes autem ex eodem loco monachi, Romam petierunt, secum codicem sanctæ regulæ, quã præfatus Pater composuerat, & quædam alia scripta, nec non pondus panis & mensuram vini, & quicquid de supellectili subripere potuerant, deferentes. Iacuit itaque desolatum atque destructum Cassinense cœnobium annis centum duodecim, vsque ad pontificatum Gregorii secundi, cuius exhortatione Petronius ciuis Brixianus, religione & diuitiarum potentia insignis, sua impensa illud à fundamentis reparauit, ac monachorum frequentia magnificentissime restaurauit. Et hæc de sancto Benedicto ad præsens dicta sufficiant.

De sancto Mauro Abbate.

CAP II.

MAurus monachus atque discipulus beatissimi patris Benedicti, patria Romanus, ex clarissimo Senatorum genere ortus, patre Euticio, matre vero Iulia, cum adhuc puer duodecim esset annorum, sancto patri Benedicto diuinis & eius militaturus præceptis, à parentibus traditus est. Hic in iuuentute sanctis pollens moribus, adiutor magistri cœpit existere, & miraculorum eius cooperator & testis fidelissimus apparere. Vnde à B. Benedicto præ omnibus diligebatur, cuius instructione & exemplo tantum profecit, vt in obseruantia regulari secundum ab ipso magistro non haberet. Cum esset triginta duorum annorum ætatis, à sancto Patre in Andegauensem regionem, cum quatuor sociis monachis perfectissimis, ad fundandum cœnobium postulatus mittitur: vbi multorum pater monachorum constitutus, etiam viuens innumeris claruit miraculis. Hic est Maurus, qui cum sancto Patre de oratione monachum trahi à nigro puero viderat. Hic est, qui ad præceptum sancti magistri siccis pedibus calcans vndas, Placidum monachum iam submersum, ad litus sanum trahebat. Hunc nemo vnquam vidit ociosum, quia totus desiderio in cælestibus figebatur: vnde ab orationis & lectionis studio nunquam poterat torpescere. Ad tantam autem gratiam omnipotentis dono prouectus est, vt Deo dilectus & venerandus hominibus, Apostolorum imitator præclarus extiterit. Suis enim orationibus mortuos suscitauit, dæmones ab obsessis eiecit, infirmos sanauit, varioque in hominibus curauit languores. Longum est, si vellem viri huius sanctissimi virtutes & miracula calamo vel strictim percurrere, quæ tot ac tanta fuerunt, vt proprium volumen implerent. Beatus etenim Faustus eius condiscipulus, & comes itineris ac laboris, vitam & miracula ipsius pleno stylo digessit: quod volumen, quia publicum est & pene vbique habetur, nostrum sermonem facit vt abbreuiemus. Moritur anno ætatis suæ septuagesimo secundo, aduĕtus sui in Galliam quadragesimo, in ecclesia sancti Martini sepultus, octauodecimo Calendarum Februarii. Vbi multis claruit signis. Fuit autem sub magisterio sancti patris Benedicti annis viginti,

De sancto Fausto monacho.

CAP. III.

FAustus monachus & discipulus sanctissimi patris Benedicti, cum septem esset annorum, sub eius magisterio in monasterium à parentibus suis traditus est, & vnus de primis discipulis eius fuit. Hic tantæ humilitatis & obedientiæ extitit, vt etiam beatus Pater ob hanc causam in singularium dilectione habuerit. Enimuero cernens eum saluti propriæ & regulari obseruantiæ operam dare per

omnia, multis sæpe argumentationibus animi sui propositum nisus est experiri: iniungens ei plurima, quæ homini impossibilia esse sciebat. Sed vbi eum ad omnia, quantuncunque dura & aspera, semper paratum & hilariter obedientem reperit, cœpit eum familiarius amplecti, eiusque seruitiis & obsequiis præ cæteris specialius vti, ac in arcanis atque secretis suis, quæ nullis communicauerat, paterno instruere affectu, nihilque ab eo velle abscondere. Dilectus igitur à sancto magistro, & singulari charitatis sinu exceptus, omni conatu studuit in eius voluntate permanere, cupiens in eius iugiter ambulare conspectu, ita vt ne ad horam quidem ab oculis illius facile pateretur disiungi. Cum autem sanctus pater B. Maurum pro amplianda religione destinaret in Galliam, hunc religiosissimum virum ei in colliegam pro solatio assignauit, qui de primis discipulis eius superstes remansit. Quam diu vixit B. Maurus, mansit cum eo in Gallia: quo defuncto, ipse & Simplicius ad cœnobium Cassinense sunt reuersi, cum iam prope vltimam agerent ætatem. Faustus itaque ad locum suum regressus, anno post exitum quadragesimosecundo, rogantibus fratribus Cassinensibus & Theodoro venerabili Abbate Lateranensis monasterii, vitam & miracula sancti Mauri Abbatis pulchra venustate descripsit, & Bonifacio Papæ obtulit, qui etiam edita laudãs, historiam approbauit. Moritur tandem, plenus dierum & religione, cuius approbata conuersatio euidens sanctitatis eius extat testimonium.

De sancta Scholastica Virgine.

CAP. IIII.

SCholastica sanctissimi patris nostri Benedicti soror, virgo Dei electa, ab infantia Christi sponsa consecrata, nequaquam à sancto fratre degenerans, magna sanctitate spectabilis emicuit. Eius orationes tantæ efficaciæ apud omnipotentem Deum habitæ sunt, vt aquarũ inundatione, sancti fratris austeritati obsisteret. Quemadmodum hoc factum sit, in secundo libro Dialogorum sanctus Papa Gregorius non tacuit. Quæ historia, quia satis nota est, superflue à nobis exigitur. Moritur quarto Idus Februarii: cuius animam sanctus Benedictus in columbæ specie vidit cæli secreta penetrare: Fuit enim casta mente & corpore virgo, & in omni conuersatione sanctissima.

De sancto Placido Abbate, & triginta monachus martyribus.

CAP. V.

PLacidus monachus & discipulus sancti Benedicti, patria Romanus, Tertulli patricii viri clarissimi filius, cum septem esset annorum, sancto patri à parentibus oblatus fuit in monasterio Sublacensi, in præsentia Tertulli genitoris sui, Symmachi patricii. Boethii consulis, & multorum nobilium Romanorum. Qui licet puer esset ætate, cor tamen gerens senile, cœpit sub regulari magisterio beatissimi patris mirabiliter crescere, & sanctam ac Deo placitam vitam in omnibus obseruare. Quem vir Dei cernens de virtute in virtutem ad alta conscendere, ex intimo corde diligebat. Hic est Placidus puer, qui dum hauriens aquam de lacu, ab vnda per iactum arcus longè à terra traheretur, Benedicti meritis, ad obedientiam Mauri eius socii, de aqua incolumis ad terram reducitur. Cum autem sanctus pater Benedictus de sublacu in montem Cassinum ascendit ad construendum monasterium, secum adduxit Maurum & Placidum iam adultos, quos præ cæteris in regulari obseruantia nouerat studiosos. Constructo autem monasterio in monte Cassino, Tertullus patricius Placidi genitor, cum nobilibus senatoribus venit denuo ad virum Dei, congratulans ei, quod in sua hæreditate cœnobium construxisset. Obtulit ergo Deo & sancto Benedicto totum montẽ Cassinum cum omnibus pertinentiis suis, & alias multas possessiones, castra, villas, curtes, piscationes & insulas, quas longũ esset nominatim describere. Curtes etiã & possessiones, quas in Sicilia habuerat, cum magna hilaritate sancto Patri donauit. Sanctus autem pater Benedictus, cum audisset easdẽ in Sicilia curtes à quibusdam deuastari: Placidum cũ duobus sociis, Gordiano videlicet & Donato, misit pro defensione bonorũ prædictorum in Siciliam: quo cum peruenissent, in sua possessione iuxta Messanensem ciuitatem ad litus, in honorem S. Iohannis monasterium cõstruxerunt: & per quadriennium perficientes breui,

tempore

tempore triginta monachis repleuerũt. Collegerant enim de censibus suarum possessionum multam pecuniam, vnde facile insigne monasterium fabricarunt. Habebant autem Episcopum Messanensem cum nobilibus omnibus in auxiliũ. In itinere autem, quo sanctus Placidus pergebat Siciliam, multa per eum omnipotens Deus miracula & signa fecit: quę sanctitati eius testimonium euidens perhibeant. Nam cum ad vrbem Capuanã perueniissent, vbi à sancto Germano Episcopo sunt humanissime recepti, sanctus Placidus primicerium, Zoffum nomine, à magna infirmitate suis orationibus curauit, ac cæcum illuminauit. In alia ciuitate paralyticum curauit, claudo & muto gressum & loquelam suis orationibus impetrauit. Febricitantem à febribus liberauit, podagricum signo crucis sanauit, quendam surdum, cæcum, & mutũ, incolumem statuit: itavt loqueretur mutus, videret cæcus, & surdus audiret. Ibidem dæmoniacum grauissime vexatum liberauit. Alia quoque tam multa fecit miracula, vt longissimum sit ea narrare. In vita tamen eius clarius habentur. Habuit autem sanct° Placidus duos fratres, Euticium videlicet & Victorinum, ac sororem nomine Flauiam: qui, audita eius sanctitate, eum videre cupientes, de licentia parentum, à Roma ad eum venerunt Siciliam: à quo humaniter suscepti, in eius monasterio per aliquod tempus consistere statuerunt. Eo tempore Abdala Hispaniæ impiissimus rex Paganus & inimicissimus Christianorum, exercitum magnum & copiosum aduersus Romanum misit imperium cum centum nauibus: quorum ducem, crudelissimum quẽdam tyrannum, nomine Manucham, cõstituit: cui mandauit, vt ciuitates & castra igni cremaret, ecclesias destrueret, Christianos ad colendum dæmonẽ Molachrempham compelleret: non consentiẽtes diuersis suppliciis interficeret. Cũ ergo Siciliam cum sedecim millibus octingentis intrassent, nec apte Victorinus & Euticius ac Flauia, de Messana possent recedere, in cœnobio remanserunt. Demum inimici Dei ad Ciuitatem illam peruenientes, ad monasterium Placidi nocte accedentes, omnes vinculis alligarunt. Placidum cum triginta monachis, Euticium quoqoe Victorinum cum sorore Flauia virgine speciosissimâ, quos sic ligatos, ad suum ducem traxerunt. Cum autem nollent à sancta fide Christiana discedere, post multos & varios cruciatus, omnes capitis amputatione martyrium compleuerunt. Duo autem socii Placidi, videlicet Donatus & Gordianus, qui cum eo de cœnobio Cassinensi venerant, in hoc numero computati non sunt. Donatus enim, irruentibus hostibus, cum esset senex, subito capite truncatus est. Gordianus autem iuuenis, per posticam domus fugiens euasit. Hic Gordianus vitam sancti Placidi & passionem luculento sermone descripsit, qui inter cætera de ipso sic retulit: Placidus orationi & lectioni frequenter insistebat. In meditationibus assiduus, compunctionis spiritu copiosas lachrymas effundebat. Omni tempore quadragesimalem vitam ducens, vinum nunquam * bibebat. In quadragesima vero, Dominico die, feria tertia & quinta, pane tantum & aqua contentus erat, nihil aliis diebus omnino percipiens. Cilicio ad carnem semper vsus est magistri exemplo: & cum fatigatus esset ab oratione seu genuflexione, sedendo potius, quam iacendo, somnum capiebat. Nunquam alicui locutus est, nisi necessitas coegisset, aut rationabilis vtilitas prouidendi monasterio & aliis. Passus est autem sanctus Placidus cum supradictis sociis tertio Nonas Octobris, anno Domini quingentesimo quadragesimo primo, ætatis suæ 26. ad cuius sepulcrum multa miracula fiebant. Septennis siquidem erat, quando oblatus fuit beato Benedicto, cum quo in manasterio Sublacensi, & postea Cassinensi, monachus annis quatuordecim conuersatus, qui sunt anni XXI. tunc in Siciliam missus, ibidem quinque annis incomplete Abbatis gessit officium: & sic, vt dictum est, à duce Mammucha martyrio coronatur, anno Imperii Iustiniani 13. adhuc sancto Benedicto viuente.

Miracula S. Placidi.

De S. Donato martyre.
CAP. VI.

DOnatus monachus & discipulus sancti Benedicti, vir totius religionis exemplar & decus, humilis, mansuetus, & verus obedientiæ filius, cum sancto

Placido in Siciliam missus, nunquam ab institutione præceptoris sui deuiauit. Erat enim regularis disciplinæ ardentissimus amator: adeo, vt nec in minimo à regula sancti patris Benedicti auderet recedere: talis ac tantus extitit, vt Deo martyr dignus effectus sit, quemadmodum de sancto Placido iam supra dictum est. Nam cum satellites diaboli nocte monasterium inuaderent, omnes ibidem repertos vinculis alligarunt, mane ad ducē impietatis trahendos. Videntes autem sanctum Donatum senio & abstinentia grauatum, ire non posse, suaserunt vt Christum negaret, & viueret: alioquin interficeretur. Christianus & mori, & viuere paratus sum: quia Christum negare non possam, nec volo. Quo audito, carnifices caput eius amputarunt quarto nonas Octobris, anno Domini 541. adhuc S. Benedicto viuente.

De sancto Cassiodoro monacho.

CAP. VII.

CAssiodorus monachus cœnobii Rauennensis, vir in omni literatura secularis doctrinæ peritus: in diuinis quoq; scripturis eruditissimus extitit. Hic fuit ante conuersionem suam, Theoderici regis Italiæ cancellarius, & Rauennæ vrbis senator: qui licet secularibus esset occupatus negociis, semper tamen animo ad cælestia suspirabat. Occiso autem præcepto Theoderici Boethio, cœpit Cassiodorus mundum amplius abhorrere, & regis velle declinare proterui seruitium. Audiens itaq; famam sanctitatis sacratissimi patris Benedicti & fratrum eius, diuino incensus spiritu, seculum cum vanis honoribus deseruit, & sacrum ordinem monachorum intrauit. In monasterio autem constitutus, quam sanctissime vixerit, quis sermo explicabit? Secularem nanq; philosophiam in spiritualem conuertens, totum se scripturis impendit diuinis, lectioni & expositioni earum adeo intentus, vt multa ad vtilitatem Ecclesiæ volumina ediderit, sicut in secundo libro iam diximus. In orationibus & compunctione lachrymarum, sedulus & deuotissimus fuit: ita vt etiam viuens adhuc in carne, sanctus haberetur & esset. Erat enim charitate feruidus, dilectione proximi beatus, humilitate deiectus, castitate mundus, sermone verus, locutione cautus, oratione deuotus, meditatione profundus, contemplatione sublimis. In aduersis fortis, in prosperis humilis fuit. Fuit scientiæ sacræ scripturæ ardentissimus amator: vnde, iuxta promissum Hieronymi, carnis vitia non amauit. Eius doctrina sanctitate multi ad religionem sunt attracti. Claruit adhuc sancto Benedicto viuente, in monasterio ab eo fundato, anno Domini 550.

De sancto Constantino abbate.

CAP. VIII.

COnstantinus monachus & discipulus sanctissimi patris Benedicti, vnus ex illis, quibus narrantibus beatus Gregorius vitam & miracula eiusdem viri Dei conscripsit: vir eximiæ synceritatis & meriti, qui primus in Abbatis regimine sancto patri successit, ab eo dignus & idoneus iudicatus, ordinem & disciplinā regularem tam in se, quam in aliis strenue gubernauit. Sub eo deniq; multa nostri ordinis monasteria, in diuersis mundi partibus fundata sunt. Hic in omnibus boni magistri strenuus imitator effulsit. Fuit enim non solum vitæ sanctitate conspicuus, sed etiam sanctarum scripturarum scientia insignis. Claruit anno Domini 560.

De S. Valentiniano abbate.

CAP. IX.

VAlentinianus monachus & discipulus eiusdem sancti patris Benedicti, Lateranensis monasterii rector & Abbas, etiam vnus de his, qui Gregorio vitam sancti Benedicti narrauerunt: à sanctis huius catalogi, nequaquam est reiiciendus, quem Faustus sanctissimum virum merito appellat. Erat enim humilitate & obedientia regularium statutorum insignis, & ob id singulariter dilectus à magistro, quem pro modulo semper studuit imitari. Hunc electus Domini Benedictus congregationi Lateranensis cœnobii præfecit Abbatem, sciens eum virum sanctum, & ad regimen animarum satis idoneum, quippe quem sub suo educatum magisterio secretorum suorum conscium assciuerat. Claruit sub sancto patre anno Domini 540.

& vsque ad beati Gregorii Papæ tempora senex peruenit, sub quo & obiit.

De S. Simplicio Abbate.

CAP. X.

SImplicius monachus & discipulus S. Benedicti Abbatis, qui tertius post eũ Cassinense gubernauit cœnobium: exempla sanctitatis & incitamenta virtutũ à bono sumens magistro, magna religionis claritate effulsit, qui talis ac tãtus extitit, vt inter diuos patres merito sit locãdus: siquidem iuxta regulæ traditionem perfecte ambulans, nihil quod obseruantiæ monasticæ conducere potuisset, omisit. Claruit anno Domini 570.

De S. Equitio Abbate.

CAP. XI.

EQuitius Abbas & rector monachorũ quampluriũ, cum esset vir sanctus & magnus, coruscans miraculis, maxime humilitatem sectatus, tam se, quam suos, Benedicti Regulæ & institutis submittere non erubuit, cuius virtutes ex parte Gregorius in lib. 1. dialog. descripsit. Claruit in Valeriæ partibus, anno Domini 570. *Cap. 4.*

De S. Valentio Abbate.

CAP. XII.

VAlentius Abbas cuiusdam monasterii in Valeria, vir sanctus & religionis ardentissimus amator, sub regula & norma S. Benedicti multas Christo animas est lucratus, è quibus etiam nonnullę per martyrii palmam ad cælestia regna migraverunt. Hic post multos labores, quos pro Christo sustinuit in Valeriæ partibus, Romam veniens, præceptor & Abbas beati Gregorii & sui monasterii factus est, cuius etiam idem Papa sanctissimus in suo dialogo plerunq; facit mentionem. Claruit anno Domini quingentesimo septuagesimo, & ante pontificatum discipuli mortuus est.

De S. Galla virgine.

CAP. XIII.

GAlla sanctimonialis ac Dei famula, Symmachi patricii & Consulis Romani filia, cum in iuuentute marito fuisset tradita, & infra annum eius viduata consortio, alium ducere renuit: sed deposito habitu mundanæ vanitatis, monasterium apud sancti Petri basilicam intrauit. Quæ cuius meriti apud Deum omnipotentem fuerit, Gregorius in quarto Dialogorum ostendit. Claruit eodem tempore, quo sanctus Benedictus, sed iunior. *Cap. 13.*

De S. Herculano Episcopo.

CAP. XIV.

HErculanus Episcopus Perusinus ex monacho, vir sanctissimæ conuersationis fuit, qui multos pro Christo labores martyrii palma terminauit: quod quomodo factum sit, Gregorius in tertio Dialogorum libro scripsit. Claruit anno Domini 550. *Cap. 13.*

De S. Isaac Abbate.

CAP. XV.

ISaac monachus & Abbas monasterii, quod iuxta vrbem Spoletanam situm est, natione Syrus, vita & conuersatione sanctissimus fuit: qui multis tam in vita, quam post mortem, fertur claruisse miraculis. De quibus in tertio Dialogorum aliqua narrantur. Fuit enim vir charitate plenus, humilitate summus, deuotione præcipuus, & paupertatis spiritus custos zelosus. Claruit anno Domini 560.

De S. Euticio Abbate.

CAP. XVI.

EVticius Abbas cuiusdam monasterii in Nursiæ partibus, moribus & scientia tanto dignus officio, multas Deo animas sua prædicatione acquisiuit. Habebat enim hanc gratiam, vt aliis prodesse verbo & exemplo voluerit & posset. Magnus fraternæ salutis amor in eius pectore feruebat. Claruit anno Domini 570. signis coruscans post mortem innumeris, sicut beatus Papa Gregorius in tertio Dialogorum libro de eodem testatur. *Cap. 15.*

De S. Eleutherio Abbate.

CAP. XVII.

ELeutherius presbyter & Abbas monasterii sancti Marci Euangelistæ, iuxta

iuxta vrbem Spoletanam, vir tantæ sanctitatis ac religionis, vt mortuum orando suscitauerit: tantæq; simplicitatis & compunctionis, vt dubium non esset, quod illæ lachrymæ ex tam humili simplicique mente editæ, apud omnipotentem Deũ multa obtinere potuissent: alia enim plura patrauit miracula, de quibus beatus Gregorius ex parte mentionem facit. Hic est Eleutherius, cuius orationes tantæ efficaciæ fuerunt, vt eidem Gregorio virtutem ieiunandi obtinerent. Claruit cum eo, sed senex, anno Domini 570.

Lib. 3. dial. c. 33.

De S. Maximiano Episcopo.

CAP. XVIII.

MAximianus Episcopus Syracusanus, ex Abbate monasterii S. Gregorii Papæ, de quo ipse fecit mentionem in tertio libro Dialogorum, vir sanctus & Deo dilectus, ac monachorum studiis ab infantia imbutus, tali dignus honore habitus, iam cum Christo regnat in cælestibus. Claruit anno 590.

Cap. 36.

De S. Spe Abbate.

CAP. XIX.

SPes, monachus & Abbas monasterii Camplæ in partibus Nursiæ, quem Dominus ad augmentum meritorum suorum misericorditer flagellans, visu oculorum quadraginta annis voluit priuari: vt misericordiam suam in eo ampliorem effunderet, dum ei lumen diutius amissum, mirabiliter reddidisset, quod & factum est anno Domini 570.

De S. Surano martyre.

CAP. XX.

SVranus Abbas monasterii cuiusdam in prouincia Surensi, vir sanctissimæ conuersationis, adeo eleemosynarum largitionibus intentus, vt omnia monasterii bona in vsus pauperum hilari mente expenderet. Hic à Longobardis martyrio coronatus est. Claruit anno Domini 570.

De S. Ioanne monacho.

CAP. XXI.

IOannes monachus, & frater germanus S. Eleutherii Abbatis, cuius superius iam fecimus mentionem, vir magnæ compunctionis & humilitatis: intãtum omnipotenti Deo synceritas mentis eius placuisse dicitur, vt obitum suum ei longe ante notum fecisse memoretur. Fuit enim totius religionis obseruator zelosus, quod etiam mors eius in Domino glorioſa testabatur. Claruit anno Domini 560. & ante fratrem obiit.

De S. Theodoro Abbate.

CAP. XXII.

THeodorus monachus & discipulus sanctissimi patris nostri Benedicti, ac tertius post S. Valentinianum Lateranensis monasterii Abbas, vir sanctus & Deo dilectus, magnæ charitatis & abstinentię fuit. Claruit anno Domini 570.

De S. Antonio monacho.

CAP. XXIII.

ANtonius monachus & discipulus S. Gregorii Papæ, vir sanctæ conuersationis, & spiritu compunctionis adeo repletus, vt fons lachrymarum ab eius oculis indesinenter flueret: qui nunquam à meditatione scripturarum & orationis studio cessauit, semper in ore psalmodiã reuoluens, donec diuina visione tandem vocatus, & de corona immarcescibili certificatus, febre correptus, à morte transiit ad vitam æternam. Claruit anno Domini 570.

De S. Gallo Episcopo.

CAP. XXIV.

GAllus ex monacho Chrononensis cœnobii, Episcopus Auernorum, vir tantæ sanctitatis extitit, vt multis & in vita & post mortem miraculis legatur claruisse. Hunc Treuerenses post decessum Aponoculi antistis sui, à Theoderico rege dari sibi petierunt Episcopum. quibus rex tale dederat responsum: Ite, & alium eligite Episcopum. Gallum enim alibi habeo destinatum. Erat autem eo tempore diaconus. Factus autem Episcopus, tanta humilitate, tantaq; charitate omnibus vsus est, vt ab omnibus diligeretur. Huius vitam beatus Gregorius Turonensis Episcopus compendio descripsit, cuius multa narrat miracula. Fuit enim fere contẽporaneus eius. Claruit autem sub Theoderico rege, anno Domini 570.

De

De S. Merulo monacho.

CAP. XXV.

MErolus monachus & discipulus B. Gregorii Papæ, vir lachrymis & cõpunctioni vehementer intentus, qui tantæ sanctitatis fuit, vt diuina promissione ab hoc exilio ad felicitatem cælestis patriæ sit vocatus. De cuius tumulo post annos quatuordecim fragrantia miræ suauitatis fertur emanasse. Claruit anno Domini 570.

De S. Columbano Abbate.

CAP. XXVI.

COlumbanus Abbas & pater multorum monachorum, de Hybernia veniens in Burgundiam, permittente rege Theoderico, monasterium Luxouiense fundauit, vbi fratres secundum regulam sancti patris Benedicti viuere docuit. Exinde à Brunihilda fugatus, Alemaniam ingreditur, ac deposit in Italiam transiẽs, monasterium quod Bouium dicitur, ædificauit. Huius vitam Ionas eius discipulus composuit. Moritur sub Mauritio imperatore, vndecimo Calendas Decemb. anno Domini 598.

De S. Martio Abbate.

CAP. XXVII.

MArtius Abbas Auernensis, ex eodẽ territorio ortus, vir fide & charitate eximius, qui multa in vita sua patrauit miracula, quibus sanctitas eius ostendebatur. Nam Florentium patrem Gregorii Turonensis Episcopi, adhuc puerum decem annorum, sanauit à febribus. Sed & post mortem multa infirmis ad eius sepulcrum prẽstantur suffragia. Eius vitam virtutibus plenam, idem Gregorius Turonensis præsul descripsit. Claruit anno Dominicæ incarnationis 570.

De S. Leandro Episcopo.

CAP. XXVIII.

LEander ex monacho Episcopus Hispalensis ante Isidorum, ad quem B. Papa Gregorius librum scripsit Moralium in Iob, vir doctissimus atq; sanctissimus: qui sua prædicatione atq; doctrina Hermigildum, Ligildi Gothorum regis filium, ab Arriana impietate conuertens, vsq; ad martyrii palmam roborauit. Multis & in vita, & post mortem, miraculis coruscasse legitur, quæ in eius vita partim habentur: quam Isidorus ei in Episcopatu Hispalensi succedens, descripsit. Cuius natale tertio Calendas Martii festum celebratur.

De S. Leonardo Abbate.

CAP. XXIX.

LEonardus eremita & Abbas Nobiliacensis, ex pago Cenomanico natus, vbi etiam monasterium construxit, discipulus sancti Remigii, vir sanctissimæ vitæ fuit: quod innumera testantur miracula, quæ & in vita & post mortem, ad eius sepulcrum patrauit. Erat erga miseros tantæ pietatis & compassionis, quod & hoc à Deo precibus impetrauit, vt quicunq; in carcere vel compedibus teneretur, inuocato eius nomine, mox inde solueretur. Miranda, in eius vita reperies. Moritur octauo Idus Octobris, anno Domini 559. & multis claret miraculis, ad cuius corpus dum sepeliretur, duo cæci illuminati sunt.

De S. Radegunde moniali.

CAP. XXX.

RADEgundis Abbatissa monasterii sanctimonialium Pictauiensis, regio sanguine orta, seculum cum suis honoribus despiciens, feliciter ad regnum cæleste peruenit. Huius vita sanctissima, infinitis penè fertur claruisse miraculis: quia & dæmones ab obsessis expulit corporib. mortuos suscitauit, cæcis lumina oculorum reddidit, surdis auditũ, claudis gressum, ægris sanitatem. Ad eius quoq; sepulchrum innumera quotidie fiunt miracula. Cuius festum . dibus Augusti colitur. Claruit anno Domini 560.

De S. Brendano Abbate.

CAP. XXXI.

BRendanus Abbas, natus in Hybernia ex parentibus generosis, vir sanctissimæ conuersationis, qui exacerbatus à Britannis, eis maledictis, transiuit ad Gallias: vbi ad normam Benedicti, cum suis comitibus cœpit militare, & multis clarere miraculis. Hic multos insignes fertur habuisse discipulos. Eius festum decimoquarto Calendas Ianuarii colitur. Claruit anno Domini 570.

De

De S. Senoch Abbate,

CAP. XXXII.

SEnoch Abbas genere Theisalus Pictauipagi, quem Theisaliam vocant, oriundus fuit, in territorio Turonico monasterio fundato, sanctissima conuersatione emicuit: qui tanta corpus suum abstinentia domuit, vt multis in admirationem verteretur. Ab eius corde feruor deuotionis nunquam tepuit, in quo sibi diuina pietas dulce habitaculum præparauit. Orationibus & vigiliis semper erat intentus. Vnde & multis in vita & post mortem claruit miraculis, sicut in eius vita legitur, quam Gregorius Turonensis episcopus descripsit: cui etiam ipse magna familiaritate erat coniunctus. Claruit anno Domini 580, & quadragesimo ætatis suæ moritur.

De S. Venantio Abbate,

CAP. XXXIII.

VEnantius Abbas monasterii iuxta basilicam sancti Martini Turonensis, ortus ex territorio Bituricensi, vir sanctissimæ vitæ, multis viuens & inortuus coruscauit miraculis. nã dæmones fugauit, febres curauit, cæci visum reddidit, surdis auditum, claudis gressum, infirmis sospitatem, sicut in eius vita legitur, quam Gregorius Turonensis composuit. Claruit circa annos Domini 560.

De S. Aridio Abbate,

CAP. XXXIV.

ARidius Abbas Lemoicensis, quondam discipulus beati Nicetii Archiepiscopi Treuerensis, vir tantæ sanctitatis & virtutis extitit, vt Deus ad preces eius, cæcos illuminauerit, paralyticos curauerit, dæmoniacos mundauerit, atq; infirmis multa præstiterit beneficia. Denique in medio pluuiæ, sociis vndiq; madefactis, sæpe nec vna quidem gutta sanctũ Aridium tangere præsumebat. Hoc venerabili viro narrante, Gregorius Turonensis vitam sancti Nicetii Treuerorum præsulis descripsit. Claruit anno Domini 580.

De S. Maclouio monacho.

CAP. XXXV.

MAclouius, qui & Machutes, monachus & discipulus S. Brandani Abbatis, natione Brito, parentibus ortus generosis, vir charitatis inæstimabilis, fide firmus, spe certus, conuersatione præcipuus: tantæ sanctitatis fuit, vt innumeris claruerit miraculis, ita vt reges & nobiles, inuitum eum ad Episcopatum illius prouinciæ vnanimiter eligerent, in quo sanctitate maxima emicuit. Obiit autem 17. Calendas Decembris: cuius vita & miracula diligenter scripta sunt. Claruit anno Domini 580.

De S. Vrso Abbate,

CAP. XXXVI.

VRsus Abbas & fundator monasterii Thussiriacensis & Pontiniacensis, Cadurnicæ vrbis incola fuit. Deinde accedẽs Turonicam, aliud fundauit cœnobium, in quo deinceps consistens, in magna abstinentia & puritate vitam ducebat. Dedit autem ei Dominus gratiam curationum, ita vt insufflatis energumenis, immundum ab eis spiritum protinus eiiceret. Sed & alias per eum Dominus plurimas dignatus est operari virtutes. Eius vitam beatus præsul Gregorius Turonensis descripsit. Claruit anno Domini 560.

De S. Leobatio Abbate,

CAP. XXXVII.

LEobatius Abbas monasterii apud Senapariam in terminis Turonicæ regionis sitũ. B. Vrsi supradicti consodalis, vir sanctitate & virtute eximius, qui & verbo & exemplo multorum corda conuertit ad Christum, non absq; signis & miraculis præsentem trãsegit vitam. Claruit eodem tempore, quo Vrsus, videlicet anno Domini 560.

De S. Monegunda moniali.

CAP. XXXVIII.

MONEGVNDIS Abbatissa, Carnetenæ vrbis quondam incola, cum parentum ad nutum copulata coniugio, duas filias genuisset, & illas inuida mortalium fata cito rapuissent, deserto marito, genitrix pignoribus desolata, se totam conuertit ad Dominum: ac deposita veste seculari, sanctæ conuersationis habitum suscepit: fundatoque cœnobio ad Basilicam sancti Martini, monachas

nachas secum in Domino adunauit. Hęc tantis miraculis viuens & mortua claruit, vt veterum nulli sanctorum inferior iudicetur. Eius vitam Gregorius Turonensis descripsit.

De S. Eltuto Abbate.

CAP. XXXIX.

ELtutus Abbas monachus & discipulus quondam S. Germani, vir omniũ scripturarum veteris scilicet & noui testamenti, & omniũ artium philosophiæ peritissimus, præceptor S. Sansonis Episcopi, tantæ sanctitatis extitit, vt Prophetiæ spiritu meruerit illustrari, denique multa mirifica in vita sua opera patrauit. Vnde & obitum suum longe ante præsciuit. Claruit autem anno Domini 560. Dum autem moreretur, anima eius in specie aquilæ duas pennas aureas habentis, visa est ad cælum cum angelis euolare.

De S. Isano Abbate.

CAP. XL.

ISanus Abbas, monachus & discípulus beatissimi patris Eltuti, qui vidit eius animam angelicis manibus, in similitudine aquilæ duabus pennis aureis, in cælum deferri, vir magnæ sanctitatis, contemptor mundi, & amator sanctæ paupertatis, velut stella in medio nebulæ, sic Britanniam sua conuersatione sanctissima & doctrina illustrauit. Claruit anno Domini 560.

De S. Sansone Episcopo.

CAP XLI.

SAnson ex Abbate Dolensis Archiepiscopus, de Metiana prouincia, nobilibus parentibus ortus fuit. Hic B. Eltuto docendus traditur, à quo in timore Domini & sacris scripturis nobiliter imbutus etiam adhuc iuuenis, miraculis claresceré cœpit. Tanta vero abstinentia carnem suam domuit, vt in tota vita sua nunquam comederet quod vitam habuisset. Eius vita, qualis fuerit, luculento sermone descripta est. In qua legitur, quod sæpe totam hebdomadam à cibo abstinuit, & septimo tandem die reficiebat. Noctes vero longissimas sæpe transigere solebat stando de luce vsq; ad lucis reciprocum, nec stans omnino lassabatur. Non diebus, non noctibus ab orationib. & diuinis colloquiis cessabat, qui tandem multis clarus miraculis, requieuit in Domino. Huius natale celebratur quinto calendas Augusti. Claruit anno Domini 600.

De S. Similiano Abbate.

CAP. XLII.

SImilianus Abbas monasterii Cauracensis, præceptor sancti Ethbini, vir sanctus & Deo dilectus, doctrina & exemplo monachos strenue gubernans, magna sanctitatis suæ dedit indicia. Claruit in Britannia transmarina, anno Domini 600.

De S. VVingualoco monacho.

CAP. XLIII.

VVingualocus sacerdos, monachus & discipulus B. Similiani Abbatis in monasterio Cauraconensi, de quo iam diximus, vir sanctissimæ conuersationis: Dominum Iesum in forma pauperis leprosi videre meruit, cuius cum nares ore suo contingeret, quem suscepisset, protinus agnouit, à quo audire dignus fuit. Nõ me erubuisti, serue meus, in miseriis meis: nec ego te erubescam in regno patris mei. Hæreditas tua mecum est. Claruit anno Domini 580.

De S. Ethbino monacho.

CAP. XLIV.

EThbinus monachus & discipulus sancti patris Similiani atq; diaconus, natione Brito, parentibus ortus nobilibus, doctrinis liberalibus optime imbutus, minister præfati Wingualoci sacerdotis: cum ille leprosum, de quo diximus, in messe ore mundandum susciperet, iste per latera Dominum erigens, clamabat: Pater sancte, ipsum, quem teneo manibus, & tu ore, Dominum Iesum Christum, qui seipsum dedit pro nobis, esse crede. Viderat enim cælum apertum, & angelos in eius occursum properantes. Postmodum ad Hyberniam secedens, in sylua Nectensi morabatur pauper, vbi multa patrauit miracula, quemadmodum in eius vita clare legitur: cuius natale 14. Calendas Nouembris celebratur. Claruit anno Domini sexcentesimo 10. & moritur, cum esset annorum octoginta ferme trium.

De S. Basolo Abbate.
CAP. XLV.

BAsolus monachus & Abbas in diœcesi Rhemensi, ortus ex territorio Lemouicensi, cum adhuc iuuenis esset, se totum diuino seruitio mancipauit: egressusq; terram cognationis suæ, peruenit ad vrbem Rhemensem, vbi Pontificatum tenebat sanctus vir Ægidius post beatum Remigium quartus, cuius authoritate & benedictione locum secretum petiit, & monasterium fundauit. Hic tanta sanctitate emicuit, vt multis in vita miraculis fuerit glorioſus, quemadmodum in gestis eius continetur. Huius festum sexto Calendas Decembris agitur. Claruit anno Domini 600.

De S. Sindolpho monacho.
CAP. XLVI.

SIndolphus presbyter & monachus, socius beati Basoli Abbatis, natale solum dulce relinquens, pro Christi amore peregrinus efficitur: & vt mundo mortuus, Deo viueret, eremiticam vitam subiuit, in qua multis annis Domino militãs, magnis effulsit virtutibus. Claruit in Frãcia anno Domini 600.

De S. Gilda monacho.
CAP. XLVII.

GIlda monachus & discipulus beati Eltuti Abbatis clarissimi, vir morib. & conuersatione deuotus, & in diuinis scripturis à docto magistro nobiliter imbutus, sanctæ monasticæ disciplinæ zelosus amator inuentus est. Vnde & magnis in vita legitur claruisse miraculis. Huius condiscipuli erant sanctus Samson Dolensis Episcopus, & beatissimus vir Paulus antistes Leonensis. Claruit anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo in Britannia.

De sancto Paulo Episcopo
CAP. XLVIII.

PAulus Episcopus Leonensis, monach' & discipulus beati Eltuti Abbatis, eius magisterio adhuc puer à parentibus traditur, vt moribus eius sanctis & doctrina informetur. Sub quo intantum puer sanctus profecit, vt etiam miraculis effulgens, admirandus magistro videretur. Factus autem Episcopus, tanta maceratione carnem suam domuit, vt in cibum nihil aliud, quam panem siccum & sal, sumere consueuerit. In diebus vero solemnibus addebat, quasi pro magno apparatu, paucos discipulos. Carnes autem non quadrupedum, secundum regulam, sed etiam bipedum, in omni vita sua gustu nõ legitur contigisse. Huius vita multis coruscа miraculis habetur conscripta: cuius festum quarto Idus Martii colitur. Claruit anno Domini 600.

De S. Amando Episcopo.
CAP. XLIX.

AMandus ex monacho Episcopus Traiectensis, superioris, id est, Leodiensis, vir doctus & sanctus, multos sua melliflua prædicatione ab iniquitate cõuertit ad Dominum. Vnde & in vita & post mortem infinitis fertur claruisse miraculis, sicut in vita eius, diligenter digesta, habetur. Volunt autem nõnulli, quod Abbas fuerit ante præsulatum cœnobii Elnonensis: Festum eius colitur 8. Idus Februarii. Claruit anno Domini 630.

De S. Maglorio Episcopo.
CAP L.

MAglorius monachus & discipulus beati Eltuti patris, ex Britannia oriundus, genere spectabilis, sancti Samsonis consors fuit: qui etiam decedens, in Archiepiscopatu Dolensi eum sibi constituit successorem. Vbi cum spectabilib. documentis simul & exemplis enitesceret, angelus Domini in somnis ei apparens, admonuit, vt pontificatus culmine relicto, ad remotioris loci latibula pergens, solitariam vitam duceret, vbi monachorum gregem pascens, laudes quoque Domini licentius celebraret: qui expergefactus, gratias egit Deo, & in episcopatu viro, nomine Buduco, substituto, mandatum impleuit, multisq; miraculis coruscauit. Eius festum nono Calendas Nouembris celebratur, quo & obiit. Claruit anno Domini 620.

De S. Gregorio Episcopo Turonensi.
CAP. LI.

Grego-

GRegorius ex monacho Turonẽsis Episcopus, Aluernicæ regionis indigena fuit, cuius pater Florentius Georgii senatoris filius, vir & ipse laudabilis, & sanctæ conuersationis effulsit. Vnde bonus pater filium suum Gregorium timore Domini instruens, sanctorum illi gesta ad memoriam commendauit, quibus semper ad meliora enituit. Factus autem Turonensis Ecclesiæ post B. Eufranium Archiepiscopus, ecclesias plures instruxit, & varios in scripturis sanctis tractatus exposuit: de quibus ex parte in secundo libro huius operis iam fecimus mentionem. Fuit autem homo charitate & humilitate maximus, ita vt suo tempore in terris similem vix habuerit. Sedecim annos hic in Episcopatu exegerat, cum æquiuocus ille magnus Gregorius. Romæ in sede Apostolica subrogatus est. Cum autem iste ad limina Apostolorum Romam peteret, à sancto Papa Gregorio cum magna reuerentia exceptus est, quẽ ad B. Petri confessionem introducens, ex latere constitit, præstolans, quousq; ab oratione assurgeret. Interim autem, vt erat ingenio profundissimus, secretam Dei dispensationem admirans, considerabat in huiusmodi hominem (erat enim statura breuis) tantam gratiam profluxisse. Quod ille mox diuinitus perspicẽtiens, & ab oratione surgens, placidoque (vt erat) vultu ad Papam respiciens: Dominus, inquit, fecit nos, & non ipsi nos: idem in paruis, qui & in magnis. Cumq; illud cogitationi suæ sanctus Papa responderi animaduerteret, ipsa sua deprehensione gauisus, gratiam, quam hactenus in Gregorio mirabatur, in magna veneratione deinceps habere cœpit. Sanctus autem Episcopus in suo proposito proficiens atq; succrescens, multis & in vita & post mortem claruit miraculis: cuius festum colitur 15. Calendas Decembris. Eius vita conscripta habetur. Claruit anno Domini 600.

De S. Gregorio Papa.

CAP. LII.

GRegorius ex monacho & Leuita Romanus Pontifex post Petrum sexagesimus sextus, sedit in cathedra Apostolica annis tredecim, mensibus decem, diebus decem: vir quidem suo tempore in scripturis tam diuinis quam secularibus omnium opinione doctissimus, humilimus atq; sanctissimus, cuius pater Gordianus, senator clarissimus fuit. Fundauit autem beatus Gregorius ante conuersionem suam plura monasteria, ex quibus vnum in vrbe in honorem sancti Andreę constituit, in quo sub abbate Valentio monachus factus est. Quis, qualis, quantusq; fuerit, Ioannes diaconus in eius vita, quam libris quatuor explicuit, luculẽter descripsit. Et ideo non est opus iam longam de eo fieri mentionem. Moritur autem anno Domini 603. cuius festum 4. Idus Martii colitur.

De S. Augustino episcopo.

CAP. LIII.

AVgustinus ex monacho sancti Andreę in Vrbe, primus Archiepiscopus Doruernensis in Anglia, quæ nunc etiam Cantuarienſis dicitur, discipulus S. Gregorii Papæ, natione Romanus: quẽ idem Papa misit in Angliam ad prædicãdum verbum Dei, qui magna virtute per multa signa & stupenda miracula gentẽ illam, hactenus idolis seruientem, ad fidem Christi conuertit. Quemadmodum vero hæc conuersio facta sit, & quam sanctæ vitæ vir iste fuerit, Beda monachus in primo libro Ecclesiasticæ historiæ luculento sermone digessit. Alias etiam vita eius descripta habetur. Claruit in Anglia, anno Domini 620. Cuius festum 7. Calendas Iunii colitur.

De S. Marcolpho Abbate.

CAP. LIV.

MArcolphus Abbas monasterij Baiocacensis in Gallia, vir doctus & sanctus, & monachorum strenuus gubernator, ob miracula & vitæ sanctitatem apud Gallos reges & principes in magno precio habitus est, cuius festum septimo Calendas Maii colitur. Claruit anno Domini 610.

De S. Petro Abbate.

CAP. LV.

PEtrus monachus beati Gregorii Papæ, cum Augustino missus in Britanniam socius laborum & miraculorum eius clarus effulsit. Fundato autem in honore Apostolorum Petri & Pauli mona-

sterio, eum sanctus præsul Abbatem constituit, in quo diuinis se totum mancipauit obsequiis. Hunc idem Augustinus, conuersis ad fidem iam Anglis, Romam destinauit vna cum sancto Laurētio presbytero, vt beato Papæ Gregorio de factis singulis facerent relationem, & de quibusdam quæstionibus responsum reportarent. Claruit autem in Anglia, anno Domini 620.

De S. Mellito Episcopo.

CAP. LVI

MEllitus ex Abbate vrbis Romæ, Episcopus Londonienſis prouinciæ Orientalium Saxonum, à beato Augustino ordinatus, sua prædicatione totam illam insulam ad fidem Christi conuertit. Fuit enim vir sanctissimæ conuersationis, & propter vitæ & doctrinæ meritum sactus Papa Gregorius, petente Augustino, eum illò direxit. Vnde & multa miracula fecisse legitur. Deniq; ad Ecclesiam Doruernensem post Laurentium, qui Augustino successerat, archiepiscopus translatus est. Moritur autem dierum plenus & sanctitatis, anno Domini 624. nono Calendas Martii, secundum Bedam.

De S. Iusto Episcopo.

CAP. LVII.

IVstus monachus sancti Gregorii Papæ, missus cum Mellito in Angliam, Episcopus Rofensis à beato Augustino ordinatus, multos pro Christo sustinuit labores, & claruit miraculis. Deinde post mortem Melliti, etiam ipse ad Ecclesiam Doruernensem archiepiscopus quartus translatus est, sub Bonifacio Papa quinto, à quo authoritatem ordinandi Episcopos accepit. Huius gesta Beda monachus in secundo libro suæ historiæ pro parte descripsit. Claruit anno Domini 625. cuius festum 4. Idus Nouembris agitur.

De S. Paulino Episcopo.

CAP. LVII.

PAulinus monachus beati Gregorii in Vrbe, cum Mellito Abbate cæterisq; viris sanctissimis destinatus in Angliam, animas Christo sua prædicatione innumerabiles acquisiuit. Ordinatus autem à Iusto Archiepiscopo in Episcopum Therofenensem, anno Domini 625. sub die 12. Calendas Augusti ad Archiepiscopatum Eboracensem tandem translatus est. Vir vtiq; sanctissimæ conuersationis, qui etiam miraculis meruit claresce re. Moritur autem anno Domini 644. sexto Idus Octobris, episcopatus sui anno vigesimo.

De S. Laurentio Episcopo.

CAP. LIX.

LAurentius monachus cœnobii sancti Gregorii Romæ, missus ab eo in Angliam, pro conuersione illius gentis totis viribus laborauit: qui defuncto beato Augustino, in eius locum Doruernensis archiepiscopus fuit ordinatus, quem ipse adhuc viuens ordinauerat, ne se defuncto, status Ecclesiæ tam rudis vel ad horā pastore destitutus vacillare inciperet. Claruit anno Domini 620. cuius festum quarto Nonas Februarii agitur.

De S. Ioanne monacho.

CAP. LX.

IOannes monachus cœnobii beati Gregorii Papæ in Vrbe, socius itineris & laborum sancti patris Augustini, missus cum eo in Angliam, multis annis sua sancta conuersatione & doctrina dignum prædicatoris gessit officium. Claruit anno Domini 620.

De S. Deicolo Abbate.

CAP. LXI.

DEicolus Abbas Luttensis cœnobii in Burgundia, monachus & discipulus sancti Columbani, vir sanctissimæ cōuersationis, qui multis in vita miraculis claruit, sicut in historia vitæ ipsius legitur, quæ satis copiosè conscripta habetur. Claruit anno Domini 600. cuius festum 15. Calendas Februarij agitur.

De S. Honorio Episcopo.

CAP. LXII.

HOnorius ex monacho Archiepiscopus Cantuarien sis, post Iustum, vir deuotus & sanctus, qui pro salute Anglorum multos impendit labores. Fuit autem

autem in Episcopum consecratus à beato Paulino, tunc temporis Londonienſi Episcopo. Moritur plenus dierum & bonorum operum, anno Domini 653. pridie Calendas Octobris.

De S. Bauone monacho.

CAP. LXIII.

ANovvinus, qui & Bauo, discipulus S. Amandi pontificis, qui in iuuentute seculi actibus deseruiens, nobilem vxorem, nobilis & ipse duxerat: qua mortua, aliam ducere recusans, ad consilium sancti Amandi Gandaui solitarie recluditur, vbi tanta se pœnitentia & austeritate macerauit, vt eius conuersatio omnibus fieret admiranda. Claruit multis & maximis miraculis, ita vt etiam mortuos suscitaret. Moritur anno Domini milleſimo trigesimo primo, prima die mensis Octobris, ad cuius honorem iam monasterium Gandense præfulget. Eius vita descripta est.

De S. Aidano Episcopo.

CAP. LXIV.

AIdanus Abbas Scotorum, & postmodum Episcopus in Angliam ordinatus, moribus sanctus, scientia scripturarum doctissimus fuit, de quo multa narrantur miracula. Erat enim vere monachus, qui nil huius mundi quærere, nil amare curabat, sicut in vita eius diffuse legitur. Claruit anno Domini 658. cuius festum 2. Calendas Septembris agitur. Is manum dextram sancti Regis Osvvaldi prædixit nunquam esse corrumpendam, qua tot eleemosynas dedit pauperibus, quando sedit in mensa cum eo, dũ scutellam auream daret.

De S. Fara Abbatissa.

CAP. LXV.

FAra Abbatissa monasterii Hibrigensis, quod alio nomine Enoriacas dicitur, in regione Francorum, sanctimonialis nobilissima, quæ multas regum & principum filias in Dei seruitio sanctissimas enutriuit, plurimas in vita sua legitur operata virtutes. Claruit magna sanctitate anno Domini sexcentesimo quadragesimo, cuius festum 7. Idus Decem. iure celebratur.

De S. Eracungota moniali.

CAP. LXVI.

ERacongota sanctimonialis virgo dignissima, Carconberti regis Anglorum filia, quam ille magisterio sanctæ Pharæ Abbatissæ iam dictæ, in timore domini nutriendam commẽdauit. Quæ virgo postmodum multarum virtutum effulsit. Claruit in monasterio Brigensi in regione Francorum, anno Domini sexcentesimo sexagesimo. Eius festum Nonis Iulii agitur.

De S. VVinebaldo abbate.

CAP. LXVII.

VVinebaldus abbas monasterii sancti Lupi Trecassini, vir doctus & sanctus, apud regem Lotharium, qui Burgundiam obtinuit, in magno precio fuit. Hic etiam beato Lupo Senonensi Episcopo valde familiaris & dilectus, eum regi offenso reconciliauit. Claruit anno Domini 620. cuius festum 15. Calendas Ianuarii celebratur.

De S. Anastasio martyre.

CAP. LXVIII.

ANastasius Persa, monachus & martyr, omnibus monachis constantiæ suæ & fidei reliquit exemplum. Hic natus in Perside, magicas artes à patre puer discebat. Sed vbi à captiuis Christianis nomen Christi acceperat, mox toto animo conuersus est: & relicta Perside, post annos tres Chalcedoniam, Hierapolimque pro Christo peregrinus venit, ac deinde Hierosolymam: vbi baptizatus, quarto ab eadem vrbe milliario monasterium Abbatis Anastasii intrauit: in quo septem annis regulariter vixit. Postea cum Cæsaream Palæstinæ orationis gratia veniſſet, captus à Persis, & multa diu verbera inter carceres & vincula, impio Marzabana duce, perpessus, tandem mittitur Persidem ad regem eorum Cosdroen, à quo ter per interualla auditus & verberatus, ad extremum vna suspensus manu per tres horas diei, & sic decollatus cum aliis septuaginta, martyrium compleuit. Mox tunica eius indutus quidam dæmoniacus, curatus est. Corpus eius Romæ translatum, in monasterio beati Pauli repositum est. Cuius

festum vndecimo Calendas Febr. colitur. Passus est anno Heraclij octauo, qui fuit Domini 621.

De sancto Chalnoaldo Episcopo Meldensi.

CAP. LXIX.

CHalnoaldus discipulus & monachus beati Columbani Abbatis, germanus sanctæ Pharæ virginis Christi, de qua supra diximus, adhuc puer sancto viro à patre nutriendus traditur, cuius minister deuotus effectus est: qui dum in solitudine moraretur, ei belua paruit ad præceptum magistri. Hic postmodum præsul in ciuitate Lugdunensi sanctissimus factus est. Claruit anno Domini 640.

De S. Eustasio Abbate.

CAP. LXX.

EVstasius monachus & discipulus beati Abbatis Columbani, & ab eo Luxouiensis cœnobii Abbas constitutus, magna sanctitate enituit, & multos sanctissimos discipulos enutriuit. Eius vitam virtutibus plenam Ionas discipulus sancti Columbani descripsit, cuius natale quarto Calendas Aprilis celebratur. Claruit anno Domini 620.

De S. Attalo Abbate.

CAP. LXXI.

ATTalus monachus & discipulus sancti columbani, Bobiensis cœnobii Abbas ab eo constitutus, cum monachos egregie regeret, & hoc nonnulli posse se sustinere reclamarent, atq; ab eo recedentes detraherent, omnes miserabiliter in breui perierunt. Fuit enim vir sanctissimæ conuersationis, ob quam causam omnipotens Deus eius iniurias tam seuere vindicauit. Claruit autem anno Domini 620. Cuius vitam idem Ionas monachus beati Columbani descripsit. Eius festum sexto Idus Martii colitur.

De S. VValberto Abbate.

CAP. LXXII.

VValbertus monachus & discipulus S. Columbani Abbatis, germanus beatorum Pharæ & Chalnoaldi, post discessum sui Abbatis Columbani, à monasterio Luxouiensi in Britaniam, ab eo sub magisterio sancti Eustasii commendatus, vir clarus atq; sanctissimus effulsit, ita vt post Eustasium Abbas Luxouiensis tertius sit electus. Eius festum 6. Calendas Maii colitur. Claruit autem anno Domini 630. Hic post Gandoaldum fratrem Meldensis Episcopus factus est.

De S. Edilburga Abbate.

CAP. LXXIII.

EDilberga monasterii Brigensis post beata Phara Abbatissa, filia regis Orientalium Anglorum Annæ, virgo moritur & vita sanctissima, quæ multis in vita fertur claruisse virtutibus, sicut in gestis eius plenius continetur. Claruit anno Domini 640. Eius festum colitur septimo Idus Iulii.

De S. Pharone Episcopo Meldensi.

CAP. LXXIV.

PHaro ex monacho & discipulo sancti Eustasii Episcopi Meldensis germanus beatæ Pharæ Abbatissæ & fratrum eius, vir sanctus & Deo dilectus, multis in vita & post mortem claruit miraculis, sicut in gestis eius diligenter scriptis habetur. Eius festum quinto Calendas Nouembris celebratur. Claruit anno Domini 640.

De S. Chilleno monacho.

CAP. LXXV.

CHillenus monachus & discipulus S. Columbani & Eustasii eius successoris, natione Scotus, vir magnæ & incomparabilis sanctitatis, à beato Pharone missus ad prouinciam Atrebatensem, eam sua doctrina sana Christo acquisiuit, & claris miraculis illis attraxit. Hic vas vitreum à casu confractum, suis orationibus redintegrauit. Claruit anno Domini 640.

De S. Gallo Abbate.

CAP. LXXVI.

GAllus monachus & discipulus sancti Columbani Abbatis, vir sanctus & multis

multis clarus virtutibus, cum eo de Luxouiensi monasterio recedens, mansit in Alemania, vbi fundato cœnobio, multorum monachorum pater effectus est. Eius sancta conuersatio literis commendata est. Claruit anno Domini 620, cuius festum 17. Calendas Nouembris colitur.

De sancto Columbino Abbate.

CAP. LXXVII.

COlumbinus monachus & discipulus peati Deicoli Abbatis Luttensis in Burgundia, vir magnarum virtutum, dignus sui præceptoris successor, in eodem cœnobio clarus sanctitate effulsit. Claruit anno Domini 620. cuius festum Idibus Septemb. colitur.

De sancto Vualarico monacho.

CAP. LXXVIII.

VValaricus monachus & discipulus sancti Columbani, de Aluernica regione ortus, pro Christo magnis carnem suam abstinentiæ laboribus macerans, multis tam in vita, quam post mortem, effulsit miraculis, sicut in gestis eius diligenter conscriptis habetur. Claruit anno Domini 620. cuius festum colitur Calendis Aprilis.

De sancto Vuandalino monacho.

CAP. LXXIX.

VVandolinus monachus & discipulus sancti Columbani, & beati Walarici in peregrinatione socius, vir diuina charitate succensus, & egregius prædicator, multos sua doctrina & exemplo gentiles ad agnitionem sacræ fidei perduxit. Claruit anno Domini 620.

De sancto Hildeuerto Episcopo Meldensi.

CAP. LXXX.

HIldeuertus monachus & discipulus S. Pharonis, & post eum Meldensis episcopus, cum esset ab eo presbyter ordinatus, hortatu eius monasterium intrauit: factus postea Meldensis episcopus, multa sanctitate & miraculis enituit. Eius festum colitur septimo Calendas Iunii. Claruit anno Domini 640.

De sancto Sulpitio Episcopo Bituricensi.

CAP. LXXXI.

SVlpitius Abbas in Gallia sub Lotharrio rege, & post sanctum Austregisilum Bituricensis Ecclesiæ archiepiscopus, vir tantæ sanctitatis, vt non minus per eum signa, quam dudum per Apostolos fierent. Nam dæmones verbo fugauit, ægros oratione curauit, mortuum etiam suscitauit. Denique qualis fuerit, in vita eius clare scribitur, vbi multa miranda de ipso narrantur. Qui non solum in vita, sed etiam post mortem, multis miraculis claruit, anno Domini 640.

De sancta Salaberga Abbatissa.

CAP. LXXXII.

SAlaberga Abbatissa monasterii Lugdunensis, in quo plus quam trecentas moniales sub regimine suo habuit, vbi multis legitur fulsisse miraculis. Hanc beatus Eustasius Abbas Luxouiensis, in pueritia lumine oculorum orbatam sanauit, quam Walbertus eius successor ad contemptum mundi & religionis votum demum induxit. Claruit anno Domini 640. Cuius natale decimo Calendas Octobris agitur.

De sancto Ioanne Episcopo.

CAP. LXXXIII.

IOannes ex monacho Gerundensis Episcopus: Wesegothus natione, vir scientia scripturarum doctus, & vitæ conuersatione sanctissimus, de quo etiam in secundo libro fecimus mentionem: multas pro vera fide ab Arrianis sustinuit insidias, ita vt in exilium relegaretur. Inde reuersus ad patriam, monasterium condidit, vbi multa bona tam scribendo, quam etiam operando, perfecit. Claruit anno Domini 610.

De sancto Cæsario Episcopo.

CAP. LXXXIV.

CÆsarius monachus Lirinensis cœnobii, Arelatensis (vt ferunt) postea Episcopus, vir sanctus, & Deo dilectus, qui multis claruit virtutibus, monachorum studiis apprime eruditus, pulchros ad vtilitatem eorum conscripsit sermones, quemadmodum in secundo libro expressimus. De tempore, quo claruit, diuersa opinio est, quia chronographi sibi mutuo non consentiunt. Aliqui enim dicunt, quod tempore sancti Benedicti:

alii, quod anno Domini 610. Quod autem noſtri ordinis fuerit, ipſe in tertio ſermone ad monachos fatetur, vt ſupra diximus. Vincentius autem dicit, quod claruit anno Domini 700. & hoc mihi verius eſſe videtur.

De ſancta Aurea Abbatiſſa.

CAP. LXXXV.

AVrea, Abbatiſſa trecentarum puellarum Pariſiis, genere nobilis, fide autem & virtutum excellentia nobilior, tanta ſanctitate claruit, vt etiam in vita miracula fecerit: ſicut in eius Legenda habetur, quæ ſatis diligenter ſcripta eſt. Claruit anno Domini 630. eius feſtum celebratur quarto Nonas Octobris.

De ſancto Furſeo Abbate.

CAP. LXXXVI.

FVrſeus Abbas monaſterii, quod Chaobherſsburg dicitur, in prouincia Orientalium Anglorum, natione Scotus genere nobiliſſimus, verbo & actibus clarus, & ſignis ac miraculis egregius, per Angliam prædicando verbum Dei, multos ab errore ad viam veritatis conuertit. Qui ab ipſo tempore pueritię ſuæ curam non modicam lectionibus ſacris ſimul & monaſticis exhibebat diſciplinis, & quicquid agendum didicerat, in opera conuertebat. Hic mirabiles viſiones habuit, ſicut in vita eius legitur. Claruit temporibus Annæ regis Anglorum, anno Domini 650. Cuius natale quarto Nonas Martii agitur. Eius geſta habentur. Hic poſtmodum nauigauit in Galliam, & nobile cœnobium Latiniacum conſtruxit.

De ſancto Altano monacho.

CAP. LXXXVII.

ALtanus germanus ſancti Furſei Abbatis, monachus in eius ſupradicto monaſterio Caoberſsberg in Anglia, poſt rudimenta vitæ cœnobialis, eremum petiit, in qua ſe pro Dei amore affligens, multis effulſit virtutibus. Habebant autem & alium fratrem nomine Follanum, virum reuerendiſſimum, cui beatus Furſeus eremum concupiſcens, eiuſdem cœnobii curam commiſerat. Claruit anno Domini 650.

De ſancto Amato Abbate.

CAP. LXXXVIII.

AMatus Abbas Luxouienſis poſt beatum Vualbertum, vir deuotus & ſanctus, ſua doctrina & exemplo multos egregios diſcipulos inſtituit. Erat enim charitate plenus, mitis, humilis, & diſcretus, atque ſanctarum ſcripturarum vbertate refertus, qua cunctis prodeſſe potuit. Claruit anno Domini 660.

De ſancto Foilano martyre.

CAP. LXXXIX.

FOilanus germanus ſanctorum Furſei & Altani, vt ſupra diximus, Abbas monaſterii Caoberſberg, cum ſanctus Furſeus de Anglia tranſiret in Galliam, ipſe cum eodem fratre ſecutus eſt. Qui dono ſanctæ Gertrudis monaſterium Foſſenſe fundauit, vbi etiam martyrio coronatus quieſcit. Claruit anno Domini 660.

De ſancto Romarico Abbate.

CAP. XC.

ROmaricus Abbas Luxouienſis poſt ſanctum Amatum, cuius etiam diſcipulus fuerat, vir ſecundum ſeculum nobilis & generoſus, qui quondam in aula regis Auſtraſiorum Theodeberti, clariſſimus habebatur, contempſit ſeculum amore Chriſti: quo largiente, tanta ſanctitate enituit, vt multis claruerit miraculis. Eius geſta diligenter ſcripta ſunt. Cuius natale 6. Idus Decembris agitur. Claruit anno Domini 660.

De ſancto Adone monacho.

CAP. XCI.

ADo monachus in Francia, germanus ſancti Audoeni epiſcopi Rothomagenſis ex oppido Sueſſionico, nomine Sanciaco ortus, beato Columbano cum fratribus ad benedicendum oblatus, magnus ab eo prædicatur futurus: qui, contempto ſeculo, Chriſtum per monaſticam conuerſationem ſtuduit imitari, in qua magnis fulſit virtutibus. Claruit anno Domini 660.

De ſancto Agilo Abbate Resbacenſi.

CAP. XCII.

AGilus, primus Abbas Reſbacenſis, quod ſanctus Audoënus Epiſcopus funda-

fundauerat cœnobium, monachus & discipulus beati Eustasii Luxouiensis, vir doctus & nobilis, filius fuit Agnoaldi viri nobilissimi, Sigeberti regis consiliarii: tantæ virtutis & sanctitatis fuit, vt in vita multis miraculis effulserit. Erat enim in ieiuniis frequens, in orationibus assiduus, in eleemosynis largus, hospitalitatisq; amator præcipuus, cuius vita satis diligenter scripta est. Claruit anno Domini 670. Et moritur 4. Calendas Septembris, anno ætatis suæ centesimo.

De sancto Geremaro Abbate.

CAP. XCIII.

GEremarus Abbas monasterii Pontalli, à beato Audoëno constitutus, cum monachos ibidem repertos, in magna disciplina conseruaret, quidam malitiosi & impii, nolentes eius prædicationem recipere, de eius morte cœperunt tractare. Supponentes igitur cultellum sub lectisternus, manubrium solo hæserunt, acumen vero ferri nudum in aeris spatium erexerunt, vt vir Domini ex vigiliis fatigatus, cum se ad lectum cum impetu poneret, cultellum incidens seipsum interficeret. Quod ille præsentiens, declinauit periculum: & secedens, sancto Audoëno cooperante, Flauiacense monasterium fundauit, & Abbas ibidem constituitur. Eius vita plena virtutibus, conscripta habetur. Claruit anno Domini 670. Cuius natale 11. Calendas Octobris colitur.

De sancta Angadrisma Abbatissa.

CAP. XCIV.

ANgadrisma virgo sanctissima, & monasterii ancillarum Christi, quod iuxta muros Beluacenses situm est, Abbatissa: cum sponsum carnalem, videlicet S. Ausbertum, eo consentiente dimitteret, æterni regis sponsa electa est, & à beato Audoëno Rothomagensi episcopo, Domino in sancto proposito consecrata. Claruit multis virtutibus anno Domini 680. cuius festum 6. Calendas Aprilis agitur.

De sancto Ausberto Episcopo.

CAP. XCV.

AVsbertus ex Abbate Fontanellæ post Audoënum Rothomagensis Episcopus, sponsus olim beatæ Andragismæ virginis, vir deuotus & sanctus, multis viuens & mortuus effulsit miraculis. Eius inclyta gesta habentur. Claruit anno Domini 685. cuius festum 5. Idus Februarii colitur.

De sancto Vuandregisilo Abbate.

CAP. XCVI.

VVandregisilus Abbas monasterii Fontanellæ, & presbyter, à beato Audoëno consecratus, præceptor sancti Ausberti, de quo iam diximus, vir sanctissimæ conuersationis, multis legitur claruisse virtutibus. Rexit Abbatiam viginti annis: quo defuncto, electus est Lambertus Tauernensis: quo ad Episcopatum Lugdunensem assumpto, sanctus Ausbertus successit in Abbatia. Claruit sanctus iste anno Domini 670. Eius natale est 11. Calendas Augusti.

De sancto Philiberto Abbate.

CAP. XCVII.

PHilibertus Abbas Resbacensis post sanctum Agilum, cuius discipulus fuit, vir secundum seculi dignitatem diues & nobilis, in aula regis Dagoberti cum sancto Audoëno quondam in precio fuit: sed mundo contempto, & omnibus suis pauperibus distributis, sub regimine sancti Agili comam deposuit, & monachus factus est, multisque signis & virtutibus clarus effulsit. Claruit anno Domini 980. cuius festum 13. Calend. Septembris agitur.

De sancto Richario Abbate.

CAP. XCVIII.

RIcharius Abbas Pontiniacensis, natus in villa Centula prouinciæ Pontinæ, qui de rustico factus est vir religione notissimus. Vescebatur pane hordeaceo cinere commixto & aqua cum lachrymis temperata, leprosos balneis fouebat, & eadem post ipsos intrauit. Magnis & innumeris legitur claruisse miralis. Cuius natale celebratur quarto Calend. Maii. Claruit anno Domini 670.

De sancto Remaclo Episcopo.

CAP XCIX.

REmaclus Episcopus Traiectensis, vir sanctæ conuersationis, cum tumultus secularium conuersationum haberet exosos, Episcopatum deseruit, & pro

Christi

Christi amore in Stabulensi cœnobio monachicæ vitæ habitū assumpsit, quod monasterium Sigebertus rex eo tempore fundauerat, beato Remaclo in omnibus cooperante. Claruit anno Domini 660. cuius natale tertio Nonas Septembris agitur.

De sancto Landolino Abbate.

CAP. C.

LAndolinus Abbas & fundator monasteriorum Lobiensis, Alnei, Vuaslaris, & Crispinienſis, ab Auberto Cameracensi Episcopo, ex prædone ad Christum retractus, & à B. Papa Martino, huius nominis primo, ad prædicandum ordinatus, sua doctrina & exemplo multas animas ad Deum conuertit, & multis effulsit miraculis. Claruit anno Domini 660. Cuius festum 17. Calendas Iulii celebratur. Sepultus cum Adelmo & Domitiano suis discipulis in monastetio Crispinienſi.

De sancto Trudone monacho.

CAP. CI.

TRudo monachus cœnobii S. Quirini, quod modo ad sanctum Trudonem ex eius nomine appellatur, vir Hispanienſis, morum honestate conspicuus, atque sanctissimus, verus monachus extitit, qui contẽpto seculo ex toto corde Dominum amauit. Vnde ad tantam gratiam, eo largiente, prouectus est, vt multis in vita & post mortem miraculis effulserit. Claruit anno Domini 670. Cuius natale nono Calendas Decembris agitur.

De sancto Leodebaldo Abbate.

CAP. CII.

LEodeboldus fundator & Abbas Floriacensis cœnobii, vir secundum seculi dignitatem diues & nobilis, omnia pro Christo dimittens, prædictum monasterium fundauit & ingreditur. In quo secundum regulam patris nostri Benedicti conuersationem instituens, magnis effulsit virtutibus. Claruit anno Domini 670.

De sancto Theodardo martyre.

CAP. CIII.

THeodardus monachus Stabulensis cœnobii, & postea Episcopus Traiectensis superioris, quod nunc Leodium dicitur, vir sanctus & Deo dignus antistes, sua prædicatione & exemplo gregẽ sibi commissum virtute magna gubernauit, qui ad tantam gloriam à Deo subuectus est, vt martyrio sacro coronatus, Christi testis effici mereretur. Cuius natale 4. Idus Septembris colitur.

De sancto Audomaro Episcopo Taruanensi.

CAP. CIV.

AVdomarus Episcopus Taruanensis, ex monacho & discipulo S. Eustasii Luxouiensis Abbatis, oriundus ex aurea valle non longe à Constantia ciuitate, vir magnarum virtutum, & multorum miraculorum patrator fuit, sicut in eius vita luculenter describitur. Triginta annis episcopatum strenue rexit. Claruit anno Domini 660. cuius natale 5. Idus Septembris colitur.

De sancto Bertino Abbate.

CAP. CV.

BErtinus Abbas monasterii sancti Petri Apostolorum principis, quod Sithiu nominatur, ex diœcesi Constantiensi oriundus, cum audisset famam sancti Audomari, de quo iam diximus, cum duobus aliis, scilicet Mummulino & Ebertranno, patriam suam relinquens, venit ad eum, & eius adiutorio fundauit monasterium, in quo multis virtutibus claruit. Cuius vita conscripta est. Claruit anno Domini 680. eiusque festum Nonis Septemb. colitur.

De sancto Mummolino Episcopo.

CAP CVI.

MVmmolinus Episcopus Nouiomẽsis post Aicharium, monachus & discipulus sancti Audomari, sociusque beati Bertini Abbatis, vir doctus & sanctus, & Ecclesiastico regimini satis necessarius, virtute magna in populo effulsit. Claruit anno Domini 680.

De sancto Magno monacho.

CAP. CVII.

MAgnus, monachus & discipulus sancti Galli, Abbas (vt fertur) in faucibus, vir sanctus & Deo dilectus, multis in vita miraculis claruit, sicuti in gestis eius, quæ diligenter scripta sunt, legitur. Magnam prædicandi gratiam à Deo conse-

consecutus, multorum corda populorũ ad diuinum amorem conuertit. Claruit anno Domini 660. Mortuus est autem anno ætatis suæ 70. octauo Idus Sept.

De sancto Ebertranno Abbate.

CAP. CVIII.

EBertrannus monachus & discipulus sancti Mummolini, natione Constantiensis, cum esset vir sanctus & regularis disciplinæ amator zelosus, ab eodem Mummolino iam Episcopo, monasterii S. Quintini Abbas constituitur. In quo multis virtutibus clarus effulsit. Claruit anno Domini sexcentesimo octogesimo.

De sancto Berchario martyre.

CAP. CIX.

BErcharius Abbas primus Altiuillarensis cœnobii, quondam monachus & discipulus sancti Eustasii Luxouiensis, vir sanctus & Deo dilectus: cum regularem disciplinam in suo monasterio strenue gubernaret, accidit, vt quendam monachum, exigentibus culpis suis, verbere increpationis feriendum decerneret: qui merito suo Satanæ cum Iuda traditus, patris indigne obiurgamina tulit. Et cum ille fessus lectulo reclinatus, membra sopori dedisset, idem peruersus & impius monachus, irruens in eum, lethali eum vulnere attentauit, arreptumque ferrum, quo eum percusserat, in piscinam, quæ intra monasterium erat, occultandum proiecit. Videres tunc laticem, velut tanti sceleris cognitorem, ferrum in se receptare expauescere. Nam mox vt aquã tetigit, velut leuissimæ materiei pluma, super aquas natauit. Ipse autem amens factus homicida, ecclesiam petiit, cruentisque manibus signum cœpit pulsare. Fratres inconsueta hora cum admiratione surgentes, & sanctum virum interfectum audientes, ad lectum eius cucurrerunt, & adhuc in eo spiritum repererunt. Comprehensum igitur homicidam, ei obtulerunt, scire cupientes, quid de commisso tanto scelere iudicaret. At ille Dominici non immemor exempli: Deum, inquit, tibi, frater, pœnitentialiter placabilem fieri studeto. Nã quantum ad me attinet, omni liberum te impietate remitto. Ex eius sepulchro longo tempore post oleum pullulans visum est defluxisse, cunctis morbo obsessis salubre. Cuius festum 17. Calendas Nouembris agitur. Claruit anno Domini 660.

De S. Itta moniali.

CAP. CX.

ITTA sanctimonialis fœmina, relicta Pipini, & mater sanctæ Gertrudis virginis Christi, instinctu S. Amandi pontificis monasterium Niuellense fundauit, eique filiam suam Deo dignam virginem præfecit, se quoque & sua eidem submisit. Moritur anno Domini 658.

De S. Lamperto martyre.

CAP. CXI.

LAmpertus ex monacho Stabulensis cœnobii, post sanctum Theodardum martyrem, Episcopus Leodiensis, vir sanctissimæ conuersationis, omniumq; custos zelosus & pastor, cum vitia impiorum exemplo Ioannis constanter argueret, ab iniquis martyrio succubuit. Eius vita & passio literis commendatæ sunt. Cuius natalis XV. Calendas Octobris agitur. Claruit anno Domini 670.

De S. Batilde moniali, regina.

CAP. CXII.

BAtildis ex regina Francorum sanctimonialis Valensis cœnobii, fundatrix monasterii Corbeiensis in Francia, contemptis diuitiis & honoribus huius seculi, vt Christum regem sponsum acquireret, duram regularis obseruantiæ non timuit subire disciplinam. Fuit autem de claro sanguine Saxonum, adspectu decora, vultu hilaris, incessu grauis, pudica, sobria, prudens & cauta, humilis & gratiosa. In hebdomada sua ministrauit in officio coquinæ secundum regulam, sicut & cæteræ sorores. Immunditias purgabat etiam plus quam cæteræ sorores. In eius obitu speciosa lux diuini splendoris apparuit. Et visus est à circumstantibus angelorum chorus ei obuiam venisse, & cum eis sanctus Genesius Episcopus, visique angeli animam eius remigio alarum & manibus eleuatam, in cælum portasse. Claruit anno Domini 670. cuius festum 7. Calendas Februarii agitur.

De

De S. Gertrude virgine.

CAP. CXIII.

GErtrudis Abbatissa Niuigellensis cœnobii, filia beatæ Ittæ, de qua supra diximus, virgo sanctissimæ conuersationis, Domini nostri Iesu Christi sponsa clarissima fuit. Huius vita plena miraculis, ad ędificationem fidelium scripta est. Moritur autem anno Constantis 21. qui fuit Domini 674. 16. Calendas Aprilis, quo die eius festum solenniter agitur.

De S. Theodoro Episcopo.

CAP. CXIII.

THeodorus Cantuariensis Ecclesiæ septimus Archiepiscopus, à Vitaliano Papa ordinatus, natus ex Tarso Ciliciæ, monachus Romanus, vir doctissimus, Græce & Latine optime instructus, de quo etiam in secundo libro fecimus mentionem, multos pro Ecclesiastico statu labores impendit, magnisque virtutibus claruit. Moritur anno Domini 690. ætatis suæ, 88. Episcopatus vero, 22.

De S. Adriano Abbate.

CAP. CXV.

ADrianus Abbas Heridanensis cœnobii, quod est non longe à Neapoli Campaniæ, natione Afer, sacris diligenter imbutus, monasterialibus simul & Ecclesiasticis disciplinis institutus, Græcę pariter & Latinæ linguæ peritissimus, vitæ quoque & morum honestate deuotus & sanctus, cum beato Theodoro in Angliam à Vitaliano missus, glorioſos in Ecclesia fructus Anglicana produxit. Venit in Angliam anno Domini 678.

De sancto Andrea monacho.

CAP. CXVI.

ANdreas monachus Romanus, & cuiusdam cœnobii Christi virginum Præpositus, vir doctrina & morum conuersatione venerandus, suæ sanctitatis plura monimenta reliquit. Hunc Vitalianus Papa in Archiepiscopum Cantuariensem ordinare disposuit, nisi se corporali infirmitate excusasset. Claruit virtutibus magnis anno Domini 680.

De sancto Ceadda episcopo.

CAP. CXVII.

CEadda ex Abbate Lestigahensis cœnobii in Anglia, archiepiscopus Lindisfarorum & gentis Merciorum, vir doctus & sanctus, ac diuini verbi prædicator zelosus, in vita magnus effulsit virtutibus. Claruit anno Dom. 680. Cuius natale 6. Nonas Martii, quo die decessit, colitur.

De S. Osuino monacho.

CAP. CXVIII.

OSuinus monachus & discipulus beati Ceaddæ pontificis, vir magni meriti, & regularis institutionis zelosus amator, natione Anglicus Oriętalis: cum apud reginam Edildrudem clericus esset, & magno haberetur in precio, omnia contemnens, venit ad S. Ceaddam, in cœnobio, cui Lestingen vocabulum est, commorantem: in quo multum proficiens, magnis cœpit fulgere virtutibus. Claruit anno Domini 600.

De S. Earcumuualdo Episcopo.

CAP. CXIX.

EArcumwaldus ex Abbate Londoniensis episcopus, frater B. Edilburgæ virginis Christi, vir sanctus & Deo dilectus, qui multis tam in vita, quam etiam post mortem claruit miraculis: antequã esset episcopus, duo monasteria fundauit: vnum sibi in loco qui vocatur Cheroteſee, id est, insula Cerotæ: alterum sorori suæ Edilburgæ, in prouincia Orientalium Saxonum, in loco qui nuncupatur Beretingum. Claruit autem anno Domini 680.

De sancta Edilburga Abbatissa.

CAP. CXX.

EDilburga sanctimonialis virgo, soror (vt diximus) beati Earcumwaldi põtificis, & Abbatissa monasterii Beretingensis, Christi sponsa multum amabilis, subiectas sibi moniales regulariter & strenue gubernans, multis virtutibus effulsit & signis. Claruit anno sexcentesimo octogesimo. Cuius festum 5. Idus Octobris celebratur.

De sancta Hildelide Abbatissa.

CAP. CXXI.

Hilde-

HIldelidis Abbatissa Bertingensis cœnobii post beatam Edilburgam, de qua iam diximus, virgo sanctæ conuersationis, & regularis disciplinæ zelosa gubernatrix, cuius vita glorioſa innumeris effulsit virtutibus. Claruit anno Domini septingentesimo.

De S. Edeldrude virgine.

CAP. CXXII.

EDeldrudis sancta & perpetua virgo Christi, filia Annæ regis Anglorum, nupta primo alteri viro permagnifico, & post Egfrido regi coniunx data, post duodecim annis torum incorrupta seruauit maritalem, regnum mundi, rege consentiente, deseruit, & monasterium, Christo seruitura, intrauit. Deinde facta magistra & Abbatissa Eilgensis monasterii, magnis virtutibus & signis effulsit. De cuius sanctissima conuersatione miranda feruntur, ita vt prophetiæ quoq; spiritu fuerit illustrata. Eius corpus post decem annos in monumento tam sanum, integrum, & incorruptum repertum est, acsi eodem die fuisset defuncta: & quidem satis digne, vt integritas corporis, mentis incorruptionem compensaret. Ad eius tumbam multa miracula facta sunt. Claruit anno Domini 680. Cuius festum 14. Calendas Iulii agitur.

De S. Hilda Abbatissa.

CAP. CXXIII.

HIlda religiosissima Christi famula, Abbatissa monasterii quod dicitur Streneshalth in Anglia, filia nepotis Eduini regis clarissimi, tam sanctæ conuersationis extitit, vt multis in hac etiam vita effulserit virtutibus. Moritur anno Domini 630. ætatis suæ 62. XV. Calendas Decembris.

De sancto Adamanno monacho.

CAP. CXXIV.

ADamannus monachus & presbyter monasterii sanctimonialium in Anglia, quod Colodi vrbs dicitur, Præpositus, natione Scotus, vir austeræ conuersationis & sanctæ vitæ, ita vt præter Dominicam & quintam feriã nihil in hebdomada penitus comederet, sæpe etiam noctes integras peruigil in oratione transigeret. Magnis effulsit virtutibus. Claruit anno Domini 670.

De sancto Eatta Episcopo.

CAP. CXXV.

EAtta ex Abbate Mailrosensis cœnobii, Episcopus Hagulstatensis siue Lindesfarnensis, vir mansuetissimus ac simplicissimus, sua sancta prædicatione multas ad Christum animas reduxit. Claruit anno Domini 680.

De sancto Boisilo Abbate.

CAP. CXXVI.

BOisilus monachus & Præpositus Mailrosensis cœnobii, sub Abbate præfato Eatta, vir in diuinis scripturis doctus & eruditus, morumque sanctimonia insignis, beati Cuthberti pontificis in monasterio positi, præceptor fuit. Claruit magnis virtutibus radians, & prophetiæ spiritu illustratus, anno Domini 680.

De sancto Cuthberto Episcopo.

CAP. CXXVII.

CVthbertus ex discipulo & monacho sancti Boisili, Præpositus primũ Mailrosensis cœnobii post mortem ipsius, ac deinde insulæ Lindisfarnensis, cum esset vir doctus atq; sanctissimus, ob gratiam prædicationis, quam copiosam à Deo acceperat, Episcopus Lindesfarnẽsis à rege Egfrido constitutus est: in quo officio infinitus fertur claruisse miraculis. Claruit anno Domini 680. Cuius festum 13. Calendas Aprilis agitur.

De sancto Odeuualdo Abbate.

CAP. CXXVIII.

ODwaldus monachus & presbyter, successor beati Cuthberti, in exercenda vita solitaria, quam insulæ Farnæ habitator ante Episcopatum gerebat, vir sanctus atque venerabilis, cuius vita fuit multis virtutibus inclyta, & clara miraculis. Claruit anno Domini 690.

De sancto Ioanne Episcopo.

CAP. CXXIX.

IOannes ex monacho post Eatam Episcopus Hagulstadensis, vir sanctus &

Deo dilectus, maximis in vita miraculis clarus effulsit. Et secundum, quod Eata prius fuit Episcopus Lindisfarnensis, sed ad Hagulstaldensem Ecclesiam translatus, beato Cuthberto Lindesfarnensem Ecclesiam, consensu regis & Synodi, regendam commisit. Moritur autem sanctus Iohannes Episcopus anno Domini 721. Episcopatus autem sui, 33.

De sancto Egberto monacho.

CAP. CXXX.

EGbertus moachus & presbyter, ac monasteriorum sancti Columbani in Hybernia & Britannia rector & Abbas, sanctissimæ conuersationis vir, in prædicatione verbi Dei studium habuit & gratiam. Huius discipulus fuit sanctus Vuillebrordus Traiectensis Episcopus. Claruit anno Domini 700.

De sancto Kiliano Episcopo & martyre.

CAP. CXXXI.

KIlianus ex monacho Herbipolensis in Franconia Episcopus, natione Scotus, ex insula Hyberniæ, vir sanctus & Deo dilectus, pro Christi amore peregrinus effectus, prædicans verbum Dei, venit in Germaniam, vbi multas animas ad veram fidem sua doctrina & exemplo adduxit. Tandem martyrio coronatus, ad cælestia regna feliciter transmigrauit 8. Idus Iulii. Claruit anno Domini 680.

De sancto Colonato monacho.

CAP. CXXXII.

COlonatus monachus & discipulus beati Kiliani martyris, egressus cum eo de monasterio, amore Christi peregrinatur in Germania: qui bono & sancto præceptori vsque ad mortem fideliter adhærens, martyrii coronam cum ipso meruit accipere immarcescibilem, 8. Idus Iulii. Claruit eodem tempore, quo Kilianus.

De sancto Tornano monacho.

CAP. CXXXIII.

TOrnanus monachus & discipulus sancti Kiliani Episcopi & martyris, ac socius passionis, vir multum religiosus & deuotus, à bono magistro non degenerans, stolam carnis suæ cum illo in sanguine agni meruit dealbare. Quorũ vita cum passione scripta est. Martyrizatur autem eodem die cum suo pontifice, 8. Idus Iulii, vt dictum est.

De S. Marino Abbate, martyre.

CAP. CXXXIV.

MAurinus Abbas, vir sanctus & Deo dilectus, virtutibus clarus enituit. Hic ab infirmitate à beato Proiecto Auernorum Episcopo, cum per eius monasterium ad regem Franciæ pergeret, curatus, magnam sanctitatis illius cepit experientiam. Cum autem sanctus præsul à rege reuertens ad cœnobium Maurini veniisset, beatus Abbas cum eo iuit, vt sicut se inuicem diligebant, ita simul martyrium consummarent. Cum ergo in atriolo cuiusdam basilicæ orarent, irruentes Proceres ciuitatis, Maurinum occiderunt, putantes se interemisse pontificem. Cumque Proiectum viderent à latere viuum consistere, impetu facto, etiam illum occiderunt, in odium & vindictam Hectoris Massilienſis patricii, ab Hilderico Francorum rege interempti propter iniustitias Aluernensi Ecclesiæ ab eo illatas. Claruit autem beatus Marinus anno Domini 670.

De sancto Leodegario Episcopo & martyre.

CAP. CXXXV.

LEodegarius Abbas monasterii sancti Maxentii Pictauiensis, & postea Episcopus Augustudunensis, vir sanctus & iustitiæ Christianæ amator, apud reges Franciæ, Lotharium & eius filium Lotharium iuniorem, & Hildericum, suo tempore in magno precio habebatur. Hic tandem pro iustitia ab impio Ebroino apostata interfectus, per multos cruciatus martyr gloriosus efficitur. Ad cuius corpus post mortem infinita miracula facta sunt. Claruit anno Domini 685. cuius natale celebratur 6. Nonas Octob.

De sancto Leufredo Abbate.

CAP. CXXXVI.

LEufredus Abbas monasterii, quod in diœcesi Ebroicensi modo, de cruce S. Leufredi, appellatur, qui ex eodem territorio de parentibus nobilibus natus, vanam mundi pompam pro Christi amore contemnens, eremum petiit: ac prædi-

prædictum monasterium fundans, multis monachis impleuit. In quo sancte viuens, miraculis coruscauit. Eius festum 11. Calendas Iulii colitur. Claruit anno Domini 680.

De S. Vuillebrordo Episcopo.

CAP. CXXXVII.

VVillebrordus cognomento Clemés, monachus Ripensis cœnobii in Anglia, discipulus S. Eggeberti, de quo supra diximus, cum amore predicandi verbum Dei ferueret, cum duodecim fratribus exiens de Anglia, venit in Galliam: ac demum rogante Pipino inclyto rege, à Sergio Papa Episcopus Traiectensis inferioris ordinatus est Romæ in die sanctæ Cæciliæ, anno ab incarnatione Domini 693. Suscepto autem Episcopatu, longe lateque verbum Dei prædicans, plures ecclesias & monasteria construxit. In quibus est illud insigne, vbi corpore quiescit, Epternacense in diœcesi Treuerensi, cooperantibus B. Irmina Abbatissa & Pipino principe semper honorando. Durauit autem in Episcopatu vltra annum Dominicæ incarnationis 730. Eius festum 7. Idus Nouembris celebratur.

De sancta Irmina Abbatissa.

CAP. CXXXVIII.

IRmina prima Abbatissa monasterii, quod ipsa in ciuitate Treuerensi fundauerat, quod Horreum dicitur, vulgariter Oëren, filia inclyti regis Dagoberti, virgo sanctissima, multis & in vita & post mortem fertur claruisse miraculis. Nos igitur cum sanctissimum caput eius habeamus incorruptum, sub eiusq; patrocinio non mediocriter gaudere debeamus, libet de conuersatione ipsius modicum altius sermonem contexere, & cuius meriti fuerit virgo, pro posse demonstrare. Hanc, cum adhuc esset iuuencula. Hermannus quidam Comes Gallicanus permagnificus, magna sibi dote assignata in Tyrasio & aliis locis, desponsauerat, sed antequam dies nuptiarum aduenisset, morte sublatus, virginem tristem reliquit. Dagobertus autem pater filiæ rex inclytus, eam consolans, aiebat: Quid, filia, tristaris de occubitu sponsi, quem non ignorabas mortalem? Num lachrymis putas reuocandum ab inferis? Tu quandoque sequeris: nunquam ille reuertetur. Quiesce igitur, oro, ab inutilibus lachrymis, ac ego tibi ditiorem potentioremque maritum polliceor. At virgo iam Christi desponsata castis amplexibus, patri tale fertur dedisse responsum: Ego, genitor amande, nedum ditiorem potentioremq; Hermanno sponsum elegi, sed etiam omnib. dominanté potentissimum regem Christum, æterni patris filium, cui me deuoui, cuius seruitio me mancipabo. Itaq; rex pietate & religione mirificus, cum audisset natæ dulcissimæ, (quanquam eam alicui terreno principi copulare disposuisset) eius sanctæ voluntati consensit, eique ad vota concurrens, pro ædificandis cœnobiis magnificentia sua multa prædia & donationes conferebat. Sancta igitur virgo voti sui compos effecta, Dominum laudabat, seq; totam in eius amorem transferens, nihil amabat terrenum, nihil dilexit caducum. Proficiens igitur, & succrescens in virtute Dei, ne aliorum quoque salutem videretur negligere, monasterium in honore beatæ Mariæ semper virginis solenne fundauit in Horreo Dagoberti patris sui in vrbe Treuerica, sicut iam diximus: vbi multas in Christi famulatu sorores congregans, mater earũ & Abbatissa, omnium consensu constituta est. Qualem vero se in officio suo præbuerit, nec huius temporis est edicere, nec nostræ facultatis. In cuius pectore Christi feruebat amor, quo succensa, magna & stupenda in Dei laudem faciebat. Ab eius mente nunquam oratio defuit, quæ etiam in precibus sæpe pernoctauit. Carnem suam sedule domabat ieiuniis, dum animam oratione & meditatione scripturarum enutriret. Hanc beatus Willebrordus singulari amore in Christo diligebat, cui sanctissima virgo medietatem fisci Epternacensis cum omnibus suis appendiciis, pro construendo monasterio fratrum, contulerat, quẽ de suo patrimonio hactenus possidebat. Quodam tempore beatus præsul Willebrordus de Traiecto veniens, sanctam virginem Irminam Treuiris visitauit: Cum ecce pestis lethifera sanctimoniales de Horreo inuaserat, ita vt subito infirmatæ caderent, & vsque ad animam mors videretur pertingere. Aduocatus S. Vuillebrordus, post castigationis ex-

hortamenta, post consolationis medicamina, pro salute earum salutarem victimam obtulit, & benedicens aquam, omnia habitacula cœnobii adsperſit, & exterminatoris angeli gladium mox ab eis propulsauit. Hic etiam beatissimus pontifex parochialem ecclesiam sancti Pauli iuxta Horreum, à sancta Irmina cũ duodecim præbendatis fratribus institutam, eodem tempore dedicauit. Sancta autem virgo, vt se dignam Christo sponsam redderet, totis viribus insistebat obseruantiæ regulari, quam suo tempore in eodem monasterio multis virtutibus roborauit: tandem post multos labores à Domino Iesu ad thalamum æternæ felicitatis vocata, non sine manifestis indiciis sanctitatis, beata illa anima carne exuta, transuolauit ad cœlos nono Calẽdas Ianuarii, illucescente iam die ipsa Christi natiuitatis. Eius autem festum, propter natalem Domini diem, ad decimum Calendas Ianuarii, celebrandum præuenitur. Huius corpus post multos annos de sepulcro leuatum, integrum & sine corruptione inuentum est. Sicut etiam capitis eius sacratissimi decor demonstrat, quod nos in nostro habere cœnobio Spanhemensi, supra iam diximus. Reliqua autem pars corporis, in monasterio sanctorum Petri & Pauli in Wissenburg recondita dicitur. nam in monasterio suo Treuerensi, parum de eius reliquiis nouimus haberi. Claruit anno Domini 710.

De sancto Euualdo martyre.

CAP. CXXXIX.

EWaldus cognomento Niger, monachus in Anglia Ripensis cœnobii, vir in diuinis scripturis valde doctus, ac Dei verbi feruentissimus prædicator: prouocatus exemplo beati Willebrordi pontificis, cum socio infra scripto exiuit de Anglia, & veniens in Saxoniam, vt ibidem barbaris fidem Christi annunciaret, ab eis longo cruciatu corporis martyrizatus est quinto Nonas Octobris: nec defuerunt martyrio eius & socii sequentis cælestia miracula. De quibus Beda in quinto volumine Ecclesiasticæ historiæ fecit mentionem. Claruit anno Domini 675.

De sancto Euualdo alio martyre.

CAP. CXL.

EWaldus cognomento Albus, monachus Ripensis monasterii, socius beati Ewaldi iam dicti, qui cum eo de Anglia in Saxoniam verbum Dei prædicaturus adueniens, martyrium capitis absciſſione compleuit, eodem die 5. Nonarum Octob. Fuerunt autem de Anglia nati, sed in Hybernia pro æterna patria multo tempore exulauerunt, donec ad imitationem beati Willebrordi, prædicationis gratia in Saxoniam venientes, martyrizati sunt. Corpora eorum apud Coloniam sepulta feruntur. Claruerunt anno Domini 675.

De sancto Adelmo Episcopo.

CAP. CXLI.

ADelmus ex Abbate Maldubiensis cœnobii, Episcopus Occidentalium Saxonum, in Anglia, vir doctus atq; sanctissimus, multa ad vtilitatem Ecclesiasticam composuit, sicut ex parte in secundo libro iam diximus. Erat enim prædicator deuotus, & factor verbi eximius. Claruit anno Domini 700.

De sancto Pechtelmo Episcopo.

CAP CXLII.

PEchtelmus Episcopus Candidæ Casæ in Anglia, monachus Maildurbiensis, socius beati Adelmi pontificis, & multis annis cum eo in cœnobio conuersatus vir doctus & sanctus, magnis in diebus suis effulsit virtutibus. Huius festum Idibus Iulii celebratur. Claruit anno Domini 710.

De sancta Modesta Abbatissa.

CAP. CXLIII.

MOdesta Abbatissa cuiusdam cœnobii in vrbe Treuerica, beatæ Gertrudi valde familiaris & dilecta fuit. Hæc quadã die ante altare beatæ Mariæ virginis, pstrata, cum oratione finita surrexisset, subito vidit ad dexterã altaris S. Gertrudem stantem, quæ dixit ad eam: Soror Modesta, certissime scias me hodie in eadẽ hora de habitaculo carnis absolutã. quo dicto, disparuit, & ita factũ est. Claruit anno Domini 680. Cuius festũ pridie Nonas Octob. colitur. Volunt autem quidam, quod hæc sacrata virgo fuerit secun-

secunda Abbatisa in Horreo Treuerensi. quod an ita sit, temporis dissensio me non sinit discernere. Probet alius.

De sancto Balthfrido monacho.

CAP. CXLIV.

BAlthfridus monachus solitarius, cũ quo beatus Wandregisilus Abbas in monte Falconis aliquandiu habitauit, vir deuotus & sanctus, multis in hac vita legitur claruisse virtutibus. Floruit anno Domini 670.

De sancto Eruualdo monacho.

CAP. CXLV.

ERwaldus monachus & discipulus sancti Kiliani martyris atque pontificis Herbipolẽsis, egressus cum eo de Scotia ad prædicandum verbum in Francoma, martyrium cum magistro sancto perfecit 8. Idus Iulii. Claruit autem anno Domini 680.

De sancto Lebuino monacho.

CAP. CXLVI.

LEbuinus monachus Ripensis in Anglia, discipulus sancti Willebrordi Traiectensis Episcopi, & socius peregrinationis eius atq; laboris, pro Christo ad exemplum boni magistri ambulans, multas virtutes sermone perfecit & ope.

De S. VVernfrido monacho.

CAP. CXLVII.

VVernfridus monachus & discipulus sancti Willebrordi pontificis, de Anglia cum eo gratia prædicationis venit in Phrisiam, vbi fortiter instans verbo sanctæconuersationis laborauit vt bonus miles Christi Iesu: à quo tandem laborum suorum mercedem glorioſam, deposita sarcina carnis, meruit accipere 19. Calendas Septembris. Claruit anno Domini 700.

De sancto Bonifacio Papa.

CAP. CXLVIII.

BOnifacius ex monacho S. Sebastiani in vrbe, huius nominis quartus, vir sanctus & Deo dilectus, impetrauit à Phoca Cæsare, vt in veteri fano, quod Pantheon vocabatur, & à Domitiano imperatore constructum erat, ecclesiam in honore beatæ Mariæ semper virginis & omnium Sanctorum posset consecrare. Sedit in pontificatu secundum Chronicas annis sex, mensibus octo, cuius festum 8. Calendas Aprilis agitur. Claruit anno Domini 608.

De sancto Adeodato Papa.

CAP. CXLIX.

ADeodatus ex monacho cœnobii, quod in Cælio monte situm est, sanctæ Romanæ & Vniuersalis Ecclesiæ, post Vitalianum Pontifex clementissimus, deuotus & sanctus, hospitalitatis cultor insignis, omnique decorus virtute, sedit in pontificatu annis quatuor, mensibus duobus, cuius natale 17. Calendas Augusti agitur. Claruit anno Domini 670.

De sancto Agathone Papa.

CAP. CL.

AGathon primus Papa ex monacho, natione Siculus, vir sanctissimæ vitæ, adeo vt leprosum obuium habens, osculando mox à lepra sanauerit. Tantæ clementiæ & pietatis extitit, vt neminem à se inconsolatum abire permitteret. Sedit in pontificatu annis duobus, mensibus sex. Moritur IV. Idus Ianuarii, anno Domini 677.

De sancto Benedicto Abbate.

CAP. CLI.

BEnedictus Abbas monasterii sanctorum Petri & Pauli Apostolorum in Anglia, præceptor venerabilis Bedæ presbyteri, vir doctus & valde religiosus, cuius etiam nonnulla extant opuscula. Hic Bedam puerulum quasi septem annorũ, susceptit ad ordinem. Claruit anno Domini 670. Cuius festum pridie Nonas Decembris celebratur.

De sancto Balderico monacho.

CAP. CLII.

BALDERICVS monachus in monte Falconis, vir deuotus, & sanctæ obseruantiæ monasticæ ex toto deditus, qui verbo & opere multis præbuit exemplũ imitandæ virtutis, magna suæ sanctitatis fertur reliquisse indicia. Huius festum 17. Calendas Nouembris colitur.

De sancto Adamanno Abbate.

CAP. CLIII.

ADamannus Abbas monasterii quod B. Columbanus olim in insula Hu fundauit in Hybernia, vir doctus & sanctus, & pater multorum monachorum, sua prædicatione sanctissima plurimam partem Scotorum in Hybernia, & etiam Britones in Britannia, ad debitũ paschalis celebritatis tempus reduxit. Claruit anuo Domini 700.

De sancto Ceolfrido Abbate.

CAP. CLIV.

CEolfridus Abbas monasterii sanctorum Petri & Pauli in Anglia, post Benedictum, sub quo Beda, toto notus in orbe, multa volumina scripsit, vir doctus & monastica religione venerabilis, cum esset annorum septuagintaquatuor, causa deuotionis Romam venit. Qui vbi in redeundo Lingonas peruenit, ibi defunctus est, atque in ecclesia beatorum Geminorum martyrum sepultus, anno Domini 717. ætatis (vt diximus) 74. presbyteratus vero, 44. Abbatialis autem officii, XXXV.

De sancto Beda monacho.

CAP. CLV.

BEda monachus & presbyter in eodem monasterio sanctorum Petri & Pauli Apostolorum in Anglia, vir doctus & sanctus: per sua studia toto notus in orbe, multa ad vtilitatem Ecclesiæ composuit volumina, de quibus in secundo libro iã fecimus mentionem. Hic in extremo natus orbis angulo, cum esset puer septẽ annorum, sub magisterio Benedicti Abbatis in præfato monasterio nutriendus à parentibus traditur: in quo mirabiliter proficiens, Anglorum doctor clarissimus effulsit. Anno vitæ suæ 19. diaconus factus est, 30. presbyter, ex quo tempore vsque ad vltimum vitæ suæ docere aut scribere non destitit, & sicut ipse per se fatetur, nihil illi dulcius erat, quam diuinas legere sedulo & exponere scripturas. Huius doctrina tanto precio digna habita est, vt Sergius Papa ab vrbe Roma Ceolfrido Abbati eius scripserit in Angliam, petẽs eum & exhortans, vt sine omni contradictione famulum Dei Bedã, ad limina destinaret Apostolorum, eo quod eius præsentia in arduis causis fidei, Ecclesiæ Dei valde vtilis esset & necessaria. Iam enim fama eius se longe lateque per orbem disperserat. Ita iam celebre erat nomen eius, vt in quæstionibus enodandis indigeret eo sublimitas Romana. Et tantis plane condigna laus studiis: quippe qui ex eo tempore, quo legere poterat, à sacra lectione & studio minime cessabat. Semper mens deuota studiis occupabatur salutaribus: quibus legit, scripsit, vel docuit. Erat ei mos, ex lectione vehementer accendi & compungi, ita vt sæpe inter legendum & docendum lachrymas calidas effunderet. Vnde post lectionem vel studium, ad orationes sanctas doctor deuotus se contulit, sciens magis Dei gratia, quam propriis viribus, ad scientiam peruenire scripturarum. O virum, cunctis venerandũ seculis, qui & mentis habitaculum orationibus, & Ecclesiam doctrinis illustrauit. Nullus vnquam nonnum Bedam vidit ocioſum. Vehementissime amore studii sacri æstuabat, ita vt ne ad momentum quidem potuerit esse ociosus. Cum enim ad monasterium puer intrasset, intantũ studendo profecit, vt non solum in sacris scripturis, sed etiam in secularibus literis vltra omnes Angliæ doctores peritissimus euaserit. Scripsit de omnibus artibus, quas liberales vocant, tractatus plures atq; pulcherrimos. In extremo mundi, vt ita dicam, positus, Græcam linguã magna ex parte didicit, & nec Hebraicæ penitus indulsit. Habuit multos egregios discipulos, quos suo studio & exemplo ad amorem scripturarum inæstimabili feruore prouocabat. Nec solum studiis, sed, quod iis amplius est, religione & sanctitate, quos docuit, fecit insignes. Fuit autem vir per omnia magnificus, scientia & morũ honestate venerabilis. Charitate siquidẽ refulsit geminata sublimis, deuotione p̃cipuus, castimonia vitæ gloriosus, Erat autẽ decentis staturæ, incessu grauis, voce sublimis, ore facundus, vultu decorus, & quædã iucunditati mixta seueritas. Vnde bonis & deuotis erat affabilis, supbis autẽ & negligentiorib. terribilis. Se ita mansuetum & humilem cunctis exhibuit, vt in toto monasterio vix haberet æqualẽ. Quicquid autẽ studendo & meditando de scripturis potuit apprehendere, sine inuidia communicabat iis, quos idoneos viderat, & in amore scientiæ salutaris flagrãtes. De tota Anglia viri confluebant ad eũ, cupientes sub eius magisterio & morũ & sciẽtiæ scripturarum

rarum incrementa suscipere. Nam eius conuersatio, intuentibus norma totius religionis erat & honesti. Et quid multis nitar sermonibus? talis ac tantus erat vir iste sacratus, vt omnis laus eius virtutibus sit prorsus inferior. O vtinam tale iam studium amarent monachi: quam felix esset status religionis. Amator veræ scientiæ erat is, de quo loquimur: qui non battologiam, sed virtutem in studio quærebat. Nam incuriosi fuit, sed dulcis eloquii. Tandem post multos labores, quos scribendo & docendo impenderat, animo toto suspirans ad patriam, debilitatē incidit, continuisq; septem hebdomadib. ante mortem, stomachi indignatione cibos nauseantis laborans, & angusto spiritu halitum producens, studium tamen literarum nequaquam omisit, sed totis iis diebus (præter debitum Psalmodiæ pensum) illi intendebat, Euangeliumq; Ioannis iis diebus Anglica lingua interpretatus est. Discipulis autem discēdi amorem ingerens, dicebat: Discite filioli, quā diu vobiscum sum. Feria autem tertia ante ascensionem Domini, modicus tumor in pedibus apparuit: tunc accita congregatione, communicatus & inunctus est, osculoq; cunctis libato, futuram sui memoriam à singulis implorauit. Nonnullis etiam, ob familiarem amicitiam, xeniola, quæ in secretis habebat, largitus est. Die ascensionis Domini contra oratorium, quo orare consueuerat, subiecto cilicio decumbens, illibato sensu & hilari vultu dicebat: O rex gloriæ Domine virtutum, & cætera vsq; in finem antiphonæ. Qua finita, spiritum efflauit. Mox tam suauissimus odor subsequutus est, vt omnes, qui aderant, in paradiso se esse putarent. Huius Epitaphium est tale:

Presbyter hic Beda requiescit carne sepultus.
Dona Christe animam in cælis gaudere per æuum,
Dag, sophiæ illum debriari fonte, cui iam
Suspirauit ouans intento semper amore.

Fuit primo sepultus in cœnobio suo, ac postea cum sancto Cuthberto in Dunelm translatus dicitur. Obiit anno Domini 733. ætatis vero suæ 72. sub Leone imperatore. cuius natale 7. Calendas Iunii colitur.

De S. Seuera Abbatissa.

CAP. CLVI.

SEuera Abbatissa S. Symphoriani Treuerensis, virgo sanctissimæ conuersationis, magnis claruit æuo suo virtutibus. Hæc fuit soror beati Rodoaldi Archiepiscopi Treuerorum, & sanctæ Ittæ, matris beatæ Gertrudis virginis. Idem Rodoaldus Episcopus construxit monasterium in Horreo sumptibus beatæ Irminæ, de qua supra diximus, eamq; constituit Abbatissam. Cōstruxit etiam cœnobium S. Symphoriani, cui Sueueram hāc sororem suam præfecit in Abbatissam, quæ mortua, in eodem loco ab eo sepulta est. Cuius festum 13. Calendas Augusti celebratur. Claruit anno Domini 670.

De S. Vrsmaro Episcopo.

CAP. CLVII.

VRsmarus ex Abbate Lobiensis cœnobii Episcopus Bobiensis, vir doct⁹ & sanctus, diuinique verbi prædicator insignis: qui prædicans temporibus Dagoberti, in prouincia Flandrensi multas construxit ac construi fecit ecclesias. Huius vitam Herigerus Abbas luculento stylo decripsit. Claruit anno Domini 700. Cuius festum celebratur nono Calendas Maii.

De S. Adela virgine.

CAP. CLVIII.

ATthela filia Dagoberti regis, virgo deuotissima, soror beatæ Irminæ virginis, prima Abbatissa cœnobii sanctimonialium, quod beatus Rodoaldus Treuerorum antistes in palatiolo construxit, ab eodem constituta. Christum sponsum eligens, omnem pompam terreni principatus pro eius amore contempsit. Claruit anno Domini 710.

De sancto Bosino Episcopo Treuerensi.

CAP. CLIX.

BOsinus Archiepiscopus Treuerensis quinquagesimus sextus, ex Abbate monasterii sancti Maximini ibidem, frater ducis Lotharingiæ nobilissimus fuit, qui nobilitatem generis fide & moribus rite commendans, magnis virtutibus clarus ef-

rus effulsit. Eius natale quarto Nonas Martij colitur. Claruit anno Domini septingentesimo vigesimo.

De S. Heruuino Episcopo.

CAP. CLX.

HEruuinus Episcopus Lobiensis, ex Abbate ibidem, beati Vrsmari successor, vir doctus & sanctus, & amator obseruantiæ regularis, magnis virtutibus tã in cœnobio, quam in Episcopatu refulsit, ita vt sancti pontificis dignus successor haberetur & esset. Eius natale 7. Calendas Maii colitur. Claruit anno Domini 720.

De S. Gregorio Papa secundo.

CAP. CLXI.

GRegorius Papa secundus ex monacho, patria Romanus, vir doctissimus, & hæreticorum expugnator egregius, multa sanctitate & virtute refulsit in populo, successit autem Constantino Pontifici, & sedit in cathedra Petri annis 16. mensibus octo. Hic vir sanctissimus Bonifacium Scotum, nostri ordinis monachum, ad sedem Moguntinensem ordinauit Episcopum, de quo in sequentibus, largiente Deo, dicemus. Huius Gregorii hortatu Petronax, ciuis Brixiensis ditissimus, atq; deuotus, monasterium S. Benedicti, quod Longobardi in Cassino monte olim destruxerant, suis expensis & impensis à fundo restauravit, anno post desolationem suam 112. Moritur autem hic beatissimus Pontifex anno Domini 732. tertio Idus Februarij, Indictione 14.

De S. Aegidio Abbate.

CAP. CLXII.

AEgidius monachus & Abbas, natione Græcus, patria Athenienſis, venit de Græcia pro Christo peregrinus ad ciuitatem Arelatensem, vbi cum sancto Cæsario nostri ordinis Episcopo mansit per biennium, & tandem fugiens ad eremum, regis præcepto monasterium cõstruxit, & Abbas monachorum efficitur. Multis tam in vita, quam etiã post mortem legitur claruisse miraculis. De hoc sanctissimo viro mihi etiam in secundo libro videor fecisse mentionem. Nam & aliqua scripsisse perhibetur. Claruit anno Domini 740. Cuius natale Calendis Septembris agitur.

De S. Vendemio monacho.

CAP. CLXIII.

VEndemius monachus & discipulus S. Ægidii, qui cum eo per annos aliquot stetit in eremo, antequam fundasset cœnobium, vir sanctissimæ conuersationis, adeo vt etiam præsente Ægidio, multis effulserit miraculis, sicut in vita ipsius legitur. Claruit anno Domini 730.

De S. Liefardo monacho.

CAP. CLXIV.

LIefardus monachus & socius sancti Leonardi Abbatis, vir deuotus & sanctus, ac monasticæ religionis studiosus discipulus, fertur etiam magnis in vita claruisse virtutibus. Cuius natale tertio Nonas Iunii suo loco celebratur & agitur.

De S. Albino Episcopo.

CAP. CLXV.

ALbinus Episcopus Andegauensis ex monacho Timlacensis cœnobii, vir deuotus & sanctus, multis in vita claruit miraculis, ita vt etiam mortuum suscitauerit. Hic Veneticæ regionis, Oceani Britannici confiniis, indigena fuit: cuius inclyta gesta habentur. Qui virtutum floribus adornatus, viginti annis & mensibus sex pontificalem dignitatem moderans, & octogesimum ætatis annum feliciter explens, Calendis Martii migrauit ad Dominum. Claruit anno Domini 720.

De S. Suuigberto Episcopo.

CAP. CLXVI.

SWigbertus Episcopus Werdensis sub Archiepiscopo Colonienſi, monachus & socius sancti Willebrordi pontificis, vir sanctus & prædicator egregius, multis virtutibus in sancta conuersatione effulsit. Eius natale Calendis Martii colitur. Hic cum sancto Willebrordo causa prædicationis

dicationis venit de Anglia, fuitq; primus antistes præfati loci. Requieſcit autem in imperiali Werda ſuper Rhenum, quæ vulgo Keiſerſwerda dicitur. Claruit anno Domini 720.

De S. VVillico monacho.

CAP. CLXVII.

VVillicus monachus & diſcipulus S. Svvigberti pontificis, & ſocius laborum & peregrinationis eius pro Chriſto, vir doctus in ſcripturis diuinis, & Chriſtianæ fidei fortiſſimus amator & prædicator, etiam ſuæ ſanctitatis euidentia reliquit indicia. Iacet cum ſuo præceptore in præfata Werda ſepultus, cuius natale ſexto Nonas Martii colitur. Claruit anno Domini 720.

De ſancto Vulframo Epiſcopo

CAP. CLXVIII.

VVlframus Archiepiſcopus Senonenſis, natione Vaſconienſis, cuius pater Vulbertus in aula regis Dagoberti & filii eius Ludouici militauit, vir certe doctus & ſanctus, qui diuina admonitione fidem Chriſti prædicauit ante Bonifacium in Friſia, & Rathbodum ducem, qui poſitum ad baptiſmum pedem ſtultus retraxit, cum ſuo diabolo & eius phantaſtica paradiſo confudit. Claruit multis miraculis, qui tandem reſignauit Epiſcopatum, & factus eſt monachus in cœnobio præfato Fontanellenſi. Obiit in eodem monaſterio 13. Calendas Aprilis, anno Domini 720. & ſepultus eſt iuxta ſanctũ Wandregiſilum.

De S. Deusdedit Epiſcopo

CAP. CLXIX.

DEuſdedit ex monacho in Anglia, ſextus Archiepiſcopus Doruernenſis Eccleſiæ, quæ nunc Cantuarienſis dicitur, vir monaſticis diſciplinis optime inſtitutus, & à iuuentute exercitatus, rexit Epiſcopatum ſtrenue cum multis virtutibus nouem annis & quatuor menſibus. Moritur 7. Calend. Aprilis anno Domini 664.

De S. VVillefrido Epiſcopo.

CAP. CLXX.

VVillefridus Epiſcopus Eboracenſis, primum monachus inſulæ Lindesfarnenſis, & deinde Abbas Ripenſis cœnobii, ac poſtremo præfatæ vrbis Archipontifex, vir deuotus & ſanctus: cum eſſet, puer annorum quatuordecim, mundum contempſit, & Chriſtum in humilitate ſequens, intrauit cœnobium. Hic fuit Romæ in concilio ſub Ioanne Papa, & ab omnibus amabilis Deo præſul comprobatus eſt. Eius natale 4. Idus Octobris colitur. Claruit anno Domini 700.

De S. Bonifacio Archiepiſcopo & martyre.

CAP. CLXXI.

VVinfridus, qui & Bonifacius, primus Archiepiſcopus Moguntinenſis, ex monacho noſtri ordinis, in Britannia Angliæ natus, vir doctus & ſanctus: qui cum eſſet puer quinque annorum, tanto feruore apud patrem ſuum pro monachatu legitur inſtitiſſe, vt vix ab eo potuerit obtinere licentiam. In monaſterio igitur poſitus, qualiter vixerit, Willibaldus involumine, quod de eius vita edidit, partim oſtendit. Hic amore cæleſtis regni ſuam patriam deſerens, venit in Germaniam, & vbiq; ſemina diuini ſpargens verbi, à beato Gregorio Papa ſecundo, Epiſcopus Moguntinenſis Eccleſiæ ordinatus eſt, ac deinde à Zacharia Papa in Archiepiſcopum ſublimatus. Tandem prædicaturus Friſonibus fidem Chriſti, ab eis cum ſociis ſuis martyrizatus eſt, anno Domini ſeptingenteſimo 55. Indictione 8. Epiſcopatus ſui anno 36. Nonis Iunii. Cuius corpus per eius ſucceſſorem Lullum ad monaſterium Fuldenſe in Buchonia, quod ipſe fundauerat, relatum eſt.

De S. Tecla Abbatiſſa.

CAP. CLXXII.

TEcla ſanctimonialis fœmina natione Anglica, quam S. Bonifacius, ob penuriam meſſorum ſpiritualis tritici, de Britannia euocatam in Alemaniam, Abbatiſſam conſtituit iuxta Moganum in loco, qui dicitur Eizzingen, vt ibi quaſi lucerna in caliginoſo loco luceret, alioſque ad monaſticæ imitationem vitæ ſuo exem-

exemplo prouocaret. Nam vſq; ad hæc tempora, monaſteria in Alemania, maxime virginum, pauca habebantur. Sancta autem fœmina, multas in eodem loco animas Chriſto congregans, tandem in pace quieuit. Claruit anno Domini 730.

De S. Lioba virgine Abbatiſſa.

CAP. CLXXIII.

LIoba virgo ſanctiſſimæ conuerſationis, natione Anglica, à B. Bonifacio de Britannia euocata, prima Abbatiſſa ab eodem conſtituta eſt cœnobii, quod ipſe in Biſchofesheim fundauerat. Quæ multitudini virginum in eodem loco rectæ vitæ normulam docendo & viuendo præbuit. Claruit anno Domini 730. Cuius feſtum 4. Calendas Octobris celebratur.

De S. Boſone monacho martyre.

CAP. CLXXIV.

BOſo monachus & diſcipulus S. Bonifacii Epiſcopi & martyris, natione Anglicus, qui de Britannia vocatus ab eo, venit in Germaniam & deinceps ſocius prædicationis & laboris eius, ad extremũ cum eo pro fide Chriſti occubuit in Friſia, anno Domini 755. Nonis Iunii. Paſſi ſunt cum eis & alii quinquaginta, monachi, clerici & laici, quorum nomina in libro vitæ ſcripta, à nobis ignorantur.

De S. Adelario Epiſcopo martyre.

CAP. CLXXV.

ADelarius Epiſcopus Erfordenſis vnicus, monachus & ſocius beati Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini, vir doctus & ſanctus, poſtquam multos pro fide ſuſtinuit labores prædicando & docendo, ne bono comite priuaretur Winfrido, etiam martyrio rubricatus euolauit ad ſuperos 12. Calendas Maii. Claruit anno Domini 740.

De S. Cobano Epiſcopo martyre.

CAP. CLXXVI.

CObanus Epiſcopus Traiectenſis, monachus natione Anglicus, B. Bonifacii coadiutor & ſocius, vir eruditus in diuinis ſcripturis, & prædicator egregius, morumq; honeſtate inſignis atq; conſpicuus, poſt multos tandem labores, pro fide Chriſti effuſo cruore ſacro martyr efficitur. Claruit anno Domini 740.

De S. Gunthero martyre.

CAP. CLXXVII.

GVntherus monachus & diſcipulus S. Bonifacii Archiepiſcopi & martyris, vir deuotus & ſyncerus, qui lateri boni præceptoris ſemper adhærens, cum eo tandem pro fide Chriſti martyr occubuit, Nonis Iunii in Friſia, anno Domini 755.

De S. Hamundo martyre.

CAP. CLXXVIII.

HAmundus diaconus monachus & diſcipulus S. Bonifacii Archiepiſcopi & martyris, natione Anglicus, vir ſanctus & Deo dilectus, primus ante omnes in ſacro certamine pro fide Chriſti occubuit, ſicut in paſſione B. Bonifacii legitur, Nonis Iunii, anno Domini 755.

De S. Hildebrando martyre.

CAP. CLXXIX.

HIldebrandus frater prędicti Hamundi carnalis, monachus & diſcipulus S. Bonifacii, ac miniſter ſingularis, qui ad menſam ei ſeruire conſueuerat: vir deuotus, & religionis cingulo magnifice decoratus, vnus etiam ex primis extitit, qui in hoc certamine glorioſe occubuerunt. Nonis Iunii, anno Domini 755.

De S. Harvvolfo martyre.

CAP. CLXXX.

HArvvolfus monachus & diſcipulus eiuſdem S. Bonifacii Archiepiſcopi, vir & ipſe doctus atq; deuotus, cum ſancto viro in vita ſemper adhærere ſtuduiſſet, etiam in morte cum eo martyrio coronatus, euolauit ad æthera, Nonis Iunii, anno Domini 755.

De S. Adelhero martyre.

CAP. CLXXXI.

ADellerus monachus & diſcipulus S. Bonifacii Archiepiſcopi, vir doctus & in

& in diuinis scripturis eruditus, atque diuini verbi prædicator egregius, simul cum supradictis martyrio coronatus, cõscendit ad superos, Nonis Iunii, anno Domini 755.

De S. Stierbaldo martyre.

CAP. CLXXXII.

STierbaldus monachus & discipulus S. Bonifacii Moguntini Archiepiscopi sæpe dicti & martyris, vir moribus & scientia magnifice ornatus, post multos labores, quos fideliter prædicando impenderat, vna cum sancto magistro sociisq; multis, tandem martyrio coronatus, de præsenti exilio transiuit ad patriam, Nonis Iunii, anno Domini 755.

De S. VVattaro martyre.

CAP. CLXXXIII.

VVAttarus monachus & discipulus sancti Bonifacii præsulis & martyris, vir deuotus, & in verbi Dominici prædicatione zelosus, cum sancto pastore prædicationis gratia descendens in Phrisiam, vna cum cæteris martyrium consummauit, Nonis Iunii, anno Domini septingentesimo 55.

De S. VValthero martyre.

CAP. CLXXXIV.

VValtherus monachus & discipulus sancti Bonifacii Archiepiscopi & martyris, cum esset in eius seruitio continuus, etiam in morte ab eo non est separatus. Nam & ipse in Phrisia martyrium consummauit, Nonis Iunii, anno Domini 755.

De S. VVutringo martyre.

CAP. CLXXXV.

VVutringus monachus & discipulus eiusdem S. Bonifacii martyris, natione (vt credo) Alemanus, cum supradictis martyr in Phrisia pro fide Christi efficitur, Nonis Iunii, anno Domini septingentesimo 55. Habuit autem Bonifacius & alios socios & ministros multos, tam monachos quam clericos, qui simul cum eo passi sunt, quorum nomina in libro vitæ sunt scripta, quanuis à nobis ignorentur.

De sancto Burckardo Episcopo.

CAP. CLXXXVI.

BVrckardus Episcopus Herbipolensis ex monacho, natione Anglicus, vir sanctus & Deo dilectus, qui multis fertur claruisse miraculis: sedit in pontificatu Wirtzburgensi annis nouem, à sancto Bonifacio Moguntino Archiepiscopo ordinatus. Claruit anno Domino septingentesimo 50. Cuius festum sexto Idus Octobris colitur. Eius autem vita diligẽter conscripta est.

De S. VVillibaldo Episcopo.

CAP. CLXXXVII.

VIllebaldus primus Episcopus Eistetensis, à beato Bonifacio ordinatus, filius regis Anglorum Richardi, cum patre & fratre regnum terrenum contemnens, pro amore Christi peregrinus factus, multis effulsit virtutibus. Hic cum esset quinq; annorum, in monasterio, quod Waldheim vocatur, traditus est: in quo multum proficiens, vir doctus & sanctus euasit. Post plures vero annos patriam deserens, venit Romam, ac deinde * Hierosolymam: visitatisq; multis sanctorum locis, tandem monachus Cassinensis efficitur, decimo peregrinationis suæ anno. Tandem à Gregorio Papa tertio in auxilium Bonifacio Archiepiscopo dirigitur, & in Eistetensis Ecclesiæ præsulem consecratur. Eius vita scripta est. Claruit anno Domini septingentesimo quadragesimo. Cuius festum octauo Idus Iulii colitur.

De S. Lutvvino Archiepiscopo.

CAP. CLXXXVIII.

LVtwinus Archiepiscopus Treuerensis quinquagesimus septimus, sancti Sabini ex sorore nepos, vir sanctissimæ conuersationis fuit. Hic prius fuit Dux Lotharingiæ, & cum omnia cœnobia, quæ reperit destituta præsidiis, dotasset, constituxit aliud monasterium super Saroam, quod Mediolacense dicitur: in quo comam deponens, primum monachus, deinde Abbas ibidem factus est: & postremo, vt diximus, Treuerorum Episcopus. Claruit anno Domini 730. in eodem cœnobio Mediolacensi sepultus.

Cuius

Cuius festum tertio Calendas Octobris celebratur.

De S. VVinbaldo monacho.

CAP. CLXXXIX.

VVinbaldus monachus Cassinensis cœnobii, frater S. Willebaldi Episcopi, & socius peregrinationis eius, veniens cum eo post multos labores ad montem Cassinum, & ibidem monachus effectus, multis effulsit virtutibus. Claruit anno Domini 740.

De S. Amalberga Virgine.

CAP. CXC.

AMalberga sanctimonialis, virgo nobilissima, regio genere orta, multas pro castitatis amore persecutiones sustinuit, dum Carolus rex Francorum suo eã vellet toto coniungere, & illa se non pateretur à Christi amplexibus auelli. Multis claruit signis atq; virtutibus etiam in pueritia. Fuit enim sanctæ & mundæ cõuersationis, Deoq; ab infantia semper deuota. Hanc beatus VVillebrordus sua cohortatione in Dei amore multum roborauit, sicut in vita eius legitur, quæ satis diligenter & prolixe conscripta est. Moritur autem beata virgo anno Domini 772. Indictione decima, sexto Idus Iulii, ætatis suæ anno 31. Eius corpus in cœnobio S. Petri in monte Blandinio nostri ordinis, Gandensis territorii, postmodũ translatum est.

De S. Ebbone Archiepiscopo.

CAP. CXCI.

EBbo Archiepiscopus Senonensis post beatum Guericum, qui sancto VVulframmo successit, vir sanctissimæ conuersationis, multis & in vita & post mortem claruit virtutibus: qui orbatus parentibus, à quibus hæreditatem amplissimam relictam sibi contemnens, in monasterio S. Petri Senonis monachus factus est. Cuius loci postmodum Abbas factus, inde ad pontificatum electus est. Claruit an. Domini 740.

De S. Eucherio Episcopo.

CAP. CXCII.

EVcherius Episcopus Aurelianensis, vir doctus & sanctus, à Carolo rege ab Episcopatu deponitur, pro eo quod illi contra Raginfredum eunti, vrbem Aurelianensem præ timore Raginfredi, aperire noluit. Qui sic depositus, in cœnobio S. Trudonis monachorũ conuersationi se subdidit, vbi in sanctitate & virtutibus vsq; ad finem perseuerauit. Hic est Eucherius, qui animã eiusdem Caroli Martelli in pœnis vidit inferni, pro eo, quod militibus suis decimas Ecclesiarum permiserat. Claruit anno Domini 760.

De S. Lullo Archiepiscopo.

CAP. CXCIII.

LVllus monachus & discipulus sancti Bonifacij martyris, & post eum Ecclesiæ Moguntinæ Arch episcopus secũdus, natione Anglicus, vir sanctus & Deo dilectus, præfuit Ecclesiæ Moguntinæ trigintaduobus annis. Hic fundauit monasterium Hirsfeldense, cui prẽfecit Abbatem sanctum atque venerabilem Sturmum. Claruit anno Domini 775. cuius festum 17. Calendas Nouembris colitur.

De S. Sturmo Abbate.

CAP. CXCIV.

STurmus primus Abbas Fuldensis, beati Bonifacii martyris, ac Præsulis quõdam monachus atque discipulus, vir sanctus, & regularis disciplinæ amator zelosus, multis claruit virtutibus. Moritur anno Domini 779. cuius natale 17. Calend. Ianuarii colitur. Iacet in Fulda sepultus.

De S. VVilhardo Archiepiscopo.

CAP. CXCV.

VVilhardus primus Episcopus Bremensis, monachus Epternacensis, cum esset vir sanctissimæ conuersationis, & in diuinis scripturis eruditus, à Carolo imperatore Magno, præfatæ vrbis pontifex primus constitutus est. Claruit anno Domini 780. cuius natale sexto Idus Nouembris colitur. Hic multos ad fidem catholicam sua doctrina conuertit. Iacet in Ecclesia Bremensi sepultus.

De S. Lutgero Episcopo.

CAP.

CAP. CXCVI.

LVtgerus primus Episcopus Monasterienſis ſub Archiepiſcopo Colonienſi, monachus S. Benedicti monaſterii Beneuentani, vir ſanctus & Deo dilectus, tã in vita, quam poſt mortem, infinitis claruit virtutibus. Eius corpus in cœnobio Werdenenſi requieſcit. Claruit anno Domini 790. Cuius feſtum agitur 7. Calendas Aprilis.

De S. Albino Abbate.

CAP. CXCVII.

ALbinus Abbas monaſterii S. Martini Turonenſis, natione Brito, diſcipulus quondam venerabilis Bedæ preſbyteri, vir doctus & ſanctus, virtutum ſuarum multa legitur dediſſe indicia. De quo etiam in ſecundo libro fecimus iam mentionem. Hic ob doctrinam eximiamq; ſanctitatem, apud Carolum Magnum valde reuerendus fuit & charus, de quo multa bona feruntur. Claruit anno Domini 770. cuius natale 14. Calendas Iunii celebratur.

De ſancto Stephano Papa.

CAP. CXCVIII.

STephanus Papa tertius, natione Siculus, monachus cœnobii ſancti Chryſogoni Romæ, vir eruditus & ſanctus, ſedit in Pontificatu annis tribus, menſibus ferme ſex: qui, habita ſynodo, multa ad vtilitatem Eccleſiæ conſtituit. Claruit anno Domini 770. cuius feſtum 5. Calend. Ianuarii colitur.

De S. Rabano Archiepiſcopo.

CAP. CXCIX.

RAbanus Maurus, ex Abbate Fuldenſis monaſterii, ſextus Archiepiſcopus Moguntinus, natione Teutonicus, ex ſylua quæ Buconia nominatur, in finibus Franconiæ, de cuius eruditione & excellentia in ſecundo volumine pauca perſtrinximus, non ſolum ſcientia mirabilis, verum & ſanctitatis conuerſatione effulſit inſignis. De quo monimenta præclara narrantur. Hic in Fuldenſi monaſterio vigintiquatuor annis Abbatis geſſit officium, quibus & innumerabilia pene conſcripſit opuſcula, & bibliothecam toto in orbe famoſam inſtruxit. Fuit autem regularis diſciplinæ amator & director zeloſus, & multos ſub ſuo magiſterio notabiles diſcipulos enutriuit. Tandem ob quam neſcio cauſam monachorum improbitate offenſus, cœnobium deſeruit, & ad imperatorem Lodouicum, Caroli filium, commigrauit: cum quo longo tẽpore permanſit. Monachi Fuldenſis cœnobii, pœnitentia ducti, veniam deprecantes, rogabant, vt ad monaſterium ſuum reuerti dignaretur. Sed non potuerunt, quod poſtulabant, impetrare. Manſit igitur apud regem vſque ad obitum Otgarii Archiepiſcopi Moguntini, & in eius locum ſuffectus, annis nouem eandem ſtrenue rexit Eccleſiam. Moritur anno Domini octingenteſimo quinquageſimoquinto.

De S. Leone Papa.

CAP. CC.

LEo Papa quartus, ex monacho ſancti Martini in Vrbe, natione Romanus, ſedit in Pontificatu annis octo, menſib. tribus, diebus ſex: vir doctus & ſanctus, etiam in vita multis effulſit miraculis. De quibus in geſtis eius prælucida narrantur. Claruit anno Domini 845. cuius feſtum 6. Calendas Auguſti populus concelebrat.

De S. Geneſio Archiepiſcopo.

CAP. CCI.

GEneſius ex Abbate in Francia Bituricenſis Archiepiſcopus, vir certe religione, pietate, innocentia ſuo tẽpore omnium ſcitu clariſſimus, multis miraculis tam in vita, quam poſt mortem claruit, ſicut in geſtis eius ſcribitur.

De S. Haymone Epiſcopo Halberſtatenſi.

CAP. CCII.

HAymo ex monacho Fuldenſi Herſfeldenſis cœnobii Abbas, & deinde Halberſtatenſis Eccleſiæ tertius Epiſcopus, vir doctus & ſanctus, de quo in ſecundo libro huius operis præfati ſumus, rexit Eccleſiam Halberſtatenſem annis 13. Tandem poſt multos labores & continua ſanctitatis exercitia migrauit ad Dominum, ſepultus in eccleſia ſancti protomartyris Stephani in ciuitate prędicta. Claruit anno Domini 840.

I. De

De S. Hildulpho Archiepiscopo.

CAP. CCIII.

HIldulphus Archiepiscopus Treuerensis quinquagesimus nonus, à Pipino patre Caroli antistes factus, multa bona fecit, Hic fundauit monasterium S. Maximini, & pro centum monachis prębendauit. Fundauit etiam tres cellas in saltu Vosagi, in quarum media, relicto Episcopatu, ipse Abbas effectus, requiescit, multis miraculis clarus. Claruit anno Domini 730. Cuius festum agitur quinto dus Iulii.

De S. Anastasia Abbatissa.

CAP. CCIV.

ANastasia monasterii sanctæ Irminæ in Horreo Treuerensi Abbatissa tertia, virgo sanctissimæ conuersationis, multis effulsit clara virtutibus, quemadmodum in eius gestis reperitur. Claruit anno Domini 760. cuius natale quinto Idus Septemb. festiuatur.

De S. Basilissa Abbatissa.

CAP. CCV.

BAsilissa sanctimonialis, fœmina præclaræ opinionis & meriti, beatæ Anastasiæ iam dictæ discipula, tam sanctæ & innocentis vitæ extitit, vt etiam in vita claruerit magnis virtutibus. Post mortem vero beatæ Anastasiæ ipsa in Abbatissam quartam omnium consensu in Horreo Treuerensi electa est. Quo suscepto regimine, qualem se exhibuerit omnibus, quam humilem, quam piam, quã deniq; pro disciplina regulari zelosam, quis sermo explicabit? Nihil illi defuit, quod industria regularis magisterii requirit. Claruit autem anno Domini 780. Cuius festum agitur 5. Decemb.

De S Erentrude Abbatissa.

CAP. CCVI.

ERentrudis Abbatissa Saltzburgensis, neptis beati Ruperti eiusdem vrbis Episcopi, virgo sanctissimæ conuersationis, innumerabilibus fertur claruisse virtutibus. Eius festum pridie Calendas Iulii agitur.

De S. Altfrido Episcopo.

CAP. CCVII.

ALfridus ex monacho Corbeiensis cœnobii, quartus Episcopus Hildeshemensis, vir sanctus & Deo dilectus, constructit maiorem Ecclesiam ibidem, in qua etiam iacet sepultus. Claruit anno Domini 840. & rexit Ecclesiam præfatã 28. annis.

De S. Anschario Episcopo.

CAP. CCVIII.

ANscharius ex monacho Corbeiensis cœnobii, primus Archiepiscopus Bremensis, vir sanctus & prædicator egregius, sua dulci conuersatione & doctrina Danos conuertit ad Christum, multasq; fundauit ecclesias. Rexit Ecclesiam Bremensen annis 34. in eadem sepultus. Claruit anno Domini 840. Cuius festum tertio Nonas Februarii agitur.

De sancto Meginrado martyre.

CAP. CCIX.

MEginradus monachus Augiensis cœnobii, vir doctus & sanctus, vt omnipotenti Deo tanto syncerius seruiret, quanto ab hominibus segregatus, secretius viueret, de sui Abbatis licentia eremum petiuit, & in Nigra sylua multis annis solitarius habitauit. Tandem in cellula sua à duobus latronibus occisus, martyr efficitur, & infinitis miraculis illustratur. Eius inclyta gesta habentur. Compleuit autem martyrium anno Domini 860. duodecimo Calendas Februarii.

De sancto Remberto Archiepiscopo.

CAP. CCX.

REmbertus ex Monacho Corbeiensis cœnobii, Archiepiscopus Bremensis secundus, vir sanctæ conuersationis, fide, innocentia, & pietate singularis, magnis enituit signis. Rexit Ecclesiam Bremensem strenue nouem annis. Claruit anno Domini octingentesimo & septuagesimo. Eius festum agitur pridie Nonas Februarii.

De

De S. Radulpho Episcopo.

CAP. CCXI.

RAdulphus Archiepiscopus Bituricẽsis, ex Abbate sancti Medardi Suessionensis, vir sanctus & in diuinis scripturis valde eruditus, magnis virtutib. clarus effulsit. Claruit anno Domini 845. cuius festum agitur 7. Calendas Iulii.

De S. Ioanne Scoto martyre.

CAP. CCXII.

IOannes Scotus monachus Malbesberiensis in Anglia, vir doctus & religiosæ conuersationis, cuius etiam in secundo volumine fecimus mentionem, apud Carolum Caluum Imperatorem magno in precio fuit: qui tandem martyrio coronatus, à morte transiuit ad vitam. Confossus enim graphiis puerorum, quos docebat, nescio quo instigante, post mortem multis claruit signis. Legi autem in quadam scriptura quod fuerit Episcopus Mykelenburgensis sub Bremensi. Eius natale colitur 4. Idus Nouembris. Claruit anno Domini 880. sub Carolo Caluo, & vixit adhuc multis annis post eum. Alii volunt, quod claruerit sub Hẽrico quarto, anno Domini 1060. Sed prior opinio mihi videtur chronicis consentanea, & ideo verior. Nisi forte duo fuissent vno martyrii genere diuersis temporibus interempti.

Vide lignum vitæ lib. 3. p. 366.

De S. Bernone Abbate.

CAP. CCXIII.

BErno fundator & primus Abbas Gigniacensis monasterii in Burgundia, vir certe fide religione præclarissimus, nobili genere ortus, multis virtutibus insignis effulsit. Fundauit etiam monasterium Cluniacense toto orbe famosum, cui præfecit Odonem virum totius literaturæ & sanctitatis illustrem. Claruit anno Domini 900.

De S. Adelgario Archiepiscopo.

CAP. CCXIV.

ADelgarus ex monacho Corbeiensis cœnobii Bremensis Archiepiscopus, vir doctus & sanctus, rexit Ecclesiam sibi commissam strenue viginti annis, & fuit tertius in ordine Archiepiscopus. Volunt tamen alii, quod fuerit septimus. Claruit anno Domini 890. Cuius festum Idibus Maii colitur.

De S. Odone Abbate.

CAP. CCXV.

ODo monachus discipulus præfati S. Bernonis, Abbas Cluniacensis cœnobii ab eo primus constitutus, tanta sanctitate & religione clarus enituit, vt etiam in vita miraculis coruscarit. Ordinem sancti Benedicti pene collapsum, mirifice restaurauit, ac de nouo multa construxit cœnobia. Claruit anno Domini 920. Eius festum 13. Calendas Decembris agitur.

De S. VVimone Archiepiscopo.

CAP. CCXVI.

VVimo ex monacho Corbeiensis cœnobii, nonus Archiepiscopus Bremensis, vir sanctus & deuotus, fide & opere præcipuus, & egregius prædicator: postquam rexisset Ecclesiam Bremensem decem & octo annis, resignauit officium, & secessit in Gothiã, amore Christi annuncians & prædicans illis populis verbum Dei, vbi & tandem mortuus, miraculis coruscauit. Claruit anno Domini 920.

De S. VViberto monacho.

CAP. CCXVII.

VVibertus monachus & fundator Gemblacẽsis cœnobii, cum esset vir secundum seculi dignitatem nobilis & diues, cingulum militiæ mundanæ deponens, sanctum monasticæ disciplinæ habitum assumpsit. Eius vitam Sigebertus monachus eiusdem cœnobii, gemino stylo descripsit. Claruit anno Domini 920.

De S. Adamaro Abbate.

CAP. CCXVIII.

ADamarus post Odonem secundus Abbas Cluniacensis monasterii, vir in scripturis sacris eruditus, morum conuersione sanctissimus, lumine oculorum orbatus, velut alter Iob, in medio fratrum suorum exemplar patientiæ &

humilitatis enituit. Claruit anno Domini 932. Cuius festum agitur apud Claniacenses Idibus Septembris.

De S. Sunderoldo Episcopo martyre.

CAP. CCXIX.

SVnderoldus ex monacho Fuldensis cœnobii, nonus Archiepiscopus Moguntinus, vir sanctus & Deo amabilis sacerdos, rexit Ecclesiam Moguntinam tribus annis. Eo tẽpore Nortmanni vastabant Germaniam, à quibus hic pontifex sanctissimus Wormatiæ coronatus martyrio 6. Calendas Iulii, qui fuit Sabbatho, anno Domini 891.

De S. Maiolo Abbate.

CAP. CCXX.

MAiolus quartus Abbas Cluniacensis cœnobii, vir fide & opere clarissimus, sexto anno conuersionis suæ, Adamaro cedente propter corporis inualitudinem & visus amissionem, pastor Dominici gregis constitutus, multis virtutibus & signis enituit. Claruit anno Domini 960. Cuius festum quinto Idus Maii colitur.

De S. Dunstano Archiepiscopo.

CAP. CCXXI.

DVnstanus ex Abbate Glasconiensis cœnobii Archiepiscopus Cantuariensis, vir sanctissimæ conuersationis, adhuc viuens miraculis infinitis clarus effulsit. Eius vitam Osbertus monachus claro stylo descripsit. Morirur 14. Calendas Iunii, anno Domini 988. ætatis suæ, 70. Patriarchatus autem sui anno 33.

De S. Mathilde Abbatissa.

CAP. CCXXII.

MAthildis filia regis Henrici Imperatoris primi, soror beati Brunonis Colonienſis Archiepiscopi, fundatrix & prima Abbatissa monasterii S. Seruatii in Saxonia: virgo sanctæ conuersationis, multis effulsit clara virtutibus. Ad hanc Windichinus monachus Corbeiensis, historiam & gesta Saxonum scripsit. Claruit anno Domini 930.

De S. Vdalrico Episcopo.

CAP. CCXXIII.

VDalricus ex monacho S. Galli, Episcopus Augustensis, vir sanctissimæ conuersationis, claruit multis & pene infinitis miraculis, tam in vita, quam etiam post mortem. Eius gesta satis diligenter conscripta sunt. Moritur quarto Nonas Iulii, anno Domini 973. Episcopatus sui quinquagesimo, ætatis suæ 83. sub Ottone secundo Imperatore, Indictione 1.

De S. VViberade virgine.

CAP. CCXXIV.

VViberadis sanctimonialis fœmina, apud monasteriũ S. Galli pro Christi amore inclusa, die noctuq; orationib. ieiuniis, ac vigiliis vacans, ad tãtam gratiam diuinæ contẽplationis ascendit, vt spiritu prophetiæ illustrari meruerit. Hæc prædixit, beatum Vdalricum Augustensem futurum Episcopum. Claruit anno Domini 920.

De S. Eberhardo monacho.

CAP. CCXXV.

EBerhardus monachus & solitarius apud cellam sancti Meginradi martyris in sylua, quę dicitur Vmbrosa, nunc ad Eremitas, vir sanctæ conuersationis, & beati Vdalrici supradicti antistitis familiaris amicus: cum esset Decanus Argentinensis, diuina vocatione & reuelatione ad conuersionem in prædicto loco venit: vbi multa religione & sanctitate enituit, mortemq; longe ante præsciens suam, beato Vdalrico lachrymanti prædixit. Habuit secũ Gregorium quendam presbyterum regis Angliæ filium, virum magnæ sanctitatis, eiusdem conuersationis & habitus: quem etiam diuina vocatione illuc nouimus aduenisse. Claruerunt in eodem loco anno Domini nongentesimo 45.

De S. Adelboldo Episcopo.

CAP. CCXXVI.

ADelboldus discipulus & monachus beati Dunstani Abbatis in monasterio Glasconiensi, deinde Abbas Abben-

Abbendonienſis, & poſtea Epiſcopus Wintonienſis: vir certe literarum ſtudio & morum honeſtate clariſſimus, multa & miranda legitur patraſſe opera, ordinemque monaſticum reformauit in multis locis collapſum. Claruit anno Domini 980.

De S. Oſwaldo Epiſcopo.

CAP. CCXXVII.

OSwaldus ex monacho Floriacenſis cœnobii Epiſcopus Wingornienſis, & poſt Eboracenſis Archiepiſcopus, vir multarum virtutum, doctus & ſanctus, fundator monaſteriorum egregius, non infimum locum creditur obtinere apud Deum inter ſanctos ordinis noſtri Patres. Claruit anno Domini 980.

De S. Alberto martyre, Epiſcopo.

CAP. CCXXVIII.

ADelbertus, qui & Witech, ex monacho ſancti Bonifacii Romæ Pragenſis Epiſcopus, vir fide & opere præclarus: ſua prædicatione primo Gillam Hungariæ reginam, deinde ipſum regē Stephanum, & totam Pannoniam ad fidem Chriſti conuertit. Tandem in Pruſſia prædicans verbum Dei, pro fide catholica martyrio coronatus, tranſiuit ad vitam, anno Domini 995. nono Calendas Maij.

De S. VVolfgango Epiſcopo.

CAP. CCXXIX.

VVolfgangus ex monacho Treuerenſi Epiſcopus Ratiſponenſis, vir ſanctus & Deo dilectus, multis virtutibus inſignis, vſque in hodiernum diem infinitis coruſcat miraculis, non ſolum in loco ſepulturæ ſuæ, verum vbicunque meritum eius ex fide inuocatur. Hic ſanctum Vdalricum Epiſcopum Auguſtenſem ſepulturæ tradidit, quia ſe mutuo ſinguläriter dilexerunt. Claruit anno Domini nongenteſimo ſeptuageſimo. Cuius feſtum ſecundo Calendas Nouembris agitur.

De S. Brunone martyre.

CAP. CCXXX.

BRuno Archiepiſcopus Ruthenorum, ex monacho cuiuſdam cœnobii in Italia, vir moribus & conuerſatione ſanctiſſimus, doctrina quoque & ſcientia ſcripturarum valde præclarus: cum verbum Dei prædicaret in Pruſſia, & multis clareſceret ſignis, à Pruſſis multis ſuppliciis affectus, & pedibus manibusque abſciſſis, poſtremo capite plexus, aſcendit ad cælos, anno Domini milleſimo octauo.

De S. Mederico Abbate.

CAP. CCXXXI.

MEdericus abbas monaſterii in ciuitate Eduæ, vir tam ſanctæ conuerſationis, vt & viuens, & mortuus infinitis claruerit miraculis, ſicut in hiſtoria vitæ eius diligenter conſcripta reperitur. Iacet ſepultus Pariſiis, cuius feſtum agitur quarto Calendas Septembris. Eius corpus de terra leuatum eſt anno Domini 984. quarto Calendas Septembris.

De S. Berwardo Epiſcopo.

CAP. CCXXXII.

BErwardus Epiſcopus Hildeshemenſis tertiusdecimus, vir ſanctus & Deo dilectus, multis clarus virtutibus, fundauit monaſterium ſancti Michaelis ibidem, in quo monachus conuerſatus, tandem ſepultus eſt. Claruit anno Domini 990. cuius feſtum colitur 14. Calendas Decembris.

De S. Othmaro Abbate.

CAP. CCXXXIII.

OThmarus Abbas apud ſanctum Gallum, multas pro Chriſti amore ſuſtinuit iniurias, maxime à peruerſis fratrib. quorum tandem factione adeo vexatus eſt, vt in exilium, falſo accuſatus, ſecedere cogeretur. Huius ſanctitatem innumera ſigna probauerunt, ſicut in vita ipſius legitur. Huius feſtum celebratur 16. Calendas Decembris.

De S. Deocaro Abbate.

CAP. CCXXXIV.

DEocarus monachus & Abbas Heydenhemenſis in diœceſi Eiſtetenſi, vir valde venerabilis, ſcientia ſcripturarum & religione monaſticæ conuerſa-

tionis insignis, multis effulsit virtutibus. Eius festum 7. Idus Iunii agitur. Sacræ autem reliquiæ eius, Nurenbergæ habentur.

De S. Odilone Abbate.

CAP. CCXXXV.

ODilo Abbas quintus Cluniacensis, post sanctum Maiolum rexit idem cœnobium 56. annis, vir miro religionis feruore spectabilis, & multis virtutibus signisq; præclarus. Cui⁹ vitam Petrus Damiani descripsit, petente Hugone Cluniacensi Abbate. Moritur tandem plenus dierum & bonorum operum, anno videlicet Dominicæ incarnationis 1048. ætatis suæ, 87. prima die mensis Ianuarii.

De S. Godhardo Episcopo.

CAP. CCXXXVI.

GOdhardus Episcopus Hildeshemensis quartusdecimus ex Abbate Altahensi, vir sanctæ conuersationis, natione Bauarus fuit: eius vita virtutibus plena, scripta habetur, Claruit circa annos Domini 1030. Cuius festum agitur tertio Nonas Maii.

De S. Elphego Archiepiscopo.

CAP. CCXXXVII.

ELphegus ex Abbate monasterii in Anglia, quod Balneum dicitur, primum Episcopus Wintonensis, ac deinde Cantuariensis Archiepiscopus, vir fide, spe & charitate eximius, qui tantum in Dei amore profecit, vt ad martyrii gloriam promotus sit, quemadmodum in eius Legenda scriptum est. Claruit anno Domini 1010. Cuius festum 13, Calendas Maii colitur.

De S. Simeone monacho.

CAP. CCXXXVIII.

SImeon monachus cœnobii beatæ Mariæ virginis in Bethlehem, ac postea pro Christi amoris dulcedine Treueris inclusus à Poppone Archiepiscopo Treuerensi, qui illum de terra sancta Treuerim propter eximiam sanctitatem eius adduxerat, natione Syracusanus in Sicilia, vir multarum virtutum fuit: ad cuius sepulcrum infinita miracula facta leguntur. Eius vitam eleganti stylo conscripsit Ebervvinus Abbas Treuerensis, ad Poponem præfatum Archiepiscopum. Claruit anno Domini 1010. Cuius festum agitur Calendis Iunii.

De sancto Gerardo martyre.

CAP. CCXXXIX.

GErardus ex monacho Episcopus Moriſenus in Hungaria, vir doctus & sanctus, qui ad lucrandas Christo animas, totum conuertens desiderium, postquam multos verbo & exemplo conuertit, ab infidelibus diris suppliciis affectus, martyr felix transmigrauit ad cælos. Claruit anno Domini 1020.

De S. VVilhelmo Abbate.

CAP. CCXL.

VVilhelmus Abbas Diuionensis, vir doctus scientia scripturarum, & morum honestate insignis, magno zelo regularis disciplinæ feruens, multis virtutibus clarus enituit, quemadmodum in gestis ipsius scriptum inuenitur. Claruit anno Domini 1020.

De S. Helia Abbate Colonienſi.

CAP. CCXLI.

HElias Abbas monasterii sancti Pantaleonis in Colonia, natione Scotus, vir prudens & sanctus, cuius merita etiam post mortem in multis fuerunt comprobata: religionis feruentissimus obseruator, multa bona fecit in ordine. Cuius tanta erat industria, vt duo nostri ordinis monasteria pariter regeret in Colonia, sancti Pantaleonis videlicet, & sancti Martini, non paucas à peruersis sustinuit iniurias. Moritur anno Domini millesimo quadragesimo secundo, pridie Idus Aprilis.

De S. Poppone Abbate.

CAP. CCXLII.

POppo Abbas Stabulensis, vir in diuinis scripturis eruditus, & religione morum clarissimus, sanctitatis suæ monimenta copiosa reliquit. Eius gesta habẽtur. Claruit anno Domini millesimo vicesimo. Eius festum agitur 8. Calendas Februarii.

De

De sancto Bardono Abbate.

CAP. CCXLIII.

BArdo ex Abbate Virdunensi, vel (vt alii scribunt) Hirsfeldensi, Archiepiscopus Moguntinus, post sanctum Bonifacium vicesimus, vir sanctissimæ conuersationis, rexit Ecclesiam Moguntinã 29. annis. Moritur anno Domini 1051. quarto Idus Iunii.

De sancto Amnichado monacho.

CAP. CCXLIV.

AMnichadus monachus Fuldensis, natione Scotus, cum ferueret magno desiderio solitudinis & amoris Christi, apud Fuldam monasterium solitarius fuit inclusus, ad cuius meritum declarãdum visa sunt lumina, & psalmodia super eius sepulcrum cælitus missa audita. In eius autem cellula Marianus Scotus decem annis postmodum inclusus habitauit. Moritur anno Domini 1043. 3. Calendas Februarii.

De sancto Richardo Abbate.

CAP. CCXLV.

RIchardus Abbas Virdunensis, vir in diuinis scripturis valde doctus & eruditus, suo tempore tam scientia, quam sanctitate cunctis venerabilis, multa suæ religiositatis monimenta reliquit, quæ apud suos satis diligenter scripta feruntur. Claruit anno Domini 1020.

De sancto Claro Abbate.

CAP. CCXLVI.

CLarus Abbas, cœnobii sancti Marcelli, vir doctrina & morum sanctitate insignis, multis virtutibus in vita, & post mortem (iuxta nomen suum) clarus effulsit, quemadmodum in gestis eius habetur. Huius festum colitur Calendis Ianuarii.

De sancto Egelnoto Episcopo.

CAP. CCXLVII.

EGelnotus ex monacho in Anglia Archiepiscopus Cantuariensis, vir sapientia & sanctitate clarissimus, magnos in Ecclesia Dei vtiliter impendit labores, & plura sanctitatis suæ vestigia reliquit. Claruit anno Domini millesimo vicesimo. Cuius gesta habentur.

De S. Adelhardo Abbate.

CAP. CCXLVIII.

ADelhardus Abbas in Francia monasterii Corbeiensis, Caroli Magni (vt ferunt) cognatus, vir sapientissimus atque sanctissimus, virtutum suarum magna indicia dedit. Hic fundauit monasterium sancti Viti Corbeiense in Saxonia. Claruit anno Domini octingentesimo. Cuius festem colitur quarto Nonas Ianuarii.

De sancto Remoldo martyre.

CAP. CCXLIX.

REmoldus monachus conuersus monasterri sancti Pantaleonis, vir sanctę cõuersationis & magni meriti, post multos pro Christi amore labores, martyrio rubricatus, euolauit ad cœlos septimo Idus Ianuar. Hic fuit filius cuiusdam Haymonis militis, & eius natale in Tremona ciuitate, maxima celebritate agitur.

De sancta Vualpurge Abbatissa.

CAP. CCL.

VValburgis Abbatissa in Heidenhem Eistetensis diœcesis, soror sancti Willibaldi Episcopi, natione Anglica, virgo sanctissimæ conuersationis, multis virtutibus & signis clara enituit, cuius inclyta gesta diligenter conscripta sunt. Claruit circa annos Domini septingentos quinquaginta. Obiit quinto Calendas Martii. Sed ad Eistat translata est Calendis Maii, quando etiam eius festiuitas agitur.

De sancto Lauriomaro Abbate.

CAP. CCLI.

LAuriomarus Abbas Carnotensis, vir eximiæ sanctitatis & multarum virtutum, intantum Deo dilectus, vt etiam spiritu prophetiæ fuerit illustratus. Hic diuino spiritu edoctus, discernebat denarios iniustos per vsuram acquisitos, ab illis quos iustitia acquisiuit, illos respuẽdo, istos recipiendo. Eius festum 14. Calendas Februarii agitur.

De sancto Agnello Abbate.

CAP. CCLII.

AGnellus Abbas monasterii Neapolitani, vir sanctus & Deo dilectus oui-

um Dominicarum idoneus pastor, multis fertur claruisse virtutibus: qui & merito vitæ, & sapientia doctrinæ multos ab iniquitate auertit. Eius festum colitur 19. Calendas Ianuarii.

De sancto Cypriano Abbate.
CAP. CCLIII.

CYprianus Abbas monasterii Petragoricensis, vir scientia & morum sanctimonia valde venerabilis, suæ sanctitatis monimenta ingentia reliquit. Eius festum agitur 5. Idus Decembris.

De sancto Sola monacho.
CAP. CCLIIII.

SOla, Abbas in diœcesi Eistetensi, natione Anglicus, & discipulus sancti Bonifacii martyris, vir sanctitatis eximiæ & multarum virtutum, beato Vuillibaldo amicissimus fuit, cuius auxilio fundauit monasterium, in quo multitudinem seruientium Deo monachorum congregauit. Circa annos autem Domini septingentos sexaginta claruit. Cuius festum agitur 4. Nonas Decembris.

De sancto Ratbodo Episcopo.
CAP. CCLV.

RAdbodus ex Episcopo Traiecti inferioris monachus, diuinarũ scripturarũ eruditissimus interpres, cuius multa extant præclara opuscula: magna sanctitate insignis effulsit, sicut in gestis eius diligenter conscriptis inuenitur. Claruit circa annos Domini nongentos. Cuius festum tertio Calendas Decembris agitur.

De sancto Vulgiso Episcopo.
CAP. CCLVI.

VVlgisus ex Abbate Lobiensis cœnobii, Episcopus ibidem, vir sanctæ ac religiosissimæ conuersationis, cuius multa feruntur insignia facta, monachorum & rector & imitator egregius fuit. Eius festum celebratur 2. Nonas Febr.

De sancto Seuerino Abbate.
CAP. CCLVII.

SEuerinus monachus & Abbas Agaunensis, vir sanctus, & infinitis miraculis clarus, sicut in gestis eius diffuse scriptis inuenitur, magnum fructum in monasticis disciplinis exhibuit. Eius festum colitur tertio Idus Februarii.

De sancto Paulo Episcopo.
CAP. CCLVIII.

PAulus ex monacho cœnobii Tholeiensis in diœcesi Treuerensi, Episcopus Virdunensis sub Treuerensi, vir doctus & sanctus, non parum in vtroq; statu pro Dei gloria profecit. Festum eius agitur 6. Idus Februarii.

De sancta Cunegunda virgine.
CAP. CCLIX.

CVnegundis imperatrix & monialis cœnobii Confugiensis, virgo sanctissimæ conuersationis, de qua multa stupenda narrantur, sancti Henrici Imperatoris vxor fuit multis annis, & tamen semper virgo permansit. Post Imperatoris mortem, cœnobium ab omnibus curis soluta intrauit. Eius sancta conuersatio scriptis commendata est. Claruit anno Domini millesimo vicesimo. Cuius festum est quinto Nonas Martii. Sepulta est Bambergæ in Ecclesia maiori, quã ipsa & sanctus Imperator fundauerunt.

De sancto Theodulpho.
CAP. CCLX.

THeodulphus Abbas in monte Hor, vir sanctæ conuersationis & innocẽtis vitæ, multis virtutibus clarus effulsit. Huius corpus non ante multos annos repertum integrum & incorruptum, cũ magno honore Treueris apud Prædicatores reconditum est in summo altari. Hæc inuentio celebratur pridie Calendas Martii.

De sancto Meginbodo Abbate.
CAP. CCLXI.

MEgenbodus monachus Frislariensis & Abbas in Burbach Moguntinensis, vir doctus & sanctus, qui suis sanctis exhortationibus & exemplis multos ad bonæ conuersationis viam reuocauit, magnis fertur virtutibus claustralem ornasse disciplinam. Eius autem festum agitur 17. Calendas Aprilis.

De

De sancto Amuluuino Abbate.

CAP. CCLXII.

AMulwinus Abbas Lobiensis, & postmodum ibidem Episcopus, vir scientia & religione clarissimus, fertur sanctitatis suæ & doctrinæ plurima monimenta reliquisse. Fuit enim contemptor mundi fortissimus, & omnibus virtutibus bonorum operum insignis. Festum eius colitur septimo Calendas Februarii.

De sancto Vuirone Episcopo.

CAP. CCLXIII.

VViro ex monacho Episcopus in Anglia, vir sanctus & Deo dilectus, episcopatum deseruisse dicitur, nescio ob quam causam: creditur autem, quod proprer populi ceruicem durissimam, qui nec verbis, nec exemplis ab iniquitate sua potuit auerti. Vnde vir sanctus ne tempus inutiliter expenderet, venit postea in Germaniam: vbi in quodam cœnobio sancti Petri monasticis disciplinis se submisit, & Abbatis officium non recusauit. Cuius festum agitur octauo Idus Maii.

De S. Benedicta Abbatissa.

CAP. CCLXIIII.

BEnedicta Abbatissa in Swestrensi cœnobio, fœmina sanctæ vitæ & magnæ religionis ac puritatis, multas suo exemplo Christo sponsas in eodem cœnobio adunauit. Eius festum celebratur 16. Calendas. Decemb:

De sancto Pirmino Episcopo.

CAP. CCLXV.

PIrminius Episcopus Meldensis sub Archiepiscopo Senonensi, vir sanctissimæ vitæ, qui multis signis & virtutibus in hac vita clarus effulsit: sed nunc in cælesti maiori & ineffabili gloria exultat coronatus. Hic ante Episcopatum fuit Abbas Augiensis cœnobii in Alemania. Eius festum agitur 3. Nonas Nouembris, quo videlicet die transiuit ad cœlos.

De S. Notburga virgine.

CAP. CCLXVI.

NOtburgis sanctimonialis in Capitolio Colonensi, virgo sanctæ vitæ, & magni apud Deum meriti, multis effulsit clara virtutibus. Cuius festum agitur pridie Calendas Nouembris. Moniales autem eiusdem monasterii, post longa tempora abiecerunt regulam sancti Benedicti, vt, quæ sine lege peccant, sine lege iudicentur.

De sancto Albuino Episcopo.

CAP. CCLXVII.

ALbuinus monachus in Hybernia, vir sanctæ conuersationis, flagrans amore peregrinationis, deseruit dulce natale solum, venienſque in Germaniam, multos sua prædicatione populos Christo acquisiuit: deinde, vt ampliorem prædicationis fructum faceret, Romani pontificis authoritate Frislarensis ordinatur Episcopus in oppido Burbach, Sed dudum cessauit Episcopatus ibidem. Festum eius agitur septimo Calendas Nouembris.

De sancto Dodone Abbate.

CAP. CCLXVIII.

DOdo monachus Lobiensis, & postea Abbas Waslarensis cœnobii, vir sanctus & Deo deuotus, atque monasticæ disciplinæ propagator magnificus, magnis fertur claruisse virtutibus. Cuius festum celebratur 4. Calendas Nouembris.

De sancto Candedo monacho.

CAP. CCLXIX.

CAndedus monachus monasterii Fontanellensis, vir sanctissimus, & cum omni honore celebrandus, multis signis atq; virtutibus in vita pariter & in morte clarus fuit, sicut ea, quæ de ipso scripta sunt, magnifica opera testantur. Corpus eius sacratum in præfato cœnobio Fontanellæ, in magno reuerentia habetur reconditum. Cuius festum agitur duodecimo Calendas Nouembris.

De sancto Gerhardo Abbate.

CAP. CCLXX.

GErhardus Abbas Promensis, vir totus Deo deditus, & regularis disciplinæ amator præcipuus, multarum virtutum patrator eximius fuit, quemadmodum in eius gestis reperitur. Eius festum agitur 5. Nonas Octob.

De

De sancto Humberto monacho.

CAP. CCLXXI.

HVmbertus monachus & Prior cœnobii in Burbach prope Frislarienſe oppidum, vir ſanctus atque eruditus, atque regularis diſciplinæ zeloſus amator, ſua ſanctiſſima conuerſatione Deo valde complacuit. Cuius feſtum agitur Nonis Octobris.

De ſancto Vigore Epiſcopo.

CAP CCLXXII.

VIgor ex monacho cœnobii ſancti Vedaſti Attrabacenſis, Epiſcopus Baiocaſmenſis ſub Archiepiſcopo Rothomagenſi, vir ſanctiſſimæ vitæ & conuerſationis, multis claruit miraculis, & diſcipulos innumeros pene Chriſto acquiſiuit. Eius geſta habentur. Cuius feſtum agitur Calendis Nouembris. Claruit longe retro temporibus, circa annos Domini 600.

De S. Ambroſio Abbate.

CAP. CCLXXIII.

AMbroſius Abbas Augaunenſis cœnobii, vir inæſtimabilis ſanctitatis, multos ſuo exemplo & doctrina ad iuſtitiam erudiuit, ſicut in vita eius diligenter conſcripta inuenitur. Cuius feſtum agitur Calendis Nouembris,

De S. Deuſdedit Abbate.

CAP. CCLXXIV.

DEuſdedit Abbas Caſſinenſis cœnobii, vir doctus & ſanctus, cuius multa præclara extant monimenta, cum eſſet bonis operibus & eleemoſynarum largitionibus intentus, fama ſanctitatis eius longe lateque diuulgata eſt. Vnde Sicardus Beneuentanorum Tyrannus, ſperãs ſe multam ab eo recepturum pecuniam, qua ſibi denegata, ſanctum virum cepit, ponens in carcerem: vbi poſt multos ſqualores, famam & ſitim, tandem martyr beatus occubuit. At cuius ſepulcrum multi languentes ſanitatem corporis & animæ receperunt. Eius feſtum agitur 7. Idus Octobris, quo die videlicet mortuus eſt. Claruit anno Domini 840.

De beato Sylueſtro monacho.

CAP. CCLXXV.

SYlueſter monachus Nouiomenſis, vir magnæ humilitatis & obedientiæ, qui velut ſpeculum lucens, omnibus virtutibus plenum, inter fratres multos ſuo ſancto exemplo in Dei amore roborauit. Eius geſta habentur. Cuius feſtum agitur 15. Calendas Maii.

De ſancto Ruperto Abbate.

CAP. CCLXXVI.

RVpertus Abbas Caſædei, pater trecentorum monachorum, qui tam verbo quam exemplo multas ab iniquitate auertit, totus ad Deum anhelans, infinita ſanctitatis ſuæ monimenta poſteris oſtendit. Eius geſta inclyta habentur. Cuius feſtum agitur 8. Calendas Maii.

De ſancto Erenberto Epiſcopo.

CAP. CCLXXVII.

ERenbertus ex monacho Fontanellæ, Epiſcopus Toloſanus, vir vitæ valde venerabilis, & ornatu multarum virtutum inſignis, ouium Chriſti paſtor peridoneus, quam ſanctus, quamque reuerendus ſit, infinita pene miracula oſtendunt: de quibus in geſtis eius plena relatio fit. Eius feſtum agitur pridie Cadas Maii.

De ſancto Vuilhelmo monacho.

CAP. CCLXXVIII.

VVilhelmus monachus cœnobii Gellonenſis, vir nobilis ſecundum ſeculum, quia Comes: ſed multo nobilior ſecundum Deum, quia humilis, obediens, & mundi contemptor, magnis virtutibus clarus enituit. Hic tantæ ſanctitatis & meriti fuit apud Deum, vt ardentem clibanum ſcapulari purgans, nec ipſe læderetur in aliquo, nec veſtimẽtum. Multa de eius conuerſatione miranda narrantur. Claruit circa annos Domini 900. Cuius feſtum agitur quinto Calendas Iunii.

De ſancto Capraſio Abbate.

CAP. CCLXXIX.

CAprasius Abbas Lirinenſis monaſterii, vir maximæ humilitatis & manſuetudinis, regularis diſciplinæ zeloſus obſer-

obseruator, magna sanctitatis suæ monimenta reliquit. Eius gesta habentur. Cuius festum agitur. Calendis Iunii.

De sancta Hadeloga Abbatissa.
CAP. CCLXXX.

HAdeloga monialis & Abbatissa monasterii Rinckingensis, virgo sanctæ & innocentis vitę, & virtute humilitatis singulariter insignis, quanti sit apud Deum meriti, crebris atque clarissimis monimentis indicauit. Cuius festum agitur quarto Nonas Februarias.

De sancto Vualafrido Abbate.
CAP. CCLXXXI.

VValefridus monachus & Abbas cœnobii Palatioli, (quod dudum esse desiit) vir sanctus & Deo dilectus, fertur sanctitatis magnifica reliquisse indicia, quæ studiosi lectores possunt inquirere. Cuius festum agitur 15. Calendas Maii.

De sancta Landrada Abbatissa.
CAP. CCLXXXII.

LAndrada monialis virgo & Abbatissa cuisdam cœnobii in diœcesi Leodiensi, cuius vocabulum iam mihi non occurrit: multis virtutibus clara enituit, cuius meritum declarant infinita miracula, quibus & in vita & post mortem multis coruscauit. Eius festum agitur 8. Idus Iulii. Translatio autem 14. Calendas Aprilis.

De S. Iohanne Abbate.
CAP. CCLXXXIII.

IOannes Abbas monasterii Pennatensis, vir doctus & sanctus, cuius virtus charitatis & pietatis in pauperes, præcipua laude prædicatur, monachos suos verbo & exemplo magnifice legitur instruxisse. Cuius festum agitur, quarto Calendas Aprilis.

De sancto Gregorio Episcopo.
CAP. CCLXXXIV.

GRegorius ex Abbate Traiectensis cœnobii, Episcopus ibidem, vir sanctissimæ conuersationis, doctor & prædicator egregius, multos sua doctrina populos conuertit ad Christum: cuius virtutum insigne cum laude prædicatur. Eius festum agitur 12. Calendas Ianuarii.

De sancta Vualtrude Abbatissa.
CAP. CCLXXXV.

VValtrudis Abbatissa Castrilocensis monasterii, virgo nobilis genere, sed nobilior fide & actione, multis virtutibus & signis clara effulsit. Eius gesta habentur diligenter composita. Cuius festum agitur 4. Idus Aprilis.

De sancto Alberico Episcopo.
CAP. CCLXXXVI.

ALbericus Abbas & postea Traiectensis Episcopus, cuius virtutes & merita magnis præconiis attolluntur: pastorale officium, quam diu vixit, moribus & scientia magnifice adornauit. Cuius festum agitur 12. Calendas Septembris.

De sancto Felice monacho martyre.
CAP. CCLXXXVII.

FElix monachus Frislariensis cœnobii, (quod dudum alienatum est ab ordine) vir sanctus & verbi Dei feruentissimus prædicator, post multa bonorum operum studia, cum gentibus annunciaret fidem Christi, ab eis martyrium recepit. Cuius festum agitur Nonis Iunii.

De sancto Disibodo Episcopo.
CAP. CCLXXXVIII.

DIsibodus Episcopus in Hybernia, vir sanctissimæ cõuersationis, cum cerneret populum suum duræ ceruicis & prorsus incorrigibilem, abdicato Episcopatu, cum quibusdam sociis venit in Germaniam, & in diœcesi Moguntina in Comitatu Spanhemensi, aptum suo desiderio locum reperit, in quo constructo cœnobio, multorum monachorum pater fuit. Qui locus hodie dicitur, mons sancti Disibodi, & à Cistercienſibus inhabitatur, postquam nostri plus quam trecẽtis annis illum à tempore sancti patris Disibodi incoluerunt. Eius vitam descripsit B. Hildegardis Abbatissa Bingensis cœnobii. Cuius festum agitur octauo Iunii. Claruit autem circa annos Domini septingentos.

De S. Ausfrido Episcopo.
CAP. CCLXXXIX.

Ausfri-

AVsfridus Episcopus Traiectensis, vir secundum seculi dignitatem Comes nobilis & potens, sed secundum Deum sanctus & deuotus, magis elegit abiectus esse in domo Domini quam mundi honoribus extolli. Post Episcopatum nanq; monachus factus, in monte S. Mariæ latens, multis virtutibus clarus emicuit. Eius festum agitur 5. Nonas Maii.

De sancto Vuilhelmo Abbate.

CAP. CCXC.

VVilhelmus Abbas cuiusdam monasterii in Dacia, cuius vocabulum iam non occurrit, vir certe religiosæ & sanctissimæ vitæ, multis virtutibus & signis à Deo meruit honorari, cuius festum colitur 16. Calendas Iulii.

De sancta Glodesinde moniali.

CAP. CCXCI.

GLodesindis virgo sanctimonialis Metensis, sanctæ vitæ & magni meriti apud DEVM, quod multa documenta virtutum eius probauerunt, quorum in eius historia ex parte fit mentio. Festum eius agitur 8. Calendas Augusti. Anno 640.

De sancto Vincentio Abbate.

CAP. CCXCII.

VIncentius Abbas monasterii Altimontensis, vir sanctus & Deo dilectus, cum esset Comes de Hanegauue, seculum cum vanis honoribus suis deserens, monachorum sanctissima studia deuotus subiuit: qui tandem Abbas factus, multis virtutibus illustris fuit. Eius festum agitur pridie Idus Iulii. Claruit anno Domini 650.

De sancto Volmaro Abbate.

CAP. CCXCIII.

VOlmarus Abbas cuiusdam monasterii in pago Bononiensi, vir deuotus & omnibus virtutibus ornatus, fide firmus, spe robustus, charitate plenus, humilitate magnus, sanctitatis suę multa viuus & mortuus documenta exhibuit, quæ in eius gestis diligenter conscripta feruntur. Cuius festum celebratur 16. Calendas Iulii.

De sancto Adelberto monacho.

CAP. CCXCIV.

ADelbertus monachus Epternacensis in diœcesi Treuerensi, vir sanctus & eruditus, exemplo suæ religiosissimæ vitæ & feruore prædicationis multos in amore Dei roborauit. Huius sanctissimũ corpus in Egmunda requiescit. Cuius festum agitur 7. Calendas Iulii. Et gesta ipsius habentur.

De S. Richario Abbate.

CAP. CCXCV.

RIcharius Abbas monasterii, quod Centula nuncupatur, vir sanctus & inæstimabilis charitatis: in pauperes singulariter munificus fuit, suæque sanctitatis & multa & euidentissima monimẽta reliquit. Cuius gesta habentur. Eius festum agitur 6. Calendas Maii.

De sancto Theodulpho Archiepiscopo.

CAP. CCXCVI.

THeodulphus ex monacho Lobiensis cœnobii Archiepiscopus Rhemensis in Francia, vir eruditissimus & egregius prædicator, cuius sanctitatis & meriti multa extant documenta. Festum eius agitur 8. Calendas Iulii. Et gesta habentur.

De beato Domitiano Abbate.

CAP. CCXCVII.

DOmitianus Abbas monasterii in valle membrana in diœcesi Lugdunensi, vir sanctæ conuersationis, multis signis & virtutibus clarus effulsit. Cuius festum agitur. Calendis Iulii, Et gesta habentur.

De S. Abel Archiepiscopo.

CAP. CCXCVIII.

ABel ex Abbate Lobiensis monasterii, Archiepiscopus Rhemensis, vir in diuinis scripturis valde eruditus, & multarum virtutum ornatu decorus, qui exemplo primi martyris Domino in simplicitate cordis seruire statuens, multis euidentissimis documentis iustus comprobatur. Eius festum agitur nono Calendas Octobris.

De

De sancto Asuero Abbate, martyre.

CAP. CCXCIX.

ASuerus Abbas monasterii sancti Georgii prope Rateborch, vir valde venerabilis, & omnium virtutum ornatus decore, post multos labores monasticæ militiæ, vt ad altiora vocatus mereretur ascendere, à Sclauis cum triginta fratribus lapidatus, pro Christi amore martyr effectus est. Inter quos multi notabiles viri fuerunt, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. 15. Calendas Augusti.

De sancto Guidberto Abbate.

CAP. CCC.

GVidbertus Abbas monasterii Frislarienſis, quod modo nostri ordinis non est, vir sanctissimæ conuersationis, magnis clarus virtutibus effulsit. Cuius festum agitur Idibus Augusti.

De S. Lutrude moniali.

CAP. CCCI.

LVtrudis sanctimonialis Corbeiensis cœnobii, sanctæ & religiosissimæ vitæ, cuius si virtutes singulas intuearis, q̃ potius mireris, non facile poteris discernere. Omnibus enim vt singulis ornata effulsit. Eius festum celebratur 10. Calendas Octobris.

De S. Sequano Abbate.

CAP. CCCII.

SEquanus Abbas monasterii Lingonicæ vrbis, quod nunc, ad sanctum Sequanum, nuncupatur, vir valde venerabilis & magnæ sanctitatis, quod multa miracula testantur, quibus & in vita, & post mortem claruisse legitur. Cuius inclyta gesta habentur. Festum eius agitur tertiodecimo Calendas Octob.

De sancto Hildulpho Episcopo.

CAP. CCCIII.

HIldulphus ex duce monachus Lobiensis, ac postmodum Abbas ibidem & demum Episcopus Lobiensis, vir magnæ sanctitatis & meriti, mulris virtutibus fertur claruisse. Cuius gesta habentur. Festum eius agitur 9. Calendas Octobris.

De S. Adeodato Abbate.

CAP. CCCIV.

ADeodatus Abbas monasterii vallis Galilææ, ac postmodum Episcopus Niuernensis, magnis virtutibus & meritis clarus emicuit: & quanuis Pontifex esset, tamen monachi propositũ in nullo violauit. Cuius festum agitur 13. Calendas Iulii.

De S. Tutone Episcopo.

CAP. CCCV.

TVto ex monacho cœnobii sancti Emerani, Ratisponensis Episcopus, vir doctus & valde notabilis, qui tam in spiritualibus, quam in temporalibus põtifex sagacissimus est habitus, multa documenta sanctitatis suæ ad posteros trãsmisit. Cuius gesta habentur.

De sancto Mariano Abbate.

CAP. CCCVI.

MArianus Abbas cuiusdam cœnobii in territorio Bituricensi, cuius nomen iam inuenire non potui, vir sanctus & zelo disciplinæ regularis singulariter. strenuus obseruator, meritorum suorum testimonia plurima dedit. Cuius festum agitur 14. Calendas Septembris.

De S. Ermefrido monacho.

CAP. CCCVII.

ERmefridus monachus Luxouiensis cœnobii, & postea monasterii Cusantiæ Abbas, vir doctus & sanctus, multis virtutibus legitur coruscasse. Eius festum agitur 7. Calendas Octobris.

De beato Bertolfo Abbate.

CAP. CCCVIII.

BErtolfus Abbas Lobiensis cœnobii, vir omnibus virtutibus ornatus, fide & opere permagnificus, multos sua doctrina & exemplo ab iniquitate auertit. Eius gesta habentur. Cuius festum agitur 14. Calendas Septembris.

De sancto Amato Abbate.

CAP. CCCIX.

AMatus Abbas monasterii S. Romarici, vir sanctus, & monasticæ disciplinæ cultor zelosus, post multa bonorum operum studia, martyrii corona laureatus est, Idibus Septemb.

De sancto Adelpho Abbate.
CAP. CCCX.

ADelphus Abbas monasterii Habensis, vir & eruditus & sanctus, virtutũ suarum merita pluribus indiciis cõprobauit, dum & verbo & opere clarus vbiq; semper emicuit: quemadmodum in gestis eius plenius continetur. Cuius festum agitur 4. Calendas Septemb.

De quinque monachis martyribus.
CAP. CCCXI.

BEnedictus, Mathael, Iohannes, Isaac, & Cristinus, monachi & discipuli sancti Adelberti Pragensis Episcopi, de cœnobio sancti Alexii Romæ, cum eodem causa prædicationis exeuntes, venerunt in Hungariam, vbi multos gentilium conuerterunt ad fidem Christianam. Tãdem post multos labores pro Christo, in Polonia martyrio coronati sunt. Quorũ festum translationis agitur 9. Calendas Septembris? Natale autem, 9. Calendas Maii, anno Domini 995.

De sancto Cæcilia Abbatissa.
CAP. CCCXII.

CÆcilia monialis & Abbatissa cœnobii virginum Christi in Swestris, virgo sanctissimæ conuersationis, quæ humilitate & obedientia cunctas ibidem vincebat moniales, ita vt omnium gubernatrix digne fuerit cõstituta, magnis indiciis merita sua comprobauit. Cuius festum agitur 16. Calendas Decembris.

De sancto Apollinare Abbate martyre.
CAP. CCCXIII.

APollinaris Abbas Cassinensis monasterii, post sanctum Benedictum decimus & septimus, vir tantæ sanctitatis & meriti, vt exemplo beati Apostoli Petri super aquis ambulauerit multoties siccis pedibus. De quo multa narrantur miranda. Eius festum agitur 5. Calendas Decembris.

De S. Richardo moniali.
CAP. CCCXIV.

RIchardus imperatrix, vxor Caroli Grossi, post obitum mariti contempto regno terreno, ac mundi regibus spretis, cælestis regis thalamum concupiscens, monasterium ingreditur: in quo Abbatissa constituta, magnis cœpit clarere virtutibus. Eius festum colitur 14. Calendas Septembris. Claruit anno Domini 900.

De sancto Procopio Abbate.
CAP. CCCXV.

PRocopius monachus & Abbas cuiusdam cœnobii in Bohemia, quod modo, ad sanctum Procopium, nominatur, vir sanctus & omni laude dignus, verbo & exemplo prædicator eximius fuit: qui, qualis quantusque fuerit, multorum miraculorum ostensione declarauit, de quibus in gestis eius, ô lector, poteris informari. Cuius festum agitur 4. Nonas Iunii.

De S. Sandrado Abbate.
CAP. CCCXVI.

SAndradus primus Abbas in Gladebach, vir sanctissimæ cõuersãtionis, & regularis disciplinæ cultor insignis, virtutum suarum plura fertur monimenta reliquisse. Cuius festum celebratur 9. Calendas Septembris.

De S. Guidone Abbate.
CAP. CCCXVII.

GVido Abbas Pomposiensis cœnobii, ortus in suburbanis Rauennæ, villa Casamarensi, vir sanctissimæ conuersationis, monachum (nomine Martinum) defunctum suis precibus reuocauit ad vitam, multisque claruit miraculis, quæ in historia vitæ eius leguntur. Moritur anno Domini 1046. pridie Calendas Aprilis, postquam rexisset præfatum cœnobium annis 48. Eius festum celebratur quarto Calendas Maii, quando corpus eius de Italia fuit ad ciuitatem Spirensem translatum per Henricum imperatorem, vbi in Ecclesia collegiata sub eius honore fabricata quiescit.

De S. Alberto monacho.
CAP. CCCXVIII.

Alber-

ALbertus monachus Mediolacensis cœnobii in diœceſi Treuerensi, quod sanctus Lutwinus dux Lotharingię construxit, vir magnæ sanctitatis, multa suarum virtutum indicia dedit. De quo varia narrantur præconia laudum: quæ scire cupiens, in eius gestis requirat. Cuius festum agitur 8. Calendas Iulii.

De sancto Adelmo monacho.

CAP. CCCXIX.

ADelmus monachus Stabulensis cœnobii, tam scientia scripturarum, quam sanctitate morum vir multum venerabilis, inter suos magna monimenta sanctitatis suæ declarasse perhibetur. Eius festum celebratur tertio Nonarum Februarii.

De sancto Giberto Abbate martyre.

CAP. CCCXX.

GIbertus Abbas Luxouiensis cœnobii, vir deuotus & multum religiosus, post diuturna monasticæ palæstræ certamina, vt cum multimoda laude veniret ad Dominum, à Paganis occisus, martyr transiuit gloriosus ad vitam. Passus est etiam cum eo venerabilis Titilmus monachus Luxouiensis, vir doctus, & omni prædicatione religiosissimus.

De S. Bertario Abbate martyre.

CAP. CCCXXI.

BErtarius Abbas Cassinensis monasterii, post sanctum Benedictum vicesimusnonus, vir doctus & valde religiosus, post multos labores & sancta studia, à Saracenis ante summum altare peremptus, eum martyrii palma peruenit ad regnum æternum.

De S. Rodolpho monacho.

CAP. CCCXXII.

ROdolphus monachus Fuldensis cœnobii, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & valde insignis prædicator verbi Dei fuit. Vnde ab Hungaris occisus, glorioso coronatus martyrio, ad cœlum euolauit.

De S. Maurilio Archiepiscopo.

CAP. CCCXXIII.

MAurilius monachus Fiscauiensis cœnobii, & postea Rothomagensis Archiepiscopus, vir plenus virtutibus, & maxime abstinentia, multa suæ sanctitatis monimenta reliquit, quæ literis sunt commendata. Eius festum agitur Idibus Septembris. Claruit anno Domini 1070.

De sancto Paterno monacho.

CAP. CCCXXIV.

PAternus monachus cœnobii Paderbornensis vrbis, natione Scotus, vir sanctus & Deo dilectus, pro Christi amore ibidem incluſus, vrbis incendium diu ante diuino spiritu prædixit. Ad cuius sepulcrum multa miracula facta leguntur. Moritur autem anno Domini millesimo quinquagesimo octauo, cum cellula sua combustus, sexta feria ante festum Palmarum, quæ fuit 4. Idus Aprilis.

De sancto Lanfranco Episcopo.

CAP. CCCXXV.

LAnfrancus ex Abbate Cadonensis monasterii, Archiepiscopus Cantuariensis, de quo in secundo libro fecimus mentionem, vir doctissimus & valde religiosus, non sine magnæ sanctitatis opinione habitus est, sicut in gestis eius diligẽter conscriptis inuenitur, quorum non est huius temporis per singula reminisci. Claruit anno Domini 1060.

De sancto Arnulpho Episcopo.

CAP. CCCXXVI.

ARnulphus monachus cœnobii S. Medardi, & ibidem pro Dei amore incluſus, deinde Abbas eiusdem cœnobii, & postea, Episcopus Suessionensis, vir sanctissimæ vitæ, multis claruit virtutibus & signis, qui etiã prophetico spiritu illustratus fuit. Hic pro pacis redintegratione inter Flandrenses facienda, venit in Flandriam, & in vico quodam Ecclesiam S. Petri iam diuinis miraculis illustratam. cœnobium monachorum instituit, in quo, vt prædixit, postea finem huius exilii fecit: & corporis sepulturam accepit 17. Calendas Septembris. Claruit autem anno Domini 1080.

De sancto Anselmo Archiepiscopo.

CAP. CCCXXVII.

ANshelmus ex Abbate Beccensis monasterii, post Lanfrancum Archie-

piscopus Cantuariensis, vir sanctissimæ vitæ, quod multa eius miracula testantur, ad vtilitatem Ecclesiæ opere & verbo non mediocriter desudauit. Eius gesta diligenter conscripta sunt. Claruit anno Domini 1100. Cuius festum agitur 11. Calendas Maii.

De sancto Hugone Abbate.

CAP. CCCXXVIII.

HVgo Abbas Cluniacensis, vir doctus & sanctus, cuius infinitæ narrantur virtutes, tam in vita qui post mortem infinitis effulsit miraculis, de quibus in vita eius longa narratio fit, omnibus religiosis norma fuit & exemplar disciplinæ. Hic apud Romanos pontifices, reges & pontifices in magno honore habitus, multa ad vtilitatem Ecclesiæ studuit operari. Claruit anno Domini 1100. Cuius festum agitur 3, Calendas Maii.

De S. Goderanno Episcopo.

CAP. CCCXXIX.

GOderannus monachus & discipulus B. Hugonis Cluniacensis, & postea Episcopus Sanctonicensis, vir sanctæ & religiosissimæ conuersationis fuit, cuius virtutem & charitatem si nosse cupis, factum eius cum leproso stupendum legas, quod in vita eius sancti patris Hugonis cõtinetur. Reliqua ingestis eius propriis requirenda sunt. Claruit anno Domini 1120.

De sancto Ottone Episcopo.

CAP. CCCXXX.

OTto monachus cœnobii sancti Michaelis Archangeli montis monachorum prope Bambergam, & postea eiusdem vrbis Episcopus, vir sanctissimæ vitæ, multarumque patrator virtutum, magnis fertur claruisse miraculis. Hic consecrauit Adelbertum Archiepiscopum Moguntinum apud Coloniam. Gesta eius diligenter conscripta sunt. Claruit in Episcopatu anno Domini 1120. Construxit etiam quædam cœnobia nostris in Franconia. Eius festum agitur 2. Calendas Octob.

De sancta Iutta moniali Virgine.

CAP. CCCXXXI.

IVtta sanctimonialis, & in monte sancti Disibodi pro Christi amore inclusa, vigintiquatuor annis vitam in arcta pœnitentia ibidem continuauit. Hæc fuit soror domini Meginhardi Comitis de Spãhem, fundatoris nostri cœnobii, & magistra B. Hildegardis Abbatissæ S. Ruperti apud oppidum Bingense. Erat autem virgo sanctæ conuersationis, & diuini amoris igne accensa ab adolescentia sua. Vnde contempto seculo, ad Christi seruitutem toto desiderio conuolauit. De qua fertur, quod siccis pedibus sæpius calcauerit vndas fluuii Nahæ, iuxta montem iam dictum præterfluentis. Nam si quando imbribus auctus intumuisset fluuius, ipsa super fluuios ambulans, ad officia diuina sine impedimento, angelorum suffragiis adiuta, peruenire consueuit. Qualis autem fuerit hæc virgo beata, quam humilis, quam charitatiua, quam continua in orationibus, nec præsentis operis est dicere, nec meæ facultatis. Nunquam à diuino seruitio tepuit, nunquam cessauit: sed erat in oratione continua, in sermone prouida, in cogitatione munda, in operatione præcipua. Post multa autem exercitia pietatis, Domino Iesu vocante eam, ad nuptias æternæ felicitatis, deuicta morte, transiuit vndecimo Calendas Ianuarii, anno Domini millesimo centesimo 36. Indictione 14. anno conuersionis suæ 24.

De sancto Malcho Episcopo.

CAP. CCCXXXII.

MAlchus monachus Michonensis cœnobii in Hybernia, & postea Episcopus in ciuitate Lesmor, præceptor & magister B. Malachiæ pontificis, vir sapientia & virtute ornatus, qui multis etiam in vita claruit signis: verbo & exemplo multorum mentes ad semitas iustitiæ direxit. Claruit anno Domini 1150. Eius gesta habentur.

De S. Malachia Archiepiscopo.

CAP. CCCXXXIII.

MAlachias ex Abbate Bencorensis cœnobii in Hybernia, Episcopus ciuitatis, quæ Conereth dicebatur, & post Archiepiscopus Ardinachensis, ac metropolitanus totius Hyberniæ, vir sanctissimæ conuersationis, infinitis viuus & defunctus miraculis coruscauit. Moritur apud Clarauallem, anno Domini 1148. Nonis Nouembris. Cuius vitam B. Bernardus Abbas Clareuallensis luculento & copioso stylo descripsit.

De

De beata Hildegarde Abbatissa.

CAP. CCCXXXIIII.

HIldegardis virgo sanctissimę conuersationis, orta in Comitatu Spanhemensi ex nobilibus parentibus, cum adhuc esset infantula sub magisterio beatæ Iuttæ virginis Christi, de qua supra diximus, tradita in amore Dei magnifice proficiens, angelicis reuelationibus à pueritia meruit recreari. Mansit in monte S. Disibodi cum magistra sua, quam diu illa vixit: qua mortua, diuina reuelatione ad montem sancti Ruperti iuxta oppidum Bingis, cum duodecim sacris virginibus transmigrauit, vbi monasterium construxit, quod vsque in hodiernum perseuerat. Sancta vero Hildegardis famula Christi, p multos annos in camino paupertatis & infirmitatis decocta, quo plus affligebatur in corpore, eo amplius proficiebat in mente. Crebris enim reuelationibus angelicis consolabatur ægritudinem carnis. Sub eius magisterio maxima disciplina regularis vitæ in præfato cœnobio vigebat: adeo, vt Romani pontifices, imperatores, reges & principes, felices se iudicarent, si orationum Hildegardis & virginum eius mererentur esse participes. Miranda de hac sacra virgine leguntur, quæ non est huius operis vel temporis replicare. Eius vitam Theodericus Abbas quatuor voluminibus conscripsit, in qua multa miracula per eam diuinitus acta demonstrauit, ita vt claudos & cæcos curauerit non paucos. Denique qualis fuerit, etiam in secundo huius operis libro ex parte descripsimus. Ad cuius doctrinam & sanctitatem comprobandam maxime facit authoritas trium summorum Pontificum, ac aliorum multorum præsulum, qui ab ea epistolas & consolationes humiliter postularũt. Quæ omnia tam in vita eius, quam etiam in epistolis, quas ad diuersos edidit, clare inuenies. Claruit anno Domini 1160. Cuius festum agitur 4. Calendas Octobris.

De beata Elisabetha Abbatissa.

CAP. CCCXXXV.

ELisabeth monialis & Abbatissa cœnobii virginum Christi Schonaugiensis in finibus Treuerensis diœcesis, virgo sanctæ & admirabilis conuersationis, de qua etiam in secundo libro iam fecimus mentionem, cum esset annorum duodecim, præfatum cœnobium intrauit: in quo tantæ puritatis & religionis enituit, vt diuinis reuelationibus crebrius meruerit consolari. Anno enim vndecimo conuersionis suæ, ætatis vero vicesimo tertio, incepit manus Domini operari cum ea, ita vt deinceps, vsque ad finem vitæ suæ, multas & varias reuelationes habuerit, & hoc maxime diebus Dominicis atque festiuis, tempore diuinorum officiorum in choro, vbi maior omnium feruebat deuotio. Modus autem hic erat? Cadebat super eam passio quædam præcordiorum, ita vt lapsa repente in ecstasim, velut exanimis quieta perduraret, nullusque halitus in ea sentiri potuisset. In tali excessu rapiebatur spiritus ad diuersa loca, & angelicis allocutionibus in multis docebatur. Tandem post longum excessum resumpto spiritu, diuinissima verba proferebat, aliquando Teutonico sermone, aliquando vero Latino, cum tamen Latini sermonis pene nullam haberet peritiam. Spiritus enim, qui loquebatur in ea, vt voluit, verba formauit. Nouimus autem hanc filiam dilectam à Domino, nec de mẽtis eius synceritate dubitamus, cuius & vitam, & dicta, in multis argumentis legimus comprobatam. O felix sponsa Christi, cuius animam etsi gladius persecutoris non abstulit, martyrii tamen lauream nequaquam amisit. Tota enim vita eius, quid aliud erat quam longum martyrium, quæ portans iugum Domini ab adolescentia sua, sub disciplina regulari ambulabat in paupertate spiritus & multiplici afflictione carnis? Semper enim manus Domini grauis fuit super eam, nec vllo tempore defuit flagellum pii cõditoris premẽs animum, & cõterens debile corpus pressuris & infirmitatib. quas ille solus nouit atq; remunerat, qui laborem & dolorem ipse considerat. Et quãuis in ægritudinibus continuis vexaretur, semper tamen erat hilaris, semper patiens, semper in psalmis & orationibus, semper in lachrymis & voluntariis afflictionibus Domino se acceptabile mactabat sacrificiũ. Gaude virgo sponsa Christi dilectissima, quæ pro laboribus breuis temporis, æterna recipis gaudia: olim affligebaris in corpore, nunc lætaris in æternitate. Nostri memor, tuis precibus impetra veniam

peccatorum, quę pro tua reuerentia non patieris repulsam. Reddidit Deus mercedem laboribus tuis, pro cuius amore ægritudines cunctas casto corpore ac mente patienter tulisti: paruæ tribulationi rex cæli se tibi dedit in præmium. Riuos lachrymarum tuarũ, ô virgo beata, inenarrabile gaudium compensat, q̃ nullo fine terminatur. Et felix Schonaugia, quę talem rosam in odorem domino suauissimum ad cœlos transmisisti, cuius etsi pompã natalis nesciat* populus, eius tamen precibus à Domino conseruaris. Sed à nostræ consuetudinis proposito digressi, longiorem solito conteximus de sacra virgine narrationem. Sufficiant igitur hæc, vt ad finem huius voluminis optatum tandem veniamus. Qui autem virginis nostræ Elisabeth vitam, mores ac conuersationem plenius scire desiderat, libros eius, quos, diuinitus instructa, edidit, & felicem transitum, qui literis commendatus est, legat. Moritur autem anno Domini 1165. Indictione 13. ætatis suæ anno 36. conuersionis 24. visitationis autem paternæ gratiæ, 13. 14. Calendas Iulii, sepulta in Ecclesia monachorum sancti Florini ibidem.

De quibusdam aliis sanctis martyribus ex ordine.

CAP. CCCXXXVI.

HI sunt ex ordine nostro sancti, quos nominibus suis ad præsens duximus consignare: quibus & alios martyrio quosdam coronatos volumus adiũgere, quorum nomina ignoramus. Monasteriũ fuit olim in Hybernia, q̃ sanctus Columbanus ædificauit, nomine Benchor, in quo multa millia monachorum habebantur: ita, vt succedentibus sibi vicissim choris, continuarentur solennia diuinorum, & nec ad momentum à diuinis laudibus cessaretur. In hoc monasterio nongenti monachi simul à piratis interfecti, martyrio coronati, ad regna cœlorum peruenerunt. Temporibus Caroli Calui, qui imperauit anno Domini 880. in maiori monasterio S. Martini prope Turonem, occisi sunt centum & 16. monachi à Nortmannorum duce Rollone, qui illo tempore velut astra in firmamẽto cœli, sic ordinem monasticum illustrarunt. In monasterio Floriacensi sexaginta monachi simul vna vice à Paganis feruntur pro fide Christi occisi, viri religiosi & valde notabiles. Cum sancto etiã Bonifacio, Archiepiscopo Moguntino, multi venerabiles monachi martyrizati sunt, quorum nomina in libro vitæ conscripta, nobis incognita. Circa annos Domini 800. beatus Vuilhardus, primus Episcopus Bremensis, multos venerabiles monachos causa prædicationis misit in Daciam, qui pro fide Christi martyrio ibidem sunt coronati. Sanctus quoq; Adalbertus, Episcopus Pragensis & martyr multos monachos habuit discipulos martyrio coronatos, quorum nomina ignoramus.

Quod paucos hic posuerim sanctos, ad comparationem aliorum.

CAP. CCCXXXVII

SEd quid multis immoror? Si omne studium meum ad hoc verterem, si tempus totum impenderem, vix paucos è multis, vel solis nominibus designare sufficerem, qui ex ordine nostro suis locis vt sancti, & vere sancti, ab Ecclesia venerantur. Latus fuit olim in orbe sacratissimus ordo Benedicti, qui à mari vsque ad mare suos palmites misit, & multa sanctorum millia ad Dominum transmisit. Nam sicut ferunt hi, qui huic studio diligentiam impenderunt, de ordine diui patris Benedicti plus quam 15000. sancti & catalogo diuorum inserti Abbates, monachi & moniales, numerantur. In tanta autem multitudine sanctorum, quis nõ miretur, quis non veneretur ordinem Deo sacratum? Horum omnium etsi à nobis nomina ignorentur, apud Deum tamen in memoria æterna sunt, qui glorioſus in sanctis suis, omnibus electis vires tribuit sanctitatis. Nemo enim sanctus viribus suis. Nisi enim gratia Dei, hominis voluntatẽ dirigat, ad sanctitatis regulã non appropinquat. Gratia igitur Dei, bonæ voluntatis assensu, perficit sanctitatem. Sed ad propositum huius operis iam ista non pertinent. Ad incepta igitur reuertamur. Nemo æstimet, me omnes nostri ordinis sanctos aut voluisse, aut potuisse nominatim perstringere, cum numerus eorum tantus sit, vt fidem narrationis videri posset excedere. Ego enim, quantum sinebat breuitas temporis, eorum tantum recordatus sum,

*15000. S. in ordine S. Benedicti.

ſum, quorum opinio in Eccleſia Dei vulgata magis videbatur. Nec dubito, plures in diuerſis mundi partibus à fidelibus populis venerari, de quibus apud nos nulla memoria habetur. Scripſi autem hunc tertium librum de ſanctis noſtri ordinis, ne viderer prꝛeteriſſe morem cæterorum, qui ſtatum ſuæ religionis, ſanctorum ſuorum multitudine iudicant glorioſum. Nec immerito: Quanvis aliena ſanctitas nos minime commendabiles faciat, ad imitationem tamen eorum, quos veneramur, reddit intentos. Sed quid eſt, ſi gloriamur in multitudine ſanctorum noſtrorum? Niſi enim mores eorum ſanctos imitari ſtudeamus, de illorũ ſanctitate fruſtra gloriamur, Ad confuſionem quippe noſtram de prætcrita multitudine ſanctorum gloriamur, ſi nõ ſequimur eos, de quibus putamus eſſe lætandum. Nihil nobis aliena virtus ad ſalutem proficit, ſi ad imitationem ſe animus non extendit. Qui ergo de ſanctis ſui ordinis glorioſum ſe æſtimat, quaſi pauper de aliorum ſubſtantia exultat. Et verecundũ eſt pauperi, progenitorũ ſuorũ iactitare diuitias, qui ſua negligentia vel culpa ad illas venire nõ feſtinat. Tanto enim miſerabilior eſt, quanto ſuos aſſerit & novit feliciores. Sanctum non facit alterius commendatio meriti, nec felicem ſcientia felicitatis alienæ. Bene veraciterque ſanctos laudat, qui ſanctos imitatur: & recte exultat de ſanctorum numero, qui illum augere ſtudet ex proprio. Quod ſi laudas & non imitaris, teipſum confundis. Quid enim proficit homo, ſi alium laudet, & ſemetipſum laudabilem nõ reddit? Quaſi vitam laudans, mortẽ arripit, qui bonos cõmendans, imitari contemnit. Vt ergo laus ſanctorũ ad noſtram ædificationem proficiat, ſtudeamus operibus ſanctis etiam poſteros ad imitationem noſtri prouocare. Vtinam attenderemus priſtinum ordinis noſtri decorem, quem vita ſanctorum venerabilem reddidit & ſcripturarum ſcientia glorioſum. Vtinam patres noſtros ſanctos imitemur, de quorum multitudine videmur gloriari. Contempſerunt mundum, diuitias ſpreuerunt, vt expediti & alacres Chriſtum ſequerẽtur. Nemo enim Deo militans, negocĳs ſe implicat ſecularibus.

Contra illos, qui poſt profeſſionem monaſticam terrena ſapiunt.

CAP. CCCXXVIII.

PVdet me quorundam audire veſaniam, qui ſe dicunt eſſe religioſos, factis autem negant. Vetus prouerbium eſt: Cappa non facit monachum, ſed vita religioſa, & à mundi vanitatibus aliena. Qui autem cupiditatibus extenditur, qui mundi negociis implicatur, qui diuitias ſectatur atque honores, monachi vocabulo indignus eſt. Monachus enim à ſolitudine accipit nomen, qui iuxta Prophetæ conſilium, ſolitarius ſedeat, & ſe in contemplationis altitudine ſupra ſe leuet. Sic veteres ſancti, quorum in hoc catalogo fecimus mẽtionem, vt veri monachi potuiſſent exiſtere, ſolitudinẽ leguntur amaſſe. Monachus autem in turba, eſt piſcis ſine aqua. Sed noſtri Abbates & monachi tũc ſe religioſos æſtimãt, ſi mundi diuitiis ſtudioſius intẽdãt. Paucos nũc inuenies, q cõtemplationi vacẽt qui orationibus inſiſtãt, qui diuinis ſcripturis inuigilent. Multi autẽ terrena ſapiunt, diuitias querunt, honores ambiunt, ſolitudinem fugiũt, in vrbibus cõuerſantur. Plura ſunt in ordine S. Benedicti cœnobia, plures Abbates, & monachi plures: ſed nec vbique ad regulæ puritatem viuitur, nec omnes ſanctorum exempla imitantur. Ad religionem multi veniunt, ſed in religione pauci religioſe viuũt. Et hoc idem Dominus in Euangelio prædixit: Multi ſunt vocati, pauci vero electi. Quanuis de vocatione gentium ad fidem hoc dictum ſit, tamen etiam in religionis ordine completur. Vocantur quidem omnes, qui veniunt: ſed pauci à Domino eliguntur: quia, vt diximus, pauci ad regulę puritatem conuerſantur. Dum enim ad mundana negocia ſe conferunt, dum cupiditatibus inſeruiunt, dum carnis voluptates quærunt: tam monachi, quam Abbates, electionis gratiam amittunt. O ſi nunc monachorum tanta eſſet induſtria erga ſpiritualia, quanta olim apud veteres fuit, quam felix eſſet ſacri ordinis ſtatus. Sed quia neglectis ſpiritualis vitæ inſtitutis, ſola caduca quærunt, cum ſpiritualibus etiam temporalia deficiunt.

Exhortatio breuis ad fratres.

CAP. CCCXXXIX.

SEd iam tempus est, vt etiam hunc tertium librum concludamus, ne prolixitas nimia tædium pariat legentibus vel obliuionem: libet pro exhortationis formula, auditores benevolos paucis reddere attentos. Vos igitur patres & fratres alloquor, qui ordinem diui patris nostri Benedicti gubernatis & illustratis in parte modica reformatum: vobis admonitio mea complaceat, qui cupitis vnionem restaurationis nostræ in suo perdurare vigore. Ecce iam plura nostri ordinis cœnobia per Alemaniam in pristinum decorem reformata sunt: in quibus ad puritatem regulæ ac statutorum monachi conuersantur. Oro & moneo, vt idipsum omnes sentiamus. Prouocent nos, velim, ad æmulationem sanctam exempla præcedentium patrum, qui ordinem nostrũ vita & scientia illustrem reddiderunt. Non simus filii desertores, qui sanctorum floccipendant instituta. Vnusquisq; nostrum ordinis sui decorem & diligat, & augeat: & quantum sufficit, curam pro illo agat incessabilem. O cultores venerãdi hortuli salutis, diligite iustitiam, religionem colite, exercete pietatem. Nullus sit in hoc agro sterilis, nullus infructuosus, nullus moribus inhonestus. Mentis suæ agrum vnusquisq; diligenter exerceat, tribulos dissensionum & displicentiarum omnes eradicet, spinas mundanæ cupiditatis, igne diuini amoris exurat. Seruiamus Domino in timore, & nihil nobis deerit, eum syncere timentib. Nemo sit in hac vita ociosus: quoniam bonorum laborum gloriosus est fructus. Si vis te cæteris præstare imitabilem, si ordinem facere illustriorem: mundum sperne, honores fuge, diuitias contemne, solitudinem dilige, orationibus incumbe, contemplationi insiste, scripturis sanctis inhæde, Deum semper time. Si verus monachus esse desideras, fuge homines, ama secretum cellæ, ocium vita, habeto charitatem. Omni tempore sint vestimenta tua candida, si à nuptiis æterni regis non vis expelli. Sordes ille odit animorum, quem soli videbunt oculi purarum mentium. Noli tempus pœnitẽtiæ indultum negligere, noli de rebus transitoriis cogitare: quoniam qui veniam donat pœnitentib. sæpe gratiam subtrahit differentibus. Tota enim vita monachi debet esse pœnitentialis, etiam si culpis videatur esse immunis. Semper iustus in hac vita habet vnde lugeat, qui duram in carne seruitutem portat. Si non habet propria peccata, luget aliena. De eleemosynis in cœnobio viuimus, & ergo pro peccatis aliorũ debitores sumus. Sic viuamus monachi, vt nõ timeamus mori. Bona enim vita non est morti obnoxia.

FINIS.

PROLO-

PROLOGVS DOMINI IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEIMENSIS, IN QVARTVM LIBRVM DE ILLVSTRIBVS VIRIS ORDINIS sancti Benedicti.

Si multitudo illustrium virorum, qui in pace quiescunt, ordinem nostrum in præsenti facerent clariorem, reatui me crederem graui obnoxium, si vel vnum præterirem. Nunc autem verecundiam auget miseris transacta felicitas, quam qui ad memoriam reuocat, quasi doloribus mentem voluntarie sauciat. Summa enim amissæ claritatis consolatio est, cita & continuata obliuio. Vnde quanuis ordinem nostrum non æstimem feliciorem, si Ecclesiasticis fuerit sublimatus honoribus: tamen in hoc quarto volumine me breuiter volo expedire, ne alienis faculiatibus videar gloriari. Nequaquam enim diui patris Benedicti religionem idcirco meliorem iudico, si Ecclesiæ sanctæ de suis filiis multos germinarit pontifices, cum & illi qui principantur populis, boni reperiantur, & mali. Sed vt iis, qui me hoc onus subire fecerunt, satisfaciam, etiam in isto volumine ordinem promissum quam breuiter obseruabo, ita vt Romani Pontifices ex nostro ordine assumpti, secundum temporum successiones, ponantur primo: deinde Cardinales pauci è pluribus, Archiepiscopi diuersarum prouinciarum tertio, & vltimo Ecclesiarum quarundam quidam pontifices. Et, vt dixi, paucos signabo è pluribus, quoniam omnes percurrere & difficile est, & minimæ vtilitatis. Eorum tantum recordabor, qui & meritis & nomine extant clariores: quanquam nec illos quidem omnes potuerim inuenire. Nam & his, qui nobis forsitan clari videntur, apud alios inueniuntur clariores. Si quid igitur à nobis omissum est, quod periti æstiment inserendum huic catalogo, id faciant, qui possunt: mihi sufficit, vel in modico obtemperasse petentibus. Sane lectorem meum facio auisatum, quod in hoc libro vna persona nonnunquam sæpius ponitur, quæ de minori dignitate ad excellentiorem ascendisse inuenitur. Vt si ante Archiepiscopatum aliquis in alia vrbe fuisset Episcopus, vtrobiq; erit scribendus. Quãuis & hoc ipsum ex industria plerunq; omiserim. Singulorum autem tempora, quæ mihi ex Chronicis erant nota, signaui, non secundum ordinem ætatis, sed prout occurrebant: quod etiam in præcedenti libro sic contigit. Festinabam enim, nec licebat mihi, semel scripta, ad alium ordinem collocare. Et quidem parum refert, quis alium præcedat vel sequatur, dum tamen eorum, quos reperire potui, tempora signentur. Quorum vero tempora non reperi, in futurum signanda, cum inuenero, silentio transiui. Curiosi homines tempora exquirunt, non facta. Nos autem, vbi potuimus vtrunq; inuenire, signauimus: in reliquis merita temporibus præferentes, quoniam qui sine tempore regnant in patria, non curant nostras supputationes in terra. Qui autem male sentiunt, nec temporum cognitione releuantur, nec obliuione remeabunt.

LIBER

LIBER QVARTVS IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEIMENSIS, DE ILLVSTRIBVS VIRIS Ordinis sancti Benedicti, tractans de pontificibus ex eo assumptis.

CAP. I.

QVoniam scribenti historiam veritas summe custodienda est, ne aut deceptor appareat in propriis, aut deprauator in alienis: de pontificibus igitur Ecclesiarum ex nostro ordine assumptis facturus sermonem, vtrunq; obseruare cupio: vt in narratione sit veritas, & in honore integritas. Neq; ignoro, quam praui sint, qui dignitates Ecclesiasticas elata vanitate non vocati ambiunt: qui tamen non ordinem suum, vnde exiuerunt, sed semetipsos confundunt. Negare autem, huiusmodi pestilentes homines aliquando fuisse in ordine, nec volo, nec possum. Vnde si quando tales officio calami à me in sequentibus exarentur, nec blandum me volo exhibere, nec inuidum, sed veracem, quantum mihi nota fuerit qualitas personarum. In talibus quippe non laudabo vitium, sed exprimam dignitates. Quod dum facio, malo de veritate reprehendi, q̃ argui falsitatis. Dũ autem omitto, tacite fatebor ignorantiam meam in factis. Neque enim introitum singulorum perscrutari, ad meam pertinebat potestatem. De manifestis tamẽ erit aperte sentiendum. Nunc igitur ad propositum festinantes, de summis pontificibus ex ordine assumptis, loquendi sumamus exordium, prolixitatem in omnibus refrenantes.

De summis pontificibus, ex ordine nostro assumptis.

CAP. II.

GRegorius primus, patria Romanus, patre Gordiano viro senatorio, ex monacho Leuita, monasterii sancti Andreæ Apostoli, quod ipse in vrbe Roma construxerat, ad pontificatum assumptus post Pelagium Papam secundum, sedit annis tredecim, mensibus sex, diebus decem: vir doctissimus, philosophus & rhetor insignis, conuersatione sanctus, humilis & totus religiosus, multa ad Ecclesiæ catholicæ vtilitatem sagaciter patrauit. Huius doctrina & vita, supra quam creditur, elegans fuit, quemadmodum satis diligenter conscripta est. Construxit multa cœnobia monachorum: Anglos per Augustinum conuertit ad fidem, qui hactenus idolis sacrificabant. Hic primus titulum humilitatis literis suis apposuit, & seruorum se Domini seruum appellauit. Tantæ autem scientiæ & intellectus fuit, vt vnus de quatuor doctoribus Ecclesiæ principalioribus fieri mereretur. Electus fuit in Petri successorem anno Domini 590.

De Bonifacio Papa quarto.

CAP. III.

BOnifacius quartus, natione Marsus, ex monacho sancti Sebastiani in Vrbe, ad pontificatum assumptus, sedit annis sex, mensibus octo, diebus 12. vir doctus & eruditus: qui templum Pantheon à Phoca Cæsare Romæ obtinuit. quod in honorem beatæ Mariæ semper virginis & omnium sanctorum martyrum consecrauit. Et ab hinc festum omnium sanctorum annis singulis celebratur in Ecclesia. Domum etiam paternam in monasterium nostri ordinis redegit, suosq; fundos

fundos & reditus omnes in vsus monachorum conuertit. Hic monachis potestatem dedit prædicandi, absoluendi, & baptizandi, sicut in Canone habetur. Claruit autem anno Dominicæ natiuitatis 608.

De Adeodato Papa.

CAP. IIII.

ADeodatus patria Romanus, patre Iouiniano, ex monacho sancti Erasmi in Cælio monte, creatus pontifex, sedit post Vitalianum annis quatuor, mensib. duobus, diebus quinq; : vir deuotus, & à iuuentute sanctimoniæ deditus, in delinquentes pius, in pauperes misericors, in hospites benignus, in omnes vt pater clemens atq; mitis. Qui mox inito pontificatu, monasterium, in quo ante vixerat monachus, tam ædificiis quam censibus magnifice reformauit. Claruit in pontificatu anno Domi 674,

De Agathone Papa primo.

CAP. V.

AGatho primus, natione Siculus, patre Romano, ex monacho pontificatum ad eptus, sedit annis duobus, mensibus sex, diebus quindecim: vir certe tantæ sanctitatis, vt leprosum obuium factum, osculo suo statim liberauerit. Tantę præterea mansuetudinis & humilitatis fuit, vt neminem à se vnquam tristem dimiserit. Claruit anno Domini 680.

De Stephano Papa tertio.

CAP. VI.

STephanus tertius ex monacho sancti Chrysogoni Romæ, ad pontificatum electus, sedit annis 4. mensibus 5. diebus 27. vir certe doctus & valde eruditus, atque in rebus agendis, maxime Ecclesiasticis, strenuus admodum & constans. Fuit autem primo monachus in præfato cœnobio, postea sub Zacharia Papa factus est presbyter Cardinalis sanctæ Cæciliæ, & demum post Constantini Laici deiectionem Papa. Claruit anno Domini 770.

De Leone Papa quarto.

CAP. VII.

LEo Papa quartus, primo fuit monachus S. Martini in Vrbe, postea presbyter Cardinalis tituli sanctorum Quatuor coronatorum, à Sergio Papa creatus, tantæ doctrinę & integritatis vir, vt in Sergii demortui locum pontifex suffectus, sederit annis octo, mensibus tribus, diebus sex. Hic multa bona fecit, de quibus in libro pontificum lata fit mentio. Deniq; in sanctorum numerum relatus est, cuius festum 16. Calendas Augusti celebratur. Claruit anno Domini 848.

De Leone Papa quinto monacho.

CAP. VIII.

LEo quintus ex monacho de Brandalo, pontifex creatus, post Benedictum eius nominis quartum, sedit tantum diebus quadraginta. Habebat enim presbyterum familiarem domo nutritum sua, nomine Christophorum, qui libidine dominandi accensus, pontificem coniecit in carcerem, vbi paulo post ex animi dolore mortuus est. Ipse vero Christophorus inuasit pontificatum, quem sicut turpiter acquisiuit, ita post menses septē statim amisit, & in monasterium trusus, ibidem vitam finiuit. Claruit autem Leo anno Domini 905.

De Syluestro Papa secundo.

CAP. IX.

SYluester secundus, monachus quondam Floriacensis, natione Gallus, pōtificatum malis artibus (vt dicitur) adeptus, sedit annis quatuor, mense vno, diebus octo. Vir quidem doctus, sed malis actibus necromantiæ intentus, quibus ad tantam dignitatem creditur peruenisse. Hic prius vocabatur Gilbertus, & primo quidem fuit Archiepiscopus Rhemensis, postea Rauennatensis, postremo Papa. Ferunt, eum in fine vitæ suæ pœnitentiam egisse iudicio diuino condignam. Claruit anno Domini nongentesimo nonagesimo octauo.

De Stephano Papa nono.

CAP. X.

STephanus nonus, Fredericus antea vocatus, natione Lotharingus, Abbas Cassinensis, pontificatum adeptus post Victorem secundum, sedit tantum mensibus septē, dies octo. Hic fuit frater Gotfridi Ducis Lotharingiæ, vir bonus, qui mor-

qui morte præuentus, multa vtiliter concepta perficere non potuit. Claruit anno Domini 1056.

De Gregorio Papa septimo.

CAP. XI.

GRegorius septimus, Hildebrandus ante vocatus, monachus Cluniacensis, natione Hetruscus, patria Saonensis, creatus pontifex post Alexandrum secundum, sedit annis 12. mense vno, diebus quatuor, vir certe multæ doctrinæ, magnæ pietatis, prudentiæ, iustitiæ, constantiæ, & religionis, qui multa pro Ecclesiæ defensione & peregit & sustinuit. Hic primo Cluniacensis, vt diximus, monachus, à Leone Papa nono Diaconus Cardinalis fuit creatus, ad Ecclesiam sancti Pauli, & demum summus pontifex omnium consensu electus, anno Domini 1072. 10. Calendas Maii, in basilica S. Petri ad Vincula, Indictione 10.

De Victore Papa tertio.

CAP. XII.

VIctor tertius, Desiderius antea vocatus, Abbas Cassinensis, Gregorio prędicto suffectus, sedit in pontificatu anno vno, mensibus quatuor: vestigiis prædecessoris sui inhærens, Henricum Imperatorem sensit inimicum, cuius tandem insidiis & fraude (vt suspicantur multi) veneno in calice iacto, dum celebraret, necatus est. Claruit anno Domini millesimo 85.

De Vrbano Papa secundo.

CAP. XIII.

VRbanus secundus, Otto antea vocatus, monachus Cluniacensis primo, deinde Cardinalis Hostiensis, ac postremo summus pontifex omnium suffragio creatus post Victorem præfatum, sedit annis duodecim, mensibus quatuor, diebus nouemdecim, vir doctrina & vita cunctis venerabilis, qui operibus & scriptis Ecclesiam fortiter defensauit. Claruit anno Domini 1090. Hic in concilio generali Claromontensi, inter cætera in-
* stituit, vt horæ beatæ Mariæ virginis quotidie à cleris legerentur.

De Paschali Papa secundo.

CAP. XIV.

PAschalis secundus, Reinherus antea vocatus, natione Italus, è Flaminia oriundus, ex Abbate in pontificem Vrbano subrogatus, sedit annis 18. mensibus 5. diebus 7. vir deuotus & constans, Ecclesiam sua industria & sapientia de Tyrannorum manibus fortiter vindicauit. Claruit anno Domini 1100. Romæ in basilica Constantiniana sepultus, 15. Calendas Februarii.

De Gelasio Papa secundo.

CAP. XV.

GElasius secundus, Ioannes antea vocatus, patria Caietanus, in pontificatū Paschali substitutus, sedit anno vno, diebus quinque, vir omni laude dignus. Hic primum monachus fuit Cassinensis cœnobii sub Odrisio Abbate, viro sanctissimo, scripturis & regulari disciplina optime imbutus. Deinde ab Vrbano secundo, qui nouit hominis synceritatem, vocatus in vrbem, Secretarii accepit officium: ac post à Paschali diaconus Cardinalis creatus, etiam ad summi pontificatus apicem ascendit. Tandem vero ad Cluniacense monasterium perueniens, pleuresi correptus, non sine opinione sanctitatis decessit, vbi & sepultus est. Claruit anno Domini 1118.

De Anastasio Papa quarto.

CAP. XVI.

ANastasius quartus, patria Romanus, ex Abbate S. Ruffi Veliternæ diœcesis, primum Cardinalis, deinde summus pontifex creatus, post Eugenium tertium, sedit anno vno, mensib. 4. diebus 24. vir clementissimus, amator cleri, & in pauperes valde misericors, qui multa pro Ecclesiæ honore destinauerat, si ei diutius viuere licuisset. Claruit anno Domini 1153.

De Adriano Papa quarto.

CAP. XVII.

ADrianus quartus, natione Anglicus, Nicolaus ante vocatus, pontifex creatus post Anastasium, sedit annis 4. mensibus 10. vir doctus & excellentissim⁹ prædicator, qui ab Eugenio in Noruegiam missus, gentem illam ad fidem Christi conuertit. Hic primo fuit monachus in cœnobio beati Ruffi, postea Abbas,

bas, deinde Albanensis Episcopus, & Cardinalis, & postremo summus pontifex. Claruit anno Domini 1156.

De Clemente Papa sexto.

CAP. XVIII.

CLemens sextus, patria Lemouicēsis, Petrus Rogerii antea vocatus, primo Abbas Fiscanensis, deinde Episcopus Attrabacensis, postea Rothomagensis Archiepiscopus & Cardinalis, postremo summus pontifex creatus, sedit post Benedictum duodecimum annis decem, mensibus sex, & diebus octo: vir doctissimus, & excellens declamator, moribusq; perhumanus, & in omnes liberalis, qui multa ingenii sui monimenta reliquit. Moritur anno Domini 1352.

De Vrbano Papa quinto.

CAP. XIX.

VRbanus quintus, patria Lemouicensis, Wilhelmus antea vocatus, primo S. Victoris Massilienſis Abbas, deinde à Clemente sexto Cardinalis, postremo summus pontifex creatus, sedit post Innocentium sextum annis octo, mensibus quatuor: Decretorum doctor insignis, & vir singularis virtutis, qui & verbo & exemplo Ecclesiam strenue gubernauit. Ad hunc Brigida Scotorum regina veniens, multa diuinitus illustrata prædixit futura. Claruit anno Domini 1364.

Conclusionis huius apologia.

CAP. XX.

HOs ego Romanos duntaxat pontifices ex ordine S. Benedicti certo reor assumptos: quanquam possibile sit, fuisse & alios, quorum professionis titulos chronographi transissent. Nec ego titulos ab illis vel neglectos, vel posthabitos ad mei ordinis laudem ampliandam volui assumere. Turpissima enim laus est, quæ mendacio acquiritur. Præterea ferunt nonnulli & alios quosdam ordinis nostri Romanos fuisse pontifices, qui videntur mihi vel ignorantia historiarum, vel ordinis laude seducti. Quos vt scias, ex nomine refellam, ne simplices fratres, qui religionis suæ decorem augere cupiũt, me plures arbitrentur omisisse. Sunt igitur (vt ab antiquioribus incipiam) qui Syluerium ex nostro ordine ad pontificatum putēt assumptum, quem constat ordinem præcessisse, deiectumq; Papatu, in Pontum insulam exulasse, ibiq; monachicum primo suscepisse habitum eo pene tempore, quo sanctus pater Benedictus Maurum destinauit in Galliam. Eugenius tertius & Benedictus XII. ordinis Cistercienſis fuerunt. Cælestinum quintum constat fuisse eremitam, & sui ordinis fundatorem. Item Ioannem XX. Benedictum X. Innocentium VI. & Gregorium XII. quos nostri ordinis nonnulli affirmant: nullus historias de materia ista scribentium, saltem fuisse monachos memorat. Porro Christophorus, Sylvester quartus, Anacletus secundus, & Petrus de Luna, inuasores Petri sedis, non Pontifices, nostri ordinis non fuerunt: quanquam deiecti postea, monasticum carcerem subire aliqui ex eis fuerint coacti. Nos autem non ex pontificibus monachos, sed ex monachis pontifices factos, recensuimus. Decem ergo scienter omisimus, quos à quibusdam simplicioribus nostris connumeratos inuenimus. Si quis autem ea, quæ diximus, credere noluerit, gesta Romanorum pontificum reuoluat, & nos mendacii arguere non poterit. Quod autem in primo libro huius ordinis 24. summi pontifices feruntur, præsenti apologiæ non sentimus contrarium. Ibi enim Papatu pulsos, & in monasterium trusos, veluti monachos includimus: quos ab hoc catalogo sequestramus. Aliud est enim, ex pōtifice monachum: atque aliud, ex monacho creatum pontificem. Diuersis igitur causis, diuersimode sumuntur.

De Cardinalibus ex ordine S. Benedicti assumptis.

CAP. XXI.

CArdinales sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ ex ordine nostro diuersis temporibus ferunt creatos, centum & octoginta, quorum nomina etiam ad posteros transierunt: præter multos, quos à memoria hominum segregauit obliuio. Nec mirum, si inspicimus ordinis vetustatem, institutionem, sanctitatem, atque profectum: qui ab initio viros doctissimos atque sanctissimos habuit, quibus Ecclesiam multo tempore mirifice illustrauit. Erant enim monachi huius institutionis,

olim viri sanctimonia vitæ præcipui, scientia scripturarum perfectissime instructi, ad regimen Ecclesiarum idonei, virtute magni, conscientia puri, omnium literarum eruditione profundi: non torpebant ocio, sed studio bonarum artium ferventissime intendebant. Merito ergo magni facti sunt, qui voluptates carnis fortiter vicerunt. Ex his paucorum nomina signabo, qui apud nos habentur potiores, de cæteris aliorum narratione cõtenti. Quidam vero ex eis ad summum pontificatum assumpti, nihilominus inter Cardinales reputantur, quia prius in hac, quam in illa dignitate claruerunt. E quibus prior nobis occurrit.

De Gregorio diacono Cardinale.

CAP. XXII.

GRegorius diaconus Cardinalis, & abbas monasterii, quod in honorem S. Andreæ in paterna domo Romæ construxerat, vir optimus atq; doctissimus, amator omnium bonorum virorum, primicerius, & Pelagii Papæ secundi necessarius, multa etiam ante põtificatum pro vtilitate Ecclesiastica fortiter gessit. Huius in præcedentibus sæpius fecimus mẽtionem. Claruit anno Domini 590.

De Leone presbytero Cardinale.

CAP. XXIII.

LEo ex monacho subdiacono S. Martini in Vrbe, à Sergio secundo presbyter Cardinalis, tituli sanctorum Quatuor Coronatorum, creatus, tanta sanctitate & eruditione claruit, vt post Sergium Petri vicarius omnium applausu fuerit constitutus, de quo inter pontifices superius dictum est. Claruit anno Domini 848.

De Stephano S Cæciliæ Cardinale.

CAP. XXIV.

STephanus ex monacho S. Chrysogoni Romæ, à Zacharia pontifice tituli sanctæ Cæciliæ creatus presbyter Cardinalis, post multos ad honorem Dei habitos labores, cum magna omnium lætitia in Pauli pontificis demortui locum substituitur, anno Domini septingentesimo sexagesimooctauo.

De Hildebrando S. Pauli Cardinale.

CAP. XXV.

HIldebrandus ex monacho Cluniacensis cœnobii, à Leone Papa nono diaconus Cardinalis, ad Ecclesiam sancti Pauli Apostoli creatus, magna religione & doctrina clarus effulsit. Qui tandem omnium applausu summus pontifex electus, Gregorius septimus est nuncupatus, anno videlicet Domini 1072.

De Odone Hostiensi Cardinale.

CAP. XXVI.

ODo ex monacho Cluniacensis cœnobii, Episcopus Hostiensis & Cardinalis, vir doctrina & sanctitate suo tempore nulli inferior. Apud Gregorium Papam septimum in magno precio fuit, à quo etiam Episcopus fuerat ordinatus. Tandem post decessum Victoris tertii, Odo iste summus pontifex creatus, Vrbanus secundus appellatus est. Claruit anno Domini 1090.

De Ioanne diacono Cardinale.

CAP. XXVII.

IOannes monachus Cassinensis, & postea diaconus Cardinalis Romæ creatus à beato Paschali summo pontifice, magna sanctitate & eruditione clarus enituit, adeo vt in eiusdem Paschalis demortui locum suffragiis omnium fuerit electus. Claruit anno Domini millesimo 118.

De Petro Campano Cardinale.

CAP. XXVIII.

PEtrus ex Comite Campano monachus Cassinensis, cum esset vir doctus & eruditus, atq; in agendis rebus strenuus, electione fratrum Abbas eiusdem cœnobii constitutus est. Deinde fama eius crescente, Romam à summo pontifico vocatus, etiam presbyter Cardinalis meruit creari.

De Benedicto Abbate S. Ruffi.

CAP. XXIX.

BENEDICTVS monachus, & postmodum Abbas sancti Ruffi, patria Roma-

Romanus, cum esset vir doctissimus, primo creatus fuit Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, ac deinde pontifex, & Anastasius quartus nuncupatus. De quo inter pontifices iam superius fecimus mẽtionem. Claruit anno Domini 1150.

De Lodouico Cardinali S. Cæciliæ.

CAP. XXX.

LOdouicus de Sarbona, monachus & postea Episcopus Marianensis, & SS. Ecclesiæ Romanæ presbyter Cardinalis tituli sanctæ Cæciliæ, vir in scripturis studiosus & multum eruditus, fidem & deuotionem suam erga Romanam Ecclesiam multis laboribus demonstrauit.

De Nicolao Anglico Cardinali.

CAP. XXXI.

NIcolaus Anglicus, ex monacho cœnobii beati Ruffi, Albanensis Episcopus, & presbyter Cardinalis ab Eugenio tertio creatus, declamator insignis, post Anastasium IV. pontifex Romanus electus, Adrianus IV. appellatus est. Claruit anno Domini 1156.

De Drogone Laudunensi Cardinali.

CAP. XXXII.

DRogo Abbas Laudunensis, ab Innocentio Papa secundo Hostiensis Episcopus Cardinalis consecratus, vir tam in diuinis scripturis, quam in secularibus literis eruditissimus, religione & facundia insignis, ingenii sui monimenta clara reliquit. Claruit anno Domini 1130.

De Bernhardo Aquensi Cardinali.

CAP. XXXIII.

BErnhardus ex monacho Episcopus Aquensis, & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter Cardinalis tituli sanctorum Quatuor Coronatorum, vir certe nobilis, & tam doctrina quam religione venerabilis, non parua ingenii sui testimonia declarauit.

De Humberto Tullensi Cardinali.

CAP. XXXIV.

HVmbertus monachus Tullensis, ob incredibilem scientiam literarum à Leone Papa nono Romam vocatus, Cardinalis ab eo creatus est. Qui doctrinæ & eruditionis suæ infinita testimonia dedit. Claruit Romæ sub Leone nono, temporibus Henrici sancti Imperatoris, anno Domini 1050.

De Petro Hostiensi Cardinali.

CAP. XXXV.

PEtrus Damiani, ex monacho Episcopus Hostiensis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, (vt quidam volunt) Leuita septimus, vir deuotus & omnium opinione in scripturis diuinis eruditissimus, quod multa eius, quæ scripsit, opuscula testantur. Huius mentionem in secundo libro iam fecimus: vbi & volumina eius signauimus, & quemadmodum Episcopatum dimiserit, diximus. Claruit anno Domini 1060.

De Ioanne Attrabatensi.

CAP. XXXVI.

IOannes ex monacho Romano Episcopus Attrabatensis, & SS. Ecclesiæ Romanæ Cardinalis tituli sancti Martini in montibus, vir certe studiosus & eruditus, atque in negociis Ecclesiasticis peragendis admodum strenuus, ingenii sui plura monimenta transmisit ad posteros.

De Petro Rothomagensi Cardinali.

CAP. XXXVII.

PEtrus Rogerii, Abbas Fiscauiensis, doctor facundus & eruditus, primo fuit Episcopus Attrabatensis, postea Senonensis Archiepiscopus, deinde Rothomagensis, & Romanæ Ecclesiæ Cardinalis. Postremo summus pontifex creatus, Clemens sextus appellatus est. De quo iã supra diximus inter pontifices. Claruit anno Domini 1353.

De Francisco Gebenensi Cardinali.

CAP. XXXVIII.

FRanciscus ex monacho Gebenensis Episcopus, & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, vir doctus & facundus, inter cooperatores Apostolici regiminis non minimus apparuit, quod inclyta facta eius in legationibus maxime declararunt.

De Ioanne Tullensi Cardinali.

CAP. XXXIX.

IOannes monachus Tullensis, frater Clementis Papæ sexti, ab eo diaconus Cardinalis creatus, sciẽtia scripturarum, & prudentia in agẽdis clarus effulsit. Ab infantia enim monasticis disciplinis institutus, non minus moribus, quam studio literarum profecit. Claruit anno Domini 1350.

De VVilhelmo Massilienſi.

CAP. XL.

VVilhelmus Grisant, patria Lemouicensis, Abbas S. Victoris Massiliensis, & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, vir tum in iure, tum in sacris scripturis eruditissimus, in procurandis Ecclesiasticis negociis adeo solicitus & idoneus fuit, vt etiam absens in legatione constitutus, post Innocentium sextum, omnium Cardinalium assensu pontifex sit electus, & Vrbanus quintus appellatus. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 1365.

De Bernhardo Massilienſi.

CAP. XLI.

BErnhardus abbas Massilienſis, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ postea Cardinalis, vir vndecunq; doctissimus, vita & conuersatione valde religiosus, in causis Ecclesiasticis sæpe legatus, industriam suam ostendit. Huius meminit Wilhelmus Hirsaugiensis Abbas in prologo monasticæ constitutionis, vtpote viri doctissimi & singulariter deuoti. Claruit temporibus sancti Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, anno Dominicæ natiuitatis 1100.

De Nicolao Panormitano.

CAP. XLII.

NIcolaus abbas Monacensis, natione Siculus, Archiepiscopus Panormitanus, & SS. Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, vir in vtroq; iure peritissimus, & dubiorum emergentium circa hanc facultatem cautus interpres. Multa huius scientiæ à se edita reliquit opuscula, de quibus in 2. libro fecimus mentionem. Claruit temporibus Concilii Basileensis, cuius etiam legatus extitit, anno Domini 1440.

De Andrea Hiſpano Cardinali.

CAP. XLIII.

ANdreas ex monacho nostri ordinis, (vt per se fatetur in libro de pœnitẽtia, quem scripsit) primo Episcopus Megarensis, postea Ciuitatensis ac demum Aiatensis, & sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinalis ac pœnitentiarius, vir in iure doctissimus, ingenii sui monimenta præclara reliquit. Huius etiam in secundo præsentis operis libro fecimus mentionem.

De Archiepiſcopis ex ordine ſancti Benedicti aſſumptis.

CAP. XLIV.

DE Cardinalibus ex ordine sancti patris nostri Benedicti, vt pollicit⁹ sum, breuiter me expediui, omittens complures, qui fuerant inferendi, si licuisset perquestigandis impendere moram: quod quia non potui, sufficiat studiosis inquirendi omissos normam præbuisse. Quanquam paruæ sit vtilitatis, plures proponere, quos nec velle debeas, nec possis imitari. Centum octoginta feruntur ex nostro (vt supra diximus) ordine ad Cardinalatus honorem assumpti: quorum etsi nomina nescias, esto contentus in summa. Si monachus esse velis, magnatorum sperne dignitates: eruditionem imitare. Iam de Archiepiscopis ex ordine Benedicti patris assumptis habituri sermonem, quantum possibile fuerit, eos quos reperimus iuxta ordinem temporum, quibus floruerunt, intendimus collocare: de quibus autem superius inter Pontifices & Cardinales fecimus relationem, non erit denuo immorandum, nisi ratio id videatur postulare.

De Gregorio Turonenſi.

CAP. XLV.

GRegorius Florentius, Archiepiscopus Turonensis ex monacho factus, tam doctrina, quam conuersatione clarus atque sanctissimus emicuit, qui etiam in vita miraculis coruscauit. Fuit homo paruæ staturæ, sed magnæ scientiæ excelsique meriti apud Deum, qui non respicit personam hominis, sed opus & bonam voluntatem. Erat enim in ieiuniis frequens, in orationibus assiduus,

assiduus, in eleemosynis largus, hospitalitatis amator præcipuus, & sanctæ scripturæ lector studiosus. Vnde libros multos in laudem sanctorum & expositionem scripturarum edidit, de quibus suo loco dictum est. Cum autem mori debuisset, in tali loco sepeliri voluit, vbi semper omnium pedibus conculcaretur. Sed grex S. Martini talia non sufferens, eum de loco post aliquot annos leuauit, & fabricato pulchro Mausoleo, ad lævam beati Martini pontificis collocauit. Claruit anno Domini 600.

De Samsone Dolensi Archiepiscopo.

CAP. XLVI.

SAmson ex Abbate Dolensi in Britannia Archiepiscopus à beato Dabrutio consecratus, vir magnæ sanctitatis, multisq; miraculis clarus, per integram hebdomadam sæpius consueuit ieiunare. Non diebus, non noctibus ab orationibus & diuinis colloquiis cessabat: stans sæpe longis noctibus orando ab occasu solis vsq; ad ortum. Eius gesta magnifica habentur. Claruit anno Domini 600.

De Maglorio Dolensi Archiepiscopo.

CAP. XLVII.

MAglorius, post Samsonem ex monacho Archiepiscopus Dolensis, oriundus ex Britannia transmarina, vir sanctæ conuersationis fuit, de quo iam superius in tertio huius operis libro fecimus mentionem. Multis miraculis & virtutibus insignis effulsit. Claruit anno Domini 600.

De Augustino Cantuariensi.

CAP. XLVIII.

AVgustinus monachus beati Gregorii Papæ in vrbe Roma, & Abbas, ab eodem pontifice cum multis sanctis monachis destinatus in Angliam, gentem illam hactenus idolis seruientem, ad Christi fidem conuertit, atq; primus Archiepiscopus Dornuernensis, quæ nunc est Cantuariensis, ab Eucherio Arelatensi consecratus est, vbi multis signis & miraculis effulsit: De quibus in gestis Anglorum Beda ex parte facit mentionem. Claruit anno Domini 600.

De Laurentio Cantuariensi.

CAP. XLIX.

LAurentius Archiepiscopus Dornuernensis, post Augustinum ex monacho beati Gregorii Papæ ordinatus, tum docendo, tum exhortando magnum fructum fidei in gente Anglorum conquisiuit. Erat enim vir bonus & eruditus, ab infantia mõasticis disciplinis nobiliter instructus. Vnde adhuc viuente Augustino, in eius locum ab eodem pastor constituitur. Claruit anno Domini 620.

De Mellito Cantuariensi.

CAP. L.

MEllitus Abbas Romanus, cum Augustino in Angliam missus, conuersis Anglis, primo factus est Londoniæ Episcopus, deinde post mortem Laurentii Doruernensis tertius Archiepiscopus, vir secundum carnem nobilis, sed culmine mentis nobilior: qui suis orationibus & corporis obiectu, sæuas ignium flammas extinxit, & miracula plura perpetrauit. Contemptor mundi, amator Dei, totius religionis norma & exemplar honesti. Moritur plenus dierum & bonorum operum, anno Domini sexcentesimo 24. Archiepiscopatus sui quinto, 9. Calendas Martii.

De Iusto Cantuariensi Archiepiscopo.

CAP. LI.

IVstus monachus beati Gregorii Papæ in vrbe Roma, vir sanctus & eruditus, cum Augustino missus in Angliam, primo factus est Episcopus Rofensis, postea in Melliti demortui locũ quartus Dornuernensis Archiepiscopus consecratus est, sub Bonifacio Papa quinto, anno Domini 624.

De Magnoaldo Bituricensi.

CAP. LII.

MAgnoaldus monachus Luxouiensis, & postmodum Bituricensis Archiepiscopus, germanus beati Pharonis Meldensis Episcopi, vir sanctus, adhuc puer sub magisterio sancti Columbani Abbatis in Luxouiensi cœnobio à parentibus traditus fuit. Post recessum vero Columbani de Gallia, remansit cum Eustasio

Abbate in præfato cœnobio, donec ad pōtificatum tandem assumitur. Claruit anno Domini 640.

De Paulino Eboracensi.

CAP. LIII.

PAulinus monachus Romanus, veniēs cum Augustino in Angliam, post multos labores, quos tum prædicando tum baptizando peregerat, à Iusto Archiepiscopo Doruernensi primo Episcopus ordinatus est genti Nordanhymbrorum, postea per regem Eduinum in Archiepiscopum Eboracensem primum sublimatus, anno Domini 627. Cui Honorius Papa primus pallium legitur destinasse.

De Honorio Cantuariensi.

CAP. LIV.

HOnorius monachus cœnobii beati Gregorii Papæ in vrbe Roma, vir doctus & sanctus, & prædicator excellens, missus in Angliam, post multos labores, defuncto Iusto Archiepiscopo, in eius locum quintus Archiepiscopus Doruernensis, à beato Paulino Eboracensi ordinatus, pallium Archiepiscopatus ab Honorio Papa primo accepit. Moritur anno Domini 653. pridie Calendas Octob.

De Sulpitio Bituricensi Archiepiscopo.

CAP. LV.

SVlpitius Abbas in Francia, discipulus beati Austregisili Bituricensis Archiepiscopi, vir sanctus & Deo dilectus, etiam adhuc in habitu seculari positus, nihil aliud videbatur agere, quam monasteria construere, ecclesias reitaurare, miseris auxilium impendere. Vnde post mortem dicti pontificis ex Abbate aulico, in Archiepiscopum Bituricensem, omnium consensu electus, multis virtutibus & signis coruscauit. Claruit anno Domini 640.

De Deusdedit Cantuariensi.

CAP. LVI.

DEusdedit monachus in Anglia, vir doctrina & religione insignis, post mortem Honorii electus in Archiepiscopum sextum Doruernensis Ecclesiæ, sedit in pontificatu annis nouem, mensibus quatuor, diebus duobus. Claruit anno Domini 660.

De Ansberto Rothomagensi.

CAP. LVII.

ANsbertus ex Abbate Fontanellæ Archiepiscopus Rothomagensis post sanctum Audoenū, vir doctus & sanctus, viuus & defunctus miraculis claruit, sicut in gestis eius inuenitur. Claruit anno Domini 680.

De Genesio Bituricensi.

CAP. LVIII.

GEnesius ex Abbate in Francia Archiepiscopus Bituricensis, vir sanctus & Deo dilectus, tam exemplo quam verbo multas ad Christum animas conuertit. Multis etiam miraculis coruscauit, sicut in gestis illius diligenter conscriptis inuenitur. Claruit circa annū Domini 620.

De Ceadda Eboracensi.

CAP. LIX.

CEadda ex Abbate monasterii in Anglia, quod Lentesgen appellant, Archiepiscopus Eboracensis, frater Ceddi antistitis Lindesfarnensis, vir modestus moribus, & scientia scripturarum sufficienter instructus, de quo multa bona narrātur, excellens prædicator fuit, Claruit anno Domini 675.

De Theodoro Cantuariensi.

CAP. LX.

THeodorus monachus Romanus, natione Græcus ex Tarso Ciliciæ, Doruernensis septimus Archiepiscopus à Vitaliano Papa ordinatus, vir secularibus & diuinis literis ad perfectum instructus, moribus & conuersatione venerandus, rexit Ecclesiam Anglicanam multa diligentia 22. annis. Moritur anno Domini 690. ætatis autem suæ, 88.

De Lamperto Bituricensi Archiepiscopo.

CAP. LXI.

LAmpertus Taruanensis, Abbas Fontanellæ post B. Wandregisilum, & deinde Archiepiscopus Bituricensis post S. Genesium, vir doctus & sanctus, qui verbo & exemplo multos ab iniquitate auertit. Claruit anno Domini 640.

De

De Niuardo Rhemensi Archiepiscopo.

CAP. LXII.

NIuardus Abbas & monachus in Frãcia, Archiepiscopus Rhemensis, vir sanctissimæ conuersationis, qui vita & doctrina commissam sibi strenue gubernauit Ecclesiam, multis virtutibus & signis clarus effulsit. Claruit anno Domini 660.

De Vuilfrido Eboracensi.

CAP. LXIII.

VVilfridus Abbas Ripensis in Anglia, Eboracensis Archiepiscopus, vir vndecunque doctus, & excellentissimus prædicator, qui multa millia hominum à seruitute diabolica liberans, ad fidei Catholicæ libertatem reduxit. Denique pulsus Episcopatu, & multis iniuriis fatigatus, ab euangelizandi officio nunquã cessauit. Claruit anno Domini 680.

De Bosa Eboracensi Archiepiscopo.

CAP. LXIV.

BOsa ex monacho in Anglia Eboracẽsis Archiepiscopus, in locum Wilfridi à rege expulsi ordinatus à Theodoro Cantuariensi Archiepiscopo, vir doctus & religiosus, in concilio Anglicano cum cæteris Archiepiscopis ad reformationem illius Ecclesiæ adiutor Theodori fuit. Claruit anno Domini 690.

De Berchualdo Cantuariensi.

CAP. LXV.

BErchualdus Abbas monasterii in Anglia, quod Racuilfe dicitur, post Theodorum Archiepiscopus Cantuariensis, vir scientia scripturarum nobiliter imbutus, & Ecclesiasticis simul ac monasterialibus disciplinis summe instructus, tametsi prædecessori suo minime valuerit comparari. Claruit anno Domini 700.

De Cedda Lindesfarnensi Archiepiscopo.

CAP. LXVI.

CEdda Abbas Lestingensis cœnobii, Archiepiscopus Lõdonensis in Anglia, (quæ tamen modo est Episcopatus) vir doctus & sanctus, & prædicator egregius, etiam in vita miraculis coruscauit. Claruit anno Domini 680.

De Clemente Traiectensi Archiepiscopo.

CAP. LXVII.

CLemens, qui & Willebrordus, monachus Ripensis cœnobii in Anglia, veniens in Galliam, fidem Christi prædicabat gentibus: deinde in Fresia prædicans, multum fructum attulit. A Pipino post hæc Romam missus, à Sergio Papa Fresonum Archiepiscopus ordinatur ad Ecclesiam Traiectensem, quæ modo Episcopalis est sub Colonensi Archiepiscopo. Consecratus autem fuit Romæ in Basilica S. Cæciliæ à Sergio Papa, petente Pipino, anno Domini 693. 10. Calendas Decembris, impositio sibi à Papa nomine Clementis, eo quod in eius profesto consecratus est.

De Iohanne Eboracensi Archiepiscopo.

CAP. LXVIII.

IOannes monachus in Anglia, & Episcopus Hagustaldensis, & Eboracensis postmodum (vt ferunt) Archiepiscopus, vir doctus & sanctissimæ conuersationis, qui etiam in vita sua multis miraculis coruscauit. Moritur anno Domini 721. Episcopatus autem sui, 33.

De Taduuino Cantuariensi.

CAP. LXIX.

TAduuinus presbyter & monachus cœnobii Bruitinensis, oriundus ex prouincia Merciorum, nouus Archiepiscopus Doruernensis seu Cantuariensis, vir religione & prudentia insignis, sacris quoque literis nobiliter instructus. Consecratus est in Ecclesia sua Doruernensi anno Domini 731. 4. Idus Iunii, quæ fuit dies Dominica, Indictione 14.

De Basino Treuerensi Archiepiscopo.

CAP. LXX.

BAsinus Abbas sancti Maximini Treuerensis, & frater Ducis Lotharingiæ, vir prudens & doctus, Archiepiscopus Treuerorum quinquagesimus & sextus ordinatus, tam opere, quam verbo Ecclesiam strenue gubernauit. Cuius conuersatio religiosa multis dedit exemplũ disciplinæ: vnde & inter sanctus relatus est. Claruit anno Dom. natiuitatis 740.

De Lamperto Sennonensi Archiepiscopo.

CAP. LXXI.

LAmpertus monachus cœnobii Fontanellæ, ac deinde Senonensis Archiepiscopus, vir doctus & valde venerabilis, verbo & exemplo multos gentilium ad fidem Christi conuertit. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 700.

De Luthuuino Treuerensi.

CAP. LXXII.

LVthuuinus Abbas Mediolacensis, Archiepiscopus Treuerorum quinquagesimus septimus, sancti Basini ex sorore nepos, vir sanctissimæ conuersationis fuit. Nam prius fuit Dux Lotharingiæ, qui post multa cœnobia fundata & restaurata, construxit vnum in confinibus Lotharingiæ super fluuium Saroam, quod Mediolacense vocamus, in diœcesi Treuerensi: in quo primo monachus, deinde Abbas, postremo Treuerorum Archiepiscopus factus est. Sepultus est in eodem cœnobio: & in sanctos relatus. Claruit anno Domini 770.

De Volframo Senonensi.

CAP. LXXIII.

VVolframus monachus Fontanellæ & Senonnensis post Lampertum Archiepiscopus, oriundus ex territorio Vasconiensi, cuius pater Walbertus, deuotus vir, in aula regis Dagoberti militauit, vir doctus & sanctus: multis annis in Frisia fidem Christi prædicans, miraculis coruscauit. Qui prædicatione sua Rathbodum ducem Fresonum ad hoc vsque perduxit, vt baptizari expeteret. Sed positum pedem ad lauacrum, cum audisset plures suorum progenitorum in inferno quam in cœlo esse, retraxit, dicens se plures malle sequi, quam paucos. Huius Vuolframi sanctissimi viri amicissimus & indiuiduus coadiutor fuit beatus Vuillebrordus Archiepiscopus Fresonum, cuius iam supra fecimus mentionem. Fuit autem apud Frisones per annos quinque continuos, prædicans & annuncians regnum Dei. Postea reuersus ad monasterium Fontanellæ, ordinato prius Senonis Archiepiscopo Guerico, ibidem in monastica conuersatione vitam finiuit. Moritur autē anno Domini 720. 13. Calendas Aprilis, Indictione 3. iuxta beatum Vuandregisilum in Fontanella sepultus.

De Hildulpho Treuerensi.

CAP. LXXIV.

HIldulphus monachus, & Treuerensis Archiepiscopus quinquagesimus nonus, vir doctus & sanctæ conuersationis: post multa constructa cœnobia mitram Episcopalem deponens, ad monasticum schema reuersus est, & in vno trium cœnobiorum, quæ construxit in saltu Vosagi, Abbatis officio functus, in pace quieuit, ibidem sepultus, sed postea translatus est. Claruit anno Dom. 780.

De Albone Senonensi.

CAP. LXXV.

ALbo Abbas monasterii S. Petri Senonensis, & post Guericum, qui Wolframo successerat, ibidem Archiepiscopus, vir secundum seculi dignitatē nobilis, & eiusdem Guerici nepos, sed fide & religione multo nobilior, tam signis effulsit, quam meritis. Claruit anno Domini 760.

De Bonifacio Moguntino.

CAP. LXXVI.

BOnifacius, qui & Winfridus, monachus in Anglia, cum fidem Christi prædicaret in Germania, & multas à Diaboli seruitute animas eriperet, primo factus est Episcopus Moguntinensis à B. Gregorio secundo, postmodum in Archiepiscopum primum sublimatus à Zacharia Papa, pallium & legationem ab eo suscepit. Et abhinc Moguntina Ecclesia suscepit Archiepiscopum. Moritur vir sanctus in Frisia, martyrio coronatus, Nonis Iunii, anuo Domini 755. Episcopatus sui, 36. Indictione 8.

De Viomado Treuerensi.

CAP. LXXVII.

VIomadus Abbas S. Maximini, & postea Treuerorum Archiepiscopus sexagesimus, vir quidem in procurandis Ecclesiæ negocis strenuus & admodum prouidus, multa ad eā rem pertinentia, principum Pipini & Caroli cognomento Magni, fauore impetrauit. Claruit anno Domini 775.

De Lullo Moguntinensi Archiepiscopo.

CAP.

CAP. LXXVII.

LVllus monachus & discipulus sancti Bonifacii martyris, natione Anglicus, vir sanctus & Deo dilectus, à B. Bonifacio Moguntinus Archiepiscopus ordinatus, rexit Ecclesiam triginta duobus annis. Nam cum beatus præsul ad Frisiam denuo prædicaturus iam senex vellet accedere, ne post eius decessum aliqua oriretur turbatio, de consensu principis Pipini Lullum in Archiepiscopum prius consecrauit. Claruit anno Domini 770.

De Richboldo Treuerensi Archiepiscopo.

CAP. LXXIX.

RIchboldus Abbas Mediolacensis, in demortui Vuiomadi locum Archiepiscopus ordinatus, vir in agendis Ecclesiasticis admodum strenuus. Huic in Abbatia Mediolacensi successit Vuasso, qui etiam post eum in Archiepiscopatu successit. Claruit autem Richboldus anno Domini 790.

De Vuazzone Treuerensi.

CAP. LXXX

VVazzo monachus & Abbas Mediolacēsis cœnobii, post mortem Richboldi Archiepiscopus Treuerorum sexagesimus secundus ordinatur, eo potissimum tempore, quo Carolus maximam multitudinem Saxonum transtulisse fertur in Galliam. Claruit anno Domini 795.

De Rabano Moguntinensi.

CAP. LXXXI.

RAbanus Maurus, quartus Abbas Fuldensis, natione Franco, in sylua quæ dicitur Buchonia, postquam rexit præfatam Abbatiam strenue 24. annis, defuncto Otgario, in eius locum Archiepiscopus Moguntinus ordinatus sextus, vir suo tempore vndecunq; doctissimus, quod infinita, quæ scripsit, volumina testantur: quorum in secundo libro ex parte fecimus mentionem. Moritur anno Domini 855. Indictione 3. Episcopatus sui anno 9.

De Hamulario Treuerensi.

CAP. LXXXII.

HAmularius Fortunatus, monachus Luxouiensis, & Treuerensis Archiepiscopus, & Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, vir doctus & ad regimen Ecclesiasticum satis idoneus: missus ad Constantinopolim ad Michaelem imperatorem à Carolo Magno, inter eos pacem reformauit. Hic etiam librum officiorum cōscripsit, quem in synodo publicauit. Moritur anno Domini 813. Indictione 6. Episcopatus sui anno circiter 16.

De Hetti Treuerensi.

CAP. LXXXIII.

HEtti Abbas Mediolacensis, post Fortunatum ordinatus Treuerorum Archiepiscopus, præfuit Ecclesiæ Treuerensi annis 37. vir doctus & deuotus, qui diuinitus admonitus, ossa sancti Castoris transtulit de Carden in Confluentiam, vbi adhuc requiescunt. Moritur anno Domini 851. Indictione 14. apud sanctum Matthiam extra Treuerim sepultus.

De Anscario Bremensi.

CAP. LXXXIV.

ANscarius monachus Corbeiensis in Saxonia, primus Archiepiscopus Bremensis, vir sanctus & Deo dilectus, qui multis signis & virtutibus clarus effulsit, rexit Ecclesiam sibi commissam satis strenue annis 34. Ante eum Bremensis Ecclesia fuit sub Archiepiscopatu Colonien si. Et primus Episcop⁹ fuit S. Vuilhadus, secundus Vuillericus, tertius iste Anscarius, qui in Archiepiscopum sublimatus est à Sergio Papa secundo. Claruit autem beatus Anscarius anno Domini 840.

De Arnulpho Bituricensi.

CAP. LXXXV.

ARnulphus abbas S. Medardi Suessionensis, Archiepiscopus Bituricensis, vir secundum seculi dignitatem nobilis, sed secundum fidem & religionem multo nobilior, signis & virtutibus innumeris coruscauit. Claruit circa annos Domini 840.

De Ansegiso Senonensi.

CAP. LXXXVI.

ANsegisus abbas Lobiēsis, deinde Senonensis Archiepiscopus, vir vndecunq; doctissimus, verbo & exemplo Episcopatu dignus, multa ingenii sui monimen-

nimenta dedit, quorum in secundo libro huius operis pro parte fecimus mentionem. Claruit anno Domini 840.

De Hincmaro Rhemensi.

CAP. LXXXVII.

HIncmarus monachus S. Dionysii Parisiensis, & postmodum Archiepiscopus Rhemensis, vir in omni literatura nobiliter eruditus, multa ingenii sui monimenta scribendo reliquit, quæ satis nota sunt studiosis. Claruit anno Domini 870.

De Mariano Rauennati.

CAP. LXXXVIII.

MArianus monachus cœnobii sancti Andreæ Apostoli, quod beatus Gregorius Papa in vrbe Roma construxit, Archiepiscopus Rauennatensis, vir studiosus & ad tale regimen satis idoneus, in vtraque vita se fidelibus dedit exemplum. Claruit anno Domini 620.

De Remberto Bremensi.

CAP. LXXXIX.

REmbertus monachus Corbeiensis in Saxonia, Archiepiscopus Bremensis secundus, vir doctus & diuinis scripturis, moribus & conuersatione deuotus, rexit Ecclesiam sibi commissam, nouem annis: cuius tanta fulserunt merita, vt in sanctos relatus sit, vt supra iam diximus. Claruit anno Domini 885.

De Bertholfo Treuerensi.

CAP. XC.

BErtolfus Abbas Mediolacensis, & Archiepiscopus Treuerensis, consanguineus Aduentii Metensis Episcopi, vir acer, & Ecclesiæ suæ defensor admodum strenuus: cuius tempore Nortmanni Treuerensem vrbem inuadentes succéderunt, & quoscunque inuenerunt, occiderunt. Ipse autem fuga lapsus, euasit. Eodem tamen anno obiit, qui fuit annus Domini 882. Indictione 15. Episcopatus sui anno 11. Huic familiarissimus fuit Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis, vir eloquentissimus, de quo supra dictum est.

De Carolo Moguntino.

CAP. XCI.

CArolus monachus Corbeiensis, post Rabanum septimus Archiepiscopus Moguntinensis ordinatus, rexit Ecclesiam illam nouem annis, vir prudens & nobilis. Fuit enim frater Pipini Ducis Aquitaniæ. Moritur anno Domini 863. Indictione 11.

De Adelgario Bremensi.

CAP. XCII.

ADelgarius monachus Corbeiensis in Saxonia, Archiepiscopus Bremensis quartus, vir doctus & sanctus, sedit in regimine dictæ Ecclesiæ annis viginti. Ibidem in ecclesia sancti Petri Apostolorum principis sepultus, in sanctos relatus, vt in tertio volumine diximus. Claruit anno Domini 890.

De Sunderoldo martyre.

CAP. XCIII.

SVnderoldus monachus Fuldensis, & nonus Archiepiscopus Moguntinus, vir nobilis, doctus & strenuus, & non minus deuotione quam dignitate insignis: missus ab Imperatore contra Nortmannos cum exercitu, qui Wormatiam obsidebant, capta vrbe ab eis & occisis habitatoribus, etiam Sonderoldum Archiepiscopum interfecerunt sabbato, quæ fuit sexto Calendas Iulii, Indictione 9. anno Dom. 891. Episcopatus sui, secunda.

De Ratbodo Treuerensi.

CAP. XCIV.

RAtbodus Abbas Mediolacensis, & postea Archiepiscopus Treuerensis sexagesimus octauus, vir potens & valde venerabilis, Ecclesiam suam nobiliter in temporalibus ampliauit. Ad hunc Regino Abbas Prumiensis duo volumina decretorum edidit, quæ de Christiana religione prænotauit. Ipse enim Archiepiscopus in synodo celebrata coram omnibus hoc opus Reginoni Abbati, suo tempore studiosissimo, iniunxerat. Claruit anno Domini 885.

De Vimone Bremensi Archiepiscopo.

CAP. XCV.

VImo monachus Corbeiensis cœnobii in Saxonia, Archiepiscopus Bremensis sextus, vir doctus & multum venerabilis, rexit Ecclesiã sibi commissam strenue verbo & exemplo 18. annis. Anno autem Domini 928. resignauit Archiepisco-

episcopatum suum, constituens post se Adaldagum Archiepiscopum. Ipse vero secessit in Gothiam, ibi per annos octo verbum Dei prædicans, ad fidem Christi multos conuertit. Claruit in Archiepiscopatu anno Domini 920.

De Hattone Moguntinensi.
CAP. XCVI.

HAtto Abbas Augiensis, Archiepiscopus Moguntinus decimus, vir quidem in agendis negociis forensibus calidus, sed merito reprehensibilis, quod dolo & fraude Comitem Adelbertum in manus Imperatoris Lodouici tradidit occidendum. Vnde & mala morte interiit. Quomodo hæc perfidia ab eo fabricata sit, Marianus Scotus in Chronica sua non tacuit. Moritur anno Domini 912. Indictione 15. Archiepiscopatus sui anno 21.

De Hildeuuino Mediolanensi.
CAP. XCVII.

HIldeuuinus monachus Lobiensis, & Archiepiscopus Mediolanensis, vir eruditus & in agendis Ecclesiæ negociis admodum strenuus, fertur ingenii sui monimenta reliquisse. Claruit anno Domini 935.

De Hildeberto Moguntinensi.
CAP. XCVIII.

HIldebertus Abbas Fuldensis, duodecimus post Herigerum ordinatus in Archiepiscopum Moguntinensis Ecclesiæ, rexit eandem annis nouem, vir deuotus & magnæ prudentiæ. Moritur anno Domini 936. Indictione 9.

De Gaudentio Pragensi Archiepiscopo.
CAP. XCIX.

GAudentius monachus cœnobii sancti Bonifacii, primus Archiepiscopus Pragensis, missus in Hungariam & cæteras prouincias circumiacentes verbum Dei prædicare, multos ad fidem Christi conuertit. Fuit autem prius Episcopatus, vbi & sanctus Adelbertus martyr præsul extitit. Claruit anno Domini millesimo.

De Dunstano Cantuariensi.
CAP. C.

DVnstanus Abbas Glascouiensis, deinde post Elphegũ Episcopus Wintonensis, postremo, defuncto Odone Cantuariensi Archiepiscopo, in eius locum consensu omnium consecratus, multis signis & virtutibus coruscauit. Moritur anno Domini 988. Indictione 1. 14. Calendas Iunii, ætatis suæ anno circiter 70, Episcopatus autem summi Cantuariensis, 33. Cuius vitam Osbernus descripsit.

De Osualdo Eboracensi.
CAP. CI.

OSuualdus monachus Floriacensis, nepos B. Odonis Cantuariensis Archiepiscopi, primo ante Dunstanum Episcopus Wintonensis, & postea Eboracensis Achiepiscopus, vir doctissimus, & morum honestate spectabilis, in regimine Ecclesiastico strenuus fuit. Claruit anno Domini 970.

De Hattone Moguntinensi.
CAP. CII.

HAtto Abbas Fuldensis, cognomento Bonosus, Archiepiscopus Moguntinus quintusdecimus: de quo etiam quædam non bona narrantur, quæ siue vera, siue falsa sint, Domino iudici omnium discutienda relinquantur. Vtcunque sit, constat eum hominem nobilem fuisse, & in agendis Ecclesiæ suæ causis tantum solicitum. Moritur anno Domini 970. Indictione 13. Præsulatus sui anno secundo.

De Adelberto Magdeburgensi.
CAP. CIII.

ADelbertus monachus cœnobii S. Maximini Treuerensis, primus Archiepiscopus Parthenopoleos, id est Magdeburgensis, ab Ottone Imperatore Magno constitutus, rexit Ecclesiam illam annis 13. Claruit anno Domini 960.

De Theodulpho Rhemensi Archiepiscopo.
CAP. CIIII.

THeodulphus Abbas Lobiensis, & postea Archiepiscopus Rhemensis, vir doctus & sanctus, cuius multæ narrantur virtutes: vt pastor omnino esset idoneus, curauit ouibus præesse in humili solicitudine, & prodesse in magna dilectione, vnde & sanctorum catalogo meruit coniungi.

De

De Iohanne Saltzburgensi Archiepiscopo.

CAP. CV.

IOannes monachus Wintschelensis in Anglia, discipulus S. Bonifacii, Archiepiscopus Saltzburgensis, & generaliter omnium circumiacentiũ prouinciarũ, authoritate Apostolica ordinatus, prædicans fidem Christi gentibus illis, multos ad vnitatem catholicæ Ecclesiæ congregauit. Fuit enim doctus vir & excellens. Claruit anno Domini 770.

De Odone Rothomagensi.

CAP. CVI.

ODo Abbas monasterii sancti martyris Dionysii Parisiensis & postea Rothomagensis Archiepiscopus, vir doctus & eruditus, & in disponendis Ecclesiæ negociis peridoneus, non minus religione quam dignitate venerabilis: apud eandem vtbem non pauca operum suorum monimenta ostendit.

De Hibatio Ruthenorum.

CAP. CVII.

HIbatius monachꝰ cœnobii S. Albani prope Moguntiam, (quod ab ordine nunc est auulsum) vir doctus & multum venerabilis, propter incomparabilem scientiam scripturarum Apostolica authoritate Ruthenorum Archiepiscopus ordinatus, sua prædicatione multos ad fidem Christi conuertit.

De Erckenbaldo Moguntinensi.

CAP. CVIII.

ERckenbaldus Abbas Fuldensis, & Mogũtinus Archiepiscopus octauusdecimus, succedens Vuillegiso viro reuerendissimo, rexit Ecclesiam Moguntinã satis religiose & pacifice annis nouem. Moritur anno Dom. 1020. Indictione 3.

De Thiedago Pragensi.

CAP. CIX.

THiedagus monachus Corbeiensis, & Pragensis secundus Archiepiscopus, vir exercitatæ facundiæ, & egregius declamator, sanctarum quoque scripturarum studiosus amator, qui multos prædicando & docendo ad veritatem reuocauit. Claruit circa annos Domini 1030.

De Alphano Sipontino.

CAP. CX.

ALphanus monachus Cassinensis, & postea Sipontinus Archiepiscopus, philosophus suo tempore percelebris, & rhetor insignis, atque in diuinis scripturis nobiliter doctus, quod multa eius præclara testantur opuscula. Sunt qui scribant, eum Salernitanum fuisse præsulem. Et non inficior.

De Lubentio Bremensi Archiepiscopo.

CAP. CXI.

LVbentius Abbas Hirsfeldensis, & Bremensis postmodum Archiepiscopus octauus, vir eruditus in diuinis scripturis, moribus quoque & vitæ conuersatione præcipuus, rexit Ecclesiam sibi commissam vigintiquinque annis. Claruit anno Domini 990.

De Ekardo Pragensi.

CAP. CXII.

EKardus Abbas Nouæciuitatis, & exinde Archiepiscopus Pragensis, vir nobilis secundum carnem, & in monasticis disciplinis ab infantia sua optime instructus, scientia quoque scripturarum sufficienter imbutus, sua doctrina & industria non modice profuit Ecclesiæ quam gubernauit.

De Elphego Cantuariensi.

CAP. CXIII.

ELphegus monachus & abbas in Anglia cœnobii quod Balneum dicitur, primo Vuintonensis Episcopus electus, à S. Dunstano Cantuariensi munus consecrationis accepit. Deinde successore eiusdem Dunstani defuncto, ei succedẽs, Archiepiscopus Cantuariensis factus est, anno Domini 1006. Indictione 4. qui tandem martyrio coronatus, ad cælos feliciter ascendit.

De Adelberto Ruthenorum.

CAP. CXIV.

ADelbertus monachus cœnobii S. Maximini iuxta mœnia vrbis Treuerensis, & postea Ruthenorum Archiepiscopus, vir doctus & declamator egregius, non minus religione quam scientia vene-

venerabilis, prædicans in Prussia & Hungaria, multos ad fidem Christi conuertit. Fuit enim honestate morum & eloquii suauitate præclarus. Vnde ad persuadendum vtilis admodum habebatur.

De Menfrido Magdeburgensi.

CAP. CXV.

MEnfridus monachus cœnobii sancti Burckardi Herbipolensis, Archiepiscopus sextus Magdeburgensis, vir doctus & strenuus, gubernauit Ecclesiam illam à B. Henrico Imperatore sibi commissam, annis 27. Claruit anno Domini 1010.

De Brunone Ruthenorum.

CAP. CXVI.

Vide Lignum vitæ lib. 3. 15. Octob

BRuno monachus cuiusdam cœnobii in Italia, cuius nomen non occurrit, propter scientiam scripturarum & morum honestatem, quibus nobiliter effulsit, Archiepiscopus Ruthenorum ordinatus est, & post multos labores à Prussis pro fide Christi martyrio coronatus, anno Domini 1008. Indictione 6.

De Bardone Moguntino.

CAP. CXVII.

BArdo monachus & Abbas Hirsfeldensis, Archiepiscopus Moguntinensis vicesimus, vir sanctissimæ conuersationis, multa bona in regimine suo Ecclesiæ fecit atque pauperibus. Rexit Ecclesiam Moguntinam decem & nouem annis, & in vicesimo moritur, anno Domini 1051. Indictione 4. quarto Idus Iunii.

De Abel Rhemensi Archiepiscopo.

CAP. CXVIII.

ABel monachus & Abbas Lobiensis cœnobii, & postea Rhemensis Archiepiscopus, vir in diuinis scripturis nobiliter doctus, ac morum honestate singulariter insignis, ad Ecclesiasticum regimen assumptus, tam solicite & sancte præfuit ouibus Christi, vt in sanctos referri meruerit.

De Lanfranco Cantuariensi.

CAP. CXIX.

LAnfrancus Prior & monachus Beccensis cœnobii in Nortmannia, deinds Abbas Cadonensis, postremo Archiepiscopus Cantuariensis, vir doctrina & sanctitate venerabilis, cuius iam dudum in superioribus fecimus mentionem, etiam in vita miraculis claruit. Huius discipulus fuit Anselmus, qui & in Priorato & Archiepiscopatu eidem successit. Claruit anno Domini 1070.

De Maurilio Archiepiscopo.

CAP. CXX.

MAurilius monachus Fiscanensis, & Rothomagensis Archiepiscopus post depositionem Malgerii, vir doctus & eruditus, multisque plenus virtutibus, de quo multa bona narrantur: amator charitatis & abstinentiæ præcipuus fuit. Claruit anno Domini 1060.

De Sigefrido Moguntino.

CAP. CXXI.

SIgefridus Abbas Fuldensis, & postea Moguntinus Archiepiscopus vicesimus secundus, vir deuotus & amator religionis, sanctum Domini sepulcrum cũ magno desiderio visitauit. De sancto Iacobo rediens, apud Cluniacum manere dispossuit, si non per obedientiam ad Ecclesiam suam redire fuisset coactus. Baculum Archiepiscopatus accepit in die Epiphaniæ Domini, anno 1060. Indictione 13.

De Anselmo Cantuariensi.

CAP. CXXII.

ANselmus monachus Beccensis, deinde Prior, post Abbas ibidem, tandem post Lanfrancum Archiepiscopus Cantuariensis, vir doctus in diuinis scripturis, & non minus sanctitate quam scientia clarus, ingenii & religionis suæ infinita monimenta reliquit: de quibus in secundo libro ex parte fecimus mentionem, Claruit anno Domini 1090.

De Diemone Saltzburgensi.

CAP. CXXIII.

DIemo Abbas Saltzburgensis, cum propter excommunicationem Hẽrici quarti, suam Abbatiam cogeretur deserere, venit ad monasterium Hirsaugiense in diœcesi Spirensi, vbi aliquantulum cum Wilhelmo Abbate viro religiosissimo latuit, donec tandem fluctibus turbationum aliquantulum sedatis, in Ecclesiæ Saltzburgensis Archiepisco-

pum consecratus est. Claruit anno Domini 1080. Decrepitus tandem Hierosolymam profectus, & à Saracenis captus, cum aliis plerisque occiditur.

De Malachia Ardinacensi.
CAP. CXXIV.

MAlachias monachus & Abbas Benchorensis cœnobii in Hybernia, deinde Episcopus vrbis Conereth, postremo Archiepiscopus Ardinacensis, ac primas totius Hyberniæ, vir doctrina & sanctitate præclarus, quod infinita eius miracula testantur. Moritur autem anno Domini 1148. Indictione 11. quarto Nonas Nouembris.

De Theobaldo Cantuariensi Archiepiscopo.
CAP. CXXV.

THeobaldus monachus Bectensis cœnobii, & deinde Archiepiscopus Cantuariensis, vir multum doctus & prouidus, industriæ suæ, quam erga Ecclesiastica negocia solebat exercere, multa fertur indicia reliquisse. Claruit circa annos Domini 1140.

De Matthia Moguntinensi.
CAP. CXXVI.

Vide Lignum vitæ l. 2. c. 26.

MAtthias de Buchsek, monachus quidem nostri ordinis, sed nomen cœnobii eius iam mihi non occurrit, Archiepiscopus Moguntinensis quadragesimus, vir sagax & nobilis, rexit Ecclesiam sibi commissam annis septem. Claruit circa annos Domini 1320.

De Baldeuuino Bremensi.
CAP. CXXVII.

BAlduuinus Abbas cœnobii sancti Michaelis Luneburgensis, & deinde quadragesimus primus Archiepiscopus Bremensis, vir nobilis & doctus, rexit Ecclesiam sibi commissam strenue annis sex, & mensibus quatuor. Claruit temporibus concilii Basileensis, anno Domini 1435.

De Nicolao Panormitano.
CAP. CXXVIII.

NIcolaus Abbas Monacensis cœnobii, natione Siculus, primo Archiepiscopus Panormitanus, & postea Cardinalis, doctor Decretorum, de quo in superioribus suis locis sufficienter sumus locuti, non minus religione & honestate morum, quam scientia venerabilis. Claruit in Concilio Basileensi anno Domini 1435.

De Episcopis, ex ordine sancti Benedicti assumpti.
CAP. CXXIX.

AArchiepiscoporum, qui de ordine nostro feruntur assumpti, Catalogũ terminantes, hoc lectorem volumus scire, pene restare innumerabiles nostræ religionis Archiepiscopos, quorum nullam fecimus mentionem, eo quod ad nostram notitiam minime sint perlati. Enimuero vt summam compendio tangam, feruntur nostri ordinis extitisse Archiepiscopi mille quingenti, sexaginta quatuor, præter eos, qui huic numero in centum & quinquaginta annis accesserunt. De quibus omnibus ad meam notitiam pauciſſimi peruenerunt: vnde & paucos consignaui. Si quis autem hunc nostrum Catalogum voluerit ampliare, historias veterum chronicasque reuoluat, & plures, quos adiiciat, inueniet. Ego Alemanus inter nostrates cõuersor, quibus & contentus sum, cum exteriorum omnes non possim scrutari Ecclesias. Sed maneant hæc. Nunc iam igitur, vt ordinem debitum obseruemus, post Metropolitanos etiam Episcopos, qui nobis ex Benedicti patris gremio ex multis occurrerunt pauci, rite consignemus.

De Leandro Hispalensi.
CAP. CXXX.

LEander monachus in Hispania, & postea Hispalensis Episcopus ante Isidorum, vir doctus & sanctus, qui multos Arrianorum ad fidem rectam cõuertit, etiam viuens effulsit miraculis. Hic est Leander Episcopus, qui Herminigildum, filium Leuigildi regis Gothorum, ab Arriana peste cõuertit, & vsq; ad martyrii cõstantiam dulciter roborauit. Nam B. Herminigildus in carcerem positus à patre Arriano, in ipsa nocte paschali ab eo martyr effectus, trãsiuit ad cœlos. Cuius frater Richardus mox vt regnũ post patrem accepit. instante Leandro, totã gentẽ Wesegothorũ sibi subiectam, ad fidem Catholicam cõuertit. Ad hunc Leandrum beatus Papa Gregorius librum

Iob

Iob moraliter expoſuit. Claruit anno Domini 580. relatus in ſanctos, vt ſupra dictum eſt.

De Vigore Baiocaſinenſi.

CAP. CXXXI.

VIgor monachus cœnobii S. Vedaſti, ex prouincia Attrebatenſi oriundus, & poſtea Epiſcopus Baiocenſis, vir ſanctiſſimæ conuerſationis, multis fertur claruiſſe miraculis: qui ſanctus fuit pronunciatus ab angelo, priuſquam naſceretur in mundo. Claruit temporibus S. Benedicti patris noſtri, circa annos Domini 550.

De Herculano Peruſino.

CAP. LXXXII.

HErculanus ex monacho Epiſcopus Peruſinus, vir valde venerabilis, & eximiæ ſanctitatis, poſt multa bonorum operum exercitia, à Totila perfido rege diris laceratus tormentis, ad cœlos martyrio coronatus aſcendit anno Domini 561. Indictione 9. Cuius mentionem B. Gregorius in dialogo facit.

De Maclouio Epiſcopo.

CAP. CXXXIII.

MAclouius, qui & Machutes, ex monachus Epiſcopus in Hybernia, vir magnæ doctrinæ & ſanctitatis, multis virtutibus & ſignis clarus effulſit, ſuaque prædicatione ad Chriſtum multum populum congregauit. Fuit autem diſcipulus S. Brendani, de quo multa miracula narrantur. Claruit anno Domini 570.

De Paulo Leonenſi Epiſcopo.

CAP. CXXXIV.

PAulus monachus & diſcipulus beati Eltuti in Britannia tranſmarina, ſancti Archipræſulis Samſonis conſodalis, & poſtea Leonenſis Epiſcopus, vir ſanctus & multorum miraculorum patrator inſignis: qui cuius conuerſationis fuerit, lecta hiſtoria vitæ eius oſtendit. Claruit anno Domini 600.

De Amando Epiſcopo Leodienſi.

CAP. CXXXV.

AMandus monachus & Abbas Elnonenſis cœnobii, & poſtea Epiſcopus Leodienſis, vir ſanctiſſimæ vitæ & excellētis doctrinæ, qui ſua prædicatione dulciſſima multos conuertit ad Chriſtum, conſtruens eccleſias & monaſteria, maxime in territorio Flandrenſi, vbi multis virtutibus & ſignis coruſcauit. Claruit anno Domini 640.

De Aidano Lindesfarnenſi.

CAP. CXXXVII.

AIdanus monachus cœnobii Huenſis in Hybernia, quod ſanctus Columbanus olim conſtruxerat, & poſtea Epiſcopus Lindesfarnenſis, vir doctus & religioſus, & excellens prædicator, multos ad veram fidem conuertit Chriſtianam. Quando hic Aidanus prædicabat in Anglia, rex Oſwaldus, martyr ſanctiſſimus, interpretis fungebatur officio, eo quod ipſe in Anglica lingua non eſt adeo perfecte inſtructus. Moritur eodem anno, quo beatus rex Oſuualdus fuerat occiſus, Domini videlicet 642. Epiſcopatus ſui 17. Indictione 15.

De Vualberto Meldenſi.

CAP. CXXXVII.

VValbertus Abbas Luxouienſis poſt ſanctum Euſtaſium, ac deinde Epiſcopus Meldenſis 19. poſt Gandoaldum, frater beati Pharonis, qui etiam in Epiſcopatu ei ſucceſſit, vir doctus & ſanctus, infinitis miraculis coruſcauit. Claruit anno Domini 630.

De Gandoaldo Meldenſi.

CAP. CXXXVII.

GAndoaldus monachus Luxouienſis, & diſcipulus beati Columbani, vir ſanctus & multis virtutibus clarus, Meldenſis Eccleſiæ octauusdecimus Epiſcopus conſecratus, tam verbo quam exemplo multos ad Chriſtum conuertit. Huic in Epiſcopatu ſucceſſit Vualbertus frater ſuus, qui ſequitur. Claruit anno Domini 630.

De Pharone Meldenſi.

CAP. CXXXIX.

PHaro monachus & diſcipulus Euſtaſii Abbatis Luxouienſis, & poſt fratrē ſuum Vualbertum viceſimus Epiſcopus Meldenſis, vir ſanctus & Deo dilectus, infinitis miraculis effulſit. Pulchra ordinatio diuina. Tres fratres non ſolum Epiſcopi, ſed etiam vnius Eccleſiæ Epiſcopi fuerunt. Gandoaldus primo, poſtea

Walbertus, deinde Pharo. Hi tres beatissimi fratres vnicam sororem habuerunt nomine Pharam, quæ fuit Abbatissa Brigensis cœnobii, & magna sanctitate emicuit. Claruerunt simul circa annos Domini 630.

De Birino Dorciensi Episcopo.

CAP. CXL.

BIrinus monachus in vrbe Roma propter excellentiam doctrinæ & sanctitatis, ab Honorio Papa Episcopus ordinatus, mittitur in Britanniam: vbi regẽ cum magna populi multitudine ad fidem Christi conuertit, quem sanctus Osuualdus rex Nordanymbrorum de sacro fonte leuauit. Qui duo reges eidem Birino ciuitatem, quæ vocatur Dorcic, donauerunt, ad faciendam in ibi sedem Episcopalem. Claruit anno Domini 640.

De Hildemico Meldensi.

CAP. CXLI.

HIldemicus monachus Luxouiensis, & discipulus beati Pharonis, vir magnæ doctrinæ & eximiæ sanctitatis, quod multa probant miracula ab eo patrata: post mortem sui præceptoris, in locum Meldensium Episcopus meruit consecrari. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 670.

De Egilberto Dorcicensi.

CAP. CXLII.

EGilbertus monachus in Gallia, & postea Episcopus in Britannia in ciuitate Dorciensi, indeque recedens, in Galliam reuersus est: & in Parisiensi Ecclesia Episcopus constitutus, non minus religione, quam scientia, clarus effulsit. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 670.

De Comano Episcopo Rosensi.

CAP. CXLIII.

COmanus monachus S. Papæ Gregorii in vrbe Roma, & deinde missus in Angliam, post Iustum, ad Archiepiscopatum Doruernensem assumptum, Episcopus Rosensis Ecclesiæ ordinatus, magna doctrina & religione populum suum gubernauit. Claruit anno Domini 630.

De Vimone Ventano.

CAP. XLIV.

VImo monachus in Britannia transmarina, & deinde Episcopus Ventanus, vir doctus & prædicator insignis, pulsus à rege de sede sua, quam illi dederat, venit in Angliam: & à rege Wolffhero Londonensis Episcopus constitutus, ibidem in pace quieuit. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 670.

De Eleutherio Parisiensi.

CAP. CXLV.

ELeutherius monachus Parisiensis in Francia, & postea missus in Britanniam, post expulsionem Vimonis Episcopus Ventanus, à Theodoro Cantuariensis Ecclesiæ Archipræsule consecratus, multis virtutibus clarus effulsit. Claruit anno Domini 680.

De Ithamar Episcopo Rosensi.

CAP. CXLVI.

IThamar monachus in Anglia, cuius cœnobium iam mihi nõ occurrit, post mortem sancti Paulini, qui ab Archiepiscopatu Eboracensi pulsus, ad Rosensem Ecclesiam redierat, Episcopus eiusdem vrbis ab Honorio Archiepiscopo Doruernensi consecratus est anno Domini 644. Indictione secunda.

De Colacho Episcopo.

CAP. CXLVII.

COlachus monachus Huensis cœnobii in Hybernia, & postea Episcopus mediterraneorum Anglorum & Merciorum, vir in diuinis & secularibus scripturis nobiliter doctus, non paucam Domino plebem sua prædicatione acquisiuit. Sed amore solitudinis Episcopatum deserens, reuersus est ad insulam Hu, vbi prius monachus fuerat. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 660.

De Trumhero Episcopo.

CAP. CXLVIII.

TRumherus monachus in Scotia, natione Anglicus, deinde post resignationem Colachi in eius locum Episcopus mediterraneorum Anglorum, Merciorumque ordinatus, multa religione & sanctitate in plebe sibi commissa effulsit. Claruit anno Domini 670.

De Remaclo Leodiensi Episcopo.

CAP. CXLIX.

Rema-

REmaclus Abbas Stabulensis, & Leodiensis postmodum Episcopus, vir doctus & sanctus, qui multis virtutibus clarus enituit, plebem Domino non modicam sancta prædicatione sua acquisiuit: ecclesias & cœnobia constructens, diuinum cultum ampliauit. Ordinatus autem est in Episcopum anno Dominicæ natiuitatis 646. Indictione 4.

De Cedda Lindesfarnensi.

CAP. CL.

CEdda monachus in Anglia, frater S. Ceaddæ Archiepiscopi Eboracensis, Ecclesiæ Lindesfarnensis Episcopus, vir sanctæ vitæ & incomparabilis doctrinæ, tam verbo quam exemplo multos ab idolorum cultura ad fidem Christi conuertit. Claruit anno Domini 670.

De Laromanno Merciorum.

CAP. CLI.

LAromannus monachus insulæ Lindesfarnensis, & post Trumherũ Merciorum Episcopus, vir doctus & eruditus in diuinis scripturis, prædicatione & laudabili vita se dignum præbens pontificẽ, non paucos ouili Saluatoris homines coniunxit. Claruit anno Domini 680.

De Sinano Lindesfarnensi.

CAP. CLII.

SInanus monachus Huensis, beati Edani quondam discipulus discipulus, & post eum Lindesfarnensis Ecclesiæ Episcopus, vir non minus religione quam scientia scripturarum præclarus. Ordinatus est anno Dom. 642. Indictioue 15.

De Colomanno Episcopo.

CAP. CLIII.

COlomannus monachus Huensis, natione Scotus, & post Sinanum Episcopus Nordanymbrorum, vir quidem * doctus & morum honestate insignis, sed in obseruatione Paschali suo tempore more Scotorum reprehensibilis. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 664. Et eodem anno Indictione 7. deserens Episcopatum, ad monasterium suum reuersus est.

De Theodardo Leodiensi.

CAP. CLIIII.

THeodardus monachus Stabulensis, & Episcopus Leodiensis, vir sanctissimæ conuersationis, post multos labores, quos in regimine Ecclesiastico sustinuit, beato martyrio coronatus, ad cælos auolauit quarto Iduum Septembris, anno Domini 658. Indictione 1.

De Tuda Nordanymbrorum.

CAP. CLV.

TVda monachus in Scotia, post Colomannum Episcopus Nordanymbrorum consecratus, multas Christo animas etiã ante pontificatũ sua prædicatione acquisiuit. Fuit enim vir bonus & religiosus, sed modico tempore rexit Ecclesiam. Claruit anno Domini 660.

De Ediluuino Episcopo.

CAP. CLVI.

EDilwinus monachus Huensis in Hybernia, natione Anglicus, vir nobilis, doctus & deuotus, propter ingentem doctrinam & religionem in Lindissensi prouincia ordinatus Episcopus, magna solicitudine Ecclesiam multo tempore gubernauit, & Christo populum non modicum acquisiuit. Claruit anno Domini 670.

De Vuinfrido Episcopo.

CAP. CLVII.

VVinfridus monachus Barnensis, Episcopus Merciorum, vir doctus & religiosus: cum Episcopatum aliquot annis strenue gubernasset, à Theodoro Cantuarienſi Archiepiscopo, propter demeritum cuiusdam inobedientiæ, depositus, ad monasterium suum reuersus, de reliquo in pace conuersatus est. Claruit anno Domini 680.

De Sexulfo Merciorum.

CAP. CLVIII.

SExulfus monachus & Abbas Medeshamstedensis in regione Giruiorum, postea, in locum Vuinfridi supradicti Merciorum Episcopus à Theodoro cõsecratus, tam vita quam doctrina, commissam sibi Ecclesiam strenue gubernauit. Claruit anno Domini 680.

De Ioanne Gerundensi.

CAP. CLIX.

IOannes monachus Wesegothus natione, & postea Gerundensis Episcopus, vir sanctus atque doctissimus, pro

fide catholica multis ab Arrianis aduersitatibus clarior effulsit. De cuius doctrina & sanctitate in secundo libro fecimus mentionem. Claruit anno Domini 610.

De Andomaro Taruanensi.

CAP. CLX.

ANdomarus monachus Luxouiensis, discipulus sancti Eustasii Abbatis, patria Constantiensis, Episcopus Taruanensis Ecclesiæ, quam 30. annis strenue gubernauit, magna sanctitate effulsit. Claruit anno Domini 660.

De Mummolino Nouiomense.

CAP. CLXI.

MVmmolinus monachus Luxouiensis, & beati Andomari discipulus, ac deinde post Archarium Nouiomensis Episcopus, vir magnæ doctrinæ & sanctitatis, multos sua prædicatione ad Christum conuertit. Claruit anno Domini 680.

De Lamperto Episcopo Leodiensi.

CAP. CLXII.

LAmpertus monachus Stabulensis, filius Apri comitis, & post Theodardũ martyrem Episcopus Leodiensis, vir sanctissimæ vitæ, qui & ipse post multa bonorum operum studia martyrio coronatus ad cœlos feliciter peruenit. Claruit anno Domini 670.

De Ercumualdo Londoniensi Episcopo.

CAP. CLXIII.

ERcumualdus monachus & Abbas Cerotheseensis in Anglia, frater beatæ virginis Christi Edilburgæ, & postea Londoniensis Episcopus, vir sanctissimæ conuersationis, & multis coruscans miraculis. De quibus venerabilis Beda ex parte facit mentionem. Claruit anno Domini 680.

De Heddi Episcopo Saxonum.

CAP. CLXIV.

HEddi monachus in Anglia, post Eleutherium quintus Episcopus Occidentalium Saxonum in ciuitate Venta consecratus à Theodoro Cantuariensi Archiepiscopo, commissam sibi Ecclesiam verbo & exemplo strenue gubernauit. Fuit enim vir morum honestate insignis, & non minus scientia scripturarum, quam religione venerabilis. Claruit anno Domini 680.

De Vualdhero Londoniensi.

CAP. CLXV.

VValdherus monach⁹ in Anglia, post Ercumuualdum Episcopus Londoniensis, vir multarum virtutum, in diuinis scripturis nobiliter eruditus, verbiq; Dei prædicator egregius. Claruit anno Domini 690.

De Cæsario Episcopo Arelatensi.

CAP. CLXVI.

CÆsarius monachus Lirinensis cœnobii, & postea Episcopus Arelatensis, vir in scripturis sanctis doctissimus, & prædicator insignis, de quo in superioribus dudum fecimus mentionem, non minus sanctitate & religione, quàm scientia clarus enituit. Claruit anno Domini 690.

De Trumuuino Episcopo Pictorum.

CAP. CLXVII.

TRumuuinus monachus Streneshalcensis, & Episcopus Pictorum, vir doctrina & sanctitate multum venerabilis: post multos labores Episcopatum deserens, ad dilectam sibi vitam monasticam est reuersus, vbi non sibi solum, sed & multis tam verbo præfuit, quam exemplo. Claruit anno Domini 680.

De Cutberto Lindesfarnensi.

CAP. CLXVIII.

CVtbertus monachus Mailrosensis, & Episcopus Lindesfarnensis, vir doctus & sanctus, qui vitam solitariam multis annis in magna corporis & mentis continentia ducens, multis virtutibus enituit & signis. Claruit anno Dom. 690.

De Eata Haguſtaldensi.

CAP. CLXIX.

EAta Abbas Mailrosensis, sub quo Cutbertus monachus factus est, & postea Episcopus Haguſtaldensis siue Lindesfarnensis ante Ioannem, vir omniũ simplicissimus ac mansuetissimus, Ecclesiã vita & doctrina nihilominus strenue gubernauit. Claruit anno Domini 670.

De

De Ioanne Haguſtaldenſi Epiſcopo.
CAP. CLXX.

IOannes monachus Streneshalcenſis, poſt Eatam Epiſcopus Haguſtaldēſis, vir omnium opinione magnificus, doctrinæ & ſanctitatis eminentia præclarus, qui infinitis, adhuc viuens in carne, fertur claruiſſe miraculis. Moritur anno Domini 721. Epiſcopatus ſui, 33. Indictione 4.

De Tobia Epiſcopo Roſenſi.
CAP. CLXXI.

TObias monachus cœnobii ſanctorū Petri & Pauli in Anglia, Epiſcopus Roſenſis, vir Latina, Græca, & Saxonica lingua, atq; eruditione multiplici inſtructus, & non minus religione, quam ſcientia literarum venerandus. Claruit anno Domini 700.

De Kiliano Epiſcopo Herbipolenſi.
CAP. CLXXII.

KIlianus monachus Huenſis in Hybernia, & Epiſcopus Herbipolenſis in Franconia, vir doctus & ſanctus, prædicatorq; verbi Dei eximius, veniens de Scotia in Germaniam, poſtquam multos ſua prædicatione conuertiſſet ad fidem, martyrio rubricatus, aſcendit ad cælum. Claruit anno Domini 680.

De Leodegario Auguſtodunenſi.
CAP. CLXXIII.

LEodegarius monachus & Abbas ſancti Maxentii Pictauienſis, Epiſcopus Auguſtodunenſis, vir ſanctus & Deo dilectus, poſtquam multos verbo & exemplo ad ſemitas vitæ melioris conuertit, ab impio Ebroino multis tormētis affectus, felici martyrio ad regna cælorum peruenit. Claruit anno Domini 680,

De Vrſmaro Epiſcopo Lobienſi.
CAP. CLXXIV.

VRſmarus Abbas Lobienſis, & conſequenter Epiſcopus ibidem, vir magnæ ſanctitatis, doctus & eruditus in lege diuina, qui ſua prædicatione plebem nō paucam Domino acquiſiuit: infinitis miraculis coruſcauit. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 700,

De Adelmo Epiſcopo Saxonum.
CAP. CLXXV.

ADelmus Abbas cœnobii quod Maildubi vrbem appellant, Epiſcopus Occidentalium Saxonum in locum Heddi ordinatus, rexit Eccleſiam annis duntaxat quatuor: vir doctiſſimus, & non minus ſanctitate, quam ſcientia venerabilis, de quo in ſuperioribus iam fecimus mentionem. Claruit anno Domini 700.

De Plechtelmo Candidæ Caſæ.
CAP. CLXXVI.

PLechtelmus monachus Maildubiurbenſis, Epiſcopus Candidæ Caſæ, vir doctus, & cum beato Adelmo in monaſtica diſciplina multo tempore conuerſatus, ſanctitatis ſuæ monimenta non contemnenda reliquit. Claruit anno Domini 700.

De Edbrechto Epiſcopo.
CAP. CLXXVII.

EDbrechtus Abbas Seleſſenenſis, primus Epiſcopus Auſtralium Saxonum, qui hucuſq; Ventano ſuberant pontifici, vir doctus in lege diuina, & non minus religione, quam dignitate pontificali ſublimis, qui tum prædicando, tum bene viuendo, paſtor in Eccleſia vtilis fuit. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 700.

De Cymberto Vectiorum.
CAP. CLXXVIII.

CYmbertus monachus Rietfordenſis, id eſt, vadi arundinis, Epiſcopus inſulæ Vectæ, vir in Eccleſiaſticis & monaſticis diſciplinis nobiliter inſtructus, doctrina & religione præclarus effulſit. Claruit anno Domini 730.

De Edilvvaldo Lindesfarnenſi.
CAP. CLXIX.

EDilwaldus Abbas Mailroſenſis cœnobii in Anglia, Epiſcopus Lindesfarnenſis in prouincia Nordanimbrorum, vir doctus in ſcripturis diuinis, & egregius prædicator, non modicum in Eccleſia Dei fructum legitur attuliſſe. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 740.

De Herwino Episcopo Lobiensi.

CAP. CLXXX.

HErwinus Abbas Lobiensis, & deinde ibidem Episcopus, vir doctus & sanctus, qui multis virtutibus & signis clarus effulsit, plebem non modicam sua prædicatione ad fidem catholicam asciuit. Claruit anno Domini 720.

De Albino Episcopo Andegauensi.

CAP. CLXXXI.

ALbinus monachus Timlacensis, episcopus Andegauensis, Veneticæ regionis indigena in confinibus Oceani Britânici, vir sanctissimæ conuersationis, qui pontificatum viginti annis administrans, magnis virtutibus plenus effulsit, intantum meritis clarus, vt sanctorum catalogo sit insertus. Claruit anno Domini 720.

De Svvicberto Verdensi.

CAP. CLXXXII.

SWicbertus monachus Ripensis in Anglia, Socius sancti Willebrordi, & primus Episcopus Verdensis, veniens de Britannia in Germaniam, sua prædicatione in numeros ad Christi fidem populos conuertit. Claruit anno Domini 720.

De Adelario Erfordensi.

CAP. CLXXXIII.

ADelarius monachus in Anglia, socius itineris & laboris beati Bonifacii Moguntini Archipræsulis, Episcopus Erfordensis in Thuringia primus & vltimus, vir sanctus & Christianæ fidei propagator magnificus, posteaquam ad fidem Catholicam sua prædicatione perduxit innumeros, martyrio coronatus, cælos penetrauit. Claruit anno Domini 740.

De Burckardo Herbipolensi.

CAP. CLXXXIV.

BVRckardus monachus cuiusdam cœnobii in Anglia, socius & comes peregrinationis sancti Bonifacii martyris, & ab eo Herbipolensis Episcopus cõsecratus, sedit annis nouem: vir sanctissimæ conuersationis, qui multis virtutibus & signis clarus effulsit. Moritur autem anno Domini 759 Indictione 12.

De VVillebaldo Eistetensi Episcopo.

CAP. CLXXXV.

VVillebaldus monachus Cassinensis, frater S. Walburgis, Abbatissæ Heidenhemensis in diœcesi Eistetensi, natione Anglicus, à B. Bonifacio Moguntino primus Episcopus Eistetensis consecratus iussu summi pontificis Zachariæ, magna sanctitate clarus effulsit. Claruit anno Domini 740.

De Eucherio Episcopo Aurelianensi.

CAP. CLXXXVI.

EVcherius monachus cœnobii S. Trudonis in diœcesi Leodiensi, & Episcopus Aurelianensis, vir doctus & excellentis ingenii: postquam Episcopatum aliquot annis glorioſe rexit, iniuria pulsus, ad monasterium S. Trudonis rediit, & vitam in sancta religione consummauit. Claruit anno Domini 760.

De Lutgero Monasterienſi.

CAP. CLXXXVII.

LVtgerus monachus Beneuentanus, & postea primus Episcopus Monasterienſis sub Colonienſi Archiepiſcopo, vir sanctissimæ conuersationis, multis tam in vita, quam post mortem miraculis coruscauit, diuino oraculo sanctus pronunciatus legitur, existens adhuc in vtero matris suæ. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 780.

De Gregorio Traiectensi.

CAP. CLXXXVIII.

GRegorius monachus & Abbas Traiectensis inferioris, & postea Episcopus ibidem, vir doctus & sanctus, sua prædicatione plebem non modicam ad fidem Christi conuertit. Vnde & in sanctos relatus est, sicut in alio loco plenius digessimus. Claruit circa annos Domini 770.

De Taffrido Episcopo Vectiorum.

CAP. CLXXXIX.

TAffridus monachus Streneshalcensis in Anglia, & Episcopus Vectiorum sub Archiepiſcopo Cantuarienſi, vir tam in diuinis scripturis, quam in secularibus

studiis

eruditissimus, prædicator quoq; insignis, & non minus religione, quam scientia venerandus, Ecclesiam glorioſe non modico tempore gubernauit. Claruit circa annos Domini 770.

De Albuino Episcopo Fristarienſi.

CAP. CXC.

ALbuinus monachus Huensis insulæ, egressus de Hybernia prædicationis causa venit in Thuringiam, vbi cum sua prædicatione dulcissima multos ad Christum conuertisset gentilium, à summo pontifice Frislariensis Episcopus ordinatus est, vbi multis virtutibus & signis clarus effulsit. Episcopatus autem illius gentis dudum cessauit.

De Pirminio Episcopo Meldenſi.

CAP. CXCI.

PIrminius Abbas in Germaniæ finibus, deinde Episcopus Meldensis, vir nobilis & doctus, non minus sanctitate quam scientia commissam sibi Ecclesiam glorioſe gubernans, post multa perpetrata miracula, sanctorum associandus collegio, feliciter ascendit in cælum 3. Nonas Nouemb.

De VVilligiſo Episcopo Lobienſi.

CAP. CXCII.

VVillegisus monachus & Abbas Lobiensis cœnobii, & postea eiusdem vrbis Episcopus, vir excellentis ingenii, & magnæ eruditionis, sanctitatis suæ plura monimenta reliquit, tam in cœnobio, quam in pontificatu. Vnde & in sanctos relatus est.

De Freculfo Episcopo Lexouienſi.

CAP. CXCIII.

FReculfus monachus Fuldensis, & postea Episcopus Lexouiensis, sub Rothomagensi, ad quem Rabanus, tunc Abbas Fuldensis, quatuor libros in Geneſim scripsit, vir studioſus & doctus, qui & ipse nonnulla compoſuit opuſcula, tam scientia quam religione morum, vt bonus pastor, animas subditorum sibi direxit ad Christum. Claruit anno Domini octingẽtesimo 30.

De Tiagrino Halberſtatenſi.

CAP. CXCIV.

TIagrinus Abbas, cuius monasterium scriptor temporum non exponit, Episcopus Halberstatensis secundus, rexit Ecclesiam sibi commissam strenue quatuordecim annis, non sine opinione sanctitatis. Moritur anno Domini 821. Indictione autem 14.

De Haymone Halberſtatenſi.

CAP. CXCV.

HAymo monachus Herisfeldensis, & tertius Abbas ibidem, ac deinde in locum Tiagrini tertius Episcopus Halberstatensis consecratus, rexit eandem Ecclesiam strenue 13. annis, & fuit excellentissimus prædicator: vnde & multas homilias ad populum habuit, quæ adhuc habentur. Huius etiam in præcedentib. fecimus mentionem. Moritur anno Domini 834. Indictione 12. Sepultus in maiori ecclesia S. Stephani ibidem.

De Altfrido Hildeshemenſi.

CAP. CXCVI.

ALtfridus monachus Corbeiẽsis cœnobii in Saxonia, quartus Episcopus Hildeshemensis, vir doctus & sanctus, sedit in pontificatu 20. annis. Constructit etiam Episcopalem ecclesiam magnifice, in qua etiam magna sanctitate celebris iacet sepultus. Moritur autem anno Domini 875. Indict. 8.

De Theodulpho Episcopo.

CAP. CXCVII.

THeodulphus Abbas Floriacẽsis cœnobii, deinde Aurelianensis Episcopus, vir non minus religione quam scientia venerandus, de quo in secundo libro fecimus mentionem. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 840.

De Remigio Antiſiodorenſi.

CAP. CXCVIII.

REmigius monachus Altisiodorensis, & postea ibidem Episcopus, vir in exponendis scripturis sanctis nulli suo tempore secundus, quod multa, quæ scripsit, volumina testantur. Huius ingenii iamdudum fecimus mentionem. Hic fuit præceptor Odonis, Abbatis postmodum Cluniacensis. Claruit anno Dom. 880.

De Vualberto Hildeshemenſi.

CAP. CXCIX.

VValbertus monachus Corbeiensis in Saxonia, septimus Episcopus Hildeshemensis, vir doctus & strenuus, rexit Ec-

xit Eccleſiam ſibi commiſſam breui tempore morte præuentus. Claruit circa annos Domini 870.

De Diethardo Hildeshemenſi.

CAP. CC.

DIethardus Abbas Hirſsfeldenſis, & nonus Epiſcopus Hildeshemenſis, vir ſtrenuus & amator diſciplinæ regularis, multa ad Eccleſiæ ſuæ honorem legitur perfeciſſe. Sumpſit autem Epiſcopatum dictæ vrbis, anno Domini 926. Indictione 14.

De Paulo Epiſcopo Virdunenſi.

CAP. CCI.

PAulus monachus Doleienſis in diœceſi Treuerenſi, Epiſcopus Virdunenſis, vir doctus & ſanctus, multis fertur claruiſſe miraculis. Hic primo eremiticam duxerat vitam cum multis aliis ſuper montem Cebennam in oppoſito vrbis Treuerorum, qui ex eius nomine, mons Pauli modo appellatur, (ſed vulgus nominat eũ Buliſsberg) qui tandem ſub Dagoberto ad Doleiam migrauit, & ibi aliquantulum manſit, donec poſtea Eccleſiæ Virdunenſis curam ſuſcipiens, ibidem in pace quieuit. Claruit temporibus Dagoberti regis, anno Domini 720.

De Alberico Traiectenſi.

CAP. CCII.

ALbericus Abbas Traiectenſis, & eiuſdem vrbis poſtmodum Epiſcopus, vir magnę ſanctitatis & meriti, qui multis fertur claruiſſe virtutibus & ſignis, non minus religione, quam doctrina, commiſſam Eccleſiam vtiliter & prouide gubernauit. Et in ſanctos relatus eſt.

De Amuluuino Epiſcopo Lobienſi.

CAP. CCIII.

AMulwinus Abbas Lobienſis cœnobii, & deinde Epiſcopus eiuſdem vrbis, vir doctus & nobilis, qui non minus ſanctitate, quam ſcientia ſcripturarum, gregem ſibi commiſſum ſolicite paſcebat: propter crebra miracula, bonorum operum teſtimonia, ſanctorum catalogo inſertus eſt.

De Ratherio Epiſcopo Veronenſi.

CAP. CCIV.

RAtherius monachus Lobienſis, Epiſcopus Veronenſis, inde pulſus, Leodienſis Epiſcopus conſtituitur. vnde rurſus pulſus, multa de calamitate ſua opuſcula ſcripſit, de quibus ſecundo libro dudum fecimus mentionem. Fuit doctus, licet à mundi ſapientibus ſimplex putaretur. Moritur apud Lobias anno Domini 974. Indict. 2.

De Adelboldo Epiſcopo Vuintonienſi.

CAP. CCV.

ADelboldus monachus Glaſcouienſis, diſcipulus ſancti Dunſtani, deinde abbas Abbendonienſis, & poſtremo Epiſcopus Wintonienſis, vir moribus & ſcientia tanto honore dignus, in gubernanda familia Domini ſingulariter idoneus fuit. Claruit anno Domini nongenteſimo 70.

De Adelberto Pragenſi Epiſcopo.

CAP. CCVI.

ADelbertus monachus ſancti Bonifacii Romæ, & deinde Epiſcopus Pragenſis, ante Archiepiſcopatum vir doctus & ſanctus, & fidei catholicæ propagator eximius, poſt multos labores à Pruſſis martyrio coronatus, anno Domini 995. Indict. 8.

De OthVvino Hildeshemenſi.

CAP. CCVII.

OThwinus Abbas cœnobii ſancti Ioannis Medburgenſis, decimus Epiſcopus Hildeshemenſis, vir doctus & religioſus, rexit Eccleſiam ſibi commiſſam ſtrenue 29. annis. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 970.

De Oſdacho Hildeshemenſi.

CAP. CCVIII.

OSdachus monachus Augienſis cœnobii, poſt Othvvinum Epiſcopus Hildeshemenſis vndecimus ordinatus, rexit Eccleſiam illam annis vigintiquinque, vir non minus religione, quam eminentia dignitatis glorioſus, qui multa bona in Epiſcopatu ſuo Hildeshemenſi Eccleſiæ

cleſiæ dicitur feciſſe. Claruit anno Domicæ natiuitatis 985.

De Tendefrido Albianenſi.

CAP. CCIX.

TEndefridus monachus Luxouienſis, deinde abbas Corbeienſis in Francia, poſtea Epiſcopus Albianẽſis, vir doctus & religioſus, ingenii ſui monimenta non pauca reliquit, qui non minus moribus, quam genere, clariſſimus fuit.

De Odone Beluacenſi.

CAP. CCX.

ODo abbas Corbeienſis, & poſtea Epiſcopus Beluacenſis in Francia, vir vndecunq; doctiſſimus, & non minus religione, quam ſcientia venerabilis, etiam in legationibus tam Apoſtolicis, quam regalibus, glorioſus adparuit. Claruit anno Domini 870.

De Ambroſio Terracinenſi.

CAP. CCXI.

AMbroſius monachus Caſſinenſis monaſterii, & exinde Epiſcopus Terracinenſis in Compania, vir doctiſſimus & prædicator excellens, tam verbo quã exemplo multorum animos ab iniquitate auertit. denique induſtriæ ſuæ monimenta clariſſima dedit, quæ ibidem ſunt nota.

De Oſtphoro Epiſcopo Vectiorum.

CAP. CCXII.

OStphorus monachus Streneshalcẽſis in Anglia, deinde Epiſcopus Vectiorum ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi, vir doctus & declamator egregius, non modicam Chriſto plebem ſua prædicatione dulciſſima acquiſiuit. Huius viri ſingulare meritum prædicatur.

De Boſone Merſburgenſi.

CAP. CCXIII.

BOſo monachus cœnobii S. Emerami Ratiſponenſis, & Merſburgẽſis poſtmodum Epiſcopus, vir nobilis & doct⁹, & non minus honeſtate morum, quam eruditione ſcripturarum venerandus, induſtriæ ſuæ & ſcientiæ nonnulla monimenta dedit.

De Ogone Epiſcopo Leodienſi.

CAP. CCXIV.

OGo Abbas monaſterii S. Maximini iuxta mœnia vrbis Treuerenſis, & poſtea Epiſcopus Eccleſiæ Leodienſis, vir ſecundum ſeculi dignitatẽ nobilis & ſagax, qui in agendis & procurandis Eccleſiaſticis negociis non mediocriter excelluit, quippe quem & ingeniũ naturale iuuit, & bona voluntas minime deſeruit, vt patet in ſcienti.

De Pnothone Epiſcopo. Paderbornenſi

CAP. CCXV.

PNotho abbas Hirſfeldenſis cœnobii in diœceſi Moguntina, & exinde Paderbornenſis Epiſcopus vndecimus, qui qualis quantusq; fuerit, legant & ſciant, qui poſſunt de eo inuenire ſcripturam, quia ſucceſſionis hiſtoriæ huius Eccleſiç ad me non venerunt.

De Notgero Epiſcopo Leodienſi.

CAP. CCXVI.

NOrgerus monachus S. Galli, natione Teutonicus, Epiſcopus Leodienſis vir in diuinis ſcripturis ſuo tempore omnium opinione doctus, quod multa eius præclara teſtantur opuſcula, de quib. in ſecundo volumine iam ex parte fecimus mentionem. Claruit ſub Ottone imperatore primo, anno Domini 950.

De Gothardo Hildeshemenſi.

CAP. CCXVII.

GOthardus abbas Altahenſis, Epiſcopus Hildeshemenſis quartusdecimus, vir ſanctiſſimæ conuerſationis, rexit Eccleſiam ſibi commiſſam ſtrenue 16. annis. Conſtruxit monaſterium iuxta ciuitatem Hildeshemenſem in honorem ſancti Bartholomæi Apoſtoli: in quo ipſe iacet ſepultus, nomen ex ſuo præbens cœnobio. Claruit anno Domini 1020.

De Brandago Halberſtatenſi.

CAP. CCXVIII.

BRandagus abbas Fuldenſis, & decimus Epiſcopus Halberſtatenſis, vir nobilis & doctus, rexit Eccleſiam ſibi commiſſam ſtrenue annis quatuordecim. Promotus autem fuit in Epiſcopum à beato Henrico Bambergenſi imperatore. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 1030.

De

De Adelboldo Traiectensi.

CAP. CCXIX.

ADelboldus monachus Lobiensis, & Episcopus Traiectensis inferioris, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & in secularibus literis valde peritus, quod multa, quæ scripsit, testantur opuscula, de quibus in secundo libro ex parte fecimus mentionem. Hunc beatus Henricus imperator singulariter dilexit propter doctrinam omnimodam & vitæ sanctitatē. Claruit eiusdem Henrici temporibus, anno Domini 1020.

De Gailbaldo Ratisponensi.

CAP. CCXX.

GAilbaldus monachus & discipulus S. Bonifacii martyris Moguntini, & Ratisponensis primus Episcopus, doctor & prædicator insignis, tam honestate morum, quam scientia scripturarum præclarus, ad Christum multos sua prædicatione conuertit. Claruit anno Domini 780.

De Hereberto Frisingensi.

CAP. CCXXI.

HErebertus monachus & discipulus eiusdem S. Bonifacii martyris, ad prædicandum gentibus missus, & Frisingensis Episcopus ordinatus, plebem non modicam catholicæ fidei coniunxit. Claruit anno Domini 780.

De Vdalrico Augustensi.

CAP. CCXXII.

VDalricus monachus cœnobii sancti Galli, & ibidem à pueritia nutritus, Episcopus Augustensis, vir sanctus & Deo dilectus, multis & infinitis miraculis coruscauit. Moritur anno Domini 973. Indictione 1. Episcopatus sui anno 50. ætatis octogesimo tertio, sub Ottone secundo.

De Vuolfgango Ratisponensi.

CAP. CCXXIII.

VVolfgangus monachus Treuerensis, & Episcopus Ratisponensis, vir sanctus & multorum patrator miraculorum, beato Vdalrico Augustensi familiariter dilectus, quem etiam defunctum apud S. Afram sepeliuit, sua prædicatione dulcissima multorum animos ad semitā iustitiæ reuocauit. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 970.

De Brunone Verdensi Episcopo.

CAP. CCXXIV.

BRuno monachus Corbeiensis in Saxonia, frater Ducis Hermāni, & postea Episcopus Verdensis, vir tam Ecclesiasticis quam monasticis disciplinis nobiliter imbutus, dignum se moribus & doctrina nouit exhibere pontificem. Claruit sub Ottone primo, anno 960.

De Drugone Episcopo Metensi.

CAP. CCXXV.

DRugo monachus Luxouiensis, filius Caroli Magni imperatoris, & postmodum Episcopus Metensis, vir non minus eruditione & religione, quam sanguine clarus effulsit. Sunt qui scribant, eum filium Lodouici Pii, & non fratrem: sed hos Treuerorum historia redarguit. Claruit sub Lodouico imperatore fratre suo, anno Domini 820.

De Milone Episcopo Suessionensi.

CAP. CCXXVI.

MIlo monachus & Præpositus monasterii Capuani, & Episcopus Suessionensis in Francia, vir tam doctrina, quam honestate morum venerandus, dignum se per omnia præbens officio, ingenii sui non pauca monimenta reliquit. Et nota, quod hic, alius est ab illo, quem cum opusculis suis inter doctores supra posuimus.

De Hildemanno Beluacensi.

CAP. CCXXVII.

HIldemannus monachus Corbeiensis cœnobii in Francia, Episcopus Beluacensis, vir moribus & conuersatione venerabilis, & non minus doctrina, quam religione, glorioſus, propter vitæ sanctitatem, diuorum catalogo meruit annumerari: vt suo loco iam nos dixisse meminimus.

De Maximiniano Syracusano.

CAP. CCXXVIII.

Maxi-

MAximinianus Abbas monasterij S. Gregorij Papæ in vrbe Roma, & Episcopus Syracusanus, vir doctrina & conuersatione valdè venerabilis, cuius sanctitas multorum miraculorum testimonio noscitur comprobata: pro Christi ouibus, veri pastoris exemplo, semper solicitè vigilans, & luporum præuidit insidias, & contra tyrannorum insanias fortiter bellauit.

De Eremberto Tolosano.
CAP. CCXXIX.

ERembertus Abbas monasterij Fontanellensis, & postmodùm Episcopus Tolosanus, vir in sacris scripturis multùm eruditus, & declamator non ignarus, sua dulcissima doctrina non pauc. eos ad iustitiam erudiuit. Tantæ autem sanctitatis extitit, vt in sanctos relatus sit.

De Guimundo episcopo Auersano
CAP. CCXXX.

GVimundus monachus cœnobij de cruce sancti Leufredi, posteà Episcopus Auersanus, vir vndecunq; doctissimus & non minùs religione, quàm scientia scripturarum venerabilis multa scripsit, multa composuit, quibus & se doctum, & subditos sibi deuotiores fecit, Claruit anno Domini 1040.

De Hildulpho Episcopo Lobiensi.
CAP. CCXXXI.

HIldulphus Abbas Lobiensis, & Episcopus ibidem, vir sanctus & Deo multum dilectus, cum esset dux potens & diues, omnia quæ habuit, pro Dei amore relinquẽs, in præfato cœnobio monachus factus, deinde Abbas, postremò Episcopus, innumeris fertur miraculis claruisse atq; virtutibus.

De Hilario Episcopo Theanensi.
CAP. CCXXXII.

HIlarius monachus Cassinensis cœnobij, & postea Episcopus Theanensis. vir doctus, & tam in secularibus quam in diuinis Scripturis nobiliter eruditus, verbo & exemplo dignum se populis nouit exhibere pontificem.

De Donato Episcopo Vesontionensi.
CAP. CCXXXIII.

DOnatus monachus Luxouiensis, & exinde Vesontionensis Episcopus, non minùs religionis decore, quam scientia scripturarum egregius, opere & sermone gregem sibi commissam instruẽs, & se periculo, & illos exemit tepiditatis opprobrio.

De Gerardo Episcopo Morisено.
CAP. CCXXXIIII.

GErardus monachus & Episcopus Morisenus in Hungaria, vir sanctissimæ vitæ & incomparabilis doctrinæ, postquàm sua prædicatione plebem non modicam domino acquisiuit, vt Christum perfectè imitari posset, duris suppliciis ab infidelibus affectus, martyrio coronatus, ad cælorum regna migrauit. Claruit anno Domini 1020.

De Lamperto Brandenburgensi.
CAP. CCXXXV.

LAmpertus Abbas Ilsenburgensis, & postmodùm Episcopus Brandenburgensis, vir tam Ecclesiasticis disciplinis, quam monasticis moribus sufficiẽter instructus, cùm Ecclesiam sibi commissam strenue gubernaret, ab æmulis suis crudeliter occiditur.

De Henrico Episcopo Mindensi.
CAP. CCXXXVI.

HEnricus Abbas monasterij sancti Mauritij martyris prope ciuitatem Mindensem, & postmodum eiusdem vrbis Episcopus, vir nobilis, doctus & strenuus, in agendis disponendisq; negocijs Ecclesiasticis clarus admodum effulsit.

De Gebehardo Augustensi Episcopo.
CAP. CCXXXVII.

GEbehardus Abbas in Eluangen in diœcesi Augustensi, (quod nunc ab ordine translatum est) & postea Episcopus Augustensis, vir doctus & nobilis, qui moribus & scientia vtrumque cornu decoris ornauit. Claruit sub Ottone imperatore tertio anno Domini 990.

De Iohanne Episcopo Constantiensi.

CAP. CCXXXVIII.

IOhannes monachus cœnobii sancti Galli, & Episcopus postmodùm Constantiensis, vir in diuinis scripturis studiosus & multum eruditus, scripsit, non contẽnendæ authoritatis opuscula, quibus ingenium suum magnifice dilatauit.

De Brunone Episcopo Verdensi.

CAP. CCXXXIX.

BRuno Abbas Nunburgensis & Magdeburgensis, frater Friderici Comitis, & postea Episcopus Verdẽsis, vir magni ingenii, & animum pontifice dignum possidens, nõ minus in spiritualibus quam tẽporalibus prouidus fuit. Claruit sub Cõrado secundo, anno Domini 1030.

De Anselmo Suessionensi.

CAP. CCXL.

ANselmus Abbas monasterii sancti Vincẽtii martyris prope Laudunum, & Episcopus postmodum Suessionensis, vir doctus in scripturis tam diuinis, quam humanis, nec minus religione. quam scientia venerandus, plura ingenii sui monimenta præclara post se reliquit.

De Achario Catalanensi.

CAP. CCXLI.

ACharius monachus Luxouiensis cœnobii, & Episcopus postmodum Catalanensis vir ad curam vtriusq; status idoneus, quippe qui moribus & doctrina fulgens, sibi viuendo bene, aliis docendo nouit prodesse. vt dũ doctrina lucet, opere nihil inueniat ouis sana, quod displiceat in pastore.

De Almanno Patauiensi Episcopo.

CAP. CCXLII.

ALmannus monachus cœnobii S. Iohannis Magdeburgensis, & postea Episcopus Patauiensis, vir doctus & eloquens & non minus religiosa conuersatione, quã scientia literarũ insignis, fertur ingenii sui monimenta quædam dedisse.

De Gunthero Ratisponensi.

CAP. CCXLIII.

GVntherus monachus cenobii S. Emerami Ratisponensis, & eiusdem vrbis postea Episcopus, vir idoneus sacerdotio, qui nõ solum sibi viuendo profuit, sed etiam alios docendo & instruendo ab iniquitate ad semitas iustitiæ reuocauit

De Herrando Halberstatensi.

CAP. CCXLIV.

HErrandus, qui & Stephanus, Abbas Ilsenburgensis, & Halberstatẽsis Episcopus 14. vir clarus atq; magnificus, rexit Ecclesiam illam sibi commissã annis tribus. Moritur anno Domini 1107. Indictione 15. Et sepultus est in Reyndesburg.

De Gebehardo Constantinensi.

CAP. CCXLV.

GEbehardus monachus Hirsaugiensis cœnobii in diœcesi Spirensi, senioris Bertulphi ducis filius, cũ esset canonicus Colonensis, omnia cõtemnens mũdana, monachus in præfato cœnobio factus est sub domino Wilhelmo Abbate. Deinde iussu domini Papæ, Constantiensis Episcopus ordinatur anno Domini 1084. Indictione 7.

De Gebehardo Episcopo Spirensi.

CAP. CCXLVI.

GEbehardus tertius Abbas Hirsaugiensis, natione Sueuus, vir doctus & eloquens, cum esset canonicus Argentinensis, cohortatione domini Vuilhelmi Abbatis, seculo renuncians, primo monachus sub ipso factus, deinde in officio eidem successit: postremo Episcopus Spirensis ordinatus, sedit anno vno, mensibus quatuor. Præfuit autem monasterio annis 14. Et mortuus est anno Domini 1106. Indictione 14. in Hirsaugia sepultus.

De Durando Tolosano.

CAP. CCXLVII.

DVrandus de Bredon, monachus Cluniacẽsis sub sancto patre Hugone,

ne, deinde Abbas Mosyâcensis, postremo Episcopus Tolosanus vir sapientiæ prærogatiua idoneus cultor vineæ Domini Sabaoth, qui & moribus seipsum commendabilem, & populum doctrina salutari redderet fructuosum. Claruit anno Domini 1120.

De Goderanno Sanctonicensi.

CAP. CCXLVIII.

GOderannus monachus Cluniacensis, beati Hugonis Abbatis discipulus, Episcopus postmodum Sanctonicensis, vir vita & doctrina valde venerabilis, de cuius sanctitate miranda narrantur. Claruit anno Domini 1120.

De Hugone Antisiodorensi.

CAP. CCXLIX.

HVgo Abbas monasterii S. Germani Parisiensis, nepos B. Hugonis Cluniacensis, & postea Episcopus Altisiodorensis, vir non minus sanctitate, quâm scientia venerandus, & tanto dignus officio. Claruit anno Domini 1120.

De Malcho Episcopo Lesmorensi.

CAP. CCL.

MAlchus monachus Nichonensis cœnobii in Hybernia, Episcopus Lesmorensis, vir doctus & valde religiosus, cuius multæ narrantur virtutes, præceptor S. Malachiæ, Ardinacensis postmodum Archipræsulis fuit. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 1090.

De Lamperto Argentinensi.

CAP. CCLI.

LAmpertus Abbas in Gengenbach, Episcopus Argentinensis, vir non solum monasticis, verum Ecclesiasticis quoque disciplinis nobiliter instructus, atque in scientia literarum, tam diuinarum quam secularium, non infime doctus, vita & conuersatione pastorem dignum se exhibens, Ecclesiam sibi commissam in vtroq; statu strenuè gubernauit.

De Sigefrido Monasterien si.

CAP. CCLII.

SIgefridus monachus Corbeiensis cœnobij in Saxonia, deindè Abbas monasterij sancti Iohannis Magdeburgensis, & postremò Episcopus Monasteriẽsis sub Colonien si Archiepiscopo, vir nobilis, Comitis cuiusdã filius, sed nõ minùs religione, quàm sanguine, clarus effulsit.

De Burckardo Vuangionum Episcopo.

CAP. CCLIII.

BVrckardus ex monacho Episcopus Vuormatiensis, discipulus quondam Alberti Abbatis Gemblacensis, vir doctrina & moribus insignis, ingenij clara monimenta reliquit. Hic decreta sanctorum patrum & conciliorum post Isidorum in 20. libris magno studio comportauit, quo veteres ante Gratianum vsi sunt. Claruit anno Domini 1010.

De Vuillebrando Mindensi.

CAP. CCLIIII.

VVillebrandus Abbas Corbeiensis cœnobij in Saxonia, & postmodùm Episcopus Ecclesiæ Mindensis, sub Archiepiscopo Colonien si, vir doctus & religiosus, & in agendis negocijs publicis admodùm idoneus fuit.

De Iohanne Mekelenburgensi.

CAP. CCLV.

IOhannes monachus in Hybernia, veniens in territorium Meckelenburgense, & annuncians verbum Dei, Episcopus ibidẽ ordinatus est: & cùm esset vir sanctæ conuersationis, tandem martyrio coronatus, ad cœlos ascendit. Claruit anno Domini 1060. sub Henrico quarto.

De Hermanno Bambergensi.

CAP. CCLVI.

HErmannus monachus cœnobij S. Felicitatis in Suuarzach Herbipolẽsis diœcœsis, & deindè sextus Episcopus Bambergensis, vir doctus & multum religiosus, Ecclesiam sibi commissam verbo & opere strenuè gubernauit. Claruit anno Domini 1070.

De Bernhardo Paderbornensi.

CAP. CCLVII.

BErnhardus Abbas monasterij S. Viti martyris Corbeiensis in Saxonia, Episcopus Paderbornensis sub Archiepisco-

po Moguntinensi, vir nobilis & doctus, non minùs religione quam sanguinis nobilitate clarus, factorum suorum in Episcopatu egregia monimenta reliquit.

De sancto Ottone Bambergensi.

CAP. CCLVIII.

OTto monachus cœnobij S. Michaëlis prope Bambergam, quod montem monachorum appellant, & post Rupertum Episcopus ibidem octauus, vir doctus & sanctus, qui vitæ merito dignus pontificatu, multis fertur claruisse miraculis: Electus fuit in Episcopũ anno Domini 1102. Indictione 10.

De Diegero Episcopo Metensis Ecclesiæ.

CAP. CCLIX.

DIegerus monachus Hirsaugiensis cœnobij in confinibus Sueuorum, Spirensis diœcesis, deinde Abbas S. Georgij in nigra sylua, & postremò Episcopus ibidem, vir moribus & scientia venerandus, ingenij sui clarissima monimenta reliquit.

De Puthone Episcopo Ratisponensi.

CAP. CCLX.

PVtho monachus cœnobij S. Emerami Ratisponensis, & deinde ibidem Episcopus, vir moribus & scientia magnificus, dignum se ouibus pastorem exhibens, tam opere quam verbo clarus effulgens, sanctorum catalogo annumeratus est.

De Cunone Ratisponensi. Episcopo.

CAP. CCLXI.

CVno Abbas Sigebergensis cœnobij, (ad quem Rupertus Abbas Tuitiensis multa volumina scripsit) ac deinde Episcopus Ratisponensis Ecclesiæ, vir doctus & religiosus, non pauca industriæ suę monimenta reliquit. Claruit anno Domini 1130.

De Martino Episcopo Aquinensi.

CAP. CCLXII.

MArtinus monachus Cassinensis, & Episcopus Aquinensis, in diuinis scripturis nobiliter instructus, secularium quoque literarũ non ignarus, Ecclesiam sibi commissam nõ minus religione quã scientia & eruditione reddidit illustrem. De cuius gestis non contemnenda feruntur.

De Sabino Episcopo Galiopolitano

CAP. CCLXIII.

SAbinus monachus cœnobij, quod B. Gregorius Papa Romæ constructit sub honore S. Andreæ Apostoli, deinde Episcopus Galiopolitanus, vir eximiæ religionis, doctus & eruditus, & ad tantum officium curãdum peridoneus, moribus & scientia sedem suam exornauit.

De Leone Episcopo Theanensi.

CAP. CCLXIIII.

LEo monachus Cassinensis cœnobij, & postea Episcopus Theanensis, vir secundum seculi æstimationem clarus, & ad vtilitatem Ecclesiastici regiminis satis idoneus, gregem sibi commissum tam opere, quam sermone, strenue fertur gubernasse.

De Paterno Episcopo Pictauiensi.

CAP. CCLXV.

PAternus monachus cœnobii Euexionensis, deinde Abbas Scisciacẽsis, postremo Episcopus Pictauiẽsis, vir sanctissimæ vitæ, qui verbo & exẽplo strenue & fidutialiter agens in nomine Domini, multos ab iniquitate auerit. Vnde & memoria eius in benedictione est, & relata in sanctos.

De Henrico Paderbornensi Episcopo.

CAP. CCLXVI.

HEnricus Abbas Corbeiensis in Saxonia, Episcopus Paderbornensis sub Archiepiscopatu Moguntinensi, vir nobilis & doctus, & in agendis negocijs Ecclesiasticis peridoneus, non minus religione, quam genere, sedem sui præsulatus magnifice fertur illustrasse.

De

De Brunone Episcopo Ratisponensi.
CAP. CCLXVII.

BRuno Abbas monasterii Saltzburgensis, & postmodum Episcopus Ratisponensis, vir doctrina & religione venerabilis, fertur se in vtroque statu dignum subditis exhibuisse pontificem.

De Henrico Episcopo Lubicensi.
CAP. CCLXVIII.

HEnricus monachus S. Egidii Brunsuuicensis, tertius Episcopus Lubicensis, consecratus à Baldeuuino Archiepiscopo Bremensi, rexit commissam sibi Ecclesiam annis 15. Moritur anno Domini 118. Indictione sexta.

De Harmundo Episcopo Antisiodorensi.
CA.P. CCLXIX.

HArmundus Abbas Pontiniacensis, & Episcopus Antisiodorensis, vir doctus & deuotus, prius moritur quam vt optârat, se posset exhibere pastorem. Claruit anno Domini 1080.

Conclusio istius operis finalis.
CAP. CCLXX.

QVanquam multi supersunt nostri ordinis pontifices, quorum in hoc catalogo nullam fecimus mentionem, nos tamen his paucis non tam contenti, quam fatigati, quartum hunc librum in Dei nomine terminamus: ne, si longius perquirendis impenderimus studium, ab vtilioribus reuocemur. Feruntur autem ex hoc sumpti pontifices ter mille, quingenti, duodecim. Hos omnes ego inquirere nec volo, nec possum. Si boni & iusti sunt, in memoria æterna habentur: si mali & improbi, non erunt digni, quorum memoria fiat. Nos autem sciamus ordinem nostrum non dignitatibus præsulum, sed meritis stabilem esse iustorum.

FINIS.

IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEIMENSIS COMMENTARIVS IN S. BENEDICTI REGVLAM.

LIBRIS DVOBVS COMPREHENSVS.

PROLOGVS

In librum De Regimine clauſtralium.

pārte 1. paſt. c. 1. CVM ars artium ſit regimen animarum, *vt dicit Gregorius in ſuo Paſtorali, miſer eſt fateor, qui ante compellitur docere, quam diſcat, & viam oſtendere aliis, quam ipſe nunquam ambulauit. Ecce compellor ego ſimul diſcere & docere, & aliorum eſſe ductor, priuſquam fuerim viator, vt cum*

Ierem. 1. propheta eligam clamare *ad Dominum, & dicere* A. a. a. Domine Deus, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum. *Puer ſum, inquam, vita, ſcientia, & ætate, doctrina paruulus, ingenio exiguus. Statueram quidem ori immittere frena, ne delinquerem in lingua mea, ſed cura aſſumpta exigit ſermonem, & officium doctrinam requirit. Inter duo autem pericula conſtitutus alterum neceſſarium eſt, vtrumque verò declinare impoſſibile. quid eligam neſcio. Nam cum nuper ad regimen animarum inſufficiens fuiſſem aſſumptus, & factus magiſter, antequam diſcipulus eſſem, ſicut moris eſt obſeruationibus*

Regula S. Benedicti ter in anno ſolita publice legi. *Bursfeldenſibus, cuius vnionis & obſeruantiæ ſecundū regulam S. Benedicti ſumus & nos, paragraphum vnum de eadem regula, quæ nobis capitulariter ter in anno legi conſueuit, fratribus meis ſingulis diebus compellor declarare. Super qua ſubit animum aliquid colligere, & de ſanctorum promptuariis mendicare, vt loquens habeam ad manum, quod placeat audientibus. Sed mente conſternor, & pauor inuadit me, & quid eligam ignoro. Quippe, ſi docere & conſcribere præſumpſero, quod ne ceſſitas annuit, vereor, ne plurimorum odia contra me concitem, & iudicent me arrogantem, quod videlicet poſt Patres, qui regulam S. Benedicti luculentiſſime expoſuerunt, rurſus in eadem nouus expoſitor auſus fuerim mittere manum, & opus Doctoribus reſeruatum inſcius fuerim aggreſſus. Si autem tacuero, ſententiam Domini comminantis per Ezechielem vehe-*

Ezech. 3. *menter pertimeſco.* Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrahel, ſi dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur à via ſua impia & viuat, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem au-

Mala. 2. tem eius de manu tua requiram. Labia enim ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum eſt. *Quod ſi tacuerit is*

Iſa. 24. *qui præeſt, erit* ſicut populus, ſic ſacerdos, & mortui ſepelient mortuos ſuos. *Quia Deo*

Matt. 8. *rationem ſumus reddituri, non ſolum de verbis otioſis, ſed etiam de indiſcreto ſilentio, ne canibus aſſimulemur, qui latratu carent. Nam latratu canum, & baculo paſtorum deterrenda eſt rabies luporum. Vincat ergo charitas Chriſti odia æmulorum, & timor Domini ſalutaris timorem hu-*

Ps. 118. *manum expellat, vt confidenter vnuſquiſque diſtribuat conſeruis ſuis, quod accepit diuidendum:*

ne ve-

ne veniente Domino, & rationem ponente seruus piger de suo torpore damnetur. Distribuam & ego, quod habeo, vt accipere merear, quod non habeo: offeram in gazophylacium Domini etsi non aurum, neque argentum, aut etiam plumbum, quoniam Dominus plus attendit offerentem, quam munus oblatum: Sic mulier vidua duo inferens minuta cunctis diuitibus præfertur: quoniam illa obtulit, de quo egebat; diuites autem, de quo abundabant. Et ego quod offero, de paupertate produxi: quoniam si plus abundarem, plus hilariter offerrem, nec me terreret labor, si sola adesset sciendi facultas. Quod si aliquis dicat, cur mihi non sufficiant super hac materia scripta prædecessorum Doctorum, nouerit mihi vtique suffecisse, si eadem habuissem, sed quia nō habui, cogitaui vt haberem, quod potui. Nouerint etiã æmuli mei, qui me maledictis præstolantur, non tã intendisse regulam exponere, quam de ipsa vt liquide patet, loquendi quod delectabat sumpsisse occasionem. Si verò peccaui, quod propriæ ex hoc consului necessitati; excusabit spero intentio pia scribentis. Et, si quod scripsi post Patres sanctos ego peccator, quod non sit contra Patres; nec Patribus arbitror, nec cuiquam displicere debere. Cessent ergo maleuoli, & inopi detrahere desistant, qui mihi asserunt non licere exponere regulam, vel aliquid scribere tale: cum & officio congruat, & deuotioni consentaneum sit. Dicat igitur mihi detractor maleuolus, an Abbati liceat fratribus suis prædicare verbum Dei, an non? Quod si responderis, licet omnino, & necessarium est. interrogo te, cur hunc, quem facit, sermonem, cum labilis sit memoria humana, non debeat conscribere in charta? Ad hoc quippe vsus literarum inuentus est, quatenus hominibus res gestas verba prolata ad memoriam reducant. Quid ergo laceras me homiuem, qui meam excolo deuotionem sine alicuius nocumento? Si enim mihi docere licet fratres meos, & regulam eis iuxta constitutiones S. Patrum verbotenus explicare, quare non licebit & mihi scribere cum sanctis Patribus, & fide Christiana, quod sentio? Obsecro te, quicunq; es, non sis mihi molestus; te non offendi, si legere mea dicta piget, detrahere quoq; pudeat. Hæc contra æmulos dicta sufficiant; cæterum nemini, nisi mihi soli, & si cui placet in tempore suo, hæc offero legenda, sicut scriptum est in Isaia propheta. Secretum meum mihi, secretum meum mihi. *Si quid vero scripsi, quod minoris vtilitatis reputatur & dignum videtur emendatione, mihi parcere peto, cum sapientis honor sit nullum spernere insipientem. Et, si in aliquibus durius scribendo excessisse videor, nemo mihi irascatur: quoniam cum sine nomine contra vitia agitur, qui irascitur seipsum reum demonstrat. Scio etenim, scio, quoniam* obsequium amicos, veritas odium parit. *Qui non vult odio haberi plurimorum, silere discat: sed legi etiam, quod* confusi sint, qui hominibus placent, quoniam Deus spreuit eos. *Melius enim iudicio Dei non prouocare comminationem tacendo, quam hominum timere indignationem veritatem loquendo. Eligat quisque quod vult: ego, si Dei possem consequi gratiam, totius mundi odia despicerem, & paruipenderem. Nemo enim potest Deo placere & mundo. Nam* qui amicus est huius mundi, inimicus Dei constituitur. Mundus, quod suum est diligit. *Rogo denique ego scriptor rusticani eloquii prudentem te lectorem, vt non prius contemnas, quam ego laborioſe, & tu diligenter discussis singulis manifestum inueneris errorem, sicut scriptura admonet dicens.* Omnia probate, quod bonum est, tenete.

Luc. 21.

Abbati vt prædicare licet fratribus, sic & scribere quæ dixit.

Isa. 24.

Psal. 52.

Iac. 4.

Ioan. 15.

1. Thes. 5.

IOANNIS TRITHEMII SPANHEIMENSIS ABBATIS.

De Regimine clauſtralium in Regulam S. Benedicti.

LIBER PRIMVS.

Pſal. 33. VENITE FILII, AVDITE me, timorem Domini docebo vos. In hoc quippe omnis homo ſubſiſtit. vnde ſcriptum eſt. *Deum time, & mandata eius obſerua, hoc eſt enim omnis homo.* Hinc Bernardus ait. *Si hoc eſt omnis homo, abſque hoc nihil omnis homo. Initium autem ſapientiæ eſt timor Domini.* Homo autem cum in honore eſſet non intellexit, & quoniam Deum non timuit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt eis. Si enim Deum timuiſſet, nequaquam eius tranſgreſſus fuiſſet mandatum. Inſipiens homo brutis animalibus comparatur, quia dum timorem Domini non habet, ſapientiam veram nec poſſidet. Chriſtus autem Dei ſapientia eſt. Sicut ergo per inſipientiam primorum parentum noſtrorum viam amiſimus veritatis: ita per ſapientiam Dei aditum inuenimus ſalutis. Dicit enim in Euangelio Dominus. *Ego ſum via, veritas & vita.* Si non vis errare, ego ſum via: ſi non vis falli, ego veritas: ſi non vis mori, ego ſum vita. *Ego ſum oſtium.* Per me ſi quis introierit, pabulũ vitæ inueniet, quia *nemo venit ad patrem, niſi per me. Qui autem vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Tria nos admonet, videlicet, vt abnegamus noſmetipſos, vt tollamus crucem noſtram, & vt ſequamur ipſum. Hæc tria omni homini religioſo neceſſaria ſunt, quia ſine ipſis nulla religio ſubſiſtit. Tria enim ſunt religionis ſubſtantialia vota, quæ Dominus in his denotat verbis. Ait itaq; *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum.* ecce obedientia. *& tollat crucem ſuam.* ecce caſtitas. *& ſequatur me.* ecce paupertas. De primo ſic ait. *Non veni vt faciam voluntatem meam, ſed eius qui miſit me.* De quo etiam dicit Apoſtolus. Chriſtus Deo patri *factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Et de ſe Dominus alibi dicit. *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, Patris.* Crucem vero ſuam portat, qui carnis ſuæ impetum patienter tolerat. Et ideo non dicit abſolute, *crucem*, ſed adiungit, *ſuam*, quatenus propriam te carnem oportere vincere intelligas, ſi poſt eum venire contendis. Crux nulla grauior propria carne portatur. *Et ſequatur me*, inquit pauper pauperem, qui non habeo, vbi caput meum reclinem: quia monachis, qui ſua reliquerunt, non licet aliquid habere. *12. q. 1. c. non dicatis. Et 1. ſi quid. defe. mon. propr.* Hæc eſt porta anguſta, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui intrent per eam. Quicunque autem venire voluerit poſt Chriſtum ad gaudia, per hanc & non aliam portam neceſſe eſt vt tranſeat. *Regnum quippe Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Si ergo volumus venire ad vitam æternam, vincamus noſipſos. hoc enim facientes, regnum Dei vi rapimus. Anguſtam portam intrare contendamus, vt de numero vel paucorum felicium ſimus. Nulla nos detineat huius mundi voluptas, quoniam *mundus tranſit & concupiſcentia eius*, ſpes autem iuſtorum in æternum manet apud altiſſimum. Hæ tres virgines, obedientia, caſtitas, voluntaria paupertas, ſolæ per anguſtam portam intrant, & viam quæ ducit ad vitam gradientibus fideliter demonſtrant. Anguſtam vero portam vitam non abſurdè poſſumus intelligere monaſticam: quæ carnalibus apparet anguſta, ſpiritualibus vero videtur latiſſima. Ibi enim illa tria, quæ Dominus ſuis ſequacibus mandat, obſeruãtur: vbi nullus proprii cordis ſequitur voluntatem, ſed cuncti Abbati, non vt homini, ſed tanquam Deo obediunt: caſtitatem non ſolum carnis, ſed etiam mentis ſummo ſtudio colunt. Nemo inter eos aliquid ſuum eſſe dicit, ſed ſunt illis omnia communia. vbi Chriſtus perfecte diligitur pro cuius amore omnia relinquentes ſeipſos

Eccl. 12. Bern. ſermo. 20. in Cant. Pſal. 110, Pſal. 48. 1. Cor. 1. Ioan. 14. Ioan. 10. Matt. 16. Tria vota religioſorum. Ioan. 5. 6. Phil. 2. Ioan. 6. Matt. 8. Aug. ep. 109. Matt. 7. Matt. 11. 1. Ioan. 2. Abbati tanquam Deo obediũt monachi. Act. 4.

seipsos abnegant sibi, subdentes se imperio alterius, cuius voluntati in omnibus obtemperant. O beata congregatio talium, felix qui habet consortia ipsorum. De talibus sine dubio prophe-
Psal. 132. ta cecinit, dicens. *Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum.* Hic laus Deo soluitur. hic solum illud necessarium amatur, de quo Dominus
Luc. 10. ait. *quia vnum necessarium est.* hic homo peccator recipit absolutionem, quoniam de impio Deus facit iustum. Quid obsecro monastica vita in terra inuenitur iucundius? Monachi enim sancti
Monastica vita nil iucũdius. cum Apostolis non solum verbo, sed & exemplo prædicant; cum martyribus
* corpora sua per abstinentiam macerant: cum Christi confessoribus Deo semper in orationibus confitentur: cum sanctis virginibus mentis puritatem cum corporis castitate seruant: cum angelis Deum iugiter laudant, quia siue dormiant, siue vigilent, omnia ad laudem Dei faciunt. Beatus, qui seculum fugiens sub alis tutissimæ pacis sanctæ religionis pausare meruerit. Diligenti namque pacem nullibi melius, quam in religione est. Sed dicet aliquis. Si tanta pax est in religione, quomodo tot dissensiones & rixæ inter aliquos inueniuntur? Diligenti, aio, pacem claustralis custodia tutissima est. Qui odit pacem, vbicunque fuerit, nunquam pacificus erit. Quid enim si nolens pacem,
Ob malos nemo debet scãdalizari. qui aut necessitate vel paupertate compulsus, non valens in seculo habere, vnde sustentaretur, sanctorum ingressus congregationem, alios plerunque per suam importunitatem conturbet? Respondes forsan iterum. Hi tales corrigendi sunt iuxta Apostoli sententiam,
1. Tim. 5. vt ceteri metum habeant. Corriguntur, tribulantur, vexantur, & in his tu scandalizaris? Obsecro te, cuius culpa scandalizatus fueris, eius etiam pœnitentia ædificeris. Clamitant hi ad Do-
Psal. 65. minum, die noctuque dicentes *Transiuimus per ignem & aquam, & induxisti nos in refrigerium.* Per ignem quippe transeunt, dum contemptis vniuersis huius mundi voluptatibus mentem ad cœlestia erigunt. aquam transeunt, quando pro culpis suis, etiam minimis, quotidie tribulantur, & humiliantur, vt dicant
Psal. 21. cum propheta. *Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea.* Et iterum. *Audiuit Dominus, & misertus est mei: Dominus factus est adiutor meus. Conuertisti planctum* Psal. 29.
meum in gaudium mihi; conscidisti saccum, & circumdedisti me lætitia. Non est tam sancta congregatio, in qua omnes perfecti sint. Non ergo plus te scandalizet malus, quam ædificet bonus. Difficile scandalizatur, qui in suis actibus, vt decet virum, dominatur. Ait enim Hiero- *
nymus super Matthæum. *Qui scandali-* Hiero. in
zatur paruulus est: maiores enim scandala cap. 18.
non recipiunt. Nec in hoc excuso, aut iustifico peccantes, sed errantes, qui alios iudicare non formidant, reprehendo. In his nemo scandalizetur subito, quia non totum est scandalum, quod te scandalizet: sapiens enim cuncta interpretatur in melius. Neque te retrahat malus, sed potius inducat bonus: quia volenti pacem, non alibi, quam in claustro, melius est. Quid enim ibi desit cultori virtutum, vbi Deus amatur, caritas non quærit, quæ sua sunt, spes animum ad cœlestia contemplanda erigit, patientia virtutes custodit, obedientia caput imperio subdit alieno, humi- *
litas pacem & concordiam seruat? Ve- *Paradi-*
re fateor, si paradisus est in terra, aut in *sus in terra, vel in*
monasterio, vel in eremo est. Tutius au- *cœnobio,*
tem in claustro habitat, qui ad viam vir- *vel eremo.*
tutum iam fixit pedem, quia prouerbio dicitur. *Væ soli, cum ceciderit, non ha-* Eccl. 4.
bens subleuantem: Nunc ergo doctrinam sanam, non dico humanam, sed diuinam nolite spernere, quia non est sermo prædicantis otiosus, quem intus inflammat ignis diuini amoris. Intendite, quæ dico, de magnis enim loquor. Ait quippe sapiens Prouerbiorum quarto. *Audite filii disciplinam patris, & attendite, vt sciatis prudentiam. Tene disciplinam, ne dimittas eam: custodi illam, quia illa est vita tua.* Viam ergo, qua itur ad Deum nobis ostendit sanctissimus Pater noster Benedictus, sicuti concludit in fine Regulæ suæ dicens. *Facientibus hæc, regna pa-* cap. vlt.
tebunt æterna. Docet enim, timere Deum, mandata seruare ipsius, mores mutare, atque dirigere vitam. Legem nobis constituit, secundum quam oportet nos viuere, qui mundo abnegato iugo Christi colla subiecimus. Quicquid n. docet, prius ipse fecit: quia absq; dubio taliter vixit, vt mereretur legem recipere, per

cuius

cuius os non alius, quam Spiritus sanctus locutus est. Vnde sapiens Ecclesiastici 37. dicit. *Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum. Et in his omnibus deprecare altissimum, vt dirigat in veritate viam tuam. vir iste peritus multos erudiuit, &* Eccl. 33. *animæ suæ suauis est. Videte,* inquit, *quoniam non solum mihi laboraui, sed omnibus inquirentibus veritatem.* Scientiarum & doctrinæ sanctæ gloriosa possessio in plures dispersa non perditur, & distributa per partes non minoratur, sed eo diuturnius perpetuata senescit, quo publicata fecundius se diffundit. Gratiam namq; vir iste accepit à Domino, vt duplici honore dignus haberetur, dum non tantum verbo, sed & exemplo erudiret plurimos, meritumq; suum quotidie crescceret, quantum numerus discipulorum suorum dietim crescit. Ideoq coram Domino in memoria æterna est, & nomen eius non delebitur in seculum seculi. Vnde Ecclesiastici 35. scribitur. *Sacrificium iusti acceptum est. & memoriam eius non obliuiscetur Dominus.* Aurem huic inclinemus: de magnis enim loquitur nobis. Quid loquitur! Docet nos seruire Deo nostro, mundum contemnere, per viam, quæ ducit ad vitam, incedere. Matt. 19. *Si vis perfectus esse*, ait Dominus, *vade, vende omnia, & veni sequere me.* Vir iste Benedictus gratia & nomine, inter monachos dux eorum. Lucerna supra candelabrum moribus suis & dictis totum illuminat orbem. De quo bene per Zachariam c. 6. dicitur. *Ecce vir oriens nomen eius, & subter eum orietur, & ædificabitur templum Domino, & ipse extruet templum Domino. Et ipse portabit gloriam, & dominabitur super solio suo! Templum* sane Domino ædificauit, quando per suam vitam laudabilem tot animas à potestate diaboli eripuit. Ait 1. Cor. 3. quippe Apostolus. *Templum DEi sanctum est, quod estis vos, Tot* enim Domino animas acquisiuit, quot in cænobiis regulæ suæ saluari fuerunt, qui in seculo per publicam viam ad infernum descendissent. *S. Benedictus quã multis salutis causa fuerit.* Multi namq; conuersi peccatores sanctum Ordinem ipsius ingressi, non solum pro peccatis satisfecerunt, sed etiam gratiam specialem meruerunt, vt in numero sanctorum recenseri digni sint habiti. Magnificauit eũ Dominus in conspectu regum, & omnis populus honorauit eum. Seminator pacis iste fuit, & concordiæ. qui multis fuit dux vitæ. Vnde Malachiæ 2. Dominus dicit. *Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis. & dedi ei timorem, & timuit me, & à facie nominis mei pauebat. Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labiis illius. In pace, & in æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate.* Quis enumerare valeat eos, quos hic sanctus exemplis & verbis ad contemptum mundi, & desideriũ æternorum bonorum incitauit! Ecce totus mundus eius meruit benedictionem, vt in omni regione, aut vnum, aut plura eius sub regula fundata noscantur cœnobia. Confluunt vndiq; ad alas doctrinæ eius, laus auget numerum, hæreditas eius gloriosa nimis, quia Ordo ipsius inter omnes ordines religiosorum obtinet principatum. *Ordo eius principatum tenet.* Quis non gaudeat talem apud Deum habere se aduocatum? Nulli dubium. Sicut mater non potest obliuisci vnici filii vteri sui; ita sanctus hic Benedictus Domini nõ obliuiscetur filiorum suorum, qui in toto corde suo conuersi ad Dominum secundum regulam suam viuere elegerint, & vsq; ad mortem perseuerauerint: sed fidelis pro eis apud Deum exstat intercessor, qui hic in terris piarum mentium extitit cultor, & bonæ conuersationis institutor. *S. Benedictus orat pro sui ordinis fratribus.* Regulam enim descripsit *omni discretione præcipuam*, vt testatur Gregorius secundo dialogorum, in qua, cuius conuersationis fuerit, liquide patet, quia sanctus vir aliter docere nõ potuit, quam vixit. *cap. 36.* Præmittit autem Prologum, in quo nouellas alloquitur plantationes, & ad arripiendum iugum Domini suaue suauissimis admonet doctrinis.

S. PATRIS NOSTRI BENEDICTI IN REGVLAM MONACHORVM

PROLOGVS.

CAP. I.

AVSCVLTA, ô fili, præcepta magistri, & inclina aurem cordis tui, & admonitionem pii Patris libenter excipe, & efficaciter comple.

Magister pius præceptis pietatis auditorem instruit, & vt benevolum eum red-

reddat, filium eum vocat, iuxta illud Prouerb. 4. *Fili mi ausculta sermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuam.* Auditorem suum filium nominat, non secundũ carnem, sed secundum spiritum, quia spiritualiter tot filiorum pater est, quot per suum exemplum & doctrinã per ingressum religionis Deo patri filios acquisiuit. Non solum autẽ illorum, quos conuertit, dum adhuc esset in vita præsenti, sed & omnium illorum, qui à principio vsq; ad finẽ mundi fideliter sub eius deguerint regula. Si ergo volumus, fratres, veri filii eius fieri, debemus, quantũ nobis possibile est, ipsius imitari conuersationem: quoniam hi filii sanctorum sunt, qui exercent opera eorum. *40. distinct. c. non est facile.* quatenus ad illam gloriam & celsitudinem regni peruenire mereamur, in quo ipse iam gloriosus triumphat. Nunc autem alloquitur nos filios suos conuersos & conuertendos, vnumquemque singularirer, omnesq; ad vnum exhortans & admonẽs nos, quatenus aures cordis nostri inclinemus præceptis *magistri*, videlicet Christi, qui per ipsum sine dubio loquitur, & auscultemus diligenter verba oris sui, quæ dulcia sunt super mel & fauum: quibus nos instruit, quomodo per angustã viam debeamus venire ad vitam. Et nota quod non simpliciter aurem, sed *aurem cordis* requirit, quæ est attentio deuota, quia in vanũ pulsatur auris corporis, dum non inclinatur deuotio mentis. Auris enim corporalis ad ministeriũ est apta deuotionis, vt quicquid dicitur foris, statim per ipsam mittatur ad officinam mentis, in qua ratio residet, quæ totum discernere habet. *O fili*, inquit. qui in sortem filiorum Dei vocatus es, *ausculta*, id est, attẽde *præcepta magistri*, spiritus sancti, qui docet fideles suos omnem veritatem, simul & consilia, quę tibi proponuntur ad perfectionem necessaria. Ausculta præcepta magistri specialia monachorũ, quia alia sunt præcepta, quæ dantur fidelibus communem in seculo vitã ducentibus, atq; alia seculo renunciantibus, & monasterialibus personis. Illis n. dicitur, vt omnia sua bene gerant, istis vt omnia sua derelinquant, quia nõ licet monacho quidquam habere proprii. *c. si quid. de monach. propr. Et 12. q. 1. c. non dicatis.* Hæc sunt præcepta, & similia, quæ nobis spiritus sanctus per famulũ suum Benedictũ præcepit obseruanda: quæ & ipse, dũ esset in hac terra, plenissime obseruauit, & ideo potestatem præcipiendi aliis obtinuit. Nam merito dedit præceptum, qui præmisit exemplũ. Vnde tribus annis mansit hominibus incognitus, in quibus à spiritu sancto hausit, quod postea propinaret nobis. Nulla n. res discipulis ita est fructuosa, sicut magistri sancta vita. Qui n. facit quod docet, bonos verbo instruit, exemplo roborat, sapientia decorat. Et quos verbo corrigere nõ valet, plerunq; exemplo emendat. Qui autẽ nec verbo corripitur, nec exẽplo, quia stultus verbis non corripitur, oportet vt sapientis & discreti magistri dignitatis auctoritas ipsum coërceat. *Attende igitur præcepta magistri.* Cuius magistri? Dei vtique, qui & præcepta dedit, & legis implendæ potestatem largitus est. *Præcepta* dicit, non præceptum, quia nullum singulare sufficit, si non in omnibus mandatum seruetur. Vnde Augustinus de Paradiso. *Si quis vnum mandatum custodiat, & aliud præuaricaretur, nihil ei prodest.* Et Deuteronomii 6. dicitur. *Audi Israhel, & obserua, vt facias, quæ præcepit tibi Deus, vt bene sit tibi.* Doctor quoque noster & dux eandem seruauit formulam exhortandi, quando dicit. *O fili ausculta, & diligenter attende præcepta magistri*, videlicet Dei. Obseruamus præcepta, si ea quæ legimus vel audimus iugi cordis meditatione masticamus. Vnde in libro Psalmorum dicitur. *Beatus vir, qui in lege Domini meditatur die ac nocte.* Sequitur. *LIBENTER EXCIPE, & efficaciter comple.* Vt autem ad executionem mandati homo facilius & libentius inclinetur, subditur in Deuteronomio. *Vt bene sit tibi.* Quicunq; enim fecerit ea, quę iubet Dominus, benedictionibus replebitur, & bene erit ei, non hic tantum, sed & in vitam æternam. Qui vero contra egerit, maledictoni subiacebit. Vnde Deuteronomii 11. *En*, inquit Moyses, *propono in conspectu vestro hodie benedictionem & maledictionem: benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ hodie præcipio vobis; maledictionẽ, si non audieritis.* Et Matth. 19. *Si vis vitam ingredi, serua mandata. Ausculta* ergo *præcepta magistri*, vita pariter & doctrina, hoc est, quemadmodũ te deceat viuere considera, qui abnegatis huius seculi pompis & voluptatib. vero Domino regi cœlesti mili-

S. Benedictus est pater omnium fratrum qnotquot vnquam recepti sunt in eius ordinem.

Hieron. epist. ad Heliod.

S. Benedictus triennio latuit.

Psal. 1.

militarurus accinctus es fortitudine singulari. Proponitur tibi bonum & melius, imo & optimum, vt videlicet mandata audias, quasi bonum: compleas, vtique quasi melius: & mercedem recipias ipsum scilicet summum bonum, & optimum, quod est ipse Deus. ideoque dicitur, *ausculta, excipe, comple.* auscultа audiendo, excipe obseruando, comple operando, In hoc omnis perfectio cõsistit: vt videlicet præcepta audiamus, audita cõseruemus, atque retineamus, retenta in opera conuertamus, quia non *auditores legis sed factores iustificantur.* Audi præcepta. *Si vis,* inquit Dominus Matt. 19. *perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis & veni, sequere me.* Quæritur, consilium est, an præceptum? Consilium secularibus, præceptum religiosis. Consilium enim datur illis, vt vendant & dent pauperibus: istis præcipitur, vt nihil proprij habeant. Quicunque igitur venditis omnibus & distributis pauperibus Dominum iam sequi per sanctæ religionis propositum atque professionem incepit, si se denuo secularibus curis atque voluptatibus præter Deum immerserit se iuxta regulæ sententiam, ab eo damnandum sciat, quem irridet. Ait namque Dominus in Euangelio. *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, dignus est regno cœlorum.* Vide ergo, ne primam fidem irritam facias, alioquin præuaricator legis iudicaberis. Facile votum implebit, qui caritate diuina plenus fuerit. Ait quippe Augustinus. *Lex data est, vt gratia quæreretur, gratia data est, vt lex impleretur. INCLINA,* inquit, *aurem cordis tui.* Auris cordis est ipse affectus, siue intentio mentis. Igitur præbe affectum, apta intentionem mentis tuæ, ad præcepta magistri diligenter ausculta, quæ te expectet corona considera, si fideliter certaueris: Aures cordis inclina, vt nihil aliud versetur in corde, quam quod vouisti in professione. Sit vita tua professioni concordans, fac ex necessitate virtutem, qui voluntatem mutasti in necessitatem. Vouere quidem, vel dimittere, in te fuit: sed non reddere votum in te non est. Redde, quod vouisti, & duplicem coronam habebis. *Inclina aurem cordis*: vim videlicet præceptiuam diuinæ instructionis, & admonitionem pii Patris libenter excipe. *Pium patrem* Deum intelligit, cuius tanta erga genus humanum pietas effulsit, vt filium suum vnigenitum daret pro mundo *Audiam,* inquit propheta, *quid loquatur in me Dominus Deus.* pacem loquitur in plebem suam, & super sanctos suos; quia nimirum per canticum angelicum nato Domino pax in terra hominibus bonæ voluntatis denunciabatur. Pium patrem etiam ego debere intelligi non ambigo S. Benedictum: qui, quam pius fuerit & iustus, regula sua declarat præcipua. Affectum enim pietatis, & zelum æquitatis tenuit, in omnibus discretionem vniuersis commendans. Pius igitur pater, & iustus extitit rector, quem nec iustitia immoderata extendit, nec pietas laxa resoluit. Sic in eo iustitia fuit, vt inflammaretur contra peccantes, sic pietas, vt condoleret infirmis. pietas leniuit iustitiam, iustitia accendit pietatem. Ait nempe Gregorius in homilia. *Pensemus si possumus dispensationem supernæ pietatis. stantibus, si ceciderint, minatur pœnam: lapsis vero, vt surgere appetant, promittit misericordiam.* Hanc proculdubio & pietatis scientiam, & iustitiæ discretionem sanctus iste, merito Benedictus in sua regula se habuisse declarat, cum aduersus duros & rebelles durius procedere iussit: mites autem & humiles sola admonitione, vt emendentur, corripere statuit. Habuit quippe cum scientia pietatem, & cum pietate doctrinam, quia neutrum sine altero virtus est. Vnde Gregorius in moralibus. *Nulla,* inquit, *est scientia, si vtilitatem pietatis non habet, & valde inutilis est pietas, si scientiæ discretione caret.* O qualem, fratres carissimi, putamus pietatem istius viri erga sanctam religionem, & cultum diuinum, vita sua probat, quia pium patrem ipsum iam dixerim. Vnde Hugo de clausтro animæ. *Pietas,* inquit, *est ex benignæ mentis dulcedine grata omnibus auxiliatrix affectio, & diuini cultus religiosa deuotio.* Nec opus est ostendere, quam pius fuerit, quem tot laudibus in Dialogo suo beatus Gregorius commendat. Quod si quis scire voluerit, ipsius vitam in secundo eius libro requirat. Pius pater filiorum, non carne, sed spiritu; non natura, sed vita: non conditione, sed affectione. Volens enim suam ostendere pietatem, filium vocat, quem nunquam agnouit. Vel si tibi hæc non videtur pietas in vocatione, pensa eam

Rom. 2. *Omnia dare pauperibus consulitur secularibus, præcipitur religiosis.*

Luc. 9.

Augusт. de gratia Christi cap. 19.

Psal. 84.

Luc. 2.

S. Benedictus laudatur.

In opusc. de fratribus carnis & spirit. c. 18.

Greg. lib. 2. dial.

eam in regulæ dictione. Dulcissima namque vbera matris porrigit lactanti, durissima vero verbera recalcitranti. bonus est bonis, seuerus iniquis: firmis sufficiens, infirmis compatiens: pius est humilibus, durus superbis. *Admonitionem igitur pii patris libenter excipe, & efficaciter comple.* magna enim promittit, si sermo ipsius in te locum habuerit. Consolationem infundit cordi, gaudium mærenti promittit, liberare captiuum, recipere exulem, patri restituere abiectum, hæredem regis facere peregrinum. Quomodo?

Vt ad eum, inquit, per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobediendiæ desidiam recesseras

§ 2

EN proponit certamen, & modum certandi, meritumq; vincenti, Constat plane, quod Adam & Eua per inobedientiam transgressi sunt mandatum Dei, & nos in culpam suam traxerunt: quia in ipsis eramus, & per ipsos filii iræ declarati fuimus, iuxta quod ait Apostolus. *Omnes quidem in Adam peccauimus Quid ergo?* Nunquid hoc; videlicet originale peccatum per gratiam baptismi mundatum est? vtique lotum. Ait enim Apostolus ad Romanos c.5. *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi.* Est ergo hic intelligendum, cum dicitur *à quo recesseras per inobedientiæ desidiam.* peccatum, videlicet, actuale, quia primam fidem, quam in baptismo spopondisti, irritasti. Per inobedientiam vero protoparētum nostrorū omnes à Deo recessimus, sed per obedientiam Domini nostri Iesu Christi & mortem omnes baptizati reconciliati sumus: per actuale autem peccatum quotidie delinquimus, & egemus gloria Dei. Peccatum per inobediētiam intrauit inmundum, per obedientiam iustitia subintrat. Vnde Apostolus ad Romanus c.4. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Apprehende igitur arma suauissima Christi, obedientiam & humilitatem, fuge mundum, veni ad paradisum. Ecce proponitur tibi certamen, modus, forma, & meritum, In eo namq;, quod ait, *laborem*, certamen denotat: *obedientiæ*, modum: redeas, meritum. Si ergo vis redire, obedientiæ laborem assume; quia nihil est, audeo dicere, quod Deo plus quam obedientia placeat. Scriptum est.n. 1.Reg.15. *Melior est obedientia, quā victimæ: & auscultare magis, quā offerre adipem arietū: quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare, & quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere.* Dei namq; filius, testante Apostolo, factus est obediēs Deo patri vsq; ad mortem: *propter quod & Deus exaltauit illū, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Hæc est via angusta, quæ ducit ad vitā, & heu pauci inueniunt eam. Omnes n. homines creati sunt liberi, sed per peccatū facti sunt serui: adhuc tamen liberum arbitriū habet homo. Is vero, qui abrenuncians seculo, seipsum offert Deo, iam q; prius potuit facere, aut dimittere, hoc totum in manus obtulit superioris. Angusta est igitur via hęc, quia homo naturaliter libentius est sui, q̄ sub imperio alterius. Sed audiamus Dominum in Euangelio loquentē, & cōsideremus, quam sit angusta via, quę ducit ad vitā. Ait itaq;: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Durus est hic sermo. Si nemo venit ad Dominū, nisi fecerit sic, quis putas, saluabitur? Aiebat n. Dominus diuiti, Marci 10. *Vade, quæcunq; habes vēde, & da pauperibus, & habebis thesaurū in cœlo, & veni sequere me.* Et paulo post conuersus ad discipulos, inquit. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum Dei.* Qui magis admirabantur, dicētes ad semetipsos. Et quis potest saluus fieri? Et intuens illos Iesus, ait. *Apud homines impossibile est, sed nō apud Deum.* Omnia enim sunt possibilia apud Deum. Quid est ergo, qui vult venire post me? Qui vult ascendere in cœlū, quo ego ascendo, & habere gaudium meū, quod paratum est iustis, abneget semetipsum, id est, propriā voluntatē demat, desideria carnis ne perficiat: qa hoc est abnegare se, viuere videlicet in carne prēter carnē, & mortificare mēbra sua, quę sunt super terrā. Aliter ad propositū. Abneget semetipsum propter me, & subdat se maioribus, imitans exemplum, quo præcessit: quia obedientia, q̄ debetur maioribus, mihi exhibetur, iuxta illud: *Qui vos audit me audit.* Vouete Domino, & reddite illi. Abnega ergo te, vt possis sequi me, & *tolle crucem tuā quotidie.* Crucem quotidie tollit, qui patienter & libenter omnia aduersa propter Deū suffert. Crux

Rom. 5.

Obedientiæ laudes.

Phil. 2.

Luc. 9.

Luc. 18.

Abnegare se quid sit.

Luc. 10.

enim nostra, quæq; dura & aduersa huius vitæ sunt, per quæ itur ad Deum. *Tolle*, id est, hilariter atq; libenter sustine. Scriptũ
Luc. 1. quippe est. *Beatus vir, qui suffert tẽtationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Tolle crucem, & sequere me. Nihil enim prodest seipsum abnegare, & crucem portare, nisi etiã quis sequatur Dominum. Vnde Dominus Matthæi 19. ait. *Vos qui secuti estis me*, &c. Nõ dicit. qui reliquistis omnia, sed, q̃ secuti estis me. Hoc etenim Socrates, & multi Philosophorum fecerunt, sed quia Dominũ non sunt secuti, nihil prodest ipsis. *Sequere me.* Dominũ sequitur, q̃ vt ille ambulauit, & ipse
Matt. 11. ambulat. Ait enim. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Ille veraciter Dominum imitatur, qui eius seruat humilitatem. Vt ergo ad eũ per obedientiæ laborẽ redeas, à quo per inobedientiæ desidiam recesseras, ausculta præcepta magistri, libenter excipe, & efficaciter comple. Alloquitur te Pater S. Benedictus, sicut se, ita cupiẽs saluari te. Ausculta igitur, de magnis enim locuturus est tibi. Audi ergo, quem velit, quem cupiat, cuius beneuolas aures requirat. Monachum namq; factum, siue faciendum exhortatur: nunc igitur audi docentem. Ait enim.

CAP. II.

§ 1

AD *te ergo nunc meus sermo dirigitur.* Sermonem istũ suum non dubitamus, cuius vita commendat doctrinam. Ait
Gregor. M. lib. 8. moral. c. 3. namq; Gregorius in moralib. *Ille bene loquendi facundiam percipit, si sinum cordis per recte viuendi studia extendit: nec loquentẽ conscientia præpedit, cum vita linguam antecedit.* Quis dubitet, sanctum istum prius religiose, ita vt & Deo & hominibus placeret, vixisse, antequam homines instituere præsumpsisset? Nulla prę̃sumptio, vbi ter bene docetur, ore videlicet, corde & ope-
lib. 2. c. 29. re. Vnde Isidorus de summo bono. *Corde*, inquit, *bene loquitur, qui caritatem non simulat: ore bene loquitur, qui veritatem annunciat: factis bene loquitur, qui alios exemplis ædificat.* Talis enim vir iste erat, qui multos auertit ab iniquitate. Sermo igitur operatione spiritus sancti est merito auctoris. Nemo igitur spernat sermonem docentis, quẽ intus format vis diuini amoris. Sermo iste verax est, quem vita sancta præ-
Ambr. in Psal. 118. cessit. Ait Ambrosius super Psalm. *Beati immaculati. Ante vita, quam doctrina quærenda est. vita bona sine doctrina gratiam habet, doctrina sine vita integritatem non habet.* Et Gregorius. *Doctrina*, inquit, *cum omni imperio docetur, quæ prius agitur, quã dicatur. nam doctrinæ subducit fiduciam, quando conscientiæ præpedit linguam.* Ideoq; sermonem efficacem ad te directum patienter audi, libenter conserua, hilariter comple. *Greg. lib. 33. mor. c. 13.*

AD te sermo nunc meus dirigitur, quisquis abrenuncians propriis voluntatibus Domino Christo vero regi militaturus obedientiæ fortissima atq; præclara arma assumis. Ante omnia tanquam titulũ audientis præmittit abdicationẽ propriæ voluntatis, quia nihil partis habet in hac regula, qui adhuc propriis deseruit voluntatibus. Monachus enim, qui non dimisit propriam voluntatem non est quod dicitur, imo irritator Dei est. Primũ namq; instrumentũ monachi est abdicatio propriæ voluntatis, sine quo nullus monachus est. Relinque igitur voluntatem propriã, si vis fieri monachus. Ait Bernardus super Cã-
Bern. ser. 71. tica. *Grande malum propria voluntas.* Idem
Bern. ser. 3. de resurrect. in sermonibus ait. *Cesset propria voluntas, & infernus non erit. in quem enim deseuiet ignis, nisi in propriam voluntatem?* Quisquis ergo Deo offerre sacrificium acceptabile voluerit, nihil pretiosius propria voluntate habebit. Vnde Gregorius in homil.
hom. 5. in Euang. *Nil offertis Deo ditius bona voluntate.* Damnabile in monacho est, si adhuc propriam nõ desinit perficere voluntatem. Vnluntatem. n. dum habuit conuertit in necessitatẽ: faciat ergo nunc de necessitate virtutem, quia voluntas habet pœnam, necessitas vero parit coronam. O sancta necessitas, quæ etiam nolentẽ saluat. Acceptabile est sacrificiũ Deo, oblatio propriæ voluntatis. Est autem libera voluntas ante professionem, sed necessaria fit post voti emissionem. Vnde Bernardus in epistolis. *Voluntati nec leges imperant, nec principes dominantur:* libera est, & maximè, si spiritu ducitur. vbi enim spiritus, ibi libertas. Magnus tamen in regno Dei vocabitur, qui & propriam voluntatem, & seculum relinquere propter Christum elegerit. Ait nempe Isidorus. *Magna a-*
Isid. l. 3. de sum. bon. c. 16. *pud Deum refulget gratia, qui huic mundo contemptibilis fuerit.* Et GREGORIVS
Greg. lib. 10. mor. c. 30. in homilia. *Quisquis stimulo diuini amoris excitatus hic possessa reliquerit, ille procul dubio culmen iudiciariæ potestatis obtinebit.*

Monachi est propriam voluntatẽ abnegare.

nes

nec sufficit relinquere diuitias, nisi quis sequatur Dominum. Vnde Rabanus, *Non sufficit*, inquit, *ad perfectionem omnia relinquere, nisi post contemptas diuitias saluatorem sequatur*, id est, relictis malis faciat bona. Chrysostomus quoque ait. *Contemne diuitias, & eris locuples; contemne gloriam & eris glorioſus, contemne ſupplicia inimicorum, & tunc omnes ſuperabis: contemne remiſſionem & quietem, & tunc eam accipies.* Et Gregorius in regiſtro. *Super altitudines terræ, inquit, ſuſtollitur, qui etiam ipſa, quæ alta & glorioſa præſentis videntur ſeculi penitus deſpectim calcat.* Ait Iſidorus. *Alieni ſunt à Deo, quibus hoc ſeculum ad omne commodum proſperatur.* Ad te igitur ſermo ſancti noſtri dirigitur, qui propriis abnegas volũtatibus. Scriptum eſt enim: *Et à voluntatibus tuis auertere.* Vt autem audias ſermonem, muta conuerſationem. Qui nondũ eſt conuerſus, conuertatur, & qui conuerſus eſt in finem vſque ſuam immaculatam teneat conuerſionem. Dicit namque Iſidorus. *Non inchoantibus præmium promittitur, ſed perſeuerantibus datur, ſicut ſcriptum eſt. Qui perſeuerauerit vſq; in finem, hic ſaluus erit.* Tunc enim placet Deo conuerſio noſtra, quando bonum, quod inchoamus, perſeueranti fine complemus. Audi, quiſquis abrenuncias propriis voluntatibus, Chriſto vero regi militaturus. Audi, inquam, & diligenter auſculta: voluntatẽ da in manus ſuperiorum tuorum, & ſis liber, vacans Domino, concupiſcentiis carnalibus noli præbere locum, viriliter pugna, habebis aſtantẽ Deum. Noli terreri, neq; fugere à facie legis huius, quia licet durum habeat introitum, habet tamen iucundam habitationem, & exitum felicem. Nam dulcis & moderata eſt fortibus, diſpenſatiua infirmis, portabilis omnibus. Vnde ait Hugo de clauſtro animæ. *Abundans eſt pauperi religio, mediocri ſufficiens, tolerabilis diuiti, infirmis larga, delicatis compatiens, fortioribus moderata, pœnitentibus miſericors, peruerſis ſeuera, bonis optima.* Ad te ſermo patris noſtri huius, quiſquis abrenuncias propriis voluntatibus, Domino Chriſto verò regi militaturus, Nullam acceptionem perſonarum conſidero, ſed quiſquis, id eſt, omnis, qui voluerit abrenunciare, poteſt. Ergone recipiendi ſunt debiles, claudi, cæci, & ceteri defectuoſi ad religionem, & faciendi monachi? Quis hoc iubet, vel quis prohibet? Non debet quiſquam recipi ad congregationem fratrum, qui nequit portare onera eorum. Vnd capitulo 58. *de diſciplina ſuscipiendorum fratrum* regula tenet. *Et dicatur ei. Si potes obſeruare, ingredere: ſi vero non potes, liber recede.* Quia nimirum, ſi tales omnes reciperentur, non creſceret, ſed deficeret ordo. Acceptionem perſonarum non ſentio. ſiue enim ſint pauperes, ſiue diuites, qui voluerit valens recipitur: ſi tamen aut loci congruitas, aut congregationis conſideratio id ferre quiuerit. Non enim recipiuntur viginti, vbi quindecim ſuſtentari vix valent. Hæc autem conſideratio penes cuiuslibet loci Rectorem eſt, vt colligat, qui & ordini vtiles ſint, & onera valeant regulæ ſufferre. Quiſque igitur propriis voluntatibus abrenuncians Chriſto Domino vero regi militaturus iam arma aſſumpſit, tentat ſpei ſuæ fiduciam. Milites Chriſti regis æterni ſunt, quicunque contra diabolum, mundum & carnem dimicant: duriſſima vero pugna eſt, propriam vincere carnem. Militaturus igitur Domino vſum addiſcat pugnandi, quia periculoſum eſt bellum, vbi miles non habet vſum: Neceſſarium eſt enim, vt bellator inimicorum Domini ſemper paratus ſit, quia quocunque perrexerit, inimicum ſuum ſecum habet. Vnde ait Hieronymus in epiſtola. *Quocunque pergamus, nobiſcum inimicum, id eſt, carnem noſtram portamus: vinum & adoleſcentia duplex incendium voluptatis.* Et Gregorius. *Nos*, inquit, *geſtamus laqueum noſtrum nobiſcum, circumferimus inimicum; carnem noſtram loquor, de peccato natam in peccato nutritam, corruptam nimus in origine, ſed multo amplius praua conſuetudine vitiatam.* Militaturus Domino attende viriliter pugnæ, fortiorem habes aduerſarium, imo crudeliorem in principio conuerſionis tuæ. Vnde Bernardus ſuper Cantica. *Solet inter primordia conuerſionis acrius inſurgere tentatio praua conſuetudinis, vt vix poſſint extingui iacula ignita diaboli.* Et Iſidorus de ſummo bono. *Tunc magis grauari ſe quiſque impulſu vitiorum agnoſcit, dum ad cognitionem Dei acceſſerit: ſicut populus Iſrahel grauiori onere ab Ægyptiis premitur, dum per Moyſen diuina illi cognitio aperitur. Vitia enim ante conuerſionem quaſi pacem habent in homine: quando autem hæc expellũtur, acriori virtute conſurgunt.* Duriſſi-

Chryſ. in ep. ad Hebræos. ſer. 25.

Greg. lib. 31. mor. c. 34.

Iſid. de sũ. bon. lib 3. c. 16.

Eccli. 18.

lib. 2. de ſum. bon. c. 7.

Matt. 10.

Ad religionẽ quinam recipiendi.

Vincerẽ carnem duriſſimã pugna.

Hiero. ep. 22. ad Euſtochium.

Bernard. ſerm. 33.

Iſid. lib. 2. c. 9. Tentatio initio cõuerſionis grauior.

rissima namq; bella consurgunt nuper primo conuerso, iam blanditur mundus ex recordatione præteritorum, iam ingressum dissuadet caro propria, se asserens infirmam, nec posse talia pati: nunc societas secularis retrahit ingredientem, & in his omnibus spiritus nequam cooperatur, ne perdat, quem tenet captiuum. Stet igitur miles Christi, ne paueat: hostes enim debiles sunt, non vincunt nisi volentem. Nec sine causa post conuersionem Domino permittente tentaris: non enim ad damnationem, sed ad probationem exercitaris. Queis namque à tentatione sæpe torporem generat. Ait namque Isidorus de summo bono. *Vtile est Dei seruo post conuersionem tentari, quatenus à torpore negligentiæ solicitantibus vitiis ad virtutes animum per exercitum præparet * vitiorum.* Scriptum est enim. *Qui non est tentatus, qualia scit?* Vides, quod nulla sine labore virtus, restat ergo modus laboris, & vsus vincendi. *Ad te nunc meus sermo dirigitur, quisquis*, &c. Verus rex regum, & Dominus dominantium Christus est: tum quia Deus, tum quia imperium regni habet, & inferni claues & quia diabolum per obedientiæ laborem deuicit, nosque ab ipsius potestate eripuit pulchre obedientiæ arma, quibus Dominus vicit, seruus iubetur assumere. Rex verus est, qui nullius eget adiutorio, nullius desiderat regnum, quia omnia ipsius sunt, & ipse fecit omnia. Dedit autẽ dona hominibus, promisit regnum vincenti, auxilium dimicanti. Rex iste verus est, præter quẽ non est alius, neq; in cœlo sursum, neq; in terra deorsum. Huic regi vero Dño militaturus arma fortissima atq; præclara obedientię assume. Obedientię arma ideo fortissima sunt, quia compellunt hominẽ seipsum abnegare sibi: fortissima, quia nihil est, q; diabolus plus odit, quam obedientiam veram. Plenus enim caritate Dei est, qui mandatis obtemperat humiliter atq; libenter superiorum. Superbus vero non obedit, quamuis quod iubetur facere videtur. Præclara sunt arma obedientiæ, quia ipsis protectum ducunt ad verũ lumen iustitiæ Christum, qui factus obediens Deo patri vsque ad mortem obedientiæ nobis perfectissimum reliquit exemplum. obedientiæ arma ad elidendum diabolum, qui in mentibus residet superborum, validissima sunt: quia nihil Deo adeo gratum est, & dæmonibus horrendum, sicut obedientia vera monachorum. Idcirco autem arma obedientiæ dicuntur fortissima, quia in bello spirituali sunt contra inimicum validissima. Nam qui cito ad perfectionem venire voluerit, si in omnibus bonis superiori suo fuerit humiliter obediens, consequitur q; cupit. Qui etiam nouiter ad conuersionẽ venit, maiori diligentia debet obedire, qa acrior ei tentatio plerunq; post conuersionem, q̃ ante restat. Dicit. n. Gregorius in registro ad Secundinũ inclusum. *Non dubito maiores te hostis callidi insidias perpeti, qui maiora bella contra eũ præparasti. Tanto quippe ille deceptionis molimina ardentius exquirit, quanto te cœlesti patriæ feruẽtius inhiare cognoscit.* Et ergo oportet nouiter venientes promptiores esse ad obediendum, quatenus aduersarium omnis boni propositi diabolum facilius vincere possint. Dicuntur autem *arma obedientiæ præclara*, quia iugum eius homini impositnm, quid sit in homine, demonstrabit, & seipsum sibi notum facit & cognitum. Quomodo inquis? In seculo existens quotidie peccat, partim ignorantia, partim negligentia, & multa committit, quæ non existimat esse peccatum, & ergo de ipsis non dolet. Cum vero ad religionem venerit, incipit intelligere quid fecerit, & quam grauiter offendit cognoscit, cum offendere desierit. Sic fit, vt qui in seculo magna peccata non ponderauit, in religione positus etiam intima abhorreat. Ibi præ multitudine peccatorum in consuetudinem lapsus peccatum suum non curauit. hic autem præ puritate cordis de non peccatis dolebit. Iustorum enim est timere culpam, vbi non est culpa. Quando enim homo adhuc in seculo mũdo viuit, vitia pacem in eo non habent, nec se ad lucem transferunt, quia expelli timent. Cum autem homo arma præclara obedientiæ per ingressum religionis assumpserit, vitia quæ prius quiete iacebant in corde, luce sacræ obedientiæ expelluntur de mente, & incipient tunc apparere horribilia, quæ prius videbantur iucunda. Nemo enim vnquam se melius poterit cognoscere, qualis sit: quam cum venerit, vbi qualis esse debeat, cogno-

Isid. lib. 2. c. 9.

** meritorum. Eccli. 34.*

Obedientia laudatur.

Greg. lib. 7. ep. 53.

Peccatè grauitas in religione cognoscitur, & non in mundo.

c. ad eius. dist. 6.

1. Ioan. 5. cognoscit. Sicut Apostolus dicit. *Totus mundus in maligno positus est*, lumen aufert videntibus, & oculos excecat clarorum, quia multæ sunt occasiones & impedimenta in seculo, quæ non patiuntur hominem seipsum cognoscere. Cum autem homo Dei vocatione factus fuerit monachus in sancta & approbata vita, & norma iustorum, tunc ea, quæ prius opere quasi suauia compleuit mala detestari incipiet seipsum accusando, nec sustinet eorum in corde suo cogitationes, quorum antea amauit voluptates. Si vero aliqua post ingressum religionis turpis cogitatio te pulsauerit, vel quodcunq; bonũ operari ineeperis, semper ad orationẽ confuge, & Dei implora auxiliũ, sine quo nihil potes facere, sicut beatissimus Pater noster consequenter admonet dicens.

§ 2 * *IN primis, vt quicquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici instantissima oratione deposcas.* In primis, id est, semper, quia hic non solum initium respicit conuersionis, sed etiam instantiam orationis. Nam sine intermissione oportet nos orare, quoniam nihil possumus sine adiutorio Dei perficere. Pater autem noster cœlestis ipse scit, quid nobis est necessarium: misericors est etiã semper & paratus ad dandum, sed vult rogari, & pro hoc solo irascitur, si à nobis non petatur. Vnde dicit in Euangelio. *Petite & accipietis.* promittit se daturum, tantum si fideliter petamus. Et ergo, quamdiu in hac nostra peregrinatione sumus, ab oratione nunquam debemus cessare, sed instantissima prece deposcere, & dicere. *Dirige Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam.* Hoc sufficit vnicuiq;, vt placeat Domino. Quitaq; iam de mundi laqueo sumus erepti, bonũ, quod vouendo incepimus, ab ipso perfici deposcamus, oratione continua, vt qui nobis propositum religionis inspirauit, vitã sanctã & in omni opere bono perseuerantiã donare dignetur, vt vsq; in finem perseueremus. Est autem semper orandũ, quia frequens oratio diabolum expugnat, angelos in orantis auxiliũ inuitat, Deum placat, & os inferni obstruit. Vnde Isidorus de summo bono. *Hoc est*, inquit, *remedium eius, qui vitiorũ tentamentis exæstuat, vt quoties quolibet tangitur vitio, toties ad orationem se subdat, quia frequens oratio vitiorũ impugnationem extinguit.* Deus enim prope est inuocantibus se, & orationem humilium exaudit, quia mens humilis reclinatorium est spiritus sancti. Orationibus autem fidelium omnis nocendi potestas dæmonibus aufertur, quia plus eum vrit deuota oratio, quam nos eius impugnatio. Vnde dicit Augustinus in sermone. *Oratio oranti est subsidium, Deo sacrificium, dæmonibus autem flagellum.* Quia n. omnis boni aduersarius est diabolus, & quicquid impedire valet, quod ad hominis salutem diuina clementia incipitur, non desistit, aptissime ponit Pater noster hic sanctissimus, vt quicquid agendum inchoamus bonum ab eo instantissima oratione perfici deposcamus. Vis quippe puræ orationis diabolo virtutem aufert omnis potestatis. Ipse namq; mali auctor est, nequitiæ origo, rerum hostis, corruptor seculi, hominis semper inimicus. ille laqueos tẽdit, lapsus parat, foueas fodit, comparat ruinas, stimulat corpora, pungit animas, cogitationes suggerit, immittit iras, nutrit discordias, pacem turbat, sanctos affectus dissipare nititur, humana violat, diuina tentat, animas sanctorum innumeris seducere versutiis conatur, religionem extinguere putat. Et in his omnibus nõ potest prçualere, quando ad Deum deuotæ mentium fundũtur orationes, quia capere nos suis suggestionibus nititur, nostrarum orationum iaculis acutis atq; ignitis Dei dispensatione acrius vulneratur & ligatur. Sicut enim superius dictum est, magna incipientium solet esse concertatio, & pugna aduersus inimicũ veteranum: & impetus eius in principio est durior, quã in fine, quia sæpe victus & orationibus nostris collisus multũ deficit & refrigescit. Vnde ait Chrysostomus super Matthæum. *Imprimis grauis & intolerabilis est impetus diaboli: quod si quis forti animo sustinuerit eum in primo, in secundo inueniet eum infirmiorem, quanto eum plus percussus fuerit, tanto magis refrigescit & deficit.* Quod autem dicit *instantissima oratione* fore deposcendum, Apostoli imitatur admonitionem dicentis. *sine intermissione orate.* Ait quoque Isidorus. *Tam perseueranter oportet intendere animum nostrum in orando atque pulsando, quousque importunas carnalium desideriorum suggestiones, quæ nostris obrepunt sensibus fortissima intentione superemus, ac tandem insistere donec insistendo vincamus.* Orationibus enim nostris pulsandus est Deus,

Matt. 7. Luc. 11.

Psal. 5.

Orandũ semper.

Isid. lib. 3. 6. 7.

Oratio flagellum dæmonis.

1. Thes. 5.

lib. de sũ. bon. c. 7.

Deus, vt hoc quod incipimus bonum, ad finem vsq; debitum perficere ipse dignetur. Ait propheta in Psalmo de hoc ad Deum. *Dirige in conspectu tuo viam meam.* Quid per viam, nisi vita accipitur? Faciamus itaq;, quod nos hortatur sermo præscriptus, sine intermissione orantes Dominum, vt gratiam, quam infudit incipientibus nobis custodiat & dirigat in finẽ vsq; sanctam ac perfectam. Nihil quippe proderit nobis religionis ingressus, si nõ perseuerauerimus vsq; in finem. Vnde dicit Gregorius in moral. *In cassum bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur, quia & frustra velociter currit, qui prius, quã ad metas venerit, deficit.* Scriptum quippe est. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Nemo autem perseuerare potest, nisi quem confortauerit ille, qui omnia potest. Ergo instantissima oratione deprecandus est, vt sua superabundanti gratia nostrum dignetur implere defectũ. Semper enim rogandus est Dominus, quia ipsi cura est de nobis, qui nouit, quid deficiat nobis, quoniã nihil nisi peccatum habemus à nobismetipsis. Rogemus ergo, quia iustum, quia decens, quia necessarium est, quoniã ipse est Deus, ipsi gloria & ipsi oratio. Ait quippe Cassiodorus super Psalmos. *Iustum est, vt iugiter rogetur, qui si non petatur offenditur.* Quid igitur tardamus, ô fratres, erigamus corda ad Deum, clamemus & oremus, ne intremus in tentationem, quia eo maior necessaria nobis est oratio, quo periculosior imminet certatio. Oremus itaque vt propositum nostrum, quod per voti emissionem sollenniter incepimus, per suæ gratiæ adiutorium fœliciter impleamus: vt qui nos iam in filiorum dignatus est numero computare, non debeat aliquando de malis actibus nostris contristari. Contristatur Deus, si incipientes non perseuerauerimus vsque in finem. quãdo scilicet malis actibus nostris contra suam voluntatem insurgentes nos suę participationis facimus alienos. Nec est credendum, quod in Deum cadat accidens iræ vel tristitiæ, sed contristari dicitur per similitudinem effectus, quando deserit peccatores, sicut contristati deserere solent sibi iniuriam facientes. Ait quippe Cassiodorus, *Deus nec splene ridet, nec vultu subsannat. Ira ergo Dei vocatur retributio peccatorum, sic tristitia eius dicitur euagatio delinquentium.* Qui enim peccauerit, abscondit sibi Deum, ipse vero Deo manifestus manet, sed non acceptus. Actus nostri & opera, si bona sunt, Deo accepta erunt, & quod acceptat, approbat: & per bona dicitur lætari, sic ecõtrario per mala tristari: Hoc autem non est sic intelligendũ, quasi habeat Deus iram vel gaudium accidẽtaliter, sed quia propter nostram salutẽ dicitur lætari modo nostro, vt intelligamus, quoniã rudibus nostris intellectibus nuda & humana verba proponuntur. Deus aũt gaudium est essentiale, in quo erit nostra in cœlis lætitia: neo irascitur, nec contristatur in æternũ more humano, sed quando deserit peccatorẽ dicitur contristari, quãdo punit irasci: Non n. possumus exprimere mentis conceptũ nisi more humano. Ne igitur contristemus Deũ, bene viuamus, quia bona vita semper gaudiũ habet. Sed quis bene viuere præsumit sine adiutorio Dei? Cui aũt aderit auxiliator Deus, nisi qui rogauerit prece continua eũ? Cũ omni igitur diligentia orare oportet, vt Deus omnipotens donet nobis, quos per religionis professionẽ in numero sanctorũ suorum computare dignatus est omnis boni perseuerantiã, ne vnquam de nobis, malaue cõuersatione nostra contristetur. Iam n. de huius mundi laqueo erepti in sortem electorũ Dei cõputati sumus per professionẽ obseruãtiæ regularis: in qua si iuxta eius institura perstiterimus feruidi vsq; in finẽ, pfecto filii Dei erimus. Sequitur.

lib. 1. moral. c. 40.

Matt. 10.

Deus quo modo dicatur tristari.

TEXTVS

Ita enim omni tempore de bonis suis in nobis ei parendum est, vt non solum iratus pater non aliquando filios suos exhæredet, sed nec vt metuendus Dominus irritatus malis nostris, vt nequissimos seruos perpetuam tradat ad pœnam, qui eum sequi noluerint ad gloriam.

SIcut pater quilibet carnalis ob quasdam causas filium suum exhæredare potest, ne sit particeps possessionũ paternarum, ita Deus pater omnipotens filios ꝑteruos, & mandatis suis inobedientes à consortio electorũ suorũ excludet. Qui n. voluntatem eius nõ fecerit, non habebit partẽ in regno ipsius. Sunt aũt aliqui casus, in quibus pater carnalis filiũ suum exhæredare potest. Quorũ primus est. Si filius

Filius exhæredari potest à patre aliquot de causis.

filius iniecerit manus in patrem vt offenderet: vel si grauem iniuriã fecerit patri
I. & contumeliam, vt *Extrauag. de iureiuran. c. quinta vallis.* in Glossa. Legimus enim Geneſis 9. quod propter illusionem sibi illatam à filio suo Cham, Noe ei maledixit, dicens. *Maledictus Chanaan, seruus erit fratrum suorum.* Homo itaq; qui blasphemauerit patrem suum Deum, alienus erit
Peccantes manus iniiciunt in Deum. à regno ipsius. Certe, qui semper peccat, semper Deum irritat, & toties manus iniicit in Deum, quoties mortaliter delinquit. Qui enim mandata Dei implere contemnit, nonne Deo inuriam facit? Nonne manus iniecerunt Iudæi in Deum, quando Iesum crucifixerunt? sed non minus peccant hodie, qui eum iterum peccatis suis crucifigunt clarificatum & regnantem in cœlis; quam illi, qui occiderunt eum ambulantem in terris. Monachus etiam, qui professionem suam operibus non implet, Deum
In reg. Bened. irridet, *cap 58. de disciplina suscip. fratrum.* quia mentitur, qui professionem suam operibus non ostendit. *22. q. 5. c. cauete fratres.* Videamus fratres, si ea quæ vouimus, operibus impleamus, vt non irrisores, sed amatores Dei simus, spem habentes hæ-
II. causa. reditatis æternæ. Item si cum maleficis versatur, vel efficiatur maleficus, quia
Exo. 22. scriptum est in Exodo. *Maleficos ne patiaris viuere.* Maleficus est, & Dei hæreditatẽ non consequitur, qui odio habet fratrem
A. lib. de spiritu sancto. suum, & eum inuidia persequitur. Maleficus est, quicunq; peccat in spiritũ sanctum per malitiam. Dicit enim Ambrosius. *Peccare in spiritum sanctum, est per malitiam & inuidiam fraternam impugnare caritatem.* Item: si filius delator extiterit contra
III. parentem, & per eius delationem contingat patrem grauia sustinere dispendia. si pro debito eius, quantum potuerit
IV. fideiubere noluerit, si de carcere parentẽ captum deducere neglexerit. O quot eorum, qui Christum in pauperibus suis captum, nec liberant, nec visitant, neq; in necessitatibus positis subueniunt, cum possint, põpose se ornant vestibus superfluis: Christus vero in platea nudus transit, & nemo dignatur eũ respicere. Et quã multi sunt hodie religiosi, qui Deo patri per tonsurã mentiti dignoscũtur, qbus vtilius fuisset viã religionis nõ fuisse egressos, & in seculo remansisse, quam votis se subiecisse, & ipsa præuaricasse, sicut canes reuersi ad vomitũ suũ. Numero & nomine plures sunt religiosi, sed merito pauci: quia dum male viuunt in monasterio, mente & plerunq; etiam corpore vagantur in seculo contra illud dictum Pauli, quod quilibet religiosus veraciter dicere deberet. *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Sed istis seculum floret, clausstrum sordet, chorus ardet, refectorium insipidum est, oratio friget, lectio torpet, meditatio horret, obedientia dura & aspera videtur, cella carcer est, oppidum paradisus, silentium languor, vigiliæ torpor, inclusio clausstri est eis, sicut viuo, sepultura. Colloquium humanum & vanum, quantumcunque longum fuerit, eis breue videtur; spiritualia autem exercitia tædio plena sunt. Quid amplius? mores incompositi, dissoluta sunt membra, verba in ore secularia, & quales sunt in corde, tales audiuntur in ore, quia ex abundantia cordis os loquitur. Hi tales sine dubio se Dei filios negant, quia opera filiorum Dei non faciunt, nec hæreditatem nisi emendati recipere possunt. Nulli tamen dubium, quin adhuc multi boni religiosi inueniantur, qui sunt mixti malis. qui à malis in hac vita nunquam possunt separari. *23. q. 4. c. quantus.* Gaudeant boni, quos non tangit increpatio malorũ. Itẽ si filia elegerit vitam luxuriosam, cum tamen parentes pro posse eam vellent dotare, illa autẽ inobediens hæreditate carebit. Filia luxuriosa & anima peccatrix inobediẽs Deo & Ecclesiæ, quæ quia diabolũ præuaricatorẽ sequitur, nolens audire patrẽ celestẽ, qui promittit ei infinita bona, cõmiscet se terrenis desideriis & voluptatib', nõ habebit hæreditatẽ Dei, nisi per pœnitentiã resipiscat. Audiamus ergo Dominum Deum patrem nostrum cœlestem, fratres, ne nostris culpis pronocatus ab hæreditate sua nos excludat. Item si filius vxori vel concubinę patris sui se miscеat, exhæredabitur: sicut
VI. Ruben primogenitus Iacob feciſſe legitur, cui Iacob pro benedictione ait Geneſis 49. *Non creſcas, qa ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.* Vnde priuatus fuit iure primogenituræ. Quis est iste filius, qui cubile patris sui ascẽdit Dei, nisi diabolus qui gloriam eius cõcupiuit, similis ei fieri volens, exhæres factus fælicitatis æternæ? Ita & omnes filii superbiæ Deo odibiles, qui se contra Deum, &

Monachi irreligiosi qui.

V.

Gal. 6.

mandata eius erigunt consortio sanctorum carebunt. Omnis autem filius, qui contumax est parentibus & inobediens, in veteri testamento interficiebatur. Vnde Deuteronomii 21. dicitur. *Si genuerit homo filium contumacem ac proteruum, qui non audiat patris ac matris imperium, & coercitus obedire contempserit, apprehendent eum, & ducent ad seniores ciuitatis illius, & ad portã iudicii, dicentq; ad eos. Filius iste noster proteruus & contumax est, monita nostra audire contemnit, commessationibus vocat & luxuriæ atq; conuiuiis, lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & moriatur, vt auferatur malum de medio vestri, & vniuersus Israel audiens pertimescat.* Si hoc in lege veteri factum est, quid faciendum est in lege gratiæ & perfectionis? Qui ergo contumax fuerit Deo & vicariis eius, quomodo immunis erit? Sunt & alii casus, quibus priuatur filius hæreditate patris, quos non est necessarium discutere singulos, quia ad alia calamum intendo dirigere. Est igitur Deo in omnibus parendum, quia potestatem habet occidere, & viuificare, pauperem facere & ditare. Ne autem exhæredet contumaces filios, ira ipsius vel offensa cauenda est, quoniam nemo videbit Deum, nisi mundus corde. Irritatus namq; Dominus malis nostris inutiles superbosque seruos tradet ad pœnam, qui eum tranquillum, & bona promittentem nolebãt sequi ad gloriam. Ira verò Dei non est commotio, siue turbatio, sicut hominis, sed tranquilla iusti supplicii constitutio, sicut superius dictum est. Deus enim peccata puniendo dicitur iratus, remittendo placatus. Ait enim Augustinus in epistola, *Non est quo fugias à Deo irato, nisi ad Deum placatum*, & econuerso. Iustus namque Dominus in omnibus operibus suis qui nunquam est arguendus, sed semper obsecrandus, *Ideoq; de bonis suis in nobis ei parendum est, vt non solum non iratus. &c.* vt supra. Duplicem timorem Dei his verbis insinuat, filialem, scilicet, & seruilem, quando videlicet Deum timemus, quia bonus, quia sanctus & iustus est, non sanctus vt effugiamus pœnam, sed vt habeamus hæreditatem. Seruus autem Dominum suum timet, non eo, quod bonus vel iustus sit, sed quia potens est eum punire. Hoc autem interest inter timorem filialem & seruilem: quia filius timet, ne offendat; seruus pauet, ne vapulet. virtuosus est timor filialis quia reuerentia patris dicitur: bonus seruilis, quia Domini potentiam ostendit. Melius est aũt filialiter timere, & diligere, quam seruiliter nõ diligere, sed dũtaxat timere. Vnde dicit Hugio de anima. *Si amor Dei non te teneat, saltem teneat & terreat timor iudicii, metus gehennæ, laquei mortis, dolor inferni, ignis vrens, vermis corrodens. Sulphur fœtens, flamma tartarea, & omnia mala.* Et Cassiodorus. *Humanus timor differentia retribuit, diuinus autem spei firmamenta conscendit.* Cum audis, quod Dominus tuus dulcis est, attende quid diligas, cum audis, quod rectus, attende quid timeas, vt amore & timore Dei excitatus legem eius custodias. Sed de hoc timore duplice dicendum vsque in primo gradu humilitatis reseruo, ne fastidium generet superfluitas verborum. Videamus quid sequitur. Ait ergo.

Ira Dei quid sit.

Timor duplex.

§ 1

Exurgamus ergo tandem aliquando, excitante nos scriptura, ac dicente. Hora est iam nos de somno surgere. TEXTVS. *Rom. 13.*

SEntentiam Domini seruat dicentis Lucæ 12. *Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati sint serui illi.* ac si aperte dicat. Qui in pueritia neglexit conuerti, saltem in iuuentute conuertatur, vt beatus sit. Qui autem in iuuentute non est conuersus ad Dominum, id est, in secunda vigilia, vel in tertia, id est, in senectute conuertatur: quia & Dominus ei qui venit hora duodecima tantum dare dignatus est, quantum ei, qui intrauit hora tertia. Apte igitur ait hic sanctus. Ait ergo, *Exurgamus ergo tandẽ aliquando*, scilicet vel in vltima senectute, si nõ in pueritia, vel in iuuentute curauimus. Duo enim aduerbia sunt hic, *tandem aliquando*, omne tempus hominis explentia, vt si diceret. Ob causas ergo prædictas, scilicet de cõputatione nostri in sortẽ filiorũ Dei, & eas quæ præcedunt, & sequuntur, fratres mei, exurgamus cum effectu de sõno torporis & negligentiæ, vel peccati, excitante nos Domino per scripturã. Scripturam sacram in sui operis robur allegat, quia quicquid testimonio eius docetur stabile fundamentum habet. Ait enim Augustinus super Genesin. *Maior est huius scripturæ authoritas, quam omnis humani ingenii perspicacitas.* sacræ namque scripturæ auctoritas maxime

S. scripturæ encomium. Aug. in lib. de gẽ. ad lit.

xime necessaria est docenti, quia vbi testimonium ipsius est confundit negantem. Ipsa docet, instruit, arguit, corripit & emendat. omnia enim potest, quia omnium auctorem ostendit. Vnde Paulus Apostolus Timotheo 1. epist. c. 3. scribit. *Omnis enim scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendū, ad arguendū, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Testimonium sacræ Scripturæ est fortissimum ad arguendum, stabile ad corripiendum, efficax ad docendum, iucundum ad consolandum & validum. Si est Deus inueniendus in terra, non puto eum alias esse quærendum, quam in sacra Scriptura, quia nullius hominis consolatio tam efficax & sancta homini contribulato spiritu, sicut exhortatio sacræ paginæ. Quicquid quæris, ibi inuenis, quod desideras, ibi habes, nihil deest tibi eorum, quæ spiritum refocillare, & vitam emendare solent in hac mortali peregrinatione; si continuus fueris in sacra lectione, verba tamen sancta conuertens in opera. Dicit namque Hieronymus in epistola. *Pinguissimus sermo diuinus est, omnes habet in se delicias, quicquid volueris ex sermone diuino nascitur,* Idemque ait. *Vtere lectione diuina vitæ speculo, fœda corrigendo, pulchra conseruando, pulchriora faciendo. Scriptura enim speculum est, fœda ostendens & corrigi docens.* Et Gregorius in moral. ait. *Scriptura sacra mentis oculis quasi speculum quoddam opponitur, vt ibi interna facies nostra videatur. ibi enim fœda, ibi pulchra nostra conspicimus: ibi sentimus, quantum proficimus, quantumue à profectu longe distamus.* Ipsa quippe sacra lectio cordibus nostris intimat, quem diligimus: quem quæramus, & quomodo inueniamus ostendit, quia pectora igne diuini amoris accendit, contemptum mundi parit, Christum imitari docet. Ait enim Hugo de anima. *Nihil in hac vita dulcius sentitur, nihil auidius sumitur, nihil ita mentem ab amore mundi separat, nihil sic animam contra tentationem roborat, nihil ita hominem excitat & adiuuat ad omne opus, & ad omnem laborem, sicut studium Scripturæ sacræ.* Mentem namque à torpore excitat, torpentem terret, proficientem laudat, nescientem docet, doctum honorat. Inter omnia huius mundi quæque voluptuosa, iucunda, vel delectabilia nihil me, teste Deo, plus delectat, plus satiat, plus & efficacius consolatur, quam sacra scriptura. Omne tempus mihi breue est, si vaco lectioni & studio sacræ Scripturæ: si autem non lego vel studeo, omnis hora mihi tædiosa & interminabilis videtur. Ibi enim inuenio quod volo, instruor quid quæram, confirmor vt sperem, vitamque dirigere doceor. Ibi enim diuinus amor declaratur, sanctorum gesta excitant ad imitandum Christum, & æternæ beatitudinis habitatio auidissime sititur, caritas accendit animum. Ait enim Hugo de arca Noe. *Sacra Scriptura est liber vitæ, cuius origo æterna, cuius incorruptibilis essentia, cuius cognitio vita, cuius scriptura indelebilis, cuius inspectus desiderabilis, cuius doctrina facilis, cuius scientia dulcis, cuius profunditas inscrutabilis, cuius verba innumerabilia, & vnum tamen verba omnia. Magnus quippe ex lectione profectus acquiritur, si non vt delectet, sed vt ædificet legatur.* Vnde Isidorus de summo bono, *Omnis*, inquit, *profectus ex lectione & meditatione procedit. Quæ enim nescimus, lectione discimus: quæ autem didicimus, meditatione conseruamus, geminum confert donum lectio scripturarum sanctarum, siue quod intellectum mentis erudit, seu quod à mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit. Excitati enim sæpe illius sermone subtrahimur à desiderio mundanæ vitæ, atque accensi in amore sapientiæ tanto vana spes mortalitatis huius nobis vilescit, quanto amplius legendo spes æterna * caluerit.* Sed hoc non * *claruerit.* percipit carnalis infantulus, qui nequaquam sapere potest, quid lateat in sacra Scriptura. lectio sibi fastidium generat, non intelligens, nec intelligere conans, quid legat in libris. Sunt enim nonnulli, quos plus delectat lectio noua & curiosa, quam diuina, libris gentilium & figmentis eorum intendunt. hi profecto fructum lectionis non consequuntur, sed mentis euagationem, & animæ suæ detrimentū iuxta insipientiam suam cumulant, quia Christianus dicta vel figmenta poetarum legere prohibetur: plena enim sunt omni spurcitia * pessima. Dicit namq; Isidorus. *Ideo prohibetur Christianus figmēta legere poetarum, quia per oblectamenta inanium fabularum mentem exci-*

Hiero. in Psal. 147.

Hiero. ep. ad Demetriad.

lib. 2. c. 1.

Hug. lib. 2. c. 12.

Isid. lib. 3. c. 8.

l. 3. de sū. bono. c. 13.

Poetæ ethnici non legendi.

excitant ad incentiua libidinum. Quidam plus meditari delectantur gentilium dicta propter tumentem & ornatum sermonem, quam scripturam sanctam propter eloquium humile. Sed quid prodest in mundanis doctrinis proficere, & inanescere in diuinis? caduca sequi figmenta, & cœlestia fastidire mysteria? Cauendi sunt tales libri secularium, & propter amorem sanctarum

In cap. 1. *scripturarum vitandi.* Ait enim Chrysostomus super Matthæum. *Inter mille secularium sermonum talenta vix centum denarios spiritualium poteris inuenire verborum, immo nec decem quidem obulos.* Venit Dei filius in carne, piscatores, non rhetores, siue dialecticos in suæ fidei prædicatores elegit, quia nequaquam in eloquentia, sed in

1. Cor. 2. virtute Dei regnum est, sicut ait Apostolus. *Stultam fecit Deus sapientiam huius mundi.* Quicquid non ædificat, prorsus abiiciendum est, quia intentionem sanctam corrumpit otiosa scriptura. Si enim sensus quærimus verborum, non spernemus simplicitatem sermonũ, profunda namque & sensum & deuotionem auferunt

Ibid. eloquentiæ verba. Ait nempe Isidorus.

* *Gentilium dicta exterius verborũ eloquentiæ, interius vacua veritatis scientia manent. Eloquia autem sacra exterius incompta verbis apparent, intrinsecus autem mysteriorum sapientia*

2. Cor. 4. *fulgent. Vnde & Apostolus. Habemus, inquit, thesaurum in vasis fictilibus.* Sed tanta sacræ scripturæ commendatio est, vt eam nemo explicare valeat, profunditas nimia, latitudoq; maxima, quam nullus comprehendere potest. Ait enim Augusti-

**Physica. Aug. ep. 3. ad Volus.* nus. *Hic* Philosophia, quoniam omnes omnium naturarum causæ in Deo creatore sunt. hic Ethica, quoniam bona vita & honesta non aliunde formatur, quam cum ea, quæ diligenda sunt, diliguntur, hoc est Deus & proximus. hic Logica, quoniam veritas, lumenque animæ rationalis non nisi Deus est. hic etiam laudabilis Reipubl. salus: neque enim optime custoditur ciuitas, nisi fundamento & vinculo fidei firmæque concordiæ, cum bonum commune diligitur, quod summum atque verissimum Deus est.* In sacra scriptura animæ cibus & potus est, dum iuxta gratiam à Deo vnicuiq; concessam sibi quisque, quod faciat, inquirit, & inuenit. Non tamen in secularium, seu poëtarum ludibriis, in quibus non est salus, neque veritas, anima reficitur, qui tanquam æs sonans sine fructu est, colorem habens verborum, non autem veritatem operum bonorum. Vnde dicit Isidorus de summo bono. *Omnis secularis doctrina spumantibus verbis resonans, ac se per eloquentiæ tumorem attollens per doctrinam simplicem & humilem Christi euacuata est.* Ait enim Augustinus ad Volusianum.' *Quæ disputationes, quæ litteræ quorumlibet philosophorum, quæ leges quarumlibet ciuitatum duobus præceptis sint comparandæ, ex quibus dicit Christus totam legem & prophetas pendere, scilicet. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum sicut teipsum.* Hic cibus sacratissimus est spiritus, hic consolatio mœstorum, confortatio debilium, liberatio captiuorum, via cæcorum, & refectio sanctarum animarum. Vnde dicit Gregorius. *Scriptura sacra aliquando nobis cibus est, aliquando potus: cibus est in locis obscurioribus, quando quasi exponendo frangitur, & manducando deglutitur: potus vero est in locis apertioribus, quia ita sorbetur, sicut inuenitur.* Ait etiã Hugo de anima. *in refectorio sacræ scripturæ tres mensæ, id est, tres intellectus diuinæ scripturæ ponuntur, videlicet, historialis, mysticus & moralis. Prima mensa simplicibus, secunda Doctoribus, tertia communis est vtrisque. In prima cibus est grossior, in secunda subtilior, in tertia dulcior. Prima continet saporem exemplorum, secunda vim mysteriorum, tertia dulcedinem morum. Prima pascit miraculis, secunda figuris, tertia verbis vel factis.* Sed quid diutius his immoror verbis, quasi scripturam commendare digne præsumens? Pulchre testimonium sacræ scripturæ allegat, qui perpetuum ædificium ædificat: quia vt firmitatem habeat docentis, vnum præponendum est sanctæ scripturæ testimonium. Ait enim Hieronymus. *Quod de sacris scripturis auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Vnde bene ait. *Excitante nos scriptura, ac dicente. Hora est iam nos de somno surgere.* Ne enim quisquam diceret. quia tu dicis nos debere surgere, qui non iacemus, vt probet, quia multiplex est somnus, scripturæ testimonium, quod scribit Apostolus Paulus ad Romanos 13. introducit, quo ait. *Et hoc scientes tempus, quia hora est iam nos de somno surgere.* Somnus in sacro eloquio multiplex est, sicut tradunt nobis scripta sanctorum. Est n. somnus torpor ignauiæ ad faciendum bona, de quo loquitur hic Apostolus. Hora est iam nos de somno torporis surgere. Est etiam somnus mysti-

Isid. lib. 3. c. 13.

Ibid.

Scripturæ laudes.

*

Greg. lib. 1. mor. c. 21.

Hug. lib. 3. de claustro ani. c. 8.

Hier. in c. 23. Matt.

Somnus in script. multiplex.

cus,

tus, quo in Domino quiescitur, sicut in
Psal. 4. Psalmo. *In pace in idipsum, dormiam & requiescam.* Est & somnus peccatorum, quo
* anima peccatis soporata iacet, vt Apostolus. Surge qui dormis, & illuminabit te
Eph. 5. Christus. Et item in psalmo. *Dormierunt*
Psal. 75. *somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Est & somnus mortis. sicut Dominus in Euange-
Matt. 25 lio. *Dormitauerunt omnes & dormierunt.* Est somnus naturalis, requies membrorum & virtutum animalium, sicut ait Dominus in Euangelio, Matthæi 26. *Dormite iam & requiescite.* Est somnus requi-
Psal. 126. etionis æternæ, vt in psalmo. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini:* Est somnus stupor mentis, vt in Genesi cap. 45. legimus de Iacob. *Audito Iacob.* inquit, *quod filius suus Ioseph viueret, quasi de graui summo euigilans, tamen non credebat eis.* Est somnus extasis mentis, in qua aliquid reuelatur homini à Deo per angelum, sicut Matthæi 2. legimus. Ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto. Et somnus amor terrenorum, si-
Psal. 131. cut in psalmo. *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem.* Primus igitur est somnus torporis, res damnabilis in religioso, quia cum per vsum longum remissæ conuersationis monachus inci-
Torpor in religioso arguitur. pit tepescere, quasi lapsus remittit animum ab intentione primæ institutionis sic transit nec iustus, nec omnino se peccatorem æstimans se seducit, quando se sanctum putat & ignorat, quia miser & miserabilis est. Vnde de talibus Dominus per Iohannē in Apocalypsi loquitur, di-
Apoc. 3. cens, *Vtinam calidus esses, vel frigidus. Sed quia nec calidus es, nec frigidus, sed tepidus, incipiam te euomere de ore meo*, id est, congregatione
Isid. lib. 2. c. 10. sanctorum meorum. Ait namq; Isidorus de summo bono. *Multos remissa conuersio in pristinos errores reducit. Tepidus in conuersione otiosa verba & vanas cogitationes noxias esse non conspicit. Quod si à torpore mentis euigilauerit, ea quæ leuia sunt confestim quasi horrenda atque atrocia pertimescit. Fraus & desidia in omni opere bono formidanda est. Fraudem facimus Deo, quoties in omni bono opere nostro nosmetipsos non Deum laudamus. Desidiam agimus, quoties per torporem languide ea quæ Dei sunt, operamur.* Ideoque hortatur nos pater & dux noster hic sanctissimus de somno debere surgere, quia sicut homo dormiens non discernit, sic in torpore & negligentia ambulans se nescit peccantem. Quia vero non curat emendare parua paulatim delabitur ad maiora, & sic postmodum sua tepiditas cū frigidis habebit dolorem. Ait enim Gregorius in *lib. 10. c. 14* moralibus, *Si curare parua negligimus insensibiliter seducti audacter etiam maiora perpetramus.* Interea notandum est de hoc somno torporis & negligentiæ, à quo iubemur, excitante nos scriptura, surgere, quod monachus regulam aliquam approbatā professus, si per vitam suam neglectam desidiose ad ea, quæ tenetur trāsgressor repertus fuerit, periculose conuersatur, vtpote qui in seculo mortuus venit ad religionem, in qua resurrexit à torpore mentis, iam iterū sepultus mortuus iacet ignorans, quia male conuersatur. Vnde dicit Hieronymus. *O monache, quiescis corpore, stat anima tua, & non* *Iere. 48.* *psallis Deo. maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.* Exurgamus ergo vel sero excitante nos scriptura, & dicente ad Romanos 13. *Hora est iam nos de somno surgere.* Nihil habemus excusationis fratres mei carissimi, clamabit contra nos omnis creatura, quia *scienti bonum,* *Iac. 4.* *& non facienti peccatum est illi.* Possumus etiam non incongrue somnum peccatorum intelligere, à quo nos excitat scriptura, quia somnus peccatorum pessimus & periculosissimus est, dum homo in peccatis viuens, tanquam si dormiret, non discernit inter bonum & malum, se nescit peruersum, quem non custodiuit conuertendum. Ideoque in psalmo dicitur. *Declina à malo, & fac bo-* *Psal. 36.*
num. Nihil quippe prodest mala non facere, nisi etiam bona adiiciamus. Mala
* non facere pœnam non habet, sed bona omittere corona caret. Hora itaq; nunc est nos de somno torporis & negligentiæ surgere, & vigilare ad Christum, vitam emēdare, moresq; corrigere, vt cum venerit nos vigilantes Dominus inueniat. Vnde subiungitur.

Et apertis oculis nostris ad Deificum lu- ℣ ℟
men attonitis auribus audiamus, diuina vox quotidie clamans quid nos admoneat.

VOx diuina, prædicatio sanctorū est, qui non à semetipsis, quę ipsi volunt, sed quę Deus mandet, loquuntur nos excitando, & pariter exhortando, vt apertis

ocu-

oculis mentis noſtræ ad deificum lumen intendamus, eum qui ait. *Ego ſum lux mundi.* Et item. *Ego ſum lux vera.* Lux quidem, quæ illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundum. Ioan. 1. Vera lux Chriſtus eſt, quæ non extinguetur in ſeculum ſeculi. Sicut enim lumẽ ignis lucet die ac nocte, ſic lux diuinæ gratiæ lucet ipſi animæ æternaliter ſine fine tam in nocte præſentis miſeriæ, quam in die fœlicitatis æternæ. Tantæ virtutis eſt lumen hoc gratiæ diuinæ, vt in anima effectualiter perficiat, quicquid ignis naturalis facit in corpore, imo plus, quam æſtimare poſſumus. Ignis vero iſte, qui lucem dat animæ, ſpiritus ſanctus eſt, qui & caritas Dei. Sicut ergo ignis naturalis * nobilitatem in cunctis cauſat corporibus, ita ſpiritus ſanctus nobilitatem, habilitatemq; omnium bonorum operum atq; virtutum efficit. Nullũ enim bonum perficitur, quod per ſpiritum ſanctũ non concipitur, teſtante Apoſtolo Paulo, qui ait. *Nemo poteſt dicere Dominus IESVS, niſi in ſpiritu ſancto.* IESVS ſaluator aut ſalutaris dicitur. Is ergo IESVS in ſpiritu ſancto dicit, qui omnia quæ facit bona ad ſalutem animæ prætendit. Et ſicuti ignis eſt cauſa agilitatis corporum, teſte Iſidoro in libro 2. hiſtor. naturalium, vbi dicit, quod corpora complexionis igneę & naturæ ſuo motu agilia ſunt & curſu: ſic ſpiritus ſanctus animam agilem reddit, vt ad cœleſtia quo vult expeditius perueniat regua. Et ſicut ignis cauſat calorem, non in ſe, ſed in nos: ita ſpiritus ſanctus ignem diuinæ caritatis in mentibus fidelium accendit, de quo Dominus in Euangelio loquitur dicens. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt ardeat?* Ignis etiam cibos humano vſui neceſſarios coquit & præparat: & ſpiritus ſanctus fidelium animas diuino aſpectu dignas facit, cum eas fragrantiam producere efficit bonæ operationis. Et ſicut ignis humida exſiccat, ita gratia ſpiritus ſancti mentes humiles ſublimat, & igne ſuæ caritatis inflamãt, vt deſpectis voluptatibus ſeculi ſoli Deo ſummo bono inhæreat. Lux ergo animarum noſtrarum ſpiritus ſanctus eſt, ſine quo nullum bonum, nec incipitur, nec terminatur, qui ſua virtute mollificat mentes & animos induratos, & indurat homines viribus infirmatos. Et ideo exurgamus, & apertis oculis mentis noſtræ ad deificum lumen curramus, dum lucet, ne, quod abſit, poſtea quæramus, & non inueniamus, qui iam prope poſitum non aſpicimus. Vnde Dominus ait. *Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filii lucis ſitis.* Et iterum. *Qui ambulat in tenebris, neſcit quo vadit.* Dicit ergo legislator hic Benedictus. *Et apertis oculis noſtris ad Deificum lumen attonitis auribus audiamus.* &c. Attonitis auribus dicit, id eſt, erectis & ad verbum Dei intentis, quia nõ capitur in propria ſignificatione, quaſi territis, vel ſtupefactis, ſed quaſi diligenter auſcultantibus, & cum auiditate verbũ Dei audientibus. Oportet enim, vt aures noſtræ mentis pariter & corporis ſemper ſint intentæ ad Dei percipienda mandata ſimul & monita: quia ſemel audiſſe non prodeſt, ſicut nec ſemel feciſſe, ſed vt mens excitetur à torpore ignauiæ, ſemper pulſandæ ſunt aures intelligentiæ. Ait enim. *Audiamus, diuina vox quotidie, &c.* Vocem diuinam vocat diuinitus inſpiratam producẽs teſtimonium prophetæ in pſalmo 93. qui ad incitandum fidelium mentes recitari ſolet in Eccleſia & dici.

Matt. 5. Ioan. 1. 1. Cor. 12. Luc. 12. Ioan. 12. Ibid.

Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.

Cordis obduratio quid ſit.

Cor obdurat, qui verba Dei audire cõtemnit, & ſi audit, facere tamen non vult: qui non tam obduratus, quam obſtinatus eſt. Vnde tales plerunque ex eo, quo emendari debuerant exhortationis verbo corda habentes obdurata deteriores fiunt: Ait quippe Hugo de 12. abuſionibus. *Tres ſunt ſpecies obſtinatorum & obduratorum. Prima eorum qui ex correptione proficiunt. Secunda eorum, qui ex * comminatione deteriores fiunt. tertia eorum, qui emendationem promittunt: & non faciunt. Ex correptione Manaſſes factus eſt melior, Nabal ex cõminatione factus eſt deterior, Pharao ex afflictione durior.* Obduratio autem quid aliud eſt, quam ex irrationabili & inflexibili mentis obſtinatione melioribus nolle cedere? Nolite igitur obdurare corda veſtra cum audieritis vocem Domini, ne ſi eum ſpreueritis docentem, deſpiciat & ipſe vos clamantes in tempore tribulationis. Duritia enim cordis nihil boni operatur, ſed iram prouocat altiſſimi, proximo nõ ſcit cõdolere, immò nec ſibi, Ait enim Bernardus libro 1. de conſider. ad Eugenium Papam

Hugo Victorin. lib. 2. de clauſtro ani. c. 15. * commonitione. 2. Par. 33. 1. Reg. 25. Exod. 8.

post initium.

Papam. *Solum est cor durum, quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit.* Et subiungit. *Nemo duri cordis salutem vnquam adeptus est, nisi quem forte miserans Deus, abstulit ab eo, iuxta prophetam, cor lapideum, & dedit cor carneum.* Nolite ergo obdurare corda vestra, quia cor durum Deo odibile, hominibus contrarium; omnique creaturæ detestabile est, *quod nec precibus flectitur, nec minis terretur, nec beneficiis siue promissis mollificatur. Cor durum est, quod proximo non compatitur dolenti, nec sibi quidem vtile est, quia quasi aspis obturat aures suas ne audiat bonum, Deum non timet, nec hominem veretur, sed quicquid non vult hoc putat esse malum, & quod sibi placet, totum æstimat bonum.* Vnde Bernardus ibidem. *Cor durum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis induratur. ingratum est ad beneficia, infidum ad consilia, ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiscens, præsentium negligens, futura non prouidens. Ipsum est, cui præteritorum præter solas iniurias nihil omnino non præterit, præsentium perit nihil, futurorum nulla nisi forte ad vlciscendum prospectio, seu præparatio. Et vt breuiter cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem veretur.* En quanta mala in corde duro: & quam raro emendatur, quod tantis vitiis obduratur. Comparantur homines hi non immerito lapidibus, qui ex spuma maris adhærente littori, siue terræ crescunt: sic homines littoribus acediæ insistentes, ac solis terrenis atque transitoriis & caducis rebus adhærentes in lapides vertuntur, quia adeo indurantur corda eorum, vt si audierint tormenta malorum pronunciari futura, non paueant; si præmia iustorum, non aduertant, sed tantum carnalibus delectantur voluptatibus nil spirituale sapientes. Nihil enim est, vt expertus sum in pluribus, quod adeo cor successiue induret, etiam hominis, qui aliquid esse videbatur, sicut acedia & remissa conuersatio, siue conuersio. Ait enim Isidorus de summo bono. *Multos remissa conuersio in pristinos errores reducit, ac viuendi tepore resoluit.* Tales enim sunt monachi negligentes, qui dum se in paruis corrigi nõ volunt, paulatim in maioribus incorrigibiles fiunt. Vnde sæpe fit, quod minus dolendum est, vt qui feruorem deseruit nouitiatus, hunc postea liget obstinata & indurata senectus: adeo vt neque corrigi, neque emendari valeat senex, qui negligenter vixerat iuuenis. Vnde scriptum est. *Bonum est homini, cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua.* Pessimum malum senis & obstinatio, & iuuenis nolens acquiescere. Si enim adolescens corde obstinatus non se correxerit, dum iuuenis est, senex nunquam emendabitur. Scriptum est enim Prouerbiorum 22. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Maledictus homo, qui auertit aures suas, ne audiat legem Domini. Ideo, si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra: quia aures corporis recepistis, vt verbum Dei audiatis, & intellectum mentis, vt retineatis audita: quia *non auditores legis, sed factores iustificantur.* Sequitur ergo.

Religiosus tepidus facile indurator.

lib. 2. c. 10.

Thren. 3.

Rom. 2.

§ 7

Et iterum. Qui habet aures audiendi, audiat, quid spiritus dicat Ecclesiis. *Apoc. 2.*

ET *iterum.* Supple alia Scriptura dicit & vox diuina loquitur, dicens. *Qui habet aures, &c.* Verba sunt hæc Domini nostri IESV CHRISTI, quæ loquitur per famulum suum Ioannem, Apocalyp. 2. *Qui habet aures*, non tam corporis, quam etiam mentis; *audiendi audiat, quid spiritus sanctus dicat Ecclesiis.* videlicet, omnibus Christi fidelibus. Ecclesia enim Christi fidelium congregatio est, quando conuenientibus in vnum spiritus sanctus Doctor adest, vnumquemque prout vult instruendo & docendo, non corporaliter, sed mentaliter, dum mira operatur interius, quæ minima considerantur exterius. Vnde Dominus ait. *Spiritus, vbi vult, spirat, & vocem eius audis, & nescis, vnde veniat, vel quo vadat.* Spiritus ergo clamat Ecclesiis, dum fidelium mentes inuisibiliter tangit interius, & per sanctorum dogmata aurem pulsat exterius, vt quod quisque boni proponit in mente, discernit sapienter, quo ordine id fieri debeat in ratione. Sed forsan interrogat aliquis, & dicit. Quando audiui spiritum sanctum clamare ad me? Ad quod ego.

Ioan. 3.

Quotidie ſpiritus clamat, quia iugiter per ſanctorum ſuorum ora nos docet. Deus enim ſpiritus eſt, cuius vox non ſilet, ſed quotidie clamat, ſpirituales requirens auditores. Et quid dicit? Quid, inquam, dicit, quod ad præſens attineat? Audi quid dicat.

§ 8

Pſal. 33. *Venite filii audite me, timorem Domini docebo vos.*

QVid eſt hoc, quia ſpiritus nos filios vocat? Quis audiuit talia? Certè filii ſpiritus, id eſt, Dei, quia Deus ſpiritus eſt, ſumus, ſicut ſcriptum eſt in pſalmo. Pſal. 81. *Ego dixi Dii eſtis, & filii excelſi omnes.* Loquitur itaque ſpiritus ſanctus ad nos, cuius nos filii ſumus, quia ex aqua & ſpiritu ſancto regeneramur in vitam æternam, dicens. *Venite filii, audite me.* Quo veniemus ô pater orphanorum? vbi es? Gen. 1. * *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Venite ergo mente, non pede. Spiritus Domini ſuper aquas fertur humilitatis. Vnde ſcriptum eſt. Iſa. 66. *Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum, ac trementem ſermones meos?* Spiritus enim ſanctus eſt, qui viuificat animam: ſine quo nullum bonum perficitur, nec omne malum cauetur. Nec eſt putandum, quod ſpiritus aliquid poſſit, quod pater & filius non poſſit, ſed pater, & filius, & ſpiritus ſanctus vnus eſt Deus, & vnus omnipotens. Ait enim Iſidorus lib. 1. de ſummo bono. c. 17. * *Spiritus ſanctus patris & filii eſt, vnde & vnum ſunt, pater & filius & ſpiritus ſanctus, quia nihil habet pater, quod non habet filius.* Vnde filius per ſe in Euangelio. Ioan. 10. *Ego*, inquit: *& pater vnum.* Vnum dicit propter ſubſtantiæ vnitatem; Sumus, propter perſonarum diuerſitatem: quia ſancta Trinitas vnum eſt in ſubſtantia, ſiue eſſentia, trina vero in perſonis. Pater ergo, & filius, & ſpiritus ſanctus vnus Deus eſt, vnus Dominus omnipotens. Spiritus autem ſanctus pro eo quod conſolator ſit, paraclitus dicitur: nam latine paracliſis conſolatio nuncupatur. Omnis enim conſolationis infuſor ſpiritus ſanctus eſt, cuius dona immemorabilia ſunt. Vnde ait Iſidorus libro primo de ſummo bono. Ibid. *In ſpiritu ſancto omnis gratia donorum conſiſtit. Donum ſancti ſpiritus in membris Eccleſiæ ſingillatim diuiditur, & in ſingulis ſingula dona tribuuntur. Ipſe enim, prout vult, gratiarum dona largitur, aliis dans ſermonem ſapientiæ, alius ſcientiæ, aliis fidei, atque ita vnicuique virtute ſpiritus ſancti diuiſio gratiarum tribuitur, & in omnibus idem vnus habetur.* O quam bonus eſt ſpiritus IESV, quam ſanctus, quam rectus, dulcis & fortis, infirma roborans, aſpera planans, corda purificans, conſolationem præbens humilibus. Vnde Sapientiæ duodecimo dicitur. *O quam bonus & ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus in omnibus?* Bonus, quia ſine ipſo nemo Deo placuit vnquam; ſuauis, quia in ipſo omnis conſolationis plenitudo conſiſtit. Ipſe enim eſt, qui docet homines ſcientiam, qui clauem tenet ſapientiæ, aperiens cui vult, & claudens cui non vult. Vnde eiuſdem 7. dicitur. *Eſt enim in illa ſpiritus intelligentiæ ſanctus, vnicus multiplex, ſubtilis, diſertus, mobilis, incoinquinatus, certus, ſuauis, amans bonum, acutus, qui nihil vetat benefacere, humanus, benignus, ſtabilis, certus, ſecurus, omnem habens virtutem, omnia proſpiciens, & qui capiat omnes ſpiritus intelligibiles, mundus, ſubtilis.* Ecce ſpiritus ſancti virtutem, qui eſt omnia potens, docens ineffabilia, quæ proferre humanus ſermo non poteſt. Ipſe eſt, qui caritatem fraternam confirmat, qui propoſitum omnis boni incitat, conſolatur tribulatos, roborat infirmos, exaltat humiles, docet inſcios, ſuperbis reſiſtit, Deum interpellat pro nobis iugiter gemitibus inenarrabilibus. Quiſquis hoc ſpiritu repletus eſt, leuis redditur & promptus ad omnia pro Chriſti nomine ſuſtinenda. Gratia quippe eius terram cordis noſtri fecundat, ad honeſtam videlicet conuerſationem, flores, id eſt, virtutes producit, & arida corda humectat, collaque ſubiicit ſuperborum. Doctor eſt omnis diſciplinæ ſanctæ, pater eſt pauperum, paraclitus orphanorum. Ideoque dicit. *Venite filii audite me, timorem Domini docebo vos.* Pſal. 110. Merito à timore Domini incipit, quia initium ſapientiæ eſt timor Domini. In eo autem, quod dicit, *Filii*, auditores reddit beneuolos, & quia ſicut dictum eſt ſuperius, Pater noſter eſt Deus, vt doceamur ab ipſo, & vt auſcultemus diligenter, opus eſt: propter quod & ait. *Audite me.* Quærit primo filialem affectum, deinde aures attentas. Quare?

timo-

Timor Dei filialis.

timorem Domini, inquit, *docebo vos.* Docebo, inquam, quid sit Deum timere, fructum ostendam, modum promerendi faciam. Venite tantum & audite me. Timorem Domini dicit, qui & initium sapientiæ, filialem videlicet, non seruilem. Sunt enim plerique Deum timentes ex conscientiæ suæ reatu perterriti, nec tamen peccatum deserunt, sed vellent, aut Deum nescire peccatum, aut non posse punire delictum. Non est hic timor virtuosus, sed potius criminosus, quia Dei iustitiam nituntur infringere, & scientiam debilitare, quod detestabile videtur. Ait de hoc timore in quadam epistola B. Augustinus. *Aug. in Psal. 118. conc. 25.* *Quando timore pœnæ, non amore iustitiæ fit bonum, nondum bene fit bonum: nec fit in corde, quod fieri videtur in opere, quando mallet homo non facere, si posset impune.* Est autem & alius timor, qui dicitur initialis, qui deuitat peccatum, partim propter timorem pœnæ, partim propter amorem Dei, & hic inducit caritatem, sicut seta filum. Timor autem filialis est, qui neque propter malam conscientiam, neque propter pœnam, sed propter solam dilectionem timet: & ideo castus amor dici potest potius, quam timor. Timorem ergo filialem nos docet spiritus sanctus, quia nos filios, non seruos vocat. Non autem dicit, humilitatem docebo vos, vel patientiam, siue obedientiam, aut cetera huiusmodi, sed timorem *Psal. 110.* Domini, quia omnium bonorum origo & stabilimentum est ipse timor Domini: nam initium sapientiæ est, sine qua nullum opus Deo acceptabile esse potest. Vnde dicit Ioan. Cassiodorus. *Principium nostræ salutis, sapientiæque secundum scripturas timor Domini est. De timore autem Domini nascitur compunctio salutaris, de compunctione procedit abrenunciatio, id est, nuditas & contemptus omnium facultatum: de nuditate humilitas procreatur: de humilitate mortificatio voluptatum generatur: de voluptatum mortificatione extirpantur atque marcescunt vniuersa vitia: de vitiorum expulsione virtutes fructificant atque succrescunt: de virtutum pullulatione puritas cordis acquiritur: per cordis puritatem Apostolicæ caritatis perfectio possidetur.* Ecce quam bene timorem Domini præposuit cæteris virtutibus, qui & eas operatur & custodit. Sed iam satis de hoc, quia in capitulo de humilitate latius, Deo præstante, disputabo. Sequitur.

Currite, dum lumen vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant. §. 9

VErba Saluatoris nostri sunt, quibus ait suis discipulis. *Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filii lucis sitis.* *Ioan. 12.* Currite, inquit, non incessu pedum, sed mentium: festinate corrigere mores, quia Dominus prope est. Laborate, dum lumen vitæ, id est, gratiæ habetis, per quam vitam possidebitis æternam. Vita enim huius incolatus breuis est, & sicut vmbra ad modicum apparens. Nihil ergo felicius, quam bene viuere. dum licet, quia hora prope est, mors non tardabit. In hac enim mortali vita constitutis tantum licet operari bona, quia illic non labor, sed merces laboris expectatur. Vnde ait Augustinus in sermone. *Non est vera vita, nisi vbi feliciter viuitur: nec vera incorruptio, nisi vbi salus nullo dolore corrumpitur.* Currite dum lumen vitæ habetis, quia statim auferetur promerendi facultas: nullus enim pœnitentiæ locus est apud inferos, sed tantum in hac vita licet operari bona. Tempus autem breue est, teste Iob, qui ait. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis.* *c. 14.* Vnde ait beatus Hieronymus super Amos prophetam. *Nihil fugacius seculo, rebusque seculi, quas dum tenemus amittimus, & per infantiam, pueritiam, iuuentutem, ac virilem & langvescentem ad maturam ætatem, annosque vltimos senectutis vtique septem spatia filo vitam describit humanam, mutamur & currimus, & nescientes ad mortis terminos peruenimus.* Et Augustinus super Ioannem. * *Vita hæc est vita dubia, vita cæca, vita ærumnosa, quam humores tumificant, dolores extenuant, ardores desiccant, aera morbificant, escæ inflant, ieiunia macerant, ioci soluunt, tristitiæ consumunt, solicitudo coarctat, securitas hebetat, diuitiæ iactant, paupertas deiicit, iuuentus extollit, senectus incurvat, infirmitas frangit, meror deprimit, & post hæc omnia interimit, vniuersis gaudiis finem imponit, ita vt cum esse desierint, nec fuisse putentur.* * *Hugo l. 3. de anima. c. 5.* Quamdiu autem anima in hoc mortali corpore est, nobis quicquid voluerimus operari licet, egressa vero ipsa, nec promereri vltra possumus, nec demereri. Pensemus ergo vitæ nostræ breuitatem, & ne nos seducat seculi huius onerosa voluptas omnibus nisibus inui-

gilemus. Operemur bonum, dum possumus, quia iam tempus acceptabile est, & dies salutis nemini dantes vllam offensionem. Ait enim spiritus sanctus. Currite, dum lumen vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant. Lumen vitæ tempus gratiæ est, quod morte interueniente terminatur. Tenebræ autem mortis, tempus est retributionis, quo amplius operari non licet, quia tenebræ quasi tenentes vmbram dictæ sunt. Ait enim Isidorus de summo bono. *Tantum in hac vita est licitum operari bonum. illic namque non iam operatio expectatur, sed retributio meritorum.* Sequitur ergo.

Isid. lib. 3. c. 65.

§ 16 *Et quærens Dominus in multitudine populi, cui hæc clamat, operarium suum, iterum dicit. Quis est homo, qui vult vitam, & cupit videre dies bonos?*

Psal. 33.

QVærit nos Dominus gratia & misericordia: quærimus vero eum sanctis affectibus, miseriæ nostræ flagitantes remedia. Quæsiuit nos Dominus, quando de cœlo in vterum virginis, & & de vtero virginis in præsepe descendit: de præsepio autem ascendit in crucem, & de cruce in sepulchrum, de sepulchro in cœlum, vt ouem, quam perdiderat, reduceret ad pastorem. Sed nec quidem hoc tibi sufficere videtur, quin adhuc quotidie per sanctas Scripturas nos quærat, & ad se reducat, & quod mirandū est, spretus à nobis adhuc inuitat, irritatus sustinet, omnium iniuriarum immemor dona promittit cœlestia. O Domine Deus noster, quam admirabile est nomen tuum, & quam bonus es sperantibus in te. Requiris, quod amiseras, & in perdito homine imaginem tuam, quæ sola bona latrones magni semiuiuo deuianti reliquerant, verbis & miraculis suscitas. Quæris igitur, in multitudine populi, quorum multi sunt vocati, pauci vero electi, operarium tuum fidelem, vt sermocineris cum eo. Clamas, & non attendimus: inuitas & spernimus. Vis ergo è pluribus vel paucos, qui audire dignentur sermonem tuum. Vociferas in communi, si quis habet aures audiendi, audiat. Quid? *Quis est homo*, inquis, *qui vult vitam, & cupit dies videre bonos.* Certè omnes vitam volumus, & dies bonos videre cupimus: quia nemo est, qui odio habeat carnem suam. Vita enim omnibus viuentibus res optabilissima est. Omnes cupimus viuere & regnare cum Christo, sed non omnes pati volumus cum Christo. Ergo specialem vocat, & requirit, qui veraciter possit dicere. *Domine sequar te, quocunque ieris.* Vocat enim; & quis est qui respondeat? Quod si tu audiens respondeas. ego: dicit tibi Deus. Si vis habere veram & perpetuam vitam, *prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Ex abundantia cordis*, testante Domino in Euangelio, *os loquitur*: & qualis vnusquisque est, talia loquitur, & operatur: ideo *mors & vita in manu linguæ* posita sunt, id est, ad libitum famulatur lingua. si es bonus, bona loqueris: si malus, mala facis. Subtile membrum lingua, sed valde lubricum. Vix enim domari potest, sed semper pronum ad malum. Ait enim Bernardus in sermone. *Tenerum membrum lingua, & tamen teneri vix potest, substantia quidem infirmum atque exiguum, sed vsu magnum & validum inuenitur. Tenuis est & lata, ideo aptissimum euacuandus sordibus instrumentum.* Ait ergo Dominus ad operarium suum. Si vis veram vitam, prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Scriptum quippe est; *in multiloquio non effugies peccatum.* Vnde dicit Ambrosius. *Complures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quenquam tacendo.* Ingreditur mors per ostium tuum, si falsa loquaris. Prohibe ergo linguam tuam à malo. Nec à malo tantum, quinetiam ab otioso sermone, quia de omni verbo otioso in die iudicii reddituri sumus rationem. Sapiens autem quisque & religiosus sermones suos præcogitat & examinat in pectore, priusquam proferat in ore. Signum quippe sapientiæ silentium est, & loquacitas signum stultitiæ, iuxta illud. Nullus stultus tacere potest. Si vis reputari sapiens, aut religiosus, ne festines respondere, donec fuerit finis interrogationis: nec quicquam inter seniores soluere tentes, cum adesse sapientiorem te conspexeris. Hinc Salomon Ecclesiast, vndecimo. *Priusquam audias, ne respondeas verbum, & in medio seniorum ne adiicias loqui.* Hinc Iacobi primo dicitur. *Si quis autem putat se religiosum esse.*

Matt. 8.

Matt. 12.

Prou. 18.

De triplici custodia.

Prou. 10.

Amb. lib. 1. offic. c. 2.

Lingua est cohibenda.

non

non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. Et Ecclesiast. 8. dicitur. *Non te prætereat narratio seniorum: ipse enim didicerunt à Patribus suis.* Qui enim in cætu seniorũ loqui præsumit, aut stultum: vel arrogantem, & præsumtuosum se esse demonstrat. Ex hac loquacitate infinita mala proueniunt, & sanctæ religionis vigor dissoluitur. Hinc detractiones, hinc suspiciones oriuntur & rixæ, scandalum quoque & dissensiones. Verbum enim leue est, sed grauiter vulnerat, iucunde auditur, sed amarissime à sensato sentitur. Vnde dicit Bernardus. *Leuis quidem res sermo, quia leuiter volat, sed grauiter vulnerat: leuiter transit, grauiter autem vrit: leuiter penetrat animum, sed non leuiter exit: leuiter profertur, sed non leuiter reuocatur; facile volat, ideo caritatem facile violat.* Pessimum membrum lingua, dum male regitur: quia multos occidit loquendo, quam gladius vorax persequendo. Ait enim Hugo lib 3. de anima. *Lingua dicitur, quia ligat adulando, mordet detrahendo, occidit mentiendo, ligat & ligari non potest, sed labitur & fallitur, vt anguilla, penetrat vt sagitta, tollit amicos, multiplicat inimicos, mouet rixas, seminat discordias, vno ictu multos percutit & occidit.* Nihil ergo reperitur deterius ac maleuolentius lingua. Lingua enim homines pereunt, lingua in paupertatem deuenitur, lingua vrbes euertuntur, lingua mala omnia oriuntur. Qualis vero vnusquisque sit, lingua probat loquentis. Vnde sapiens Ecclesiast. 4. ait. *In lingua enim sapientia dignoscitur, & sensus, & scientia, & doctrina in verbo sensati, & firmamentum in operibus iustitiæ.* Grande malum loquacitas, & omnino monacho contrarium: quia nihil est, quod adeo ipsum vituperet, quomodo multiloquium. Vnde scriptum est: *Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* Quia enim in multiloquio rectitudo iustitiæ teneri non potest, cohibeat vir iustus linguam suam necesse est, quia per effrenationem eius seminantur stimuli, oriuntur rixæ, accenduntur faces odiorum, pax extinguitur cordium. Ait enim psalmista. *Vir linguosus non dirigetur* super terram, ideoque prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum Si enim de otioso sermone reddituri sumus rationem iuxta quod veritas dicit, quid obsecro fiet de malo & noxio! *Otiosum verbum est quod aut ratione iustæ necessitatis caret, aut causam debitæ vtilitatis non habet.* Quicquid ergo præter necessitatem & vtilitatem locutus fueris, totum otiosum est. Pensemus ergo, quæ pœna multiloquio maneat, in quo etiam per noxia verba Deus offenditur, si tanta districtione leuia & otiosa punientur? Custos disciplinæ silentium est, & qui præceps est in verbo, leuis esse probatur & negligens in opere. Vnde ait Gregorius in moralibus. Praui sicut in sensu leues sunt, ita in locutione præcipites, quia quod leuius conscientia concipit, leuius protinus lingua prodit. Rogat igitur propheta Dominum dicens. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis: & non declines cor meum in verba malitiæ.* Ex abundantia cordis os loquitur & quod versatur in pectore, frequentius versatur in ore. Ait enim Hugo libro tertio de anima. *Vanus sermo vanæ conscientiæ est index. mores hominis lingua pandit, & qualis sermo ostenditur, talis animus comprobatur, quoniam ex abundantia cordis os loquitur.* Vnde etiam Seneca in prouerbiis. *Imago animi sermo est. qualis vir talis oratio.* Magnũ vocis & silẽtii temperamentũ est garrulo non respondere. Sumopere ergo nobis considerandũ est, quatenus os discreto & cõgruo tempore vox aperiat, & debito taciturnitas claudat. Signũ stultitiæ est loquacitas, & quitacere nescit religiosus non est. Vnde dicit Isidorus de summo bono. *Imperiti, sicut nesciunt loqui, ita non possunt tacere: mente enim ineruditi, ore loquaces, verbis perstrepunt, sensu nihil dicunt.* Idem ait. *Quando quædam parua vitiorum verba non vitamus, in magno linguæ prolabimur crimine. Et dum quædam incongrua liberè ac sine metu committimus ad potiora scelera, ad horrendam peccati consuetudinem labimur.* Ex parua nempe scintilla plerunque comburitur ciuitas, & ex inconsiderato verbo dissoluitur vnitas: quia verbum semel prolatum amplius reuocari non potest; necesse est ergo, vt cum magna cautela præcogitemus, quid loqui expediat, cui & quando, quia est tempus loquendi, & est tempus tacendi. Sapiens autem sermones suos

non refrenans — *Ibid.*
cap. 30. — *Monachum decet loquacitus.* — *Prou. 25.* — *Psal. 139.*
Otiosum verbum quid. — *Psal. 140.* — *Matt. 12.* — *cap. 26.* — *Isid. lib. 2. c. 29.* — *Qua cautela loquendũ.*

præcogitat & examinat in pectore, priusquam proferat in ore. horam obseruat & tempus, personam respicit & causam. Abstinet etiam à sermone scurrili, quia vbi scurrilitas fomitem habet, sapientia locum non habet. Ponamus ergo custodiam ori nostro, vt non delinquamus in lingua nostra. Timor enim Domini silentium amat, & optima custodia conscientiæ taciturnitas. Nec tamen hoc sufficit, si in aliis vita fuit reprehensibilis: propter quod & subditur. *Deuerte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & sequere eam.* Summa legis in hoc versu comprehenditur: quia prohibitiua à malo iubent abstinere: præceptiua autem & persuasiua nos bonum facere volunt. Ac si diceret. Quia, vt ais, vitam desideras veram & perpetuam, hoc tibi propono certamen. *Prohibe linguã tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum:* &, vt breuiter totũ concludam, si vis vitam æternam, deuerte à malo, & fac bonum, & sufficit ad salutem. Malum enim habet pœnam: bonum vero meretur. Si vis fugere pœnam inferni, noli facere malum: vitam si cupis æternam, festina facere bonum. Non enim sufficit ad vitam, mala declinare, si bona non feceris. Qui declinat à malo, tollit pœnam: qui autem facit bona consequitur gloriam. Si quis autem bona non fecerit, etiamsi mala declinat, non potest saluus fieri: ideoque cum dixisset, *Declina à malo*, confestim adiunxit, *& fac bonum.* Hinc ait Augustinus super psalterium de eodem versu. *Vitam volo, dies bonos volo: contine linguam tuam à malo.* Et labia tua ne loquantur dolum, *id est, nulli fraudem facias, nulli mendacium. Sed quid est, declina à malo? Parum est, nulli noceas, nullum occidas, non fureris, non adulteres, non fraudem facias, non falsum testimonium dicas, declina à malo. Cum declinaueris, dicis. Securus sum, perfeci omnia, habebo vitam, videbo dies bonos. Non solum declina à malo, sed & fac bonum. Parum est, vt non exspolies, vesti nudum. Si non exspoliaueris, declinasti à malo, sed non facies bonum, nisi cum peregrinum susceperis in domum tuam. Ergo sic declina à malo, vt facias bonum:* quia, qui abstinet à peccato, non iustificabitur, nisi etiam faciat bonum. Simile est huic, quod Dominus ait in Euangelio. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Et hic dicitur. *Declina à malo, & fac bonum, inquire pacem, & sequere eam.* Parum est, malum declinare, & bonum facere, si pacem non secuti fuerimus, quia & inter gentiles reperti sunt, qui & malum pro posse declinabant, & bonum faciebant; sed quia pacem non sunt secuti, nihil meruerunt. Ideoque, si vis vitam veram & perpetuam, inquire pacem, & sequere illam. Ait AVGVSTINVS. *Quo eam sequar? quo præcessit. Dominus enim pax nostra est, resurrexit & ascendit in cœlum. Quære pacem, & sequere illam: quia tu, cum resurrexeris, hoc mortale mutabitur, & amplexeris pacem, vbi tibi nemo molestus erit. Ibi est perfecta pax, vbi non esuries.* Quære pacem, videlicet Dominum IESVM CHRISTVM, qui solus est pax vera, & sequere eam. Quære per fidem, tene per spem, sequere per deuotionem. Nullum bonum subsistet, vbi pax non est: quia DEVS pacis amator non nisi in corde pacifico habitat. Quicquid enim possidetur gaudium non habet, si pace caret. Vnde ait AVGVSTINVS de verbis Domini. *Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium caritatis. Hac est, quæ insultationes tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida, nescit extolli, nescit inflari, Hanc, qui accepit teneat; qui perdidit, repetat: qui amisit, exquirat. quoniam, qui in eadem non erit inuentus, à patre abdicatur, à filio exhæredatur, nihilominus à Spiritu sancto alienus efficitur.* Et CASSIODORVS super Psalmos. *Pax est concordantium in bono animorum ordinata tranquillitas.* Pax vera est concordiam habere cum moribus probis, & litigare cum vitiis. Scriptum est enim. *Non est pax impiis*, dicit Dominus. Nolo pacem vitiorum, quia nunquam desinit tentatio, nisi occubuerit miles. Quem enim vitia non impugnant, vel omnino perfectus est, vel, quod absit, ligatus est, & superatus. Hinc Iob ait. *Militia est vita hominis super terram* Necessarium est ergo, & omnino vtile, vt tentemur: sed magnopere cauendum, ne superemur: quia

Psal. 33. *Pax sequenda.* *Ibid.* *Serm. 57.* *Psal. 36. Aug. in psal. 33.* *Matt. 16.* *Isa. 48.* *Iob 7.*

quia nemo coronabitur, niſi legitime
Eccli. 34. certauerit. Hinc ſapiens dicit. *Qui non eſt tentatus, qualia ſcit?* Non poteſt ſcire vir fortitudinem ſuam, niſi exercitatus in
G. Lib. 23. mor. 6.27. pugna. Vnde ait Gregorius in moralibus. *Nemo vires ſuas in pace cognoſcit: Si ei bella deſunt, virtutum experimenta non proderunt.* Pax autem vera permaxime neceſſaria monachis teſtimonium bonæ conſcientiæ eſt. Optima quippe pax
Ioa. 14. eſt, moribus ipſum imitari, qui ait, *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Quid enim prodeſt, cum omnibus habere pacem, & in propria conſcientia pati diſcordiam? Certe quem vermis mordet conſcientiæ, pacem veram non ſequitur. Si vis pacem veram habere, conſcientiam mundam conſerua, & Deo eſto ſubiectus. Ait enim Leo Papa in
L. ſerm. 6. de natiuit. Dom. ſermone. *Tunc eſt vera pax hominis, & vera libertas, quando & caro animo iudice regitur, & animus Deo præſide gubernatur,* Magnum enim bonum eſt vera pax, ſine qua nec totus mundus quicquam
A. lib. 19. c. 11. prodeſt. Vnde ait Auguſtinus de ciuitate Dei. *Tale bonum eſt bonum pacis, vt in rebus creatis nihil gratius ſoleat audiri,*
**melius inueniri.* *nihil delectabilius concupiſci, & nihil *vtilius poſſideri.* Si vis pacem ſeruare in congregatione, tui ſolius ſis iudex & noli iudicare quenquam. Caue, ne pacem fratrum tuorum perturbes vnquam: quia ſi quis pacem diſſipat iuſtorum, perſecutorem Dei ſe conſtituet. Ait enim Gregorius in Paſtorali. *Si Dei vocantur filii, qui pacem faciunt, procul dubio ſunt filii ſatanæ, qui pacem confun-*
Serm. 13. *dunt.* Et Bernardus ſuper Cantica. *Non bonæ, ſed iniquæ voluntatis eſt, qui nequaquam pace contentus ſuperbo oculo, & inſanabili corde inquietus anhelat ad gloriam mundi, non pacem proinde retinens, nec gloriam apprehendens.* Tales iſti ſunt, qui
Monachi vagabundi pacis oſores. in congregatione pacifice viuere nolentes vagandi quærunt occaſionem, ſecretum in pectore humanæ gloriæ portantes venenum, quantum ſe æſtimant aliis meliores, tantum errantes efficiuntur inſtabiliores. Hi tales, vt experientia cognouimus, cum ſe conſequi non poſſe conſiderant, quod cupiunt, occaſionem quærunt mutandi locum: ſperantes vel alibi inuenire paratum, quod ipſis hic negatur fore dandum. Sed vere melior eſt talis pugna quæ Deum proximum facit, quam pax illa, quæ à Deo ſeparat. Ait Auguſtinus de Ciuitate Dei. *Spiritus humanus nunquam viuificat membra, niſi fuerint vnita: Sic Spiritus ſanctus nunquam viuificat Eccleſiæ membra niſi fuerint in pace vnita.* Maximum decus cœnobitarum eſt, vinculum veræ pacis, ſine quo nulla Deo religio placet. Quam cito autem pax in congregatione monachorum extincta fuerit, totus monaſticæ diſciplinæ vigor peribit. Inde ſuſpiciones oriuntur & detractiones, diſſenſiones quoque & partialitates. ex hoc rixæ, controuerſiæ, & oblocutiones ſuperiornm, diſcuſſiones mandatorum ipſorum, & ex his murmurationes, inobedientiæ, & inuidia, & alienæ fælicitatis odium. ſic tota religio deperit, quando hoc ſolum bonum pacis non cuſtoditur. Ergo bene commendatur pax in principio monaſticæ inſtitutionis, quo dicitur. *Inquire pacem, & ſequere eam.* ac ſi patenter dicat. Et ſi non potes veram pacem habere in hac mortali vita, quære tamen eam: videlicet intus, in te, vt valeas eam exterius inuenire in me. Quære bene viuendo perſequere firmiter ſperando. Quære legendo, perſequere orando. Quære credendo, ſequere diligendo. Quæritur pax in terra, & inuenitur in cœlo: quia iam quærimus laborando: ibi inueniemus fruendo. Eſt autem duplex pax. Quædam eſt apparens, & non vera, eaque prima: quæ triplex eſt ſecundum Hugonem lib. de clauſtro animæ. vbi ait. *Falſæ pacis tres ſunt ſpecies. Eſt enim pax opinata, pax ſimulata, pax imperata,* & iſta conuenit cum concordia. Nam concordia eſt quædam vnio voluntatum diuerſorum cordium. Quod ſi malum eſt, in quo concordant, tunc eſt, ibi tantum conſenſus cordium, non autem conſenſus appetituũ ſingulorum cordium, & ſic non eſt vera pax impiis, ſed ſolum apparens. Secunda pax eſt vera, & aliquid concordiæ ſuperaddit, ac inuenitur tantum in bonis. Nam ſi qui concordant in bono tunc non eſt ibi tantum conſenſus diuerſorum cordium, ſed etiam cõſenſus appetituum ſingulorum

Sine pace religio non conſiſtit

Lib. 13. c. 14. *

Pax duplex.

Lib. 5. c. 9.

cordium. Hanc pacem commendat Do-
Ioan. 14. minus discipulis suis, cum dicit. *Pacem relinquo vobis*, scilicet, proximi: *pacem meam do vobis*, scilicet Dei. Si ergo vis veram & perpetuam vitam, quære pacem, & persequere eam. Volens S. Benedictus institutionis suæ ponere fundamenta, postquam præmisit de timore Domini, subiunxit de pace seruanda, quia nihil est timor, vbi non est pacis custodia. Hinc Apostolus Paulus ad Ephesios 3. scribit, *Soliciti*, inquit, *seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ.* Hinc Actuum quarto dicitur. *Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna. Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Et Ieremiæ 32. legimus. *Et dabo eis cor vnum, & viam vnam, vt timeant me vniuersis diebus.* Commendat etiam vnitatem spiri-
Psal. 132. tus propheta in Psalmo, cum dicit. *Ecce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in vnum.* In vnum dicit, non ex parte loci, sed spiritus: quia plus valet vnanimitas spirituum, & animorum quam corporum. In domo igitur custodiatur bonum pacis: nam vbi non est pax, nec Deus adesse potest. Caueatur etiam omnis diuersitas singularitatis, quia diuersitas nouerca est pacis. Sequitur.

Isa. 65. *Et cum hæc feceritis, oculi mei super vos, & aures meæ ad preces vestras. Et antequam me inuocetis, dicam vobis. Ecce adsum.*

VErba sunt Domini vocantis nos & inuitantis ad timorem Domini: qui postquam præmisit pugnam, modo promittit coronam. *Cum feceritis hæc*, videlicet, quæ dicta sunt, de timore Domini, de fugiendo malo, & faciendo bono, & quærenda pace & sequela eius. *Erunt oculi mei super vos.* videlicet dilectionis, præseruationis quoque & susceptionis: *& aures meæ*, videlicet, approbationis *ad preces vestras*, tanquam ad carissimos meos amicos, quibus nihil possum denegare petentibus me; imo *antequam me inuocetis*, videlicet, petendo, *dicam vobis, ecce adsum*, scilicet exaudiendo, atque donando. Hoc signum magnæ suæ liberalitatis est, quæ nobis multa præstat etiam minime petita, se pollicens prius exauditurum, quam rogatur. Ad pro- *Exercitatio necessaria ad profectum faciendum.*
merendum promissa Domini nobis maxime necessaria est continua exercitatio virtutum: quia quantumcunque propositum firmum fuerit alicuius boni, si non quotidie innouatur, cito extinguitur. omnes enim artes, omniaq; studia quotidiano vsu, & iugi exercitatione proficiunt. Quod si in paruis verum est, quanto magis in maximis decet custodiri. Neque excusamus nos per temporis angustiam, vel inquietem: quia, sicut manus exercitata in arte aliqua ea hora, qua minus disposita, idoneaque fuerit, & apta ad talem artem discendam, postmodum agilior & habilior fit: ita animus noster, si tempore minus quieto ad bonum excitatus euigilauerit, maioremque fugerit voluptatem, minus postea timere habebit de amissione. Ideoque notandum, quod ad spiritualem perfectionem atque profectum bonum est homini, cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua: quia in puerili ætate quod semel imbiberint homines, fortius retinebunt. Durum est enim puerorum ingenium, & quod duro inseritur, difficillime aboletur. Necessarium itaque est, vt qui vitam ducere contendit religiosam, in iuuentute fugiat voluptuosam. Exercitatio quippe aspera planat, dura mollificat, indiscreta temperat, possessa quoque firmiter tenet. Vnde nihil aliud est exercitatio, quam assiduus vsus & consuetudo. Ideo summa custodia pariter & cautela statui humanæ adolescentiæ est adhibenda, quia quod in adolescentia inoleuerit, iugiter in posterum permanebit. Summe itaque valet ad vitam perpetuam acquirendam, vt in statu adolescentiæ sensus hominis ad cœlestes amœnitates & virtutes euocentur, & in sacris actibus, diuinisque laudibus exerceantur. Vnde scriptum est. *Adolescens* *Prou. 22.*
iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Si autem iuuenis exercitio bonorum operum agitatus perseuerauerit, fertilis erit spiritualiter, fructibusque vitæ perpetuæ grauidus & onustus, quia qualia quisq; seminat, talia proculdubio & metet. Volens autem nos Dominus ad imitationem sui prouocare, sermo-

nem

nem fidelem, & omni acceptione dignissimum operariis suis ostendit dicens: *Antequam me inuocetis, dicam vobis, ecce adsum.* Mira pietatis dignatio, vt se audire, imo exaudire dicat dominus, priusquam petat seruus. Audit enim, non vt nos, oculis corporalibus, sed affectu pietatis. Vnde S. Benedictus hanc domini pietatem admiratiue commendat, cum subdidit.

Deus exaudit nos antequã inuocetur.

12. *Quid dulcius nobis hac voce Domini inuitantis nos fratres carissimi?*

ALloquitur nos, qui regulę ipsius iugo colla subiecimus, ostendens veraciter, quia totus spiritus eius in Domino liquefactus erat, cum diceret hæc verba, vt patet volenti intelligere, *Quid dulcius hac voce?* Vere pater sanctissime Benedicte iam considero, qualis in te fuerit feruor spiritus. nihil enim tibi dulcius erat voce hac Domini inuitantis te, promittens, quia antequam eum inuocares se velle exaudire. quod & fecit, vt opera manifestant, quæ gessisti. Dulcis Dominus omnibus inuocantibus in veritate. O vera & summa suauitas omni suauitate dulcior, sed non carni & sanguini, omni luce clarior, omni secreto interior, omni honore sublimior. Ait Bernardus in epistola. *O clementissima pietas, quæ non sua desinit largiri beneficia, non solum vbi nullum inuenit meritum, sed plurimum etiam, vbi totum inuenit contrarium. Quid ergo dulcius hac voce Domini inuitantis nos fratres carissimi?* Certe nihil. quia cum inimici essemus, pietate sua non solum reconciliauit nos Deo Patri, sed & cohæredes sibi fieri voluit. Vnde & sequitur.

13. *Ecce pietate sua demonstrat nobis Dominus viam vitæ,*

DEmonstrat exemplo, demonstrat verbo, demonstrat miraculo. Per multas enim tribulationes oportet nos intrare in regnum, sicut ipse nos præcessit. Vnde scriptum est. *Nonne oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam?* Hinc quoq; Augustinus dicit. *Esuriuit Christus, qui omnes pascit. Sitiuit, per quem cauſatur omnis potus, & qui ſpiritualiter eſt panis eſurientium, fonſq; ſitientium, ab itinere terreſtri fatigatus eſt, qui ſeipſum nobis viam in cœlum fecit, velut mutus obmutuit, & obſurduit coram conuitiantibus, per quem mutus locutus eſt, & ſurdus audiuit. Vinctus eſt, qui de infirmitatum vinculis nos ſoluit. flagellatus eſt, qui omnia flagella dolorum de hominum cordibus expulit. crucifixus eſt, qui cruciatus noſtros finiuit. mortuus eſt, qui mortuos ſuſcitauit. ſed & reſurrexit nunquam moriturus.* Ecce quomodo viam vitæ ostendit exemplo audisti, sed quomodo verbo docuerit aduerte, *Ego*, inquit, *ſum via, veritas & vita.* Super quo verbo Ambrosius sic dicit. *Ambulare vis, ego ſum via: falli non vis, ego ſum veritas: mori non vis, ego ſum vita.* Idem in sermone. *Omnia habemus in Chriſto, & omnia in nobis Chriſtus. Si vulnere percuſſus curari deſideras, medicus eſt. Si febribus æſtuas, fons eſt: Si grauaris iniquitate, iuſtitia eſt: ſi indiges auxilio virtus eſt: Si mortem times, vita eſt: Si tenebras fugis, lux eſt: Si cœlum deſideras, via eſt: Si cibum quæris, alimentum eſt. Ipſe eſt via & oſtium, per quod itur in ouile. ipſe eſt dux peregrinationis noſtræ, cui diximus. In vmbra alarum tuarum viuemus in gentibus.* Viam vitæ vocat religionem sanctam, quia quicquid in hac regula constituitur, ex Christi actibus originem sumit. Fuit enim obediens, castus, stabilis & pauper, & si quod aliud poterit esse monachi ornamentum, totum ipse prius portauit. Vel certe per viam vitæ intelligenda est propriæ voluntatis abdicatio, quam nobis ipse demonstrat, quando ait. *Non veni facere voluntatem meam, ſed eius, qui miſit me Patris.* Hæc est via, de qua dixit aliquando. *Anguſta eſt via, quæ ducit ad vitam, & pauci inueniunt eam.* Ipse autem nobis eam demonstrauit, quando & exemplo præcessit, & verbo nos sequi docuit. Simus ergo & nos de paucis, qui viam angustam ambulant, quæ ducit ad vitam: quia melius est esse cum paucis in cœlo, quam cum multis in inferno. Vt autem hæc plenius compleantur, subiungit.

Ioan. 14.

Ioan. 5. Matt. 7.

Luc. 24.

De catechiz. rudib. c. 22.

14. *Succinctis ergo fide, vel obſeruantia bonorum actuũ, lumbis noſtris, & calciatus*

Eph. vlt.

in præ-

in præparatione Euangelii pacis pedibus pergamus itinera Domini, vt mereamur eum, qui nos vocauit in regnum suum, videre.

Quia nos Dei miseratio quotidie expectat, inuitatq;, & viam demonstrat, per quam itur ad regnum: ergo succinctis lumbis nostris, videlicet, abomni concupiscentia mala refrænatis, & calciatis pedibus, scilicet affectibus nostris munitis virtutum clausuris ne per corruptum desideriũ terrena concupiscant; quod maxime fieri debet fide & obseruantia bonorum actuum pergamus itinera, vt scilicet. sicut ipse ambulauit, & nos ambulemus, vt eum sequi mereamur ad regna scandentem, quem in terris nitimur imitari conuersantem. Sed hoc omnino fieri non potest, nisi abnegauerimus nosmetipsos nobis, quia ipse in Euangelio ait. *Ioan. 12.* *Nisi quis oderit animam suam, non potest meus esse discipulus*, hoc est, nisi sic oderimus animam nostram, vt nequaquam voluptatibus consentiamus, non poterimus Dei esse discipuli. Succinctis ergo lumbis nostris, id est, à carnalibus concupiscentiis refrænatis, quia viris luxuria in lumbis est, fœminis vero in vmbilico, vt testatur Dominus, qui de diabolo ad Iob loquitur, dicens. *Iob. 40.* *Virtus eius in lumbis eius, fortitudo illius in vmbilico ventris eius.* Qui enim in hac schola virtutum, sancta videcet religione morari contendit, ante omnia necesse est, vt se præcinctis lumbis ab omni specie luxuriæ cohibeat. Hinc Dominus Lucæ 12. ait. *sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Super quo verbo dicit B. Gregorius in homiliis. *Greg. hõ. 13. in Euang.* *Lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Sed quia minus est mala non agere, nisi etiam quisque studeat bonis operibus insudare, protinus additur. Et lucernæ ardentes in manibus vestris. Lucernas quippe ardentes in manibus tenemus, cum per opera bona proximis nostris lucis exempla præstamus.* Hinc *Psal. 33.* etiam Dauid in psalmis dicit, *Declina* *Psal. 96.* *à malo, & fac bonum.* Et alibi. *Qui diligitis Dominum, odite malum.* Nisi oderimus malum, bonum amare non possumus; ideoque potius faciendum est bonum, vt declinemus à malo, quia malum cauere nemo potest, nisi quem voluerit custodire dominus. Non sufficit, præcingere lumbos luxuriæ, nisi etiam bonorum operum teneantur lucernæ, ideoque addidit, *fide vel obseruantia bonnorum actuum.* Fidem dicit caritate formatam, quia vbi opera non sunt bona, fides nihil proderit credenti. Vnde scriptum est. *Fides sine operibus mortua est.* *Iac. 2.* Notandum vero est, quod *vel* hic capi potest pro *&*, vt sensus sit, *fide & obseruantia.* Si autem in propria significatione accipitur, erit sensus. Succinctis lumbis nostris, fide videlicet perfecta, quæ per opus perficitur, vt hoc, quod corde credimus, ore, cum necesse fuerit, proferamus, & opere impleamus, quod corde fideliter sentimus, aut quod ore docemus. Vel si hanc fidem ita dilatare non vis, obseruantia bonorum actuum præcingimus lumbos nostros, id est, fide & iustitia, iuxta quod scriptum est Isaiæ 11. *Et erit*, inquit, *iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius.* Sanctus autem Benedictus hunc imitatus, posuit primo fidem, quia fides est fundamentum omnium virtutum, deinde pro iustitia ponit bonos actus, quia nimirum vera iustitia est, qua per bonum vitam nostram reddimus Deo, quæ sua, nobis quæ nostra; & proximo, quæ eius sunt. hoc est, si fidem, quam portamus in corde sanam ostendimus in opere. *Et calciatis pedibus in præparatione Euangelii pacis.* Quid hoc sibi vult, quod dicit, *in præparatione Euangelii pacis*? Nunquid nos prædicationi iubet insistere, & more Apostolorum, & aliorum ordinum per diuersa terrarum spacia vagari? Quid est hoc, quod ait hic, cum alibi dicat. *Si de stabilitate sua promiserit, & nequaquam monacho liceat vagari*, sicut habetur in decretis. 16. quæst. 1. cap. placuit. vbi dicit Eugenius Papa, quia *sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine monasterio monachus.* *Monachus extra cœnobiũ vt piscis extra aquam.* Et beatus Hieronymus ad Desiderium loquitur. *Monachus non doctoris, sed plangentis habet officium, qui vel se, vel mundum lugeat, & Domini pauidus præstoletur aduentum.* *Hier. cõtra Vigilant.* Quid ergo dicemus ad hæc? An liceat monacho regulam sancti Benedicti professo prædicare? Licet plane, non voce, sed opere. Et si licet verbum Dei prædicare, tamen multo plus expedit alios opere ædificare. Validiora enim sunt opera, quam verba, & *Liceatne monacho prædicare?*

plenius

Plenius vita docetur, quam voce. Non fuit de mente B. Benedicti, vt æstimo, quod monachus suus per castra vagando prædicet, quin potius sedens in cella pro peccatis suis lachrymetur: nisi spiritus sanctus elegerit eum, qui & vita, & doctrina posset ædificare multos, sicut de S. Bernardo legimus. Vel etiam antecessoribus suis sanctis, quia quem spiritus excitat, nemo ligare potest. Hæc dixerim, non quod sanctorum Patrum indulta refutem, vel zelum seruorum Dei monachorum iudicem. sed quia id nostris temporibus videre meo minime expedit monachis. Nam, sicut fieri solet, vagi efficiuntur & proterui, sine lege ambulantes, & prælatis suis plerunque grauissima damna & vexationes procurantes, &, quod deterius est, contra regulam instabiles, & aliquando ab ipsa apostatantes. Si quis autem à Deo vocatur, sine contradictione vt eat necesse est. Sit autem prædicatio monachi inquietemorum, vt ædificet videntes sicut scriptum est. *Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Hoc iubet sanctissimus Pater noster, cum ait, *in præparatione Euangelii pacis*, vt ita simus parati ad complendum præcepta Euangelii, per quæ pacem habebimus inter Deum & nos. Pedes autem calceatos habemus, quando propositum sanctum religionis, quod vouimus, semper innouando tenemus, per quod disciplina custoditur, quia vbi propositum bonum derelinquitur, religio minime seruatur. Ergo bonis & sanctis affectibus calceati, & relegatis omnibus luxuriæ motibus mediante fide bonorum actuum pergamus itinera Dei, non incessu pedum, sed affectuum, vt mereamur eum, qui nos vocauit in regno suo videre. Itinera vero Dei sunt, sicut ipse ambulauit, & ambulare. Ait enim ipse in Euangelio. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos,* Venite fide, venite opere, venite pro omnibus corde. Venite qui laboratis provita æterna, venite qui onerati estis pondere peccatorum, & ego curabo vos. Venite per humilitatem, currite per caritatem, festinate per sanctã & immaculatam conuersationem. Hæc sunt itinera Christi. Venit per caritatem, ambulauit per patientiam & humilitatem, cucurrit per obedientiam, festinauit per sanctam conuersationẽ. Hunc imitemur per itinera sua: quia nemo venit ad eum, nisi per bona opera. Vnde & sequitur.

Matt. 5.

Matt. 11.

In cuius regni tabernaculo si volumus habitare, nisi illuc bonis actibus curratur, minime venitur. 15

Practicam petit iste locus, non glossam; quia nimirum ad Deũ nos venire non aliter, quam per bona opera cognoscimus, sicut ipse testatur in Euangelio, inquiens. *Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum.* Quid est, *traxerit*, nisi & voluntatem & potestatem bene faciendi ei dederit? Trahit enim nos pater per sãctos affectus, quos in gratia spiritus sancti consistere nemo est qui dubitet. Dat etiam virtutem effectus, vt sanctus, quem concepimus, compleatur affectus. Sicut enim sine operibus mortua est fides, sic sine effectu affectus salua virtute & potestate efficientis hominis; quia si quis habet affectum benefaciendi, & potest & non facit, quid prodest sibi affectus? Verum melior est affectus bonus sine effectu, quam vacuum cor quod neq; affectum, habet, neque effectum boni cuiusq; procurat. Sane ad regnum Christi si cupimus peruenire, oportet nos semitas consiliorum gradi, & vias præceptorum; quia nisi mandata custodierimus ipsius, non erimus amici Dei. Vnde Dominus Ioannis 15. dicit. *Vos amici mei estis si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Probatio dilectionis exhibitio operis est. Qui ergo se dicit Deum diligere, custodiat mandata ipsius: quia hæc via est, quæ ducit ad vitam. Vnde alibi dicitur. *Si vis vitam ingredi, serua mandata.* Si igitur volumus vitam habere, quam Christus promisit, faciamus primo necesse est, quæ nobis præcepit. Festinemus illam sanctam ingredi ciuitatem præmittendo bonorum operum merita. Nam innumera sunt viatorum pericula viarum, vitæ discrimina infinita, quæ nos retrahunt & retardant. Sed quærit quis forsan, quid faciendum sit, vt vita hæc, de qua loquimur, possideri valeat? ideoque beatus Pater nos dominum interrogare, qui omnia scit, nouit & potest, iubet, ne vllus dubietatis remaneat scrupulus, dicens.

Ioan. 6.

Matt. 19

Sed

16 *Sed interrogemus cum propheta Dominum, dicentes ei, Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo.*

Psal. 14.

INterrogamus Dominum, si continua prece miseriæ nostræ flagitamus remedium, dicentes cum propheta in psalmo quinto. *Dirige Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam*, id est, dirige vitam meam sic in terris, vt placeat conspectui tuo in cœlis. Interrogemus ergo Dominum, non voce oris. sed affectu cordis, quis dignus sit habitare in tabernaculo suo, dicentes. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo*? Tabernaculum dictum ex duobus nominibus constat, id est, à taberna & cœnaculo, quod est, domus pauperum. Sed nos per tabernaculum anagogicè cœlestem aulam intelligimus, ad quam peruenire omnimodis speramus, & ideo modum inquirimus dicentes. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo*, id est, quis est dignus tecum, & cum sanctis tuis habitare in æterna mansione? aut quis requiescet in monte sancto tuo? hoc idem est, quod iam diximus; quis est dignus tibi seruire cum sanctis angelis tuis in firmissimo habitaculo tuo, quod tu ipse Domine fecisti, & tuo splendore illustras, quis putas dignus est? Vnde homini tanta gratia, vt choris hymnidicis angelorum possit interesse! O quam felix anima illa, quæ gratiam hanc conseruat in finem, vt Deum mereatur videre facie ad faciem, sicuti est. Tanta sine dubio gloria perfruetur, vt omni creaturæ viuenti inexcogitabile sit. In hoc tabernaculo tanta copia deliciarum est, vt omnibus sine fine sufficiat, omnes sine fastidio satiet, cunctis sit copiosissima, sit ex vniuersis desiderabilis. Quando enim plus perfruentur, tanto amplius concupiscunt, nec est ibi defectus, nec fastidium, neque tædium, est sacietas sine fastidio, esuries sine defectu, iucunditas sine mæstitia, gaudium absque tristitia, æternitas sine fine, requies sine labore, sanitas sine dolore. Vnde Barnardus, *O verè felix & gloriosa sacietas, ô sanctum conuiuium, ô desiderabiles epulæ, vbi nimirum anxietas nulla, nullum poterit esse fastidium: quin sacietas summa & summum inerit desiderium.* Ait quippe æterna sapientia. Qui edunt me, adhuc esurient. & qui bibunt me, adhuc sitient. O quam insipiens est, qui tantæ pulchritudinis gloriam sua culpa perdiderit. Quis nempe tantæ beatitudinis poterit æstimare gaudium? Ait enim Prosper. *Futura vita, vbi ipsa ciuitas, quæ est angelorum sanctorumq; congregatione beata, meritis fulgentibus micat æterna salus exuberat, veritas regnat. vbi nec fallit quisquã, nec fallitur, vbi nullus hæres beatus eiicitur, vbi nullus miser admittitur. Illa vita beata sempiternè, vbi est certa securitas, secura tranquillitas, transquilla iucunditas, felix æternitas, æterna felicitas, vbi est amor perfectus, timor nullus, dies æternus, alacer motus, & vnus omnium spiritus*; nulla erit ibi discordia, sed cuncta consona, cuncta conuenientia: omnium enim sanctorum erit vna concordia. Hoc tabernaculum Dei altissimi, quod præparauit quærentibus illud, O Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Prosp. lib. 1. de vita contempl. c. 2.

17 *Post hanc interrogationem fratres audiamus Dominum respondentem.*

REspondet nobis Dominus per sanctum Euangelium, in quo omnis perfectionis via demonstratur. respondet nobis per sacram scripturam, in qua omnis consolatio inuenitur. respondet per sanctos Doctores, & verbi sui prædicatores, per quos corda excitantur iacentia. Si enim voluerimus interrogare Dominum, quid pro vita æterna faciendum sit, in sacra scriptura totum inuenitur. Ergo ad lectionem sacram tota virtute anhelemus, & audiemus nobis respondentem Dominum, ac dicentem.

18 *Qui ingreditur sine macula & operatur iustitiam: qui loquitur veritatem in corde suo: qui non egit dolum in lingua sua, qui non fecit proximo suo malum, qui opprobrium non accepit aduersus proximos suos.*

Psal. 14.

VIrtutes quas enumerat propheta in hoc psalmo, quibus ornari debebãt sacerdotes & ministri templi, siue tabernaculi Domini aptissime decent quemlibet Christianum volentem habitare in monte Domini excelso, maxime autem monachum, qui puriori splendere debet conscientia. Ponit autem primo puritatem, siue munditiam cordis, quæ sola

Mat. 5. sola Deum meretur, sicut Dominus ait. Beati *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Ait enim. *qui ingreditur sine macula.* subaudio, hic habitabit in tabernaculo meo. Sicut enim ministri Domini & Leuitæ sine macula esse solebant in corpore vt ministrarent coram Domino, sic oportet nos esse mũdos & absque macula in corde, si debemus vitam ingredi perpetuam. Hinc etenim superna voce ad Moysen in Leuitico dicitur. *Loquere ad Aaron. Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam in se, non offerat panes Deo suo, nec accedat ad ministerium eius.* Quid aliud per maculam, quam immunditia cordis accipitur? Nihil quippe monachum decentius ornat, quam cor mundum & conscientia pura. Vnde propheta orat dicens. *Cor mundum crea in me Deus.* Sciebat enim, quoniam soli mundo corde Deum videbunt. ideoque per quendam sapientem dicitur. *Omni custodia serua cor tuum.* Et Apostolus Paulus. *Hæc,* inquit, *est voluntas Dei sanctificatio nostra.* Qui ergo in tabernaculum Domini intrare contendit sine macula ingrediatur necesse est. Ait enim propheta alibi. *Ego autem in innocentia mea ingressus sum.* Qui, igitur, ingreditur sine macula, id est, qui sine peccato mortali est (quia venialia deleri confidimus in purgatorio) ille facit, quod dicitur. *Declina à malo.* Sed non sufficit malum non facere, si bona non fecerimus. & ideo bene subiungitur. *Et operatur iustitiam.* ac si patenter diceret. ille ingreditur, qui declinat à malo, & facit bonum. Iustitia quippe magnum bonum est, qua Deo attribuitur quod suum, & homini quod hominis. Vnde dicit Augustinus. *Hæc est perfecta iustitia, qua potius potiora, & minus minora diligimus.* Et Ambrosius de officiis, commendans iustitiam, inquit. Iustitia est, *quæ nil alienum vendicat, quæ cuilibet dat quod suum, quæ negligit propriam vtilitatem, & seruat communem æquitatem, & secundum ipsum prima iustitia in Deum, secunda in patriam, tertia, in parentes, quarta in omnes.* Quæ namque virtus sine iustitia Deo placuit vnquam? Ait enim Hieronymus. *Omnes virtutum species vno iustitiæ nomine continentur.* Iustitia quippe virtutis splendor est maximus à qua viri boni nominantur. Dicit etiam Anselmus libro, Cur Deus homo. *Iustitia est animi libertas tribuens vnicuique secundum propriam dignitatem, maiori reuerentiam, pari concordiam, minori disciplinam, Deo obedientiam, sibi sanctimoniam, inimico patientiam, egeno operosam misericordiam.* Is autem iustitiam operatur, qui in omnib. actibus suis Deum præfert & glorificat, Quid namq; iustius dici poterit, quam vt omnis creatura timeat Dominum? Ait enim Seneca. *Quisquis iustitiam sectari desideras, prius Deum time & ama, vt ameris à Deo.* amabis enim Deum, si in hoc illũ imitaberis, vt velis omnibus prodesse, & nulli nocere. Iustitia maxime Ecclesiæ prælatis necessaria est, non tam in corrigendo peccantem, quam etiam in exaltando diligentem. Vnde plærumq; fit, vt ad ecclesiasticas dignitates promoti quidam parentibus & cognatis inde subueniant, imo exaltent: vnde Christi pauperes sustentari debuerant, & non secundum iustitiam, sed iudicent secundum cognationem. Contra quos ait Cassiod. super psalterium. *Iustitia,* inquit, *non nouit patrem non nouit matrem, veritatem nouit, personam non accipit, Deum imitatur.* Summa itaq; iustitia est, qua Deus digne colitur, & amatur, & proximus propter Deum diligitur, iuuatur, & defenditur, & vnicuiq; dat quod suum est, alteri non facit, quod sibi fieri non vult. vnde Seneca in prouerbiis. *Ab alio expectes, quod alteri feceris, præstabis parentibus pietatem, cognatis dilectionem, pacem cum hominibus habebis, bellum cum vitiis, præstabis amicis fidem, omnibus æquitatem.* Iustitia sapientiæ comes est, quia nemo iniustus sapiens erit. Hinc ecclesiastici primo scribitur. *Fili concupiscẽs sapientiam, conserua iustitiam, & Deus præbebit illam tibi.* Et iterum. *Fili, accedens ad seruitutem Dei sta in iustitia & timore.* Is ergo domum Domini ingreditur, qui iustitiam operatur. Sed iustus esse nemo potest, nisi sit verax, ideoq; sequitur. *Qui loquitur veritatem in corde suo.* Nonnulli enim in labiis habent veritatem, & in corde non habent: tãquam si aliquis dolose ostendat viam, sciens in ea esse latrones, & dicat. Si hac ieris, tutus eris à latronibus, & contingat vt vere ibi non inueniantur latrones, verum ille locutus est, sed non in corde suo. Aliud enim putabat, & nescius verum dixit. Ergo parum est verum loqui, nisi etiam in corde ita sit. Veritas itaque iustitiam

Leu. 21.

Ps. 50.

Prou. 4.

1. Thes. 4.

Ps. 25.

Peccata venialia in purgatorio delentur.

Aug. de vera relig. c. 48.

Lib. 1. offi. c. 27.

Iustitia quid sit.

H. ep. ad Demetri ad. & in 14. Isa.

Mendacium esse detestandũ.

stitiam comitatur, quia nec veritas sine iustitia, nec iustitia potest esse sine veritate.

Vnde prouerb. 20. scriptum est. *Misericordia & veritas custodiunt regem, & roboratur clementia thronus eius.* Augustinus in epistola ait. *Veritas & dulcis & amara est: quando dulcis est parcit, & quando amara, curat.* Is autem veritatem operatur & loquitur, qui opere implet, quod in baptismo, vel in professione religionis vouit. Ait quoque Bernardus in sermone. *Non amat veritas angulos, non ei diuersoria placent, in medio corporis stat, vita disciplina, quibus studiis delectatur.* Hinc sapiens Ecclesiastici 4. dicit. *Non contradicas verbo veritatis vllo modo, & de mendacio ineruditionis tuæ confundere.* Impeditur autem veritatis locutio quatuor modis. Primo timore, secundo cupiditate, tertio odio, & quarto amore. Et hoc de veritate iudiciali intelligendum est. Vnde ait Chrysostom. super Matthæum. *Non solum proditor est veritatis, qui mendacium pro veritate loquitur, sed qui non libere pronunciat veritatem, quam pronunciare oportet, aut non libere defendit veritatem, quam defendere oportet.* Et Hieronymus super Isaiam. *Magnum descrimen est Dei tacere sermones ob triplicē causam, vel propter timorem, vel propter pigritiam, vel adulationem.* Hinc quoque dicit Origen. *Si quis ea q̄ videt in proximi sui dilicto, vel non indicat, vel in testimonium vocatus, non ea quæ vera sunt dixit, peccatum, quod commisit ille, qui cælat, ipse suscipiet, & pœna commissi reuertetur ad conscium.* Vnde scriptum est Ecclesiastici 7. *Noli amare mendacium aduersus fratrem tuum, neque in amicum similiter facias. Noli velle mentiri omne mēdacium, assiduitas enim illius non est bona.* Ait Augustinus super Ioannem. *Si de veritate scandalum sumitur, vtilius permittitur, quam veritas relinquatur.* Et Hieronymus in epistola. *Mentiri atque iurare lingua tua prorsus ignoret, tantusq; in te sit veritatis amor, vt quicquid dixeris iuratum putes.* Idem super Ezechielem. *Non meretur audire veritatem, qui fraudulenter interrogat.* Ait etiam Bernardus de gradibus humilitatis. *In quirimus veritatem in nobis, in proximis, in sui natura. In nobismetipsis diiudicando, in proximis eorum malis compatiendo, in sui natura, mundo corde contemplando.* Qui enim amat veritatem, dirigetur à Domino; qui vero abscondit eam maledictione nō carebit. Ait enim Augustinus. *Qui veritatem occultat, & qui profert mendacium, vterq; reus est: ille, quia prodesse non vult: iste, quia nocere desiderat.* Et ideo subiungitur. *Qui non egit dolum in lingua sua.* In lingua dolus agitur, cū aliud ore profertur, aliud pectore tegitur. Vnde Ambrosius. *Complures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quempiam tacendo.* Ingreditur mors per ostium tuum, si falsum loqueris.

A. In ep. ad Romulum. *Hier. ep. 4. ad Rustic.* *C. homil. 25. in c. 10.* *Aug. l. de agone Christiano.* *Lib. 1. off c. 2.*

Dolus in ligna nequam est, quia pauper verbis decipitur versuti, sed est Deus, qui videt & iudicet, sicut scriptum est. *Ego cum accepero tempus, iustitias iudicabo,* Grande malum lingua dolosa: res odibilis Deo loquacitas. Scriptum est enim. *Vir linguosus non dirigetur in terra.* Et Ecclesiastici 37. *Qui sophistice loquitur, odibilis est, in omni re defraudabitur.* Ad conscientiæ puritatem hoc pertinet verbum, vt videlicet monachus neminem perturbet, nec à quoquam perturbetur. *Ps. 74.* *Ps. 139.* *Eccl. 37.*

Vnde aptissime sequitur. *Qui non fecit proximo suo malum.* Proximi nobis sunt omnes homines, & nulli debemus malum facere. Vnde ait B. Augustinus super eundem psalmum. *Proximum omnem hominem accipi oportere notum est.* præceptum habemus, vt diligamus proximum, sicut nosmetipsos, quia vere DEVS non diligitur, vbi proximus oditur. *Psal. 14.*

Vnde prima Ioannis quarto. *Si quis dixerit, quoniam diligo DEVM, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, DEVM, quem non videt quomodo potest diligere?* Qui autem proximum suum diligit, malum ei non facit. Ait quippe CASSIODORVS. *Proximos diligimus, sicut nosipsos, cum nulli malum facimus, & omnes similiter vt nosmetipsos affectione tractamus.* Sequitur autem. *Qui opprobrium non accepit aduersus proximos suos.*

Ille opprobrium, id est, detractionem non accipit de fratre, qui prius mala non credit de illo, antequam probet.

Non lōge ab initio.

Quid

Quid aliud est detractio, quam respectu alterius gloriæ minuendæ mordax ad alterum delatio. Qui enim consentit peccanti, reus est culpæ delinquentis. Admonuit prius, vt proximo nostro nihil mali faciamus: nunc vero innuit, ne male facientibus consentiamus. Sed si proximos curamus, & nos neglexerim⁹, nihil commodi inde habebimus, quia caritas à se incipit, & ideo bene subiungitur, quod puritate nostri cordis operatur.

19 *Qui malignum diabolum aliqua suadentem sibi cum ipsa suasione sua à conspectibus cordis sui respuens deduxit ad nihilum.*

ISta perfectio est, vt nihil valeat in homine malignus, vt & hoc sit in conspectu eius, id est, certissime nouerit malignum non esse, nisi cum animus ab specie sui creatoris æterna & in commutabili ad creaturæ speciem auertitur, quæ de nihilo facta est. Malignus diabolus est, & vocatur non creatione, sed auersione, quia se ab ipso auertit, qui solus verus, & incomparabiliter bonus est, & malus factus est sua culpa, non Dei creatione. Diabolus autem quasi duplex morsellus. mordet enim corpus & animam. Dicitur etiam diabolus Hebraice, deorsum fluens, quia superbiæ pondere deorsum corruens cecedit, quando se Deo æqualem æstimare consensit. At tamen Græce criminator dicitur, ipse enim prim⁹ criminosus est, criminis auctor peccatiq; est accusator. Vnde B. Ioannes Euangelista in Apocalypsi accusatorem fratrum ipsum nominat. Ipse enim mali auctor, nequitiæ est origo, rerum hostis, corruptor seculi, hominis semper inimicus, laqueos tendit, lapsus parat, foueas fodit, comparat ruinas, stimulat corpora, pungit animas, cogitationes suggerit, immittit iras, dat virtutes odio, vitia addit amori, errores serit, discordias nutrit, pacem turbat, affectes dissipat, humana violat, diuina tentat. Ipse malarum cogitationum est infusor, qui nullum bonum amat, quietem vbique dissipat, paci semper inuidet. Vnde ait Ambrosius. *Anima nunquam à corpore vinceretur, nisi prius à diabolo teneretur.* Sed licet illi data sit facultas tentandi, non tamen datur ei potestas nocendi, nisi quantum, Deo permittente, vtile est ad nostram exenitationem, vt possimus sustinere. Ait quippe Augustinus. *Plærumque diabolus vult nocere, sed non potest, quia potestas ista sub potestate est. nam si tantum posset nocere diabolus quantum vult, aliquis iustorum non remaneret.* Potestatem accipit limitatam tentandi: nullam prorsus, nisi ipsi voluerimus, nos superandi. Dicit enim Bernardus in sermone. *Dæmonum est mala suggerere, nostrum est non consentire.* Quoties eis resistimus, toties eos superamus, angelos glorificamus, Deum honoramus, qui incitat vt pugnemus, adiuuat vt vincamus, consolidat ne deficiamus. Et Gregorius in homiliis ait. *Perfecto diabolus vincitur, quando mens in testamenta eius ad delectationem atque consensum non contrahitur.* Et licet quibusdam intolerabiles eius tentationes videantur, tamen vbi sentit resistentem, facillime debilitatur. Vnde scriptum est. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Ait etiam Chrysostomus super Matthæum. *In primis grauis & insufferibilis est impetus diaboli; quod si quis forti animo sustinuerit, tum in primo, in secundo inueniet eum infirmiorem.* Quanto enim plus percussus fuerit, tanto magis refrigescit & deficit. Hinc Isidorus de summo bono dicit. *Diabolus serpens est lubricus, cuius si capiti, id est, primæ suggestioni non resistitur, totus in intima cordis, dum non sentitur, illabitur.* Hostis debilis est, non vincit nisi volentem. Si itaque volumus ingredi in tabernaculum fœderis Domini æterni, resistamus diabolo, & carnis nostræ insolentias facillime opprimemus. Felix nimirum, qui malignum diabolum sibi mala suggerentem cum sua persuasione à conspectibus cordis sui, id est, à cogitationibus deliberatis respuens duxit ad nihilum, sane habitabit in tabernaculo Domini, & requiescet in monte sancto eius. Sed quia valde necessarium est, vt puritati cordis deseruiens, ne paulatim decrescat circa minimas etiam cogitationes solicitudinem gerat, aptissime annectitur.

Diabolus vnde malignus.

Apoc. 12.

A. in Lucam.

A. in Ps. 61. Dæmoni potestas est tentãdi, sed nõ nocendi.

Iac. 4.

Lib. 3. c. 5.

Et paruulos suos cogitatus tenuit, & allisit ad Christum. 20

QVID est, *tenuit*, nisi, respectu illius iugiter in memoria habuit, quoniam omnis cogitatio hominis confitebitur? Domino. Hinc Gregorius in moralibus ait. *Magno studio superfluæ cogitationes amputandæ sunt; sed tamen funditus amputari nequaquam possunt. Semper enim caro superflua generat, quæ semper spiritus ferro solicitudinis rescindit.* Sed quid faciendum est? Allidendæ sunt ad Christum, & auxilium ab eo quærendum est, cui est cura de omnibus: qui pius est & potens maligni illius diaboli ad nihilum redigere consilium. Incipiamus ergo bonas cogitationes diligere, & statim ab illis, quæ malæ sunt, nos dignabitur Dominus liberare:

G.lib.5.c. 23.

Oportet enim primis obsistere motibus, si volumus fugere duriora certamina atque pericula. Ait quippe Hieronymus. *Dum paruus est hostis, interfice, nequitia elidatur in semine.* Sed nemo potest resistere à seipso, nisi Deum habuerit adiutorem, ideoque ad Christum cogitationes nostræ allidendæ sunt, vt qui nostræ humanitatis consors factus est, miseriæ quoque dignetur assistere adiutor. Maximo itaque supplicatu iugiter insistere oportet, iuxta quod sanctus Pater noster hortatur superius, dicens. *Quicquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici instantissima oratione deposcas.* Ipse quippe est adiutor inopis in tribulationibus, prope est omnibus inuocantibus eum in veritate. Ad ipsum debemus paruulos cogitatus nostros, antequam per consensum roborentur, illidere, & orationibus deuotis auxilium flagitare, signoque sanctæ crucis contra hostem Dei freti præsidio, fortiter dimicare.

Ep.22.ad Eustochium.

Postquam vero senserimus inimicum infirmatum, nosque ereptos, totum ad Dei pietatem debemus referre, suæque attribuere potestati & misericordiæ, quoniam sine ipso nihil possumus facere: & ipse est, qui vincit in nobis spiritum malignum, ideoque sequitur.

Qui timentes Dominum de bona sua obseruantia non se reddunt elatos; sed ipsa in se bona non à se posse, sed à Domino fieri æstimantes operantem in se Dominum magnificant, illud cum propheta dicentes. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* 21 *Psal.113.*

QVICquid boni potest humana fragilitas, totum à Deo habet, qui bonorum infusor est & operator, sine quo nullum bonum subsistit, in quo omnia bona consistunt. Qui ergo timent Deum, cum aliquid boni fecerint, à seipsis factum nequaquam existimant, nec pro hoc quouis modo laudari appetunt, sed totum ad Deum conferunt, vnde cuncta bona procedunt. Sunt enim plærique homines infirmi, qui cum aliquid boni fecerint iam in seipsis complacent sibi, & quasi à se id factum sit, eleuantur, quia timorem Domini non habent, qui cauet elationem. Ait quoque Gregorius in moralibus. *Quatuor sunt species, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur. Cum bonum aut à seipsis habere se æstimant, aut si datum sibi de suo & credunt pro suis accepisse meritis, aut certe, cum se iactant habere, quod non habent, aut despectis cæteris singulariter videri appetunt habere, quod habent.* Qui de obseruantia sua bona sibi gloriosus apparet, & meritum perdit religionis & pœnam incurrit elationis, quia solis humilibus Deus dat gratiam, superbos vero odit anima illius. Scriptum est enim. *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.* Audeo dicere, quia melior est peccator humilis, quam Pharisæus superbus. Omnium bonorum euacuatio superbia est, & vitiorum mater singulorũ. vnde Gregorius in moralibus ait. *Radix cuncti mali, & regina omnium vitiorum superbia est: de qua scriptura attestante dicitur. Initium omnis peccati superbia.* Ingratitudo magna est Deo, si homo bene faciens suam non Dei gloriam quærit. Nil est, quod adeo indignationem prouocet altissimi, sicut ingratitudo. Ipsa est malorum prouocatio, beneficiorum exinanitio, meritorum exterminatio, virtutum dispersio, ventus vrens, siccans fontem pietatis & misericordiæ, aduersatrix omnium bonorum, & animæ inimica. Non est ma-

G.lib.23. c.6.

Matt.23.

Superbia radix peccati.

G.lib.31. c.31.

Eccl.10.

Ingratitudo pessimum vitium.

est maior ingratitudo sub sole, quæ Deum plus offendat, animæ plus noceat, quam se, non Deum de bonis suis operibus exaltare, sicut de superbo angelo factum legimus. Ait quippe Bernardus. *Serm. 2. de 7. misericordiis.* *Peremptoria res est ingratitudo, hostis gratiæ, inimica salutis, quoniam nihil ita displicet Deo, præsertim in filiis gratiæ,* quemadmodum ingratitudo. Sed quid faciendum est, ne hanc ingratitudinem incurramus? Audi, quid dicat Beatus Pater noster Benedictus. *Sed,* inquit, *ipsa in se bona non à se posse, sed à Domino fieri æstimantes.* Scriptum est enim. *Psal. 126.* *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.* Nos enim tanquam instrumentum, vt ita dicã: Deus vero est qui operatur in nobis. Si ergo bene fecerimus, Deus totum facit: si male, à nobismetipsis factum putemus, quia Deus mali auctor non est. Vnde 1. ad Corinthios 3. Paulus ait. *Neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* *Omne bonum nostrum à Deo est.* Non possumus à nobis perficere, quod proponimus bonum: neq; proponere quicquam faciendum, sed Deus ipse est, qui & propositum mouet, & boni largitur effectum: quia quicquid dicitur bonum ex Dei gratia totum est. Cum ergo aliquid fecerimus quod bonum est, ne id nobis vsurpemus summopere cauendum est, quia nihil habemus, quod non accepimus, & qui dedit potens est, cum voluerit, auferre, quod habere videmur. Vnde fit, vt omnipotens Deus suam misericordiam vbiq; ostendere volens, & neminem perire eorum, quos redimere est dignatus, pleriſq; maxime religionis clausura alligatis perfectionis affectum dat, & magni profectus. * *Deus cur gratiam aliquãdo differat.* Sed ipsum effectum auide cupitum elargiri differt, vt hi tales addiscãt, quia nec minimum valent attingere perfectionis gradum pluribus quamuis annis fatigati desideratum: &, vt postea consecuti, quod volunt, ex parte diligentissime præuideant, ne quod tot annis vix apprehendere potuerunt vna elationis hora, aut momento seducti amittant. Si enim statim, vt volumus, affectum sequeretur effectus, vitium elationis ab instanti incideremus, putantes nos habere à nobis ipsis, quod tam facile inuenissemus. Sunt enim multi, qui perfectiorem vitæ desiderant statum, iugiter Deum orantes, quatenus ipsis donum largiatur sanctitatis & virtutis, plusquam triginta vel quadraginta annis in hoc supplicatu persistentes, & tamen non merentur exaudiri, neq; in vita, neq; aliquando in morte, sed in hoc desiderio permanentes sine effectu cupito decedunt. *Cur eam diu petitã neget.* Quare hoc? nisi quia Deus omnipotens ipse nouit, quod si hanc gratiam consecuti fuerint, statim elati se perpetuę damnationis facerent participes: & ideo cum pio & bono desiderio in affectu recipit eos, quos effectu obtento forte recepisset infernus. Confundimur autem nos, qui statim vt aliquid boni cogitare cæperimus, volumus esse perfecti: & quia affectus protrahitur, efficimur impatientes, dicentes Deum iratum super nos, eo quod confestim non obtinemus propositi effectum, & sic miseri à bene cepto proposito recedimus, priusquam ad metam perueniamus. *In oratione persistendum.* Sed non est sic faciendum, quia sine intermissione oportet orare: nescimus enim, quando nos Dominus exaudire dignabitur, vel quare suspendat petitionem, aut cur nos non exaudiat, quia sic expedit nobis, vt ipsi placet. Nequaquam ergo à proposito & supplicatione huiusmodi cessandum est: * quia etsi effectu caret, procul dubio tamen fructu minime carebit. Quod si forte aliquando assecuti fuerint quod volunt, non reddant se elatos de sua bona conuersatione vel obseruantia, sed semper memores sint, quoniam adhuc plura sunt & maiora, quæ nõdum apprehenderunt, quam illa, quæ habent, & quantum se imperfectiores æstimant, tantum in melius crescunt. Ait enim Hieronymus in epistola. *Hac est in omnibus sola perfectio, sua imperfectionis cognitio.* *H. lib. 1. cont. Pelagian.* Est ergo Deus glorificandus de bona obseruãtia, non homo, quia ipse dat vnicuique, quando, & quantum vult, sicut scriptum est in psalmo. *Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* *Psal. 29.* Quare hoc? *quia ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum.* Ex persona eorum loquitur, qui in se dum spiritum promptum sentiunt, se illum in æternum posse habere confidunt, imo præsumunt. Et quia iam sanctos se putant, sibi non Deo attribuunt, sed postquam fuerint humiliati, vt valeant dicere, *Bonum mihi, quia humiliasti me,* *Ps. 118. 71* vt discam *iustificationes tuas,* considerant, quia errauerunt, & nihil

hil habent, quod Deus non dederit, aut cum voluerit auferre possit, & dicunt. *Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem*, id est, qui non ex me bonus eram, & fortis, sed ex te eram & pulcher & fortis, decori meo virtutem præstiteras ex voluntate tua, qua me feceras. Et vt ostenderes mihi, quia ex voluntate tua hoc eram: auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Auertit autem Deus faciem suam ab homine, quando eum, qui stat superbus in bona obseruantia gloriando, propter humilitatem cadere permittit, vt postea surgens cautius stet, sciens se non posse subsistere, nisi ex voluntate diuina iam sic positus & humiliatus clamet & dicat. *Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor.* Cum in honorem esses, non clamabas, sed te ipsum laudabas superbiendo, putans se habere, quod nondum apprehendisti: iam autem humiliatus clamas appropinquat humilianti, qui deseruit superbientem. *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Iam didicisti Apostoli Pauli sententiam, quam antea non attendebas. *Qui stat, videat, ne cadat.* Sed surge, forte sic expedit tibi, clama ad Dominum, & miserebitur tui, restituetque te in pristinum statum humiliatum, de quo se cadere permisit superbum. Surge velociter, nunquid qui dormit, non adiiciet, vt resurgat. Noli desperare, quoniam plus peccabis desperando, quam superbe cadendo. Attende Petrum Apostolum, qui præsumptuosus stetit, & ideo Dominum tertio negando grauiter cecidit humiliatus: sed resurgens fortius stetit, imo maiorem, quam habuerat antea gratiam meruit, vt esset Princeps apostolorum, haberetque potestatem ligandi atque soluendi omnem animam in cœlo sursum, & in terra deorsum, & nominari ianiter cæli obtinuisset. Cum itaque resurrexeris à casu humilitatis, vide ne iterum ruas, & erunt nouissima tua peiora prioribus, sed sta in timore, & esto pauidus, magnificans Dominum de bonis suis in te, dicens illud quod sequitur cum propheta. *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* De bono opere Domine, quod feci, imo quod tu feciſti in me, non quæro ego gloriam, sed rogo concede mihi vt dem nomini tuo gloriam, quia à te, non à me boni quicquid possum fieri credo. Inutilis quippe est omnis boni conatus & infructuosus, si Deus sua eum desuper gratia non prosequatur. Vnde in psalmo tertio scriptum est. *Domini est salus, & super populum tuum Benedictio tua.* Damus itaque nomini Domini laudem bonorum operum, quæ fecimus, si non quærimus hominibus, sed Deo placere, dicentes cum propheta. *Omnia opera nostra in nobis operatus es Domine.* Et vt hoc dicendũ, sentiendumque demonstret, adducit exemplum columnam Ecclesiæ, Paulum in medium, dicens.

Psal. 29. Iac. 4. 1. Cor. 10. Psal. 113. Psal. 3. Isa. 26

Sicut nec Paulus Apostolus de prædicatione sua sibi aliquid imputauit.

MIRVM videtur, cur Paulum, omissis cæteris omnibus, sed & Principe Apostolorum, proponat imitandum, cum & ipsi prædicauerunt vbique terrarum sed & miracula plurima operati sint, per quæ fides eorum liquide claret, quod de Paulo non legimus. Quia etsi magna fecit, non tamen sicut Petrus Apostolus, ad cuius vmbram infirmi sanabantur, prout Actuum testatur historia: Et quia ad prædicationem Petri crediderunt vna die quinq; millia hominum, & baptizabantur, quod nusquam de ipso legimus: Quia quamuis multi crediderunt, Paulo docente, tamen multo plures per omnes alios Apostolos. Vnde merito dixisset, sicut nec Apostoli de sua prædicatione gloriabantur. Sed quid dico? nunquid patrem & magistrum meum S. Benedictum reprehendo? Absit. Ignorantiæ meæ satisfacio. neminem Apostolorum minimum dico, sed omnes magni sunt: qui enim nonn est paruus, quomodo minimus, vel minor esse poterit. Omnes quippe Apostoli magni sunt apud Deum, & nemo paruus, sicut scriptũ est. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Sed nondũ satisfeci admirationi, Quid ergo. Puto quod Paulus Apostolorum minimus nequaquam sit, licet ipse de se talia scribat. Ait enim Dominus Actuum nono cap. *Quoniam vas electionis mihi est is.* Et Dominus in Euangelio. *Omnis qui se exaltat humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.*

Act. 3. Act. 4. Apostolorum nullus paruus. Psal. 138. Math. 23

Sed

1.Cor.15. Sed Paulus se humilians scribit Corinthiis, *Ego autem sum minimus Apostolorum*, dignissime meruit exaltari. Cui vnquam 2.Cor.12. inter Apostolos donatum est vsque intertium cœlum rapi, & videre talia, quæ non licet homini dicere. Sanctus ergo Benedictus non immerito ipsum ceteris imitandum prætulit, quia, vt ipse de se 1.Cor.15. testatur, abundantius ceteris laborauit, Gal.1. & Euangelium suum non ab homine, sed per reuelationem se recepisse dicit, & ceteris omnibus omissis ipse solus Doctor gentium egregius vocari meruit. Quod vero de miraculis Petri, aliorumque Apostolorum motum est: credo, quod Paulus non minora, sed potius maiora operatus sit, quamuis non legamus. Plus enim est vnius animæ curatio, quã mille corporum resuscitatio. Sed his diutius quid immoramur. Sanctus propterea allegauit Paulum quia licet ceteri eadem de se senserit, non, vt ipse, inscriptis reliquerunt. Solus Paulus hoc de se scripsit, non autem solus apud se tenuit. Et nos ergo eadem apud nosmetipsos æstimemus, & dicamus.

23 *Gratia Dei sum id quod sum.*

VErba sunt ipsius Apostoli scribentis ad Corinthios prima epistola capitulo 15. vbi cum se abortium & minimũ testaretur Apostolorum, ne propter nimiam humilitatem, auctoritas vilescerit docendi, statim subintulit, dicens. *Gratia autem Dei sum id quod sum.* Hoc est, siue magnus sim, siue paruus, quia tamẽ zelum Dei habeo, sum ex ipsius gratia, quod sum, id est, dicor videlicet Apostolus Domini Iesu Christi, prædicator veritatis, Doctor gentium. Doctor gentium, inquam, *& vas lectionis.* Actuum 9. non mea præsumptione, sed Dei miseratione. 1.Cor.4. *Nihil mihi conscius sum.* Gratia autẽ Dei sum id quod sum. Humiliat se veritatem dicẽs, ne forte aliis prædicans ipse reprobus efficeretur.

Et iterum ipse dicet, Qui gloriatur, in Domino glorietur.

Gloriæ propriæ non quærendæ. TOtum, quod causam solet dare gloriandi à Deo est. Merito itaq; ad eũ reducitur, vnde exisse cõstat. Et ergo qui gloriatur de scientia, sapientia, virtute, siue bona obseruantia, non sibi hoc vsurpet, quasi ipse sit, qui hoc possit, sed Deo attribuat, videlicet hanc gloriam. Scriptum est in Euangelio. *Videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.* Matth.5. Ecce nequaquam dicit. *Et glorificent vos*, vel laudent, vel venerentur opera vestra propter vos, sed glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est, quia Dominus Dicit. *Gloriam meam alteri non* Isa.42. *dabo.* Hinc Apostolus ait. *Soli Deo honor & gloria in secula seculorum, Amen.* 1.Tit.1. Caueamus ante omnia inanem gloriam, quoniam si non quærimus Dei honorem vita nostra cito denudabitur. Qui gloriatur in virtutibus suis sibi ex bono virtutis pœnam habebit, quia quod ad Deum dirigere debuerat, nequam seruus sibi reseruat. Ait enim Augustinus. *Qui de bono opere gloriatur, de virtute vitium facit.* Fuge laudem, & declinabis dolorem. Vnde ait Hieronymus *Non quæras gloriam, & nõ dolebis, cum glorioſus non fueris.* Qui laudem non appetit, nec contumeliam sentit. Est autem inanis gloria amor propriæ excellentiæ, de quo nascitur elatio, superbia, arrogantia, contentio, contumelia, contemptus præsumptio, inobedientia, & irreuerentia, & plerunque hæresis pessima pestis. Vt autem hæc cauere possimus, necesse est, vt in Domino, & non in nobismetipsis gloriemur: quoniam omnis gloria humana sicut vmbra declinat, Qui vero in Domino gloriatur, stabilis in æternum permanet. Sequitur.

Vnde & Dominus in Euangelio ait, Qui audit verba mea hæc, & facit ea, similabo eum viro sapienti, qui ædificat domum suam supra petram.

25 VErba saluatoris nostri sunt hæc, q̃ ait ad turbas Matt.7. & Luc.6. post quã eas instruxit, quia non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnũ cœlorũ, sed qui facit voluntatem patris mei, q̃ in cœlis est, ipse intrabit in regnũ cœlorum. Et seq̃tur ex occasione prædictorũ. Omnis ergo qui audit verba mea hæc, &c. Hinc ait Apostolus. *Non auditores legis, sed factores iustificabuntur.* Rom.2. In Matth. eodẽ capitulo multa salubria p̃misit Dominus documẽta, quæ omni Christiano ad pfectionem sufficerent, ꝓpter quæ & subdidit. *Qui audit verba mea hæc, &c.* Hæc videlicet, quæ iam p̃dixi. Incipit autem à capitulo 5. inclusiue docendo vsq; ad octauum exclusiue, vbi dicitur. *Et factum est, cum consummasset Iesus verba hæc, admira-*

bantur turbæ super doctrina eius. Audiamus ergo, quid docuerit: & sciemus, quæ sint verba hæc, pro quibus meritis quis viro sapienti assimilandus sit. Ait itaque in 5. capitulo incipiens Euangelista Matheus. *Videns Iesus turbas, ascendit in mõtem, & cum sedisset, accesserunt discipuli eius, & aperiens os suum docebat eos dicens. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Docet hic octo beatitudines, videlicet. Vt simus pauperes spiritu, mites, lugentes, esurientes iustitiam, misericordes, mundo corde, pacifici, & pro iustitia patientes. Sequitur. *Quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Deinde ait. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrũ, qui in cælis est.* Post hoc docet, fratri non esse irascendum, neq; dicendum, raca, vel fatue; & vt frater fratri reconcilietur, monet, antequam offerat munus suum ad altare. Mulierem etiam ad concupiscendum prohibet, oculum scandalizantem quenquam, siue pedem, abiiciendos dicit. Docet non licere iurare omnino, neque per cœlum, &c. Deinde iubet, quod etiam perfectis magnum videri posset, vt percussus in vnam maxillam, alteram præbeat, tunicam auferenti dimitti & pallium mandat, petenti se dare iubet, inimicos quoque diligere, bene facere persequentibus, orare pro odientibus. Postea vero totum concludens ait. Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est. In sexto capitulo, ne iustitiam nostram faciamus coram hominibus prohibet, & quomodo sit facienda eleemosyna, & qualiter orãdum, ieiunandumque docet, & vt in cœlo thesauros nostros ponamus monet, affirmans, quia nemo potest duobus dominis seruire, ne etiam simus solliciti animæ nostræ, quid manducemus, siue bibemus, sed vt primum quæramus regnũ Dei, &, quia sufficit diei malitia sua, non cogitemus de crastino. Post hæc in septimo capitulo, dicit neminem esse iudicãdum, festucam in oculo fratris non inspiciendam, non eiecta prius trabe de oculo proprio: & docet esse petendum, quærendum, pulsandumque, quia omnis qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur. Deinde dicit. Omnia quæ vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis, & quia hæc est lex & Prophetæ. Intrare iubet per angustam portam, quoniam lata est via quæ ducit ad perditionem, & multi inueniunt eam. Angusta vero est, quæ ducit ad vitam, & pauci inueniunt eam. Attendite, inquit, à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum agnoscetis eos. Non omnis qui dicit mihi, Domine domine intrabit in regnũ cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis ist, ipse intrabit in regnũ cœlorum. *Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, &c.* Ecce verba, quę dixerat, audiuimus, per quę quis viro sapienti assimilari queat. Libet, vt ad materiam, vnde digressi sumus, reuertamur. Sanctus itaque Benedictus ad approbationem prædictorum in hoc prologo de inhabitatore videlicet tabernaculi, de gloria propria non quærenda dicta allegat saluatoris in monte habita, vt sensus sit plenus. Ac si diceret. Ego Dominus, & hi sermones mei, quos in hoc prologo locutus est seruus meus in nomine meo BENEDICTVS, *Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea,* id est, qui colla submittit iugo regulæ huius in humilitate, obedientia, patientia, ceteriſq; virtutibus clausſtralibus, perseuerando vsque in finem, assimilabo eum viro sapienti, &c. Vel certe aliter intelligi potest. *Qui audit verba mea hæc,* scilicet, quem in monte locutus sum sermonem, *& facit ea,* quia, vt dicit Augustinus, quantum ad mores optimo, pertinet perfectionem Christianæ vitæ, sicut modo audiuimus, in monte docuit. *Assimilabo eum viro sapienti,* si fecerit ea. Quis est iste vir sapiens, cui assimulandus dicitur seruus Christi? Putasne esse Salomonem? minime puto. Quis ergo est? certe Christus est, qui sapientia Dei patris est. Ipse enim vere sapiens, cuius domus, id est, vita vel Ecclesia supra firmam petram, id est, fidem & caritatem fundata ab aduersariorũ persecutionibus nequaquam contrita est. Vita quippe Christi nobis in exemplum proponitur, vt quemadmodum ille ambulauit, ita & nos ambulemus. Neque putandum est, quia dixi, supra fidem, q; Christo more nostro ad vitam æternam necessaria fuerit fides, in quantum est fundamentum Christianæ religionis, cũ ipse author fidei, quia Deus, & fundamentum

Summa cap. quinti apud Matth. 6. & 7.

6.

7.

A lib. 1. de serm. dom. in monte, c. 1.

Fides non fuit necessaria Christo.

mentum positum Christianis, sed in fide eum firmatum dixi, quia fidei nobis regulam & factis & dictis reliquit, & ostendit. Nullum enim eo peccatum vnquam inuentum est, nec satisfacere necessarium habuit, nisi pro nobis, nec aliquid virtutũ operari, nisi ad nostram vtilitatem. Ipse enim sicut potestatem habens, vt testatur Matthæus, erat docens, non sicut peccator, sed iustus, quia Deus & homo, *Matth.7.* Notandum ad literam est, quod cum dixisset, *qui audit verba mea hæc*, continuo adiunxit, *& facit ea*, quoniam nequaquã sufficit ad iustitiam mandata Dei scire, vel audire, sed qui facit quod audit, hic est, inquit, qui diligit me. Vnde præmisit dicens quia, *non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.* Quid est, bis dicere *Domine*, nisi audire verbum, & in mente tenere? Addamus ergo & tertium, *Domine*, & sine dubio regnum Dei

Verba Dei non audienda solum, sed facienda.

sperabimus. Dicamus primo, Domine, audiendo: secundo, retinendo: tertio faciendo, & salui erimus. Quia nõ omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui addit & tertium, Domine, id est, qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Sunt enim nonnulli, qui & verbum Dei libenter audiunt, & diligenter retinent, sed non faciunt: hi profecto solum bis, Domine, dicunt, quoniam quod perfectum est, negligunt, nihil commodi de auditu vel scientia habebunt. Quid prodest scire omnia, quæ legis sunt, documenta, & prophetarum nosse mysteria. Euangelii intelligere consilia atque præcepta, & non facere facta siue facienda? Vana & prorsus inutilis scientia, quæ hoc tertium, *Domine*, ignorat. Vis scire, cui similis sit, qui non facit voluntatem Dei? Audi Dominum dicentem, Matth. 7. & contremisce. *Et omnis*, inquit, *qui audit verba mea hæc & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina eius magna.* Vir stultus est, qui ponit spem suam in transitoriis

Ierem. 17.

rebus, vel in homine: quia scriptum est. *Maledictus, qui confidit in homine.* Qui male viuit, male confidit. Ergo qui facit verba Domini, hic assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram: Petra autem erat CHRISTVS. Qui in CHRISTO fundatus est, stabilis permanet, nec more arundinis mouetur, vel agitatur. Vnde & sequitur. *Venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra Petram.* Quid per *flumina*, nisi persecutiones? Quid per ventos, nisi tentationes designantur? Venerunt ergo flumina persecutionum, & flauerunt venti tentationum, impegerunt in domum illam, id est, in conscientiam hominis religiosi, qua reguntur sensus, & non cecidit, videlicet declinando à via iustitiæ, vt posset dicere cum Apostolo. *Neque tribulatio, neque persecutio nos à caritate Dei separabit, &c.* *Rom.8.* Si autem volumus, & aliter intelligere possumus sententiam domus huius, vt sit sensus. Venerunt flumina aduersitatis, flauerunt venti prosperitatis, & impegerunt in domum illam, & non cecidit: quia stabilis in Domino fundatus, neque prosperis flectitur, neque aduersis terretur, sed stabilis permanet in via Domini non declinans ad dextram, neque ad sinistram, id est, nec prosperis eleuatur, nec aduersis deprimitur. Domus hominis, cor est ipsius, in quo DEVS collocat filium suum per sanctorum affectuum, & sacramenti sanctissimi sumptionem, quia templum Dei facti sumus, sicut ait Apostolus. *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* *1. Cor.3.* Si itaque domus fuerit supra Petram, id est, CHRISTVM & fidem ipsius ædificata, nullo vento elationis erigitur ad casum, nullo meatu fluminum turbationum deprimitur ad ruinam. Mens quippe iusti in aduersis erigitur, & in prosperis deprimitur, non ad vitium, sed ad virtutem, & patientiam habet vsque ad inspectionem altissimi. Sequitur ergo.

Hæc complens Dominus expectat quotidie his sanctis suis monitis factis nos respondere debere. 26

COmpleuit Dominus sermones hos præmissos in monte ad turbas Matt. 7. & descendens ab hominibus laudabatur, quoniam admirabantur super doctrina

ctrina eius, nunc vero quotidie expectat nos, quia peccata propter emendationē nostram iam dissimulat, & postea vindex iudicabit, quos non correctos iam patienter tollerat. Expectat itaque nos, vt factis impleamus quæ docuit: quia parum prodest Dei audire sermones, si quis non fecerit, quæ audit. Respondere autem Deo dicimur, cum eius piis monitis congrua opera reddimus. Pietas enim Domini nos tolerat peccantes, si vel aliquando, sero licet, respiremus, pœnitentiam agentes, misericordiam eius mereamur recipere, sicut scriptum est. *Conuertimini ad me, & salui eritis.* Ioel. 2.

Ideo nobis propter emendationem malorū huius vitæ dies ad inducias relaxantur, dicente Apostolo. An nescis, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit. Rom. 2.

27

FIlius Dei omnipotentis caritate nimia victus generis humani de cœlis in vterum virginis descendens pro nobis pati volens, vt nos à capitali sententia redimeret, quotidie expectat emendationem vitæ nostræ, & non attenditur, vocat, & contemnitur, & quod plus est iterum à nobis malis nostris operibus persequitur, & sustinet: offenditur, & præmia promittit: & vt nullam excusationis causam relinquat, beneficia se odiētibus plærunque suis operibus exhibet. Is nimirum Deum odit, qui in suis factis sibi contrariatur. Sed timendum illud audiamus, quod in cantico filiorum Israhel comminatur Dominus, vbi Moyses eos instruxit vt Deum suum timerent cunctis diebus, ne hoc maledictum incurrerent, quod dicitur. *Mea est vltio, & ego retribuam eis in tempore, vt labatur pes eorum. Iuxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora.* Et sequitur. *Si acuero, vt fulgur, gladium meum, & arripuerit iudiciū manus mea reddam vltionem hostibus meis, & his qui oderunt me retribuam.* Vltio Dei est, quoniam iudicabit vnumquenque, quādo, & sicuti vult. Ipse vero, quoniam misericors est, & præstabilis super iniquitate, expectat quotidie nostram emēdam, sicut in Psalmo dicitur. *Deus iudex, iustus, fortis & patiens.* Iudex est viuorum & mortuorum, sicut scriptum est Ioelis 3. *Consurgant & ascendant gentes in vallem Ioſaphat, quia ibi sedebo & iudicem omnes gentes in circuitu.* Iudex iustus est, quia scriptum est in Psalmo. *Iudicabit orbem terrarum in iustitia, & populos in æquitate.* Iustus, quia reddet vnicuique iuxta opera sua. Non enim munere subuertet iudicium, & aurum vel argentum non liberabit impium, sed cōscientia propria vnicuiusque erit iudicium, siue ad gloriam, vel certe, si mala sit, ad pœnam. Fortis iudex est, quia & bona bonis, & mala malis reddere potest. Non enim erit ab ipso appeliatio ad aliquem, sed vnusquisque stans iudiciū suum portabit. Iudex patiens est, quoniam etsi iudicamur quotidie pro peccttis nostris flagella sustinentes, tamen quia misericors Deus non vult mortem peccatoris, semper sustinens præstolatur nostram emendationem. Non enim in damnatione nostra Deus lætatur vllo modo. Deus itaque iudex iustus, fortis & patiens est, & multum misericors. Ait quippe Augustinus super Psalmum. *Quis Deus iudex, nisi qui iudicat populos. ipse iustus, qui reddet vnicuique secundum opera sua. Ipse fortis, qui etiam persecutores impios, cum sit potentissimus. pro nostra salute tolerauit. Ipse longanimis, qui etiam ipsos, qui persecuti sunt, non statim post resurrectionem ad supplicium rapuit, sed sustinuit, vt se aliquando ad salutem ab illa impietate conuerterent. Et adhuc sustinet, seruans vltimo iudicio vltimam pœnam, & nunc vsq; innitans peccatores ad pœnitentiam.* Hinc etenim Apostolus ait. *An nescis, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit.* Patientia Dei prolongatio iudicii est, quia non iudicat peccata statim, cū facta fuerint, neque vindicat, sed emendationem & pœnitentiam promissis præmiis expectat, & pœnam, quam iuste pro ipsis meruimus clementer indulget, nosque amicos suos vocare dignatus est, si conuersi fecerimus ea quæ præcepit patribus nostris, & filiis eorum vsque in æuum sanctum. Quod si negligentes vt desidiosi inuenti fuerimus, eiusque patientiam & expectationem malis actibus nostris prouocauerimus, durissimum iudicium portabimus: quoniam, quanto iam diutius emendam nostram expectat patienter, tanto seuerius non emendatos iudicabit iudicialiter. Vnde sapientiæ 6. dicitur. *Horrende & cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his qui præsunt fiet.* Agamus

Dist. 2.

Psal. 8.

Psal. 7.

Psal. 97.

In Psal. 8.

Deus cur patiens dicatur.

mus ergo pœnitentiam, quia tempus acceptabile istud est, & dies salutis. quoniam si spatium nobis datum pœnitendi negligentes infructuose transegerimus, durissimum nobis iudicium erit. Quia nihil pretiosius tempore, & nulla pœna amarior, quam amissi temporis recordatio. Omnipotens Deus non vult mortẽ nostram, neque delectatur in damnatione peccatoris, sed magis sibi placet conuersio nostra. Propter q; & subiungitur.

Ezech.18. *Nam pius Dominus dicit. Nolo mortem peccatoris, sed vt cõuertatur, & viuat.*

Psal.33. MOrs peccatorum pessima, quia non solũ corpus & anima separantur, sed etiam, quod pessimum & durissimum est, anima à Deo creatore suo separata dœmonibus æternaliter cruciãda traditur: nam mors mala vitam malam comitari solet. Pius autem Deus non volens mortem peccatoris, sed vitam ipsius desiderans exspectat nos, quotidie clamans & vocans dicendo. *Conuertimini ad me, & salui eritis.* Et iterum. *Venite ad me omnes qui laborati & onerati estis, & ego reficiam vos.* Sed nos miseri, cæci, duces cæcorum parum attendimus, quoniam adhuc carnales sumus, nec dulcedinem spiritus gustauimus. Volumus quidem regnare cũ Christo, sed pati nolumus cum ipso, quoniam martyres delicati sumus. Sed, vt sciamus, quia nemo potest hic gaudere cum mundo, & postea regnare cũ Christo, S. Benedictus exhortationis verba concludens ait.

Ioel.2. Matth.11

Cum ergo interrogassemus Dominum, fratres, de habitatore tabernaculi eius, audiuimus habitandi præceptum. Sed si compleamus habitatoris officium, erimus hæredes regni cœlorum.

INterrogauimus Dominum paulo superius cum Propheta dicentes. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* Audiuim⁹ etiam respondentem Dominum. *Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam,* & cætera, quæ ibi contenta sunt. Hoc præceptum habitandi est, quod habet ordinem, vt mediante eo perueniatur ad tabernaculum Domini. Sed quoniam audire præcepta minime sufficit, si ea, quæ audimus, non fecerimus: & ideo, quia habitatoris audiuimus præceptũ, erimus & nos participes & hæredes regni cælestis, hac tamen conditione apposita, si compleamus habitatoris officium, Quis autem est iste habitator, nisi quilibet sanctus, qui solo corpore in hac peregrinatione constitutus cogitatione & auiditate in illa æterna patria conuersatur, qui Patrum imitatur exempla, verba conuertit in opera. Non auditores, sed factores legis iustificantur: quia opus bonum meretur coronam, scientia autem boni sine opere habebit culpam. Vnde scriptũ est. *Scienti bonum & non facienti peccatum est illi.* Sed non excusatur ignorantia, quia ignorans ignorabitur, nec liberabit impietatem gentilium pietas Christiana. Sequitur.

Psal.14.

Iac.4.

1.Cor.14.

Ergo præparanda sunt corda & corpora nostræ sanctæ præceptorum obedientiæ militatura: & quod minus habet in nobis natura possibile, rogemus Dominum, vt gratiæ suæ iubeat nobis adiutorium ministrare.

30

ACorde incipit, & postea corporis pparationem ponit, tum quia nobilius omni mortali creatura est cor humanum, tum quia nemo bonum potest perficere, q; non prius conceperit in corde. Ait n. Hugo libro de anima. *In omni creatura, q̃ sub sole vanitatib. occupatur mundanis, nihil humano corde sublimius, nihil nobilius, nihil Deo similius reperitur, quapropter nihil aliud requirit à te, nisi cor tuum.* In corde nãq; thesaurus hominis est, & qui seruat cor suum à macula, animæ suæ adiiciet vitã. Vnde scriptum est. *Omni custodia serua cor tuum.* Admonet autem nos Apostolus, vt corpora nostra exhibeam⁹ Deo accepta, cum ait. *Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placẽtem, rationabile obsequium vestrum. Caro enim,* vt idem Apostolus ait, *concupiscit aduersus spiritum,* & ideo pro cordis custodia conseruanda præparanda sunt & ipsa corpora. Nã vana est castitas mẽtis, vbi non est custodia corporis. Hoc dixerim, non quod puritas mentis in coniugatis sit inutilis, vel vana, sed quia non potest seruari puritas mentis sine custodia corporis. Ait enim Augustinus. *Castitas est p edomitas vitiorum furias mũda & honesta totius corporis habitudo.* Idẽ de vita clericorũ. *Non dicatis vos habere animos puditos, haenbtes oculos impudicos, qa impudicus oculus impudici cordis est nuncius.*

Cordis puritas sectanda.

Prou.5.

Rom.12.

Gal.5.

Augustin. de definit.

Regulæ c. 21.

Itaq;

Ideoque si vis purum *seruare cor tuum, corpus tuum stude custodire à macula.* Hinc etenim Apostolus ait. *Non regnet peccatum in*
Rom. 6. *vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscẽtijs eius*; neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viuẽtes membra vestra arma iustitiæ. Peccatum vobis non dominetur. Nam dum caro infirmatur, tunc spiritus confortatur; at econtra quando caro quiescit, spiritus debilis remanet. Vnde ait Augustinus super Ioannem. *Spiritus deficit, vbi caro requiescit. vt enim caro mollibus, sic anima duris nutritur, illam blanda renouant, hanc aspera exercent.* Cor enim mundum Deum videbit, & corporis munditia addit gratiam. Ergo præparanda sunt corda, &
Gal. 5. corpora nostra. Hinc Paulus ait, *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus.* Sicut idem ait ad Ephesios quinto. *Vt filii lucis ambulate, fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate.* Tunc autem corda & corpora nostra in Domini præparantur militia, si abiiciamus à nobis opera mortua, id est, peccata, quæ idcirco dicuntur opera mortua, quoniam ducũt animam ad mortem. Sunt enim opera carnis & tenebrarum; quia peccator omnis in tenebris est, eo quod veram lucẽ Christum suis se operibus nescire demõ-
Rom. 13. strет. *Et induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus.* Arma lucis opera sunt Spiritus, de quibus Apostolus idem scribit ad Galatas quinto. *Fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas longanimitas*, & cætera ibi. Ista sunt opera spiritus & fructus, quibus Domino militatura nostra præparanda sunt corda. Caritas autem prima virtus est, necessaria omni credenti. quia quicquid in caritate non fit, nulli ad me-
* ritum cedit. Deinde gaudium, vt non cũ mœrore, sed cum lætitia seruiamus Domino. *Præparemus itaque fratres corda nostra Domino*, quoniam omnis virtus à corde procedit, & nihil aliud à nobis exigit Dominus, nisi cor nostrum. Verum, si digne corda & corpora nostra volumus præparare Domino, necesse habemus, vt ab omni macula nos custodiamus, quoniam soli mundi corde Deum videbunt, & in vanum virtutes ceteræ congregantur, si puritas cordis non custoditur. Oportet enim seruum Domini, tam corpore, quã corde mundum esse, sicut ipse dicit. *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, Dominus* Leuit. 11
Deus vester, Quisquis igitur Domino militaturus regna contendit scandere cælestia obseruãtia præceptorum cor purget, corpus custodiat opus est, si cadere non vult, dum stare videtur. Nam qui se, *
non Deum in religione quærit, non miles Christi, sed vas vacuum & inane putatur, & confuse stabit in fine cadendo, quia dolose surrexit in principio male intendendo. Vnde pro confusione taliũ discernẽda aptissime appositum est. *Sanctæ præceptorum obedientiæ militatura.* Præparanda sunt corda, id est, apponendus est conatus, & diuinum auxilium implorandum, quoniam nihil potest homo sine Dei adiutorio: nec Deus aliquid facit, nisi quis præparet cor suum iuxta illud Prouerbiorum. *Hominis est præparare* Prouer. 16
animam. Corpora vero præparanda sunt, id est, coercenda & assuefacienda, quatenus obediant rationi: quia corpus naturaliter & communiter militat aduersus spiritum. Sed ista coercitio non potest *Imitatio*
præualere carni, nisi habeat homo ali- *alicuius*
quem, quem timeat & videat: quia licet *vtilis est*
Deum omnes timere debeamus, multũ *virtutis*
tamen iuuat, si præsentem hominem, *studioso.*
quem timere nos oportet habemus.
Vnde dicit Seneca in quadam epistola. Sen. Epist
Aliquis vir bonus eligendus est nobis, ac sem- 25.
per ante oculos habendus, vt sic tanquam illo *
spectante viuamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Magna pars peccatorum tollitur, si peccatoris testis assistat. Quod si ita est, imo quia est puto, quod nunquã melius hæc regula prædicta, quam in monasterio sub Abbate poterit seruari. Et ergo bene dixit. *Sanctæ præceptorum obedientiæ militatura.* Quia obedientia, inquantum procedit ex diuina reuerentia, continetur sub virtute religionis seu sanctitatis, ad quam pertinet Deo reuerentiam exhibere. Corda vero nostra sanctæ obedientiæ præceptorum ideo dicuntur militatura · quia nisi spiritus & rario resistant carni, non potest animus diuina seruare mandata. Oportet enim *Otium*
resistere virtutum impedimentis, de qui- *militi*
bus præcepta dantur, quod est officium *Christi*
militantis. Nam miles Dei esse non po- *noxium.* *
terit, qui contra seipsum pugnare non nouit, Et, vt semper in vigore fortitudi-

nis

nis maneat miles, necesse est, vt otiũ eaueat, quia nihil damnabilius in eo est, quam otium, per quod vsus armorũ dediscitur, nutritur pusillanimitas, vires fatiscunt, obrepit inertia, & ad immunditiæ actus animus occupatur. Sic in militibus Christi, qui pugnare contra vitia & diabolum debuerant, otiositas inimica animæ regnat, potibus & ebrietatibus operam dant, vacant otio, marcent crapula, vitamque degenerem in immunditiis transigentes nomen & officium spiritualis militiæ dehonestant, quando non contra carnem sed contra spiritum militant. Sed forsitan dicet aliquis. Non possum sanctos imitari ieiuuando, orando & vigilando, quoniam infirmus sum & caput debile habeo, quod nequaquam tot patitur exercitia laborũ, & tamen vellem & ego coronæ eorum fieri particeps. Cui sic conquerenti respõdet textus, cum subiungitur. *Et quod minus habet in nobis natura possibile, rogemus Dominum, vt gratiæ suæ iubeat nobis adiutorium ministrare.* Omnipotens enim Deus cum benignꝰ sit, dare vult, sed etiam exigit vt petatur. Vnde in Euangelio ait. *Petite & accipietis.* Sed dicis. Orationibus Deum quotidie pulso, quatenus contra tela inimici perfidi mihi clypeum largiatur virtutis, vt ipso Deo rectore vincam me lædere conantes, & tamen non perficio, sed magis ac magis vitiorũ incendiis æstuo, nec me in aliquo, quantumlibet aleuiatum conspicio, & ideo tædium generatur orandi, quando effectus negatur petenti. At q̃ ego. Si, vt ais, sine intermissione oras Deum fideliter sine fraude, & tamẽ vitiorum non vales extinguere flãmas, crede mihi, non expedit vt exaudiaris, sed adhuc perneccssaria est tibi exercitatio aduersariorum, quatenus probatus per omnia assumaris permansurus: quoniam hæreditas, ad q̃ in principio festinatur, in fine benedictione carebit. Est etiam alia causa orationem impediens, ne consequatur effectum, scilicet in obedientia legis diuinæ. Vnde ait Isidorus de summo bono. *Non impetrat à Deo bonum, q̃ poscit, qui eius legi non obedit. Si enim id q̃ Deus præcipit facimus, id q̃ petimus sine dubio obtinemus.* Qui in gratia non est, nequaq̃ quod petit meretur accipere. Vnde scriptũ est. *Scimus, quoniam Deus peccatores non exaudit.* Et in Ps. *Iniquitatẽ si aspexi in corde meo, non exaudiet me Dominus.* Veruntamen cum scriptum sit, *nescit homo, an amore vel odio dignus sit*, nunq̃ ab oratione cessandũ est, etiamsi maximis peccatorum sarcinis q̃s teneatur ligatus. *Quia oratio humiliantis se penetrat nubes*: & quamuis de nobis ipsis simus incerti, semper tamen sperandum est. Nam Apostolo testante, *spes non confundit:* & plerumq̃ omnipotẽs Deus non auersus, sed inclinatus nobis differt petitum, vt feruentius excitet petentis affectum. Ait enim Augustinus de verbis Domini. *Cum aliquando tardius dat Deus, commendat dona, non negat; diu desiderata dulcius obtinentur, cito autem data vilescunt.* Qui ergo desiderat petitiones exaudiri à Domino, sine intermissione orare addiscat, ne fatigetur, exemplo Moysi qui orans in monte pro populo, ne deficeret, & Israhel superatus confunderetur, brachiis lapides supposuit, vt corpore fatigato spiritus suppleret imperfectum ipsius. Cum magno itaq̃ desiderio, & deuotione orãdum est, quoniam Deus, inuenitur ab his, qui nõ tentant illum, apparet autem eis, qui fidem habent in illum. Vnde Hugo. *Supplicatio est, quando desiderium mentis cum magna deuotione exprimitur.* Petamus itaq̃ vt Dominus, qui scit imperfectum nostrum, nobis gratiæ suæ iubeat ministrari adiutorium, quia reuera quicquid boni incipimus, si nõ ab eo instantissima prece perfici deposcimus, nullum inde fructum habemus. Ipse enim se dare pollicetur, sed prius petendum hortatur. Ait namq̃ Cassiodorus super Psalmum. *Iustum est, vt iugiter rogetur, qui, si non petatur, offenditur.* Omnem ergo solicitudinem ponamus in Domino, quoniam ipsi est cura de nobis, sicut scriptum est in Psalmo *Iacta super Dominum Deum tuum curam tuam, & ipse te enutriet.* Hinc Iacobi primo dicitur. *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autẽ in fide nihil hæsitans*, id est, sit talis is qui petit, vt fidem formatam in caritate habeat. *Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur.* Is vero hæsitat, qui aut imperfecte credit, quia fidem opere non demonstrat, aut Deum, sibi dare non velle, nec posse, diffidit. *Nõ ergo æstimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino.* Ait quippe Chrysostomus. *Petentis negligentia reprehenditur, vbi de dantis misericordia non dubitatur.* Sequitur.

Matt. 7.

Cur oratio nostra nõ statim exauditur. *

Lib. 3. c. 7.

Ioan. 9.

Psal. 65.

Eccles. 9.

Eccles. 35.

Rom. 5.

In Matt. serm. 5.

Exod. 17.

Lib. de modo orandi c. 2.

Psal. 54.

Iacob. 1.

Et si fugientes gehennæ pœnas ad vitã perpetuã nolumus pernenire, dũ adhuc vacat, & in corpore sumus, & hæc omnia per hanc lucis vitam vacat implere,
31 *currendum & agendum est modo, quod in perpetuum nobis expediat.*

INfernus latus sine mensura, ꝓfundus sine fundo, cuius ministri dœmones inhabitatores ipsius semper animam fidelem capere nituntur, secumq; trahere ad ima. Non enim quiescit diabolus, neque dormit, nec cessat persequi nos, quousque spiritus recedat à corpore, sed omni hora obseruat ostium conscientiæ & rationis nostræ, si vel paruam, qua displiceamus creatori nostro animæ maculam possit impingere, & suæ damnationis habere participem. Qua in re si fugientes gehennæ pœnas ad vitam æternam volumus peruenire, bene faciamus, dum licet: quoniam post hanc vitam, nec operari bonum, nec delere malum valemus. Vnde ait Isidorus de summo bono. *Tantum in hac vita est licitum operari bonum: illic namque non iam operatio expectatur, sed retributio meritorum.* Hinc Apostolus admonet dicens. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Iam enim datur facultas, & peccata delendi, & bona augẽdi: in inferno autem nec confessio, nec pœnitentia reperitur. Hinc Gregorius in moralibus ait, *Quisquis ad toleranda mala inferni descenderit, nequaquam vlterius ad lucem redibit, quia nequaquam vltra misericordia parcentis liberat, quos semel in locis pœnalibus iustitia iudicantis damnat. Est enim locus inferni plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili, plenus dolore interminabili: ibi miseriæ, ibi tenebræ, ibi odor nullus, ibi horror æternus, ibi nulla spes boni, nulla desperatio mali, nulla requies, nullũ commodum, nullum momenti gaudium, sed æternus dolor, frigus inæstimabile, & perpetua cruciatio.* O quam infelix, terq; infelicissimus, quem hunc pœnarum contigerit adire locum, à quo nunquam egredietur in æternum: quoniã in inferno nulla est redemptio, & qui eius semel gustauerit pœnam, nũquam habebit lætitiam. Miseri sumus filii Euæ, qui & hunc tormentorum locum credimus & timemus, sed tamen voluptate carnis ad momentum victi minime in nostris illecebris & carnalibus operibus cauemus. Væ homini illi, qui non cauet, quod pauet, nec pensat, quod credit. Si enim consideraret homo tanti periculi damnum, tantamquã miserorum pœnam, assumeret quod fugit, fugeret, quod tenet. O quantam pœnam miseri patiuntur, quorum vermes non moriuntur, quorum lectus ignis infernalis, quorum potus aqua sulphurea, quorum vita mors, quorum mors æterna. De hac horribili pœna ait Gregorius in moralibus. *In inferno*, inquit, *erit frigus intolerabile ignis inextinguibilis, vermis immortalis tenebræ palpabiles, flagella cadentium, horrida visio dæmonum, confusio peccatorum, desperatio omnium bonorum.* Erit enim miseris mors sine morte, defectꝰ sine defectu, qa mors ibi semper incipit, & deficere nescit. Et Bernardus in sermone. *Ibi clamabit pilosus ad pilosum, vnus ad aliũ, dæmon ad dæmonẽ, percute, dilacera interfice, velociter spolia & detrahe, citoꝑdare, infer prunas, & ebullientibus impone lebetibus. Ibi erit fletus & stridor dentium, fletus quidẽ ob ignem, qui non extinguitur, stridor ob vermem, qui non moritur: plane fletus ex dolore, stridor dentium ex furore.* O bone Iesu, qd ego miser dicturus sum, cum ad iudicandum veneris animã meam. væ mihi, si adeo longum continget me fieri à te post mortem, sicut sum in vita. Confido Domine Iesu, quoniam pius es quærentibus te in veritate. Educ ergo de inferno peccatorum animam meam ad confitendum nomini tuo, expectãt enim iusti, donec adueniat regnum tuũ. Tanta quippe pœnarum infernalium est diuersitas, vt nunquam in eadem quis ibi permaneat, sed de calore nimio in aquã niuis & in frigus intensum nimis. Hinc etenim Isaiæ 34. dicitur. *Et cõuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in sulphur.* Et Iob 20. *Deuorabit eum ignis qui non succẽditur, affligetur relictus in tabernaculo suo.* Nec est putandum, qꝺ omnes æqualem pœnæ sentiant dolorẽ, cum non omnes æqualiter peccauerint, sed vnus plus vel minus altero, & secundum æstimationẽ culpæ erit & pondus sine mensura pœnæ. Vnde dicitur B. Gregorius 15. moralium. *Iuxta modum culpæ pœna distinguitur, & secundum modum criminis vnusquisque damnatus inferni igne cruciabitur.* Dicit etiam Isidorus de summo bono. *Sicut vnusquisque sanctus in futuro iudicio pro quantitate virtutum glorificabitur, ita & vnusquisque impius*

I. lib. 3. c. 65.

Gal. 6.

G. lib 9. c. 45. Inferni pœnæ describũtur.

Serm. in Psalmi Qui habitat 3. & 8.

Varietas pœnarum inferni.

cap. 10. & 9. mor. c. 47.

I. lib. 1. c. 82.

impius pro quantitate facinorum condemnabitur: nec deerit in supplicio damnationis ordo, sed iuxta qualitatem criminum discretio erit pœnarum. Scriptum quippe est Iob 20. *Iuxta multitudinem adinuẽtionum suarum, sic & sustinebit,* Ardebunt enim miseri, nec comburentur, neq; consumẽabuntur: sed erit ignis eorum ardens & non consumens, puniens & non interficiens, morte iugiter afficientur, & tamen nunquam morientur. Vnde eodem cap. Iob dicitur. *Luet, quæ fecit omni, a nec tamen consumetur.* Et sequitur ibidem. *Reuelabunt cœli iniquitatẽ eius, & terra consurget aduersus eum, hæc est pars hominis impii à Deo, & hæreditas verborum eius à Domino.* Habent autem miseri ignem & non lucem, quia puniendi sunt, & non illuminandi: & si forte vident, tunc minime ad lætitiam, sed ad maiorẽ pœne horrorem. Hinc namque Sapientiæ 17. scriptum est. *Et ignis quidem nullæ vis poterat illis lumen præbere, nec Syderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam.* Ait etiam Isidorus, Ignem gehennæ *ad aliquid lumen habere, & ad aliquid non habere, hoc est, habere lumen ad damnationem, vt videant impii, vnde doleant, & non habere ad consolationem, ne videant, vnde gaudeant.* Apta sit comparatio de camino trium puerorum ad exemplum ignis gehennæ. Nam sicut ille ignis non arsit ad trium puerorum supplicium, & arsit ad comburenda ligamina vinculorum: ita ignis gehennæ, & lucebit miseris ad augmentum pœnarum, vt videant, vnde doleant: & non lucebit ad consolationẽ, ne videant, vnde gaudeant. Et Isaiæ 5. dicitur. *Aspiciemus in terram, & ecce tenebræ tribulationis. & nox obtenebrata est, in caligine eius.* Damnati enim luce carent ad gloriam, & abundant ad pœnam, quia nisi dœmonum viderent horridos aspectus tantum, non haberent dolorem, quia magna eis pœna oritur, dum malignorum spirituum aspectibus tenentur. Nam, sicut beati, quique in illa æterna Hierusalem Deum, sicuti est, videbunt facie ad faciem, vt magis gaudeant, ita omnes damnati terribiles spirituum videbunt aspectus, vt magis inde timeant & doleant. Sunt quiqpe in inferno tortores infatigabiles, qui nunquam quiescunt miseros puniendo, submini strantes ignem inextinguibilem vt ardeãt, aquam sulphuream vt strideant dentibus nec cessant vsq; in sempiternum. Nam luctus ille finem nescit, mensuram non habet, ordinem non nouit, quoniam ibi nullus ordo, sed perpetuus horror inhabitat. Sed dicit aliquis. Quomodo Dei rectum iudicium æstimari poterit, si is, qui temporaliter & cum numero siue mensura deliquit æternaliter est cruciandus? Quale est peccatũ, talis & pœna esse deberet. Sed si quis sic conquerendo interrogat, àdhuc sine diuini iudicii experientia est. Sed tamen breuiter pro huius quæstionis solutione audiamus B. Gregorium in suo dialogo Petro quęrenti respondentem. Ait n. Petrus. *Scire velim, quomodo iustũ sit, vt culpa q̃ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur. Ad q̃ Gregorius. Hoc, inquit, recte diceretur, si districtus iudex nõ corda hominũ, sed facta pensaret. Et iniqui n. ideo cum fine delinquerũt, quia cũ fine vixerunt. Nã voluissent vtiq;, si potuissent sine fine viuere, vt potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim, qa semper in peccato viuere cupiunt, qui nunquam peccare desinunt, dum viuunt. Ad magnam ergo iustitiam iudicantis pertinet, vt nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato.* Hæc Gregorius. Impii enim sibi æternã pœnam præparant, dum vitam malam, cum possint non emendant. Vnde Dominus Ieremiæ 17. ait. *Quoniam ignem succendisti in furore meo, vsque in æternum ardebit.* Et Danielis 11. *Et opprobrium eius conuertetur in eum.* Et in Abdia Propheta legimus. *Sicut feci sti, fiet tibi, retributionem tuam conuertam in caput tuum.* Æquissimus namque iudex, sicut iustis bene meritis non subtrahit præmia, ita nec peruersis in futuro mitigabit tormenta. Sed quæret forsan curiosus lector aliquis. Ex quo tot & tanta de inferno scribuntur, velim scire, vbinam locus inferni esse dicatur. Ad quod ego me respondere non posse confiteor; quia etsi diuersi diuersa dicũt, tamen melius est dubitare de occultis, q̃ litigare de incertis, Sed pro satisfactione quæstionis audiamus, quid Gregorius item in suo dialogo ad Petrum dicat. Ait enim Petrus. *Quæso quia paulo superius sermo de locis pœnalibus inferni versabatur, vbinam esse infernum putamus, super hanc terrã, an sub terra esse credendus est? Gregorius. Hac de re temere definire nihil audeo. Nonnulli nãque in quadam terrarum parte infernum esse putauerũt: alij vero hunc sub terra esse æstimãt. Sed tamẽ hoc animum pulsat, quia si idcirco in-*

G. Lib. 4. c. 44. Cur peccatum temporale æterna pœna iuste punitur.

Abd. v. 15

Locus inferni vbi.

Lib. 4. c. 44.

I. Lib. 1. c. 31. de sum. bono.

Aspectus dœmonũ maxima pœna est damnatorum.

fernum dicimus, quia inferius iacet. quod terra ad cœlum est, hoc esse infernus debet à terra.

Psal.85. *Vnde fortasse per psalmistam dicitur. Liberasti animã meam ex inferno inferiori, vt infernus superior terra, infernus vero inferior sub terra esse videatur. Et Ioannis vox in ea æstimatione cõcordat: qui cum signatũ librũ septẽ sigillis vidisse se diceret, qa nemo inuẽtus est dignus, neq; in cœlo, neque in terra, neque sub terra aperire librum, & soluere signacula eius, adiunxit, & ego flebam multum: quem tamen librum postmodum per Leonem de tribu Iuda dicit aperiri.*

* *Quo libro quid aliud quã sacra scriptura signatur? quam solus redemptor aperuit, qui homo factus, moriendo & resurgendo, & ascendendo cuncta mysteria, quæ in ea fuerant clausa patefecit.*

Apoc.5. *Et nullus in cœlo, quia neque angelus, nullus in terra, quia neque homo viuens in corpore: nullus sub terra inuentus est, quia neque animæ corpore exutæ aperire nobis, præter DOMINVM sacri eloquii secreta potuerunt. Cum ergo ad soluendum librum nullus sub terra inuentus dignus dicitur, quid obstet non video, vt sub terra esse infernus credatur.* Sed certe mala conscientia sibi vbiq; infernus est, impius infernum ædificat, qui contra conscientiam peccat. Scimus autem & credimus, quod sicut est locus beatorum in amænitate æterna, ita locus, qui dicitur infernus, est vbi impii cruciantur damnatione perpetua, siue sit sub terra, siue super terram, constat esse infernum: in quem qui semel descẽderit, nequaq; inde ascendet vsque in æuum. Dicitur autem infernus ab infero, quia animæ iniustorum illuc inferuntur. Vel, si sub terra est esse credendus, ab infra, quod deorsum sit. Est enim infernus carentia omnis boni, & abundãtia omnis mali. Quippe, qui Deum non habet, miserrimus est: & qui dœmonibus associatur, malorum abundantissimus est. Sunt autem diuersæ pro diuersorum demeritorum cruciatibus pœnæ infernales, quoniam aliter qui multum, atque aliter qui minus peccarunt, punientur. Est ibi flamma inextinguibilis, vt superius dictũ est, qua miseri ardebunt: cuius tanta est vis caloris, vt omnes seculi huius pœnalitates ad comparationem illius nihil videantur. Est & alia huic pœna non minor, frigus videlicet & gelu intolerabile, in quod miseri proiicientur, & inde stridor dentium perpetuus generatur: quia tanta huius frigoris pœna æstimatur, vt igni comparata infernali maxima videatur. Sed est & alia hac nequaq; inferior intolerabilis fœtor videlicet, quoniam dignus fœtoribus æternis & inæstimabilibus iudicatur, qui peccati fœtorem ad tempus non abhorruit. Quarta denique miserorum cruciatio & pœna, quæ ceteris maior est, vermes sunt immortales, de quibus per Prophetam Isaiam cap. vltimo dicitur. *Vermis eorum non morietur.* Sed qui sunt isti vermes, nisi confusio, vt remorsus conscientiæ propriæ? Vermis namq; immortalis Synderesis est, quoniam non quiescet conscientia mala damnans proprium auctorem, & hæc grauissima pœna. Quinta autem pœna impiorum, cruciatio est flagellorum, quia nimirum, sicut beati in æterna requie quiescunt, ita iniusti æterna tormenta patientur. Vnde in Psalmo dicitur. *Multa flagella peccatoris.* Quis dubitet impios in manibus, id est, potestatibus spirituum malignorum positos indesinenter flagellari, frequenter secari, & tot genera pati tormentorum, quot in se habuerunt oblectamenta vitiorum? Sexta vero pœna impiorum est densitas tenebrarum. Sunt enim tenebræ istæ, vt ita dicam, palpabiles, & adeo horrendæ, vt si ceteris omnibus carerent adhuc sine intermissione in ipsis positi flerent. Sicut enim hominibus maxime est contraria, timorque in tenebris maior quam in luce: eo quod homines in die audaciores esse solent, quam in nocte: ita pœna impiorum eo redditur grauior, quo miseris non videntibus est improuisior. Sentient, & non videbunt, visuri sunt & non cauebunt dœmonum in se sæuitiam tormentorum: quia, vt superius dictum est, lucem habebunt ad augmentum pœnarum, & luce carebunt, ne habeant, vnde gaudeant. Maior namque cruciatio est, horridos dœmonum videre aspectus, quam non videndo solum percipere ictus. Est enim locus mœroris, & perpetuæ miseriæ infernus, & ideo quicquid pœnale esse poterit, ibi abundantissime reperitur, gaudii vero pars ibi nulla. Et sicut naturaliter in tenebris aues non canunt: ita in perpetuis tenebrum mansionibus nulla vox lætitiæ auditur.

Infernus vnde dicatur.

Variæ pœnæ inferni

Ignis.

Frigus.

Fœtor.

*

Vermis.

Flagella.

Psal.31.

Tenebræ.

Septi-

Dæmonũ aſpectus. Septima autẽ pœna miſerorum eſt, horribilis dæmonũ aſpectus. Sicut enim iuſti in requie æterna de præſentia & aſpectu S. Trinitatis magnum habebunt gaudium & lætitiam, ita impii maximam inde pœnam recipient, quod ſemper horrendos dæmonum conſpicient aſpectus. Æſtimo, ſi miſeri nõ aliam, quã iſtam pœnã haberent, nequaquam extra infernum ſe eſſe putarent. Hic fletus oritur ſine lacrymis, hic timor ſine fructu, hic cruciatio ſine fine. *Confuſio.* Octaua pœna miſerorum eſt confuſio criminum. Erunt enim ibi nuda & manifeſta omnia. Vnde coram ſingulis ſinguli confundentur, cum vnuſquiſque facinora ſua manifeſte cognoſcit, omneſque ſcire nouit: & ſic fit, vt qui hic coram Deo peccare non erubuit, ibi coram diabolo & angelis eius publicatus iugiter erubeſcat. Hinc enim Ieremiæ 6 dicitur. *Confuſi ſunt, quia abominationem fecerunt.* Et de peccantibus ſubditur. *Quin potius confuſione non ſunt confuſi, & erubeſcere neſcierunt.* Et Iſaiæ 65. legitur. *Ecce ſerui mei lætabuntur, & vos confundemini.* Et in *Pſal. 96.* Pſalmo. *Confundentur omnes, qui operantur iniquitatem.* Nona pœna vincula ſunt impiorum, quia vincti in inferno tenentur, *Vincula.* nec eis vnquam egredi fas eſt. Vnde Dominus in Euangelio præcepit, dicens. *Matt. 22.* *Ligatis manibus & pedibus proiicite eum in tenebras exteriores.* Ligantur enim impii, dũ eis via egrediendi præcluditur. De iſtis pœnarum generibus prædictis dicit B. Gregorius, vt ſuperius dictum, 21. lib. moralium. *In inferno*, inquit, *erit frigus intolerabile, ecce prima: ignis inextinguibilis*, ecce ſecunda: *vermis immortalis*, ecce tertia: *fœtor intolerabilis*, ecce quarta: *tenebræ palpabiles*: ecce quinta: *flagella cadentium*, ecce ſexta: *horrida viſiõ dæmonum.* ecce ſeptima: *confuſio peccatorum*, ecce octaua: *deſperatio omnium bonorum*, quæ per nexũ deſignetur, ecce pœna nona. Sunt & aliq pæne infernales innumerabiles, de quibus iudicare temere nihil audeo. Cuſtodiat nos Deus omnipotens, ne experiamur p̃dicta niſi infelicitate æterna. Quæ autem prædicta ſunt de pœnis gehennæ à ſanctis Doctoribus deſcribuntur, ex ſacra ſcriptura trahẽtes originem. Si itaq; fugientes gehennæ pœnas prædictas ad vitam volumus peruenire æternam, agamus dum tempus eſt, quoniã qui parce ſeminat, parce & metet: quia iam tempus eſt ſerendi, poſt mortem carnis metendi. Tempus quippe breue eſt, & ideo bene adiunxit Pater noſter Deo Benedictus, dicens. *Dum adhoc vacat, & in corpore ſumus* Vacat enim adhuc, quia tempus iam confitendi eſt, & hora nos emendãdi, bonaque faciendi. Quod poſt mortẽ non erit, quia nec confeſſio, nec pœnitentia eſt apud inferos. Et ergo, ſicut tẽpore nihil reperitur pretioſius, ita nihil durius ſemel amiſſo. Ait enim Bernardus, *Nil pretioſius tempore, & heu nil vilius hodie reperitur: tranſeunt dies ſalutis, & nemo recogitat, nemo ſibi perire diem & nunquã rediturum curat, ſed ſicut capillus de capiti, ſic nec momentum peribit de tempus.* Eſt enim tempus hoc ad æternitatem comparatum minus quam momentum, imo vix aliquid. Et miſeri nos præſentia caduca amplectimur, & æternorum bonorum obliuiſcimur. Dicit etiam B. Hieronymus. *Nihil longum, quod finem habet, æternitati comparatum omne tempus breue eſt.* Dum adhuc in corpore ſumus, id eſt, dum ſani, rationem habentes, & malum declinare, bonumq; facere valemus; quia egreſſa anima à corpore nihil vltra poteſt homo, nec bonũ facere, nec malum quod commiſit pœnitentia purgare. *Dum ergo in corpore ſumus, & hæc omnia per hanc lucis vitam vacat implere*, non negligamus gratiam donatam nobis: quoniam maledictus erit, qui ſalutis tempora perdit. Vita lucis via mundi huius dicitur, vt illud in Euangelio, *Filij lucis huius prudentiores ſunt in generatione ſua.* Vacat autem iam hæc omnia videlicet, quæ dicta ſunt, de digno inhabitatore tabernaculi implere, quoniam Dominus nunc prope eſt inuocantibus ſe, vt pugnanti paratus dare auxilium, *Curandum & agendum eſt modo, quod in perpetuum nobis expediat.* Currendum eſt, non inceſſu pedem, ſed ordine virtutum, celeriter, non pigre; affectualiter, non acedioſe: quoniam Deus inuenitur ab iis, qui non tentant illum, apparet autem eis, qui fidem habent in illum. Modo quippe agendum eſt bonum, vt in perpetuum nobis expediat. Expedit autem nobis, vt ſic viuamus in hoc tempore, quaternis æternaliter gaudeamus cum Chriſto ſine fine & tempore. Vnde Amos 5. ſcriptum eſt. *Quærite bonum, & non malum, vt viuatis, & erit Dominus Deus exercituum vobiſcum.* Sequitur.

Tempore nil pretioſius.

Serm. ad Scholares.

Lib. 2. in Ierm.

Luc. 16.

Cõstituẽda ergo à nobis est Dominici scho-
32 *la seruitii, in qua institutione nihil asperũ*
nihilq; graue nos cõstituturos speramus.

SChola vacatio dicitur, quia ibi vacamus, non otio, sed studio, non somno & torpore, sed vigilantia & virtutũ honore. Schola autem Dominici seruitii, regularis obseruantia est, in qua præcepta euangelica discimus, non audiendo tantum, sed quod perfectius est, retinendo & operando, ad quorum scientiã nobis ꝓnecessaria regularis institutio est, q̃ non aliunde, quam in religione docetur, perficitur, & ampliatur. Ergo sicut pueri in schola artium liberalium cũ disciplina discunt ea, quæ ipsis in futuro sunt necessaria & proficua: ita & monachi in monasterio, id est, in schola regulari artium vere liberalium, ea quæ in præsenti eos honeste vt decet viuere faciant, & in futuro felices reddant, discere sagaciter debent, & efficaciter opere adimplere. Non prodest quicquam discere faciẽda, & non facere scita. Vnde ait B. Hieronymus in Epistola. *Nihil prodest facienda didicisse, & non facere, melius est nescire aliquid. quam cum periculo discere.* Hæc schola virtutum, in qua lector Christus, liber conscientia, virga timor Domini est. Lectio
Matt. 11. Christi, *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Est & alia lectio. *Qui vult venire*
Luc. 11. *post me, abneget semetipsum. & tollat crucẽ suam quotidie, & sequatur me.* Quisquis itaque in hac schola Domini seruitio vacare voluerit, nisi oderit animam suam, non potest incola esse agri huius pleni odoris,
H. l. 2. c. 16. de claustro. cui benedixit Dominus. Ait Hugo de 12. abusionibus. *Ordo claustri, & ordo curiæ diuisus est: ibi sedet in insidiis cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem. Hic aiunt, non sedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Ibi insidiaris, vt raptas pauperem, rapere pauperem, dum attrahis eum. Hic dicit. Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo. Ibi dextera est repleta muneribus: hic laues inter innocentes manus tuas. ibi laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur, hic benedicitur Deus. Si vis ergo esse monachus curialis, laudas ꝙ non debes, defendis ꝙ non expedit, operaris ꝙ nõ licet, loqueris ꝙ non decet.* Hæc schola Domini, iusti docent & docentur in ea. Beatus homo, qui eius verus efficitur scholaris. Hæc schola Domini religio sancta est, in qua Christus q̃ritur & amatur, terrena cuncta despiciuntur, & conscientia pura cõseruari curatur. Consistit a. vita huius scholæ religiosa principaliter in tribus, scilicet in voluntaria paupertate, in syncera castitate, in obedientię subiectione. In quorũ triũ figura dictum est Abrahæ Gen. 12. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Plane nõ solum egressionẽ de domo patris imperat, sed etiam parentum obliuionẽ, id est, vt nec corde q̃dem desideremus repetere, quos semel ꝑ Christo nos cõstat abiecisse. Est a. primus gradus vel substantiale sanctæ religionis, pauptas voluntaria, ad quã se obligant vniuersi religiosi regulam ap̃probata profitentes secundum exigentiã sui status, vel ad nihil habendũ propriũ, nec in cõmuni, nec in speciali, sicut se obligãt illi, q̃ sunt huius ꝓfessionis, vt sunt, de regula S. Francis. Vel ad habendũ nihil saltẽ propriũ & in speciali, sicut se obligant illi, q̃ possunt habere bona in cõmuni, licet nullus habere possit ꝓprium, & talis est regula p̃sens. Omnes ergo, ne sint p̃uaricatores voti sui & suæ professionis, & sic rei dãnationis, cũ summa diligẽtia & solicitudine studeant seruare pauptatẽ q̃ quisq; ꝓfessus est, exẽplo S. Patrũ, scil. B. Benedicti, Francisci, & aliorũ. Thesaurus n. monachi est voluntaria pauptas. Vnde ait Leo Papa *Semper diues est Christiana paupertas, nec pauet in isto mundo indigentia laborare, cui donatũ est in omniũ rerum Domino omnia possidere.* Narrat etiam B. Gregorius 3. Dialog. Quod offerẽtibus possessiones dixit monachus, *Qui possessionẽ in terra quærit, monachus non est.* De beato vero Francisco, qualiter fuit amator sanctæ paupertatis facta sua mũdo manifestauerunt, & in vita sua ex parte enarrat. Et de S. Patrib. antiquis in eremo, & in monasteriis degẽtibus S. Hieronymus, & alii qui vitas Patrũ cõscripserunt luculento sermone quales pauptatis fuerint zelatores enarrant. Vnde ibi de quodã legit, q̃ Euangelium vendidit in pauperũ nutrimentũ, & ait: Ipsum verbũ vendidi, ꝙ iubet omnia vendi & dari pauperib. Ergo bene ait Augustinus de verbis Apostoli. *Non tibi displiceat paupertas tua: nihil ea potes ditius inuenire. Vis cognoscere, quã locuples sit? calum emit.* Dominus n. in monte docẽs octo beatitudines, primũ omniũ cõmendat paupertatẽ spiritus. quia inquit, *nisi quis renũciauerit omnib. quæ possidet, non potest*

Tria vota religiosorum.

Paupertas religiosi varia.

Paupertas monachi thesaurus. Serm. 4. de Quadrag. c. 14.

Serm. 28.

Luc. 14.

meus esse discipulus. Paupertas ergo non tãtum regnũ cœlorum ꝓmeretur, sed etiã abundat hic, vt nihil habentes omnia possideant. Ait enim Augustinus. *Regnum cœlorum pauperum est, quia pauperes nihil habent in terra, & diuites nihil habent in cœlo,* idem in persona Domina loquitur. *Venale habeo. quid Domine? regnum cœlorum. Quo emitur? paupertate regnum, dolore gaudium, labore quies, humilitate gloria, morte vita.* Sed quia pauperem non facit sanctiorem ipsa paupertas, si sordes peccatorum non cauet, non minus est studium adhibendum ipsi animo de virtutibus congregãdis, quã de rebus transitoriis contemnẽdis. Sed sunt nonnulli, vt est impræsentiarum heu hodie, qui cum Socrate omnia reliquerunt, sed non sequuntur cum Petro Dominum, velim scire quid his sua ꝓsit paupertas? Veniunt enim quidam ad religionem, non paupertatem sequẽtes, sed fugientes: quia si haberent vnde viuerent in sæculo, nequaquam Deum quærerent in clausstro. Finis autem illorũ probat eos. Hæc dico, nõ quod pauperes ideo ad religionem non sint recipiendi, sed hoc volo, vt videlicet intentio ingrediẽtis recte formetur, & pure propter Deũ introeat, non propter corporis aliq; commodum. Si quis autem iam ingressus se nouit non per ostiũ iustæ intentionis stabilitum, pæniteat, & voluptatẽ corruptã conuertat in necessitatem perfectã. Vnde de talib. ait Hugo de 12. abusionibus clausstri. *Mentior.* inquit, *si non vidi quosdã, quorum paupertas talis erat, quando foris erant, quod nec ipsa necessaria poterant inuenire, & quia inuenerunt victũ & tegumentum, quale foris inuenire non poterant, erigentes ceruicem voluerunt sociari eis ad quos foris accedere non audebant: sed egressi de paupere ecclesia circuierunt ditiores, vt ibidẽ reciperentur: & qui semper veteres pãnos, aut viles habere consueuerãt, nunc semper nouos aut pretiosos habere contendunt.* Debet aũt paupertas esse cuilibet statui congrua, vt qui pauper erat in sæculo, non quærat ditior fieri in monasterio. Ait quippe August. in regula canonicorum suorum. *Qui autẽ non habebunt, non ea quærant in monasterio, q̃ foris habere non potuerunt.* Solet enim fieri, ꝙ hi, qui in sæculo nihil habuerunt, vel parum, vnde sustentari potuissent, diuitibus in religione se præferant, & vnde illi satiantur, inde isti murmurationis sumant occasionem. In quorum persona ait B. Hier. in epist. 34. *Natus in paupere domo, & in tugurio rusticano, qui vix milio, & cibario pane rugiẽtem ventrẽ satiare poteram, nunc similam & mella fastidio: noui nomina & genera piscium, in quo littore concha lecta sit, calleo sapores auium, discerno puincias, & ciborũ me varietas, ac nouissime damna ipsa delectant.* O quot illorum sunt hodie, qui monachi vocantur, in sæculo pane sicco ventrem fouebant, & aqua frigida sitim pellebant, nunc in schola pauperũ volunt omnib. abundare. iam panis vetus est, iam nimiũ recẽs, iam grossus, iam non bene pistus, pisces parui sunt, nõ bene cocti, oua mollia sunt & effunduntur, nunc dura & constipant, iam antiqua, iã fætent, iam frixa non valent, quia cerebrum debilitant. Vinum etiam leue est, pendulũ est, acetosum est, & colore mutatũ, non habet colorem decentẽ, odore caret, insanũ est stomacho frigido, & sensus hebetat. Pulmentaria quoq; impiperata ponũtur, pinguedinẽ non ostendũt, cocta non sunt, non bene sale cõdita, nocent stomacho, & digeri non possunt, sed indigesta manent, & febres generant. O insensati monachi, est ista professio vestra? est ista via angusta, quę ducit ad Christum? estne ista obseruãtia regularis, quæ iubet minimis esse contẽtum, & duo pulmentaria tantum coqui debere, vt qui ex vno non potest, ex altero gustet? Ait etiam in persona talium B. Bernardus super Cantica. *Legumina,* inquit, *ventosa sunt, caseus stomachum grauat, lac capiti nocet, potum aquæ non sustinet pectus, caules nutriunt melancholiam, porri choleram accendunt, pisces de stagno, aut de lutosa aqua meæ non conueniunt complexioni. Quid est hoc, vt in omnibus fluuiis, agris, hortis, cellariis reperiri vix possit, quod comedas. Puta te, quæso, monachum, non medicum, nec iudicandum de complexione, sed de professione. Sic delicati pauperes beati esse volunt in promissione præmiorum, sed diuites in varietate cibariorum.* Si quis ergo paupertatis amator eius præmia cupit, delicias fugiat necesse est, quia paupertas voluntaria martyrium esse debet, sicut testatur B. Bernardus in sermone de omnib. sãctis. *Quid sibi vult,* inquit, *quod eadem promissio pauperibus & martyrib. facta sit, scilicet,* regnum cælorum, *nisi quia genus martyrii est voluntaria paupertas? Quod martyrij genus grauius, quam inter epulas esurire? inter vestes multas & pretiosas algere, paupertate premi inter diuitias, quas offert*

De 12. abus. gradus 8. Hom. 9 ex 50. & in ps. 93.

Inuehitur in monachorũ abusus.

Li. 2. c. 18

Cap. 3.

Duo pulmenenta S. Benedi Eius tantum suis concessit.

B. serm. 30.

mundus, ostentat diabolus, desiderat noster appetitus? Vtrisq; ergo regnum ꝓmittitur, sed paupertate emitur, in passione sancti martyrii absq; dilatione percipitur. Facile quippe est esse pauperem, & in nullo egere, humilem & à nemine despici, patientem & nunquam iniurias pati. Non est talis paupertas spiritus, quam profitentur religiosi, sed sicut de seipso ait Apostolus 2. ad Corinth. 11. scribens, quia in fame, & sibi, & frigore & nuditate seruiuit Deo. Ait de ficta paupertate Bernardus in sermone, vbi supra. *O quot sunt pauperes, qui tali pacto volunt esse pauperes, vt nihil eis deficiat.* Est tamen etiam in paupertate consideranda discretio, & modus habendus, & ergo debet scientia & discretione esse regulata. Vnde Apost. ad Philip. 4. dicit, *vbiq; & in omnibus institutus sum, & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati.* Sed inter religiosos qualis poterit esse discretio, vbi exceptio nulla est, quoniam nulli licet habere quicquam proprii, vt postea in capitulo, an monacho liceat habere aliquid, patebit. Quisquis ergo seculo renunciauit, & in monasterio se sub regula vel Abbate constituit, studeat, vt sit pauper spiritu, non opibus tantum, hoc est, affectu paupertatem ne horreat, sed sciat, quoniam Deo amabiles sunt, qui pauperes in seculo præsenti pro Christo fieri elegerint. Vnde Iacobi 2. scriptum est. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo? Desiderium,* inquit psalmista, *pauperum non peribit.* Paupertas itaq; religiosorum, primus professionis gradus est. Secundus autem gradus, vel secundum substantiale castitas est: quia sicut religiosi debent esse pauperes spiritu abdicatione temporalium, ita debent esse & casti cohibitione libidinum exteriorum & interiorum. Est autem castitas fructus suauis, quæ animam odoriferam in decore conseruat. De hac vero virtute in sequentibus loco congruo dicendum erit, quia iam ad alia festino. Tertium autem substantiale est obedientia, sine qua nulla religio subsistere potest. Est quippe thesaurus pretiosus, quo regnum Dei acquiritur, quod per inobedientiam protoparentum nostrorũ amissum per Christi obedientiam fidelibus redonatum est. De hac etiam capitulo 5 Regulæ dicendum est. Hæc est institutio B. Benedicti, vt in communi viuentes sub Abbate & regula, non corpore tantum, sed & mente casti permaneant. *In qua*, inquit, *institutione nihil asperum, nihilq; graue nos constituturos speramus.* Quomodo dicit se nihil asperum velle constituere, cum omnibus viuentibus constat, quoniam angusta est via, quæ ducit ad Christum, & nos omnes confidimus per huius regulæ viam peruenire ad Deum? Angusta nãq; est via, quæ ducit ad Christum. Quod si regula non est, nequaquam sufficiens erit profitentibus eam ad vitam. Si ergo insufficiens est, quare dicit in fine, *facientibus hac regna patebunt æterna.* Sed libet primo mouentem talia interrogare aliquid. Ex debito saluamur, an ex gratia? Certe ex gratia. Ait enim Paulus ad Romanos 4. *Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini.* Si ergo ex gratia saluamur, quid opus est merito? Dicit namq; idem Apostolus, ad Romanos 3. *Arbitramur enim hominem iustificari per fidem sine operibus legis.* Dicendum est, imo credendum, quoniam per gratiam mediante merito saluamur, quia meritum ex gratia est: gratia enim opus sanctum, per quod quis meritum accumulat, præuenit, dicente Domino. *Sine me nihil potestis facere.* Qui ergo gratiam non habet, nec bene facere potest. Ait enim Apostolus, vbi supra. *Iustificari gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu.* Vides, quoniam gratia saluantur fideles? Quod vero ait. Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus legis, de lege Mosaica, non Euangelica intelligendum est: & ideo posuit aperte, *per fidem*, id est, caritate formatam, quia, vt Iacobus dicit, *fides sine operibus mortua est.* Nunc ergo, quoniam ex gratia Dei fideles saluantur, nihil asperum, nihilq; graue esse poterit, quod gratia Dei præuenitur, sic nec durum quantumcumq; sit, opus videri debet, per quod quis Dei regnum promereri poterit. Nihil itaq; asperum vel graue ponitur in regula præsenti his, qui volunt dona cælestia consequi. Desidiosis autem & carnalibus, & voluntates suas implentibus omnia bona sunt aspera & grauia. Bonæ vero voluntatis hominibus & Deũ quærentibus omnia dura & aspera leuia sunt, quia norunt, quod per aspera & dura itur ad Deum, & qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt. Ait etiam Dominus. *Iugum meum suaue, & onus meum leue.* Quic-

Discretio in pauperitate considerãda.

Psal. 9.

Votum castitatis.

Obedientia.

Regula S. Benedicti nihil habet asperum.

Quomodo gratis & tamen ex merito saluemur

Ioan. 15.

Rom. 3.

Iac. 2.

Matt. 11

ue. Quidqd enim in hac regula ſtatuitur, iugum Domini eſt, quia non vult ſeruus aliter, quam Dominus ſuus, non ſibi, ſed Deo gloriam imputat, dicens cum pro-
Pſal. 113. pheta. *Non nobis Domine, non nobis ſed nomini tuo da gloriam.* Si itaq; iugum Domini ſuaue eſt, & onus leue, nihil in hac regula aſperum eſſe poteſt, quia iugum Domini eſt. Sed formaliter reſpondendo dicendum eſt, quod S. Benedictus nihil graue in hac regula conſtituit, quia cum omni diſcretione eam conſcripſit, & in plæriſq;
Reg. c. 39. locis cum ſcrupulo. Vnde Abbati cuiuſlibet cœnobii aliquid, quod ipſe definire noluit, reliquit diſponendum, vt puta de menſura cibi & potus, & veſtimẽtis quoque fratrum, quorum quamuis menſurã conſtituerit, Abbatis tamen diſcretioni totum reliquit. Commendat namq; eius
G. cap. 36 diſcretionis regulam B. Greg. Papa lib. 2. dialogorum, vbi ait ad Petrum. *Nolo te lateat hoc, quod vir Domini inter tot miracula, qb. in mundo claruit, doctrinæ quoq; verbo non mediocriter fulſit. Nam ſcripſit monachorũ regulam diſcretione præcipuam, cuius ſi quis velit ſubtilius mores, vitamq; cognoſcere, poteſt in eadem inſtitutione regulæ omnes magiſterij illius actus inuenire, quia ſanctus vir nullo modo potuit aliter docere, quam vixit.* Eſt autem malum, vt ſupra dictum eſt, & ſua quærentibus moris, vt quæ imitari non valent, illa
Cur regula S. Benedicti eſum carnium vetet. culpare non ceſſent. Sunt enim pleriq; tales, qui regulam putant indiſcretam, quod eſus carnium in ea prohibeatur, & dicunt. Vos monachi creaturam Dei ſpernitis, quæ ideo creata dignoſcitur, quatenus cum gratiarum actione homo illa vtatur. Quare ergo non ſeruatis regulam Apoſtolicam, in qua dicitur, *edentes*
Act. 10. *& bibentes quæ apud illos ſunt.* An putatis vos ſolos ſaluandos? vel illi non ſaluantur, qui carnibus veſcuntur? Quibus ſic calumniantibus fore indignum reſpondere arbitror: ſed tamen ne ſcandalizentur noſtri puſilli, vt plerunq; fieri ſolet, dum minus armati ſunt teſtimoniis ſacræ ſcripturæ, & ideo cum aliis in errorem cadant, & quod defendere ſolebãt, hoc ſeducti culpare incipiant, proferam rationem, quare eſus carnium monachis S. Bened. prohibitus ſit, vt ſe defendere valeant, qui hanc regulæ conſtitutionem collaudãt. Sed antequam procedam ad formam reſponſi, placet aliquid interrogare ab æmulis, vnde mihi, ipſisq; colluctationis præbeatur occaſio. Et ſi forſam aliquibus ſuperfluus iudicabor, dignẽtur, obſecro, illam excuſare ſuperfluitatem, quoniam ignarus verba multiplicat. Quæro igitur, quare eſus carnium fidelibus in quadrageſima prohibitus ſit? Quod ſi reſpõdes, quia tempus pœnitentiale eſt, & ideo propter emendationem malorum hoc ieiunium quadrageſimale ſtatuit Eccleſia, interrogo te an malum ſit ſemper pœnitere? Quod ſi bona eſt pœnitentia in quadrageſima, quomodo bona eſſe non poſſet alio tempore? Quis tam demens eſt, qui dicat peccatum eſſe in æſtate, quod virtus eſt in hyeme? Si itaq; bonum eſt, quod fideles in quadrageſima ab eſu carnium abſtinent, puto melius eſſe, ſi monachi nunquam carnibus veſcantur. Creaturam Dei non ſpernimus, ſed ideo à carnibus abſtinemus, vt per abſtinentiæ laborem vitia in carne reprimamus. Quod autem obiicitur illud Euangelicum, *edentes & bibentes, quæ apud illos ſunt,* propter cerimonias legales dictum æſtimo. Apoſtoli namq; Iudæi erant, nec carnibus porcinis veſcebantur vt Hebræi, quia in lege prohibitum erat; ne ergo & ipſi ritum ſequerentur antiquum, iuſſit edere & bibere, quæ eis appoſita fuerint propter Euangelium. ac ſi aperte diceret. Quia in lege immundum manducare prohibemini, dico vobis, qui ſub lege nõ eſtis veteri, ſed mea, quam prædico, edatis & bibatis, quæ inueneritis, non diiudicantes mundum ab immundo, quoniam *vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis, & omnia munda mundis.* Vnde Actuum 10. legitur. *Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.* Eſt ergo hæc vox Apoſtolorum. *Bonum eſt carnes nõ manducare:* neq; tamen peccatum eſt carnibus veſci. Qui enim non manducat carnes bene facit, & qui manducat, non peccat.

In quadrageſima abſtinendum carnibus.

Ioan. 15. Tit. 1.

Rom. 14.

Melius eſt ergo bonum facere abſtinendo, quam non peccare comedendo. At vero qui vovit feria quarta non comedere carnes, quæro an bene fecerit? Reſpondes. Bene fecit vouẽdo, ſi votum ſequitur effectus. Si ergo ille bene fecit, qui vouit quarta feria non mãducaturum ſe carnes, liquide patet, quoniã multo melius is fecit, qui vouẽdo nunquam carnes manducat. *Non ergo,* ait Apoſtolus ad Romanos XIV. *blaſphemetur bonum noſtrum.*

Si

Si bonum est non manducare carnes, bonum non est vituperabile, cur ergo vituperas bonum? An scriptum ignoras. *Isa.5.* *Va his, qui dicunt bonum esse malum.* Quod autem bonum sit abstinere ab esu carnium, declarat Apostolus, vbi supra. *Rom.14.* *Bonum est*, inquit, *non manducare, & non bibere vinum.* Dominus enim hoc quod dictum est, non præcepit propter virtutem spiritus, sed admisit ob infirmitatem carnis: *1.Cor.7.* sicut etiam ait Apostolus. *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Bonum est homini non ducere vxorem, at si nupserit virgo, non peccauit.* Sed his diutius quid immoror? Est enim maleuolorum consuetudo, & eorum qui sua quærunt, non quæ Dei sunt, vt obtrectationibus suis se melioribus præferant, quoniam sibi non possunt famam probitatis acquirere, nisi famæ insidientur alienæ. Non ergo oportet talium lacerationibus tam facile aurem accommodare. Si cui asperum aliquid videtur in hac regula positum, nondum nouit, quam aspera sit via, quæ ducit ad vitam. neq; de paucis est, qui ambulat per eam, sed iuxta desideria sua viuens nulli viam fauet salutis, qui eam sibi non eligit. Vnde scriptum est. *Eccl.14.* *Qui sibi malus est, cui bonus erit.* Omnia autem, quantumcunq; aspera videantur, dulcescunt, si aspera pœna inferni pensatur. Ac vero omnia dura leuia sunt in oculis quærentium Deum, & gaudia desiderantium æterna. Ait quippe Apostolus. *Rom.8.* *Æstimo, quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Sunt autem multa, perquæ itur ad Deum, quæ quidē dura videntur in principio, sed vsu omnia suauescunt: nam vsus altera ars est, & quæ iam aspera putantur successu temporis plana fiunt. Æquum enim est, vt q voluptate seductus carnis desideria perficiendo à Deo recesserat, gratia ad pœnitentiam vocatus eadem nunc abiiciat. *Rom. 2.* *Omnes enim peccauimus, & egemus gloria Dei,* Sed peccatum sine pœnitentia. Dignum ergo est vt pœnitentes aliquando respiremus. Omnis pœnitentia, si vera est, amara fiet. Et ergo sine amaritudine laboris non dabitur fructus dulcedinis. angusta via nobis ambulanda est, vt per pœnitentiæ laborem ad eum redeamus, à quo per voluptatis perniciem recesseramus. Sequitur itaq;.

Sed & si quid paululum restrictius dictante æquitatis ratione propter emendationem vitiorum, vel conuersationem caritatis processerit, non ilico pauore perterritus refugias viam salutis, quæ non est nisi angusto initio incipienda. 33

SOlet incipientibus aliquando strictius apparere, quod vsitatis leuissimum videtur, ideo ne iugum Domini, antequam probauerint, abiiciant, monet nouellos, ne paueant, quia nihil hic ponitur, quod ratione iustæ necessitatis careat, aut à piæ deuotionis affectu sit alienū. Nihil enim durum est proficienti, & amanti, seu perfecto, sed inchoantibus etiam leuia dura sunt, quæ contra vsum spiritaliter animo proponunt: & tamen onus Dei leue est, ita vt postquam illud ferre cæperimus, interdum persecutio etiam placeat. Sunt ergo admonendi, qui nouiter ad religionem veniunt, ne per dura, quæ ipsis proponuntur, à benè cæpto itinere deflectant, quoniam omnia cito dulcescunt, si bona voluntas vsum faciat. Scimus, quoniam perseuerantibus palma victoriæ debetur, & quia nemo coronabitur, nisi legitime certauerit. Videtur quidem graue onus religio incipientibus, sed proficientibus paulatim leuius fit. Ait quippe Apostolus ad Hæbræos 12. *Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ.* Sed heu, quam multi sunt adhuc in religione, quibus etiam leuia dura videntur, quia non est cor ipsorum rectum cum Deo, sed seipsos quærunt sibi placentes Domino placere nequeunt. Cur hoc? Quia ad monasterium veniunt, non vt Deo seruiant, sed vt pacifice sine laboribus viuant, & quos piget labore fatigari in seculo, claustri remedia quærunt. Sunt & alii, qui propter Deum ingrediuntur, sed non fortiter pugnant aduersus animæ hostem, & ideo per conuersationem remissam in pristinos vsus labuntur. Nisi enim monachus se vt in primo ingressu iugiter custodierit, cito dissoluitur animus eius. Optimum est itaq; gratia stabilire eos: quoniam *beatus homo, qui semper est pauidus.* *Prou. 28* Homo autem ab initio pronus extitit ad peccatum. & ergo

Religio quibus aspera non sit.

Quæ intētione religio amplectenda.

ergo dictãte ratione æquitatis, si quid restrictius apparuerit in hac regula, nõ sine causa positum esse existimo. Æquitas est lãce librata iustitiæ dignissima retributio meritorũ. Ratio autem æquitatis hic intelligitur causa decentiæ iustæ, & pię necessitatis, sicuti subiungitur. *Propter emendationem vitiorum.* Æquitas est veritas, & veritas est iustitia. Ratio vero causarum est motus animi visum mentis acuens, & ad debitum finem intentum perducens. Vnde iustitia est, per quam sua, cuiq; dignitas tribuitur, & communis vtilitas non relinquitur. Regula norma viuẽdi quod distortum est corrigit, & vitam à malis relegat, virtutibusq; animam informat, æquitatisq; ratione dictante in aliquibus durius procedere solet, in hunc videlicet finem, vt vitia emẽdẽtur. Est ergo norma iustitiæ ordinata discretaq; præceptorũ regula, perquam facienda iubentur, & vitanda prohibentur. Emendatio vitiorum omni homini necessaria est, quamuis vitium in se nihil sit, nisi vbi bonitas deest ibi vitium est: sed vitium aliquando pro peccato ponitur Vnde quidam ait. *Est vitium crimen, viciam quoq; dicito semẽ.* Necesse est, vt aliquando restrictius contra vitiosos procedatur cum omni discretione, quia stultus verbis non corripitur propter emendationem vitiorum, vel conuersationem caritatis. Sunt qui hic in textu scribãt, *vel conseruationem caritatis*, sed antiqui libri, quos nõ infantes correxerũt, habent, *conuersationẽ*, quia vita nostra conuersatione caritatis esse debet illustrata. Potest tamen & conseruationem caritatis intelligere sensus, quoniã vtrumq; bonum est: vt caritatis conuersationem seruemus, & discretio regularis caritatẽ cõseruet: sed non facile antiqui patres in talib. reprehendi debent. Sed transeant ista, vt ad necessaria transeamus & nos. Si itaq; ratione æquitatis dictãte aliquid restrictius processerit, non paueat nouus miles, quia semper principiũ cõsuetudine non habita cuiuslibet artis, vel operis difficilius est. Quid autẽ admoneat nos legislator noster audiamus. *Non ilico,* inquit, *pauore perterritus refugias viam salutis.* Pauor iste non virtutis, sed infirmitatis est, quia nouiter quis assumẽs, quod portare nunquam didicit, attingere pauescit. Menti namq; fluctuans angustia generatur, dum expectat quis aduersitatem ex eo, quo vsus non est. Et ideo vniuscuiusq; dispositio & complexio nouiter aduenientis considerãda erit, & nequaquã indiscrete ei proponenda districtio regulæ: quamuis dicat B. Benedictus, *Prædicentur ei omnia dura & aspera,* subintellige, cũ discretione, quia facilius est, tyrones ad virtutes imbuere, quã perterritos reuocare. Admonendi igitur sunt, vt non paueant districtionẽ regulæ, quia discreta satis est: potest enim cõdolere infirmis: potest & sufficere fortibus. Non ergo refugias viam salutis, quoniam sic Christus præcessit, sic quoq; nos eum sequi oportet, quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Vnde apte sequitur. *Quæ,* si via *non est nisi angusto initio incipienda.* Incipientib. vt dictum est, grauissimas tentationes diabolus immittere solet, vt eos perterritos in initio conuersionis monasterio & ordine pellat, quos sibi successu temporis rebellaturos pertimescit. Hinc Isidorus nos consolatur, dicens li. 2. de summo bono. *Quisquis conuersus, si mox omnes carnis stimulos calcare cupiat, & summa virtutum subire contendat, si adhuc forte aliqua aduersa de carnis molestiis tolerat, non frangatur, quia dispensator bonorũ nouit aduersitates reprimere vitiorum successione virtutum.* Dum enim spiritus malignus hominem à seculo ad religionem fugere conspicit, quasi Pharao filios Israhel ad terram promissionis tendentes persequitur, quia timet, ne post conuersionem in eos potestatem minime habeat. Et ergo arborem nouiter transpositam, priusquã radices emittat effodere nititur: quia cognoscit, quod postquam confirmata fuerit, successu temporum non facile euellitur. Subtiliter namq; veniens diuersas tẽtationes mẽti suggerit, & plerunq; tales, quales in seculo nunquam conuersi pertulerunt: quia tunc acrior est pugna, cum glorioſior promittitur corona, & quos habuit ad libitum, iam mutatos desiderat aliquando trahere in periculum. Ait idem Isidorus, vbi supra. *Tunc magis grauari se quisq; impulsu vitiorum agnoscit, dum ad cognitionem Dei accesserit, sicut populus Israhel grauiori onere ab Ægyptiis premitur, dum per Moysen illi diuina cognitio aperitur. Vitia n. ante conuersionem quasi pacem in homine habent: quando autem expelluntur, acriori virtute consurgunt. Fiunt autem inimica conuerso, quæ peccatori pspere blandiebãtur, atq; itẽ fiũt blãda conuerso,*

Regula est norma viuendi.

Cap. 58. Regulæ.

c. 8. Nouitii maxime tentationibus obnoxii.

conuerso, quæ peccatori aduersa extiterunt. Sed aliter tentamur infirmitate carnis, arque aliter mentis. Infirmitas quippe carnis ex eo tentari solet, cum quis se seculo subtrahere voluerit, quod dura videntur, vt dictum est, quæ in vsu non habentur. Hinc oritur colluctatio inter carnem & spiritum. Nam spiritus ad bona hortatur, caro autem infirmam se conqueritur, vigilias nocturnas horrescit, ieiunia pauet, & quæq; regularia instituta tanquam duriſſima refugit. Sed quoniam carnalis homo non percipit ea quæ Dei sunt, hortandi sunt iugiter fluctuantes, vt se non aliter, quam per angustam viam ad Deum posse peruenire cognoscant, & quia nulla sine labore virtus, nulla sine intentione victoria est, non fugias viam salutis, quæ per angustam viam perficitur. Scriptum est. *Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.* *Psal. 33.* Ante conuersionem præcedit turba peccatorum, post conuersionem sequitur turba tentationum. Illa se obiicit, ut ne ad Deum conuertamur: ista se ingerunt, ne liberius cordis oculis Deum cernamus. Vtile est Dei seruo post conuersionē tentari, quatenus à torpore negligentiæ solicitātibus vitiis ad virtutes animum per exercitum præparet meritorū. Ait namque Gregorius in moralibus. *Nemo quantum proficit, nisi inter aduersa cognoscit.* * *Lib. 23. c. 18.* Non ergo fugias viam arctam, quæ ducit ad vitam, sed esto cum paucis beatus, quam cum multis damnatus, quia nemo ad Christum sine tribulationibus vnquam peruenit. Sequitur.

39 *Processu vero conuersationis, & fidei dilatato inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorum Dei.*

HOc intelligendum æstimo de his, qui pure propter Deum sanctam religionis congregationem ingrediuntur: quoniam si de omnibus hoc dixerimus, fallimur: nam sunt nonnulli annos plurimos in religione habentes, qui nequaquā cum dulcedine, quin magis cum magno tædio & torpore viam mandatorum Dei non dico, currunt, sed more serpentum reptando gradiuntur inuiti. Sunt & alii, qui dulcedinem dilectionis non gustauerūt in currendo viam præceptorum Dei, quorum feruor in initio cōuersionis mirabilis fuit, sed iam in senio tepescunt, & qui prius cum duleedine currentes gradiebantur, nunc cum amaritudine stātes currere dedignantur. Quid de talibus dicam, nisi illud Euangelicum. *Ecce iste homo cæpit ædificare, & nō potuit perficere.* *Luc. 14. Mat. 10.* *Porro, qui perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit.* Sed libet paululum subsistere, & causam huius miseræ vitę, & improfectus quantum licet indagare, quia ægroto citius occurritur, vbi doloris causa non ignoratur. Prima igitur religiosæ mentis ruina est inaduertentia status. Si enim consideraret monachus quid dicatur, & quid esse debeat, nisi improbus fuerit, omni custodia conseruaret cor suum, quia causa omnis mali est cor negligens. Vis scire huius verbi sententiam? audi, & intellige. Cor negligens sensus diuagari facit, & vagus sensus cogitationes malas facit, ex cogitatione autem oritur delectatio, ex delectatione vero consensus mali generatur, & exinde fit opus, ex operatione autem in consuetudinem devenitur, consuetudo perseuerantiam parit, perseuerantia autem necessitatem, & ex necessitate desperatio, de qua procuratur æterna damnatio. Ecce quid sit cor negligens, & quanta ex eo mala proueniant. Omnis namq; mali occasio ex negligentia cordis oritur, sed mala consuetudine nutritur. Vnde Augustinus 8. Confessionum. *Suspirabam,* inquit, *ligatus, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Ex peruersa voluntate facta est consuetudo, & dum cōsuetudini non resistitur, tandem necessitas generatur.* *Cap. 5.* Scriptum est. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* *Prou. 22.* Considera, ô monache, status tui eminētiam, ne habitus & tonsura tibi proueniant ad iudicium, quæ fideliter certantib. conceduntur ad coronam. Monachus diceris, id est, vnius animæ custos, noli esse in aliorum actibus iudex, sed iudica temetipsum, quia Dominus dicit. *Nolite iudicare, vt non iudicemini.* Et Apostolus Paulus. *Nolite ante tempus iudicare.* *M[illegible] 1. C. 4.* Quam cito enim monachus se neglecto alios iudicare cœperit, iam non est, quod dicitur, vnus. Si vis ergo esse monachus, sede intra cellulam tuam, & sis tui custos solius, si non committitur tibi auctoritas. Secunda ratio vel causa huius ruinæ est, ipsa propria voluntas. Nihil peius in monacho, quam semel relictam resumere voluntatem, quia hoc est cum vxore

Causa temporis religiosorum. I.

II. Causa

Loth

Loth respicere retrorsum, & pereuntẽ seculum, non religionem desiderare. Cõtra quos ait Dominus. *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno cælorum.* Sunt enim nonnulli sub obedientia constituti, qui nihil, nisi quod eis placet facere dicũt fore bonum, iudicantes præcepta seniorum indiscreta, & quicquid ipsi non fecerint, aut ordinauerint, hoc male factum, vel ordinatum putant. Volunt subesse, & non obedire imperanti. Et plærunq; culpa pastorum esse comprobatur, quia contra inquietos Ecclesiastica disciplina procedere commodis eorum consulere volentes pertimescunt, et eos non solum sibi, sed et statutis sanctorum patrum rebelles sustinent. Maxima autem huius occasio est, quod Deum non quærunt sed vnusquisq; sibi, non Deo famulatur, quoniam corpora non animæ solicitudinem gerunt. *Corpus enim, quod corrumpitur, agrauat animam:* sed crapula corpus corruptum animam reddit aggrauatam. Si diligeremus Deum ex toto corde, perciperemus vtiq;, quomodo inenarrabili dulcedine viam mandatorum ipsius currere deberemus, non tepidi, sed cum magno cordis affectu: quia, nisi omni die monachus primum ingressus sui propositum renouet, velocissime in hanc imperfectionis incuriam prolabitur. Sed de omnibus loco suo plenius differendum Deo dante reseruo. *Inenarrabilis* autẽ *dulcedo*, de qua S. pater loquitur, caritatis flamma est, cuius tãta vis est fortitudinis, vt ea accensus verus effici monachus, qui antea nõ fuerat quis possit. Solet autem plærunq; ista dulcedinis gratia infundi seruis Christi cum tanta potestate valetudinis, vt se nequaquam latere patiatur, quin de se certa indicia dare consueuit, vt videntes tamen non videant, & audientes non intelligãt. Vnde fit, vt inopinatus lacrymarum imber faciem terræ aliquando riget & inebriet, qui non remanet in potestate hominis: quia reuera nõ est in homine lachrymarum impetum retinere, quando flante spiritu vehementi fluunt aquæ. Stat forte aliquis videns, & deridet, quia non intelligit opera spiritus. Sed ô quam rara est nobis lapideis hominibus talis gratia? O, inquam, rara gratia & pretiosa, sed nobis valde inusitata. Sunt quippe nonnulli, qui lacrymas pro peccatis suis fundere nesciunt, sed quam cito fortuna semota aliquod corporis pertulerint incommodum, cõfestim vberrime flere possunt: & quod pro immortalis animæ salute facere non possunt, quia non volunt, hoc pro morituræ carnis amore faciendo duplicant. Dulcedo autẽ cælestis gratiæ mentib. infusa non semper gaudere solet more humano, sed aliquid habet, quod explicare non valet, quoniam desursum est. Vnde aliquando flere & lacrymari consueuit, interdum vero ridere, plerunq; etiam ingemiscere, & nonnunquam obstupescere. Fletus autem eius duplex est, nõ doloris, sed gaudii, quoniam præ amore flet, & præ gaudio lachrymatur. Quis enim cogitans illud sanctorum ineffabile gaudium, quo iam exultant in cœlis, seq; in hac valle miseriæ videns constitutum, & periculum viatorum pertimescens nõ fleret, eorum desiderans interesse festiuitatibus? Quis etiam eorum contemplans felicitatem non ingemisceret. Quis ipsorum volens esse conciuis regnando in cælis non curreret inenarrabili dulcedine viam mandatorum Dei in terris? Sed væ carnalibus, qui ista nõ solum meditari paruipendunt, & negligunt, sed quod iniquius est, speculantibus detrahunt. Scio autem quoniam Marthæ conquerenti non respondit Maria, sed Dominus, quia contemplatiuam vitam ducere volentes non oportet aurem præbere male interpretantibus vel inuidentibus, quia Dominus excusanit Mariam. Quis mihi det, vt vel modicum huius dulcedinis percipiam & deguſtem? O quam bonus & suauis est spiritus tuus Domine Iesu in omnibus. beatur vir, qui sperat in te, quoniã de torrente voluptatis tuæ potabis eum. Subtrahitur etiam interdum sanctis spiritus, & gratia huius dulcedinis, vt probetur patientia eorum, & vt se homines sciant, quia à se nihil habent, sed qui omnia dedit, potest auferre, quando voluntatis ipsius est. Vnde plerunq; cõtingit vt sublata gratia tali cum maxima diligentia quęratur, & tandem inuenta cautius custodiatur. Nam quod difficilius quæritur solet dulcius inueniri, & inuentum diligentius custodiri. Expedit enim homini, vt aliquando pugnet, quia si gratia certus esset in elationis mala forte deterius caderet. Petrus quippe huius dulcedinis gratiam habuit, quando dominum tertio

Luc.9.

Sap.9.

Dulcedo spiritalis quod efficiat.

Lachrymarum gratia.

Luc.10.

Cur Deus dulcedinem spiritus subtrahat

negauit, paululum gratia receſſerat, vt ſe hominem cognoſcens præſumptionem non admitteret. fortior eſt factus poſtquam cecidit reſurgendo, quam fuerit antea ſtando. Quis cæterorum Apoſtolorum ita confidenter prædicauit in Iudæa etiam Iudæis prohibentibus? Ecce enim audi..., quia ſanctior Petrus poſt caſum effectus eſt: nam quod facile perditur, fortius vtiq; cuſtoditur. Dilatato cor de inenarrabili dulcedine via mandatorum Dei curritur, ſi mens ab infimis cõſurgens cæleſtia ſpeculatur: quoniam nihil eſt, quod animum in tantum alliciat ad bonum, ſicut memoria ſuperiorũ gaudiorum. Memoria hæc eſt ad mentis intuitum imaginaria quædam repræſentatio futurorum bonorum, quæ laſciuiam carnalem quadã caſtigatione corporali comprimit, vt animus vitiis religatus virtutum fructibus floreat. Hoſtis quippe antiquus, vt ſupra dictum eſt, nouellas plantationes euellere nititur, & felle ſuæ amaritudinis viam ambulantium ad mõtem Dei inficere, vt oſtendat ſe nemini fauere honorem, quem ipſe ſuperbus amiſit. Hoc fel amariſſimum draconis Leuiathan quod mentibus nouitiorum conatur immittere, vt ſibi quaſi dura videãtur certaminum pugnæq; iacula, quatenus hoſti cedant, priuſquam arma bellica apprehendat. Nouerint autem tales, quia *omnes, qui pie volunt viuere in Chriſto perſecutionem patientur.* Si quem terrent aſpera clauſtri, cogitet obſecro tormenta inferni. Si matutinas vigilias oneroſas exiſtimas, ſcito, quoniam nunquam ibi dormiunt, neq; quieſcunt. Si duritiam lectulorum refugis, conſidera, quia lectulus eorũ eſt ignis, qui non extinguetur. Si cibi & potus parcitatem, cogita, quoniam cibus illorum vermis immortalis eſt, & luctus, & væ. Si expaueſcis cuſtodiam clauſtri, memorare clauſuram inferni, quoniam non egredientur inde vſq; in ſempiternum. Si te delectat cohabitatio hominũ ſecularium, ſcito quia illi cum dæmonib. habitant. Si deſideras honores, cogita, quoniam ibi honor nullus eſt, ſed perpetua cruciatio. Si aſpectus quæris mulierum, agnoſce, quod ibi ſunt horribiles aſpectus dæmonum. Si te balnea delectãt naturalia, perpende, quoniam ibi ſunt balnea ſulphurea. Si cantilenis delectaris & riſibus, memento, quod ibi ſunt voces flentium, & dentibus ſtridentium. Semper enim luctus ibi eſt, & gaudium nullum. Quid eſt quod te delectat amplius? Si gaudia mundi, memorare, quoniam tenebræ palpalbiles ſunt ibi. Oportet ergo, vt quem gaudia cæleſtia non allicere valent, pœnæ infernales compellãt. Vnde ait Iſid. *Ante neceſſe eſt timore conuerti ad Deum, vt metu futurarum pœnarum carnales illecebræ deuincantur: deinde oportet abiecto timore ad amorẽ vitæ æternæ tranſire.* Nemo igitur pauore perterritus recedat, quia ſi quis aſpera inferni fugere deſiderat, omnia dura huius viæ neceſſe eſt vt toleret. Vnde ſubiungitur.

S. Petro profuit caſus.

Lib. 2. de ſummo bono c. 8.

2. Tim. 3.

Remedia contra tẽtationem aſperitatis monaſtices.

Vt ab ipſius magiſterio nunquam diſcedentes in eius doctrina vſque ad mortem in monaſterio perſeuerantes paſſionibus Chriſti per patientiam participemur, vt & regni eius mereamur eſſe conſortes.

35

MAgiſterium Chriſti diſcipulos humiles requirit, ſicut ipſe dicit, *Diſcite, quia mitis ſum & humilis corde.* Nullus autem ſuperbus, nullus auarus, nullus deniq; carnalis homo Chriſti diſcipulus eſſe poteſt, quia Deus ſuperbis reſiſtit, &, niſi quis renũciauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt me ſequi, quoniam nemo venit ad me, niſi pater meus traxerit eum. Magiſtrum pium habemus & doctiſſimum, qui nihil pretii petit à nobis, niſi dilectionem cordis noſtri. Vnde dicit. *Fili præbe mihi cor tuum.* O bone Ieſu, quid tibi cor meum? Non habeo vilius in me, quam cor maculatum diuerſis cogitationum illecebris. cur non requiris animam meam? certe cor propter animam poſtulas, quia impoſſibile eſt, vt anima ſit munda, niſi cor meum dedero tibi. Magiſter es Domine? ſum. quid doces? humilitatem, quoniam principium diſciplinæ eſt humilitas, cuius non multa ſunt documenta. Si vis exaltari in cœlum, humilia in terra temetipſum. Eris magnus apud me, ſi paruus fueris factus apud te. Omnis quippe, *qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.* O æterna veritas, & vera caritas, & cara æternitas, doctor ſuauis, magiſter dulcis tu es Deus meus, in te expectatio mea, ſim rogo diſcipulus tuus.

Matt. 11.

Prou. 23.

Matt. 23.

O vera

O vera ſumma ſuauitas, omni ſuauitate dulcior, omni luce carior, omni ſecreto interior, omni honore ſublimior, omni doctore efficacior, quis me det diſcipulũ tuum. Diſciplina didaſcalatus tui ſuauiſſima, doctrina eloquii tui dulciſſima. Doce me Domine iuſtificationes tuas, vt non confundar in æternum. Infelix homo, qui tanto Doctore relicto aliũ mendacii quærit magiſtrum, cuius & ſeruus efficitur & diſcipul⁹, q̃mali omnis operator eſt. Doctor enim Chriſtus, vt dixi, dulcis eſt, animæ tuæ quærit ſalutem; ſeductor autem diabolus animæ & corporis deſiderat perditionem, quoniam mẽdax eſt ipſe & pater eius ab initio. Si ergo volumus veri diſcipuli Chriſti doctoris noſtri Dei fieri, conuertamus nos ad eum ex toto corde noſtro ſeruientes in præceptis eius die ac nocte, vt nunquam ab eius doctrina diſcedentes regni eius mereamur eſſe conſortes: Dux eſt Chriſtus viantibus, doctor eſt ignorantibus. Vnde ait Ambroſ. *Ambulare vis? ego ſum via. falli non vis? ego ſum veritas. mori non vis? ego ſum vita.* Et Auguſtinus ſuper Ioannem. *Attulit Chriſtus veritatem, vt doctor, manſuetudinem vt liberator, iuſtitiam vt cognitor. Chriſtus omnibus omnia factus eſt, pauper pauperibus, dives diuitibus, flens flentibus, eſuriens eſurientibus, ſitiens ſitientibus, proſtuus abundantibus. in carcere cum paupere eſt, cum Maria flet, cum Apoſtolis epulatur, cum ſamaritana ſitit, in deſerto eſurit, vt cibus primi hominis quam in præuaricatione guſtauerat ieiunio Dominus ſolueretur.* Ecce Doctor noſter qualis ſit, quoniam cum humilibus apparuit, quia omnium humilimus extitit. Manemus autem in eius doctrina, ſi quæ docuit verbo & exemplo opere adimplemus. Præceſſit ille ad gloriam laborantis, quoniam oportuit Chriſtum ſecundum ſcripturas pati, & ſic intrare in gloriam ſuã, & nos, ſi volumus venire poſt eũ, eadem faciamus neceſſe eſt. O Ieſu Doctor & veritas, vita & reſurrectio mea, ſit mihi quæſo in te requies. Sufficit omni credenti ad ſalutem effuſio ſanguinis tui: quoniam ſicut mater non poteſt obliuiſci filii vteri ſui, ita nec tu poteris nõ eſſe memor filiorum tuorum, quos proprio ſanguine mercatus es, vitam tuam ponendo ad mortem pro vita omnium noſtrum. Vnde Hieronymus ad Paulam ſcribit, *Chriſtus ſanctificatio eſt, ſine qua nemo videbit faciem Dei. Chriſtus redemptio, idem redemptor & pretium. Chriſtus omnia, vt qui omnia propter Chriſtum dimiſerit vnum inueniat pro omnibus, & poſſit libere clamare, pars mea Dominus.* Et Bernardus. *Mors Chriſti à morte, vita ab errore, à peccato gratia liberauit.* Chriſtus nobis omnia eſt, quia in ipſo, & per ipſum ſunt omnia. Ait etiam Ambroſius in ſermone. *Omnia habemus in Chriſto, vt omnia in nobis Chriſtus. Si vulnera curari deſideras, medicus eſt; ſi febrib. æſtuas, fons eſt: ſi grauaris inqtate, iuſtitia eſt: ſi indiges auxilio, virtus eſt; ſi mortẽ times, vita eſt: ſi tenebras fugis, lux eſt: ſi cælũ deſideras, via eſt: ſi cibum quæris, alimentum eſt.* Ecce, quem doctorem habeas & ducem ô Chriſtiane, vide ne diſcedas ab eo, & ipſe malis meritis tuis exigentibus diſcedat à te. *Vt ab ipſius magiſterio nunquam diſcedentes, in eius doctrina vſque ad mortem perſeuerantes in monaſterio paſſionibus Chriſti per patientiam participemur.* Hinc etenim Paulus ait, *Si compatimur, & conregnabimus.* Particeps namq; Chriſti paſſionibus efficitur, qui omnia mala & aduerſa irruentia ſibi propter Chriſtum patienter tolerat. Vnde pſalmiſta. *Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.* Quod ſi pati non vis, nec regnabis. Ait quippe Chryſoſtomus in homilia. *O Chriſtiane, delicatus es miles, ſi putas te poſſe ſine pugna vincere, ſine certamine triumphare: fortiter dimica, atrociter in bello concerta. Chriſtus paſſus pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt ſequamur veſtigia eius.* Condoleamus itaque Domino patienti, & congaudeamus regnanti, nam fructus paſſionis eius eſt redemptio noſtra, quoniã beati qui lugent, quia conſolabũtur. Deniq; ſi Chriſtianus es, Chriſti crucem ne fugias, quia nihil aliud eſt Chriſtianus, niſi crucem Domini portans, non in angaria, ſed hilaritate ſpiritus. Ait Maximus in ſermone. *Tota vita Chriſtiani hominis, ſi ſecundum Euangelium viuat, crux eſt atq; martyrium.* Chriſtianus ergo recte nemo dicitur, niſi Chriſto moribus coæquetur. Bene igitur Chriſti paſſionibus hortamur effici participes, quia cuius gratia ſaluati ſumus, eius quoque memoria in tribulationibus confortamur. Vnde ait Gregorius in homilia. *Nihil adeo graue quod non æquanimiter toleretur, cum Chriſti paſſio ad memoriam reducitur.* Sicut autem omnis creatura paſſo Domino condoluit, ita omnis Chriſtianus, ſi

Ep. 26. ad Pãmach.

Serm. ad milit. templi c. 11.

Rom. 8.

Pſal. 118.

Serm. de martyrib.

nus, si suæ professionis executor fuerit perpetuo cõgaudebit. Et ergo bene subiungitur. *Vt regni eius mereamur esse consortes.* Ista autem expectatio, quæ per patientiam in passionibus Christi consistit, tunc perfecta erit, si renunciantes omnibus, quæ possidemus, Dominum per angustam portam sanctæ religionis imitemur, submittentes nos præceptis diuinis in manu regulæ vel Abbatis iugiter perseueremus in monasterio, non vagantes de loco ad locum, & plerunq; sub prætextu emendationis vitæ primum locum deserentes nunquam stabiles efficimur. Hæc est lex, sub qua nos Christo militare oportet, vsque ad mortem, nec declinare ad dextram, siue ad sinistram, quoniam sub iureiurando obligati non licet nobis reuerti ad ollas Ægypti; quoniam dux noster præcessit nos, & viam sequentibus patefecit. Qualiter autem per viam rectam & planam huius regulæ institutionis, vel dispositionis sine offendiculo ambulare debeamus, Deo auxiliante & comite vita indagare tentabimus.

F I N I S.

Commentarii in prologum.

IN RE-

IN REGVLAM SANCTISSIMI PATRIS BENEDICTI, Commentarius.

DE GENERIBVS MONACHORVM. CAPITVLVM I.

Monachorum 4. genera

Monachorum quatuor esse genera manifestum est. Primum, Cœnobitarum, hoc est, monasteriale militans sub regula, vel Abbate. Quia in superioribus dictum est, quomodo volens abrenunciare propriis voluntatibus arma fortissima obedientiæ assumat per sanctæ religionis professionem atq; ingressum: iam, quod genus institutionis eligendum sit volens ostendere diuisionem præmittit monachorum, ne per ignorãtiam discretionis virtus dissoluatur conuersionis, quadruplex genus denuncians monachorum. Monachus autem secundum etymologiam nominis

Monachi etymologia. Epist. 13.

solitarius dicitur: ait enim Hieronymus scribens in epistola ad Paulinum. *Si cupis esse quod diceris monachus, id est solus: quid facis in vrbibus, quæ vtiq; non sunt solorum habitacula, sed multorũ?* Monachorũ quippe conuersatio & vita iuxta etymologiam ab omnibus discrepare debet: quia, qui singularis dicitur, singulariter agere oportet.

16. q. 1. c. placuit.

Μόνος namq; Græce, vnus dicitur latine: & ἄχος tristis: quod est monachus, id est vnus tristis, officio suo vacans. Officium vero monachi est planctus & pœnitentia. Vnde dicit Hieronymus ad Desiderium. *Monachus non doctoris, sed plangentis habet officium, qui vel se, vel mundum lugeat, & domini pauidus præstoletur aduentum.* Qui ergo solitarius est: monasterio sit contẽtur, nec se negociis secularibus qualibuscunq; implicet: sed sedeat solitarius & taceat; quia mundo mortuus est, Deo autẽ viuit. Agnoscat nomen suum: & secundũ vocabulum vitam agat. Quid facit in turba, qui solus est? Aut quid sibi curæ de mũdo: qui seculo mortuus est? Magnum enim discrimen in monacho est vagatio extra monasterium: quia sicut piscis extra aquam cito moritur; sic monachi virtus extra claustrum dissoluitur. Dicit enim Eugenius Papa, & habetur in decretorum 16. quæstione 1. capite, placuit. *Sicut piscis sine aqua caret vita: ita sine monasterio monachus.* Vt ergo militaturus domino sciat, quod genus melius sit, sibi quatuor proponuntur, non vt optionem habeat eligendi; sed vt scientiam habeat discernendi: quod non omnia, quæ scribuntur, approbantur apud Deum. Primum itaq; est genus cœnobitarũ, hoc est monasteriale militans sub regula vel Abbate. Cœnobita à cœnobio dicitur, quia cœnobiũ inhabitat; cœnobiũ vero à κοινὸν quod est commune & habito: quia communis habitatio plurimorum, vbi plures sunt congregati ad habitandum, quibus omnia more Apostolico communia sunt, vbi nullus dicit aliquid esse suum: sed militãt sub regula vel Abbate, obedientiam seruantes & paupertatem. Hoc genus monachorum nobis proponitur ad imitandum: quia plus est obedientia quam victimæ: & melius est subesse cum humilitate, quam propriam facere voluntatem cum magna deuotione. Cœnobitæ itaq; sunt in monasteriis degentes viuentes sub regula & Abbate. Abbas syriace, pater dicitur latine. Potest ergo abbatis nomine, quilibet Pater accipi, qui monasterio aliquo præest. Militant itaq; sub regula vel abbate isti, quos cœnobitas vocamus id est in communi viuentes. Debet hic, *vel*, illa coniunctio disiunctiua capi pro, *&*. Extra de corpore vitiatis, cap. experte vt sit sensus. *Militans sub regula & Abbate.*

Cœnobitæ vnde dicantur.

Act. 4.

1. Reg. 15.

*

H. lib. aduersus Vigilant.

Monachi est lugere non docere.

De isto genere monachorum in fine istius capituli plenius dicendum erit: vbi ipsum genus fortissimum vocat se occasione præbente. Quia vero Monachi nomen commune est: cum omnes religiosi generaliter monachi dicantur, extra de statu monach cap. Quod. pro habenda differentia diuidit genus in species de quatuor generibus, qui vocantur monachi breuiter mentionem faciens. Præmisso genere vel specie primi generis quod est cœnobitarum, id est in cœnobiis communiter viuentium, quale sit secundum adiungit cum ait.

Deinde secundum genus est Anachoritarum, id est eremitarum: horum qui non conuersionis feruore nouitio, sed monasterii probatione diuturna didicerunt contra diabolum multorum solatio iam docti pugnare: & bene fraterna ex acie instructi ad singularem pugnam eremi securi iam sine consolatione alterius, sola manu vel brachio contra vitia carnis vel cogitationum Deo auxiliante sufficiunt pugnare.

2

Anachoretæ vnde dicti.

ANachoreta dicitur ab ἀνα quod est sursum, & χόρ῀ω, quia anachoreta corde sursum ad cœlestium spirituũ chorum respirare debet. Istud secundũ Monachorum genus, non est omnibus eligendum, quia scriptum est. *Væ soli, cum ceciderit non habens qui se subleuet.* Cum autem iuxta monasticam traditionem per diuturnam multorum annorum probationem quis inuentus fuerit perfectus, iamq; ab hostis antiqui machinationib⁹ securus: & amore solitudinis accensus, in qua Deo perfectius sine humano solatio famulari possit: eremum petere valet: securius tamen est omnino in congregatione persistere: quia scriptum est. *Si irruerit super te vis spiritus potestatem habentis: locũ tuum ne deseras.* Et Apost. Paulus. *Maneat vnusquisq; in vocatione sua, qua vocatus est.* Sũt tamen pleriq; spiritu seductionis agitati, vitam anachoritarum prius volẽtes assumere, quam regulam nouerint cœnobitarum: putantes se posse stare in eremo, cum nequeant pacem habere in monasterio. Quid hos dixerim, nisi propriæ voluntatis amatores? qui missa manu in aratrum retrospiciunt, obedientiam subtiliter fugientes. Alii vero sub specie bonitatis eremum petunt, dicentes se in cœnobio non monastice viuere, soli Deo non libere vacare: & dum fugiunt inquietem corporis, reperirent confusionem mentis: quia solis perfectis & carne mortuis anachoresis concedẽda est: durior enim solis, quam communibus tentatio erit. Nulli ergo ad eremum danda est licẽtia, nisi sit per omnia iuxta regularem institutionem probatus, & perfectus inuẽtus, vt fortiter contra diabolũ dimicare sciat: & hoc non potest fieri in nouitiõ feruore conuersionis: quare licet principium ferueat, tamen nouitius feruor non semper perseuerat: cũ etiam acres in principio, in fine sæpe frangantur. Sed quia non est de intentione mea hunc Anachoritarũ perstringere ordinem, sed cœnobitarum, omittam quod ad hoc nobis necessariũ non est: vt liberrime insistere valeam opportunis exhortationibus ad professores regulæ S. Benedicti. Sequitur itaque

Quis eremo idoneus.

Tertium vero monachorum teterrimum genus est Sarabaitarum, qui nulla regula approbati experientia magistra sicut aurum fornacis sed in plumbi naturam molliti adhuc operibus seruantes seculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur.

Eccl. 4.

Eremitica vita sit ne melior cœnobitica.

Eccl. 10.

1. Cor. 7.

QVid etiam de talib. dicam nõ habeo si regulam approbatam minime profitentur volentes esse monachi & opera non faciunt certissimum est, quoniã Deo per tonsuram mentiuntur. Habitus n. & tonsura non faciunt monachum: sed religiosa vita & conscientia immaculata: nã si quis caret his, monachus nõ est. Ait nẽpe Bern. *Religio in humilitate fundatur, paupertate constituitur, obedientia autem disciplina obseruatur.* Et si in nostra prouincia istud monachorũ genus minime reperitur: tamen nonnulli inueniũtur qui cum Sarabaitis Deo per habitum religionis mẽtiri videntur: quare licet regulã approbatã profiteantur, non tamen secundũ eandẽ adprobate viuunt. Sunt autem Sarabaitæ nigerrimi, non habitu sed conuersatione, qui nullam sane & approbatæ regulæ eruditionem suscipiunt: sed vt sequitur in propriis voluptatibus viventes quidquid non elegerint putant esse prophanum, & quodcunq; fecerint ipsi, hoc dicũt esse bonũ. Probati nõ sunt vt autũ, q, in fornace probari solet, nec experientia magistra quidq̃ ad religiõis propositũ

Sarabaita.

Monachum non facit habitus.

noue-

nouerunt, sed in naturã plumbi conuersi mouẽtur, quoniam stabiles nõ sunt & in tempore tribulationis vadunt retrorsum post Satanam. Tanq̃ aurũ in fornace ꝓbãtur monachi cœnobitæ, vt videlicet nihil proprii habeãt vt obediant in omnib. non comedere neq; bibere nec dormire iuxta voluntatẽ propriam, sed omnes vt contenti de cõstitutione regulæ suæ sint & abbatis. Quomodo a. qualiterue probentur, capitulo de disciplina suscipiendorũ fratrum dicendũ erit. Isti vero horũ nihil probant, nec regulam vouent, neq; seruant nec habent Abbatem, sicuti subiungitur. *Qui bini aut terni vel certe singuli sine pastore non dominico sed suis inclusi ouilibus, pro lege eis est desideriorum voluptas: cum quicquid putauerint vel elegerint, hoc dicunt sanctum, & quod noluerint hoc putant non licere.* Vt enim liberius voluntates suas perficiant, non suscipiunt præcepta alicuius regulæ approbatæ, imo nec subesse volunt: in quo & superbia declaratur eorũ, & amor propriæ voluntatis sed oues errantes sine pastore voluptatem desideriorum suorum carnalium pro lege seruãt: quod patet ex eo, nam quicquid putauerint vel elegerint ad faciendum videlicet hoc dicunt sanctum esse, & bonum quia non aufert voluntatem, sed quodcunq; noluerint, hoc dicunt non licere. O vesania & abusio ingens: q̃ misera istorum conditio: viam angustam quæ ducit ad vitam fugiũt, & latam mortalem ambulant non ignoranter sed voluntarie, vt timendum est. Sed ne diutius de istis loquar, de quibus nec intentio est loquendi, nec voluntas, ad magis necessaria calamum dirigam. Sequitur ergo,

Cap. 58. reg.

Quartum vero genus est monachorũ quod nominatur Gyrouagum, qui per totã vitã suam, per diuersas prouincias ternis aut quaternis diebus per diuersorum cellulas hospitantur, semper vagi & nunq̃ stabiles, & propriis voluptatibus & gulæ illecebris seruientes & per omnia deteriores Sarabaitis.

Gyrouagi monachi qui

GYrouagus dicitur erroneus, instabilis circum circa vagans, quia nõ manet in vno loco stabilis quo nomine & discurrentes nostri monachi appellari possunt, qui relictis cœnobiis per diuersa terrarum spatia vagantur. Sed valde timendum est monacho, ꝙ dicitur. *Quoniam sicut piscis extra aquam vita caret: ita monachus extra monasterium vagans cito in anima moritur*: hinc Amos 5. dicitur. Cunctis qui foris sunt dicetur væ væ. Noe quippe in arca saluatus est, & extra arcã nullus. Quid enim per arcam, nisi monasterium accipimus: in quo à mundi huius fluctibus saluamur? Et Exodi 12. legimus. *Nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ vsq; mane.* Nullus itaq; monachus monasterium suum egrediatur vsq; mane: id est vsq; ad mortem: quare si quis egressus fuerit cum Ægyptiis peribit. Dina namque filia Iacob egressa est vt videret mulieres regionis, quam cum vidisset Sichem filius Hemor Heuęi princeps terræ illius adamauit eam & rapuit, & dormiuit cum illa, vi opprimens virginem. Quæ est ista virgo Dina, nisi anima quæque fidelis? Egreditur autem Dina videre mulieres regionis, quando persona quælibet claustralis vagãdo discurrit per terrarum spatia, curiosa & secularia sectando. Quam videns Sichem, venator Diabolus, de quo dicitur, *circuit quærens quem deuoret*, filius Hemor amaricationis, qui felle nititur interimere animas: adamat eam & rapit per malas videlicet suggestiones, dormitq; cum ea, delectationẽ malæ suggestionis infundens: vi opprimit virginẽ: quia q̃ in claustro aggredi nõ audebat, extravagantẽ importunis oculorũ malis obiectis quasi ꝙ vim ducit captiuã. O Monache, quid tibi & seculo, qui mundo mortuus es? Caue ne de monasterio mouearis: quoniã pax est in cella: foris nihil nisi carnis spiritusq; ꝓcella. Sede igitur in cella, & ne exeas inde: nã diabolus foras exspectat, quęrens vt deuoret egredientẽ. Sine magna n. necessitate vrgente, aut vtilitate suadente egressus de claustro videtur puritati mẽtis non parũ obuiare maxime ad seculares personas: pro eo ꝙ aliquãdo fieri solet, vt visis secularium actibus, vel auditis mens iã seculo mortua reuiuiscat: & videns in alio ꝙ se aliquãdo habuisse meminit, quasi de ingressu religionis doleat. Inquantũ igitur fieri potest, cauendũ est, ne etiam in ipso laboris tempore ad personas exteras fratres mittantur, sed si possibile est ét iuxta regulæ dispositionem in monasterio habeantur, vt non sit opus fratres exire: quoniam sicut alibi dicit, *non expedit animas eorum.* Multum autem periculosi-

16. q. 1. c. placuit.

1. Pet. 5.

Monachus non conuenit egredi.

us est Monachum solum vagari hinc inde sine socio vel teste: tum propter scãdalum pusillorum, tum propter dœmonis astutiam, qui semper solis vicinior esse cupit. Vnde sicut Cain dixit ad Abel fratrem suum: *exeamus in campum*, & occidit eum: ita quoque Diabolus dicit ad claustralem, exeamus in campum, id est in latum seculum, vel certe exeamus de isto loco ad aliud monasterium, & consurgens, antequam veniat illuc, occidit eum in via, quia reuera fratres, nouimus diabolum mille artificem qui quos tentationibns nudis superare vel aggredi non valet, sub specie boni sæpius interficit: quoniam nunq̃ aperta fronte se prodere consueuit. Sedechias etiam fugiens de Ierusalem in campo Iericho ab inimicis excœcatus est: quare Diabolus interdum Monacho sub forma boni dolum tegens persuadere solet vt monasterium suum deserat, quasi non valeat ibi satisfacere voto suo, & aliud eligat, quatenus eum per subtiles artes tentandi capiat vagantem in seculo, quem nõ potuit superare stantem in claustro. Vnde Esau priuatus legitur benedictione, quia foris exiuit, Iacob autem quia in tabernaculo mansit patris, obtinuit benedictionem Isaac. Et nos fratres si benedictionem volumus patris nostri Dei, benedictionem videlicet Monachorum, maneamus in tabernaculis claustri necesse est: quoniam nihil est quod Monachi propositum ita dissoluat, quomodo euagatio frequens. Istud autem Monachorum genus, de quo est sermo, periculosissimum est: quoniam per totam vitam suam per diuersas prouincias vagantes, diuersas hauriunt tentationes: nam semper vagi sunt corpore & nunquam stabiles mente, & quod deterius ex instabilitate oriri solet, propriis voluptatibus & gulæ illecebris seruiunt: & vt eis liberius liceat operã dare desideriis carnalibus ternis aut quaternis diebus per diuersorum cellulas hospitantur: quia nouus semper hospes lautius tractari solet: at vbi diutius habitauerit iam quasi onerans hospitem grauat. Valde autem contraria est Monacho voluptas: & ideo necessarium est vt ire caueat, vbi voluptatem cauere non valet. Ait Augustinus de singularitate clericorũ. *Minus voluptatibus stimulatur, qui non est, vbi est frequentia voluptatum & minus auaritiæ molestias patitur, qui diuitias non videt.* Gyrouagi etenim monachi, quia per diuersas prouincias vagantur de omnibus visis tentãtur, & quia non curãt resistere tentationibus, semper voluptatibus inseruiunt propriis, quorum iuxta Apostoli sententiam, *Deus venter est*, tot incurrunt dœmonum tentationes, quot vagantes inuenerint occasiones. Vnde ait Isidor⁹. de summo bono. *Licet sæpe in medio carnaliũ Deus ꝓtegat vitã electorũ, tamen satis rarũ est, vt quisque inter seculi voluptates positus à vitis maneat illibatus.* Tales sine dubio Gyrouagi sunt, qui semper mente & corpore vagi & instabiles sunt, nullis resistentes voluptatum illecebris, sed gulæ vacantes. Et per omnia deteriores Sarabaitis. Ex eo autem dicuntur Sarabaitis deteriores: quia Sarabaitæ quamuis sine pastore sunt & regula, sicut etiam isti, ædificant sibi tamen cellulas & sibi viuũt: de laboribus etiam manuum suarum se enutriunt: quod Gyrouagi non faciunt: quia nec cellulas ædificãt, nec de labore manum suarum viuunt: sed sicut dictum est per totam vitam suam discurrentes alios malo suo exemplo inficiunt.

Gen. 4.

4. Reg. 25.

Gen. 25.

Phil. 3.

Lib. 3. c. 17

De quorum omnium conuersatione miserrima melius est silere, quam loqui. §

SI beatus Benedictus loqui non vult de talium conuersatione, mihi puto minime præsumendum, de quo ipse iudicauit non fore loquendum. Sane non est discipulus maior magistro suo, *sufficit quippe cuilibet discipulo, vt sit sicut magister eius.* De secundo tamen genere monachorum videlicet, Anachoritarum, id est Eremitarũ non debet hoc intelligi quasi eorum conuersatio sit miserrima, sed periculosa satis est, & tutius est esse in congregatione cum fratribus quam in Eremocum bestiis, quare scriptum est. *Væ soli, cum ceciderit non habens subleuantem se.* Ait quippe Bernardus. *Malum quod nemo videt, nemo arguit, vbi autem non timetur reprehensor securus accedit tentator.* Et Seneca, *Omnia nobis malasolitudo persuadet, nemo enim est, cui non sanctius sit cum quolibet esse quam secum.* Hinc beatus Hieronymus in epistola ad Abigaum scribit. *Meliores sunt duo quam vnus, & si alter ceciderit, ab altero fulci-*

Math. 10.

Eccl. 4.

Ep. 115.

Ep. 61.

H. Ep. 32. Eccl. 4.

fulcitur, funiculus triplex difficile rumpitur, & frater fratrem adiuuans exaltabitur.

His ergo omissis ad cœnobitarum fortissimum genus disponendum, adiuuante Domino, veniamus.

FOrtissimum est genus cœnobitarum ex causa iam dicta, quia melius est esse in congregatione cum aliis, à quibus frater iuuari poterit, quam solum in eremo propter acres tentationes. Omissis igitur eremitis propter periculum solitudinis, & sarabaitis atq; Gyrouagis propter fœditatem conuersationis, *domino adiuuante*, id est auxilium præbente, *veniamus*, directione styli & descriptione morum *ad disponendum*, ordinandum atq; ædificandum *fortissimum* securitate, vita, & honestate, *genus cœnobitarum*, id est claustralium sub regula & Abbate degentium, residentium & stabilium. Est etiam genus cœnobitarum ex eo fortissimum, quia communius est, iucũdius & salubrius, tutiùs atq; securius intentione quoq; finis, qui est vt monachus multorum prius solatio bene diuq; edoctus solus pugnare contra diabolum sufficiat. Disponenda sunt itaq;, id est instituenda & declaranda singula, quæ proposito ipsorum competunt, qualis vnus quisq; debeat esse, & per quæ instrumenta operum caritas conseruanda sit: vt quisq; sciat, ad quod ingrediatur. quia vbi lex, vel regula non est, ibi vnitas cito confunditur. Quicunque monasticam disponit eligere vitam, diligenter consideret qualis sit regulæ constitutio, ad quam se obligat, & vanas superstitiosasq; adinuentias caueat: quia non statim sunt omnes religiosi, qui Monachi vocantur.

Qualis debeat esse Abbas.
CAPVT II.

ABbas *qui præesse dignus est monasterio, semper meminisse debet, quod dicitur, & nomen maioris factis implere.* Beatus Benedictus more pictorum & omnium sapientium ab Abbate tanquam à capite incipit, & digniore, quare omnis pictor primum in imagine caput formare solet, deinde descendendo vsq; ad pedes membra distinguit. Abbas autem vt dicit Isidorus libro 7. Etymologiæ cap. 13. Syrum nomen, significat in latinum, pater, quod Paulus Romanis 8. scribens exposuit dicens, *In quo clamamus abba, pater*, in vno nomine duabus vsus linguis, Dicit enim abba Syro nomine patrem, & rursus latine nominat itidem patrem. Abbates appellantur aliquando sacerdotes: 6. *quæstione* 1. *paragra. Superiori quoniam prælati. Extra. de renunciatio. cap.* 3. Sed hic abbas idem est quod pater, eo quod monachorum rector sit & spiritualium atq; temporalium dispensator. Est autem iam abbas nomen dignitatis, quando videlicet ex monachorum congregatione aliquis cæteris præfertur, & inde prælatus dicitur: quoniam qui præest prælatus dici solet. Abbas ergo, qui dignus est, id est virtutum meritis & sapientiæ doctrinis, quia ambo in ipso propter vitam subditorum sũt necessaria, *præesse*, prælatus vel maior esse. *monasterio* id est super suos monachos & omnia, quæ ad monasterium pertinent *semper memor esse debet, quod dicitur*, videlicet Abbas, pater monachorum, & prælatus congregationis, *& nomen maioris*, quo præ cæteris insignitur *factis* id est bonis operibus, *implere*, quia frustra sibi de nomine sanctitatis blanditur, qui opera non facit sanctorum. Vnde ait Iohan. Chrysost. *Honor verus, virtus animi est. Hic honor nec à Cæsaribus præstatur, neq; adulatione acquiritur, neq; pecunia comparatur. Nihil fucati in se habet, nihil simulati, nihilq; occulti. Huius honoris successor est, nullus est accusator: nullus ingratus.* Tunc enim dignissime prælatus abbas vocatur, quando vita & doctrina suos subditos antecedit, vt sanctior sit omnibus apud Deum, non apud se, & doctior iudicio aliorum, nõ suo: abbas enim vitiosus, & prælatus indoctus, nunquid indigni sunt præesse? Magna enim dignitas magnam requirit doctrinam, & qui cæteris præfertur, necesse habet, vt cunctis se exhibeat meliorem. Oportet ergo Abbatem esse in lege diuina doctum & in moribus sanctum, vt capaces instruat verbo, & rudes ducat exemplo. Nihil enim Monachis adeo pernitiosũ est, quomodo vita abbatis criminosa. Vnde quidã ait. *Nulla res ita est discipulis pernitiosa: sicut vita magistri cõtumeliosa.* Cũ *ars artiũ*, teste Greg. in suo pastorali, *sit regimẽ animarũ*, magna scientia opus habet qui abbatis nomẽ portat; quia sine dubio de omnib. sibi cõmissis Deo rationẽ redditurus est: sicut eũ S. pater noster *in hac ꝑsenti* regu-

De nomine abbatis.

De reparatione lapsi.

De abbatis virtute & doctrina.

part. 1. c. 1

regulæ sæpe facit ad monitum. Vnde cap. 64. de ordinatione Abbatis dicit, *Ordinatus autem Abbas semper cogitet, quale onus susceperit, & cui redditurus est rationem villicationis suæ.* Multo itaque consilio opus est & prudentia pastoris, & mille oculis, vt ita dicam, ad speculandum vndique hebetudinem earum, quas gubernat, animarum. Hinc Ambrosius ait. *Magna sublimitas debet habere magnam cautelam: honor grādis debet grandiori solicitudine circumuallari: nam cui plus creditur, ab eo plus exigitur.* Prouidendum igitur est omni congregationi de pastore Deum timente, qui sciat quomodo præesse debeat, sciat etiam, quomodo discipuli sint dirigendi, & ergo necesse est eum prius subesse, quam esse contingat. Ait n. Bernard. *Vsus rectæ cōuersationis est, vt præesse non audeat, qui subesse nō dicit: nec obedientiam subiectis imperet, q̄ prælatis exhibere non nouit,* Studeat ergo Abbas nomen maioris, quo præ cæteris fulget factis implere: vt sicut maior est auctoritate, ita quoque excellentior fiat virtute. Non confundant opera ipsius sermonem, ne forte cum fratribus loqui cœperit, tacitus aliquis respondeat, cur hoc ipse non facis? Valde enim detestabile est in Abbate, si mala sua vita præ pediente non audeat subditis ministrare pabulum vitæ, id est verbum salutis, ne audiat, *Medice cura teipsum.* Dicit namq; Augustinus, *Bene docendo & male viuendo Deum instruis, quomodo te possit condemnare.* Et ideo dicit Gregorius. *Sit rector actione præcipuus, vt viam vitæ subditis viuendo denunciet, & grex, qui pastoris vocem moresque sequitur per exempla melius, quam per verba gradiatur.* Non enim debet aliorum vitia corrigere, qui adhuc non emendauit sua. Oportet ergo vt virtute plenus sit, qui Abbatis fungitur officio, vt si nota fiat ei⁹ hominibus conuersatio ipse irreprehensibilis inueniatur. Ait beatus Hieronymus in Epistola ad Oceanum. *Talis sit prælatus Christi, vt qui religioni detrahunt eius vitæ detrahere non possint.* Meminisse debet igitur Abbas, quod dicitur, quia nomen habet sanctitatis, & hoc factis adimplere, Saluatoris, de quo Lucas Euangelista scribit, *quia cœpit IESVS facere & docere:* primo namq; vita requirenda est, & postea doctrina. Sunt nempe multi, qui alios bene docent verbo, se ipsos autem negligunt opere, quare quod dicūt esse bonum, operibus non monstrant à subditis esse faciendum. Ait enim Bernardus, *Multi Catholici sunt prædicando qui Hæretici sunt operando*: nam quod Hæretici faciunt per praua dogmata, hoc hodie multi faciunt per mala opera. Hinc beatus Hieronymus ait in epistola eadem, qua supra. *Perdit auctoritatem docendi cuius sermo opere destruitur.* Nouerit itaq; se maximis irretitum periculis Abbas, qui actione nomini male aut negligenter viuendo quomodolibet contradicit: dicit nāque Strabus super actus Apostolorum. *Propria oris sui sententia se ferit & perimit, damnabilem quoque reddit, qui culmen Abbatis cum ascenderit prauis suæ vitæ operibus non cōtradicit.* Hinc dicit Basilius lib. exhortationum. *Præfecerunt te famuli Dei in Abbatē, iuste damnaberis, nisi vitæ prætuleris sanctitatem.* O quam damnabilis præsumptio Abbatiam concupiscere, & operibus suis prauis nomen maioris maculare: sibi quidem sumere occasionem, vnde superbiat: subditis dare exemplum, vnde delinquant. Sunt enim nonnulli, imo quā plurimi, vt videmus hodie, qui dignitates ambiunt Ecclesiasticas, vt præesse valeant, non prodesse: currunt & discurrunt, promotores sui instigare non cessant, munera promittunt, & dona spiritus sancti pecunia emunt. Quid hos nisi Simoniacos dixerim? contra huiuscemodi dicit Anselmus. *Quicunque desiderauerit primatum in terra, confusionem inueniet in cælo, nec inter seruos Christi computabitur.* qui de primatu tractauerit, quoniam nō qui maior est ille est iustior, sed qui fuerit iustior, ille est maior. Et Bernardus. *Vtinam tam vtiles reperirentur ad curam, quā alacres currunt ad cathedram.* Sed ista de ordinatione Abbatis, competentius inferenda erunt. O prælati, qui iugum vestrū graue subditis imponere soletis, & digito non attingitis quid vobis videtur, cuius vices geratis? Nonne Dei? Nonne Christi? Nonne boni illius pastoris, qui etiam animam suam pro ouibus suis posuit, & pro suo grege mori dignatus est? Si ergo vices geritis pastoris boni, quare vos male conuersamini? Stabit stabit contra vos dignitas propria, quam assumpsistis: quoniam durissimum iudiciū fiet in eos, qui præsunt. Cognoscite cuius vices obtinetis, & intelligite, quia de omnibus commissis ei rationem reddituri estis.

Vultis

Gregor. 1. dialog.

Epist. 83.

Exemplo Actor. 1.

Ambire Abbatiū quam detestabile sit.

Sapient. 6.

Vultis autem scire cuius locum occupatis? Audite sequentia.

Christi enim agere vices in monasterio creditur, quando ipsius prænomine vocatur, dicente Apostolo. Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.

Rom. 8.

VIces Christi Abbati committuntur, sicut Dominus ait Lucæ 19. de quolibet, cui commissa est cura animarum. *Homo* inquit, *quidam nobilis abijt in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reuerti. Vocatis autem decem seruis suis dedit eis decem mnas, & ait ad illos, negotiamini dum venio.* Quis est iste homo nobilis, nisi Christus Dei filius, qui ascendens in cælum assumere sibi regnum angelorum, postea in iudicio extremo ad cuiuslibet mortem est reuersurus? Vocauit itaq; decē seruos suos, deditq; eis decem mnas: quia ecclesiam suam diuersis animarum rectoribus commisit, quod plenius Matthæus exprimit dicens. *Vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua.* Sicut enim bona temporalia magno labore congregantur: ita Christus maximo passionis suæ dolore, & prædicationis verbi & exempli labore Ecclesiam fidelium comparauit, quam abiens in cælum pastoribus suis commendauit. *Et vni dedit quinq; talenta, alii autem duo, alii vero vnum, vnicuiq; secundum propriam virtutem.* Dedit ergo vnicuiq; secundum propriam virtutem quia Deus quosdam posuit Episcopos, quosdam Decanos; quosdam vero presbyteros, alios autem Diaconos, & item alios Abbates, vnicuiq; committens tale officium, quale si vellet secundum Deum optime posset dispensare. Vel certe vnicuiq; dedit secūdum propriam virtutē, scilicet vni quinq; talenta, sicut Episcopis, quibus multæ animæ commissæ sunt, alii autem duo, sicut minoribus prælatis: alii vero vnū, sicut vnicuiq; Christiano commissa est vna anima scilicet sua, quam interdum vt seruus ille nequam negligit, nec in virtutum vsuris multiplicat. & ergo qui infidelis est in paruo, maius quis sibi crederet: hoc est, qui non potest saluam seruare animā suam vnicam; quomodo poterit multorum prodesse animabus? Si itaq; vices Christi agere creditur Abbas: quomodo est quod tam multi vices & opera faciunt tenebrarum? Prima causa subuersionis religionis est negligens Abbas aut Præpositus. Si enim mox vitiis exsurgentib. & germinantibus adhiberetur securis correctionis, nequaquam ita prævaleret iniquitas, quando fortiter dimicat æquitas. In hoc ergo stat omnis religionis custodia, vt fiat correctionis diligentia. Sed quomodo audet Abbas corrigere in subdito, quod incorrectum reprehendit in semetipso? Si tu cum sis Abbas & exemplar cæterorum non ieiunas, quomodo aliis persuadere poteris ieiunium. cogis alios ad vigilias surgere nocturnas, & tu nec quidem venis ad diurnas? O Abba cœce, dux cœcorum, propria oris sententia te feris. Si vices Christi agis, quare nō facis vt Christus? Porro qui se dicit Christum diligere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. O quam graue onus suscipit, qui culmen Abbatis ascendit. Ait quippe Cassianus libro sanctorum patrū. *Multis te periculis noueris irretitum, & in omni salutis actione penitus impeditum, dū Abbatis seu Præpositi dignitate videris insignem.* Et Bern. in epistola ad Polic. *pericula tua si nosceres, aut Abbas non esses, aut inuitus abbas fieres, aut factus humiliter viueres & transires.* Sed video quod non parum dolendum est: multi auaritiæ studeant, & qui seculū reliquerunt propter Deum, iam in claustro aurum & argentum congregare non cessant, ac si semper victuri essent: pecuniam plus amant, quam obseruantiam, volunt potius præesse monasterio vbi abundantia est auri & argenti, quam conuentui, vbi redolet odor sancti propositi. Vnde fit, vt conuenientes Abbates in conciliis seu quibuslibet aliis locis, illum præ cæteris honorent, quem aliis sciunt esse in auro vel familia ditiorem. Quod non solum sibi inuicem faciunt, verum etiam id fieri à Laicis consuetum est. Sed quid? Nunquid reprehendo seniores? Is vtiq; honorandus esset, quem vitæ meritum laudabilem reddit. Virtus senectus & doctrina sapientiæ, virum laudabilem, vel potius præ cæteris honorabilem faciunt. Cum igitur conuenimus in vnū, non præferamus diuites Abbates & glorioſos in auro, aliis virtuosis seniorib. & sapiētioribus, alioqn dicemur honorare diuitias, & odisse virtutes. Recte nāq; rationis ordo

Negligēs Abbas est prima causa subuersionis religionis.

Abusus Abbatū.

ordo hoc postulat, vt senior præferatur iuniori. Sed vt mihi videtur, timemus offendere diabolum in diuitibus, & non veremur Deum spernere in suis pauperibus. Sed transeant hæc, ne maleuolorum concitem insaniam, etiam spoliare mortuum, quem forte nequiuerunt videre viuum. Quomodo vices Christi gerit Abbas in monasterio, qui magno apparatu equitat hinc inde vagando in seculo? Certe Christi vices non implet, qui adhuc mundi huius amatoribus placet. Thesaurizant sibi quidem aurum & argentum in monasterio; sed parum p̃uident, quid habituri sint aliquando in cœlo. Omnes auaritiæ studeant, qui Deum in suis actibus non imitantur. Ait quippe Bernardus. *Quem nunc dabis de monasterio prælatorum, qui non plus inuigilet marsupiis subditorum euacuandis, quam vitiis extirpandis?* Verum hoc duntaxat de Episcopis intelligo, non de Abbatibus, licet plerunque fieri non dubitem. Sed si à subditis habere non possunt, ab extraneis tamen accipiunt, non pro sola necessitate, sed quod Monacho damnabile est, præ nimia cupiditate. Conuenientibus nobis in vnum, quod dolens considero non de scripturis sacris, non de moribus dirigendis, neque de gestis S. Patrũ, sed de nummo, de seculo, de aliorũ peccato, de regibus & ducibus ac principibus terræ primus sermo exordium sumit. Quisquis huius seculi fallaces scientias etiam inter Abbates non nouerit, & perferre didicerit, nihil reputatur, inutilis iudicatur, etiamsi sacræ scripturæ cDoctor existeret. O quã lõge distamus à sanctis Patribus qui in nostro ordine floruerunt, qui spiritualia, non terrena amauerunt, quorum conuersatio sancta, vita immaculata, scientia & virtute fragrabat. Nos autem horum nihil habemus, temporalia sapimus, æterna nobis incognita sunt: locutio nos grauat: loqui de diuinis piget: scientiam abhorremus, & tamen sapientes appellari ab vniuersis volumus, & nomen sanctum Patrum nostrorum detestamur. Si aliquem contigerit monachũ nominari, indignatur quasi magna iniuria afflictus. Qui monachi esse deberent, cucullam & tonsuram portantes sine opere, iam Domini dicuntur, & sanctum nomen, quasi stultitiam abominãtur. Abbates quoque nostri nomen suum tanquam indignum iudicantes, gratiosi Domini vocantur, etsi contigerit eos similiter appellari Dominos Abbates indignantur & vocantem se aspernãtur & auertuntur, quasi magnam passi iniuriam. Sed est adhuc aliud, quod non silebo, licet sciam me plurimos persecuturos ex hoc. Videres famulos eorum flectere genua, deponere capucia sua, & se inclinare: non Abbates, sed Archiepiscopos putares. O vanitas insana, filius pauperis sutoris Abbas factus, Dominus gratiosus, nominatur, & quod in seculo sub diabolo nõ potuit habere locuplete, hoc in monasterio obtinet sub Christo paupere. Non est hæc simplicitas sanctorum monachorum, quib. nihil commune, cũ seculo, sed omnia erant eis in Christo, & Christus eis omnia erat. Sic non aguntur vices Christi, sed potius opera diaboli, qui omnis superbiæ origo est. Sub hac enim abusione iam fere vbiq; ordo monasticus detinetur, & ab omnibus sine quærela pro regula seruatur, vt Abbas, qui incesserit ornatu pomposior, ab omnib. iudicetur quoq; religiosior. Christi vices non agunt huiusce modi, quamuis agere videantur. Vnde bene de talib. ait Bern. *Quomodo lux mundi obtenebrata est, quomodo sal terræ infatuatum est? Quorum enim nob. vita, via vitæ debuit esse, dum in suis actib. superbiæ ostendunt exemplum, cæci fassi sunt duces cæcorum. Quodenim, vt cætera taceam, specimen humilitatis est, cum tanta pompa & equitatu incedere, tãtis hominum crinitorum stipari obsequiis, quatenus duobus vel tribus Episcopis vnius abbatis sufficiat multitudo.* Sed ad materiam reuertor vnde paulo digressus sum. Christi enim vices in monasterio agere creditur. Verum Dominus in Euangelio ait. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Prælatus quilibet in subditis suis Christi vices agit; quare oues quas Christus sanguine suo redemit, ipse pascere debet, opere videlicet & verbo. Magna dignitas Prælatorum, quod si cõseruis suis in tẽpore tritici mẽsuram tribuere curauerint duplici honore digni sunt, audituri à Domino suo cum venerit ponere rationem cum eis. *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Nõ enim mediocris gloria eos exspectat, qui digne præsunt: nam sicut durum iudiciũ sustinebũt, qui indigne præsunt: ita sine dubio specialis remuneratio eos coro-

Abusus congregationum monasticarum.

Abbates volunt dici gratiosi Domini.

In apolog. ad Guilh. abb.

Abbas Christi vices agit. Luc. 10.

Monachi & abbatis nomen quidam monachi egre serunt.

Mat. 25.

coronabit, qui digne Præpositi ministrat. Nequaquam ergo spernendi sunt Prælati à suis subditis etiamsi discoli fuerint, quia malorum doctrina, si bona est, suscipienda erit, non peruersa vita obstante. Si enim bene vixerint, eorum est: si bene docuerint, nostrum est. Suscipiamus ergo nostrum, & non discutiemus alienum. quia vnusquisq; pro se rationem redditurus est. Meminisse debet tamen semper Abbas, quare Christi prænomine vocatur, dicente, Apostolo ad Romanos 8. *In quo clamamus Abba pater.* Deus namq; omnium nostrum pater est, & filii ei⁹ sumus, quare Dominus ait, *Nolite vobis vocare patrem in terris*, sed Abbas pater vocatur suorum monachorum, Dei sine dubio prænomine appellatur. Oportet itaq; Abbatem semper memorem esse, quod Dei fidelis seruus existere iubetur dicēte Domino. *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, Dominus Deus vester.* Decens quippe est, vt quilibet seruus Christi, qui aliis præficitur, Christum Dominum suum in quantum est possibile, operibus & doctrina imitetur, nihil eorum negligens, quæ præcepit, nec quidquam in faciens, quod ille prohibuit, Et ideo apte subiungitur.

Abbas nomen Dei habet.

Mat. 23.

Luc. 11.

Ideoq; Abbas nihil extra præceptum Domini, quod absit, aut docere debet, aut constituere, vel iubere.

3

FIdelis namq; seruus sciens voluntatem Domini sui non debet quiescere, donec pro posse suo eam impleuerit: quare nimirum is Dominum suum dil git, qui eius in omnibus studet obtēperare præceptis. Si quid extra præceptum Domini præceptum fuerit ab Abbate non tenentur obedire subditi, si clare contra Deum constiterit mandatum. Vnde dicit Abbas super primo decreto, *de maioritate & obedientia*, quod subditi etiam regulares non tenentur obedire eorum Prælato, nisi in his, quæ ad eum pertinent. Si ergo præceptum esset contra Deum, vel excederet limites officii sui non tenentur sibi obedire. In omni autem doctrina duo pēsanda sunt, videlicet exemplum docentis, & verbum loquentis, sicut beatus Benedictus in sequentibus manifestat, cum dicit. *Cum aliquis suscipit nomen Abbatis duplici debet doctrina suis præesse discipulis.* Ergo in hac duplici doctrina nihil extra præceptum Domini, quod absit, aut docere debet Abbas, aut constituere, vel iubere. Omnia enim opera ipsius à præceptis Dei incipienda sunt, quatenus sic viuat, vt nihil omittat eorum, quæ sibi præcepit Deus, nec aliquid faciat, in quo Deum offendere possit, sed omnis ipsius actio testimonio sacræ scripturæ commendetur. Caueat itaq; Abbas, neq; vnquam aliter viuat, & aliter doceat: quia hoc extra præceptum Domini docetur, quod contra ipsius voluntatem geritur. Docet exemplis, docet & verbis. Si ergo exempla mala sunt, iam extra præceptum Domini docuit dicentis. *Videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est.* Nihil docere præsumat, quod ex præceptis Domini exordium non capit, vel constituere definiendo & modum ponendo, quia totum peccatum est, si contra Domini præceptum fit. Nihil etiam iubere attentet extra præceptum Domini vel præcipiat, quia quidquid iubet cōtra præceptum Domini sibi fit peccatū, & subditis existit in laqueum. Notandum autem quod non semper teneor obedire Abbati meo, si ea præcipit, quæ non promisi, & hoc diuersimode. Primo si præcepit ea, quæ non pertinent ad officium suum, sicut dictum est. Secundo si præcipit mihi aliquid, quod omnino malum est, licet sibi videatur bonum, tamen non debeo vsquequaq; credere conscientiæ meæ. Tertio quando præcipit aliquid in derogationem Maioris Prælati, vt si præciperet mihi non reuelare Maiori ex auctoritate visitanti, quæ reuelanda sunt, nam illa obedientia non ligat subditum. Quarto si præcipit aliquid, quod est vltra vel citra regulam. Vnde dicit Bernardus in libro de præceptis & dispensatione. *Nil me Prælatus prohibeat horum, quæ promisi, nec plus exigat quam promisi.* Hæc est obedientia sufficiēs ad salutem, veruntamen in his obedire, quę non promittuntur, & tamen Deo accepta sunt, superabundans aliquid est. Sed ne putares esse obediendum in licitis & bonis, quæ forte non promisisti attende quod dicit idem, vbi supra, inquiens. *Siue Deus siue homo vicarius Dei, mandatum quodcunq; tradiderit, pari profecto obsequendum est cura pari reuerentia deferendum, vbi tamen Deo contraria non præcipit homo.* Et ergo quan-

Matt. 5.

Quando non teneatur obedire.

Subditus non tenetur in omnibus obedire.

do allegamus Bernardum de præceptis & dispensatione, oportet videre, quid præcedat vel quid sequatur, vt non iudicemus de præcepto, quando non intelligimus quid iubetur, & pro sensu nostro proferamus, quod forte aliquando non expedit. Sequitur.

Sed iussio eius vel doctrina fermento diuinæ iustitiæ in discipulorum mentibus conspergatur?

CVm tanta quippe discretione iussio Abbatis temperanda est, vt sciat omni præcepto tempus dare conueniens, quare interdum à præceptione cessandũ est, maxime si discipulorum animos aliquo morbo nouit amaros, nam si turbato multum præcipitur facile in contemptũ iubentis prolabitur. Oportet ergo Abbatem quatenus hoc cauere valeat sermone esse affabilem maxime erga subditos dirigibiles, quia noui, quod ex hoc plus proficiunt, quam si eis seuerus fuerit eloquio. Et hæc affabilitas in vultu plerumque discernitur; ergo necessarium esse arbitror, vt se vultu exhibeat amabilem, & hilarem cum omni tamen disciplina, quia ex hoc maxime subditos de mulcet, & ad sui imperii vel iussionis executionẽ faciliores reddet. Verum sic temperanda & exhibenda erit subditis affabilitas Prælati, quatenus scurrilitas comitem non inueniat. Nimis enim absurdum est in Abbate scurrilitati operam dare, & labia Christi præceptis consecrata in immunda & in damnabili verborum procacitate polluere. Loquacitas namq; Abbatis contemptum ingerit subditis. Sic igitur sermo eius maturus, deliberatus, rarus sale sapientiæ conditus, iucundus sine risu, simplex, & rectus, stabilis atq; perfectus, quoniam hæc signa sapientiæ sunt. Est autem cauendum ne nimia affabilitas, vt plerumq; fieri solet disciplinæ vigorem in subditis dissoluat, quia præceptis, saltem duris, vix obediunt, qui semper mollibus verbis liniuntur. Sed sic agendum est, vt quicquid Abbas iubet vel docet *fermento*, id est feruore mentis *diuinæ iustitiæ* conspergatur in discipulorum mẽtib. ne sermo ipsius vel iussio vnq̃ permaneat infructuosa, sed fructum semper afferant, dum eloquio sacræ scripturæ & exemplo boni pastoris mentes subditorum iugiter irrigantur. Oportet ergo, sicut in sequentibus dicitur, Abbatem esse doctum, vt sciat de thesauro suo proferre noua & vetera, id est, noui & veteris testamenti dogmata, & sanctorum facta & exempla, quia nihil est, quod ita ædificare solet audientes, sicut gesta præcedentium patrum sanctorum. Nihil ociosum, & omnino nihil noxium ex ore Abbatis proferatur, quoniam de omni verbo ocioso reddituri sumus rationem in die nouissimo. Ait namq; Hieronymus. *Omne quod non ædificat audientes, in periculum vertitur loquentis.* Sit Abbas semper in discipulorum exhortatione, non cesset nec die nec nocte, sed semper aliquid, quod ad salutem subditorum proficiat, operetur vel docendo, vel exhortando, vel certe exẽplo suo ædificando. Ait enim Origenes in homiliis suis. *Sicut cibis & deliciis caro, ita spiritus verbis diuinis conualescit.* Nutrimenta ergo spiritus sunt, diuina lectio, orationes assiduæ, sermo doctrinæ.

Abbas debet esse affabilis.

Matt. 12.

Hieron.

Origenes.

Memor sit semper Abbas quia doctrinæ suæ, vel discipulorum obedientiæ vtrarumque rerum in tremendo iudicio Dei facienda discussio est.

SI pro seipso vnusquisq; solicitus erit, quomodo stabit ibi, qui multorum animas sua negligentia, aut malo exemplo ad inferna deduxit? Dies Domini tremẽda dicitur, quia omniũ actuum nostrorum ibi erit discussio facienda, vbi nemo se iniquus poterit excusare, vbi iudex nec fallit, nec fallitur, & nullo munere placatur. Vnde Bernardus, *Veniet inquam veniet dies iudicii, vbi plus valebunt pura corda, quam astuta verba, conscientia bona, quam marsupia plena, vbi Iudex non falletur verbis, nec flectetur donis.* Et Augustinus de symbolo. *Ille supernus Iudex nec gratia præuenitur, nec misericordia flectitur, nec pecunia corrumpitur, nec satisfactione vel pœnitentia mitigabitur.* Sit ergo memor Abbas iugiter meditando, quia doctrinæ suæ in tremendo Dei iudicio non in parte, sed coram omnibus sanctis & Dei electis est faciẽda discussio, qualis videlicet fuerit in docendo, qualis in exhortando, an discipulis suis, vt sapiens pastor, futura mala delinquentibus prædixit:

Iudicium extremũ tremendum.

Bern. in epist. ad Robert.

Aug. lib. 3.

Abbas de quibus sit rationem reddituras in iudicio.

prædixit: si ante omnia sanctæ Trinitatis fidem eis prædicando seruauit: si quod ore docuit, ipse prius opere impleuit: si calamum quassatum sua indiscreta prædicatione contriuit, quod absit, quia hoc extra præceptum Domini docere est, si vtilis fuit in verbo, exemplaris in opere: si denique nec odio, nec amore, nec pretio, nec honore, neque commodo suo corporali vnquam à discipulorum informatione quieuit: quare sine dubio de omnibus his facienda discussio est. Et sicut superius dixi, quod omnis doctrina in duobus consistat videlicet in opere, & in verbo: sic etiam hic intelligo, vt sit sensus. Memor sit Abbas, quia doctrinæ suæ, id est, operum, atque verborum facienda in Dei iudicio discussio est, quia non tantũ verbo, sed quod perfectius est opere docere iubemur. Et notandum quod non simpliciter dixit, *memor sit Abbas*, sed adiunxit, *semper*, vt scilicet nunquam recederet, hic timor à memoria eius, quia maxima pars peccatorum tollitur, si futurũ iudicium iugiter ante mentis oculos habeatur. *Eccl. 7.* Vnde scriptum est. *Memento nouissimorum tuorum & in æternum non peccabis.* Hinc beatus Hieronymus super Matthæum ait. *Quoties diem illum considero, toto corpore contremisco; siue enim comedo, siue bibo, siue aliquid aliud facio, semper videtur illa tuba terribilis sonare in auribus meis. Surgite mortui, venite ad iudicium.* Si sanctus talis, cuius etiam laudis præconia totus mundus scientia & sanctitate honorat, cum tanto timore Dei iudicium futurum timuit, quid nos miseri peccatores facturi sumus? O timendum tremendumque iudicium, quis non paueret ex memoria tui? Ait enim Anselmus. *Anselm. de similitud.* *A dextris erunt peccata accusantia, à sinistris infinita damonia: subtus horrendum chaos inferni, desuper Iudex iratus: foris incendium ardens, intus conscientia vrens, ibi vix iustus saluabitur: heu miser peccator deprehensus, quo fugiet, latere est impossibile, apparere intolerabile.* Et Chrysostomus super Matthæum. *Chrysost. in c. 24. Matth.* *Exsurgente rege cælesti iudicare viuos & mortuos, virtutes angelicæ mouebuntur, terribiles ministri terribilem Dominum præcedentes. O quomodo stabit ibi, qui animarum sibi commissarum salutem aut negligit aut parui pendit?* Certe durissimum iudicium erit his, qui præsunt indigne. Quid respondebit Abbas subditos docens verbo, & destruens exemplo? Quid inquam respondebit Domino rationem villicationis exigente? Vere timeo, quia audiet Dominum sibi dicentem. *Quare tu enarras iustitias meas per os tuum?* *Psal. 49.* Quid dicturus es miser? Quare hoc non cogitas dum viuis, & sanus es? Certe exigetur à te ratio Abbatiæ tuæ, quomodo eam gubernaueris in spiritualibus, & in temporalibus vsque ad vnum quadrantem responsurus. O vos Abbates, qui segregatim à conuentu vestro habitatis, qui consilia principum visitatis, qui reditus monasteriorum diuiditis, & subditis occasionem proprietatis dare non veremini, qui nec vos, nec vitia discipulorum emendatis, qui in equitatus apparatu gloriamini, qui pretiosas cappas post vos terram scopando trahitis, qui bona monasteriorum vobis commissorum consumitis, in bonis ducentes dies vestros, quid iudici interroganti dicturi estis? Certe de omnibus his rationem reddituri estis, pro opere recipientes talionis mercedem. Sed ne se subditi putent liberos & securos, textum diligenter pete, aduertite. *Vel discipulorum obedientiæ in tremendo iudicio facienda discussio est.* *Discipuli de obedientia reddent rationem.* Vere frequens periculum, quod nobis imminet præcipientibus, vos etiam cauere habetis in præceptorum executione, quia in hoc tremendo iudicio de vestra obedientia erga nos absque dubio facienda discussio est, an videlicet sequentes vestigia Christi humiliastis vos sub manu Abbatis vestri, si facti obedientes vsque ad mortem, omnia, quæ vobis præcipiebantur pro Christi amore impleuistis; si Abbati, vices Christi agenti, tanquam Christo obedistis. Et est considerandum, memoriæque commendandum quomodo Abbas de doctrina sua & discipuli de obedientia Deo sint reddituri rationem. Si Prælatus siue Abbas, siue quicunque alius, cui commissa fuerit cura animarum, executione officii sui negligens reperitur, non pascens gregem Domini, sicut deberet, & aliquis sua negligentia perierit, stabit sine dubio in iudicio Dei rationem redditurus de sua doctrina, de vita, exemplo, & officio, & quomodo vel qualiter suis præfuerit: quare etiam eos sibi commissos subditos non docuerit, correxerit vel emẽdauerit pro posse suo, & de singulorum, quos negle-

xit, damnatione, ipse pœnam suscipiens respondebit, sicut sequitur in textu: *quare culpæ pastoris incumbit quidquid paterfamilias potuerit vtilitatis in suo grege inuenire.*

At vero subditus quilibet respondebit pro suo Abbate, si instructus & accusatus se emendare neglexerit, quia sine dubio Prælatus, qui omnem solicitudinem suam erga sibi commissos in docendo, informando, corrigendo, & increpãdo, & præcedendo exhibuerit, excusatus erit in die Domini, quamuis se subditi minime emendauerint. Si itaq; fratres carissimi Abbas fecit, quod in eo est, & vos non facitis, quod debetis, ipse excusatus est, vos respondebitis pro eo de vestra obedientia rationem reddendo, qualis & ex quanto fuerit. Sed quid dicturi sunt, qui neq; exemplis, neq; verbis obediunt? Imo quod deterius est beneficiis indurantur, minis non cedunt, nec verberibus corriguntur. Solent enim, vt excusare valeant suam obedientiam, præcepta Prælati iudicare indiscreta, & quicquid inuiti faciunt, hoc male imperatum dicunt.

Abbas facies quod in se est, non est reus culpæ suorum.

Væ quomodo stabimus ante tribunal Christi, qui non obediuimus eius mandatis, quæ nobis per Vicarios eius præcepta sunt, sicut ipse dicit, *qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Vere fratres nõ est paruum peccatum spernere seruos Christi, etiamsi mali fuerint, in quantum ea, quæ Dei sunt præcipiũt. O fratres charissimi pensate, & si quis reus in vobis est, doleat & emendet, quæ dico, quicunq; offendit Prælatum suum in his, quæ ad Deum pertinent, absq; dubio offendit eum, qui constituit illum, sicut scriptum est. *Qui tetigerit te, tetigit pupillam oculi mei*, Si enim præcepit tunc Prælatus tuus aliquid, quod ad Deum pertinet siue ad virtutes vel honestatem, & non obedis, Deo resistis. Sed quid dicturi sunt hi, qui non solum obedire contemnunt, sed etiam Prælatos suos contumeliosis & iniuriosis verbis afficiunt? Vere iudicium suum portabit, quicunq; est ille. Qua præsumptione te erigis contra Deum ô homo puluis & cinis? *Qui enim potestati resistit, Dei ordinationi resistit*, & contradicit. Timendum ergo valde est, ne per inobedientiam, quam exhibemus Abbati, iram incurramus altissimi. Filium autem subiectum & obedientem respiciat Dominus, sicut scriptum est Isaiæ 54. *Montes commouebuntur, & colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet à te & fœdus pacis meæ non mouebitur.* Et ad subditos loquitur capitulo sequenti Dominus. *Inclinate aurem vestram, & venite ad me, audite & viuet anima vestra.* Et de Prælatis subditur, *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.* Periculum vtriq; est, Abbati si male docet aut negligit, subdito si non obedit imperanti. Sequitur itaq; periculum pastoris, cum subiungitur.

Luc. 10.

Zach. 2.

Rom. 13.

Sciatque Abbas culpæ Pastoris incumbere, quidquid in ouibus paterffamilias vtilitatis vnquam potuerit inuenire.

DVrus est hic sermo, & quis poterit sustinere eum? Quis non mallet pascere porcos rusticorum, quam regimen tenere animarum? Reuoluamus omnes propheras, semper præ cæteris rectores acrius arguuntur. Hinc Isaiæ 56. dicitur, *Speculatores eius cæci, omnes nescierunt, vniuersi canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia, & canes impudentissimi nesciunt saturitatem. Ipsi Pastores ignorauerunt intelligentiam. Omnes in viam suam declinauerunt, vnusquisq; ad auaritiam suam à summo vsq; ad nouissimum.* Multi sunt Abbates & Prælati, rectoresq; animarum non valentes latrare, qui aut ignorantes, aut propter suam malam vitam non audentes, gregem sibi commissum docere & corrigere non possunt, timentes alium increpare, in quo se ipsos reos nouerunt. Ignorant autem intelligentiam, quando in præceptis suis discretionem seruare nõ didicerunt. Vnusquisq; ad auaritiam suam declinat, quando subditis pecuniarum sacculos euacuat, sicut constat considerare volenti.

Rectores aliorum semper arguuntur acriter in S. Scrip.

Vnde de talibus, Michææ 3. dicitur. *Principes eius in muneribus iudicabant, & Sacerdotes eius in mercede docebant*, Et Abacuc. 2. *Væ qui congregat auaritiam malum domui suæ, vt sit in excelso nidus eius, & liberare se putat de manu mali.*

Et iterũ ad Prælatos indignos Dominus loquitur Malach. 2. *Vos autem recessistis*

sitis de via, & scandalizastis plurimos in lege. Graue enim scandalum est vita mala prælatorum, quare vita & conuersatio Prælati quasi in speculo posita est in gratiam publicæ disciplinæ, vt quicquid fecerit ipse, illud omnes sibi faciendum putent. Ait autem Cassiodorus. *Claras suas maculas reddunt, si illi, ad quos multi respiciunt, aliqua reprehensione sordescunt.* Si enim caput languidum fuerit, erunt & cætera membra debilia. Caput membra sequũtur, & discipuli magistrum. Vnde Dominus ait. *Et sequuntur me meæ.* Oues ergo pastorem, sequuntur & subditi Abbatem. Quo? ad vitam, si bonus, ad mortẽ, si negligens præcedat. Si enim cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadunt. Sciat ergo Abbas, quoniam suæ negligentiæ imputabitur, si veniens Dominus oues suas inuenerit errantes. Oportet itaque vt præcedat discipulos vita & doctrina. Sed heu, quomodo ducatum præbere poterit, qui nunquam sub eo fuit? Ecce videmus hodie, quod nimis dolendum est, quia pueris & effœminatis Dei legem nescientibus animæ redemptæ pretioso sanguine Christi custodiendæ committuntur, agminibus luporum vndique irruentibus. Scio etenim, scio pastores animarum, quibus nullus rusticus confideret porcos custodiendos, quoniam pueri sunt, & ætate & intellectu. Væ quomodo verificatur quotidie, quod Dominus Isa 3. comminatur, generationi huic dicens. *Et dabo pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.* Vnde ait Bernardus libro quarto de consideratione ad Eugenium Papam. Satis superque Episcopi ad manum habent, quibus animas credant, & cui suas committant facultates non inueniunt. *Sciatque Abbas culpæ pastoris incumbere quicquid in ouibus paterfamilias vtilitatis minus inuenerit.* Sicut est consuetudo patrumfamilias, vt à pastoribus suis pellem ouis mortuæ requirant, & causam diminutionis sui gregis perscrutentur: quare videlicet oues mortuæ sint, aut cur à lupis comestæ, quare dispersæ, & quæ causa morbi earum: quare etiam eas diligentius non custodiant, ita procul dubio æquissimus Iudex à pastoribus animarum sine vlla excusatione rationem exiget: quare videlicet perierint animæ ipsis commissæ: quare eas non custodierint: quare morbos iuxta datam eis gratiam nõ curauerint. Tunc pellem pro pelle, tunc dentẽ dabunt pro dente: quare pro omnibus sibi commissis pereuntibus reddentes rationem respondebunt. Vnde Dominus pastoribus animarum Ezechielis 33. comminatur dicens. *Si me dicente ad impium impie morte morieris, non fueris locutus, vt se custodiat impius à via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Esset hæc sententia Abbatibus multum formidãda, nisi subiunctum esset. *Si autem annunciante te ad impium, vt à viis suis conuertatur, non fuerit conuersus à via sua, ipse in iniquitate sua morietur: porro tu animam tuam liberasti.* Hoc est, quod sequitur hic in textu regulæ temperamentum timendæ cominationis, qua sanctus Benedictus pastoris culpæ asseritincumbere, si quid paterfamilias in ouibus suis, videlicet animabus ipsis commissis, minus vtilitatis potuerit inuenire.

Ioan. 10.

Inuehitur in pueros rectores aliorum.

Similitudo.

7 Tantũ.

Tantundem iterum erit liber, vt si inquieto vel inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia adhibita, & morbidis earum actibus vniuersa fuerit cura exhibita.

SEntentia præcedens terruit Prælatos, & ista timorem incutit subditis, quia Prælatus timet Dominum cõminãtem, & subditus pauet se exprobrantem. Inquietus grex est conuentus improbus & ingratus, vel in singulari, vel in generali, sicut de sancto Benedicto refert beatus Gregorius 2. Dialogorum, quomodo dimiserit conuentum vnanimiter contra se malignantem, & locum dedit iræ. Si enim Abbas fecerit omnem suam diligentiam circa monachos sibi commissos, videlicet moribus componendo, verbis & factis sacris instruendo secundum, quod Hieremiæ 1. dicitur. *Tu ergo accinge lumbos tuos & surge & loquere ad eos omnia, quæ ego præcipio tibi, & non præualuerit eius sermo*, vt puta in induratis, *ipse liber erit in iudicio, mors operiet eos.* Oportet tamen eum feruentem esse in prædicando & perseuerare etiam, si ipsi audire contempserint: quoniam si incipit fatigari vel desistere est forsitan talis, qui fiat similis illis. Attendite fratres carissimi

Greg. c. 3.

vos tanget hæc ſententia ſi inobedientes reperti fueritis ſuperioribus veſtris, aut eorum pręceptis contrarii vel ſanctis doctrinis detrahẽtes. Morbus autem inobedientiæ ex ſuperbiæ tumore procedens, ſicut ſanies ex vlcere, ſic ex tumore contemptus emanat. Vos autem noſtis, quod nemo ſuperbus regnum Dei ingreditur; ſed in obediens bono ſuperbus eſt, qua ex re nihil partis habet in regno Dei. Morbus enim inobedientiæ, languor animæ eſt. Hoc morbo primus homo languit, quoniam mandatum Dei trangreſſus cecidit, de paradiſo expulſus. Quatuor vero ſunt voces præcipientium vel potius tres ſeducentium. Prima vox ſeducentis vxoris eſt: Secunda mundi: Tertia diaboli: quarta non ſeducens, ſed beatificans vox Dei eſt. Si ergo audimus quid loquatur in nobis Dominus Deus, beati erimus, quare vox Domini bonitas; vox Domini ſuper aquas humilitatis, Deus maieſtatis contra ſuperbos & inobedientes intonuit. Sed quæ hæ tres voces ſeducentium? Vox vxoris, carnis voluptas; vox mundi, vanitas. Vox diaboli, ſemper iniquitas, quod ſi quis audiens obedierit eis, morte morietur. Videte ne obediatis vocibus his tribus; ſed quartæ, id eſt, Dei obedite in manu Abbatis, vt bene ſit vobis. Sed heu, quam multi ſunt hodie, qui cum Adam voci obedierint vxoris; pauci autem reperiuntur, qui voci obtemperent Creatoris. Voci enim vxoris obediunt, qui carnis ſuggeſtionibus non contradicunt; ſed ventrem eſcis implent; animam autem non paſcunt eſurientem. Vnde ſi cogantur aliquando parcius ſumere cibum, vel potum, ſtatim in murmur prorumpunt, occaſiones inſtabilitatis quærunt, dicentes ſe non poſſe ſubſiſtere, vbi, neceſſaria nõ quærunt habere. Vtinam ſi tantum ſumeremus neceſſaria, abſq; dubio multa remanerent ſuperflua. An non eſt ſcriptum? *habentes victum & amictum his contenti ſimus.* 1. Tim. 6. Timeo ego fratres, quoniam comminuta eſt gloria noſtra. Quid dicemus cum exurget in iudicio Deus, quando cogitatio quoq; hominis confitebitur Domino, quid reſpondebimus, ſi opponitur nobis abſtinentia & religio atq; diſciplina ſanctorum patrum noſtrorum, qui nos in hoc ordine & regula digne conuerſantes præceſſerũt advitã? O fratres, quomodo ſtabimus, quando gloria eorum erit confuſio noſtra? Sed diceret forſitan aliquis, quod tempora tunc meliora erãt, quam nunc, & natura fortior, homineſq; aptiores ad virtutes, & Deus vicinior ipſis. Quiſquis talis eſt, imo aliquis eſt, ſciat ſe non debere derogare naturæ, quoniam virtus tempora ſanctificat, non tempora virtutes efficiunt; quare enim non eſt abbreuiata manus altiſſimi. Ait nempe beatus Hieronymus. *Ne dicas tempora priora meliora fuere, quam nunc ſunt, virtutes faciunt dies bonos; vitia malos.* Nos autem homines carnales ſumus, non percipientes ea, quę ſpiritus ſunt, quoniam nos ipſos quærimus caritatis obliti. Vnde Dominus de noſtra generatione prænunciauit dicẽs, *Et refrigeſcet caritas multorum:* Voci autem mundi obedit, qui vana huius ſeculi, honores videlicet, & diuitias concupiſcit. Horum plurimi ſunt etiam, quod dolendum eſt, inter clauſtrales, qui plus appetunt cum periculo præeſſe, quam cum ſecuritate humiliter ſubeſſe. Diuitias concupiſcunt, volentes enim ingredi religionem, ditiora quærunt monaſteria, fugientes religioſiora. Voci deniq; obedit diaboli, qui iniquitatem ſectatur, vitam vitiis maculat, & tempora perdit ſalutis. Inter religioſos ſi qua fuerit iniquitas, diligentia Præpoſiti purganda eſt, quod ſi ipſe neglexerit, ponit pro pede pedem, quoniam vidit ſibi oues commiſſas errare, & nõ ſtuduit eas reducere ad viam rectitudinis. Sed quæro ponens caſum fratres inter ſe delinquunt, & ſub ſe tegunt, nec venit ad Abbatem peccatum eorum, quia vnuſquiſque de alio tacet, quia in ſe ipſo aliquid deprehendit, & ſic tranſeunt Deum offendentes, vt puta detrahendo, obloquendo, murmurando, comedendo extra horam, vel ſine licentia, quod omnino fieri ipſis non licet, nec emendantur, corriguntur, quare peccata eorum non veniunt ad lucem, & quia quilibet dicit ad alterum, parce mihi parcam & tibi. Quid de his tenendum eſt, an Prælatus eorum excuſetur? Puto ſi omnem diligentiam ſuam facit circumeundo, explorando actus ſingulorum, ſicut decet, eos, licet neſciat talia, quotidie exhortando, docendo, & bonis operibus præcedendo, & non percipit, talia,

Tempora non fecere homines meliores.

in c. Eccl. 41.

Mat. 24.

An abbas redditurus ſit rationem de peccatis occultis fratrum.

talia, vellet tamen, vt sciret, excusatur apud Deum, quoniam de reprobis quis iudicare poterit? Oportet autem eum esse suspiciosum, sed non nimis, sicut scriptum est Hieremiæ 6. *Probatorem dedi te in proposito meo robustum, & scies & probabis viam eorum.* Matt. 18. Ipsi tamen, qui malefacta aliorum non denudant secundum præceptum euangelicum, duplici pœna plectentur, quoniam ipsi peccare non cessant, & aliis delinquentibus consentiunt, nam peccans & consentiens pari pœna plectendi sunt. Rabanus. Ait enim Rabanus super Matthęum, *Ita peccat, qui videt fratrem suum peccare & tacet, sicut qui pœnitenti non indulget.* Omnem autem diligentiam Abbas subditis suis adhibet, quando eos vita sacra præcedit, verbisq; sanctis instruit, vniuersam vero e s curam exhibet, quando eis, quæ necessaria sunt animabus & corporibus in quantum prævalet, administrat. Vniuersam curam exhibet, quando infirmos fratres confortando renouat, fluctuantes resolidat, & vnicuique iuxta suum defectum mederi, satagit. Diligentiam eis exhibet & curam, quando eos interius per suam doctrinam virtutibus ornat, & exterius rebus corporibus necessariis prouidet. Curam enim agere debet Abbas spiritualium rerum pariter & temporalium, eos docendo, vt proficiant & necessaria ministrando corpori, ne murmurandi occasionem habeant. Postquam autem hæc omnia fecerit, & exemplo præcedendo, verbo docendo, corrigendo, & arguendo, atque corporis necessaria eis ministrando, & ipsi non emendauerint, vt puta inquietus & inobediens grex, ipse pastor eorum liber & excusatus erit coram Deo dicturus in iudicio extremo cum propheta Dauid in psalmo 39. ad Dominum. *Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam & salutare tuum dixi, ipsi autem contemnentes spreuerunt me.*

Iustitiam Dei annunciat, qui peccantibus tormenta prædicat. Salutare autem & veritatem Dei dicit, qui virtuosis & & bene viuentibus præmia æterna promittit. Iustitiam vero Dei abscondit, qui comminationes sacræ scripturæ contra delinquentes non profert odio vel amore, aut pretio, vel pigritia aut certe ignorantia siue timore humano præpeditus. Iustitiam Dei in corde suo abscondit, qui ea, quæ didicit bona opere implere negligit.

Sic enim potest dicere Domino, iustitiam tuam non abscondi in corde meo, quare quidquid boni noui, conuerti in opera, & subditis, quos mihi dedisti eadem facienda verbo & exemplo ostendi, tormenta etiam, quæ ex tua iustitia peccatoribus debentur eis declaraui, sed & veritatem tuam dixi, qua pollicitus es bonis præmia, & quia fidelis es & misericors pœnitentibus & reuertentibus ad te, ipsi vero non attenderunt, imo contemnentes spreuerunt me. Grande peccatum contemptus Prælatorum, quare quidquid Abbati facimus, sine dubio hoc sibi Deus reputat factum, sicut ipse ait in Euangelio. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Luc. 10. Contemnere quis dicatur superiorẽ mandantem. Contemptus autem ex vitio superbiæ procedit, quare nemo nisi superbus aliquem contemnere potest. Duobus autem modis contemptus pensandus est. Nam aliquando contemptus fit in mandantem, & aliquando in mandatum. Si ergo contemnis mandantem Prælatum tuum vel Abbatem grauiter peccasti, quia Deus illum constituit super te, vt obedias voci eius, non tanquam hominis, sed Dei, nam reuera quidquid nunc præcipit Abbas salua iustitia & veritate ita me decet obedire, & conuenit, ac si Dei ore præceptum esset.

Salua iustitia dixerim, vt nihil contra fidem Catholicam præcipiat, veritate autem, vt me nihil iubeat, quod saluti meæ contrarium sit. Nam fides iustitia est, & salus animæ, veritas. Si contemno personam Abbatis præcipientis, contempsi personam Dei constituentis, quoniam Christi vices agere in monasterio creditur.

Neq; æstimandum est, quod Abbas in fratres suos extra monasteriũ positos, vel positus non habeat auctoritatem & potestatem, quia dicit, *in monasterio vices Christi agere videtur*, sed vbiq; iurisdictionem eorum habet: quare vbi monachus, ibi & monasterium: nam per monasterium intelligimus omnes vel omnia quæ ad monasterium pertinere videntur. Caueam⁹ igitur, ne personã abbatis quouiscunq; modo contemnamus, ne cũ hominẽ spernere nõ timemus, Deũ omnipotẽ

tem contemnamus. Nec dicas, quare abbas noster malus est & vitiosus, iubet nos, quod ipse minime facit; sed pensa quid Dominus in Euangelio dicat. *Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite.* Ecce vt peruersis obedias prælatis innuit, qui etiam male operantibus obedire iussit, vt sic ingrediaris cum Dauid fideli sub Saule nequam. Hinc 1. Petri 2. scribitur. *Serui subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis.* Præmisit autem dicens. *Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum.* Valde bene posuit, *propter Deum,* ne obediẽdum putares pagano te ad idola inuitãti, quia quidquid propter Deum fit, secundum Deum etiam fieri necesse est. Si itaq; omni humanę creaturæ id est omni homini obediendum est propter Deum, quomodo stabũt hi, qui post promissam Deo obedientiam in manu Abbatis, trãsgressores reperiuntur? Inobedientes igitur & superbos se esse testantur, qui abbatis, licet peruersi, imperiis non obediunt, neq; etiam venerantur præcipientẽ. Sed quomodo obediunt malo, qui nec bonũ venerantur? Contemnunt enim personam abbatis, & nescire volunt, quoniam Deũ irritant? Obedite fratres charissimi non solum abbati vestro, sed etiam, quod perfectius est, omni homini, saluo vestro præposito propter Deum. Non tamẽ bonis obediatis in malis, nec peruersis contradicatis in bonis. Quando aũt mandatum contemnitur, & nõ mandãs sub multiplici consideratione est. Sed quomodo possum contemnere præceptum, & obseruare præcipientem? Præceptorem diligo, mãdatum mihi porrigit, si nõ facio, nonne contemno? Multi sunt, qui se Deum diligere affirmant, mandata tamen eius non faciunt, quia negligunt aut parui pendunt, vel certe contemnũt. Si autem simpliciter contemno, grauissime peccaui, quia omnis boni contemptus crimen est malitia præcedente. Sed quid putam⁹ fratres? Si reum regiæ mortalis potestatis humanis legibus capite plecti sancitum est, quis finis contemnentium diuinam omnipotentiam erit? Si principum terræ nuncios quantumcunq; viles ad nos missos spernere timemus, qua fronte Dei electos præcones contemnere præsumeremus. Certe si aliquis Rex siue princeps terrenus pro negotiis explendis suũ stabularium mitteret ad nos, cum omni reuerentia & honore susciperemus eum, lauaremus ei pedes & manus, & omnẽ humanitatem exhibẽtes quæq; meliora ministraremus ad mensam, vt ad Dominum suum reuertens de nostra nos humanitate apud illum commendaret, & vt gratiã ipsius obtinere possemus, omni diligẽtia procuraremus. Si hoc faceremus hominis mortalis stabulario, quomodo omittere audemus idẽ exhibere Dei & Christi Vicario? An non vtilior sit nobis amicitia altissimi Dei, quam principis terreni? Ait enim Dominus *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Et quid præcipit, nisi quatenus maioribus nostris, id est, vicariis suis obediamus? Vnde ait. *Qui vos audit, me audit* &c. Spernitur autẽ abbas, quando eius mandatis, nõ obeditur, vel quando eius ordinationibus superbe resistitur, vel certe vitæ eius & doctrinæ occulte & malitiose detrahitur. Sed quid faciet? Dicat cum Propheta Domino, *Iustitiam tuam non abscondi in corde meo*; quia quod mihi intelligendum tradidisti, hoc eis aperui, feci quod potui; ipsi autem contemnentes legationem, qua me elegisti, spreuerunt me. Sed si qui tales sint, non parui pendens admonitionẽ pii Patris, sed corrigant se, ne terribilis sententia, quæ sequitur, eos apprehendat, Ait enim.

Mat. 23. obediendum etiã malis prælatis.

Quomodo superioris mandatum cõtemnatur

Similitudo.

Ioan. 15.

Luc. 10.

Psal. 39.

8

Et tunc demum in obedientibus curæ suæ obuibus pœna sit prævalens ipsa mors.

POstquam eis omnis diligentia, vt prędixim⁹, adhibita fuerit ab abbate suo, & ipsi subditi contemnunt doctrinã quoque & vitam magistri, nihil plus addere potest, quoniam si omnem exhibuit, tũc partem nullam subtraxit, erit excusatus ipse, & tunc demum inobedientib. ouib. suæ curæ sibi videlicet commissa sit pœna ipsa mors prævalens. Mors ideo prævalens dicitur, quoniam postq̃ homo à corpore exierit, iam mors prævaluit, quia se deinceps nequaq̃ emendare potest; nã apud inferos nec confessio, nec pœnitẽtia reperitur, licet pœna maxima sit. Vel certe ideo prævalens dicitur ipsa mors animæ, quia omne peccatum mortale ad mortem est, quoties ergo homo mortaliter peccat æternæ mortis iacula contra se incitat, qui postquam in mortalib. peccatis ab hac vita decesserit, iam mors animæ

nimæ prævaluit, quoniam per vitia eum impugnans obtinuit. Sic mors prævaluit in Iuda, qui postquam Dominum tradidit desperans de gratia, se ipsum laqueo suspendit, pœnam recipiens mortis, qui auctorem & vitam tradidit salutis. Sic mors in impium prævalet, quando sibi tempus pœnitentiæ abbreuiat. Ait quippe Augustinus lib. 3 de libero arbitrio. *Illa est pœna peccati iustissima, vt amittat vnusquisq; id, quo bene vti noluit cum sine difficultate posset, si vellet*, id est, vt qui sciens recte, nō facit, amittat scire, quod rectum est, & qui rectum cum posset facere, noluit, amittat posse, cum velit. Ita & inobedientibus quibus mors pœna erit, quando eis viam emendationis præcludit, nam cum potuissent obedire, contempserunt: ergo cum voluissent, non valuerunt, Mors enim corporis terminum peccandi & emendandi ipsis imponit. Ideoq; fratres carissimi dum tempus habemus, simus Deo & Præpositis nostris obedientes, vt terribilem pœnam mortis perpetuæ euadere possimus. Sed forsan dicet aliquis, Religiosum pati possum Abbatem, sed cum negligentiam Prælatorum considero, obedire contemno. Cum videro fratres me deteriores, eorum accusationes pati nolo. Quid hoc est dicere? Nonne superius Petrum audisti præcipientem, quatenus non solum bonis & modestis sed etiam Prælatis obedias discolis? Cum videris fratres teipso deteriores, deterior factus es. Audi beatum Gregorium in Moralibus dicentem. *Non valde laudabile est bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim grauioris culpæ est inter bonos bonum non esse: ita immensi est præconii bonum etiam inter malos extitisse.* Dicit autem sic conquerenti Hugo de claustro animæ. *Quare contemnis magistrum? An nescis Christum coram Pilato iudicatum? An nescis regem cæli à militibus in terra flagellatum? Tulit Christus crucem pro peccatis tuis, non pro suis, & tu virgam renuis? flagellari non erubuit coram Pilato, & tu dedignaris spoliari coram magistro? Accusatur Christus & tacuit coram militibus, vt daret nobis exemplum patientiæ, accusaris & tu, & litigas, vt sis exemplū fratribus peruersitatis & malitiæ. Quare ergo resistis spiritui sancto?* Sunt autem aliqui, quorum emendatio propter quid nescio suspenditur, qui postquā à suis superioribus corripiuntur, non amoris, sed odii fuisse putant incentiuū, nescientes quod verus amor malū non patitur, sed si cum ipsis dissimulatur, iam se diligi credunt. Sed ego contrariū noui, quoniam si quis me viderit errantē & non accusauerit me, & si noluero ei consentire vi me reuerti cōpellere distulerit, & ego sic errans ceciderim in laqueum mortis illo vidente, quid tibi videtur, an diligat me? Maledictę amor, qui à Deo separat, & ad inferna deducit. Cum itaq; accusaris & vapulas, noli discutere iudicium iudicantis, sufficit enim sibi iudicium Dei districtum, in quo omnia nuda erūt, nec quisquam effugere potest. Ipse autē Abbas videat, vt normam rectitudinis sic teneat, quatenus securus coram Deo apparere audeat, vbi se de omnibus vita & doctrina sua & subditorū rationem redditurus agnoscat. Exhibeat autem se ante omnia discipulis sanctitatis exemplar, quia pro hoc duplici corona honorandus est.

Ergo cum aliquis suscipit nomen Abbatis duplici debet doctrina suis præesse discipulis, id est omnia bona & sancta factis amplius quam verbis ostendat, vt capacibus discipulis mandata, Domini verbis proponat; duris vero corde & simpliciorib⁹ factis suis diuina præcepta demōstret.

HInc etenim Paul. Tito Episcopo scribit. *In omnib. te ipsum præbe exemplū bonorum operū in doctrina, integritate, in grauitate.* Cum ergo aliquis suscipit nomē Abbatis, id est officium, duplicem doctrinam eum decet habere, videlicet efficaciam sanæ doctrinæ, & exemplum bonæ actionis, quoniam alterum sine altero non sufficit Abbati. Vnde ait Isidorus de summo bono. *Tam doctrina, quā vita clarere debet Ecclesiasticus Doctor; nam doctrina sine vita arrogantem reddit, vita sine doctrina inutilem facit.* Studeat igitur Abbas suis præesse moribus & doctrina, quia prius requirenda est vita, quam scientia, & qui male viuendo bene docere præsumit, aliis quidem vtilis esse poterit, se ipsum autem male viuendo interficit, Vnde iterum Isidorus vbi supra. *Qui bene docet, & male viuit, seipsum occidit.* Si autem Abbas exemplo bonus præcedit, & ignorantia vel quolibet alio impedimento detentus suos ad imitandum exhortari non valet contra regulam simplici doctrina, & non duplici

duplici, vt iubet, suis præest discipulis. Veruntamen melior est Abbas simplex & rectus sine doctrina, quam alta sapiens & iniquus sine vita. Quid enim proficit homo alios bene docendo, si omnes lucretur, & male viuendo detrimentum sui patiatur? *Validiora quippe exempla sunt, quam verba, & plenius opere docetur, quam voce.* Ratus est pastor, qui hanc duplicem doctrinam perfecte, vti necessarium foret, possideat. Videmus enim viros simplices sine magna literatura rectos & pios à Deo & hominibus dilectos, qui neminem prorsus verbo docere possunt, sed exemplo bono multos erudiunt. Fateor noui virum quendam, Abbatis nomine insignem, virum simplicem & rectum iudicio omnium, cum quo conuersatus aliquando magis ædificatus fui in eius silentio, quam in plurimorum sapientium eloquio. Quidnam est scientia sine vita, nisi pannus menstruati? Alios videmus Ecclesiæ & animarum sanctarum rectores, qui os suum ponunt in cælum, & lingua eorum transit in terris, multos docent verbo, sed plures destruunt exemplo, alios vt vitia corrigant, exhortari non cessant, & tamen sua nequaquam emendant, alios præmittunt ad cælos, & ipsi in infernum descendunt. Subtiles in conuentu plurimas quæstiones mouere sciunt, soluere quoq; citius possunt, sed definitionem fidei, quæ est in operibus caritatis minime nouerunt, quare velut æs sonans ablq; motu vocem habent. Si ergo cum ad electionem procedendum est, qui in hac duplici doctrina expertus sit Abbatem inuenire non possumus, melius est simplicem rectum, qui doctrinam habeat in opere eligere, quam doctum verbo, superbum sine exemplo præponere, nisi forte aliorũ perditione cauenda vn⁹ pericliteturſed hoc bonum, non quoniam necesse est. Exemplaris sibi quidem prodest per vitam; sed quia aliis subtrahit doctrinam, non bene sibi competit præesse. Ait enim beatus Hieronymus in epistola. *Sancta rusticitas solum sibi prodest, & quantum adificat exemplo, & vitæ merito Ecclesiam Christi, tantum nocet, si destruentibus non resistat. Et innocẽs. absque sermone conuersatio quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet. Nam latratu canum, & baculo pastorum, deterrenda est rabies luporum.* Ideoq; dicit beatus Greg. in pastorali. *Sit rector actione præcipuus & viam vitæ subditis viuendo denũciet & grex qui pastoris vocem, moresque sequitur, per exempla melius, quã verba gradiatur.* Vnde etiã dicit Isidor. *Sacerdotis prædicatio operibus confirmanda est, ita vt ꝙ docet verbo, instruat exemplo. Vera enim est illa doctrina, quam viuendi forma præcedit. Nam nihil turpius est quam si bonum quod quisq; prædicat, explere opere negligat.* Ait enim Bern. in epistola. *Pulcherrimus ordo est & saluberrimus, vt onus, quod portandum imponis, tu portes prior, & ex te discas qualiter oporteat aliis moderari.* De hac duplici doctrina dixit Dominus Petro Ioannis vltimo. *Simon Ioannis diligis me plus his? dicit ei. Etiam Domine, tu scis, quia amo te. Pasce oues meas.* Quid sibi vult trina ouium commendatio? Per enim commendauit ei pascere oues, vt insinuaret, qualiter cęteris præesse debeat, ac si diceret. Pasce verbo: pasce exemplo, pasce opere, pasce verbo eos in fide, & bonis moribus instruendo, pasce exemplo eos præcedendo, pasce opere eis necessaria cum omni solicitudine ministrando. Ait Beda in homilia quadam. *Pasce re ergo oues Christi, est credentes Christo, ne à fide deficiant, confirmare, & vt in fide magis magisq; proficiant instanter operam dare.* Et vt scias quia rector animarum subditis omnem solicitudinẽ exhibere etiam habet in his, quæ corpori sunt necessaria, idem venerabilis Beda subiunxit. *Quamuis solertius intuendũ, quod eadem pastio gregis dominici non vniformi, sed multimoda est solicitudine gerenda. Nam & terrena subsidia necesse est, vt subditis rector, ne desint, diligenter prouideat, & exempla virtutis simul cum verbo prædicationis eisdem solicitus impendat; & si quos aut spiritalibus aut etiam communibus eorum commodis aduersantes, deprehenderit, horum violentiæ, quantum valet, obsistat, ipsosq; cum errauerint subiectos iuxta psalmistæ vocem corripiat iustos in misericordia & increpet, neque oleo noxiæ consensionis eorum corda demulceat.* Qui enim parcit virgæ, filium odit, & verus parer non est. Quisquis ergo ad regimen animarũ eligitur, & omnibus debitor fit, necesse habet se omnibus præbere formam vitæ sicut scriptum est. *Super montem excelsum ascẽde tu, que euãgelizas Sion.* Quare iubetur ascendere in montem excelsum, nisi vt populi sui mala futura prævideat? In mõtem itaq; excelsum ascendit, qui opere ostendit, quod docet, Ascende super mõ-

tem

S. Leo serm. de S. Laurẽtio.

Abbas bonus sine doctrina melior, quam doctius sine bonitate.

Greg. 2. part. c. 3.

Isid. c. 36. lib. 3. de summ. bono.

Bern. ep. 201.

Ioan. 21.

Beda.

Hier. in epist.

Isa. 40.

tem bonorum operum excelsum, qui subditis tuis verbum salutis impēdis, quare tibi doctrina sine opere iudicium est, & subditis vita absque doctrina insufficiens est. Vnde dicit Isidorus libro de summo bono. *Vnusquisq; Doctor & bonæ actionis & bonæ prædicationis habere debet studium. Nam alterum sine altero non facit perfectum, sed præcedat iustum bene agere, vt sequenter possit bene docere.* Si ergo vis alios docere, vt bene viuant, stude teipsum prius exercere, vt bene præcedas. Nam doctrina Abbatis sine exemplis, aut exempla sine doctrina, quæ vtilitas in vtrisq; ? Quantum sibi prodest bene viuendo, tantum subditis nocet tacendo. Doctrina autem cum exemplaritate, & exempla cum doctrina optime in Abbate conueniunt. Quare? *Vt capacib. discipulis mādata dominiverbis proponat, duris vero corde & simplicibus factis suis diuina præcepta demonstret.* Sufficit enim intelligentibus verbum salutis ad salutem, quia sibi attinet, alienum non aduertunt. Sicut namq; in principio fidei Christianæ duris corde gentilibus ad confirmationem miracula dabantur, vt crederent, ita nunc intelligentibus Christianis verba sufficiunt, quoniam fidei sanctæ prædicationis capaces sunt. Et nota quod non simpliciter in textu ait, duris, sed apponit corde, quia non requiritur hic ingenium subtile ad discendum, sed cor dirigibile ad suscipiendum verbum salutis. Sunt enim pleriq; duri cordis, qui ea, quæ dicuntur, aut credere nolunt, aut certe si credunt, tamen indurari paruipendunt, & his necessarium est exemplum bonū, vt vel confusi emendentur, vel conuersi confirmentur. Scriptum est enim. *Stultus verbis non corripitur.* Porro capacibus, vt dictum est, & intelligentibus, verbum sufficit docentis. Abbas autem, qui sapientibus & insipientibus debitor est, duplicem doctrinam teneat, vitam sanctam pro duris, verbum rectum p capacib⁹. Et ante omnia vita doctrinam præcedat, quia fiducialiter docetur, quod opere prius impletum est. Ait enim Ambrosius super, beati immaculati. *Ante vita, quam doctrina quærenda est: nam vita bona sine doctrina gratiam habet, doctrina sine vita integritatem non habet.* Et Gregorius, *doctrina cum omni imperio docetur, quæ prius agitur, quam dicatur.* Nam doctrinæ subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam. Si præsumis docere alium, & nō corrigis te ipsum, velut fundibulum factus es, quod lapides iacet ex machinis, ipsum tamen semper remanet intra. Ait igitur Origen. *Clausum habeat os peccator, quia qui seipsum non docuit, alium docere non potest.* Sed heu, quam multi hodie inueniuntur prius docere quam discere, sed fructus eorum non manet, quoniam non dederunt eum in tempore suo. Ille namque fructum non in suo tempore dat, qui prius incipit docere, quam discat, & ante Prælatus fit, quam subditus, ab aliis exigit obedientiam, quam Prælato nūquam exhibuit. Sed vere miser est, qui ante cōpulsus est docere, quam discere, ante pręsumens bonum prædicare, quam facere.

Isid. l. 3. c. 36.

Prou. 18.

Abbas vita prius doceat quam doctrina.

Ambros.

Gregor.

Origenes hom. 38. in Leuit.

Est ergo doctrina duplex, videlicet morum, & verborum, qua quilibet Abbas suis debet præesse subiectis, prima exemplaris, secunda vocalis. Sicut canis claudicans gregem defendere non valens iacet in fimo: ita Abbas vitiosus sedens in claustro. Et quomodo mutus non potens clamare; ita Abbas indoctus nequit docere. Si vis esse Abbas, exemplaris sis in opere, & vtilis sis in sermone, alioquin Abbas non es, & nomen sine opere portas, fac prius quod doces, nequisquam dicat apud se, hic nos ducere præsumit, & se ipsum non valet portare. si ergo bonum est, quod dicis, fac primo & sequemur te. Valde enim ridiculosum est, si coruus coruo suam obiicit nigredinem, cum & ipse niger sit. Prælatus itaq; erga subditos sic se habeat, vt si aliū corrigere tentauerit, nemo sibi dicere possit. Abba medice quæso, cura teipsum. Ergo regimen qui suscipis animarum, sis forma vitæ beatæ quam subditos sequi velis. Nam turpe est Abbati, qui aliorum vitia curat, si culpa ptopria silere cogatur. Quare si praua alterius corrigere tentet, stultū nimis esse videtur cum propria non tollat. Hinc Isidorus ait, *Non debet vitia aliorum corripere, qui adhuc vitiorum contagionibus seruit. Improbum est enim arguere quidquam in alio, quod adhuc deprehendit in semetipso.* Quid proderit tibi verbo docere, si linguæ vita repugnet; vita bona tibi doctrina fidelis subiecto. Qui bene docet & male viuit, verbis quidē frondescit, sed non

Isid. l. 3. de summo b. c. 32.

est

est fructus in actu, ore pluit aliis, sed sine rore manet sibi. Vnde rursus ait Isid. *Qui bene docet, & male viuit, videtur vt cereus, qui aliis bonam ex se potest lucem præstare, se vero in malis suis consumere atq; extinguere,* Prælatus autem mundus esse debet in opere & efficax in doctrina, quoniam sicut locum Christi occupat, ita etiàm officium suum sacris debet ornare operibus. Prædicatores enim & Prælati ecclesiæ lux à nostro Saluatore dicuntur, sicut ait, *Vos estis lux mundi.* Si ergo de natura lucis sumus, absq; dubio lucere debemus, Vnde subiungitur, *Videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.* Lux mundi sunt Prælati, lucem vero dant à se cum per bona opera subditis viam ostendunt salutis. Debent quippe Prælati & animarum gubernatores lucere vita & doctrina, quare si sola doctrina luxerint absque vita seipsos gladio propriæ increpationis condemnant, & sermonē sine fructib. reddūt. Vnde ait Greg. *Cuius vita despicitur, restat vt eius prædicatio contemnatur.* Sit igitur Abbas sanctus exemplo, facundus dogmate, vt sciat, quid faciendum, quidue vitandum sit sibi suisq;. Sit suauis alloquio sicuti oportet stabilis mente, fauore placens, pax & scientia reprimat iram, fastum patientia, luxum abstinentia sobrietas, odium gratia, probra decus. Sit ei vita decens iuxta quod dicitur Abbas, discretio prouida, iustum consilium, fama nitens, intemerata fides ad Deum vt ad Deum, ad hominē vt decet ad hominem, pietas ad omnes, & quidquid putat esse bonum, ita vt scit ipse prius opere adimplere studeat, quod autem malum est nunquam in suis operib. faciendum demonstret. Nam quidquid Abbas fecerit, hoc sibi subditi faciendum deputant. Vnde prouerbium extat, Abbas dū tesseras portat, monachis ludere licet. Caue at ergo ne suo malo exemplo & suam doctrinam faciat infructuosam, & corda discipulorum auersa. Ideoq; apte subiungitur.

Isid. 16.c. 37.

Matth.5.

Gregor. hom.12. in Euan.

Omnia vero quæ discipulis docuerit esse cōtraria, in suis factis indicet non agēda, ne aliis prædicans ipse reprobus inueniatur.

Sicut in præmissis S. pater noster Benedict. adhortatus est Abbatem ad bonū exemplum subditis dandū, ita iam eum admonet. quatenus malū, quod prædicat cauendū, ipse primus caueat, ne per malum, quod admittit, spernatur etiā bonū, quod fecit, quia si quis in aliquo opere laudatur, & in alio vituperatur adhuc exēplaris non est, neq; imitādus. Si ita q; subditis prædicat malum esse, loquacitati operam dare, non sit ipse loquax necesse est. Si murmurationes, si detractiones, si pigritia, si luxuria, si ebrietas, si odium, si superbia, si acedia, & alia quæq; vitia mala sunt, nulli subiaceat ipse, & sic credere possunt subditi quod hoc malū sit, quod suum Prælatum vitare considerant. Cōtraria est monacho superbia, caueat igitur Abbas, ne magn⁹ appareat aut superbus, & quia ipsam subditis fugiendā prędicare debet, fugiat prior ipse, scriptum memorans. *Quanto magnus es, humilia te in omnib.* Et iterū. *Rectorem posuerūt te noli, extolli sed esto inter illos quasi vnus ex eis.* Si de singulis quibusq; animæ contrariis dicere possim, vt si ea discipulis nouit contraria, prior fugiat ipse. Quid putamus fratres, si dixerit lupus ad lupum noli deuorare, sic Abbas vitiosus ad subditum, noli peccare. Sicut qui cæcum auisat de fouea, ducens eum ad viam rectam, & ipse cadit in eam, sic Abbas superbus vel arrogans, qui subdito de humilitate prędicat. Veruntamen nostra est doctrina, Abbatis autem sua vita, si perfecti essemus non iudicaremus aliena. Sed est considerandum, quod multa fiunt à Prælatis bona, quæ tamen subditis mala vidētur, & hoc ex eo, quia se aliquid putant scire quod nesciunt, & esse quod non sunt. Tribulationes quoq; superiorum non attendūt, & occupationes, sed quomodo ipsi sentiunt, sic putant esse faciendum, & quod secus factum fuerit, illud dicunt non bene actum. Egressus Prælatorum iudicant, causas ignorant, suspicioſi curiosius omnes actus superiorum obseruant, quatenus vel sic occasionem aliquam aduersus eos habere valeant. Tales Prælatorum dignitātem non reuerētur; nec potestatem timēt, sed abutuntur lege claustrali, & claustri statuta turbāt, sup cibo & potu faciliter murmurāt, & impatiētissimi esse ꝓbātur. Sed & è conuerso Prælati inueniuntur, qui iustæ suspicionis causam subditis relinquunt, quamuis Prælatus à subdito non debeat iudicari,

Abbas exemplo præire debet subditis.

Eccl.3.

Eccl.31.

Subditorum temeraria iudicia.

cari, quando fugiunt, quod præcipiunt, grauia enim onera & importabilia imponunt, & ea digito mouere nolunt. Hoc quilibet Abbas summopere cauere studeat, ne de se subditis iustam causam contemptus relinquat. Sed rarum valde est, vt vnus Abbas omnibus subditis placeat, quin potius frequentius contingat, vt vnus omnium odia portet, & omnes contra vnum, vel vnus contra omnes agitetur. Omnia autem, quæ Abbas suis discipulis dicit, non expedire, opere verba confirmet, quia si malum putat esse subditis delinquere in regularibus institutis, sciat quoniam omnes ad magistram regulam respicere iubentur, à qua nec Abbas eximitur. Vnde capitulo 64. de ordinatione Abbatis dicitur. *Et præcipue vt præsentem regulam in omnibus conseruet.* Quid hoc sibi vult, vt regulam conseruet in omnibus, nisi vt nullus temere declinet abea? Tam Abbas quam Monachi omnes regulam conseruare summo studio debent, multo plus tamen ille, qui aliis in regimine præfertur. Studeat ergo se talem subditis exhibere, vt omnis vita eius & actio subditorum lectio sit.

Psal. 49. *Ne quando dicat illi Deus peccanti. Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos post te.*

PRohibet prædicatores peccatores, quia indignum se iudicat fieri doctorem, qui opera non trahit ex verbis, & alios periculose docet, qui se ipsum male viuendo destruit. Hinc Augustinus ait, super Psalterio in eodem versu. *Vt quid tu enarras iustitias meas? Vt quid tu, quod tibi non prodest? Admonet illum vt audiat, non vt ponat prædicationem, sed vt assumat obedientiam.* Qui Dei sermones cum loqui possit, occultat cum seruo nequam, pœnas excipiet, & qui eos loquitur, & non facit cum dæmonibus Deum quidem credentibus, sed non honorantibus, vt fur arguetur & punietur. Nihil ergo melius bona vita, nam sibi mens boni conscientia vbique secura est, inique autem agens nec inter bonos quiescere potest. Caueat Abbas, ne quando, id est, aliquando illi peccanti Dominus dicat, quare tu enarras iustitias meas? Indignus es officio prædicatoris, aliis prædicas bona, & tibi mala accumulas, promittis aliis cælum, & tu descendis in infernum, alios bonos vis esse, & tu reprobus factus es. Vt quid tu ergo enarras iustitias meas? An ignoras quia *regnum Dei non est in sermone, sed in virtute?* Prius enim vita quam doctrina requirenda est. Plus nunc placet tacens virtuosus, quam iniquus verbosus. Quid proficis, si tuo sermone omnes lucreris, & detrimentum tui patiaris? Aut quid tibi prodest, si omnes tua prædicatione saluentur, & tu solus damneris? Forsitan respondes. Etsi ego damnatus fuero, tamen adhuc omnes velim saluos fieri. O fatue in inferno nunquam fuisti, pœna propositum mutat. Malus amor & caritas pessima, quæ separat à Deo. Nõ iuberis animam tuam dare ad infernum pro proximo, neque sic diligere aliquem, vt Deum diligere non possis. Voluptas tua & vita peruersa, nulli caritatis sunt, neque dilectionis Christi: fac tu quod alium facere iubes, & tunc caritas est, si saltem caritas sermo tuus fuerit. Si enim male facere iubes, prædicator non es, sed homo diabolicus, nec facere debes, quod male iussisti. Porro si verus prædicator & discipulus Christi fieri vis, fac primo, quæ iubet Deus, deinde & alios sermones Dei doce, ne si prius docere præsumpseris, quam facere, reprobus efficiaris. Et quidquid præcipis vel doces, noli sapiens esse apud te ipsum, sed caritas DEI, non ambitio tui te docere compellat, ne tibi dicatur, *Tu vero odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos post te.* Quæ dicuntur à te quasi bona, proiicis post te tanquam mala, quare disciplinam meam odisti, id est, correctionem, vel vitam religiosam, quæ tota disciplinalis esse debet? Et quomodo audes alios docere, quod tu non fecisti? Tu vero odisti eruditionem & disciplinam. Ait Augustinus, *Quando parco, cantas & laudas: quando castigo, murmuras, quasi quando parco, sim Deus tuus.* Et in alio Psalmo Propheta Domino de peccatore loquitur dicens, *confitebitur tibi, cum benefeceris ei domine.* Sunt enim multi amici tempore pacis, sed necessitatis hora omnes recedunt: ita & Deum plurimum diligunt, cum eis omnia ad voluntatem succedunt, sed si modicum tentantur, vel ad momentum à DEO

1. Cor. 2.

Prædicator & aliena, & suæ salutis curam habere debet.

Psal. 49.

Psal. 48.

deserantur, statim murmurant, & Deum, quod abominabile est, blasphemare non verentur. Tales sine dubio Dei disciplinam oderunt, & sermones ipsius abiiciunt. Certe non parcit DEVS peccantibus: vel hic satisfacient, vel in futuro, quare etsi misericordiam suam nemini subtrahit, iustitiam tamen suam nequaquam ostendit, non autem quasi iustitia cadat in Deum vt accidens, sed quoniam Deus ipse iustus est & misericors non
Deut. 32. casu, sed Deifica natura. Vnde scriptum est, *DEVS Iudex iustus, & rectus est.* Ait
Isidor. l. 3. de summo b. c. 1. quippe Isidorus, *Neque iusto, neque reprobo Deus misericordiam & iudicium subtrahit. Nam & bonos hic per afflictionem iudicat, & illic per misericordiam remunerat: & malos hic remunerat per temporalem clementiam, & illic punit per æternam iustitiam. In hac vita Deus parcit impiis, & tamen non parcit electis, in illa autem parcet electis, non tamen parcet iniquis.* Siue ergo potens correptio per disciplinam designetur, siue austera vita, omnis ille DEO odiosus est, qui disciplinam odit ipsius. Vnde prouerbiorum
Prou. 4. 4. scriptum est, *Tene disciplinam, ne dimittas eam, custodi illam, quia ipsa* est vita tua. Duplex est autem disciplina, interior videlicet & exterior. Interior disciplina est per correctionem cordis, correctio morum. Exterior vero per afflictionem carnis, correctio actionum. Exterior compunctionem generat interiorem, quia dum mens spargitur ad exteriora, reuertitur ad quietis amorem. Quid est *tu odisti disciplinam?* Puto si de Prælatis dicitur,
Disciplinam quis oderit. duplicem speciem intelligentiæ habet. Primo enim potest intelligi de quolibet Prælato, qui suos subditos propter eorum excessus corrigit, & tamen vult, vt patiētes sint, sed quam cito ipsum à Deo propter sua peccata corripi contigerit, non solum patiens non est, sed etiā contra DEVM murmurat. Hic talis absque dubio disciplinā odit, & sermones Christi proiicit post se: quia non vult videre vitam suam quasi malam, sed se reputat iustum. Secundo disciplinam odit Prælatus, quando à subditis suis dedignatur auisari. Est tamen notandum, quod subdito non licet Prælatum suum quamuis vitiosum superbe contemnere, vel ei sua allegare delicta, sed humiliter eum potest auisare, quia Deus iudex est ipsius,
Psal. 81. sicut scriptum est, *DEVS stetit in synagoga Deorū: in medio autem deos diiudicat.* Qui sunt dii isti iudicandi, nisi rectores & Prælati animarum? Hos DEVS in synagoga eorum stans iudicat, quando in medio subditorum in futuro examine eorum regimina & actus examinat. Dicetur enim eis peccantibus. Quare vos assumitis testamentum meum per os vestrum? Caueat quisque Abbas hanc incidere sententiam, quæ subditur.

Et qui in fratris tui oculo festucam videbas, in tuo trabem non vidisti. 12
Matt. 7.

DE Prælatis, qui alios bene viuere volunt, male viuentibus hoc dictum est: quia si fratrem in prauo viderint errantem culpas aggrauare sciunt, & suas maximas negligentias non ponderant. Sic quilibet Abbas male viuens licet Dei zelum videatur habere, suos subditos culpas dilatando in infernum deiicere scit, & se ipsum iam in peccatis mortuum non considerat, quia si fratrem silentium frangere deprehenderit, pœnas eidem duras iniungit, ipse autem tota die sedens fabulando non tantum otiosa, sed etiam plerumque noxia sine pœna transit, nec se quidem deliquisse putat, & quod in alio deprehendit, in se metipso non considerat. Nonne talis in oculo fratris festucam videt & punit, & in se ipso trabem non videt? Videt fratrem suum ridentem, & se non videt irascentem. An ista consideratio non sit hypocrisis? Eiice primum trabem de oculo tuo, & sic demum poteris videre festucam in oculo fratris. Quicunque enim vult vitia corrigere aliorum, debet primo corrigere se ipsum. Aut quomodo potest cœcus dicere cœco, veni præbeam tibi ducatum? Si enim cœcus cœcum ducat, ambo in foueam cadunt. Si vis in fratre arguere, quod deprehendis in te ipso, nonne contra conscientiam agis? Porro qui facit contra conscientiam, ædificat ad gehennam. Oportet ergo Prælatum esse irreprehensibilem, sine crimine, bonæ vitæ & famæ, quia potestas correctionis tollitur, vbi propriæ negligentiæ reatus inuenitur. Exhibeat se talem necesse est subditis, vt si rigor in eo consideratur, nemo tamen eius vitæ & moribus detrahere possit. Valde enim indecens est, vt is vitia aliorum corripiat, qui

adhuc

adhuc propriis deseruit. Ait autem Chrysostomus. *Circa vitam tuam esto austerus, circa aliorum benignus, audiant te homines parua mandantem, & grandia facientem.* Si quis enim malus malos corrigere præsumit, sicut nudus, qui alium vestire promittit, alium vult esse iustum, & ipse remanet iniquus, Qui debet immunditias tergere aliorum, oportet quod ipse ab omni immunditia existat alienus. Ait enim Isidorus. *Non sunt promouendi ad regimen Ecclesiæ, qui adhuc vitiis subiacent.* Sequitur.

Chrysost. hom. 43. in Matt.

Isidor. l. 3. ca. 34.

Non ab eo persona in monasterio discernatur, non vnus plus ametur, quam alius, nisi quem in bonis actibus aut obedientia inuenerit meliorem.

HINC ait Ambrosius super Malachiam. *Inter omnia peccata Sacerdotum maximum est, quod non causas, sed personas considerant, & despecto iusto paupere iniustos diuites honorant.* Dicit autem Isidorus, *Non est in iudicio persona discernenda sed ratio & causa. Scriptum est enim, Non accipies personam in iudicio. Et iterum, Non misereberis pauperis in iudicio.* Non ergo ab eo persona in monasterio id est inter suos Monachos accipiatur nec discernatur, quia ipsos regere debite non potest, si odium vel amorem aut personam seu cõmodum proprium attendit. Vnde dicit Gregorius in homilia *Iudicare digne de subditis nequeunt, qui in subditorum causis non merita sed odium vel gratiam quærunt* Hinc Iacobi 2. dicitur, *Fratres mei nolite in personarũ acceptione habere fidem Domini nostri IESV Christi gloriæ. Etenim si introierit in conuentum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum, qui veste indutus est præclara, & dixeritis ei tu sede hic bene, pauperi autẽ dicatis, tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum, nonne iudicatis apud vosmetipsos & facti estis iudices cogitationũ iniquarum?* Super quibus verbis dicit Aug. *Si hanc distantiam sedendi & standi ad honores Ecclesiasticos referamus, non est putandum leue esse peccatum, in personarum acceptione habere fidem Domini gloriæ. Quis enim ferat eligi diuitem ad sedem honoris Ecclesiæ contempto paupere instructiore & sanctiore?* Sed posset aliquem mouere illud Matthæi 24. *tunc duo erunt in agro. vnus assumetur, & vnus relinquetur; duo in lecto, vnus assumetur, & vnus relinquetur,* cum non sit apud Deum iniquitas, sed Deus, vt dictum est, vnum assumit per gratiam, & alium in peccato relinquit, an ibi non sit personarum acceptio? Absit. Non enim est personarum acceptor Deus. Sed ad satis faciendum quæstioni, audiamus, quid dicat S. Thomas Aquinas in secunda secundæ, quæst. 63. Ait enim, Æqualitas iustitiæ distributiuæ consistit in hoc, quod diuersis personis diuersa tribuuntur secundum proportionem, & dignitatem personarum, cui opponitur acceptio personarum. Si ergo quis considerat illam proprietatem personæ propter quam id, quod ei offertur est ei debitum, non erit acceptio personæ, sed causæ. Hinc super illud in epistola ad Eph. 6. *Non est personarum acceptio apud Deum,* dicit glossa, quod iustus Iudex causas discernit, non personas, puta si quis aliquem promouet ad magisterium propter scientiæ sufficientiam, hic attenditur causa debita, non persona. Si vero talis solum attenderet personam, vt quia amicus est & cõsanguineus, tunc esset acceptio personarum, cui non tribueret propter causam, quæ faceret eum dignum, sed solum propter personam, vt quia potens est, vel diues, aut sanguine vel familiaritate coniunctus. Et ista personarum acceptio non tantum in spiritualium siue temporalium dispensatione, sed etiã in honoris exhibitione, dum videlicet plus honoramus faciem potentis, quam pauperis, sicut Iacobi 2. scriptum audiuimus, consistit. Vnde dicit Hugo, *Acceptio personæ est quædam fatuã reuerentia exhibita alicui non causa debita, sed propter timorem vel vtilitatem.* Vbi personarum acceptio est, ibi iustitia esse non poterit, quare opponitur iustitiæ discretio personæ, sicut humilitati superbia. Ait namque Isidorus, *Iniqui iudices errant in veritate sententiæ, dum intendunt in qualitatem personæ, & exulcerant sæpe iustos, dum improbe defendunt iniquos. Qui autem recte studet præsidere, nec partem palpare nouit, nec cohibere à iustitia didicit.* Acceptio personarũ quandoq; locum habet in iudiciis conferendis, quod corrumpitur amore vel odio, timore vel cupiditate: quandoq; vero in spiritualium dispensationibus locum habet, quorum Prælatus Ecclesiasticus non

Gregor.

Augustin. ep. 29. ad Hieron.

Acceptio personarum in quo consistat.

Hugo.

Isidor. lib. 3. c. 57.

est Dominus, vt ea dare possit pro libitu, sed tantum dispensator, & ideo necesse est, vt qui Abbatis fulcitur dignitate Deũ ante omnia timeat. quare nihil hominẽ adeo omnibus reddit æqualem, sicut cũ se iudex Deo cognoscit redditurum de sua dispensatione rationẽ. Vnde scriptũ

Eccl. 7. est. *Memorare nouissima tua, & in æternũ non peccabis.* Præterea notandũ est, quod quilibet Prælatus suorũ subditorũ iudex est

* eorumq; iurisdictionem habet maxime, si à nullo alio potestate qualibet impeditur. Iudex autem famulus est iustitię, quę est regina virtutũ; qui ergo iustitiã vendit dominã suam procul dubio tradit cõtra præceptũ Domini dicentis, *gratis ac-*

Matt. 10. *cepistis, gratis date.* Quid est iustitia, nisi quæ vnicuiq; reddit, quod suum est? Qui vero iustitiam sub personarũ acceptione diuidit, ex iustitia iniustitiã facit, quæ nõ solet personas discernere, sed causas & qualitates meritorum. Iudiciũ subuertit, qui personã non causam discernit. Vnde

Augusti. 11. q. 3. c. quicunq;. Augustinus, *Quicunq; aut consanguinitate, aut amicitia, vel hostili odio, vel inimicitiis in iudicando ducitur, peruertit iudiciũ Christi, qui est iustitia, & fructũ illius vertit in damnationis amaritudinẽ.* Ergo si lis inciderit te iudice, dirige libra iudicii æquã, nec flectat te amor, nec munera palpent, nec mentẽ stabilem moueat acceptio personæ, nam iudicium peruertit, vt dixi, qui respicit personã. Redde igitur vicem meriti, quã debes, perfidiæq; talionem. Sed quod de iudicio scribimus iudicum secularium, hoc quoq; suo modo de religiosorum Prælatis sentimus, qui suos æque iudicare habent sine acceptione personarũ vt præsens canit textus, sine munere videlicet cõmoditatis, ne sententiam Domini in ore Prophetæ audiant dicentis Michææ. *3. Principes eius in muneribus iudicabãt, & Sacerdotes eius in mercede docebant.* Et si forte Abbas à suis subditis non potest accipere aurum & argentum, eo quod sint tam ei, quam ipsis omnia cõmunia, munera tamen ex iudicio accipit, quoties delinquentem propter cõmodum & quietem suam corrigere negligit, timens si inquietum arguere præsumpserit odiũ vel indignationem consanguineorum suorum incurrat, aut certe sui honoris gradum amittat. Quis sapiens & intelliget hoc? & cognoscet sic multos fore iudices claustralium, qui neq; aurum neq; argentum de manibus subditorum accipiunt, & tamen in muneribus iudicant. Cõtra quos loquitur Dominus Isaiæ 5. dicens, *Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo.* Et de peccatoribus scriptum est Numerorum c. 35. *Non accipietis pretium ab eo, qui reus est sanguinis.* Grande peccatũ faciem accipere diuitis, & causam abiicere pauperis, quoniam iudicabit pauperes suos Dominus, & patientia pauperum non peribit in finem, diuites autem dimittit inanes. Ait quippe Innocentius de cõtemptu seculi. *Pauper clamat, & nullus exaudit, loquitur diues, & quilibet applaudit. Diues locutus est, & omnes tacuerũt, & verbum illius vsq; ad nubes perducunt. pauper locutus est, & dicunt. Quis est hic? Non offendentem pauperem subuertũt, & diuitẽ reum iustificant. sed ve his, qui impium beatũ dicunt. Clamat pauper vim patiens & nullus exaudit, vociferatur & non est, qui iudicet; diuiti dicũt. Tu sede hic bene. Pauperi vero aiunt. Sta tu illic, vel sede sub scabello pedum meorum.* O peruersitas insipientissima generis humani. O superbissima mentium miseria, quos Deus elegit, tu ponis sub scabello pedũ tuorum, & quos abiecit tu honoras, assurgis intrantibus, ipsis das locum supremum, quorum cõuersatio Deo displicet, tibi prouincia placet. An ignorans scriptum? *Deus elegit pauperes in hoc mundo.* Et de diuitibus audi dominũ. *facilius est,* inquit, camelum *per foramen acus transire, quã diuitem intrare in regnum cælorum.* Nec tamẽ diuites dico exhonorãdos, sed nolo sperni pauperes, quoniã in hoc Christus plus honoratur, qui ad pauperes venire non dedignatus est, si ipsos amamus, quos ipse elegit. Vnde ait Augustinus in sermone, *Absit Domine, vt in tabernaculo tuo præ pauperib. accipiantur personæ diuitũ aut præ ignobilibus nobiles, quãdo potius infirma mundi elegisti, vt confundas fortia.* Acceptio autem personarum non tantũ in bonorum largitione, vel iudiciorũ prolatione, sed ẽt in honorum exhibitione est, quare honor nihil aliud esse videtur quã quædam reuerentia in testimoniũ virtutis alicui exhibita vt patet per Philosophum 1. Ethicorũ & ideo virtus sola est honoris debita causa. Aliquis tamẽ honorari potest non tantũ propter virtutẽ propriã, sed ẽt propter virtutẽ alterius vel officium, sicut Principes & Prælati honorantur etiãsi sint mali in quãtũ gerunt personã Dei &

Innocent.

Inuehitur in cõtemptores pauperũ.

1. Cor. 1.

Matt. 19.

Augusti.

Prælati, licet mali, cur honorandi.

com-

communitatis, cui præficiuntur, & in quantum à Deo habent poteſtatem. Vnde ait Gregorius 25. Moralium. *Si autem magiſtrorum vita iure reprehenditur, oportet vt eos ſubditi etiam cum diſplicent, venerentur.* Et Iſidorus. *Cham filii Noë ſententia damnantur, qui ſuorum Præpoſitorum culpas in publico produnt, habituri Sem meritum & Iaphet, ſi reuerenter operiunt.* Et Boëtius libro 4. de conſolatione. *Non poſſumus ob honorem reuerentiæ dignos iudicare, quos ipſis honoribus iudicamus indignos.* Et ſimiliter parentes & Domini, ſi ſint mali propter participationem diuinæ dignitatis, qui eſt omnium pater & Dominus honorandi ſunt. Vnde Exod. 20. dicitur. *Honora patrem & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram.* Et de honore Dominorum in prima epiſtola ad Timoth. 6. dicitur. *Quicunq; ſunt ſubiugo ſerui Dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blaſphemetur.* Senes etiam honorandi ſunt propter ſignum virtutis, quod eſt ſenectus. Vnde Leuitici 19. *Coram cano capite conſurge & honora perſonam ſenis.* Diuites quoque honorandi ſunt ſecundum Thomam ſecunda ſecundæ quæſtione 63. pro eo, quod in communitatibus maiorem obtinent locum. Si vero ſolo intuitu diuitiarum honorentur, id eſt, vt credantur meliores, quia ditiores, vel etiam honoribus Eccleſiaſticis digniores, ſecundum Auguſtinum eſt peccatũ acceptionis perſonarum. Vnde glo ſuper illud Iacobi 2. *Nolite in perſonarum acceptione habere fidem*, Quicunque diuitem propter diuitias honorat, peccat. Secus tamen eſſet, ſi diues honoretur, vt ſcandalum eius & aliorum euitetur, ita tamen, quod pauper non contemnatur, nec diues in peccato ſuo foueatur. Pauperes etiam honorandi ſunt, quia in ipſis CHriſtus magis veneratur. Vnde ſcriptum eſt, *Et pauperes ſuos non deſpexit.* Et Iacobi 2. *Nonne DEVS elegit pauperes in hoc ſeculo?* Et ſequitur. *Vos autem exhonoraſtis pauperem.* Vnde etiam beatus Benedictus capitulo 53. de hoſpitibus ſuſcipiendis ait, *Pauperum & peregrinorum maximæ ſuſceptionis cura ſolicite exhibeatur, quia in ipſis magis Chriſtus ſuſcipitur:* nam diuitum terror ipſe ſibi exigit honorem. Qui ergo pauperem ſpernit, Deo contumeliam exhibet. Valde enim malum eſt, vt illos ſpernamus, quos

Gregor. c. 22.

Iſidor.

Honorãdi ſenes & diuites quando.

Pauperes honorandi.

Pſal. 21. 68.

Iac. 2.

S. Benedictus.

Dᴇvs ſimiles nobis creauit, & eos honoremus, qui mundi huius quippiam cæteris magis obtinent. Ait namq; Ambroſius *Nihil grauius, quam vt fratres noſtros ſuperbo oculo deſpiciamus, conformes nobis intolerabili repellamus faſtu.* Non diuitiæ, non potentia, ſed virtus honorabiles reddit. Dicit enim Philoſophus 2. Ethicorum. *Virtuti debetur laus.* Et vt idem ait 5. Ethicorum præclariſſima virtus eſt iuſtitia, quæ non poteſt in acceptione perſonarum conſiſtere, quare non perſonas, ſed cauſas iuſtitiæ curat, iuſtus quilibet iudex ſpiritualium ſimul & temporalium diligenter attendat, quatenus vnicuique ius ſuum ſeruet illibatum, quoniam ad hoc aliis præficitur, vt nulli calumniam inferri patiatur. Sic ergo æquitas in iudicio debet eſſe, vt à veritate non declinetur occaſione cuiuſcunque perſonæ nec obſtat illud ſapientis. *In iudicio pupillis eſto miſericors*, quia intelligitur quod iudex debet tueri miſerabiles perſonas ab oppreſſione diuitum & potentum. Vnde Thomas ſecunda ſecundę quæſtione. 63. articulo 3. & 4. Homo in iudicio debet pauperi ſubuenire, quantum poteſt fieri, tamen ſine lęſione iudicii, alioquin locum habet id Exod. 23. *pauperis non miſereberis in iudicio.* Quare ſi cum poſſet iudex ſalua iuſtitia ſubuenire oppreſſo & negligit, & ille ius ſuum amiſit, tenetur reſtituere totam litis æſtimationis ei, qui propter hoc læſus eſt, maxime ſi ſubditus illius fuerit. 23. *quæſtione 2. c. Dominus*, & *quæſtione 5. c. Adminiſtratores plane ſecularium dignitatum, qui ad Eccleſiarum tuitionem, pupillorum ac viduarum protectionem rapaciumque refrenationem conſtituti eſſe procul dubio debent, quoties ab Epiſcopis & Eccleſiaſticis viris conuenti fuerint, eorum querimonias attentius audiant, & quæ neceſſitas expetierit abſque negligentia examinent & diligenti ſtudio corrigant. Quod ſi DEI timorem præ oculis non habentes negligere poſt ſecundam & tertiam admonitionem inuenti fuerint omni ſe nouerint communione vſque ad condignam ſatisfactionem priuatos.* Ita quoque monaſticus rector ſuos tenetur corripere delinquentes ſine aliqua acceptione perſonarum, poſt poſitis odio vel amore, quod ſi neglexerit & mala delinquentium indies creuerint, nouerit ſe procul dubio de omnibus rationem redditurum, quia ſi cum potuit non cohibuit peccantes

Ambroſ.

Ariſtot.

Eccleſ. 4.

Ioannes Papa VIII.

particeps factus est pœnæ, qui culpam corripere noluit. Hinc quoque ait Augustinus libro de ciuitate Dei & ponitur 23. quæstione 5. *Non est innocentiæ sinendo parcere, vt in malum grauius incidatur. Pertinet ergo ad innocentis officium, non solum nemini malum inferre, verum etiam cohibere à peccato, vel punire peccatum, vt aut ipse, qui prius odio habebatur corrigatur experimento aut alii terreantur exemplo.* Qui enim virgæ parcit, non diligit filium, sed odit. 23. *quæstione 5. Nō putet. NON vnus plus ametur quam alius, nisi quem in bonis actibus aut in obedientia inuenerit meliorem.* Amor plerumque, vt supra dictum est, opponitur iustitiæ, quia persona, quæ à iudice amatur, iudicium subuertere solet. *11. quæstione 3. Quatuor modis.* Debet autem Abbas habere æqualem ad omnes amoris affectum: nam omnes sibi commissi sunt, & de eunctis Deo rationem redditurus est. Sicut enim præ cæteris honoratur, ita quoque compati debet vniuersis vt posset dicere cum Apostolo 1. Corinthiorum. *Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.* Hinc in Iob scriptum est. *Cum sederem quasi Rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.* Tantam enim pro subditis compassionem habere debemus, vt sicuti nobis volumus Deum esse præstabilem misericordia, ita quoque & pro eorum salute exoremus altissimum, quod bene in Moyse factum legimus Deuteronomii 9. *Et iacui coram Domino quadraginta diebus ac noctibus, quibus eum suppliciter deprecabar, ne deleret vos vt fuerat comminatus, & orans dixi. Domine DEVS ne disperdas populum tuum & hæreditatem tuam, quam redemisti in magnitudine tua, quos eduxisti de Ægypto in manu forti.* Et Numeri 11. *Cur afflixisti seruum tuum? Quare non inuenio gratiam coram te? Et cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me?* Tam familiaris debet Deo Prælati esse conuersatio: quatenus fiducialiter pro grege sibi commisso eum interpellare valeat eorumq; abstergere orando peccata.

Augusti.

Text.

1. Cor. 9.

Iob. 29.

Prælatus vt debeat compati subditis.

Prælatus familiaris debet esse Deo.

Vnde subiungit. *Sin aliter tibi videtur, obsecro vt interficias me, & inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis.* Tales conuenit esse animarum rectores, qui exemplo boni pastoris etiam pro grege iniquo orare non cessent, sed parati omnia pro subditis tolerare, quatenus lucrentur vniuersos. Hinc superna voce Ioëlis 2. dicitur. *Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini & dicent. Parce Domine parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes.* Et Numeri 16. *Stans Aaron inter mortuos ac viuētes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit.* Hic affectus, hic amor, & dilectio omnibus æqualiter sunt impendenda ab Abbate, nec vnus plus ametur, quam alius, quia amor cum interuenit personarum acceptio est. Attamen non est hic amor accipiendus prout affectus, sed in quantum est effectus amoris, quia non debet Abbas vni plus quam alteri, aut dare vel concedere sine rationabili causa, licet eum in aspectu diligat præ cæteris. Sed quomodo hunc amoris affectum debeat ordinare, subiungit cum ait. *Nisi quem in bonis actibus aut obedientia inuenerit meliorem.* Quod DEVS diligit, homo odire non debet, sed qui virtute præ cæteris fulget etiam plus aliis est diligendus. Beatus ergo Benedictus illum plus amari ab Abbate debere dicit, quem DEVM plus diligere credit: quia qui malos plus bonis diligit euidens signum suæ malitiæ ostendit. Deus qui colitur in homine diligendus est & virtus, nec vlla cum vitiis concordia est habenda: quia virtus est, vitium fugere, nam in crimine virtus crimen reputatur. Diligendus est subditus, vitia odienda, æqualis omnibus salutis affectus exhibendus erit, & virtutis meritum in quolibet venerandum.

19

Non præponatur ingenuus ex seruitio conuertenti, nisi alia rationabilis causa existat.

INgenuus dictus ab in & genus, nobilis, qui in genere habet libertatem quasi sit boni generis cum ad religionem venerit non erit cæteris præferendus senioribus in ordine: sed locum sui introitus semper attendat, nisi rationabili causa aliter forte exigente Abbas aliter iudicauerit ordinandum. Rationabilis autem causa est, vt is, qui in Ecclesia vtilior est

Superiores quos debeant præferre alijs.

in

in cantando, legendo vel officium aliquod implendo congruo & decenti constituatur loco, vt digne & laudabiliter possit illud per agere. Et ideo qui talis est siue, ingenuus sit, siue seruus, conuersatione, virtute, doctrina vt possit fieri Decanus, siue Præpositus pro vtilitate vel necessitate monasterii nihil illi ingẽuitas auferat vel seruitus. Dignũ enim videtur, vt is cæteris præferatur, quem vitæ meritum & sapientiæ doctrina adornant. *Dist. 61. In Sacerdotibus eligendis.* *Ex epist. Hormisdæ Papæ.*

Sequitur paulo post. *Miserum est eum fieri magistrum, qui nunquam fuit discipulus, eumque Sacerdotem summum fieri, qui in nullo gradu vnquã obsecutus fuerat sacerdotii.* Non præponatur ingenuus, non formosus, vt fieri solet, quando Prælati decoris facie parcunt, eosque sibi assistere faciunt, & per hoc sententiam incurrunt sapientis, qua dicit. *Si nutrieris seruum tuum delicate, postea habebis eum contumacem.* Et reuera videmus & experti sumus, quanta ex negligentia Prælatorum subditis acciderint pericula, dum superbos quosque & formosos delicate educantes secum extra claustra vagari sine vtilitate permittunt, à quibus etiam plerumque maxima damna & diffamationes in fine suscipiunt, religiosos autem & simplices in monasterio relinquunt. Et bene quidem. Sed videtur mihi tutius esse illos in claustro relinquendos, quorum scandala timentur. Solent enim hi tales, postquam superiorum explorauerint conditiones & vitam, propositum mutare, effici superbi & instabiles, Prælatis detrahentes & grauissima interdum scandala suscitantes. Vnde ait Hugo libro de claustro animæ. *Contingere quandoque solet vt Monachi, qui curias frequentant, causas audiant, iudicia perquirant, & si aliquando propriæ causæ necessitates occurrant, ad curiam securiores recurrant.* *Ibid. c. miserum. ex Innoc. Papa.* *Prou. 29.* *Hugo. li. 2. c. 17.*

Hinc vt præfatus sum lites Prælatis inferunt, vexant & tribulant, appellantes de iudicio ad iudicium, & qui in claustro degere debuerant pro causis expediendis curias frequentant. Hinc Hugo rursus dicit. *Si vero res sic ad effectum venire non valet: Monachus causidicus iter parat, vt quod alibi fieri non poterat, Romæ fiat.* Non præferatur cæteris, nisi quem vita laudabilis commendat, de quo nulla suspicio, nec timor habeatur. Sine rationabili causa si quis præfertur, irritum fiat. Sunt & aliæ causæ, quæ rationabiles dicuntur, vt est senium, doctrina, vtilitas, necessitas, ratio. *Ibid.*

15

Quod si ita iustitia dictante Abbati visum fuerit, & de cuiuslibet ordine id faciat.

ABBAS enim qui de omnibus ordinationibus suis & præceptis DEO rationem redditurus est, nihil sine iusta causa facere debet: & ergo dicit, *si iustitia dictante*; quare non habet potestatem quicquam instituendi, quod iustitia non dictauerit esse ordinandum. Quare si iustitia dictante sibi visum fuerit ita ordinandum, vt vnus videlicet præferatur alteri, tunc de quolibet ordine idem facere potest, quare vbicunque iusta causa reperitur, ibi nulla personarum acceptio est. Hoc autem non tantum de ingenuili vel seruili ordine faciendum est; sed de quolibet, id est, siue de priori, siue de iuniori, siue de leuitarum vel sacerdotali ordine id faciat, quia si licet in vno, licebit etiam in alio idem facere, si tamen expedire visum fuerit Abbati, qui contra iustitiam nihil debet attentare.

16

Sin alias propria teneant loca.

SI rationabilis causa non existat, vt aliquis altiorem sui introitus sortiatur locum, teneat illum, quo est ingressus, quia locus neminem sanctificat, nec gradus sapientem facit, sed sapientia gradum. Si enim locus sanctificaret inhabitantem, quomodo cecidisset Angelus de firmissimo cælo? Non itaque locus hominem, sed homo sanctificat locum, nec gradus sapientiam, sed sapientia gradum præstat. Felicius quippe est locum tenere infimum inter fratres, & magnum esse inter Angelos, quam hic supra omnes stare, & ibi nec quidem cum vltimis esse.

17 *Quia siue seruus siue liber omnes in Christo vnum sumus, & sub vno Domino*
1.Cor. 12. *æqualem seruitutis militiam baiulamus, quare non est personarum acceptio apud DEVM.*

CAPVT nostrum Christus est, cuius nos membra sumus, siue enim liberi, siue serui, ipse Dominus noster, Rex noster, creator & redemptor noster est, cui de conditione generis cura non est, sed qualis vnusquisque sit fide, conuersatione & caritate: nam generatio clara non liberat, quem vita maculata ligat. Qui autem se liberum gloriatur, si vitiis seruit, mentitur. Vnde ait Hieronymus in
Hierony. ep. ad Celant. epistola. *Sola apud DEVM libertas est non seruire peccatis.* Ille apud DEVM præest potior, non quem nobilitas generis, nec di-
Quæ vera libertas sit. gnitas seculi, sed quem deuotio fidei & sancta vita commendat. Et Chrysostomus
Chrysost. hom. 59. super Matthæum. *Ille clarus, ille sublimis, ille nobilis, ille tunc integram nobilitatem suam ostendit, si dedignetur seruire vitiis, & ab eis non superari.* Vnde quidam mundi huius sapiens ait, *Liber est is æstimandus, qui*
Cic. in parad. *nulli turpitudini seruit.* Et alius. *Liber non est,*
Sen. in prou. *quem superbus animus inflammat.* Sunt multi, qui de nobilitate generis vel libertate gloriantur, vitiorum tamen iugo subiacent, & inde occasionem sumunt peccati, vnde debuerant virtutis sumpsisse argumentum. Vnde ait Gregorius in Dia-
Gregor. logo. *Nonnullis solet nobilitas generis parare ignobilitatem mentis, vt minus se in hoc mundo despiciant, qui plus se cæteris aliquid fuisse meminerunt.* Hinc quoque ait Chrysostomus
Ibid. super Matthæum. *Quid prodest ei, quem mores sordidant generatio clara, aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant?* Melius est de contemptibili genere clarum fieri, quam de claro genere contemptibilem nasci. Melius est, vt in te glorientur parentes, quam tu in parentibus gloriaris. Qui vitiis dominatur, ille nobilis est, & qui virtutes colit, liberrimus. Siue ergo liber, siue seruus vnum omnes sumus in Christo, apud quem non est discretio personarum, sed actionum, qui non præponit nobilem seruo nec diuitem pauperi, nisi quem merita ipsa præ-
Iob.7. tulerint. *Militia*, testante Iob, *est vita hominis super terram*, nos vero ex quo Monachi facti sumus Imperatori nostro Christo militare deuouimus: à cuius principatu vel nostro ei famulatu sine euidenti damnationis noxa nequaquam declinare possumus, sed in finem vsque perseuerare oportet, sicut ipse dicit in Euangelio. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Baiulamus autem æ- Matt.10.
qualem seruitutis militiam sub vno Domino, quia licet æqualiter non viuamus, iugum tamen Domini suaue & onus eius leue in monastica vita degentes omnes æque promisimus & sustinemus. Quæ vita regularis militia dicta, ab omnibus Monachis æqualiter est tenenda, & nec à seruis, nec à liberis, nec à Prælatis, nec à subditis aliquando est violanda. Quare si per fragilitatem humanam ab ea contigerit declinari à quoquam, citius emendetur necesse est, ne consuetudo conuertatur in necessitatem peccati. DEVS enim personam hominis non accipit, sed merita virtutis. Non ergo se putet meliorem cæteris fratribus, quem generis conditio commendat, quia omnes fratres sumus, nec differt alter ab altero nisi in actione virtutum vel vitiorum. Sequitur enim.

18 * *Solummodo in hac parte apud ipsum discernimur, si meliores aliis in operibus bonis & humiles inueniamur.*

NON persona, non genus, non conditio, non sexus, sed vita apud altissimum discernitur, quare personarum acceptio non est apud Deum, sed meritorum, & ille acceptior est, qui in bonis operibus repertus fuerit sanctior & humilior. Cum enim ad DEI iudicium ventum fuerit, non erit discussio generationum, sed actionum, nec dicet, cuius naturæ fuisti vel generis, sed virtutis, quoniam virtus meritum habet, generatio nihil. Quicunque ergo nostrum, fratres carissimi, primatum desiderat in cælis, humiliari non dedignetur in terris, quoniam quod hominibus altum est, abominabile est apud DEVM, & qui vult fieri primus in regno DEI, fiat iam hic vltimus in religione se subdendo, quia omnis, qui se exalt at, humiliabitur, & qui Chrysost.
se humiliat, exaltabitur. Ait qppe Chrysostomus. *Quicunque desiderat primatum cælestem, sequatur humilitatem terrestrem*, quare non est, qui maior fuerit in hono-

re

re, ille maior, sed qui iustior, ille maior est. Si itaq; in regno Christi vis esse glorioſior, ſis in clauſtro cunctis humilior, quia reuera ſola humilitas exaltat monachum, & ſola ſuperbia deprimit eundē. Nam maxima virtus Monachi, humilitas, & maximum vitium eiuſdem, ſuperbia eſt, Ait enim Ambroſius ſuper Lucam. *Nihil excelſius humilitate, quæ quaſi ſuperior neſcit extolli quia nemo id affectat, quod infra ſe iudicat.* Quia enim DEVS non perſonam reſpicit, ſed meritum virtutis, decens omnino videtur, vt Abbas, qui vices Chriſti in monaſterio agere creditur magiſtrum ſuum & dominum, cuius vicarius eſſe debet per omnia, quantum humana patitur fragilitas, imitetur, qui non vnum plus diligit, quam alium, niſi quem in bonis actibus & humilitate ſcierit eſſe cæteris meliorem, & ideo ſubiungitur.

Humilitas ſola exaltat monachum.

Ambroſ.

Ergo æqualis ſit ab eo omnibus caritas, Vna præbeatur omnibus ſecundum meritum diſciplina.

SIVE nobilis fuerit ſiue ſeruus vna omnibus ab Abbate exhibenda eſt caritas æqualis, vt vnum non plus diligat affectu, niſi quem meliorē nouerit profectu, neque effectu, quare nulli ſuperflua, ſed omnibus ſecundum quod cuiq; opus eſt pro poſſe neceſſaria dare tenetur. Æqualiter omnes Monachos ſuos diligere debet, quia omnium factus eſt Miniſter, & ipſi, vt ita dicam, indiuiſim Domini ſui ſunt, quia eorum neceſſitati ipſe deſeruit, non ita vnum diligat, plus quam alium, ſed vna caritas, id eſt, vnus ſalutis affectus pariter & effectus omnibus exhibeatur. Sed dicet aliquis, Quomodo poſſum omnes æqualiter diligere, cum non omnes æqualiter viuant, quia vnus bonus eſt, alius vero malus, vnus humilis, alius autem ſuperbus? Qui enim diligit ſuperbum, ſimilis eſſe probatur. Ad quod reſpondeo, quod tam boni quam mali diligendi ſunt, quia creaturæ DEI, quia ad imaginem ipſius facti & fratres noſtri adhuc, quamdiu ſunt in corpore, gratiam conſequi poſſunt, & forte aliquando nobis aut noſtris dilectis meliores fieri poſſunt, quia non eſt manus DEI abbreuiata. Et vt breuiter omnia concludam, vitia odienda ſunt, homines autem diligendi. Cum igitur dico homo peccator, duo dico, ſcilicet homo & peccator. In quantum autem frater meus eſt homo, diligendus eſt à me, inquantum vero peccator odiendus, ita tamen vt hominem non odiam, ſed peccata, quæ ſunt in homine, quem diligere debeo. Sic quoque iubetur Abbas fratres ſuos æqualiter diligere, & tamen merita in vno quoque penſare, quia virtutes diligendæ ſunt, vitia odienda. Et ergo in ſuperioribus ait. *Non vnus plus ametur, quam alius, niſi quem in bonis actibus aut obedientia inuenerit meliorem.* Eſt ergo vnuſquiſque diligendus ab Abbate, qualiter ab vnoquoque diligitur DEVS. Iſta vero dilectio non in exhibendis, ſeu in dandis bonis tantum, ſed etiam in malis puniendis penſari ſolet, quia mundialis infirmitas ſe putat odio haberi, quando ſecum nequaquam videt diſſimulari, & ideo ſubdidit. *Vna præbeatur omnibus ſecundum meritum diſciplina.*

An mali cū bonis diligendi ab Abbate.

Homo nō odiendus ſed peccata eius.

Caritas enim cordis, vt dictum eſt, quæ pro affectu paterno accipitur, omnibus æqualis eſſe debet; ſed caritas operis, quæ neceſſitatis effectus dici ſolet ſecundum merita vel demerita exhibenda erit. Aliter quippe ſanus, aliter infirmus, aliter humilis, aliter ſuperbus, aliter obediens, atque aliter inobediens tractandus eſt. Ergo non perſona, ſed cauſa iudicium exacuet, aut certe miſericordiam pulſet. Per diſciplinam hic pœnalem intelligo correptionem, vt ſi ingenuus & ſeruus vnam eandemque commiſerint culpam, vnam eandemque ſuſtineant diſciplinam, id eſt, pœnam pro culpa. Non honoris gratia vel amoris vnus à pœnitentia delinquens erit liber, & alter deſpectus pœna grauetur; ſed ita Abbas cenſuram iudicii temperet, vt non vnum lenius, alterum grauius damnet, niſi ſecundum exigentiam demeritorum. Valde pernicioſum eſt in iudice perſonam accipere & ſententiam iuxta amoris qualitatem formare cauſa omiſſa. Sciat itaq; Abbas ſe procul dubio de omnibus iudiciis ſuis in ſubditos Deo

Omnes puniendi æqualiter iuxta merita.

ratio-

rationem redditurum. Ergo æqualem omnibus secundum merita adhibeat disciplinam, nec dissimulet cum dilecto, & puniat minus dilectum, quoniam hoc abominabile est apud Deum, qui iustus iudex æquitatem diligit, & sicut non punit innocentem, ita nec parcit peccanti.

20

In doctrina namque sua Abbas, apostolicam debet illam semper formam seruare, in qua dicit. Argue, obsecra, increpa: id est, miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta.

2. Tim. 4.

MAgna scientia & discretione indiget, qui iudex constitutus aliorum vitia corrigere debet, ne si quod in alio reprehendere nititur, in seipso idem incorrectum inueniat. Ait enim quidam. *Qui cordis sui domum excolere non valet, quomodo plurimorum adhibebit diligentiam?* Et qui trabem peccati ex suo non potest eiicere oculo, quomodo ex alterius oculo poterit amputare festucam? Abbas qui præ cæteris omnibus sanctitatis odore fragrare debet, in discipulorum correctione semper doctrinam teneat Apostoli dicentis 2. Timothei 4. *Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Argue negligentes, obsecra diligentes, increpa contemnentes in omni patientia, quatenus licet ad correptionem mouearis exterius, tranquillitatem mentis tamen nequaquã amittas interius. Aliter enim arguendi sunt humiles, & aliter coërcendi superbi, quia secundum vniuscuiusq; statum, conditionem, vel meritum temperanda est seueritas iustitiæ. Ergo temporibus miscenda sunt tempora, quoniam omnia suo tempore melius fiunt, & qui tempus non considerat in vanũ correctionis semina iactat. Quid enim prodest eo tempore irascentem corripere, quo à se quasi alienatus manet, & non potest aliena verba seruare, qui seipsum penitus ignorat? Hinc Ecclesiast. 3. scribitur, *Omnia tempus habent, & suis spatiis transeunt vniuersa sub cælo.* Arguendi sunt negligentes, quod tempus salutis sibi commissum tam infructuose expendant, & hoc primo verbis exhortatoriis, deinde si non attenderint, acrius agendum est. Vnde dicit Isidorus. *Qui blando verbo castigatus non corrigitur, acrius necesse est vt arguatur.* Humiles autem & beneuoli semper vt in melius proficiant, exhortandi sunt, & si quando à via deuiauerint leniter corrigi poterunt, quia plus proficit amica correctio apud prudentem, quam centum plagæ apud stultum. Felix est ille, quem nulla frangunt aduersa. Oportet ergo Abbatem, vt ita dicam, mille habere oculos discretionis, ne quod absit, dum per immoderatam correptionem exardescit, vitia non emendentur, sed augeantur potius & crescant. Ait enim Prosper *Leniter castigatus exhibet reuerentiam castiganti, asperitate autem nimiæ increpationis offensus, nec increpationem recipit, nec salutem.* Hinc quoque Ambrosius super Lucam ait. *Plus proficit amica correctio, quam accusatio turbulenta, illa pudorem incutit hæc indignationem mouet.* Primo igitur beneuoli & quicunque alii blando sermone corrigendi sunt, quod si non emendauerint, durius contra delinquentes procedatur. Vnde dicit. *Increpa.* Increpatio ad duros corde seu rebelles pertinet, vt qui verbis non corripitur, verberibus emendetur. Sed quia valde difficulter ad viam salutis reducitur, qui semel obstinatus & induratus ab ea mouetur, necessarium est, vt Abbas vir sapiens sit quatenus sciat quomodo vnumquodque vulnus sanandum sit, ne quando plus destruat per insipientiam suam cum modum fraternæ correctionis ignorat. Vnde ait Hugo de sancto Victore. *Difficile est cor induratum malitia ad formam disciplinæ & ad spem honestatis incuruare.* Tales onerosi magistris esse consueuerunt, vt quos emendare non valent, patienter quodammodo portent. Sed tamen ab increpatione cessandum non est, ne si rector fatigatus silendo consentire videatur, & ouis morbida, quæ hodie corrigi non potest, cras cum poterit negligatur. Maximus autem labor est huiusmodi correctio, quando quasi inaniter verberamus. Nam peruersum corrigere nihil aliud est, quam stimulare insanum, qui quanto plus arguitur, tanto minus emendatur. Qui enim corrigit stultum quasi qui oleum adhibet camino & ventis incendia superare nititur. Si igitur inquietos corrigere volumus, tempus, personam, conditionem quoque & causam consideremus, quia

Isidor. l. 3. c. 46.

Prosper lib. 2. de vita contempl. c. 5.

Ambros.

Abbas in corrigendo sit discretus.

Hugo lib. institut. nouitior. c. 12.

non

non semper omnia æque expedire videmus quæ forte aliquando facta creduntur. Miscenda sunt itaque temporibus tempora, quoniam aliter increpatio valet in æstate, atque aliter in quadragesimali obseruatione : nam negligentiæ quadragesimales propter sacrum tempus durius emendandæ sunt. Doctor ergo qui vitia corrigere debet subditorum, consideret quæ sibi congrua sint tempora vel momenta : nam si aliquem reprehendere conatur in eo tempore, in quo de ipsius emendatione desperatur, inaniter laborare conuincitur, quando & ipse fatigatur ad tempus, & ille non emendatur ante tempus. Sicut sapiens medicus distinctis & certis anni & diei, mensis quoque & hebdomadæ temporibus sua parat pro infirmis medicamina: ita quoque rector & gubernator animarum fidelium distinctis, congruis & opportunis temporibus pro infirmis Christi ouibus, quas regendas & curandas suscepit, debet adhibere medicamina curationum, quare sicut medicina quælibet non omnibus expedit omni tempore : ita nec vna correctio semper omnibus erit adhibenda, sed temporis qualitas semper pensanda est. Sunt etiam terroribus interdum miscenda blandimenta, ne cum nimium exasperat & improbat vitia infirmi, laqueo pereant desperationis. Vel certe si semper comminatur delinquẽtibus, audacia tollatur confessionis. Videtur enim aliquando non esse cõminandũ, ne delinquẽtis exacerbatio deterius aliquid attentet. Quidquid igitur agimus in omnibus modum teneamus, quia sicut quidam ait *modus est pulcherrima virtus*, sine quo omnis virtus vitium reputatur. Nam si assit timor, & non discretio, transit in desperationem, si dolor in amaritudinem, si amor, in adulationem, si spes in præsumptionem, si lætitia in dissolutionem, & ita per singulas virtutes deficiente modo, statim deficiet virtus. Vnde dicit Isidorus. *Quidquid boni cum discretione feceris, virtus est, quidquid sine discretione gesseris, vitium est, virtus enim indiscreta pro vitio reputatur.* Et sicut superius iam dictum est, quod aliter corrigendi sint obedientes, atque aliter inquieti: ita quoque sanctus pater huius correctionis modum ponit Abbati, dum de qualitate personarum conditionatarum subintulit dicens.

Tempora in corrigendo obseruãda.

Et modus.

Isidor. lib. 2. de Synod.

21

Dirum Magistri exemplum, pium patris ostendat affectum, id est indisciplinatos & inquietos debet durius arguere.

DOctrinam Apostoli præallegatam superius, vbi ait, *argue, obsecra, increpa*, iam luculentius exponit, dans modum his tribus punctis conuenientem correctionis, vt qui vno non corrigitur, vel alio saltem instrumento emendetur. Exemplo Magistri, quod præcedere debet, corrigẽdi sunt duri, quia stultus verbis non corripitur. Et ideo cum indisciplinatos primo verbis persuasoriis quatenus peruerse agere quiescant, secreto monuerit Abbas, vel in publico, & si non attenderint, erit comminatio iustæ correptionis adhibenda. Quod si nec isto modo emendauerint, durius corripiantur, id est, verberibus, abstinentiis vel aliis quibuslibet disciplinæ operibus. Oportet ergo Abbatem esse pium & discretum propter humiles, zelosum propter proteruos, quia si omnibus æquanimiter iudicium fieret, vel beneuoli refugerent, vel maleuoli non corrigerentur. Sit igitur pater humilium, Abbas & magister superborum, sicut ait Gregorius in suo pastorali, *Sit rector bene agentibus* inquit, *per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus, vt & bonis in nullo se præferat, & cum prauorum culpa exigit potestatem sui prioratus agnoscat, quatenus & honore suppresso æqualem se subditis bene viuentibus deputet, & ergo peruersos iura rectitudinis exercere non formidet.* Malis itaq; se exhibeat rectorem ne, cum mansuete tacet, malitiæ eorum consentire videatur, id est, secundum culpam ipsorum ordinet disciplinam correctionis, quatenus experiens virgam peccator magistri, cognoscat correctus potestatem, quam spreuit superbus. Ait enim Gregorius 15. Moralium *Omnis namq; peccator prudens erit in pœna, qui stultus fuit in culpa, quia ibi iam dolore constrictus ad rationem oculos aperit, quos hic voluptati deditos clausit, & pœna torquente exigitur vt sapiat, quæ excæcante se superbia desipiebat.* Porro, qui peccat coram omnibus

Gregor. 2. parte c. 6.

Gregor. c. 23.

rg aua-

arguatur vt cæteri metum habeant, si tamen publice deliquit, quia sunt quædam subditorum peccata, quæ non sunt omnibus manifestanda, sed in secreto purganda, ne maius scandalum oriatur, quando culpa indiscreto iudicio punitur. Abbas ergo qui omnium subditorum causas, personas conditionesq; cognoscere debet, faciat vt prudens Medicus, medicinas suas infirmis diuersimode temperans atque ministrans, iam segregatim ab aliis, iam amarum sub gustu mellis infundens, iam sal vulneribus immittens, iam hoc iam illud colligans vlceri, quatenus alterum temperetur ab altero vt celerius infirmus sanetur. Et sicut in Medico nil periculosius est inexperientia rerum medicinalium, quibus multi necantur, cum eis nociua pro vtilibus dantur: ita quoque nihil in Abbate pernitiosius esse poterit & membris id est subditis periculosius, quam inexperientia euentuum, indiscretio iudiciorum, ignorantia conditionum, quia tot oues sub manibus inexperti pastoris pereunt, quot medicina sua indiscreta vulnera languentium fodiuntur, fit enim vt nimia asperitas Prælatorum ruinam inferat subditis; quando aut peccata parua nimium aggrauant, vel etiam magna quæq; plus debito iudicant. Sic indiscretio pastoris cum Angelos facere nititur, sæpe ex subditis Dæmones mutat. Melius quippe est cum paucis peccatis subditum mittere ad purgatorium incorrectum, quam ex indiscreta asperitate desperatum proiicere in infernum. Quia dum parua delicta subditorum nimium ponderamus, interdum pusillanimis desperationis laqueum aperimus, & dum plus, quam decet, contra vitia insurgimus, delinquentes deteriores reddimus. Sed in omnibus his non dicimus esse cum peccantibus dissimulandum, sed discrete agendum, ne dum cupimus sanare infirmum, sepeliamus mortuum. Est enim valde timendum Abbati, ne plus debito damnet innocentem vel minus iusto patiatur delinquentem, & ideo oportet eum esse expertum in iudiciis faciendis, pium, prudentem, zelumque DEI habentem, qui tali fungitur auctoritate, quoniam sine dubio de omnibus iudiciis suis DEO rationem redditurus est. Qualiter autem arguendi, immo potius obsecrandi sint mites & obedientes, consequenter libet vt audiamus, Ait itaque.

22

Obedientes & mites ac patientes vt in melius proficiant obsecrare.

OBsecrandi sunt mites, non arguendi, quia non est opus pungere bis non recalcitrantem. Sciatque Abbas se talium esse socium non Dominum, quare non habent sani opus medelæ, sed male habentes, & ergo quos potest corripere verbis persuasoriis, vt in melius proficiant, obsecrare debet, nec in tales exerceat potestatem suam; quia non propter bonos, sed propter peccatores constitutus est rector. Gaudeat se denique tales habere subditos, quos sibi forte in virtutibus conspexerit meliores sanctitatis præbere exemplum. Vellem ego tales omnes fratres meos, vt mei in bono exemplo fierent Abbates, supprimerem vtique potestatem regiminis, vt fierem ipsis similis. Sed non invenitur tam sancta congregatio, in qua nemo delinquat. Erit autem omnibus talis adhibenda diligentia correctionis, qualis prius fuerit admissa negligentia transgressionis. Vnde bene subiungitur.

Abbas nõ est dominus bonorum fratrum.

23

Negligentes autem & contemnentes vt increpet & corripiat admonemus.

QVi blando sermone castigatus non corrigitur, acrius necesse est vt arguatur, quia stultus non corripitur verbis. Vnde admonet nos Sanctus Benedictus, negligentes scilicet statuta regularia & mandata superiorum increpare debere, ne cum peruersi nimis patienter tolerantur, mitibus & bonis corde delinquendi audacia præbeatur, quia declinantes ad iniquitatem coercendi sunt cum omni zelo Dei & discretione, vt boni gaudeant se esse immunes, & correctione alterius ipsi meliores fiant. Est autem notandum, quod plerumque peruersorum mentes, vt corripientem se repellant subtiliter non ex caritate, sed ex odio correctionem procedere iudicant, & sæpe fit, vt dum inquietos corripere nitimur, eorum siniſtra interpretatione terreamur. Sed ego multo aliter sentio. An arguo te propter te? Nequaquam, sed propter

propter vitia, quæ sunt in te. Vitia odi, te autem diligo. Nec arbitreris me te posse odire quod tam diligenter curare studeo. Ait enim Augustinus in epistola. *Aug. ep. 48.* *Nō omnis, qui parcit, amicus est: nec omnis, qui verberat, inimicus: quia qui phreneticum ligat & lethargicum excitat; ambobus molestus, ambos amat, ambos sanat, ambo quamdiu ægri sunt, indignantur, sed ambo sanati gratulantur.* Idem ad Vincentium Donatistam & Rogatistam. 5. quæstione 5. *Non omnis qui parcit, est amicus, nec omnis, qui verberat inimicus. Meliora enim sunt vulnera amici, quam volūtaria oscula inimici. Melius est cum seueritate diligere, quam cū lenitate decipere.* Vnde prouerbiorum 27. scribitur. *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.* Si videris fratrem tuum errantem & ad foueam perditionis appropinquantē si non auisas eum corrigendo, vt caueat, & ille cadit in foueam, crudelissimus inimicus esse comprobaris. Hinc etenim superna voce ad pastores Ezechielis 3. dicitur. *Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaueris ei, neq; locutus fueris, vt auertatur à via sua impia & viuat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autē eius de manu tua requiram.* Vnde sequitur.

2 q

Neque dissimulet peccata delinquentium, sed mox vt oriri cœperint radicitus ea, vt prævalet, amputet: memor periculi Heli Sacerdotis de Silo.

Ion. 1. LEgimus de Iona Propheta, qui cum fugeret à facie Domini eo quod Niniuitis secundum præceptum Dei scelera eorū annunciare noluerit, nautas propter eum in periculum deuenisse, & eum tribus diebus ac noctibus in ventre cæti latuisse; postea autem humiliatū ad mandatum Domini Niniuitis pœnitentiam publice prædicasse. In quo quid aliud inuenitur, quam periculum pastorum vitia subditorum corrigere metuentium? Qui stulto placere desiderat, similis ei efficitur. Cur times à facie hominū, & faciem Dei non metuis? Vel quo poteris fugere à conspectu Domini? Sunt. n. plerique Abbates & animarū rectores, qui vitia subditorum cum Iona corrigere negligunt, imo metuunt non tantum vt Ionas, sed commodo suo & paci consulentes, ne à subditis persequantur, vt cōmuniter videmus, quando seueritatem Prælatorum timentes dicunt illud Euangelium, *Nolumus hunc regnare super nos,* & opportunitatem quærunt, quatenus ab officio depellant, quem corrigentem se impatienter portant. Hoc formidantes quidam cum vitiis subditorum dissimulant, eos corrigere timent, & sic occasionem omnium malorum & casuum religionum Prælati negligentes dare comprobantur. Nulla enim religio subsistere potest, vbi correctionis diligentia non est: quia si diligenter corrigerentur vitia, religio nequaquā ita descenderet ad ima. Hæc prima causa ruinæ sanctæ religionis est, dum corrigere non audemus in aliis, quod incorrectum conspicimus in nobismet ipsis. Oportet ergo mūdum esse à vitiis, qui corrigere vitia debet. Neq; dissimulet peccata delinquentium, quasi nō videat vel nesciat, sed subtiliter & diligenter priuatim & publice indagare studeat actus subditorum, quatenus semper habeatur suspectus, quia magna pars peccati tollitur, dum Prælatus semper præsens timetur. Ex tœdio mentis interdum dissimulatio generatur, quando duri cordis & incorrigibiles à via sua praua nō possunt auerti. Sed nequaquam est cessandum à correctione, etiamsi parum prodest, quia si rector facit, quod in eo est, liber erit coram Domino, sicut in Ezechiele legimus. *Si autem tu annunciaueris impio, & ille non fuerit conuersus ab impietate sua, & à via sua impia, ipse quidem in impietate sua morietur, tu autem animā tuam liberasti.* Quod nō solum de Prælatis, verum etiā de subditis intelligi potest, qui se inuicem de excessibus suis auisare debent. Sed sunt nonnulli qui e cōtrario peccata sua inuicem abscondunt & excusant, ne ad notitiam Prælatorum perueniant, isti procul dubio se inuicem non diligunt, sed potius persequuntur, quia magis nocet, qui crimen celat, quam qui amabiliter indicat. 5. *quæstione. 5. Non vos iudicetis.* Sed hæc faciunt, ne si vnus publicauerit hodie delictum alterius, cras alius publicet suū. Ante omnia ne dissimulet Abbas peccata fratrum suorum, quoniam si verus est pastor debet vtiq; diligere oues suas, sed nemo vere diligit, qui peccantem filium non corripit. Hinc scriptum est. *Qui parcit virgæ, odit filium suum.* Si ergo parcis, vbi verberare debes, verus pastor non es,

Luc. 19.

Ruina religionum est omissa correctio.

Corrigēdi etiam in corrigibiles.

Ezech. 3.

Alter alterius delictū patefacere debet.

Aug. ep. 109.

Prou. 13.

nec pertinet ad te de ouibus Christi, sed mercenarius quærens te ipsum, & fraudē faciens in ouibus Domini tui. Ait sapiens Prouerbiorum 23. *Noli subtrahere à puero disciplinam, si enim percusseris eū virga, nō morietur. Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.* Dum parcis odis, dum percutis diligis. Vnde iterum scriptū est Eccles. 30. *Qui diligit filiū suū, assiduat illi flagella.* Nec æstimet subditus cum arguitur à superiore se odio haberi, quia non odio habetur, sed diligitur, qui castigatur & corripitur 5. *quæst. 5. Non osculatur.* Dulcior est. n. religiosa castigatio, quā blanda remissio. Nec iniquus est, sed humanus, qui crimen persequitur, vt liberet hominem *23 quæstio 5. Non est iniquitatis.* Sed nemo adeo zelosus inuenitur, qui omnia purgare possit, sicut vellet præter Deum solum; Bene appositum est, *vt prævalet, vitia radicitus amputet.* Ac si diceret. Mox vt oriri vitia cœperint conetur ea radicitus, id est, funditus eradicare, vt virtutes plantentur, quantum in eo est, exemplo bono præcedendo, exhortando, docendo, obsecrando, arguendo, aut corripiēdo, quātum prævalet; nec differat in crastinum nisi pia ratione; sed mox, id est, celeriter ea amputet hodie, quia sine dubio, cum humana natura sit prona ad peccādum, cras ēt, q̄ corripiat, inueniet. Vnde scriptum est. *Conteretur cū delinquente delictum.* Legimus primo Regū 4. de periculo Heli Sacerdotis, qui falsa pietate cœcatus filios peccātes corrigere neglexit, qua in re & ipsū & filios mala morte perisse cōstat. Memor semper huiꝰ periculi Abbas in corrigendo subditorū vitia, diligens sit ne q̄ illi cōtigat, in corporibꝰ, sibi & subditis cōtingat in animabus, quarū perditio tanto grauior, quanto anima corpore pretiosior cōprobatur. Quare Abbas si potest & non corrigit delinquentes, perditio animarū illarum de manu eius vindicabitur, nā consentire cōuincitur, qui cū possit, puersis negligit obuiare *2. quæst. 7. Negligere cū possis.* In ipsa tamē correptione summa discretio necessaria est, ne cū nimium eradicare nititur zizania & triticū euellat. Vnde aptissime subiungitur.

Ambros. serm. 84.

Eccles. 27.

Eleuth. papa in epist.

Et honestiores quidem & intelligibiles animos prima vel secunda admonitione corripiat verbis.

ANIMVS honestus idem est, quod mansuetus, tranquillus, ac timoratus, qui solo verbo ad viam salutis dirigitur; intelligibilis id est rationalis & prouidus, vel dirigibilis & prudēs: quoniam plus proficit amica correctio apud prudentem, q̄ centum plagæ apud stultum. Tales cum modestia sunt admonendi, vt in melius proficiāt: quia p̄sumitur plus valere verbum exhortationis, q̄ multa auisamenta cōminationis. Vnde talib. beatus Benedictus binam præauisationem tanq̄ bene meritis & dirigibilib. iubet impendi; quia qui verbis emendatur, iniustū prorsus videtur, si verberibus coërceatur, nisi aliud canonicum interueniat, vt propter scandalum aliorum sine correptione publica non euadat.

Improbos autem & duros, ac superbos, vel inobedientes verberum vel corporis castigatione in ipso initio peccati coerceat, sciens scriptum. Stultus verbis non corripitur. 25 *Prou. 18.*

NON est in correptione superborum mora facienda, ne maior crescat iniquitas, sed statim vt tales peccare cœperint corrigendi sunt, quia superflue verbis exhortantur qui etiam verberib. correpti vix emendātur, quia stultus nō corripitur verbis. Veruntamen sic erit modus correctionis temperandus, vt mansuetudo & districtio ab inuicem nō separentur *48. distinctione. Sunt namq̄ nonnulli.* Sic ergo Abbas delinquentes corrigat, vt compassionē de corde nequaquam expellat, sed condoleat miseris, indignetur peccatis non hominibus, *86. distinctione. Odio habeantur peccata non homines: corripiātur tumidi, tolerentur infirmi, & quem seuerius castigare necesse est: non sæuientis plectatur animo, sed medentis.* Nec ex odio, sed ex amore fraterno omnis correctio procedere debet, vt vltionis voto nemo puniatur, sed iustitiæ amore. *24. quæstione 3. Cum sancti viri.* Nec dissimulet peccata subditorū, quia sine dubio quidquid delinquunt subditi in caput redundabit Prælati: nam qui negligit emendare quod valet, facientis culpam habet *86. distinctione facientis.* Vnde ibidem dicitur, *Inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides negligentesque rectores, qui multā sæpe nutriunt pestilentiā dū austeriorem dissimulant adhibere medicinam.*

Greg. lib. 19. mor. c. 16.

Leo. ep. 90.

c. inferiorum.

Leo. ep. 3.

Secun-

Secundum dispositionem autem hanc regulæ agat, vt sit honestioribus & intelligibilibus, qui cognoscunt culparum suarum pondera, mitis, & mansuetus etiam verbis, improbis vero & contra duros ac superbos vel inobedientes, qui verbis non proficiunt, seuerus appareat verberibus; pium tamen: affectum cordis omnibus exhibeat, bonis de profectu eorum congaudendo, delinquentibus autem compatiendo: quia vere iustus miseris compatitur, delinquentibus indignatur *45. distinctione. Vera iustitia*, nouerit; se Abbas infirmorum, non fortium curam suscepisse: quia non est opus sanis Medicus, sed male habentibus. Et Dominus ait. *Non veni vocare iustos sed peccatores ad pœnitentiam.* Abbas autem qui vniuscuiusque fratris conscientiam, conuersationem & conditionem scire debet, diligenter attendat, qui sint tales, vt verbis corripiantur, & qui illi, qui verba non aduertunt, quatenus cuilibet salutarem nouerit adhibere iuxta morbos medicinam, sciens scriptum. *Stultus verbis non corrigitur.* Et iterum, *Percute filium tuum virga, & liberabis animã eius à morte.* Sicut nobilis equus vmbra virgæ regitur, ita intelligens solis verbis corripitur, & sicut ignauus nec calcaribus concitari potest; ita stultus ad res iustas vix necessitate compellitur. Nõ enim recipit stultus verba prudentiæ, nisi dixeris ea, quæ versantur in corde eius. Omne verbum perditur, quod fatuo tanquam ad correctionẽ profertur. Scriptum est enim. *Qui erudit derisorem, sibi facit iniuriam.* Tales itaq; qui verba despiciunt, verbera sentiant necesse est. Et, vt sciat rector se neminem debere corrigere liuore inuidiæ, vel vltionis, sed fraterna caritate, & paterno affectu, non vt homo puniatur, sed vt vitium emendetur admonitionem protulit sapiẽtis, qua ait. *Percute filium tuum virga, & liberabis animam eius à morte.* In quibus verbis quid aliud datur intelligi, nisi rectorem se subditis, tamquam patrem filiis, debere in corrigendo exhibere? Sicut enim pater carnalem filium castigando nõ odit, sed diligit: ita quoque Prælatus quilibet, qui subditos suos corripit, & paterno affectu diligere debet, Vnde ait Ambrosius in sermone & habetur *5. quæstione 5. Non osculatur semper pater filium, sed aliquando castigat. Ergo quando castigatur, qui diligitur, tunc circa eum pietas exercetur. Habet enim etiam amor plagas suas, quæ dulciores sunt, cum se amariores inferunt. Hinc sapiens prouerbiorum 27. dicit. Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis. Ex his verbis datur intelligi quod magis confert caritati fraternæ, qui crimen accusando vel indicando persequitur, quam qui celando fouere nititur.* Hæc ibi. Sed o quam pauci sunt, qui hæc sapere velint. Credit accusans, negat accusatus, quia corpori plus quam animæ miseretur, vbi carni delinquẽti parcitur, quando vitia emendari debent. Plus diligendus est, qui amabiliter corripit, quã qui fraudulenter negligit. Nemo sapiens correctorem suum odio habuit vnquam, sed stultus odit corripientem se. Vnde de talibus dicitur Amos. 5. *Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfecte abominati sunt.* Sed esto, quod talia non suscipiant peruersi, boni tamen non contradicunt quia qui reus est nulla ei correctionis sententia placet, quamdiu peccare non desinit. Non autem oportet talium aduertere platerationibus, quo minus corripiantur, quoniam innocentis officium est nulli nocere & peccantem punire, *23. quæstione 5. Nõ est innocẽtiæ.* Sunt autem multi, qui nimis parcendo vitijs nutriendis fomitẽ tradunt quia dum delinquentibus non resistitur, audacia peccandi generatur sed cum se misericordes reputant, ferocissimi persecutores sunt. Vnde ait Augustinus in epistola. *Qui vitiis nutriendis parcit & fouet ne contristet peccantium voluntatem, tam non est misericors quam qui cultrum non vult rapere puero ne audiat plorantem, & non timet, ne vulneratum doleat vel extinctum.* Iustus enim non odio, sed dilectione malos persequitur *23. quæstione 7. quicunque.* Non ergo se putet impium, qui zelo iustitiæ peccata persequitur delinquentium, quia non qui ad bonum, sed qui ad malum cogit ille persequitur, ibidem. *quæstione 5. Non vos hominum.* Veruntamen sic Abbas temperet modum correctionis, vt non excedat limites discretionis, quoniam qui indiscrete corrigit, veraciter non diligit. Discretio enim sic virtutes cæteras conseruat, sicut lumen lucernam seu candalabrum ornat. Quæ virtus sine discretione Deo placuit vnquam? Sicut cibus sine sale: ita virtus sine discretione. Sic ergo delinquens corripiatur, quatenus

Gregor. hom. 34. in Euãg.

Matt. 9.

Prou. 17.

Prou. 23.

Prou. 9.

Prou. 23.

Ambros. serm. 84.

23. q. 5. c. qui vitiis.

Aug. ep. 48.

Discretio in correctione adhibenda.

nus mansuetudo discretionis non amittatur. Obiurgationi semper aliquid blãde admiscẽdũ est: nã facilius penetrant verba q̃ mollia euadunt. Ait ergo Grego. in Moralib. *Regat disciplinæ vigor mansuetudinẽ, & mansuetudo ornet vigorẽ, & sic alterũ cõmẽdetur ex altero, vt nec vigor sit rigidus, nec mãsuetudo dissoluta.* Quotiescũq; ergo correctio necessario delinquenti adhibetur, semper sceueritatẽ mansuetudo cõcomitet. Caueat autẽ Abbas ne ex furore nimio aliquẽ corripiat, sed quousq; cesset cõmotio exspectet, quoniã via viri iustitiã Dei non operatur, nec furor verũ discernere sinit, & grauiter delinq̃t, qui ex ira sententiam ꝓfert. Vnde ait Ambros. de S. Ioseph. *Sæpe ira ẽt innocentes in crimen ducit*, quia dũ iusto amplius irascimur, & volumus aliena coërcere peccata grauiora cõmittimus. Ideo Apostolus ait Romanorũ 12. *Nõ vos vindicantes carissimi, sed date locũ iræ*, hoc est, declinemus illam, ne nos illa corripiat. Vnde Dominus Iesus mittens ad Euangelizandum discipulos, misit eos sine auro & argento, sine pecunia, sine virga, vt & incentiua litis, & instrumenta exciperet vltionis. Quãdo ex ira corripimus delinquentẽ, nõ emẽdamus, sed nos ipsos potius vindicamus, q̃ omnino ꝓhibemur facere: ergo in dictãdis sententiis rectores nullo furore ducãtur, *11. quæst. 8. Summopere cauẽdũ est.* Qui ex furore iudicat, Dei iustitiam minime defendit, sed seipsum vindicat, neq; emẽdatur correptus, sed plus exasperatur, quia quidquid ex caritate nõ ꝓcedit, offẽdit. Ait quippe Augu. *Quidquid lacerato animo dixeris punientis est impetus, non caritas corrigentis. Dilige & dic quidquid voles.* Isidor. de summo bono. *Qui delinquentem superbo vel odioso animo corripit, non emẽdat, sed percutit.* Dicit nãq; Cassian. *Vbi est feruida vindicta, non est tẽperata iustitia.* Item ẽt Greg. in Moralib. *Per irã sapientia perditur, vt quid quoue ordine agẽdũ sit nesciatur.* Oportet ergo fugere furorẽ, si volum⁹ vitia corrigere delinquentiũ; & si ex toto declinare nõ possumus, tẽpus trãquillitatis exspectemus, quia hæc est natura iræ, sicut ait Beda, *vt dilata langueſcat & pereat, ꝓlata vero magis ac magis cõflagret*; nemo igitur corrigat, q̃ furore ꝓmulgauit *11. quæst. 3. Cũ apud Thessalonicã.* Vnde Beda scribens in epistolã Iacobi ait. *Ira n. viri iustitiã Dei non operatur, quia qui iratus in aliquem sententiã profert, etsi ille quantũ ad se iustam reportet sententiã, iste tamẽ, qui nõ amore iustitiæ, sed liuore odii ineũ Sentẽtiã dedit*, iustitiã Dei, in q̃ perturbatio nõ cadit, nõ imitatur. Si itaq; nos aliquãdo irascimur plus debito cõtigerit delinquentib. nequaq̃ erit acceleranda correptio, Sed tamdiu tacendũ, donec ira quiescat, & caritas sedẽ iudiciariã obtineat, quæ non quærit quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi. Et omnino iustitiã superexaltet misericordia, sicut ait Beat⁹ pater noster Benedictus cap. 64. de ordinatione Abbatis, quatenus & ipse misericordiam consequatur à Domino, qui ait, *beati misericordes, quoniã ipsi misericordiã consequẽtur.* Habeat semper suam fragilitatem suspectã, quia sine dubio si liceret subditis arguere eum, inueuirent plerumq; maiora correptione digna in ipso, q̃ ipse in illis. Magna. n. in iudicando sobrietas habenda est & sinceritas, quoniam secure aliũ nõ corripit qui seipsum nõ arguit, *3. quæst. 7. Iudicet ille.* Cõsideret Abbas suam fragilitatem, q̃ ẽt homo sit, & peccator, & nõ spernat peccantes fratres, quoniã & ipsi sub gratia sunt, & meliores bonis fieri possunt, sed oderit vitia, diligat fratres, nec nimiũ puniat, quia alias vitiis exstirpandis indiscrete deseruiret; neq; ẽt dissimulet, quia hostẽ in se nutrit, qui nimis filio ignoscit. Et vt hæc piæ discretionis & correctionis exhortamenta melius teneat, ad sui ipsius considerationẽ eũ incitat beatus Bened. dicens, *Meminisse debet semper Abbas q̃ est: meminisse q̃ dicitur & scire, quia cui plus cõmittitur, plus ab eo exigitur.* Hæc dico omnẽ reddunt iustã correctionẽ subditorũ, videlicet, vt Abbas meminerit q̃ est, qa homo fragilis & peccator, quo ad cõpassionẽ & pietatẽ erga delinquẽtes, meminisse quoq; q̃ dicitur, quia Abbas pater, corrector, & iudex subditorũ, quoad zelũ iustitiæ. Cũ itaq; hæc duo concurrunt in iudicio, scil. mansuetudo cõpassionis, & zel⁹ seu iustitia correctionis, limites cõseruãtur caritatis. Et sic exponitur iste textus vt dicatur Abbas, id est, pater monachorũ, debet semper meminisse id est memor esse, q̃ est, quo ad naturã, qa homo fragilis & peccator est, ne se putaret aliq̃d pl⁹ esse q̃ alios. Et subintelligẽdo Abbas idẽ debet semp meminisse, q̃ dicitur, qa Abbas i. e. pater aliorũ vocatur. Debet meminisse q̃ est secundũ naturã, debet & meminisse quod dicitur, quo ad officiũ. Ex natura est peccator, ex officio, peccatorũ corrector. Natura iudicium

Gregor. 2. p. pasto. c. 6. & l. 20. mor. c. 6.

Iac. 1.

Ambros.

Matt. 10.

Matt 5.

Ambros. in Psalm. 118.

Aug. in ep. ad Galat.

Isidor. l. 3. c. 41.

Cassian.

Gregor.

Beda in li. 2. paralip.

Abbas memor sit sui officii.

dicium mitiget, officium compassione temperet, & sic vnum condiatur ex altero, vt neque misericordia sit remissa, neque iustitia immoderata. Si enim Abbas semper meminerit, quod est, id est, quid sit, semper subditis peccantibus compatietur, quia sine dubio se illis inueniet similem, quod homo sit videlicet & peccator, & grauiora forte commiserit quam quos arguit ipse, & dum conspicit in semetipso, quod corripiat in alio, incipiat plus compati, quam irasci. Nam hoc natura donat, vt vnumquodq; condoleat suo simili dolenti. Sed ne nimium compatiendo dissoluatur disciplina subditorum necessarium est, vt meminerit quod dicitur, id est Abbas, officium habens correctionis subiectorum & sciat, quoniam quidquid delinquunt subditi in caput redundat Prælati, qui eos corrigere negligit cum possit, quia negligentiæ rectorum imputantur culpæ inferiorum. *86. distinctione. Inferiorum.* Vnde ait Gregorius in homilia & habetur *23. quæstione 4. Si is, qui Prælatus est dominico debitori culpas impune dimittit, non mediocriter profecto offendit, qui debita cælestis Regis & domini sua præsumptione resoluit. Ea namque quæ in nos committuntur facile præsumimus dimittere, ea vero, quæ in DEVM sunt commissa cum magna discretione, nec tamen sine pœnitentia præsumimus relaxare.* Si itaque huius memor fuerit Abbas, quod dicitur, & periculum metuens Heli Sacerdotis de Silo, & omnium illorum, qui delinquentes corrigere negligunt viderit fratres peccare quãtum in eo est, non cessabit eosdem arguere verbis, factis, exemplis, quia sicut ab oratione non est cessandum, sic nec à correctione subditorum delinquentium. *23. quæstione 4. Sic. ut non.* Nam consentire videtur, qui cum possit peruersis negligit obuiare. *2. quæstione 7. Negligere cum possis.* Plus autem est aliquid esse quam dici, & magis debemus attendere quod sumus, quam quod dicimur. Homo sum, Abbas dicor. Quid horum verius est? Nonne quod homo sum? Multi homines, sed non omnes Abbates: plures Abbates, & tamen vniuersi homines. Quid igitur? Homo sum, Abbas sum, sed multo aliter homo quam Abbas. Sum etenim homo à natura, Abbas à fortuna. Natura vero plus est quam fortuna, quia innata, illa autem attributa. Ergo quia homo sum naturaliter. Abbas autem casualiter, & prior est natura quam casus, debeo plus considerare naturam, quam casum. Si ergo natura casum præcedit, & plus attendere debeo quod sum ex natura natus, quam ex casu factus, videtur omnino consequens vt misericordia, quæ ex natura præcedat iudicium, quod fortuna posterior dedit. Imo sic videtur, quoniam misericordia super exaltare iudicium debet. Sum homo substantiue; Abbas vero vocatiue verbum substantiuum naturalius, vt ita dicam, est vocali. Considerare ergo oportet me primo quid sim, deinde quid dicar. Quod sum, nemo mihi auferre potest; quod dicor, sicut venit, ita vadit, fortuna namque instabilis agnoscitur esse. Beatus itaque Benedictus meminisse me iubet quod sum, quia sicut dixi, homo fragilis & peccator, quatenus cum me debitorẽ inuenio Domini, mitius agam, cum conseruis & condebitoribus meis Domino meo, ne si alios ad solutionem compulero, dicatur forsitan mihi: *Serue nequam omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me. Nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui?* Et sic incipiet repetere quod prius donauerat. Domine debitum tuum exigo non meum. Et dicet mihi dominus. Redde tu prior quod debes & sic alios absq; suspitione impetere potes. Sed ne iste timor & cõsideratio propriæ fragilitatis vitã negligeret subditorum, iubet ẽt me meminisse quod dicor, videlicet Abbas, pater Monachorũ & rector. Si rector ergo corrector, & nequaquam dissimulare queo, quin satisfaciã officio. Sic me iubet S. Benedictus meminisse quod sum, vt nõ obliuiscar, quod dicor. Ita oportet me misereri fratribus vt dãnum nullum patiantur in animabus. Hęc autẽ & similia quæ prædixi grauia quidem mihi videntur & sunt, cum rarus sit pastor qui in nullo delinquat vel iudicando de subditis, aut certe vitiis parcendo. Melius itaq; & securius mihi foret si Monachus essem & non Abbas, nã illa sententia me terret, qua dicitur. *Scire debet, quia cui plus cõmittitur, plus ab eo exigitur.* Proficiscẽs dominus in regionem longinquam tradidit seruis suis bona sua. Et vni quidẽ dedit quinq;, vni duo, alii autem vnum talentum, vnicuiq; secũdum propriam virtutẽ & profectus est statim. Rediens autem accepto

Matt. 18.

Matt. 25.

Abbas prius considerare debet quod homo sit deinde, quod Abbas.

regno non solum quod tradidit, sed & vsuram, rationem ponens exegit à seruis. Et ille qui sibi reddidit, quod acceperat reprobatus tanquã inutilis & nequitiosus seruus dignoscitur, quoniã de tradita pecunia vsuram facere neglexit. Quid putamus fratres, quomodo stabit is, qui reddere non potest, quod accepit, si ille damnatur qui licet redderet depositum, vsuram inde non fecit? Quomodo, inquam, respondebit seruus, qui traditũ sibi talẽtum perdiderit, si is excusationem nõ habet, qui reddens depositũ non duplicauit? Timeo timeo: non bene stabit, quicunq; est ille. Cui enim plus committitur, plus ab eo exigitur; quoniam si ille inutilis iudicatur, qui creditũ sibi talentum sine lucro reddidit, cui dubium, quin malitiosus inueniatur, qui creditum talentum sibi retinuit? Melius quippe est nihil habere in commissis, quam credita male custodisse. Videte fratres, quomodo caute ambuletis, quoniam vos talentum Domini estis superiorib. vestris cõmissum, si perdiderint vos Prælati cũ culpa sua, nec vos, nec ipsi excusati eritis, si cum culpa vestra sine ipsorum negligentia, cui dubium quod soli portabitis iniquitatem vestrã, quia ipsi fecerũt omnẽ, quam poterant erga vos diligentiam, vos autem eorum contemptis doctrinam, dicentq; ad Dominum *Iustitiam tuam non abscondimus in cordibus nostris, veritatẽ tuam & salutare tuũ diximus, ipsi autem cõtemnentes spreuerunt nos.* Et si bene docuerint vos superiores vestri, licet mali sint ipsi, non debetis spernere doctrinam, quoniã vestra est doctrina, eorũ autẽ vita. Accipite quod vestrũ est, & nolite discurere quod alienum est. Licet malus sit rector, vos tamen ligatus soluere potest *11. quæst. 3. plerumq; cõtingit.* Cui autem plus cõmittitur, plus ab eo exigitur, quare pro tot animabus Deo rationem redditurus est Abbas, quot in suo regimine suscepit personas. Quod si propterea pauciores susceperit quia pro multis pauet reddere rationẽ; cũ plures colligere posset, cũ seruo neq; vsurã piam Domino suo facere negligit.

Psal. 39.

Gregor. hom. 26. in Euãg.

Sciatque quam difficilem & arduam rem
2ũ *suscepit, regere animas & multorum seruire moribus.*

RES difficilis est regimen animarum propter periculum regentium, quia cum nullus se ipsum bene ad plenum regere valeat, quomodo alios regere prẽsumit, cum ars artium sit regimen animarũ teste Gregorio in suo pastorali ca. primo prima parte. *Et extra. de ætate ca. penultimo.* Magna itaq; diligentia adhibẽda est circa regimen animæ, cuius perditio nimis dolenda esset, quia animæ pretiosiores sunt omnib. rebus & corporib. aliis quibuscunq; *12. quæstione 1. Præcipimus.* Graue Abbatis onus, sed beatũ ei, qui bene fert. Ait. n. Gregorius in pastorali. *Sæpe suscepta cura regiminis cor per diuersa diuerberat, & impar quisq; inuenitur ad singula, dum confusa mente ducitur ad multa.* Ardua res regimen animarum, & multis tribulationib. quatitur, qui ad eas gubernandas præficitur. Vnde ait Cassianus libro collationum Sanctorum Patrum. *Multis te periculis noueris irretitum & in omni ea, quæ salutis est, actione penitus impeditũ, dũ te Abbatis seu Præpositi dignitate videris insignem.* Et Hugo de Sancto Victore ait. *Qui Abbatis seu Prælaturæ officio fungitur & honore, constat quod multo se labore afficit & dolore.* Ait ẽt Isidorus de summo bono. *Quanto quisq; in eminentiori constitutus est loco, tanto maiori versatur in periculo.* Omneq; supereminet plus doloribus aut mœroribus afficitur, quã honoribus gaudet. Dicit namq; Bernardus in Epistola *Pericula tua si nosceres aut Abbas non esses, aut inuitus Abbas fieres, aut factus humiliter viueres & trãsires.* Difficile valde est multorum posse deseruire moribus, cum homines tam diuersi, quã irrefrenati sint im compositione morum. Nam raro vel nunquam duo saltem inueniuntur, quorum mores nullam habeãt diuersitatem, & quomodo poterit vnus homo tam diuersis conuenire omnium moribus? Certe nihil est in hac vita & maxime nostris tẽporibus difficilius, laboriosius aut periculosius officio Prælatorũ in tanta diuersitate morum, cũ vnusquisq; propriã sequatur voluntatem. Sed est notandum quod beatus Benedictus non dixit Abbatem multorum debere concordare moribus, sed seruire id est, se aptare & talem reddere moribus subditorũ, vt bonos foueat, malos corripiat, superbos humiliet, infirmos confortet, fortes dirigat, errantes in viam veritatis & iustitiæ reducat, quatenus fidenter cum Apostolo Paulo audeat dicere. *Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifacerem.* Et item *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis tentatur, & ego non vror?* Omnibus omnia factus sum per com-

Greg. 1. p. c. 4.

Cassian.

Hugo.

Isid. l. 3. de sum. bono. c. 51.

Bernard.

Difficile est aliis præesse.

*

1. Cor. 9.

Abbas debet omnes tentationes dæmonis auertere.

compassionem, solicitudinem, & doctrinam. Oportet itaq; Abbatē sic aptare se subditorum moribus, vt non solum sciat, quomodo quisq; sit corripiendus, sed & qualiter emendandus, quia in finem emendationis virga debet seruire correptionis. Nam magnum nō est corripere culpabilem, sed magnum prorsus emendare culpam. Multi quippe medicinā adhibere norūt vlceri, sed sanare morbum tantum sapiens medicus nouit. Corrigere delinquentem iustitiæ est, emendare peccantē sapientiæ. Sicut Diabolus mille artium artifex est ad nocendum: ita oportet quoq; Abbatem esse vigilantē ad sanandum. Ille subditum superbia aggreditur, vt capiat, tu humilitate succurre, vt eripias; persuadet vt murmuret frater, instrue eum, vt omnia sustineat patienter. Vult ille vt Monachus tuus offendat creatorem suum, quatenus damnet: satage vt satisfaciat, vt eum Dominus saluet. Proponit ille prospera mundi, indica ei, quoniam per multas tribulationes oportet nos ad gloriam Dei ingredi. Tentat ille, vt superet fratrē, conforta eū, vt vincat dæmonem. Insistit ille, vt decipiat pauperē, tu insta, vt eripias inopem. Nititur ille, vt desperet: incita tu vt firmiter speret. Quacūq; via venerit, tu prior præcurrens eum fugare non cesses. Ad hoc quippe constitutus es Abbas, vt in tempore necessitatis fratres protegas. Ergo es Prælatus, vt omnes in tentatione confortes. Sic tuere subditos tuos, sicut gallina expandens alas ꝓtegit pullos suos. Si vis esse dux, ducatū præbe ducēdis. Alioquin frustra Abbas diceris, si opere non esse ꝓbaris. Nihil turpius in Abbate, quā subditis exemplo nolle præcedere. Corpora malus Medicus, animos imperit⁹ rector occidit. Debet autē Abbas esse sicut sapiens Medicus discretus, vt sciat quēadmodū quælibet culpa emendanda sit, quia prout rerum & personarum varietas exigit, ita se exhibere oportet, nec se mutet, sed potius aptet ipsi personæ & causæ. Vnde bene sequitur.

Et alium quidem blandimentis, alium vero increpationibus, alium suasionibus, & secundum vniuscuiusque qualitatem vel intelligentiam.

27

ABbas qui cunctorum morib. seruire cogitur, necesse est, vt omniū fratrū actus diligentissime exploret: quatenus vnicuiq; ad salutē cōuenientē valeat adhibere medicinā: nā qui vulneris nescit causam, salutis nō potest ministrare medelam. Ideoq; Ieremiæ 6. Dominus pastorib. loquitur dicens, *Probatorē dedi te in populo meo robustū & scies & probabis vias eorum.* Prælatus speculator est morū subditorū suorum, quem scire oportet, quomodo cuilibet occurrere debeat. Verū tamē sicut beatus pater noster dicit, non sit nimis suspitiosus, alioquin nūquā quiesceret, cum omni discretione, quidquid facere debet, impleat. Neq; dicit, nō sit suspitiosus tantū, sed p̄misit, nimis, quia omne nimiū vitiosum reputatur. Decet eum, imo oportet aliqualiter esse suspiciosum, quaten⁹ subditis semper maneat suspectus, quia magna pars peccatorū tollitur, si is, qui corrigit, semper suspectus habetur. Et aliū q̄dem blandimentis corrigat, vel emendet, quia infirmi plus persuasionib. blandis emendātur, quā cōminationib⁹: nam benevolentia plus, quam seueritas cōtra corrigendos agere debet, *45. dist. Licet nonnunquā.* Et ibidē, non asperitate, sed benevolentia subditos Prælati corripiant. c. *Licet plerūq;*. Sæpe. n. cū subditos Prælati durius arguunt viā eis emēdationis indiscrete p̄cludunt. Porro qui blandimentis non corrigitur, necesse est, vt durius increpetur. Et alius suasionib. ad emendationē vitiorū ducēdus erit, secundumq; vniuscuiusq; intelligentiam & qualitatem, quia non omnia omnibus æque prosunt, quoniam vnus illius, alter alterius complexionis seu naturæ est.

Ita se cunctis conformet & coaptet, vt non solum detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verum in augmentatione boni gregis congaudeat. 28

ABbas qui Medicus spiritualis esse debet & animas regere & curare, ita se cūctis fratrib. suis habebit cōformare obsecrando, arguendo, increpando, qualem vniuscuiusq; nouit inclinatā naturā, sicut iam supra dictū est. Exhibeat se omnibus piū & mitē, maxime capacibus, qui verbis ꝓficiūt seu exempli: māsuetudinem tamē nunq̄ auertat ab infirmis fratribus, sed appareat eis mitis & affabilis, ita tamē vt disciplina non dissoluatur. In iudiciis faciendis semper misericordia super exaltet iudiciū, quia tutius de misericordia, quam de indiscreta iustitia Domino poterit respondere altissimo. Ait quippe

Gregor. Gregorius, *Omnis qui iuste iudicat, stateram in manu gestat in vtroq; perpenso iustitiam & misericordiam portat. Sed per iustitiam reddit peccatis sententiam, per misericordiam peccati temperat pœnã, vt iuste libra misericordiæ quædam per æquitatem corrigat, quædam vero per miserationem indulgeat.* Qui iudicia Dei oculis suis præponit semper timens & tremens in omni negotio formidat, ne de iustitiæ tramite deuians cadat, & vnde non iustificatur, inde potius condemnetur. Disciplina non est seruanda sine misericordia, nec misericordia sine disci-

Greg. 20. mor. c. 6. plina, *45. distinctione cap. disciplina vel misericordia.* nam qui remittit & qui corripit vterque miseretur. *ibidem. Et qui emendat.*

Aug. in Enchir. c. 72. Correptio sine misericordia est vinũ infundere vlceri sine oleo. Vinũ cum oleo vulneri adhibeantur, id est iustitia cũ misericordia, vt per vinũ mordeantur vul-

Psal. 140. nera, & per oleum foueantur, quatenus vnusquisq; qui sanandis vulneribus præest, in vino morsum districtionis adhibeat, in oleo molliciem pietatis, quoniã alterum sine altero mortiferum est. Vnde Psalmista probans oleum sine vino mortiferum aiebat. *Corripiat me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autẽ peccatoris nõ impinguet caput meũ.* Sed quis iustus est, vt corripiat delinquentem? Puto qui ex caritate me corripit, iustus sit ad corripiendum delinquentes. Qui.n.ex odio arguit iustus non est. Solemus gaudere, si hos quos nobis Dominus commisit, custodire valemus, quia reuera gaudẽdum est, vt si non possumus plures lucri facere, neminem tamẽ de nostris perdamus. Sed S. Benedictus nos docet tales erga, subditos exhibere, vt non solum non doleamus nos detrimenta passos in grege Dominico, verum de vsura & augmentatione boni gregis per nostram solicitudinem factis gaudeamus, quatenus Domino dicere valeamus, *Domine quinq; talenta tradidisti mihi*, id est quinq; animas regendas: ecce alia quinq;, quæ fiunt decem superlucratus sum ad vitam æternã tibi Domino destinãdo. Valde enim nobis timendum est paradigma Domini de seruo inutili, qui talentum sibi creditum abiens foderat in terrã, ne nostram pigritiam sequentes nõ solum fratres nõ reddamus exẽplis & verbis meliores in sanctitate, verum, quod dolendum esset, peruersis nostris actibus, aut indiscretis increpationibus faceremus deteriores. Et ergo quicunq; suscipit officium & nomẽ Abbatis, maximis se periculis sciat inuolutum, si ea, quæ gregi domini necessaria sunt ministrare neglexerit. Oportet vt ipse exemplo, quantum possibile est, præcedat, & verbo subditos exhortari vt sequantur, obsecrare obedientes vt proficiant, arguere negligentes, vt se emendẽt, corripere inquietos, vt desistant. Ante omnia, ne subtrahat eis verbum salutis, licet videantur aliqui in doctrina ipso meliores, quia ipsi creditæ sunt oues domini, quia non est mundus à sanguine subditorum, qui Dei consiliũ illis nõ annunciat, 43. distinct. c. Ephesiis. Ita se exhibeat subditis Abbas, talẽ impendat diligentiæ solicitudinem, vt cum augmentatione gregis Domino ad nuptias veniente plenis oleo lampadibus & accensis valeat occurrere, vt sibi dicatur. *Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te cõstituam, intra in gaudium domini Dei tui,* O quam iucunda vox domini Dei ista, o quam secure tunc stabit, qui iam pro grege dominico vigilare nõ desinit, o quam bene ei erit, qui iam misericordiam fratrum Deo fideliter seruientiũ & augere & custodire domino auxiliante mediante sua laudabili vita cum omni diligentia nouit.

Greg. li. 1. ep. 33.

Ante omnia ne dissimulans, aut parui pendens salutem animarum sibi commissarum.

SIcvt dictum est, ars artium est regimen animarum, & tot periculis plenum, quod bene gubernantibus solet facere incitamenta ad meritum. Quis enim potest æstimare, quantæ calamitatis & miseriæ sit Prælatum in districto Dei iudicio stare, & pro omnibus sibi commissis Deo rationem reddere? Quid respondebit Abbas domino, si nequiuerit ei reddere fratres, quos sibi commisit? Ergo ne dissimulet aut parui pendat salutem animarum sibi commissarũ pro quacunq; re, quoniam melius esset, vt omnis huius mundi substantia periret, quã vna anima, quæ non auro vel argento sed pretiosissimo sanguine Domini nostri Iesu Christi redempta est. Prætiosior est vna anima, quam tota huius mundi substantia; sed heu quam viliter iam à plerisque

que æstimatur, qui aurum & argentum cumulando præferunt animab. suis? Sed Abbas hanc Sancti Patris regulã professus cogitet quid sit anima, quo pretio redempta, à quo, quare, & quomodo sibi cõmissa non solum sua, sed omniũ subditorum suorũ animæ, pro quibus ita Domino respondebit, sicut pro anima sua. Faciat ergo, vt sapiens Medicus infundẽs oleum & vinum id est, exhortando, obsecrando, arguendo, increpando cũ omni patientia & modestia. Nouerit ẽt aliquãdo dissimulare prudenter vitia subditorum, nam quædam mala sunt punienda, & quædam toleranda *33. quæstione 4. Quidam cum bonorũ.* Vnde ait Isidorus de summo bono, *plerumq; princeps iustus ẽt malorũ errores dissimulare nouit, non q̃ iniquitati consentiat, sed quod aptum tempus correctionis exspectat, quando eorũ vitia vel emendare valeat vel punire.* Et Augustinus dicit, *Tu bonus tolera malum, nam & Christus Iudam, cum sciret furem esse, tolerauit, ad prædicandum misit, eiq; cũ aliis Eucharistiam dedit.* Veruntamen sic tolerandi sunt mali, vt nõ inficiantur boni. Ad tempus sapiens tacebit, & Medicus vt facilius ægroto succurrat, temperare medicamenta nouit; ita quoq; & Abbas cogitur interdũ exspectare tempus cõueniens, vt emendet delinquentẽ. Vnde sapiens dicit, *Omnia tempus habent.* Videmus nempe Medicos plenitudinem obseruare lunę, ascensum solis, dies quoque mensium, & horas diei, in quib. conuenientem infirmo valeant cõferre medicinam. Si hæc faciunt Medici corporũ mortalium, quid faciendum putamus rectoribus & Medicis animarum semper viuentium? Certe tempus congruũ exspectandũ est, quo melius valeamus corripere delinquentem, quoniam nõ semper in eos qui peccant, vindicta est exercenda *33. quæst. 4. Ipsa pietas.* Nõ tamen dico, q̃ dissimulandum sit, nam consentire cõuincitur, qui cum possit, peruersis negligit obuiare, *2. quæst. 7. Negligere*, sed tẽpus congruum exspectandũ, in quo corrigendi animus ea, quæ dicuntur tranquilla valeat carpere castigatione. Verũtamen multi interdum tolerandi sunt, aliqui corrigendi, aliqui tanq̃ nesciantur, sustinendi *2. quæst. 1. Multi corrigũtur.* quomodo potero emendare sæuiẽtem, & furore laborantem? quia quanto ei plura dixero, tanto minora suscipiet, quoniam quid faciat ignorat. Plus proficit amica correctio apud sensatum, q̃ centum plagæ apud furentẽ, quoniam sui capax nõ est, & quomodo recipiet, si quid dixeris ei? Non recipiet. Sis ergo in omnib. operibus tuis temperatus vnicuiq; operi suũ attribuens tempus; nam valde opus ornat, temporis debiti decus. Noli parcere delinquenti nimiũ pœnam relaxando, sed culpam dimitte, quantum tibi licet, quoniam facientis culpam habet, qui q̃ potest corrigere, negligit emendare, nã non solum qui faciunt, sed ẽt qui cõsentiunt, participes iudicantur. Hostem in se nutrit, qui subdito delinquenti nimis ignoscit. Si autem in corripiendo quiq; modũ excesserit, nõ à subditis, sed à Deo veniam petat. *80. distinct. Quando necessitas disciplinæ.* Quia sic quædam oriretur subditis superbiæ causa & peccãdi audacia, dum se etiã correptos senserint à maiori venerari. Omni diligentia & vigilãtia instet Abbas, quatenus si possibile est misericordiam fratrum sibi commissorũ semper augeat in meritis & in personis, & bonus grex domini sui gaudiũ ipsius sit, vt dicat. Nonne gaudium meũ vos estis, quatenus domino cum digna possit occurrere vsura. Et ergo semper in exhortando, in docendo, in obsecrando, arguendo, seu vbi necessariũ fuerit increpando & corripiendo perseuerans nõ cesset, donec mereatur à domino suo audire, cum venerit. Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis.

Isidor. l. 3. c. 50.

Augustin. tract. 50. in Ioan.

Eccl. 3.

Tempus in corrigendo exspectandũ.

Non plus gerat solicitudinem de reb. transitoriis & terrenis atq; caducis, sed semper cogitet, quia animas suscepit regendas, de quibus rationem redditurus est. 30 ✱

SOlicitus dicitur, vt ait Isidorus in etymol. quasi sollercitus, in quantũ scilicet aliquis ex quadam sollertia animi velox est ad prosequendũ ea, quæ sunt agẽda. Abbas ergo, qui sine solicitudine esse nõ potest, duab. premitur occupationibus, tẽporali videlicet & spirituali; qlibet etiã quantũ possibile est, ambabus satisfacere tenet. Vna autẽ harũ plus alia est necessaria, videlicet spiritualis solicitudo, quoniã anima plº est, q̃ corpº; sed homines natura prni ad tẽporalia, spiritualia faciliter post ponunt, & corpori nedũ necessaria sed ẽt superflua procurare solẽt neglectis, q̃ magis necessaria sũt ipsis animab. ideoq;

Isidorus lib. 10.

Sanctus

Abbati spiritualia potius, quam temporalia curãda.

Sanctus Benedictus Abbatem reddit admonitum, vt solicitudinem terrenorum non præferat spiritualibus, sed cogitet se suscepisse animas regendas, de quibus DEO rationem redditurus est, quarum tanta est pretiositas, vt Christus pro ipsis mori non recusauerit. Geret solicitudinem de temporalibus necesse est, sed nõ maiorem quam de spiritualibus, quia ista vtiliora sunt, quamuis & illa necessaria. Ait enim Bernardus in sermone. *Præoccupatum negotiis secularibus animum sancta delectatio declinat, nec misceri poterunt vana veris, æterna caducis, spiritualia corporeis, summa imis, vt pariter sapias, quæ sursum sunt, & quæ super terram.* Et Gregorius in Moralibus. *Occupatio secularium dignitatum tanto facilioribus vitiis præmitur, quanto maioribus curis grauatur.* In istis visibilibus quæ intuemur cor nostrum extra se spargitur, & quid de his intrinsecus agatur, obliuiscitur, dum extrinsecus occupatur. O infelix anima quid solicita es erga plurima, porro cum vnum sit necessariũ. Dilige vnum, in quo sunt omnia, & ibi fige cor tuum & desiderium. Felices ciues illius ciuitatis, cuius participes eius in id ipsum, mundus enim transit, & concupiscentia eius. Multæ solicitudines præsidentium, à quibus, qui liberatur, felix est. Ait enim Gregorius in Moralib. *Sæpe misericors Deus suos quos tenere diligit, eos solicite ab exterioribus actionibus custodit.* Difficile quippe videtur debitam in spiritualibus posse quempiam exhibere diligentiam, & etiam terrena, quæ ad corporis sustentationem necessaria sunt procurare. Vnde Dominus in Euangelio dicit, *Nemo potest Deo seruire & Mammonæ.* Vere felix anima, quæ sic agit actiuam, vt non amittat contemplatiuam vitam, quod valde rarum est, quia nec potest duobus dominis seruire. Sed quæro an hic sint duo domini, quibus seruiatur? Dico quod non. Vnus Dominus, vna fides & omnia, quæ in fide fiũt, Domino nostro placita sunt. Si enim omnes vacarent contemplationi, quis corpus foueret? Deficiente Martha, non potest subsistere Maria. Maria de gratia Marthæ viuit: porro Martha de societate Mariæ cõfidit. Oportet aliquẽ eligere, qui ministerium Marthæ impendat domino, quatenus Maria quiete possit audire verbum Domini. Sic Abbas qui & Marthæ officium agere cogitur, & Mariæ silentium non amittere fratres inquite contemplationis fouet. Abbas eligat vnum de fratribus suis fidelem, castum, pium, & sobrium de cuius solicitudine sit certus, & committat illi officii sui partem, procurandam, sicut Moysem fecisse legimus, ne ipse solus grauetur, & ille agat curam de omnibus sibi commissis, quatenus & ipse Abbas à quiete contemplationis, & sacræ lectionis non cogatur recedere, quia valde indecens est, vt is, qui aliis præest, in studio cõtemplationis inueniatur inferior. Cellarius itaque, quantum possibile est de exterioribus, leuibus, & quotidianis rebus præuia commissione Abbatis curam agat, vt Abbas non faciliter de quiete sacræ dormitionis cogatur exire, sed possit vacare contemplationi & studio sacræ lectionis, vt discipulorum mentibus, quod infundat, habeat semper in promptu. Ipse etiam frater cellarius nequaquam cellæ quietẽ declinet, sed certis horis & temporibus, quotiescunq; sibi licet, cum columba ad arcæ quietem reuertatur, ibi diligenter considerans, quis sit, qualisue esse debeat, qui cæteris digne ministrare constituitur, Talis solicitudo sanctorum est, vt ita vacare soleant contemplationi, quatenus per indiscretam quietem non faciãt de rapina holocaustum. Ait quippe Gregorius 16. Moralium 56. c. *Hæc nãq; est solicitudo iustorũ, vt actus suos quotidie iuxta vias veritatis examinent, & eas sibi in regulam proponentes à* rectitudinis earum tramite nõ declinẽt, super semetipsos quotidie ire contendunt, & quo in virtutum verticem prouehantur cauta reprehensione diiudicant quidquid de semetipsis ex eis remanet, infra semet ipsos, & totos se illo festinant trahere, vbi se inueniunt ex parte peruenisse. Hæc solicitudo sit Abbati, vt gregem sibi commissum bene custodiat & regat, exemplo eos præcedendo, verbo exhortando, & cum necesse est zelo iustitiæ arguendo, quoniam sine dubio pro ipsis DEO rationem redditurus est. Non sit ei maior diligentia in terrenis & caducis rebus congregandis quam in animabus immortalibus gubernandis; quare non quam multas diuitias monasterio, sed quam multas animas lucratus sit Deo ratio erit reddenda. Quid enim prodest, si omnẽ mundi huius substantiam congregauerit monasterio, & per

Bernar. serm. 6. de ascens. d.

Gregor.

Gregor.

Matth. 7.

Abbatis socium pro tẽporal. assumat.

Cellarii munus.

per negligẽtiam ſuam animas ſubtraxerit Deo? Diuitiæ ꝓpter animas, non autẽ animæ ꝓpter diuitias ſunt. Sumẽ cauenda eſt cupiditas auaritiæ in Abbate, quoniam nemo põt terrenis intendere lucris & cæleſtibus diſciplinis, & nunq̃ dives erit, qui ſe credit egentem. Vnde ait Damaſcenus. *Nulli dubiũ, quin maior cruciatus ſit auari omnia poſſidẽtis, q̃ pauperis penitus nil habentis.* Valde.n. deſtabile eſt in monachis auaritia, qui mundum cũ omnibus ſuis reliquerunt, ſi iam iterum cupiditati ſtudent. Scriptum eſt.n. *Radix omniũ malorum cupiditas.* Ait quippe Auguſt. *Male dictus d ſpenſator auarus, cuius largus eſt dominus.* Q d hoc eſt domum cõiungere domui, agros & prata augere, aurũ & argentum atq; pecunias congregare, cum monachus horum non indigeat. Vere infelix omnis auarus, cui nec ſufficeret mundus. Vnde ait Bernard. *Cupiditas omniũ criminum mater eſt, nũquam ſatiari nouit auarus, ſemper cupidus egẽt.* Diuitiæ non ſatiant, ſed irritant poſſidentem, quia quanto plus habet auarus, tanto amplius cupit habere. Vnde ſapiens ait. *Quid prodeſt ſtulto diuitias habere, cũ ſapientiam emere non poſſit?* Quid monaſterio ꝓſunt diuitiæ auri & argẽti, cũ egeat in ſanctitate? Sunt quippe nonnulli adeo inter religioſos auari, vt nunq̃ dicant, ſufficit. Cõgregant aurũ, faciunt q̃ iam, quæ dicere nefas eſt, decimas emunt, curias opulentas attrahunt nec vnquã ſatiari poſſunt, nam maior eis cura eſt, quomodo diuitiæ ſiant in auro, quã vt opulenti ſint in propoſito Sancto. Cõtra quos ſcriptũ eſt Iſaiæ. 5. *Væ qui coniungitis domũ ad domum & agrum agro copulatis vſq; ad terminũ loci.* O quantum diſtamus nos à ſancta illa Patris noſtri Benedicti cõgregatione, quæ oĩa propter Deum ꝓpter modicũ olei dedit pauperibus? Vere pauperes ſumꝰ, & diuites miſerrimi. Cõcludimus aurũ in ciſtis, & pauperes clamant nec exaudimus. O miſer hominũ ſtatus ad quid deueniſti? Et quid dicam? Scriptum eſt, *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Sed iã alter alterius oĩa cupit, nõ fratrem adiuuans, ſed potius deprimens. Abbas, vel monachus qui pecuniã abſcondit in terra, Diabolo domicilium facit. Nullus auarus regnum Dei poſſidebit. Ait namq; Origenes. *Auaritia plena eſt omni dolo, aſſidua in mẽdacio, decipit & occidit.* Sane dicam q; omnis prorſus auarus æternaliter interibit. Dicit et Bernard. *Omni peccato peior eſt auaritia, & amor pecuniarũ.* Hinc Leo Papa, *Nullũ peccatũ ſine cupiditate cõmittitur, & omnis* illicitus appetitus iſtius auiditatis eſt morb. amãti pecuniã. In nullo auarus bonus, ſed in ſe ſemper peſſimus. Valde rarũ eſt, vt ad requiem tendat, qui bona tẽporalia poſſidet. Vnde ait Auguſt. *Diuitias inueniſti, requiem perdidiſti. dũ vigilas, augmentũ diuitiarũ cogitas, in nocte latrones ſomnias, in die ſolicitus, in nocte pauidus, & ſic omni tẽpore mendicus.* Habentes autem victũ & amictũ his contenti ſimus. Ait quippe Ambr. in libro de officiis. *Cum augere opes, aggregare pecunias, occupare terras, poſſeſſionibus, cupimus præſtare diuitiis, iuſtitiæ formã exuimus, beneficentiã cõmunem amittimus.* Et Augu. *Quicunq; cupiditate tanguntur poſſeſſiuus eſt, nõ poſſeſſor.* Qui.n. diuitias congregat ſeruus non dominus ipſarũ eſt. Vnde dicit Beatus Hier. *Qui diuitiarũ ſeruus eſt, diuitias cuſtodit vt ſeruus, qui autem ſeruitutis diſcuſſerit iugum, diſtribuit eas vt dominus.* Quid prodeſt ſi Abbas multas cõgregat pecunias pro monaſterio, & pauperes quoſque non alat pro Chriſto? Semper mediocritas beata eſt, omne quippe nimiũ vitioſum. Gaudeat Prælatus non in diuitiis, quas congregat, ſed in animabus, quas Deo laudabiliter gubernat. Ait enim Bernardus. *Veræ diuitiæ non opes ſunt, ſed virtutes, quas ſecũ conſcientia portat, vt in perpetuum dives ſiat.* Cũ enim habemus neceſſaria victus & amictus ſecundũ Apoſtolum his ſimus contenti, quoniã quidquid amplius habemus vel retinemus noſtrum non eſt, ſed Chriſti pauperum, & illis erogari oportet. Sed ne ſe quiſquam excuſet propter craſtinum vel tempora forte duriora quibus repoſita neceſſaria ſunt, audiat quid ſequatur. Ait enim.

Auaritia Abbatis cauenda.

Damaſc.

1. Tim. 6.

Auguſt.

Bern.

Prou. 17.

Gal. 6.

Origenes.

Bern.

Leo ſerm. 9. de paſſ. domin.

Auguſt.

Amb. l. 1. c. 28.

Auguſt.

Hiero. in c. 6. Mat.

Berna. in ſermo. 4. de aduentu.

Et ne cauſetur de minori forte ſubſtantia, meminerit ſcriptum. Primum quærite regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. 31 *Matt. 6.*

Diuitiæ cauſus omnis religionis cauſa ſæpe fuiſſe leguntur, quia impoſſibile eſt virtutes ſimul poſſidere & diuitias, nam ſuperbiæ origo diuitiæ cõprobãtur. Beatus Benedictus ſuperius Abbatẽ non maiorem de tẽporalibus quam de ſpiritualibus curã habere edocuit, ſed quoniã poſſet aliquis cauſari & dicere, pauperes ſumus, nihil habemus, vnde ſuſtẽtemur, deficimus: admonet eũ quomodo diuites fiant monachi in ſpiritualib. & ẽt tẽporalib. neceſſariis, quia virtutes clerum ditarũt, vitia pauperem fecerunt. In primitiua namq; Eccleſia quando ordo ſacratus incepit monachorũ, vita ipſa laudabilis monaſteria ditauit, cũ vndiq; cõflueret fideliũ turba offerens Dei famulis diuerſa munera, aurũ & argentũ domos

Monaſteria opulẽta facta ob virtutem monacho.

mos & agros propter Deum, quia videbant Deum in seruis suis operantem. Sic quoq; in principio ordinis Cistertiensium propter nouam laudabilem conuersationem ipsorum mirabiliter monasteria in temporalibus excreuerunt, adeo vt nonnulla excedant diuitias principum excellentiũ. Vnde hoc, nisi quod Deum timentes monasticam inuiolabiliter seruabant disciplinam. Scriptum est. n. *Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum.* Bene ergo dicit, *Primum quærite regnum Dei & iustitiam eius, & hæc*, videlicet corpori necessaria, *adijcientur vobis. Multa bona habebis*, ait Tobias, *si timueris Deum.* Deus enim nunquã dereliquit sperantes in se, quoniam ipsi est cura de nobis. Putamus fratres Sanctum Benedictum equos vel mulos habuisse tam pretiosos cum sellis deauratis, sicut videmus quosdã iam habere? Certe non puto. Quid legimus de Sancto Martino Archiepiscopo, qui non in equo eleuato, sed in humili asello equitabat, capistro vtens pro freno. Et Abbates nostri pauperes in equis non omnibus, sed quibusque melioribus hinc inde cursitant frena aurea vel argentea habẽtes in manibus? O vanitas vanitatum, non tam vana quam insana, quid ista præsumptio? Videt aliquis diues seculi huius Abbatẽ aliquem ita equitantem, cogitat apud se. monachi isti diuites sunt, eleemosyna nõ indigent, male vtuntur acquisitis: retinebo ego dona mea mihi, ne ita inutiliter consumantur. nã q; sint diuites, ipsorum paret in frenis; quoniã nõ vt Monachi sed milites sedere in equis probantur; nam pompa seculi, monachos non decet. Si equitaret vt monachus, facile deciperet me. Eleemosynis omnia monasteria fundantur, deuotio eam meretur, superbia indigna est. Si vis itaque in temporalibus abundare, prius in spiritualibus proficere studeas, quia illa dantur vt seruiamus Domino, non vt p̃cedant, sed vt tanq̃ necessaria necessarioribus famulentur. Ideo datur mihi Eleemosyna, vt viuere valeam, & in Dei seruitio perseuerare, non autẽ ꝓpterea seruio domino, vt eleemosynam accipiam, nec propterea viuo, vt comedam, sed comedo vt viuam. Prima q̃ppe causa in sui æstimatione cuiuslibet ei nobilior est. Timeamus Dominum seruientes in præceptis eius die ac nocte & non derelinquet nos, ipse. n. ꝓcurator noster est, & curã nostri habet. Paterfamilias est, nos autem serui eius, si fideliter in vinea sua vel in messe laborauerimus, ipse cibabit nos. Scimus quoniã Deus non derelinquet in se confidentes, nec pane egent corporali, qui seruiunt Regi immortali. Vnde Propheta ait. *Iunior fui & senui, & non vidi iustũ derelictum, nec semen quærens panem.* Quod si verum est, imo verum est, quid soliciti sumus de crastino? monachi sumus pauperes Christum pauperem sequentes, q̃d nobis & diuitiis? Habentes victum & amictum his contenti esse debemus. Dicite monachi in clausto quid facit aurum? Vere superbos monachos aurum facere solet. Superbus autẽ monachus Diabolo similis est. O fratres fratres qui seculum reliquistis Deum Christum pauperem imitari proponentes, quid faciet vobis Deus cum venerit in iudiciũ suum, si cõtigerit vos, vt aliquos videmus, cum vxore Loth respicere retro, mundum amare, diuitias concupiscere, aurum & argẽtum cumulare, oĩbus velle abundare, nihil ꝓ Christo pati, serui facti ventris, nihil præter terrenum sapientes, quib. nec mundus sufficeret? O fratres mei carissimi, sic non itur ad astra, sic non promeretur Deus, sic ianua cęlestis nemini aperitur, sed est vna regula, quam nemo nostrum ignorat, secundum q̃ nos viuere oportet, quia non aliunde nisi per illam regnum Dei possidetur. Vna inquam, regula parua in verbis, magna in rebus, facilis in sermone, difficilis in opere, cito profertur verbo, difficulter ostenditur exemplo, nam oẽs, quantum in nobis est, fugimus eam, quia contraria nobis videtur, & omne cõtrarium natura declinat. Quę est ista regula? Apostolica est. Ait. n. Lucas in actib. Apostolum. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnũ Dei.* Ecce regula, sub cuius conditione Dei possidetur regnum, extra quã nemo regnabit. Quid est monachus delitias quærẽs, nisi fomes delicti. Vitam monachi abstinentia ornat, obediẽtia decorat, patientia approbat. Si non dantur nobis epulæ exquisitę, murmuramus, si vinum exiguum est; cum tamen legamus vinum omnino monachorum non esse, respuimus dicentes, dentur nobis necessaria, vt viuere valeamus & onera portare

Psal. 33. *Tob. 4.* *Abbates in equis superbiẽtes arguuntur.* *Deus non deseret monachos pauperes.* *Psal. 36* *Monachus superbus Diabolo similis.* *Act. 14.*

portare diei & æstus. Et ita necessaria postulando, superflua possidemus, & adhuc egemus. O monache, sic non satisfacis regulæ tuæ, quam assumpsisti, factus es sub Christo paupere diues, qui sub diabolo locuplete egebas, & tamen murmurare non cessas? Hæ sunt veræ diuitiæ monachorum, obedientia prompta, patientia vera, conscientia pura, concordia fratrum, & amor proximorum. Ante omnia quærite regnum Dei & iustitiam eius, videlicet opera bona atq; virtutes, & omnia necessaria corporibus adiicientur vobis.

32 *Psal. 34. Et iterum. Nihil deest timentibus eum.*

TImor Domini possessio firma. Timentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Qui Deum habet, omnia possidet, quoniam Deus omnia in nobis. Timeamus itaq; eum, & multa bona habebimus, nam Deus non derelinquet in se sperantes. Studeat Abbas primum quærere regnum Dei, & eum timere, ac animarum sibi commissarum solicitam habere diligentiam & Deus de necessariis prouidebit, ita vt & ipse debitam licitamque nõ omittat adhibere solicitudinem. Non plus de corporibus, quam de animabus solicitudinem gerat, memor quid sequitur.

Sciatque Abbas, quia qui suscepit animas 33
regendas, præparet se ad rationem reddendam in die iudicii.

QVid sibi vult sanctus Benedictus toties Abbatem de ratione reddenda in die domini exhortando? Vere aliquid latet, quod non omnibus patet, quam districtus futurus sit Iudex, qui nouit abscondita cordis, quem nemo fallere potest, qui non accipit munera, vt iudicium peruertat, qui subsidio nemini contra iustitiam erit, apud quem plus valet conscientia pura, quam subtilia verba, qui vnicuiq; redditurus est secundum merita
Eccl. 7. sua. Scriptum est, *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Quid est memorare nouissima, nisi se quotidie ad rationem reddendam Deo præparare? Ergo qui suscepit animas sub cura sua regendas, præparet se discutiendo quotidie vitam suam vel doctrinam, & disciplinam subditorum ad rationem reddendam, cogitans apud semetipsum. Si iam mori deberes quomodo stares corã Deo, quid * responderes de vita tua & subditorum tuorum inemendata? Et sic iugiter meditando omnia, quæ conscientiam grauãt, amputet & emendet, ac si iam rationem reddere deberet; quia pro certo veniet dies domini tanquam fur in nocte cum minime putatur. Beatus ille seruus, quem dominus tunc inuenerit vigilantem.

Et quantum sub cura sua fratrum se habere 34
scierit numerum agnoscat pro certo, quod in die iudicii ipsarum omnium animarum redditurus est Domino rationem, sine dubio addita & suæ animæ.

VNusquisque hominum propriam animã habet, & ergo tot animæ, quot homines sunt, esse probantur. Abbas autem, qui habet sub cura sua viginti fratres, in die iudicii pro tot animabus Deo rationem reddet, addita quoq; ratione animæ suæ. Si itaq; Abbas rationis huius reddendæ diem semper ante oculos mentis ponit, statim, an securus accedere possit, inueniet. Quomodo inquis? Si ipse quod primo exigitur, subditos exemplo bono præcedit, & doctrina quotidiana salubri ad imitandum exhortatur, si infirmos, quantum possibile est, curare studet, ne pereant, si inquietos ac superbos corripit, si in omnibus regulam iuxta quod valet obseruare contendit, si subditis præmia iustorum & tormenta malorum annunciat, si quod verbo docet, exemplo ostendit, puto securus rationem reddet, quia, quod potuit, fecit, & curam dominico gregi debitã impendit. Cætera ad capitulum de ordinatione Abbatis Deo annuente differenda reseruemus.

Et ita semper timens futuram discussio- 35
nem pastor de creditis sibi ouibus cum de alienis rationibus cauet, redditur de

suis solicitus, & cum de admonitionibus suis emendationem aliis subministrat, ipse efficitur à vitiis emendatus.

ABbas enim, si futuram discussionem, qua pro aliis respondere cogetur in memoria quotidie reuoluens, inceperit pauide exspectare, incipiet suam sine dubio immaculatam custodire vitam, quatenus tanto securior respondeat ad aliena, quanto diligentius emendauerit sua. Si alios cogimur emendare, quid respondebimus, si nos ipsos negligimus? Prudens itaq; pastor cum se de commissis ouibus cogitat rationem redditurum, studet vtiq; vitia corrigere subditorum, quatenus securius respondeat Domino gregis, quod vt facilius valeat, se ipsum primo emendat, quia non debet vitia aliorum corrigere, qui adhuc in suis sordescit. Emendare autem possumus vitia gratia Dei nos præcedente, sed non possumus non peccare: quia opus sapientis est emendare; solius autem Dei peccare, *de pœnitentia distinctione 3. Inter hæc.* Studeat Abbas emendare seipsum primo, vt securus valeat reprehendere, quod non inuenit in semetipso, nam qui se ipsum non docet, alios docere non potest. Memor sit semper diei futuræ, quomodo respondere queat domino de ouibus sibi commissis, & ita emendans seipsum, & alios, gratia doctrinæ & exemplo studeat augere misericordiam sub eo Deo seruientium, quatenus ad nuptias veniente domino dignam reportet vsuram, vt audire mereatur illud Euangelicum. *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Mat. 25.

DE ADHIBENDIS AD CONSILIVM FRATRIBVS.

CAPVT III.

Quoties aliqua præcipua agenda sunt in monasterio, conuocet Abbas omnem congregationem, & dicat ipse vnde agitur, & audiens consilium fratrum tractet apud se, & quod vtilius iudicauerit, faciat.

IN magnorum discriminum angustiis, vbi domestica consilia remedium non inuenerunt, eorum suffragia implorentur, quorum prudentiam altioribus negociis experientia diuturnior approbauit. Quæ quidem non in annorum numero tantum computatur, cum Daniel iuuenis senes damnauerit presbyteros, sed potius in sapientia & timore Domini, à quo omne consilium stabile procedit, quia sæpius Deus reuelat iuniori, quod melius est. *Quoties ergo aliqua præcipua* id est, ardua vel magna, quæ aut Abbati sine consensu fratrum facere non licet, aut forte non plene intelligit, agenda sunt, *conuocet omnem congregationem* fratrũ suorum interesse habentium, & proponat ipsis conuocationis causam, audire cupiens consilium eorum desuper. Videtur mihi sanctum Benedictum Abbati limitatam in agendis tradere potestatẽ, vt non quod sibi placet, agat, sed quod interdũ cõsuluerint fratres. Sed hoc non in omnibus faciendum iubet, nisi in arduis tantum. Monetur quomodo sanctus Benedictus in rebus præcipuis agendis Abbatem à fratribus consilium accipere iubet non consensum: sed consilium prẽstitum in potestate est perficientis, quia liberum esse debet. quomodo ergo intelligere possum, Abbati non licere omnia, quæ in monasterio agenda sunt, sine consensu fratrum suorumẽ Ait enim. *Et audiens consilium fratrum tractet apud se, & quod vtilius iudicauerit, faciat.* Ecce consilium petendum dicit, de consensu vero nullam facit mentionem, quin potius Abbati relinquit faciendũ, auditis consiliis fratrum, quod ipse iudicauerit vtilius.

Consiliũ fratrum in arduis tantum adhibendum Abbati.

Videtur

Abbas nõ requirit consensũ fratrum, sed tantũ consilium

Obiectio.

Videtur itaq; ex hoc quod Abbas etiam quæcunque in monasterio agenda sunt sine consensu conuentus facere possit. Sed contra hanc opinionem audiamus quid ipse dicat in capitulo præcedenti de Abbate. Ait enim. *Ideoq; Abbas nihil extra præceptum domini quod absit, aut docere debet, aut constituere vel iubere.* Sed dices forsitan. Extra præceptum domini non est, facere vel constituere sine consensu subditorum, quia regula, quæ Euangelio concordat, hoc admittere videtur cum dicat, *& quod vtilius esse iudicauerit, faciat.* Sed quæro. Estne contra præceptum domini non obedire superioribus? Respondes. Contra Euangelium est. Si ergo contra præceptum Domini agit, qui superioribus suis in licitis & honestis atque salutaribus contemnit obedire: Abbas, qui sine consensu fratrum suorum ardua & præcipue grauia præsumit agere, superiorum suorum constitutionibus videlicet summorum Pontificum probatur contraire & inobediens ipsis contra præceptum Domini agit, quo ipsis obedire iubemur dicente domino. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.*

Luc. 10.

Responsio.

Qui itaq; contra præcepta summorum pontificum præsumit agere, eos videtur contemnere, sed qui eos spernit, vt dictum est, Deum spernere comprobatur. Sunt ergo quędam, quę Abbati sine consensu fratrum agere non licet, & iterum alia, quæ sine ipsorum voluntate etiam ipsis inuitis facere potest. Quod autem quædam sint, quæ sine ipsorum consensu facere non potest, patet 12. *quæstione 2. sine exceptione.* Vbi manifeste dicitur, quod Episcopo res Ecclesiæ sine consensu clericorum suorum alienare non licet.

Quæ Abbas sine consensu fratrum facere nequeat.

1.

Nam conuentu contradicente Abbas seu Episcopus res Ecclesiæ aut vendere, aut alienare non potest, vt, *Extra de his, quæ fiunt à Prælato. Cum nos.* Sunt itaq; quædam, quæ Abbas sine consensu fratrum suorum agere non debet. Primum est, quod Abbas non potest res monasterii immobiles, vt agros, prata, & huiusmodi vendere, nisi consentiat conuentus, si tamen licet absq; consensu diocesani vel sedis Apostolicæ. *Extra. de rebus Ecclesiæ alienandis vel non. Nulli liceat.* Nam qui res Ecclesiæ vendit, ad altare accedere prohibetur, 12. *quæstione 2. Indigne ad altare.* Et Episcopo vel Abbati res Ecclesiæ alienare non licet, *ibidem. Quisquis Episcopus.* Secundo non potest Abbas res monasterii absq; consensu & voluntate conuentus alicui hæreditario iure & perpetuo concedere, vt explicatur *de rebus Ecclesiæ alienandis. Ad audientiam nostram.* Tertio non potest recipere ad professionem Monachum sine consensu sui conuentus 24. *dist. Episcop. sine cons. &* 67. *di. Reliqui.* Abbas caput est, & monachi membra, *Extra, de his, quæ fiunt à Prælato. Nouerit.* Vnde non decet eum omissis membris aliquem recipere ad cõgregationem quia id & rationi, & honestati contrarium esset. Ergo monachis invitis Abbas neminem ad cõgregationem ipsorum tanquam verum membrum monasterii recipere potest, vt Extra. de institut. *Auctoritate Apostolicæ.* Item. Non amplius suscipiantur in monasterio monachorum aut clericorum, seu etiam puellarum, quam quot se regere de bonis Ecclesiæ absq; penuria possunt. Quarto non potest monasterium grauare cum pignoribus & aliis cautionibus, saltem magnam summam recipiendo pecuniarum super aliqua bona monasterii absq; euidenti necessitate & fratrum suorum consensu, sicut nec res immobiles à monasterio alienare. *de pignoribus. Nullus.* Sunt etiam, quæ nec Abbati, nec conuentui facere licet absq; consensu sedis Apostolicæ, vel eius legato, vt villas, vel castra, quæ in fundo monasterii sunt, vendere vel ad manus secularium transferre, & si quæ sunt huiusmodi. 12. *quæstione 2. Res in episcopatu.* Et 16. *quæstione 1. Constitutum. Ibidem. possessiones*, vbi dicitur, quod de possessionibus Ecclesiæ relictis nulli sit alienandi licentia &c. Quintum casum aliqui addere volunt, quod non liceat Abbati dimittere monachum ad aliud eiusdem ordinis se inibi stabiliendum monasterium absq; consensu cõuentus, dicentes, quod sicut congregationem augere sine ipsorum voluntate non potest, ita nec minuere. Sexto non potest aliqua statuta ipsis imponere, quę se vltra regulam extendant, nisi consentiant illi. Vnde ait Bernardus libro de præcepto & dispensatione. *Prælatus vota mea, nec augeat sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate.* Septimo non potest aliquem adconfraternitatem totius monasterii accipere spiritualiter, quia qui particeps debet esse omnium bonorum

2.

3.

4.

5.

6.

Bern.

7.

operum fratrum, ſicut vnus ipſorum neceſſario conſenſum requirit ipſorum, quorum in donis, id eſt, in meritis ſpiritualibus vult fieri particeps. Hæc de ratione & conſuetudine mihi videntur, ſaluo in omnibus iudicio ſaniori. 1. Octauo non poteſt præbendarios perpetuos recipere ad monaſterium ſine voluntate conuentus. Sunt & alii caſus, in quibus ſi non eſt ſemper neceſſarium, eſt tamen honeſtum, vt ſine fratrum ſuorum Abbas aſſenſu, eorum nihil attentet. In diſciplina autem conſeruanda poteſt Abbas ſine ipſorum conſenſu vel voluntate, ſi tamen expedit, limites regulæ non omittens, agere prout ſibi melius viſum fuerit expedire. In aliis quoq; minoribus agendis nō cogitet requirere conſenſum ipſorum, niſi aliud canonicum obſiſtat, vt puta in emptione pro vtilitate monaſterii animalium, vel frumentorum & cæterorum huiuſmodi. Tutius tamen videtur, vt omnia faciat cum conſilio, & poſt factum non pœnitebit. Conuocata itaq; congregatione fratrum dicat Abbas vnde agitur, & audiens conſilium fratrum neminem ſpernat, ſed patienter eos audiat, nō importune reſpondeat, ne fratrib. loquēdi tollatur audacia, vt quoſdam tacere nouimus, ſed ſicut ſuperius dixi, ſit liberum conſilium, nō pauore ac timore corruptum, nam timore ſæpe tacet veritatē. Et auditis ſingulorum conſiliis poteſt errantes informare, cum omni tamen patientia & lenitate, difficultatem & exitum negotii eis aperiens finem rei prænunciando, qualis futurus ſit, ſi tale habeat negotium originem, ſiue proceſſum. Ttactet deinde apud ſe vel cum ſeniorib. cuius conſilium vtilius ſit, & ſic faciat facienda, ſicut qui Deo in breui rationem villicationis ſuæ redditurus eſt. Non ſit ei cura quis dicat, ſed quid dicatur, ſiue iuuenis ſit, ſiue ſenex; qui vtilius conſilium dederit, non erit perſona ſpernenda. Ait enim regularis vitæ inſtitutor Benedict.

Ideo autem omnes ad conſilium vocari diximus, quia ſæpe dominus iuniori reuelat quod melius eſt. 2

NOn eſt acceptor perſonarum Deus, ſed meritorū, nec eſt illi cura de quo quam, quam ſapiens, ſed quam humilis & virtuoſus ſit, qui Danieli iuueni fraudem reuelauit & dolum Preſbyterorum ſenū, quiq; mundi huius infirma & humilia elegit, per quæ filium ſuum vnicum reuelaret mundo, interdum etiam noſtris temporibus non in ſomnis vel viſionibus ſed inuiſibili quodam ſpiritus ſui inſtinctu, iuniori quod melius eſt in dandis conſiliis reuelare non ceſſat. Vnde ſcriptum eſt, *Si iuniori reuelatum fuerit, ſenior taceat.* Sæpe etenim propter humilitatis excellentiā & fauorem, iunioribus Dominus reuelat, quod ſenioribus occultat. In omni gente, ætate, & conditione vel ſexu his, qui timent eum, bene placitum eſt ei, qui poteſtatem habet omnis carnis, & in quos vult ſpiritus eius gratiam ſpirat conſilii vel cuiuſlibet virtutis, gratiamq; & ſapientiam, quibus vult miniſtrat. Cani ſunt ſenſus hominum, & ætas ſenectutis vita immaculata. 1. Cor. 14.

Sic autem dent fratres conſilium cum omni humilitatis ſubiectione, vt non præſumant procaciter defendere, quod eis viſum fuerit. 3

SAnctiſſimus pater noſter Benedictus omnem prorſus præſumptionem in monaſterio aſpernatur, ſicut etiam ait c. 70. *Vitetur in monaſterio omnis præſumptionis occaſio, quæ ex ſuperbia oritur, & maxime in his vbi magni videri quis appetit.* In conſiliis itaq; ſuperborum hæc conſuetudo eſſe ſolet, vt ſuum cunctis præferant ſentimētum, ſuum optimum iudicent conſilium, & in tantam plerumq; labuntur præſumptionem, vt Prælatos conentur ad ſua perficienda conſilia interdum compellere verbis ſuperbis præſumptuoſe ipſorum conſtitutionibus derogando. Vnde ait Bernardus. *Præſumptuoſus primus in conuentibus reſidet, in conſiliis primus reſpondet, non vocatus accedit, non iuſſus ſe intromittit, reordinat ordinata, reficit facta, quidquid ipſe non fecit aut ordinauit, non recte factum, nec pulchre æſtimat ordinatum.* Ecce notanter quid dicat Beatus Benedictus, vt fratres ad conſilium vocati audita cauſa humiliter, quod eis viſum fuerit, dicāt, nec præſumat quiſquā eorum ea defendere pertinaciter id eſt, importune vel ſuperbe. Sed quid ſi omnes in vnam ſententiam conue- Bern. de grad. humil. gradu 7.

conuenerint, & Abbas tenuerit oppositum, id est aliam sententiam, vt conuentui sic & Abbati videatur aliter? Quid modo faciendum est? Debet Abbas omisso suo consilia sequi conuentus, an spreta conuentus sententia suam perficere, cum frustra consilium quærat, qui acceptis renuit vti? Si enim suo consilio agit, quæ facienda sunt, videtur omnium fratrum acceptis contraire cõsiliis, quod interdum finem rei malum imponit, cũ in multis contra omnes sapere, vt quidã ait, desipere sit. Decet tamen subditos, vt Prælati sententiæ obediant iuxta regulæ constitutionem, nec facta eius aliqua temerirate diiudicent, sed conuenit eos sobrios esse erga magistrum & deuotos 21. *distinctione Nolite*. Sed ipse pastor sic agat, vt reprehendi iuste non possit. Si autem Prælatos in agendis contigerit errare, à subditis cum omni humilitatis subiectione sunt auisandi absq; temeritate vel præsumptione. Sic enim Abbati suo monachi vniuersi obedire debent, vt acta illius ex ipsis nullus temere iudicare præsumat, sed sicut patri filii, membra capiti, cuncti humiliter seruiant obedientes.

An Abbas teneatur sequi vnanimẽ sententiã fratrum.

Subditia cta Abbatis temere non debẽt iudicare.

Cum ergo dederint consilia sua totaliter eius committant sicut regula præcepit voluntati, vt quod sibi visum fuerit, nemo defendat, ne detur occasio maligno; nam maximum malum in monacho præsumptio est, præcepta quoq; eius, si secundum Deum sunt velut imperia Dei summa cum veneratione custodiant, & implere toto corde contẽdant, scientes scriptum. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*: quod non solum de Apostolis credimus dictum, verum etiam de omnibus Ecclesiæ pastoribus.

Luc. 10.

Si vero quod absit contra Deum quidquam iusserit, non erit eius iussioni obediendum 11. *quæstione 3. Si is qui præest.* Consilium in vita est: Et ergo si quis in vobis se bonum putat dare consiliũ, præmittat opera virtutum. Ait namq; Ambr. lib. 2. de officiis, quod in acquirendis cõsiliis plurimum confert *vitæ probitas, prærogatiua virtutum, beneuolentiæ vsus, facultatis gratia. Quis ex cæno fontem requirit, quis ex turbida aqua potum petat? Vbi luxuria est, vbi intemperantia, vbi vitiorum confusio, quis non horrendum existimet, quis non despiciet morum colluuionem quis vtilem alienæ causæ iudicet, quem videt inutilem suæ vitæ?* ita quoq; frater bonæ conuersationis & famæ consilium bonum dare potest; malus vero etiam si bonum dederit consilium, vix creditur ei, Itaq; stabile consilium vita immaculata, cui plus credendum est, quam adulationibus detrahentium. Absq; odio vel amore vel commodo in necessitatibus cõsilium tantum est. Ait enim Ambr. *Quid tibi prodest habere sapientiam, si consiliũ neges, si consulendi pecuniam includas? Clausisti fontẽ, vt nec alius influat, nec tibi prosit.* Quid est consilium nisi examinandarum gubernandarumq; causarum subtilis profectus? Deliberatio autem est cuiuslibet incepti, plena maturitatis & sollertiæ consideratio. Non licet monacho coram Abbate suo consilium, quod dederit, procaciter defendere propter custodiam sanctæ humilitatis, & reuerentiam potestatis.

Amb. t. 12.

Ibid.

Sed magis in Abbatis pendeat arbitrio, vt quod salubrius esse iudicauerit, ei cuncti obediant.

RErum dispensatio Abbati credita est, vnde & ipsum Deo rationem reddere oportet,, qua in re discipulos suo tanquam Deo capiti obedire decet. In ipsius itaque sit voluntate fratrum positum consilium, vt quod sibi secundum Deum visum fuerit, declarata fratribus causa faciat, vt cognoscant omnia ipsius secundum diuina mandata dirigi præcepta.

Datis igitur fratrum consiliis Abbati suo discernendis committant, quare tanto liberi erunt à pœna, quanto alieni fuerint à culpa. Abbas qui nihil extra præceptum Domini agere debet vel mandare; sic fratrum vtatur consiliis, & sibi tradita potestate, quatenus in die iudicii Domino securus respondeat. Nam ad hoc constitutus est rector, vt errata corrigat, neglecta recuperet, & omnia, quantum in ipso est, prouide & sapienter ad gloriam Dei disponat.

Vnde sequitur.

Sed sicut discipulos conuenit obedire magistro: ita & ipsum prouide & iuste condecet cuncta disponere.

DIscipulos ex debito voti, quod Deo & sanctis eius promiserunt in manu Abbatis obedire decet; Abbatem vero ex debito iure, quod promisit in susceptione regiminis in manu quantum condecet, omnia iuste ac prouide disponere. Prouidentia quippe ex consilio maxime prouenit importans respectum quendam finis, ad quem prima quæque ordinantur.

Seneca. Vnde Seneca de moribus. Quidquid à sapiente diligenter præuidetur, cum ad rem agendam peruentum fuerit, facilius superatur & discernitur. Proinde agat Abbas in omnibus, quia melius est ante tempus occurrere, quam post vulnus acceptum remedia quærere. Abbas improuidus, est sicut bos indomitus, qui cuncta cornibus elidit. Vbi prouidentia non est, nihil stabile inuenitur, pax nulla est, nec conseruantur possessa. *August.* Ait enim Augustinus. *Vbicunq; fuerit prouidentia frustrantur vniuersa contraria; vbi autem prouidentia negligitur, omnia contraria dominantur.* Imprudentia est obtenebratio mentis, qua quis minus prouidus est, *Prouidentia in Abbate quæ.* in prouidendo præterita, vel futura. Prouidentia vero est præsens notio futurorum pertractans euentum. Abbas itaque vt satisfaciat curæ, omnia subtili examinatione discernat ac iudicet, quatenus boni maliue discretionem in omnibus obseruet & sciat quid cuique congruat rei: nam maximum dispendium monasteriorũ est improuidentia Prælatorum. Prudens autem examinat consilia, nec facili credulitate ad falsa prolabi-*Isid. lib. 10* tur. Dicit namq; Isidorus libro Etymol. *Prouidens dicitur quasi porro videns; perspicax est, & incertorum prouidet casus.* Sed non sufficit omnia agere prouide, si non agãtur & iuste. Prouidentia quippe etiam plerumq; extenditur ad mala, vt cum aliquis propter malum aliquem finem disponit quędam mala huic fini in congruentia, vt si fur furti præuidet finem, non tamen desistit furari. Recte ergo cum dixisset, *prouide*, apposuit, *& iuste*, quia prouidentia sine iustitia stultitia est. Abbas enim, si in negotiis suis, q̃ agit, appriam sequitur voluntatem, ini iuste agens, quamuis præuideat exitum rei, quia tamen non cauet, vt iuste disponàt, à peccato alienus non erit. Decet ergo eum & prouide & iuste omnia disponere, nam sine iustitia prouidentia nihil prodest, iustitia autem sine prouidentia conseruari non potest. Iustitia virtutis splendor est, maximus, vt quidam ait, è qua viri boni nominantur. Caueat Abbas ne potestate sibi concessa abutatur, sed cogitet se mortalem & aliquando villicationis suæ districto iudici rationem redditurum. Nec putet se à regula exemptum, quia sibi dispensatio credita est, sed nouerit se omnibus aliis plus ad obseruantiam regulæ obligari. Nam sequitur.

In omnibus igitur omnes magistram sequantur regulam, nec ab ea temere declinetur à quoquam.

REgula idcirco magistra dicitur, quod docet nos agenda, vt qdquid siue in diuinis, siue in humanis necessario agit, totum à regulæ institutione sumat exordium. Magistra humilitatis est, quæ subesse docet propter Deum, & præesse Dei amore non sua præsumptione. Principium huius nostræ regulæ disciplinæ est humilitas, cuius non multa sunt documenta. In omnibus itaq; eiusdem regulæ præceptis, in officiis diuinis, in actionib. humanis, in cibo, in potu, in vestitu, in vigiliis & orationibus, in somno, & silentio, in laboribus & quibuscunq; aliis agendis, omnes tam Abbas quam monachi, Prælati & subditi, quantum possibile est, omnes, inquam, sequantur magistram regulam, actus & vitam secundum eius constitutionem dirigendo, quæ nos sufficienter de omnibus agibilibus monasticis instruit & docet. Nec à quoquam id est Abbate vel monacho, qui eam professus est, temere id est inconsiderate, irrationabiliter, & superbe vel præsumptuose declinetur, faciendo quæ prohibet, vel omittendo, quæ iubet, *ab ea*, videlicet magistra regula, à qua tota monastica institutio originem sumit. Et notandum quod non absolute dixit, *neq; ab ea declinetur*, sed

tur, sed addit, *temere*, vt intelligamus, quod necessitas non subiacet legi & ne scrupulum & timorem plusquam oportet nobis incuteret, cum fragilitatis nostræ conscii non valeamus omnia faciliter obseruare, quæ regula docet, & sic quasi desperati fragilitas bonam excluderet voluntatem. Quis ita perfectus, vt audeat dicere. In omnibus obseruo regulã? Sed dices. Non promisi omnia seruare, quæ in regula continentur. Fateor, & ego non promisi. Sed quid? Nonne igitur cessandum putas, quod non omnia promisisti? Nequaquam. Conuersionem morum suorum secundum regulam promisisti, in quo omnia alia intelligi possunt. Si superbus es, iam mores secũdum regulam vt vouisti, non conuertis. Quid ergo? Obedire, nihil habere, pati, se humiliare, orare, legere, cantare, ieiunare, vigilare, mores secundum regulam habere est. Quoties autem contrarium agis, contra votum fecisti. Sed ne consterneris animo, aduerte, quid dicat. *Nec ab ea temere declinetur à quoquam.* Hoc aduerbiũ, *temere*, me consolatur, qui fragilis homo sum & peccator; quãuis enim multa trãsgrediar, vellem tamen, si possem, omnia ad regulam seruare, sed fragilitas mea se opponit, v sæpius etiam contra voluntatem meam saltem deliberatam, contingat me deuiare à regula. Sed quia temere id non facio, spero omnino mihi indulgeri, nec me regulæ transgressorem debere argui saltem ad peccatum mortale, licet venialiter delinquam. Hæc dixerim, non me iustificans qui primus peccator sum & vltimus pœnitens, cæteris insipientior, sed vt pusillanimes, si qui sunt, aliquomodo confortem. Si enim omnes transgressores regulæ essent, qui regularia instituta interdum vel omittunt, aut negligunt, quis posset saluus fieri? Si is damnaretur, qui ex fragilitate contra regulam agit, non esset nobis regula ad vitam, sed potius laqueus ad mortem, quando in seculo potuissemus absq; transgressione regulæ mansisse. Ergo quod apposuit, temere, conscientiam meam aliquantulum releuat, quam sententia præcedens paulo minus depresserat.

Benedicti ni an promittant obseruationem regulæ.

Transgressio regularum venialis, quando.

Audeo enim dicere quod transgressor regulæ non est, quem fragilitas, non voluntas deuiare facit, cum omne peccatum voluntarium sit, & si involuntarium est, tunc peccatum non est. Si quis vult, & non potest obseruare saltem ad litteram regulam non arbitror eum trãsgressorem cum dicat Augustinus. *Quidquid vis, & non potes, factum Deus computat.* Fragilitas quippe si ceciderit, bona voluntate subleuatur, voluntas vero in malum cadens, quando resurget? Qui autem temere id est præsumptuose, fatue, superbe, sine causa, vel consilio, & deliberata voluntate ac consensu declinat à regula, videat an ipse non sit transgressor regulæ, iam nihil ad me amplius. Temeritas enim ex superbia oritur, porro superbia origo est omnium vitiorum. Illa autem temere fiunt, quæ aut ratione non regũtur, aut iusta necessitate carent, quod dupliciter fieri potest. Vno modo ex impetu passionis, alio modo ex contemptu dirigentis.

Aug. in psal. 57.

Primum ex infirmitate, secundum fit ex temeritate. Ad coercendam propriam voluntatem & temeritatem subiungitur apte.

7

Nullus in monasterio proprii sequatur cordis voluntatem.

NIhil detestabilius in monacho reperitur propria voluntate, quippe qui alterius, non suo regendus est imperio, & subesse venit, non præesse. Ad euitandum hoc malum propriæ voluntatis, rectores, quibus cæteri obediant, in omnibus, constituti sunt, vt nulli liceat suam, quin potius superioris perficere voluntetem: quia voluntas habet pœnam; necessitas vero parit coronam. Veniens enim ad monasterium compunctus, missus à domino & vocatus non proprii cordis arbitrio, sed Dei & Abbatis sui, vult obtemperare mandatis, dicente Domino. *Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me.*

Monach. propriam voluntatem non habet.

Ioan. 5.

Nullus in monasterio id est, Monachus monasterialis, siue Clericus sit, siue Laicus quicunque professus est monasticum propositum, proprii sequatur cordis voluntatem, quippe, qui volũtatem liberam conuertit in necessitatem salutarẽ, in quacunq; re subaudio. Sed diceres: cordis mei volũtas bona est, & ideo

Obiectio.

Responsio. sequar eam. Ad quod respondemus. Licet bona sit voluntas, libera tamen non est, & ergo nec tua, quidquid igitur facis sine permissu & benedictione Abbatis tui præsumptioni, non deuotioni imputabitur. Vnde c. 49. de quadragesimæ obseruantia dicitur. *Hoc ipsum tamen quod vnusquisq; offert, Abbati suo suggerat, & cum eius fiat oratione & voluntate, quia quod sine spiritualis patris fit voluntate, præsumptioni & vanæ gloriæ deputabitur, non mercedi.* Quis dubitet ieiunium bonum esse & orationem Deo acceptam? sed si absq; voluntate Abbatis sit Deo acceptabile non est, cui plus placet obedientia quam victima. Crede mihi plus mereris apud Deum simpliciter obediendo Abbati tuo & nihil absque eius permissione faciendo; quam si multum sine eius voluntate oraueris vel ieiunaueris, quia tuus non es. Magna enim virtus obedientiæ est, quæ non solum in magnis, sed etiam in paruis Deo acceptabilis est. Puri conscientiosiq; fratres in quadragesima, sicut regula iubet, aliquid de necessariis sibi propter Deum subtrahere consueuerunt, vt de cibo vel potu, de somno, vel quibuscunq; aliis, quibus natura tamq; necessariis & permissis vti solet, sed hoc non præsumunt sine Abbatis sui voluntate attentare, ne & laborem perdant & mercedem.

Obedientia plus placet Deo, quã victima.

Nunc autem refrigescente caritate quorundam quadragesima adueniente Abbatem suum quidam adire solent, petentes non abstinentiam, sed superabundantiam potus cibiq;, quatenus ei vel vespere liceat aliquid gustare, qui nona comederunt, durius arbitrantes quadragesimæ ieiunium temporum cæterorum. Videres quosdam Monachos & eorum rectores quadragesima adueniente piscium diuersa procurare genera, coquinam plus solito replere, omnia comestibilia, quæ aut cogitari aut reperiri possunt ad sua inducere empta cellaria, & his sacris diebus duplicare cibaria, vinum pretiosum apponere bibendum, pisces, vt dixi, diuersos bene quoque piperatos reficientibus apportare; diuersis etiam modis cibos præparare, ita vt nõ quadragesimæ obseruationem, sed potius Paschę æstimares lætitiam, cum magis placeat talia edere, quam solito tempore edenda. Adderteres etiam collationes serotinas aliquorum; cœnam putares magnorum. Sed transeant hæc, alio tempore forsan dicenda, potius nostra prosequamur. Si putas cordis tui bonam esse valetudinem, interroga Abbatem tuum, sine cuius voluntate tibi nihil facere licet, & spiritales fratres tuos seniores intelligentes, & zelum Dei habentes, & quid ipsi senserint hoc facito: si approbauerint eam, quam concepisti, voluntatem, communis erit & bona, sin autem reprobauerint, si vitam vis ingredi sempiternam, fuge ab ea, sicut à facie colubri, venenosa quippe & mortifera est. Ergo cum voluntate Abbatis omnia agenda sunt.

Abusus in Quadrages. obseruatione.

Solet autem ex proprii cordis temeraria voluntate plerumq; oriri tanta præsumptio, vt spreto Abbatis imperio præsumptuosus, quod sibi visum fuerit, facere attentet, & cum arguitur, opera sua tanquam bona & iusta defendere non vereatur: Abbatem suum interdũ, vt experti sumus, conuitiis & opprobriis tanquam malum vel indiscretum iudicem afficiens. Contra quod beatissimus pater noster Benedictus tale opponit edictum.

8

Neque præsumat quisquam cum Abbate suo proterue intus aut foris monasterium contendere.

DVplex est, vt arbitror, contentio, amica videlicet & proterua. Amica, cum quis ex mera caritate superiorem suum, vel æqualem, vel inferiorem auisat vel arguit, ex qua quidem correptione interdum contentio oritur, sed mox vt inferior viderit superiorem commotum, vel tacendum est, aut certe, quod melius est, humilitate sedanda commotio. Subditi quippe superiores, non nisi in vera caritate, si errauerint, reprehendere possunt, 2. *quæst.* 7. *Sunt nonnulli.* Proterua autem contentio est, quando subditus Abbatem vel Priorem superbe reprehendit, vel ei resistit, aut contradicit, vel secum verbis aut factis contendere præsumit. Quam contentionem nec frater simplex cum fratre, nec monachus cum Abbate suo debet habere. Sic non licet subdi-

Subditus non debet superiorẽ arguere.

subditos Prælatos suos accusare, vel reprehendere, 21. *dist. Nolite nos.* Si fratrem non licet contristari à fratre, vel cũeo cõtendere quãto minus cũ abbate licebit. Porro Monachi qui rixas & cõtentiones amãt durius corrigendi sunt 90. *dist. Si qs Monach.* Auctoritas disciplinæ cito dissoluitur, si Prælatꝰ à subdito reprehẽditur. Oues pastorem suum nisi à fide exorbitãtem accusare non possunt, quanquam in ipsis reprehendenda quædam videãtur. *2. quæst. 7. Oues quæ suo pastori.* Veruntamen vt præfatus sum secretius in caritate, si opus fuerit, subditus Prælatum reprehendere potest, sicut & Paulus se Petro fecisse testatur. *Gal. 2.* Sed diceres. Quid in visitationib. faciendum est? Sunt ne Prælati retro, vt moris est, sana conscientia à subditis accusandi? Respondeo, si intuitu iustitiæ & caritatis in finẽ emẽdationis sine inuidia, vel odio aut amore talis accusatio fit, licita, & iusta est imo ẽt necessaria. *extra. de statu monach. Ea quæ.* Sed caueãt subditi, ne ex odio vel inuidia quenq̃ accusare præsumant; nã grauissima pœna feriendus est delator id est, qui inuidia prodit alios. 5. *q. 6. Delatori.* Et quæ dicunt, sciant quoq; ꝓbare: ꝙ si nequiuerint, pœnam debet incurrere, quam si probasset reus vtiq; sustineret. *ibid. q. 6 omnis quæ falsa. Et 2. q. 3. Calumniator.* Sed tales viri zelatores religionis prudentes & maturi ad officiũ visitationis eligendi sunt, qui omni spiritui nõ cito credant, sed probent, quid in quẽlibet proclametur, à quo & quomodo, aut quare, quia non omnes zelum habẽt iustitiæ, qui peccata accusant delinquentiũ. Et quæ publicis documentis probari non possunt, toleranda sunt. 2. *q. 7. Plerique boni.* Nec sunt aliqua indicanda, priusquã certis demonstrentur indiciis 30. *q. 5. iudicantem.* Nullum ante verã iustamq; ꝓbationẽ iudicare, aut damnare debemus teste Apostolo, qui ait ad Romanos 14. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruũ? suo Domino stat aut cadit.* Mala itaq; audita nullũ moueant, nec passim dicta absq; certa probatione quisq; nunquã credat, sed ante audita diligenter inquirat, nec præcipitando quidq̃ aliquis agat. Mos ergo & consuetudo inoleuit, vt visitatores facta inq̃sitione fratrũ de statu monasteriorum & obseruantiis regularib. tam in capite, quã in mẽbris conueniant loci rectorem, & si qua de eo facta fuerit querela à monachis suis professis, quia non professi vocem nõ habẽt in monasterii actionib. *Extra. de statu monach. c. Ea quæ. paragr. ꝑcipimus quoq;.* Et si sponte confessus ita se habere, vt accusatus est, non debent prodere visitatores accusantem. quia nec licet, nec expedit, sed iuxta modum culpæ secundum suam prouidentiam sibi imponere pœnitentiam, auditis & consideratis in omnib. circumstantiis, persona & causa. Si vero negauerit, & tale quid fuerit, ꝙ maiori animaduersione dignũ sit, erit testimonio opꝰ. Sed si fieri potest, non sunt manifestandi accusatores propter vitandum scandalũ & ordinis confusionem, quia ex hoc plerumq; odia & inuidiæ oriuntur inter subditos & Prælatum, dũ sibi quisq; occasionẽ quærit vindicandi. Nemo igitur claustraliũ cum Abbate suo proterue contẽdere ꝑsumat aut superbe. Protervus idem est ꝙ toruus crudelis, siue terribilis, dictus toruus à torto vultu. Sed dicerer aliqs. Ergo quia ꝓterue contendere cum abbate suo monacho non licet, simplex contentio, vt plerũq; fieri solet, q̃ non ex supbia, sed ex rationabili causa oritur, mihi non apparet prohibita. Ad ꝙ respondendũ, ꝙ omnis illa contentio ꝓhibita est, quæ originaliter contra regulã est, in qua docemur patientes ad iniurias stare, obedire ad impossibilia, honorare superiores, & honore inuicem nos ꝓuenire. Si honoramus Abbatẽ nulla occasione cũ eo contẽdimus, alioquin cõtra regulã ipsum minime reueremur, sed impugnamus, ꝙ non debemꝰ, defendimus, ꝙ non expedit. Ait Ambr. *Contentio est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris.* Concedo autem, quod aliquando amica & pacifica contẽtio ex regula admittitur, q̃ frequenter inter iustos homines ꝓ qualitate interuenientis causæ efficit, sicut inter B. Benedictum & Maurum eius discipulum pro puero Placido, quando à flumine ereptus fuisse legitur. Bened. meritis discipuli, & Maurus hoc factum sanctitati attribuebat Magistri. Sic etiam Paulus ille primus eremi cultor post passionem Domini, & Antonius Sanctus quis prior frangeret panem eis missum diuinitus diu multumque amicabiliter inter se contendebant. Sed tamen ista contentio foris monasterium omnino prohibetur, quia si in publico etiam amica contentio fiat, Magistro inde nociua despectio, & discipulo nociua nascitur elatio. Vnde notandũ, ꝙ quidam

Accusare quando liceat subdito superiorem.

An omnis contentio cum Abbate vetita sit.

Ambros.

Amica cõtentio licita. Greg. l. 2. dial. c. 7. Hieron. in vita Pauli.

Smaragdus. quidam super regulam S. Benedicti altius scribentes hic in textu quandam faciunt exceptionem quam nostri codices habent, dicentes, quod illa dictio (intus) non habeatur in originali S. Benedicti, quod ipse propria manu conscripsit. Sed habeatur sic. *Nec præsumat quisquam cũ Abbate suo proterue aut foris monasterium contendere.* Quod si ita est, tunc alium intellectum, vt iam prædiximus, sensus requirit. Ait itaq; Nec præsumat quisquam cum Abbate suo videlicet cui obedientiam præstitit loco Dei, proterue id est superbe & præsumptuose ac crudeliter cõtendere. Aut foris monasterium siue amicabiliter sit, siue etiam proterue, quia proteruam contentionem semper & vbiq; prohibet, amicam vero & pacificam modo prædicto tantum foris monasterium aut coram positis secularib. non licere vel expedire demonstrat. Nec est putandũ, quod fratri liceat cũ Abbate suo contendere in monasterio eũ de paruis quibuscũq; reprehẽdẽdo, vel se ei opponendo, quasi hoc vel hoc sic & sic fieri debeat, non secundum placitum Abbatis, sed sui, quia Abbas iudiciũ habet in monasterio, nõ monachus, nec monach⁹ abbatem, sed Abbas debet corripere monachum, *6.q.1. Ex merito.* Nullus ergo claustralium cum Abbate suo proterue contendere præsumat vbicũq; locorum, nec foris monasterium quocunq; modo, vt scandalum in omnibus vitetur.

Quod si præsumpserit, regulari disciplinæ subiaceat.

IN Deum quippe scandalizantur, qui suo non obediunt pastori *93. distinct. Ille proculdubio.* Sed qui contendit cum Abbate suo proterue inobediens iudicatur, & per consequens in Deum scandalizatur. Disciplina regularis in spiritualib. vitiis, id est, in contumacia, in inobedientia, in publica superbia, in murmuratione, in detractione, in cæteriscq; huiusmodi vitiis primo fieri debet secundũ diuinũ præceptum in admonitione semel & secundo à

Ordo correctionis. seniorib. in secreto. Si autẽ non emendauerit, fiat iterum in obiurgatione publica loco tertio. Si nec sic correxerit fiat in excommunicationis vindicta, loco quarto. Si autem improbus est, vt nec sic corrigatur, corporali vindictæ id est verberibus subiiciatur loco quinto. Quod si eũ nec flagella emendauerint, adhibeatur ꝓ eo communis fratrum oratio vice sexta. Quod si nec ei fratrum profuerit oratio, tunc Abbas iuxta Apostoli sententiã vtatur ferro abscissionis, id est in carcerem trudatur, ne improbitas sua sibi vagandi præbeat facultatem. Hoc enim modo exceptis grauiorib. culpis, & his quæ à S. Benedicto iudicata sunt, omnis regularis disciplina cognoscitur composita, sicut *cap. 28. de his, qui sæpius correpti se non emendauerint,* declaratur. Quos S. Benedictus expellendos docuit, hos propter scandalũ S. Patres postea refrigescente caritate multorum incarcerandos constituerũt, non contraire præsumentes S. Benedicto quod absit, sed consulere volentes infirmitati humanæ, sicut etiam S. Bernardus *Bernard. epist. 102.* in epistola quadam, quæ incipit. *Super fratre turbato & turbante.* luculentissime scribit, dicens. *Auferatur malum ex vobis, ait Apostolus. Auferatur autem dico, sed non quomodo ipse vult, vt videlicet tanquam ex tua licentia cum male secura conscientia extra congregationem contra professionem, deuitans subiectionem, sui iuris esse, sua permittatur viuere lege, sed abscindatur vt ouis morbida à grege, vt mẽbrum putridum à corpore, qui iam exinde pro certo se nouerit à te haberi tanquam Ethnicum & Publicanum.* Sed diceres, quare vobis non sufficit sententia S. Benedicti, qua ait, *expellatur de monasterio,* sed facitis nouas contra regulam constitutiones, vt tradatur ad carcerem, vt ibi infatuetur, aut deficiat? Respõdent sancti Patres sic inculpanti. Tempore S. Benedicti ordo monasticus in tanta erat honestate, in tanto profectu & vigore, vt apud vniuersos honoraretur in tantum, vt si aliquis secularium vidisset monachum vagantẽ & de monasterio proiectum, tanquam ludæum habuisset eũ, nec hospitium, nec cibum, nec potum illi porrexisset, sed omni miseria iudicasset dignissimum, qui sanctam congregationem monachorum sua culpa reliquisset, & omnis populus ipsum in derisum, & opprobriũ duxisset. Hoc timentes monachi illo tẽpore, plus quam timent carcerẽ nostri, & maximã æstimantes confusionem, se omnib., quibus poterant modis, ne confunderentur, custodire conabantur. At vero temporib. nostris monachi vagantes & à proposito

suo recedentes, non solum non recipiũtur à secularibus, sed etiam interdum ad regimen parochiarum subtiliter contra votum monasticum sublimantur: non quod monachis cura, si à superiore imponatur, animarum sit interdicta, sicut aliqui sensisse probantur, sed se vltro & per vim inferre prohibentur. Curias principum visitant, causas expediunt iudices effecti, & qui quondam iuste & salubriter ab omnibus confundebantur, nunc ab omnibus amantur, laudantur, promouentur ad dignitates pernicioſe, & interitũ ipsorum. Et qui olim à monasteriis deiecti per tribulationes & confusiones, quas à secularibus pertulerunt ad pœnitentiam solebant redire: nunc à seculi huius pleriſq; diuitibus auro & argento honoribusq; ditati medicamentũ pœnitentiæ, & reditum claustri penitus contemnunt. Hæc considerantes sancti patres, quoniam totus mundus in maligno positus est, constituerunt, ne aliquis Abbatum pro quocumq; facinore monachum suum de cætero à monasterio proiicere & expellere præsumat, sed loco expulsionis vtatur custodia carceris secundum demeritum delinquentis, tẽpus constituens pœnitentiæ. Et si quisquam monachorum tale facinus commiserit, pro quo expellendus esset à claustro ponatur in custodiam carceris quousq; satisfecerit. Cui si compunctus de emendatione sua promiserit, ad gratiam vtiq; recipiendus est, si tamen fides in eo sperat̃r, ne detur occasio maligno. Periculosa enim est expulsio fratrum in tali casu de monasterio nostris temporibus, rationibus prædictis, quia & se perdunt & alios, cum quibus conuersantur, inficiunt, & monasteriis, de quibus proiecti sunt, graue interdum dispendium faciunt. Qui enim de monasterio expellitur, raro vel nunquam reuertitur, nec ad pœnitentiam poterit reuocari, qui vbi sit nescitur: is vero qui in carcere est omni die sermonibus & verbis salutis ad compunctionem reduci poterit & forsitan magnus fieri postea quia retrahentem se non habet materiam quam in seculo vagans continuo habuisset, homines videlicet, aurum & argentum, voluptatem, & his similia. Et ideo satis consultum videtur, vt ferro absciſſionis vtentes cum opus est, carcer pro seculo habeatur. Sed ne huiusmodi potestate se Abbas libere putet posse agere, subiungitur.

Abusus monachorum.

Cur monachi non pellantur è cœnobiũ, sed incarcerentur.

10

Ipse tamen Abbas cum timore Dei & obseruatione regulæ omnia faciat: sciens proculdubio se de omnibus iudiciis suis æquissimo iudici Deo rationem redditurum.

FAcile quippe à iustitia deuiat in causis, Deum non timẽs. Hinc etenim per quendam sapientem dicitur. *Qui timet Deum nihil negligit.* Timere Deum, est nulla quæ facienda sunt bona prætermittere. Ait enim Gregorius in moralibus. *In via Dei à timore incipitur, vt ad fortitudinem veniatur.* Hinc beatus Hieronymus dicit. *Timor Dei corrigit, timor hominum differt actionem, sed voluntatem non aufert & auidiores ad crimen reddit, quos aliquando à crimine suspendit.* Cum timore itaq; Dei Abbas omnia faciat, quia initiũ sapientiæ timor domini, & *cum obseruatione regulæ*, id est, nihil faciat, quod ipsa prohibet: nihil omittat quod illa iubet, ne cum aliis ipsam implendam prædicat, ipse negligendo reprobus efficiatur. Sunt etenim nonnulli adeo in suo sensu abundantes, vt quod ipsis visum fuerit etiam contra regulam agere præsumant, putant se timere Deum, sed regulam obseruare contemnunt. Contra quos hic agitur, quoniam dicit, quod non solum timere Deum sufficit, sed etiam regulam obseruare, per quam an quis vere timeat Deum probatur. Cum timore Dei & obseruatione regulæ Abbas omnia agat, ne sibi blandiens de timore domini regulam, quæ tota secundum Deum ordinata est, contemnat. Sciens se absq; dubio æquissimo iudici Deo, siue immediate post mortem, vel certe in iudicio generali de omnibus iudiciis suis in subditos rationem redditurum. Hanc enim sententiam non sine causa sanctus Benedictus toties cordibus nostris incutit, ne, quod absit, neglecta à nobis & Deo nos reddat despectos & subditos plus debito onerosos.

Eccl. 7.
Gregor. lib. 4. c. 13.
Hieron. in Matt.

11

*Si qua vero minora agenda sunt * in monasterii vtilitatem, seniorum tantum vtatur consilio.*

** In monasterii vtilitatibus.*

Si qua

MInora ea intelligimus, quæ absq; totius congregationis consensu Abbas facere potest, vt corrigere delinquẽtes, mutare officiales, vendere vel emere mobilia victui & amictui necessaria. In quibus tamen, quamuis de necessitate non obligetur, de honestate tamen iubetur seniorum vti consiliis, sicut scriptum est Ecclesiastici 32. *Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebit.* Ait enim Gregorius in moralibus, *valde fortitudo destruitur, nisi per consilium fulciatur.* necessarium valde consilium primatibus est, quibus in omnibus nihil pretiosius est. Iuuenes vero maxime decorat à senioribus in rebus agendis quærere consilium. Vnde Cassiodorus. *Plurimum laudis iuuenes moribus suis applicant, quoties de negotiorum meritis ambigentes ad peritorum consilia accurrunt.*

Gregor.

Cassiod. p. 2. lib. 1. ep. 9.

QVÆ SINT INSTRVMENTA BONORVM OPERUM.

CAP. IV.

I. instrumentum. Deut. 6. Matt. 22 Rom. 13.

IN primis Dominum Deum diligere ex toto corde tota anima, tota virtute. Primum omnium mandatorum & maximum in lege, teste Domino, est diligere Deum. Nam completio legis caritas est. Beatus ergo Benedictus instrumenta bonorum operum describens, à præceptis diuinis incepit, quibus non sunt priuata documenta præponenda: considerans nimirum, quod nullum opus Deo placet, quod in caritate Dei non manet. Sicut enim sine via nullus peruenit, quo tendit: ita sine caritate, quæ via est ad Deum, ambulare nemo potest, sed errare. Vnde Bernardus. *Fons vitæ caritas est: nec viuere animam diximus, quæ de illo nõ hauserit.* haurire quomodo potest ex eo, nisi præsens fuerit fonti qui caritas est, quæ Deus est? Præsens igitur Deo est, qui amat Deum. Nihil adeo monacho prodest vt caritas Dei: quam si habuerit felix erit, si vera fuerit & perseuerans. ficta caritas est, quæ deseritur in aduersitate. Vnde in psalmo dicititur, *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei.* Dicit etiam Augustinus. *In caritate pauper est dives: sine caritate omnis dives est pauper.* Hæc in aduersitatibus tolerat, in prosperitatibus, temperat, in duris passionibus fortis est, in bonis operibus hilaris est, in temporalibus ditissima, in hospitalitate latissima, inter bonos fratres lætissima, inter falsos patientissima. In Abel per sacrificium læta, in Noe per diluuium secura, in Abrahæ peregrinatione fidelissima, in Moyse inter iniurias lætissima, in Dauid tribulationibus mitissima. In tribus pueris blandos ignes innocenter spectat, in Machabæis sæuos ignes tolerat, casta in Susanna super virum, in Anna post virum, in Maria præter virum. Libera in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum, humana in Christianis ad confitendum, diuina in Christo ad ignoscendum. Quid dicam de caritate? *Si linguis hominum loquar & angelorum, curitatem autem non habeam nihil sum.* Ipsa enim est anima litterarum, philosophiæ virtus, sacramentorum salus, scientiæ stabilimentum, fidei fructus, diuitiæ pauperum, vita morientium. *Deus caritas est & qui manet in caritate in Deo manet, & Deus in eo.* Salus animarum, pax cordium, lætitia mentium virtus animorum, tranquillitas conscientiarum, vestis electorum, decus monachorum est ipsa caritas, quæ Deus est. Nulla religio subsistere potest, nulla virtus Deo placet, nullum opus bonum iudicatur, si in caritate non solidatur. Radix ergo omnium bonorum est caritas, & ideo meritor in numero mandarorum Dei ponitur prima. Vlterius disputare de caritate non iudico necessarium stilo meo rusticano, cum omnes sacri eloquii codices de ipsa sufficienter informent homines. & ergo ad secundum

Bernard.

Psal. 48. Augustin. de laude caritat.

1. Cor. 13.

1. Ioan. 4.

cundum bonorum operum instrumentum dirigam calamum.

Instru. 2. Luc.10. Mat.22. *Deinde proximum tamquam seipsum.*

SEcundum simile est huic, ait Dominus. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* *Greg.2.p. c.5.* Ait Gregorius in pastorali. *Tunc ad alta caritas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorũ se misericorditer adtrahit: & quæ benigne descendit ad infima valenter recurrit ad summa.* Diliges proximum tuum sicut teipsum, imo & inimicos tuos dilige propter Deum & ora pro persequentibus & calumniantibus te. *Aug. in gloss. cant. 2.* Dicit Augustinus super illud Canticorum 2. *Ordinauit in me caritatem.* Primo diligendus est Deus, secundo parentes, inde filii, post domestici; qui, etiam, si boni sint, malis filiis præponendi sunt, inimicos autem, non sicut teipsum, sufficit enim quod non odio habeamus illos. Dilectio proximi est, priuata commoda postponere, causa fruendi amico. Nihil est quod non toleret qui perfecte diligit, nam fortis est vt mors dilectio. *Cant. 8. Rom.13.* Diligamus inuicem, sicut Christus dilexit nos, quia *qui diligit proximum legem impleuit.* Scriptum est Leuitic.19. *Diliges amicum tuum sicut teipsum.* Pulchrum ornamentum est monachi, dilectio fraternitatis, vt neminem oderit, ne sit illi peccatum. Diligamus ergo non verbo sed opere & veritate: nam probatio dilectionis, exhibitio operis est. Hoc instrumentum boni operis sancti patres nobis reliquerunt, qui adeo se in Domino dilexerunt vt vnusquisq; mallet alterius subesse imperio, quam suo: quia caritas non quærit quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi. *1.Cor.13.* Monachus autem, cui hæc operum bonorum describuntur instrumenta, studeat omnes diligere in Domino, orando pro eis, affectum etiam dilectionis, si ei licet, operum ostendat effectu honorans, imaginem Dei in creatura sibi compari. Neminem oderit præter vitia, nemini sit onerosus, sed diligat vniuersos. Sed de proximi dilectione subtilius sancti Patres Doctores veritatis in suis scriptis reliquerunt legentibus, propter quod & ego ad alia festinabo. Sequitur ergo.

Instr.3.4. 5.6.7.8.9. Leu.19. *Deinde non occidere, non adulterari, non facere furtum, non concupiscere, non falsum testimonium dicere, honorare omnes homines, & quod sibi quis fieri non vult alii non faciat.* *Exod.20. Deut.5. 1. Pet.2. Lu.9. Tob.4.* 3

OMnia prædicta mandata sunt legis veteris & nouæ, quæ omnia ad conseruandam Dei & proximi dilectionem præcepta sunt. Non debet monachus occidere quemquam, non tantum gladio, sed nec actione. Qui sanguinem fundit humanum occidit, qui diffamat innocentem occidit, qui scandalizat malo exemplo, videntem seu audientem occidit. Omissa prima occisione, quæ nec clerico nec monacho licet, quia qui rei sunt sanguinis ab ecclesia debent defendi. 23.q.5, *Reos.de*, alia duplici occisione libet aliquid loqui. Multos lingua occidit, *Detractio occidit.* quoniam & eum cui detrahitur diffamat & cui loquitur inficit, & qui loquitur se ipsum per peccatum occidit. Ait quippe Augustinus. *Plus nocent in membris detrahentes Christi, quia animas creditorum interficiunt, quam qui eius carnem mox resurrecturã peremerunt.* *Aug. in Ps.108.* Scriptum est. *Non maledices surdo, &c.* *Leu.19.* *Surdo maledicere*, sicut ait Gregor. est *absenti ac non audienti derogare.* *Greg.3.p. past.admon.36. Leu.19.* *Coram cæco offendiculum ponere est discretam quidem rem agere, sed tamen ei qui lumen discretionis non habet, scandali occasionem præbere.* Sunt enim nonnulli cum de absentibus detractoria loquuntur, quia non intelligunt aut certe intelligere nolunt, se bene feciſſe putant cum malefeciſſe probentur. Hi sine dubio coram cæco offendiculum ponunt, quia ipsi cæci sunt. Caueat hoc monachus, quicumq; Deo placere desiderat, nec vnquam malum, etiam si verũ sit, de absentibus loquatur, quia maximum in claustrali dedecus est. Odibilis Deo omnis detractor, qui fratrem suum lingua occidit. O quot eorum hodie inueniuntur, qui quando ad mensam conueniunt, de absentibus loquuntur, quæ forsitan, si præsentes essent minime cogitarent; & qui de defectibus propriis sese accusare debuerant de alienis in culpam suam temere iudicant. Quicumque es monachus, & Dei contendis adire tabernaculum, caue, ne opprobrium aduersus proximum tuum accipias, sed de omni homine, quantum possibile est, bonum loquaris, & vt sanam inter talia conscientiam custodias, omnia inter-

Ps.49. pretare in melius, ne tibi dicatur. *Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ* id est ecclesiæ, *ponebas scandalum* videlicet detractioni consentiendo: quia detractor & libens auditor vterq; diabolum portat in lingua. Ait enim Isidorus de summo bono: *Non solum ille reus est, qui falsum de alio profert sed & is qui cito aurem criminibus præbet.* Si ergo te contigerit de absentibus audire quippiam, quod deroget famæ, noli consentire, sed in melius interpretare, si potes, alioquin tace, audiens invitus, aut celer abi. Grande peccatum detractio, quæ tres penetrat ictu vno. Noli verbo occidere quemquam. Occidit etiam qui suo exẽplo malo alium peccare facit. Et monachus, cuius conuersatio ab omnibus debet esse discreta. 16.q.1. *placuit omnibus*, si aliquem sua peruersa operatione scandalizat, quid aliud quam videntem occidit? Ait enim Augustinus. *Qui in conspectu populi male viuit, quantum in illo est, eum à quo attenditur, occidit.* Et Bernardus in sermone. *Non tibi videtur grauiorem ab eo Christus sustinere persecutionem, qui suggestione maligna, exemplo pernicioso, scandali occasione ab eo peruertit animas quas redemit, quam à Iudæo, qui eius sanguinem fudit.* Sic luceat lux vestra coram hominibus vt videntes opera vestra bona glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Quibus enim exemplum dederis mali, cum illis quoq; pœnam sustinebis delicti, & quibus causa vel occasio fueris ad vitam, cum illis habis etiam vitæ mercedem. Ait enim quidam. *Quantis exemplum veræ humilitatis & perfectæ caritatis ostenderis, cum tantis & pro tantis æterna præmia possidebis.* In quantum ergo possumus sine peccato, proximorum scandala vitemus: *nam væ homini illi per quem scandalum venit.* Deinde, *non adulterari* opere, seu voluntate, quoniam nullus adulter regnũ Dei possidebit. præceptum est legis, non adulterari tam nouæ quam veteris: & monachus altioribus mandatis astringitur. Nequaquam ergo præsumat primam suam fidem irritam facere, quia peiores sunt adulteris, qui votum castitatis violant. 27.q.1. *proposito.* Tanta autem monachorum debet esse castitas, vt prius vitam amittere velint, quam violare propositum. Cogitationes quoq; carnales penitus extirpandæ sunt à voluntate licet à mente vix interdum valeant repelli: quia ex parua scintillula magnus sæpe oritur ignis: & qui primis motibus non resistit, paulatim ad peiora delabitur. Ait Aug. de vita clericorum. *Non dicatis vos habere animos pudicos si habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis est nuncius.* Monachus autẽ quicumq; regulam profitetur approbatam, absq; dubio ad castitatem seruandam se vouit, cũ sit vnum trium substantialium, quod ex omni regula iusta p̃cipitur. Et ergo, sicut religiosi in tẽporalium rerum possessione pauperes esse iubentur de præcepto institutionis regularis disciplinæ: ita etiam casti viuere debẽt, q̃a castitatẽ Deo vouerũt: ita vt nuil⁹ cũ eis dispẽsare in hac parte p̃sumat. Si enim fideles mulieres, si clerici seculares & viri ecclesiastici debẽt omnino esse perfecti & casti, multo magis monachi qui se Deo cõsecrauerũt: & ideo quicũq; monachus post suã p̃fessionẽ factã Deo, vxori fuerit sociat⁹, tãtę p̃uaricationis reus numq̃ ecclesiastici gradus sortiatur officiũ. 27.q.1. *monacho orariũ.* Et quia de opere hoc nefario monachos exhortandos nõ arbitror, cũ eos castos spere in actu p̃cipue, propter quos aggressus sum istum laborem de noua videlicet reformatione, vbi tale nec patitur nec auditur delictum, pro custodia cordis seruãda si quid possem libens impenderẽ. Castitas etenim corporis sine puritate mentis castitas vera non est. Vnde ait Greg. in moralibus. *Nulla est castitas carnis: quam non cõmendat humilitas mentis.* Sunt etenim nonnulli qui castitatem quidem conseruant in corpore sed sæpius fornicantur in mente & de pudicitia gloriantur carnis qui non dolẽt de corruptione cordis. Hi profecto assimulantur fatuis virginib. quæ licet lampades habuerint id est corpora castitatis, oleum tamẽ non sumpserunt secum videlicet opera caritatis. Perfecta caritas vera castitas est. Sed fatuæ virgines oleũ consumũt in via, anteq̃ veniat sponsus: quia hypocritę laudes pro castitate carnis ab hominib. recipiunt, & propter corruprionem mentis in conspectu sponsi nudi apparebunt. Ait namq; Isidorus. *Virgo carne non mente nullum præmiũ habet in repromissione.* Ergo monachus, qui Deo placere cupit, faciat, quod sapiens admonet, dicens. *Fili omni custodia serua cor tuum,* Quis æstimare potest, quantis ardo-

Isid.l.3.c. 59.

Malo exemplo qui dam occidunt.

Aug.l.2. de pastor. c.4.

Bernard serm.1.de conuers. Pauli.

Matt. 5.

Cæsarius admon.2.

Math.18. Contra adulter.

Aug. in reg.c.21. Castitas vouetur à monacho

Greg.l.6. mor.c.24.

Isid.l.2.de sum.bono c.40.

Pron.4.

ardoribus æstuat ætas florida iuuenilis, quantis mundi blandimentis alliciatur, quantis deniq; inuidi hostis antiqui quatiatur insidiis, vt neq; die neque nocte pax detur pugnanti? Quomodo etiam in somnis aggrediatur dormientes quos forsitan non audebat accedere vigilantes, immittendo imaginationes, phantasias, quales pleriq; nunquam cogitauerunt, non audierunt, nec viderunt amplius, in tantum vt innocens plerumque nesciens ducatur captiuus. Sed qui resistendo perseuerauerit vsq; in finem, id est qui vicerit, hic salu⁹ erit. Hinc Ambrosius ait. *Vicina est lapsu adolescentia quia variarum æstu cupiditatum feruore calentis inflammatur ætatis.* Animus iuuenilis est sicut tabula ceræ mollis, in qua quidquid voles scribere potes: quia dat locum stilo. sic quoq; ætatis iuuenilis modus est, vt quod didicerint in iuuentute, in senio conseruent. Vnde prouerbiorum 22. dicitur. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Qui ergo in iuuentute luxuriosus est quid putas in senio erit? Ait quippe Isidorus de summo bono. *Nequaquam in senectute continentes vocandi sunt, qui in iuuentute luxuriose vixerunt: tales non habent præmium, quia laboris certamen non habuerunt, eos enim exspectat gloria in quibus fuerunt gloriosa certamina.* Vnde Chrysostomus. *Maior est virtus ac sublimior gratia internum libidinem carnis extinguere, quam nequitias dæmonum extrinsecus irruentes signo Dei ac virtutis altissimæ potentia subiugare.* Ergo fortis est miles, qui propriæ carnis illecebras vincit. Simus itaq; fratres carissimi cogitationum nostrarum custodes impigri, quia toties fornicatur anima, quoties à Deo suo per malam deliberatamque voluntatem recedit. Non igitur adulteremur, neq; opere, neq; voluntate, neq; ore, neq; cogitatione, quoniam monachi sumus in Dei sortem electi & monachum castitas ornat. Deinde, *non facere furtum.* quia qui fratri suo furatur aliquid contra dilectionem peccat fraternam. Fur est, qui cum omnia habeat à Deo, bonum quod fecerit, non Deo, sed sibi attribuit. Ait enim Dominus. *Gloriam meam alteri non dabo.* sed tu qui te bonum facere putas ex te, quasi gloriam Dei furaris. Ait enim. *Sine me nihil potestis facere.* Quid gloriatur rusticus, an melior sit dum surculum ligat? Sic homo non operator virtutis sed instrumentum est actionis. quia Deus est, qui dat incrementum & *spiritus viuificat, caro non prodest quidquam.* Monachus non furetur, primo, gloriam per inanem gloriam, & superbiam sibi non vsurpet. Secundo, nihil de rebus proximi sui furetur. Tertio absq; licentia nihil faciat, ne periculum incurrat. Exodi 20. scriptum est. *Non furtum facies.* Quia si furari Christiano communem in seculo vitam ducenti nō licet: quanto minus monacho licebit? Est vsura quædam & furtum maximum, de quibus te cautum & immunem esse exopto: animam videlicet furari & rapere à Deo, qui eam creauit & filii sui sanguine redemit. Et dicis. Quas animas furatur à Deo? An nō ille furetur, qui mala sua operatione se à Deo elongat, & furatur animam suam dœmonibus tradendo? Pessimum furtum. Et ille, nūquid furatur animas, qui vel mala sua vita, vel peruersa doctrina audientium mores corrumpit? fur sceleratissimus est quicunque est ille. Deinde, *non concupiscere rem proximi.* Vnde exodi 20 legitur. *Non concupisces domum proximi tui.* Quid per domū nisi omne illud quod domus vtilitatibus deseruit accipitur? Non concupisces, cōcupiscentia malorum est, desiderium autem appetitus bonorum. Vnde scriptum est. *Post concupiscentiam ne eas.* Et iterum in psalmo. *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus.* Non cōcupisces rem proximi tui, non aurum aut argentum, non quodlibet possessum: non honorem, non scientiam, non vestimentum, non librum, non vxorem, non seruum, aut ancillam. Ait Aug. de sermone Domini. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, id est, hoc animo attendit, vt eam concupiscat, quod iam non est delectationi carnis sed plane consentire libidini: ita vt non refrænetur illicitus appetitus, sed si facultas fuerit, satietur, hic mœchatur.* Dicit namq; Isid. de summo bono. *Concupiscentia carnis est motus animæ turpis in affectu sordidæ delectationis.* Deinde, *non falsum testimonium dicere.* Nam *testis falsus* sicut dicit Isid. *tribus est obnoxius personis. Primo Deo, quem periurando contemnit. Secundo iudici, quē falso testimonio lædit.* Veritati adsistendum est, innocētes sunt liberandi, & à monacho nemo damnandus est. *Vnum pene crimen habent, & qui falsitatem promit, & qui veritatem supprimit. Etenim ille vult obesse, & iste*

Amb. l. 1. de viduis.

Isid. l. 2. c. 39.

Chrysost.

Contra furtum.

Isai. 42.

Ioan. 15.

1. Cor. 3.
Ioan. 6.

Monach. quando furetur.

Contra concupiscentiam rei alienæ

Eccl. 18.
Psal. 10.

Aug. lib. 1 c. 23.

Isid.

Contra falsum testimoniū.
Isid. l. 3. de sum. bon. c. 59.

Idem.

non vult prodesse. Peior autem testis, qui lædit, quam qui peierare non vult. Nam ille malignus est, iste inutilis. Monachus vero omnibus debet prodesse, & nulli obesse. Deinde *honorare omnes homines*, propter imaginem & similitudinem sanctæ trinitatis, & confraternitatem redemptionis: quia omnes fratres sumus in Domino, & vnum patrem habemus vniuersi Deum, & ab vno homine descendimus omnes. Ergo quod sibi quis fieri non vult, alii ne faciat.

De honorandis homin.

Nam sicut feciſti, fiet tibi. Honorandi sunt omnes, in quantum sunt homines nobis similes ad imaginem Dei facti, tam boni quam mali: sed in quantum peccatores sunt & mali odiēdi sunt, quia homines diligendi sunt, peccata odio habenda 86. *dist. c. Odia.*

Leo ep. 90

Instr. 10.

Abnegare semetipsum sibi, vt sequatur Christum.

SE sibi abnegat, qui corpus animæ subiicit, nec delectatur voluntatem suam adimplere, quin potius se alteri propter Deum subdit. Hæc est perfecta & regia via ad vitam, propriam videlicet abnegare voluntatem, & sequi Christum. Non enim sufficit omnia reliquisse, nisi & Dominum sequamur. Vnde Dominus ait Petro. *Vos qui secuti estis me in regeneratione sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.* Non ait, qui reliquistis omnia, hoc etenim multi fecerunt, sed qui secuti estis me, quod solis Apostolis & sanctis viris dictum est. Omnia relinquere incipientis est, Christum sequi proficientis, siue perfecti. O quam pauci sunt, qui post Dominum ire volunt, cum tamen nemo sit quin ad eum venire velit, sed non curant quærere, quod desiderant inuenire, cupientes cōsequi & non consequuntur. Id quæramus, quod inuenire possumus, id discamus, quod scire valemus, id optemus, quod optare cor hominis potest. Dicit Augustinus. *Missus est saluator clamans actu & dictu. Ego sum via, veritas, & vita. Vis ambulare, ego sum via. Falli non vis, ego sum veritas. Mori non vis, ego sum vita.* Non est ergo quo eas nisi ad me: aut vnde transeas nisi per me: nec vbi quiescas nisi in me. Sequitur.

Matt. 19.

Aug. in Ioan. tr. 22.

Corpus castigare, delitias non amplecti.

Instr. 11. & 12. 1. Cor. 9. Gal. 5.

CAro etenim concupiscit aduersus spiritum, & qui desideria carnis perficit, spiritum sine dubio negligit. Ait enim Augustinus. *Spiritus deficit, vbi caro requiescit. vt enim caro mollibus, sic anima duris nutritur, illam blanda renouant, hanc aspera exercent.* Dicit etiam beatus Hieronymus in epistola. *Quocunq; pergimus, nobiscum inimicum id est carnem portamus. Vinum & adolescentia duplex incendium voluptatis.* Et Gregorius. *Nos gestamus laqueum nostrum nobiscum circumferimus inimicum, carnem nostram loquor, de peccato natam, in peccato nutritam, corruptam nimis in origine. sed multo amplius vitiatam prana consuetudine. Hinc est, quod tam acriter aduersus spiritum concupiscit, quod assidue murmurat & impatiens est disciplinæ, quod illicita suggerit, quod nec rationi obtemperat, nec vllo timore cohibetur.* Monachus igitur, qui terrena cuncta transcendit, & solis inhiat cælestibus, dicens sibi cum Apostolo *nostra conuersatio in cælis est*, carnem suam castigare debet ieiuniis, orationibus, disciplinis, vigiliis, laboribus, & quibuslibet piis exercitiis: quia si carnis impleuerit desideria, non tantum monachus nō est, sed & Dei irritator est. Quid monacho & voluptati? Qui mundo mortuus esse debet, non potest amplecti delitias & esse quod dicitur. Non est vacandum commessationibus & ebrietatibus 44. *dist. c. Commessationes.* Et si clericis secularibus tabernas ingredi non licet, *ibidem nulli licet.* quantominus monachis, qui altiorib. astringūtur præceptis licebit? Sed sunt nonnulli adeo delicati, non natura, sed consuetudine, seu potius voluptate, vt nihil eis præter carnem placeat. meditatio eorum aut cibus, & potus, aut somnus, & fabula, contra appositum murmurant, semper optima quærūt. Quos Bern. redarguit dicens in persona talium. *Legumina*, inquiunt, *ventosa sunt, caseus stomachū grauat, lac capiti nocet, potum aquæ non sustinet pectus, caules nutriunt melancholiam, porri choleram accendunt, pisces de stagno, aut de lutosa aqua meæ complexioni non conueniunt. Quale est hoc, vt in omnibus fluuiis, agris, hortis, cellario reperiri vix possit, quod comedas? Putate quæso monachum, non medicum, nec iudicandum de complexione sed de professione.* Indurandus igitur est animus & à blandimentis voluptatum procul abstrahendus; quia vbi voluptas, ibi perpetua egestas:

Phil. 3.

Bern. ser. 30. in cāt.

Vnde

Hieron. Amb. l. in in Luc. Coloss. 3.

Vnde ait B. Hier. in epistola. *Semper voluptas famem sui habet & transacta non satiat. Mortificate*, inquit, Apostolus, *membra vestra, quæ sunt super terram & induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est.* Voluptas res vituperabilis, spatio breuis, culpa diuturna, animam nudam reddit, corpus citius debito occidit. Qui diligit eam miser est, & paucus dierum. Vera voluptas & sancta animæ gaudium est, corpori mœror. Nam corpore infirmato, tunc anima fortior extat. Hinc etenim 2. Cor. 12. Paulus ait. *Cum infirmor, tunc fortior sum.* Felix infirmitas, quæ animę salutem procurat. Beata anima, quæ corpori dominatur. Nihil adeo monachum decorat, quam abstinentia & humilitas. Ait enim Dionys. Areop. Dyonisius de diuinis nominibus. *In nullo prorsus lucet diuinus radius, nisi abstinentia fuerit quis & castitate præditus.* Prima via proficiendi in religione abstinentia est. Secunda humilitas. tertia caritas, & ipsa profectus. Deus enim caritas est. Sequitur.

6

Instrũ. 13.

Ieiunium amare.

QVare dicit ieiunium amare, & non potius seruare? nisi quia multi sunt qui ieiunant non sponte, sed coacti & inuiti? Sunt enim pleriq; claustrales, qui ex regula & præceptis superiorum ieiunare coguntur, & si vellent comedere, nec possent habere, nec permitterentur: qui si sui iuris essent, nequaquam forsitan ieiunarent, sed voluptati potius, quam abstinentiæ operam darent. Virtus ergo ieiunium est, sed maioris meriti ieiunium amasse, cum multi macerentur inuiti. Amare ieiunium libertatis est, ieiunare & non diligere seruitutis. Porro hilarem datorem diligit Deus. Plus est amasse sine opere, quam fecisse sine amore. Amor perfectus impossibilitatem excusat, sed pietas sine amore si quid fecerit nihil tamen meruisse videtur. Plus enim Deo placet solus boni affectus, si desit potestas, quam operit magni effectus si non affuerit & voluntas. Amemus ieiunium puro affectu, obseruemus ieiunium possibili effectu: nam ipsum, Christi arcem scimus esse & castrum, murum spiritus sancti, vexillum fidei, castitatis signum, sanctitatis tropheum, religionis ornamentum, & omnis boni augmentum. Ait quippe Ambrosius. *Ieiunium mors culpæ, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ fundamentum est castitatis. Hoc gradu citius ad Deum peruenitur. Hoc gradu Helias currum ascendit & Moyses legem de manu domini accipere meruit.* Et Augustinus in sermone. *Ieiunium purgat mentem, subleuat sensum, carnem spiritui subiicit, cor facit contritum & humiliarum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis vero lumen accendit.* Et Isidorus de summo bono, *Per ieiunium occulta mysteriorum cœlestium reuelantur, diuiniq; Sacramenti arcana panduntur. Sic namq; Daniel Angelo reuelante mysteriorum Sacramenta cognoscere meruit. Ieiunia fortia tela sunt aduersus tentamenta dæmonum, cito per abstinentiam deuincuntur. Vnde etiam Dominus ac saluator noster eorum superare incursus ieiuniis & orationibus præmonet dicens. Hoc genus non eiicitur, nisi per ieiunium & orationem. Immundi enim spiritus ibi sese magis iniiciunt: vbi plus viderint escam & potum.* Vestis animæ pulchra, ieiunium mundum, progressus virtutum, sobria spiritus ebrietas, voluptas Angelorum. Vnde iterum Isidorus ait. *Hæc virtus & angelorum manifestationes, & eorum dominationes ostendit.* Hinc beatus Hieronymus ait. *Ieiunium non solum perfecta virtus sed etiam cæterarum virtutum fundamentum est & sanctificatio & pudicitia, sine qua nemo videbit Deum.* Sed perfectum ieiunium non est quãdo à cibis, & non à vitiis abstinemus. Vnde ait Chrysostomus. *Qui peccat & ieiunat, non ad gloriam Dei ieiunat, nec se humiliat, sed substantiæ suæ parcit.* Ieiunemus non tantum à cibis & potibus, quod & dæmones facere non dubitamus, sed à peccato abstineamus, quod soli sancti faciunt, & erit perfectum ieiunium nostrum. Non inueniatur voluntas nostra diebus ieiuniorum nostrorum in malis, quia nihil prodest afflictio carnis sine puritate mẽtis: nam caro propter animam, non anima propter carnem creata est; & cum ieiunamus, non propter corpus, sed propter animæ commodum ieiunamus. Hinc Maximus episcopus ait. *Ieiunium Christianæ gentis debet esse refectio, debet pacem nutrire non iurgia.* Quale illud est ieiunium quod non vesceris carnibus, & de ore tuo omni esca sordidius egreditur maledictum? Quale illud est, sanctificatur venter ieiunio & polluitur lingua men-

Ambr. de Elia & ieiun. c. 3.

August. serm. de ieiun.

Isidor. l. 2. c. 44.

Matt. 17.

Isid. ibid.

Hier. ep. 8. ad demet.

Chrysost. in Matt.

Maxim.

Ieiunii laudes.

dacio? Ieiunare oportet non tantum ventrem, sed etiam linguam, manus, pedes, & omnia corporis membra. Vnde Bernhardus in sermone. *Si sola gula peccauit, sola ieiunet & sufficit. Si vero peccauerunt & membra cætera, cur non ieiunent & ipsa? Ieiunet ergo oculus à curiosis aspectibus, & omni petulantia,* vt bene humiliatus coerceatur, *in pœnitentia, qui male liber vagabatur in culpa. Ieiunet auris nequiter pruriens à fabulis & rumoribus, & quæcumque otiosa sunt ad salutem minime spectantia. Ieiunet lingua a detractione & murmuratione ab inutilibus, variis atq; scurrilibus verbis: interdum quoq; ob grauitatem silentii ab ipsis, quæ videri poterant necessaria. Ieiunet manus ab otiosis signis & ab omnibus operibus, quæcunq; non sunt imperata. Sed & multo magis anima ipsa ieiunet à vitiis & propria voluntate sua. Etenim sine ieiunio mentis hæc cætera reprobantur à Domino, sicut scriptū est. Quia in diebus ieiuniorum vestrorum voluntates vestræ inueniuntur.* Vnde etiam beatus Hieronymus ait. *Præclara est abstinentia, cum mens ieiunat à vitiis.* Et Gregorius. *In cassum per abstinentiam corpus affligitur, si inordinatis moribus remissa mens à vitiis disipatur.* Et iterum beatus Hieronymus ait. *Gratissimum Deo offert ieiunium, qui mentem suam à prauis cogitationibus, oculos à concupiscentia, linguam manusq; à lite custodit.* Ait etiam Isidorus. *Qui à cibis abstinent, & mala agunt, dæmones imitantur, quibus esca deest & nequitia semper adest.* Quid prodest corpus castigare ieiuniis & mentem polluere vitiorum sordibus? Propterea enim à cibis abstinemus, vt vitia domemus, non vt corpus tantum affligamus, sed vt mētem quoq; purgemus. Vnde ait Maximus episcopus, *bene ieiunat quicumque esuriem suam refecti pauperis satietate sustentat. Bene ieiunat qui diuini recordatione iudicij semetipsum refrœnans, ab omni illecebrarum voluptate se suspendit. Bene ieiunat qui carnem suam vitiorū germine pullulantem castigat. Bene ieiunat qui fraternas iniurias pacifici pectoris lenitate dimittit.* Pulchrum monachi argumentum ieiunium, beatus qui amauerit illud. Sed quia ieiunium sine eleemosyna Deo perfectū non est, apte subiungitur.

Bern. sermon. 3. Quadra.

Isa. 58.

Hieron. ep. 14. ad eclant.

Greg. in pastor. 3. p admon. 20

Hieron.

Isid. l. 3. de sum. bon. c. 44.

Maxim.

Pauperes recreare.

ILle namq; Deo veraciter ieiunat, qui pro amore eius se macerat & quod sibi subtrahit, alii largitur. Vnde ait Gregorius in homilia. *Illud ieiunium Deus approbat, vt hoc quod tibi subtrahis, alteri largiaris; vt vnde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur.* Et Leo papa dicit. *Tale est ieiunium sine eleemosyna, qualis est sine oleo lucerna. Sed qui reseruat quod sibi ieiunando subtrahit, auaritiam colere videtur, non deuotionem.* Ait enim Gregorius. *Non Deo sed sibi ieiunat qui ea quæ ventri ad tempus subtrahit, non inopibus tribuit, sed ventri postmodum efferenda custodit.* Sed diceret aliquis, Monachus sum & sub regula milito, quæ non patitur me habere quidquam. Vnde ergo eleemosynam facere possum? Non licet mihi nec dare nec accipere minimum absque voluntate mei Abbatis. Quid igitur dabo nihil habens? Sed est notandum, quia tria sunt genera eleemosynarum. 45. *distinct. Tria sunt genera eleemosynarum. Vna corporalis, egenti dare, quidquid poteris. Altera spiritualis, dimittere à quo læsus fueris. Tertia, delinquentes corrigere & errantes in viam veritatis reducere.* Hinc etiam Augustinus ait. *Duæ sunt eleemosynæ? vna cordis, alia pecuniæ. Eleemosyna cordis est, dimittere à quo læsus es, Nam dare aliquid indigenti, aliquando quæres, & non habes. Indulgere peccanti, quantum volueris, redundat tibi. Eleemosyna cordis, multo maior quam eleemosyna corporis est. Caritatis eleemosyna, sine terrena substantia sufficit; illa, quæ corporaliter datur, si sine benigno corde tribuitur, omnino non sufficit.* Plus enim valet eleemosyna cordis coram Deo, quam largitio magnarum rerum coram hominibus absq; Deo. Vnde Gregorius. *Manus numquam vacua est à munere, si arca cordis plena est bona voluntate.* Non enim parce seminat qui parum habet & parum largitur, si animus promptus est: quia plus daret, si plus haberet. Plus enim pensatur apud Deum animus, quam census. Sic monachus, si non habet, vnde subueniat egenti in corpore imputatur ei in corde, vt si licenter posset, promptissime subueniret. Recreet pauperes oratione, quibus non potest subuenire operatione: quia odio habet Deus rapinam in holocausto. Monachus quippe, cui nihil accipere aut dare licet, sine benedictione Abbatis, si absq; licentia pauperi dat aliquid, ex rapina eleemosynam facit. Plus enim meretur compatiendo puro cordis affectu, quam si absq; superioris permissione, multum dederit egenti. Magis enim

Greg. hom. 16. in Euang. Leo.

Greg. ibi.

Aug. l. 50. hom. h. 6.

Greg. 19. moral.

Isa. 61.

Deo

7

Instr. 14.

Reg.5. Deo placet obedientia, quã victimæ. Porro Abbas, & cui credita est dispensatio rerum ad eleemosynam faciendam cordialiter & corporaliter obligantur. nam Christum negare conuincitur, qui necessitatem patientibus misericordiam non impendit. 7.q.1. *Omnis qui gemebat.* Manus enim pauperis est gazophylacium Christi. Vnde quidquid pauper accipit, Christus ipse acceptat. Da ergo pauperi terram, vt accipias cælum, da obolum vt accipias regnum, da paruum, vt accipias magnum, da micam, vt accipias panem cæleſtem, in quem desiderant angeli prospicere. O sancta commutatio, pro minimo venditur cælum. Vnde Leo Papa in sermone. *Leo serm. 6. de ieiu. 10. mens.* *Da quod accipias: sere quod metas: sparge quod colligas: quamuis non habeas quod non acceperis, non potes non habere, nisi quod dederis.* Hinc Gregorius ait. *Greg. 3. p. pastor. adm. 22.* *Tot pene quotidie diuites perimunt quot morientiũ pauperum apud se subsidia abscondunt. Nam cum quælibet necessaria indigentibus ministramus: sua illis reddimus non nostra largimur.* Beatus nimirum, qui intelligit super egenum & pauperem in die mala liberabit eum Dominus. *Psal. 40.*

Amb. lit. 12. vers. 7. Hinc Ambrosius super *Beati immaculati.* Ille intelligit super pauperem qui largitur pauperi. Nam quid prodest miseri pauperis, nisi almoniam eidem largiaris? Vnde prouerbiorum 28. scriptum est. *Prou. 28.* *Qui dat pauperi, non indigebit: qui despicit deprecãtem sustinebit penuriam.* Hinc *Chrysost. in Matt.* Chrysostomus ait. *Melius seruatur pecunia, quæ in dextera pauperis collocatur. quia hanc calumniator non extorquet, inuidus non criminatur, latro non auffert, fur nocturnus non diripiet, seruus fugam meditans non inuadit, sed semper est tuta, semper integra, semper salua. Scriptum est enim, qui iustus est tribuet & non cessabit.* Ait enim Ambrosius. *Amb. l. eit.* *beatus plane de cuius domo numquam vacuo sinu pauper exiuit: neq; enim quisquam magis beatus, quam qui intelligit super pauperis necessitatem & infirmi atq; inopis ærumnam.* Vnde Dominus *Matt. 5.* eos in euangelio, qui pauperibus subueniunt, collaudans ait. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* scriptum est Ecclesiastici 3. *Ignem ardentem extinguit aqua: & eleemosyna resistit peccatis.* Vnde Rabanus episcopus. *Rabanus.* *Nil plus valet curationi animæ, quam eleemosynarum largitas, quia frustra pro peccatis oratur, cum manus ad Deum expandit: qui has ad pauperes non extendit. Qui enim pauperis miseretur, a Domino misericordiam consequitur, a quo omnia habet.* nam magna pars iustitiæ pura eleemosynarum largitio est. Ait nam q; beatus Hieronymus. *Non memini me vidisse mala mor te periisse, qui libenter exhiberet opera pietatis.* *Hier. ep. ad nepot. Eccl. 29.* Vnde per sapientem dicitur. *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa orabit pro te.* Tantum se nouerit quisq; in caritate proficere, quantum compassus fuerit alienæ miseriæ. Dicit enim Fulgentius. *Fulgent.* *Ad arcem contemplationis facilius ascendit, qui per compassionem aliorum infirmitatibus condescendit* magnam apud altissimum familiaritatis contrahit fiduciam qui pauperis subleuat pro posse cordialiter indigentiam. Scriptum est Ecclesiastici 4. *Congregationi pauperum assabilem te facito.* Eleemosyna enim mundat peccata, & ipsa interpellat pro nobis ad Dominum, quia quidquid pauperibus dederimus, ipsum integre possidebimus. Vnde dicit Bernardus. *Bern.* *Si vere tua sunt, quæ possides, expende ad lucra, & cælestia pro terrenis commuta. Si hæc facere non potes te pecuniæ non Dominum, sed seruum, non possessorem, sed possessum esse scias.* Et Ambrosius. *Amb. lib. de Nabot. c. 25.* *Quicumq; patrimonio suo tamquã possessor non vtitur: qui largiri pauperi & dispensare non nouit, is suarum famulus est, non Dominus facultatum.* Dicit etiam Augustinus in epistola. *August.* *Si vis esse mercator optimus, fœnerator egregius, da quod non potes retinere, vt recipias quod non poteris amittere: Da modicum, vt recipias centuplum. Da temporalem possessionem, vt consequaris æternam hæreditatem.* Habeant in domo tua ingressum pauperes vt tu quoq; habere merearis introitum regni cælestis. Studeas recreare pauperes si tibi licet, quoniam Dominus dicturus est. *Amen dico vobis quamdiu fecistis vni ex minimis mihi fecistis.* *Matt. 25.* Abbates ergo & animarum rectores, quibus credita est dispensatio & pauperum thesaurus, indigentibus subueniant, scientes proculdubio se Deo rationem de omnibus sibi creditis, sed & de pauperum eleemosyna in die iudicii reddituros: Monachus autem qui nihil habet, cui nec dare, nec accipere sine Abbatis imperio licet, spiritualem omnibus exhibeat eleemosynam exẽplo Apostoli Petri, qui terrenam non habẽs substantiam petenti pauperi spiritualem impendit misericordiam, cum diceret,

Act.3. *Argentum & aurum non habeo, quod autem habeo hoc tibi do. In nomine Iesu Nazareni surge & ambula* in pace. Et monachus, qui omnia pro Christo reliquit, maximam fecit eleemosynam, quia sibi nihil omnino reseruauit. nihil dare potest, nisi quod habet, spiritualem videlicet eleemosynam, hanc, quantum præualet, indigentibus ministret, quia sine dubio, qui in caritate orat pro proximo magnam misericordiam facit. De monachis autem sine regula sub regula viuẽtibus, quid dicam, ignoro, de his qui reditus monasteriorum cum Abbate suo partiuntur, & diuidunt, qui propria habent, vtuntur & abutuntur, quomodo & quando & cũ quibus volunt, contra regulam sancti Benedicti, & statuta sanctorum Patrum & summorum Pontificum, qui solo habitu & tonsura monachi sunt, factis autem se milites ostendunt. Si ergo inter tales forte aliquis fuerit, cuius animam timor domini possederit, sicut aliquando reperti sunt, nec declinare eorum congregationem potuerint, hi tales, vt arbitror, eleemosynam facere possunt, si tamen consenserit Abbas. Imponam silentium ori meo, ne plus loquar quam expedit, condoleo enim non dolenti. Sequitur.

§

Instrum. 15.16.17. 18.19. *Nudum vestire, infirmum visitare, mortuum sepelire, in tribulatione subuenire, dolentem consolari.*

OPera misericordiæ sunt hæc, quæ aliquando sibi inuicem monachi quique religiosi exhibere nouerunt; aliquãdo vero cum licentia superioris extraneis Christi fidelibus impendere solent. Sex enim opera misericordiæ sunt, quæ & corporaliter exhibentur, & etiam aliquando spiritualiter. De corporalibus, audi versum. *Visito, poto, cibo, redimo, colligo, condo.* Visito infirmum, poto sitientem, cibo esurientem redimo captiuum, colligo peregrinum & exulem, condo mortuum. De spiritualibus autem versus extat. *Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora,* Hæc opera spiritualia misericordiæ quilibet monachus facere potest, dummodo sui officii non excedant limites. Pateat monasteriorum aditus pauperi, quoniam hoc regula iubet: nam vere Christus in ipsis suscipitur. Nullus esuriens, nullus sitiens, vel nudus nullus inconsolatus à monasterio dimittatur; quantum possibile est omnibus subueniatur, & Deus absq; dubio locum benedicet, & multiplicabuntur res vestræ, sicut arena maris, quia qui subuenit pauperi, non indigebit, & qui manum suam aperit inopi, tidebit in die nouissimo. Res pauperum sunt thesauri, quos vos absconditis & reseruatis: quia quidquid plus necessario possides, tuum non est, sed pauperũ Christi. Vnde in capite 55. de vestiariis fratrũ dicitur. *Accipiẽtes noua, vetera semper reddãt in præsenti reponenda in vestiario propter pauperes.* Ecce palam loquitur. superflua pauperum sunt. Quomodo putamus monasteria primitus excreuisse in rebus temporalibus? numquid ideo, quia tenaces erant dispensatores eorundem, & nihil expenderunt in vsus pauperum? Nequaquam. Sed quid? Rerum monasteriorum dispensatores. sed & Episcopi Ecclesiarum cathedralium, Principes quoq; populorum, & pene omnes, qui in Christum credebant eleemosynarii deuotissimi & infatigabiles erant, Ecclesiis & piis locis, atq; necessitatem patientibus syncero caritatis officio omnia, prout poterant, ministrabant. pacifici ad inuicem sine discordia, & pure ac synceriter in Christo diligebant. Quid legimus de Ioanne Alexandrino antistite, qui propter magnarum eleemosynarum largitionem Ioannes eleemosynarius cognominatur, quomodo sanctitas in eo creuit, & rerum temporalium copia? ita vt de omnibus Alexandriæ finibus ad eum pauperes, sicut ad patrem, pro necessitatibus suis subleuandis concurrerent, & quantum plus tribuebat, tantum magis abũdabat, ita vt nonnulli, sicut moris est prauis, de tanta ipsius fama sancta dolerent. Legamus deniq; dialogum Gregorii Papæ magni & qd ipse referat de Paulino Nolanæ ecclesiæ episcopo aduertamus. Qui cum omnia tribuisset indigentibus, demum nihil habens seipsum pro filio viduæ tradidit in manus tyranni seruituti. Sanctos etiam innumerabiles, si reuoluimus, eorum gesta inueniemus, Episcopos & Abbates, qui egenis omnia largientes sibi nihil penitus reseruarunt; inter quos & beatissimus legislator noster Benedictus reperitur, qui modicum olei in vase vitreo ad vsum fratrum reseruatum

Cur olim opulenta monasteria.

Greg. l. 3. dial. c. 2. & 3.

pauperi

pauperi petenti iussit dari, malens cum suis necessitatem pati, quam pauperem inconsolatum à se dimitti. O quomodo descendit statua de auro ad ferrum, quomodo deteriorata est. O quomodo obscuratum est aurum : & color optimus mutatus est? Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum. Aurum quippe bonæ vitæ obscuratum est. Illi enim dederunt pauperibus & abundabant, nos reseruamus & egemus: quia veriſſima regula est Domini dicentis. *Date & dabitur vobis.* Sed quod sentio, tacere non valens, cum dolore loquor. Iam monasteriorum pleriq; rectores tantam in congregandis diuitiis adhibent sollicitudinem, tamquam si immortales essent. Pauperes quotidie cum Lazaro ante ianuam iacent, & vociferantes audiunt, nec miserentur: sed aurum & argentum multaq; superflua recludunt reseruanda: pauperes autem Christi foris inedia pereunt. Vnde prouerbio in vulgo dicitur. *Monacho res nulla auarior, qui quanto plus habet, tanto amplius desiderat.* Sed dices forsitan. Quare non licet monasteriis congregare diuitias; cum in ædificiis eorum multa requirantur? Non dixi, quod non liceat : sed hoc dico, non expedit. Porro multa licent, quæ non omnia expediunt. Quid facit pecunia abscondita? cui prodest? quid valet? quæ vtilitas in thesauro abscondito? Ad quid alta ædificia? O vanitas vanitatum, & pæne omnia vanitas. Habebant sancti Patres in primitiua ecclesia, choros obscuros & simplices, sine curiositate & corda illuminata, calices ligneos, vel æreos, sacerdotes autem aureos, nunc autem Ecclesiæ sunt pulchræ aspectu & illuminatæ, corda autem plurimorum obscura & tenebrosa, calices aurei sunt, sed sacerdotes lignei, monachi quoq; claustra pulchra faciunt, muros altos erigunt, quibus exterior homo possit teneri: sed vtinam claustra facerent conscientiæ, quibus homo interior ordinate teneretur. Cappas etiam longas trahunt post se, coronas radentes vsque ad aures, sed coronam interiorem sanctitatis parum nutriunt, ignorantes quod cappa & tonsura monachum non faciunt, sed vita immaculata. Vnde ait Bernardus, *Habitus noster, quod & dolens dico, qui humilitatis solet esse insigne, à monachis gestatur superbe: vix iam in nostris prouinciis inuenio qua veste dignoscamur. miles & monachus ex eodem panno partiuntur sibi cucullam & chlamydem.* Quis princeps, quis rex, quis deniq; imperator, si aptarentur cappæ, nostras horreret? O frater respice cappam tuam, quomodo tibi placet. an non sufficeret Episcopo aptata? Plane sufficeret. Ornate & pulchre incedis, pauimentum cappa expurgas: manicæ dependent ad genua, cor in stercore iacet. O monache monache, cappa quid facit? Lucida & splendida cappa, cor tenebrosum sæpe contegit. Non sic præcesserunt sancti Dei, de quibus ait Apostolus ad Hebræos, 11. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.* O fratres, fratres, quid nos miseri dicturi sumus in die, qua ad iudicium veniet dominus? quid inquam dicemus, quid respondebimus? videamus habitum nostrum, qualis sit, an veri monachi iudicandi simus? Sed dicis. habitus monachum non facit. Optime. Ergo nec destruit. Certe, quando emis pannum, meliorẽ semper inquiris, quod non nisi ex corde facere potes; sed quidquid facimus, omnes ex intentione iudicabimur. Quare obsecro non sufficit simplex, & secundum regulam pannus vilior, nisi quia ornatum quæris in cappa? Ait enim Bernardus. *cum contra regulam, nõ quod vilius occurrerit, sed studiosissime quæris, quod rarius inuenitur, pretiosius emitur, ignorans facis hoc, an ex industria? Ex cordis thesauro sine dubio procedit, quidquid foris appareat vitiosum. Vanum cor vanitatis notam ingerit corpori, & exterior superfluitas interioris vanitatis indicium est. Mollia indumenta mollitiem animi indicant. Non tanto curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus.* Sed quid dicam. Nites tu in cappa, & pauper vexatur inopia.

Quod tu superflue trahis post te, pauperis est, non tuum, & ex manica tua longa & ampla, nudus vestiendus est, non tu sepeliendus. Sed dices iterum.

Ergo vilissime & sordide incedam? Minime. Audi quid dicat beatus Hier. *Vestes*, inquit, *pullas & nigras aque deuita. Nam candidi ornatus & sordes pari modo fugienti sunt, quia alterũ delicias, alterum vanam gloriã redolet.* Quid est speciosus ornatus, nisi sepulchrum foris dealbatum, intus autem spurci-

Luc. 6.

An monasterio licet congregare thesaurum.

Inuehitur in magnificadificia.

Bern. in apol. ad Vilhel. Abb.

Et in vestitum.

Bern. ib.

Hier. ep. 2 ad Nepot.

ſpurcitia. Hiacynthus purpura, coccus & byſſus in limo putreſcunt: aurum & argentum, lapides & gemmæ in luto ſordeſcunt: dignitas & poteſtas in puluere, honor & gloria male ſedent in cinere. Virtus & ſanctitas notam fugiunt curioſitatis. Superbus autem, vt magnificus videatur, ſatagit veſtiri duplicibus, indui mollibus, pretioſis ornari. Ait Cyprian. *Serico & purpura induti Chriſtum ſyncere induere non poſſunt.* Auro & margaritis adornati & mollibus, ornamenta mentis & corporis perdiderunt. Qui reſpondebimus Domino, qui res pauperum penes nos recludimus? Officium monachi eſt luctus & fletus pro peccatis ſuis, & aliorum, non congregare diuitias. Sunt enim nonnulli qui in ſæculo nihil habere potuerunt, & iam omnibus in monaſterio abundant, nulli miſerentur, quia prouerbium extat. *Dum ſugunt miſeri nolunt miſeris miſereri.* Statim quippe vt ambitioſus promotus eſt ad honorem, in ſuperbiam extollitur, & in iactantiam efferœnatur, non curat prodeſſe, ſed gloriatur præeſſe præſumit ſe meliorem, quia cernit ſe ſuperiorem. Quidam enim ante dignitatis adeptionem ſatis conſiderabiles extiterunt, ſed ſuper candelabrum Eccleſiæ conſtituti lucem in tenebras, & famam in infamiam conuerterunt. & qui parum habentes omnibus tribuebãt, nunc omnibus abundantes nulli miſerentur. Et qui in ſeculo linoſtemate & manto contenti erant, iam monachi effecti in libitonariis circũ eunt pauitenſibus, deſubtus renonibus veſtiti. pauperes autem algent in veſtibus ruptis, nec miſerentur iſti. *Si videris nudum veſti eum & carnem tuam ne deſpexeris.* Ait enim Ioannes Baptiſta. *Qui habet duas tunicas, det non habenti.* Tu autem tres habes, aut plures, & frater tuus pauper foris frigore perit, nec ſibi ſubuenis. Sed quamdiu his immoror? *Beatus* plane, *qui intelligit ſuper egenum & pauperem.* Quare? *Quia in die mala liberabit eum Dominus.* Hoc autem ſcitote, quoniam non ponentur diuitiæ veſtræ vobiſcum in ſepulchro, ſed ſoli ibitis. Aurum & argentum non liberabit vos de manu furoris domini. Subuenite ergo quicumq; poteſtis pauperi, cibate eſurientem, potate ſitientem, veſtite nudum, viſitate infirmum, mortuum ſepelite, in tribulatione poſitis ſubuenite, dolentem conſolamini, vt à domino audire mereamini. *Venite benedicti patris mei percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab initio ſeculi.* Et reſpondebunt. Quare? Dicet vobis Dominus. *Eſuriui & dediſtis mihi manducare* &c. Et fiducia accepta dicent. O domine, quando vidimus te eſurire & pauimus te? Reſpondet Dominus, Amen *dico vobis quamdiu feciſtis vni ex his minimis meis qui credunt in me, mihi feciſtis.* His autem, quos nulla eleemoſynarum precedentia facta ſequuntur, æterni iudicis voce ſic dicitur. *Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare. Sitiui, & non dediſtis mihi bibere.* Quibus iuſte dicetur. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus eſt Diabolo & angelis eius.* O vox amara nimis omniq; Chriſtiano metuenda. Nos ergo, fratres cariſſimi, Dominum in pauperibus ſuis cibemus, ne talis contra nos, quod abſit, proferatur ſententia. Et ne cauſemini, dicentes, quia nihil habemus: ſcitote regnum Dei intra vos eſſe, & hoc domini pauper petit, quod habetis in vobis, videlicet *dimittite, vt dimittatur vobis.* Duæ etenim eleemoſynæ ſunt. vna corporalis, egenti dare quidquid potueris, altera ſpiritalis, dimittere à quo læſus extiteris. Harum prima adhibenda eſt miſeris, ſecunda malis. Habes ergo quod ſemper tribuas, & ſi non pecuniam; vel ſalutem & gratiam. Hoc ſummum eleemoſynæ ſtudium eſt, dimittere offendenti, orare pro perſequente, omnes ad viam reuocare ſalutis. Hoc facito, & perfectus eleemoſynarius eris. Sed quia non ſufficit miſericordiam præſtare aliis, ſi ſibi quis non miſertus à vitiis & vanitatibus mundi exuatur; apte ſubiungitur.

Cypr. l. de hab. virg.

*

Iſa. 58.

Luc. 3

Pſal. 40.

Matt. 25.

Matt. 7.

A ſeculi actibus ſe facere alienum. Inſtrũ. 20

SVnt enim pleriq; magni eleemoſynarii, qui alios paſcunt, ſeipſos autem intus negligunt: quia vitiis famulantur, & de eo quod ſuperabundat, patientib⁹ nõ largiuntur. Scimus quod vidua quæ obtulit tria minuta omnibus diuitibus quãtumlibet multum offerentibus à domino laudatur atq; præfertur, quia ſine dubio illa offerebat de eo quo indigebat, alii vero obtulerunt, de quo abundabant; quia Deus non quantum, ſed ex quanto offeras intendit. Si ergo volumus eleemoſynas noſtras quaſlibet acceptari à Domino ſtudeamus nos prius purgare interius.

Marc. 12

interius, quia immundus ad oblationem altaris accedere prohibetur. faciamus nos alienos à seculi actibus, quatenus soli Deo vacare possimus, quia seculares mentes, quanto magis foris per secularia desideria dilatantur, tanto minus sinum cordis ad suscipienda spiritualia dona aperiunt. Nam sicut homo graues habens oculos, melius in loco tenebroso, quam in sole positus videt, sic homo terrenus in terrenis est astutus, & in spiritualibus cæcus. Breuis est vita præsens, in qua tantum mereri possumus, quod in æternum possideamus. Si ergo cum sæculo viuimus, sine dubio & cum eo peribimus. Ait quippe beatus Hieronymus super Amos prophetam. *Nihil fugacius seculo, rebusque seculi, quas dum tenemus, amittimus, mutamur & currimus, & nescientes ad mortis terminos peruenimus.* Dicit ergo Isidorus. *Qui vitam longam quæris, ad eam tende vitam, pro qua Christianus es, id est, æternam, non ad istam, de qua ad erudiendum te descendit, vita æterna, id est, Christus verbum carni coniunctum.* Non enim habemus hic manentem ciuitatem sed futuram inquirimus, ad quam omnes vocati sumus. Via quippe est vita præsens, qua ad patriam tendimus. Sapiens autem cogitat, qualis vita, non quanta sit: non enim viuere bonum est, sed bene viuere. Ait enim Augustinus in sermone. *Non est vera vita, nisi vbi fæliciter viuitur, nec vera corruptio, nisi vbi salus nullo dolore corrumpitur.*

Hier. in c. 6.

Isid. l. 3. de sum. bon. c. 65.

Hebr. 13.

August. tract. 22. in Ioan.

Oportet autem monachum seculi fugere actus, quia seculo mortuus est, qui defensor fieri prohibetur: sed quies & oratio & labor manuum eum decet. Defensor autem causas, & earum cognitiones, conuentiones, actus, publica litigia expedire habet, quod monacho omnino contrarium est 16. q. 1. *de portitore præsentium.*

Qui post votum religionis & ingressum se negotiis implicat secularibus cum vxore Loth respiciens retro in statuam vertitur salis.

Gen. 19.

Instr. 21. *Nihil amori Christi præponere.*

QVidquid plus Christo diligis hoc eius amori præponis. Sed quid plus Christo diligis, nisi quod diligentius custodis? Et ecce, cum quanta diligentia corpus tuum foues, Christum vero id est, pauperes eius negligis: cum ea, quæ tibi supersunt, eis subuenire, & ministrare nõ vis. *

Christus saluator tam ardenter est diligendus, vt nihil omnino eius præferatur amori, nec anima propria, nec corpus.

Ipse enim se humilians propter nos factus est obediens vsq; ad mortem, quam nostri causa patientissime tolerabat, vt à diabolica seruitute redimeret nos, qui tenebamur captiui. *Quid retribuam domino p omnib. quæ retribuit mihi?* Qui dedit semetipsum pro te, nihil aliud, prę ter teipsum, quærit à te. Vnde scriptum est. *Fili præbe mihi cor tuum.* Monachus ergo cor suum tradat Domino semper. nihil Christo carius existimet, sed totus in eius dilectione feruescat, & synceriter & firmiter inhæreat, vt potius mori eligat quam aliquid facere quod Christo displiceat. Pulcherrimum quippe monachi vestimentum est, Deo semper adhærere, vt dicat cum Dauide. *Mihi adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam.* Ignem quem Christus venit mittere in terram semper monachus portet in corde suo; nam caritas omnia potest.

Psal. 115.

Prou. 23.

Psal. 72.

Luc. 12.

Ille veraciter Deum diligit, qui mandata ipsius custodit. Nam caritas perfectio legis est. Sed quoniam multa sunt quæ caritati opponuntur: apte subiungitur.

Iram non perficere: iracundiæ tempus non reseruare. *Instr. 22. & 23.*

IRa est furor animi ab interiorib. ad exteriora, prũpens, ab illatis iniuriis sibi vindictam excogitatã adimplere desiderans. Sed est notandum, quod non dicit simpliciter non debere irasci, sed iram perficere prohibet: quia non omnis ira peccatum, sed iram perficere semper peccatum est. Qui enim cum causa irascitur, fratri non irascitur sed vitio. Vnde Augustinus. *Non fratri irascitur, qui peccato irascitur. iusta ira* mater est disciplinæ; & ira, quæ est cum causa, iudicium est, non commotio illicita. Et Chrysosto-

Aug. l. 1. retr. c. 19.

Chryſoſt. hom. 51. in Matth. Pſal. 4.

ſoſtomus. *Iuſta ira mater eſt diſciplinæ.* Scriptum eſt. *Iraſcimini & nolite peccare.* Quod duobus modis intelligi poteſt. Aut, etiam ſi iraſcimini, nolite peccare, id eſt, etiamſi ſurgit iam motus animi, qui iam propter pœnam peccati, non eſt in poteſtate, ſaltem non ei conſentiat ratio & mens, quæ intus regenerata eſt ſecundum Deum, vt mente ſeruiamus legi Dei, ſi adhuc carne ſeruimus legi peccati.

Aut agite pœnitentiam, id eſt, iraſcimini in vobis ipſis de præteritis peccatis, & vlterius peccare deſinite. Iraſcendum igitur vitiis, non hominibus. Ira enim contra fratrem vitium eſt, contra peccatum virtus. Ait enim Apoſtolus ad Romanos 12. *Non vos iudicantes cariſſimi, ſed date locum iræ*, id eſt, declinemus eam, ne nos illa corripiat. Ira enim valde contraria eſt monacho. Nam caritati apponitur; & qui iram perficit, caritatem proculdubio impugnat. Ait enim Gre-

Greg. l. 5. mor. c. 31.

gorius. *Per iram ſpiritus ſancti ſplendor excutitur, qui ſuper humilem & quietum quieſcere dicitur. Per iram ſapientia perditur, vt quid, quoue ordine agendum ſit neſciatur.* Quia nimirum intelligentiæ lucem, ira ſubtrahit cum mentem permutando confundit. Melior eſt ergo, qui vincit iram, quam qui capit ciuitatem; & qui dominatur animo ſuo hic fortiſſimus eſt. Scriptū eſt.

Prou. 12.

Fatuus ſtatim indicat iram ſuam, qui autem diſſimulat iniuriam callidus eſt. Dicit ergo

Auguſt.

Auguſtinus. *Iracundiæ quaſi beſtiæ crudeliſſimæ repugna.* Eſt enim ira crudeliſſima peſtis, quia fraternam extinguit dilectionē: ſapientiam expellit, virtuti reſiſtit, Deo non obedit, hominem non timet, ſeipſum quoque iracundus non capit. *Ni-*

Sen. l. de ira. * Hugo.

hil inter inſanum & iratum eſt, niſi vnus dies, alter ſemper inſanit, alter ſemper iraſcitur. Ira quippe eſt animi ſubiecta tempeſtas, quæ dum inordinate ſe concutit, cor hominis ad inſaniam pertrahit.

Ira nocet animæ, quoniam non eſt Deus, vbi ira regnat. Ira tument & nigreſcunt venæ, & oculi more ignis ſæuius micant.

Bernard. ſerm. 35. ad ſoror.

Vnde ait Bernardus. *Turbatus præ ira oculus nil clementes intuetur.* Difficile namque eſt crimen non prodere vultu. *Panditur clauſo, ſæpius ore furor.* Rubeſcit facies itata ſæpe, nunc pallor, nunc rubor cordis ſæuitiam pandunt. Miſer eſt, qui iræ deſeruit, qui ſeipſum vincere non poteſt, alteri citius ſuccumbit. Ingentis iræ exitus furorem mentis inducit, & ideo ira vitanda eſt, non moderationis cauſa tantum, ſed & cauſa ſalutis. Ira & furor verum diſcernere neſcit. Et ergo Prælatis & ouium CHRISTI paſtoribus, qui inter verum & falſum, iuſtum & iniuſtum diſcernere habent, ne damnent innocentem aut minus diſcrete corripiant delinquentē, ira dominari non debet: quia ſunt ait beatus Hieronymus ſuper

Hier. in cap. 1.

Iohel, *eſt ira quæ iuſtitiam Dei non operatur, & furori proxima mentis ſuæ impotem facit in tantum, vt labia tremant, dentes concrepent, vultus pallore mutetur.* Ait namque Iſi-

Iſid. l. 8. c. 40.

dorus de ſummo bono. *Iracundi Doctores per rabiem furoris diſciplinæ modum ad immanitatem crudelitatis conuertunt, & vnde emendare ſubditos poterant, inde potius vulnerant.*

Ideo ſine menſura vlciſcitur culpas præpoſitus iracundus, quia cor eius diſperſum in rerum curis non colligitur in amorem vnius Deitatis. Mens enim ſoluta in diuerſis, catena * *caritatis non aſtringitur, ſed male laxata male ad omnem occaſionem mouetur.* Et, *parcere ſubiectis neſcit iniquus homo*, quia ira miſericordiam non patitur. Ianua etenim vitiorum eſt iracundia, qua clauſa virtutibus interius dabitur requies. Noli ergo iram perficere: nec in factum, nec ad verbum inordinatum procedas: quia iracundia pacis eſt diſſipatrix, & vnitatis refuſio: ſine quibus nullus monachus poterit eſſe. *Iracundiæ etiam tempus ne reſerues.* Nam ira fratris, ſi fuerit inueterata, iam odium eſt. Sunt autem nonnulli, qui faciliter ad iracundiam commouentur, iracundiæ tamen tempus non reſeruant, ſed ſtatim ad ſe reuertuntur. Dolent de commiſſo, reconciliantur ab inſtanti, ſcriptum ſcientes. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.*

Ira temporis non reſeruandū.

Eph. 4.

Et ſunt nonnulli, qui rarius ad iram commouentur ſed iram longo tempore reſeruant: adeo vt plerumq; in odium ira commutetur.

Sed quamuis neutrum bonum ſit, melius tamen eſt citius redire ab ira, * quam rarius iraſci, & diutius iram reſeruare.

Si

Si ergo contigerit nos ex animi passione irasci, (quod tamen quantum possumus cauere debemus) ante solis occasum cum discordantibus ad pacem redeamus: nam melius est dormire inter scorpiones, quam cum iracundia pergere ad stratum. Iracundia enim non solum Deo, sed etiam hominibus odibilis est. Vnde quidam sanctorum ait. *Iracundus & si mortuum suscitet, nulli tamen placet propter iracundiam suam.* Periculosum est enim in tali statu viuere, in quo quis mori non velit. Vidimus multos temporibus nostris qui sanos se recipiebant sero in stratis suis, & mane facto mortui sunt inuenti.

Quomodo ergo audes te collocare in lectulo tuo, de quo an surrecturus sis ignoras viuus irreconciliato fratre tuo? Ira viri, si pernoctauerit, duplicem operatur reatum. Iracundus dormiens dæmonibus dat fomentum malitiæ ad decipiendam animam irati. Malo habitare cum serpentibus, quam cum homine, cuius ira durat per noctem. Qui irascitur ex naturâ delinquit; qui autem iram reseruat, non tam ex malitia, quam ex insania offendit. Humanum est irasci, sed qui iram reseruat, dæmones imitatur, qui semper sunt furiosi. Si vis, vt non irascatur tibi Deus, iram aduersum fratrem tuum non serues. Scriptum est enim Ecclesiastici 28. *Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur?* Ac si diceret, frustra orat Deum pro peccatis suis, qui non indulget proximo suo veniam precanti.

Ex ira autem fraus oritur & dolus, cum quis vlciscendi tempus in corde reseruat.

Et hoc amputare volens S. Benedictus, subdidit.

Instr. 24.

Dolum in corde non tenere.

SOlent enim homines pestiferi, qui iracundiæ tempus reseruant, dolum & fraudem gerere in corde vt dum publice nocere non audent, vel occulte inficiant.

Dolus autem est, cum aliud agitur, aliud simulatur. Dolosus sub specie bonitatis multos seducit, qui cum inimicus crudelissimus sit, se simulat amicum, & dum minus cauetur, durius ferit. Ait quippe Cyprianus. *minus timendus est inimicus cũ laceratus surrepit, quam cum per pacis imaginem fallens occultis accessibus serpit.* Dicit etiam Ambrosius. *Venena non dantur, nisi melle circumlita. Sic fraudulentus & dolosus, non decipiunt nisi sub specie vmbraque amicitiæ.*

Cypr. ep.

Amb. l de virgin.

Occultum & insidiosum malum perfidia, cuius virus, dum nescitur, immissum melli periculosius sumitur. Non est inimicus peior aduersario occulto: quia facile quis insidias, quas nouit, declinat: sed dolosum absconditum quis euadere potest? Et sicut nobilitas animi opertum malum non semper tacere nouit: ita cautus nequam permulta crimina fugatus dolo abscondit, quod adulatione tegit.

Homo dolosus Deo odibilis nulli bonus est, sed & sibi ipsi malus est. Monachus autem dolum in corde non gerat, sed verax appareat in omnibus: & qualis est in opere, talis etiam sit in corde. Sunt enim plerique etiam inter monachos, qui in ore mel ferunt, sed in corde venenum portant. Cum venerint ad aliquem fratrem, ostendunt & iactant se neminem plus eo diligere sed mox vt venerint ad alium, similiter faciunt, & illi priori, si quid audiuerint ab eo secreti detrahunt; & sic fit, vt dum simplex se putat diligi, ferociſſime se nesciat persequi.

Custodiat Deus animam meam à talibus, qui mel in ore gerunt, sed virus insanabile retro spirant. Donec accipiant manum osculantur, extollunt vsque ad cœlum caput dantis, sed mox, vt obierint, inimici sunt, qui prius amici apparebant.

Non veniat anima mea in sortem ipsorum, qui secreta scrutantur simplicium, vt postea denudent ea in conspectu omnium.

Vias obseruant gradientium in simplicitate: si quando occasionem detrahendi inueniant. Quod laudant in oculo, vituperant retro. Hi sunt qui pacem non diligunt, qui dissensiones procurãt, prælatum aduersum subditos, & subdi-

tos aduersus prælatum incitant, simulantes se pacem amare, sed vere non diligunt, quia semper persequuntur. Vnde scriptum est Ecclesiastici 28. *Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbauit pacem habentes.* Sequitur ergo.

12

Instr. 25.

Pacem falsam non dare.

FALSAM dat pacem, qui osculatur; quem odit: sicut Iudas osculo tradidit Christum, ita simulans pacem, decipit Christianum. Falsæ autem pacis tres species sunt quas describit Hugo in libro de claustro animæ dicens. *Est enim pax æstimata pax simulata, pax imperata. Dum enim inter seculares pacem quærimus dum discordes ad concordiam reuocamus: æstimant seculares quod inter nos pacem habeamus. Dum in vestimentis ouium foris eximus, & intus quasi lupi rapaces gregem simplicium fratrum lacerando dispergimus: pacem simulamus, sed non habemus. Dum vero prælati pacem subditis imperant, & eos disciplinæ legibus non coartant, solummodo pacem docent sed non tenent. Non enim sufficit,* vt ait Gregorius, *vt pacem tantum doceas verbis: nisi adhibeas etiam manum correptionis.* Ait enim Dominus. *Beati pacifici quoniam filii Dei vocabuntur.* Si ergo filii Dei vocantur, qui pacem faciunt, profecto filij Sathanæ sunt qui pacem confundunt. Nihil est, quod religionem plus deceat & decentius adornet, quam pax in congregatione & concordia fratrum. Nam, vbi pax non est, ibi Deus non requiescit, quia Deus pacis amator odit discordias. Ait enim Augustinus. *Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium caritatis.* Grauiter valde delinquit qui pacem fratrum dissoluit: quia Deum ab eis, & eos à Deo malitiosè segregat, non quod ipse aliquid habeat in DEO, sed quoniam Deus odit peccata. Disseminatores discordiarum inter fratres malitiosi & præsumptuosi, & inuidi, paci alterius inuident: omnia, vel plus quam audiunt, quatenus vel sic pacem conturbent, de subditis ad prælatos deferre solent, æstimantes se posse placere, in eo displicent. Isti delatores prælato subditorum & subditis prælati crimina detegunt, nescientes quod grauissima pœna subdendi sunt, qui alios ex inuidia produnt in foro seculari sub amissione capitis aut linguæ videlicet, 5. *q.6. delatori.* In spirituali autem iudicio sine maxima pœnitentia reconciliandi non sunt. Delatores autem sunt, qui ex inuidia alios produnt. Solent autem se tales quasi pacem habentes ostendere foris, sed intus sunt lupi rapaces, caritatem simulantes in ore, quam non habent in corde. Sequitur.

Hugo. l. 3. c. 9.

Greg. 3. p. past. adm. 28.

Matt. 5.

August. de verb. Dom. serm. 20.

13

Instr. 26.

Caritatem non relinquere.

CARITAS vera non est, quæ deseritur. Sunt enim nonnulli, qui caritatem se habere iactant in tempore prosperitatis, sed statim vt oriri ceperit tribulatio caritas deseritur: quia vera non erat, sed ficta. Nonnulli autem caritatem habere videntur, quam tamen postea criminaliter peccando amittunt. de pœnitent. 33. distinct. 2. *Euidenter itaque.* Caritatem relinquit, qui in bono proposito non persistit. Sunt enim multi, qui ad religionem veniunt in maximo feruore spiritus, sed quoniam non perseuerant vsq; ad finem, quia propositum sanctum derelinquunt, & post voluptates suas vadunt, sine spe mercedis euanescunt. Ait enim Dominus in Euangelio, *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Et de non perseuerantibus dicit. *Qualem te inuenio, talem te iudico.* Dicit autem Gregorius, *multi bene incipiunt, qui vitam in malo finiunt.* Sed, de Pœnitent. 33. dist. 2. dicitur. *Non autem bene incipit qui numquam ex caritate operatur.* Qui si aliquando ex caritate aliquid agit, & caritatem aliquando in ipso necesse est esse. Studeat autem monachus semper in caritate proficere, & numquam deficere: quia caritas sola vestis est imperialis in qua nos Christo sponso apparere necesse est.

Matt. 10.

Greg. l. 2. mor. c. 35.

14

Instr. 28.

Non iurare, ne forte periuret.

PERiurare peccatum est, non iurare, 22. *q.* 1. *in nouo testamento* & ideo beatus Benedictus iurare prohibet, ne ex iuramento fiat periurium. Nemo enim periurium committit, nisi qui male iurat. Iurare ergo peccatum non est, sed periurare immane est peccatum, à quo nos longe

longe esse voluit, qui omnino, ne iuremus, commonuit. Sed tamen iuramentum nec tamquam bonum expetendum est, nec tamquam malum euitandum. *ibidem q.1. ita ergo.* Vnde dicit Augustinus, & habetur ibidem. *Tu non malum facis, qui bene vteris iuratione:* quæ &si non bona, tamen necessaria est. Sed quid est quod dicit idem Augustinus de verbis Apostoli, quia & qui per lapidem iurat periurus est? Si licet iurare per Deum, vt 22. *q.1. Et iurabunt.* quare non licebit & per lapidem? Sed notandum est, quod Augustinus hic periurum esse dicit, qui falsum iurat per lapidem, sicut & is qui male iurat per Deum. Clericus etiam, qui per creaturas pertinaciter iurat, censetur excommunicandus 22.q.1. *Clericum per creaturas.* Iurare autem non expedit, periurare non licet. Is autem periurat, qui aliter facturus est, quam promittit. 22. *q.2. In dolo iurat.* Sanctus Benedictus iuramentum monachis, propter periurii periculum cauendum, docet esse vitandum.

Aug. l.1. de serm. dom.

Isid. l.2. c. 31.

Ait enim Isidorus de summo bono. *Sicut mentiri non potest, qui non loquitur: sic periurare non poterit, qui iurare non appetit.* Non est contra Dei præceptum iurare, sed dum vsum iurandi facimus, periurii crimen incurrimus. Numquam ergo iuret, qui periurare timet. Sed inter iuramentum & locutionem fidelium nulla debet esse differentia. Vnde dicit Ioannes Chrysostomus, & ponitur, 22. *q.5. Iuramenti causa* huiusmodi est, quia omnis qui iurat, ad hoc iurat, vt quod verum est, loquatur. Et ideo Dominus inter iuramentum & loquelam nostram nullam vult esse distantiam: quia sicut in iuramento nullam conuenit esse perfidiam: ita quoque in verbis nostris nullum debet esse mendacium: quia vtrumq; & periurium & mendacium diuini iudicii pœna damnatur, dicente Scriptura, Sapientiæ primo *Os quod mentitur occidit animam.* Quilquis ergo nostrum loquitur, iurat: quia scriptum est. *testis fidelis non mentietur.* Vnde etiam Isidorus. *Multi dum loquuntur, iurare semper delectantur.* Dum oporteat hoc tantum esse in ore, est, est, non, non.

Matt. 12.

Chrysost.

Greg. l. 4. mor. c. 27.

Chrys. in c. 5. Mat. Homil. iurare nō debet.

Dicit autem Chrysostomus. *Nemo est, qui frequenter iurat, qui aliquando non peieret: sicut qui consueuit multa loqui, aliquando loquitur importuna.* Monachus autem iurare non debet quouis modo, neq; per cælū, neq; per terram, ne forte periuret. Sed quid an liceat monacho iurare in veritate, vel non? Respondendum est, quod in necessariis verum iurare non est peccatum. 22. q.1. *Vt noueritis.* Veruntamen, vt arbitror, propter honestatem monacho iurare non expedit, nisi in maxima necessitate, quia cuius verba semper debent esse vera, iurare non debet. Monachus enim qui custos vnius est sui ita purus debet esse in conscientia sua, vt non aliter loquatur quam iuraret, nec aliter sit necesse quam loquatur. Sed quia sunt non nulli, qui minorem quam seculares de sua conscientia curam habent, aliter loquuntur, aliter sciunt, atq; aliter iurant, vt plerumq; vix iurantibus eis credatur. Vnde modum expurgandi se, si aliquid eis impositum fuerit, criminale constituit sancta Synodus Triburiensis, vt videlicet Missa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo ex præsentibus fratribus, & sic expleta Missa omnes communicentur in hæc verba. Corpus Domini sit tibi ad probationem hodie, 2.q.5. *Sæpe cōtingit.* Sed parum hoc nostris practicatur temporibus, eo quod multorum incultæ conscientiæ hoc non pertimescant. In rebus autem honestis & necessariis monachus iurare non prohibetur: sicut in electione Abbatis etiam iurare compellitur. Sed vsum iurandi interdicimus, ne ex continua iuratione periurium subrepat. Est autem nonnullis consuetudo vituperabilis & mala: vt nihil loquantur, nisi cum iuramento per Dei membra, & sanctorum eius, absq; vlla necessitate vel vtilitate: quæ adeo iam inoleuit vt vix inueniatur, qui stulta non confirmet iuratione. Audiant hi tales pœnam iurantiū, quæ quondam infligebatur: videlicet vt clericꝰ deponatur, laicus anathematizetur, qui per capillum vel caput Dei iurauerit. 22 *q.1. Si quis.* Sunt autem pleriq; nō spiritu Dei, sed potius diabolico seducti, qui, vt occasionem inueniāt vagandi, iurant & promittunt, vel in publico, vt audiantur, vel in secreto, vt non ab omnib. sciatur, Deo & sanctis eius aliqua facere, quæ licet eis bona videantur, mala tamē sunt, & postquam se sub manibus dederint Abbatis, faciunt quæ non licet, neq; expediunt, vt promittendo peregrinati-

onem, vel ordinem alium ingrediendi, cum sint iam in alio stabiliti. Hic iam quæritur, an monacho vota vouere liceat cuiuscumque rei occasione sine Abbatis sui voluntate? Respondendum est illud Basilii, positum *20.q.4. Monacho non licet* vota vouere sine consensu Abbatis sui. Si autem vouerit, frangendum erit. Qui enim vouet aliquid sine consensu sui Abbatis, non pietatem sentire videtur, sed contra obedientiam recalcitrare. Quod si monachus existens in ordine sancti Benedicti professus & stabilitus, ad ordinem Carthusiensium, tamquam ad altiorem, absque voluntate sui Abbatis se vouerit transferre, quæritur an dimittendus sit an non? Absque permissione sui Abbatis monachum nemo suscipere debet, *20.q.4. Monachum*, nisi Abbatis sui permissu & voluntate ad alterum monasterium remigrantem nullus Abbas suscipere aut retinere præsumat: sed vbicumque fuerit Abbati suo auctoritate canonum reuocetur. Sed dicendum est breuiter, quod votum non potest fieri, cum iam non sit monachus sui iuris; potest tamen ad districtiorem ordinem transire absque voto, quia si vouerit se ire ad Carthusiam in ordine sancti Benedicti existens, ordini videtur derogare, non colere deuotionem. Quod autem ad districtiorem obseruantiã possit transire, patet *20.q.4. Virgines sacræ*. Et Extra. *de regula, licet quibusdam*. Potest itaque monachus petita licentia transire ad religionem arctiorẽ, si non causa leuitatis, sed propter districtiorem vitam id petierit *19.q.3. statuimus*. Est autem notandum, quod multa licent, sed non omnia expediunt: quia etsi monachus sancti Benedicti ad Carthusiam licite transire possit, dummodo leuitatis causa non fiat, tamen non semper expedit: quia forte, quod hic fugiunt, ibi fortius inueniunt. Spiritus enim malignus, qui seplerumque in angelum lucis transferre solet, hoc quibusdam sub specie vitæ sanctioris persuadet, quatenus eos postea facilius possit decipere. Quantos vidimus & nouimus, de vno ordine ad alium trãseuntes, sed parum profecerunt, quin potius, proh dolor, aliqui eorum penitus apostatarunt. Nihil ergo tutius, nisi, vt secundum Apostolum, *vnusquisq; maneat in vocatione sua, qua vocatus est*. Sequitur itaque.

Basilius.

An Benedictinus possit fieri Carthusianus.

Non expedit semper migrare ad arctiorem ordinem.

1.Cor.7.

15

Veritatem ex corde & ore proferre. *Instr.28.*

QVIA monachi sermo debet esse, secundum præceptum Domini, est, est, non, non, omnino ei mentiri non licet, nec expedit: quia os, quod mentitur occidit animam. Dicit namque Augustinus, *Mihi non absurdum videtur omne mendacium esse peccatum sed multum interest, quo animo, & de quibus rebus quisque mentiatur. Non enim ita peccat, qui consulendi, sicut qui nocendi voluntate mentitur: nec tantum ille nocet, qui viatorem mentiendo in aduersum iter mittit, quantum is qui viam vitæ mẽdacio fallente deprauat.* Mentiri autem seruile vitium est. Sunt autem octo genera mendacii secundum Augustinum in libro de mendacio & ponuntur, *22.q.2. Primum est capitale mendacium & longe fugiendum, quod sit in doctrina religionis. Ad quod mendacium nulla conditione quis debet adduci. Secundum, quod aliquem lædat iniuste, quando tale est, vt nulli prosit & obsit alicui. Tertium, quod prodest alteri, ita vt obsit alicui, quamuis non ad immunditiam obsit corporalem. Quartum sola mentiendi fallendique libidine, quod merum mendacium est. Quintum, quod sit placendi cupiditate de suaui eloquio. His omnibus penitus euitatis atque reiectis, sequitur, Sextum genus, quod & nulli obest & prodest alicui: velut, si quispiam pecuniam alicuius iniuste tollendam sciens, vbi sit, nescire se mentiatur. Septimum, quod & nulli obest & prodest alicui, velut si nolens hominem ad mortem quæsitum prodere, mentiatur. Octauum genus mendacii, quod & nulli obest, & ad hoc prodest, vt ab immunditia corporali aliquem tueatur.* Sed an aliquo genere prædictorum mentiendum sit; potest quæri, cum hominem tueri, vel liberare opus sit pietatis. Respondet cõsequenter, quod numquam est mentiendum aliquo genere dictorum, dicens. *Non est ergo mentiendum in doctrina pietatis, quia magnum scelus est primum genus detestabilis mendacii. Non est mentiendum secundo genere, quia nulli facienda est iniuria. Non est mentiendum tertio genere, quia nulli cum alterius iniuria est consulendum. Non est mentiendum quarto genere, propter mendacii libidinem, quia per seipsam vitiosa est. Non est mentiendum quinto genere, quia nec ipsa veritas placendi causa hominibus enun-*

Augu. in Enchir. 22.q.2.c. mihi.

Mendacii 8. genera. Augusti. c.14.

enunciãda est, quantominus mẽdacium, quod per seipsum, quia mendacium est, vtiq; turpe est. Non est mentiendum sexto genere: neq; enim recte testimonii veritas pro cuiusq; temporali commodo ac salute corrumpitur ad sempiternam vero salutem nullus ducendus est opitulante mendacio.

Neq; septimo genere mentiendũ est, neq; enim cuiusque commoditas aut salus temporalis perficiendæ fidei præferenda est. Nec se quisquam rectè factis nostris tam male moueri sentiat, vt fiat animo deiectior longeque à pietate remotior.

Nec octauo genere mentiendum est, quia & in bonis castitas animi pudicitiæ corporis præfertur: & in malis, quæ ipsi facimus, eo quod fieri sinimus nobis damnabilius est. In his autem octo generibus tanto quisque minus peccat, cum mentitur: quanto magis à primo recedit. Quisquis autem aliquod esse genus mendacii, quod peccatum non sit, putauerit: decipiet seipsum turpiter, cum honestum se deceptorem arbitretur aliorum. Si omne mendacium peccatum est vt 22. q. 2. *Mihi autem quæri potest*, an aliquis si casus euenerit, mendacio sit à morte liberandus aut protegendus, cum absque dubio magnæ pietatis sit liberare à morte hominem, sicut scriptum est. *Libera eos qui ducuntur ad mortem.* Respondetur quod nostro peccato alterius saluti consulere non debemus 22. q. 2. *faciat* homo, scriptum est enim. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Super quo verbo dicit Augustinus, & ponitur *ibid. q.* 22. Ne quis arbitretur perfectum & spiritualem hominem pro ista temporali vita, in cuius morte non occiditur anima, siue sua, siue alterius, debere mentiri. Sed quoniam aliud est falsum dicere, aliud verum occultare, siquidem aliud mentiri, aliud verum tacere; vt si quis forte vel ad istam visibilem mortem non vult hominem prodere, paratus esse debet verum occultare, non falsum dicere, vt neq; prodat, neq; mentiatur, ne occidat animam suam pro corpore alterius.

Si autem hoc nondum potest, vel sola huius necessitatis habeat mendacia, nam inter duo mala, quæ omnino caueri non possunt, illud quod minus est eligi oportet 22. q. 4. *non solum.* vt etiam ab istis, si sola remanserint liberari mereatur, & spiritus sancti robur accipere, quo quidquid perpetiendum est pro veritate contemnat. Si itaq; interrogatus fuerit homo ab hoste aliquo: est talis in hac domo? quid facie? Si tacet, præsumit eum esse in domo: si autem fatetur, reus erit homicidii: si negauerit, mentitur. Respondeo tacere potest, quasi subaudiendo: & licet alter præsumat malum ex taciturnitate, hoc tamen ei non imputabitur. Si autem dolose tacet, quis de peccato ipsius dubitat: vel certe melius videtur, si per occultationem ipsum inquisitorem veritatis posset abigere, vt dicendo non est hic, id est, non comedit hic: quia simulatio vtilis est in tempore assumenda 22. q. 2. *vtilem simulationem* possumus enim licite hostem deludere prudenter 43. *distinct. In mandatis.* Est autem notandum quod duo sunt genera mendaciorum secundum Augustinum super psalmo 5. vt etiam ponitur, 22 q. 2. *ne quis.* in quibus non magna culpa est, sed tamen non sunt sine culpa, cum aut iocamur, aut vt promisimus mentimur. Illud primum in iocando ideo non est pernicioſissimum, quia non fallit. Nouit enim ille, cui dicitur, ioci causa esse dictum. Secundum autem ideo minus est, quia retinet nonnullam beneuolentiam. Illud vero, quod non habet duplex cor, nec mendacium quidem dicendum est, quia non mentiuntur, qui animum fallendi non habent. 22. q. 2. *beatus Paulus. Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos, idem autem ipse sequitur aues volantes.* Ait ergo Augustinus. *Perdes eos qui loquuntur mendacium*, hoc est enim veritati contrarium. Sed nequis putet aliquam substantiam vel naturam veritati esse contrariam, intelligat, ad id q; non est pertinere mendaciũ, non ad id quod est. Si enim hoc dicitur quod est, verum dicitur. Si autem hoc dicitur quod non est, mendacium est. Ideo, inquit, perdes eos qui loquuntur mendacium, quia recedentes ab eo quod est, ad id quod non est declinant. Multa quidem videntur pro salute aut commodo alicuius non malitia sed benignitate mendacia. quale illarum obstetricum in Exodo, quæ falsum Pharaoni renunciauerunt, vt infantes filiorum Israel non necarentur, sed etiam istæ non re sed dolo laudantur, quoniam qui tantum hoc mendacio mentiuntur, merebuntur aliquando ab

Ecclesiast. 4. *Psal. 5.* *Aug. in 5. Psal. Mentiri non licet, sed verũ occultare licet.* *Mendacium quando leue.* *Prou. 10.* *Aug. l. cit.* *Exod. 1.*

do ab omni mendacio liberari. Nam in his,qui perfecti sunt, nec ista mendacia inueniuntur:quibusdicendum est.*Sit sermo vester est,est,non, non*, quidquid amplius est à malo est.Obstetrices etiam,de quibus Exodi primo dicitur, propter benignitatem remuneratæ sunt. Vnde dicitur. *Et quia timuerunt obstetrices Deum,ædificauit eis domos*.Sed etiam de mendacio punitæ sũt.Nã benignitatis earũ merces, q̃ eis in æterna potuit vita retribui culpa permissa mẽdacii in terrena est recõpensatione declinata,22.*q*.2. *Si quælibet*. Sed forsitan aliquis dicat. Patriarchæ sæpius mentiti sunt,sicut Abraham, dicens Saram esse sororem suam cum esset vxor ipsius. Similiter & Sara,cum risisset, negauit, & in multis aliis locis simile legimus. Quod si eius non erat peccatum mendacium,nec mihi peccatum est.Respondetur secundum Augustinum in quæstionibus super genesin, quod Abraham veritatem voluit celari, quod interdum expedit, non mendacium dici.Etenim soror Abrahæ erat Sara. Soror enim dicitur,quia filia fratris erat. Veterum autem exemplo mentiri non licet. 22.*q*. 2.*Si quis per testamentum vetus vult suum tueri mẽdacium,quia minus illic quibusdam fortasse nocuerunt,dicat necesse est, rerum alienarum raptum,dicat retributionem iniuriæ, quæ infirmis illis concessa sunt, sibi nocere non posse. Quæ omnia cunctis liquet quanta animaduersione veritas insequitur,quæ nobis iam significationis suæ vmbra postposita in vera carne declaratur.*

Matt.5.

Gen.12. Gen.18.

Hæc Gregorius. Multa siquidem in veteri testamento permittebantur, quorum exemplis hodie vti non licet. Dicit enim Isidorus in synonimis & ponitur.22.*q*.2. *Omne genus mendacij summopere fuge:nec casu nec studio loquaris falsum nec vt præstes mentiri studeas: nec qualibet fallacia vitam alicuius defendas.* Caue mendaciũ in omnibus.

Isid. in dial.homi nis & ra tionis.

Sctiptum est enim Ecclesiastici vicesimo. *Opprobrium nequam in homine mendacium:& in ore indisciplinatorum assidue erit.* Potior fur , quam assiduitas viri mendacis:perditionem autem ambo hęreditabunt. Sunt enim nonnulli qui aliorum vitam per sua mendacia defendunt:& vt aliis prosint in carne . sibiipsis obsunt in anima. Vnde dicit Isidorus de summo bono. *Summopere cauendum est omne mendacium : quamuis nonnumquam sit aliquod mendacium genus culpæ leuioris, vt si quisquam pro salute hominum mentiatur. Hoc quoq; mendacij genus perfecti viri summopere fugiunt, vt nec vitam cuiuslibet per mendacia sua defendant,ne suæ animæ noceant dum prodesse nituntur alienæ carni, quamquam hoc ipsum peccati genus facilime credimus relaxari. Nam si qualibet culpa frequenti mercede purgatur , quanto magis hæc facile abstergitur, quam merces ipsa pietas comitatur?* Sed quæritur,quod eorum maius mendacium sit, benignitate videlicet mentiri , aut ioco, cum Dominus dicat. *De omni verbo otioso quod loquuti fuerint homines reddent rationem de eo.*

Id.l.2.c.8

Matt.12.

An officio sum mendacium leuius sit ioco so.

Videtur enim, quod is qui ex pietate pro commodo alterius non duplici corde mentitur,bonum opus faciat,quia fratri suo compatitur, & interdum vtilitate pariter & necessitate ad hoc compellitur sine damno alicuius. Qui autem ex ioco mentitur, nemini prodest nec vtilitate nec necessitate, sed sola leuitate mentitur & ergo plus mentiri videtur. Sed obest illud Augustini in libro quæstionum Genesis, 145. capitulo, vbi ait. *Quod ait fratribus suis Ioseph, nesciebatis quia non est in augurio homo qualis & ego. De hoc augurio etiam mandauit eis dicendum per hominem,quid sibi velit. Quæri solet autem,an quia non serio,sed ioco dictum est, vt exitus docuit,non est habendum mendacium ? Mendacia enim à mendacibus serio aguntur non ioco.*

Cum autem quæ non sunt, tamquam quæ sunt, ioco dicuntur, non deputantur mendacia. Quod autem ex ioco mentiri non sit adeo graue,sicut ex pietate,patet ex eo,quod iocans non habeat animum fallendi,siue decipiendi quẽquam. Qui autem pro salute mentitur alterius,intendit decipere eum,cui mentitur. Dicit enim Augustinus. *illud primum in iocando ideo non est pernicioſissimum, quia non fallit.* Nouit enim ille, cui dicitur,ioci causa esse dictum. Sed est notandum ,quod mendacium aliquam pietatem habet,quod pro alterius salute fit sine damno alicuius , & pro ipsa mercedem habet,& ex eo,q; mendaciũ est, habet etiam quandam culpam , & pro ea pœnam,vt 22.*q*.2 *Si quælibet*. Hoc autem

Auguſt.

men-

mendacium quod ioci causa dicitur, etsi non magnam habet culpam, nullam tamen omnino habebit mercedem, quia nemini prodest. Perfecti ergo viri vtrumque fugiunt, quia omne mendacium vel mendacii genus culpam habet, 22. q. 2. *primum est.* Non est ergo mentiendum quouis genere, quia os quod mentitur occidit animam. Ait quippe Aug. *sicut Deus pater genuit filium veritatem, sic diabolus la-*

Aug.

Liceatne religioso aliquando mentiri.

pſius genuit mendacium quasi filium. Quæritur ergo an liceat humilitatis causa mentiri viro religioso, quatenus effugiatur arrogantia siue præsumptio, velut si quis interrogauerit aliquem virum sanctum, an fuerit aliquod opus bonum, quod de ipso famatur. Respondeo quod non licet. Dicit enim Augustinus de verbis Apostoli. *Cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator, antequam mentireris, mentiendo* efficies q̃ euitaueras. Non licet enim mentiri vt arrogantia vitetur. 22. q. 2. *Non ita caueatur.* Quid autem faciendum est, vt arrogantia vitetur? & mendacium non admittatur? Respondeo si in generali sit quæstio de statu & conditione, quantumcumq; quis sanctus fuerit, potest dicere se esse peccatorem. Scriptum est enim. *Non est iustus super terram qui non peccet.* Et quia nemo sine crimine viuit vt, 25. *dist. paragr. criminis.* Si autem de statu ipsius singulariter quæritur, puto quod nihil melius sit, quam vt taceat, vel si potest, subtiliter & sine mendacio se excuset, dicendo. seruus inutilis sum, nescio an amore vel odio dignus sum. Sed quid loquor de isto genere mendacii? Iam enim, si quid boni fecerimus, non solum non negamus interrogati, sed etiam manifestamus & prædicamus minime requisiti. Pensemus fratres carissimi, quale periculum incurrat, qui ex malitia mentitur & studiose, si sine peccato mendacii non est, qui pietatis & humilitatis causa, vt fugiat arrogantiam, mentitur? Caueamus ergo ab omni mendacio, quia eo perierunt multi, & innocens sæpe per ipsum interiit. Quis potest mali huius æstimare perniciem? Etenim gladio ipsius muri ciuitatis munitissimi corruerunt, lapides ædificiorum dispersi sunt, ciues quoq; captiui occisi, truncati, atq; secati. fœdera amicorum disrupta, odia accensa inuidia nutrita, dilectio violata, vita ablata, innocentes oppressi, liberi facti serui, boni diffamati, & tot mala facta & bona dissipata vt nemo edicere possit. Audi quid dicat Salomon prover. 6. *Sex sunt,* inquit, *quæ odit dominus, & septimum detestatur anima eius. Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innocentem sanguinem, cor machinãs cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias.* Nihil ita discordiam etiam inter fœderatos disseminat, sicut os quod mentitur, circumferens mendacium; quia sicut aceto corrũpitur vas: ita monastica disciplina mendacio confunditur. Sit sermo vester, secundum Domini præceptum, est est, non non, & quidquid loquimur ore, prius in corde metiamur, sicut scriptum est. *Quæ dicitis in cordibus vestris in cubilibus vestris cõpungimini.* Vt videcet non simus populus, qui Deum ore laudet & non corde. Si enim veritatem dicis in ore, & mentiris in corde; quomodo veritas est? Et si veritatem ore loqueris, non habens voluntatẽ dicendi verum, Cayphæ assimilaris, qui de Christo consilium dedit, nolens quod ad salutem nostram pertinere dinoscitur. Loquere ergo veritatem corde, & ore, opere, & sermone; & memento quia monachus es, mentiri tibi non licet. Propterea scito, quoniam os quod mentitur, occidit animam. Pauca ergo loquaris, quia qui multa loquitur impossibile est, vt aliquando non mentiatur: & vir linguosus non dirigetur in terra, quoniam disperdet Dominus omnes qui loquuntur mendacium. Sequitur.

Aug.

Eccl. 7.

Mendacia quam noxia sint.

Aug.

Psal. 4

16

Malum pro malo non reddere. *Instr. 29*

CAritas omnia suffert, & qui ex Deo est in omnibus caritatem obseruat. Qui autem malum reddit pro malo, caritatem non habet quia Domini est iudicium & iustitiam facere de his qui iniuriam patiuntur, non hominis: & homo, cum sibi iudicium vsurpat Dei, vt se ipsum videlicet vlciscatur, facit contra caritatẽ quæ Deus est, & dilectionem fraternam. Grauius offendit qui malũ reddit p malo, quã qui prior intulit malũ. Si quis te percusserit in maxillam, præbe ei & alterã: & noli eum repercutere in suã. Caritas enim patiẽs est atq; benigna. Magnę

Matt. 5.

1. Cor. 13.

autem virtutis est animus, qui bonum reddit pro malo. Non licet monacho, qui omnibus exemplar debet esse patientiæ & sanctitatis, alicui reddere malum pro malo, sed potius bonum pro malo reddat. Ait enim quidam sanctorum patrum. *Malitia nequaquam expellit malitiam.*

Sed si quis tibi male fecit, tu bene face ei, vt per bonum opus tuum destruas malitiam illius. Qui querulosus est, monachus non est. Qui malum pro malo reddit, monachus non est. Illa enim est vera patientia, vt lædentem te, cum possis, non relædas. Sunt enim nonnulli, qui malum pro malo non reddunt, non quia patientes sunt & nolunt, sed quia impotentes sunt & non possunt. Sed certe voluntas pro opere pensatur, cum desit facultas. Nemini malum reddere caritatis est, ab aliis malum sustinere & bonum repensare perfectæ est dilectionis, quæ alterius sua reputat incommoda.

17

Instr.30. *Iniuriam non facere, sed factam patienter sufferre.*

Gregor. hom.18.in Euangel. Ait enim Gregorius. *Glorioſius est iniuriam tacendo fugere, quam reſpondendo ſuperare.* Iniuriam non facere iustitia est & dilectio, illatam patienter sufferre virtus maxima est. Nam viri boni est pati.

Chryſoſt. in Matt. hom.5. Dicit etiam Chrysostomus. *In propriis iniuriis patientem eſſe laudabile eſt, iniurias autem Dei diſſimulare vituperium eſt.* Si vis monachus esse, oportet te nemini facere iniuriam, quoniam qui fratri suo iniuriatur, nequaquam monachus est, sed impius calumniator. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: hoc enim exspectare habes à proximo, quod alteri feciſti. Monet enim regula. patientiam in iniuriis monachum debere amplecti, sed neminem permittit iniuriari, quoniam impugnatio fraternæ caritatis præsumptuosa iniuria est. Sane qui fratri suo iniuriam facit, à tabernaculo Dei se efficit alienũ: quia non nisi pacifici Dei filii vocantur. Discamus etiam exemplo Christi nostras iniurias magnanimiter sustinere, dei autẽ iniurias nec vsq; ad auditum sufferre. Vnde cum dicerent Pharisei ad Dominum, *Ioan.4.* quia Samaritanus es, patienter sustulit proprias secundum humanitatem iniurias: quando autem adiunxerunt, dæmonium habes, nequaquam sustinuit: quia hoc non hominis, sed Dei iniuriæ fuit. Ita & nos in propriis iniuriis debemus esse patientes, Dei autem iniurias nec audire debemus. Proximorum etiam iniurias, quantum nobis licet, debemus vindicare, nostras autem patienter sufferre, quia non licet pro iniuria propria Episcopo aliquem excommunicare. 23.q.4. *Inter querelas.* Valde laudabile est in principe, si proprias dissimulat iniurias & aliorum factas iuste vlciscitur. Sed quis est hic & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua: quoniam vnusquisq; in suis iniuriis vindicandis serius est: in alienis autem tolerandis remissus. Et quod deterius est, in nostris iniuriis exercemus vindictam, in Dei autem contumeliis præstamus misericordiam. Ait enim B. Hieron. *Hier.in c.18.Mat* *Nos in Dei iniuria benigni ſumus, & in noſtris contumelijs exercemus odia.* Dimittamus, si volumus nobis dimitti, & iniuriarum nostrarum obliuiscamur, quatenus & Deus obliuiscatur earũ, quas sibi erogauimus. Et cum semel dimiserimus alicui iniuriam, non iterum recordemur eius, quia cui semel dimittitur delictum non debet iterum reuocari. 23.q.4. *Si illic.* Valde enim vituperabile est culpam semel relaxatam iterum aggrauari. Sed quia non sufficit ad perfectionem iniuriam patienter sufferre, si contigerit mentem exasperari in eum, qui ipsam infert, apte subiungitur.

18

Inimicos diligere, maledicentes ſe non re maledicere ſed magis benedicere. *Instr.31. & 32.*

Hinc dominus ait. *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui vos oderunt.* *Mat.5.* In lege autem cuiq; permittebatur diligere amicum, & odire inimicum. 23.q. *Cum in lege.* Nunc autem in nouo testamento, non tantum non odire permittitur inimicos, * sed & diligere ipsos iubemur. Cum enim dilectio ad hoc culmen venerit, vt nec inimicos excludat, felix anima, quæ sic diligit. Virtus nempe est coram hominibus inimicos tolerare, sed coram Deo virtus non est, nisi etiam diligas, qui te oderunt. Sed quæritur, cum in lege inimicum odire permissum sit, quare in tempore gratiæ prohibeatur, & quod valde *Cur in lege veteri odium in imici permiſſum ſit.* contra-

contrarium naturæ humanæ videtur, etiam odientem & persequentem nos diligere iubemur. Respõdeo, quod multa in lege permittebantur, non tanquam bona, sed ad euitanda peiora, sicut dando libellum repudii. licet enim hoc à lege eis permitteretur, tamen peccatum erat, quia forsitan vxores suas occidissent, cũ eos odio habere ceperint, si non licuisset eas dimitti. rudis .n. populi intellectus ad perfectionem nequaquam perduci potuit. omnipotens autem Deus, qui diligit iustitiam & odio habet iniquitatem, hoc eis propter infirmitatem eorũ permisit, ne deteriora committerent. Inter duo enim mala, minus eligendum est vt, 22. q. 4, *Non solũ*. Nec est putandum, quod Deus dederit eis licentiam peccandi; quia nulli Deus occasio peccati est, cum sit ipse omnis iustitiæ amator & infusor.

Ipse enim vnigenitum filiuum suum mittens in terris nostram redimere captiuitatem, natus de virgine, mundo visibilis apparuit, iustitiæ viam docuit, & ad imitationem sui nos prouocare volens inimicos diligere iubet, quoniam ipse pro inimicis & crucifixoribus suis orare non dubitauit.

Sed quæro, an inimicum meum diligere debeam, sicut memetipsum, cum vix amicum æqualiter mihi diligere valeam. Respondeo, quod non teneor de præcepto. Ait enim Augustinus. *Primo diligendus est Deus, secundo parentes, inde filii, post domestici, quia etiam si boni sint, malis filiis proponendi sunt. Inimicos autem non sicut teipsum. Sufficit enim quod non odio habeamus illos.*

An homo inimicũ, vt seipsum diligere teneatur.

Aug. in gloss. can. 1

Quis enim sic potest diligere inimicos, sicut seipsum? Veruntamen anima ipsorum præcipue diligenda est, & orandum pro ipsa, quia anima nullius est inimica. Diligamus ergo inimicos nostros, quia sicut & nos ad Dei similitudinem facti sunt: & potens dominus de lapide suscitare filios Abrahæ. Peccata vero semper debemus odire, homines in quantum sunt Dei creaturæ diligere, sicut scriptum est in psalmo. *Iniquos odio habui & abominatus sum, legem autem tuam dilexi.* Et iterum. *Diligite iustitiam & odite iniquitatẽ.* Si quis diligit Deum, etiã inimicũ vt diligat necesse est, quia creatorem non diligis, si odis creaturam. Sic ergo ordinemus caritatem, vt ante omnia diligatur Deus, deinde proximus, postea etiam inimicus, pro quo Dominum orare debemus, dicentes cum sancto Stephano. *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Per hoc enim, quod oramus pro inimico, nostras orationes acceptas reddimus Domino. Ait enim Gregorius. *Conditoris auribus illa maxime oratio commendatur, quæ pro inimicis quoq; intercedere nititur.* Qui enim pro amico orat, propter aliquam sine dubio commoditatem & temporalem retributionem id facit. Qui autem pro inimico orat profecto liquet quod ex vera caritate ipsa oratio procedat. Illam autem Deus orationem gratiosius exaudit, quæ ex perfectæ caritatis radice procedit. Pro seipso orare necessitatis est, pro amico retributionis, sed pro inimico virtuosæ caritatis. Si ergo volumus nostras à Deo suscipi orationes, discamus & orare pro inimicis. Sed quid prodest, si oramus, quãdo nos ipsos de eis vindicamus? Qui sic orat, vt vindicet, & non potius indulgeat, perfecte non orat pro ipsis, vt eis remittatur, sed pro se, vt ipse super eos confortetur. Oportet ergo nos sic diligere inimicos, vt indulgeamus etiam minime petentibus sic dimittere offensam, quatenus Deum oremus vt ipse indulgeat culpam. Vnde cum dixisset diligere inimicos indicium illis ponens dilectionis: adiunxit. *Maledicentes se non re maledicere.* Sunt enim nonnulli qui se inimicos diligere existimant, tempus autẽ retributionis illatæ iniuriæ studiose obseruant. Deum orant, non vt indulgeat inimico, sed vt victoriam eõcedat de aduersario. Sunt & alii, qui maledicẽtibus reddunt maledicta, & quia verberibus non vindicant, sed verbis, putant se ignoscere & repugnant. Quid prodest non persequi gladio, si contigerit aduersarium impugnare verbo? Perfecta remissio, quæ procedit à corde, iniurias nõ vlciscitur ore, misericordiam ostendit in facie, & dilectionem exhibet in opere, stultus quippe verberat ore. Sapiens autẽ dissimulat iniurias. Sæpe enim fit, vt quos odimus & persequimur postea ardentius amemus. Exercitata namq; amicitia efficacior est. Humana vero mens omnem, quem inimicum tolerat, etiam iniquum & ipsum

Psal. 118. Psal. 44.

Act. 7.

Gregor. hom. 27. in Euang.

ipsum putat. Sed exemplo saluatoris conculcemus inimicos, non gladio vel clypeo protecti. sed patientia & caritate armati. quia cum malediceretur, non remaledicebat, cum percuteretur, *& non comminabatur.* Sed quid? *Pater* inquit, *ignosce illis quia nesciunt quid faciunt.* O mira & inestimabilis caritatis & patientiæ dilectio saluatoris: Deus sustinet iniurias à creatura, quam, si vellet, in nihilum, vnde assumpta est, redigere posset: sed non tantum non punit iratus, quin etiam orat pro ipsa placatus. *Homo autem homini reseruat iram & à Deo quærit medelam?* Creator sustinuit, & omnia, creatura læsa maledicit. Ecce Redemptor tuus, ô Christiane, pendet in cruce, & orat pro inimico, & tu modicum turbatus maledicis proximo? Redemptor sustinuit mortem, & pro crucifixoribus suis orat ad patrem, & tu creatura vilis, si solo verbo offendaris, exasperas & persequeris fratrem? filius Dei vnigenitus iniuriam passus est ab inferiore, & tu non vis aliqd sustinere à fratre æquali? Indulgentiam petis à Deo & vltionem sumis à proximo? si vis ignosci, ignosce. Deus saluator tuus patienter ab impiis tolerauit opprobria, & tu puluis & cinis à fratre forte meliore & sanctiore te offensus retribuis maledicta?

1. Pet. 2. Luc. 23.

Qui à Deo petit misericordiam & fratri reseruat iram, non orat pro venia culpæ. sed magis contra se provocat vltionem pœnæ. Oramus siquidem, *Domine dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Qui autem fratri non dimittit, contra se orat, ac si diceret, dimitte mihi Domine obsecro peccata sicut ego dimitto fratri. Sed quia ego non dimitto ei, non etiam dimittes mihi.

Mat. 6.

Et licet non sit hæc intentio petentis, est tamen sic de iustitia miserantis. quia hoc iustitia Dei dictat, vt sicut dimittis alteri, dimittatur & tibi. Studeat ergo monachus non odire inimicos, non remaledicere sibi maledicenti, sed magis benedicere, quia malum nequaquam malo emendatur, sed bonum ex bono malitiam calcat. Malum superare per bonum laudabile est. Calor enim superat frigus, & virtute superatur vitiosus.

Si vis vincere omnes, contraria contrariis oppone. Si aliquis infirmus patitur frigus, temperata est adhibēda medicina caloris. Si calor exuperat, frigore temperatur. Sic superbiæ humilitas, à cediæ feruor, iræ mansuetudo, inuidiæ caritas, persecutioni patientia, auaritiæ eleemosyna, luxuriæ continentia, vitio virtus opposita ex impio iustum facit. si te maledixerit quispiam, non respondeas ei iuxta maledictum. Sed tu potius mansuetudine vince iram, quia sæpius humilitate corrumpitur, qui talione exasperatur. Qui benedicentibus se benedicit, non caritatem, sed vicissitudinem reddit: quia quod ab alio suscipit, alteri quoq; obligatorie reddit. Is autem qui maledicentem se benedicit, non vicissitudinem operatur, sed caritatem. Qui dat amico, debitum reddit: qui autem tribuit inimico, caritatem facit. Non enim virtutis est benedicere benedicentem, sed maledicentem honorare munere ex corde virtus præclara est animi. Qui etiam tolerat, quem vincere nequit, non virtutem, sed necessitatem colit. Ait quippe Isidorus. *Magna est virtus, si non lædas à quo læsus es: magna est fortitudo, si etiam soliloq. læsus remittas: magna est gloria, si cui potuisti nocere, parcas.* Mansuetudo enim cordis efficacissima est medicina. Qui dimittit iniuriam præceptum compleuit, qui autem addit & gratiam, caritatem seruauit. Ille iudicandus est virtuosus, qui postquam superauerit iniuriam, muneribus & beneficiis honorat iniuriantem. Si quis maledixerit tibi, dona ei verba benedictionis, & dominus pro iniuria iustitiam, pro gratia, quam fecisti, reddet tibi mansionem æternæ felicitatis. Iniuria enim patienter accepta peccata minuit, sed gratia pro ipsa reddita gloriam capiti addit. Noli maledicere quemquam, quia ab omni maledictione fideles oportet puros. 24. q. 3. *Si igitur Michael.* Monachus autem, qui omnibus exemplum debet esse humilitatis & puritatis, neminē debet maledicere: & si quis eum maledixerit, nō remaledicat, sed pro iniuria reddat benedictionē. Et si forte aliquis causetur, quod sancti patres delinquentibus maledixerunt, sciat hoc non voto vltionis sed amore iustitiæ. si quando factum est, esse prolatum 24. q. 3. *Cum sancti viri.*

A maledictione abstinendū. Isid. lib. 2.

Non

Non debemus maledicere cuicumq; creaturæ, quia qui creaturæ maledicit, creatorem sine dubio offendit. Vincat taciturnitas multiloquium & humile verbum animum pomposum. Non enim melius vincitur iniurians, quam silentio iniuriati. Maxima quippe victoria est patientia vicisse hostem. *Vir enim qui dominatur animo suo fortior est expugnatore vrbium.* Prou. 16. Sermo mollis frangit iras. Verba autem reddere verbis, suscitat & fouet discordiam. Optima pacis custodia silentium est, & loquacitas omnibus odibilem facit, si stultus potest tacere, loquax, etiamsi sapiens fuerit, pro stulto reputabitur. Cohibe linguam à maledicto, si iram superare desideras in inimico: quia verbum superbi iras excitat iam sedatas. Et vt sciaste multorum oportere subire certamina, si in Christo pie viuere cupis ornate subiunxit.

Persecutionem pro iustitia sustinere. Iustr. 33.

IVstus enim multis patitur malis, quousq; appareat gloria Domini. Semper namq; iustitia aduersarios sustinet. Omnis superbus & vitiosus odit iustitiam, quia omnis qui peccat, iustitiam violat, cum iniquitatem facit. Sunt autem multi, qui persecutionem patiuntur non propter iustitiam, sed potius propter iniquitatem. Beati autem qui patiuntur persecutionem propter iustitiam. Dicit enim Gregorius. *Tanto maior fiducia mentem roborat, quanto hanc fortior pro veritate afflictio angustat.* Greg. 26. mor. c. 25. Tanto spes in Deo solidior surgit quanto pro illo quisq; grauiora pertulerit: quia nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hic priustribularione seminatur. Ait etiam Isid. libro sententiarum. *Tunc magis sunt Dei oculi super iustos, quando eos affligi ab iniquis prouidentia diuina permittit.* Isid. Nam tunc eis gaudia æterna disponuntur; quãdo præsenti tribulatione probantur. Iustus enim in aduersis probari se cognoscit: non deiici, & viri sancti plus formidãt prospera, quam aduersa. Sed diceret aliquis. pro iustitia persecutionem non patimur, cum nemo sit qui propter Christũ nos persequatur. Si fuissemus tempore martyrum, etiam sustinuissemus cum ipsis martyrium. Quibus respondetur. Si in tempore pacis retroceditis, in congressione quid faceretis? Persecutio est, & fugimus, & dicimus, non est persecutio. Ait enim B. Hier. *Christiani semper persecutionẽ patiuntur. Mundus iste in maligno positus est. Aduersarius noster diabolus regnat in mundo & nos putamus quod non patiamur persecutionem. Quæ enim res non persequitur Christianum? Si Christo seruire voluerimus qui est vita omnium, parentes persequuntur nos. Quicumq; dissimilis est nostri, persequitur nos & odio nos habet, & miramur, si nos alij persequuntur. Ipsum corpus nostrum persequitur nos. Si comedero paululum & corpusculum robustum fuerit, sanitas corporis mei persequitur animã meam. Quocumq; me vertero, persecutio mihi est.* Hier. ep. ad Heliod. Hæc ille. Dicit etiam Augustinus. *nullus seruus Christi sine tribulatione est. Si putas te non habere persecutiones nondum cepisti esse Christianus.* Aug. in Ps. 55. O quanta mortales angit anxietas, affligit cura, sollicitudo molestat, dolor afficit, conturbat tristitia, contristat turbatio. Pauper & diues, seruus & Dominus, deniq; bonus & malus omnes mundanis cruciatibus affligimur, & innumeris afflictionibus cruciamur. Quantis deniq; tribulationibus vexatur is, qui aliis præfertur, & vtilis esse desiderat, iam à seipso, iam à subditis, tunc à mundo, nunc proximo, iam intus, iam exterius, vt plerumq; seipsum non capiat, qui aliorum discrimina portat? Nemo, quantis doloribus afficitur qui præesse digne desiderat, intelligit, nisi is quem gladius bis acutus transfixit. Nescio, quis non sustineat persecutionem, totus enim mundus tribulationibus abundat. Si autem pro iustitia sustinemus, erimus profecto beati. Sed quid potest monachus pro iustitia sustinere? Audi quomodo sustineat. Quicumq; contra vitia dimicat propter iustitiam, sine dubio persecutionem sustinet. Qui à malis persequitur, quia ipsis dissimilis est, pro iustitia vexatur. Qui fratrem suum viderit errantem, & corripuerit eum, & ille ceperit odire ipsum corripientem, pro iustitia patitur. Scriptum est enim. *Oderunt corripientem in porta & perfecte loquentem abominati sunt.* Amos 5. Qui diligit disciplinam ab indisciplinatis persequitur.

Quod omnes Christiani patiantur persecutiones.

Et monachi.

Stultus enim semper insequitur sapientem. Beatus qui cum vitiis bellum gerit & cum Deo pacem tenet. Qui voluerit esse amicus Dei, præparet se ad sustinen-

sustinendas mundi persecutiones necesse est, quia qui ex Deo est vincit mundum. Mundus enim, quod suum non est, semper odio habuit. Vnde dicit Beda. *Ne indignemini, si mali in hoc mundo floreant, & vos patimini, quia non est Christianæ religionis in mundo exaltari sed deprimi.* Mali nihil habent in cælo, vos nihil in hoc mundo. *Qui enim voluerit amicus fieri huius mundi inimicus Dei cõstituitur.* Nemo enim potest Deo placere & mundo. Æstimet monachus omne gaudium, cum data fuerit sibi copia patiendi, quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. O quantis tribulationibus vtitur & coquitur iustus, antequam dignus sit apponi in mensam regis altissimi? Vere nemo absq; tribulationibus placebit excelso. Sicut cibus corporalis non sapit ori, nisi bene decoctus, ita Christianus Deo non erit acceptabilis, nisi per multas tribulationes probatus. Longe sit à mansione cælesti, qui hic pati non vult pro regno altissimi. Ait enim Bernardus in sermone, *In hoc mundo quasi in campo certaminis positi sumus, & qui hic dolores, aut plagas, aut tribulationes non susceperit, in futuro gloriosus non apparebit.* Iam tempus pugnandi, iam hora certandi, iam hostem qui vicerit, cum rege æternaliter in pace gaudebit. Qui nunc seminat modios tres, tunc metet coros triginta. *Qui autem parce seminat, parce & metet, & qui in benedictionibus* spargit de benedictione quoq; æternam colliget æternitatem. O quam gloriosus apparebit tunc, qui iam sollicite futura prægitando præsentia spernit, præterita emendat, & pro Christo infatigabiliter quæq; aduersa tolerat? Nam qui in lachrymis seminant, in exultatione metent. Quæ sunt seminantium semina, nisi tribulatorum & contritorum bona opera? *Euntes enim ibant & flebant, mittentes semina sua.* Quo euntes? certe ad patriam. Nam vita præsens, nihil aliud est nisi iter ad finem. Euntes ergo à tempore natiuitatis vsq; ad horam mortis, semina reddunt operum, quæ fructum reddant in terra viuentium. *Beati qui nunc lugent quoniam consolabuntur.* Quomodo consolabuntur? *Venientes*, inquit, *venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* O Domine Iesu, fac & me cũ exultatione portare manipulos meritorum, qui hic semina spargo dolorum. *Tu enim laborem & dolorem cõsideras.* Tribue ex gratia, quod mea non suppetunt semina. *Non enim sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Omnes namque tribulationes, omnes persecutiones atq; totius mundi labores ad promerendum diuinę maiestatis in illa æterna reqe aspectum ita insufficiẽtes sunt ex se, quasi nihil essent. Gratia enim Dei saluantur animæ sanctorum: Nulla tribulatio huius vitæ perpetua, & nulla huius mundi lætitia ęterna. Nonne ergo melius est hic modicum pati pro Christo, & æternaliter ibi gaudere cum ipso, quam nunc lætari ad momentum cum mundo, & postmodum perpetuo separari à Deo? *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus his qui diligunt illum.* Qui inter malos bene vivit, persecutionẽ propter iustitiam sustinet: quoniam omnis qui pie viuere voluerit in Christo persecutionem patitur. Et vt scias te hostem semper habere, qui te persequitur, carnem videlicet propriam, cui oportet te repugnare, subiunxit.

Beda in ep. Iac. c. 1 ✶ *Iacobi 4.* ✶ *Bern. ser. 16. & 17. in Ps. 90.* *2. Cor. 9.* *Psal. 125.* *Matth. 5.* *Psal. 125.* *Ps. 9.* *Rom. 8.* *Iac. 1.*

20

Non esse superbum, non vinolentum, non multum edacem, non somnolentum, non pigrum non murmuriosum, non detractorem. *Instr. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40.*

SVmma virtus, vt dicit Isidorus, *monachi humilitas, summumq; vitium eius superbia est.* Tunc autem se monachum quisq; iudicet, quando se minimum existimauerit, etiam cũ maiora virtutum opera gesserit. Monachus enim superbus, dæmones imitatur qui in loco sancto elati corruerunt ad ima. Sic etiam monachus, qui in loco sancto pœnitentiæ, & in loco humilitatis superbire præsumit, cum dæmonibus sine dubio hæreditatem suam constituit. Nulla quippe in monacho splendidior gemma vitam adornat, quã humilitas, quia si amittitur illa nulla virtus omnino subsistet. Per humilitatem monachus scit diaboli vincere superbiam, per hanc fideles regna superna scandere solent. *Omnis namq; qui se humiliat exaltabitur.* Sola humilitas glorioſam animã reddit. Oportet itaq; monachum esse humi- *Matt. 23.*

humilem, quia si Deus non pepercit angelo superbienti in cœlo, nequaquã parcet homini elato in terris. Sed quia non potest conseruari puritas mentis, vbi nõ refrœnatur voluptas carnis, bene adiunxit, *Non vinolentum*, quia vinum etiam facit apostatare sapientes. Vini vsus, & labores, & morbos mortalibus auxit. Non enim potest monachus vacare vino & contemplationi. Vinum intellectum obruit, vt quid, quoue ordine faciendum sit omnino nesciatur. Vinum monachorum non est, qui voluptatem relinquentes se Domino obtulerunt: quia qui multo vtuntur vino, libidini deseruiunt, non deuotioni. Qui enim libidinem vincere desiderat, summo se studio ab immoderato vino custodiat. Sit humilis animus, sit moderatus potus, quia nihil ita acediam generat, sicut saturitas ventris. Et ideo bene addidit. *Non multum edacem*, quia ex saturitate somnus, ex somno pigritia & acedia prouenit, & si cogetur facere quod nõ vult, murmuratio statim erumpit in publicum. Repleto namque ventre, nec deuotio nec studium, sed sola libido, aut somnus animam occupat. Et quid dicam de monachis temporis nostri? Vereor enim si verum dixero, multos æmulos habebo. Sed quid? Numquã veritas celanda est, ne oriatur scandalum? Minime. Ait enim Gregorius super Ezechielem Prophetam. *In quantum possumus sine peccato vitare proximorum scandala debemus: Si autem de veritate scandalum nascitur, vtilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.* Sed quando sine nomine contra vitia scribitur, qui irascitur accusator sui est. Ecce monachorum nonnulli non tantum vinũ non bibunt, sed etiam vsq; ad ebrietatem se implent: voluptatibus iterum inseruiunt, qui vt eas calcarent, ad claustra venerunt. Inuenitur etiã interdum vnus monachus, qui solus plus comedit & bibit, quã duo rustici ambo. Nec hoc vitupero, sed nescire saturitatẽ prorsus cõdemno. O canes impudentissimi, quo vsque non saturamini? Bibunt & comedunt non ad necessitatem, sed ad voluptatem; & quod detestabile est omni Christiano, se eo vsque implent reclamante & contradicente stomacho, quousque euomant, quod retinere non valent. Quærunt in cibo & potu non tantum saporem, sed etiam odorem, et si sapor caruerit odore, omnino iudicant indignum quidquam sumere ex ipso. Canes, non monachi, modum nesciunt edendi, ventrem more sacci epulis replent, & cum amplius non potuerint, dolent se saturatos, quia si possent, omnia comedere vellent. Statim, vt à mensa surrexerint, ad stratum pergunt, repleto ventre nihil boni possunt. sed more porcorum in stercore iacent dormientes, & somnia amantes tempus infructuose expẽdunt, & monachi propositum procul à se abiiciunt. O abominatio pessima, monachus voluptati deseruit & ebrietati, qui exemplum abstinentiæ & sanctitatis debuerat esse mũdi? O quomodo stabimus in illa die furoris Domini, quãdo nuda erunt omnia abscondita cordium? Quomodo inquam stabimus? Seculares abstinentes rapiuntur ad felicitatem æternam, & monachi ebriosi Deum irridentes & tonsura & habitu hominibus & angelis mentientes deducuntur in infernum? Miror, cum regula dicat, vt vsque ad satietatem non bibant vinum monachi, quomodo se hi excusare velint qui vsque ad vomitum se inebrianr. Nihil enim adeo contrarium omnino Christiano est, quomodo crapula. Nemo irascatur mihi, quia hoc, quod video, reprehendo; sunt enim vere aliqui habitum & tonsuram portantes monasticam, qui vitam ducunt secularem atque tabernalem. Sed transeant ista, ne in vanum, videar aërem verberare. Monasticam disciplinam abstinentia conseruat, quam gula & edacitas omnino destruit. Vult ergo sanctus Benedictus monachum habere castum & cõtinentem, non tantum corde, sed etiam corpore, quia nemo cetera vitia poterit declinare, si propriæ carnis lasciuiã noluerit refrœnare. Vnde ait Cassiod. *Numquam poterit ardentes concupiscentiæ stimulos inhibere, quicumque desideria gulæ refrœnare nequiuerit.* Oritur enim repleto ventre libido, quam qui vincere vult, abstinentiam colat. Ex edacitate etiam oritur somnus & pigritia, deinde sequitur otiositas, quæ animæ inimica est. Ex otio autem detractio, vt dum mens non occupatur in propria, faciliter rapiatur ad aliena. Detractio autem & DEO & hominibus odibilem facit. Monachus autem, qui sui ipsius solum est custos nemini

Nõ vinolentum. Eccl. 19.

Non edacem.

Greg. l. 1. hom. 7.

Ebrietas, monachorum.

Cassiod.

mini detrahat, sed de omnibus quantum salua iustitia & veritate valet meliora loquatur. Solet enim aliorum actuum deprehẽsio propriam excœcare mentẽ, vt seipsum homo alios iudicando negligat, & se neglecto Dei obliuiscatur, à quo omnem salutem anima exspectat. Vnde sequitur.

21

Instr. 41. *Spem suam Deo committere.*

SPEM suam DEO committit, qui nihil omnino à seipso præsumit. Spem Deo committit, quem nulla carnis voluptas delectat. Spem Deo committit, qui omnia huius mundi delectabilia cõtemnit. Spes est virtus, qua speramus præmium vitæ æternæ, quod meritis iustorum non dubitamus reddendum. Sed ne aliquis de meritis suis præsumens æternam retributionem tamquam ex debito speraret, confestim adiungitur.

22

Instr. 42. & 43. *Bonum aliquod in se cum viderit Deo applicet, non sibi: malum vero semper à se factum sciat, & sibi reputet.*

OMNE præmium laboris perditur, quando de propria sufficientia præsumitur. Ex gratia enim saluati & liberati sumus, non ex debito. Quidquid boni fecerimus, ab eo, qui est summum bo-
Ioan. 15. num, habemus. Quia ipse ait in Euangelio, *sine me nihil potestis facere.* Malum vero, quod facimus, à nobismetipsis habemus, quia non est DEVS mali auctor. Ipse enim omnia creauit: sed malum nihil est, quia si aliquid esset, vtique bonum esset. DEVS enim malum non fecit, quia nihil est quod DEVS non fecerit. Ab ipso enim habemus, quod ipsi reddimus, corpus videlicet & animam, Sed &
1. Cor. 4. omnia bona & virtuosa opera, quæ facimus. Ait enim Apostolus. *Quid habes quod non accepisti?* Nunquid fortis se fortem gloriabitur quem corporis ægritudo efficit infirmum? Nunquid diues inopibus suis gloriabitur, cuius spem fur vel tyrannus aufert? Nunquid homo de bonorum actuum suorum meritis præsumit, qui an amore vel odio dignus sit ignorat? Gloriari oportet in cruce Domini nostri IESV CHRISTI, qui est salus & sufficientia nostra, nihil enim possumus nos nisi quantum dederit ipse.

Qui donum Dei sibi ascribit, dignus est carere, quo superbe vti deliberat. Valde enim periculosa est propriæ virtutis complacentia, quia quidquid maximo labore acquiritur, ieiunio videlicet, abstinentia, & vigiliis cito per superbam præsumptionem amittitur. Attribuenda est ergo DEO bonitas, nobis autem confusio, quia nisi ipse traxerit nos, nulla operatione DEO coniungi poterimus. Et vt nos humiles redderet legifer noster ante oculos mentis nostræ diem extremi & districti iudicii habere exhortatur dicens.

23

Diem iudicii timere, gehennam expauescere. *Instr. 44. & 45.*

IVDICIVM Domini valde timendum est multiplici de ratione. Primo quia iudicium illud erit multum horribile. Hinc Isaiæ 13. legitur. *Ecce dies Domini veniet crudelis & indignationis plenus, & iræ furorisque, ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores eius conterendos de ea.* Et Hieremiæ 4. dicitur. *Contritio super contritionem vocata est, & vastata est omnis terra.* Quis non expauesceret diem hunc Domini horribilem cunctis gentibus, quando supra erit iudex offensus, reprobis iratus qui nec munere placatur, nec fallacia seducitur, qui causas omnium nouit, qui merita non personas attendit. Subtus erit horrendum inferni chaos patens, intus conscientia remordens, exterius mundus ardens, à dextris peccata accusantia, à sinistris infinita dæmonia terrentia, & animam damnatam data sententia rapere cupientia. O quam horribile est incidere in manus DEI viuentis. Secundo timendum est illud iudicium, quia erit ineuitabile, quia nemo subterfugere potest, sicut dicit apostolus 2. Corinthiorum 15. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* Hinc ẽt Isaiæ 2. dicitur. *Et introibunt in speluncas petrarum & voragines terræ à facie formidinis Domini & à gloria maiestatis eius, cũ surrexit percutere terram*

Iudicium extremũ cur timẽdum. I.

Heb. 10. II.

terram. Et Apocalypſis 6. Tunc dicēt montibus & petris, cadite ſuper nos & abſcōdite nos à facie ſedentis ſuper thronum & ab ira agni, quoniam veniet dies magnus iræ ipſorum: Et quis poterit ſtare? nulla excuſatio nulla occaſio non dominium, non infirmitas, & nulla res omnino, quæ homines hic excuſare ſolet tunc acceptabitur. Oportet nos omnes apparere & ſtrictiſſimam de factis cogitatis prolatisque DEO æquiſſimo iudici reddere rationem. Tertio timēdū eſt iudicium illud, quia erit intolerabile columnæ cœli cōtremiſcunt ad nutum eius & pauēt. Et quis poterit ſtare in die Domini? Dicit n. Aug. *Latere ibi erit impoſſibile, apparere intolerabile.* Iuſtus autē non commouebitur, neque conturbabitur, quoniam Dominus proteget ſuos. De hac die dicitur Hieremiæ 4. *Lugebit terra & mœrebunt cœli deſuper eo quod locutus ſum.* Et Amos 2. legitur. *Ecce ego ſtridebo ſubter vos, ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno.* Et peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem ſuam & robuſtus non ſaluabit animam ſuam. Et eiuſdem 5. *Væ deſiderantibus diem domini.* Ad quid eam vobis? Dies domini iſta tenebræ & non lux. Quarto timenda eſt dies Domini, quia erit inopinabilis & incerta. Neſcitur enim, qua hora vel tempore aduentus eius veniat. Sed ſicut fur in nocte, ita quoque veniet dies Domini magnus & horribilis. Et ergo, vt nos Dominus ſemper paratos redderet in Euangelio, admonet dicens. *Vigilate, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. Hoc autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias qua hora fur veniret vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domum ſuam.* Paterfamilias eſt quilibet homo rationalis, qui ſub ſua poteſtate 5. ſenſus corporis habet; fur eſt mors, ſeparatio animæ & corporis: dormit autem paterfamilias, quando homo de longa vita ſecurus quieſcit; venit fur & perfodit domum, quando morte adueniente corpus ægritudine langueſcit; & neſciente patrefamilias domum corporis ingreditur, quia dum adhuc in carne conualeſcere ſperamus, fure, id eſt, morte latenter intrante theſaurum, id eſt animā & vitam pariterq; fiduciam amittimus. Si enim ſciret homo terminum vitæ ſuæ, nequaquam vana ſpe quieſceret, ſed vigilaret vtique, vitam emendando, mores corrigendo, vt veniente fure, id eſt morte, paratus reſiſteret furanti, nec permitteret domū conſcientiæ ſuæ perfodi timoribus æternis. Quid putamus fratres erit, quando nobis dormientibus domum noſtram fur ingreditur? Certe omnia auferet: inſuper & patrem familias cum ſeruis occidet. O, ſi nunc poneremus cuſtodias domibus noſtris, dum ſani ſumus, & valemus: ne veniente fure neſcientibus nobis noſtris omnibus rebus & vita ſpoliaremur. *Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus, qui autem mentis eſt duræ corruet in malum.* Certe cum venerit hora mortis, voluiſſemus vt ſemper monaſtice vixiſſemus, & ecce iam, dum ſani ſumus, ſeculariter viuimus. Epiſcopum vel Abbatem viuere portabile eſt, ſed mori Epiſcopum ſeu Abbatem horribile. Quare? *quoniam iudicium duriſſimum fiet in his qui præſunt.* Quia ergo, fratres cariſſimi, mors nos ſemper & ſequitur, & exſpectat, ſi ſapientes ſumus, vbique eam exſpectemus, quia ſolidiſſima ſunt refugia, quæ pacis tempore fuerint præparata. Quinto, timendum eſt iudicium extremum, quia erit immutabile; nam iudex non flectetur donis, nec miſerebitur miſeris, ſed qualem vnumquemque inuenit, talem quoque & iudicat. Non erit ibi miſericordiam inuenire, niſi his qui hic iam miſericordiam nouerunt exhibere. Non proderit clamor peccatoris, nec oratione miſericordiam impetrabit, qui hic eam facere non didicit. Hinc Iob. 27. ſcriptum eſt. *Nunquid DEVS audiet clamorem eius, cum venerit ſuper eum anguſtia?* Iam dies ſalutis, & tempus laborandi eſt, quoniam illic nec operatio, nec pœnitentia ſalutaris inuenitur. Sexto timendum eſt illud iudicium, quia erit peccatoribus valde erubeſcibile. Vnde ſcriptum eſt. *Erubeſcant impii & deducantur in infernum.* Quantā putamus eſſe cōfuſionem, fratres cariſſimi, in conſpectu Dei, & omnium ſanctorum & electorum eius, denudari opera, manifeſtari ſecreta, aperiri clauſa cordis, publicari immunda cogitationis. Ibi erunt manifeſta omnia abſcondita, & quidquid vnuſquiſq; geſſerit in vita, ſiue bonum, ſiue malum, iuſti ad gloriam, impii autem videbunt ad pœnam. Quomodo ſtabit ibi ſuperbus, quomodo luxurioſus, quomodo inuidioſus, & quilibet vitioſus cum omnia

III. Auguſt. IV. Matt. 24 V. VI. Sap. 6. Prou. 28. Pſal. 31.

peccata ſua in conſpectu omnium ſanctorum ad maximam ſui confuſionem reuelabuntur? Ecce fratres, quod non erubeſcimus peccare duritiæ noſtræ cõfuſionem non timentes: veniet abſque dubio dies Domini horribilis, vbi nullum ſecretum latebit, ſed omnia venient ad lucem? Nullus noſtrum adeo perfectus eſt, ſi obiicerentur ſibi in conſpectu omnium noſtrum peccata ſua, quæ commiſit ab infantia, in tantum erubeſceret & confunderetur, vt quo ſe verteret, omnino neſciret. Si in conſpectu hominum mortalium tantum erubeſcimus, cur in conſpectu DEI viuentis & omnium ſanctorum ſuorum, dum peccamus, non erubeſcimus? An putamus, quia ſilet, ergo non videt? videt ſine dubio & vindicabit. O quanta confuſio peccatores circundabit. Vnde Naum 3. dicitur. *Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & reuelabo pudenda tua in facie tua, & oſtendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam, & proiiciam ſuper te abominationes tuas.* Hinc Iſaiæ. 24. dicitur. *Erubeſcet luna, & confundetur ſol, cum regnauerit Dominus exercituum in monte ſyon.* Vnde dicit Auguſtinus, mœrorem finalis iudicii per tormentum pereuntium, neque ſol, neque aſtra reſpicere poterunt. Retrahent enim ſplendorem ſuum, non vt clementiora ſint iudicia, ſed vt quælibet creaturarum in aliorum vindicta

Auguſt.

VII. de ſuo iudicio pertimeſcat. Septimo timendum eſt iudicium extremum, quia erit iudex auſterus, & ſicut canit Eccleſia, diſtrictus. tunc rediet, qui mitis modo tranſiit, non flectetur precibus, neq; falletur verbis, ſed ipſe, qui nouit abſcondita cordium vnicuique reddet iuxta opera ſua. Hinc Gregorius in homilia. *Deus*, inquit, *deſpicitur & exſpectat, contemni ſe videt & reuocat iniuriam de contemptu ſuo ſuſcipit, & tamen quandoque reuertentibus etiam præmia promittit.* Sed nemo hanc eius longanimitatem negligat quia tanto diſtrictiorem iuſtitiam in iudicio exercet, quanto longiorem patientiam ante iudicium prærogauit. Vnde ad Romanos 2. dicitur. *Ignoras quod benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit? Secundum duritiam autem tuam & cor impœnitens theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicii Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua.* Timendum ergo valde eſt nobis, & ſummopere cauendum, ne illũ, quem iam non attendimus mitem, habeamus aliquando diſtrictiorem iudicem. Ecce nunc tẽpus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, præueniamus nunc patrem obſecrando, quem poſtea habebimus iudicem opera reddendo: quia tanto tunc eum inueniemus clementiorem, quanto nunc nos ipſos ſeruauerimus puriores. Ponat itaque monachus diem iudicii ſemper ad memoriam, quia magna pars peccatorum tollitur dum venturus iudex iugi meditatione timetur. Scriptum eſt enim. *Memorare nouiſſima tua & in æternum non peccabis.* Expaueſcat gehennam, quantam ibi pœnam ſuſtineant miſeri commemorans, & ſic vitam ſuam ordinet, vt non tantum damnationem euadat, vt ſeruus, ſed vt hæreditatem æternam percipiat, vt filius. De gehenna ſuperius in prologo ſatis dictum memini. Vitam vero ſuam vnuſquiſque cuſtodiat immaculatã, vel vt non peccet, aut ſi peccauit reſurgat & ſatisfaciat, quia ſine dubio, quod hic non purgatur, in illo diſtricto iudicio ad ſoluendum reſeruatur 25. diſtinct. c. Qualis quiſque. Sequitur.

Eccl. 7.

29

Vitam æternam omni concupiſcentia ſpirituali deſiderare. *Inſtr.*

QVID eſt vitam æternam deſiderare, niſi à ſeculi huius actibus alienum ſe facere? Vitam æternam deſiderat, quem nihil huius mundi delectat. Hinc egregius ille prædicator Paulus Apoſtolus ait. *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto.* Qui enim in hoc mundo aliquid habet, vitam æternam perfecte concupiſcere non poteſt, quia materiam retrahentem ſe poſſidet. Sed quid faciendum eſt? faciamus, quod idem Apoſtolus dicit. *Simus habentes tamquam non habentes &c.* Iuſtus ex prolongatione vitæ præſentis tædium patitur, quia non eſt hic niſi labor & dolor, & cum diu peregrinamur, tandem redeundum eſt. Monachus vero, qui ſæculi blandimenta contempſit, diuitias ſpreuit & mundo mori elegit, vt Chriſto viuat, ſic conuerſetur coram Deo, quatenus dicere valeat cum Paulo. *Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* Iuſtus mortem

Phil. 1.

1. Cor. 7.

Phil. 1.

non

non timet, quia cognoscit se non posse beatum fieri, nisi prius moriatur. Nemo enim, prius felix, quam moriatur, erit. Qui enim de testimonio bonæ conscientiæ securus est, mortem potius eligere debet, vt viuat, quam viuere, vt moriatur. Nec est cura, quomodo quis moriatur, si tantum bene viuit, quia iustus quacumque morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, & tædet animam meam vitæ meæ. Vita hæc ærumnosa, plena miseriis, abundat tribulationibus, nihil in ea stabile, breuis est valde, & tamen plerisque videtur longissima. Iustus enim, qui nihil habet in hoc mundo, ad illam patriam, quo thesaurũ suum premisit, anhelat, regem in decore suo cernere desiderat. Mundi autem amatores, etsi vitam desiderant æternam, præsentem tamen ardentius amant, & si possent cum auro & argento suo sepeliri, cum venerit hora, eligerent, quia numquam auarus dicit, sufficit: etiam si totum mundum possideret. Monachus autem non sic. Qui vult venire ad vitam æternam, præsentis mundi nullis detineatur blanditiis necesse est. Quia nemo potest hic gaudere cũ mundo, & ibi lętari cum Christo. Vitam æternam concupiscat monachus, non qualibet sed spirituali concupiscentia duntaxat: quia omnis concupiscentia carnalis contra vitæ æternæ desiderium militat & pugnat. Monachus, qui semel gustauit, quid sit vitam æternam concupiscere omni tempore vitæ suæ, nihil mundi huius valet diligere. Qui vero concupiscere se putat illam vitã perpetuam, & non perseuerat vsque in finem perfecte, vt homini possibile est, nondum gustauit. O beata regio paradysi, ô vere felix & gloriosa ciuitas, ô beata mansio sanctorum, ô copia delitiarum, ô desiderabiles epulæ, ô gloria electorum, ad quam suspiro de hac lachrymarũ valle: vbi nimirum anxietas nulla, sapientia sine ignorantia, memoria sine obliuione, vbi intellectus sine errore, ratio sine obscuritate fulgebit, vbi lætitia æterna, iucunditas perpetua, securitas tuta, pax vera, sanitas firma, & vita immortalis. Cõcede omnipotẽs Deus me illius felicitatis fieri consortem, quem tuæ fidei fecisti confessorem. O bone IESV, respice in me & miserere mei, quia vnicus sum & pauper. Da imperium tuum puero tuo, & saluum fac filiũ ancillæ tuæ. Esto quæso auxilium misero, qui omnibus fuisti & es salutis exordium. Væ mihi misero, si contigerit me tam alienum fieri à consortio sanctorum; quam dissimilis sum à conuersatione & exemplo eorum. Confido, confido, quoniam qui creauit & fecit me, ipse saluabit me propter se. Beati qui habitant in domo tua domine in secula sæculorum laudabunt te. Ibi enim laus perennis resonat, ibi vox gaudii & lætitiæ auditur, quia Deus electorũ suorum ipse est gaudium, & eo frui perfectissimum est. Illuc tendat monachi deuotio, & ibi sit eius conuersatio, vbi æterna exuberat beatitudo. Sunt autem plerique, quos nec metus inferni nec promissio regni, nec terror iudicii ad bona conuertunt, & ideo priusquam beatus Benedictus illa tria nouissimorum promisit, videlicet iudicium, gehennam, & gaudia cœlestia, nunc quartum adiunxit, quod interdum plus terrere solet, quia sibi certius rudes existimant, mortem videlicet corporalem. Sequitur ergo.

25

Mortem quotidie ante oculos suspectam habere. *Instr. 47.*

ISTud est quartum nouissimorum, mors corporalis, animæ videlicet & corporis separatio. Omnium enim terribilium terribilissimum est mors; quia mors omnia rapit, omnia dissoluit, ex certo incertum facit. Sed mors animæ longe terribilior est, quando anima separat' a Deo, sine quo viuere mori est. Nouissima sunt quatuor, quæ beatus Benedictus in isto passu tangit, quæ monachus omni tempore in memoria debet habere, (vt qui adeo perfectus non est, vt amore proficiat, saltem, vel timore seipsum emendet) videlicet iudicium, gehenna, vita æterna & mors. Quid terribilius iudicio? quid intollerabilius gehenna? quid iucundius gloria? quid horribilius morte? Beatus homo, qui semper est pauidus, & qui cunctos velut vltimum ordinat dies. Nemo nostrum scit, *Prou. 28.* quam prope versetur terminus: nam omnes mortales sumus, finem tamen nostrum vniuersi ignoramus: Ergo sic for-

memus animum, tamquam ad extrema ventum sit. Venientem enim nemo hilaris mortem recipit, nisi qui se ad illam diu antea disposuerit. Et notandū, quod sanctus Benedictus monacho semper mortem dicit esse debere suspectam, non timendam, quia certa est mors & semper exspectatur sed quoniam incerta est hora eius, debet nobis semper quasi iā præsens esse. Hinc Augustinus ait, *Latet vltima dies vt obseruentur omnes dies. Sero parantur remedia cum mortis imminent pericula.* Et Gregorius in homilia. *Horam vltimam dominus noster idcirco voluit nobis esse incognitam, vt semper posset esse suspecta, vt dum illam præuidere non possumus, ad illam nos sine intermissione præparemus.* Mors omnibus certissima est, sed hora eius cunctis remanet incognita. Sapiens ergo se quotidie præparat ad mortem, sicut fidelis quisque viator ad patriam. O fratres cogitemus nos mortales, emendemus vitam, mutemus mores, quoniam non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram vtique inquirimus. Vbi sunt dicite mihi, carissimi fratres, qui ante nos huius monasterii fuere incolę & monachi? Nunquid omnes nos moriendo præcesserunt? Ecce ego, qui hodie videor esse huius monasterii sancti Martini monachus & Abbas, eos qui me præcesserunt, secuturus sum, & qui post me venturi sunt, sequentur vniuersi. Nunquid ante me Abbates fuerunt in Spanhem? Et vbi sunt? Vbi sunt, inquam, qui magnam principum obtinuerunt familiaritatem atque fauorem? Omnes decesserunt, vniuersi mortui sunt. Quid ergo? Nunquid ego euadere valeo mortem, quam illi omnes passi sunt? Non valeo. Et post me quid erit? Eligent sibi alium Abbatem; & non ero amplius in memoria eorum? Facient illi, sicut & mihi, & alius consurget in locum ipsius, memoria autem eius breuissima erit, & quasi vmbra peribit. O misera sorte clauditur omnis homo. Quandiu putamus memoria nostra durabit post nos? Certe obliuiscentur nostri omnes, & cuncti dicent, ignoramus eum, qui scripsit hæc. Vbi sunt nomina fratrum loci istius, qui præcesserunt nos fratres? Certe nescimus, & tamquam si nunquam fuissent ignoramus. Sicut facimus ipsis, qui nos præcesserunt, sic facient nobis hi qui post nos futuri sunt. Obliuioni tradentur vniuersa, iustus autem in memoria æterna erit. Si quis iustus, si quis sanctus inter eos, qui nos in isto loco deseruientes Domino præcesserunt, extitit huius sine dubio memoria apud altissimum, gloriosa remanet inæternum. Inter nos etiam, si quis iuste & sancte Deo viuit secundum regulā sancti Benedicti, quam professus est, illius profecto memoria in æternum permanet coram Deo. Impius autem velut vmbra dissoluitur. Nihil ergo, carissimi fratres, melius nobis iudico, quam vt vitam emendemus, mores secundum regulam componamus, quatenus veniente Domino ad nuptias digne illi cum oleo meritorum lampadibus accensis occurrere valeamus. Tempus breue est, mors proxima & certa, & qui iam pœnitere distulerit, in mortis articulo in maxima angustia erit, quia dum iudex pius apparet, causa est determinanda. Tantum in hac vita est licitum operari bonum, illic namque non iam operatio exspectatur, sed retributio meritorum. O quam glorioſus apparebit tunc, qui iam pro iustitia agonizat quotidie, quia tanto maior quisq; ibi erit, quanto hic propter Deum nunc abiectior fuerit. Cogitet hæc monachus semper, & cognoscat se mortalem, quia, sicut dicit Beatus Hieronymus, *qui se quotidie recordatur esse moriturum contemnit præsentia & ad futura festinat.* Hinc etiam dicit Augustinus. *Nihil sic reuocat à peccato, quam frequens mortis meditatio.* Hæc sunt quatuor nouissima, quæ sibi monachus quotidie ante oculos mentis ponere debet; sciens certissime, quia necessario & euenient & sustinebit eorum tria, videlicet aut vitam æternam, aut gehennam, quia mors & iudicium certissima sunt omni homini. Cum hæc inceperit expaueſcere monachus, quid sibi tunc faciendum sit sanctus Benedictus insinuat, cum subiungit.

Augst. in Ps. 36. conc. 1.

* *Greg. h. 13 in Euāg.*

Heb. 13.

Hiero. ep. ad Paulin.

*

26

Actus vitæ suæ omni hora custodire. *Instr. 48.*

NON enim sufficit mortem habere suspectam, si non præparemus nos quotidie ad suscipiendam illam. Omnes ergo dies, velut vltimus, ordinandi sunt, quia de fœlicitate hominis vltimus dies

dies indicat. Si aliquis noſtrum ſciret, ſe poſt hebdomadam vnam, vel menſem vnum, aut certe annum vnum proxime moriturum, quid putamus faceret fratres? Certe non conuiuiis, ſed fletibus, non gaudio, ſed mœrore, non voluptatibus ſed abſtinentia corpus ſuum caſtigaret; quatenus in die obitus ſui paratior inueniretur. Si ſcires te poſt annum proximum moriturum, puto numquam interim gauderes, numquã, quantum poſſibile foret, peccares, ſed tibi omne tempus breue videretur; cogitares te iam quaſi mortuum, quem ſcires tam ſubito moriturum. Quod ſi ita eſt, cum neſciamus, an diem vnum ſuperuiuere nobis liceat, quomodo miſeri non præparamus nos ad mortem, quam expectamus tam certam? Hinc etenim Bernardus ait. *Miſer homo quare omni hora te non diſponis; cogita te iam mortuum, quem ſcis de neceſſitate moriturum.* Conſideremus qualiter oculi vertentur in capite, venæ rũpentur in corpore, & cor ſcindetur præ dolore. Ordinemus itaque vitam quotidie, tamquam ſi iſte ſit vltimus dies, quia licet ſciamus mortem proximam, aduentus tamen eius ignoramus horam. Et ergo monachus Deum diligens & puritatem cordis conſeruare volens, quatenus mortem ſecurus expectet, teneat ſibi omni ſero capitulum culparum inter Deum & ſeipſum, ibi ſit conſcientia humilis accuſans, Deus iudicans, omnis ſanctus Dei orans, homo contritus veniam deprecans, vt numquam ſe recollocet monachus, niſi prius purgatus ab omni peccato coram Deo per mentalem ſiue vocalem confeſſionem, quantum poſſibile eſt, vt ſemper paratus ſit ad mortem quam certam euadere nemo poteſt. Renouet etiam propoſitum ſanctum neceſſe eſt, quia nihil eſt, quod adeo mentis puritatem conſeruet: quomodo, ſi monachus omni hora ſe emendare diſponat. Et vt eo diligentior in cunctis actibus ſuis diſponendis reddatur monachus, aptiſſime ſubiungitur.

Bernard. ſerm. 69. ad ſoror.

27

Inſtr. 49. In omni loco Deum ſe, pro certo ſcire, reſpicere.

Prou. 15. *IN omni enim loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.* Valde ad cautelam mentem prouocat, ſi diuinam præſentiam vbique pertimeſcat. Sed cęca mens hominum, quamuis Deum omnia videre credat, quia tamen ipſa non videt, minime coram eo de actibus ſuis erubeſcit. Si enim coram ſe Deum reſpiceret, confunderetur vtique & nequaquam auderet facere, quod nunc ſe feciſſe gloriatur. Sed in abſentia magiſtri probatur virtus diſcipuli, Dominus tamquam ſi ſit abſens, tacet: qui tamen vbique præſens eſt, & omnia videt. Cognoſcat autem monachus & pro certo ſciat, quia ſemper eum Deus videt, cognoſcit & intelligit facta, verba, & cogitata illius: quia nihil Deo abſconditum eſt. Cum autem inceperit monachus hoc ponderare, ſedulus, & diligens cogitationum ſuarum explorator fiet, vt nihil vel agat, vel cogitet, quod oculos diuinæ maieſtatis ſibi præſentes offendat. Vnde bene ſubiungitur.

28

Cogitationes malas cordi ſuo aduenientes mox ad Chriſtum allidere, & Seniori ſpirituali pate facere. *Inſtr. 50. & 51.*

COgitationes malas, ad Chriſtum allidere, eſt ipſius adiutorium deuotis precibus & lachrymis implorare. Qui enim Deum timet, facile cogitationes malas ſuperat, qa omnis cognitio ei cõfitetur, quoniam ipſe omnia ſecreta ſolus agnoſcit. In hoc verſu beatus Benedictus duplicis confeſſionis modum deſcribit, videlicet mentalis, quæ ſoli Deo fit, & vocalis quæ fit ſeniori præsbytero. Statim ergo vt mala cogitatio venerit ad cor, Chriſtus orationibus inuocandus eſt, quia hoc remedio animæ languores curantur. Confeſſio autem eſt, per quam animæ morbus latens ſpe conſequendæ veniæ in Dei laudem aperitur. Hinc Auguſtinus ait. *Confeſſio eſt ſalus animarum, diſſipatrix vitiorum, reſtauratrix virtutum, oppugnatrix dæmonum.* Quid plura? obſtruit os inferni, portas reſerat paradyſi. Ait etiam Bernardus. *Abſque confeſſione iuſtus iudicatur ingratus, & peccator mortuus reputatur. Confeſſio ergo peccatoris eſt vita, iuſti gloria.* Mox ergo cogitationibus malis aſcendentibus, conuertat ſe monachus ad Chriſtum, qui eſt vere ſalus animarũ, qui malignum, ſpiritũ cum

Pſal. 138.

Auguſt. ſerm. 30. ad frat. in eremo.

Bern. ep. 113.

omnibus suggestionibus suis, cum voluerit, fugare potest. Et est notãdum, quod non sufficit illa confessio, quæ fit in corde Deo, nisi etiã quis sacerdoti confiteatur oretenus, quod deo confitetur cordetenus, si adsit facultas, quia scriptũ est *Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* Nec iustitia sine salute prodest, nec salus sine iustitia acquiritur. Vnde Dominus in Euangelio cum mundasset leprosos, *ite*, inquit, *& ostendite vos sacerdotibus.* quia nimirum diuina cessabit vindicta, si humilis confessio præcesserit humana. Sufficit autem illa confessio, quæ primum Deo, deinde sacerdoti offertur. *de pœnitentia, distinct. 1. Quamuis plenitudo.* Dicit etiam quidam sanctorum, quod valde bonum est, non abscondere cogitationes, sed senibus spiritualibus, & discretionem habentibus manifestare ea, non his qui tantum tempore senes sunt, quoniam multi ad ætatem respicientes & cogitationes suas dicentes eis, qui experimẽtũ nõ habebãt, p cõsolatione in desperationẽ vltimã peruenerunt. Valde autẽ dæmones contristat frater, si omnes cogitationes suas quantumcumque turpes Abbati suo reuelare non negligat, quia cum se prodi cognoscit diabolus, amplius accedere pertimescit. Qui autem cogitationes malas cordi suo aduenientes Abbati, & medico suo spirituali reuelare dedignatur, maximam dæmonibus gaudendi, seque decipiendi occasionem ministrat. Monachus quoque, si occultas dæmonum suggestiones penes se reseruat, iam diabolum durius aduersus se prouocauit: quia ad animæ medicum recurrere negligit & ergo hostis vulnera maiora addit. Audeo affirmare ex sanctorum Patrum sententiis instructus, quod monachus, qui actus & vitam suam Abbati suo celat, monachi propositum amisit, quia non poterit esse vera puritas mentis, vbi non diligitur subiectio humilitatis. Qua in re Patres hoc obseruandum constituerunt, vt singuli monachi & conuersi ad minus semel in quatuor hebdomadibus de occurrentibus confessionem faciant Abbati, aut certe eo absente vice ipsius Priori, quod qui facere temere recusauerit, ab alio quolibet minime absoluatur. Abbas enim qui pro omnibus Deo rationem redditurus est, omnium vt vitam cognoscat & statum necesse est, vt sciat, quid vnicuique pro medicamine adhibendum vtile sit. Sunt autem nonnulli propriam conscientiam excæcantes, qui vt à confessore non increpentur, simpliciores & minus intelligentes quærunt, eisq; inexpertis medicis sub palliatione morbos aperiunt, & à facie experti & sapientis fugiunt, quia magis eligunt cum morbo perire, quam ferro abscissionis salubriter curari. Certe, qui ea intentione deliberata voluntate cõfessorem non intelligentem adeunt, ne increpentur pro suis delictis, nequaquam absoluuntur; quia cum peccati proposito ad confessionem veniunt, & cum habeant intelligentiam eligendi meliorem confessorem, indoctum adeunt & inexpertum. Sicut infirmus timens secari, ad medicum, suasu aliorum compulsus, accedit inexpertum & non intelligentem, & in valescente morbo deficit & moritur: sic peccator, qui studiose simplicem & inexpertum quærit sacerdotem morbum stulto non sapienti aperit, & peccare non desinit, quia confessorem simplicem non timet. Corpora quippe malus medicus, & animas, imperitus confessor occidit. Qui scienter imperitum confessorem eligit percutienti se gladium tribuit. Monachum non iudico eum, qui * aliquid siue agit, vel cogitat, quod nollet suum cognoscere Abbatem. Si quis ergo monasticum propositum inuiolabile custodire voluerit, & Deo placitum se reddere studeat cum omni sollicitudine & diligentia Deo & Patri suo, spirituali, peccata sua qualiacumque fuerint confiteri: quia, vt dicit Leo Papa, *non remanet in iudicio ad damnandum, quod hic iam fuerit confessione purgatum.* Vnde Cassiodorus. *Illis*, inquit, *non iudex, sed aduocatus erit Christus, qui se propria confessione damnarunt.* Et Ambrosius. *Plurimum suffragatur Deo verecunda confessio*, quia pœnam, quam defensione euitare non possumus, pudore confessionis releuamus. Sed qui se iustum, & non peccatorem existimat, confessionem veram non amat, quia arrogantia in confessoribus Christi locum numquam obtinuit. Maxima ergo spes est salutis recuperandæ, fontem nosse languoris. Initium enim languoris notitia peccati, nam qui peccare se nescit, corrigi nõ vult, ideo quantum

Confessio auricularis.

Rom. 10.

Luc. 17.

Monachi tenentur confiteri, quoque mense.

S. Leo. ep. 91.

Cassiod. in Psalm. 31.

Ambros.

tum potes teipsum argue. Confiteamur alterutrum peccata nostra, vt saluemur, quia sicut fides sine operibus Deo non placet, ita conuersatio sine confessione ad salutem non sufficit. Hinc Augustinus dicit, *O homo quid times confiteri? id quod per confessionem scio, minus scio quam id quod nescio.* Cur confiteri erubescis peccata tua? peccator sum, sicut & tu, homo sum, humani à me nihil alienum puto. Confitere homo homini, homo peccator homini peccatori. Elige quod vis, si non confessus lates, inconfessus damnaberis. Ad hoc Deus exigit confessionem, vt liberet hominem humilem: ad hoc damnat non confitentem, vt puniat hominem superbum. Ait etiam Chrysostomus super Mattheum. *Si sufficeret fides cordis non creasset tibi Deus os; si sufficit tibi, quia cognoscis Christum, & non confessus eum fueris coram hominibus, sufficit quod te cognoscit Christus, & si non confiteatur coram Deo.* Vides ergo, quoniam corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Ille etenim Christum veraciter confitetur qui Deo gloriam, sibi autem peccatorum attribuit confusionem. Et quintum gradum humilitatis ponit sanctus Benedictꝰ, vt si omnes cogitationes malas cordi suo aduenientes vel mala à se absconse commissa per humilem confessionem Abbati non celauerit suo. Multitudinem enim peccatorum humilis confessio purgat. Sequitur.

Augusti.

Chrysost. hom. 35. in Matt.

29

Instr. 52.

Os suum à malo, vel prauo eloquio custodire

Matt. 12. SIenim de omni verbo otioso quod locuti fuerint homines reddẽda erit ratio: quid de malo & prauo eloquio putamus fiet? Si os quod mentitur occidit animam: profecto etiam, quod mala loquitur, ipsam interficit. Caueamus, fratres, caueamus, ne os nostrum ad noxia aperiamus, si Deo de inutilibus verbis rationẽ reddituri sumus. Omne verbum inutile & otiosum est, quod aut ratione caret iustæ necessitatis, aut profectu debitæ vtilitatis. Et sine dubio omne verbum otiosũ Deo displicet, quia non ad loquendũ vana, sed ad promendum salutaria ora Deus creauit. Nõ multis verbis opus est, sed efficacibus & vtilibus, quia scriptum est Prou. 21. *Qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustiis animam suam.* Hinc Ambr. ait. *Quam plures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quempiam tacendo.* Vir etenim linguosus, non dirigetur in terra; quoniam qui incõsideratus est ad loquẽdum sentiet mala. Monachus autem in cuius ore nihil, nisi laus diuina resonare debet, custodiat se ab omni prauo eloqo, videlicet à detractione, oblocutione, murmuratione, mala interpretatione, quia silentium maxime adornat religiosum, quem loquacitas sæpe destruit. De omnibus hominibus bona, quantum licet, loquatur maxime de absentibus, ita vt omnes ædificet, siue loquatur, siue taceat. Quia autem vix se à malo & vaniloquio custodire potest, qui loquacitatem diligit, apte subiungitur.

Amb. lib. 1. de offic. c. 2.

30

Instr. 53.

Multum loqui non amare.

SIcut mentiri non potest, qui non loquitur, ita male loqui non valet, qui multiloquium non amat. In multiloquio etenim non deest peccatum; sapientiæ enim signum silentium est, & loquacitas signum stultitiæ, quia nullus stultus tacere potest. Si vis monachus esse, plus dilige audire, quam dicere: plus auscultare, quam loqui. In principio audi, loquere nouissimus: finis enim plus habet honorem, in omni re finis plus attenditur & audiendo nemo confunditur in his quæ sunt ad doctrinam vel instructionẽ. multos autem vidi confusos loquendo. Vnde Iacobi primo dicitur. *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Hinc Ecclesiast. 7. ait. *Noli verbosus esse in multitudine seniorum, & non iteres verbum in oratione tua,* Et eiusdem nono. *Terribilis est in ciuitate sua homo linguosus & temerarius in verbo suo odibilis erit.* Et Prou, 18. legimus. *Labia stulti miscent se rixis, & os eius iurgia prouocat. Os stulti contritio eius & labia ipsius ruina animæ eius.* Et infra. *De fructu oris viri replebitur venter eius & genimina labiorum ipsius saturabunt eum. Mors & vita in manibus linguæ, qui diligunt eam comedent fructus eius.* Hinc nos Apostol. Paulus ad Ephesios 4. admonet dicens. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat.*

31

Instr. 54.

Verba vana aut risui apta non loqui.

VAnus sermo vanæ cõscientiæ index est, quoniã qualis vir, talis oratio. ex abun-

abundantia enim cordis os loquitur. Ait autem beatus Hieronymus. *Otiosum verbum est quod sine vtilitate loquentis & audientis dicitur, si quis de rebus friuolis loquitur & fabulas antiquas narrat, cæterum qui scurrilia replicat, & cachinnis ora dissoluit, & aliquid turpitudinis profert, hic non de otiosis verbis sed curiosis tenebitur reus.* Hæc ille. Monacho autem scurrilia loqui non licet, quia os quod Deo dicatum est turpibus non debet inquinari sermonibus. Vnde infra.capite,de taciturnitate,beatus Benedictus præcipit,dicens. *Scurrilitates verò vel verba otiosa & risum mouentia æterna clausura in omnibus locis damnamus, & ad tale eloquium discipulum aperire os non permittimus.* Debet autem monachus se abstinere à stultiloquiis, friuolis, & ab omnibus otiosis verbis, & risui aptis propter quatuor. Primo,propter vtilitatem,quæ prouenit ex discreto silentio,quia taciturnitas hominem interiorem confortat, & ad dona cælestia concupiscenda excitat, sicut Isaiæ 30.dicitur. *In silentio & spe erit fortitudo vestra.* Qui enim moderatur sermones suos ille sapiens est. Reddit etiam hominem habiliorem ad operandum virtutum opera. Vnde Psalmista. *Quis est homo qui vult vitam & diligit videre dies bonos?* videlicet in virtutibus ꝓficiendo. Quod si tu audiens dixeris,ego. Dicet tibi. *Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Et iterum ait. *Dixi,custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Hinc Iacobi 3.dicitur. *Si quis in verbo non offendit, ille perfectus est vir.* & Ecclesiastici 14. *Beatus vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo.* Secundo bonum est silentium monacho quia loquacitas perfectionem & iustitiam fugit, sicut Iob 11. legitur. *Nunquid vir verbosus iustificabitur?* Quasi diceret. Non. Et Iacobi 1. *Si quis putat se religiosum esse non refrænans linguam suam,sed seducens cor suum huius vana est religio.* Hinc Salomon Ecclesiastici 22. orat, dicens. *Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, vt non cadam in ipsis & lingua mea perdat me?* Et Dauid in psalmo. *Pone Domine custodiam ori meo & ostium circumstantiæ labiis meis.* Et iterum. *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator aduersum me.* Tertio,propter futuram iudicis examinationem silentium amandum est, quia Dominus Matthæi 12. ait. *De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines reddent rationem in die iudicij.* Si hæc considerauemus, fratres,non adeo faciliter ora laxaremus ad vana loquendum,sed amore silentii etiam cum psalmista interdum à bonis sileremus, sicut ait. *Obmutui & silui à bonis.* Dum enim aliquando bona, nos loqui arbitramur, malis etiam locum concedimus. Quarto,ad silentium nos ducere debent mala,quæ ex loquacitate oriuntur : facit enim hominem à bono ruere in malum, sicut Prouerbiorum 12. dicitur. *Propter peccata labiorum ruina proximat malo.* Animam multiloquium maculat & lædit. Vnde Ecclesiastici 20. *qui multis vtitur verbis odit animam suam.* & Prouerbiorum 10. *In multiloquio non deerit peccatum.* Multa enim mala ex loquacitate oriuntur, inuidiæ,rixæ,contentiones, murmurationes, odia, detractiones, quorum numerus non cognoscitur facile à nobis. Custodiat ergo monachus os suum ab omni verbo otioso,& inutili, nec vnquam talia loquatur,per quæ aliquis occasionē risus sumat,aut scandali. Quidquid enim monachus fecerit,hoc sibi seculares faciendum existimant. Verba autem vana sunt,quæ nullam vtilitatem inferunt. Risui apta sunt,quæ cū risus cachinno proferuntur, vel alios sua stultitia incitant ad ridendum, quæ ad histriones non ad monachos pertinent. Sequitur.

Matt.15. Hier.in c 12.Matt. Pſal.38. Prou. 17. Pſ.33. Ibid. Pſal.38. Pſ.140. Pſal.38.

32

Risum multum, aut excussum non amare. Instr.55.

RIsus enim excussus leuitatem & dissolutionem mentis indicat; nec tantum animæ sed & corpori nocet. In risu enim sanguis recedit à corde, & ex valido risu homines sæpe suffocantur. Risus excussus quatuor personis non conuenit. Primo virginibus,propter conseruandam verecundiam:quia dissoluta virgo nemini placet, verecundia autem semper gratiam habet. Secundo, mulieribus,propter honestatem. Tertio infirmis propter defectum,quia validus risus semper offendit eos. Quarto monachis, propter eminentiam status : quia sicut monachus currere non debet propter honestatem,nisi casu permisso:ita nec ridere cum cachinno. Est enim valde turpe in sapiente risu ostendere dētes, quod vtiq; nec monachum decet. Si oportet

ridere

ridere monachum, risus eius sit rarus, & summe modestus, ita vt dentes non possint videri. Reprehensibilis est risus, si non moderatus, sed pueriliter effusus & multipliciter fractus. Risus enim voces obtusas efficit, hiatum oris facit, & pectora conterit. Valde abominabile est in monacho, si nimium in ridendo excutit vocem, quia & eum dissolutum ostendit, & circumsedentibus contemptibilem reddit. Stultum se demonstrat, qui risum excussum amat: quia viri sapientis est moderari risum. Et notandum, quod dicit, non debere monachum risum multũ aut excussum amare, quia omnis homo animal est mortale & irascibile atq; risibile; & licet contingat eum aliquando ridere, non tamen debet amare cachinnum, sed quantum possibile est se ab excusso risu refrœnare. Aliud enim est ridere, atq; aliud risum amare. Illud enim naturæ, istud vitio imputatur. Quam turpe sit in monacho risus excussus, ex eo apparet, quod cum ad pœnitentiam se domino tradidit, & omnibus voluptatibus se mortuum fecit, iam iterum seculo viuere incipit, dissolutionem mentis per negligentiam suam efficit, & qui se iam * semper in iudicio stare æstimare debuit per risum immoderatum se omnium futurorum immemorem ostendit. Monachus namq; semper futurorum memor in omnibus actibus suis exhibeat se maturum, vt videntes eum quasi iudicem timeant: quem suis actibus dissimilem cõsiderant. Aspectus namq; sapientis stultos terret, vt viso eo desistant à stultitia sua. Sequitur autem.

33

Instr. 56.

Lectiones sanctas libenter audire.

SAeras lectiones audire iubemur, quia ex ipsis cognitio saluatoris hauritur; quæ enim nescimus, ibi discimus, & quid faciendum sit inuestigamus. Et notandum, quod dicitur, libenter audire, & non dicitur, legere, quia multi tempore sancti Benedicti monachi litteras ignorabant, & quia legere ea, quæ ædificant, nõ valebant ab aliis legentes audire iubentur. Qui autem legit eas, etiam audit: quia auditus propter intellectum, non autem intellectus propter auditum à Deo creatus est nobis. Homo etenim, vt intelligat, audit: quia auditus intellectum præcedere solet. Sunt autem quatuor exercitia monachi, videlicet lectio, oratio, cõtemplatio siue meditatio & labor manualis. Oratio mũdat, lectio instruit, meditatio cõseruat, labor recreat. Cũ. n. oramus, ipsi cũ deo loquimur. Qui ergo vult cũ Deo semper esse, semper debet orare. Cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur, quia quid agere debeamus, nos instruit. Cum autem meditamur, ea quæ legimus, ad mentem reducimus, & in memoria conseruamus. Dum vero laboramus, mentem à tædio torporis excitamus. Bonum est ergo his exercitiis occupare animum propter tentationes fugandas diabolicas. Homo enim laborãs, minus sentiet suggestiones inimici: qui autem otiosus est, durius impugnatur: quia in desideriis est omnis otiosus. Otiositas autem inimica est animæ, & tentationes otium sequentur. Et ergo frequenter orandum est & legendum, quia infirmis mentibus maxima ex lectione consolatio & fortitudo confertur. Hinc enim Isidorus libro 3. sententiarum dicit. *Geminum confert donum lectio sanctarum scripturarum, siue quod intellectum mentis erudit, seu quod à mundi vanitatibus hominem abstractum ad amorem Dei perducit.* Excitati enim sæpe illius sermone subtrahimur à desiderio mundanæ vitæ, atq; accensi in amore sapientiæ tanto vana spes mortalitatis huius nobis vilescit, quanto amplius legendo spes æterna claruerit. Sacra enim scriptura vnicuiq; in ore secundum suum desiderium sapit, sicut quondam manna viris Israelitis, sicut volebãt in ore dedit saporem, sic etiam vnicuiq; ad ædificationem sacra lectio coaptatur. O sacra lectio. quid de te noui in medium proferam? Tu Deum hominibus facis cognitum, iucunditatem futuram ostendis. Tu mœstos consolaris, infirmos confortas, desolatos colligis, errantes corrigis, & ad viam veritatis reducis, humiles exaltas, pauperes ditas, & mentes hominum ad inuisibilia bona concupiscenda sursum eleuas.

Exercitia monachi 4.

Isid. l. 3. de sum. b. c. 8

Lectionis sacra vtilitas.

Quotiescumq; tribulatus, quoties * contristatus in omnibus humanis præsidiis nullum inuenio refugium, tu sola me consolaris, tu ad patientiam me hortaris, plurima dona promittis, & ad imitandos sanctos me patres inuitas; tu post Deum, imo Deus in te, vnica spes mea, q; nõ præsumit

sumit infirmitas, dare te opem polliceris, tu adimples. Cum tædium præsentis vitę me contristat, ad te recurro: tu mihi robur infundis, tu mihi sanctorum exẽpla proponis, tu torpentem animum mirabiliter excitas, & vt sequatur vestigia sanctorum, dulciter inflammas, ignem fortissimum accendis, quem omnes aduersarii animæ formidant. O lectio sacra, tu amica mea, tu dilecta mea, in sinu tuo ab ęstu repauso, & dulciter in te requiesco, tu solatium meum in omnib⁹ angustiis meis, tu releuamẽ in omnibus tribulationibus, quib. iugiter affligor, tu scutum meum contra omnes aduersarios meos, tu ductrix mea, quæ viam Dei ostendis, tu soror es sanctæ humilitatis, tu es quæ Deo multas animas lucrata es, quoniam Dei potentiam ostendis simul & misericordiam, vt omnis, qui te intelligit, à spe rectitudinis numquam ceciderit. Beatus homo qui te diligit, quia viam Dei in veritate doces & nullius recipis personam, nec est tibi cura de aliquo. O soror mea & electa sponsa, te mihi elegi in matrem, sororem, & sponsam: tu enim ex rustico nobilem facis, ex paupere diuitem, ex peccatore pœnitẽtem, quoniam omnes qui te diligunt maximos prouehis ad honores. Tu ex filio pauperis Dominum facis seruorum, de rustico sacerdotem, de idiota Doctorem, de infirmo potentem. Tu es ager ille, in quo thesaurus sapientiæ & scientiæ Dei latet absconditus, quem qui inuenit præ gaudio illius vendit omnia quæ habet, & emit eum. In te illa pretiosa margarita clauditur, quam negociator quærit, pro qua omnia huius mundi contemnit. Qui te inuenerit inveniet vitam, & salutem hauriet à Domino. Sed quomodo te inueniet, qui te non quæsiuit? Qui vigilat ad postes ostii tui, ille est qui quærit te. Qui quærit, inueniet, & pulsanti aperietur, & honorabitur vir qui diligit sapientiam. Et ego te quæro, sed quando inueniam? Certe inscrutabilis es tu, & fons aquarum viuentium, cuius non deficient aquæ. Profunda es nimis, & quis investigabit te? Ait enim Isidorus 3. de summ. bono. *Nemo potest sensum scripturæ sanctæ cognoscere, nisi familiaritate legendi sicut scriptum est. Ama illam, & exaltabit te & honoraberis ab ea, cum eam fueris amplexatus.* Quanto quisq; magis in sacris eloquiis assiduus fuerit, tanto ex eis vberiorem intelligentiam capit, sicut terra, quæ quanto amplius excolitur, tanto vberius fructificat. Ait etiam Hugo libro de anima. *Nihil in hac vita dulcius sentitur, nihil auidius sumitur, nihil ita mentem ab amore mundi separat, nihil sic animam contra tentationes roborat, nil ita hominem excitat & adiuuat ad omne opus, & ad omnem laborem, sicut studium sacræ scripturæ.* Et notandum, quod sanctus Benedictus non simpliciter lectiones audiendas iubet, sed addidit, sanctas, quia non debet monachus legere figmenta poetarum, aut errores gentilium non lectiones philosophicas, aut legales, sed sacras, quæ ædificent, non quæ ædificent, non quæ curiositati satisfaciant. Vnde dicit Isidorus. *Ideo prohibetur Christianis figmenta legere poetarum, quia per oblectamenta inanium fabularum mentes excitant ad incentiua libidinum.* Non enim sola thura offerendo dæmonibus immolatur, sed etiam dicta eorum libentius capiendo. Beatus enim Hieronymus ab angelo verberatus legitur, quia Ciceronis librum legebat. 37, *dist. legimus.* Dicit etiam Isidorus. *Quid amplius delectantur meditari gentilium dicta propter tumentem & ornatum sermonem, quam scripturam sacram propter eloquium humile.* Vnde etiam beatus Hieronymus ad Damasum de prodigo filio scribit, sacerdotes Dei omissis Euangeliis & prophetis videmus comedias legere, amatoria bucolicorum versum verba cantare, Virgilium tenere, & id quod in pueris causa fit necessitatis, crimen in se facere voluptatis. Libros gentiles episcopus legere prohibetur, 37. *dist. Episcopus.* Est enim valde reprehensibile in Dei sacerdote, vt relictis Euangelicis scripturis poetarum figmenta legat, & qui populo Christi fidem prædicare debet. fabulas recitet gentilium. Sed quid dicam? Videmus hodie Ecclesiasticam simplicitatem sperni, & dicta Aristotelis scriptis Hieronymi præferri. Ad tantam enim curiositatem ordo Ecclesiasticus deuenit, vt nullus sermo recitetur, quem philosophus non pertranseat. Vbi Gregorius, aut Augustinus semel auditur, ibi Aristoteles aut Hippocrates septies allegantur. Euangelica simplicitas iam despicitur, populus curiosa plus quam ædificatoria audire delectatur, vt vbi leges non

Mat. 13.

Isid. c. 9. Prou. 4.

Hugo.

Monacho non licet profana legere.

Isid. l. 3. de sum. b. c. 13.

Hier. ep. ad Eustoch. Isid. ibid.

non allegantur, ibi rusticus & inutilis sermo iudicetur. O vanitas vanitatum, quod delectet, audire cupimus, non quod ædificet. Quare Dominus non elegit doctores & philosophos atq; naturæ inuestigatores ad Apostolatum: nonne ideo, vt sapientiam huius mundi stultitiam faceret? Per simplices piscatores fides Christiana prædicata est, non per vanos ac superbos dialecticos & physicos. Vnde Isidorus ait. *Omnis secularis doctrina spumantibus verbis resonans ac se per eloquentiæ tumorem attollens per doctrinam simplicem & humilem Christianam euacuata est, sicut scriptum est. Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* Ideo libri sancti simplici sermone conscripti sunt, vt non in sapientia verbi, sed in ostensione spiritus homines ad fidem reducerentur. Nemo ergo quantumcumq; doctus videtur, Ecclesiasticam simplicitatem contemnat, quia melius est veriores quam disertiores audire sermones. 38. *dist. sedulo monendi.* Non itaq; quaslibet lectiones, sed sacras tantum monachus legere debet, nisi forte propter intelligentiam sacræ scripturæ consequendã alia lectio adhibeatur, quia grammatica legenda est, vt per eam sacræ scripturæ intelligantur. 37. *dist. Si quis grammaticam.* Vnde dicit Isidorus. *Grammaticorum autem doctrina potest etiam proficere ad vitã, dum fuerit in meliores vsus assumpta.* Monachis tamen non videtur expedire, vt scholas visitent propter seculares scientias, sed ante ingressum religionis se exercitent in illis, vt in monasterio manentes lectionibus duntaxat vacent diuinis.

Isid. ibid.

1. Cor. 1.

Isid. 16.

Et ergo patres nostri constituerunt, vt ad religionem non suscipiatur clericus, nisi sufficienter grammaticalibus disciplinis instructus, quatenus onera conuentus valeat portare, legendo videlicet & intelligendo, quæ necessaria cuilibet, & vtilia fore probantur. Sed quid prodest in mundanis doctrinis proficere, & inanescere in diuinis, caduca sequi figmenta, & cælestia fastidire mysteria?

Cauendi sunt tales libri monacho, & propter amorem sanctarum scripturarum penitus vitandi. Monachorum lectio erit, non in altis & subtilibus seu curiosis quæstionibus, in quibus nulla vtilitas est, sed in doctrinis & mysteriis euangelicis, in scriptis sanctorum Patrum humilibus, quibus animus excitetur ad deuotionem, non quibus curiositas capiatur in admirationem. Maxime autem vitas sanctorum Patrum monachum legere expedit, quia ibi quomodo illi præcesserint discet, & qualiter eos imitari debeat, inueniet. Plus enim accendit animum ad bene faciendum lectio dialogorum beati Gregorii papæ, quam expositio Decretalium, seu libri Sententiarum. Quãuis & hoc bonum sit, tamen monacho simplici vtile non iudico, qui neminem nisi se solum regere habet. His tamen, qui alios docere debent, vtraq; necessaria sunt, quia canones ignorare sacerdotibus non licet. 38. *dist. Nulli sacerdotum.* Non nocet, si monachus alta scierit, sed si ignorat, consentiat humilibus, & altiora se ne quærat. Illa enim legere debet, quibus ad virtutes excitetur animus, non quibus tantum illustretur intellectus: quia monachus non habet officium docentis, sed plangentis, 16. q. 1. *Monachus nõ doctoris.* Et ergo mihi videtur, quod nulla lectio sit, quæ monachum magis deceat, vel ædificare possit, quam si vitas & gesta legat sanctorum Patrum, & hoc non semel, sed semper, quia non incipientibus, sed proficientibus & perseuerantibus corona gloriæ promittitur. Ibi enim conuersationis eorum exordia inueniet, progressum quoq; virtutis & zelum, atq; feruorem propositi, vt quomodo sequi debeat eos, qui ad vitam præcesserunt æternam. Quid aliis videatur ignoro; ego mihi conscius, quod quotiescumq; vitam lego alicuius sancti, mirabiliter in me ipso ad toleranda quæq; aduersantia confortor; et si imitari omnino non valeo, dico cum Petro sancti Gregorii diacono, quia cum audio, quod imitari non valeo, plus flere libet, quam aliquid dicere. tamen non parum in me sentio consolationis, & boni propositi releuamen. Sed transeant hæc: ne cum aliis lectionem plus placito commendo, ipse mihi detrimento existam. Qui autem cito ad intelligentiam sacræ voluerit peruenire scripturę, à fundamẽto historiæ incipiet. qa omnis sacra scriptura obscura remanet, si gesta historiæ ignorentur. Quid prodest homini, si totum pelagus sacræ scripturæ disputando transcurrerit, & seipsum non cognoscat?

Monachologenda vita S. Patrum.

Lectio illa quam vtilis.

Initium discendi est cognoscere seipsum. Hinc Isidorus 3. sententiarũ ait, *nihil aliud agit amor mundanæ scientiæ, nisi extollere laudibus hominem*: Nam quanto maiora fuerint literaturæ studia, tanto animus arrogantiæ fastu inflatus maiori intumescit iactantia; vnde bene psalmista ait, *Quia non cognoui litteraturam; Introibo in potentiam domini.* Sæpe enim simplices in regno Dei doctos præcedunt quia *non est regnum Dei in sermone: sed in virtute.* melior est qui pauca nouit, & multa facit, quam qui plura disputat, & minus opere implet. Videmus enim interdum simplicem sacerdotem humilem & deuotum officium suum cum omni sollicitudine implentem, & oues Christi sibi commissas cum maxima diligentia pascentem; doctorem autem & Pastorem solo nomine in ciuitatibus vagantem; alteri curam ouium committentem, lanam de ouibus recipientem, gregem aurem Domini nunquam visitantem, *scientia enim inflat; caritas autem ædificat*, Quid necessarium est monacho alta sapere, & humilia contemnere? cum nisi se solum custodire habeat, & agere sufficit ei, si legere potest & intelligere, quæ legit: quia opere docere debet, non verbo. Sic se ad sacras lectiones coaptet, vt vbicunq; fuerit, semper secum aliquid ferat quod contra inimici valeat opponere suggestiones; & si non semper habet codicem, habeat mentem pro libro, legens meditando quod aliquando didicit audiendo; cum autem in claustro est & vacat, semper sit ei amica lectio, & dum fatigatus fuerit legendo, ad orationis studium se conuertat, quia effectus lectionis oratio est. Vnde & sequitur.

Isid. 3. de sum. b. c. 13.

† *Ps. 70.*

1. Cor. 4.

1. Cor. 8.

39

Instr. 57.

Orationi frequenter incumbere.

HInc enim sapiens ait Ecclesiastici 18. *non impediaris orare semper, & ne verearis vsq; ad mortem iustificari, quoniam* merces Dei manet in æternum. *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Orationibus enim ita frequenter instandum est, vt vix eas aliquod tempus interrumpat. Scriptum est enim. *orationi instate, vigilantes in illis.* Et iterum *quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis.* Per has inimicus dormiens excitatur, & quamuis omnem familiam sopor altus obsederit cõmodari sibi panes importunus expostulator extorquet. Has si fieri potest sola legendi intercapedo disrumpat. Talis enim debet esse monachi vita, vt omnis actio eius oratio sit.

Hinc Isidorus l. 3. de summ. bon. c. 7 ait. *Tam perseueranter oportet intendere animum nostrum in orando atq; pulsando, quousque importunas carnalium desideriorum suggestiones, quæ nostris obrepunt sensibus fortissima intentione superemus, ac tamdiu insistere, donec insistendo vincamus.* Hoc enim remedium eius est, qui vitiorum tentamentis æstuat: vt quoties quolibet tangitur vitio, toties ad orationem se subdat, quia frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit. Vnde dicit Augustinus. *Oratio est animæ sanctæ præsidium, angelo bono solatium, diabolo supplicium, gratum Deo obsequium, & pœnitentia, religionis laus tota, perfecta gloria, spes certa, sanitas incorrupta.*

Oratio, si pura est, si casta fuerit cælos penetrans, vacua non redibit. Oratio oranti est subsidium, Deo sacrificium, dæmonibus autem flagellum. Hinc ad semper orandum & benefaciẽdum hortatur nos beatus Hieronymus ad Rusticum monachum scribens. *Nunquam de manu aut oculis tuis liber psalmorum discedat.*

Discatur ad verbum, oratio sine intermissione vigilet sensus nec vanis cogitationibus patens corpus pariterq; animus tendatur ad dominum.

Iram vince patientia, ama scientiam scripturarum & carnis vitia non amabis. Non vacillet mens tua variis perturbationibus, quæ si pectori insederint dominabuntur tui & deducent ad delictum maximum. Facito aliquid operis, vt semper diabolus te inueniat occupatum.

Si Apostoli habentes potestatem de euangelio viuere laborabant manibus suis, ne quem grauarent, & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus metere carnalia debebant, cur tu in vsus tuos successuram

non

non præpares, vel fiſcellam texe iunco, vel caniſtrum lentis plecte viminibus. Et ſi monachus non poteſt ſemper orare voce; debet tamen ſemper orare corde: quia plus placet Deo illa oratio, quam cordis intentio format, quam illa quam verborum color exornat. Vnde dicit Iſidorus. *Oratio cordis eſt non labiorum: neque enim verba deprecantis Deus intendit, ſed orantis cor aſpicit.* Quia ſi tacite cor orat, & vox ſileat: quamuis hominibus lateat, Deo tamen latere non poteſt, qui conſcientiæ præſens eſt. Melius eſt autem cũ ſilentio orare corde ſine voce: quam ſolis verbis ſine intuitu mẽtis. Sed vt Deo orationes noſtræ placeant, plura ſunt neceſſaria. Primo oportet, quod oratio ſit humilitati innixa, quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Vnde ſapiens Eccleſiaſtici 35. ait. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrat*, & Iudith. 9. *Humilium & manſuetorum ſemper placuit tibi deprecatio.* Hinc Dauid ait. *Reſpexit Dominus in orationem humilium, & non ſprevit precem eorum.* Secundo, vt Deo oratio fiat acceptabilis, requiritur vt ſit cum fide perfecta. Nam vt dicit Apoſtolus ad hebreos 11. *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* ſed oratio illius, qui Deo non placet, ſcilicet, propter defectum fidei, ſed magis diſplicet, non exauditur à Domino. Vnde ait Gregorius. *Cunctis liquet, quia cum is qui diſplicet ad intercedendum mittitur, irati animus proculdubio ad deteriora prouocatur.* Scriptum quippe eſt. *Victimæ impiorum abominabiles ſunt Deo, vota iuſtorum placabilia.* Inde fide enim ſaluantur animæ iuſtorum, & ideo quidquid extra fidem fit, peccatum eſt. Tertio autem oportet, vt oratio fiat cũ firma ſpe impetrãdi. Vnde Iſidorus. *tantus*, inquit, *eſſe debet erga Deum orantis affectus, vt non deſperet precis effectum.* Inaniter enim oramus, ſi ſpei fiduciam non habemus. *Petat ergo* vnuſquiſque, vt Apoſtolus ait, *in fide nihil hæſitans.* Nam qui dubitat ſimilis eſt vndæ maris, quæ vento fertur atque diſpergitur. Vnde vt nobis Deus fiduciam daret petendi, Patrem ſe appellari voluit magis, quã Dominũ, quia paternitas ſpem, dominatio metum generat. Quarto, vt oratio ſit Deo accepta oportet, quod mens orantis ſit munda ab omni iniquitate peccati, videlicet, mortalis. Vnde

Iſidor. l. 3. de ſum. b. c. 7.

Oratio, vt DEO placeat, multa requiruntur.

I.

Iaco. 4.

Pſal. 101.

II.

Greg. 1. p. paſtor. c. 11.

Prou. 15.

III.

Iſid. ibid.

Iacob. 1.

IV.

Pſalmiſta ait. *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet me Dominus.* Hinc etiam dicit Iſidorus, *nihil proficit oratio ſi denuo committitur, vnde iterum venia poſtuletur.* Ille enim precis deſideratum effectum ſine dubio percipit, qui quod orando poſtulat delinquendo non iterat. Oportet ergo eum à peccato mortali eſſe mundum, qui vult à Deo ſuam exaudiri precem quia ſcriptum eſt. *Scimus quoniam Deus peccatores non exaudit.*

Pſal. 65.

Iſidor. ib.

Ioan. 9.

Quinto, quatenus oratio ſit efficax & DEO acceptabilis, requiritur quod fiat cum magna deuotione & intentione mentis ad DEVM quia fruſtra ore oramus, ſi non & corde precemur. Hinc Iſidorus ait, *Bonum eſt corde ſemper orare: bonum & ſono vocis DEVM ſpiritalibus hymnis glorificare.* Nihil eſt ſola voce canere ſine cordis intentione, ſicut ait Apoſtolus. *Cantantes in cordibus veſtris.* Vnde & alibi. *Pſallam ſpiritu. Pſallam & mente.* Hinc etiam Propheta orat dicens. *Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine.* quia corde non voce Deum laudare debemus. *92. diſtinct. Cantantes.* Sic ergo ad orandum ſtemus, vt mens noſtra concordet voci noſtræ.

V.

Iſid. ibid.

Ep. 5:

1. Cor. 14.

Pſal. 118.

Sexto requiritur, vt oratio ſit lachrymoſa, quia vt dicit Auguſtinus. *Oratio DEVM vngit, lachryma autem compungit.* Hinc Iſidorus ait. *Nunquam eſt ſine gemitu orandum, nam recordatio peccatorum mœrorem gignit. Dum enim oramus, ſi ad memoriam culpam reducimus, magis reos nos tunc eſſe cognoſcimus. Ideoq; cum DEO aſſiſtimus, gemere & flere debemus reminiſcentes, quam grauia ſunt ſcelera, quæ commiſimus, quamque dura inferni ſupplicia, quæ timemus.* Nam, ſicut terra ſine aqua ſicca eſt, & infructuoſa, ita oratio, ſi non fuerit lachrymoſa. Si autem propter duritiam cordis noſtri in oratione nondum lachrymare poſſumus, non ideo ab oratione ceſſemus, ſed inſtantius orationi inſiſtamus quoniam ipſa oratio lachrymas à Domino nobis impetrabit.

VI.

Aug. in ſerm.

Iſid. ibid.

Septimo oportet, quod fiat cum eleemoſyna & ieiunio; nam ſpiritus ſanctus hæc tria ſimul ſcilicet orationem ieiunium & eleemoſynam coniungit dicens, *Bona eſt oratio cum ieiunio & eleemoſyna* cum iuſtitia. Sic enim virtus virtuti coniugitur, vt vbi vna deſit, al-

VII.

Tob. 12.

tera esse non possit. Quid prodest corpus ieiunio macerare, & animam oratione non satiare? Cibus animæ oratio est, sine qua opera carnis nescio quid prosint.

VIII. Octauo, vt oratio sit DEO commendabilis, requiritur quod fiat cum feruore caritatis. Vnde Augustinus, *sicut radix omnium bonorum est caritas, & ideo sicut germen arescit sine radice, sic oratio marcida est & inutilis sine caritate.* Fides credit, spes & caritas orant, sed sine fide spes & caritas esse non possunt, ac per spem & caritatem fides orat, & quod desiderat obtinet. Nemo enim extra caritatem positus DEO placet: & ergo qui displicet, eius oratio erit execrabilis. *Augusti.*

IX. Nono requiritur, vt oratio sit discreta, quatenus consideretur discrete, quid in cuius nomine, & à quo petendum sit, Paulus enim à se stimulum petiit tolli, & non meruit exaudiri, quia non orauit in nomine saluatoris, erat enim contra salutem suam, si ab ipso liberatus fuisset; nam *virtus in infirmitate perficitur.* Hinc Dominus Ioannis decimo sexto ad discipulos dicit. *Vsque modo non petistis quidquam in nomine meo.* Certe multa petierunt, quæ tamen minime obtinuerunt. Iacobus enim & Ioannes, vt sederent alter à dextris & alter à sinistris in regno suo à Domino petierunt, videlicet Matth. 20. Petierant Iacobus & Ioannes vt descenderet ignis de cœlo & cõbureret Samaritanos Marci 9. Petierat Beata Virgo vinum in nuptiis Ioannis 2. Petierunt etiam discipuli salutem filiæ Cananææ Matth. 15. Hæc enim & multa alia Petierunt Discipuli à Domino, & tamen dicit eis. *vsque modo non petitis quidquam in nomine meo.* Quia ille in nomine IESV Saluatoris petit, qui saluti animæ suę curam adhibet. Qui autem temporalia petit audiri non meretur: quia in nomine IESV non petit. Vnde Iacobi 4. dicit, *Petitis & non accipitis; eo quod male petatis vt in concupiscentis vestris insumatis.* Hoc tantum à DEO petendum est, vt quemadmodum ipse scit, quæ nobis sunt vtilia, propitius sit nobis: quoniam ipsi est cura de nobis sine cuius nutu nec folium de arbore cadit. *2. Cor. 12.* *

X. Decimo requiritur quod oratio sit continua & perseuerans. Vnde Iacobi. 5. *Multum valet deprecatio iusti assidua, Helias homo erat similis nobis passibilis, & oratione orauit, vt non plueret super terram & non pluit per annos tres & menses sex, & rursum orauit & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum.* Si tantum valuit vnius hominis oratio apud DEVM, quid putamus multorum iustorum deprecationes valebunt? Ait enim Hieronymus, *multorum preces impossibile est contemni.* Compendiosius quatuor possunt assignari, quibus DEO oratio acceptabilis redditur scilicet puritas, deuotio, humilitas, & perseuerantia. In omni enim virtute perseuerantia requiritur, testante Domino, ac dicente. *Qui perseuerat vsque in finem saluus erit.* Vnde Bernardus. *Perseuerantia*, inquit, *est vnica filia regis summi, finis virtutum, earumque consummatio, totiusque boni repositorium, & virtus sine qua nemo videbit Deum.* Oportet ergo semper orare in omni loco & tempore; quia cum orationibus, ieiuniis & obsecrationibus, Deus à nobis quæsitus fuerit, inuenitur, quia non hortaretur nos ad petendum, nisi dare vellet, nec admoneret, vt quæreremus, si nollet inueniri. Vnde Augustinus, *Cur DEVS petere, quærere, pulsare nos compellit, qui nouit ipse, quod necessarium sit nobis priusquam petamus, nisi quia exerceri voluit desiderium nostrum in orationibus, quo possimus capere quod præparat dare?* *Hieron.* *Matt. 10.* *ep. 119.* *Augusti. ep. 121.*

Differs dare, vt doceas petere; dissimulas audire pœnitentem vel petentem, vt facias perseuerantem. Quia Magdalena quærens perseuerauit, videre te meruit. Oportet ergo semper orationi incumbere, quia frequens oratio Diabolum vincit & fugat. Ait namque Bernardus. *Grauis est nobis inimici tentatio: sed longe grauior est illi nostra oratio.* Et ergo dum aliqua grauaris tentatione, statim ad pium IESVM patrem pauperum tamquam paruulus ad matris suæ gremium curre, totum ipsi reuela, totum ipsi committe, totum in ipsum iacta, & ipse proculdubio tempestatem sedabit. Vnde dicit Gregorius, *melius pugnat vir iustus orando, quam innumeri prælatores pugnando.* Et Augustinus. *oratio frequens vitiorum flammas extinguit.* *Gregor.* *Augusti.*

In o-

In omnibus itaque agendis, semper oratio comes sit indiuiduus, quia sic sancti patres quidquid volunt impetrant, dum sine intermissione iugiter orant. Orationem autem & vita laudabilis commendet, & quod meritum non præsumit, oratio humilis impetrabit. Oratione sancti à Domino miraculorũ operationes impetrarunt, mortuos suscitabant, leprosos mundabant, dæmonia è corporibus humanis eiiciebant, tyrannos mitigabant, hostes vincebant, multa beneficia infirmis præstabant. Quid enim est, quod oratio humilis non possit? Ad hanc confugiens sanctus Martinus flammas ignium euasit illæsus. Vnde dicit Bernardus. *In omnibus negotiationibus plus confidas orationi, quam propriæ industriæ vel labori. Oratio fidem roborat, spem confortat, caritatem ordinat, & omnes mores hominis virtutibus impinguat.* Angeli deuotionem & orationem nostram deferunt ad superna & gratiam nobis referunt, quoties à nobis repellimus, quoties consiliis eorum non acquiescimus. Et beatus Gregorius. *Oratio est Deo sacrificium, Angelis organum, sanctis conuiuium, reis scutum, hostibus iaculum, contritis vnguentum, omnibus firmamentum.* Sicut militibus sine armis ad bellum exire nõ conuenit: ita homini Christiano procedere quolibet sine oratione non expedit. Egredientes ergo de cella monachos armet oratio, regredientibus de foris oratio occurrat, quoniam fortissima contra iacula inimici oppugnatoria sunt orationes obedientium monachorum Absque obedientia nullus monachus existit. Ait ergo Gregorius. *Si obedientes fuerimus Præpositis nostris, obediet Deus orationibus nostris.* Hinc etiam Augstinus ait. *Citius exauditur vna oratio obedientis, quam decem milia contemptoris.* Vnde primo Regum 15. legitur. *Melior est obedientia quam victimæ.* Obedientia iure præponitur victimis; per victimas enim aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Illa ergo Deo oratio placet, quæ obedientiæ iugum non contemnit: nec dubium quin cælos penetret, quæ regulam humilitatis tenet. Debet etiam monachus, non tantum orare pro se, sed etiam pro vniuersa ecclesia, & omnibus hominibus: quia, vt dicit Gregorius, *multum preces suas apud Deum valere efficit qui eas pro alio fundit.* Nec tantum pro amicis, sed etiam pro inimicis orare à Domino iubemur. Nam conditoris auribus illa oratio maxime commendatur, quæ pro inimicis quoque intercedere nititur. Sunt autem nonnulli, qui quidem orare incipiunt, sed si confestim quod postulant non impetrant, quasi frustra lassati ab oratione animum relaxant. Sed quia perseueranter non orant, nequaquam exaudiri merentur: quia indignus est impetrare quod postulat, qui ante denegationem sibi factam ab oratione cessat. Ait ergo Augustinus. *Nondum oratio petentis habet terminum: vbi largitas, donatoris non habet defectum.* Dicit namque Bernardus. *Facilius est cælum & terram transire, quam petentem, pure, deuote, humiliter ac perseueranter, non impetrare quod petit, quærentem non inuenire, pulsanti non aperiri.* Oratio quippe est nuncius fidelissimus, notus regi & omni curiæ, qui in secreto noctis silentio per occultas & sibi notas semitas, per aerea cæli penetrare, & cubiculum regis adire, & sua importunitate & miserabili prouida supplicatione regis animum flectere & laborantibus opem impetrare solitus est. Oratio amica regis altissimi inter nos & Deum legationem fert, nobis pacem & benedictionem reportat, & Deum ex nostris iugiter salutationibus & obsequiis honorat. Et ergo in oratione, quasi in præsentia Dei & in conspectu Angelorum nos assistere oportet, & diligenter attendere, quid oremus, vt mens nostra nulla re occupetur, nisi tantum oratione Vnde dicit Isidorus, *Pura est oratio quam in suo tempore seculi non interueniunt curæ.* Longe autem à Deo est animus, qui in oratione cogitatione seculi fuerit occupatus. Tunc ergo veraciter oramus, quando aliunde non cogitamus. Hinc etiam dicit Augustinus. *Quid prodest strepitus oris, vbi mutum est cor?* Qui non habet compunctionem, non habet mundam orationem. Si volumus vt Deus preces nostras exaudire dignetur, digne mur & nos proximorum nostrorum orationes placati suscipere, quia ipse dicit, *date & dabitur vobis.* Oret mens nostra iugiter ad Deum, ne labia moueantur frustra, si cor ipsum non audit, quid orat. Hinc etenim ait Origenes. *Orationem tu non audis, & DEVS qualiter eam audiet?*

Bern. Gregor. Gregor. Auguſt. Auguſt. Bern. Auguſt. Isidor. l. 3. de sum. bon. c. 7. Auguſt. Origen.

audiet? Et Ambrosius ait. *In Ecclesia stantes & mente foris vagantes ab omni fructu orationis priuantur.* Et Bernardus. *Indecens est coram rege stare, & ab eo faciem mentis auertere.* Veri siquidem oratores spiritu orant. Oportet ergo mundam esse ab omnibus alienis cogitationibus mentem, cum ad orandũ excitatur deuotio. Hinc igitur dicit Isidorus. *Mens, quæ ante orationem vacans à Deo illicitis imaginibus cogitationum occupatur, dum in orationem venerit, confestim illi imagines rerum, quas nuper cogitauit, occurrunt, aditumque precis obstruunt, ne se mens libera ad cæleste desiderium erigat. Purgandus est itaque primum animus atque à temporalium rerum cogitationibus segregandus, vt pura acies cordis ad Deum vere & simpliciter dirigatur.* Nobis vero tunc impetranda diuina munera credimus, quando simplici affectu assistimus cũ oramus. Hinc Augustinus ait. *Oratio est mentis deuotio,* id est, conuersio in Deum per pium & humilem affectum. Si volumus ergo semper cum Deo esse, debemus frequenter orationibus insistere, quia assidua oratio cito corrigit mentem. Nec est opus multum loqui in oratione, sed extendi manus frequenter & dicere. Domine sicut vis, & sicut tu scis, miserere mei. Si autem instat bellum in animo, dic. Domine adiuua me. Et quia ipse scit quæ expediunt, faciet misericordiam suam nobiscum. Sic oportet ergo mentem dirigere in Deum, vt præsentium omnium obliuiscamur dum oramus, quia pura oratio nihil terrenum admittit. Orationes autem conscriptas in chartis, mentibus infirmis vtile est, vt legant: fortioribus autem & perfectioribus non conuenit, nisi interdum pro ariditate cordis irriganda, quia illa oratio maxime efficaciam habet, non quam calamus sculpsit, sed quam mens ipsa formauit. Perfecti enim viri, non ex codice, sed ex corde orant. Et hoc de priuatis orationibus, intelligito, quia orationes canonicæ, & quas regula instituit ex codicibus plerumq; legere ipsa necessitas expostulat. Vnusquisque autem proprium donũ habet a Deo, vnus sic, alius vero sic. Et ergo quilibet secundum datam sibi gratiam & mentẽ expurgat, & orationis studium format. Et quomodo, vel quid orandum sit Sanctus Benedictus consequenter insinuat, cum subiunxit.

Ambros. *Bern.* *Isidor. l. 3. c. 7.* *Augusti.* *Oratio mentalis vocali præfertur.* *1. Cor. 7.*

Mala sua præterita cum lachrymis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri, & de ipsis malis de cætero emendare. *Instr. 38.*

VITA monachi tota pœnitentialis esse debet, & ergo primum, quod orat, pro peccatis orare debet. Deinde pro gratia, mediante qua se deinceps à delicto valeat custodire, & hoc cum fletu & lachrymis, quia modica vna lachryma, quæ pro peccatis effunditur totum ignẽ inferni huic animæ extinguit. Dicit nãque Haymo. *Vna lachryma de puro corde deplorata plus purgat animam, quam decem anni in purgatorio.* Confiteatur ergo monachus peccata sua omni die & hora domino, quia vt dicit Isidorus. *Ex eo vnusquisque iustus esse incipit, ex quo sui accusator extiterit.* Hinc etenim prouerbiorum 18. dicitur. *Iustus prior est accusator sui.* Et ideo admonet Salomon Ecclesiastici 17. dicens, *Conuertere ad dominum, & relinque peccata tua, precare ante faciem Domini & minue offendicula. Reuertere ad dominum & auertere ab iniustitia tua, & nimis odito execrationem, & cognosce iustitias & iudicia Dei, & sta in sorte propositionis & orationis altissimi Dei.* Sequitur ibidem. *Confiteberis viuens, viuus & sanus confiteberis, & laudabis Deum & gloriaberis in miserationibus eius. A mortuo enim quasi nihil perit confessio, quia nec pœnitentia nec miseratio apud inferos.* Hinc enim Psalmista ait. *Quoniam non est in morte, qui memor sit tui, in inferno autẽ, quis confitebitur tibi?* Nunc enim est tempus conuersionis, nunc hora confessionis & satisfactionis; quia cum ista vita transierit, non restat, nisi retributio meritorum. Nunc dicendum est cum Dauide. *Confitebor aduersum iniustitiam meam Domino, & tu remisisti iniquitatem peccati mei.* Sed sunt multi qui se peccatores esse fatentur, & tamen se à peccato non cohibent. Et item multi confitentur & de commissis dolent & lachrymantur peruerse agere: tamen non desistunt, sed more canis ad vomitum reuertuntur. Sed qui vere compungitur, non solum abhorret præterita, sed etiam cauet futura. Hinc Isidorus ait. *Compunctio cordis est humilitas mentis cum lachrymis exoriens de recordatione peccati & timore iudicii.* Illa est conuersis perfecta compunctionis affectio, quæ omnes carnales affectus à se repellit, & inten-

Haymo. *Isidor. l. 2. de sum. b. c. 13.* *Psalm. 6.* *Psal. 31.* *Isidor. ib. c. 12.*

Ad compunctionẽ quæ inuent.

intentionem ſuam toto mentis ſtudio in Dei contemplatione defigit. Sunt autem quatuor, quæ monachum ad fletum & ad compunctionem propter peccata ſua commiſſa inducere debent. Primum eſt, quod Deum amicum ſuum ſpecialiſſimum per peccatum ſuum grauiter offendit. Si enim haberes amicũ terrenũ, diuitem, potentem, atque ſapientem qui in omnibus neceſſitatibus tuis tibi ſubueniret, caueres omnimodis ne eum talem offenderes, dicẽs apud te. Tota ſpes mea poſita eſt in amico meo, ſi offendero eum væ mihi eſt, & non potero viuere vltra. Si vero iam offendiſti, opportunitatem non obſeruans, ſtatim venis ad eum prouolutus pedibus eius cũ lachrymis & fletibus ipſum obſecrando rogas, quatenus tibi miſericordiã & indulgentiam præſtet, nec à flendo, donec conſecutus fueris, quod poſtulas, ceſſas. Si tanta facis, mortalem obſeruando amicum, cur miſer homo Deum creatorem & redemptorem tuum toties offendis, qui vtique eſt potentiſſimus, ditiſſimus, & ſapientiſſimus amicus tuus, nec eũ aliquãdo ſic pro indulgentia & venia precaris? Ipſe enim tibi fecit, quod nemo amicorũ vnquã faciet; vt te redimeret captiuum, in mortem tradidit ſeipſum. Vnde. 1. Ioannis 4, dicitur. *In hoc apparuit caritas Dei in nobis quoniam filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum, vt viuamus per eum.* Quis amicorum tuorum minimum digitum ſuum daret pro te? Merito ergo luges & fles, q̃ talem amicum offendiſti. Secundũ eſt, q̃ diabolum capitalem inimicum per peccatum ad ſe in hoſpitio ſuſcepit, & eius voluntati obediuit, eumque de ſua ruina fecit gaudere. Tertium eſt, q̃ per ſuum peccatum hæreditatem perdidit cæleſtem. Quartũ, quod p̃pter paruã & momentaneam delectationem peccati, ignem & ſuppliciũ meruit æternum. Hæc conſiderando quilibet, nõ ſolum monachus, ſed & Chriſtianus omnis magnam cauſam habet lugendi peccata ſua & flendi. Quod ſi perfecte fecerit per talem luctum, poteſt & Dei amicitiã recuperare, & Diabolum vehementer, contriſtare, & cœleſtem recipere hæreditatem, æternumq; euadere ſuppliciũ. Quid enim eſt, quod lachryma non poſſit? Ait enim beatus Hieron. *Oratio Deum lenit, ſed lachryma cogit, hæc vngit, illa pungit.* O humilis lachryma, tua eſt potẽtia, tuum eſt regnũ, ante conſpectum iudicis intrare non vereris, inimicis accuſantibus ſilentium imponis, quãdoq; ſententã ab ore iudicis rapis, non eſt, qui te accedere vetet: & ſi ſola intras, nunq̃ ſola aut vacua exibis. Dicit quoq; Auguſt. *vbi lachrymæ abundant, ibi cogitationes ſordidæ non approximant.* Et Bernardus, *Lachrymæ*, inquit, *pœnitentiũ ſunt vinum ſanctorum, quia in illo fit odor vitæ, ſapor gratiæ, guſtus indulgentiæ, reconciliationis iucunditas, ſanitas redeuntis innocentiæ, ſuauitas conſcientiæ ſerenatæ.* Modica lachryma totũ ignem extinguit. Fœlices lachrymę quas benigne manus conditoris abſtergunt, & beati oculi, qui talibus liquefieri fletibus magis elegerint, quam in ſuperbiã eleuari. Luctus ſanctorũ non ſolum lugent p̃pria peccata, ſed ẽt aliena, ruinam ſcilicet mundi detrimentum fidei, cõtemptum iuſtitiæ, abundantiam iniquitatis, dilationem regni. O lachryma, quã potens es, quam efficax ad ſanãdum. Deum ad miſericordiã prouocas, miſeris ſolatium es, & orphanis refugiũ, ſanctorum tabernacula tu noſti, è cœlo euocas quos volueris ad ſuccurrendum. Quid plura? Vincis inuincibilẽ, ligas omnipotentem. Hinc. n. Chryſoſt. ait. *Nemo ad Deum aliquando acceſſit flens qui non q̃ poſtulauit accepit. Nullus ab eo beneficium ão lenter optauit, qui non impetrauit. Ipſe enim eſt qui conſolatur flentes, dolentes curat, pœnitentes informat.* Ait enim. *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Luctus. n. peccatorũ eſt lauacrum, quoniã ſicut canit Eccleſia, *culpa fleta ſoluitur.* Doloris enim menſura potius quam tempus ſatisfactionis conſiderandũ eſt, *de pœnitent. 3. diſt. In actione.* Hinc Bernard. ait. *O Petre felices tuæ lachrymæ, quæ peccata abluunt, debita dimittunt, gradum reſtituunt, ampliora cõmittunt. Reſpexit Dei pietas, & receſſit Petri iniquitas & acceſſit priſtina familiaritas.* Et Ambroſius. *Lachrymas*, inquit, *Petri lego, ſatisfactionem non lego.* Quis ergo dubitet pro ſatisfactione Deum amaras pœnitentium ſuſcipere lachrymas? Cor etenim contritum & humiliatum Deus non deſpicit. Dicit namque Chryſoſtomus. *Sicut poſt vehementes imbres mundus aër ac purus efficitur, ita etiam poſt lachrymarũ pluuias ſerenitas mentis ſequitur.* Hinc ẽt Rabanus archiepiſcop⁹ dicit,

Auguſt.

Bernard. ſerm. 30. in Cant.

Chryſo. in homil. de pœnit. tom 5.

Matt. 5.

Bern.

Ambroſ. lib 10. in Luc. c. 96.

Pſal. 50.

Chryſoſt. hom. 6. in Matth.

Lachrymæ commendantur.

Hierony.

Lachrymæ natura humidæ sunt, vt sordes abluant, & baptismum perditum restaurent, salsæ & amaræ, vt fluxum corporis restringant: Calidæ, vt frigus infelicitatis repellant: puræ & mundæ vt eos ad claritatem perducant patriæ.

Basil. Vnde Basilius virtutem commendans lachrymarum ait. *Vbi fuerint lachrymæ, ibi spiritualis ignis accenditur qui secreta cordis illuminat.* Et Cassiodorus in Psalmos. *Fletus cibus est animarum, corroboratio sensuum, absolutio peccatorum, refectio mentium, lauacrum cuparum.* His ergo monachus sanctorum Patrum auctoritatibus de efficacia lachrymarum instructus, studeat in seipso experiri, quæ legit in codice, quanta sit dulcedo mentis, pias lachrymas fundere ante conspectum diuinæ maiestatis. Vnde dicit Isidorus. *Quo mens iusti hominis ex vera compunctione capiatur & qualiter infirmata reuertatur degustata lucis magnitudine, illum nosse posse, qui iam aliquid inde gustauit non dubito.* Sicut ergo in aliis monui, teneat sibi monachus quotidie secretum capitulum flendo & lachrymando, seipsumque accusando, & de præteritis veniam, de futuris autem flagitando cautelam. Multum enim proficit ad profectum religionis, si monachus nullū diem flendo prætereat. Cum autem homo sic proficere incipit, poterit facere quod subiungitur.

Caßio. in Psal. 41.

Isidor. l. 2. de sum. b. c. 12.

36

Instr. 55. *Desideria carnis non perficere, Voluntatem propriam odire.*

QVIS est qui odit propriam voluntatem, nisi qui de præteritis peccatis cum lachrymis iugiter veram facit pœnitentiam? Duritia autem cordis nostri arguitur, dum veniam pollicenti auditus mentium denegatur. Induratum est cor Pharaonis nec vult dimittere populum Domini, nisi in manu valida. Pharao, nudans vel dissipans virum interpretatur, quia voluptas carnis tenet in seruitute filios Israel, sensus videlicet corporis, nec vult dimittere eos ad seruiendum & immolandum Domino ire nisi in manu valida, quia regnum cœlorum vim patitur, quia induratum est cor eius per malam consuetudinem Pharao iste virum denudat & dissipat, quia voluptas carnis animū virtutibus exspoliat. Quid ergo faciendum est, vt à seruitute tyranni huius liberari possimus durissima? Exeamus viam trium dierum in desertо, & immolemus Domino Deo nostro. Exeamus, inquam, viam trium dierum, viam videlicet compunctionis, confessionis, & pœnitentiæ. Per hanc viam itur ad Christum. Sed Pharao noster, carnis videlicet voluptas, non finit, quia mala consuetudo, aut mundi concupiscentia detinet nos, nec dimittet nos, nisi in manu valida. Quæ autem est manus valida, quæ exterret Pharaonem, & exercitum eius, nisi compunctio & lachryma? Sed quomodo poterimus peruenire ad illam, quia duritia cordis nostri lachrymas fundere nescit? Existimo, quoniam ab oratione incipiendum est, quia oratio compunctionem, compunctio autem lachrymas, lachrymæ vero confessionem, confessio denique pœnitentiam, & pœnitentia impetrat remissionem, & ex captiuitate libertatem. Cum autem libertas fuerit reddita sensibus, id est, cum spiritu reguntur & non carne; tunc poterit monachus propriam despicere voluntatem & odire, carnisque desideria non perficere. Si enim videro mulierem speciosam, iam sensus meus, visus videlicet, decipere me nititur: et si carne regitur nulla erit difficultas in peccando: Si autem spiritu regitur, iam liber est & suggestione facile non capitur. Monachus itaque, si desideria carnis superare vult, & non potest, studeat ab oratione frequenter incipere, vt possit demum ad compunctionis gratiam peruenire. *Voluntatem propriam odire*, est alterius iussioni hilariter atq; libenter propter Deum obtemperare. Voluntatem ergo propriam odit, qui Deum perfecte diligit. Valde enim magnum est; nec quidquam Deo offerre homo pretiosius potest, quā si propriam voluntatem ob eius amorem derelinquit. Vnde ipse in Euangelio ait. *Qui vult venire post me abneget semetipsum, &c.* Et iterum. *Qui non odit animam suam, non potest meus esse discipulus.* Quid hic per animam nisi propria voluntas vel carnalis vita designatur? Omnis ergo, qui peccare desinit, ob Dei amorem animam suam, id est, desideria carnis, odit. Sequitur.

Exo. 5. & seq.

Matt. 16.

Luc. 14.

Præ-

37

Instr. 60. *Præceptis Abbatis in omnibus obedire, etiam si ipse aliter (quod absit) agat, memores illius Dominici præcepti, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite.*

Matt. 23.

SVnt nonnulli spiritu superbiæ inflati & errore vel inuidia cæcati, qui dicũt, regulam nõ esse explanandam, siue glossandam, sed simpliciter secundum litteram intelligendam; velim autem scire, quid ad istum versum dicerent, quod in omnibus sit obediendum præceptis Abbatis, an etiam in malis & saluti contrariis. Certe oportet subintelligere, vt obediatur præceptis Abbatis in omnibus, quæ non sunt contra Deum vel animæ salutem; quia non sunt audiendi, qui cõtra Deum aliquid iubent. *11. q. 3. Iulianus imperator.* Bonum esset, si quis ad litteram regulam seruaret, sed oportet, quod etiam litteram intelligat. Nam ignorantia mater erroris interdum indiscretionem parere solet, sine qua nulla virtus subsistit. Debet ergo monachus præceptis Abbatis omnibus obedire, quæ non sunt cõtra Dei honorem vel animæ salutem, aut certe vltra regulam, quam professus est. De obedientia plenius differendum in suo loco, & capite præseruo, vt sermonem faciam abbreuiatum. Sed notandum est, quod dicit beatus Benedictus obediendum esse, Abbati in omnibus, *etiam si ipse aliter agat.* quia vita prælati subditorum non est, sed doctrina; Nam in malis obedire nemini debemus, in bonis autem & honestis etiam malis prælatis propter Deum obediendum est, quia obedientia quæ propter Deum exhibetur alicui, numquã merito caret si secundũ Deum fiat. Nõ debemus propter malam vitam prælatorum bonum negligere obedientiæ: quia tunc vere obedimus, si propter Deum non bonorum tantum sed etiam prauorum prælatorum mandata in Dei amore complemus. Et si ipsi aliter faciunt, quam docent, eorum est damnum; nos obediamus simpliciter propter Deum, memores illius præcepti dominici. *Quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, nolite facere.* Hinc Ioannes episcopus redarguens eos qui sacerdotibus obedire propter negligentias ipsorum contemnunt, dicit. *Vos qui sedetis in Ecclesia quasi iudices sacerdotum, & non auditores, aliena discutientes & propria non considerantes, iudicate de sacerdotibus. Sicut omnes auditis, & non omnes facitis quod auditis, sic sacerdotes omnes docent sed non omnes faciunt, quod docent. Si bene vixerint, eorum est lucrum, si bene docuerint vestrum. Accipite ergo quod vestrum est, & nolite discutere quod alienum est: propter bonos sacerdotes etiam malos honorate, ne propter malos etiam bonos & iustos contemnatis. Melius est enim malis iniusta præstare, quam bonis iusta subtrahere; frequenter enim & de homine malo bona doctrina procedit.* Sequitur.

Obediendum in iis quæ non sunt contra DEI præcepta.

Obediendum etiã Prælatis malis.

Matt. 23.

Chrysost. hom. 43. in Matt.

38

Non velle dici sanctum antequam sit, sed prius esse, quod verius dicatur. Instr. 61.

DEbemus omnes appetere perfectionem & sanctitatem consequi, sed sancti vocari vel dici ab hominibus prorsus non velle, nec apud nos tale aliquid de nobis præsumere. Sanctitas quippe elationem non sustinet, quia *Deus superbis resistit humilibus autem dat gratiam.* Hinc Gregorius in moralibus ait. *Sancti viri, quo altius apud DEVM virtutum dignitate proficiunt, eo subtilius indignos se deprehendunt.* Elationem itaque & vanam gloriam omnino monachus detestari debet, quia cito bonum amittitur, si de seipso vel sanctitate præsumitur. Nec poterit dici sanctus, qui de sanctitate gloriatur. Dicit namque Gregorius. *sub hoste, quem prosternit, moritur, qui de culpa quam superat eleuatur.* Cum bene viuitur, valde cauendum est ne mens despectis cæteris de gloria singularitatis eleuetur. Appetat monachus plus in secreto Deo placere, quam in publico hominibus. Omnis enim, quis hominibus placere desiderat, Deo placere non valet.

Iac. 4.

Greg. l. 35 mor. c. 8.

Greg.

39

Præcepta Dei factis quotidie adimplere. Instr. 62.

NOn enim auditores, sed factores legis iustificãtur. Nam veniente ad iudiciũ domino, omnes præsentabimur ei. Vbi non quęretur à nobis, quid legimus vel audiuimus, sed quid fecimus eorum, quæ Deus pręcepit. Certe multi sunt, qui mandata Dei legunt & audiunt, sed pauci audita atq; lecta cõuertũt in opera. Nihil eis proderit scientia, si iustitiæ nõ fecerint

Rom. 2.

cerint opera. Non est sapientia præcepta Dei scire, sed facere: studeat monachus quotidie mandata Dei tam veteris legis quam nouæ operibus adimplere. Deum, videlicet, super omnia diligere, deinde proximum sicut seipsum. Nemini malum facere, & cætera, quæ præcipit Deus.

Isidor. l. 1. c. 18. Dicit namque Isidorus primo sententiarum. *Via per quam itur ad Christum lex est, per quam vadunt ad Deum hi, quibus est vt intelligant eam.* Ait autem Dominus. *Ioan. 15.* *Vos amici mei estis si feceritis quæ præcipio vobis.* Fruſtra se iactat Dei amicum, qui eius facere contemnit mandatum. Si igitur volumus ipsius astringi amicitiis in cœlis, studeamus mandatis eius parere in terris: quia tanto ibi quisque apparebit glorioſior, quanto nunc hic in mandatorum DEI executione fuerit diligentior. Nec putemus fratres satis esse, si ea fecerimus, quæ Deus præcipit omnibus suis fidelibus, nisi etiam alia, quæ nobis, singulariter præcepta sunt opere implemus. Sunt enim quædam inter Domini dogmata secularibus consilia, quæ nobis omnino sunt præcepta. Dicit enim *Isidor. l. 3. c. 18.* Isidorus. *Alia sunt præcepta, quæ dantur fidelibus communem in sæculo vitam ducentibus, atque alia sæculo renunciantibus. Illis enim dicitur vt sua omnia bene gerant: istis vt sua omnia derelinquant. Illi præceptis generalibus astringuntur: isti præcepta generalia perfectius viuendo transcendunt.* Sequitur secundum membrum substantiale omnis religionis probatæ, quando dicitur.

Instr. 63.

Castitatem amare.

CAstitas est virtus sub iugo rationis impetum libidinis refrœnans. Et nota, quod hic dicitur, *castitatem amare*, & non dicitur, seruare: vt intelligas, quod multi cõtinentes sunt inuiti, quia si possent violare, sicut vellent, minime abstinerent à consortio illicito. Monachus autem debet castitatem seruare & amare: quia vnum non potest esse sine altero, vt quod seruat ex ordine, amplectatur etiam ex affectione. Notum est omnibus, quod omnes religioſi, qui sub regula militant approbata, se ad seruandam castitatem obligant; & ergo non tantum seruare, sed etiam amare castitatem debent. Est autem pulchra virtus castitas, animæ ornamentum, corporis decus, soror angelorum. Dicit namque Cyprianus. *Virginitas est soror Angelorum, victoria libidinum, regina virtutum, possessio omnium bonorum.* *Cyprian.* Sed dicet forsitan aliquis. Et quid de his, qui post corruptionem intrant religionem fiet? Habebunt etiam meritum virginitatis? Respondendum est, quod merito non carebunt castitatis qui post corruptionẽ propter Deum caste vixerint. Dicit enim Augustinus. *Longa castitas post peccatum soror est virginitatis.* *August.* Veruntamen virginitatem semel amissam nemo recuperare potest. Ait enim beatus Hieronymus. *Audenter loquor, cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam.* *Virginitas amissa restitui nequit.* Vult quidem liberare de pœna sed non vult coronare corruptam. Ex his patet, quod virginitas singulare meretur pulchritudinis sertũ, quod nullus post lapsum castitatis habere potest. *Hierony. ep. 22. ad Eustochi.* Quod autem ad castitatem obligentur religioſi, omnibus liquet, cum etiam ob custodiam continentiæ eis ad fœminas non liceat accedere. *18. q. 2. Peruenit ad nos.* & ibi multum de hoc. Etsi clerici seculares ad castitatem obligantur propter ordinem sacrum, multo fortius religioſi; siue clerici sint, siue non. Si laicus secularis fornicatur, grauiter peccat: si clericus grauius: et si monachus in hoc ordine grauissime delinquit. Castum ergo monachum esse oportet, non solum corpore, sed etiam mente: quia, sicut dicit Isidorus, *Virgo carne non mente nullum præmium habet in repromissione.* *Isidor. l. 2. de sum. b. c. 40.* Hinc etiam Gregorius ait. *Nulla est castitas carnis, quam non commendat humilitas mentis.* *Greg. l. 8. mor. c. 23.* Et Augustinus de vita clericorum. *Non dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos. quia impudicus oculus impudici cordis est nuncius.* *Aug. c. 21. regulæ.* Habeat ergo monachus castos oculos, manus; & aures & omnia corporis membra, quia si in vno immundus est, in cæteris purus esse non poterit. Et vt eo facilius castitatem conseruet, cordis custodiam in omnibus exhibeat sensibus carnis. Deum iugiter orationibus pulset, quatenus contra tela inimici ignea clypeum mereatur accipere fortitudinis. Sequitur.

Nullum odire, zelum & inuidiam non habere, contentionem non amare.

Instr. 64. 65. 66.

ODium est vetus ira expluribus causis collecta, diuturno tempore perseue-

seuerans. Ira fratris, si fuerit inueterata, iam odium est. Monachus autem omnes homines propter Deum diligere debet, neminem odire, iniuriam cito dimittere, iram per noctem non reseruare. Hoc fit autē odium suum, vt homines diligat, & vitia semp detestetur. Dicit. n. Cassiod. *Perfectum odium est homines diligere, & vitia eorū semper horrere.* Hinc etenim Psal. ait. *Nonne, qui oderunt te domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam. Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi.* Vnde dicit Aug. *Hoc est perfecto odio odisse, vt vitia non homines oderis, nec vitia propter homines diligas.* Odiū est rancor animi inueteratus, quia dū ira reseruatur, odium ex ea generatur. Zelū malū, qui separat à Deo monachus habere nō debet sed potius eū, qui Deo coniungit. Zelus & contentio, si in monasterio habeatur, omnē disciplinā annihilant. Deus pacis & dilectionis zelū & cōtentionē non amat, quia ipse dicit. *Super quem requiescet spiritus meus nisi super humilem & quietum ac trementē sermones meos?* Caueamus ergo fratres mei, ab omni cōtentione, & zelo malo, quia nihil adeo turpe est in religione, sicut zelus & contentio in congregatione. Ait enim Dominus. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabūtur.* Si pacifici sunt filii Dei, proculdubio contentiosi, non aliud, nisi filij sunt Diaboli. Hinc beatus Hieronymus ait. *Quisquis corpus affligit & cōcordiam deserit, Deum quidem laudat in tympano, sed non laudat in choro, quia ibi dissensio est, vbi inuidia est; vbi concordia non est, ibi chorus non est.* Inuidia est filia superbiæ, sed ista mater superbia nescit esse sterilis, quia vbi fuerit continuo parit, suffoca matrem, & non erit filia. Monachus, qui in humilitate fundatur, inuidiam non debet exercere, sed omnibus hominib. de bono profectu congaudere, & damnum alterius putare suū; nam sic confirmatur caritas. Si autem aduersus se aliorum senserit inuidiā, non curet; quia virum fortem excitat ad virtutis exercitium alieni liuoris aculeus, nec mentis oculos torpere permittit inuidia detractorum. Dicit Chrysostomus super Matthæum. *O inuidia quæ sibi semper est inimica; nam qui inuidet sibi quidem ignominiam facit; illi autem cui inuidet, gloriam parat.* Iacob qui in baculo suo Iordanem transierat, non rediisset cum duabus turmis, nisi eum inuidia Esau agitasset. Ioseph non imperasset Ægypto, nisi ipsum fratrum inuidia vendidisset. Monachus nō multum si aliorum inuidia persequatur aduertat, absq; tamē peccato, quia ēt malis displicere laudabile est. Ipse autem inuidus non sit, quia scriptum est Ecclesiastici 14. *Nequā est oculus liuidi: & auertens faciem suam & despiciens animam suam.* Hinc Augustinus ait. *Inuidus dicitur, qui fælicitate aliena torquetur,* & sic inducitur in duplicē passionem, cū aut quod ipse est, alium esse non vult, aut alium videns esse meliorem, dolet se non esse æqualem. Dicit ēt Hugo de sancto Victore. *Superbia aufert mihi Deum, inuidia proximum, ipsa ira subripit mihi omne bonum.* Inuidus nemini placet, sibi ipsi nocet, dum de bono aliorum solus dolet. Quod monstruosius monstrum inuidia? quod damnosius damnū, quę culpabilior culpa, quę pœnalior pœna? Hæc est erroneæ cœcitatis abyssus humanæ mentis infernus, contentionis stimulus, viui hominis mors. Inuidus nūquam quiescit, numquā gaudet, semper stimulo malo agitatur, semper dolet, fructum bonum nō facit, proprio dolo consumitur. Vnde dicit Augustinus. *Inuidia animæ tinea, sensum comedit, pectus vrit, mentem afficit, cor hominis quasi quædam pestis depascit.* Per inuidiam. n. crucifixus est Christus: ideo is, qui inuidet fratri suo, crucifigit Christum. Hinc Isid. ait. *Inuidus membrum est diaboli,* ob cuius inuidiā mors intrauit in orbem terrarum; sicut & superbus membrū est diaboli, sicut scriptū est. *Omne sublime videt, & ipse est rex super omnes filios superbiæ.* Nulla est virtus, quę non habeat contrariū inuidiæ malum. Sola miseria inuidia caret. Nam qui illustriorib. claresc unt meritis, sapientia, diuitiis, siue honore, acrius inuidiæ toxicato dente roduntur vbiq;. Sed fœlix, quē mundus odit, cui inuidet malus, quoniam *qui amicus voluerit esse huius mundi, inimicus Dei constituetur.* Si nō inuideris, maior eris. Nā q inuidet, paruꝰ est. Hinc Iob. 5. scriptū est. *virū stultū interficit iracundia & paruulū occidit inuidia.* Super quo Grego. *Paruulus,* inquit, *est, quem occidit inuidia, quia nisi ipse inferior existeret, de bono alterius nō doleret.* Inferior non nisi superiori inuidet, & non solum animi, sed & corporis sensus inuidia occupat. Vnde dicit idem Gregor. in homilia. *Inuidi color pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, membra frigescunt,*

Cass. in ps. 118. Psal. 138. Augustin. in psa. 118. Contentio vitanda. Isa. 66. Matt. 5. Hieron. in psal. 149. Chrysost. hom. 32. & 63. Augustin. in Psal. 104. Hugo. Augustin. Serm. 84. de temp. Hugo lib. 3. de anima c. 25. Isid. lib. 3. cap. 25. Iob. 41. Iac. 4. Gregor. lib. 5. mor. cap. 34. Gregor. 5. mor. c. 34.

gescunt, fit in cogitationibus rabies, in dentibus stridor. Inuido enim vultus minax, torvus aspectus, pallor in facie, in labiis tremor, in dentibus stridor, verba rabida & effrænata cõuitia & manus ad violẽtiã prompta. *Pallor in ore, sed & macies in corpore toto.* Inuidia habet torvum semper respectum, amarum responsum, iracundum vultum. Sequitur autem.

Instr. 67.

Elationem vel iactantiam fugere.

IActantia superbiæ filia est, & soror elationis. Caveat autem monachus vtrãque: nam superbus monachus diabolo similis est, qui elatus cecidit, quia se, quod non erat, esse putavit. Elationem caveat non tantum verbis, sed etiam intuitu mentis. Quidquid boni fecerit, gloriam ab hominibus non appetat: quia dum laus de bono opere quæritur, virtus in manus inimici traditur. Dicit enim Gregorius. *Perit omne quod agitur, si non humilitate custoditur.* Tanto fit quisque vilior Deo, quanto pretiosior sibi: tanto pretiosior Deo, quanto propter Deum vilior sibi. Dicit etiam Chrysostomus. *Noli te quidquam putare fecisse cum feceris, & plenissime cuncta fecisti.* Nihil est quod magis diminuat laudis preconium, quam suos quotidie iactitare successus, & singulis diebus anni vendere diem vnum. Huiusmodi sunt, qui os suum ponunt in cœlum, & tamen lingua transit in terris: quoniam de magnis loquuntur, quatenus magni videantur: sed quia parua faciunt minimi inueniuntur. Iactantia vanam gloriam redolet, & per consequens stultitiam designat. Ait autem Isidorus. *Tam in verbis, quam in factis cauenda est iactantia.* caveat ergo monachus in omnibus iactantiam, quantumcumque potest: nam valde vituperabile est, vt os, quod diuinis laudibus manciparum est, propriis inseruiat. Contemptibilem facit iactantia, taciturnitas autem acquirit amicos, maxime, si humilis sit. Si quid nosti, si quid fecisti noli te iactare verbis, si non vis amittere monachatum. Dic semper cum propheta Isaia. *Secretum meum mihi: secretum meum mihi.*

Gregor. hom. 7. in Euang. & 18. mor. Chrys.

Isidor. l. 3. c. 23.

Isa. 24.

Instr. 68. & 69.

Seniores venerari, iuniores diligere.

SEniores venerari debemus sicut scriptum est Leuit. 19. *Coram cano capite consurge, & honora personam senis.* Senectus etenim virum virtuosum commendat, quia in senibus experientia est. Nec tantum putemus senes venerandos ætate, sed etiam ordine, dignitate, merito, & sanctitate. Vnde sapientiæ 4. legitur. *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata.* Et vt ostenderet, non tantum annis, sed & meritis esse senes, subiunxit. *Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Dicit autem Cyprianus. *Plus omnibus religioni operam dare senibus conuenit: quos præsentis seculi florida ætas transacta deserit.* Canicies autem tunc est venerabilis, quando ea gerit, quæ caniciem decent: cum vero iuueniliter conuersatur, plus iuuenibus ridiculosus erit. Hinc Augustinus ait. *Sit senectus nostra puerilis, & pueritia senilis, id est, vt nec sapientia nostra sit cum superbia, nec humilitas sine sapientia.* Idem in sermone. *Infantia,* inquit, *vestra innocentia sit, pueritia reuerentia, adolescentia patientia, iuuentus virtus, senium meritum; senectus nihil aliud, quam canus sapiensque intellectus.* Congreget vnusquisque, quod senex vult possidere, in iuuẽtute: quia in senibus deficit virtus, & requiritur victoria. Hinc beatus Hieronymus ait. *Omnes pene virtutes mutantur in senibus, & crescente sola sapientia decrescunt cæteræ virtutes.* Senex facile prouocatur, cito credit, & tarde discredit, tenax & cupidus, tristis & querulus, velox ad loquendum & tardus ad audiendum: laudat antiquos, & spernit modernos, vituperat præsentia, & commendat præterita, suspirat & anxiatur, torpet & infirmatur. Sunt autem honorandi venerabiles senes, quos & vitæ meritum commendat, & annorum numerus decorat. Senio etenim reverentia debetur, adolescentiæ disciplina. Monachus tamen seniores suos venerari debet, quia se priores in ordine laborarunt. Turpe est enim iuuenem inexpertũ senibus se præferre, in quibus macula non est. Senem loqui decet, iuuenem auscultare loquentem. Hinc sapiens admonet Ecclesiastici 32. dicens. *Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia. Adolescens loquere in tua causa vix. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum.*

Cyprian. lib. de singul. cleri.

Augu. in Psal. 112.

Hiero. ep. 2. ad Nepot.

tuum. In multis esto quasi inscius & audi tacens simul & quærens. In medio magnatorum loqui non præsumas, & vbi sunt senes non multum loquaris. Multiloquiũ iuuenem contemptibilem facit simulq; præsumptuosum ostendit. Si ergo vis honorari, da senibus reuerentiam, & hoc exspectato senex, quod iuuenis senibus præbuisti.

Et desine velle senex, quæ noluisti puer. Seniores itaque omni reuerentia iudica dignos, quoniã & tu senium optas: & iuniores dilige, quia tu iuuenis fuisti. Hæc enim vera est fraternitas, vt maiot honore, & inferior habeatur syncera dilectione. Sequitur.

Instru. 70. In Christi amore pro inimicis orare.

ILlam enim Deus orationem misericorditer accipit, quam ipsa misericordia pro inimicis fundit. Tanto namque Christum feruentius diligere quisque probatur: quanto pro aduersariis deuotius orat. Cum enim pro inimicis nostris fundimus preces nostras Domino reddimus acceptas orationes. & quanto plus interceſſerimus pro ipsis, tanto gratiosius Sancti Dei intercedent pro nobis: Si pro amicis oramus, quid ad charitatem? vt enim pro se quisque oret, necessitatis est, pro amico debiti, pro inimico autem solius dilectionis, & charitatis Dei. Iubemur orare pro persequentibus, & calumniantibus nos, vt perfecti simus, sicut pater noster cœlestis perfectus, & bonus est, permittens solem suum oriri super bonos & malos. quia adhuc infirmus est, qui pro inimicis intercedere non nouit: Debemus ergo nobis iniuriam facientibus etiam non rogati indulgere: & pro culpa eorum intercedere, gratiamque emendationis impetrare. quia nulla eleemosyna maior, quam si ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccauit: Qui vero dimittit inimico, & orat pro eo, sua omnia & seipsum propter dilectionem proximi, & salutem in Deo dimittit: Sequitur.

Instru. 71. Cum discordantibus ante solis occasum in pacem redire.

HInc Paulus ad Eph. 4. admonet dicens. *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Si Christianus quilibet secularis discordiam vel zelum inuidiæ cum proximo habere non debet: quanto minus monachus, qui cæteris in exemplum positus est, discordiam debet tenere? Grauis namq; est culpa discordiæ, quæ nec passione pro nomine Christi purgatur. *91. d. vegẽ.* quia Deum non poterit habere pacatum, qui cum fratre non pacem, sed zeli discordiam habuerit: Si autem pro quacunq; re, vel causa discordia oriatur ante solis occasum, ad concordiam redeundum est: periculosum enim est se in eo statu reponere ad lectum, in quo quis mori non vellet: Si quis autem ad concordiam redire contempserit à cetu fidelium se nouerit alienum: *90. dist. placuit. Et ibidem:* Si quis cõtristatus noluerit recõciliari fratri suo satis faciente eo, qui cõtristauit, acerrimis maceretur inediis, vsque dum grato animo satisfactionem recipiat. Item: si quis monachus contentiones, & rixas amauerit, vel manifestum conuitium fratri intulerit iuxta arbitrium rectoris, modumque peccati diuturna accipietur pœnitentia: Redeat ergo cum discordantibus monachus ad pacem, vt si quempiam offendit, petat veniam, & si ab aliquo læsus est, dimittat offensam, vt semper pacem habeat cum proximis, bellum autem cum vitiis: Sequitur.

Et de Dei misericordia nunquam desperare.

PRima via salutis est declinare culpã: secunda, non desperare veniam: Scelerator omnibus Iudas factus est, quem non pœnitentia duxit ad Dominum, sed desperatio traxit ad laqueum: dicit Ambrosius: *Nullus desperare debet veniam, etiamsi circa vitæ finem ad pœnitentiam conuertatur: vnumquemque enim Deus de suo fine, non de sua vita præterita iudicat.* In vita hominis finis quærendus est, quoniam Deus non respicit, quales ante viximus: sed quales circa vitæ finem erimus. Si enim finis bonus est, totum bonum erit: Latro in cruce consequutus est veniam, & monachus in clausto desperaret? absit hoc procul à monacho. Dicit enim Augustinus. *ne desperando augeamus peccata, propositus est pœnitentiæ portus: rursus, ne sperando augeamus, datus est dies mortis incertus:* Et Ambrosius super Lucam. *Nemo*, inquit, *diffidat, nemo veterum conscius peccatorum præmia diuina desperet. Nouit Dominus mutare sententiam, si noueris emendare delictum.*

Isid. l. 2. de sum. b. c. 14.

Augustin. de vtilit. pœnit. c. vlt.

Ambros. in cap. 1.

Ait namq; Isidorus de summo bono: *perpetrare flagitium aliquod mors animæ est. contemnere pœnitentiã, & permanere in culpa descendere in infernum post mortem est*: ergo peccare ad mortem pertinet, desperare vero, in infernum descendere est: Vnde *Prou. 18.* scriptura ait. *Impius dum in profundum malorum venerit.* pœnitentiam *contemnit*: desperare enim in Spiritum sanctum peccare est: Vnde Hieremiæ 18. legitur *desperauimus post cogitationes nostras*, ibimus quisque post prauitatem cordis sui mali faciemus. Grauius est, de Dei misericordia desperare, quam quolibetcunq; peccato Deum offendere. Ait enim Leo *Leo ser. 3. de pass. Dom.* papa. *sceleratior omnibus O Iuda, & infelicior extitisti, quem non pœnitentia duxit ad Dominum sed desperatio traxit ad laqueum.* Quantumcunque magnus peccator fueris, tamen de misericordia Dei ne desperes: quoniam grauius peccauit Iudas desperando, quam Christum tradendo: Vnde *Isidor. libro 1.* dicit Isidor. libr. soliloquiorũ: *qui veniam de peccato desperat, plus se de desperatione, quam de commisso peccato damnat. desperatio auget peccatum. desperatio maior est omni peccato.* hęc ille. De Iudæ peccato etiã ita loquitur Beatus Hieronymus super psalmum 108. dicens? *magis offendit Iudas Deum in hoc quod desperando seipsum suspendit, quam in hoc quod eum tradidit, desperatio enim reddit hominem maledictum, & Dei protectione indignum*: Eccles. 2. scriptum est. *Væ dissolutis corde, quoniam non credunt Deo, & ideo non protegentur ab eo.* non potest recipere remissionem homo peccatorum, neque in præsenti seculo, neq; in futuro. Vnde Dominus Lucæ 12. dicit, *ei autem qui in spiritum sanctum blasphemauerit non remittetur*, &c. Spiritus enim sanctus dator est indulgentiæ, quo expulso impossibile est remitti peccata. Nemo enim potest dolere de peccatis commissis, nisi gratia spiritus sancti præuentus: si ergo Christum auctorem remissionis expellit, quis eum pręueniet gratia? Sed quid de eo, qui post desperationem ad spem rediit salutis? Nunquid remittetur ei, cum tamen Dominus dicat. *nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat?* In quacunque hora peccator ingemuerit, omnium inquitatum suarum non recordabor amplius: quid ergo dicemus ad hoc? si desperatio non remittitur, neq; in futuro: quomodo verũ est, quod dicitur. *quacunq; hora ingemuerit peccator.* &c. Sed primo notandum est, quod tripliciter desperatio contingere solet, primo, quando aliquis ex infirmitate vel grauitate cõplexionis, in desperationẽ labitur, & de hoc dolet & renititur, quantum potest, sic æstimo desperationẽ peccatum mortale, aut in spiritum sanctum. quod non dimittitur in hoc mundo, non esse: Secundo, quando cõtingit desperatio ex errore, vel deceptione, puta si æstimat se obsequiũ præstare Deo, si seipsũ occidat, & sic est peccatũ mortale: Tertio, si quis desperat ex certa malitia: vt definitiue dicat cũ Cain in illud Genes. 4. *maior est iniquitas mea quam vt veniam merear.* tunc est peccatum in spiritum sanctum, credens magnitudinẽ delictorũ suorũ iam Dei misericordiam excessisse, & ob hoc ascãdit de vitio ad vitia, non remittetur ei, neq; in hoc seculo, neq; in futuro. Respondeo itaq; ad quæstionẽ formaliter. quod nullũ peccatum adeo est graue, quod contritione, & satisfactione non mereatur veniam. & ergo desperatus si dum adhuc est in carne ad pœnitentiam recurrat, veniam & misericordiam omnino recipiet: Vnde 2. *Sent. dist.* 43. dicitur. Illud Ioannis, *non pro eo dico, vt qs oret*, sic accipiẽdum videtur, vt pro aliquo peccante ad mortem, vel in spiritum sanctum, postquam finiuerit hanc vitam, non oremus: dum autem in hac vita est, nec peccatum illius iudicare nec de illo desperare, sed pro eo orare debemus: Vnde Augustinus de verbis Domini. De impœnitentia, q̃ est blasphemia in spiritũ sanctum sic ait: *ista impœnitentia vel cor impœnitens, quam diu quisq; in hac carne viuit, non potest iudicare de nullo enim desperandum est, quandiu ad pœnitentiã sapientia Dei adducit. Paganus est hodie, Iudeus infidelis est hodie: hæreticus est hodie, schismaticus est hodie, qd si cras amplectatur Catholicã pacẽ, & sequatur Catholicã veritatem? Quid si isti quos in quocunq; genere erroris notas, & tanquã desperatissimos damnas, antequam finiant istam vitam, agant pœnitentiam; & inueniant veram requiẽ, & vitã in futuro? Nolite ergo ante tempus quidq̃ iudicare.* hæc ibi. Vnde etiam Dominus per Prophetã Ezechielẽ dicit *In quacunq; die conuersus fuerit homo à via sua pessima, omnes iniquitates eius obliuiscar:* Nũquã ergo desperandũ est, quamdiu homo in carne viuit, quia nonnunquã quod diffidentia ætatis differtur, consilio maturiori perfi-

Desperatio, quæ sit irremissib.

1. Ioan. 5.

Aug. in Matt. serm. 11.

Ezech. 33.

perficitur: *de p. dis. 7. nemo.* Hinc etiam
Isid.lib.2. c.14. Isidorus lib. de summo bono ait. *Amplius lætatur de anima desperata Deus, & aliquando eius uersa, quam de ea, quæ nunquam extitit perdita.* Sicut de prodigo filio, qui mortuus fuerat, perierat & inuentus est, de cuius regressu magnum fit gaudium patris, non minus coram Angelis Dei copiosius erit gaudium de eo, qui à periculo liberatur, quam de eo, qui nunquam nouit peccati periculum: Quanto enim contristat res perdita, tanto magis lætificat, si fuerit inuenta, sicut in Euangelio ille pastor exultat, qui perditā ouem inuentam humeris suis gaudens reportat. Nullus ergo desperet, quia quousq; vita venit ad mortem, sua spe nemo frustratur. Si vnus homo omniū hominū peccata perpetrasset, nunquā esset desperandū quia misericordia Dei est infinita, sicut
Psal. 88. Propheta psallit dicens, *misericordias Domini in æternū cantabo*: maior enim est Dei misericordia, quā totius mundi delicta, quia finiti ad infinitum nulla est cōparatio. Declinemus ergo culpam: nō desperemus veniam. & impossibile erit nos perire; quoniam Deus noster multus est
Textvs. ad ignoscendum. *Ecce hæc sunt instrumenta artis diuinæ, vel spiritualis.* Ideo spiritualis artis instrumenta dicuntur, quia sicut artifex quilibet ad suam artem bene exercendam apta habet instrumenta, vt sine offensione opus, quod intendit, perficiat: sic monachus Deo suam animam placitam reddere volens iis Exercitiis, & instrumentis eam adornat, ne aliquid in se inueniatur, quod oculos summi artificis Dei offendat. hæc sunt instrumenta artis spiritualis, quibus anima à vitiis mundatur, & virtutum indumentis adornatur.

Quæ cum fuerint à nobis die, nocteq; incessabiliter adimpleta & in die iudicii reo cōsignata, illa nobis à domino merces re-
Isa. 43. *cōpensabitur, quā ipse promisit, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt eum.*

PEr diem prospera: per mortem intelliguntur aduersa: hæc ergo opera artis diuinæ, vel spiritualis prædicta à nobis adimpleri oportet, non solum in die prosperitatis: sed etiā in nocte aduersitatis: Charitas enim ficta dignoscitur, quæ tēpore aduersitatis deseritur; hinc psalmista ait. *confidebitur tibi, cū bene feceris ei:* prospera autem huius mundi, asperitatē habent verā, iucunditatem falsam, certum dolorem, in certam voluptatē; durum laborē; timidam quietem; tē plenam miseria, spē beatitudinis inanem. Sæpe enim per huius mundi prospera mēs à bene cepto itinere regreditur: & ad ima peccatorum vsq; delabitur: Nōnunquam enim in alto quis tollitur, vt ruens fortius cōquassetur, quā sæpe fortuna videtur in principio prospera nunciare: sed medium, & finem multis replet aduersitatibus, & concludit. Christi aurē seruus plus prospera formidet, quam aduersa, quia prosperitate mēs sæpe deiicitur, & seducitur; aduersis autē probatur & purgatur, dicit enim
Psal. 42. *Chrys.* Chrysostomus: *Nouerca virtutum fœlicitas; vel prosperitas beatulis suis sic applaudit, vt noceat: sic in via fortunatis obsequitur, vt in fine periurium operetur?* vnde etiam Augustinus de verbis Domini. *Nemo frangitur aduersariorum molestia, qui in prosperorum delectatione non capitur: Semper humanæ lætitiæ tristitia repentina succedit: & quod incipit à gaudio; desinit in mœrorem.* Subito, cum non putatur infortunium accidit, calamitas irruit, morbus inuadit, mors intercipit, quam nullus euadit: hinc Seneca ait: *Ludit de suis fortuna muneribus, & quæ dedit, aufert, quæ abstulit, reddit.* O quam multis amaritudinibus humanæ fœlicitatis dulcedo respersa est, in melle propinat venenum; multa promittens, semper mentitur. hinc Bernardus sic ait: *quid profuit illis superbia? quid diuitiarum iactantia: breuis lætitia: mundi pompa: vana voluptas: mala familia: mala concupiscentia, vbi iocus, vbi risus; vbi iactantia; vbi arrogantia? heu de tanta lætitia, quanta tristitia?* prospera mundi non diligat monachus, nec aduersa timeat. potens enim Dominus suus est, cui famulatur, ab omni eum angustia seruare illæsum. Præscriptam formulam viuendi à sancto Benedicto traditam omni tempore obseruet; siue in prosperis; siue in aduersis, non declinet ad dextram: neq; ad sinistram: sed regia gradiatur via: vt assequi mereatur, quod sperat. Si enim hæc à nobis inceſſabiliter, & perseueranter fuerint adimpleta, & in die iudicii reconsignata, & reseruata ad nostram mercedem: quia omnia, quæ facimus in diem iudicii reseruantur, vel reconsignantur omnibus

manifestanda, præmium recipiemus, quod nec oculus vidit præ claritate; nec auris audiuit præ iucunditate; nec in cor hominis ascendit præ suauitate; quæ præparauit Deus iis, qui diligunt eum: Hic est fructus operum nostrorũ in hoc capitulo contentorum: si ea fideliter, & perseuerãter impleuerimus: quia nullum bonum remunerabitur, quod infideliter, & sine perseuerantia perficitur, quo ad illam mansionem ciuium sanctorum.

Officina vero vbi hæc omnia diligenter operemur, claustra sunt monasterii: & stabilitas in congregatione.

RECte claustrum officina dicitur: quia in eo Marthæ & Mariæ officium exercetur, & expletur: nam hospites refocillantur officio Marthæ, sublimia diuinæ contemplationis in affectu mentis concipiuntur cum Marię contemplatione. Instrumenta operum bonorum prædicta nunquam melius, quam in claustro poterũt exerceri, quia ibi pax est & concordia, amorque proximorum. Et, vt scias, quia non sufficit in claustro monasterii conuersationis initium, adiunxit; *stabilitas in congregatione*: quia sicut lapis per multa loca volutus raro hirsutus efficitur: sic monachus vagus de vno monasterio ad aliud raro vel nunquam virtutibus ditatur. Et sicut arbor, quæ sæpius transplantata fuerit, nunquam efficitur bene radicata: sic monachus instabilis nunquam ad culmen poterit venire virtutum: Ecce iam bonorum instrumenta audiuimus operum: apponamus manum ad aratrum, vt laboremus, quæ audiuimus, quia nihil proficit auditus, vbi iuxta possibilitatẽ ad opus nõ inclinat affectus.

DE OBEDIENTIA.

CAPVT V.

Primus humilitatis gradus est obedientia sine mora.

MIrum videtur, quod S. Benedictus hic primum humilitatis gradũ dicat, obedientiã, cum alibi eum affirmet Domini timorem, nisi forte vera obedientia ex timore Domini filiali dicatur procedere, vt sicut filius timens patrem: & diligens, ipsius implet mandata, ita & monachus timore pariter & amore superiori obediat imperanti: vera nãq; obedientia & humilitas est, & timor Domini: obedientia ergo singulas habet in se virtutes, vt vna alteri annectatur, & vbi vna deest, cæteræ omnes desint. Vnde dicit B. Hieronym. *Omnes virtutes sibi hærent vt qui vna caruerit, omnibus careat.* qui ergo habet vnã, omnes habet. Bene ergo obedientia primus humilitatis gradus dicitur, bene & timor Domini. Ait namq; Gregorius in moralib. *Obedentia sola virtus est, quæ menti cæteras virtutes inserit, insertasque custodit.* Et B. Augustinus. *Obedientia est origo omnis iustitiæ, & perfectionis:* & B. Hieronymus. *Obedientia*, inquit, *est salus omnium fidelium, genitrix omnium virtutum, cibus omnium Sanctorum, per quam martyres ad palmam meriti peruenerunt:* hinc etiam Bernardus dicit; *nihil ita fragrat Domino in odorem suauitatis*, quam si mactetur vitulus propriæ voluntatis. hinc 1. Reg. 15. scriptum est. *Melior est obedientia quam victimæ, & auscultare magis, quam offerre adipem arietum.* Super quod dicit Gregorius. *Obedientia iure præponitur victimis, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur.* Vnde etiam dicit Bernardus. *Non credas Deo aliquid plus quam obedientiam placere, qui maluit mori, quam non obedire.* Hinc Gregorius ait. *Qui obedientiam spernit, Deum negat, quem obedientia crucifixit.* Obedientia autem *sine mora* implenda est, quia vera non dicitur, quæ non ab instãti perficitur. Vnde dicit Bernardus. *Verus obediens mandatum non procrastinat, sed statim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, & se totum intus colligit, vt mandatum peragat imperantis.* Per inobedientiam mors intrauit in orbem terrarum, & per obedientiam vita subintrauit. Eligamus ergo, quod placet. si inobediẽtes fuerimus moriemur in anima: si autem obediẽtes, viuemus in Domino semper, quia mors mortis obedientia est,

Hieron. l. 1. contra Pelag.
Gregor. l. 1. c. 22.
August. Hieron.
Bern.
Greg. ib.
Bern.
Gregor.
Bern. de præcep. & dispẽs.

est, mors vitæ inobedientia. Vnde iterum Bernardus ait. *Magnum inobedientiæ vitium est, per quod angelus cœlum, Adam paradisum, Saul regnum, Salomon perdidit diuinum auxilium.* Si istis omnibus Deus non pepercit in locis sublimioribus, quanto minus nobis inobedientibus parcet in locis humilioribus? non ergo recusemus obedientiam, quoniam ipsa est, quæ cœlos aperit, & hominem à terra eleuat, Angelorumque choro associat: hinc enim Gregorius dicit. *O homo, si Christi considerares obedientiam, tuam deponeres contumaciam, duritia nostra in omnibus arguitur, cum cuncta Deo obediant, & solus homo Dei recalcitret mandatis.* Ecce sol à semita sua non deuiat: Luna à suo tramite non aberrat, stellæ ad Dei nutum suis indulgent officiis, campus floribus amænatur, imbribus irrigatur, frondibus crispatur sylua, in nemore cytharisat auicula, & Deo obediunt cuncta, & tu solus homo Dei impugnes præcepta. Hinc Ambrosius in Exam. ait. Non mediocriter pudor est imperio Dei insensibilia elementa parere, & homines non obedire, quibus sensus tribuitur ab ipso auctore. Vnde Baruch 4. *Stellæ vocatæ sunt, & dixerunt, ecce assumus.* Reuocemus ad memoriam, quando sancti Patres Deo obedientes meruerunt hereditatem Sanctorũ, quam nullus sine dubio nisi obediens, possidere permittitur: Consideremus perfectam obedientiam sancti Patriarchæ Abrahæ, quando Dominus dixit ad eum Genes. 12. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrauero tibi.* Egressus est itaque Abraham, sicut præceperat ei Dominus. magna enim erat obedienria Abrahæ, qui ad præceptum Dei reliquit domum patris sui, terram suæ natiuitatis, amicos notos, & cognatos, & iuit ad alienigenas, vt habitaret inter sibi incognitos: Nec tamen in isto, sed in omnibus, quæ præceperat ei Dominus, semper extitit obediens, & paratus, sicut patet Genes. 27. quando ad Dei præceptum circumcidit carnem præpucii sui: sed nec isto fatigatus aliud mirabile fecit Dei mandatum, in quo laus eius maxima refulget obedientiæ. Vnde Genes. 22. legimus. *Dixit Dominus ad Abraham. Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis, atque offer eum ibi in holocaustum super vno montium, quem monstrauero tibi.* Qui cum precepto Dei obediens ligasset filium suum ponens super strue lignorum, & arrepto gladio voluisset eum immolare, dixit sibi angelus domini. *Non extendas manum tuam super puerum, neq; facias illi quidquam. nunc enim cognoui, quod timeas dominum & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me.* Ovirum commendabilem, & merito virtutum locupletem. filium suum vnigenitum quem diligebat, obtulit, quia non habuit nisi vnum: non dubitans, quia dominus nihil iubet frustra. Potens enim erat etiam ex mortuo facere viuum, qui cum non esset, creauit vt esset, propter quod & & sequitur. *Per memetipsum iuraui, dicit dominus, quia fecisti rem hanc & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam te, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, & veluti arenam, quæ est in littore maris.* Omnis qui iurat, per superiorem iurare solet. Sed Deus, qui summus est, superiorem se non habet, ideoq; per semetipsum iurauit: Si istam historiam de obedientia Abrahæ ad sensum mysticum, voluerimus intelligere, magnum nobis obedientiæ incendium ministrabit: Abraham enim pater multarum gentium interpretatur. Dicamus ergo sic: Dominus dicit Abrahæ, cuilibet videlicet Christiano, quia pater multarum gentium est, id est, diuersarum cogitationum est, sicut de gente nascitur gens, ita de cogitatione opus. Tolle filium tuum vnigenitum, propriam scilicet voluntatem. quẽ diligis, quia omnis natura sui iuris esse delectatur. Isaac, qui risus vel gaudium sonat interpretatum, quia nisi gaudia huius mundi contempserimus, non poterimus propriam domino immolare voluntatem. Et vade in terram visionis, id est, contemplationis, quæ non alibi, nisi in religione est. atq; offer eum ibi scilicet in monasterio, quia nunquam melius mactatur propria voluntas, quam in religione claustrali in holocaustum, suauitatis videlicet, quia nulla victima suauius in conspectu Dei fragrat, quam si quis ob eius amorem propriam voluntatem derelinquat, super vno mõtium, quem monstrauero tibi. id est sub vnius charitatis vinculo, vni Prælato p̃sta obedientiam quam monstrauero tibi, id est quem canonicè sibi elegerit congre-

Bern. *Gregor.* * *De obedientia Abrahæ.* *Expositio mystica eiusdem exempli.*

gatio, quia non tenentur obedientiam promittere ei, qui non per ostium, sed alunde vt fur & latro intrat. Cum autem hæc, quæ Dominus iubet, fecerimus, & filium nostrum vnicum, quem diligimus, propriam voluntatem immolauerimus, audiemus sine dubio, quod Abraham audire meruit: *per memetipsum iuraui*, dicit Dominus, *quia fecisti rem hanc grandem*. quæ contraria videtur omnino libertati, & naturæ, & non pepercisti filio tuo vnigenito, propriæ videlicet voluntati propter me, id est, quam propter meam dilectionem sed potestate alterius tradidisti: benedicam tibi, benedictione perpetua remittendo tua peccata, & multiplicabo semen tuum: opera scilicet virtutum, per quæ vitam æternam possideas: sicut stellas cœli pro charitate, & velut arenam, quæ est in littore maris, præ innumerositate, & magnitudine remunerationis: & semẽ tuũ possidebit portas inimicorũ suorum, quia anima fidelis per semina virtutũ regnũ Dei, à quo deiectus diabolus inimicus eius in infernũ demersus est: post hanc vitã æternaliter, & sine fine possidebit: Ecce iste est fructus obedientiæ, cuius dulcedinem non gustabit; qui eius amaritudinem abhorret.

Hæc conuenit iis, qui nihil sibi Christo charius aliquid existimant propter seruitiũ sanctũ, quod professi sunt, seu propter metũ gehennæ vel gloriã vitæ æternæ.

2

QVi enim Deum vere diligit, præceptis Abbatis in omnibus ob eius amorẽ obedit: quia ipse dicit: *qui vos audit: me audit: & qui vos spernit, me spernit:* Vnde in superioribus dicit: *præceptis Abbatis in omnibus obedire:* hic ergo quæritur, an monachus teneatur Abbati suo in omnibus obedire, præsertim cum simpliciter promiserit obedientiã. Respondetur, quod monachus sancti Benedicti nõ diffusã, sed limitatã promittit obedientiã, dicendo. *Ego frater, N. promitto obedientiã &c. secundum regulam sancti Benedicti,* Et ideo quantum ad illa sola tenetur obedire quæ putat ad regularẽ obedientiã, & obseruantiam pertinere, & ista videtur omnia licita, & honesta, & possibilia, quæ manifesta nõ trahunt extra propriã professionẽ, etiam per excessum, puta, si præciperetur transitus cõtra infideles, vel vt subditus martyrio se offerat: vnde dicit Bernardus, de præcepto, & dispens- *Prælatus vota mea, nec augeat sine mea voluntate, nec minuat sine iusta necessitate.* Licet contrariũ regulæ non sit, vt de obedientia se monachus martyrio offerat, cũ dicat Beatus Benedictus in tertio gradu humilitatis, vt quis pro Dei amore omni obediẽtia se subdat maiori, tamẽ regulã, quã monachus profitetur, excedit: nec obedire tenetur. si tamẽ voluerit obedire potest. Hoc autẽ quod in tertio gradu humilitatis dicitur, consiliũ videtur, non præceptũ: & ideo in talibus quæ regulã, seu regularẽ professionẽ excedũt, obediẽtia necessaria nõ est. licet aliquãdo posset esse vtilis, & perfectionis: In reliquis vero quæ licita sũt, & honesta, quæ ad regulã possũt reduci. obedientia necessaria est, sicut dictũ est superius, *Præceptis Abbatis in omnibus obedire.* Vnde Paulus Hæbreis scribẽs admonet. *Obedite præpositis vestris & subiacete eis.* sed forte Abbas iubet monachũ aliquid, quod sibi videtur opportunũ, monacho aũt apparet cõtrariũ: quid ergo erit faciendũ? si enim de eis oportet prælatos semper subditis dare rationẽ, quæ ipsis viderẽtur vltra limites regularis ꝓfessionis, aperte insurgeret quædam dubiorũ scrupulosa inexplicabilis perplexitas ad regularis obseruantiæ, & recti eius status subuersionẽ. Respondendum est, ꝙ subditi imperia prælatorũ discutere nõ debẽt, sed simpliciter obedire in omnibus licitis & honestis, quæ manifeste non sunt mala, vel contra Deum & professionẽ regularis obseruantiæ: & hęc obedientia sufficiens est ad salutẽ. Obedientia aũt nunquam est seruanda in illicitis rebus, vt, *11. q. 3. Si Dominus.* &, *Si quis Episcopus*: Nunquam. n. propter malam obedientiã malum committendũ est, sed aliquando debet bonũ, ꝙ agitur prætermitti: *c. quid ergo?* Sed quid si subditus dubitet, an sit licitũ vel nõ, quod à superiori mandatur? Respõdeo, in dubio obediet. Nã etsi fortasse reũ faciat superiorẽ iniquitas imperandi, innocentem ostendet inferiorẽ ordo seruiendi: vt dicitur, *23. q. 1. quid culpatur.* intelligendum tamen hoc est, quod in dubio sit obediendũ, nisi dubitatio esset crassa, & supina, quę non excusaret; vt si superior mandet aliquid, ꝙ sit contra articulos fidei, contra pręcepta & prohibitiones, vel contra generale statutum Ecclesiæ, in talibus non excusaret dubitatio, quia nec ignorantia, *vt 16. q. 1. Si*

cap. 7.

Heb. 13.

Obedientia seruãda est in licitis tãtum, & quæ non sunt aperte contra regulam vel supra.

An in dubiis obediendum.

Luc. 10.

An in omnibus obediendum Abbati.

Bernar.

t. Si cupis. Sæpe tamen contingit, vt mens Prælatorum rapta ad diuersa, minus recollecta inueniatur ad singula, & plerunq; præcipiat, quæ nonnunquam præcepisse doleat: Et ergo consultum videtur, vt in talibus, vbi dubium est, an licita sint, quæ præcipiuntur, an non, scrupulum obedientiæ aperiatur præcipienti eam, omni tamen humilitate & reuerentia: vt si forte distractus præcepit illicita, reuocet nondum impleta: Si autem prælatus mandat, quod manifeste est contra Deū, non est eius iussioni obediendum: Hinc Isidorus ait. *Si is qui præest fecerit, aut cuiquam, quod à Domino prohibitum est facere iusserit, vel quod præceptum est præterierit, aut præteriri mandauerit; S. Pauli Apostoli sententia ingerenda est dicentis ad Galatas 1. Etiamsi nos, aut angelus de cœlo euangelizet vobis, præter quam quod euangelizauimus vobis, anathema sit: Deinde: Si quis prohibet vobis, quod à Deo præceptum est, vel rursum imperat fieri, quæ Dominus fieri prohibet, execrabilis sit omnibus, qui diligunt Deum: Is qui præest, si præter voluntatem Dei, vel præter quod in scripturis sanctis Dei euidēter præcipitur, vel dicit, vel aliquid imperat, tanquam falsus Dei testis aut sacrilegus habeatur.* Hæc ille, & ponuntur *11. q 3. si is.* Est autem considerandum, quod si Prior alicui fratri præcipit aliquid, & Abbas superueniens mandauerit aliud, Abbati obediendum erit, dimisso imperio Prioris, quia mandato superioris præceptum inferioris succumbit: vnde si aliud iubeat proconsul, aliud Imperator, nunquid dubitatur illo contempto isti esse seruiendum? Sic etiam, si aliud iubeat Abbas, aliud Deus, contempto illo obediendum est Deo, sicut scriptum est Actuum 4. *Obedire magis oportet Deo, quam hominibus.* Hinc Ambrosius ait, & habetur *11. q 3. Iulianus Imperator* quamuis esset Apostata, habuit tamen sub se Christianos milites, quibus cum dicebat, producite aciem pro defensione reipub. obediebant ei: cum autem diceret, producite in Christianos, tunc cognoscebant imperatorem cœli; in talibus enim, in quibus sine periculo animæ homini nō possumus obedire; Deo magis quam hominibus seruiendum est: *15. q. 6. iuratos.* Est etiam notandum, quod monachus non tenetur Episcopo inuito suo Abbate obedire, *vt 58. d. c. 1. & secundo.* nisi forte talis esset, in quo Abbatis quassaretur prohibitio: Monachus enim Abbati, nō Episcopo obedientiā promisit: sed qui de monachis, sacerdotibus, qui in ordinis susceptione Episcopo obedire promittunt: Respondetur q; Episcopo obedire debet, inquantum sine præiudicio Abbatis sui, & regularis obseruantiæ fieri potest, ad ea duntaxat quæ ad sacerdotiū, vel ad Episcopū pertinent. Alias obediat Abbati, cui primo obedientiam promisit, qa primum iuramentū licitum est seruandum: *Extra. de iureiurando.* Est autem triplex obedientia, distincta: Vna sufficiens ad salutem. obedire scilicet in his, ad quæ quis obligatur: Alia superabundans, & perfecta, quæ obedit monitionibus & licitis, & honestis. Tertia est indiscreta, quæ etiam obedit in illicitis: de prima obedientia, quæ scilicet sufficiens est, hic dicitur in textu: *propter seruitium sanctum, quod professi sunt*, seu propter metum gehennæ, vel gloriam vitæ æternæ: quia si satisfacere volumus nostræ professioni, oportet nos obedire in his. quæ ex ordine iubemur: & si gehennam cupimus effugere. oportet vt propositum nostrum inuiolabile seruemus: *Propter seruitium sanctum*, inquit, *quod professi sunt*, ante altare videlicet, in conspectu Dei, & omnium sanctorum, quod idcirco sanctum dicitur quia sancto proposito ex spiritu sancto inchoatum est: si monachus obedit tantum in his, quæ promisit, vt primo decem præcepta decalogi, quæ omnis Christianus obseruare tenetur: deinde tria substātialia regulæ, & si qua mandat conseruet, sufficit sibi ad salutem: si autem super hoc obedierit, in bonis videlicet, & honestis: propriam inde habebit mercedem: Obedientia abundās, & perfecta est, quādo quis obedit in his, ad quæ ex sua professione non tenetur, neq; de iure, sed ponit totum suum velle, & nolle in arbitrio Abbatis, nihil sui reseruans sibi, dum tamē nihil præcipiat Abbas contrarium dominicæ voluntati, animæque saluti. De hac obediētia ita dicit Bernardus. *Perfecta*, inquit, *obedientia legem nescit, termino non arctatur: nec contenta est solum in angustiis suæ professionis, sed largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis:* & hæc obedientia conuenit iis, qui nihil sibi CHRISTO charius aliquid existimant: quia illa obedientia à Domino maiorem habet mercedem:

Isidor.

Monachus non tenetur obedire suo Episcopo inuito Abbate.

Obedientia est triplex.

quæ maiorem habuerit obtemperando charitatem. Sequitur.

Mox vt aliquid imperatum fuerit, ac si diuinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciendo.

3

MOx, inquit, id est, statim, absque mora: *vt aliquid imperatum fuerit.* vel iussum à maiore, ac si Deus ipse iuberet personaliter. *moram pati nesciunt in faciendo*: quoniam vera obedientia ex ore rapit imperium iubentis, vt eodem momento, quo imperat maior, obtemperet minor. Et ista obedientia non ex timore, sed ex charitate procedit, vt etiam si maiora præciperet, promptus obediret: hinc Bernardus ait, *sola charitas est, quæ obedientiam gratã, & acceptabilem facit Deo, & illa sola illã Deo commendat*: vnde & verus obediens dat suum velle, & suũ nolle Deo: pro cuius amore obedit homini æquali secundum naturam. *Ac si diuinitus imperetur*, inquit: quia verus humilis seruus Christi illam sententiã Domini semper in memoria portat; quæ dicit de Ecclesię rectoribus. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Vnde Bernardus. *Siue Deus*, inquit, *siue homo vicarius Dei mandatum quodcunq; tradiderit, pari profecto obsequendum est causa, pari reuerentia deferendum, vbi tamen Deo contraria non præcipit homo.* Ideoq; statim, vt aliquid præceptum fuerit à maiore, minor dimissis omnibus obediat imperanti: & sine dubio eandem à Domino recipiet mercedem, quam & illi, qui ei dum ore loqueretur ad os, obediebant: Infallibilis namq; est sententia Domini: qui se audiri in prælatis affirmat, aut sperni: obediendum est homini prælato, non vt homini, sed vt Deo. Non sua assumptione, sed Dei ordinatione vicarius Christi est Abbas, cuius vices gerere comprobatur, vt supra. *qualis debeat esse Abbas*, plenius deinde est: moram pati nesciunt in faciendo, quia vera obedientia non est, quam mora occupat faciendi: & si corporis mora interueniat, mens tamen semper promptissima inueniatur, quia quod negat facultas supplet bona voluntas: verus itaque monachus velociter obedit, in faciendo moram nescit.

Bern. ser. 2. de S. Andrea.

Luc. 10.

Bern. l. de præcep. & disp.

Luc. 10.

cap. 2. reg.

Psal. 17. De quibus Dominus dicit, obauditu auris obediuit mihi.

Quam cito enim iubentis imperium auris audierit corporis, ad perficiendum opus parata sit voluntas cordis, vt & audiat imperantem, & incontinenti compleat, quod fuerit imperatum: perfecta etenim obedientia, mandatum nec discutit, nec iudicat, sed obedit mox præcepto audito:

Et iterum dicit doctoribus, qui vos audit, me audit. Luc. 10.

NE istud de solis Apostolis dictum putetur, aptissime adiungitur, *doctoribus*, id est, prælatis, seu prædicatoribus. 43. *d. scimus.* quia & ipsi Apostolorum vices in prædicando vnusquisque secundum gratiam & ordinem sibi datum, susceperunt. Summus etenim pontifex Romanus, quem vulgariter Apostolicum, vel Papam vocant, Petri principis Apostolorum vices agit, & cathedram possidet. vnde & Romana Ecclesia cæterarum Ecclesiarum primatum obtinet. 22. *dist. Omnes.* quẽ non aliunde, quã ab ipso Domino susceperit. 21. *dist. in nouo, & testamento. & 22. distinct. sacrosancta.* Episcopi autem vices Apostolorum agere creduntur, quorum princeps Romanus dignoscitur pontifex. 2. *dist. Enimuero.* Cæteri autem prelati, vt Abbates siue Presbyteri, & illis similes vices gerunt, 72. discipulorum Domini, quorum binos & binos misit ante faciem suam in omnem ciuitatem, ad quam erat ipse venturus: his ergo omnibus dictum credimus. *qui vos audit, me audit.* secundum vniuscuiusque debitam ordinationem. Et ergo quilibet monachus Abbati, vt supra diximus, tenetur obedire, quoniam Abbas vices Christi in monasterio agere creditur, supra, *cap. qualis. d. esse Abbas:* si contemnis Abbatem tuum, Deum contempsisti, qui se, vel audiri, vel sperni dicit in ipso. Qui superiores suos spernit, Deum spernit: qui vero Deum contemnit, quis eum malignum dubitet? pœnam ergo, quam mæretur contemptor Dei, accipiet & is, qui contemnit seruum eius: Obediens autem Deo & eius famulo propter Deum, & secundum Deum vno præmio remunerandus ait: Ne te moueat Abbatis mala vita: quo minus ei obedias, in omnibus quæ secundum Deum iubet, sciens Dominum dixisse: *quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite.* quia si benefecerint, eorum

Luc. 10.

cap. 2.

Matt. 23.

eorum est, si benedocuerint nostrũ: humilis enim non qualis sit, qui imperat, discernit, sed quid iubeat attendit.

5 *Ergo hi tales, relinquentes statim quæ sua*
* *sunt & voluntatẽ propriam deserentes, mox exoccupatis manibus, & quod agebatur imperfectum relinquentes vicino obedientiæ pede, iubentis vocem factis sequuntur.*

Hi tales, videlicet quibus conuenit obediẽtia sine mora, de quibus superius dictũ est, *statim*, vt audierint vocem imperantis. *relinquũt, q̃ sua sunt*, & quæ sibi magis placent, sed & propriam voluntatem deserentes, iuxta illud Domini, nõ
Ioan. 5. veni *facere voluntatem meã, sed eius, qui misit me. Mox exoccupatis*, id est exoneratis, & euacuatis, omissis omnibus, q̃ habuerũt præ manibus & quæ agebãt, siue propria electione, siue ex inferioris iussione, imperfectum relinquunt, quoniam Abbatis iussio præpositi præcellit mandatum Cum enim Præpositus, aut Decanus aliquid præceperit, quod sui officii est, obediendum erit ei: si autem Abbas aliquid aliud iusserit omisso imperio aliorum Abbati obediendũ est, qui in omni monasterio superioreſt. Mox ergo, id est, confestim, absq; vlla mora quæcunque fuerint præ manibus, præcipienti maior obediat minor, exemplo illius fratris de quo narratur in vitas Patrum, qui vocatus ab Abbate suo Siluano, literam, quã inceperat, O, dimisit imperfectam, nec gyrauit calamum vltra, vt impleret, & concluderet literam, quam in manu habebat. O filium perfectæ obedientiæ, qui maluit dimittere opus, quamuis bonũ, quod inchoarat imperfectũ quam ad momentum, vt ita dicã, moram facere in obediendo. Sed hic quæritur, an vir perfectus debeat bonũ opus dimittere imperfectum & obedire minus perfecto sibi imperanti. Verbi gratia. si existens in oratione, vel contemplatione, vel alio quolibet opere bono Abbatem audierit præcipientẽ sibi vt verberet statuam
Ad obediendum cum inutilia iubentur. * vel simile faciat, obediet. vel non maxime cum opus inutile præcipiat? Respondeo, quod obedire debet. quoniam vt 1. Regum 15. scribitur. *melior est obedientia, quam victima*, sic tamen vt malum per obedientiam non faciat: Bonum enim, quod agitur, aliquãdo per obedientiã intermitti debet. *11. q. 3. qd ergo:* si enim quisq; perfectus prælato licet imperfecto obedire in licitis neglexerit: iam quod erat, desiit esse perfectus: quia in omnibus præceptis Abbatis obediendum est, vt supra dictum est, Obedientia quippe inter cæteras virtutes obtinet principatum, sine qua nullum bonum opus Deo acceptabile est: Et ergo sola obediẽtia in sacrificio nostro quotidiano suauissimũ Deo reddit odorẽ: Na & ratione eius adimplere tenemur præceptum, quod nobis imponitur: etiam si importabile videatur: *19. d. in memoriam: & in c. si fratri impos. iniunguntur.* Mox ergo: vt Abbas aliquid iusserit, omnia, quæ agit monachus, relinquat imperfecta, propter bonum obedientiæ. nec secundam expectet iussionem, quia verus obdiens nõ est, qui voce non dirigit pedem: & ergo dicitur, *vicino obedientiæ pede iubentis vocem factis sequuntur*, quia tanta debet esse in obediendo velocitas, vt cum voce imperantis pes ad perficiendũ mandatum moueatur inferioris. Pes mẽtis prompta volũtas est, pes corporis voluntatis effectus: sic pes corporis cõiunctus sit cũ voluntate imperantis, vt finis vocis initio præueniatur præcepti. Facta discipuli vocem absq; medio sequãtur magistri, quoniam mora obedientiã reddit suspectam.

cap. 4. in-fr. 60.

cap. 68. regul.

C *Et veluti vno momento prædicta Magistri iussio & perfecta discipuli opera, id est velocitate timoris Dei ambæ res communiter citius explicantur.*

MOmentum pars minima temporis est: Sanctus ergo Benedictus obedientem ad maiorem non poterat inducere celeritatem, quam ad momentũ: Tantus ergo feruor obedientiæ debet esse in monacho, vt nec vnius momẽti spacium sit inter vocẽ imperantis, & operam facientis, & vix finito imperio vocali, impletũ sit opus affectu mẽtali: vt ambæ res, scilicet iussio Abbatis, & opus obedientis, licet non in effectu possibile sit, veluti tamen vno momento citius perficiatur in affectu: Sed heu, quã longe distamus ab hac obedientia, qui licet bis audito imperio superiorum nostrorum, vix tertio obediamus. Sed certe si ad patriam, vnde eiecti sumus, redire cõtẽdimus, arma fortissima obedientiæ assumamus, quia soli

obe-

obedientes ad paradisi gaudia admittuntur. Vnde primi inobedientes decreti noscuntur.

7 *Quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit.*

QVi sunt isti, quibus amor ad vitã peruenièdi incumbit, nisi illi, de quibus dictũ est superius. quibus obediẽtia conuenit sine mora, qui nihil sibi Christo charius existimãt, sed mox vt aliquid imperatũ fuerit, ac si diuinitus imperetur, moram pati nesciũt? Hi profecto sũt qui sequuntur Christũ per semitas obedientiæ quibus ipse præcessit factus obediens Deo patri vsq; ad mortẽ. Qui ergo congaudere volũt regnãti in cœlis, compatiantur patienti in terris, quia impossibile est hic posse quempiã gaudere cũ mundo, & ibi regnare cum Christo.

8 *Ideo angustam viam arripiunt.*

NEmo etiã ad paradisum potest peruenire voluptatis, nisi per viam solilitudinis, atq; horroris, Multa enim sunt aduersa via, antequam perueniatur ad

9 loca optata.

Matt. 7. *Vnde Dominus dicit: Angusta est via, quæ ducit ad vitam.*

QVid est. *angusta est via, quæ ducit ad vitam?* nisi, sicut alibi ait, *quoniã regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud:* Angusta est via, quia durum est propriam relinquere voluntatem, & alterius subesse dominationi, cũ libertas res sit omnino optabilis, & Deus omnes libertati donauerit: Hæc est via angusta, q̃ ducit ad vitam, propriam videlicet non amasse voluntatem. Hac via nos præcessit Dei filius cum ait, *Non veni facere voluntatẽ meam, sed eius qui misit me patris.* Angusta est via. quæ ducit ad vitam superbis. sed latissima est humilibus. Vnde Leo papa. *Nihil,* inquit, *arduum humilibus, nihil asperum mitibus, & facile omnia præcepta veniunt in effectum, quando & gratia prætendit auxilium, & obedientia mollit imperium; nec dura necessitate ibi seruitur, vbi diligitur, quod iubetur: humilis namque animus in angustiis se noluit probari, non deiici: superbus autem etsi obedit vellet tamen potius non iuberi, quam audire præceptum.* Hinc Augustinus in psalmos ait. *Nõ est amicus recti, quando si fieri posset, mallet id, quod rectum est, non iuberi.* Qui autem ad vitam voluerint peruenire æternam, non aliunde, quam per angustam viam se ituros esse cognoscant, ideoque se voluntati Abbatis in omnibus subiiciant.

Matt. 11. Ioan. 5. Leo. serm. 5. Epiph. Aug. in psal. 60.

10 *Vt non suo arbitrio viuentes, vel desideriis suis & voluntatibus obedientes: sed ambulantes alieno iudicio & imperio in cœnobio degentes, Abbatem sibi præcesse desiderent.*

NObilis equus, vt experti sumus, & dirigibilis, si in valido cursu sui iuris esse permittitur, laxato capistro, aut pedem figit, aut si recentior fuerint, sessorem suum deiicere conatur: inueniuntur autem equi mitiores. qui stare consueuerunt immobiles dum sessor relaxat capistrum: sic etiam monachus quiq; bonus atq; deuotus non debet confidere sibi, sed cum tenetur in fræno lætior currat per viam: sicut enim equus, si suæ voluntati permittitur, per deuia currit, ita & monachus, si suo arbitrio regatur, per abrupta pergit vitiorum semper enim tutius est, regi, quam regere, quia magisteriũ periculosum est, discipulatus vero securus: & ideo, q̃ sibi Christo nihil charius existimant, in cœnobio degentes & in congregatione multorum fratrum communiter habitantes, stabilitatem promissam inconcussam tenentes, sibi propter securitatẽ animæ salutis suæ desiderant præesse Abbatem, vt non suo arbitrio viuentes, vel desideriis suis & voluntatibus obedientes, sed ambulantes alieno videlicet Abbatis iudicio, & imperio, vt illum quem colunt. sequi mereantur, qui obediens patri existens vsq; ad mortem, nostram sua obedientia destruxit captiuitatẽ. Deus autem liberum arbitrium dedit nobis: sed qui alterius regitur imperio. & sponte suã deserit voluntatẽ propter Deum, reddit Deo quod accepit & insuper gaudet se Domini esse seruũ, cui seruire regnare est, & hoc nõ ad tẽpus, vel annos. sed vsq; in sempiternum.

11 *Sine dubio si tales illam Domini imitantur sententiam qua dicit: Non veni facere voluntatem meam sed eius qui misit me.* Ioan. 5.

VOlũtas est à volatu, quoniã animus, quo vult, nimia velocitate trãsfertur. Vnde valẽtior est omni fortuna volũtas,

&

eorum est, si benedocuerint nostrũ: humilis enim non qualis sit, qui imperat, discernit, sed quid iubeat attendit.

5 *Ergo hi tales, relinquentes statim quæ sua*
* *sunt & voluntatẽ propriam deserentes, mox exoccupatis manibus, & quod agebatur imperfectum relinquentes vicino obedientiæ pede, iubentis vocem factis sequuntur.*

HI *tales*, videlicet quibus conuenit obediẽtia sine mora, de quibus superius dictũ est, *statim*, vt audierint vocem imperantis. *relinquũt, q̃ sua sunt*, & quæ sibi magis placent, sed & propriam voluntatem deserentes, iuxta illud Domini, nõ
Ioan. 5. veni *facere voluntatem meã, sed eius, qui misit me. Mox exoccupatis*, id est exoneratis, & euacuatis, omissis omnibus, q̃ habuerũt præ manibus & quæ agebãt, siue propria electione, siue ex inferioris iussione, imperfectum relinquunt, quoniam Abbatis iussio præpositi præcellit mandatum Cum enim Præpositus, aut Decanus aliquid præceperit, quod sui officii est, obediendum erit ei: si autem Abbas aliquid aliud iusserit omisso imperio aliorum Abbati obediendũ est, qui in omni monasterio superioreſt. Mox ergo, id est, confestim, absq; vlla mora quæcunque fuerint præ manibus, præcipienti maior obediat minor, exemplo illius fratris de quo narratur in vitas Patrum, qui vocatus ab Abbate suo Siluano, literam, quã inceperat, O, dimisit imperfectam, nec gyrauit calamum vltra, vt impleret, & concluderet literam, quam in manu habebat. O filium perfectæ obedientiæ, qui maluit dimittere opus, quamuis bonũ, quod inchoarat imperfectũ quam ad momentum, vt ita dicã, moram facere in obediendo. Sed hic quæritur, an vir perfectus debeat bonũ opus dimittere imperfectum & obedire minus perfecto sibi imperanti. Verbi gratia. si existens in oratione, vel contemplatione, vel alio quolibet opere bono Abbatem audierit præcipientẽ sibi vt verberet statuam
Ad obediendum cum inutilia iubentur.
* vel simile faciat, obediet. vel non maxime cum opus inutile præcipiat? Respondeo, quod obedire debet. quoniam vt 1. Regum 15. scribitur. *melior est obedientia, quam victima*, sic tamen vt malum per obedientiam non faciat: Bonum enim, quod agitur, aliquãdo per obedientiã intermitti debet. *11. q. 3. qd ergo:* si enim quisq; perfectus prælato licet imperfecto obedire in licitis neglexerit: iam quod erat, desiit esse perfectus: quia in omnibus præceptis Abbatis obediendum est, vt supra dictum est, Obedientia quippe inter cæteras virtutes obtinet principatum, sine qua nullum bonum opus Deo acceptabile est: Et ergo sola obediẽtia in sacrificio nostro quotidiano suauissimũ Deo reddit odorẽ: Na & ratione eius adimplere tenemur præceptum, quod nobis imponitur: etiam si importabile videatur: *19. d. in memoriam: & in c. si fratri impos. iniunguntur.* Mox ergo: vt Abbas aliquid iusserit, omnia, quæ agit monachus, relinquat imperfecta, propter bonum obedientiæ. nec secundam expectet iussionem, quia verus obdiens nõ est, qui voce non dirigit pedem: & ergo dicitur, *vicino obedientiæ pede iubentis vocem factis sequuntur*, quia tanta debet esse in obediendo velocitas, vt cum voce imperantis pes ad perficiendũ mandatum moueatur inferioris. Pes mẽtis prompta volũtas est, pes corporis voluntatis effectus: sic pes corporis cõiunctus sit cũ voluntate imperantis, vt finis vocis initio præueniatur præcepti. Facta discipuli vocem absq; medio sequãtur magistri, quoniam mora obedientiã reddit suspectam.

cap. 4. in str. 60.

cap. 68. regul.

C *Et veluti vno momento prædicta Magistri iussio & perfecta discipuli opera, id est velocitate timoris Dei ambæ res communiter citius explicantur.*

MOmentum pars minima temporis est: Sanctus ergo Benedictus obedientem ad maiorem non poterat inducere celeritatem, quam ad momentũ: Tantus ergo feruor obedientiæ debet esse in monacho, vt nec vnius momẽti spacium sit inter vocẽ imperantis, & operam facientis, & vix finito imperio vocali, impletũ sit opus affectu mẽtali: vt ambæ res, scilicet iussio Abbatis, & opus obedientis, licet non in effectu possibile sit, veluti tamen vno momento citius perficiatur in affectu: Sed heu, quã longe distamus ab hac obedientia, qui licet bis audito imperio superiorum nostrorum, vix tertio obediamus. Sed certe si ad patriam, vnde eiecti sumus, redire cõtẽdimus, arma fortissima obedientiæ assumamus, quia soli

obe-

quod professi sunt, & spem vitæ æternæ, non delectantur propriam perficere voluntatem, scientes, quia nihil in inferno plus ardebit propria voluntate: vnde
Augustin. c. 28. Augustinus 10. confessionum dicit. *Optimus minister tuus Domine est, qui non magis intuetur hoc audire, quod ipse voluerit, sed potius hoc velle, quod à te audierit.* Monachus autem qui obedientiam promisit Deo in manu Abbatis, studeat etiam eam seruare illibatam, ita vt in omnibus, quæcunque Abbas iusserit secundum Deum non solum libenter obediat, sed & maiora sibi optet imperari: hoc ipsum est libenter obedire, vt non solum id, quod iubetur: sed & illud, quod iubere posset, sinceriter ametur: Non solum autem in magnis, sed & in paruis hæc consideratio est habenda; Nam obedientia in difficilioribus gratior est, & inobedientia in facilioribus grauior: Vnde Augustinus
Augustin. c. 15. 14. de ciuitate Dei ait. *In paradiso tanto maior inobedientia fuit, quanto illud, quod præceptum est nullius difficultatis fuit. Vbi enim magna inobedientiæ pœna proposita est: & res à creatore facilis imperata quis non satis explicet, quantum malum sit, non obedire in re facili, & tantæ potestatis imperio, & tanto terrente supplicio? qui enim in paruo infidelis est in magno quid faceret?* aut si quis ad possibilia obedire contemnit, quomodo ad impossibilia obediens poterit inueniri. Sunt autem nonnulli, qui iubentis suscipiunt imperium, obedientes quidem, sed inuoluntarie, qui si possint subterfugere, nequaquam obedirent. hi plane istum primum obedientiæ gradum nondum attigerunt, & impossibile est ascendere secundum, nisi prius ascenderimus primum: O quot istorum sunt hodie, qui non libenter, sed si faciunt, obediunt inuiti, quia nisi cogantur per vim, minime faciunt, quod iubentur: arguet me iam aliquis suspicosum, quod ignorem quod loquor: quoniam pauci veri inueniuntur obedientes, quia hoc aduerbium *libenter* odio habent quamplurimi: Cum autem sine nomine contra vitia agitur, vt hic, qui irascitur, seipsum reum demonstrat.

2. Gradus, obedire simpliciter. Secundus gradus. est obedire simpliciter, & iste opponitur curiositati & præsumtioni. Hinc enim Bernardus ait, *Multos videmus post præcipientis imperium multas facere quæstiones, &, quare, sæpius ingeminare, vnde hoc venerit, quis hoc inuenit consilium? inde murmuratio, excusatio, simulatio, amicorum aduocatio: qui enim obediendo causas quærit imperii, ab isto gradu se longe facit & alienum.* Obedire simpliciter, est non interrogare causam mandati: sed modum obediendi. Vnde Bernardus. *omnibus*, inquit, *nobis in conuersationis initio, nulla magis virtus est necessaria, quam humilis simplicitas, verecundaq; grauitas*, Monachus enim, sicut supra dictum est, mandatum Abbatis seu Prioris sui, quasi à Deo immediate præciperetur, debet audire, quem non causam, sed fortasse modum auderet interrogare: Sic Beatissima virgo Maria angelum, non quare, sed quomodo fieret: vt virgo pareret filium, interrogauit, quia simplicitas sancta, non causam præcepti, sed modum interrogat perficiendi: Sed heu quot inueniuntur hodie, qui etiam sibi aliqui esse videntur. quam cito aliquod præceptũ audierint, insurgũt aduersus superiores suos, quare præcipis ista? non est iustũ mandatum. sine discretione agis, non intelligis quid iubeas, male sanxisti. Vere longe sunt à mercede obedientię huiuscemodi. In quibus nõ sit obediendum, superius satis dictum existimo. hic Beatus Hieronymus, ait, & ponitur. *11. q. 3. si Dominus ea iubet. quæ non sunt contraria, vel aduersa scripturis sanctis, subiiciatur Domino seruus, si vero contraria præcipit, magis obediat spiritus, quam corpus Domino*: Et infra, si bonum est, quod præcipit imperator, iubentis exequere voluntatem: si vero malum est, tunc respondе. *oportet Deo magis obedire, quam hominibus.* In *Act. 5.* cæteris autem bonis licitis, & honestis iuxta istũ obedientiæ gradum, sine cunctatione simpliciter obediat monachus, sciens pro certo, quod magna pars mercedis tollitur, dum causa præcepti arroganter inuestigatur. Quid denique tua refert, qui conscius non es à quo diuina consilia potius requirantur, quia Deus iis, quos elegit quid faciendum sit proculdubio inuisibiliter ostendit, sicut scriptum est. *dilata os tuum, & implebo illud*: & ideo ab illo, cui credita est dispensatio mysteriorum Dei, quicquid de Deo loquitur, tanquam à Deo audire debemus. Vnde Bernardus. *Quicquid vice Dei præcipit homo, quod tamen non sit certum, displicere*

Deo,

Deo, tanquam si præciperet Deus accipiendum est. Porro imperfecti cordis, & infirmæ prorsus voluntatis indicium est, statuta seniorum studiosius discutere, hærere ad singula quæ iniunguntur, exigere de quibuslibet rationem, & male suspicari de omni præcepto, cuius causa latuerit eos, nec vnquam libenter obedire etiam audire contingat, quod libuerit.

3. Gradus obedire hilariter.

Tertius obedientiæ gradus est obedire hilariter: nam hilarem datorem dilidit Deus: Hinc sapiens eccl: 35, admoanet, dicens. *in omni dato hilarem fac vultum tuum.* Tristitiæ namque vultus pigritiam designat mentis, valde autem commendat obedientiam, si hilaris occurrat præcepto: sunt enim plerique, qui mox audito imperio iubentis, etsi non contradicunt voce, videntur tamen velle contraire facie: resoluitur namque vultus in pallorem, oculi auertuntur. trahit suspiria pectus: &, quod in corde latet absconditum sæpe facies producit in publicum: nam mutatio vultus, instabilitatem dicitur designare mentis. Sicut vinum lætificat cor hominis, ita hilaris responsio subditi animum emollit prælati: Vnde scriptum est Prouerb. 15. *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem:* & eiusdem 25. *Patientia lenietur princeps, & lingua mollis confringet duritiam.* In omnibus ergo, quæ facimus ex mandato superiorum nostrorum hilares simus, non tantũ corde, sed & facie, quoniam *hilarem datorem diligit Deus.*

2. Cor. 9.

4. Gradus obedire velociter. Psal. 17.

Quartus autem obedientiæ gradus est obedire velociter: hinc Psalmista de obedientiæ filio ait. *In auditu eius obediuit mihi.* id est, in vno eodemque momento processit iubentis mei imperiũ, & obedientis obsequiũ, sed videmus hodie quam plurimos lõgas post imperiũ trahere moras, & cũ se subterfugere diffidunt, verba excusationis assumunt: cõpleto, inquiũt, opere, cui insisto, faciam quæ iussisti: expecta paululum; iam enim accelerat finis O quã longe adhuc ab isto gradu existũt huiusmodi fratres, de isto gradu superius satis dictum existimo, vbi de nulla in faciendo mora notatur: de illis vero, qui istũ obedientiæ gradum ascenderunt. dicitur Prouerb, 22. *vidisti virum velocem in opere suo, coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles.* Si itaq; obedientiæ fructũ volumus percipere glorioſum, nullam patiamur infaciendo moram, quoniã in vulgo dicitur *Qui cito dat, bis dat.* Qui autem tardus est in tribuẽdo, ingratum reddit obsequium Recordemur quomodo Petrus & Andreas ad vnius vocantis se vocẽ omnia reliquerunt: Iacobus, & Ioannes relictis etiam retibus, & patre vocantẽ Dominum imitati sunt, de Marco etiã Siluani discipulo quam velox in faciendo mandatũ extiterit, supra dictum est, vt luculentissime patet legenti vitas sanctorum Patrũ: Nos autem desides, & pigri vix ter iussi quod præcipitur implere curamus: væ nobis quam longe ab obedientia sanctorum monachorum distamus.

5. Gradus obedire viriliter. Psal. 30.

Quintus obediẽtiæ gradus est obedire viriliter: hinc Psalmista ait. *viriliter agite, & confortiter cor vestrũ, omnes qui speratis in Domino:* Vnde etiã Bernardus. *Manũ*, inquit, *tuam misisti ad fortia, agendum est instanter, & constanter obediendum, nec inter asperitatem verborum tam regalis semita est relinquenda.* Hanc gradum Beatissimus pater noster in textu denotat, dum obedientiam non pigre exhibendam demonstrat semita regalis obedientia est, per quam rex noster Christus scandit ad regnum, Vnde Apostolus: *Christus factus est pro nobis obediens vsq; ad mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum & dedit illi nomen quod est super omne nomen.* *Phil. 2.*

6 Gradus obedire humiliter. Bernar.

Sextus obedientiæ gradus est obedire humiliter, quia nulla sine humilitate virtus Deo acceptabilis: Vnde Bernardus. *Magna*, inquit, *virtus humilitas sine cuius obtentu virtus fortitudinis non solum virtus non est, sed etiam in superbiam erumpit.* Humilitas obedientiam maxime commendat, quoniã maxima monachi virtus est humilitas, & maximum vitium superbia: hinc nos Dominus in Euangelio admonet dicens. *Cum feceritis ea, quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus; quod facere debuimus, fecimus.* Ostendatur ergo in obsequendo humilitas, in vultu hilaritas, in toto corpore pronitas, ne quod obedientia congregat, magistra omnium vitiorum superbia dissipet. Quidnam prodest obsequendo obedire prælato: & superbiendo se opponere Deo? conseruetur ergo præmium obsequii humilitas, quod obediendo contulit ipsa charitas. *Luc. 17.*

7. Gradus obedire perseueranter.

Septimus obedientiæ gradus est obedire perseueranter, quia non incipientibus, sed perseuerantibus corona gloriæ

repromittitur, dicente Domino. *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* hinc
Matt. 10. Gregorius ait: *Incassum bonũ agitur, si ante*
Gregor. l. 1 mor. *vitæ terminum deseratur; quia frustra velociter currit, qui prius quam ad metas peruenerit, deficit.* Commendat etiam perseuerantiam
Bern. *Bernardus*, dicens, *perseuerantia est vnica filia regis summi, finis virtutum, earumq; consummatio, totius boni repositoriũ, & virtus sine qua nemo videbit Deum:* Absq; perseuerantia qui pugnat, victoriam non reportat, nec victor palmam consequitur. Perseuerantia enim nutrix est ad meritum, mediatrix ad præmium, soror patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, sanctitatis propugnaculum. Tolle perseuerantiam, nec obsequium mercedem habet, nec gratiam beneficium, nec laudem fortitudo: sola perseuerantia est, cui æternitas redditur. Ergo in omni obsequio bono necessaria est, sine qua omne quod fit, obliuioni traditur: Certe isti sũt gradus, quibus obedientia Deo acceptabilis, & hominibus dulcis redditur, sicut sanctissimus pater noster Benedictus insinuat, dicens. *Obedientia tunc Deo acceptabilis erit quo ad meriti remunerationem, & dulcis hominibus quo ad boni exẽpli ædificationem, si quod iubetur ab Abbate, vel Priore nõ trepide, id est, dubitatiue, vel timide, non tarde, id est, non pigre, quia pigritia in opere tarditatem indicat in corde, non tepide, id est, non desidiose, non lente, sed viriliter impleatur & expedite.* Sequitur.

13 *Quia obedientia, quæ maioribus præbetur,*
Luc. 10. *Deo exhibetur, ipse enim dixit, qui vos audit, me audit.*

MAioribus dicit, Ecclesiæ prælatis, & rectoribus animarũ, qbus loco Dei obedientiã debemus simul & reuerentiã, qui Deo pro nobis respondere habent, & nostri curã susceperunt. *Qui audit vos*, videlicet seruos meos, quos ego elegi, *me audit*, scilicet Dominum vestrum. Nã qui regem spernit, nuntiũ spernit Dominum eius, q ui misit illum, Æque graue est regem contemnere in propria persona, vel in aliena legatione sua: cõtemptus enim in omni specie pernicios̃us est, & qui non obedit seruo, quod Dominũ velle nouit, nec ipsi Domino, si adesset, obediret. Dicũt enim aliqui, si fuissemus in diebus nostrorũ Patrũ, non feciss̃emus tanta mala, quanta ipsi fecerunt nõ obediendo: cum tamen Deus semper mirabilia operando in medio fuerit eorum: sed nunquid & hodie multi inueniũtur præuaricatores? multi proh dolor! certe tempora neminem sanctificant, sed opere tempora sancta fiunt. si iam non obedimus prælatis, vicariis Christi, nec tunc obtemperasse̅mus Domino seruorum, quia ipse ait. *qui vos audit, me audit: Et cum bono animo à discipulis præberi oportet: quia hilarem datorem diligit Deus.* Ipsa enim, vt præfertur, quæ Deo in maioribus exhibetur obedientia, hilaris esse debet, & ex animo prompto, vt nulla tristitia lateat in corde, quæ impediat obediẽtiæ bonum coram Deo: & nihil appareat in corpore, quod inuoluntarium animum declaret.

Nam cum malo animo, si obedit discipulus, & non solum ore sed etiam corde murmurauerit, etsi impleat iussionem, tamen acceptum iam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis

CVm malo animo obedit, q hoc quod facit non solũ inuoluntarie, sed & indignãti, & rebellãti corde peragit, & quãuis ore nõ contradicat, corã Deo tamen, q cor intuetur ipsius murmurat. Qui aũt solo ore murmurauerit sine voluntate cordis, adhuc obedientiæ suæ maculam dat, quia maledictum oris absq; consensu cordis labia polluit. 24. *q. 3 qui negligunt* oris maledicti consuetudinem resecare, etiamsi non corde maledicant, tamen immunditiam labiorum secundum Isaiæ verbum, & inquinamenta oris incurrũt. Si vero in corde murmurauerit, absq; sono vocis Deo obedientiam inacceptabilem facit, licet videatur dulcis hominibus, qui cogitationem hominis confitebitur Domino, nam Deus voluntatẽ plus quam opus requirit 15. *q. 1. Si quis enim iratus*, Antequam enim aliquis verbum pronunciat in ore, iam Deus audit in corde, quoniam homo videt in facie, Deus autem intuetur cor: Caueamus ergo fratres ne nostræ gloriæ demus aliquam maculam, & ne obedientia nostra, quæ foris dulcis hominibus apparet, intus Deo amarescat: & ne iterum hominibus fiat amara, quæ Deo fuerit accepta: Non enim tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus pro-

procurare bona debemus dicente Domino. *Matt.5.* *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est:* & de murmurantibus, aut malum exemplum proximis dantibus, alibi dicit, væ qui *scandalizauerit vnum de pusillis his minimis, qui in me credunt.* Simus etiam memores, quod pro nullo peccato filii Israel ita loquantur puniti, sicut pro murmurio, quoniam contra Dominum & Moysem famulum ipsius murmurauerunt, Et vt pater noster sanctus nos à murmurationibus retraheret. sicut etiam *infra, de. men. po. admonet.* apte subiungit.

Et pro tali facto nullam consequitur gratiam imo pœnam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendauerit.

PRo *tali facto*, scilicet murmurioso, quod malo animo, & inobedienti corde perficitur, nullam consequitur gratiam remunerationis apud Deum, imo pœnam incurrit murmurantium, si non emendauerit cum satisfactione debita culpæ. Grande malum murmur, pro quo sic leguntur puniti fuisse filii Israel, vt pœne eos deleuisset Dominus à facie terræ, si non Moyses stetisset in confractione eius, vt non perderet populum suum. hinc Augustinus ait. *De re nulla magis Deum offendisse populus ille Iudaicus dictus est*, quam contra Deum murmurando. Fuerunt autem diuersi puniti pœnis diuersis causa murmurationis; quarum prima fuit lepra, in Maria sorore Moysi contra ipsum murmurante, videlicet Numeror. 12. secunda ignis cœlestis tabernacula murmurantiũ deuorãs, Num. 15. *Et 23. q. 5. quid ergo?* Tertia, hiatus terræ Dathan, & Abyron murmurantes absorbens. Numer. 15. *1. q. 1 si quis inquit*, & *7. q. 1. denique.* Quarta igniti serpentes murmurantes filios Israel occidẽtes. videlicet, Nu. 21. *& 63. d. c. quia* sancta Rom. §. *verum*: Quinta, exclusio à terra promissionis. quam non introierunt omnes à viginti annis, & supra murmurantes sicut comminatus est eis Dominus, Num. 14. & compleuit. Videte ergo, fratres charissimi, vt absque murmurationibus sitis; ne id, quod vos obediendo acquisisse confiditis, murmurando acquisisse doleatis. qui autem aperte inobediens repertus fuerit secundum regulam erit tractandus, vt cæteri metum habeant. Primum enim totius religionis institutum est obedientia, sine qua nullus potest monachus esse. Studeamus ergo obedire superioribus nostris in omnibus, etiamsi ipsi aliter vixerint, quia Dominus admonet nos dicens. *quæ dicunt facite: quæ autem faciunt facere nolite.* Vt peruersis obedias prælatis innuit, qui etiam male operantibus obedire iussit, vt sic ingrediaris, & regrediaris sub Saule cum Dauid, & eundem honores licet reprobum cum Samuele. Inobedientes autem, & superbos se esse testantur, qui imperfectioribus, siue etiam peruersis obedire nolunt prælatis: Nec bonis tamen obedias in malis, nec peruersis contradicas in bonis, quoniam de prælatis Ecclesiæ ipse dicit, *qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*; quoniam ego Dominus, serui mei vos, quos quidem elegi: valde enim delinquit, qui doctorem veritatis offendit. Certe via angusta, qua itur ad Deum, ecce holocaustum suauissimum Domino, cuius odor cœlos penetrat, & Deum ad hominem vsque inclinat. Hæc est, quæ spoliauit infernum, reseruauit hominibus cœlum: mortem destruxit, vitam miseris donauit, nos Deo patri reconciliauit, & Angelorum fecit conciues. O obedientia amica vnica Dei: soror angelorum, gloria sanctorum, iustificatio impiorum, fortitudo iustorum, scutum religionis, fundamentum virtutis, dæmonum expugnatrix, animarum reparatrix, monachorum laus, virginum decus, iuuenum honor, senum beatitudo, O pincerna Regis, adiutrix incipientium, conseruatrix proficientium, merces perfectorum. tu nostræ salutis, initium tu saluatoris nostri reclinatorium, tu spei fortitudo martyrum, & præmium meritorum. Quis vnquam Deo placuit nisi per te? *Credidit*, ait scriptura, *Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.* Beatus vir qui obediens Deo perseuerauerit vsque ad finem. Obedite ergo fratres charis-

Obedientia est primum religionis institutũ.

Matt. 23.

Luc. 10.

Obedien. laudes.

Gen. 15.

simi præpositis vestris cum omni humilitate, & sinceritate, vt illius mereamur fieri imitatores, qui factus Deo patri obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, Dominus noster Iesus Christus, qui cum eodem patre in vnitate spiritus sancti viuit, & regnat per infinita sęculorum sæcula Deus benedictus.

8 DE TACITVRNITATE.

CAPVT VI.

Psal. 38. FAciamus, quod ait Propheta, *dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea; posui ori meo custodiam, obmutui & humiliatus sum, & silui à bonis:* quoniam, sicut ait *Iac. 1.* Apostolus Iacobus. *Si quis putat se religiosum esse non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.* Beatus Benedictus fratres suos non ficte sed vere volens esse religiosos ad taciturnitatis amorem exemplo Prophetæ in Psalmo 38. incitat, dicens. Faciamus, q̃ ait Propheta, id est, opere impleamus exemplum, quo se præcessisse testatur, inquiens, *dixi*, apud meipsum cogitando & deliberato animo præponendo, *custodiam vias meas*, id est, vitam meam, abstrahendo me à societate loquentium, *vt non delinquam in lingua mea*, fatue vel inconsiderate loquendo. *Posui ori meo custodiam*, timorem Domini consideratione finis, animum moderationis, propositum taciturnitatis, vt non delinquam in lingua mea. Sed quoniam male loqui non potest, q̃ didicit tacere, *obmutui*, non respondendo mihi exprobrantibus, & ob hoc magis ab ipsis derisus, *humiliatus sum*, & vt non delinquam in lingua mea, *silui à bonis*, ne forte cum licentius ad bona os aperuero, eloquia interueniant extranea: Nam, si indiscrete loquimur de bonis, non poterimus effugere mala. *Prou. 10.* Quare? quia *in multiloquio non deerit peccatum:* Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua.

Faciamus & nos, quod ait Propheta: Si volumus esse religiosi; & custodiamus vias nostras, vt non delinquamus in lingua nostra, quoniam per linguam suam se multi occiderunt. Plures enim vidi loquendo peccatum incidisse, vix quempiam tacendo: ideoque tacere nosse difficilius est, quam loqui. Nemo stultus tacere potest, & si tacuerit sapiens reputabitur, quoniam sapientis signum moderata taciturnitas: Loqui vero ignorat, qui tacere nescit. Primo discat tacere, qui scire loqui cupit: vnde quidam mundi huius sapiens admonet dicens. *In hoc tantum incumbe, vt libentius audias, quam loquaris, & tacitum quod esse velis, nemini dixeris:* Auribus frequentius quam lingua vtere. Taciturnitas stulto homini pro sapientia est. Scriptum est Prouerb. 10. *Mors & vita in manu linguæ, qui diligunt eam, comedent fructus eius.* Ideoque Propheta propter bonum taciturnitatis & silentii ori suo adhibet custodiam, ne forte in lingua sua delinquat & dicit. *Obmutui & silui à bonis*, non vt bona non diligam, sed vt caueam mala.

Hic ostendit Propheta, si à bonis eloquiis propter taciturnitatem interdum debet taceri, quanto magis à malis verbis propter pœnam peccati, debet cessari. 2

HInc Dominus in Euangelio ait, *de omni verbo otioso quod loquuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicii.* *Matt. 12.* Si de verbis otiosis est exigenda ratio, quid putamus fiet de noxiis. Legimus in vitis Patrum de Abbate Agathone, quod per triennium lapidem portauerit in ore, donec addisceret taciturnitatem, quia peregrinatio nostra est, vt teneat homo os suum. Hæc est regalis proculdubio virtus celerius necessaria sentire, & tardius in verba prorumpere: nescit enim pœnitenda loqui, qui proferenda prius suo tradit examini. Sicut enim periurare non potest, qui iura-

iurare non delectatur, ita male loqui non potest, qui loquacitatem non diligit, Ergo propter taciturnitatem, quæ clauis est religionis, virtus humilitatis, indicium grauitatis, nutrix virtutum, & custos animarum etiam à bonis interdum silendum est, ne per irrefrænatam locutionem bonorum admisceãtur eloquia malorum: & si à bonis propter bonum taciturnitatis interdum silẽdum est, quanto, id multo magis à malis verbis ꝓpter pœnam peccati, quæ infligitur multiloquio cessandum est. Pœna autem peccati est mors, quæ per peccatum vnius hominis intrauit in orbem terrarum, non tantum corporum sed etiam animarum: Mors quippe intrauit perfenestras nostras. Neque enim aliunde peccamus, nisi viuendo, audiendo, attrectãdo, gustando, atq; tangendo. Qui enim non custodit visum, auditum, gustum, & huiusmodi sensus corporis vix ad taciturnitatem linguam poterit retinere. *6.q.1. ex merito.* Hinc Isidorus ait. *quando quædam parua vitiorum verba non euitamus, in magno linguæ sæpe prolabimur crimine, & dum quædam incongrua libere, & sine metu committimus, ad potiora scelera, ad horrendam peccati consuetudinem labimur*, & dum consuetudini non resistitur, peccandi necessitas generatur. sunt enim nonnulli, qui iocorum, & leuitatum stultitia assuefacti, nunquam tacere possunt; & quod ratione comprehẽdere non possunt, leuitate despiciunt. certe, sicut scriptum est prouerbiorum. 22. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Qualem quisque se desiderat senem, dirigat iuuenem. quia dum mollis est cera annulus imprimi debet: nam cum iudurata fuerit imaginem impressoris non suscipiet: sic dum iuuenilis est animus, dirigibilis & mollis extat, vt quidquid susceperit impressum, vsque ad senium retineat impressum, & scriptum. Quicunque ergo in iuuentute multiloquio deditus verba amauerit vana seu otiosa, in senectute garrulus erit absque scientia, quoniam maledictus puer centum annorum. Hinc quidam sapiens ait. *linguosus homo imperitus est, sapiens paucis vtitur verbis.* Nam breuem sermonem sapientia facit, loqui multum stultitia est: qui autem multis vtitur verbis, lædit animam suam, quare? quia *in multiloquio non deerit peccatum, qui autem moderatur labia sua prudentissimus est*, nam qui custodit os suum & linguam suam, custodit ab angustiis animam suam. vir etenim linguosus non dirigetur in terra, quia in multiloquio non deerit peccatum. Hinc nos beatus Hieronymus admonet dicens. *Qui thesaurum cordis sui non vult amittere, os suum debet diligenter custodire.* Vnde Gregorius. *Redire ad sui cognitionem non sufficit, qui per multiloquium exterius sparsus vim internæ considerationis amittit.* Custodiamus os nostrum non tantum à malis, sed etiam interdum sapienter à bonis, ne subintrent & mala, quia sicut pro otioso verbo ratio ponitur, ita pro sermone malo pœna exsoluitur. Ideo autem à bonis interdum silendum dixit fore, quia si amicis ianua libere panditur, sæpe inter amicos inimicus ingreditur & dum bona sine dissensione proferimus, mala plerunque colloquia admittimus. Cum silentio igitur, & oratione agamus quod agimus: scriptum enim est per Isaiam prophetam. *In silentio & spe, erit fortitudo vestra.* Faciamus ergo, quod propheta Dauid ait. *custodiamus vias nostras.* & artes custodiamus simul & os, vt non delinquamus in lingua nostra. quia per eam multi perierunt. Hinc Isidorus lib. soliloquiorum nos admonet dicens. *quod ad te non pertinet noli quærere, quod inter se loquuntur homines nunquam scire desideres, noli quærere quid vnusquisque dicat vel faciat, euita curiositatem, omitte curam, quæ ad causam tuam non pertinet. nulla curiositas animum tuum capiat, nulla concupiscentia detestandæ curiositatis te surripiat, ne oblitus tuorum morum, alienos perquiras, tanta cura corrige vitia tua, quanto studio prospicis aliena:* In principio audi, loquere nouissimus. Finis plus habet honorem in omni re, finis plus attenditur, & extrema quæruntur. Necesse quippe est, vt monachus Christi seruus & mundo mortuus linguam suam sciat refrænare, & antequam verbum proferat in ore examinet in corde, quoniam qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala: Vnde Apostolus Iacobus admonet dicens. *sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem*

Isidor. l. 2. de sum. b. c. 29.

Prou. 10.

Hieron.

Gregor. 5. P. pastor. adm. 15.

Isidor. l. 2.

Iac. 1.

ad loquendum. & Apostolus ad Ephesios quarto. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus est ad ædificationem fidei, & det gratiam audientibus.* Vnde Hieronymus, & ponitur 22.q.5. *quoties* vero loquimur, aut non in opportuno tempore, aut non in opportuno loco, aut non vt conuenit audientibus, toties sermo malus procedit de ore nostro ad destructionem eorum, qui audiunt. Consideremus ergo, quid loquamur, quia pro omni otioso verbo reddituri sumus rationem in die iudicii.

3

* *Ergo quamuis de bonis, & sanctis & ædificationum eloquiis, perfectis discipulis, propter taciturnitatis grauitatem, rara loquendi concedatur licentia, quia scriptum est, in multiloquio non effugies peccatum. & alibi. mors & vita in manibus linguæ tuæ.*

Prou. 10.

Prou. 14.

ERgo, inquit, propter taciturnitatis grauitatem, quæ monachum maxime decet, rara loquendi licentia concedatur perfectis discipulis, qui omnibus mundi renunciauerunt voluptatibus, quamuis de bonis, & sanctis atque ædificationum eloquiis loqui velint, quoniam pro puritate conseruanda non expedit os multum loqui, quia scriptum est Prouerbiorum 10. *In multiloquio non deerit peccatum.* Sed quid est, quod sanctus Pater noster perfectis discipulis raram loquendi concedit licentiam, & de imperfectis, quorum maior est numerus, nullam facit mentionem, quasi maius peccatum sit perfecto loquacitas, quam imperfecto. Existimo, quod perfectis prohibetur, imperfecto facere non licet; & si perfectis rara est concedenda licentia loquendi, imperfectis rarior. Quia autem non minor virtus est conseruare collecta, quam colligere dispersa, pro conseruanda puritate perfectorũ. Beatus Benedictus taciturnitatis grauitatem, quæ ipsos maxime ornat, plus quam imperfectis indicit: non vt concedat imperfectis, quod negat perfectis, quasi licitum sit istis, quod illicitum est illis, quia in maiori sæpe comprehenditur minus, sed quia in puro, id est, perfecto, magis parua macula apparet, quam in impuro: id est in imperfecto. Et quod magis apparet in quolibet homine, maius in eo iudicatur: Sic dicitur, maius esse peccatum loquacitas perfecto homini, plus quam imperfecto, quia plus in eo, quam in imperfecto perspicabile est. Sed quis est adeo perfectus, qui non sit lapsus in lingua sua? Hinc Iacobi tertio dicitur. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, In multis enim offendimus omnes, & egemus gloria Dei. Mors*, inquam, *& vita in manibus linguæ*, quia ex ipso ore procedit benedictio, & maledictio, *potest etiam fræno circumduci totum corpus; si autem equis fræna in ore mittimus, ad consentiendum nobis omne corpus eorum circumferimus: & ecce naues, cum magnæ sint, & à validis ventis minentur: circumferuntur autem à modico gubernaculo, vbi impetus dirigentis voluerit: ita & lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat. Ecce quantus ignis, quam magnam syluam incendit, & lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis, lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ, inflammata à gehenna. Omnis enim natura bestiarum & volucrum, & serpentium, & cæterarum dominantur, & domita sunt à natura humana, linguam autem nullus hominium domare potest, inquietum malum, plena veneno mortifero, in ipsa benedicimus Deum & patrem, & in ipsa maledicimus homines, qui ad imaginem & similitudinem DEI facti sunt.* Tenerum membrum lingua, & tamen vix teneri potest. Substantia quidem infirmum, atque exiguum, sed vsu magnum, & valide minatur. Tenuis est & lata, ideo euacuandis sordibus aptissimum instrumentum. Si autem perfectis loquendi licentia rarius est concedenda, ergo imperfectis semper concedenda erit? Nequaquam: si enim perfecto non expedit multum loqui, ne imperfectus fiat, quia in multiloquio non deerit peccatum, imperfecto taciturnitas conuenit, quatenus perfectus efficiatur. Quod perfectus facit, vt id quod est, permaneat: hoc imperfectus facere assuescat, vt quod non est, id est, perfectus fiat.

Non

1.Tim.1. *Non enim iusto lex est posita. sed iniustis & peccatoribus* valde autem commendabilis est discreta taciturnitas in monacho, propter excellentiam status, & eminentiam religionis: quia sicut Deo per continentiam & familiaritatem orationis fit vicinior, ita per discretum silentium, & quietem contemplationis necesse est vt hominibus fiat remotior. Qui enim Deo voluerit coniungi, ab hominibus vt separetur necesse est. Rara igitur loquendi licentia concedatur monachis: nec loquantur nisi à maioribus iussi: quia in multiloquio non deerit peccatum.

Nam loqui & docere magistrum condecet, tacere & audire discipulum conuenit.

HInc prouerb. 18. scriptum est. *qui prius respondet, quam audiat, stultum* se esse demonstrat, & confusione dignum. c. 64. reg. magistrum, id est, Abbatem loqui & docere condecet, quia vt *infra. de ordin. Abb.* oportet eum doctū esse lege diuina, vt responsum dare sciat iis, qui de lege interrogant. vnde Sapiens Ecclesiast. 22. magistrum loqui exhortatur dicens, *loquere maior natu, decet enim te:* discipulum autem tacere iubet, cum subinfert post pauca. *Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia:* pro qua reuerentia? pro reuerentia senum, vt in conspectu eorum non audeat loqui iunior. Vnde eiusdem 11. *priusquam audias, ne respondeas verbum. & in medio seniorum ne adiicias loqui:* Idem eiusdem octauo. *ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, & in prouerbiis eorum conuersare: ab ipsis enim disces sapientiam, & doctrinam intellectus, & seruire magnatis sine quærela. Non te prætereat narratio seniorum; ipsi enim didicerunt à primatibus suis:* Attendite loquaces, monachi præsumptuosi, qui primum verbum carpitis & vltrimum in omni narratione: attendite, inquam præsumtuosi, qui in conuentu primum locum: inconsiliis primum responsum: inter seniores primum desideratis sermonem. Certe discipulum conuenit audire, & tacere, solum autem loqui magistrum: à quo vos non vocati acceditis. non interrogati respondetis: non iussi vos ingeritis, seniores vestris clamoribus tacere vultis. O monache monache loquax, loquacitatis amator, silentii inimicus, senum reprehensor, vnde tibi tanta præsumptio? Certe omnino magister non es, neque te discipulum ostendis, sed seducis cor tuum, vanam gestans religionem. Omnis vero monachus, aut magister est, aut discipulus. quod luce clarius constat. sed tu magister non es, quia nec Abbas nec Prior, nec tale aliquid: neque etiam discipulus es, quia audire contemnis, & tacere non potes, ergo nec monachus es: certe tonsura monachum non facit, nec habitus, sed vita. Si itaque monachus esses. scires vbique quia non magister, sed discipulus debeas esse, & audire & tacere te decet, non loqui aut docere: Quomodo ergo monachum te fingis, cum monachus non sis? quia si religiosum te putas, disce audire, & tacere, nec inconspectu seniorum loqui præsumas, quia non decet te. nec te putes seniorem: quia plures annos implesti: sed seniorem eum iudica, quem vitæ meritum, aut sapientiæ doctrina aut præfecit gratia Christi: durus es, putas te aliquid scire? cum nihil scias, & quanto plus, apud te scis, tanto minus scis. propria existimatio minuit, quod aliena auget. intellige quæ dico, quanto tibi places, tanto Deo displices, si tibi non placeres, si præsumptuosus non esses, in congregatione seniorum taceres, & non vocatus minime accedere præsumeres. Nunc autem vade, & quid sit discipulus, quidue magistre diligentius inquire. Magistrum loqui, & docere condecet, quia maior est, quia Abbas est, quia Prælatus est, quia sibi commissa cura animarum est, discipulum autem tacere conuenit, & audire, quia magister non est, quia Abbas nō est, quia Prælatus non est, sibi commissum non est, & quia monachus est. Monachus autem non doctoris, sed plangentis habet officium. *16. quæst. 1. monachus.* Abbas senior tuus est. etiamsi tu ipsum præcesseris in annis, & tu minor es. Ergo eo loquente taceto: eo iubente loquere, & non prius. Vnde Sapiens Ecclesiast. trigesimo secundo admonet te, dicens: *Adolescens loquere in causa tua vix, cum necesse fuerit; si bis interrogatus fueris, habeat*

caput responsum tuum: & cum coram senioribus quam doctior eis loqui præsumens, adiunxit: *In multis esto quasi inscius, & audi tacens simul, & quærens; in medio magnorum loqui non præsumas, & vbi sunt senes non multum loquaris,* disce tacere, si vis scire loqui: nam silentium signum est sapientiæ, & loquacitas signum stultitiæ, quia nemo stultus tacere potest. Si interrogatus fueris ab aliquo, ne festines respondere, donec finis fuerit interrogationis; nec quicquam in communi cœtu soluere tentes, cum sapientiorē te adesse prospexeris, & pro reuerentia eorum, qui seniores sunt, accedet tibi bona gratia: vt te diligere incipiant: Melius est enim, vt te diligant tacentem, quam vt mirentur loquentem: quia dilectio est commodi, admiratio autem periculum habet timere. Sunt autem multa mala, quæ ex loquacitate oriuntur. Primum est, quod facit hominem ruinæ appropinquantem, seu approximare. Vnde Prouerb. 13. dicitur: *Propter peccata labiorum ruina proximat malo.* Secundum est, quod animam maculat & lædit. Vnde Ecclesiast. 20. *Qui multis vtitur verbis odit animam suam.* Et Prouerb. 10. *In multiloquio non deerit peccatum.* Tertium est, quod facit hominem indigentem. Vnde Prouerb. 14. *vbi autem verba sunt plurima, ibi egestas frequenter.* Si igitur monachus vis & esse, & dici, non fictus, sed verus, linguam tuam custodia taciturnitatis obsepiat, ne in litigium contentiosa feruescat, ne in maledictum procax incurrat, ne in oblectationem maledicam serpat, ne in iurationem facilius prolabatur, ne in circumuentione astuta calleat, & non in elationem superba iactetur, sed & omne verbum otiosum obnoxium sciat esse rationi. Oret ergo semper Dominum cum Psalmista, dicens. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis, vt non delinquam in lingua mea.* vt non offendam verbo, vt non corruam in malum, cognosce te etiam discipulum, non magistrum, habeasque tecum sanctorum contubernium, ne ipse te doceas, atque absque doctore viam ingrediaris, quam nunquam ingressus es: *16. q. 1. si clericatus.* miserum est enim eum fieri magistrum, qui nunquam fuit discipulus. *61. dist. Abbatem.* magistrum tuum, cuius tu discipulus es, omnibus modis venerare, nec eum contristes in sua doctrina, quia Christus ipsum demonstrando dicit, *Qui vos audit, me audit,* &c.

5

Et ideo si qua requirenda sunt à Priore, cum omni humilitate, & subiectione reuerentiæ requirantur, ne videatur plus loqui, quam expedit.

SI qua vtilia, si qua necessaria, si qua bona, siue honesta, requirenda sunt inter monachos, non ab aliquo quam à Priore, id est, ab Abbate, qui sæpius nomine Prioris intelligitur, requirantur, quia absque nutu Abbatis non debent inter se loqui monachi, quibus nihil omnino facere licet, quod non iusserit aut permiserit Abbas: & ideo, si qua requirenda sunt de sacris scripturis, seu de quibuscunque aliis necessariis, à Priore cum omni humilitate & subiectione requirantur: quia magistrum decet auctoritas dicendi, discipulum vero condecet taciturnitas, & amor audiendi. *Cum omni humilitate,* inquit, vt nullum signum superbiæ, nullum indicium præsumptionis appareat in eo; quoniam, sicut dicit Isidorus tertio sententiarum. *Summa virtus monachi humilitas, summumque vitium eius superbia est, tunc autem monachum se quisque iudicet, quantum se minimum existimauerit, etiam cum maiora virtutum opera gesserit.* Cum ergo loquitur ad Abbatem vel seniorem suum monachus, dimisso in terram aspectu, submissa voce humiliter, & composite loquatur, verba examinans in pectore, quam proferat in ore, ne videatur plus loqui, quam expedit, cum omni subiectione, vt quidquid sibi responderit senior, ratum habeat & gratum, nec verbis friuolis quibuslibet audeat contraire, vel dicere. Hoc enim monacho conuenit, vt quidquid sibi dixerit Abbas, totum, ac diuinitus diceretur, accipiat, & vt se sic ostendat audire verba Prioris cum omni subiectione, loquatur interrogatus. Abbas autem caueat, ne talia loquatur, quæ diuinis verbis contraria sint: quia si loquitur scurrilia, facit vt ea quæ vtilia sunt minime à subditis suscipiantur. Prouidendum est quoque rectoribus sollicita intentione, vt ab eis non solum praua, nullo modo, sed nec recta quidem nimie

Isidor. c. 20.

& in-

& inordinate proferantur quia sæpe dictorum virtus perditur; cum apud corda audientium loquacitas incauta opportunitate leuigatur, & auctorem suum hæc eadem loquacitas inquinat, quæ seruire auditoribus ad vsus profectus ignorat. *43 di. sit rector discretus* in silentio, vtilis in verbo, ne aut tacenda proferat aut proferēda reticescat, sæpe enim incauta loquutio rectorum, animos conturbat subditorum, vt dum prodesse ignorat, etiam obesse nō metuat. Sit sermo rectorū sale sapientiæ conditus, vt audientibus contemptum nō pariat: quia dum interdum leuia & scurrilia proferimus, etiam cum vtilia loquimur audientium animos nō inclinamus, sicut frequens mendaciū veris auditum abstrahit: ita inanis prælatorum loquutio verorum tollit credulitatem; sic ergo se Abbas exhibeat in verbis, vt subiectionem non minuat in subditis, sed vt quidquid dixerit, aut locutus fuerit consueta maturitas monachis totū diuinum præceptum designet. & monachus talem habens prælatum, secure sine disceptatione omne quod iusserit, accipere ac si diuinitus mandaretur non hæsitabit. Abbas autem, qui frequenter otiosa, inutilia, aut scurrilia verba profert monachos, etiam cum bona loquitur, dubios & tepidos reddit, Ergo sicut discipulum conuenit esse subiectum, ita magistrum in omnibus decet esse prouidum atque maturum: valde enim absurdum est in prælato scurrilitati operam dare, & labia Christi euangelio consecrata, immunda & damnabili verborum procacitate polluere. Etgo quæ discipulis dicit esse contraria in suis actibus iudicet non esse faciēda, & si quando, vel ipse, vel quilibet monachus aliquid forte in loquendo excesserit, à Domino petat veniam, & in conspectu eorum, quos scandalizauit emendet, quoniam sapientis est, si quid mali loquitur, reuocare: 22. q. 4. *magnæ sapientiæ*: Abbas apud Deum, monachus apud Abbatem, quidquid deliquerit, emēdet; decet enim monachos ab omni verbo non tantum malo, sed etiam otioso iugiter habere custodiam: propter quod & subditur.

Scurrilitates verò, & risum mouentia verba & otiosa, æterna clausura in omnibus locus damnamus, & ad tale eloquium discipulum aperire os nō permittimus.

SCurrilitas, loquacitas, vaniloquium, turpitudo, vel turpis ludus, aut ratio luxoriosa verba sonās, quæ non tantū ab ore, sed etiam ab aure monachi fugienda est. Qui enim os suum Domino consecratum vaniloquiis, aut scurrilibus verbis polluit, quid aliud quam sacrilegium facit, tollens membra sua Deo dicata, & instrumēta facit diabolica? Monachus autem verba salutis & ædificationis debet proferre, non ioci scurrilitatem, quia sine dubio valde pernitiosum est in religioso, leuitati operam dare & labia sua turpibus polluere verbis. Sanctus igitur Benedictus doctor & legifer noster, volens filios habere omni puritate nitentes, scurrilitates, leuiaque verba aut risum mouentia æterna clausura damnat, quia puritatem cordis amisit, qui vanitatem amat. Prohibet ergo primo scurrilitates, id est, turpia, seu carnalia verba vel improba, & irrisionibus digna, deinde otiosa, id est, illa quæ ratione carent iusta: & vtilitatem nullam conferunt, Post hæc verba risum monentia, vt sunt fabulæ poetarum, quas non solum monachus legere non debet, sed nec aliquis Christianus, quia oblectamenta fabularum nimium mentem incitant ad incentiua libidinum. 37. *dist. ideo prohibetur*: monachus enim, qui vitam assumpsit pœnitentialem, quæ amara esse debet, qui etiam secundum etymologiam, tristis vnus dicitur, verba scurrilia loqui non debet, sed quidquid facit, quidquid loquitur, maturitatem eum seruare in omnibus oportet, risum quoque excussum amare non debet, & ergo nec verba risum mouentia proferre, quia valde abominabile est in monacho, verbis alios prouocare ad risum. clericus etiam scurrilis ab officio censetur retrahendus. *46. d. clericum.* Quod si clerico sæculari turpia non licet eloqui verba, quanto minus monacho licet, qui puriori gratia debet nitere. Sed quæritur hic, ex quo Sanctus Benedictus solum disci-

discipulum ad tale eloquium os aperire non permittit, an magistro, id est, Abbati, vel Priori etiam prohibeatur, maxime cum specialiter nominet discipulum, & non Abbatē, aut generaliter omnes? Ad quod respondeo, quia nomine discipuli intelligitur etiā Abbas. Qui magistrum habet discipulus est, sed Abbas magistrum habet regulam. *supra. de adhi. ad. con. fratribus.* ergo discipulus est, & ad vaniloquium nec ipsi os aperire permittitur: cum enim superius dicit, *in omnibus magistram sequantur regulam, nec ab ea temere declinetur à quoquam.* non tantum fratres, sed & Abbatem voluit intelligi, & infra *de ordin. Abbate* dicit: *& præcipue vt præsentem regulam in omnibus obseruet.* patet itaque, quod nec Abbati, nec monacho ad tale eloquium os aperire liceat, quia Deum laudare omni tempore debet, nō fabulis vacare, aut verbis otiosis, maxime cum de omni verbo otioso rationem reddituri simus in die iudicii. Si ergo ratio de otioso sermone exigitur, pensemus quæ pœna de prauiloquio exsoluatur, caueamus ergo charissimi fratres à multiloquio, in quo peccatum non deesse potest: caueamus etiam ab omnibus verbis ioci aut risus, per quæ plerunque grauissima inter fratres oriuntur scādala. Hinc Sapiens ait, *Quasi per risum stultus operatur scelus.* Longe sit à monacho immoderatus risus & leuitas, qui habitum grauitatis sanctæ vitæ assumpsit.

cap. 3. Regul.

Ibid.

cap. 64. Reg.

DE HVMILITATE.

CAPVT VII.

Matt. 23. CLAMAT *nobis scriptura diuina, fratres, dicens Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.* Diuina scriptura clamat omnibus fidelib. Christi, *qui se exaltat*, & cætera: monachis autem, id est, nobis specialius clamat, quoniam ab omnibus monachorum conuersatio debet esse discreta. *16. q. 1. placuit.* Hinc Isidorus ait; *alia sunt præcepta, quæ dantur fidelibus communem in sæculo vitam ducentibus, atque alia sæculo renunciantibus.* Et infra. *Perfecto non sufficit, nisi abnegatis omnibus iis, etiam seipsum quisque abneget.* Clamat ergo nobis diuina scriptura fratres qui monachi sumus, & de humilitate nos instruit: & quod summa virtus monachi sit humilitas, summumque vitium eius, superbia. Quid ergo clamat. *Omnis*, inquit, *qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.* Quare? quoniam *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Omnis ergo, qui se exaltat, hic in præsenti apud se, vel apud proximos suos, humiliabitur in futuro coram Deo & omnibus sanctis eius, qui hic gloriosus voluerit esse hominibus, illic vituperabilis erit angelis, quia omnis qui se exaltat humiliabitur. Humiliabit enim Dominus omnem ciuitatem sublimem, & detrahet eam vsque ad puluerem; Qui se autem humiliat propter Deum, & paruus appetit videri ab omnibus, imo se paruulum æstimat apud se, hic exaltabitur apud Deum, quia omnis se humilians exaltabitur. Et considera, quam apte dixerit, qui se humiliat, & non, qui humiliatur, quia sunt plerique qui despectui habentur, non autem apud se, quia seipsos non humiliant ipsi, ab aliis humiliantur inuiti. Ad istos non pertinet hoc quod dicitur, omnis qui se humiliat exaltabitur, quia non se humiliant, licet ab aliis humiliantur. Sunt enim multi, quos alii despiciunt, qui sibi tamen magni videntur, putant se esse quod alii negant, & quod sunt, esse nolunt, quamuis alii dicant. Ergo dicit, *Omnis qui se exaltat*, videlicet apud se, quamuis homines lateat, & putat se aliquid esse, se cæteris præferendo æqualibus, humiliabitur in futuro cernentibus omnibus, & confundetur tunc manifeste, qui nunc gloriatur occulte. Qui autem hic se humiliauerit apud se voluntarie propter Christum, exaltabitur in regno cœlorum, coram omnibus per Christum, vt qui nunc humilis

Isidor. l. 3. de sum. bo. c. 18.

Iac. 4.

elegit

elegit latere, tunc glorioſus mereatur apparere.

2 *Cum hæc ergo dicit, oſtendit nobis omnem exaltationem genus eſſe ſuperbiæ.*

SVperbia plures pediſſequas habet, vt eſt, inanis gloria, iactantia, & ſic de ſingulis, quæ omnes in ſe non tantum quẽdam modũ ſuperbiendi, ſed & ipſam ſuperbiam includunt. Cum itaque Dominus dicit. *omnis qui ſe exaltat*, oſtendit omnem exaltationem ſui, intrinſecam vel forinſecam, quæ ex corde procedit ad complacendum hominibus, idem plus velle videri, quam cæteri, genus eſſe ſuperbiæ. Propterea genus ſuperbiæ exaltatio dicitur, quia de ipſius radice generatur.

3 *Quod ſe cauere Propheta indicat dicens, Domine non eſt exaltatum cor meum, neq; elati ſunt oculi mei, neq; ambulaui in magnis, neq; in mirabilibus ſuper me.*

Pſal. 130.

QVod, ſcilicet, genus ſuperbiæ exaltationem propriã, tãquam ſuperbiam Propheta Dauid fugit, ſciens proculdubio, quod, Deus ſuperbiæ reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Et notandum, quod quatuor ſunt exaltationis ſpecies, quædam eſt exaltatio in opinione, alia in voluntate, alia in opere, alia in ſermone. Exaltatio in opinione eſt, cum quis reputat ſe dignum Abbatia, vel aliqua alia dignitate: tamen ſi ſibi daretur, nollet eam habere. Exaltatio in voluntate eſt, cum quis vellet habere Abbatiam, vel Prioratum, & tamen reputat ſe indignum, vel etiam opinatur: Exaltatio in ſermone, quando nec ſe dignum reputat, nec vellet habere, tamen ea intentione loquitur, vt magnus appareat. Exaltatio in opere eſt, quando aliquis nec ſe dignum reputat, nec vellet habere, nec magna loquitur, tamen exaltatur in opere, vt cum vocatur ad conſilia & huiuſmodi. Propheta verò omne genus exaltationis ſe fugere indicat, dicens. *Domine non eſt exaltatum cor meum*, quo ad exaltationem voluntatis, *neque elati ſunt oculi mei.* in opinione videlicet, interius me aliquid reputans, neque ambulaui in magnis, videlicet operibus, quæ exaltationem prætendant, neque in mirabilibus ſuper me, loquendo videlicet alta, & magna coram hominibus.

7 *Sed quid? ſi non humiliter ſentiebam, ſi exaltaui animam, ſicut ablactatum ſuper matre ſua ita retribues in animam meam.*

MOs eſt matrum infantes ablactare volentium, vt vberibus ſuis aliquid amaritudinis ſuperponant, quatenus guſtata amaritudine infans de cætero, quas amauerat, mammillas abhorreat. Hoc itaque orat Propheta ad Dominum, ſi non humiliter ſentiebam de me ipſo, cum ſim cinis & cibus vermium, ſicut tu noſti, ſi exaltaui animam meam, id eſt, vitam meam coram hominibus eis ſtudendo placere, ſi hoc, inquam, feci, tu ſcis, quoniam non feci, ſi autem feci, retribues vt iuſtus iudex in animam meam, ſicut ablactatum ſuper matre ſua, quem amarum pro dulci conſuetudine guſtare compellit. Iuſtus enim, qui de conſcientiæ ſuæ puritate ſecurus eſt, quique ſoli Deo & non hominibus placere deſiderat, bene loquitur ſe non eſſe, quod non ſe eſſe debere cognouit: Quid ergo? poteſt ergo dicere, quia iuſtus ſum: ſed aliud eſt dicere, quia iuſtus ſum, aliud quia humilis ſum, illud arrogantem, iſtud reddit veridicum acceptum. Domine, inquit, tu ſcis quia non eſt exaltatum cor meum, ſed quid? ſentiebam humiliter de me, cum 2. regum 15. dixi. *ludam, & vilior fiam, plus quam factus ſum; & ero humilis in oculis meis.*

5 *Vnde fratres ſi ſummæ humilitatis volumus columen attingere, & ad cœleſtem illam exaltationem, ad quam per præſentis vitæ humilitatem aſcenditur, volumus velociter peruenire, actibus noſtris aſcendentibus ſcala illa erigenda eſt, quæ in ſomuo Iacob apparuit, per quam ei deſcendentes & aſcendentes angeli monſtrabantur.*

Gen. 28.

CVlmen veræ humilitatis & perfectionis nemo attingere poteſt, niſi per hanc ſcalam, cui Chriſtus innititur, aſcendat. Hinc Auguſtinus de verbis

Auguſt. ſerm. 10.

bis Domini ait. *Cogitas magnam fabricam constituere celsitudinis? De fundamento prius cogita humilitatis.* Vnde Gregorius. *Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum puluerem portat.* humilitas ergo mater est omnium virtutum. Hinc beatus Hieronymus ait. *Humilitas est obseruatrix custosque virtutum*; & nihil est quod ita Deo gratum faciat, & hominibus acceptum, quam si foris non magni sed humiles appareamus. Vnde etiam Gregorius. *Origo*, inquit, *virtutum humilitas est, & supplet in nobis omnem aliorum bonorum defectum. Perit omne quod agitur, si non humilitate condiatur*: Et ergo dicit beatus Hieronymus. *Ad summitatem virtutum non sapientia, sed humilitate venitur: nemo enim vere patiens est*, qui humilis non fuerit: radix namque patientiæ humilitas est, si igitur ad illam exaltationem cœlestem volumus peruenire, oportet vt per humilitatis scalam ascendamus, sine qua nemo videbit Deum. Hinc Origenes ait. *Si humilis & æquus non fueris, non potest in te habitare gratia spiritus sancti.* Dicit etiam Bernardus. *Perfode in te fundamentum humilitatis & peruenies ad fastigium charitatis: si vis capere celsitudinem Dei, cape prius humilitatem Christi, sola est virtus humilitas læsæ charitatis reparatio:* Erubescant monachi elati, qui sub habitu & schola humilitatis diabolum imitantur superbum: Cui Deus non pepercit in cœlis: nec eis parcet in claustris: Hinc Augustinus ait. *Deus humilis factus est, erubescat homo superbus.* Et Bernardus. *Humilitas beatæ Virginis traxit Christum de cœlo, quia non respexit fidem ipsius vel charitatem, sed humilitatem. Laudabilis virtus virginitas: sed magis humilitas necessaria:* Et iterum dicit Augustinus. *Plus laudo humilitatem, quam virginitatem, plus placet Deo humilis peccator, quam iustus superbus.* Et beatus Hieronymus. *Melior est humilis coniugalitas, quam superba virginitas.* Ambrosius commendans humilitatem ait. *Nihil excelsius humilitate, quæ quasi superior nescit extolli*, quia nemo id affectat quod intra se iudicat. *Idem de Offic.* non indocta humilitas, sed quæ habet sui modestiam & scientiam laudatur. *Scio*, inquit Apostolus, *humiliari*, id est, in quo loco, qua moderatione, quo fine, in quo officio, in quo munere. Nesciuit Pharisæus humiliari, ideo deiectus est: publicanus vero humilis iustus descendit ab illo in domum suam. Nulla virtus est, si absque scientia agitur, desinit esse virtus. De humilitate quoque ita dicit Augustinus: *O medicinam omnibus consulendam, omnia tumentia comprimentem, omnia tabescentia reficientem, omnia superflua resecantem, omnia depraua corrigentem.* Quæ superbia sanari potest, si humilitate filii Dei non sanatur? quæ iracundia sanari potest, si patientia filii Dei non sanatur? quæ auaritia sanari potest, si paupertate filii Dei non sanatur? Equidem facile est cappam habere contemptam, capite demisso incedere, faciem cuculla habere velatam, sed verum humilem patientia probat iniuriæ.

Eligenda igitur est illa scala, quam Iacob in somno vidit, dum fugeret a facie Isaac fratris sui, quæ mysticæ humilitatis est ascensus, per quam ei descendentes, & ascendentes angeli demonstrabantur, quia nulla virtus ita nos Deo & sanctis angelis suis coniungit, & acceptos reddit, sicut vera & perfecta humilitas. Virginitas namque à sanctis Patribus soror angelorum sæpe vocatur, eo quod homines angelice viuere permittat. Sed audeo dicere: si humilis non fuerit virgo, soror angelorum esse non poterit. Hinc Bernardus ait. *Poteris*, inquit, *saluari sine virginitate, sed sine humilitate non poteris*: Scala igitur angelorum recte intelligitur humilitas, quia sine ipsa nemo coniungitur eis. Vnde bene subiungitur.

Gregor. in 1. Psal. pœnit.
Hieron. ep. ad Celant.
Gregor. 27. mora. c. vlt.
Hieron. in cap. 20. Matth.
Origenes.
Bernard. hom. 2. de natiu.
Augustin.
Bernard. hom. 1. super Missus.
Augustin.
Hieron.
Ambros. lib. 7. in Luc.
lib. 2. c. 17.
Phil. 4.
Luc. 18.
Augustin. ep. 58.
Gen. 28.

Non alius sine dubio descensus & ascensus ille à nobis intelligitur nisi exaltatione descendere, & humilitate ascendere.

ANgeli autem, qui primo descenderunt, quia semper in supremo sunt & postea ascenderunt, nobis insinuant, quod non possumus ascendere ad ipsos, nisi prius descēderimus, videlicet humiliādo nosmetipsos. Qui ergo vult ascendere ad cœlum, descendat primo apud se ipsum: quia quanto quisque sibi displicet, tanto Deo placet, & econtrario quan-

quanto sibi placet, Deo tanto displicet. Hinc B. Hieronymus dicit. *Humiles dum se deiiciunt, ad DEI similitudinem ascendunt, humilitas sola conseruatrix est, & sola custos virtutum* : Scalam vero hanc diuersi diuersimodè exponunt, quia, vt superius dixi, de gradibus obedientiæ intelligitur, sed sacra scriptura tot in se habet sensus, quot verba, & vnusquisq; ad suum propositum in his, quæ ad fidem, & ad bonos mores pertinent, prout gratiam acceperit, à DEO, eam reducere potest. Nam quilibet murator, in opus suum iuxta placitum eligit lapides aptos operi: Sanctus ergo Benedictus apte descensum interpretatur humilitatem, & ascensum exaltationem cœlestem, *quia omnis qui se humiliat, exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur.* Profectus namque hominis est humilitas: quantum enim quisque ad humilitatem inclinatus fuerit, tantum eleuabitur ad profectum: sicut impossibile est nauem fabricari sine acutis clauis, ita impossibile est hominem posse sine humilitate saluari. Dicit namque Augustinus, *humilitas est regina virtutum, mors vitiorum, nutrix disciplinæ, radix scientiæ, vigor religionis, decus castitatis, speculum virginitatis, exemplum pudicitiæ, habitaculum spiritus sancti, & hospitium trinitatis.* Per humilitatem membra CHRISTI sciunt diaboli vicisse superbiam; per hanc fideles superna regna conscendunt, per hanc superbia tyrannica superatur, per hanc in æternum martyres coronantur, nec potest dici perfectus, qui hac virtute est priuatus.

Hiero. ep. ad Celāt.

Luc. 14.

Gen. 28.

Augusti.

7

Scala vero illa erecta nostra vita est in sæculo, quæ humiliato corde à Domino erigitur ad cœlum. latera enim eius scalæ dicimus nostrum esse corpus & animam, in quæ latera, diuersos gradus humilitatis vel disciplinæ euocatio diuina ascendentibus inseruit.

VITA nostra idcirco scalæ comparatur, quia per eam, si bona fuerit, ad cœlum ascenditur, latera vero eius, corpus sunt & anima, quia sicut in scala materiali multi gradus per latera inseruntur: ita quoque per corpus & animam viri iusti diuersi gradus virtutum statuuntur. Qui ergo facili ascensu voluerit peruenire ad cœlum, studiosissime scalam suam custodiat in terra, ne putrescat, ne cum se ascensurum putat sursum fracta scala decidat deorsum: Sanctus Benedictus scalam ascensionis nobis fabricans duodecim gradus interserit, & dicit, quod his ascensis omnibus, monachus mox ad charitatem DEI perueniat illam perfectam, quæ foras mittit timorem, ponitque primum humilitatis gradum timorem domini, qui est initium sapientiæ. Studeat ergo vnusquisque nostrum, fratres charissimi, summa diligentia & hanc ascendere scalam, & eligat magis in hoc mundo descendere, & sibi ipsi vilescere, quam placere, quatenus in se dominum huic scalæ innixum videre mereatur, & audire ab eo. *Veni electa mea, & ponam in te thronum meum, quia concupiuit rex speciem tuam:* quoniam soli humiles Deum videbunt. DEVS enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam: Ergo Dominus in Euangelio nos admonet, dicens. Discite *a me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Supra quibus verbis ita dicit August. *discite à me non mundum fabricare, non cuncta visibilia & inuisibilia creare, non in ipso mundo miracula facere, & mortuos suscitare, sed quoniam mitis sum & humilis corde?* Et aduerte, quod non absolute dixerit, humilis sum, sed adiunxerit, corde. quia sola humilitas cordis vera est; nam multi humilitatem * ostendunt in opere, multi apparent humiles in sermone, pauci autem sunt humiles in corde, quia veri humiles fiunt salui, sed angusta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci inueniunt eam; quia soli humiles saluantur. Ergo de numero paucorum sunt, & vere humiles pauci. Timor autem domini nihil fictæ humilitatis sustinet, & ideo pulchre in ordine graduum humilitatis ponitur primus.

Matt. 11.

PRIMVS GRADVS HVMILITATIS.

8 *VERSVS.*

* *Iustorum graduum primus timet Omnipotentem.*

1. Gradus Timor DEI.

PRIMVS *itaque humilitatis gradus est, si timorẽ* DEI *sibi ante oculos suos semper ponens, obliuionem omnino fugiat.* Homines maxime per consuetudinem peccandi, quia incidunt iu rete Diaboli, recte timor Domini primus humilitatis gradus dicitur, quia dum consuetudini non resistitur peccandi, necessitas generatur, quæ DEI implicat contemptum, cui opponitur ipse timor domini qui expellit peccata. Dicit namque Beatus Hieronymus. Nulla res sic à peccato seruat hominem : quantum amor DEI, & timor supplicii. & sanctissimus Pater noster Benedictus vnumquenque nostrum hic admonet qui iugo Domini colla submisimus, vt timorem DEI ante oculos ponentes obliuionem omnino fugiamus, vt videlicet peccatorum nostrorum quibus DEVM offendimus, nunquam obliuiscamur, & Passionis CHRISTI & beneficiorum DEI erga nos semper simus memores, in omnibus gratias agentes. Timor enim domini principium salutis nostræ est: & ergo merito inter gradus humilitatis ponitur primus.

Bern. * Ait enim Bernardus. *Timor domini generat discussionem, discussio vero cognitionem, cognitio contritionem, contritio confessionem, confessio satisfactionem, satisfactio purgationem, purgatio puritatem, puritas innocentiam, innocentia incorruptionem, incorruptio facit esse proximum* DEO. Et Cassiodorus.

Cassiod. *De timore domini*, inquit, *nascitur compunctio salutaris, de compunctione procedit abrenunciatio, id est, nuditas, & contemptus omnium facultatũ denuditate humilitas procreatur, de humilitate mortificatio voluptatis generatur, de voluptatum mortificatione extripantur atque maireſcunt vniuersa vitia, de vitiorum expulsione virtutes fructificant, atque succrescunt, de virtutum pullulatione puritas cordis acquiritur, per cordis puritatem Apostolicæ caritatis perfectio possidetur.* Vides, quorsum ducit timor domini. Sitaque ad celsitudinem volumus peruenire illius perfectæ caritatis, quæ foras mittit timorem, oportet nos primo istum gradum ascendere, quia timor domini corrigit, & hominem in omnibus irreprehensibiliter viuere compellit.

Vnde scriptum est, Ecclesiast. 1. *Timor domini, expellit peccatum.* Hinc Bernardus dicit. *Hoc in ueritate didici nihil esse efficacius ad* DEI *gratiam promerendam, retinendam, recuperandamque quam si inueniatur homo omni tempore alta non sapere sed timere. Nam qui sine timore est, non poterit iustificari*: radix enim sapientiæ est, timere DEVM, & rami illius longeui: Et nota, quod sex sunt species timoris, scilicet timor naturæ, timor humanus, timor mundanus, timor seruilis, timor initialis, timor filialis. Timoris species sex.

1. Naturalis. Timor itaque primus videlicet naturalis est, fuga mali, vel istiusmodi, quo quilibet timet naturaliter, contraria sibi, & nocumentum naturæ. Iste timor non est meritorius, quia non subiacet libero arbitrio. Naturale quidem est omni animali timere mortem, aut corporis periculum, dum verisimiliter creditur imminere, & dolere cum adsit, quia aliter non optaret bonum naturæ quærendum.

2. Humanum. Timor autem humanus est quo quis nimis timet bonum naturæ perdere, vt visum, audium vel simile. Vnde dicit Cassiodorus.

Timor humanus est timor, quo quis timet pati pericula carnis; adeo, quod ad euitandum tale periculum deserit iustitiam.

Iste timor malus est, & à domino prohibitus Matthæi 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.*

Et Lucæ 12. *Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab iis qui occidunt, & post hoc non habent amplius, quid faciant, ostendam autem vobis, quem timeatis; timete eum qui postquam occiderit corpus, habet potestatem mittere in gehennam. Itaque dico vobis, hunc timete.*

Sunt

Sunt enim multi qui carnis suæ tantum curam habentes Dei timorem postponunt, vt nihil facere velint, quod vel modicum grauet. Ieiunare nolunt, ne se ipsos destruant: vigilare timent ne caput & sensus annihilentur, orare recusant, ne phantasias incurrant, & cum nihil boni faciãt, se indiscrete agere metuunt: hi profecto carnem suam plus quam Deum timent. In carne corruptionem seminant, corruptionem quoque de carne sine dubio metent. Tertius vero timor Mundanus, quo quis nimis timet perdere bona temporalia, & iste timor nascitur de inordinato amore rerum temporalium. Hoc timore multi percutiuntur hodie, qui ne substantiam amittant mundi veritatem tacent, os aperire non audentes, & principes seu potentes sæculi mortales plus timẽt, quam Deum immortalem creatorem omnium. Hunc timorem habuerunt Iudæi, quando Christum occidentes dixerunt, Ioannis 12. *si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem.* Radix omnium malorum cupiditas, qua homo interior excæcatur, ne quod bonum est, agnoscat, & si viderit ne faciat, vt plus timeat perdere bona temporalia quam non acquirere æterna. Homo timet hominem, & non metuit omnipotentem; plus timet perdere relinquenda, quam velit inuenire æternaliter possidenda. Sic prædicatores veritatis canes muti non valentes latrare, homines plus timent, quam Deum, potius tacere volunt veritatem, quam hominum incurrere indignationem. Sed certe non est mundus à sanguine subiectorum, qui Dei cõsilium illis non annunciat, *43. dist. Ephesius.* Et æternæ damnationis pœnam incurrit prædicator qui semen diuini verbi non spargit. *cap. si dispensatio.* Dicit etiam B. Hieronymus super Isaiam Prophetam. Magnum discrimen est Dei tacere sermones propter triplicem causam, id est, propter timorem, vel propter pigritiam, vel adulationem. Et in populum ira Dei plerumq; descendit, cum prædicator delinquentes palpans non corripit *45. dist. sed Illud.* Et iste timor humanus interdum facit, vt qui eo percutitur, malos palpet, & dicit esse bonos, vere autem bonos denigrare conetur, & malos esse affirmet: quia corruptus timor eum veritatem tacere compellit, licet multo aliter sentiat. Sed valde timendum est, quod Isaiæ 5. dicitur. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absq; vllo termino, & descenderunt fortes eius, & populus eius, & sublimes gloriosiq; eius ad eum & incuruabitur homo, & humiliabitur vir, & oculi sublimium deprimentur.* Christum quippe violat, qui sanctum, non sanctum, vel non sanctum, sanctum crediderit esse. *11. q. 3. Si quis dixerit.* Crediderit, id est, credi fecerit, & alios ad hoc induxerit scienter. Adulator vel proditor clericus cito ab officio deiiciẽdus censetur, *46. dist. clericus, qui adulationibus.* In vulgo dicitur. *Veritas odium parit,* quia dum vitia hominum publicantur, vel acrius arguuntur, corripientem reddunt odiosum. Scriptum est enim. *Oderunt corripientem in porta, & perfecte loquentem abominati sunt.* Seruus autem Christi odia eorum ne timeat; nam malis displicere, laudabile est, sed Deum timeat. Sicut Dominus dicit Ezechielis 2. cuilibet seruo suo prædicanti. *Verba eorum ne metuas & vultus eorum ne formides, quia domus exasperans est.* Timeamus ergo dominum Deum nostrum, & homines, non metuemus, sicut scriptum est, *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos.* Hunc itaque timeamus, qui potestatem habet omnis carnis, & potens est, omnes aduersarios veritatis ducere ad nihilum. Quartus timor principalis, est timor seruilis, quo quis peccare timet propter metum pœnæ: & licet sit imperfectus propter carentiam caritatis, tamen vtilis est pro eo, qui astringit hominem ad declinandum à malo & faciendo bonum ne puniatur. Et iste timor plerumq; filialem inducit Vnde dicit Augustinus super Psalmos. *Per timorem seruilem fit paulatim consuetudo Iustitiæ.* Et succedit initialis timor quando incipit amari quod prius erat durum, & tunc incipit excludi timor seruilis charitate inchoata, & succedit demum timor filialis, castus, siue amicabilis, quo timemus ne sponsus tardet & discedat, ne eum offendamus, & ne eo careamus:

3. Mundanus.

Amos. 5.

Psal. 117.

4. Seruilis.

Augu. in Psal. 127.

Et iſte timor ſtat cum caritate perfecta, quæ timorem initialem, ſicut & charitas meliorata timorem ſeruilem, excludit. Vnde 1. Ioannis, 4. dicitur. *Timor non eſt in caritate, ſed perfecta caritas foras mittit timorem, quia timor pœnam habet.* Si autem Deum ſeruili timore timueris & à peccato te cuſtodieris, pœnam quidem euadis, ſed vt gloriam conſequaris, nihil feciſti, quia ad vitam æternam obtinendam non ſufficit declinare à malo, ſi bonum non feceris. Hoc enim eſt, lumbos præcinctos habere, quod & declinare à malo, & hoc lucernas in manibus geſtare, ardentes, quod eſt facere bonum.

5. Initialis. Quintus eſt timor, Initialis, qui nec ex toto eſt ſeruilis, nec ex toto eſt caſus ſed tanquã medius, aliquid de ſeruili, & aliqd de caſto timore habet, facit. n. nos ſeruire, partim timore pœnæ partim timore iuſtitiæ, per quem & timemus puniri, & timemus offendere. Iſte timor vtilis eſt incipientibus, qui nondũ Deum filiali affectu timere nouerũt, & ideo dicitur initialis, quia in inchoata caritate eſt, & quantum creſcit caritas, tantum decreſcit timor, quantum ad metum pœnæ, vt quidquid fecerit quis iam non timore pœnæ, ſed amore Dei faciat totum. Sciendum tamen eſt, quod vterq; timor, ſcilicet ſeruilis & initialis, in diuerſis locis ſcripturæ dicuntur initium ſapientiæ, & ita forte comperies, ſi diligenter annotaueris loca, in quibus de timore fit mentio. Ex alia tamen ratione & cauſa diuerſa, dicitur timor ſeruilis initium ſapientiæ, & ex alia ratione timor initialis.

Seruilis timor, quo ſenſu ſit initiũ ſapientiæ. Seruilis enim timor ideo dicitur initium ſapientiæ, quia præparat locum ſapientiæ, & ducit ad ſapientiam: ſed tamen non remanet cum ea. Sæpe namque alterius initium dicitur aliquid, non quod quidquam habeat commune cum eo, cuius initium dicitur, ſed quod cauſa eius ſit extrinſeca, vel inductiuum, mediante quo illud perficitur, cuius initium eſt. Sic vinum libidinem cauſat ſicut ait ſapiens, non quod ipſum ſit aliquid de libidine, ſed immoderatum ſumptum ad libidinem prouocat. Initialis vero timor initium ſapientiæ dicitur, quia eſt inchoata ſapientia, quem timorem, cum quis habere incipit, ſapientiam & caritatem etiam habere incipit.

Initiũ enim alicuius dicitur, quod primum de ipſo eſt, ſicut initium Eccleſiæ eſt fundamentum, quia & aliquid de Eccleſia eſt. Qui autem iſtum gradum primum humilitatis nondum perfecte conſcendere potuerit, vt videlicet Deum timeat filiali timore, ſaltim ſeruili timeat, vt ex eo fiat timor initialis, cui ſuccedit caſtus. i. filialis. Sextus timor principalis eſt, timor filialis, ſiue caſtus, quo quis timet bonum virtutis perdere, ac malum culpæ incurrere propter Dei amorem, quem offendere timet. Et iſte timor idcirco dicitur filialis, quia ſicut bonus filius timet offenſam patris ſui carnalis, etiamſi pater eius non intenderet eum percutere vel nocere, & plus timet offenſam, quam pœnam, ita quoque filius Dei quiſque per adoptionem timet & cauet offenſam patris ſui cœleſtis, etiamſi ex offenſa illa nihil mali ſibi ſciret referri. De iſto timore ſcriptum eſt *Timor domini ſanctus permanet in ſeculum ſeculi.* Dicit autem Auguſtinus in quodam ſermone. *Audeo dicere, quod ſi timore gehennæ declinas à malo, eſt in te quidem fides, quia credis futurum DEI iudicium, & gaudeo fidei tuæ, ſed adhuc timeo malitiæ tuæ. Quid eſt, quod dixi timore gehennæ declinas à malo, niſi quod non amore iuſtitiæ facis bonum? Aliud eſt timere pœnam, & aliud amare Deum. Vis ſcire, an timeas, vt ames DEVM propter ſe an propter res alias? Eſto, quod dicat tibi Deus, fac quod vis, imple cupiditates tuas, dilata luxuriam tuam, extende nequitiam, & quidquid tibi libuerit licitum puta, nec propter iſta te puniam, nec propter iſta te mittam in gehennam, veruntamen faciem meam nunquam videbis, ſi ad hanc ſententiam timuiſti, & à malis omnibus declinaſti, tunc amaſti, ſi ad hoc, quod dicit tibi DEVS, non videbis faciem meam, contemnit cor tuum, & non videndo Deum tuum magnam pœnam putaſti, tunc recte timuiſti, & tunc gratis amaſti.* In iſto timore, videlicet caſto, vita electorum fundatur & dirigitur. Sicut ſcriptum eſt Prouerbiorum 14. *Timor domini fons vt declinet à ruina mortis.* & Eccleſiaſt. 27. *Si non in timore domini tenueris te inſtanter, citò ſubuertetur domus tua.*

6. Filialis.

Pſalm. 18. Auguſt. hom. 9. ex 50.

Iſte

Iste timor filialis primus gradus est humilitatis, vt quia de caritate aliquid habere creditur, obliuionem omnino fugiat; quæ est contraria timori; quia dum obliuiscimur futurorũ, timor paulatim decrescit. scriptum est enim, *Beatus homo, qui semper est pauidus: qui autem mentis est duræ, corruet in malum.* Beatus cui donatum est semper timorem Dei ante oculos habere, quoniam *timor Domini expellit peccatum.* Timere autem DEVM filiali timore, est nulla quæ facienda sunt bona prætermittere. Vnde Ecclesiastes 7. *Qui timet Deum, nihil negligit, & qui DEVM timet, non iubet aliquid iniustum* 11. q. 3. *Qui omnipotentem.* Obliuionem studeat fugere qui voluerit monachus esse. Nunquam enim debet monachus obliuisci peccatorum suorum, quibus DEVM offendit; passionis Christi, qua redemptus est, & beneficiorum Dei omnium, & quod à seculi huius laqueis ereptus, semper Deo gratias agere. Obliuio autem negligentiam parit, quæ est animi torpor, quo quis minus diligens est in consequendo, quod exequi debet. Turpissima est iactura, quæ per negligentiam fit. In hoc enim fallimur, quod mortem non prospicimus, magna pars iam eius præteriit, quidquid ætatis retro est, mors tenet. Sicut in vnoquoque opere mater est diligentia. Ita vniuersæ religionis & disciplinæ nouerca est negligentia. Per eam quippe ad suggerenda mala cordi Diabolus habet aditum, quia nemo claudit cor, quod aperit negligentia, fugiamus itaque obliuionem, quia timor domini odit negligentiam. Et ergo dicit:

Prou. 28.

Eccl. 1.

Hugo.

Obliuionem omnino fugiat, & semper sit memor omnium, quæ præcepit Deus, qualiter contemnentes Deum, in gehennam incidunt pro peccatis.

HIc de timore seruili agitur, quo DEVM quis timet, ne vindictam retribuat peccanti, qui licet perfectus non sit, incipientibus tamen vtilis esse videtur, donec ad filialem valeant peruenire timorem, & sic demum crescentibus virtutum meritis ad illam possint pertingere caritatem, quæ foras mittit timorem, *videlicet, infra. 12. gradus humilitatis,* possumus tamen hic timorem accipere initialem, de quo supra dictum est, vt memores simus eorum, quæ præcepit DEVS ipsum diligendo, & si ipsa dilectio nos à malo non coerceat, timor saltem peccatum fugere compellat, vt si propter duritiam cordis DEVM timere non potes, pœnam saltem gehennæ, quæ debetur peccatoribus expauescas. Vnde dicit Hugo in tertio libro suo de anima, *Si amor DEI te tenere non potest, saltem terreat, & teneat te timor iudicii finalis, metus gehennæ, laquei mortis, dolores inferni, ignis vrens, vermis corrodens, & sulphur fetens, flamma tartarea, & alia, quæ ibi sunt, mala.*

Et horum timor, licet seruilis sit, plurima tamen mala, scilicet peccata tollit, & timorem filialem & castum finaliter inducit, introductumque enutrit, & custodit, atque conseruat. Timeamus itaque DEVM, & omnia huius mundi despiciamus aduersa, quoniam timentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Quid times ô homo perdere, quod te scis non posse seruare? stultum est timere quod vitari non potest. Aut cur times hominem infirmum similem tibi, & non Deum potius metuis, qui & te & illum creauit? Si propter timorem humanum veritatem abscondis hominem tibi constituis Deum, & potius hominem vis honorare peccando, quam Deum benefaciendo. Sed scito, quod quicunque metu cuiuslibet potestatis veritatem occultat, iram Dei super se prouocat, quia magis timet hominem, quam Deum, *11. q. 3. Quisquis,* Timete dominum omnes sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum. Scriptum namque est Isaiæ 66. *Ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos.* De filiali autem timore subditur.

Et vitam æternam, quæ timentibus Deum præparata est, animo semper reuoluat.

TIMOR enim seruilis pœnam euadit, & remanet nudus nisi crescat in istum, filialis autem vitam æternam acquirit, & fructuosus in dies efficitur. Scri-

ptum est, *Beati omnes qui timent dominum, qui ambulant in viis eius.* Timor seruilis de-
Psal.127. clinat à malo, sed filialis facit bonum. Ille lumbos habet præcinctos, sed iste lucernas in manibus portat ardentes. Ille non facit prohibita, sed iste adimplet præcepta. Ille fugit infernum, sed iste penetrat cœlum. Ille odit culpam, sed iste diligit virtutem. Ille necessarius, sed iste bonus. Ille nudus, sed iste caritate vestitus. Ille non spernitur, sed iste ardenter amatur. Ille habet pœnam. Iste vero parit coronam. Vita namque æterna diligentibus Deum præparata est. Sicut scriptum est Isaiæ 64. *Oculus non vidit, DEVS absque te, quæ præparasti expectantibus te,* & eiusdem 56. *Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum dabo eis in domo mea, & in muris meis*
Psal. 111. *locum, & nomen melius à filiis & filiabus. Nomen sempiternum dabo eis quod non peribit. Beatus vir, qui timet dominum, in mandatis eius cupit nimis. Potens in terra erit semen eius,* quia timor domini gloria & gloriatio, & lætitia & corona exultationis. Timor domini delectabit cor, & dabit lætitiam & gaudium in longitudinem die-
Eccl.1. rum. *Timenti dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur.* Timeamus ergo dominum Deum nostrum, qui fecit nos, quatenus benedictionem mereamur percipere sanctorum.

Nam plenitudo sapientiæ timere DEVM, & plenitudo à fructibus illius. Timēdus est dominus à nobis, tanquam pater vt non iratus nos aliquando exhæredet, si eius neglexerimus adimplere præcepta. *supra in prologo; versū. Ita enim.* Ipse enim pater noster est, & vt nos sibi filios vocaret, & nos ipsum patrem docuit nos ita orare. *Pater noster qui es in cœlis.* Hinc Isaiæ 63. scribitur. *Tu enim pater noster, & Abraham nesciunt nos, & Israël ignorauit nos.* Tu domine Pater noster, redemptor noster, à sæculo nomen tuum. Sequitur.

ū *Et custodieris se omni hora à peccatis & vitiis, Id est, cogitationum, linguæ, oculorum, manuum, pedum, vel voluntatis propriæ.*

QVI se DEVM putat timere, nullum debet admittere delictum, quia frustra timet, qui vitiis inseruit adhuc. Vnde scriptum est Ecclesiast. 2. *Qui timent dominum custodiunt mandata eius, & patientiam habebunt vsque ad inspectionem illius dicentes. Si pœnitentiam non egerimus Incidemus in manus domini, & non in manus hominum.* Custodiat se itaque monachus omni hora & momento, vbicunque fuerit à vitiis & peccatis, quia probatio timoris domini est, non peccare; nam qui peccat, DEVM nondum timet, sicut scriptum est, *Qui timent dominum, in-* Eccl.2.
quirent quæ beneplacita sunt illi, & qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius. Qui timent dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt Psal.75.
animas suas. Custodiat ergo se à vitiis & Matt.5.
peccatis, id est, cogitationum, linguæ, quoniam cogitatio hominis, confitebi- Psal. 111.
tur domino, & mors, & vita in manu linguæ & oculorum: quoniam mors intrat per fenestras tuas, Si videris mulierem ad concupiscendam eam. Et propheta, auerte oculos meos, ne videant vanitatem. Manuum, vt nihil contra DEI præceptum agas: pedum, vt non sint veloces gressus tui ad effundendum sanguinem innocentem, affectu videlicet, aut detractione, vel scandalo. Oportet enim non tātum operum, sed etiam membrorum, atq; verborū obscenitatem execrari eos, qui diuinis cultibus se manciparunt. 23. *dist. his igitur.* Per fenestras namq; mors ingreditur, quando per quinque exteriores sensus consensus peccati mortalis suscipitur.

Sed & desideria carnis amputare festinet. 12

CArnalia enim desideria militant aduersus spiritum. Sed timor domini spiritualis est, ergo cum carnalibus non potest stare desideriis. *Nam timor domini expellit peccatum.* Non tardet sed mox pullulantibus malis concupiscentiis eam Eccl.1.
studeat amputare & desideria carnis nō perficere. *supra. quæ sunt instrum.* bonor. o- Cap.4.
per. quia si secundum carnem vixerimus, moriemur, quia caro concupiscit Gal.5.
aduersus spiritum.

13

Aestimet se homo de cœlis à Deo semper respici omni hora & facta sua omni loco ab aspectu diuinitatis videri & ab angelis omni hora nunciari. ✱

In

IN omni loco oculi Dei semper contẽplantur bonos & malos. Multum ad timorem Dei proficit, si se à Deo semper respici homo cognoscit. Etenim, sicut scriptum est, *nescit homo vtrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta. Nescit enim homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo.* Hæc causa timoris omni viuenti, quia nemo est qui semper viuat, & qui huius rei habeat fiduciam. *Beatus ergo homo qui semper est pauidus*, qui diuinam iugiter sibi æstimat adesse præsentiam, qui in omnibus operibus suis timorem Domini præponit, qui nihil quod diuinę maiestatis præsentiam offendere possit, committit, sed omnes dies suos, velut vltimum diem disponit. Nam reuera quidquid agimus, loquimur, vel cogitamus, coram Deo patet; nec eum quidquam latere potest, qui omnia nouit, antequam fiant, ipse scit opera nostra, ipse scit quales sum⁹, & omnia abscondita cordis coram eo manifesta sunt. Hunc, fratres carissimi timeamus, qui nobis semper prę sens est, quem nihil latere potest, qui iudicaturus est omnem hominem, & redditurus vnicuiq; iuxta opera sua, qui nullius recipit personam, quem nemo fallere potest. Deus ergo timendus est, ac semper ante oculos habendus, vt sic illo spectante viuamus, vt illum semper nobis præsentem credamus; nam magna pars peccatorum tollitur, si peccatori testis semper assistat. Sed ipse non solum testis, sed etiam iudex est omnis carnis, quia post mortem iudicium erit, vbi vnusquisq; operum suorum recipiet mercedem. Ibi proculdubio plus valebunt pura corda, quã astuta verba, conscientia bona, q̃ marsupia plena, ibi iudex non falletur verbis, nec flectet donis. Si volumus eum propitium inuenire iudicem, iam pœnitentia prouocemus misericordem, præoccupemus faciem eius in confessione & in psalmis iubilemus ei, quia tanto apparebit nobis mitior, quanto nunc apud nos vnusquisq; sibi apparuerit in mandatis ipsius exequẽdis promptior. Certe ille supernus iudex nec gratia præuenietur, nec misericordia flectetur, nec pecunia corrumpetur, nec satisfactione vel pœnitentia mitigabitur, quia quidquid hic non paratur, ibi minime inuenietur; quia iam tempus est seminandi, tunc vero metendi. *Qui autem parce seminat, parce & metet.* Deus autem opera nostra vbiq; videt, & nihil horum quæ cogitamus, eum latere potest. Ait namq; Augustinus: *Deus totus oculus est, quia omnia videt, totus manus est, quia omnia operatur, totus pes est, quia vbiq; est.* Et Gregorius in moralibus. *Creator omnium Deus pater omnipotens vbiq; est, & vbiq; totus est, & tunc minus inuenitur, quando is, qui vbiq; totus est, in parte quæritur. Deus manet intra omnia, ipse extra omnia ipse supra omnia, ipse infra omnia. Superior est per potentiam, inferior per subtilitatem, sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans.* Facta autem nostra ab angelis Deo omni hora nunciantur, non vt nescienti, cum Deus omnia sciat, sed vt approbanti quasi qui iudicaturus est aliquem, quãuis sciat causam, tamen bonis aduocatis plerũque ad misericordiam flectitur. Secundum Gregoriũ in dialogo suo, vnusquisq; hominum vnum habet angelum ad custodiam sibi deputatum, mediante quo ad ortum producitur sine suffocatione, in vita conseruatur sine molestatione, & tandem finem imponit homini sua sedula visitatione, seu fraterna de hoc mundo ad seculum futurũ deductione. Cum simus ergo homines fragiles & mortales ex magna pietate sua Deus omnipotens vnicuiq; nostrum iugiter ad custodiam vnum deputavit angelorum, qui nos custodiat, foueat, protegat, atque defendat, quia sine Dei & sanctorum angelorum protectione diabolicas non possumus fugere versutias, qui semper circuit quærens incautum, quem deuoret. Et ideo vnusquisq; fidelium ad hoc se obligatum nouerit ac astrictum, vt ipsum veneretur laudibus collegium angelorum, & illum præcipue, qui vitæ suæ custos semper assistit, quia magna iniquitas esset pro tanto beneficio quempiam fieri ingratum.

Quacunq; enim die sanctis angelis laudem condignam impenderis, eorumque custodiæ quotidie te commiseris, nullo prorsus periculo, aut re noxia interibis. Scriptum est enim. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.*

Cur ergo sanctos nõ honorares angelos, qui tantã pro te gerunt sollicitudinẽ?

Cane

Eccl. 9.

Prou. 28.

2. Cor. 9

Aug. ep. 3. Greg. l. 2. mor. c. 12.

Greg. Vnus angelus cuique homini custos est.

Angeli omnes colendi.

Ps. 90.

Caue ne per malam & immundam conuersationem tuam offendas aspectum eorum, quoniam semper vident faciem Dei, & omnia opera nostra offerunt ei.

Vnde Tobiæ 12. Archangelus Raphael ad Tobiam dixit. *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam domino.* Psal. 137. Cantat etiam Dauid dicens. *In conspectu angelorum psallam tibi Deus.* Deus enim vbiq; præsens est, & omnia nouit, sed Angeli semper cum Deo sunt, & in Deo vident etiam ipsi opera nostra. Honoremus igitur præsentiam ipsorum, ne per ingratitudinem nostram à custodia nostra eos expellamus. Dicit namq; Origenes. Origenes. *Sæpe homo per suam ingratitudinem & peccatum angelica se reddit protectione, custodiaq; indignum.* Et vt credamus nos à Deo semper respici, testimonia adducit scripturarum sanctarum, cum subiungit.

Demonstrat nobis hoc propheta, cum in cogitationibus nostris ita Deum semper ostendit præsentem dicens. Scrutans corda & renes. Deus & iterum: Dominus nouit cogitationes hominum. Et item dicit. Intellexisti cogitationes meas à longe. Et: quia cogitatio hominis tibi confitebitur.

Psal. 7. Psal. 93. Psal. 138. Ps. 75.

CErte, qui scrutatur corda, & noscit cogitationes, opera nescire non potest: quando difficilius est cognoscere mentem, quam operationem. 1. Reg. 17. *Homo enim videt in facie, Deus autem intuetur cor.* Scrutatur ergo corda Deus clare videns cogitationes, scrutatur & renes, id est delectationes, quæ per renes designantur, eo quod delectationes Venereorum, quæ sunt magis vehementes, vigent in renibus virorum. Vnde dicit Augustinus super psalmo 7. August. *Quomodo dirigitur iustus in tanta confusione simulationis, nisi dum scrutatur corda & renes Deus, videns omnium cogitationes, quæ nomine cordis significatæ sunt, & delectationes, quæ nomine renum intelliguntur. Recte quippe temporalium & terrenarum rerum delectatio renibus tribuitur, quia & ipsa pars est inferior hominis, & ea regio est, vbi carnalis generationis voluptas habitat, per quam in hac arunosam & fallacis lætitiæ vitam per successionem prolis natura humana transfunditur. Scrutans ergo cor nostrum Deus & prospiciens ibi esse, vbi est thesaurus noster, id est, in cælis: scrutans etiam renes, & prospiciens non nos acquiescere carni & sanguini, sed delectari in domino, dirigit iustum in ipsa conscientia coram se, vbi nullus hominum videt, sed solus ille qui prospicit, quid quisq; cogitet, & quid quemq; delectet. Finis enim curæ delectatio est, quia eo quisq; curis & cogitationibus nititur, vt ad suam delectationem perueniat. Videt igitur, curas nostras, qui scrutatur cor; videt autem fines curarũ, id est delectationes, qui scrutatur renes, vt cũ inuenerit, non ad concupiscentiam carnis, neque ad concupiscentiam oculorum neq; ad ambitionem sæculi, quæ omnia transeunt tanquam vmbra, inclinare curas nostras, sed ad gaudia rerum æternarum sustolli, quæ nulla commutatione violantur,* & Dominus, inquam, nouit cogitationes hominum, qui finxit singulatim corda eorum manu gratiæ suæ, manu misericordiæ suæ corda plasmauit hominum, ipse scit cogitationes eorum. Opera enim nostra, quæ factis & dictis operamur, possunt esse nota hominibus, sed quo animo fiant, & quo per illa peruenire cupiamus, solus ille scit qui nouit cogitationes hominum. Psal. 32. *Ipse*, vt alibi dicit, *intelligit omnia opera eorum.* Vnde Augustinus super versu eodem ait. *Intelligit*, quid est? Secretius interius videt. Habes Psal. 5. in psalmo, *intellige clamorem meum.* Non enim quasi vocibus opus est, vt perueniat aliquid ad aures Dei. Occultus visus intellectus vocatur. Expressius dixit, quam si diceret, videt omnia opera eius. Tunc putares videri opera ista, quando & vides opus hominis. homo factum hominis motu eius in corpore videt, Deus autem in corde videt. Quia ergo intus videt, dictum est, intelligit omnia opera eorum. Dant duo pauperibus, vnus mercedem sibi quærit cœlestem, alius humanam laudem. Tu in duobus vnam rem vides, Deus duas intelligit. Intus enim intelligit intus agnoscit, fines illorum videt, qui intelligit omnia opera eorum. Et tu vides, verumtamen non intelligis: Ipse autem intelligit omnia opera eorum, quia Dominus scit cogitationes hominum. Ipse etiam antequam cogites, quid cogitaturus sis, nouit, & ideo subinfert aliam autoritatem sacræ scripturæ dicens. *Intelligis cogitationes meas à longe.* A longe cognoscit,

gnoscit, qui prius intelligit, quam fiat. nam alibi idem propheta dicit. *Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto, & substantia mea in inferioribus terræ.* Qui nouit omnes cogitationes hominum, ipse os quod carne absconditur, & tegitur, semper videt & nouit. Quid eum latere poterit, qui omnia creauit ex nihilo? Quoniam & cogitatio hominis confitebitur ei, & abscondita cordium manifesta erunt coram illo. Hæc omnia, fratres mei carissimi, sacræ scripturæ testimonia sanctus pater & legislator noster Benedictus ad medium adducit, vt nos instruat timere dominum, & dicat. *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos.* Quare plus pollicetur nos docere timorem domini, quam scientiam Dei? Quia, *initium sapientiæ timor domini est*, & sine principio non venitur ad medium, nec absq; medio ad finem, quia nemo repente fit summus.

Psal.33.

Prou.1.

Nec potest quisquam gradum ascendere sextum, nisi prius ascenderit quintum, ne decidat retrorsum. Quia ergo, sicut dictum est, *omnia nuda sunt, & manifesta domino*, nec eum latet quidquam, stemus in timore domini fratres, ne corruamus in malum, habentes præsentiam Dei & sanctorum angelorum eius semper in memoria, cauentes omnino obliuionem matrem negligentiæ, sed & cogitationum, verborum, operumque sollicitam geramus custodiam, nec quidquam cogitemus coram Deo, quod facere coram hominibus non auderemus.

Psal.32.

Psal.5.

Habeamus corda sursum ad dominum, & eum solum timeamus, quoniam *timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur.* Custodiamus animas nostras, quas Christus Dei filius suo pretiosissimo sanguine sibi dicauit in sponsam ab omni contagione peccati, saltem mortalis, vt simus mundi in conspectu domini Dei nostri, quoniam nullus immundus regnum Dei possidebit. Nam sequitur.

Eccl.1.

15 *Nam vt sollicitus sit circa cogitationes suas peruersas, dicat, semper vtilis frater in corde suo, tunc ero immaculatus coram eo, si obseruauero me ab iniquitate mea.*

Psal.17.

VTilis frater est, qui omnibus prodesse, & nulli desiderat obesse; qui nihil sapit, nisi quod Deo placere cognoscit, qui totam spem suam ponit in Domino, sine cuius auxilio se nihil posse facere certissime credit. Hic talis, qui saluus fieri cupit, semper dicat in corde suo. Quid faciam, nemo immundus regnum Dei possidebit, sed non est iustus super terram, qui benefaciat, & non peccet, quoniã septies in die cadit iustus & resurgit. Et si iustus vix saluabitur, peccator vbi apparebit? Quid igitur faciam? Scio enim, quoniam peccator sum, iustus non sum, immũdus ab vtero egressus, in peccatis concepit me mater mea, sed nemo Deum videbit, nisi mundus corde. Scio, scio, quoniam tunc immaculatus ero coram domino, si obseruauero me ab iniquitate mea, sed quomodo possum me ab iniquitate mea custodire, nisi vt in cogitationibus meis semper habeam timorẽ domini? Timor enim domini expellit peccatum, Scriptũ est. *Fili accedens ad seruitutem Dei sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Quare ad tentationem? quia *tentatio est vita hominis super terram.* Spiritus enim nequam tanto mentem humanam acrius impugnat, quanto cum diuinis laudibus intentiorem considerat. Veruntamen debilis est hostis, qui non vincit nisi volentem. Vnde scriptum est. *Resistite diabolo & fugiet a nobis.* Omni igitur custodia serua cor tuum, quoniam ex ipso est vita tua. Cogitationes puersas repelle abs te, & ne patiaris cohabitare tecum. Multos enim perdidit eius assiduitas & qui minorantur eis, non erunt innoxii. Licet absq; cogitatione non sit homo, subtus nos tamen est appetitus noster, & si volumus, dominabimur eius. Dicit namq; Isid. in l. sent.

Eccl.2.

Iob.7.

Iac.4.

Non est arbitrii nostri cogitationis prauæ suggestiones præuenire, iacere autem in animo cogitationẽ, nostræ attinet voluntati. Dicit etiam Gregorius in moralibus. *Magno studio superfluæ cogitationes amputandæ sunt, sed tamen amputari funditus nequaquam poterunt, semper enim caro superflua generat, quæ semper spiritus ferro sollicitudinis rescindat.* Obseruemus nos ab iniquitate nostra, & erimus immaculati coram DOMINO; & si absque peccatis omnino esse non valemus, cauendum tamen est, ne vnquam mortaliter offendamus. *de quotidianis autẽ & leuib. peccatis*, vt notat Chrys.

Isid.l.2.c.25.

Greg.l.5. mor.c.23.

Chrys.

sine

Hieron. epist. ad Demetr. *sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit.* Dicit etiam Beatus Hieronymus, *In illa tantum cogitatione peccatum est, quæ suggestioni consensum mentis dedit, quæ malum suum blandè fouet.* Incipiamus ergo bonas cogitationes diligere, & statim ab illis quæ malæ sunt, nos dignabitur dominus liberare. Erimus enim immaculati coram domino, si abstinuerimus nos à peccatis, quantum possibile est, si compuncti fuerimus de præteritis, si affectum & voluntatem habuerimus in posterum corrigere vitam. Dicit *August. de Eccl. dogm. c. 83.* namq; Augustinus. *Nullus Sanctus, aut Iustus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse iustus, aut sanctus, cum affectu teneat sanctitatem.* Nam iusti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam semper resurgit. *De pœnit. dist. 3. Hac auteritate.* Et ergo, quamuis nullus mundus sit coram Deo, qui careat peccato, dum adhuc est in carne, dicitur tamen immaculatus, si affectu præferat sanctitatem, faciens opere, quod bonum est secundum facultatem concessam sibi à domino, *si obseruauero me,* inquit, *ab iniquitate mea.* Quid est iniquitas nisi habitudo mentis iniustæ? *De pœnit.* *1. Ioan. 3.* *dist. 3. Cum beatus sit.* Licet Ioannes in epistola eum, qui fecerit peccatum & iniquitatem fecisse dixerit, peccatum est iniquitas, quia in peccato ipso est iniquitas, tamē vt nobis videtur, peccatum opus est iniquitatis, iniquitas autem operatrix culpæ atqui delicti. Prius est ergo, vt ipsa iniquitas deleatur, excidatur radix & seminarium peccatorum. Itaque quemadmodum intrans in animam sapientis disciplina imprudentiam tollit, & scientia ignorantiam, sic perfecta virtus iniquitatem, & remissio peccatorum delet omne peccatum. *Septies enim* *Prou. 24* *cadit Iustus, & resurgit.* Super quo Hieronymus. *Si cadit quomodo iustus, si Iustus quomodo cadit? sed iusti,* inquit, *vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam semper resurgit.* Sequitur.

16

Voluntatem vero propriam ita facere prohibemur, cum dicit scriptura nobis. Et *Eccl. 18.* *à voluntatibus tuis auertere.*

* VOluntas propria dupliciter accipitur. Vno modo dicitur propria voluntas, voluntas quæ Deo non est subiecta; & secundum hanc abnegatio propriæ voluntatis fit, quando voluntas nostra voluntati diuinæ omnino subiicitur. Et hæc abnegatio propriæ voluntatis omni Christiano necessaria est, quia si veraciter oramus, fiat voluntas tua domine, tunc in omnibus suam sequimur voluntatem atq; mandatum. Alio modo dicitur propria voluntas, illa quæ non est subiecta homini, & secundum hanc propria voluntas, abnegatur in eo, q̄ voto se obligans homini propter Deū suam subdit voluntatem, & hæc abnegatio conuenit religiosis, qui iuxta diuinum consilium abnegant semetipsos sibi, vt securè sequantur Christum. Voluntatem itaque monachus facere prohibetur omnino, malam videlicet & bonam, quia non expedit, imò non licet. Bonam etiam sine superioris consensu non faciat, præter in iis, in quibus nō requiritur voluntas superioris consulenda, non enim licet monachis aliquid agere sine consilio seniorum & superiorum suorum 16. q. 1. *Ecclesia habet & infra. de quadr. obseruatione in fine & 20. q. 4. Monacho. Quia volūtas* habet pœnam, necessitas autem parit coronam *infra grad. 2.* In quem enim ille ignis infernalis desæuiet, plus quam in voluntatem propriam? Tolle propriam voluntatem, & non timebis infernum.

17

Et item rogamus Dominum in oratione, *Matt. 6.* *vt fiat voluntas eius in nobis.*

SED quæ est voluntas Dei? *Vt cognoscāt* *Ioan. 17.* *te,* inquit, *verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* hæc est voluntas Dei, vt declines à malo & facias bonum, vt cognoscas Deum, creatura creatorem, vt cognoscas teipsum. Oras siquidem, *fiat voluntas tua, sicut in cælo, ita & in terra.* Quid est hoc? Per cœlum angelos & sanctos intelligo cœlestes: per terram, mortales homines. Ad nutum Dei omnes angeli obediunt, sed solus homo mortalis recalcitrat voluntati ipsius. Si rectè oras, fac quod oras, quia in te est, an volueris obedire Deo. Sed dicis, si in me est quod volo, quid tunc necesse est Deum orare, vt ipse in me faciat, quod ipse possum? Respondeo, quod Deus liberum dedit nobis arbitrium, sed nisi præueniat nos gratia ipsius, non possumus

bonum

bonum perficere, quod volumus. Ait enim per se Dominus in euangelio. *Sine me nihil potestis facere.* Ioan. 15. Hoc itaq; oramus, vt voluntas sua fiat in nobis, vt videlicet gratia sua præueniat nostram voluntatẽ, & reddat nos sibi obedientes quatenus in omnibus sua voluntas fiat in nobis, qa sumus terra & cinis: Gen. 3. sicut semper fit in cœlis, id est, in spiritibus cœlestium mansionum, Sed non potest Dei voluntas fieri in nobis, nisi nostra fuerit exclusa voluntas. Ipse namq; ait. *Qui vult venire post me abneget semetipsum*, Mat. 16. id est, carnalem suã propriam voluntatem *& tollat.* Voluntas Dei, opus eius est, tollamus ergo nostram voluntatem & perficietur opus Dei in nobis.

18

Docemur ergo merito nostram non facere voluntatem, cum cauemus illud, quod docet sancta scriptura. Sunt viæ quæ putantur ab hominibus rectæ, quarum finis vsq; ad profundum inferni demergit, Prou. 16.

Sicut alibi scriptum est. *Voluntas habet pœnam, necessitas* vero parit coronam, *in fra. gra.* 2, Magisteriũ periculosum est discipulatus autem securus, nam qui alterius * regitur voluntate, etiam errans dicitur non errare, quia non sibi, sed culpa imputabitur gubernanti, qui dux est illius sub imperio suo constituti. Merito ergo docemus nostram non facere voluntatem, sed potius alterius, qui & se & nos dirigere possit ad viam salutis, ne confidentia vana seducti, putemus nos benefeciſſe, cũ constet esse malum quod agimus. Opera enim nostra in manu Dei sunt, quia nescimus vtrum amore an odio digni simus, sed omnia probanda seruãtur in posterũ, quando omnia abscondita cordium nuda erunt & manifesta. Scriptũ est. *Mens iusti meditabitur obedientiam, os impiorum redundat malis.* Prou. 15. Hoc est quod exemplo Pauli simpliciter docebat B. Anton. quod si quis vellet velociter ad perfectionem venire, non sibi ipse fieret magister nec propriis voluntatib. obediret, etiamsi rectum videretur esse quod velit. Sed secundum mandatum saluatoris obseruandum esse, vt ante omnia vnusquisq; abneget semetipsum sibi, & renunciet propriis voluntatibus, exemplo saluatoris qui ait. *Ego veni, non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me patris.* Ioan. 5. Certe vt alter quidã ait, *ministerium monachi est obedientia*, quam qui possidet, p eo quod poscit, exaudietur, & * cum fiducia crucifixo astabit, quia dominus sic venit ad crucem factus obediens vsq; ad mortem. *Oratio enim humiliantis se pentrat nubes*, Eccl. 35. & melior est vna oratio obedientis, q̃ decem millia contemnentis, sicut scriptum est. *Melior ist obedientia quã victima, & magis auscultare, quam offerre adipẽ arietum.* 1. Reg. 15. Nihil enim ita quærit Deus à nobis, quomodo vt obediẽtes simus præceptis eius & seniorum nostrorũ, testante Apost. Paulo. *Obedite præpositis vestris.* Heb. 13. Eligamus ergo potius subesse in humilitate, q̃ nostram perficere voluntatem, & dicamus domino cum propheta. *Quia imposuisti homines*, Psal. 65. id est Abbates superiores & Prælatos *super capita nostra.* Et vt consoletur obedientes, adiungit. *Transiuimus per ignem* id est concupiscentias ardẽtes huius mundi, *& aquã* tribulationis propriæ carnis, *& eduxisti nos* de ipsis omnib. *in refrigerium* sicut alibi dicit. *Multæ tribulationes iustorum, & de omnib. iis liberabit eos dominus.* Psal. 7. Et itẽ dominus ad seruũ suũ quemq; fidelem dicit. *cum ipso sum in tribulatione*, eripiam eum, & glorificabo eum. Quid fratres nobis aliud faciendum est, nisi vt voluntatem propriam, quam in professione monastici propositi reliquimus, prius detestemur, tanquam nocivam propositoq; nostro sancto contrariam, & crucem nostram tollamus quotidie, sequentes Christum Dominum nostrum scandentem per obedientiam ad regna cœlestia? Vere fratres, breuis est præsentis vitæ lætitia & mors quotidie accelerat, diesq; Domini magnus & horribilis, in in quo omnium actuum nostrorum reddenda erit ratio, appropinquat, nec erit subterfugiendi locus, sed oportet nos omnes stare ante tribunal Christi, & de omnibus operibus nostris strictissimam reddere rationem. Tunc felix apparebit, qui iam pro Christi amore vilis æstimari elegit, & tanto fulgebit glorioſior, quanto nunc iam fuerit humilior. fugiamus ergo nunc voluntatem propriam, si volumus euadere pœnam æternam. non delectemur nostram perficere voluntatem, sed superiorum nostrorum, qui pro animabus rationem reddendi norunt præceptum: quos si per nostram inobedientiam contristauerimus,

non

non expedit nobis, quia in Christū peccat, qui doctorem veritatis contristat. Consideremus quod sicut dicit sapiens, prouerb. 16. *Est via, quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducunt ad mortem*, & nō confidamus nos voluntatibus nostris, ne corruamus in malum, & non sit, qui eripiat. Sed desideremus semper alterius perficere iussionem in omnibus bonis & honestis, quia ipse Dominus per se de superioribus nostris dicit in Euangelio. Luc. 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Sunt multa, quæ nobis bona videntur, sed superioribus apparet contrarium: oportet autem magis obedire eorum præceptis, quam voluntatibus nostris, quoniam regimen assessoris secure ducitur, voluntas autem propria in præcipitium vergit.

19 *Et cum item cauemus illud, quod de negligentibus dictum est. Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in voluptatibus suis.* Psal. 52. *

CORrupti sunt mali homines per consuetudinem malam, abominabiles vero facti sunt per superbiam vitæ, quoniam Deus abominatur virum impium, pius autem agentibus pœnitentiam. Prima causa corruptionis, voluptas propria: Si ergo non vis corrumpi, disce subdi Prælato, quia memoriam superborum perdidit Deus, & reliquit memoriam humilium sensu, Nonne propria voluntate transgressores facti sunt primi nostri parentes? Nihil adeo corrumpit hominem, * quam voluntas propria carnalis, quæ spiritu Dei non ducitur. Nam, qui propriam sequuntur voluntatem, per malas suas affectiones corrupti fiunt, dum amant hoc sæculum, & non amant Deum. Sed desideria delectantur implere, vt quidquid elegerint, bonum dicant, cum constet esse malum, & sic excæcati voluptatibus suis, Deum putant aut iniustum, aut nescire opera ipsorum, cum non senserint tormenta malorum. Certe prospicit de cœlo dominus, vt videat, si est intelligens aut requirens Deum, an videlicet fidem, quam loquitur, lingua, fateantur & opera. Infelix conditio generis humani, quæ tantis involuitur malis, immo seipsam malis inuoluit, vt caduca vitæ præsentis eligat gaudia, & obliuiscatur futurorum bonorum, quæ præparata sunt facientibus opera veritatis. Sicut scriptum est. *Beati, qui faciunt iudicium & iustitiam in omni tempore.* Psal. 105. Computruerunt vt iumenta in stercore suo. corrupti sunt & abominabiles facti sunt in affectionib. suis omnes amatores proprię voluntatis. Ecce quid dicemus fratres, totus mundus in maligno positus est, omnes pene post desideria sua vadunt, omnes præesse, pauci admodum desiderant subesse, Sap. 6. nescientes quoniam iudicium durissimū habent qui præsunt. Sed heu, quam sunt multi hodie qui Dei patientiam parui ducunt, Deum putantes aut nescire, aut nolle punire impietatem, & vnde deberent assumere pœnitentiam, inde peccandi capiunt audaciam. De talibus scriptum est ecclesiast. 8. *Etenim, quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala.* Attamen peccator ex eo, quod centies facit malum, & per patientiam sustentatur, ego cognoui quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem eius. Sed certe nemo est, qui spe viuat, quoniam ad patientiam nos Dei patientia vocat, & tanto districtius iudicabit non conuersos, quanto nunc patientius exspectat conuertendos. *Corrupti sunt*, inquit, *& abominabiles facti* sunt impii voluntate iacētes in stercore peccatorum suorum, neq; Deum timent, neq; districtam futuri iudicii examinationem pauent. Scriptum namq; est eccleſiast. 12. *Adolescentia enim & voluntas vana sunt. Et ergo memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent.* Mane semina semen tuum, & vespere ne cesses, quoniam iam hora seminandi, iam tempus spargendi, vt de semine bonorum operum fructum percipias felicitatis æternæ.

20 *In desideriis vero carnis, ita nobis Deum credamus præsentem esse spe, cum dicit propheta domino, Domine ante te omne desiderium meum.* * Psal. 37.

CVi non est occultatum os, quod fecit in occulto in inferioribus terræ, id est sub sub carne omnis viuentis, cuius oculi

culi imperfectum nostrum vident, eius nimirum scient a cognitio, & scrutinatio secreta penetrat cordium, affectus nouit desideriorum; quoniam ante ipsum omne desiderium nostrum est, quo ad cognitionem; ponatur in ipso, quo ad deuotionem, ut qui cognoscit omne quod agimus, largiatur quoq; , quod petimus. Carissimi fratres huius Dauidici carminis præallegati duplex est intellectus, sicut iam dixi, videlicet, Primo considerando, prout à sancto Benedicto ponitur, quod Dei scientia & sapientia omnia nouit: Nã vt sæpe dictum est omnia coram ipso sunt nuda, omnia manifesta, nec quidquam eum latet, qui omnia nouit, priusquam fiant. Ei namq; desideria nostra sunt manifesta, qui cœlum & terram implet, cui cœlum sedes & terra scabellum dignoscitur. Quid hunc poterit latere iudicem, qui ubicunq; nos verterimus, præsens est, & omnia videt? Timeamus hunc operum nostrorũ inspectorem & iudicem, quem nemo fallere potest; qui, ut ita dicam semper præsentissimus est. Ei enim nota sunt desideria nostra, & tacente lingua, cordis secretum clamat. Secundo, ut moraliter intelligamus, *Domine ante te omne desiderium meum*, immo & practicemus, oportet nos in omnibus voluntati diuinæ conformari, terrena despicere cœlestiã toto cordis affectu concupiscere, carnalia desideria reprimere, sancta concipere, nihil quærere, nihil amare, nihil omnino sitire præter Dominum Iesum, ut possimus veraciter dicere, *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Simul cogitemus, & iugi meditatione pertractemus, quoniam opera unius cuiusq; sequentur eum; bona si fuerunt, ad vitam, si vero mala, ad mortem. Non enim poterimus post mortem operari, nec orare, nec promereri quidquam, & cum ante tribunal Christi in summo examine venerimus in illa die Domini horribili, nec Iob, nec Daniel, nec Noe nos orationibus suis liberare poterunt, sed vnusquisq; onus suum portabit 13. q. 2. *In præsenti.* Ponamus ergo desiderium nostrum ante Dominum, ideſt, in Domino, & ad eius voluntatem: & sic viuamus in hoc sæculo, sicut peregrinus in diuersorio, qui semper sollicitus est, quomodo iter suum peragat sine discrimine, sine depredatione, sine tarditate, & semper post finem anhelat laboris. Sic inquam viuamus, vt eum venerit hora mortis secure dicamus. *Domine ante te omne desiderium meum & cupio dissolui, & esse cum Christo*, vt mundus nobis, & nos simus crucifixi mundo. Quid enim homo de omni huius mundi substantia secum ferre poterit, cum omnia sine dubio relinquere oporteat? O quam insipiens cor humanum, cuius desiderium ponitur in incerto, transitoria diligit, æterna non cogitat, & quod alios videt amittere, se æstimat posse seruare. Certe dum seruas aurum perdis; dum spargis, inuenis. Hoc tuum portabis, quidquid hic pro nomine domini dederis. Si vis omnia tecum ferre, cuncta da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis incomparabilem. O Domine Iesu pone obsecro desiderium meum iuxta te, in te, ad te, in omni tempore, & dirige in cõspectu tuo viã peregrinationis meæ, quatenus vel inter vltimos seruos tuos fideles merear inueniri.

Phil. 1.

21

Cauendum est ergo ideo malum desiderium, quia mors secus introitum delectationis posita est.

MAlum desiderium est, quod à Deo alienum est, vt cum creaturam diligendo, creatoris obliuiscitur animus. Sed quocunq; posueris desiderium tuum, finietur in breui, nisi in solo Deo creatore tuo, sicut scriptum est, *desiderium peccatorum peribit.* Et de iustorum desideriis dicitur. *Desiderium pauperum suorum exaudiuit Dominus.* Et spes iustorum est immortalis apud altissimum. Desiderium autem animæ iusti tribuit ei Deus: consolatio vero peccatorum sicut vmbra transiet. Desideria sancta in dilectione crescunt. Si autem in dilectione deficiunt, desideria sancta non sunt. Incipiamus itaq; desideria amare spiritus, id est, Dei, & carnis desideria cessabunt. Cauebimus enim mala, si fecerimus bona. Mors secus introitum delectationis posita est: nam quando primorum parentum nostrorum delectatio pomi conualuit, mors introitum suscepit. Vis scire, quomodo mors secus delectationem sit posita? debes aduertere quæ dico, & sic desideria tua refrenare, ne vnquam recedant à Deo. Vagus sensus malam cogitationẽ

facit,dum vana sectatur exteriora, amittit interiora,& cogitatio facit delectationem,si non continue amputetur,& delectatio facit consensum,& si adsit facultas, cõsensus facit opationẽ. Quod si desit facultas,& faciẽdi fuerit volũtas, p opere erit affect⁹. Vnde Aug. ait. *Quidquid vis,& non potes,factum Deus computat.* Nam mala voluntate,vel sola,quisq; miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur. Operatio autem mali consuetudinem facit, & dum consuetudini non resistitur, necessitas generatur. Nam consuetudo perseuerãtiã,perseuerantia parit necessitatem,necessitas desperationẽ,desperatio sine impœnitentia mortem adducit æternam, & sic dum primæ suggestioni non obuiatur,delectatio mala mortem æternã consequitur. Caueamus ergo à concupiscentia mala & desiderio iniquo, quatenus sancta possimus parere desideria,quia nõ expedit animabus nostris terrenis, seu carnalibus inhiare voluptatibus.

22
Eccl.18. *Vnde scriptura præcipit dicens, post concupiscentias tuas non eas.*

SVnt quidam codices,qui hic pro, *vnde*,ponũt,*inde* quod non refello: vnusquisq; enim in suo sensu abundat, sed oportet nos scire S. patrum nostris altiora fuisse studia,nec facile quidquam in libris antiquis esse radendum, nisi manifestus apparuerit error. Possum & ego hic accipere, *inde*, propter præcedentia, & tollere positum *vnde*, propter sequentia. Vtrumq; bene ponitur, non enim sensui subtrahunt quidquam. *Post concupiscentias tuas non eas*, id est, malas cogitationes in deliberationem ire non sinas,sed mox,vt oriri cœperint,suffoca, ne crescente mora,simul crescat & delectatio. Sunt etiam quidam, qui malas suggestiones præueniunt non dolendo,sed magis incendendo.ii sine dubio post concupiscentias suas vadunt,dum sibi ipsis sunt causa ruinæ. Quotiescunq; ergo turpis te pulsauerit cogitatio,moram non patiaris, sed confestim ora ad Dominum Deum, quatenus suo auxilio pellantur,quæ tuo labore nequeunt superari. Nihil enim sic adiuuat contra diabolicas tentationes, quomodo humilis oratio, & deuota. Sicut
Eccl. 35. scriptum est. *Oratio humiliantis se penetrat nubes.* & iterum. *Respexit Dominus in orationem humilium, & non spreuit precem eorum.* Et item. *Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate.* & ipse Dominus seruum suum consolatur,dicens. *Cum ipso sum in tribulatione,eripiam eum & glorificabo eum.* Effunde igitur cor tuum ante conspectum Domini Dei tui,& puras manus tuas leua ad eum orans, & miserebitur tui,quoniam benignus est, & prestabilis super iniquitate. Reprimamus itaq; omnem concupiscentiam malam, & solis cœlestibus inhiemus desideriis,& de valle miseriæ ad patriam suspiremus sanctorum. Concupiscentia vero est turpis animæ motus in affectu sordidæ delectationis,quem iugi meditatione mortis, & timoris Domini repellere,& extirpare debemus.

Psal. 101. Psal.144.

Ergo si oculi domini speculantur malos & bonos, & dominus semper respicit de cœlo super filios hominum, vt videat si est intelligens aut requirens Deum, & si ab angelis nobis deputatis die noctuq; que factori nostro opera nostra nunciantur, cauendum est omni hora fratres,sicut dicit in psalmo propheta, ne nos declinantes in malum & inutiles factos aliqua hora aspiciat Deus, & parcendo nobis in hoc tempore quia pius est,exspectet nos conuerti in melius, ne dicat nobis in futuro, hæc feci & tacui.

Psal.33. Psal.52. Psal.49.

QVidquid hic ponit per summam, totum antea probauit per sacram scripturam,vt in conclusione sermonis nos redderet memores prædictorum. Primum igitur testimonium est proverbiorum 15. vbi dicitur. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.* Secundum,in psal. 52. ponitur. *Deus de cœlo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens aut requirens Deum.*

Tertium, videlicet quod angelis sanctis factori nostro omnia opera nostra nuntiantur,habetur Tobiæ duodecimo, vbi legitur. *Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos,dicitur ego obtuli orationem tuam Domino.* Et hoc sacerdos orat in o-

in omni Missa, quatenus per angelum suum offeratur Deo sacrificium quod immolat, videlicet. de Consecr. dist. 2. *Verũ sub figura.* Per ipsos etiam, quid hic pro salute mortuorum agatur, eis insinuatur 13. q. 2. *fatẽdum est.* Si igitur hoc crẽdimus, videlicet quod oculi domini in omni loco bonos & malos contemplantur, & quod ei omnia abscondita cordium manifesta sint, & omnia opera nostra ei per angelos nuncientur non quasi ignoranti, cum illi nihil incognitum sit, *de consec. dist. 1. de nominibus recitandis*, sed potius vt interueniente angelico suffragio Deo acceptum sit bonum quod facimus: debemus omni hora cauere, ne per peccata & mala opera nostra declinemus in malum, & ne per torporem & negligentiam efficiamur inutiles, quod & villicationis ratio ponitur, & seruus piger de negligentia sua & desidia damnatur. Non enim sufficit ad salutem declinare malum, si non feceris & bonum. Cogitemus etiam, quod Dei patientia ad pœnitentiam nos vocat, & tanto districtior erit examinatio, quanto nunc longior fuerit pœnitentiæ expectatio. Pius enim est Deus, longanimis, & multum misericors, sua patientia nostram duritiam confundit, sed & certe, qui iam patiens dissimulare videtur, contra non conuersos durus & districtus aliquando apparebit. Quid tunc dicturi sumus miseri, quos longa expectatio Dei non emollit? quid inquam tunc dicemus, cum nobis dicturus est iudex, hæc feci sti & tacui. Certe nulla excusatio nos liberabit, nulla oratio iuuabit, nulla pœnitentia purgabit, cum ad illud extremum iudicium peruentum fuerit, quia sicut vnumquemq; iudex inuenerit, talem & iudicabit. Dum ergo adhuc in carne sumus, & tempus pœnitentiæ nobis concessum est, ne gratiam nobis datam negligamus, carissimi fratres, memores simus semper nouissimorum, quæ vnicuiq; nostrum futura sunt, à quibus fugere est impossibile, sustinere importabile, & sic vitam huius nostri incolatus agamus, vt memoria districti iudicii Dei a mente nostra nunquã recedat.

Frequens etiam meditatio mortis timorem Domini inducit, hæc sit philosophia nostra monachorum, memoria passionis Christi, meditatio mortis nostræ, pauor gehennæ, desiderium cœlestis patriæ, recordatio iudicii extremi. prima namq; & verissima definitio philosophię, mortis memoria est. Sic speremus misericordiam Dei, vt iudicium eius metuamus, sic spes indulgentiæ nos erigat, vt metus gehennæ nos semper affligat; timor enim semper emendat peccatum, reprimit vitium, cautum facit hominem atq; sollicitum. Vnde dicit B. Hieronym. *Nulla res sic à peccato seruat, quantum amor Dei, & timor supplicii.* Ergo si ad culmen volumus ascendere humilitatis, primum contendamus scandere gradum, vt videlicet cor nostrum possideat timorem domini, quia initium sapientiæ timere Deum. In omni enim sacra scriptura sapientiæ & sanctitatis initium ponitur timor Domini, nec aliud vnquam inueni scriptum. Beatus ergo homo, qui tenuerit timorem Domini, & profecerit in eo, quoniam viam quæ ducit ad vitam apprehendit, cuius timor Domini, thesaurus eius. Nulla huius mundi prospera vos seducant, carissimi fratres, nulla frangant aduersa, nulla tribulatio, nulla persecutio, nullus sanctæ disciplinæ labor propositum vestrum monasticum euertet: sed cogitate, sicut scriptum est, in actibus Apostolorum, quoniam *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Et Christum oportuit pati, & sic intrare in gloriam suam.* Act. 14. Luc. 24.

Non dubito velletis omnes esse sancti & perfecti, sed labor vos terret, & vita longa pusillanimes reddit: sed cogitate obsecro, quoniam *nemo repente fit summus*, sed oportet per successum temporis festinare ad altiora, nam *hæreditas ad quam festinatur in principio, in fine benedictione carebit*, & cuius longa fuerit inquisitio, dulcior viuenti erit possessio. Si quis vestrum proficisci voluerit in longinquam regionem, certe non poterit vnius horæ, aut diei spacio totius viæ interualla circuire, sed dietim, & successu temporis attingit, quo cupit. Sic, fratres carissimi, est regnum cœlorum, & prior possessio virtutum acquirenda, vt per multos labores fatigati, tandem perueniamus ad patriam nostram, quo tendimus. In vulgo dicitur. Pron. 20.

Vnius diei opus non est constructio Romæ.

Ne ergo cessemus ab opere bono, quo vsq; peruenire mereamur quo cupimus,

quia sine dubio multus labor incumbit pergentibus ad cœlum.

GRADVS II.

VERSVS.

Illecebris carnis submittit frena secundus.

Secundus humilitatis gradus est, si propriam quis non amans voluntatem desideria sua non delectetur implere, sed vocem illam domini. factis imitetur dicentis. Ioan. 5. *Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui me misit.*

GRadus iste humilitati vicinus est. humilitas autem soror caritatis, quia 1. Cor. 13. caritas non inflatur. Quisquis ergo ad caritatis culmen pertingere cupis, propriam detestare voluntatem. Et quia humana conditio semper prona est ad carnis perficienda desideria, & propriam amat voluntatem; omnino necessarium videtur, vt quisq; tali se committat rectori, qui zelum Dei habeat, secundum scientiam tamen, quatenus sub eo constitutis nulli liceat facere, quod sibi placuerit, Prou. 28. sed magis quod iusserit Abbas. Puer, qui propriæ voluntati & lasciuiæ dimittitur, confundit matrem suam: & monachus, si propria voluntate regatur, religionem sanctam confundit, quia nihil adeo contrarium est proposito monastico, quomodo propria voluntas. Et equus fortis, seu recens & indomitus si sui iuris esse permittitur, se & sessorem suum ad præcipitiũ trahit, sic & monachus si sua voluntate, pro rectore vtatur, equum, id est, corpus, & sessorem eius, id est, animam Matt. 7. præcipitat in infernum. *Angusta est via quæ ducit ad vitam, & pauci inueniunt eam,* quia licet sciant, ambulare tamẽ nolunt per eam.

Nam omnes propriam diligimus voluntatem, & inflata ducimur præsumptione, quia iudicium nostrum præferimus alieno.

Sed si volumus sequi CHRISTVM in cœlum ascendentem, oportet vt eum hic in terris imitemur se humiliantem, quia paruulorum, id est, de se nihil præsumentium regnum cœlorum esse perhibetur.

Quanto ergo quisq; apud se fuerit humilior, tanto Deo & regno eius iudicatur vicinior. Tanto quisq; proficit ascendendo ad Christum, quanto deficit æstimando seipsum. Si ergo te Christi putes discipulum, fac, quod docet te magister, abnega temetipsum, propriam relinquens voluntatem, vt semper delecteris subesse imperio alterius propter Deum: quoniam maxima reposita est merces iis, qui se à sæculi huius actibus sequestrarunt: quibus nihil in hoc mundo habere datũ est, nisi ad omnia bona volũtas, ita vt secure dicere valeãt cum Apostolo Paulo. *Viuo iam non ego, viuit vero in* Gal. 2. *me Christus,* per obedientiam videlicet, vt non faciam iam quod ego volo, sed quod iusserit Abbas Vicarius Christi. *supra. qualis debeat esse Abbas.* Christus enim, à quo Christiani dicimur, eo quod ipsum sequi debeamus, suo nos exemplo superioribus nostris docuit obedire, cum diceret in Euangelio. *Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui me misit.* Et ne putares eum hoc solum voluisse & non fecisse, quasi affectum obediendi expressisset, & non operationem; audi, quid aperte dicat in agonia constitutus ad patrem. *Pater* Matt. 26. *si fieri potest, transeat à me calix iste.* Verumtamen non *sicut ego volo, sed vt tu.* Et iterum. *Si potest transire calix iste, nisi bibam eum, fiat voluntas tua.* Et ne hoc parum existimes in fine: audi quid fecerit vitæ præsentis principio, *Et erat,* inquit Euangelista, *sub-* Luc. 2. *ditus parentibus.* Si creator & redemptor noster omnium Christus factus est, non solum patri obediens, sed etiam hominibus propter nos, quid miseri respondebimus nos, qui obedire contemnimus hominibus, quos nobis Deus præfecit? Obediuit Deus inferiori, & homo contemnit obedire æquali.

Erat Christus subditus hominibus, & nos subdi contemnimus diuinis præceptis. Certe, si monachus esse desideras, oportet vt alterius voluntate regaris. Quomodo enim poteris esse, quod diceris, nisi obediens superioribus? fuge voluntatem propriam si gehennæ cupis euadere pœnam. Dicit enim Bernardus. *Quid odit atq; punit Deus, sicut propriam voluntatem? Cesset ergo voluntas propria & in-*

& infernus non erit. In quem enim desæuiet ignis, nisi in propriam voluntatem? Grande malum propria voluntas, qua fit vt bona tua, bona non sint, De non implendis desideriis dictum est supra, cap. 4. *quæ sint instr.* bon. op. paragr. 2. post medium. Item supra. grad. 1. *humil.* paragr. 3. Et quomodo mors secus introitum delectationis fit posita.

25

Item dicit scriptura: Voluptas habet pœnam, & necessitas habet coronam.

VOluptas non dicitur, vbi defuerit voluntas eligentis eam, quia si non vis, voluptas tui non dominabitur. Ergo voluntas ad omnia præuia mouetur. Voluptas ergo, siue voluntas mala, quia nullum est peccatum, nisi voluntarium, pœnam habet, videlicet, culpæ: necessitas autem quæ semel processit ex voluntate libera ante professionem, *parit coronam*, puritatis videlicet & iustitiæ: quia monachus ante professionem suam liberam habet voluntatem profitendi religionem, si vult: & si non vult, libere discedere potest, *infra. de discip. susc. fratrum.* quia non cogitur aliquis in monasterio manere, nisi professionem fecerit in manu Abbatis. 17. q. 2. *Gonhaldus.* post susceptum vero habitum & emissam professionem, non potest redire ad sæculum neq; collum excutere de iugo regulæ, quod ante professionem licite potuisset. *infra de disc. suscip. fratrum. & 20. q. 3. propositum monachi.* Sic ex libera voluntate fecimus necessitatẽ, quia cũ potuissemus vouere vel dimittere in nostra fuit voluntate, nunc autem quod vouimus, reddere oportet: nec est amplius nostræ voluntatis diminuere votum. Vnde dicit B. Hieron. Hoc vobis dico, fratres, quia sunt omni tempore martyria, sunt & præuaricationes. Denique & Apostolus loquitur de viduis, quæ secundos duxerunt maritos, dicens. *habentes damnationem, quia primam fidem* irritam fecerũt. Vide quid dicit. O vidua antequam mihi promitteres, quod esses vidua, in tua erat potestate, vt nuberes: ex quo autem mihi professa es, quod mihi permaneres, ex eo tempore mea esse cœpisti: si volueris secundum maritum ducere, me contempsisti. Sic & tu monache, antequam mihi promitteres, in tua erat potestate, quod volebas, facere, vox tua ligauit te mihi, nunquid te compuli, nunquid ex necessitate fecisti? Nonne liber eras? In tua fuit potestate promittere; promisisti. meus esse cœpisti, meum nolo dimittas. non tibi licet dimittere, quia nullam habes causam. promittere tuum fuit, dimittere non est tuum. Si dimiseris, non te habeo in illo gradu, in quo te prius habui. primum liber eras, iam seruus factus es. Eras quidem de familia mea, sed non eras ante oculos meos, nec eras de ministris meis, & tamen eras de familia mea, non tamen eras mecum, sed tamen creatura mea eras. Ex quo mihi militare cœpisti si recesseris, non te habebo de familia mea, sicut prius habui, antequam mihi voueres: sed certe fugitiuum & præuaricatorem te habebo. Non autem inuenies, quo possis fugere. Sed me tibi bene abscondere potes, te mihi autem nunquam. Ideo hoc totum dico carissimi fratres, quia in nostra fuit potestate promittere seruitutem Dei, obedientiam videlicet, & stabilitatem, conuersionemque morum nostrorum secundum regulam sancti Benedicti: non est autem in nostra potestate dimittere. promisisti? præmium habes. negasti? pœnam habebis.

Ecce ante oculos tuos est via mortis, & via vitæ; elige, quod volueris, aut monachus saluaberis, aut non monachus damnaberis. Ecce ego, qui desii esse sæcularis, & factus sum monachus: aut monachus saluor, aut aliter nõ saluabor. potuissem sine peccato mansisse sæcularis, sed nunc absque peccato non possum fieri sæcularis modo quocunque.

Ipse sanctus Paulus quotidie clamat in voce spiritus sancti. *Fratres nolite errare, Deus non irridetur.* An nescitis fratres, quia cui exhibuistis vos seruos ad obediendum, serui estis, cui obeditis, siue peccati in mortem, siue obeditionis ad iustitiã? Vides quomodo ex volũtate necessitatem feceris. Sed felix necessitas, quæ nos Deo coniungit. faciamus ergo nunc de necessitate virtutem, vt quod prius bona voluntate promisimus, eadem permanente quotidie impleamus. Sed occasione prædictorũ posset aliquis arguere. Stultũ esse obligare se voto ad obediendum alicui, ad quodcunq; seruandum, cum vnumquodq; bonum, quanto

c. 58. reg.

1. Tim. 5.

Gal. 6.
Rom. 6.

Obiectio.

liberius agitur, tanto virtuosius esse videatur. Quanto autem ex maiore necessitate quis ad aliud obseruandum astringitur, tanto minus libere id agere videtur. Exinde sumunt quidam argumentum, & dicunt, quod si sæcularis in libertate constitutus & monachus sub obedientia Prælati positus eandem fecerit alicuius virtutis operationem, ille ex voluntate, iste ex necessitate, secularis ille maius meritum habeat, quam monachus, cum nullum Deo placeat coactum seruitium 45. *dist. de Iudæis.* & sic plerumq; fit, vt se doleat quis esse in religione, cum meliorem se putat esse potuisse in sæculo. Sed ad hoc *Responsio* respondeo, quod si monachus ex obedientia coactus aliquid boni fecerit, vt laborare, vigilare, seu ieiunare, & simile aliquid, & non præbuerit bonam voluntatem, quam potest, sed in corde contradixerit, & murmurauerit, certum est, quod bonus voluntarius sæcularis in eodem opere, quo ad meritum, eum præcedit. vt *supra, de obed. c.* 5. dicitur. Nam cum malo animo obedit discipulus, & non solum ore sed etiam corde murmurauerit, & si impleat iussionem, tamen acceptum non erit iam Deo, qui cor respicit murmurantis, & pro tali facto nullam consequitur gratiam, immo pœnam murmurantium incurrit.

Si autem monachus bonam suam voluntatem, quam potest, iussioni adhibuerit, ita vt libens omnino obediat, quis adeo temerarius, vt affirmare audeat cum sæculari eiusdem operis exercitio dedito in præmio esse inferiorem, cum sibi maior sit? vt patet in sequentibus.

Dicit namq; sanctus Thomas 3. contra gent. capit. 136. *Videntur autem* huiusmodi homines necessitatis rationem ignorare, quibus videtur derogari laudabilitati virtuosorum actuum per hoc, quod ex necessitate obedientiæ vel voti fiunt.

Est enim duplex necessitas, quædam coactionis, & hæc laudem virtuosorum actuum diminuit, quia voluntariæ contrariatur: coactum enim est, quod est voluntati contrarium. Est autem quædam necessitas ex interiori inclinatione procedens, & hæc laudem virtuosi actus non diminuit, sed auget. Facit enim voluntatem magis intense tendere in actum virtutis. patet enim quod habitus virtutis, quanto fuerit perfectior, tanto vehementius voluntatem facit tendere in bonum virtutis, & minus ab eo deficere. Quod si ad finem perfectionis deuenerit, quantam necessitatem infert ad bonum agendum, sicut est in beatis, qui peccare non possunt: non tamen propter hoc, aut libertati voluntatis aliquid deperit, aut actus voluntatis. Est autem & alia necessitas ex fine, sicut cum dicitur alicui necesse habere nauem, vt transeat Rhenum. Patet autem, quod nec huius necessitas libertatem voluntatis diminuit, nec actus bonitatem. Quanto quidem quis potius agit, quam necessarium ad finem, ex hoc ipso laudabile est, & tanto laudabilius, quanto finis fuerit melior.

Necessitas autem obseruandi, quam quis vouit, aut obediendi ei, cui se supposuit, non est necessitas coactionis, sed nec etiam ex interiori inclinatione procedens, sed ex ordinatione ad finem. Est enim necessarium vouenti hoc vel illud agere, si debet votum impleri, aut obedientia seruari. Cum igitur ii fines laudabiles sint, vtpote, quibus se homo Deo subiicit, necessitas prædicta nihil diminuit de laude virtutis.

Est autem vlterius considerandum, quod dum implentur aliqua, quæ quis vouit, vel quæ sibi præcipiuntur ab eo, cui se subdit propter Deum, maiori laude & remuneratione sunt digna. Contingit enim vnum actum duorum vitiorum esse, dum actus vnius vitii ordinatur, vt cum quis furatur, vt fornicetur, actus quidem secundum speciem suam est auaritiæ, secundum intentionem vero luxuriæ. Eodem autem modo & in virtutibus contingit, quod actus vnius virtutis ad aliam virtutem ordinatur. Sicut cum quis dat sua, vt cum alio amicitiam habeat, caritatis actus quidem ex sua specie est liberalitatis, ex fine autem caritatis. Huius autem actus maiorem laudem habet ex amore virtutis, scilicet ex caritate, quam ex liberalitate.

Vnde si remittatur in eo, quod liberalitatis est ex eo, quod ad caritatem ordinatur, laudabiliori & maiori mercede dignus erit, quam si liberalius ageretur, non in ordine ad caritatem.

Ponamus

Ponamus ergo aliquem opus virtutis agentem, puta ieiunantem, vel continentem se à venereis, & quidem, si absque voto hoc faciat, erit actus, vel castitatis, vel continentiæ. Si autem ex voto, refertur vlterius ad aliam virtutem, cuius est, Deo aliquid vouere, scil. ad religionem, quæ potior est castitate, vel abstinentia, vtpote faciens nos recte habere ad Deum, erit ergo actus continentiæ vel abstinẽtiæ laudabilior, & eo quod ex voto facit, etiam si ita non delectetur in abstinentia vel cõtinentia, ex eo quod delectetur in potiori virtute, quæ est religio. Item id quod potissimum est in virtute est debitus finis: nã ex fine principalis boni ratio manat. Si ergo finis fuit eminentior, etiamsi in actu quis se remissius habeat, erit eius actus virtuosior: sicut si aliquis proponat propter bonum virtutis longam viam agere, alius autem breuem, laudabilior erit, qui maius aliquid per virtutem intendit, licet in progressu viæ lentus procedat. Si autem aliquis facit aliquid propter Deum, illum actum Deo offert. Sed si ex voto hoc faciat, non solum actum sed etiam potentiam offert Deo; & sic patet, quod propositum suum est ad aliquid maius Deo exhibendum. Erit ergo actus eius virtuosior ratione maioris boni intenti, licet executione alius videatur feruentior.

Quæ fiũt ex voto laudabilius fiũt, quã quæ sine voto.

Præterea, voluntas præcedens actum manet virtute in executione actus, & ipsum laudabilem reddit, etiam quando de proposito volũtatis, propter quod actum incipit, in executione operis non cogitabit. Non enim oportet, vt qui propter Deum aliquod iter incipit, in qualibet parte itineris de Deo cogitet actu. Patet autem, quod ille qui vouet se aliquid facturum, intensius id voluit, quam qui simpliciter id facere disponit: quia non solum facere voluit, sed firmare voluit, vt non deficeret à faciendo. Ex hac item voluntatis intentione redditur executio voti cum intentione quadam laudabilis, etiam quando voluntas, vel non actu fertur in opus vel fertur remisse. Sic item laudabilius fit, quod ex voto fit, quam quod fit sine voto, cæteris tamen paribus. Vlterius considerandum, quod triplici ratione factum, idem opus melius est, & magis meritorium cum voto, quam sine voto. Primo, quia vouere est actus latriæ, latria autem est honor, qui fit Deo, quæ est præcipua inter virtutes morales. Nobilioris autem virtutis est opus melius, & magis meritorium, quia imperatur à nobiliori virtute, sicut actus fidei vel spei melior est, si imperatur à caritate & ideo actus aliarum virtutum, vt ieiunare, continere, sunt meliora, & magis meritoria, si fiunt ex voto: quia sic iam pertinent ad cultum diuinum, quasi quædam Dei sacrificia, & hoc per latriam, quæ dicitur nobilissima virtus. Vnde dicit Augustinus libro de virginitate. *Neque ipsa virginitas, quia virginitas est, sed quia Deo dedicata est, honoratur*, quam vouet & seruat continentia pietatis. Secundo, quia ille, qui vouit, & facit, plus se subiicit Deo, quam ille, qui solum facit, scilicet, non solum quantũ ad actum, sed etiam quantum ad potestatem, quia de cætero non potest aliud facere, sicut plus daret homini, qui daret arborem cum fructibus, quam qui daret ei fructus tantum.

Tertio, quia per votum immobiliter voluntas in bono firmatur: facere autem aliquid ex firmata voluntate in bonum, pertinet ad perfectionem virtutum, sicut econtrario peccare mente obstinata, aggrauat peccatum, & dicitur, peccatum in spiritum sanctum. Quod si opus ipsum, secundum se consideratum post votum triste & inuoluntarium redderetur, dum tamen maneat voluntas implendi votum, adhuc est magis meritorium, quam si fieret sine voto, quia impletio voti, est actus religionis, qui est potior virtus, quam abstinentia, cuius actus est ieiunare. Et super hoc, votum, voluntatem magis confirmat & deuotionem auget in illis, præcipue qui sunt bene dispositi.

Patet itaque, quod monachus quamuis ex necessitate voti aliquid faciat, nequaquam minor, immo maior erit in merito, quam sæcularis, qui libera voluntate idem fecerit, si tamen votum implere contendit, & non contra murmurauerit, vt supra dictum est, fecit enim de voluntate necessitatem quandam piam, vt ita dicam, qua cogitur postea implere votum, quod non fuit compulsus vouere. Et ergo nequaquam est in nostra potestate

non reddere, quod fuerat antea, aut vouere, aut dimittere. Hinc sapiens Eccleſiaſt. 5. admonet dicens. *Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio. Sed quodcunque voueris, redde. Multo enim melius eſt non vouere, quam poſt votum promiſſa non reddere.* Deus enim iam exigit votum, quod non exegerat ante votum. Redde ergo vota, quæ *diſtinxerũt labia tua*, quoniam non licet tibi retrahere pedem: ligatus enim, & dedicatus domino es, aut reddens ſaluaberis, aut ſi non reddideris, quod abſit, non ſaluaberis. Ante promiſſionem ſaluari potuiſſes ſine voto, iam autem poſt voti emiſſionem ſine redditione promiſſi minime ſaluaberis. In tua erat poteſtate vouere vel dimittere, ſed non reddere votum, tuum non eſt. Hæc eſt neceſſitas, quæ parit coronam. Beatus, qui illa aſtrictus perſeuerando vſque in finem reddiderit, quæ domino vouit. Sequitur.

GRADVS TERTIVS

VERSVS.

26

Tertius Abbati ſupponit ſe reuerenter.

Tertius humilitatis gradus eſt, vt quis pro Dei amore omni obedientia ſe ſubdat maiori, imitans Dominum, de quo dicit Apoſtolus, factus obediens Patri vſque ad mortem. Phil. 2.

INTER omnes virtutes monaſticas maxima eſt obedientia, ſine qua nullus monachus eſſe poterit, quia primum eſt & principale votum promittentibus regulam ſeruare vel ſecundum regulam viuere. Nam abſque obedientia caſtitas, ſiue paupertas monachum non faciunt. Nobiliſſimum enim triumphi genus eſt, vincere ſe ipſum, vt dicit ſapiens, ſed verus obediens hoc facit alterius implendo mandatum victo ſe ipſo. Prou. 16. Nihil ergo in omni religione laudabilius, quam vt diſcipulus obediat, & Prælatus diſcrete cum omni caritate ſecundum dominum præcipiat, vt vir obediens loquatur victorias. Prou. 21. Tertius itaque gradus, quo ad caritatis culmen aſcenditur, eſt, ſi monachus pro Dei amore pure, non pro aliquo commodo corporali, vel ſiniſtra aliqua intentione, vt plerumque fieri poteſt, omni obedientia ſe ſubdat maiori, id eſt, prælato & ſuperiori Abbati, vt in omnibus promptus ſit ad obediendum quibuſcunque difficilioribus imperiis, etiam vſque ad impoſſibilia. *Infra. ſi fratri impoſſ intungatur,* & in omni loco, tempore, arte cupiat ſupra ſe habere maiorem Iſte, quicunque eſt talis ſine dubio dominum imitatur, qui factus obediens Deo Patri vſque ad mortem, voluntatem ſuam dimittit, & alterius implet iuſſionem. O quam vicinus eſt iſte gradus ſanctis Angelis, qui Deo ad nutum in omnibus obediunt? felix, qui hunc gradum meruerit aſcendere, de altioribus proculdubio ſperandum eſt. Sed poteſt hic quæri. Vtrum debeat homo obedire homini, cum omnes creati ſint in libertate, vt monet Thomas ſecunda. ſecundæ, q. 104. art. 1. Non eſt enim aliquid faciendum contra inſtitutionem diuinam, ſed hoc habet diuina inſtitutio, vt homo ſuo conſilio regatur, iuxta illud Eccleſ. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui.* Ergo videtur, quod vnus homo non teneatur alteri obedire. Reſpondendum eſt, quod Deus reliquit hominem in manu conſilii ſui, nõ quia liceat ei facere omne quod velit, ſed quia ad id quod faciendum eſt, non cogitur neceſſitate naturæ, ſicut creaturæ irrationabiles, ſed libera electione ex proprio conſilio procedente, & ſicut ad alia facienda debet procedere proprio conſilio, ita etiam ad hoc, quod obediat ſuis ſuperioribus. Natura quidem liberi creati ſumus, ſed per peccatum ſerui facti ſumus, & inde homo homini dominari cepit, quo homo à creatore per peccatum receſſit. Hinc dicit Apoſtolus ad Romanos 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas, niſi à Deo.* Vlterius, ſeruitia, quanto ſunt magis gratuita, tanto magis accepta: ſed id quod homo ex debito facit non eſt gratuitum, ſi ergo homo teneretur ex debito aliis obedire in bonis operibus faciendis, ex hoc ipſo redderetur minus acceptabile opus bonum quod ex obedientia fieret. Non ergo tenetur homo alteri obedire. Sed contra eſt, quod dicit Apoſtolus ad Hebræos vltimo, *Obedite præpoſitis veſtris & ſubiacete*

Cap. 68. reg.

Obiectio.

Solutio.

Obiectio.

Solutio

cete eis. Item 1. Petr. 2. *subiecti estote omni humanæ creaturæ.* Dicendum est ergo, quod aliquid potest iudicari gratuitum dupliciter. Vno modo ex parte ipsius operis, quia sic homo ad id non obligatur. Alio modo ex parte operantis, quia scilicet libera voluntate hoc facit. Opus autem redditur virtuosum & laudabile & meritorium, præcipue secundum quod ex voluntate procedit, & ideo, quamuis obedire sit debitum, si propria voluntate aliquis obediat non propter hoc minoratur eius meritum, maxime apud Deum, qui non solum exteriora opera, verum etiam interiorem voluntatem videt. Sicut ergo actiones rerum naturalium procedunt ex potentiis naturalibus; ita etiam operationes humanæ procedunt ex humana voluntate. Oportuit autem in rebus naturalibus, vt superiora mouerent inferiora ad suas actiones per excellentiam naturalis virtutis collatæ diuinitus. Vnde & oportet in rebus humanis, quod superiores moueant inferiores, per suam voluntatem, ex vi auctoritatis diuinitus ordinatæ. Mouere autem per rationem & voluntatem est præcipere; & ideo sicut ex ipso ordine naturali diuinitus instituto infera in rebus naturalibus necesse habent subiici motioni superiorum, ita etiam in rebus humanis ex ordine iuris naturalis & diuini tenentur inferiores suis superioribus obedire. Vnde Diuus Matthæus c. 23. *Super Cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi quæ dicunt vobis, facite.* In quo quid aliud innuitur, quam quod obediendum sit superioribus, etiamsi ipsi aliter fecerint? *supra quænam sunt instrum. bon. operum.* Sed hic quæritur. Vtrũ monachus teneatur Abbati obedire in omnibus quæ non sunt contra Deum. Et videtur quod sic. Dicit enim Apostolus ad Colos. 3. *Filii obedite parentibus per omnia* & postea subdit, *serui obedite per omnia dominis carnalibus.* Si filii carnales parentib. carnalibus debent p omnia obedire. Ergo & filii spirituales spiritualibus debent obedire prælatis. Amplius, *infra. si fratribus. impossi iniung.* Si obediendum est in impossibilibus, multo fortius in omnib. quæ possibilia sunt, monachus debet esse paratus. Item ratione videtur, quod sicut homo vouet paupertatem & continentiam, sic vouet obedientiã, sed qui vouet continentiam tenetur abstinere ab omni coitu, & qui vouet paupertatem, tenetur renunciare omnibus temporalibus, & nihil sibi licet habere ad proprium vt *infra. si quid dicb. mon. prop. ha.* Ergo qui vouet obedientiam tenetur obedire in omnibus licitis & honestis, quæ sibi iniunguntur, & sicut aliquis iudicatur proprietarius, si vnum solum obolum habeat iuxta dictum cuiusdam sapientis, *monachus habens obolum non valet obolũ*, sic debet iudicari inobediens, si vnum solum Prælati verbum pertranseat. Ergo ei tenetur obedire in omnibus. Sed contra est id Actuum 5. *Obedire magis oportet Deo quam hominibus.* Ergo in aliquibus tenemur obedire Deo, in quibus non tenemur obedire hominibus. Item dicit Bernardus in libro de dispens. & præcepto. *Subditus nec citra promissum est inhibendus nec vltra cogendus per legem obedientiæ.* Ergo si Abbas præcipiat monacho vltra id quod promisit, non tenetur obedire. Respondeo quod aliter loquendum est de obedientia exigenda Prælato à subdito religioso, secundum obedientiæ perfectionem, atq; aliter secundum necessitatis obligationem. Si loquamur de ipsa summa perfectione, sic dicendum est quod, sicut ait Bernardus, perfecta obedientia finem nescit, & perfectus obediens, non solum in iis quæ mandat, sed etiam super ea quæ mandat promptum habet affectum ad subiacendum præcepto Prælati, desiderans illum imitari, qui humilians se ipsum factus est obediens vsque ad mortem. Et hæc obedientia superabundans est, vt dictum est supra. cap. de obedientia. Si autẽ loquamur de obedientia secundũ necessariã obligationẽ, sic habet terminũ & mensurã iuxta magnitudinẽ voti emissi. Non. n. amplius tenetur obedire suis prælatis nisi in iis quæ promiserunt domino obseruare, & quæ nõ sunt cõtraria animæ, & regulæ suæ. Vnde si Abbas p̃cipit aliquid, q̃ supra regulam, vel q̃ ad regulam reduci non posset, monachus de necessitate nõ tenetur obedire, quia non promisit: si autẽ voluerit obedire, in sua erit potestate, & inde specialem recipiet mercedem. Ad illud ergo q̃ obiicitur primo in cõtrariũ *filij obedite per omnia parentib.* Dico, quod intelligẽd m est per oĩa, quantũ ad illa, quæ pertinent ad ius Patris, vel dominatiuæ potestatis. Ad secundũ, q̃ de obedientia in impossibilibus,

Cap. 4. regulæ.

Obediendum sit in omnib. Abbati?

Cap. 33. Reg.

Obiect.

Bern.

Solutio.

In iis quæ supra regulam sunt, non tenetur monachus obedire.

bilibus,dicendum est, quod sanctus Benedictus non loquitur de obedientia secundum obligationem necessitatis, sed secundum perfectionem caritatis. Ad terium dicendum, quod religiosi obedientiam profitentur,quantum ad regularem conuersationem,secundum quam suis Prælatis subduntur, & ideo quantum ad ista sola obedire tenentur, quæ possunt ad regularem conuersationem pertinere, & hæc est obedientia sufficiens.Quod autem quis promittat obedientiam, sicut & castitatem, aut paupertatem, verum quidem est,sed sub distinctione. Possibile enim est alicui renuntiare proprietati,& etiam satis facile,maxime,vbi est possessio in communi,vt in religione sancti Benedicti,sed obtemperare omnibus quæ dicuntur,hoc nō tantum est non facile, immo etiam impossibile, & ideo fines imponuntur promissioni obedientiæ, non autem sic ponuntur promissioni paupertatis vel castitatis. Vnde in regula Beati Francisci simpliciter præcipitur, quod illius regulæ professores nihil omnino habeant proprium super terram,simpliciter etiā præcipitur non solum continere perpetuo ab actu,sed etiam à suspecto consortio & consilio mulierum, sed non simpliciter præcipitur suis Prælatis in omnibus obedire, sed in omnibus quæ promiserunt domino obseruare, & non sunt contraria animæ & regulæ suæ.Sic ergo potest tripliciter obedientia distingui. Vna sufficiens ad salutem,quæ scilicet obedit in illis ad quæ obligatur. Alia perfecta,quæ obedit in omnibus licitis. Alia indiscreta, quæ etiam in illicitis obedit : quod prohibitum est, quia per obedientiam malum facere nūquam licet.*11.q.3. Quid ergo.* Sed ad illud,quod supra dictum est, *Matt.23.* quod obediendum sit iis qui sedent in cathedra. Dico quod verum est, de iis quæ ad cathedram spectant, & de præceptis legis, de aliis autem non mandat, quia non potest aliquis supra quam sua concedit auctoritas.Sed diceres Dominus in Euangelio dicit. *Qui vos audit, me audit.* *Luc.10.* Deum autem debemus in omnibus audire quæ præcipit, Ergo & eos quos mittit. Dicendum est, quod verum est quod loquitur de iis quæ apostoli, & eorum successores mandant ex persona CHRISTI, & etiam ex autoritate sibi data.In nullo tamen quod dicunt eorum auctoritas est spernenda, vnde quāuis non teneamur Prælatis in omnibus obedire, tenemur tamen nullum mandatum eorum spernere.Sententia enim pastoris siue iusta,siue in iusta fuerit, timenda est valde. *11.q.3. Quibus Episcopi.* Hinc Bernardus ait.*non te moueat magister imperitus, seu indiscreta potestas, sed memento, quia non est potestas, nisi à Deo,& qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, damnationem sibi acquirunt.* *Bernar.l. cit.* *Rom.13.*

Sed libet vlterius ad istius declarationem procedere, quærendo, vtrum inobedientia sit peccatum mortale?& arguitur quod non. Omne enim peccatum est inobedientia, vt dicit Ambrosius,si ergo inobedientia esset peccatum mortale, omne peccatum esset mortale. Item Gregorius dicit 31. moralium, quod inobedientia oritur ex inani gloria, sed inanis gloria non est peccatum mortale.Ergo nec inobedientia. Amplius. Tunc dicitur aliquis esse inobediens, quando superioris præceptum non implet, sed superiores multoties præcepta multiplicant, quæ vix aut nunquam omnia possunt obseruari. Si ergo inobedientia esset peccatum mortale,sequeretur quod homo non posset vitare mortale peccatum, quod est inconueniens, non ergo inobedientia est peccatū mortale.Sed contra est, quod ad Romanos. 1.& 2. ad Timotheum 3. Inter alia peccata mortalia computatur, parentibus non obedientes. Respondeo, dicendum,quod peccatum mortale est, quod contrariatur caritati,per quam est spiritualis vita:caritate autem diligitur Deus & proximus. Exigit autem caritas Dei, vt eius mandatis obediatur, & ideo inobedientē esse diuinis præceptis est peccatum mortale, quasi diuinæ dilectioni contrarium, dicit enim Dominus, *Si diligitis me, sermonem meum seruate.* In præceptis autem diuinis continetur, quod etiam superioribus obediatur,& ideo inobedientia etiam, qua quis inobediens est præceptis superiorum est peccatum mortale,quasi diuinæ dilectioni contrarium, secundū illud ad Romanos 13.*Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Contrariatur etiā dilectioni proximi, inquātum superiori proximo subtrahit obedientiam, quam ei debet. Ad primum

An inobedientia sit pecc. mortale.

Ambros. de paradiso c.8.

Ioan.14.

ergo

ergo dicendum, quod illa definitio Ambrosij datur de peccato mortali, quod habet perfectam peccati rationem: peccatum autem veniale non est inobedientia, quia non est contra præceptum, sed præter præceptum. Nec etiã omne peccatum mortale est inobedientia proprie & per se loquendo, sed solum tunc, quando aliquis præceptum contemnit, quia ex fine morales actus speciem habent. Cum autem facit aliquid contra præceptum, non propter præcepti contemptum sed propter aliquid aliud, est obedientia materialiter tantum, sed pertinet formaliter ad aliam speciem peccati. Ad secundum dicendum, quod inanis gloria appetit manifestationem alicuius excellentiæ*, & quia videtur ad quandam excellentiam pertinere, quod homo præceptis alterius non subdatur, inde est, quod inobedientia ex inani gloria oriatur: nihil autem prohibet ex peccato veniali oriri mortale, cum veniale sit dispositio ad mortale: quia nullum peccatum adeo est veniale, quod non fiat mortale dum placet. Ad tertium dicendum, quod nullus obligatur ad impossibile, & ideo, si tot præcepta Prælatus aliquis ingerat, seu iniungat, quod subditus ea implere non posset, excusatur à peccato. Vnde dicit Augustinus. *Quidquid vis & non potes, factum Deus reputat.* Si ergo Deus pro facto recipit voluntatem, vbi deest facultas, multo magis à peccato excusatur, qui voluntatem habet implendi mandatum & non potest. Et ideo Prælati abstinere debent à multitudine præceptorum, maxime vbi necessarium non est. Ad istum igitur tertium humilitatis gradum ascendere oportet, quod monachus propriam non diligat voluntatem, sed prius ascendat secundum, qui voluntatem propriam odit. Cupiat in omnibus subesse, nec se suæ confidat custodiæ tantum, sed in omni loco & tempore semper cupiat videre quem timeat, quoniam magna pars peccatorum tollitur, si peccatoris testis semper ante oculos præsens habeatur.

August. in Ps. 57.

27

GRADVS IV.

VERSVS.

* *Conuitiis spretis, quartus patienter obedit.*

Quartus humilitatis gradus est, si in ipsa obedientia duris & contrariis rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis iniuriis tacita conscientia patienter amplectatur, & sustinens non lassescat, vel discedat, dicente scriptura. Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. *Matt. 10.*

NON sufficit ad pefectionem habere obedientiam, nisi quis etiam habeat patientiam; quia virtutes sibi hærent, vt qui vnam veraciter habet, omnes possideat, & qui vna caruerit, omnib. careat. Et ergo dicit Apostolus. *Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis promissionem.* Hinc dominus admonet dicens. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Pulchre itaque post obedientiam ponitur patientia sine medio, quoniam vtramq; Christus excellenter docuit vita & verbo, qui cum malediceretur non remaledicebat, & cum pateretur, non comminabatur, sed sicut agnus ad occisionem ductus est, & non aperuit os suum, sed obediens fuit patri, & in omnibus iniuriis patientissimus. Si itaque eum sequi cupimus ad regnum, oportet vt prius eum sequamur ad patibulũ portantes opprobrium eius, quoniam si dicimus nos Christum diligere, debemus, sicut ipse ambulauit, & nos ambulare; scientes, quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum & non nisi per patientiam venitur illuc. Oportet ergo nos ad iniurias & cõtumelias esse patientes, si volumus esse, quod dicimur monachi. Sed diceret forsitan aliquis, videtur quod aliquis non debeat contumelias sibi illatas sustinere. Qui enim sustinet contumeliam sibi illatam, audaciam nutrit conuiciantis: sed hoc non est faciendum, ergo homo non debet sustinere contumeliam sibi illatam, sed magis iniurianti respondere. Amplius, homo debet plus se diligere, quam alium, sed aliquis non debet sustinere, quod alteri conuitium inferatur. Ergo multo minus, sibi. Scriptum est, Prouerbiorum 26. *qui imponit stulto silentium iras mitigat.* Amplius, non licet alicui vindicare seipsum, secundum illud. *Mihi vindictam, & ego retribuam, & supra. quæ sunt instr. b. op.* *Heb. 10.* *Luc. 21.* *1. Pet. 2.* *Quæstio, an illatæ contumeliæ sustineri debeant.*

Sed

Sed aliquis non resistendo contumeliæ se vindicat secundum id Chrysostom. *si vindicare vis, sile, & funestam ei dedisti plagam.* Ergo aliquis debet non silentio sustinere contumeliam, sed magis respondere. Sed cõtra est, quod dicitur in Psalmis, *qui inquirebant mala, mihi locuti sunt vanitates*, & postea subdit *Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.* Et Alibi. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique, & si is, qui oderat me, magna locutus fuisset super me, abscondissem me forsitan ab eo.* Respondeo dicendum, quod sicut patientia necessaria est in iis, quæ contra nos fiunt, ita etiam in iis quæ contra nos dicuntur, præcepta autem patientiæ in iis, quæ cõtra nos fiunt sunt in præparatione animi habenda, sicut dicit Augustinus in lib. de sermo domini in mon. exponens illud præceptum domini. *si quis te percusserit in vnam maxillam, præbe ei & aliam*, vt, scilicet, homo sit paratus hoc facere, si opus fuerit, non tamen semper tenetur facere actu: quia nec ipse Dominus hoc fecit, sed cum suscepisset alapam, dixit. Quid me cedis? vt habetur Lucæ 18. Et ideo etiã circa verba contumelioſa, quæ contra nos dicuntur, est idem intelligendum, tenemur enim animum habere paratum ad contumelias tolerandas, si expediens fuerit. Quanquam enim oportet, vt contumeliam illatam repellamus, maxime propter duo, primo quidem propter bonum eius, qui contumeliam infert, vt videlicet eius audacia reprimatur & de cætero talia non attentet iuxta id Prouerbiorum 26. *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.* Et hoc faciendo debemus cauere, ne id vindicando faciamus, sed potius ex zelo caritatis ipsum conuitiantem corripiendo in debitum finem. Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas, ne vel scandalizentur vel ad similia attentanda roborentur. Maxime Prælati à subditis non debent sustinere cõtumelias, quia nimia humiliatio Prælatorum auctoritatẽ regiminis contemptibilem facit. Et ergo non est vsquequaque tolerandum, vt subditus contemnat Prælatum: debet tamen Prælatus affectum habere patientiæ, vt si absque aliorum detrimento posset, omnino patientiam siue correptione haberet. Vnde Gregorius dicit super Ezechielem homilia. 9. *Hi quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & ita in prauis moribus remanentes bene viuere contemnant.* Ad primum ergo dicendum est quod audaciam conuitiantis contumelioſi, debet aliquis moderate reprimere, propter officium caritatis, non propter cupiditatem priuati honoris, vt dicitur Prouerbiorum 26. *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne ei similis efficiaris.* Ad secundum dicitur, quod in hoc, quod aliquis alienas contumelias reprimit, non ita timetur cupiditas priuati honoris, sicut cum aliquis repellit contumelias proprias: magis autem videtur hoc prouenire ex caritatis affectu. Ad tertium dicendum, quod si aliquis hoc animo taceret, vt tacendo cõtumeliantem ad iracundiam prouocaret, hoc pertineret ad vindictam. Sed si aliquis taceat volens dare locum iræ, hoc est, laudabile & virtuosum. Vnde sapiens Ecclesiast. 8. admonet dicens, *non litiges cum homine linguato*, & non strues *in ignem illius ligna, nã stultus multiplicat verba.* Quartus iste gradus ad patientiam nos exhortatur, quæ est virtus, contumeliarum, & omnis aduersitatis impetus æquanimiter portans, per quam æternæ vitæ ferimus fructus. Ait enim Augustinus. *Secure tolera malum bonus, vt peruenias ad præmium bonorum.* Non te inquinare potest malus: nam & Iudas cum Petro conuersari potuit, sed eum inquinare non valuit. Duobus modis non te maculat malus: videlicet, si ei non consentias, & si eum redarguas. 23. q. 4. *Amalis.* Quid per hæc verba datur intelligi, nisi quod aliorum infirmitates vsque ad inspectionem Dei patienter tolerare debemus. Dicit namque Gregorius. *Patientia est aliena mala aquanimiter perpeti, contra eum quoque qui mala irrogat, nullo dolore morderi.* Patiens ergo esto inter malos. Rosa enim quæ redolet, sæpe crescit inter spinas quæ pungunt. Hinc Bernardus ait. *Bonus non fuit, qui malos tolerare recusauit.* Familiare est sapienti, tolerare nescientem libenter feras quod necesse est, donec patientia vincetur. Dicit iterum Gregorius. *Nulla sunt, bona quæ agimus, si non æquanimiter*

Pſal. 37.

Matth. 5.

* *Prælati contumelias subditorũ nõ debent ferre.*

Gregor.

Augustin. Pſal. 51.

Gregor. hom. 35. in Euang.

Gregor. hom. 38.

Gregor. hom. 35.

ter

ter proximorũ mala toleramus. Nullus quippe perfectus est, qui inter proximorum mala patiens non est. Qui enim æquanimiter aliena mala non tolerat, ipse sibi per impatientiam testis est, quia à boni plenitudine lõge distat. *Abel quippe esse renuit, quem Cani malitia non exercitauit.* Sic in tritina areæ grana paleis premuntur: sic flores inter spinas prodeunt, & rosa, quæ redolet crescit cum spina quæ pungit. Boni enim à malis in hac vita nunquam possunt separari. 23. q. 4. *Quantus.*

Gre. hom. 38.

* Hi ergo veraciter boni sunt, qui in bonitate persistere etiã inter malos possunt. Doctrina viri per patientiam dignoscitur. tanto ergo quisq; minus ostenditur doctus, quanto minus conuincitur patiens. Nunquã est patientiæ virtus in prosperis. Ille vero patiens est, qui & aduersis atteritur, & à spe rectitudinis non curuatur. Vnde Ambros. supra, *Beati immaculati.* Illud, inquit est magnificum, si subiectus contumeliis iudicium Dei laudes, si vexatus ægritudine iudicia Dei deprecerís, si te inopia non reuocet, quo minus Dei iustitiam laudes. Si veram, perfectamq; patientiam acquirere vis, oportet te diuersis tribulationibus exerceri, quoniam tribulatio patientiam operatur. Dicit enim Gregorius in hom. *Qualis quisque apud se lateat, illata contumelia probat.* Maioris meriti est aduersa patienter *tolerare, quam bonis operibus insudare.* Hinc Hugo de anima dicit. Magna virtus est, si nõ lædas, à quo læsus es, magna est gloria, si cui nocere potuisti, parcas. Vnde Gregor. super Ezechielem. *Patientia vera est, quæ & ipsum amat, quem portat, nam tolerasse & odisse, non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris.* Sed dicet aliquis. Videtur quod patientia non sit virtus. Virtutes enim perfectissimæ sunt in patria, vt Augustinus dicit, 14. de trinitate, sed ibi non est patientia; quia nulla sunt ibi mala toleranda, secundum illud Isa. 49. & Apoc. 21. *Non esurient, neq; sitient, & non percutiet eos æstus, neq; sol.* Ergo patientia non est virtus. Item, nulla virtus in malis potest inueniri, quia virtus est quæ bonũ facit habentem, sed patientia quandoq; in malis hominibus inuenitur, sicut apparet in auaris, qui multa mala patienter tolerant, vt pecunias congregent, secundum illud, Eccles. 5. *Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris & in curis multis & in ærumna atque tristitia.* Ergo patientia, &c. Amplius, fructus à virtutibus differunt, sed patientia ponitur inter fructus, videlicet ad Galatas 5. Ergo patientia non est virtus. Sed contra est, quod August. dicit in libro de patientia. *Virtus,* inquit, *animi quæ patientia dicitur tam magnum donum Dei est, vt etiã ipsius, qui nobis eam largitur, patientia prædicetur.* Respondeo, dicẽdum, quod virtutes morales ordinantur ad bonum, in quantum conseruant bonum rationis, cõtra impetus passionum. Inter alias autem passiones tristitia efficax est ad impediẽdum bonum rationis secundum. Illud 2. ad Corinth. 7. *Sæculi tristitia mortem operatur.* Et Ecclesiast. 25. *Multos occidit tristitia, & non est vtilitas in illa.* Vnde necesse est habere aliquam virtutem, per quam bonum rationis conseruetur contra tristitiam, ne scilicet ratio tristitiæ succumbat. Hoc autem facit patientia. Vnde Augustinus dicit in libro de patientia, quod *patientia hominis est, qua mala æquo animo toleramus,* id est sine perturbatione tristitiæ, *nec animo iniquo bona deserimus, per quæ ad meliora perueniamus.* Vnde manifestum est, patientiam esse virtutem: dicit enim Gregor. ego virtutem patientiæ maiorem puto signis & miraculis. Ad primum ergo dicitur, quod virtutes morales non remanent secũdum eundem actum in patria, quem habent in via scilicet per comparationem ad bona præsentis vitæ, quæ non remanebunt in patria, sed per comparationem ad finem qui erit in patria, sicut iustitia non erit in patria circa emptiones, & venditiones, & alia quæ pertinent ad præsentem vitam: sed in hoc, quod est subditum esse Deo. Similiter actus patientiæ in patria, non erit in sustinendo aliqua, sed in fruitione bonorum, in quæ peruenire volebamus patiendo. Vnde Augustinus dicit in 14. de ciuitate Dei, quod in patria nõ erit ipsa patientia, quæ necessaria non est, nisi vbi toleranda sint mala, sed æternum erit id quo per patientiam peruenitur. Ad secũdum dicitur, quod sicut Augustinus dicit in libro de patientia, patientes proprie dicuntur, qui malunt mala non cõmittendo ferre, quam non ferendo committere; in illis autem qui mala sustinent, vt mala faciant, nec miranda, nec laudanda est patientia quæ nulla est, sed miranda

Ambr. in Psal. 118.

Gregor. l. 1. dial. c. 5.

Hugo. l. 3.

Gregor. hom. 7.

Patientia, an sit virtus. Aug. c. 9.

Aug. c. 1.

Aug. c. 2.

Gregor.

Aug. c. 9.

Aug. c. 2 & 5.

duritia, neganda patientia. Ad tertium dicēdum, quod fructus in sui ratione importat quandam delectationem: sunt autem operationes virtutū delectabiles secundum se ipsas; cōsuetum est autem, vt nomine virtutis, etiam virtutum actus significentur, & ideo patientia quantum ad habitum ponitur virtus, quantum autem ad delectationem, quam habet in actu, ponitur fructus, & præcipue quātum ad hoc quod per patientiā animus præseruatur, ne obruatur tristitia. Habet enim patientia opus perfectum in aduersis tolerandis, ex quibus primo procedit tristitia, quam moderatur patiētia. Amplectenda est igitur monacho patientia, quia per ipsam coronati sunt martyres, triumpharunt confessores, Virgines vicerunt, & quicunq; Deo placuit, patientia legitūr acceptatus. Nec sufficit in iuentute, nec in senectute tātum esse patientem, sed omni tempore: *quoniam qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* & non est cura qualis vixeris, si ad mortem veniens, in bono statu reperiaris. Incipe, perseuera, comple in omni patientia & spe, si regnum contendis scandere supernum. Pulchre autem patientia à quodam sapiente definitur ad propositum nostrum, dicendo sic. *Patientia est honestatis aut vtilitatis causa rerum arduarum, & terribilium, voluntaria, ac diuturna perpessio.* Honestatis causa perpessio est, vt cum quis pro fide Christi potius eligit mori, quam negando eam, vitam suam saluare. Vtilitatis vero causa est, vt cum quis pro salute gregis dominici tribulationes aduersas, persecutiones quaslibet sustinet, vt eos Christo lucrifaciat. Voluntarie ideo dicitur, quia qui omnino inuitus sustinet, vel patitur, præmium patientiæ non habebit: quia quidquid facimus, Deus plus voluntatem intendit operantium, quam magnitudinē operationum. Ipse enim est, qui scrutatur corda & renes, *supra. Gradu prim.* & ideo exhortatur nos scriptura 1. Petri. 4. dicens. *Nemo vestrum patiatur, quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Christianus, non erubescat, glorificet autem DEVM in isto nomine.* Diuturna dicitur, quia ad veram patientiam pertinet, vt patiendo perseueret, quoniam incassum bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur, sed qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Sequitur.

Lac. 1.

Matt. 10.

Patiētia quid sit. Cic. l. 2. de inuent.

28

Item confortetur cor tuum, & sustine Dominum. *Psal. 26.*

QVanto duriora & grauiora quisque in præsenti sæculo pro Christo patienter tolerat, tanto securius præmium futuræ retributionis exspectat. Scriptum est enim. *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent.* Nunquā Deo placuisse inuenitur, qui nō sit tribulationum & tentationum aduersitatibus probatus, immo hoc inuenimus, quod quanto magis Deo quisquam fuerit dilectus, tanto amplius fuit variis vexationibus tribulatus. denique scriptura admonet dicens. Memores esse debemus, quomodo pater noster Abraham tentatus est, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. *Multa enim sunt tribulationes iustorum, sed de omnibus iis liberabit eos Dominus. Iuxta* namque *est dominus iis qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit.* Dicit enim scriptura. *Qui non est tentatus, qualia scit? Vexatio enim intellectum dabit auditui.* Dicit etiam Gregorius. *Si Christus hinc sine flagello, non exiuit, qui sine peccato venit, quomodo flagello digni non erunt, qui huc cum peccato venerunt?* Et Beatus Hiero. *Satis impium est, si tu pro Dei nomine nec detrahi patiaris, qui propter te tanta perpessus est.* Anima iusti diuersis saginatur tentationibus, sicut rosa ac lilia cœlestib. fecundantur imbribus: nec potest quisquā esse iustus, nisi per multa aduersa probatus. Confortetur ergo cor tuum, ô monache, & scito, quia *militia est vita hominis super terrā.* Si cupis Christum sequi ad regnum, oportet, vt eum prius sequaris ad Pilatū, quoniā non aliter poteris venire ad vitā, nisi per vitæ semitam. Quid hoc est delicate miles, putas te posse consequi coronam victoriæ sine pugna? aut arbitraris esse fugiēdum cum resistere times? Certa, dimica, confortetur cor tuum, viriliter age, noli timere, noli metuere, aut victor redibis ad patriam, aut, si non vicetis, transibis ad pœnam. Stetit Iesus coram præside inclinato capite, vultu placido, sermone rarus, submissa voce, defixis oculis in terrā, paratus ad opprobria, ad verbera promptus, ad iniurias patiēs, ad omnia tranquillus qui in nullo vnquā

Psal. 125.

Eccl. 34.

Greg. 3. p. pastor. adm. 13.

Hieron.

Iob. 7.

deliquit

deliquit, in cuius ore dolus non est inuentus, sed sicut agnus innocens ducebatur ad victimam, nec aperuit os suum, qui solo verbo potuisset extinxisse omnes. Ecce tot & tanta pro te sustinuit Christus, qui nullam maculam nouit, & tu miser, nec eius amore, nec tuo honore quidquam sufferre potes, qui tot ipsum offendisti peccatis, vt ea nec scire queas. Sustinuit dominus à seruo contumeliam, & tu, seruus cum sis, non potes à Domino pati correptionem? sustinuit creator à creatura blasphemiam, & tu creatura à creatore non potes sufferre humiliationem? Accepit Christus mortis sententiam à Pilato, & tu vilissime vermis non vis sustinere vel solam auisationem à Prælato? Christus sine culpa mortem sustinuit patienter ab inferiore; & tu dedignaris cum maxima culpa disciplinam recipere à superiore? Considera, quã longe distes à perfectione monachorum, qui nihil sustinere vis propter purgationem peccatorũ? An vt pacem haberes, claustra subisti? Militiam tuam fugere putas, quæris pacẽ, vbi non est pax, nec pacẽ inuenies, nisi hoste superato, fallax sæculum, fallax gloria eius, vana sollicitudo, quid times? quid quæris? quid vis? si times pugnam, non reportabis coronam: si quæris palmam, noli fugere pugnam: si vis pacem, renuntia paci: pacem veram si cupis, falsam non habebis, pax vera Deus, falsa quies mundi, cũ Deo & hominibus pacem habeto, cum vitiis & carne pacem non inibis. Non enim venit Christus pacem mittere in terram, sed gladium. Si ergo vis pacem, fugito pacem. *Non est pax impiis*, dicit dominus, An propterea monachus factus es, quia militare noluisti? An id circo cappam portas, vt arma deponas? depone arma iniquitatis & malitiæ, quæ sunt excusationes in peccatis, & assume arma iustitię contra spiritualia nequitiæ quæ sunt, oratio, & confessio salutis. Crede mihi, pacem non habebis in terra sed pugnam, per pugnam autẽ venitur ad pacem. Quale hoc miles delicate, vt pugnantibus cæteris, tu sub arbore pauses? Diuidentibus prædam socciis, tu nudus remanebis. Non dimicasti, nihil nobiscum habebis: & quia fugisti, nobis in angustia relictis, longe à nostra societate abscede. Quid tunc dicet fugitiuus miles? Pœnitet me, parcite mihi. Merito pœnitet, scilicet infructuose. non est hic parcere, sed abscede procul. O monache, intelligis ne quod dico? Miles es, arma sumpsisti: aut dimica, aut mercede priuaris. Aut hic sustine, quæ superueniunt patienter tibi, aut si nolueris sustinere, præmio æternæ vitę carebis, & à iustorum consortio separaberis. Quocunque fugeris, si pie vis viuere in Christo, sine tribulationibus non eris: si autem consentis vitiis, falsam pacem amasti, immo vitam perdidisti. Sustinuit Christus verbera ab Impiis, & tu non potes sustinere verba à fratribus? disciplinam fugis? fructu eius carebis. Si putas te absque tribulationibus esse, nondum monachus esse cœpisti; nam tota vita monastica tentationibus abundat. A proximo enim persecutiones, damna, & contumelias recipit, à Diabolo tentationes diuersas sustinet, à propria carne lethales patitur inimicitias. Sed non sufficiunt hæc ad facinorum nostrorũ purgationem, quoniã, *in multis offendimus omnes*, à Deo quoq; flagella toleramus, quia, quem diligit, Deus corripit, flagellat autem omnem filium, quem recipit. Si vis esse in numero filiorũ, sis prius in collegio patientiũ. Oportet. n. vt tribulationes sustineas pro purgatione peccatorum, aut hic in mundo, aut ibi in purgatorio, si quem gratia Dei duxerit illuc. Sed infinitè melius est hic purgari quam in futuro, quoniã hic cum purgatione crescit meritum, ibi autẽ non erit spatium promerendi quicquam. Ergo satisfaciamus hic, quia sicut dicit B. Hiero. qui semel recipit mala in vita sua, non recipiet ea postea; non eosdem cruciatus patitur in morte, quos passus est in vita, quia nõ punit Deus in idipsum, nisi reiteres peccatum. Etiamsi absq; culpa esset homo, adhuc pro gloria domini omnia deberes patienter sufferre, qui tam multa nostri sustinuit causa. Hoc propheta faciẽdum insinuat, cum dicit, *propter te, Deus, transgrediar murum.*

Isa. 48.

Iac. 3.

Heb. 12.

Et ostendens fidelem pro domino Vniuersa etiam contraria sustinere debere, dicit ex persona sufferentium, propter te morte afficimur tota die, æstimati sumus, Vt oues occisionis. Psal. 43.

POtest enim quilibet frater fidelis dicere hoc ad dominum quod se pro-

pheta feciſſe demonſtrat, non ad inanem gloriam; ſed ad Dei honorē, ſine cuius voluntate nihil poſſumus, quia nec bona facere, nec illatas iniurias patienter ſufferre, niſi per Dei gratiā humana fragilitas præualet. Sed diceret aliquis. Videtur, quod patientia poſſit haberi ſine gratia. Id n. ad quod ratio magis inclinat, poteſt implere rationalis creatura, ſed magis eſt rationabile, quod aliquis patiatur mala propter bonū, quā propter malum, aliqui autem patiuntur malū propter malum ex propria virtute, ſine auxilio gratiæ. Dicit. n. Auguſt. in libro de patientia quod multa in dolorib. & laboribus ſuſtinent homines propter ea, quæ vitioſe diligunt. Ergo multo magis homo poteſt mala ſuſtinere propter bonū, quod eſt vere patientem eſſe ꝓpter auxilium gratiæ. Amplius, aliqui nō exiſtentes in ſtatu gratiæ, magis abhorrent mala vitiorū, quā corporalia mala. Vnde quidam gentilium leguntur mala toleraſſe, ne patriam proderent, aut aliquid aliud inhoneſtum cōmitterent, ſed hoc eſt vere patientem eſſe. Ergo videtur quod patientia poſſit haberi. Item, manifeſte apparet, quod aliqui ꝓpter ſanitatem corporis recuperādā grauia & amara patiūtur: ſalus autem animę non eſt minus appetibilis, quā ſanitas corporis. Ergo pari ratione pro ſalute animæ poteſt aliquis multa mala ſuſtinere, quod eſt vere patientem eſſe abſq; auxilio gratiæ. Sed contra eſt, quod dicitur in Pſal. 61. *Quoniam ab ipſo patientia mea.* Reſpondeo dicendū, quod ſicut Auguſtin. dicit in libro de patientia, vis deſideriorum facit tolerantiā laborum & dolorum, & nemo niſi pro eo quod delectat ſponte ſuſcipit ferre quod cruciat. Et huius ratio eſt, quia triſtitiam & dolorem ſecundū ſe abhorret animus, vnde nunquā eligeret eam pati ꝓpter ſe, ſed ſolū propter finē. Ergo videtur quod id bonum, propter quod aliquis vult pati mala, ſit magis volitum & amatum, quā illud bonū, cuius priuatio ingerit dolorē, quē patienter toleramus. Quod autē aliquis præferat bonū gratiæ omnib. naturalib. bonis, ex quorum omiſſione poteſt dolor cauſari, pertinet ad caritatem, quæ diligit Deum ſuper omnia. Vnde manifeſtum eſt, quod patientia ſecundū quod eſt virtus à caritate cauſatur ſecundū illud 1. ad Corinth. 13. *Caritas patiens eſt.* Manifeſtum eſt autē quod caritas haberi nō poteſt, niſi per gratiam, ſecundū illud ad Rom. 5. *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Vnde patet, quod patientia non poteſt haberi ſine auxilio gratiæ. Ad primū autē dicendum, quod in natura humana, ſi eſſet integra, præualeret inclinatio rationis, ſed in natura corrupta præualet inclinatio concupiſcentiæ, quæ in homine dominatur, & ideo pronior eſt homo ad ſuſtinenda mala, in quibus cōcupiſcētia delectatur præſentialiter, quam tolerare mala propter bona futura, quæ ſecūdum rationem appetuntur, quod tamē pertinet ad verā patientiā. Ad ſecundū dicendum, quod bonum politicæ virtutis cōmenſuratum eſt naturæ humanæ, & ideo abſq; auxilio gratiæ gratum facientis poteſt voluntas humana in illud tendere, licet nō abſq; auxilio gratiæ Dei, ſed bonū gratiæ eſt ſupernaturale, vnde in illud nō poteſt tendere homo per virtutem ſuæ naturæ, & ideo non eſt ſimilis ratio. Ad tertium dicendum, quod tolerantia etiā malorum, quæ quis ſuſtinet propter corporis ſanitatem, procedit ex amore, quo homo naturaliter diligit ſuā carnē, quia nemo carnem ſuam odio habuit vnquā, & ideo non eſt ſimilis ratio de patientia quæ procedit ex amore ſupernaturali. Oportet. n. conſiderare in quem finē aliquis mala ſuſtineat ſiue aduerſa qa quidquid facit homo, totum ſecundū intentionem iudicatur, quæ reſpicit finē. Patientia. n. quæ virtus eſt & laudabilis, ſine gratia Dei nunq̄ acquiritur, nec acquiſita ſeruatur. Patientia enim quoddā bonum eſt reſpectu finis, quo peruenitur ad patriam, ſed omne bonum ab eo ſolo eſt, qui ſolus bonus eſt. Vtilis ergo frater ſemper orare debet à DEO, non vt ceſſent tentationes, ſine quibus homo non viuit, ſed vt patientia detur animo, per quam vincitur inimicus. Si enim abſque tentationibus eſſe cupimus; incautum eſt, quia virtus in infirmitatibus perficitur. Libenter ergo glorietur frater in infirmitatibus ſuis cum omni ſcientia DEI, vt inhabitet in eo virtus Chriſti. Glorioſus enim fructus iis repoſitus eſt, qui in hoc ſæculo pro Chriſto elegerint pati tribulationes. Vnde bene ſubiungitur.

Queſtio, an patiētia haberi queat ſine gratia. S. Thom. 22. q. 136 a. 2.

* 1. *Aug. c. 3.*

II.

*

III.

*

*

Reſponſio ad 1.

Ad 2.

Ad 3.

Etſe-

30 *Et securi de spe retributionis diuinæ subsequuntur gaudentes & dicentes: sed in his omnibus superauimus propter eum, qui dilexit nos. Et idem in alio loco scriptura, probasti nos, inquit, Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum, Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro.*

HOc est, quod idem propheta alibi dicit. *Euntes ibant & flebant, mittentes* Psal. 125. *semina sua, venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Qui cupit in gaudio metere, non timeat nunc in fletu seminare. Opera enim iustitiæ, quæ iam hic facimus, speciem quandam ostendunt amaritudinis, eo quod carnali voluntati contraueniunt, sed fructum habent suauissimum, cuius gustus, felicitas æterna. Imposuit nobis dominus tribulationes in dorso nostro, arduam videlicet, vitam monasticam, sua gratia nostram voluntatem præueniendo & ad religionis professionem animum accẽdendo, non quasi compellens, sed immo vere dirigens & adiuuans: quoniam ipse cuius vult, miseretur, & à sæculi vanitatibus, quos sibi vocare placet. *Iudicia Dei abyssus multa.* Psal. 35. Induxit quoq; nos in laqueũ, in quo necesse habemus manere, non licet nobis egredi: hic mori oportet, in claustro videlicet monasterii, in quo claudimur, illaqueamur, nõ laqueo mũndi, non retinaculo diaboli, sed electione Dei, qua in sortem vocati sumus hæreditatis filiorum eius. Ecce transimus per ignem tentationum, per aquam tribulationum, & in iis omnibus illęsi manemus in eo, qui dilexit nos, & nos lauit à peccatis nostris in sanguine suo. Transimus per ignem, inquam, carnalium tentationum, quem diabolus accendit per malas suggestiones, mundus construit per diuersas occasiones, caro autem propria nociua spiritui fouet, quod mala concupiscentia accendit. Sed in iis omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos IESVM filium DEI, qui nos contra diaMatth. 26. bolum dimicare docuit, dicens. *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem*, quia * plus lædit diabolum vna oratio, quam nos eius offendat tentatio. Confidite, nam ego vici mũdum, & vos vincetis eũ. Oportet autẽ nos tribulationes & pressuras habere in mundo. & contristabimini, mundus autem gaudebit, sed tristitia vestra conuertetur in gaudium. In patientia vestra possidebitis animas vestras. Non est discipulus super magistrum, & si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius? Et nos fratres carissimi, si domestici sumus, si membra CHRISTI, si veri discipuli eius, & monasticum seruamus propositum, vt per angustam portam veniamus ad vitam, debemus exemplo Christi, quem colimus, opprobria, aut detractiones, seu quaslibet humanas iniurias non solum pati, sed & patienter amplecti, & æquo animo sufferre, vt per tribulationes multas, quibus Christus magister noster præcessit, ad regnum Dei peruenire possimus. Hoc ante omnia scientes, quoniam *non sunt condignæ pas-* Rom. 8. *siones huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis*: Hinc amplius Heb. 12. nos admonet, dicens. *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem IESVM, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera Dei sedet.* Regis filius vnicus in aulam paternam venire non potuit, nisi prius per multa probatus, atque vexatus: & quomodo peregrinus & abiectus atque proscriptus illuc sine tribulatione peruenire se credit? Ille, qui nunquam peccauit, opprobria sustinuit, & homo totus in peccato conceptus nihil sufferre potest? Certe si compatimur, & conregnabimus; quoniam per tribulationes multas oportet nos intrare in regnum Dei. Dicit enim Gregorius. *Mala quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt.* Habet autem Gregor. patiẽtia nouem gradus, quibus vera redPatiẽtiæ ditur & perfecta, quos quilibet monachus cõscendere studeat, quia magnum 9. gradus habet. humilitatis indicium est in his gradibus inueniſſe locum, quo monachus consoletur animum tristem. Primus itaq; patientiæ gradus est, non incipere iniustiI. * tiam, vt videlicet primum non prorumpat in verba contumeliæ, nec alteri iustam calumniãdi præbeat causam. Contra istum gradum multi faciunt, qui per sua iniuriosa verba alios ad iracundiam prouocant, & semper primum in con-

uentur sermonem amant. Erubescunt enim, si eos loquendo præueniat alter.

II. Secundus gradus est, vt postquã inceptũ fuerit iurgium, non se vindicet æqualib. verbis; non respondeat conuitianti iuxta conuicia sua, & vltimũ non requirat sermonem, sed primus taceat, primus recedat, nolens contendere verbis, sed det locum iræ. Contra istũ gradum faciunt qui semper vltimi tacent, primi loquũtur, & cessantibus cæteris, adhuc verba promũt

III. vindictæ. Tertius gradus est, non facere vexanti ea, quæ passus est, sed quiescere, & nõ obiicere exprobanti quodcunque conuitium. Contra istum gradũ faciunt, qui sibi iniuriam inferentibus conuicia rependunt, genus, parentelã, mores obijciunt, & vitam, & quidquid turpe nouerint, totũ producunt in lucem, & si nesciunt, tamen se suspicari docent. Quar-

IV. tus gradus est, vt quis se ipsum tribuat in patiendo mala, vt non solum patienter sed, etiã libenter oĩa sustineat amore & exẽplo illius, qui se ipsum tradidit in manus aduersariorum: & cũ potuisset, non

Matt.26. aufugit, sed veniẽs eis obuiã, dixit. *Quem quæritis?* & illi responderunt, Iesum Nazarenum, Quibus respondit Iesus. *Ego sum.* Nunquid sciebant, quis esset? & abierunt omnes retrorsum cadentes in terram, nec quidquam potuit illa potestas tenebrarum, nisi annuente dispensatione diuina. Potuisset vtiq; Iesus eorum declinasse manus, si voluisset, sed oportebat, vt scriptura de eo impleretur, quoniam, *cũ sceleratis reputatus est*, &, *portauit peccata nostra super lignum, cuius liuore sanati sumus.* Quintus patientiæ gradus est, amplius tribuere, quam ille vult, qui fecit in iuriam. Hoc. n. de multis sanctis Patribus legimus, qui cõuiciantibus suis in occursum currentes sua humilitate aliorũ vi-

Isa.53.

V.

VI. cerunt superbiam. Sextus gradus est, non odio habere eum, qui calumniam infert.

Gre.hom. 7.in Eze. Nam, vt dicit Gregorius, *tolerasse & odisse non est virtus mansuetudinis, sed velamen furoris.* Sunt. n. plerique, qui iniuriam sibi illatam foris quidem patienter ferunt, nec quidquam cõuitiosum respondent, ita vt mirentur homines, sed intus stimulo agitãtur furoris, & odio habere incipiunt in corde, quos patienter tolerant in ore, ita vt de eorum odio plus lætentur dæmones interiori, quã contristati fuerant de patientia exteriori. Sed non est ista vera patientia, sed simulata, & pallio hypocriseos palliata. Septimus gradus est, diligere eum, qui iniuriam facit, iuxta præceptũ domini, *diligite inimicos vestros.* Quod & ipse fecit, cum diceret, *pater ignosce illis quia nesciunt, quid faciunt*, Cuius magistri discipulus imitatus exemplũ protomartyr sanctus Stephanus pro inimico populo exorauit. Et hanc dilectionem non solum in corde, sed etiam ostendere debemus in opere, prouidentes bona non tantum corã Deo, qui scrutator est cordium, sed etiam coram hominibus, quos latent secreta mentiũ. Octauus patientiæ gradus est, benefacere mala inferenti exequendo illud dominicum mãdatum, *benefacite iis qui vos persequuntur.* Qui bene facit amico, vicissitudinẽ reddit: qui autem benefacit inimico, dilectionẽ exhibet. Sed potior est dilectio quam vicissitudo. Non debemus reddere malum pro malo, sed bonum. *Supra. quæ sunt instrum. bonor. oper.* per bonum vincitur malum, quoniam contraria contrariis curantur. Nihil adeo contrarium, sicut bonum malo, & malum bono. Diligamus autem non lingua tantum, sed opere & veritate, quoniam probatio dilectionis, exhibitio est operis. Si videris inimicum tuum necessitatem patientem, subueni illi: hoc enim faciens, carbones ardentes congeres super caput eius. Videlicet ignem spiritus sancti, vt visa tua humilitate & mansuetudine in se ipso confusus pænitentiam agat pro eo quod tibi intulerit. Nonus patientiæ gradus est, vt pro eo ores, qui tibi iniuriam fecerit, hoc enim nos facere, & exemplo & verbo docuit dominus: qui, vt dixi, in cruce positus pro crucifixoribus suis orauit ad patrem, dicens, *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Et primus martyr Stephanus orat. *Domine ne statuas eis peccatum.* Vnde Beatus Benedictus perfectos volens habere monachos, dicit. Pro inimicis orare. *Supra. quæ sunt instrumenta bonor. oper.* Nulla oratio efficacior, quam illa quæ pro inimicis funditur. Dicit enim Gregorius in moral. *Conditoris auribus illa maxime oratio commendatur, quæ pro inimicis quoque intercedere nititur.* Virtus est coram hominibus inimicos tolerare magna, sed eos diligere coram Deo, maior; eis autẽ benefacere, & pro ipsis orãre in suo genere, virtus est maxima.

VII. *Matth.5.* *Matt.27.* *Act.7.* *Rom.12.* VIII. *Matth.5.* *Cap.4.* IX. *Matt.27.* *Act.7.* *Cap.4. reg.*

Certe

Certe nihil esse potest fortius nihil egregius, quam audire contraria, & non respondere æqualia. Decet ergo monachum pro omnibus collactanea humilitatis patientia, vt in quibuslibet contumeliis bene sibi conscius amplectatur patientiam, per quam martyres venerũt ad palmam: sine qua nulla perfecta dicitur virtus, sine qua non videbitur Christus, quia nemo venit ad patrem, nisi per ipsum, sed patientiam docuit filius; necessarium est, vt patiens sit seruus.

31

Et vt ostendat sub Priore nos esse debere subsequitur dicens, Imposuisti homines super capita nostra. Psal. 65.

FIdes Christi est iustitiæ principium, & causa, secundum illud ad Rom. 3. *Iustitia Dei per fidem Christi:* & per fidem Christi non tollitur ordo iustitiæ, sed magis firmatur. Ordo autem iustitiæ requirit, vt inferiores suis superiorib. obediant, quia aliter non possit humanarum rerũ status conseruari. Et ergo ostendit nos prophetа sub Priore esse debere, quatenus & iustitia Dei impleatur, & rerum humanarũ status in esse conseruetur. Si enim vnicuiq; liceret, quod ipse vellet, cum diuersæ sint conditiones hominum, nunquam conseruaretur pax & concordia, quia vnusquisq; spreto consilio alterius, suũ sequeretur consilium, & inde totius vnitatis oriretur confusio. Imposuit ergo Dominus *homines super capita nostra*, id est, superiores, Episcopos, Abbates Principes & dominos, vt sub potestate constituti hominum concordiam habeamus & pacẽ. Sed specialiter monachos sub potestate posuit Deus, sua videlicet vocatione, vt abnegatis seipsis habeant, cui obediant, vt nõ liceat illis perficere propriam, quã semel dereliquerunt voluntatem. Debemus ergo sic esse sub hominibus, vt Deum veneremur in ipsis, quia Dominus dicit, *q vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Quidquid ergo iusserit superior, debet obedire inferior; sic tamen, vt non aliter iubeat, quam Deus præcipit. Luc. 10.

32

Sed & in aduersis et iniuriis, præceptum domini per patientiam ad implentes, qui percussi in maxillam, præbent et aliam, auferenti tunicam dimittunt & pallium, angarianti milliarium vadunt et duo, cum Paulo Apostolo falsos fratres sustinent, et persecutionem, et maledicentes se benedicunt. Matt. 5. Luc. 6. 2. Cor. 11.

DIcit enim Dominus in Euangelio. *In patientia vestra possidebitis animas vestras*, quia possessio importat quietum dominium. Qui ergo radicitus evellit passiones aduersitatum, quibus anima inquietatur, animam suam possidet. Qui itaq; in maxillam fuerit percussus, iniuriam seu contumeliam sustinet, mediante qua anima inquietatur; si autem præbuerit & aliam, affectu scilicet, & si opus esset paruipendens & sustinens patienter, animam suam in quiete possidet. Monachus aũt qui animã suã possidere cupit, nullis iniuriis, seu aduersitatibus nõ moueatur, sed exhortatione sacræ scripturæ ad patientiam inclinetur, quæ omnia vincit. Vnde scriptũ est. Ecclesiast. 2 *In humilitate tua patientiam habe, quoniam igne probatur aurum, homines vero receptibiles in camino humiliationis:* Et amplius ad Ephesios 4. *Obsecro vos in domino, vt digne ambuletis in vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate & patientia, supportantes invicem in caritate.* Scriptum est etiam prouerbiorum 14. *Qui patiens est, multa gubernatur sapientia.* Patientia hostes vincit sine armis corporalibus & absq; ictu vel percussione. Non enim oportet magistrum sapientem, quem patientia commendat, vel vnum digitum eleuare ad hostes vincendos, sed tela eorum per suam patientiam retundit, & in corda eorum illa repercutit, sicut scriptum est. *Gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur.* Psal. 36. Gladius quippe lingua contumeliantium & detrahentium est: arcus vero, insidiæ, & offensiones impiorum sunt. Conuertitur autem gladius malorum in corda ipsorum, quando per patientiam contemnuntur ictus conuiciantium. Arcus autem confringitur, quando iniuriis clypeus patientiæ opponitur.

Opponamus ergo & nos, fratres carissimi, contra omnia huius incolatus nostri aduersa scutum fidei & patientiæ, parati pro CHRISTO omnia sustinere, vt etiam percutienti extendamus

maxillam, & auferéti tunicam, videlicet, illa quæ nobis neceſſaria ſunt, dimittamus & pallium, omnem quam poſſumus habere refrigerationem corporalem, ſuſtinentes cum patientia falſos fratres, quia & Chriſtus ſuſtinuit Iudam, quamvis ſciret quis eſſet.

Ergo ſi cupimus venire ad culmen ſanctitatis, oportet vt prius purgentur in igne tribulationis, quoniam regnum cœlo-
Luc. 24. rum vim patitur, & violenti, id eſt, patientes rapiunt illud. *Nam & Chriſtum oportuit pati, & ſic intrare in gloriam ſuam.* Patientes eſtote, cariſſimi fratres, & nolite contendere verbis, vt nō vituperetur miniſterium veſtrum ſanctum, ſed date locum iræ, & nolite reddere maledictum pro maledicto. Sed potius maledicentibus vobis benedicite, vt benedictione repleamini eius, qui vos vocauit in admirabile lumen ſuum Chriſtus Ieſus, Dominus noſter, qui patientiæ & manſue-
Matt. 11. tudinis ſequentibus ſe reliquit exemplum, dicens. *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris.*

33 # V. GRADVS.

VERSVS.

Abbati reſerat quintus penetralia cordis.

Quintus humilitatis gradus eſt, ſi omnes cogitationes malas cordi ſuo aduenientes, vel mala à ſe abſconſe commiſſa per humilem confeſſionem Abbati non celauerit ſuo. Quintus iſte gradus de confeſſione peccatorum nos edocet, & conuenienter poſt patientiam ponitur, vt quod minus ibi conſeruari poteſt, in iſto recuperetur. Quoniam hæc ſunt veræ humilitatis inſignia, vt iniquitatem ſuam quiſq; cognoſcat, & cognitam voce confeſſionis Abbati ſuo confidenter aperiat. Initium enim ſalutis notitia peccati, nam qui ſe peccare neſcit, corrigi non vult: & ideo quantum poteris teipſum argue. Di-
Aug. l. de pœnit. cit namq; Auguſtinus. *Confeſſio eſt ſalus animarum, diſſipatrix vitiorum, reſtauratrix virtutum, oppugnatrix damonum.* Quid plura? obſtruit os inferni, portas aperit paradiſi. Confeſſio eſt, per quam animæ morb. latens ſpe conſequendæ veniæ in Dei laudē aperitur. omnia vitia in aperto leuiora ſunt. Morbi quoq; ad ſanitatem ſe tunc inclinant, cum ex abdito erumpunt, ac vim ſuam proferunt in publicum. *

Inde dicit Bernardus. *Cur morſus à ſerpente fugit conſcientiam ſacerdotis, ad quem eum magis oportuerat, tanquam ad ſinum recurrere eccleſiæ matris?* Prima via ſalutis eſt, confeſſio peccatorum. Secunda vero non deſperare de venia eorum. Nam alterum ſine altero nihil valet: quia *corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Sic confeſſio Iudæ non profuit, quia deſperauit veniam: ſic ſpes vana multos decepit, quia non habuerunt cōfeſſionem. Cain etiam confitebatur ſe peccaſſe, ſed quia veniam deſperauit, profugus diu latuit in terra. Deo cognitum eſt quid feceritcum ipſo poſtea. Nec etiam ſufficit confeſſio cordis in foribus Eccleſiæ, niſi etiam quis confiteatur peccata ſua manifeſtatione oris, ſicut iam dictum eſt, Dicit enim Chryſoſtomus ſuper Matth. *Si ſufficeret fides cordis, non creaſſet tibi Deus os.* Sufficit autem illa confeſſio, quæ primū offertur Deo, tunc etiam ſacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. *De pe. diſt. 1. quamuis.* Et primum Apoſtoli nobis inſtitutio ſequenda eſt, vt confiteamur alterutrum peccata noſtra, & oremus pro invicem vt ſaluemur. Confeſſio itaq; quæ ſoli Deo fit, quod iuſtorum eſt, peccata purgat, ea vero quæ ſacerdoti fit docet qualiter ipſa purgentur peccata. Deus namq; ſalutis et ſcientiarum Author & largitor, plerumq; præbet, hanc ſuæ pœnitentiæ medicinam inviſibili adminiſtratione, plerumq; medicorum operatione. Confeſſio enim cuilibet Chriſtiano eſt neceſſaria, quia ſicut dicit Bernardus in quadam Epiſtol. *abſq; confeſſione iuſtus iudicatur ingratus, & peccator mortuus reputatur.* Confeſſio ergo peccatorum eſt vita iuſti gloriæ: ceſſat enim vindicta diuina, ſi humilis confeſſio præcurrat humana. Vnde Caſſiodorus. *Illis*, inquit, *non Iudex, ſed aduocatus eſt Chriſtus, qui ſe propria confeſſione damnarunt.* Et Leo Papa. *Non remanet in iudicio ad damnandum, quod fuerit propria confeſſione purgatum.*

Bern. in Cant. *Rom. 10.* *Iac. 5.* *Bern. ep. 113.* *Caſſiod. in pſ. 31.* *Leo, in ſermon.*

Multum enim ſuffragatur apud Deum humilis confeſſio, & ſuiipſius accuſatio. Publicanus enim peccata ſua confitebatur Domino, nec quidem oculos volebat leuare ſuos in cælum, ſed tantum per-

percutiebat pectus suum dicens. Deus propitius esto mihi peccatori, & iustificatus descendit in domum suam ab illo
Luc.18. qui seipsum commendabat, & de sua obseruantia insipienter plurimum gloriabatur.

Quid non potest humilis confessio? Confitebatur & Dauid peccatum suum domino, sed humiliter, & dimissum
2.Reg.12. est ei. Verus est enim sermo viri sapi-
Eccl.35. entis, quia *oratio humiliantis penetrat nubes.*
Isid l. 2. de sum.b. c.13. Hinc Isidorus dicit. *Ex eo vnusquisq; iustus incipit esse, ex quo sui accusator extiterit. Magna enim iustitiæ pars est seipsum nosse,* homo quod prauus est, vt ex eo diuinæ virtuti subdatur humilius ex quo suam infirmitatem cognoscit.

Aug. in Ps.84. ** Et Augustinus, *veritas,* inquit, *de terra orta est, id est, confessio de peccatore, vt se accuset: & sic de cœlo iustitia prospexit, quasi dicat Dominus. Parcamus huic, quia sibi non pepercit, ignoscamus, quia agnoscit.* De cœlo ergo iustitia prospexit, quia à Deo datur iustitia pœnitenti, Et ideo dicit Bernardus.
Bern ep. ad Sophiam. *Ama confessionem si amas animæ tuæ pulchritudinem, vbi enim confessio est, ibi animæ pulchritudo.* Bonum ornamentum est animæ confessio, quia & peccata lauantur,
1.Ioan.1. & bona opera Deo commendantur. Vnde scriptum est. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis & iustus est Deus vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Latroni enim Deus in cruce confi-
Matt.27. tenti, non solum remisit peccata, sed et-
** iam repromisit præmia dicens. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Si tantum valuit confessio in latrone, quantum humilis si fuerit facta putas valebit in Christiano? Non ergo erubescas confiteri peccata tua; quia si hic confiteris: postea non confunderis: Si autem hic lates inconfessus, ibi publicaberis confusus.
Ambr. in Ps.35.v.1. Dicit enim Ambrosius. *Tantæ virtutis est ipsa confessio.* quod peccata, quæ per confessionem abolentur, dæmones reuelare, imo scire prohibentur. Et Gregorius.
Gregor. *Confessio,* inquit, *corpus illuminat, animam sanctificat, Deum placat, veniam peccatori donat, Angelos lætificat, Dæmones contristat, & infernum spoliat. Confessio à morte animam liberat, aperit paradisum, spem salutis tribuit, nec meruit iustificari, qui in hac vita peccatum suum noluit confiteri.*

Prælati autem Iudices loco Dei constituti sunt in ecclesia: habentes authoritatem ligandi atq; soluendi, & debitã satisfactionem pro offensis iniungendi. Et ideo Monachus, qui membrum Christi est, confiteri debet patri spirituali humiliter, et nude, vt ab Abbate diiudicari possit inter lepram lepra, & quantæ offensæ sunt, secundum quas est modificanda satisfactio. Scriptum est enim *pro mensura peccati est plagarum modus.* Et iterum. *Quantũ glorificauit se & in delitiis fuit, tantum date ei tormentum & luctum.* Et notandum quia non solum opera absconse perpetrata, sed etiam abscondita cordis id est, malas cogitationes cordi suo aduenientes Monachus Abbati suo debet manifestare: quia audeo dicere, quod nihil adeo diabolum ad accedendum vt tentet, trepidare facit, sicut manifestatio cogitationum seniori spirituali: quoniam quidquid agit inimicus, solum vult scire tentatum. Postquam vero se prodi cognoscit. suggestiones suas amplius publicare pertimescit. Abbas enim spiritualis medicus est. Si manifestas ei vulnus, curabit te: si celaueris, morbo ingrauescente morte morieris. Quid times confiteri, homo homini? Et ego peccator sum, sicut & tu quoniam non est super terram, qui non peccet, quia in multis offendimus omnes, & egemus gratia Dei. Accede igitur & confitere, ne parcas, nam id quod per confessionem scio, minus scio, quam quod nescio. Quid ergo times? Quare erubescis confiteri peccata tua mihi: non vt homini, sed vt loco Dei Vicario Christi? *Sup. qua de. esse Ab.* cum & ego peccator sim, & tu solus nõ peccasti? Certe in iudicio Dei omnia manifesta erunt. nã si iam lates inconfessus, manifestaberis ibi confusus. Elige itaq;, quod vis. aut confiteri iam peccata tua homini mortali, vel sacerdoti, cuius spiritº exibit, & ipse reuerterur in terrã, vnde assumptus est: & nemo peccatum tuũ amplius nouit; aut si non fueris cõfessus, coram Deo, & omnibus sanctis eius confuse stabis, & erunt omnia cordis tui absc õdita manifesta, nec poteris tunc confiteri, quod iam abscondis. Vnde sapiens eccl. 17. admonet dicens. *Non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere.* A mortuo quasi nihil perit confessio. Confiteberis viuens, viuus & sanus confiteberis, & laudabis Deum, & gloriaberis in miserationibus eius.

Deut.25. Apoc.18.

Patri spirituali cur cogitationes aperiendæ. *

Quod per confessionem scitur, nescitur.

Quid

Quid lucidius sole? & hic deficiet, aut quid nequius quã quod ex cogitauit caro & sanguis? & hoc arguetur. Hinc Isid ait. *Quamuis quisquam peccator sit & impius, si ad pœnitentiam conuertatur, consequi posse veniam creditur. Nullus enim de bonitate Dei dubitat, sed sola accipientium prauitas conferri sibi indulgentiam abnegat. In hac vita tantum pœnitentiæ patet libertas: post mortem vero nulla correctionis erit licentia. Vnde & dominus dicit. Me oportet operari opera eius qui misit me donec dies est. Venit autem nox cum nemo potest operari. Hinc & propheta. Date, inqt, domino Deo nostro gloriam, antequam contenebrescat, id est, antequam mors æterna præueniat. In hac vita dum estis, Deum per pœnitentiam glorificate, quoniam adhuc in sæculo pœnitentiam operantibus Dei misericordia subuenit: in futuro autem iam non operamur. Sed operũ nostrorum rationẽ ponimus.* Cõfiteamur ergo nostra peccata dum sumus in hac vita, quatenus dignos pœnitentiæ fructus facere possimus, quia sicut dictum est, post mortem non erit locus confessionis, sed tempus retributionis.

Isid. l. 2. c. 13.

Ioan. 9.

Ierem. 13.

34

Hortatur nos de hac re scriptura dicens,

Reuela domino viam tuam, et spera in eum.

Psal. 36.

ET item dicit. *Confitemini domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius.* Viam nostram domino reuelamus: quando interius Deo & exterius sacerdoti de omnibus commissis puram confessionem facimus. Reuelamus secreta nostra domino, non vt sciat qui omnia nouit, sed vt ignoscat, quoniam pius est. Reuelamus autem sacerdoti, vt sciat & consilium curationis adhibeat, quoniam angelus domini exercituum est: & ipsius est interroganti respondere, de lege scilicet pœnitentiæ. Reuela domino viam tuam, qua ambulasti, in qua peccasti, & per puram confessionem indica illi, quid fecisti, & noli de bonitate eius dubitare, sed spera in eum, quoniam multus est ad ignoscendum, & præstabilis super malitia: quoniam non vult mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat. Non enim gaudet dominus super mortem peccatoris, sed gaudium est angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente, maius quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia; quoniam & dominus venit vocare peccatores ad pœnitentiam. Reuela igitur cogitationes cordis tui Domino precando auxilium; reuela quoq; eas Abbati tuo, petendo cõsilium, quoniam ipsi commissus es, de te reddet rationem Deo: si te sua neglexerit curare culpa. Confitere domino, quoniam bonus est: Confitere & Abbati tuo, quoniam medicus tuus est.

Psal. 105.

35

Et item propheta. Delictum meum cognitum tibi feci. & iniustitiam meam non operui. Dixi pronuntiabo aduersum me iniustitias meas domino, & tu remisisti impietatem.

Psal. 31.

TV Domine qui omnia nosti attende obsecro voci meæ: *Delictum meum*, id est, peccatum meum, *cognitum tibi feci*, quoniam ego cognoui, *& iniustitias meas non operui* pallio obliuionis aut simulationis, *sed dixi* apud me deliberando. *Pronuntiabo aduersum me contra me iniustitiam meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Non operui peccatum meum, non abscondi iniquitatem meam, sed aperui, & tu operies, confessus sum & tu abscondes. Si enim peccatum in confessione aperuero, tu operies, si texero tua peries. Videte Fratres quid dicit propheta. *pronuntiabo*, inquit, quod verbum futurum tempus indicat *aduersum me iniustitiam meam, domino.* Magna res. Vnde Augustin. *Dixit pronunciabo, non dixit pronunciaui, & tu dimisisti, quia eo ipso quod dixit pronũtiabo, ostendit quod nõdum pronunciauerat, sed corde pronuntiauerat.* Hoc ipsum dicere pronunciabo pronuntiare est, ideo & tu dimisisti impietatem peccati mei. Verum autem Deus audiuit vocem cordis mei, vox mea nondum in ore erat: sed auris Dei iam in corde erat. Et tu remisisti impietatem peccati mei. Dixit pronunciabo aduersum me iniustitias meas domino, quia non sufficit solum Deo pronunciare, si non pronunciauerit & aduersum te iniustitiam tuam Domino. Multi enim pronuntiant iniquitatem suam, sed aduersus ipsum Dominum Deum, quando inueniuntur in peccatis suis. Dicunt, Deus hoc voluit. Cum peccauerint, dicunt. Deus humiliauit me, ne forte superbirem.

Aug. in Psal. 31.

Certe iniquitas tua humiliauit te. Nunquam Deus peccatum vult, aut placet sibi

eet sibi iniquitas. Quid est quod loqueris? Deus neminem peccare facit, qui iniquitatem odio habet. Quomodo ergo dicis, Deus per peccatum me humiliauit. ita ille iniustus, & tu iustus. quia nisi ille feciſſet, tu non peccasses. Tolle obsecro istas excusationes in peccatis & memento istius psalmi. *Nec declinet cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.* Deus mali author non est, & tu sibi facis iniuriam, & dicis; quia Deus voluit vt peccarem. Certe Deus peccatum odit, tu peccasti, & ex iniquitate tua putas iustitiam facere. Pronuntia aduersum te iustitias tuas domino, & non aduersum Deum, ne maledictum incurras blasphemantium. Confitere peccata tua & dic, peccaui agnosco, peto, ignosce. Si tu agnoscis Deus ignoscit, si tu excusas, omnis creatura te accusabit. Nam si homo detegit, Deus tegit. Si homo tegit, Deus nudat. Si homo agnoscit, Deus ignoscit. Non est mora inter confitentem, & remittentem, & gemitus exaudientem, quacunq; enim hora peccator ingemuerit, saluus erit. Si itaq; culmen sanctæ charitatis contendis ascendere nihil occultabis Abbati omnium quæ agis, aut cogitas, sed reuela ei secreta cordis tui, vt morbus sanetur; Cum vulnera plus cruciant, tum putredo, quæ interius feruet, eiicitur, ad salutem dolor aperitur. Hinc nos Augustinus admonet dicens. *Quidquid remordet conscientiam humiliter confitere.* Non patiaris aliquid in conscientia tua manifestum, de quo ab ipsa accusaris, nec parui pendas conscientiæ tuæ testimonium, quoniam moritur vermis eius in æternum. Et ideo, si dictat tibi conscientia aliquid, vide ne negligas, sed prudenter Abbati tuo suggeres, eius sequendo consilium. Sed posset aliquis quærere de conscientia, quantum ad effectum ligationis, vtrum videlicet teneamur ad omne illud quod conscientia dictat necessarium esse salutem. Et videtur quod sic. Dicit enim Gloss. super illo ad Rom. 14. *Omne quod non est in fide peccatum est.* id est. contra conscientiam vt credamus malum, peccatum est. Sed hoc non esset, nisi conscientia ligaret ad omne illud, quod ipsa dictat. ergo tenemur omne illud facere, quod est de conscientiæ dictamine. 2. Lex obligat ad faciendum illud quod ipsa dictat. Lex enim dicitur à ligando. Sed conscientia est lex intellectus nostri, ergo. 3. Tenemur ad faciendum illud, quod iudex mandat, sed conscientia est Iudex noster. 10. q. 3. *Et si.* ergo tenemur &c. Item, regula est, quod quotiescunq; aliquis faciens aliquid, credens esse mortale, peccat mortaliter, pro eo quod contemnit Deum. Ergo, si non possumus non credere ea, quæ dictat conscientia, videtur quod quidquid sit, illud, si contra hoc faciamus, quod mortaliter peccamus. videtur ergo, quod teneamur ad faciendum omne illud quod conscientia dictat ad salutem esse necessarium. Sed contra est, quod dicit sapiens. prouerb. 16, *Est via quæ videtur homini recta, et nouissima eius ducunt ad mortem.* Respondeo dicendum, Quod conscientia aliquando dictat aliquid, quod est secundum legem Dei; aliquando aliquid quod est præter legem Dei, aliquando aliquid quod est contra legem Dei, & loquimur hic de dictamine per modum præceptionis, vel prohibitionis, non per modum consilii siue persuasionis. In primis quidem conscientia simpliciter ligat & vniuersaliter pro eo, quod illa ligatus est homo per legem diuinam & conscientiam, quæ illi concordat, ligatum ostendit. In secundis vero conscientia ligat quamdiu manet. Vnde vel tenetur homo conscientiam deponere, vel tenetur illud quod dictat conscientia adimplere, vt pote si dictat quod necessarium est ad salutem festucam de terra lauare. In tertiis vero cõscientia non ligat ad faciendum vel non faciendum, sed ligat ad se deponendum pro eo, ꝙ cum talis conscientia erronea sit errore repugnãte legi diuinæ. necessario quamdiu manet, ponit hominem extra statum salutis: & ideo necesse est ipsam deponere quia siue homo faciat, quod dicit, siue eius oppositum, mortaliter peccat. Si enim facit, quod conscientia dictat, & illud est contra legem Dei, & facere contra legem Dei, sit mortale peccatum, absq; dubio mortaliter peccat. Si vero facit oppositum eius, quod conscientia dictat, ipsa manente adhuc peccat mortaliter, non ratione operis quod facit; sed malo modo quo facit. Facit. n. in contemptum Dei, dum credit dictante sibi conscientia hoc Deo displicere, quãuis Deo placeat.

Psal. 140

Peccata quæ homo detegit Deus tegit.

August.

Aug. in Psal. 31.

Quæstio an quicquid conscientia dictat teneamur facere.

I.

Et

Et hoc est, quod dicit glos. super illud ad Rom. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, id est; Omne quod ad conscientiam pertinet, si aliter fiat, dicit Apostolus esse peccatum: quamuis enim fiat, etiam quod bonum est, si non faciendum credatur, peccatum est. Et ratio huius est, quia non tantum attendit Deus, quid homo faciat, sed quo animo faciat. Et iste, qui facit quod Deus iubet credens facere contra ipsam Dei voluntatem, non facit bono animo, sed malo, & ideo peccat mortaliter, sic igitur patet, quia omnis conscientia ligatur ad faciendum, quod dictat, sicut illa quæ dictat, non esse faciendum illud ad quod homo alias tenetur. Sed tunc conscientia dicitur erronea. *Resp. ad 1.* Ad primum ergo dico, quod facere contra conscientiam semper est peccatum, quia semper est in Dei contemptum, nec tamen facere secundum conscientiam semper est bonum, vtpote cum conscientia dictat aliquid quod est contra Deum. Vnde hoc habet duas causas veritatis. Facere contra conscientiam est peccatum, aut quia conscientia est peccatum, aut quia conscientia ligat ad illud faciendum: aut quia illud non potest bene fieri tali conscientia manente: ideo est ibi sophisma secundum consequens, quia proceditur ex pluribus causis veritatis ad vnam in ratione illa. *Ad 2.* Ad 2. dico, quod verũ est, videlicet quod conscientia est lex intellectus nostri, sed non est lex suprema: supra ipsam enim est lex alia, scilicet lex diuina. Cum autem dicitur quod lex ligat ad faciendum omne illud quod dictat, dico quod verum est, quando lex inferior non dictat contrarium legi superiori. Hoc autem sæpe facit conscientia. Et similiter respondendum est ad sequens quod opponitur de Iudice. *Ad 3.* Ad 3. dico, quod hoc quidem verum est, quod quicunq; credit se peccare mortaliter, peccat etiam mortaliter, quando eligit hoc peccatum, contemnendo Deum: quod putat esse mortale, quamvis non sit mortale scienti. Illud enim generaliter verum est, quod dicitur. *Qui facit contra cõscientiam ædificat ad gehennam.* Sed tunc ex hoc non sequitur, quod teneamur facere, quod conscientia dictat esse faciendum, quia sicut dictum est, id habet duas causas veritatis. Si conscientia dictat aliquid esse bonum, quod tamen malum est, & dicit hoc esse faciendum, debet talis sapientiores consulere: vel per orationem se ad Deum cõuertere, si humanum consilium deest. Alioquin si negligens fuerit, verificatur in eo quod dicit Apostolus. *Qui ignorat, ignorabitur.* 1. Cor. 14. Si enim quis fecerit malum, quod conscientia quasi bonum dictat faciendum, à peccato non erit immunis, quoniam ignorantia legis videlicet, quæ est causa peccati, non excusat. Qui enim ea quæ Dei sunt nesciunt, à domino nesciuntur 38. *dist. quod.* Monacho etiam plus standum est præcepto Abbatis, quã conscientiæ: maxime quando Abbas præcipit quod potest & debet præcipere. Scriptum est enim. *Omnia fac cum consilio & post factum non pœnitebis.* Et notandum, quia aliud est ignorantem aliquid facere, aliud cum ignorantia, aliud propter ignorantiam. In primo ignorantia sequitur voluntatem, scilicet quando quis vult ignorare, quod debet scire. Vnde propheta in psalmo. *Noluit intelligere vt bene ageret.* Et hæc dicitur ignorantia affectata. Vel quando non vult tollere, quod impedit scire, vel non vult inquirere aut defendere propter laborem in Ecclesia. Et sic est supina & sic interpretatiue vult ignorantiam habere, & sic accusat, & non excusat. Sunt enim plerique, qui propterea scire nolunt, ne facere teneantur. Et dicunt quod melius, vel vt proprie loquar, minoris culpæ sit viam veritatis non agnoscere, quam post agnitionem per oblectamenta carnalium desideriorum retrorsum ire. Sed certe non habent excusationem huiuscemodi homines, sed maiorem damnationem, quia cum ad hoc homini datus sit spiritus, vt intelligat ea, quæ Dei sunt, & ad salutem necessaria, toto conamine debet niti ad hoc, vt Deum cognoscat, & voluntatem ipsius. Cum ignorantia autem fit, vt cum vult aliquis occidere ceruum, & casu occidit hostem suum, quem latitantem nesciuit inter condensa frondium vel veprium, quem etiam occidendi habuit alias voluntatem, si eum sciuisset ibi affuisse.

Monach. plus Abbati quã conscientiæ suæ fidere debet.

Eccl. 32.

Ignorantia triplex.

Psal. 35.

Hic non præcessit ignorantia respectu occisi, nec sequitur, sed comitatur. Et hoc secundum Gregorium facit non voluntarium, quia voluit in generali, licet non in speciali. Non enim potest in speciali

ſpecialiin actu eſſe volitum, quod eſt ignoratum. Propter ignorantiam quis agit, quando ignorantia præcedit voluntatem, & homo non tribuit cauſam ignorantiæ: nec eſt ignorantia vniuerſalium, ſed particularium ſecundum Gregorium, quia vniuerſalia iuris nemo ignorat. Exempli gratia. Sciens patrem non occidendum, ſagittat in loco conſueto, adhibita, quam debet, diligentia, ne quis ibi ambulet, clamando, & auiſando, & cum neminem viderit, vel audierit, emittit ſagittam, & ambulat ibi pater ſuus, nec ſagittare vellet, ſi hoc ſciret, & emiſſa ſagitta ignoranter occidit patrem ſuum.

Ignorantia invincibilis.

Hæc ignorantia fecit involuntarium ſimpliciter. Et appellatur hæc ignorantia invincibilis, quia vinci non poteſt. De

Conſcientia quid ſit.

conſcientia vero vlterius conſiderandũ qd ſit, & vnde dicatur. Dicit itaq; conſcientia à con, & ſcientia, quaſi ſcientia cum electione liberæ voluntatis, & eſt ſcientia iuncta affectioni, vel conſcientia eſt habitus perficiens intellectum noſtrum in quantum ſpeculatiuus, quia eſt habitus concluſionis per demonſtrationem acquiſitus & faciens ſcire tantum: ſicut habitus conſcientiæ eſt faciens operari: & eſt quoddam dictamen rationis, quia eſt applicatio ſcientiæ ad actum. Ideo ad faciendum conſcientiam intellectus noſter indiget duplici principio regulante, vniuerſali videlicet, in quo ſunt principia iuris naturalis, & hæc eſt lex naturalis, ſcilicet quod nullum malum eſt faciendum & omne bonum eſt agendum.

Synderesis.

Et ſecundum illud nunquam errat conſcientia, etiam ratio. Et hanc maiorem format ſynderesis, quæ eſt lex nobis innata quaſi ſcintilla conſcientiæ, quia cauſaliter ſcientiam illuminat in vniverſali, & pertinet ad ſuperiorem partem rationis, & eſt ſuper totam rationem. Huius ſynderesis duplex eſt actus. Scilicet, inſtigare ad bonum, & murmurare contra malum. Et quo ad vtrumq; actum ſemper manet in viatoribus, nec poteſt extingui totaliter, ſed bene poteſt in aliquo actu obnubilari: ſcilicet quo ad ſecundum actum. Probatur. Nam in hæreticis, qui putant ſe obſequium præſtare Deo occidendo ſanctos, ſynderesis non eſt extincta, ſed in parte obſcurata, quæ remurmurat malo in vniverſali, ſed non in particulari. Et in damnatis non extinguitur, ſed ſemper remurmurat malo præterito.

Vnde Iſaiæ vltimo ſcriptum eſt. *Vermis eorum non morietur.* Quid per vermem, niſi reatum conſcientiæ deſignat, quia non erit minima pœna damnatorum, murmuratio, & remorſus conſcientiæ, malorum actuũ præteritorum. Nulla enim eſt grauior pœna, quam pœna conſcientiæ malæ. Vrit enim & mordet, nec vnquam quieſcit, & licet aliquando non ſentiatur murmur contra malum per ſynderiſin, hoc eſt propter paſſionis vehementiam, & propter inclinationem habitus, cum ratio eſt incuruata, & ſynderesis obnubilata. Vnde licet præcipitari poteſt ſynderesis, non tamẽ poteſt extingui.

Conſcientiæ remorſus maxima pœna eſt.

Sicut in milite exemplum ponitur, qui ſemper bene ſedet in equo, equo tamen ruente præcipitari dicitur: vnde non per ſe, ſed per accidens dicitur præcipitari. Ideo ſynderesis eſt vniuerſalis motor ſtimulans ad actum. Aliud vero principium cauſans conſcientiam, eſt particulare, & eſt ex dictamine rationis, & dicitur conſcientia, quaſi cum electione & voluntate deliberatiua concordans cum ſcientia, cum recta ratione, & formatur ſecundum iudicium & ſententiam rationis; vt ſi ratio recta eſt, & conſcientia, & ſi ratio erronea ſit, erit & conſcientia erronea. Exempli gratia. Vt ſi recta dictat, calcare ſuper ſtramen in modum crucis ſuper terram, eſſe peccatum, tunc conſcientia ſimiliter errat, & ſtante tali conſcientia, ſi voluntas in actum illum prorumpat, calcans ſuper ſtramen, peccat, non quia actus ille in ſe eſt peccatum, ſed quia ibi eſt formaliter contemptus Dei, quia, ex quo lumen rationis eſt, quaſi Deus dirigens, & apprehenditur ille actus, quaſi contra præceptum Dei dirigentis, & tamen voluntas facit, contra hanc apprehenſam Dei directionem.

Secus tamen eſt, vbi fuerit perplexitas & electio dubioſa, quando conſcientia hoc non dictat, ſed ratio errat nulla formata deſuper conſcientia, vt ſupra ſatis dictum eſt. Præterea notandum eſt pro declaratione maiori prædictorum in

vltima reſponſione argumenti, vt etiam ibi dictum eſt, quod aliquando conſcientia dictat aliquid, quod eſt ſecundum legem Dei, & conſcientia concordat illi dictamini, & quoad hoc ligatur homo, ad faciendum vel deſiſtendum, tam virtute legis diuinæ, quam conſcientiæ rectæ. Aliquando conſciẽtia dictat aliquid, quod eſt præter legem Dei, vt ſupra dictum eſt, & hoc obligat, quam diu conſcientia manet, & ſi contra fecerit, peccat mortaliter, quia contra conſcientiam negligit facere quod dictat, licet ſit erronea. Vt ſi dictat conſcientia, fruſtum panis, quod cecidit in terram, ſub præcepto eſſe levandum, & ſi negligit, ſtante illa conſcientia, & facere contemnit, ædificat ad Gehennam, & ideo tenetur deponere talem conſcientiam ad conſilium ſacræ ſcripturæ, vel rationis aut proborum virorum, vel ſi non poteſt eam deponere, tenetur ad id quod conſcientia dictat. Et in hac erronea conſcientia, ſi fecerit quod dictat quod tamen in actu peccatũ non eſt, non peccauit, ſi autem dimiſerit, ſtante conſcientia, peccat, ſicut dictum eſt: Aliquando conſcientia dictat aliquid, quod eſt contra legem Dei, vt in Saulo exemplificatum eſt; & talem conſcientiam tenetur homo ſimpliciter deponere, pro eo, quia cum talis conſcientia ſit erronea, errore repugnante legi diuinæ, neceſſario, quamdiu manet, ponit homines extra ſtatum ſalutis. Et hoc eſt quod gloſſ. ſuperius allegata dicit. Omne quod ad conſcientiam pertinet, ſi aliter fiat dicit opus eſſe peccatum, quamuis etiam fiat q; bonum eſt, ſi non faciendum credatur peccatum eſt. Eius ratio iam dicta eſt. quia credit hoc Deo diſplicere, quamuis non ſit ita. Vt ſi aliquis frater oraret aliquid ſine licentia plus ſolito, & conſcientia eius dictaret hoc eſſe peccatum mortale quamuis erret peccat mortaliter, quia putat eſſe peccatũ mortale, & Deum cõtemnit, quia omne peccatum mortale contemptum Dei importat. Tenetur autem frater talem deponere conſcientiam conſilio Abbatis ſui. Qui enim per aliquod opus Deum intendit offendere, etiamſi opus in ſe bonum eſſet corrupta tamen intentione, offendit. Eſt etiam ſciendum, quod ratio apprehendit aliquid dupliciter. Vno modo, prout ſub ratione diuini præcepti

Conſcientia erronea.

directe, & ſic voluntas diſcordans ab illa ratione & faciens contrarium peccat mortaliter, vel agendo, vel omittendo vt ſupra dictum eſt. Alio modo apprehendit ratio opus aliquod, non vt directe cadens ſub præcepto vel prohibitione, & tunc voluntas illud faciens, non facit directe contra conſcientiam, ſed præter eam & ſic non peccat mortaliter, ſed venialiter, aut nihil, ſicut quando conſcientia dictat alicui facere aliquod opus conſilii, ſi non facit, non peccat, quia non apprehendit illud tanquam neceſſarium ad ſalutem præceptum diuinum. Sicut eſt, verbum otioſum dicere, contra illud. *Omne verbum otioſum quod locuti fuerunt homines, reddent de eo rationem*, &c. Si quis dixerit verbum otioſum, ſciens veniale, & conſcientia dictat ſibi, illud non debere loqui, non peccat mortaliter, ſed venialiter tantum, quia apprehendit illud tanquam veniale. Si aliquis loquitur verbum aliquod otioſum, quod in ſe eſt peccatum veniale, & tamen conſcientia ſibi hoc non dictat, à peccato veniali non excuſatur, quamuis ignoret eſſe peccatum, aut certe non ponderat, ſed conſcientia rationem palpat. Et vlterius notandum quod error conſcientiæ octo modis cauſatur. Primo ex ignorantia ſcilicet, quando quis neſcit, quid eligendum ſit, vel declinandum. De tali errore ſcriptum eſt. Cum ignoramus, quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te. Secundo ex negligentia, vt cum aliquis negligit conſcientiam ſuam diſcutere, & ſi ipſe neſciat expedire, vel diiudicare, ab aliis tamen quærere negligit. Tertio ex ſuperbia, vt quando aliquis non vult humiliare intellectum ſuum, vt credat ſe melioribus, & quamuis ſciat ſe neſcire, vult tamen ſcire videri, & propterea neminem interrogat; vel ſi inquiſierit, non vult ſequi, quod dicitur ſibi. Contra quod Apoſtolus dicit. *Captiuantes omnes intellectum in obſequium Chriſti.* Hoc eſt dicere, quod quilibet in credendis plus debet conſentire fidei quam ſibi, & in agendis plus debet aliis credere quam ſibi: quoniam *eſt via, quæ videtur homini recta & nouiſſima eius ducunt ad mortem.*

Matt. 12.

Error cõſcientiæ vnde proueniat.

1.

2.

3.

2. Cor. 10.

Prou. 16.

Quarto ex ſingularitate, qua homo ſequens ſenſum proprium, non conformat

4.

format se aliis, nec sequitur vias communes bonorum. De his scriptum dicit. *Num. 31.* *Extranea castrorum consumpsit ignis.* Et in psalmo. *Psal. 71. 5.* *Singularis ferus depastus est eam.* Quinto, ex affectu ordinato, qui sæpe inclinat conscientiam ad id quod tunc homo appetiuit. & sic facit eam à sua rectitudine deuiare ex affectu. Nam sententia est. *Perit omne iudiciū cum res transierit in affectum.*

6. Sexto ex pusillanimitate, qua quis timet non timenda secundum rectum iudicium rationis.

Isai. 35. 7. Hinc Isaias admonet dicens. Dicite *pusillanimes, confortamini.* Septimo ex perplexitate, qua homo se credit inter duo peccata positum esse, quorum alterum sit impossibile declinare. Sed perplexitas nihil est simpliciter; potest tamen aliquis esse perplexus secundum quid, id est, secundum erroneam conscientiam, qua deposita est liberatus. Octauo ex humilitate, & cordis puritate quia secundum Gregorium; *bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est.* Error primus septem modis acceptus reprehensibilis est, vnus plus alio, secundum quod fuerit grauior: Octauo autem modo acceptus laudabilis, imo nec error dici debet, sed humilis suorum defectuum recognitio, dummodo non sit nimia. Et notandum, quod si aliquis fecerit quippiam, quod licitum est, & bonum, & si post factum incidat in errorem, & conscientia remordet eum quasi fuerit illicitum, sine culpa erit talis remorsus, & ad pœnam non obligat, vt dicit Doctor sanctus quia talis conscientia post exorta non facit actum illicitum, qui tamen in se fuit licitus. Secus esset, si fuisset illicitus, quem tunc licitum putauit ex errore rationis, quia oporteret eum confiteri de nouo, & pœnitere & satisfacere. Huius dicta est ratio, quia voluntatis bonitas dependet à ratione, tanquam à dirigente, vt supra dictum est, rationem obiecti, quod proponitur rationi per obiectum, & hoc obiectum est bonum intellectiuum, cum voluntas vt sic cæca est, quantum ad discernendum bonum à malo, sed commisit hoc rationi, vt discutiat; sicut iudex pronuntiaturus sententiam, committit examen auditori, qui causam præsentat examinatam iudici, ad pronunciandum & exequendum. Et hæc iam dicta de conscientiæ examine sufficiant.

Greg. in ep. ad August. Angl. Episc.

Sermo exhortatorius vlterius exsurgat. Admonet itaq; sapiens & dicit. *Fili omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso est vita tua.* & omnia fugere poterit homo præter cor suum. Non enim potest à se quisquam recedere. Vbicunq; enim fuerit, reatus sui conscientia illum non derelinquit. *Prou. 4.*

Suadendum est ergo cuilibet Monacho, qui in puritate cordis sui ambulare voluerit, vt conscientiæ suæ testimonium non parui pendat, sed quod ipsa accusauerit ad confessionem deferat, nec aliquatenus conscientiam suam obnubilare conetur quasi non sit, quod ipsa iudicat esse peccatum, & vbi errauerit, consilia recipiat eorum qui huius rei habent experientiam.

Vt ergo delectabile obiectum vinci possit, ne rationem obnubilet, seu voluntatem excæcet, ponam aliqua remedia: quæ si monachus statim exurgente tentatione adhibuerit Dei adiutorio victor erit. *Remedia contra tentationes.*

Primum remedium ante omnia, si fieri poterit, fiat diligens custodia & clausura sensuum, ne intus suscipiatur, quoniam mors per fenestras nostras ingreditur, quando per exteriores sensus interior voluntas corrumpitur, quoniam mors secus delectationes posita est *supra, gradu primo.* *1.*

Secundo, si per negligentiam aut in curiam fuerit admissum ingredi, mox antequam crescat hostis interficiatur in semine, vt dicit Beatus Hieronymus. *Dum paruus est hostis interfice vt nequitia elidatur in semine.* Et hoc facile est, antequam venena sua spargat per corpus, illud transmutando. Qui enim hostem malignum vincere contendit, oportet vt primis eius suggestionibus resistat, & de cætero inueniet eum infirmiorem. *2.* *Hier. ep. 22. ad Eustoch.*

Tertio opponatur asperum remedium, scilicet corpus castigando per aliquam acerbitatem pœnarum, vel in frigida, vel per ignem, aut puncturas corporis, quæ dolore suo delectationem extinguunt. *3.*

Sicut sanctissimus pater legislator noster legitur fecisse Benedictus, qui se nudum inter vrticas & spinas voluntan-

do, delectationem traxit in dolorem. Si-
Greg. c. 2. cut dicit Beatus Gregorius 2. lib. Dialogorum.

4. Quarto, contra delectationem in virtute imaginatiua pœnas horrendissimas inferni perpetuas meditando propter paruam & momentaneam delectationem illatas.

Et sic clauum clauo pellat, sicut canis famelicus videns carnes, & hominem cum baculo circa eas, quamvis maxime esuriat, tamen accedere non præsumit.

Aug. lib. 1 solil. Vnde dicit Augnstinus. *Nemo est, qui non magis dolorem timeat, quam appetat voluptatem.* Videmus etiam immanissimas bestias à maximis voluptatibus arceri metu pœnarum.

5. Quinto, in imaginatiua futura & æterna gaudia apponere studeat, quæ nec comparatione nec æstimatione possunt istis minimis & momentaneis æquiparari voluptatibus; & amissionem illorum æternorum propter minima ista, quæ quasi lutum æstimanda sunt. Nam libenter carebit cupro, cui aurum ponderis in infinitum maioris pro ipso promittitur.

* 6. Sexto, vt otium auferatur, & semper aliquid operis fiat, vt Diabolus occupatum hominem inueniat, quia otiositas i-
c. 48. reg. nimica est animæ. *infra. de ope. quotid.* Et *in desideriis est omnis otiosus.* Otium fuit vnum peccatorum Sodomorum, vt Ezech. 16.
Hier. ep. 4. ad rust. Hinc Beatus Hieronymus admonuit dicens. *Semper aliquid operis facito, vt te diabolus occupatum inueniat*, non enim facile capitur à Diabolo, qui bono vacat exer-
Bern. l. de consid. citio. Inde dicit Bernardus in sermone. *Otiositas est mater nugarum, nouerca omnium virtutum:* Ipsa est enim quæ virum fortem fortissime præcipitat in reatum: facit enim suffocare virtutem, nutrire superbiam, viam construere ad gehennam.

7. Septimo, vt caro sub parcitate cibi & potus restringatur, & à mollitie vestimentorum, & omnium quæ delitias inferre possunt; quia saturitas panis similiter describitur peccatum Sodomorũ capitulo iam dicto.

8. Octauo, vt ante omnia oratio nostra recedat ab ore ad Deum, & à corde non elongetur desiderium secundum il-
Matt. 7. lud, *petite & accipietis.* Dicit namq; Isidorus. *Hoc est remedium eius, qui vitiorum tentamentis exæstuat, vt quoties quolibet tangitur vitio, toties ad orationem se subdat: quia frequens oratio vitiorum, pugnationem extinguit.* *Isid. l. 3. de sum. bon. c. 7.*

9. Nono, vt quoties aliquo tædio afficitur animus ex quo tentatio solet oriri, conferat se homo ad sacram lectionem: quia sicut oratio deuota extinguit tentationem iam ortam, ita lectio sacra repellit exsurgere volentem & ad Dei amorem accẽdit, qua accensa diabolica non subsistunt phantasmata.

Vnde iterum Isidorus. *Geminum confert donum lectio sanctarum scripturarum, siue quia intellectum mentis erudit, seu quia à mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit. Excitati enim sæpe illius sermone subtrahimur à desiderio vitæ mundanæ, atq; accensi in amore sapientiæ, tanto vana spes mortalitatis huius nobis vilescit, quanto amplius legendo spes æterna claruerit.* *Isid. ib. c. 8.*

10. Decimum remedium contra delectationem: in principio delectationis exsurgentis ipsum debemus instigantem quasi præsentem corporaliter conspuere in faciem suam, & illudere verbis subsannatiuis dicendo. Pfuy dich/ tu eruenta bestia, vade post me, non subripis mihi Deum, summum bonum. Et sic ille impatiens confusionis & vilipensionis, quia superbus est valde, recedet ad tempus saltem; & si iterum tentauerit, fiat sibi simile, & ab instanti non audebit subsistere, sed recedet.

Expertum est, quod dico à multis, Nec videatur alicui ridiculosum, quia cum superbissimus diabolus sit, vt dictum est: quamuis carnem non habeat corporalem, tamen non sustinet vilipensionem.

Nec etiam faciat sibi aliquis conscientiam de hoc quasi contra charitatem Dei sit, quod eius creatura maledicitur, seu exspuitur, quia non fit in contemptum creatoris, nec etiam creatura in quantum creatura est expuitur.

Sed quia à charitate Dei nos separare nititur.

Et ergo exspuimus in eum, non tamen maledicimus, quia nec Angelus Michael ausus fuit diabolo maledicere, sed dixit, *Imperet tibi Deus.* Contemnimus *Iuda ep.* enim

enim eum, in quantum male nobis intendit & agit: non in quantum Dei creatura
XI. est. Vndecimum remedium est, vt homo recordetur semper Deum esse præsentem, & omnia eius cogitata videre tanquam iudicem & vindicantem omnia peccata eius. Nam si tortor esset præsens, nemo peccare auderet. Si quis se in his vndecim exercuerit remediis, vt prædictum est, non sentiet delectationem, aut facile eas à se abiiciet, confidens de domini adiutorio, non de sua industria,
Ioan. 15. quoniam ipse dixit. *Sine me nihil potestis facere.* Magna enim contra diabolum arma sunt, in suis viribus fiduciam non habere, sed Deum orare, qui potest aduersarium cito opprimere. Nunc itaq; charissimi fratres, studeamus & istum quintum gradum humilitatis ascendere, semper aspirantes ad altiora opera virtutum. Confiteamur peccata nostra, vt remissionem mereamur accipere, quia nunc tempus acceptabile est ad redimenda peccata. Nullus nostrum malas cogitationes cordi suo aduenientes Abbati suo celet, quoniam mortis initium est negligere confiteri.

Monachi olim cogitationes patefecere superiori.

Quicunq; cogitationes suas malas in corde suo abscondit & non quærit consilia seniorum suorum, monachus non est.

Sic enim sanctos Monachos in Ægypto & in Thebaida legimus fecisse, vt quotiescunq; aliqua cogitatione mala vexabantur, alter alterius requirebat consilium & nullus sibi confidebat. Nec tamen opus est, vt Monachus omnes cogitationes Abbati suo reuelet, quoniam multæ sunt, sed illas duntaxat, quæ cordi suo aduenient (id est) in quibus forte delectatus fuerit, vel statim non restitit, sed moratus erat in iis, vel alias, quæ adeo crassæ fuerint, quod necessario confiteri debeant, aut etiam illas, in quibus consilium Abbatis necessario requiritur. In cæteris autem, in quibus non delectatur, neque cum ipsis moratur, & periculosæ non sunt, sed quotidianæ, in quibus peccatum non timetur, non est necessarium semper reuelare, nisi aliud quid interueniat: vnusquisque tamen, prout conscientiæ suæ puritatem diligit, potest facere, quod bonum sit in conspectu Dei.

VI. GRADVS
humilitatis.

36

VERSVS.

Vilis & indignus constat se Iudice sextus.

SExtus humiliatis gradus est, si omni vilitate vel extremitate contentus sit monachus, & ad omnia quæ sibi iniunguntur velut operarium malum se iudicet, & indignum, dicens sibi cum propheta. Ad nihilum redactus sum & nescivi; vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Psal. 72. Gradus iste humilitatis maxime præfert indicium, vt monachus sola futura concupiscens præsentia cuncta contemnat, vt non solum superflua, sed etiam necessaria cum scrupulo possideat, non sicut propria, sed accommodata, & contentus sit omni vilitate vt cibo, potu, loco, veste, cæteris q; omnibus, quæ ad vtilem seu necessarium vsum spectant: vel extremitate, vt vilem artem exercere, lauare pannos sordidos, purgare loca immunda, seruire infirmo, seu leproso, cæteraq; abiecta facere, in quibus quædam despectio haberi posset. Debet autem Monachus in omni vilitate vestimentorum esse contentus, vt semper desideret despectui habui ab aliis, & ne aliquem scândalizet superbo quolibet ornatu.

Sed diceret aliquis. Videtur quod liceat religiosis melioribus vestibus vti, quam cæteris, quia secundum Apostolum 1. Thessal. vltimo. *ab omni specie mala abstinere debemus,* sed vilitas vestium habet speciem mali, Dicit enim Dominus Mat. 7, *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium.* Et super illud Apocal. 6. *Ecce equus pallidus* &c. dicit gloss. videns Diabolus, nec per apertas fabulationes, nec per apertas hæreses se posse proficere præmittit falsos fratres, qui sub habitu religionis, obtinent naturam nigri & rufi equi peruertendo fidem, ergo videtur, quod religiosi non debeant vilibus vestibus vti. Amplius. Hieronymus dicit ad Nepotianum, *vestes pullas,* id est, nigras, *æque vita vt candidas. Ornatus & sordes pari modo fugiendi sunt, quia alterum delitias, alterum vanam gloriam redolet.*

Vilitas vestium an conueniat monacho.

Hieron. ep. 2.

Ergo videtur quod cum inanis gloria sit grauius peccatum, quam delitiarum vsus, quod religiosi qui debent ad perfectionē tendere, magis debeant vitare vestes viles, quam pretiosas. Item Religiosi maxime intendere debent operibus pœnitentiæ, sed in operibus pœnitentiæ non est vtendum exterioribus signis tristitiæ, sed magis lætitiæ. Dicit enim Dominus Matth. 6. *Cum ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* Et postea subdit, *Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuam laua.* Quod exponens Augustinus in libro de sermone Domini in monte dicit. *In hoc capitulo maxime aduertendum est, non in solo rerum corporearum nitore atq; pompa sed etiam in ipsis sordibus luctuosis esse posse iactantiam & eo periculosiorem, quo sub nomine seruitutis Dei decipit.* Ergo videtur, quod religiosi non debeant vilioribus vestibus indui. Sed contra est, quod ad Hebræos 11. dicit Apostolus. *Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis.* glossa, vt Helias, & alii. *Melotes*, vt dicit Isidorus, *quæ etiam pera vocatur, pellis est caprina à collo pendens, præcincta vsq; ad lumbos. Est enim habitus proprie necessarius ad operis exercitium*, vilis admodum & despicabilis. Et quod monachi vilioribus debent indui vestibus, sanctus pater noster clare ostendit. *infra. de. ves. & calci. frum.* vt quod vilius comparari potest. Et in canone præcipitur, vt si inuenti fuerint deridentes eos, qui vilibus & religiosis vestibus amicti sunt, corrigantur. pristinis enim temporibus omnis sanctus vir cum mediocri ac vili veste conuersabatur. Respondeo dicendum, quod sicut Augustinus dicit, in tertio de doctrina Christiana, *in omnibus exterioribus rebus non vsus rerum, sed libido vtentis in culpa est.* Ad quam discernendam attendendum est, quod habitus vilis & incultus dupliciter potest considerari.

Aug. l. 2. c. 19. *Isid. l. 19. etymolog.* *c. 55. reg.* *Aug. c. 12*

Vno modo, prout est signum quoddam dispositionis vel status humani, quia vt dicitur eccles. 19. *Amictus hominis annuntiat de eo*; & secundum hoc vilitas habitus est, quandoq; signum tristitiæ.

Unde & homines in tristitia existentes solent vilioribus vti: sicut et conuerso in tempore solennitatis. Vnde & pœnitentes vilioribus vestibus induuntur, vt patet Ionæ 3. de rege qui indutus est sacco, & 3. Regum 21. de Achab, qui operuit cilicio carnem suam. Quandoq; vero est signum contemptus, diuitiarum.

Vnde Beatus Hieronymus dicit ad Rusticum monachum. *Sordes vestium candidæ mentis indicia sunt: vilis autem tunica contemptum sæculi probat, duntaxat ne animus tumeat, ne habitus sermoq; dissentiant.* Et secundum vtrumq; horum competit religiosis vilitas vestium; quia religio est status pœnitentiæ, & contemptus mundanæ gloriæ. Sed quod aliquis velit hoc aliis significare, contingit propter tria. Vno modo ad sui humiliationem, sicut enim ex splendore vestium animus eleuatur, ita ex vilitate vestium humiliatur.

Hier. ep. 4.

Vili veste triplici respectu potest quis vti.

Vnde & de Achab, qui carnem suam cilicio induit, dixit dominus ad Heliam. *Nonne vidisti Achab humiliatum coram me?* Alio modo, propter exemplum aliorum; vnde super illud Matth. 3. *Habebat vestimentum de pilis camelorum* dicit glossa. *Qui pœnitentiam prædicat, habitum pœnitentiæ prætendit.*

3. reg. 21.

Tertio modo propter inanem gloriam, sicut Augustinus dicit, quia in ipsis sordibus luctuosis potest esse iactantia. Duobus ergo primis modis laudabile est abiectis vti vestibus. Tertio vero modo vitiosum est. Alio modo potest considerari habitus vilis & incultus, secundum quod procedit ex auaritia & negligentia, & sic etiam ad vitium pertinet.

Ad primum ergo dico, quod vilitas vestium de se non habet speciem boni, sed contemptus humanæ gloriæ, & inde est, quod mali sub vilitate vestium malitiam suam occultant.

Responsio ad obiecta.

Vnde Augustinus dicit, in libro de sermone Domini in monte: quod non ideo debent odisse oues vestimentum suum, quod plerumq; illo se occultant lupi.

Ad secundum dicendum quod Hieronymus loquitur ibi de vestibus vilibus, quæ deferuntur propter humanam gloriam.

Ad tertium dico, quod secundum doctrinam domini in operibus sanctitatis, nihil homines facere debent propter appa-

apparentiam, quod præcipue contingit, quando aliquis aliquid nouum facit. Vnde Chrysostom. super Matth. Orans nihil nouũ faciat, quod aspiciant homines, vel clamando, vel pectus percutiẽdo, vel manus expandendo, quia scilicet ex ipsa nouitate homines reddunt intentos ad considerandum. Nec tamen omnis nouitas intentos faciens homines ad considerandũ reprehensibilis est. Potest enim & bene & male fieri. Vnde dicit August. de sermone domini in monte, quod quæ in professione Christianitatis inusitato squalore & sordibus intentos in se hominum oculos facit, cũ illud necessitate faciat, non necessitate patiatur, ex cæteris eius operibus posse cognosci, vtrum hoc contemptu superflui cultus an ambitione aliqua faciat. Maxime autem videtur hoc nõ ex ambitione facere religiosi, qui habitum vilem deferunt quasi signũ suæ professionis, qua cõtemptum mũdi profitentur. Sed heu quid iã de vilitate monastici habitus dicimus, cũ in ornatu plerumq; seculares superemus. Nam, vt dicit Bernard. *Miles & monachus ex eodẽ panno partiuntur sibi cucullam & chlamidem: quis enim de sæculo quantumlibet honoratus, etsi Rex, etiamsi Imperator* nostra horreret indumenta, si sibi suo modo fuerint præparata? Ecce habitus noster, qui humilitatis solebat esse insigne, à monachis nostri tẽporis in signum gestatur superbiæ. Vix iam in nostris prouinciis inuenimus quo vestiri dignemur. O quam disparis vitæ sumus, à sanctis illis monachis, à quibus hæreditauimus nomen religionis, qui non tantum non amauerunt mollia: sed etiam vestimenta respuerunt necessaria, circumeuntes in melotis & pellibus caprinis sacco aut cilicio tegentes corpora sua, quibus dignus nõ erat mundus. O quid nos miseri in illa die respondebimus, vbi omnia nuda erunt? qui de nomine monachi gloriamur: & opera monachorum non facimus; qui habitum gestamus religionis, qui de eleemosynis viuimus fidelium, & nulli prodesse curamus exemplo? Quid, inquam, dicemus nos monachi solo nomine: quando Ioannes Baptista apparebit vestitus veste cameli, quando Paulus primus eremi cultor tunica de palmæ foliis tegetur? Benedictus legislator noster cilicio circa carnem secretius operitur. Veniet dies, in qua videbimus ipsos gloriosos, qui in hac vita degerunt, vilipendi, & stola iucunditatis accingentur, qui nunc pro Christo pallio paupertatis circundantur. Videmus quippe nostri temporis monachos pretiosioribus quibusque indui vestimentis, cucullatos pompose incedentes & plerosque more pugnatorum ac pugilum renonibus accinctos quasi ad bellum præparatos. Et quid dicam, pretiosiores sunt cappæ monachorum, quam russæ militum? Quid miset monachus superbis in cappa, in qua debueras te humiliasse? Omni extremitate & vilitate contentus non est, qui ornatum in vestitu quærit. Quam pauci inueniuntur hodie, qui istum gradum ascẽdere velint, quia multi in vestibus colorem quærunt magis, quam calorem, & abiecti nolunt esse aliis, qui sibi ipsis videntur glorioси. Certe vanum cor vanitatis notam ingerit corpori, & exterior superfluitas, interioris vanitatis indicium est. Mollia indumenta mollitiem animi indicant: & lucida cappa tenebrosum designat monachum. Sufficeret monacho cuculla vetustissima, sine discretione coloris, qui a dum corpus curiose vestitur exterius, anima remanet nuda interius. Hinc Bernardus ait. *Non tanto curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus.* Vnde etiam Beatus Hieronymus. *Inter fericum,* inquit, *& linteamina, quibus tibi videris fulgidus & formosus, intellige te nudum, conscissum, sordidum, mendicantem.* Iubemur etiam omni extremitate esse contenti in cibo, potu, & aliis similibus. Nam quorum vita pœnitentialis esse debet, nulla illis cibi aut potus abundantia conuenit. Si enim ad satietatem repletur stomachus, non poterit in oratione persistere animus. Sed tanto quisque ad orandum inuenitur promptior, quanto in abstinentia fuerit vsitatior. Et ergo si quis in spiritu proficere desiderat, ab omni superfluitate cibi & potus se cohibeat, quia repleto ventre feruor spiritus torpescit. Ecce sancti Patres nostri prædecessores in eremo & in cænobiis panem hordeaceum comederunt in statera, & aquam petræ frigidam biberunt in mensura, somnum

Chrysost. hom. 19.

Aug. l. 2. c. 19.

Arguit vestitum Benedictinorũ.

Bernard. hom. 4. super Missus.

Bernar. l. citat.

Hieron.

acceperunt ſtando ſiue ſedendo, & nos, qui eorum deberemus ſequi veſtigia, panem noſtrum comedimus triticeum in abundantia, vinum bibimus ſiue menſura, ſomnum capimus ad libitum in ſtrato & puluillis, & ipſorum ſimiles cupimus fieri in gloria? Certe nemo venit ad Deũ, niſi per opera virtutum: ſed nulla ſine labore virtus, ergo nemo ſine labore venit ad Deum. Cupimus omnes fieri ſancti, volumus omnes eſſe beati, ſed cuncti fugimus laborem. Videat vnuſquiſq; quomodo apprehendat, quod cupit. Ecce, fratres, admonet nos iſte gradus cõtentos eſſe debere omni vilitate & extremitate, ſed conſideremus, an ad iſtum gradum venerimus, cum etiam neceſſaria habentes, ſuperflua quærimus. Si aliquid nobis defuerit horum, quæ deſideramus, confeſtim prorumpimus in murmur, & dicimus. Dentur nobis neceſſaria, ſi debemus onera portare conuentus. Et vere Fratres, ſicut dicit Auguſtinus, multa
Auguſt. nos in vſu noſtro ſuperflua habere probabimus, ſi neceſſaria ſola retineamus: nam vana quærentibus nihil ſufficit. An non ſufficeret nobis ad inuoluendum hoc mortale corpus, & vile cadauer cappa ſolito melior exterius; niſi etiam curioſis induamur interius? veſtis remedium eſt turpitudinis erubeſcentiæ, quam per peccatum contraximus. Nam ante peccatum ſufficiebat homini propria pulchritudo pro veſte, nec habebat cauſam aliquam erubeſcentiæ. Nõ enim erat neceſſe, vt ſub veſte ſe abſconderet; quem ipſa innocentia veſtiuit. Nunc autem homines in veſtitu quærũt ornatum colorem, & quod tegumentum erat neceſſitatis, in materiam vertunt
Peccatur in veſtitu. voluptatis. Vnde notandum, quod quinque modis in veſtium abvſu perpetratur peccatum. Primio in nimio ſumptu,
* I. vt cum tanto pretio comparamus vnam veſtem, vnde & nos & pauper potuiſſet veſtiri, & cauſa voluptatis totum nobis circumdamus, relicto paupere nudo. & quod ſuperfluitas veſtium pretioſarum
Greg. ho. 6. in Euã. ſit peccatum, teſtatur Beatus Gregorius in Homilia dicens. *Nemo æſtimet in fluxu atque pretioſarum veſtium ſtudio deeſſe peccatum. Nam ſi hoc culpa non eſſet, nullo modo dominus præcurſorem ſuum de veſtimenti ſui aſperitate laudaſſet.* Si hoc culpa non eſſet, nequaquam Petrus Apoſtolus per Epiſtolam fœminas à pretioſarum veſtium appetitu compeſceret dicens. *Non in veſte pretioſa.* Et Auguſtinus de ſermone domini in monte. *Corporis*, inquit, *exterioris hominis ornamenta quanto plus appetuntur, tanto ſunt interioris hominis maiora detrimenta & quanto minus appetuntur ornamenta exterioris hominis, tanto magis moribus pulchrius homo interior adornatur.* Secundo modo in veſtib. perpetratur peccatum, quando in pretioſis & ſpecioſis inaniter, gloriatur, quia ſeruus Dei non debet habere veſtitum ad decorem vel ad delectationem, ſed tantum ad tegendum nuditatem, ſed per peccati reatum homo nudus effectus eſt, in cuius rei neceſſitatem veſtimentis cooperitur. Deberet potius erubeſcere de veſtimentis. Nam ad gloriã loripedis non cedit, quod pedem ligneũ habet, cum ſit remedium infirmitatis, ſic etiã non cedit ad gloriam hominis veſtium ornatus. Hinc Auguſtinus ait. *Qui ſuperbit ex abundantia temporaliũ eſt tanquam ægrotus, qui ſuperbit ex abundantia medicamentorum vel emplaſtrorum.* Curioſitas enim, & hominum ſuperbia diuerſita ẽ adinuenit colorum. Primo enim fuit materia veſtium pellis cum lana, ſicut Geneſis. 3. legimus. *Fecit quoq; dominus Adam & vxori eius tunicas pelliceas.* Deinde proceſſum eſt ad lanam puram, quæ mollior eſt, quam pellis. Tertio proceſſum eſt ad cortices herbarum ſupple ad linum. Quarto ventum eſt ad ſtercora vermium, ſiue ad ſericum. Et tandem ad diuerſos colores auri & argenti, ad lapides pretioſos, quibus homines vani in ſuis veſtibus vtuntur. Et miſera res, vanaq; pretioſitas, cũ ad ligandum vaſa vinum pretioſum cõtinentia circuli ligneĩ ſufficiant. Ridiculoſum & ſtultum eſt de auratos quærere circulos ad ligandũ vas ventris, quod abominatione plenũ eſt.
1. Tim. 2. 1. Pet. 3. Aug. l. 2 *Auguſt.* II.
III. Tertio peccant homines ex appetitu veſtium extranearum, quando ex ſuperbia peregrinas veſtes aliorũ hominum veſtimentis quærunt diſſimiles, de talib. Sophoniæ. 1. dicitur. *Viſitabo ſuper principes & ſuper filios Regis: & ſuper oẽs qui induti ſunt veſte peregrina.* Et iſta abuſio iã noſtris temporibus maxime inoleuit, vt veniens de alia qualibet regione nouũ inducat veſtiendi modũ. Quarto ex appetitu ſuper-
IV. fluitatis veſtium, & hoc dupliciter, ſcilicet quantum ad magnitudinem, & quãtum

tum ad multitudinem? Quantum ad magnitudinem multi peccant & præcipue mulieres, imo & plerique Monachi nostri, qui ad modum serpentis reptantis super terram longas post se trahunt caudas pretiosis vestibus terram purgantes: sed de nuditate Christi in suis membris, id est, pauperibus, non curantes caudis suis, seu longis cappis pulices colligunt, & puluerem excitant. Christum vero, quem in multis pauperibus seminudum aspiciunt, de eo, quo non indigent, operire dedignantur. Ecce Christus foris in membris suis sustinet frigora, & monachus caudam vestimenti superflui trahit in terra. Non habet ille, vnde subueniat necessitati: & iste cappam suam aptat voluptati. Stabit, stabit contra nos Martinus Episcopus in veste diuisa & media, quando nos horum accusabit superfluitas. Nec hoc dico Fratres, quasi velim vos contra honestatem vestibus indui pręcisis & curtis: sed vt superfluitatē vestium demonstrē esse culpabilē, cū, vt ipsi scitis, plerosq; videamus præcipue irreformatos monachos, seculo nunq̄ mortuos longas post se trahere caudas, q̄ omnino monacho abhorrēdū est: cū S. Bened. præcipiat Abbati, vt de quātitate, siue longitudine præuideat, vt neq; longiora sint vestimenta vtentibus, q̄ expedit, neq; curta animis plus, q̄ decet. Quantū vero ad multitudinem vestium cōsiderandū est dominicū dictū, quo ait, Luc. 9. *Ne duas tunicas habeatis* gl. supfluas, sed cōtra hoc faciunt multi, qui tot habēt diuersa mutatoria, q̄ etiā eis vix vti possunt, & potius volunt ea cōsumi à tineis, q̄ Christū vestire in pauperibus suis. Cōtra quos Iacob. 5. scribitur. *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis vestris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt & vestimenta vestra à tineis comesta sunt.* Quinto peccāt superbi in curioso vestitu, quādo cōsiderātes vestium suarū pulchritudinē & pretiositatem, & vestiū pauperū vilitatē eas contēnunt, & despiciūt. Multi sine dubio hodie tales inueniuntur, qui curiosum habitū plus q̄runt, q̄ calidum, quorum dementiā redarguit Cyprianus dicens. *Serico & purpura indutæ, Christū sincere induere nō possunt, auro & margaritis adornatæ virgines ornamenta mentis & corporis perdiderūt. Quid stultius quā vile cadauer pretiosis adornare vestib: & thesaurū pretiosissimū operire stercorib.* Nōne magnæ demētię est corpus mortale operire pannis sericis, & animā immortalē nudare virtutib? Operimētū corporis saccus, vestis animæ virt°. Nihil adeo monachū dehonestat, q̄ si in vestitu ornatū q̄rat. Nā q̄ mundo mortuus esse debuerat, volūtaria paupertate electa nunc sæculo reuixit, inani gloria & mundi vanitate resumpta. Ecce Christus iacet in præsepio pannis vilibus involutus, & monachus sedēs in cella, mūdo placere cupit nigra cappa circūdatus. In multitudine vestium gloriatur, & cōditor orbis vnica veste tegitur. Habuit Christus tunicā eiusdem coloris, imo eūdem colorē quo vestita fuerat ouis. Contentatur dono naturæ naturæ creator. Quid igitur superbis in cappa colorata, qui superbiā fugiendā didicisti exemplo dominico? Certe, qui pulchritudinē vestiū quærit, monachus nō est. Si cupis esse, q̄ diceris monachus, sufficiat tibi, necessarius & vilis vestitus, quoniā probaris esse monachus, si desideras æstimari vilis. Tanto. n. nomen monachi veracius cōsequeris, quanto te à mundi vanitatib. arctius restrinxeris. studeamus hūc sextum & medium humilitatis ascendere gradū, quoniā in medio securitas esse solet, nam extrema cōflictui patent, vt habentes victū & amictū necessarios, his cōtenti sim°, quia voluptas habet pœnā, necessitas vero parit coronam. Quid nobis prodest pulchrā habere tunicā aut cappā, si mētē & animā habuerimus maculatam? solliciti esse debemus de ornatu animæ, de corpore curare minimum. Corpus n. in seruitutem animæ creatū est à principio. Nos autē seruū p̄ponimus domino, quoniā corporis curā animæ neglecta saluto p̄curamus. Honorandus & decorandus est dominus, seruus autē nutriendus: & si excesserit, vel cōtra dominū egerit, flagellandus. Nonne magnæ stultitiæ est seruū dominū regere? & tamen multi reguntur à seruis, q̄a multis vitiis premūtur. *Omnis n. qui facit peccatū seruus est peccati.* Hoc sapiens factū dolet. Eccl. 10. dicens. *vidi*, inq̄t, *seruos in equis, & principes ambulātes super terrā quasi seruos.* Seruus in equo sedet: quando corpus in voluptatib. suis floret: princeps vero super terram ambulat, quando animus terrenis desideriis inhiat. Corpus n. equitat, quando caro spiritum superat. *Caro nāq̄ concupiscit aduersum spiritū.*

Inuehitur in monachos trahentes caudatas vestes.

Cypri. de habit. virg.

Ioan. 8.

Gal. 5.

Cur

Cur ergo corporis nostri tantam habemus curam, vt animæ negligamus salutẽ? Demus corpori, quæ corporis sunt, & animæ quæ spiritus. Nullam in vestimentis nostris quæramus delectationẽ; nullã in cibis superfluitatem, sed necessaria ipsa reputemus superflua. Æstimemus nos etiam magni si fecerimus nos operarios inutiles: & in nostra reputatione viles, vt possimus dicere cum Propheta domino. *Ad nihilum redactus sum,* *Psa. 72.* per peccatum, & nesciui me tam esse nihil: quia cum humana æstimatio surgit; diuina approbatio desinit, & quanto se quisq; putat maiorem esse, tanto minor est, sed hoc faciat vnusquisq; bonũ, quod potest, & dicat. *Vt iumentum factus sum apud te:* *Ibi.* *& ego semper tecum.* Iumentum factus sum apud te domine in mea æstimatione: & tamen semper tecum in solida spe. sic enim factus sum iumentũ, vt semper tamen sim tecum. Nam si quis vt iumentum factus est, & non est tecum, huius nouissima eorum fiunt similia, qui in inferno sepulti sunt. Sic corpus nostrum, quod iumentum, id est, adiumentum spiritus est, erit domandum, vt contra discretionem, non agatur. Nam qui corpus suum abstinentia macerat sine discretione: iumentum quidem factus est, sed non cum domino. Non enim placet Deo rapina in holocaustum. Dicit enim sanctus Antonius. Quia sunt, quidam con- *Athan. in eius vita.* terentes corpora sua in abstinentia, & quia non habuerunt discretionem longe facti sunt à Deo. Debemus quidem fieri, vt iumentum, propter Deum, nostrã videlicet calcando voluntatem, in aduersis habendo patientiam, vt sicut iumentum onera portemus obedientiæ: sic tamen, vt maneamus cum domino, id est, in eius voluntate, quia præceptis superiorum obedire multoties non expedit. *11. q. 3. Non semper.* Et ergo oportet in omnibus habere scientiam & discretionem: quoniam absque discretione virtus vitium efficitur. Quid enim lucratur homo, si hominis faciendo mandatum, Dei transgrediatur præceptum? Sis ergo, vt iumentum in tuo æstimatione, vt sicut asinus, cum vapulat, non remurmurat, in omnibus amplectaris patientiam: ita tamen vt cum domino, vt sustineas vbi expedit, & vbi non expedit, contradicere scias. Iumentum autem, quia ratione caret, ad quodcunq; dirigitur obedit simpliciter, siue bonum fuerit, siue malum. Sed homo qui ratione vtitur, iumentum in bonis tantum imitari debet: si vero malum est quod iubetur, sciat scriptum, quoniam *oportet magis obedire Deo quam hominibus.* *Act. 5.*

GRADVS VII.

VERSVS.

Cunctis se credit fore septimus inferiorem.

SEptimus *humilitatis gradus est, si omnibus se inferiorem & viliorem non solum sua lingua, sed etiam intimo cordis credat affectu, humilians se & dicens cum Propheta. Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Sactatum in se septenarium vnum gradus iste continet, & dona spiritus sancti veracius possidet. Sicut dominus testatur per Prophetam Isaiam dicens. *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum ac trementem sermones meos?* Super humilem, inquit, qui seipsum humiliat, & vilem reputat, & in oculis abiectus est sui ipsius, & quietum, quẽ nullus conscientiæ reatus accusat, ac trementẽ sermones meos, quia mihi soli placere desiderat, & ergo ab omni immunditia cor suum custodit. Non enim virtus est humilitatis, si ab aliis quis vilis reputatur: alioquin omnis malus quia vilis est, etiã esset virtuosus, sed in proprio corde latet iudiciũ, vtrũ, videlicet, quis humilis sit an superbus. Deus est qui cor vniuscuiusq; respicit, qui etiam, quid quisq; intendat, cognoscit. Omnis enim qui se humiliat, videlicet apud seipsum in sui æstimatione, exaltabitur apud Deum in iustorũ approbatione. Iste gradus humilitatis adhuc alios gradus septẽ de se producit. Primus est vt videlicet monachus cognoscat se esse contemptibilem, quod scilicet vermis sit & cinis, & quod Deum suũ toties offenderit, per quod se cõtemptibilẽ fecit: nec vnquam dignam inde egerit pœnitentiã, neq; ad virtutem direxerit mẽtem, sed quod semper in negligẽtia vixit, nec vnquam digne se emendare studuerit. Secundus gradus est de hoc dolore, quia frustra se iactat vilem, quem nõ delectat fieri emendatiorem, nec salubri- *Psal. 1.* *Isa. vlt.* *Hic gradus habet alios 7. gradus humil.* I. II.

ter

ter vilis est, qui nollet effici pretiosus. Et ergo dolere debet, qui se vilem cognoscit, quod ita vilis est, & quod peccando viliesse demeruit. Tertius gradus est hęc III. confiteri, vt videlicet in confessione seipsum semper accuset, & vilitatis suæ causam, videlicet, peccatum humiliter aperiat, & hoc non solum coram sacerdote, sed etiam in secreto cordis sui coram Deo & sanctis cum lachrymis hoc testetur. Quartus, vt hoc etiam velit ab aliis IV. credi, quod tam vilis sit, & persuadere se vilem & abiectum esse. Quintus, vt patienter sustineat hoc dici ab aliis, & non V. celet neq; excuset, sicut quædam mulieres in confessione facere solent, quæ se peccatrices & viles esse dicunt; & si aliquis hoc de eis dixerit, confestim se incipiunt excusare, quia istum gradum nondum ascenderunt: sed nec ipsum primũ, quia fingunt se vt humiles videantur. Sextus vt patiatur se viliter tractari, & VI. plus gaudeat, dum viliter secum agitur vt Christum imitari possit. Septimus gra- VII. dus est, vt hoc amet, videlicet quod viliter tractetur, id est, vt non solum patienter, sed etiam sustineat libenter, dicens eum Dauid. *Elegi abiectus esse in domo DEI mei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Nam qui hominibus placent cõfusi sunt, quoniam Deus spreuit eos. Humiliet ergo se monachus non tantum in lingua, sed ex intimo cordis affectu, & dicat cum Propheta. *Ego sum vermis & non homo*: quia sicut vermis exputredine nascitur & viuit: ita & ego ex limo terræ cõceptus in peccatis, sine peccatis nunquã fui. Non sum homo, quia homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis, vermis etiam sine strepitu super terram graditur, & conculcatur & vilipenditur; sic monachus propter bonum humilitatis, sine strepitu debet ambulare: quia curis sæculi non debet intendere, & si conculcetur, nõ debet murmurare, sed amplecti patientiam, & se vermem reputare & abiectum, vt illum valeat imitari de quo veraciter dicit scriptura. *Ego autem sum vermis & non homo*, quia sicut vermis ex ligno, sine aliqua carnali corruptione nascitur: ita Christus de virgine purissima, sine aliqua seminis commixtione concipitur. Vnde Ambrosius in hexamer. lib. 10. dicit. *Erubescat Iudæus, Hæreticusque infelix, qui Christum clausum transiturum ambigit, & natum sine virili semine conceptum, non credit. Nascitur enim via naturæ vermis e ligno, ligno remanente integro & illæso.* Christus enim Deus & homo viliter, vt vermis, tractatur. Et monachus homo & cinis cõtemni dedignatur. Christus factus est opprobrium hominum & abiectio plebis pro nobis sicut testatur Isaias Propheta dicens. *Non erat ei species, neque decor, vidimus eum, & non erat aspectus, & consideraui mus eum despectum & nouissimum virorum.* Et Psalmista. *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valde & timor notis meis. Qui videbant me foris, fugerunt à me: obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde.* Qui ergo vult venire ad gratiam Christi, oportet vt hic prius tollat opprobrium eius. Nam qui opprobria patienter portare non vult, monachus esse non potest *infra de disc. suf. frat.* Si ergo vis monachus esse, elige abiectus reputari, & vilis in domo domini, id est, inter Fratres tuos, quatenus verus monachus sis. Nam ille solus vere beatus, qui abiecta mundi gloria & honore, in suo solo se figit & stabilit conditore. Vis beatus esse, abiice molem carnis tuæ, vt non consentias vanitati. Vis esse monachu, sama contemni. Felix contemptus per quem venitur ad regnum. Si vis glorioſus apparere in conspectu sanctorum, vilis reputari non dedigneris in conspectu hominum. Puta te esse omnib. inferiorem, si vis omnium esse prior, & hoc non lingua tantum, sed ẽt extremo cordis affectu hoc credas, & in opere ostẽdas, vt videlicet vilia & abiecta officia, seu opera exercere delecteris, & quidquid alius facere dedignatur, vrinalia Fratrum mundare, scutellas lauare, cloacam purgare, tu pro lucro magni faciendo existimes. Et si te veraciter inferiorem reputas, Fratum tuorum infirmitates patienter vt toleres necesse est. Nam qui sic se inferiorem existimat, vt tamen alios portare recuset, simulata, nõ vera humiliatio est. Si vis in cõgregatiõe proficere, & pacem habere, studeas te omnibus exhibere seruilem propter Deũ, & reputa te viliorem esse omnibus aliis, vt quidquid boni iusserint, libenter facias; si te spreuerint patienter feras, si te offenderint, charitatiue indulgeas. Consideratur etiam animus in verbis.

Pſa. 83.

Pſa. 21.

Isa. 53.

Pſal. 30.

Vilia opera quæ sint monacho faciendа.

Nam

Nam qualis vnusquisq; est, talia frequenter loquitur, sicut testatur dominus in Euangelio dicēs. *Ex abundantia cordis os loquitur.* Si existimas te inferiorem apud te in corde, inferiorem te etiam exhibito coram fratribus tuis in ore, vt alia non loquaris, verbis non contendas, sed sis humilibus consentiens. Nisi enim quis humiliatus fuerit, ita vt illatas sibi iniurias non sentiat, monachus esse non potest. Vnde in vita sanctorum patrum legimus, quod Abbas Moyses dixerit Fratri Zachariæ. Dic mihi quid faciam? Ille autem hæc audiens iactauit se pronus in terram ad pedes eius dicens. Tu me interrogas pater? Dixit autem ei senex. Crede mihi Fili Zacharia, quod vidi spiritum sanctum descendentem in te, & propterea compellor interrogare te. Tunc tollens Zacharias cuculium suum de capite suo, misit eum sub pedibus suis, & conculcans eum dixit: *Nisi ita conculcatus fuerit homo, non potest esse monachus.*

Matt. 12.

Monach. nō est qui illatas iniurias nō suffert. Vitæ Patrum.

Contumelia enim monachum probat, quia summa virtus monachi humilitas. Ille enim verus monachus est, qui in oculis suis abiectus est, qui dicere valet cum Propheta illud, quod sequitur. *Exaltatus sum & humiliatus & confusus.* Exaltatus sum, Dei voluntate, electione & gratia: & humiliatus sum apud me in corde meo, mea existimatione, & confusus sum, peccatorum meorum recordatione, quibus Dei sæpe mandatum præuaricatus sum. Conuenit autem iste versiculus optimè Prælatis humilibus, quorum magna tribulatio est, si oues Christi digne pascere velint. Potest ergo quilibet Abbas dicere, quem cupiditas non accendit honoris, sed zelus inflammat diuini amoris. Exaltatus sum aliis prælatus, antepositus vt rector, sed humiliatus sum in mea existimatione, quia non quæro præesse, sed cupio prodesse. Nec dignum me conspicio, & deirco magis pertimesco. Et confusus sum cura multorum, quia dum omnibus cupio prodesse, mihi ipsi molestus fio, & confundor sollicitudine multorum, quia dum mentem dirigo ad aliena, confusus efficior ad propria. Nam vt certus sum, quicunque zelum Dei habet, multos sustinet inimicos, quorum occursus tantis mentem concutit malis, vt quid faciat, sæpe ignoret. Et ne in huiusmodi curis adeo se æstimet derelictum, apte subiungitur. *Bonum mihi, quia humiliasti me: vt discam mandata tua.* Nam vt dicit Propheta Isaias. *vexatio intellectum dabit auditui:* & mala quæ hic sustinemus ad Deum nos ire compellunt. Bonum nobis est, si hic humiliamur, quatenus in aduentu domini exaltari possimus. *Vt discam*, inquit, *mandata tua* humiliatus, quæ nesciebam superbus. Sic Manasses qui superbus Dei erat oblitus, mandata domini didicit humiliatus, quoniam in carcere vinctus orabat. *Peccaui Domine peccaui, & iniquitatem meam agnosco.* Sic etiam Nabuchodonozor humiliatus didicit iustificationes domini, quoniam dixit, *Nunc igitur ego Nabuchodonozor laudo & magnifico, & glorifico Regem cæli quia omnia opera eius vera, & omnes viæ eius iudicia & gradientes in superbia potest humiliare.* Cum itaque humiliaris dic. *bonum mihi quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.*

Psal. 87.

Psal. 118. Isa. 28.

2. Paral. vlt.

Dan. 4.

Nam ista aduersa, quæ sustinemus, nos plerumque compungunt & ad Dominum clamare compellunt, nec in via torporis iacere sinent: quoniam iuxta est dominus his, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Bonum igitur domine mihi est, quod humiliasti me, quia humiliatio tua exaltat sperantes in te.

VIII. GRADVS.

VERSVS.

Scit nihil octauus nisi quod fert regula cellæ.

OCTAVVS humilitatis gradus est, si nihil agat Monachus, nisi quod communis monasterii regula, vel maiorum cohortantur exempla. Singularitatem monachi gradus iste interdicit, qua quis aliis maior, aut sanctior vult apparere. Necesse est enim vt verus humilis omnes suas singularitates omittat, & sub communi approbata monasterii regula semper viuat, & sine Abbatis sui licentia nihil nouum, aut singulare agat.

Sed

sed diceret aliquis. Ex quo Monachus nihil facere debet, nisi quod communis regula monasterii, & maiorum cohortantur exempla, quid tunc de istis, qui in monasteriis dissolutis & irreformatis degentes religiose viuere desiderant? An inter malos debent esse mali, ne singularitatis notam incurrant? Respondendum est, quod caute hic in regulis singularitas prohibetur, vt videlicet inter bonos non debeat aliquid nouum extra regulam facere, ne magnus videatur ab hominibus. Dicit enim, quod Monachus nihil debet agere, nisi quod communis monasterii regula scilicet ista præsens, vel maiorum, id est sanctorum virtuosiorum fratrum exempla cohortatur, sed in monasteriis, vbi ista regula non seruatur, quæ tamen ad eam instituta est, vt in irreformatis & dissolutis locis, vbi nulla disciplina seruatur, nulla etiam ibi maiorum relucent exempla, non tenetur quis tales imitari, qui regulam non obseruant. Regula enim à relegendo dicta est. qui autem seipsum non relegit, regulam non obseruat. Iste autem sensus regulæ ponitur, vt Monachus nihil agat, quod in ea non præcipitur, aut persuadetur. Et quod sancti patres præcedendo non fecerint, & vt arbitrio suo nouam non adinueniat constitutionem, sed potius omnia, quæ ab aliis viderit agi, agat, & quæ cęteros viderit facere crescendo in virtutibus, & ipse faciat, & sic exemplo sanctorum Patrum & maiorum proficiat, vt humilitatem à Christo Domino nostro accipiat & deuotionis exemplum sumat à Petro, charitatis à Ioanne, obedientiæ ab Abraham, iustitiæ & innocentiæ ab Abel, tolerantiæ à Iacob. patientiæ à Iob. continentiæ & castitatis à Ioseph. mansuetudinis à Moyse, constantiæ à Iosuæ, benignitatis à Samuel, & sic à singulis sanctis Patribus singulas recipiat virtutes. Maxime sanctis conuenit, vt sint vniformes, sicut in primitiua Ecclesia ipsos fecisse legimus. quoniam *multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam, eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* De his scriptum est in psalmo. *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum.* Solet enim ex illa singularitate quædam inanis gloriæ species procedere, cum quis se fecisse considerat, quod alii facere non possunt. & per hoc iactantiæ vitium incurrit, & filia superbiæ est. Si quis autem horum aliquid fecerit, quæ in regula continentur, vt in quadragesima abstinendo ab aliquo cibo vel potu cum licentia tamen Abbatis, vel aliquid faciendo, quod ad regularem obseruantiam reduci potest, etiamsi nullus aliorum hoc faceret non dicitur singularis: quia regula cohortatur hoc esse faciendum. Ille autem singularis dicitur, qui nouam extra regulam adinuenit viuendi normam, vt si quis aliis comedentibus & bibentibus quæ à regula instituta sunt, solo pane & aqua suo arbitrio vesceretur, quasi regula insufficiens videretur obseruantibus ad salutem. Et talis singularitas, licet non semper in se sit mala, est tamen à Monachis maxime humilibus procul repellenda, Si vero fratres congregati aliqua inutilia locuti fuerint, aut otiosa, & risum mouentia, & alius Frater sedens cum eis tacuerit, nec talia loquitur, nec cũ ipsis ridet, si zelo Dei & ex sancta regula id agat, non est singularis, quia regula talia prohibet. *sup. de tacitur. in fine.* Illa enim singularitas prohibetur duntaxat, quæ à regula discrepat. Si autem Fratres simul fuerint congregati, plus valet charitas, quam singularitas, si tamen in nomine Domini congregati fuerint. Charitas enim non est proprii commodi prouisio. Ait namque Gregorius. *Nemo propriè ad se charitatem habere dicitur, sed dilectio in alium tendit, vt esse charitas possit.* Charitas etiam non quærit quæ sua sunt. Sed quæ alterius. Priuato bono commune præferendum est. Vnde Gregorius admonet dicens. *Nemo vestrum neglecta vtilitate communi suo lucro prospiciat.* Et Ambrosius. *Qui*, inquit, *perfectè sapit nescit sua spectare commoda, sed ad aliud, quod honestum est, toto affectu intendit, quærens non quod sibi vtile est, sed quod omnibus.* Hinc Apostolus ait. *Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum.* Nemo enim bene viuere potest, qui se intuetur, qui omnia ad vtilitates suas conuertit. Alteri, vt viuas, oportet, si tibi viuere vis. Nemo enim sibi natus est. Dicit enim Chrysostomus. *Imitatores fieri Christi est ad*

Singularis quis dicatur in vita.

cap. 6. reg.

Act. 4.

Psal 132.

communem vtilitatem omnia conuertere. Et
Leo ser.3. de ieiun. 7. mens. Leo Papa in sermone. *Publica præferenda sunt propriis, & ibi intelligenda est præcipua ratio vtilitatis, vbi vigilat cura communis.* Sanctus itaque Benedictus in isto gradu singularitates Monachorum extirpat, nec eis vult concedere, vt singulariter ieiunent, vel orent, vel quæcunque alia opera, quamuis de genere bonorum, quæ cum ista regula non concordant ex singularitate faciant, absque sui Abbatis speciali licentia & benedictione. Vnde
Hieron. ep.4. beatus Hieronymus ad Rusticum Monachum scribit. *In solitudine*, inquit, *cito subrepit superbia, dormit*, quando voluerit, facit quod voluerit, tu autem, qui in communitate viuis, non facies quod vis, comedes quod iuberis, subiicieris cui non vis, seruies fratribus, Præpositum monasterii timeas, vt dominum, & diligas vt parentem. Caueamus ergo Fratres singularitates, quæ religionem destruunt. Regula enim præsens obseruantibus eam sufficiens esse creditur ad salutem.

IX. GRADVS.

39

VERSVS.

Non loquitur nonus, dum nō interrogat alter.

NOnus humilitatis gradus est, si linguam ad loquendum prohibeat Monachus, & taciturnitatem habens vsque ad interrogationem
Prou. 10. *non loquatur, monstrante Scriptura, quia in*
Psal.139. *multiloquio non effugietur peccatum. & quia vir linguosus non dirigetur super terram.* Nonus iste gradus nobis demonstrat multiloquium genus quoddam esse superbiæ. quia loquacitas est vanæ gloriæ cathedra, per quam seipsum superbus manifestare ac pompaticam protelare naturam solet. Et ergo valde necessarium est ad culmen perfectæ humilitatis tendenti, & in communitate viuenti, vt multiloquium fugiat, per quod dissoluitur communitas, dissipatur pax, & odiū generatur, Vnde
Gregor. Gregorius dicit. *Multiloquium est insipientiæ argumentum, detractionis porta, manuductor scurrilitatis, mendacii minister, compunctionis resolutio, acuitatis intelligentiæ dispersio, acediæ conditor, dissipatio mentis frigefactio feruoris, obnubilatio orationis.* Monachus autem, qui sine intermissione iuxta Apostolicum præceptum *1. Thes. 5.* orare debet, id est, tale opus semper facere, quod pro oratione digne computetur, & in cuius ore vanum aut otiosum verbum nunquam debet inueniri, vsque ad interrogationem non loquatur, Salomone dicente. *Priusquam audias, non re-* *Eccli. 11.* *spondeas verbum, & in medio seniorum non audeas loqui.* Et iterum. *Adolescens loque-* *Ibid.32.* *re in tua causa vix cum necesse fuerit. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. In multis esto quasi inscius, & audi tacens simul & quærens.* Nemo enim superbus tacere potest, quia silentium stultitiam reputat. Scriptum est enim Ecclesiast. decimo. *Stultus verba multiplicat, Sa-* *Eccl.10.* *piens autem verbis innotescit*, id est, notus sit verbis paucis. Si igitur vis inter fratres tuos pacem habere, ama silentium, quoniam moderata taciturnitas reddit charum: loquacitas autem odibilem facit. Nullius dicta iudices, nec melius dicere velis, quasi sapientior sis: sed audi tacens, & nullum vituperes: Sed quantum in te est omnes collaudes, ne arrogans inueniaris: quia superbus omnes nititur, quantum potest, viles reddere sermonibus. Tu autem ama taciturnitatem, si diligis pacem: Taciturnitas enim virtutes plurimas nutrit. Est namque silentium mater orationis, custodia pacis, rector cogitationum, & quietis acquisitio. Loquacitas autem virtutes etiam congregatas dispergit, Salomone attestante, qui ait. *Sicut vrbs pa-* *Prou.25.* *tens & absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* Qui murum non habet taciturnitatis, patet inimici iaculis ciuitas mentis, & cum per verba se extra semetipsam eiicit, apertam se aduersario ostendit, quam tanto ille sine labore superat, quanto & hæc eadem quæ vincitur contra semetipsam per multiloquium pugnat. Ciuitas enim pàtens & absque clausura non seruat interius, quod tenet, illæsum, nisi tempore congruo aut seris claudatur, aut muro. Ita & Monachus nisi linguam prohibeat ad loquendum, virtutes quas tenet interius per loquacitatis perdit vitium, nisi ori suo custodiam posuerit & ostium. Quare hoc? nisi quia in multiloquio non effugies

pecca-

peccatum, multiloquium dicitur, quasi multitudo locutionis cum superfluitate, præter aliquam vtilitatem vel necessitatem, & secũdum hoc in multiloquio non deerit peccatũ. Nec accipimus hic multiloquium in sua generalitate in qua fieri potest, & bene, & male, quia oportet plerumq; multis sermonibus vti in difficilibus declarãdis: sed accipimus hic pro excessu verborum secundum exigentiam materiæ, personæ, temporis, & loci, ac aliarum circumstantiarum, vt dicit *August.* Augustinus, in libro retractationum. *Absit*, inquit, *vt multiloquium reputem, quando* necessaria dicuntur quantalibet sermonum prolixitate, ac multitudine dicantur. Verba otiosa, quæ absq; vtilitatis & necessitatis causa proferuntur, absq; pec- *Matt. 12.* cato non sunt, sicut dicit Dominus. *De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines superterram reddent rationem in die iudicii.* potest tamẽ sæpius fieri, imo sæpius fit, vt otiosa verba sine peccato proferantur, qa in finem * alicuius vtilitatis causa fiunt, vt propter recreationem seclusis omni mendacio, & eloquio turpi. Ex verbis autem otiosis seminantur stimuli, oriũtur rixæ, accenduntuntur faces odiorũ, pax tota extinguitur cordium. Hinc sapiens dicit. *Qui dimittit aquam caput est iurgiorum.* Aquam vero dimittere, est linguam in fluxa eloquia relaxare. Qui etgo dimittit aquã caput est iurgiorũ, quia qui linguam non refrænat, concordiam dissipat. Nam ex *Psal. 139* minimis verbis interdum lis maxima crescit. *Vir enim linguosus non dirigetur super terram.* Nam vbi multa sunt verba, ibi egestas plurima, & nota, quod differentia est inter verbositatem vel linguositatem, quia multiloquium tãtum stat in genere, & sonat simpliciter excessum verborum, & est peccatum. Sicut Dominus dicit. *de omni verbo otioso, &c.* quia ratio non exigeretur, si peccatum esset. sed verbositas vel linguositas sonat contemptum prouenientem ex consuetudine superfluæ & inordinatæ locutionis. *Vir ergo linguosus non dirigetur in terra*, scilicet viuentium, quia nimirum dum linguam nõ cohibet à colloquio vano, facillimè etiam laxatur ad pernitiosa, scilicet ad detractiones, contumelias, adulationes, mendacia, periuria, & similia, quæ sine peccato fieri non possunt, Et sicut pro otioso sermone ratio ponitur, ita etiam pro noxio pœna exsoluitur. Linguosus itaque dicitur, qui inconsiderata locutione verbosus est, plus loquitur quam debet, tempus, locum, & personam seu causam non obseruans. Difficile enim & rarum est, indeliberatum rectũ esse sermonem. Nam qui in consideratus est in lingua sua, frequenter corruit in malum. Sit ergo Monachus velox ad audien- *Iacob. 1.* dum, tardus autem ad loquendum: quoniam qui multis vtitur verbis, lædit animam suam. Nam breuem sermonem scientia facit, loqui multum stultitia est. Et homo linguosus imperitus est. sapiens autem paucis vtitur verbis. compunctus corde tenet linguam suam, & vir sapiens tacebit, Qui vero multiloquus est nondum cognouit seipsum. silentii custos appropinquat Deo, & qui tacere nouit, fortissimus est. scriptum est enim. *In si-* *Isa. 30.* *lentio & spe erit fortitudo vestra.* Amicus enim taciturnitatis sedebit, sicut scriptum est, *solitarius, & tacebit & eleuabit* *Thren. 3.* *se super se.* Contemplatiuus enim homo loquacitatem non amat, sed fugam hominum, silentii censuram, & quietis diligit mansionem. solicitus namq; de exitu abbreuiat sermonem, & qui luctum animæ possidet, quasi ignem auertit multiloquium. Qui quietem solitudinis diligit os suum à multiloquio recludit: & qui de ratione verborum otiosorum cogitat, multa verba non amat. Si autem silentium diligis, homines fugito, quia necessario silentium retines, si colloquẽ- *Loquacitatis malatria.* tem tecum neminem habes. Tria enim mala ex loquacitate proueniunt, quæ silentiosus quiete fugat: Primum est, quia ducit hominem ad peccatum, vt supra dictum est, quia in multiloquio non deerit peccatum. Nam qui multum loquitur, lædit animam suam: quia impossibile est, vt non aliquando à via veritatis non deuiet, loquendo quod ad rem non per- *Gregor. l. 17. mor. c. 24.* tinet. Vnde Gregorius dicit. *sæpe dum ab otiosis verbis nequaquam lingua compescitur, ad temeritatem quoq; stultæ in crepationis effrænatur.* Secundo, lingua irrefrænata ducit hominem ad magnam pœnam: sicut iam dictum est. Qui multis vtitur verbis, affligit animam suam. Hinc Iob 10. scriptum est. *Nunquid vir verbosus iustificabi-* *Iob. 11.* *tur?* quasi diceret. Non. Tertio, lingua procax qualis quisque sit interior ostẽdit. *Matt. 12.* Vnde Dominus in Euangelio ait. *Ex abun-*

dantia cordis os loquitur. Et quidam mundi huius sapiens dicit. *Qualis quisque est, taliter dicit, taliter viuit, & taliter operatur.* Et Gregorius. *Qualis*, inquit, *sermo profertur, talis animus comprobatur, quia lingua mores hominis pandit.* Et Hugo libro secundo de anima. *Vanus homo vanæ conscientiæ est iudex, & qualis quisque lateat in corde lingua ostendit.* Si igitur in spiritu proficere vis, cohibe linguam tuam à multiloquio, & magis audire cupias, quam loqui: Nam idcirco Dominus vnam linguam nobis dedit & duas aures, vt velociores simus ad audiendum bona, quam ad eloquendum. Et non tantum linguam, sed etiam aures tuas cohibe, ne audiant sanguinem. Sicut scriptum admoner dicens. *Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam, & ori tuo facito ostium, & seras auribus tuis.* Non enim est innocens qui libenter noxia audit, quia nisi audiret, non haberet alter cui loqueretur, & illi qui sustentant turpiloquos, vt talia dicantur, Authores scelerum sunt, & à culpa non excusantur. Qui vero casualiter audiunt, si tamen habent in illis complacentiam, similiter peccant, licet minus. Hinc Chrysostomus dicit. *Vis ostendere manifeste, quod in talibus non lætaris, non audire patiaris: alioquin corrumpunt bonos mores colloquia praua.* Discе igitur, quod Propheta dicit in Psalmo 37. *Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.* Verum tamen sic erit ad taciturnitatem lingua seruanda, vt tacendo non incurras peccatum. Vnde dicit Gregorius: *Os discretum, & congruo tempore vox aperit, & rursum congruo tempore taciturnitas claudit.* Nam si inordinatum silentium culpa non esset, Propheta non dixisset; *Væ mihi, quia tacui.* Est enim tempus tacendi, & tẽpus loquendi. Sed potest quæri, quod sit illud tẽpus, & quousque tacendum sit. Dicendũ, quod illud tempus est, quãdo est opportunitas ex parte audientium, quando scilicet aliqui ex eis libenter audiunt: Et hoc de prædicatoribus, seu qui ædificare possunt loquendo audientes intelligendum est. Dicit enim Apostolus 2. ad Timoth. vltimo. *Prædica verbũ, insta opportune, importune.* Glosa. *opportune*, quantum ad eos quibus placet; *importune.* quantũ ad eos quibus nõ placet. Et hoc dicit, quia etsi non placet aliquibus dum audiunt, prodesse nihilominus in posterum potest. Si autem non adsint auditores aliqui, quibus audire placeat, aut creditur tales esse corrigibiles, & tunc etiam instare debet prędicator importune. Si autem credantur omnino esse incorrigibiles, debet à pdicatione cessare secundum illud Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus, neq; mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & canes conuersi disrumpunt vos.* 43. *dis. In mandatis.* Sed tamen qui corrigere non valet, increpare non desinat, ne se participem delinquentium ex consensu taciturnitatis addicat, quia sicut ab oratione cessandum nõ est. Sic nec à correctione 23. q. 4. *sicut nõ est.* Monachus autem simplex, cui nihil tale committitur, silentium suum habeat, & taceat vsq; ad tempus. Et si de fratribus suis aliquos errare viderit, charitatiue, & secundum Euangelii præceptum eos corripiat, ne taciturnitas indiscreta culpæ imputetur. Nam consentire videtur, qui, cum possit, peruersis negligit obuiare. 2. q. 7. *Negligere, cum possis.* Si vis innocens esse à crimine, oportet vt nulli noceas, & vt peccantem punias. 23. q. 5. *Non est.* Nec putes contra charitatem esse, si persequeris peccata hominum ex zelo Dei, quia iustus non odio, sed dilectione malos persequitur 23. q. 7. *Quicunque.* Et vere iustus miseris compatitur, delinquentibus indignatur. 45. dist. *vera iustitia.* Debemus enim peccata odire; non autem homines. 86. dist. *odio.* Cæterum autem à vanis & inutilibus verbis cohibe linguam tuam, & si coram senioribus tuis fueris, non loquaris, nisi interrogatus, & hoc cum omni grauitate & honestate, ne videaris plus loqui, quam expedit. *sup. c. 6. de tacitur.* quia in multiloquio non effugies peccatum.

Greg. l. 4. c. 12. *Hugo.* *Eccli. 28.* *Matt. 18.* *Chrys. hõ. 3. ad pop. Ant.* *Grego. 3. p. pastor. adm. 15.* *Isa. 6.* *Eccli. 2.* *Tempus loquendi quod.*

X. GRADVS.

VERSVS.

Proscribit risum, demit damnatq; cachinnum.

Decimus humilitatis gradus est, si non sit facilis ac promptus in risu. quia scriptum est. Stultus in risu exaltat vocem suam. Qui plangit, simul ridere non potest. Sed Monachus plangentis habet officiũ. 16. q. 1. *Monachus non doctoris.* ergo plangere debet, nõ ridere. Qui enim in risu promptus est, timorẽ Dei non gestat in corde. quia

Eccli. 21.

quia risus Monachi excussus leuitatem animi designat. Magis autem iuxta officium suum Monacho luctus conuenit quã risus, quia per luctũ venitur ad gaudium, sicut scriptum est. *Beati qui nunc lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Et de ridentibus quidem. *væ qui ridetis nunc, quia flebitis & plorabitis.* Hinc Salomon ait. *risus vester dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupabit.* Vnde Iacobus Apostolus in canonica sua nos admonet, dicens. *Miseri estote, & lugete & plorate, risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in mærorem.* Si enim nunc lugemus & flemus pro peccatis nostris, conuertetur luctus noster in risum. Sicut scriptum est. Ieremiæ 31. *Et conuertam luctum eorum in gaudium & consolábor eos, & lætificabo à dolore suo.* Certe qui pendet in cruce ridere non potest, quia dolore nimio torquetur. Sic & Monachus, qui crucem suam portat quotidie, vsque dum veniat ad terminum vitæ suæ, si verus Monachus est, semper in dolore versatur. Nam vita Monachi, qui secundum regulam vixerit, crux est atque martyrium, Dicat ergo semper Monachus apud se, excussum risum damnando, Quomodo possum ridere, qui amaritudines peccatorum meorum considero, & incertitudinem futurorum ante me pertimesco? Aut quomodo securus esse potero, qui aduersariorum vexationes à sinistris, & nocumenta prosperitatum tanquam gladios acutissimos prospicio à dextris? Et, quod magis timeo, districtum Dei iudicium euadere non possum, & lacum inferni apertum video, & an amore vel odio dignus sim penitus ignoro. Iusuper inter tot mala constitutus sum in hac fragili sede corporis, de qua quotidie præcipitari exspecto. Quomodo itaque ridere possum inter hęc pericula constitutus? Sede itaque solitarius in cella tua, vel vbicunque fueris, & tace, quia mũdo mortuus es, & deplange peccata tua, vt luctus tuus in risum vertatur, in die nouissimo. Risum excussum deuita, quoniam stultus, id est, superbus in risu exaltat vocem suam: & si omnino te cohibere non potes à risu, caue tamen cachinnum & risum excussum, quia Sanctus Benedictus non omnem risum prohibet, sed tantummodo excessiuum, *supra, quæ sint instru. bon. operũ.* Humilis tamen Monachus, nõ solum risum excussum, sed etiã quantumcunq; submissum, in quantum valet, reprimere debet, vt possit dicere cum Propheta. *Quasi lugens & contristatus, sic humiliabar.* Caue igitur risum, quia sicut dicit Beatus Hieronymus. *Ridentis est non multum de cœlestibus cogitare:* risus enim excussus animi designat dissolutionem. Et ergo quãtum in te est occasiones similiter caue dissolutionis, nec verba risum mouentia loquaris, sed sit sermo tuus totus sapiens sale conditus, nec aut verbo vel facto quenquam scãdalizes. Neminem etiam vituperes neque derideas, quia Monachus es, & non licet tibi deridere quenquam, alioquin incides in gehennam. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Et si ab alio non vis derideri, simile fac omnibus. potest enim fieri quod derisio in fratrem graue peccatum sit. Sed diceret aliquis, quod derisio non possit esse peccatum mortale, & argueret sic. Omne enim peccatum mortale contrariatur charitati. Sed derisio non videtur contrariari charitati, agitur enim ludo quandoque inter amicos, vnde & delusio nominatur. Ergo derisio non potest esse peccatum mortale. Item contumelia & detractio videntur esse grauiora peccata, quam derisio? quia maius est, aliquid facare serio quam ioco. sed non omnis detractio vel contumelia est peccatum mortale, ergo multo minus derisio. Sed contra est, quod dicitur Prouerbiorum 3. *Ipse deridet illusores*, sed deridere Dei est æternaliter punire pro peccato mortali. vt patet per illud, quod dicitur in psal: 2. Qui *habitat in cœlis deridebit eos.* ergo derisio est peccatum mortale. Responsio S. Thomæ in secunda secundæ, qnæst. 75. art. 2. Dicendũ quod irrisio non sit nisi de aliquo malo vel defectu: malum autem si sit magnum, non pro ludo accipitur, sed derisorie, vnde si in lusum vel risum vertatur, ex quo irrisionis vel illusionis nomen sumitur, hoc est, quia accipitur vt paruum, Potest autem aliquod malum vt paruum accipi dupliciter, vno modo secundum se, alio modo ratione personæ. Cum autem aliquis alterius personæ malum vel defectum in ludum & risum ponit, quia secundum se paruum malum est, veniale vel leue peccatum est secundum suum genus, potest etiam esse veniale pec-

Matt. 5. *Luc. 6.* *Prou. 6.* *Iac. 5.* *Psal. 34.* *Hieron:* *An derisio sit peccatum mortale.* *Risum excussum vetat S. Benedictus.* *Cap. 4. reg.*

catum, cum quis deridet aliquem ex leuitate: nec vellet eius malum. Cum autem accipitur quasi paruum ratione personæ, sicut defectus puerorum & stultorum, parum ponderare solemus, aliquem sic illudere vel deridere, est eum omnino parui pendere, & eum tam vilem æstimare vt de eius malo non sit curandum, sed sit quasi pro ludo habendum; & sic derisio est peccatū mortale, & grauius quam contumelia, quæ similiter est in manifesto: quia contumeliosus videtur accipere malum alterius serioſe. Illusor autem in ludum; & ita videtur esse maior contemptus & dehonoratio: & secundum hoc illusio est graue peccatum, & tanto grauius, quanto maior reuerentia debebatur personæ, quæ illuditur. Vnde grauissimum est irridere Deum, & ea quæ Dei sunt, secundum illud Isaiæ 37. *Cui exprobasti, & quem blasphemasti, & super quem exaltasti vocem tuam?* Et postea subditur. *Ad sanctū Israel.* Deinde secundum locū tenet irrisio parentum. Vnde dicitur Prou 30. *Oculum qui subsannat parentem & despicit præceptum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.* Deinde iustorum derisio grauis est, quia honor est virtutis præmium. Et contra hoc dicitur Iob. 12. *Deridetur iusti simplicitas.* Quæ quidem derisio valde nociua est, quia per hoc homines à bene agendo impediuntur secundum illud Gregorii: *Qui in aliorum actibus exoriri bona respiciunt, mox ea manu pestiferæ exprobationis euellunt.* Ad primum ergo dico, quod ludus non importat aliquid contrarium charitati, respectu illius, cum quo luditur, propter contemptum, vt dictum est. Ad 2. dicendum quod derisio secundum suam rationem leuius aliquid est, quam detractio, vel contumelia, quia non importat contemptum, sed ludum. Quandoque tamen habet maiorem contēptum, quam contumelia, vt supra dictum est, & tunc est graue peccatum: Monachus autem, qui ad perfectionem tendere debet, ab omni irrisione se faciat alienum, aut verba, quæ fatuitatem aut derisionem sonant, non loquatur, sed sit in omnibus actibus suis compositus, in verbis discretus, in moribus maturus, & in cogitationibus mundus, quoniam soli *mundo corde Deum videbunt.* cætera de risu vide *sup. quæ sunt instrumen. bon. ope.* & qualiter oporteat ridere Monachum. *Cap 4.*

Prou. 30

Gregor.

Matt. 5.

XI. GRADVS.

VERSVS.

Vndecimus loquitur rationis paucula verba.

VNdecimus humilitatis gradus est, si cum loquitur Monachus leuiter & sine risu humiliter cum grauitate, vel pauca verba, & rationabilia loquatur, & non sit clamosus in voce sicut scriptum est. Sapiens innotescit verbis paucis. Sicut superbus in risu exaltat vocem suam, ita humilis cum loquitur supprimit eandem. Hinc etiam humilitatis gradum Dominus noster Iesus Christus in omni sermone suo seruauit & exhibuit, sicut scriptum est de eo. *Non clamabit, nec exaudietur foris vox eius.* Ponuntur autem in isto gradu communiter octo, quæ Monachus in omni locutione considerare debet. Primum est temporis opportunitas, scilicet quando interrogatur, aut necessitas postulat. Et hoc notatur cum dicitur. *Si enim loquitur Monachus.* Secundum est leuitas, in qua suauitas est vocis & tranquillæ mētis ostensio. Tertium est cohibitio risus, in qua consideratur timor Domini. Quartum est humilitas, in qua ostenditur reuerentia superiorum. Quintum est, grauitas, in qua continetur monastica disciplina. Sextum est verborum paucitas, in qua perpenditur memoria futurorum. Septimum est, rationabilitas, per quam declaratur prouidentia iudicii Dei. Octauum est vocis suppressio, per quam clamorositas reprimitur dissoluta. De primo est considerandum, quod Monachus in loquendo debet obseruare, tempus, locum, & causam, quia est tempus loquendi & tēpus tacendi. Nocturnis enim temporibus, & alias à regula sanctorū patrum interdictis, non expedit Monacho loqui propter euidentem necessitatem, aut vtilitatem. In locis etiam prohibitis, id est, in refectorio, in dormitorio, in claustro, id est, ambitu Monasterii, & in oratorio loqui de iure prohibemur, vt dicendum est in sequentibus *cap. 42. regulæ*, Causam etiā, de qua loqtur Monachus, obseruare debet, vt necessaria sit, aut vtilis, ne vana subrepat locutio, quoniam de omni otioso verbo; quod locuti fuerint homines.

Isa. 42.

Matt. 12.

sim-

simpliciter super terram reddent de eo rationē in die iudici districtam, sed multo districtiorem Monachi, quibus os ad vana colloquia aperire non licet. *sup. de tacitur: in fine.* Si autem ratio expoſcat & locus & tempus conſentiat, vt loquatur Monachus, leniter (id eſt temperatè vel placide debet loqui, quia ſcriptum eſt. *Eccle. 21. verba prudentium ſtatera ponderabuntur.* Lenitas enim de fonte dulcedinis & pietatis procedit. locumque quietum requirit & inuenit. Hinc Salomon ait. *verbum Eccle. 6. dulce multiplicat amicos & mitigat inimicos.* *Prou. 15.* Et iterum. *Sermo mollis frangit iras, & lin-* *Prou. 16.* *gua gratioſa in bono homine abundabit.* Et rurſum. *Fauus mellis verba compoſita.* Et ite- *Prou. 10.* rum. *qui moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt.* verba enim compoſita & dulcia proferentem honeſtant, & gratiam audientibus ſubminiſtrant: quia ſermo bonus ſuper donum optimum. *Et ſine riſu*, quia verba riſui apta, ſeu plena Monachū aut ſtultū, aut vanum eſſe demonſtrant; maturitas autem in ſermone virū ſapientem commendat. Hinc ſcriptura admonet *Eccle. 4.* dicens. *Noli citatus eſſe in lingua tua.* Riſus enim verborum efficaciam tollit. Si vis audiri, eſto maturus. quia loquacitas, & immoderatus riſus, hominem oneroſum faciunt audientibus. *Et humiliter*, quia humilitas gratiam obtinet, animus autem pompoſus Deo odibilis eſt, & hominibus deſpicabilis. Et ergo cum ſteteris ante ſeniores tuos, vel in ordine, vel in dignitate, inclinato capite, depreſſis in terram aſpectibus, compoſitis manibus & pedibus, humilitatem, quam geſtas in corde, in exterioribus quoq; mēbris exhibere curato. Sit ergo locutio modeſta, vt nec inordinate, nec impudice, nec diſſolute interloquendo membra moueas. aut aliqua indecenti conformatione aut transformatione vultus, aut vagacitate viſus prolationē verborum imminuas, quia qualis eſt animus interior, talis & compoſitio membrorum & morum ex- *Prou. 10.* terior. *Et pauca verba & rationabilia.* Quia in multiloquio non effugies peccatum. Stultus enim, id eſt, ſuperbus ac diſſolutus verba multiplicat; & vbi ſunt verba *Eccl. 20.* plurima, frequenter egeſtas. Ideo autem rationabilia, quia ſcriptum eſt. *Homo ſapiens tacebit vſq; ad tempus*, ſcilicet opportunum. Laſciuus autem & imprudens tempus non ſeruat, quoniam nemo ſtultus tacere poteſt. Qui vero inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet mala. Sed ô quam multi Monachi hodie cernuntur facere contrarium gradui huic vndecimo, qui non obſeruato tempore, aut loco, verba multiplicant, riſum effudunt, ſicut ſtercora boues, & per membra exteriora incompoſita animum interiorem diſſolutum deſignant. Nihil horum in hoc gradu poſitorum obſeruant; quamuis eis, quidquid dixerint, rationabile videatur. Sed iudex in propria cauſa verum diſcernere non poteſt: iſti non ſe, ſed increpantes arguunt. Sunt etiam non nulli, qui in tantam diſſolutionis deuenere conſuetudinem: vt nihil pœnitus ſineriſu loqui valeant, niſi ſubrepat ira. & digito demonſtrant, capite volitant, pedibus terunt, & totum corpus quaſi liquatum videtur. Et ſi corripiuntur, dicunt. *Riſus oris caritatem* cordis demonſtrant, & iucunditatem mentis exterior geſtus oſtendit. Sed tollite excuſationes has in peccatis. Maior charitas eſt obſeruare præcepta Dei, & regulas ſanctorum quam in riſu aures mulcerē hominum. Monachus enim es, & non licet tibi verba riſui apta proferre, vt patet *ſup. de taciturnit.* nec vana, nec otioſa propter peccatum, quod in multiloquio reſidet. Attamen non ſic prohibetur riſus Monacho, vt nunquam ridere debeat, cum hoc proprium ſit homini innatum à natura: ſed vt riſum excuſſum & immoderatum non amet, neq; cachinnationem, quæ propria eſt ruſticorum non à natura, ſed à conſuetudine. Pauca ergo loquaris, ſi gratiam hominum cupis, & ſupernorum amorem. *Nec ſis clamoſus in voce*: Nam Monachus Chriſti debet eſſe imitator. Cuius vox *Matt. 12. & 27. 26.* non audiebatur foris, neque clamauit in plateis, ſed agnus māſuetiſſimus corā tōdēte ſe obmutuit, & ita in medio filiorum hominū ſiluit, vt miraretur præſes vehe- *Clamoſa* menter. ſæpe enim vox clamoſa hominē *vox qui-* odibilē ſubmiſſa autem facit amabilem. *bus non* Sex ſunt conditiones ſeu genera homi- *congruat.* num, quibus non conuenit clamor in voce. Primo virginibus, ſeu puellis, quæ ex I. dulci & ſubmiſſa verecundaque voce redduntur amabiles & placidæ, quia mulier loquax omnibus odibilis eſt. Secun- II. do, timidis perſonis & verecundis, qui ſi

clamore te, loqui voluerint, tamen non possunt nisi sub silentio propter verecundiam & timorem. III. Tertio infirmis, quorum vox semper est submissa & acuta sub silentio, quia alte clamare non possunt neque audire clamorem. IV. Quarto pueris, qui ex quiete & silentio reddunturamabiles, quos etiam iuuenilis verecundia submisse loqui compellit. V. Quinto sapientibus, qui sub silentio magnificant facta sua, quia sapiens verbis innotescit paucis, & moderatur sermones suas in numero, & in pondere. VI. Sexto Monachis, quibus propter eminentiam status, & sanctitatis, silentiosa & submissa locutio pro honestate computabitur. Monachus enim loquax & clamosus instrumentum artis diabolicæ est. VII. Possumus autem & septimum adiungere hominum genus, quibus clamor in voce non conuenit, non pro honestate vitæ. sed pro cælando crimine: fratribus videlicet, qui se omni strepitu, tam vocis, quam corporis cohibere solent, vt ratione manifestissimũ est, Monachus ergo qui propter honestatem & excellentiam status sui sequi Dominum & saluatorem suũ Christum elegit, quoniam monasticam professus disciplinam, mortuus est mundo & vanitatibus eius, semper illum diem Domini habeat in mente, in qua de omni otioso sermone ratio ponitur: & sic cunctos sermones suos moderetur, vt non sit necesse enim pœnitere de stultiloquio, aut verbo otioso. Modestus & submissus sit in voce, quia scriptum est. *Sapiens in verbis seipsum amabilem reddit*, quia prudenter, rationabilia & amabilia verba loquitur. Hinc Basilius ait. *vocis mensuram definit audiendi modus*. Si enim maior fuerit vox, quam auditus requirit: cum possit audire ille cui loquitur etiamsi lenius loquitur, iam non erit vox, sed clamor, Nec est laudabile extollere in altum vocem clamando, cum non sit necesse nisi forte grauior sit auditus eius, cui loquimur: & ratio & necessitas cogat ad clamandum, sicut in prædicatione fieri potest, propter excutiendam audientium somnolentiam, & ad augendum fidelium deuotionem. Monachum autem clamosum, aut ridiculosum esse non decet, quia qui semper cum Domino loquitur, cum hominibus non debet exercere leuitates. Sunt etiã aliæ octo circũstantiæ

Eccli. 20. *Basilius.*

considerandę à Monacho, cum loquitur vt sciat videlicet, quis loquatur, quid, vbi, cum qũo, quãtum, quare, quomodo, & quando. Consideret ergo primo, an sibi liceat loqui, an non? Monachus enim solitarius dicitur, qui autẽ solitarius est, non habet cum quo loquatur, sed sedens solitarius tacet, & leuabit se super se. Attendendum igitur, quia tacere & audire discipulum condecet. *sup. de tacit.* Quotiescunq; ergo absq; licentia obtẽta loqueris plus quam aut prælatus, aut regula, siue ratio necessitatis vel vtilitatis concesserit, a culpa immunis non eris. Omnia enim cũ voluntate Abbatis agenda sunt. *Infra de quad. obser.* sed qui sine voluntate & licentia ipsius loquitur, non omnia cũ eius volũtate agit, quia, & loqui, de omni actione aliquid est. Consideret etiã Monachus, quid loquatur, quia vana & otiosa atq; scurrilia verba sibi interdicta sunt. *Supr. de taciturnit.* & indignum prorsus videtur, vt os quod diuinis laudibus dedicatum est, vanis & scurrilibus polluatur sermonibus. Hinc Apostolus admonet dicens. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat*. Quare? quia corrumpunt bonos mores colloquia praua. Vnde & sanctissimus Pater noster à malo & prauo colloquio os custodiendũ statuit *sup. quæ sint instru. bon. oper.* Vnde & Apostolus. *Fornicatio*, inquit, *& omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos: aut turpitudo aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinent.* Omnia autem honeste & secundum ordinem fiant in vobis. Veritatem etiam si quando expedit loquatur, nec mendacium quouis modo dicat: quia omne mendacium peccatum est, vt dictum *super. de instru. bo. operum.* Deinde consideret etiam, vbi loquatur, an videlicet locus tali locutioni indulgeatur, vel prohibeatur: quia, sicut dictum est, in quatuor illis locis conuentualibus nemini Monachorum loqui licet, id est, in Oratorio, Refectorio, dormitorio, & claustro, per quod ambitus monasterii intelligitur, qa in talibus locis prohibitis loqui præterquam permisso casu, grauius peccatum est cæteris paribus, quam aliis locis communibus. Nam de iure prohibitum est, *extra: de statu Monachorum. Cum ad monaster. §. in oratorio.* Cui etiam loquatur: vel cum quo semper attendat, quia cum ex-

Thren. 3. *cap. 49.* *cap. 49. Reg.* *Eph. 4.* *Eph. 5.* *1. Cor. 14.* *Vbi non liceat loqui Monacho.* *Quibusdam non loquendum.*

com-

Quibuscum non loquendum. cap. 26. regul.

communicato ei loqui non licet. *infra. de his. q. sine iussio. Abbatis iung. se excommunicantis. Et. 11. q. 3. si quis Fratrum.* Nam loqui cum aliquo, quandam secum societatem contrahere est, nisi ex permissu superiorum, vel rationabili causa, sed qui se peruersis socium facit, Christum negat. *11. q. 3. existimant.* Cum hæreticis etiam loqui non debet. Vnde Apostolus in sua canonica admonet dicens. *Si quis venerit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, neque Aue ei dixeritis, Qui enim dicit aue, communicat operibus eius malignis,* Cũ hospitibus etiam sine licentia loqui non debet *infra. de hosp. iusc.* Deinde ponderet Monachus sermones suos, & consideret quantum ei liceat loqui, vel quantum expediat. vt nõ vana verba per diffusam locutionem proferat. Vnde bene dicitur hic, vt si quando loquitur Monachus, pauca, breuia, & rationabilia verba loquatur. Vnde etiã in regula. Beati Francisci dicitur *Moneo,* inqt, *& exhortor Fratres meos, vt in prædicatione q̃ faciunt, sint examinata & casta eorũ colloquia, ad vtilitatẽ & ædificationem populi, annunciando iis vitia & virtutes, pœnam & gloriam cum breuitate sermonis: quia verbum abbreuiatum fecit Dominus super terram. Hinc sapiens admonet dicens. Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Domino. Deus enim in cœlo, & tu super terram. Idcirco sint pauci sermones tui.* Et alibi. *Noli verbosus esse in multitudine presbyterorum, & non iteres verbum in tua oratione.* Et ergo, si quando loquitur Monachus tempus & numerum ne transgrediatur. Et faciat, sicut aliqui vacua conscientia facere solent, vt semel obtenta licentia per totum diem loquantur. Consideret etiam, cur loquatur, vt videlicet ex rationabili vel vtili causa, alioquin otiosa videtur esse locutio. Nec sumat sibi leuem causam ad loquendum, sine necessitate vel vtilitate: alias non Deum, neque Abbatem, sed decipit seipsum. Et consideratio innititur in hoc verbo, q̃ ait *rationabilia,* vt videlicet rationabilem habeãt causam. Consideret etiam, quomodo loquatur, vt videlicet mores habeat religiosorum, & absque scurrilitate, vel dissolutione stet aut sedeat; memor quod oculi Domini in omni loco speculantur, quidquid fecerimus, siue bonum, siue malũ. Et ergo dicitur hic in textu, vt, *cum humilitate & grauitate,* si quando necesse est Monachus loquatur. Postremo tempus aptum obseruet, vt sciat quando & quando non loqui liceat, quoniam omnia hebent tempus suum aptum. Est tempus tacendi; & iterum est tempus loquendi. Omnia autem melius cum tempore fiunt. Grauius enim peccatum est frangere, absque iusta & rationabili causa silentium nocturnis temporibus, quam diurnis: quia illa tempora prohibita sunt. *infra. vt post comple. ne. loquatur.* Has octo considerationes & circumstantias Monachus semper attendere debet, dicens sibi cũ Propheta. *Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Et antequam sermo proferatur in ore, in quem finem tendat, examinandus est pectore. Qui enim inconsideratus est in verbis, puritatem cordis non potest obseruare, sed sæpius postquam locutionis fecerit finem dicet. væ mihi quid dixi, quare non tacui? cur tam in consideratus in verbis fui: & tot scandalizaui audientes? Sic stultus dicit apud se, postquam modum amiserit in locutione sua, & incipit seipsum damnare, & increpare, quare non tacuerit: quia finis inconsiderati sermonis, initium est pœnitentiæ & doloris. Nam multi loquẽdo, vix aliquis excessit tacẽdo. Nec tamen potest se cohibere stultus, nisi fatua loquatur, & quæ iam se excessisse dolet; iterum adducere non cauet. Loquatur autem Monachus, si quando necesse est pauca & examinata verba, quia humilis paucis verbis vtitur, sicut spiritus sanctus per per sapientem docet nos dicens. *Sapiens verbis innotescit paucis.* Nam qualis quisque sit apud se interius, verbis cæteris notum fit exterius. Sapientiam quam secrete tenebat in corde, aliis ostendit proferendo sermone: & qui sibimet tantum notus latebat occulte: semetipsum loquendo producit in publicum. Si itaque te Monachum reputas, silentium charissimum habeto: quoniam, sicut Apostolus Iacobus ait. *Qui se putat religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum,* scilicet inanibus verbis, *huius vana est religio.* quia nomen non sanctificat quenquam nec fama, sed virtus & vita immaculata, qua sibi quisque notus est, nec aliorum testimonia requi-

Cap. 53. reg. Quantũ loquendum.

Ecclí. 5.

Eccli. 7.

Cur loquendũ.

Et quomodo.

Et quando.

cap. 42. reg.

Psal. 38.

Iacob. 1.

quirit. In omnibus igitur, quæ agis, siue operando, seu loquendo, siue cogitando, semper respice finem, & quid post hoc futurum sit, sedula meditatione in mente reuolue, memorans illud dictum viri sapientis. *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Melius & honestius est, non loqui superflua, quam post locutionem pœnitere, quoniam illud Sapientiæ: istud erroris emendæ est.

Eccli. 7.

GRADVS XII.

VERSVS.

Spectet humũ semper, duodenus vertice flexo.

Duodecimus humilitatis gradus: Si non solum corde Monachus, sed etiam ipso corpore humilitatem videntibus se semper indicet. Iste gradus humilitatem cordis publicare præcipit, non ad vanam gloriam; quia impossibile est, quod vera humilitas & elatio simul cohabitent, sed vt Monachus humilitatem, quam gestat in pectore, foris etiam ad ædificationem aliorum demonstret in corpore: quatenus & interius interno placeat Iudici, & exterius exemplar sit se videnti, vt sic in vtraque virtute humilitatis, compositus, humilis corde, humilis inueniatur in corpore, Interius sit humilis animo & exterius humilis inueniatur habitu; vt in eo compleatur illud Dominicum præceptum, quo dicitur. *Videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.* Et vt humiles nos corde esse debere doceret, alibi dicit. *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & claude ostium post te.* Ecce duæ sententiæ sibi contrariæ, & imo veræ, quoniam ex ore veritatis processerunt, & requirunt intellectum fidelem. In hoc enim, quod ait, *cum oraueris, intra in cubiculum tuum*, ostendit bona quæ facimus, non esse publicanda hominibus. ea videlicet intentione, vt laudem & fauorem humanum requiramus, ne laborem absque fructu perdamus, & vt hominibus bonæ actionis ostendamus exemplum. Dicit, *videant opera vestra.* Retineamus itaq; humilitatem nostram voluntate in secreto, & opera eius ostendamus in luce, vt & nobis proficui simus in corde, & aliis vtiles in exemplo bonæ vitæ. Nõ enim nobis solis nati sumus, quin etiam aliis in exemplũ positi. Vita enim monastica in fide Domini nostri Iesu Christi posita, eius debet inhærere vestigiis, vt quomodo ambulauit, de quo scriptum est, *cœpit Iesus facere & docere*, ita & nos ambulemus, quatenus secure cum Petro dicere valeamus. *Domine, ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Omnia relinquere, est propriam abnegare voluntatem. Ipse etenim ait. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Tu igitur Monache chariſſime Frater, qui iam in sortem filiorum Dei es vocatus, per voti sancti emissionẽ, esto robustus & cõfortare, & in omnibus virtutibus & moribus semper præpone tibi clarissimum speculum, in quo macula nulla fuit vnquam, & totius claritatis lucidissimum iubar & exemplum omnis perfectionis ipsum solem iustitiæ, scilicet vitam & mores Iesu Christi Filii Dei, qui ad hoc de cœlo à patre missus est, vt præiret nos in via virtutum, & legem vitæ & disciplinæ suo nobis daret exẽplo, & erudiret nos, sicut seipsum; vt, sicut ad eius imaginem naturaliter creati sumus, ad morum quoque eius similitudinem per imitationem informaremur. Quãto autem quis se in virtutũ imitatione ei studuerit conformare, tanto ei in patria in gloria & claritate propinquior erit & similior. Describe igitur in corde tuo mores eius & actus, quam humiliter se habuit inter homines, quam benigne inter discipulos, quam modeste in edendo, & temperate in bibendo, quam misericorditer super pauperes, quibus se similem fecit, quia de pauperibus voluit nasci parentibus & sub cura esse pauperis nutricii Ioseph, nullum pauperem spreuit, factus ipse pauper rector omnium. Et Dominus, qui dat fœnum iumentis, & herbam seruituti hominum, panẽ & vinum, vt lætificet cor hominis, qui quondam populum Israeliticum quadraginta annis pauit in deserto pane suauissimo, pro te seruo seruus & pauper factus est, vt te redderet libertati, qui conuersatus inter homines suæ humilitatis exemplum omnibus ostendit, nullum abhorruit, etiamsi leprosus fuisset, sed omnibus suæ maiestatis gratiam, creator suis creaturis, impendit. Memor esto etiam quam pius extitit ad pauperes, & quomodo diuitibus nunquam adulabatur, nec personam hominis accepit. Quam liber fuit

Matt. 5.

Matt. 6.

Luc. 1.

Matt. 19.

Matt. 16.

Christus imitãdus in via.

à cu-

à curis huius mundi, nec anxius pro corporis neceſſitatibus: qui de craſtino diſcipulos docuit non debere eſſe ſolicitos, & quam verecundus fuit in viſu, quam patiens ad contumelias, quam mitis in reſponſione; Non enim ſtuduit ſe vindicare nec verbo mordaci, cum eſſet rector & iudex omnium, neque amaro reſponſo, ſed blande & humiliter, alterius malitiam ſanauit. Conſidera etiam, quam compoſitus fuerit in omnibus geſtis ſuis, quam ſolicitus de animarum ſalute, pro quibus etiam turpiſſima morte mori dignatus eſt. Et quam exemplaris fuerit in omni bono opera penſa, & quomodo mulierum ſecreta colloquia vitauit, vt daret nobis huius rei exemplum, non quod ſibi neceſſe fuerit, ſed nobis imitabile. Vnde & diſcipuli mirabantur, quando cum Samaritana ſolus loquebatur, eo quod inſolitũ & inconſuetũ ab eo videbatur. Et tu ergo homo, puluis cum ſis, fuge conſortia mulierum, ſi non vis contaminari, Nam qui tangit picem inquinabitur ab ea. Huius autem rei nulla in Domino noſtro Ieſu Chriſto ſuſpicio fuit vnquam. Intuere etiam & reſpice, quam patiens & continuus fuerit in labore & ærumna, quam compatiẽs miſeris & afflictis, quomodo cõdeſcendit infirmorum imperfectioni, quomodo ſcandalũ cauebat, quomodo peccatores nõ ſpreuit, & quam libenter pœnitentes ad gratiã ſuſcepit, quã blandus in omnibus fuit, quam ſtudioſus in oratione, quam promptus in adminiſtrando fratribus, ſicut ipſe ait. *Ego in medio veſtrũ ſum ſicut qui miniſtrat.* vide quæſo, quam ſobrius fuerit ad vigilias, quomodo ſæpius in oratione pernoctauit: O Domine Ieſu Chriſte, ad quid tibi neceſſaria fuit oratio? qui pauperum preces exaudis, nihil neceſſe habebas vigilare aut orare, niſi vt nobis, qui te ſequi deſideramus, exemplũ perfectionis pberes, & pro quibus mori dignatus es, tu patri coæqualis precũ auditor humilium pro ipſis quoque orare non dubitares. Oratio tua Domine laus Dei patris æterna eſt, cum quo & ſpiritu ſancto, vnus ſolus, verus, & vnus Deus es. Rogo Domine Ieſu Chriſte memento mei peccatoris, ſicuti tu ſcis & vis. Deinde cogita de hac dulciſſimi redemptoris tui vita vlterius, quam obediens fuerit parentibus, quam reuerentialis ſacerdotibus propter myſterium ſanctum, ad quos leproſos quos mundauerat ire præcepit, qui legem adimplere venerat. Talia ipſius facta, & quæ ſancti Euangeli recitat hiſtoria, in memoria tua ſemper prompta habeto, vt in omnibus verbis & factis tuis ſemper ad eum quaſi ad exemplar totius perfectionis & ſanctitatis reſpicias, incedens, ſtans, & ſedens, iacens, comedens, aut loquens ſolus, aut cũ aliis. Omnia agenda tua ad eius vitæ exemplum referre curato. Ex hoc enim magis eum diligere incipies, & de pectore eius aquas viuas hauries, vt non ſitias amplius quidquam terrenum, & adhuc ſemper quamdiu in hac vita fueris fontẽ deſideres æternum, & familiaritatis eius gratiam cum fiducia aſſequeris, & in omni virtute perfectior eris. In hac meditatione ſit tibi ſapientia tua, in hac exercitatione ſtudium tuum, quidquid facis Ieſus ſit initium. ſit quoque finis intentum, vt omnia in laudem ipſius facias, & quæ ſibi diſplicent, nec qudem cogites. De ipſo ſemper cogita, vt ad imitandum eum prouoceris, quoniam dulcis memoria eius eſt, & dat delitias regibus. Tali exercitio expende tempus tuum, vt occuperis in bonis ſtudiis & diuinis circa ſaluatorẽ tuum; mores tuos mutes ad formam vitæ ipſius, & conuerſationis in omnibus agendis tuis, ad ipsũ reſpiciendo, qualiter ipſe ſe in omnibus habuit vel habere potuit ſecundum tuã æſtimationem, quia in omnibus ſemper optimo & perfectiſſimo modo ſe habuit, qui in omnibus ſemper optimus eſt. Ad eius itaq;, quantũ poſſibile eſt, vitam tuam' ordina exemplum, & eum imitare, pro cuius amore omnia terrena reliquiſti, vt proficere valeas in virum perfectum, quatenus omnibus videntibus te bonæ excuſationis præbeas exemplum, vt iſtum duodecimum valeas conſcendere gradum, & non ſolum in corde interius, ſed etiam Monachus in geſtu ſis exterius, omni tempore & loco, vel vbicunque fueris, videlicet, *In opere Dei, in oratorio, in monaſterio, in horto, in via, in agro.* Non enim eſt locus, vbi Deus non ſit. ſicut ipſe dicit per Prophetam. *Cælum & terram ego impleo.* debemus in omni loco propter reuerentiam Dei & ſanctorum angelorum noſtram ſemper nobiſcum habere

Ioan. 4.

Luc. 22.

Ierem. 23

habere disciplinam, vbicunq; fuerimus, siue in opere Dei, vbi videlicet oramus, cantamus hymnos, psalmos, cantica, vel aliquod opus Dei aliud exercemus, siue in oratorio, vbi vnusquisque secretius orat apud se: siue in monasterio, vbi diuersa exercentur officia, videlicet scribendo, legendo, studendo, vel qualecumque faciendo opus. Siue in horto fodiendo, vel grauiores implendo labores, siue in via cum hominibus conuersando: Siue in agro solus laborando, in omnibus his locis Monachus humilitatem & disciplinam semper se videntibus propter eorum ædificationem ostendere debet. Nec in his tantum, sed etiam in omnibus aliis locis. *Vel vbicunque sedens, ambulans vel stans, inclinato sit semper capite, defixis in terram aspectibus, reum se omni hora de peccatis suis existimans, iam se tremendo iudicio Dei præsentari æstimet: Dicēs sibi in corde semper illud quod publicanus ille Euangelicus fixis in terram oculis dixit. Domine non sum ego peccator dignus leuare oculos meos ad cœlum.* Non omittitur aliquis locus vel actus, in quo Monachus suam debet occultare disciplinam. Sed vbicunque fuerit Monachus, monasterium, id est, clausuram suam secum portet, & videntibus se disciplinæ & humilitatis exempla ostendat; videlicet vbicunque sederit, steterit, vel ambulauerit, inclinato sit semper capite, quia erectum caput pomposum animum designat, & defixis in terram oculis, corde autem sursum leuato ad cœlestia, vbi se iam statim putet repræsentandum pro ratione reddenda omnium actuum suorum. Nihil enim sic cohibet à peccato, sicut frequens memoria mortis, & timor nouissimorum. Debet se etiam Monachus arbitrari indignum, oculos suos leuare ad cœlum; qui Deum toties se meminit offendisse, & peccatis suis ad iracundiam prouocasse: & ideo compunctus in corde suo pectus suum percutiat, clamans ad Dominum cum publicano dicens. Domine non sum dignus, ego peccator, oculos meo leuare ad cœlum, qui toties te peccatis meis offendi, & in isto sancto ordine tam tepidus fui, nec vnquam, sicut debui, profeci in virtutibus crescendo, sed multas negligentias commisi; insuper & pœnas multas comparaui per meam culpam, & locum & habitum, in quo alius multa bona fecisset; ego insipiens vsque in hanc horam sine fructu occupaui. Quomodo ergo auderem oculos meos leuare ad cœlum, qui tam grauiter offendi eius inhabitatorem? Rogo te Domine, propitius esto mihi peccatori: quia etsi oculos ad te leuare non audeo corporales; mentem tamen eleuare non erubesco. Nam tu per Salomonem dixisti mihi. *Fili, præbe mihi cor tuum.* Et ecce Domine cor meum coram te hodie, pollutum & immundum: quomodo illud præbebo tibi? *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis*, quia tu, nisi mundaueris me, non potero videre te. Hoc itaque Domine peto à te, munda me, quatenus valeam diligere te, Nemo enim peccator venit ad te, nisi tu traxeris illum. Domine non sum dignus ego peccator leuare oculos meos ad cœlum, sed propitius esto mihi peccatori, & amodo te trahente quantum possibile est, mundum cor meum præbebo tibi creatori meo. Ecce Fratres dilecti quantam veniæ fiduciam digne pœnitentibus præbet, quod publicanus, qui peccatum suum perfecte cognouit, fleuit, confessus est; etsi iniustus ad templum venit, iustificatus tamen ab illo descendit. Et nos, fratres charissimi, faciamus, quod ipse publicanus, nam in multis offendimus omnes, & si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & non est veritas in nobis, sed confiteamur peccata nostra Domino, humiliantes nos, & miserebitur nostri: quoniam multus est ad ignoscendum. Dicatque vnusquisque nostrum semper in corde suo. Domine non sum dignus ego peccator leuare oculos meos ad cœlum, propitius esto mihi supplici, qui non sum sicut minimus aliquis seruus tuus, neq; eorum inhæsi vestigiis, qui me in hac vita monastica præcesserunt, qui fuerunt contemptu sæculi sublimes, iustitiæ merito glorioſi. castitatis laude angelici: velut etiam multi eorum, qui post flagitia publica pœnitendo tibi meruerunt esse deuoti. Et si quid forte tua largiente gratia boni fecero, quo fine, qua sententia à te iudicetur, an tibi acceptum sit, penitus ignoro. Quid igitur faciam Domine Deus meus. *Incuruatus sum & humiliatus sum vsquequaque.*

Luc. 18.

Prou. 4.

1. Ioan. 1.

Psal. 118.

Quis

Quis me humiliauit nisi peccata mea? Incuruatus sum, & implicatus terrenis negotiis, qui me liberabit de hamo mortis huius? Certe qui cogitat altitudinem quietis æternæ, ipse videt, quantū sit humiliatus in hac carnis corruptione. Incuruatus recte dicitur, qui sæculi huius vanitates sectatur. Nos autē, fratres, non sic, sed lugeamus in cōfessione: agnoscamus vbi simus, recordemur altitudinem æternæ quietis, patienter exspectemus, quod ille nobis promisit, qui humilis propter nos apparuit. dicat qui libet apud se. Incuruatus sum, & humiliatus, id est, qui dudum elatus erā in sæculo, incuruarus sum modo sub Deo: Qui aliquando exaltatus eram in sæculo, nunc humiliatus sum sub monastico iugo. Incuruatus sum corpore, humiliatus sum animo: vt exaltari merear in die visitationis Domini. Incuruatus & humiliatus sum vsquequaq;, id est, ex omni parte, ex omni consideratione, quia est necesse, vt humilitas quæ commendatrix est omnium cæterarum virtutum in corde firmiter teneatur, & cæteris in exemplum foris demonstretur. Hoc enim gradus iste duodecimus innuit, vt & sibi quisque in corde sit humilis, & proximo in bono exemplo vtilis. Magnum enim est vt Monachus in corde conseruet humilitatem & foris in bono opere etiā fratrum suorum quærat vtilitatem, quia illa est perfecta charitas, qua Deus diligitur per puritatē cordis & proximus per exhibitionem boni operis. Sic sanctum Benedictum fecisse non dubitamus, qui & sibi purus extitit cogitatione, & omnibus ridentibus eum vtilis in operatione, Faciamus & nos similiter, quoniam pro tot recipiet vnusquisque mercedem quietis, quot suo bono exemplo à via conuertit iniquitatis: quia qui erudiunt multos, maxime exemplo, *sicut stellæ in firmamento lucebunt in perpetuas æternitates.* Sic igitur quilibet nostrum, Fratres charissimi, alteri in bono opere speculū charitatis & lumen disciplinæ, vt videns frater opera fratris, Deum glorificet qui in cœlis est, & ad imitationem bonorum actuum accendatur. Simus humiles non solum in corde, quod præ omnibus necessarium est, sed etiam in corpore, quod hominibus imitabile sit: quia qualis est thesaurus cordis, talis etiam sine dubio est operatio corporis. *Ergo his omnibus humilitatis gradibus ascensis, Monachus mox ad charitatem Dei perueniet illam, quæ foras mittit timorem.* Gradus isti duodecim sibi coniunguntur, vt qui perfècte vnum ascenderit, omnes credatur ascendisse: quia vt dicit beatus Hieronymus in quadam Epistola, omnes virtutes sibi hærent, & qui vna caruerit, omnibus caret. Qui ergo habet vnam, omnes habet. Sunt autem multi, qui spem quidem virtutis habent, sed virtutem perfecte non habent, & ideo omnibus carent. Hoc enim declarat nobis in Euangelio Dominus. Quoniam si quis vnum mandatum solum transgressus fuerit, etiamsi cætera fecerit, omnium erit reus. Si quis autem ad perfectionem voluerit peruenire virtutum, oportet, vt omni die & hora, omni loco vel vbicunque fuerit in eodem perseueret proposito, nec vnquam tepescat: etiamsi statim nequeat comprehendere, quod cupit: quoniam nemo repente fit summus, & hæreditas ad quam festinatur in principio, in fine benedictione carebit. Non enim mirum est dare fructum arborem; sed beatus plane, qui dat fructum suum in tempore suo. Nunc ergo vt ad charitatem Dei perfectam, quæ foras mittat timorem peruenire valeamus, debemus legem Dei nostri semper, quantum in nobis est, factis adimplere, ac iugi meditatione mente reuoluere, quomodo nos oporteat placere Deo. Hinc Moyses in Deuteronomio sexto cap. præcepit filiis Israel dicens, *Erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi, hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, & ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine & ostiis domus tuæ.* Nos etiam legem habemus quam præcepit nobis Dominus Deus per famulum suum Benedictum, secundum quam nos viuere oportet; sint verba eius in cordibus nostris, & narremus ea fratribus nostris, meditemurque in eis die ac nocte, & memores simus omnium, quæ præcepit nobis Deus Dominus, & quæ sponte vouimus Domino, quam puros & innocentes nos esse oporteat, si digne habitum nostrum portamus, quam pa-

Hieron.

Iac. 2.

Dan. 12.

tientes ad opprobria, quam obedientes ad superiores, quam humiles apud nos ipsos, quam exemplares apud proximos, quam continuos & perseuerantes in oratione, quam alacres in opere diuino, quam feruentes in labore, quam quietos in cella, quam fortes in capitulo, quã abstinentes in refectorio, quam castos & honestos in dormitorio, quam disciplinatos in omni loco, quã sanctos in altari, quam amaros in confessione, quam districtos in nostra accusatione, quam compassionatos in aliorum infirmitate, quam mites & pios ad omnes, quam charitatiuos ad Fratres, quam donatiuos ad inimicos, vt perfecta in nobis charitas oriatur. Deinde memores simus voti nostri, quæ distinuerunt labia nostra Domino in conspectu omniũ sanctorum eius, quando promisimus Deo & sanctis eius, quod de cætero seruiemus ei soli, quando obedientiam, stabilitatem, & cõuersionem morum nostrorum secundũ regulá Sancti Benedicti vouimus Deo, in qua quidẽ regula omnia quæ ad perfectionẽ tendentibus sunt necessaria pleniſſime continẽtur. Recogitemus etiam vitã nostrã retroactam, quã immundi extiterimus in sæculo, quã multis peccatis irretiti, quã paucis virtutibus adornati, & quam sæpius in peccatum lapsi, sed quam raro perfecte restaurati. Deinde, postquam ad religionem venimus, quam tepidi sẽper fuimus recogitemus, quam negligentes in opere diuino, quam impatientes in omnibus tentationibus, quam pigri in laboribus, quam frigidi in orationibus, quam distracti in meditationibus, quam inconsiderati & leues atque dissoluti in verbis, quam impuri in cogitationibus, quam irreligiosi in operibus, quam vagi in visu, quam inhonesti in risu, quam edaces in cibo & potu, quam curiosi in vestibus, quam prompti ad iudicandum alios, & in sinistram viam deducendi opera eorum, quam tardi ad accusandum nos ipsos, quam tepidi ad vigilias, quam hilares ad audiendum fabulas, & quam tristes & desidiosi ad verbum Dei, quam tædiosi in lectione, & quam negligentes in omni bono opere: Qui habitum & tonsuram monasticam vsque in hodiernum diem sine condigno pœnitentiæ fructu portauimus. Ideoque dum adhuc sumus in carne & pœnitere licet, accusemus nosmetipsos coram Domino cum publicano humili, vt & cum eo iustificari mereamur: quoniam initium iustitiæ est, se nosse peccatorem. studeamus nos semper emendare in melius, vt istos duodecim humilitatis gradus possimus ascendere, & demum ad perfectam Dei charitatem peruenire, quæ nobis omnia amara huius temporis dulcescere facit, & dulcia quæque amara reddit, quoniam vera dulcedo desursum est, ad quem quotidie anhelamus dicentes. *Adueniet regnum tuum* Domine, videlicet quod sumus nos, testante Petro Apostolo ac dicente. *vos genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris nos vocauit in admirabile lumen suum.* 1.Pet.2. Et Exodi. 29. legimus. *Mea est omnis terra, (dicit Dominus), & vos eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens sancta,* Hinc Apostolus dicit. *vos estis templum Dei viui.* 2.Cor 6. Sola enim charitas templum Dei efficit, quoniam, *Deus charitas est. & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* 1.Ioan.4. Inter bonos & malos sola charitas discernit. Sed quia vt dixi, nemo repente fit summus. ad perfectam charitatem non possumus venire, nisi per multos labores & tribulationes, quia in hoc vocati sumus. Nam & *Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius.* 1.Pet.2. Regnum Dei vim patitur & violenti rapiunt illud, quia nisi quis sibi fuerit violentus, carnis non poterit superare impetus, qui pugnant aduersus spiritum. Et nos fratres, qui ad culmen perfectæ humilitatis & charitatis contendimus venire, patientes simus & feruidi, incipientes à primo quousque ad gradum veniamus duodecimum, sanctæ videlicet humilitatis, quæ charitati Dei perfectæ proxima est. Ad charitatem vero perfectam pertinet hoc, quod Dominus noster in Euangelio præcipit dicens. *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt. Orate pro persequentibus & calumniantibus vos: vt sitis filii patris vestri, qui in* Matt.5.

cœlis

cœlis est. Hæc enim est perfecta charitas, qua Deus diligitur super omnes ex toto corde, & in omni opere bono, eius implendo mandata, quia probatio dilectionis exhibitio est operis. Deinde proximus, vt à dilectione non excludatur inimicus. De ista charitate Dicit Ioannes in sua canonica 1. cap. 4. *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet non est perfectus in charitate.* Perfecta charitas foras mittit timorem, videlicet seruilem, seu etiam initialem, de quo scriptum est. *Initium sapientiæ timor Domini*, quo timet quisque incipiens opera iustitiæ, ne veniat districtus Iudex, & se minus castigatum inueniens damnet. Sed præsentium aduersitatum timorem perfecta charitas eiicit ex animo, sicut Paulus dicit. *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, anguſtia, an persecutio.* &c. *Iustus vt leo confidens absque timore erit.* Sæuiat iste mundus, quantum voluerit, tu si Domini es, noli timere. Expellit enim charitas timorem, & sanat. quod vulnerauerat timor. *Per quam vniuersa quæ prius non sine formidine obseruabat, absque vllo labore velut naturaliter ex consuetudine incipiet custodire.* Sicut enim dictum est, timor pœnam habet, quia eo quo quis timet, patitur, & ergo, quidquid facit quadam formidine facit. Subintrante autem charitate effugatur timor. Prius enim homo cum animi timore ad conuersionem venit, quia durum sibi videtur, inconsuetum sumere iugum. Postquam vero in Christi seruitio diuturno tempore perstiterit, eiusque in bona consuetudine durauerit propositum, succedente charitate & crescente feruore metus recedet; & Monachus ex consuetudine bona velut naturaliter incipiet amare, quod prius timebat, & quæ faciebat antea cum timore formidinis, custodire incipiet cum amore dulcedinis. De ista consuetudine memini me legisse. *Bonum est homini cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua, sedebit solitarius & tacebit, & leuabit se super se.* Quid non vsu mutatur? & quam difficile est resistere consuetudini? Nam dum ad alicuius rei exercitium animus consuetudine iuuatur, quasi sine labore opera facit laboris; quia consuetudo est altera ars. Qui enim in iuuentute se dederit ad opera virtutum & perstiterit laborando, crescente numero annorum, crescet fortitudo bonorum, Et ex perseuerantia consuetudo nascitur, quamuis & illa de ista generatur, vt homo ad senectutem veniens maneat, qui fuerat in iuuentute. Hinc etenim scriptum est. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Dicit enim Gregorius in Homelia, *Visitata culpa obligat mentem, vt nequaquam surgere possit ad rectitudinem: conatur, & labitur quia vbi sponte diu perstitit, ibi etiam cum voluerit coacta cadit.* Anima enim humana tabulæ cereæ molli assimilatur, in qua quod semel scriptum fuerit, indurata cera difficile deletur. Qui enim in iuuentute operam virtuti non dederit, in senectute ab omni ornatu virtutum nudus erit. Nam quod in iuuentute addiscitur, in matura ætate conseruatur. Vnde Isidorus lib. soliloquiorum. *Difficile est peccati consuetudinem vincere. prauus vsus vix aboletur, assidua consuetudo vitium in naturam conuertit, sceleribus astrictus vix ab eis diuelli potest.* Et Basilius. *Non paruus est labor vt se aliquis à priori non bona consuetudine reflectat.* Hinc Isidorus, lib. 2. de sum. bon. dicit. *Melius est peccatum cauere quam emendare: facilius enim resistimus hosti, à quo nondum victi sumus, quam ei à quo iam superati ac deuicti cognoscimur. Omne peccatum, antequam admittatur, amplius pertimescitur. Quamuis autem graue sit, dum in vsum venerit, leue existimatur, & sine vllo metu committitur.* Vnde Augustinus. *Consuetudo quasi secunda & affabricata natura dicitur.* Peccatum admittere, cadere est in puteum. Consuetudinem vero peccandi facere os putei est coangustare, ne is qui cecidit valeat exire. Vnde beatus Hieronymus dicit in epistola quadam. *Asperam & insuauem nobis virtutum viam nimia facit vitiorum consuetudo, quæ si in alteram partem transferatur, inuenietur semita iustitiæ leuis.* Videmus etiam fratres, quod dico, oculis nostris quotidie, quoniam sunt alioqui in religione, qui iam in æta-

Prou. 1. *Rom. 8.* *Prou. 28.* TEXTVS. *Thren. 3.* *Prou. 22.* *Greg. hō. 31. in Euang.* *Isid. l. 2.* *Basil. in reg.* *Isid. c. 23.* *Auguſt. l. 6. muſ. c. 7.* *Hieron. ad Celantiam.*

te matura constituti, nouitiam non apprehenderunt institutionem, sed tepidi & negligentes sunt in omni opere bono, quia in introitu religionis ad virtutum exercitia se non dederunt, cum adhuc essent iuuenes, & inueniunt se nunc, quales semper fuerant senes. Et si se ad meliorem aliquando voluerint dare vitam, antiqua consuetudo repugnat, ac suam in eis non patitur aufferri possessionem, & sic miser remanet senex, qualis extitit adolescens. Sicque consuetudini implicatus, quasi quadam catena vitiorum tenetur astrictus, ita vt ab ea euelli nequaquam valeat, nisi diuina gratia manum iacentis apprehendat. Interdum enim Deus tales liberat, dum eorum desperationem ad conuersionem libertatis commutat. Ipso enim miserante peccata dimittuntur; quo protegente, fit ne in deterius peccando eatur. Ergo studeamus, aut non cadere, aut cito conuersi ad lapsum consurgere, ne maledictum Prophetæ incurramus dicentis. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vniculum plaustri peccatum.* Trahit enim iniquitatem vt funiculum, qui tardat conuerti ad Deum. Trahere enim iniquitatem; est moram facere in iniquitatibus. Vnde & psalmista. *Prolongarunt, inquit, iniquitates suas: Dominus iustus concidet cerui-ces peccatorum.* Qui enim tardat conuerti ad Dominum, dum iuuenis est, & de die in diem protrahit emendationem, quasi funiculum trahit iniquitatem, & sic mora perseuerans peccandi consuetudinem facit, à qua difficile est, quenquam, sine speciali gratia Dei, posse liberari. Vnde recte Lazarus quatriduanus dicitur, atque fætere in sepulchro: quia homo qui per consuetudinem iacet in peccato, ante oculos Dei & omnium sanctorum eius iam fœtet. Lazarus quatriduanus in sepulchro designat peccatorem quatuor vinculis ligatum in peccato. Prima enim dies est in mala cogitatione delectatio. Secunda, est perueræ suggestionis consensio. Tertia est peccati perpetratio. Quarta est, in peccato consuetudo: Insuper & ligatus Lazarus perhibetur manibus & pedibus, quia dum consuetudini non resistitur, peccandi necessitas generatur, & dum homo in necessitate est omnino ligatus est. Sed quid faciendum est; Ecce magister venit, amicus Lazari. qui ad hoc in hunc mundum venit, vt peccatores vocaret ad pœnitentiam, & dicit sorori eius videlicet animæ, quæ homini, vt soror, coniuncta est, vel certe turbis, id est, dæmonibus, qui eum sepeliuerunt, vbi posuistis enim? Dicunt ei. Domine veni & vide. Veni, per spiritum compunctionis, & vide per gratiam remissionis. Hæc enim duo, ex mortuo, viuum, ex peccatore faciunt iustum. Qui enim de peccato suo vere compuugitur, se procul dubio emendare conatur, & quidquid ad veram pœnitentiam pertinet, alacri animo aggreditur. Veni ergo Domine, ad compunctionem, cor meum accende, & vide me oculis misericordiæ tuæ, quibus Petrum respexisti donãdo veniã de peccatis commissis, & gratiam largiendo de virtutibus plantandis. Veni, & vide. Et lachrymatus est Iesus, quare lachrymatus? certe postquã dixerimus ad eum. Veni & vide, lachrymatur p nobis Dominus Iesus, patri ostendendo vulnera sua, & lachrymas, quas pro peccatoribus effudit: quia pontifex est omnium nostrum, per quem accessum habemus ad Deum. Lachrymari enim dicitur, quando ad miserandũ peccatoribus inclinatur: Lachrymæ quippe miserantis sunt. Dicunt ergo turbæ videntes Dominũ lachrymantẽ: Ecce quomodo amabat eum. Demomones enim videntes Iesum nostrũ esse aduocatum apud Patrem, dicunt adinuicem stupentes & trementes. Ecce quomodo amabat eum, quem tam paratus est resuscitare. Fugiamus ergo procul, quia filius eripit seruum, non poterimus eum tenere captiuum. Quomodo enim possumus agere contra hominẽ iustum, quem sic diligit Dominus: discedamus hinc, ne pereamus, quoniam nemo tenere eum potest, quem Deus decreuerit liberare. Quidam autem ex ipsis dicebant, Dei ignorantes dispositionem. Non poterat hic qui aperuit oculos cæci nati, facere vt hic non moreretur? Hæc enim dicunt apud se non recte cogitantes, cum hominem à peccato ad iustitiam cernunt resurgere. Non potuit

Isa. 5.

Psal. 128.

Lazari quatriduani historia pulcre applicata.

Ioan. 11.

Deus

Deus facere, vt non peccaret Petrus, qui ad iustitiam vocauit gentiles in iniquitate natos? Et qui aperuit oculos cæci nati, vbi gentiles in peccatis natos ad iustitiam conuertit, magna eis virtutum & sanctitatis concedendo opera, quare etiam non facit vt hi, qui à iuuentute eius obseruarunt mandata, talia faciant, & non moriantur peccando? Qui tam magna beneficia exhibet infidelibus, cur fideles non custodit ne peccent? Sed ô stulti, Dei ignoratis iudicia. Quis est homo super terram, qui bene faciat, , & non peccet? Quid mirabilius est, hominem conseruare viuum, vel resuscitare mortuum? Multo sine dubio glorioſius est hominem quatriduanum, & in consuetudine peccati sepultum resuscitare ad iustitiam, quam iustum præseruare, ne declinet ad iniquitatem. Sed Deus vtrumque potest, qui omnia potest. Sufficit & tibi si conuersus ab iniquitate, qua teneris, mortuus iustitiam feceris: quia non dicitur impius qui fuerit post peccatum denuo pius.

Prou. 23. Scriptum est. *Septies in die cadit iustus, & resurgit.* Nonne mirum videtur tibi, quomodo quis possit esse iustus, & tamen cadere in peccatum? Si iustus, quomodo cadit. Si cadit, quomodo iustus? Quid dicis ad ista? potest ne quis esse, & iustus & peccator? cum iustitia & peccatum sint duo maxima contraria? Qui enim iustus est, peccator non est; & qui peccator est, iustus non est. Quomodo ergo cadit iustus septies in die & resurgit? Sed vocabulum iusti non amittit, qui semper per pœnitentiam resurgit. Noli ergo iudicare opera Domini, quare permittat electos plerumque cadere; quia potens est nos ab omni peccato conseruare, si vellet. Sed quia liberum arbitrium dedit nobis, illo nos viuere permittit. Sicut scriptum est.

Psal. 80. *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum ibunt in adinuentionibus suis.* Cum autē hæc dicerent turbæ. Iesus rursum fremens in semetipso venit ad monumentum: quia dum pœnitenti animæ insultant dæmones, dum humiliato homini opprobria inferunt homines, & pœnitens omnia sustinet patienter; venit Iesus ad monumentum, eius respiciendo humilitatem, vt resuscitet eum, & ad gratiæ suæ sinum recipiat: quia cor contritum & humiliatum Deus non despicit. Erat autem spelunca & lapis superpositus erat ei. Quæ est spelunca, in qua peccator iacet sepultus? nisi pudor confessionis, quo homo erubescit confiteri peccatum suum, & hunc reatum continet in conscientia, quasi in spelunca. Et quis est lapis superpositus nisi amor peccati & desiderium voluptatis, quæ non sinit homines insurgere à monumento malæ consuetudinis? Et accedens Iesus dixit, tollite lapidem, id est, auferte voluptatis amorē, vt resurgat, qui iacet in tumulo. Dicit ei Martha, soror eius, qui mortuus fuerat: Domine iam fætet, quatriduanus est enim Martha Syriace, dominatrix dicitur latine. Postquam ergo Dominus dixerit inspirando cogitationibus, vt reuoluant lapidem ab ostio monumenti (id est) vt depositō pudore atque timore & peccati amore confessionis remediū homo refugiat, respondet Martha, dominans voluntas huic inspirationi, dicens. Domine iā fætet: quatriduanus. n. est. sic respondet voluntas rationi. Quid frustra deciperis, non poteris consequi veniam, neq; emendare vitā: quoniam quatuor vinculis peccatorum teneris captiuus, id est, mala delectatione, qua tibi voluptas placet, peruerso consensu, & malo opere, atque consuetudine. de quibus te nemo poterit liberare. Dicunt etiam talia stulti homines, cum viderint se hominē conuertere à peccatis, atq; religionē aliquam intrare. Quid facis, ô miser totum tempus vitæ tuæ in peccatis duxisti, & iam vis Monachus fieri? Quatriduanus, id est, inueteratus es in peccatis, & nunc putas te fieri posse sanctum? Quæ te necessitas cogit ingredi religionem. an desperas & propterea quæris latibulum? Et dicit alter ad alterum. Iam fætet iste homo (id est) iam omni spurcitia & peccato plenus est, & adhuc putat se posse saluari. Fruſtra laborat. Sed Dominus sic diffidenti Marthæ respondit, Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei. sic fluctuanti ac trepidanti menti per inspirationem Dominus respondit. Quid desperas ô homo. Nonne ego sum qui iustifico impium? Nonne dixi tibi per Prophetam meum, *nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat.* Non- *Ezech. 33.*

te dixi tibi, & omnibus quos creaui. *In quacunque hora ingemuerit peccator pro iniustitia sua, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.* Quid ergo times, fac quod dico tibi, reuolue lapidem ab ostio monumenti, & vade, & ostende te sacerdotibus, confitendo peccata tua & miserebor tui, mundaboque te, & omnes iniquitates tuæ, sicut nix dealbabuntur. *Isa. 1.* Hac fiducia & exhortatione roborati, tulerunt lapidem. Et accedens Iesus clamauit voce magna, (quia in virtute verbi Dei remittuntur pœnitentibus peccata, quando sacerdotes ministri Christi prædicatione & doctrina Dei absoluunt à crimine confitentes.) clamauit voce magna, quia solus Deus potest dimittere peccata, Lazare veni foras, Vocat eum proprio nomine, quia nemo absoluitur à peccato, qui se non vult cognoscere peccatorem. Initium enim salutis est causam nosse languoris. Qui se enim peccatorem esse non credit, corripi non vult: contra quales scriptum est Ecclesiast. 7. *Noli esse iustus multum, neque plus sapias quam necesse est.* Ne obstupescas Lazare, id est, qui te cognoscis peccatorem, adiutus à Domino, sic enim interpretatum sonat, quia nemo potest seipsum plene cognoscere, nisi adiuuetur à Domino per illuminationem gratiæ suæ. Veni per compunctionem & sanctum desiderium ad me ad exercendas virtutes & bona opera, foras dimissis, & spretis omnibus sæculi huius voluptatibus, quæ te prius ad peccatum ducebant, Et cum Deus sic cœperit voluntatem peccatoris sua gratia præuenire, & homo compungi, seque in confessione accusare peccatorem, mundique delitias fugere, & seipsum mediante gratia diuina in bono proposito instituere, tunc statim euigilabit dormiens minister peccati: & fit seruus Iesu Christi. Vnde & sequitur. Et statim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes; quia quantumcunque quis fuerit compunctus à peccato, non absoluitur, nisi habeat voluntatem confitendi sacerdoti, si adsit facultas, quia *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* *Rom. 10.* Et dixit ei Iesus. Soluite eum & sinite abire. Hoc officium proprie est Apostolorum, & eorum, qui illis in ordine successerunt: quibus potestas soluendi tradita est ab ipso domino atque ligandi. Restat igitur contritus & humiliatus, atque confessus per ministerium sacerdotum, absoluatur à crimine, & vadat per contemplationem ad desideria superna, vt reuelata facie, quæ quondam sudario, id est, cupiditate terrena ligata videre mereatur Deum in maiestate sua facie ad faciem, sicuti est. Vides quam difficulter à mala consuetudine liberatur, qui perseuerans peccando conuerti differt: Hoc plenissime designant tres mortui, quos Dominus resuscitauit. Vnum in domo, alterum in porta ciuitatis, tertium in monumento. *Tres mortui à Christo excitati quid designẽt.* Quando enim per malæ suggestionis delectationem peccator consensum præbet, quasi mortuus in domo iacet. Quando vero per consensum ad operationem proceditur, quasi mortuus extra ciuitatem portatur. Cum vero peccatum in consuetudinem venerit, quatriduanus in sepulchro fœtet. Nos autem, fratres chariſſimi, aduocemus Saluatorem nostrum, vt veniat ad resuscitandum nos, & postquam surrexerimus per confessionem, quam compunctio amara comitatur, caueamus, ne iterum committamus, de quo commisso ante lugebamus; secundus enim infirmiorum casus periculosior. Vnde Dominus cuidam à se sanato dixisse scribitur. *Vade & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* *Ioan. 5.* Et sicut à peccati consuetudine difficile est quempiam posse discedere, ita non facile in bona consuetudine educatus ad malam potest declinare. Si enim in aqua bona obseruantia perseueramus, consuetudo facit naturæ iucundum, quod antea fuerat contrarium. Exempli gratia. Cum essemus adhuc in sæculo, durum omnino & importabile erat nobis ab esu carnium abstinere, media nocte ad vigilias surgere, vestitos dormire, & laneis vti camisiis videbatur, nunc autem postquã obseruantiam duximus, in vsum velut naturaliter obseruamus, quod antea metuebamus; adeo vt extra nostram istam consuetudinem, si quippiam fecerimus etiã, quod antea placuerat, contrariũ nobis videatur: sicut patet in mul-

in multis, qui in cellis suis dormientes in duris stratis suauissime quiescunt: cum autē in itinere molliora habuerint lectisternia, quiescere non valent. Et sic de cæteris in multis; Vt si consuetus aliquando non surgeret media nocte ad vigilias: per integrum diem sustineret molestias. Vsus enim artem commendat, quia sine vsu ars parum: & sine arte vsus nihil valet. Omnia enim per consuetudinem quantumlibet fuerint amara, dulciora fiunt. Studeamus ergo fratres in istis duodecim humilitatis gradibus proficiendo assuescere, & quod antea incepimus à timore, terminabitur in amorem. Vnde & sequitur. TEXTVS. *Non iam timore gehennæ, sed amore Christi, & consuetudine ipsa bona, & delectatione virtutum, quæ Dominus iam in operario suo mundo à vitiis & peccatis, spiritu sancto dignabitur demonstrare.* In via mandatorum Dei, à timore incipitur, vt ad charitatem per bonam consuetudinem veniatur. Timor namque Domini initium sapientiæ est. Multi enim timore pœnarum bona facere incipiunt, sed amore Christi perficiunt. Inchoant à timore, sed euntes de virtute in virtutem, ad perfectam Christi transeunt charitatem. Et quæ prius ignorantia nocente agere timebant, consuetudine iam docente, agere non formidant, copiam virtutum habere desiderant, & ideo bona agere satagunt, vt à vitiis celeriter valeant emundari. Beatus vir qui in lege Domini meditatur die ac nocte, quoniam frequens meditatio legis diuinæ à peccato cohibet mentem, accepto spiritus sancti dono, quod in bono opere perseuerantia meretur, in his quæ iusta & sancta sunt delectantur, & ea quæ diligunt sagaciter adimplere festinant, vt eius sacratum templum efficiantur, cui se ab initio conuersionis Monachi esse vouerunt. vt impleatur in eis illud, 2. Cor. 6. quod dicit Apostolus Paulus. *Vos estis templum Dei viui*, & spiritus sanctus habitat in vobis. Illo spiritu trahente, omnia huius mundi transcendunt, & ad culmen perfectæ charitatis Dei peruenire cōtendunt, quæ in regno Dei principatum obtinet, & sceptrum decoris, Ecce isti sunt duodecim gradus perfectionis: quibus ascensis anima quiescit in illo solo, sublimius nihil est, in cuius amore tanto fortius hæret, quanto in diligendo Deum diutius stetit. Mora enim boni alicuius in fruitione eius desideriū auget, & amorem, qui fruitur. Sed argueret aliquis contra hanc descriptionem istorum duodecim graduum humilitatis, quia enumerantur in ipsis quædam, quæ ad alias virtutes pertinent, sicut obedientia & patientia. Enumerantur etiam aliqua, quæ ad falsam opinionem pertinere videntur, quæ nulli virtuti possunt competere, scilicet quod aliquis pronuntiet se omnibus viliorem, quod ad omnia inutilem & indignum confiteatur & credat, ergo incōuenienter ponuntur inter gradus humilitatis. Amplius humilitas ab interioribus ad exteriora procedit, sicut & cæteræ virtutes. Inconuenienter ergo præmittuntur in præmissis gradibus illa quę pertinent ad exteriores actus his, quæ pertinent ad interiores. Amplius. Anselmus in libro de similitudinibus, ponit septem humilitatis gradus, quorum primus est, contemptibilem se esse cognoscere secundus de hoc dolere. Tertius hoc confiteri. Quartus hoc persuadere, vt scilicet hoc velit credi. Quintus vt patienter sustineat hoc dici. Sextus, vt patiatur contemptibiliter se tractari. Septimus, vt hoc amet. Ergo videntur præmissi gradus esse superflui. Ampl. Matth. 3. dicit glossa: Perfecta humilitas tres habet gradus. Primus est subdere se maiori, & non præferre se æquali, qui est sufficiens: Secundus est subdere se æquali, nec præferre minori: & hic dicitur abundans. Tertius gradus est, subesse minori, in quo est omnis iustitia. ergo præmissi gradus videntur esse superflui. Ampl. Augustinus dicit in libro de virginitate. *Mensura humilitatis cuique data est, ex mensura ipsius magnitudinis, cui est periculosa superbia: quæ amplius amplioribus insidiatur*, sed mensura magnitudinis humanæ non potest sub certo numero graduum determinari, ergo videtur, quod non possunt determinati gradus assignari. Respondeo, dicendum quod humilitas essentialiter in appetitu consistit. Secundum quod aliquis refrænat impetum animi sui, ne inordinate tendat in magna, sed regulam

S. Tho. 22 q. 161. art. 6.

Obiectiones cōtra gradus 12. humilitatis.

I.

II.

III.

Ansel. c. 10. & seq.

IV.

Glos. ordin.

V.

August. c. 31.

Responsio.

habet in cognitione, vt scilicet aliquis non existimet se supra id esse quod est, & vtriusque principium & radix, est reuerentia, quam quis habet ad Deum. Ex interiori autem dispositione humilitatis procedunt quædam exteriora signa, in verbis, & factis, & gestibus, quibus id quod interius latet manifestatur. Sicut & in cæteris virtutibus accidit. Nam ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei, sensatus, vt dicitur Ecclesiast. 19. Et ideo in prædictis gradibus ponitur aliquid, quod pertinet ad humilitatis radicem, scilicet, primus gradus: qui est, vt homo Deum timeat, & memor sit omnium quæ præcipit. Ponitur etiam aliquid pertinens ad appetitum, ne scilicet in propriam excellentiam inordinate tendat, quod quidem fit tripliciter. Vno modo, vt homo non sequatur proprium voluntatem, quod pertinet ad secundum gradum. Alio modo, vt regulet eam secundum Abbatis arbitrium, quod pertinet ad gradum tertium. Tertio modo, ab hoc non desistat propter dura & aspera quæ occurrunt, & hoc pertinet ad quartum gradum. Ponuntur etiam quædam pertinentia ad existimationem hominis recognoscentis suum defectum, & hoc tripliciter. Vno quidem modo per hoc, quod proprios defectus recognoscat & confiteatur, quod pertinet ad quintum gradum. Secundo, vt ex consideratione sui defectus aliquis insufficientem se existimet ad maiora, quod pertinet ad sextum gradum. Tertio, vt quantum ad hoc alios sibi præferat, quod pertinet ad septimum. Ponuntur etiam quædam, quę pertinent ad exteriora signa ipsius humilitatis, quorum vnum est in factis, vt scilicet homo non recedat in suis operibus à via communi, quod pertinet ad octauum gradum. Alia duo sunt in verbis, vt scilicet homo non præripiat tempus loquendi, quod pertinet ad nonum gradum, nec excedat modum in loquendo, quod pertinet ad vndecimum. Alia vero consistunt in exterioribus gestibus, puta in reprimendo extollentiam oculorum, quod pertinet ad duodecimum, & cohibendo exterius risum, & alia ineptæ lætitiæ signa, quod pertinet ad decimum humilitatis gradum. *Ad 1.* Ad primum igitur dicendum, quod aliquis absque falsitate potest se credere & pronuntiare omnibus viliorem secundum defectus occultos, quos in se recognoscit, & dona Dei, quæ in aliis latent. Vnde Augustinus dicit in libro de virginitate. *Existimate aliquos in occulto meliores, quibus estis in manifesto superiores.* *August. c. 52.* Similiter etiam absque falsitate potest aliquis confiteri & credere ad omnia se inutilem esse, & indignum per proprias vires, vt sufficientiam suam totam in Deum referat. Secundum illud 2. ad Corinthios 3. *Non quod sufficientes simus, aliquid cogitare à nobis, quasi ex nobis. Sed sufficientia nostra ex Deo est.* Non est autem inconueniens, quod ea quæ ad alias virtutes pertinent humilitati ascribantur, quia sicut vnum vitium oritur ex alio, ita naturali ordine actus vnius virtutis, procedit ex actu alterius. *Ad 2.* Ad secundum dicendum, quod homo ad humilitatem peruenit per duo. Primo quidem & principaliter per gratiæ donum, & quantum ad hoc interiora præcedunt exteriora. Aliud autem est humanum studium, per quod homo prius exteriora cohibet, & postmodum pertinet ad extirpandum interiorem radicem, & secundum hunc ordinem assignantur hic humilitatis gradus. *Ad 3.* Ad tertium dicendum, quod omnes gradus, quos Anselmus ponit, reducuntur ad opinionem, & manifestationem, & voluntatem propriæ abiectionis. Nam primus gradus pertinet ad cognitionem proprii defectus, sed quia vituperabile esset, si quis proprium defectum amaret, hoc per secundum gradum excluditur, sed ad manifestationem sui defectus pertinent tertius & quartus gradus, vt videlicet aliquis non simpliciter suum defectum annunciet, sed etiam persuadeat. Alii autem tres gradus pertinent ad appetitum, qui excellentiam exteriorem non quærit, sed exteriorem abiectionem vel æquanimiter patitur, siue in verbis, siue in factis. quia sicut Gregorius dicit in regi- *Gregor. l. 2. c. 24.* stro. *Non grande est his nos esse humiles, à quibus honoramur, quia & hoc seculares quilibet faciunt: sed illis maxime humiles esse debemus, à quibus aliquid patimur.* Et hoc pertinet ad quintum & sextum gradum, vel etiam desideranter exteriorem abiectionem amplc-

plectitur, quod pertinet ad septimum gradum. Et sic omnes isti gradus, quos ponit Anselmus, continentur sub sexto & septimo gradu sanctissimi Patris nostri Benedicti. Ad quartum dicendum, quod illi tres gradus, quos ponit glossa; accipiuntur non ex parte ipsius rei, id est, secundum naturam humilitatis, sed per comparationem ad gradus hominum, qui sunt vel maiores, vel minores, vel æquales. Ad quintum dicendum, quod etiam illa ratio procedit de gradibus humilitatis, non secundum ipsam naturam rei, secundum quam assignantur præmissi gradus, sed secundum diuersas hominum conditiones. Nunc autem, fratres charissimi, humiliemus nos sub potente manu Dei, quoniam Deus hominibus dat gratiam, & non pudeat nos etiam subesse hominibus propter Deum, cum Apostolus Petrus admoneat, dicens. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum.* Consideremus statum nostrum quales simus & quales esse deberemus; & si quid inuenimus in nobis corrigendum, emendemus, quoniam nunc tempus acceptabile est, & dies salutis. Gaudeamus in Domino, gratias agentes Deo semper, quod nos de mundi huius vanitatibus eripuit, & in sortem eorum vocauit, qui vere filii Dei vocantur. Si nos despicit mundus, si blasphemant homines, nihil curemus, sed dicamus cum Propheta. *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Nemo nostrum, charissimi fratres, vt quidam facere scient, de ingressu religionis doleat: neque de sæculo cogitet, quoniam ob causam hanc ira Dei prouocatur in filios diffidentiæ, qui missa manu in aratrum retrospiciunt, & se regno Dei indignos faciunt: Sed qui dormit, adiiciat vt resurgat. quoniam in religione quamuis nullus sine peccato viuere valeat, magna tamen prærogatiua ad iustitiam dona possidentur. Sicut enim dicit Bernardus. *In religione homo viuit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, quiescit securius, irroratur copiosius, purgatur citius, moritur sanctius, præmiatur glorioſius,* quæ omnia per ordinem declarata luculentissime patebunt.

Ad 4.

Ad 5.

2. Pet. 2.

Psal. 83.

Bernard. In religione homo viuit purius.

Primo enim homo in religione viuit purius, quam in sæculo, quia dum homines sæculares solliciti sunt, prudentia carnis & sapientia mundi, multiplices contrahunt impuritates: religiosi autem puritatem seruare proponunt, & ab omni occasione mali se abstinent. Cum puritate ingrediuntur, vt puriores fiant. Et si quid mali commiserint, non deficit disciplina correctionis. De talibus sine dubio Dominus dicit. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Dominus Deus & mundus contrarias habent beatitudines: quia Dominus dicit, *Beati pauperes.* sed mundus. Beati diuites. Christus. *Beati qui lugent.* mundus, Beati qui gaudent. Christus. *Beati qui esuriunt.* mundus, Beati qui comedunt & bibunt. Christus. *Beati pacifici.* mundus. Beati bellatores & strenui. Christus. *Beati qui persecutionem pro iustitia patiuntur.* mundus, Beati qui iniuriarum repellunt contumeliam, & vicem pro vice reddunt. Et vt breuiter omnia comprehendam, quos Christus benedicit, hos mundus miseros æstimat, & quos Christus miseros prædicat, hos mundus beatos affirmat. Sed religiosi, vt Christi mereantur benedictionem, mundi maledicta non timent, & benedictiones eius falsas contemnunt. Hi parui & humiles eligunt esse in mundo, vt magni mereamur fieri in cœlo. Vnde Dominus ait. *Nisi efficiamini sicut paruuli non intrabitis in regnum cœlorum, talium enim est regnum Dei.*

Matt. 5. *

Matt. 18.

Secundo cadit rarius, quoniam in sæculo mille occasiones peccati, in religione quasi omnes amputatę sunt. Non sunt ibi suspecta colloquia mulierum, cum nulla claustrum accedat; non ludi aut vanitates, quæ hominem ad peccandum prouocant, sed laus diuina ibi iugiter resonat, lectio sacra monachis ludum sanctum præbet, meditatio æternorum eius conuiuium præparat, & ad epulandum per vehemens desiderium inuitat. Omnis deniq; occasio peccati aut leuitatis procul pellitur, nec inter monachos esse permittitur. O quam facile est in sæculo peccare mortaliter per superbiam, auaritiam, luxuriam & similia vitia, vbi desistente diabolo homo trahitur à

Cadit rarius.

socio,

socio, & ad peccatum quasi ad prandium inuitatur, vt qui cæteris peccando extiterit audacior, æstimetur esse & melior. In religione autem frater inuitat fratrem ad opera virtutum, & si viderit aliquid, quod vitam possit maculare in alio, non palpat adulando, sed emendat corripiendo. *Resurgit velocius.* Tertio, resurgit velocius. Si enim aliquis in sæculo lapsus fuerit, amici carnales, adulatores quoque & ei similes releuant, quantumcunque possunt, peccatum excusando, vel dicendo, quod ipse non solus sit talis, vel quod peccatum non sit, aut minus quam æstimatur: habent enim excusationes suas in peccatis, vt minus ad resurgendum aduertat qui lapsus est. Insuper de anno ad annum multi sine confessione transeunt, & licet per integrum annum peccant, vix vnum diem in pœnitentia agunt. Et cum ad confessionem fuerit ventum, peccator suum excusat peccatum multiplici causa seu ratione. Primo nititur ostendere, quod non sit peccatum. Secundo, si potest proficere in primo, tunc nititur alleuiare peccatum: vt non est magnum peccatum, sed humanum & naturale. Tertio adducit exempla, Adam peccauit, Abraham, Moyses, Dauid, Petrus, Paulus, Zachæus, & multi alii, qui sancti sunt, non ergo mirum est, si & ego, qui fragilis homo sum, peccaui. In religione autem nemo palpatur, sed quicunque peccauerit, punitur, proclamatur ab omnibus, & magis arguuntur ibi leuissima peccata venialia, quam in sæculo mortalia. Et sic oportet enim qui vel modice peccauit, in publico satisfacere, in capitulo audire increpationes, recipere disciplinam, in refectorio per abstinentiam singularem cibi & potus agere pœnitentiam, se humiliare, ad pedes fratrum prosternere, & culpam suam coram omnibus dicere. Non recipitur ibi excusatio, vel alleuiatio peccati; Sed mox, vt peccatum publicatum fuerit, sine vlla contradictione iniungitur pœna, nec potest, quamdiu est in iudicio superioris vel minimum proferre sermonem is qui culpabilis est. Insuper & omni die ante celebrationem confitentur, suscipiunt pœnitentiam, & qui non sunt sacerdotes ad minus semel in omni hebdomada se in confessione expurgant, ieiunant, orant, cantant, ad vigilias omni media nocte surgunt, vestiti dormiunt, à cibis & potibus multum abstinent, nihil proprii possident, suam voluntatem facere non valent, sub potestate alterius sunt, & omnis vita eorum pœnitentialis est & dura; Nec inexpurgatus à peccato, si quod commiserit non quiescit, donec satisfecerit pro delicto. Hæc & his maiora faciunt, & tamen an amore vel odio digni sint, nescivnt. Sed plus timent qui semper pœnitent, quam qui semper enormiter peccant. Horum obseruantia secularibus videtur stultitia, quia mundus quod suum est diligit. quod vero Dei est odio habet & persequitur. Quarto, incedit cautius, quia sicut scriptum est. *Vexatio dabit intellectum auditui.* & qui pauet, cauet: Quia cum se quis videt puniri pro aliquo delicto, postea timebit iterare illud, sed cautius incedens, se à peccato cohibet: timens pœnam peccati. Sed in sæculo, vbi nullus punitur, nullus timet, & per consequens non cauet; quia dum parcitur delicto, audacia conceditur delinquenti. Quinto, quiescit securus, nam qui in mundo est, siue Imperator, siue Rex, siue mercator, siue coniugatus, siue Doctor, siue plebanus, vel cuiuscunque dignitatis, aut eminentiæ propter insidias & pericula, aut occupationes seculares, aut dominia temporalia, non quiescit securus, sed cum anxietate spiritus semper viuit, & versatur timens fraudes humanas, vel sustinens vexationes familiares. Religiosus autem non sic, quia non fatigant eum curæ sæculares, neque possessiones temporales, quoniam abdicauit hæc omnia, nec solicitus est de crastino, neque de vestimento cogitat, sed in regimine superioris sui omnino stat contentus, vt quidquid ille dederit, cum gratiarum susciplat actione. Non molestant eum vestimenta, aut querelæ vxoris, aut iurgia, quæ huiusmodi habere solent, neque filiorum gesta, nec familiæ incommoda, quietem habet, nemo tibi molestus est; transit de cella ad chorum, de choro ad refe-

Confessio quotidiana sacerdotum.

Incedit cautius. Isa. 28.

Quiescit securus.

refectorium, & iterum de refectorio ad chorum & ad cellam. Si vocatur ad laborem, laborat, quantum valet: non tamen pro monasterii vtilitate, sed magis pro sua recreatione. Dulcis sibi est panis, quem comedit & somnus quietus. Vnde scriptum est Ecclesiast. quinto. *Dulcis est somnus operanti siue parum, siue multum comedat.* Saturitas autem diuitis, non sinit eum dormire.

Irroratur copiosius. Sexto irroratur copiosius; *nam actus actiuorum sunt in patiente*; qui igitur vult recipere dona spiritus sancti, disponit se cum humilitate, charitate, reuerentia, obedientia, temperantia, & sic de singulis virtutibus, quæ ad spiritum sanctum hominem coaptant atque disponunt. *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Hinc per Isaiam dicit. *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum, ac trementem sermones meos?* Et hoc optime conuenit religiosis, qui per humilitatem se altius subdiderunt voluntati, per contemplationis studium sunt quieti, per obseruantiam regularem sunt timorati. Hinc scriptum est. *Beatus homo qui semper est pauidus: qui autem mentis est duræ corruet in malum.* Dominus autem Deus emittit fontes chrismatum spiritus sancti in conuallibus humilium animorum. Religiosi enim omni tempore per bona exercitia, & quotidianas confessiones, & humiles satisfactiones Dei gratiam merentur, per quam inuisibiliter & suauissimè irrorantur, & in Dei amore corroborantur, quod in sæculo degentibus multa præpediente causa difficile est.

Iac. 4.

Isa. vlt.

Prou. 18.

Purgatur citius. Septimo, purgatur citius. quidquid enim Monachus sub obedientia constitutus agit, quidquid boni cogitat, quidquid loquitur ad purgationem sibi cedit; quod siue comedat siue bibat, siue dormiat totum facit vt purgetur, vt melius & iucundius Deo seruiat, vt salutem consequatur; & ideo ieiunat, corpus suum castigat, & in seruitutem spiritui subiicit, vigiliis, humiliationibus, orationibus insistens cor suum dignum Deo dedicat templum. Sed hoc in sæculo nemo de facili potest propter multas causas, & peccati occasiones, raram confessionem, mollem vitam, & leuem pœnitentiam.

Octauo moritur sanctius, quia qui sancte vixit, non aliter quam sanctè mori sperat. Nulli dubium sit, quin religiosus diligens & verus obseruator regulæ suæ moritur sanctius, quam homo sæcularis, etiam qui aliquid esse videbatur. Sæcularis autem homo in extremis occupatur, diuersis curis propter vxorem, propter filios, amicos, affines, debitores, creditores, & varias mentis occupationes, quæ eum de istis transitoriis compellunt cogitare & disponere, cum ipse iam sit transiturus. *Moritur sanctius.*

Pauper autem Monachus ab illa occupatione absolutus est, quia nihil habet in hoc mundo, nec eum detinet aliqua cogitatio præsentium bonorum, sed toto mentis conatu ad illam cupitam anhelat requiem, quam sæpius in dulcedine contemplationis gustauit, & in scripturis legit: pro cuius desiderio omnia huius mundi contempsit, sed & seipsum alteri subiecit, vt valeat imitari eum ad regnum, qui factus est Deo obediens vsque ad mortem. O quam bonum est Monachum mori, quam pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius, mors vtique Monachorum electorum eius. Tunc nullus dolebit se fuisse Monachum, quando poterit Monachus mori. O quam multi sunt, qui in illa hora dicent. Vtinam, si monachus fuissem. vtinam si religiosus extitissem. vtinam si Episcopus aut Prælatus nunquam fuissem, vtinam si mundi huius vanitates despexissem, & pauperem pauper Christum per ingressum religionis secutus fuissem, expediret mihi, & morerer securius, nunc autem vndique sum anxiatus. Ecce monachus vis mori, & non vis monachus viuere, cum vita mortem commendet, non mors vitam. Qualis vis mori, talis viue. Delectabile quidem est viuere Episcopum. Sed ô quam terribile est mori Prælatum, ô, inquam, quam terribile & horrendum est mori curam animarum habentem, quoniam iudi-

iudicium duriſſimum fiet in his qui præſunt. Et ſi vnuſquiſque vix pro ſe valet reſpondere, quid miſer Epiſcopus, quid miſer prælatus & rector aliorum reſpondebit pro multis ſibi commiſſis? O quam horrendum eſt incidere in manus Dei! quia ſi iuſtus vix ſaluabitur, peccator vbi parebit? Qualis itaque vis inueniri in morte, talis eſto in vita: nec in eo ſtatu viuere præſumas, in quo mori non audes. Nono & vltimo præmiatur glorioſius. quia qui maiora facit pro Chriſto, glorioſius etiam remunerabitur à Chriſto. Vnde coniugatis, qui ſecundum Deum iuſte viuunt, datur fructus triceſimus, viduis autem ſexageſimus, virginibus autem & perfectis, quales ſunt veri religioſi, fructus dabitur centeſimus, qui numerus perfectionem deſignat. De iſtis enim dicit Dominus in Euangelio. *Amen dico vobis, quod vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Et ne putares de ſolis Apoſtolis dictum, adiungit. *Et omnis qui reliquerit domum, aut agros, &c. propter nomen meum centuplũ accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Hæc ſpes Monachorum ſanctorum eſt repoſita in cordibus eorum, quoniam fidelis eſt Dominus, qui promiſit coronam vere vigilãtibus. Eia igitur, milites Chriſtiani, qui omnibus relictis arma fortiſſima obedientiæ aſſumpſiſtis, & per anguſtam portam, quæ ducit ad vitam ire incepiſtis, fortes eſtote, nolite timere, nolite expaueſcere; confortetur cor veſtrum, & viriliter agite, ſitis viri robuſti, nulla aduerſa propoſitum veſtrum ſanctum frangant, nulla huius mundi blandimenta animum veſtrum diſſoluant, nulla pedes veſtros voluptas à bene cœpto itinere trahat, ſed currite vt comprehendatis, nolite deficere, quoniam qui perſeuerauerit vſque in finem, ſaluus erit. Proponite vobis tanquam ſpeculum lucidiſſimum vitam ſanctorum Patrum & Monachorum, Quorum geſta ſancta legitis, vitam imitemini, quoniam ob nihil aliud in ſcripta redacta naſcuntur, niſi vt legentium mentes ad virtutum exercitia inflamment. Sequamini humilitatem, patientiam, obedientiam & charitatem Sanctorum, vt filii Dei ſitis, & in numero eorum poſſitis apponi, quorum nunc vitam ſequamini; quoniam hi filii ſanctorum ſunt, qui exercent opera eorum. *9. dis. Non eſt facile.* Et ergo, qui manus veſtras miſiſtis ad fortia, fortes eſtote: gradus iſtos humilitatis toto conamine ſcãdere ſatagite, quatenus ad perfectã illam charitatẽ venire poſſitis, quæ foras mittit timorem, quæ pœnam non habet, ſed gaudium ipſum, qui vere charitas eſt, & gaudium ſanctorum, in quem angeli proſpicere deſiderant. Cuius præſentia gaudium, cuius carentia infernus eſt. Hunc amate, hunc diligite, huic omni virtute in iucunditate ſpiritus ſeruite, qui ſemetipſum pro nobis obtulit Deo patri in oblationem & odorem ſuauitatis, & vt nos faceret filios, ipſe ſeruus fieri non eſt dedignatus: qui promiſit ſe diligentibus vitam æternam, bona & gaudia inuiſibilia, quæ ne oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis eorum æſtimatio aſcendit, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui cum Deo patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat vnus Deus per cuncta ſecula ſeculorum, Amen.

(:o:)

Hebr. 10.

1. Pet. 4.

Præmiatur glorioſius.

Matt. 19

1. Ioan. 4.

F I N I S.

Secundus Liber Commentarii deeſt.

IOAN.

IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEIMENSIS SERMONVM, VEL EXHORTATIONVM AD MONACHOS LIBRI DVO.

Argumenta libri primi.

SERMO I. De militia spirituali monachorum.
II. De profectu militiæ spiritualis.
III. Quæ sit armatura militiæ spiritualis.
IV. De lectione & studio S. scripturarum.
V. De quotidiana renouatione sancti propositi.
VI. De amore quietis & solitudinis.
VII. De labore monachorum manuali.
VIII. Quod sine intermissione sit orandum.
IX. De custodia & origine cogitationum.
X. De quotidiano certamine tentationis.
XI. De fugiendo prauorum consortio.
XII. De monachis in viam directis.
XIII. De quotidiana peccatorum expiatione.
XIV. De vera pœnitentia monachorum.
XV. De abstinentia & ieiunio monachorum.
XVI. De quadragesimali ieiunio monachorum.
XVII. De somno & vigilia monachorum.
XVIII. De patientia & mansuetudine.
XIX. De vera humilitate monachorum.
XX. De obedientia vera monachorum.
XXI. De continentia, & vera castitate.
XXII. De fraterna caritate monachorum.
XXIII. De caritate hominis in Deum.
XXIV. De serenitate conscientiæ.
XXV. De continua præparatione ad mortem.

EPISTOLA.

IOANNES Trithemius vocatus Abbas Spauheimenſis, reuerendo patri & præceptori ſuo, domino Ioanni de Colenhauſen, Abbati monaſterii ſanctorum Marcellini & Petri martyrum in Selgenſtat, quondam vero Spanheimenſi, anteceſſori meo, reuerentiam & honorem.

Neſcio, præceptor mihi ſemper venerande, ſub quo ſydere infortunato, monaſterium iſtud Spanheimenſe conſtet extructum, quod Abbas in eo moritur rarus, ſed omnes pene tædio affecti, iam ferme ab annis ſeptuaginta, ſicut ex annalibus reperi, ſpontanea voluntate ceſſerunt. Tu etiam præcedentium exemplo, nos pauperes ante tempus quare deſerueris, non penitus ignoramus, qui noſtram & inopiam accuſamus merito, & rebellem quorundam temeritatem. Experior iam nunc, prô dolor, cauſam quæ tuum impulit animum, vt Spanheimenſem dimitteres Abbatiam, ſterilem penitus, & infructuoſam, in qua tredecim à reformatione præſediſti annis, non ſine animi ſolicitudine continua, & laboribus infinitis. Tranſeo quas pertuleris fratrum iniurias plurimorum, quæ quidem ſuper me quotidie omnia duplicantur. Librum Exhortationum mearum ad fratres, quem nuper inter furentes mundialium rerum occupationes lucubraui, vt paternitati tuæ tranſmitterem, præcepiſti: qui etſi tua ſit lectione indignus, nolui tamen obſiſtere iuſſioni parentis. Vnde precor manſuetudinem tuam, limam correctionis dignanter adhibeas, & ſi qua deſunt, adiicias, ſuperflua reſcindas, ineptaq; vel tradas ignibus, vel certe componas. Vale dulciſſime pater, memor noſtri. Ex Spanheim. ſexta die menſis Auguſti, Anno Chriſtianorum M. CCCC. LXXXVI.

SERMONES ET EXHORTATIONES AD MONACHOS IOANNIS TRITHEMII: QVORVM ſermonum duo ſunt libri: primus vocatur Homiliarum, ſecundus Sermonum.

LIBER PRIMVS HOMILIARVM.

De militia ſpirituali monachorum. HOMILIA I.

MILITIÆ Chriſtianæ conuenit fratres, & præcipue monachorum, variis mundi huius ſubiacere calamitatibus, & ſicut aurum in fornace, continuis exerceri atque probari tribulationibus. Monachorum eſt enim militiæ Chriſtianorum communem normulam altiore modo viuendi tranſcendere, & non ſolum præceptis Dominicis, ſed etiam conſiliis obedire. Monachorum eſt, diuitias, honores, & omnes præſentis mũdi voluptates, pro Dei amore penitus contemnere, & ſuperatis carnalibus deſideriis, ſoli Deo iugiter vacare. Monachus namque quaſi ſolitarius ab vnitate dicitur, qui etiã ipſo nominis ſui vocabulo ad contemptum ſeculi moneatur. Monachi proinde officium eſt ſecum in ſolitudine mundum & purificatum à vitiis conſiſtere, & Chriſtum ſuper omnia dulciter amare. Scopus. n. monachorum, ad quem regularis inſtitutio dirigitur, Chriſtus eſt, quẽ imitari quiſquis recuſat, nec monachus quidẽ, nec Chriſtianus eſt. Vnde fratres mei ſcire debemus, quoniã quiſquis Dominũ & Saluatorẽ noſtrum in vera patientia & humilitate non ſequitur, nihil ei ꝓdeſt ad ſalutem, ꝙ Chriſtianus vel monachus nuncupatur. Ipſe namq; eſt, qui in ſacro euangelio dicit: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.* Quæ autẽ ſit Dei voluntas, ſanctus Apoſtolus

Monachorum partes.

Monachi etymon.

Monachi ſcopus.

Matth. 7.

2.Thes.4. stolus aperuit dicens: *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Sed cum huius præceptæ nobis sanctificationis necessaria cõsummatio magnam requirat in omnibus tolerantiam malorum & humilitatem, quoniã nemo sanctus viribus suis: oportet nos fratres mei continuam vocationis nostræ penes nosmetipsos habere cõsiderationem: vt nunquã ocio torpentes pernicioſissimo, in agone militari ab hoste vincamur, qui tanq̃ leo rugiẽs circuit quærens incautũ & langueſcentẽ animo, quem deuoret pereuntem. Milites.n. ſumus Dei contra aduerſarium triplicem pugnantes, carnem videlicet, mundũ, & diabolũ, Anceps bellum & nimis durum certamen, illum pati hoſtem, quẽ natura dedit familiarẽ. Armemus nos igitur, fratres chariſſimi, ornamentis virtutũ: quoniã non facile ab aduerſario vincitur, qſquis bonorũ operum ſplendore decoratur. In primis muniamus nos fide cõſtantiſſima ſanctæ ac indiuiduæ Trinitatis: cuius deuota & ſyncera mẽtis & oris cõfeſſio, cunctas dæmonũ iniquas machinationes & fraudes procul eliminat, & maximũ hoſtem deuincẽs proſternit, ac penitus enecuat. Arripiamus deinde nobis feruentiſſimã Dei & proximi charitatẽ, q̃ dæmonib. ſuper omnia eſt formidabilis, maxime ſi in vera humilitate Chriſtiana fuerit radicata Nõ demus animæ noſtræ confidentiã quoniã *beatus* dicitur, *qui ſemper eſt pauidus: qui aũt mẽtis eſt duræ, corruet in malũ.* Ducẽ noſtrum ſequamur Chriſtũ, qui in euãgelio dixit: *Ego ſum via, veritas & vita, quia nemo venit ad patrẽ niſi per me.* Nũc ergo fratres attẽdite his q̃ in SS. ſcripturis de Saluatore noſtro leguntur, quoniã qui dicit ſe in Chriſto, hoc eſt via veritatis manere, ſtudeat ſicut ille ambulauit & ipſe ambulare. Oportuit aũt illum primũ pati opprobriũ crucis & ſic intrare in gloriã ſuam, quo moneremur & nos milites eius q̃uis indigni, quoniã oportet nos per multas tribulatiões intrare in regnũ Dei. Idcirco Dñs ipſe rex vniuerſorũ nos admonuit in euangelio dicens: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucẽ ſuam quotidie, & ſequatur me.* Ecce Chriſtus via nobis ad vitã æternã proponitur, qui cum eſſet Dominus cœleſtiũ & mundanorũ, pro nobis exinaniuit ſemetipſum, formã ſerui accipiens, in qua voluntarie non coactus infirma noſtra portauit, factus patri obediens vſq; ad mortẽ: mortẽ aũt crucis. Itaq; ſi Dominũ totius vniuerſitatis primũ oportuit pati, fieri certe nõ poteſt, q̃n & nos imitatores eius iniquos & viliſſimos peccatores oporteat multa pati, qui totum q̃ patimur, noſtro merito iuſte ſuſtinemus. Nemo.n. venit ad gloriã ſupernæ ciuitatis, niſi fuerit hic primum iuſtificatus à peccato. ſed cum multæ ſint tribulationes iuſtorum, nequaq̃ iuſtus eſſe poterit, qui aduerſa ſuſtinere p̃ iuſtitia in hoc mundo recuſauit. Imitemur ergo, fratres mei chariſſimi, in multa patientia & humilitate Dñm & Saluatorẽ noſtrum Ieſum Chriſtũ, qui homo factus pro nobis maxima volũtarie ſuſtinuit, & in hoc mundo nunq̃ ſine amaritudine perſecutionis fuit. Ab hora. n. ſacratiſſimæ natiuitatis ſuę vſq; ad exitũ ſpiritus ſui de corpore, ſemper in amaritudine p̃ſentis vitę pro nobis patientiſſimus extitit, & futurę paſſionis amaritudo præcognita nunq̃ ab eius præſcientia receſſit. Cum. n. Deus eſſet omuipotẽs, homo factus pro nobis, omnia nouit, omnia ſciuit, omnia p̃uidit, nec eum quicq̃ eorum quæ paſſurus erat latere potuit, qui vt pateretur in mundo paſſibilis factus, Deus, quod erat, impaſſibilis permãſit. Natus aũt de virgine Maria ſine virili commercio, vt legẽ conſumeret, octauo mox die circumciditur, & qui nullum habuit peccatum, pro noſtris reatibus vulneratur. A facie perſequentis noctu puer in Ægyptum ducitur, & qui Dñs erat omnium, pauper & egenus in medio gentiũ incognitus ſeptennio exulat. Denique cunctis vitæ ſuæ diebus in hoc mundo labores continuos patiẽtiſſime ſuſtinuit, & nulla vnq̃ ſubire aduerſa pro gloria patris recuſauit. Omnia nãq; dura & aſpera voluntarie iuſtus & innocens pro nobis indigniſſimis paſſus eſt, morte nos amariſſima crucis de interitu ꝑpetuæ damnationis redemit, & in proprio ſanguine nos patri miſericorditer recõciliauit. Chriſto igitur paſſo p̃ nobis in carne, ſicut princeps Apoſtolorum p̃monuit, eadẽ cogitatione fratres mei armemur, vt ea q̃ pro nobis ille ſuſtinuit, nos cõpatientes innocenti ad memoriã ſedulo reuocemus. Nã ſi compatimur, & conregnabimus glorioſe triumphanti. Ecce Chriſtus nos vocat, quo p̃ceſſit ad gloriã. arma dat quibus ipſe prius mundi principẽ ſuperauit, p̃ſcripſit formã, qua

Arma aduerſus hoſtes tõge validiſſima.
Fides.
Charitas.
Humilitas.
Timor.
Prou. 28.
Ioan. 14.
Dux. Chriſtus.
1.Ioan.2.
Luc. 24.
Act. 14.
Mar.8.
Phil.2.
Pſal.32.
Luc.2.
Matt.2.
1.Pet.4.
Rom.8.
2.Tim.2.

miles regem sequi debeat ad coronã. Ad cœli palatium Christ⁹ milites suos vocat, quos comitãtibus donis virtutũ pressurę deducũt, ꝑmiaq; victores susciꝑũt perpetuo regnaturos. Vnde militiã nostram fratres charissimi semper studiosissime ꝓsequẽtes, bellum vitiis & concupiscentiis iugiter indicamus: vt quemadmodũ caro militat aduersus spiritum, ita nos pugnemus assidue vigilates in oratione & ieiunio cõtra incentorẽ vitiorum. Quandiu enim viuimus in hoc mundo peregrinamur à Domino, & quasi athletæ certamus in stadio, necessariũ vitæ cursũ in agone cõtinuo peragẽtes. Pugnamus autẽ non viribus nostris, sed regis nostri miseratione suffulti, qui suis imitatoribus in sancto euangelio dixit: *Sine me nihil potestis facere.* Et ne pugnam militiæ nobis propositam vt impossibilem refugeremus alibi dixit: *In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.* Et vt sciremus Dominum Iesum seruulis suis in hoc mundo semper esse præsentem, ita nobis in apostolis pollicetur. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi.* Hac securitatis accepta pollicitatione, ô milites Christi, fratres mei charissimi, cur hęsitamus? quare nõ fortiter stam⁹ aduersũ omnes huius insolẽtias mũdi? Regem & ꝓtectorem nostrũ pugnantibus nobis semper habemus prȩsentem, & dimicare contra infirmum hostem, qui neminem superat nisi volentẽ, miseri formidamus? Accingite vos precor ad insuperabilem militiam Christi, quam estis duplici conditione ꝓfessi, altera quando in fõte sacri baptismatis abrenũciãtes satanæ, in verba christianæ institutionis iurastis: altera vero, quãdo hoc indumẽtum monasticæ religionis solẽniter induistis. Magna vos ꝓficiendi necessitas cõstringit, si professionem vestram debita cõsideratione pẽsetis, quoniã vt mandata seruare debeatis euangelica, ratio nominis christiani prȩcipit: & vt monasticæ institutionis præcepta custodiatis, votum quod emisistis voluntarie, requirit. Non vobis iam sufficit ad salutem, ea complere præcepta, quæ christianis in cõmuni proponuntur seruanda, nisi etiam diligentissime custodiatis instituta quæ promisistis monastica. *Vouete*, inquit scriptura, *& reddite.* Iterumq; alia scriptura dicit: *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere. Displicet enim ei infidelis & stulta promissio, multoque melius est non vouere, quam post votum ꝓmissa non reddere.* Et sanctus Augustinus quam sit necessariũ Deo reddere ꝓmissa nos admonet dicens: *Sunt quædam quæ etiam non vouentes Domino debemus; & sunt quædam, quæ nisi vouerimus, non debemus. Sed postquam ea Domino promittimus, necessario reddere constringimur.* At nunc fratres mei quid voueritis Domino Deo vestro, solerter quæso perpẽdite, & sub qua necessitate redditionis ꝓmissorũ sitis cõstituti, sedulo pẽsare. Vouistis enim Deo vestro, non homini, obedientiam & conuersionẽ morũ vestrorũ secundũ regulã sanctissimi legislatoris nostri Benedicti, & perpetuam in hac religione ordinis stabilitatẽ. Obedientiam vero, quam Deo promisistis, eius vicario homini debetis, quẽ vices Christi gerere in monasterio exregula quã profitemini didicistis. Conuersio autẽ morũ qualis debeat esse secũdũ regulã, in capite quarto, de instrumẽtis bonorũ operũ ꝑnotato, plane conspicitis, in quo totius perfectionis monasticæ summam paucis comprehensã inuenitis. Enimuero, quod faciẽdũ circa nouitios diuus pater noster prȩcepit, omnes audiuistis, & in vnoquoq; vestrũ factũ in exordio professionis suæ non ignoratis. Si enim dicit: *Suscipiendus autem, in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua, & conuersione morum suorum & obedientia, coram Deo & sanctis eius, vt si aliquando aliter fecerit, à Deo se damnandum sciat quem irridet.* Considerate nunc itaq; fratres, sub quãta sitis necessitate constituti obseruantiæ regularis: quoniam nisi opere cõpleueritis, q̃ in susceptione monachici habitus promisistis, nõ serui Dei, nõ amici, nõ monachi, sed irrisores coram omnipotenti Domino eritis iudicandi. Semper ergo memores estote eorum, q̃ vobis regula prȩcipit, secundũ quam instituere mores vestros promisistis, & laborate, sicut veri milites Iesu Christi, assidue in timore Domini vigilantes, quoniam, sicut dicit scriptura, *nisi vos cõstanter tenueritis in timore Domini, cito subuertetur domus vestra.* Attendite vocationẽ vestrã, quia non ad ocium, non ad huius mundi voluptates, neque ad carnis prosequendum desideria: sed potius ad laborẽ continuum, ad omnium deliciarũ abstinentiã, & iugem carnis macerationẽ sub imagine crucifixi, vt portetis in cordib⁹ vestris eius stig-

Adhortio ad militiã spiritualẽ Gala. 5. 2. Cor. 5.

Ioan. 15.

Mat. 28.

Monachis astrictis dederũt nomina imperatori. Christo.

Psal. 75. Eccles. 5.

Aug. epis. 45.

Cap. 58.

Monachi sed fragilẽ monachi sed irrisores.

Eccl. 27.

Luc. 9. stigmata, dominus vos vocauit. Misistis iã certe manus vestras ad aratrũ factæ agriculturæ cælestis, in qua vobis ptæcipitur continuo desudare labore, & non solum retro nunquam respicere: sed proficiendo semper de virtute in virtutẽ ad supremæ culmen perfectionis anhelare. Nihil enim aliud est Monachum viuere, quam hominũ declinare consortiũ, in solitudine soli Deo per amoris feruentissimi desideriũ actualiter placere. Hinc scriptura *Thren. 3.* dicit: *Bonum est viro cum portauerit iugũ Domini ab adolescentia sua, sedebit solitarius & tacebit, quia leuabit se supra se.* Vnde si vultis esse perfecti, vos qui perfectionem ex regulari instituto tenemini amare, à conuersatione quã Christus docuit incipite, & q̃ iã pro eius amore cõtẽnitis omnia, etiam vosmetipsos vincere, superare & contemnere humiliter non negligatis. *Seruo Christi Christus vnus sufficit.* Seruus autem Christi nihil habet preter Christum, nihil amat, nihil curat, nihil quærit nisi Christum, vt possit esse perfectus, & ei placere cuius militiã voluntarie est professus. Monachus autẽ qui aliquid habet p̃ter Christũ, nõ potest esse perfectus, quoniã verus amor nõ diuiditur, nec diuersis atq; contrariis mens veraciter vnitur. *Matt. 19.* Propterea Dominus dicit: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus, & veniens sequere me.* Vos quidem amantissimi fratres iam vt confido reliquistis mundũ & quicqd habuistis in mũdo, nec solũ res mundi omnes quas possedistis, & habere potuissetis: sed etiã desiderium omne deposuistis habendi, venistisque ad hoc diui præsulis Martini cœnobium, in quo rerum temporalium paupertas est magna, & hoc solum est nobis diuitiarum loco donatũ, auaritiæ causas non inuenire. *Pauperẽ beatum non inopia, sed patientia & contẽptus facit.* Verũ sicut pœna martyrem nõ facit, sed causa, sic inopia beatum non efficit pauperẽ, sed volũtaria p̃ Christi amore in ipsa paupertate patientia. *Matt. 5.* Non n. quoslibet Dominus in euangelio pauperes p̃dicauit beatos atq; regno donandos cœlorum: sed pauperes spiritu prænũciauit esse, vt nostis, dũtaxat beandos. Contẽptus nãq; diuitiarũ nõ sufficit ad salutem, nisi renunciator auri studeat etiam totis viribus per patientiam & humilitatem constãter imitari saluatorem. Facilius est enim contemnere mundum, quam spernere & abnegare semetipsum. Attamẽ quicunq; vult imitari filiũ Dei, & perfectionem consequi euangelicam, oportet non solũ mundi & rerum temporalium, sed sui quoq; ipsius fieri contemptorem. Dicit namq; saluator in sancto euangelio: *Luc. 14.* *Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Et ne putaremus hoc sufficere ad perfectionem: iterum de proprio contemptu protestatur apertius dicens: *Luc. 9.* *Si qs vult me sequi, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me. Qui .n. voluerit animam suam saluã facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, & euangelium, saluam faciet eam.* *Phil. 2.* Christus factus ẽst obediens patri vsque ad mortem, quem si, vt p̃misistis, imitari volueritis, necessariũ est, fratres, vt vosmetipsos vobis abnegetis. Monachus enim esse nõ poterit, qui suæ volũtati propriæ nõ in toto prius renunciauit. Vos qui corã Deo & sanctis eius omnibus promisistis secundũ regulam monasticam viuere, propriam volũtatem non licet vobis deinceps vsurpare, quoniã quod semel est Deo cõsecratum, in humanos vsus nõ est amplius reuocandum. Non n. vobismetipsis, sed Christo regi militatis vnde neq; velle, neq; nolle in potestate vestra retinetis. *Coloss. 3.* *Mortui namq; estis,* vt sacer Christophilus inquit, & *vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria*: cum quo si gaudere sine fine cupitis, oportet vt nunc in tempore hoc pro eius amore strenue militetis. Nemo enim coronabitur cum Christo, nisi qui legitime *2. Tim. 2.* certando perseuerauerit vsque in finem, cum non possit vincere, qui nescit perseuerare.

De profectu militiæ spiritualis.

HOMILIA II.

QVotiescunq;, fratres charissimi, ad memoriam illius recordatio momenti venerit, quando reclamantem & renitentem me vobis indignum constituistis abbatem, totiẽs amaritudine cordis mei totus in memetipso concutior, & lachrymas etiam inuitus & nolens fundere compellor. Noui enim quod meritis meis non sum vobis prælatus: si autem vestris id factum sit, nescio: concedat omnipotens Deus, vt demeritis non sit facta, vel meis, vestrisue hæc ipsa de me ordinatio. Cur ita voluistis fratres? iuue-

nem me indoctum & nequaquã idoneum ad militiã quã profitemur, erexistis in ducem, vt mihi docere simul & discere omnino iam sit necessarium, quando nec vitæ perfectio commendat doctrinam, nec ætatis consideratio necessariam pastori adhuc consequitur auctoritatem. In isto iam triennio satis experior quantis sum miseriis inuolutus, dũ omniũ vestrũ portare infirmitates solus ipse cõpellor, & à nemine infelix ego supportor. Quis me liberauerit de mundi huius vanitatibus, in quas reuocatus sum, q, vt omnem præsentis vitæ curã & solicitudinẽ subterfugerem, monasteriũ intraui? Quoniã quidẽ vero necesse est onus portare humeris meis impositũ, vos precor fratres, sedulo manus adiutrices mihi orationum vestrarum porrigite, quatenus in medio vestrũ, Domino largiente, ita cõuersari merear, quo spiritualis militiæ conditionẽ, quam regula nobis præcipit, non excedam. Eiusdem namque militiæ sumus professores, nec votum discernit officium, quo me pastorem cum ouibus professio solennis in exordio huius vitæ fecit obligatum. Vnde cum vobis loquor de spirituali militia, quam sumus Deo miserante professi: intentio est mea, quantum Dominus Iesus donare dignabitur, & meipsum de plumis ignauiæ ac tepiditatis ad feruorem sanctæ nouitatis excutere, & vos omnes pro viribus ad custodiam militaris ordinis prouocare, Sumus enim fragiles & infirmi, nec diu stabiles in sancto proposito consistimus, nisi quotidianis exercitiis feruorem spiritus continue renouemus. Mei namque ratione officii astringor vobis ea quæ ad salutem vestram vobis possunt conducere, in medium proponere: ad vos pertinet loquẽtem me vt pastorem animarum vestrarum patienter in omnibus audire. Quanuis enim ad docendum tantum multitudinem seniorũ iuuenis non sum idoneus, quia tamen me vobis constituistis pastorem, cõpellor sub necessitate salutis gregem pascere quem suscepi gubernãdum. Ego, quod meum est, libenter pro viribus & ago & agam, quandiu in hac sollicitudine curæ pastoralis vixero: senes vos iuuenis docebo, & quẽadmodũ illi militare debeatis, in cuius arma iurastis, sine intermissione demõstrabo. Nõ n. me fugit horrẽda legislatoris nostri cõminatio dicentis: *Sciat abbas culpæ pastoris incumbere, quicquid in ouibus pater familias vtilitatis minus potuerit inuenire.* Et vos fratres mei concernit quod sequitur, si me prædicante & monente Dei verbũ contemptus oriatur. *Tantum*, inquit, *iterum erit liber, vt si inquieto vel inobedienti gregi pastoris fuerit cura exhibita, p astor eorum in iudicio Domini absolutus, dicat cum propheta Domino: Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam & salutare tuum dixi, ipsi autem contemnentes spreuerunt me. Et nunc demum inobedientibus curæ suæ ouibus, pœna sit eis præualens ipsa mors.* Nullum hic velamen excusationis relinquitur, subterfugiendi locus non præstatur, sed periculum vtrarumque partium publice describitur. Ego namque locum tenens Abbatis, si non vobis annunciauero iustitiam Dei, si peccantes vos non emendauero secundum regulam, officium meum negaui: & mihi totum imputabitur, quod minus in vobis sanctitatis inuenitur. Meum est n. ratione pastoralis officii, quid vobis ad salutem animarum vestrarum expediat, dicere: vestrum vero est ea, quæ in nomine salualtoris ꝓnũciauero, humiliter ardire: & quãtũ vnusquisq; præualet, corde magno fideliter adimplere. Audistis periculũ meũ, si non clamauero. Audiuistis & vestrũ, si me vobis contempseritis verbum Dei prædicantẽ. Vt autẽ miseratione saluatoris omnes euadamus securi id studiose ꝓsequatur vnusquisq; nostrũ, quod sibi in hac militia spirituali præcipitur: summopere cauentes ne veritatis surdi auditores facti, Domino mentiamur. Voti sedulo recordemur q, emisim⁹: & ordinẽ sanctum quẽ ꝓfitemur, vsq; ad mortem inuiolabiliter cõseruemus. Audiamus regem nostrum suis in euangelio militibus dicentem. *Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi ego sum, illic & minister meus erit.* Ministri sumus regis æterni sacerdotes atque leuitæ, omnes monachi clausirales: dupliciq; ratione ad magnam obligati sanctitatem: q̃ppe qui ordinem simul suscepimus clericorum: & monasticæ puritatis regulã profitemur. Sequamur ergo præceptorẽ nostrũ, cui militamus, per iter asperitatis omniũ virtutũ: & armemus nos per fidem rectam; spem firmã: deniq; Dei ac proximi feruentissimã charitatem: in qua totius sanctitatis perfectio comprehenditur. Quisquis enim cha-

Pastoris & abbatis munus.

cap. 2. regule.

Psal. 39.

Ioan. 12.

Monachi sacris ordinibus inaugurati sanctitatem ampliorẽ debent.

Charitas quid efficiat.

charitatis munimine cingitur, nunq̃ ab aduersario supatur. In charitate nãq; veraciter Christi dulcescit militia: & eius feruor cum in corde militis ardere cœperit, nulla metuit aduersa. *Charitas* enim, vt D. Gregorius inquit, *nunq̃ est ociosa: sed magna operatur si vera est: q; si operari renuit, perfecta caritas nõ fuit.* Milites ergo claustrales, qui vos æterno regi perpetuo seruituros sponsõdistis, abiicite iã nunc opera tenebrarũ: & induite charitatẽ Dei & proximi, q̃ est armatura salutis omnium fortissima: qua si quis indutus fuerit, nullos labores quantumlibet duros, nulla huius mundi contraria formidabit. Nõ timebit famẽ: non sitim: non persecutiones hominum: non opprobria: non irrisiones: non carceres: non vincula: non quæcunq; dura & aduersa: sed omnis qui charitatem Dei perfecte semel gustauerit, inuictus cõtra quæcunq; mundi furentia permanebit. Dei verus amator in tribulationib⁹ gaudet, in aduersis lætatur: in p̃secutionibus propter iustitiã exultat. Regem sequitur suũ in cœlis residentẽ: ibi mente conuersatur & animi desiderio: vbi suũ regnare nõ dubitat saluatorẽ. Quicquid in mundo voluptatis & deliciarũ vspiã cernitur: seruo Christi in vera charitate feruescenti quasi vilissimũ stercus fœtorem & horrorẽ generat, quoniã nihil terrenũ, nihil transitoriũ, nihil caducum, sed illum cui se deouit solum tota mentis intentione amat. Verus etenim Christi miles nihil de rebus mundi cogitat, non carnem, sed mentẽ curat, vtpote qui scriptũ nõ ignorat. *Nemo militans Deo, implicat se negociis secularibus, vt illi placeat cui se probauit.* Enimuero quicunq; terreno militant imperatori, p̃ceptis eius in cunctis semper obediunt, & statim quo iusserit sine contradictione vadunt. Ducẽ sequimur omnes vnũ, & quicquid ille regis nomine p̃ceperit, nemo ex omni militia contradicit. Vos quoq; milites regis seculorũ, qui me vobis ducẽ eius vice ac præceptorẽ constituistis, mandatum imperatoris vestri Iesu Christi per os meum audite, & q; ille p̃cepit nobis in S. euangelio, facite. Audite quid iubeat, & quemadmodum militare vos oporteat in obseruantia disciplinæ regularis considerate. *Qui mihi ministrat,* inquit, *me sequatur?* Audi monache, claustralem portans militiam, attende. Dicit ad te Christus cui militas, te alloquitur cœlestis imperator, cui ad altare ministras. Si meus vis esse minister, virtutem patientiæ & humilitatis, quam ex me didicisti, oportet vt sequaris. *Exemplum enim dedi vobis, ô milites mei, vt quemadmodum ego feci, & vos similiter faciatis.* Charitas, ô monache, me cõpulit, vt ex virgine homo nascerer in mundo, ipsa te mei amore purum & humilẽ semper conseruet in claustro. Pater q; mihi præcepit opus humanæ salutis, tui causa studui semper indesinenti meditatione perficere: & tu si me diligis, sanctum monasticæ conuersationis p̃positum, quod assumpsisti, p̃ peccatis tuis vsq; ad mortẽ cura inuiolatũ cõseruare. Ego patri meo cœlesti semper in cunctis voluntarie vsq; ad mortẽ crucis amarissimã subiectus & obediens extiti, tu quoq; si venire ud me volueris, Abbati tuo loco mei cõstituto, in omnibus semp iuxta regulã humiliter obedi. Ego mandatum quod dedit mihi pater meus, nunquã in aliquo sum transgressus; & tu nisi tria monasticæ institutionis vota vsq; ad mortem inuiolata seruaueris, inter ministros meos & milites nequaquam es numerandus. Ego cũ essem diues, propter salutem tuam factus sum pauper & egenus: tu vero nisi amore mei contempseris & dimiseris omnia, meus non poteris esse discipulus. Inopiam, famem, sitim, æstum, frigus, & continuos in mũdo labores tui causa sustinui: in quibus nisi me secundum regulam tuam, pro viribus patienter ac voluntarie secutus fueris, meus certe nec minister, nec miles, nec monachus eris. In patientia enim tua possidebis animã tuam. Ego in hoc mundo nihil concupiui, nihil habui, nihil terrenum amaui, sed pauper, humilis & mãsuetus incedens, me paternæ voluntati perfectissime semper in omnibus susceptibilem iniuriarum & verberum subieci. Tu autem, ô monache claustralis, qui monasticam regulam profiteris sub Abbate vel Priore, si iam deinceps carnis tuæ concupiscentias fueris secutus, si peculium aut proprium in monasterio possederis, si præter me aliquid amaueris, si præceptoris tui mandata contempseris, si mihi non perseueranter in humilitate militaueris, sciens scito, quoniam non militem te habebo, non monachum, non ministrum, non discipulum computabo, sed profugum,

Aug. in Psal. 31.

2. Tim. 2.

Ioan. 12.

Ioan. 13.

Christum quomodo imitetur monach⁹, saluberrima admonitio.

Luc. 21.

apostatam, perfidum, mendacem, irrisorem & piurum infidelē te iudicans, cum traditore meo Iuda, & recidētibus angelis in æternum, sicut meruisti, sine misericordia condēnabo. Quod mihi vouerunt labia tua, non amplius est tuū, sed meū, si vero q̄ meū est tibi vsurpaueris, nō monachus & seruus meus vis esse fidelis, sed fur & latro peruersus, impius & iniustus, talē quoq; te cum venero, nihil dubites iudicabo. Si aūt in sancto ꝓpposito vsq; ad mortē fideliter ꝑseueraueris, si voluntatem q̄ mihi consecrasti solēniter, sub potestate vicarii mei, quē tibi constitui pastorem, inuiolatā custodieris, si obedientiā, paupertatem, & castitatē cum humilitate pro amore nominis mei vsq; in finē obseruaueris, si mihi soli cōplacere in omnib. actionibus tuis semper studueris, si me ꝑ arduum iter virtutū sine intermissione sequi curaueris, sciens indubitāter certissime scito, quoniāvt amicū ex seruo te factū chariſſimum, te habebo militem mecū in regno meo coronandū, te amabo, te diligam, te in medio sanctorū meorum in æternū constituā glorioſum. Audi me nunc serue meus, q̄ propter nominis mei reuerentiā & honorē te militiæ inscripsisti monachorū, & corde magno atq; perfecto sequere vestigia pedū meorum, sicut p̄ceptor ille tuus quondā Benedictus amicus meus te docuit, & totis conatibus imitatus fuit. Nō te decipiant illecebræ carnis, ô strenue miles: non seducant animū tuum mihi dicatū, vana & pernicioſa huius cōmercia mundi: nunq̄ cedas immundi spiritus nimium dolosis suggestionibus, qui totus in tui pernicie debacchatur, sed memēto tuū in hoc seculo breuissimū esse incolatū, & ante fores mortem astare, q̄ subterfugere nemo vnq̄ potuit mortaliū. Semper in memoria consistant tua illa q̄ necessario subibis nouissima, & ex velocissimo transitu earum voluptatū carnis quæ p̄terierunt: & futurarū pœnarū cogitatione, huius incolatus horrorē tibi necessarium assumito & contemptū. Quemadmodum pro me labor breuis in mundo habitus cū patientia & charitate, felicitatem militibus meis ætternam ꝑparat, ita carnis desideria & voluptates q̄ subito transeunt, animam hominis peccatoris ad inferos demergūt sine fine cruciandā. Ad me igitur sint omnia desideria monache, qui mihi ministras, & q̄ per arduū iter obseruātię regularis me sequeris, p̄be mihi cor tuū, si felicitatē desideras: me solum q̄rito, si vitā & salutem propriā ames. Me cum amaueris tranquillus & sanctus es, cū secutus fueris, beatus es, & sine fine glorioſus. Quid fratres mei feceritis, si vos contingeret hæc verba, q̄ diximus nos, ex ore saluatoris & regis nostri audire loquentis? Quid inq̄ ageretis? Credo certe magnā in cordibus vestris compunctionem futuram, si Christum personaliter audiretis loquentem. Nos aūt vicem Christi in monasterio gerentes, loq̄mur sermones, quos ille donauit, & nō attenditis: cōtestamur vobis necessariā salutis palæstram, & signa cōpunctionis nulla exhibetis. Quid causæ fuerit vt ista dicerē, si nescitis, iam precor intelligite. Video quosdā è vobis sacras abhorrere lectiones vanitatibus deditos, & nihil minus curare q̄ spiritualis militiæ perfectionē, quorū Deus venter est, & gloria in confusione. Exīstimatis ne viliſſimi homines, qui nihil spirituale sapitis, q̄ Christus iterū de cœlo venturus sit, vt ea vobis loquatur, q̄ prædicatoribus suis dicenda cōmisit? An Paulū non audiuistis dicentem, *Christus resurgens ex mortuis, iā non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quod.n. mortuus est peccato mortuo est semel, q̄ autē viuit, viuit Deo?* Semel Christus in terra visus est, semel inter mortales visibilis apparuit: semel viā salutis æternæ p̄dicauit, secundo nō adiiciet. Cōstituit pastores & vicarios super familiā suā, qui doceant ignorantes, quorū volēs manifestare auctoritatē, in euangelio dixit: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit me spernit.* Eos igitur audite, quos Christo vobis p̄fecit rectores, quibus tritici spiritualis dispensationē commisit, sicut in S. Euāgelio dixit, *Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suā, vt det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille seruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit ita facientem.* Exhortamur vos itaq; fratres in Domino Iesu, & qua possumus sedulitate rogamus, ne dies vestros in vanitate consumatis, sed cōsiderate huius vitæ nimiā breuitatem, & facite condignos pœnitentiæ fructus, dū vobis opportune cōceditur, ne si pœnitere neglexeritis, tēpus amputetur. Scitis. n. quid scriptura nobis dicat diuina. *Dies Domini sicut fur in nocte sic veniet.* Cauete

Increpatio ad inutiles monachos.

Rom. 6.

Luc. 10.

Luc. 12.

1. Thes. 5. 2. Pet. 3.

te precor differre bonũ, quia nemo scit vestrum, quãdo sit moriturus: quin potius verum illud poetæ lasciui Nasonis attendite ita monẽtis. *Sed propera, nec te venturas differ in horas, Qui non est hodie, cras minus aptus erit.* Nemo vitã sibi fratres promittat longæuã, sed vnusquisq; mortem cogitet potius instare vicinã, ideoq; sic viuat paratus, tanq̃ crastino die de corpore migraturus. Spes. n. vitæ longioris multos decepit, & a feruore S. propositi retardãs, subito ad inferos demersit. Militiã igitur vestram, q̃ nõ post multũ necessario finietur, ita pficite, vt non timeatis corã rege vestro cũ venerit apparere. Memores semper estote, quia nõ habetis hic manentẽ ciuitatem, neq; in hac vita mortali diu potestis consistere, sed mors cito veniet, quæ vos compellet emigrare. Quicunq;. n. verus est monachus, & miles Christi desiderat esse fidelis, omnia huius mundi oblectamenta contẽnit, p̃sentem sibi Dñm suum semper cogitat, & abiectis à se impedimentis sarcinulisq; omnibus, quemadmodũ illi valeat cõplacere super omnia curat. In conquirendis vitæ necessariis non debet esse sollicitus, cũ hęc omnia subiectis disponat p̃uidentia pastoris. Omnis cura monachi sit mũdum se custodire ab hoc seculo, vt liber & absolutus ab omnibus, nihil q̃rat nisi Deũ, nihil cogitet nisi Iesum pro nobis crucifixũ. O felix Christi miles, cui regna promittuntur cœlorum, si fidelis, prudẽs ac vigilans in Dei amore vsq; ad finẽ permãserit. Nihil certe bono monacho felicius: cui se Dei filius pollicetur in p̃miũ, nihil etiã laboriosius: q̃ constitutus in agone certaminis quotidie periclitatur de salute. & nihil monacho fortius, qui vincit mundum simul atq; diabolũ. nihil quoq; imbecillius eo qui à carne propria superatur. Semper igitur tibi ô monache contra occultũ hostẽ salutis tuæ vigilandum est: qui nunq̃ facilius vincitur, q̃ si procul ab introitu mẽtis arceatur. Vnde si contra eũ victor cupis euadere, nõ patiaris tibi machinas doli ac fraudis illius ꝑpius admoueri. Custodi sẽsus in primis tuos, ne mors p feneſtras ingrediatur, & hostis tunc maxime caueto insidias, cũ te ad tẽpus in tua deuotione permiserit esse securũ. Admonitionis nunq̃ obliuiscaris viri sapientis, qui dicit, *Si non in timore Domini tenueris te instanter: cito subuertetur domus tua*, id est conscientia. Idcirco Salomon in prouerbiis dixit: *Beatus homo qui semper est pauidus: qui vero mẽtis est duræ, corruet in malum.* Mox enim vt monachus de securitate præsumpserit, iã sine dubio ad interitum tendit. Oportet ergo militem Christi cõtra suos aduersarios semper esse paratum, vt q̃diu viuit in hoc mortali corpore, nõ se confidat illos pfecte superasse. Semper enim caro concupiscit aduersus spiritũ, & ne quãdo superetur animus, q̃diu contingit viuere necessariũ est pugnare. Quotienscunq; hostẽ tuum inuisibilẽ viceris, iterũ semper insurgens cũ maiore sæuitia tibi congreditur, vt q̃ fortitudine nõ potest obtinere victoriã, assiduitate saltẽ inducat desperationem. Tu aũt Christi miles fortissime caueto, ne in agone huius breuissimi certaminis deficias, caue ne ante completũ in fine p̃liũ, arma necessarii muniminis deponas. Dicit enim Saluator: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Non des requiẽ animæ tuę q̃diu tibi fuerit concessum in hac miserabili peregrinatione morari, sed sẽper aliquid boni facito, ne vnq̃ diabolus inueniat te ociosum. Memento semper admonitionis scripturæ dicentis: *Quodcunq; potest manus tua instanter operare: quia nec opus nec ratio nec sapientia nec scientia erũt apud inferos, quo tu properas.* Nemo est enim qui semper viuat: sed omnes morimur, & sicut aquæ delabimur, q̃ amplius ad priorem statum nõ reuertentur. Tunc nõ erit amplius tẽpus operãdi bonũ ad meritum fœlicitatis æternæ, sed q̃cunq; hic nunc in tẽpore seminauerit homo, tunc pro mercede recipiet. Idcirco iterum S. dicit scriptura: *Mane semina semen tuũ, & vespere ne cesset manus tua.* Et S. Paulus Timotheũ admonẽs dicit: *Labora sicut bonus miles Christi Iesu. Nemo aũt militans Deo implicat se negotiis secularibus, vt ei placeat, cui se probauit. Nã & eorũ qui certant in agone, nemo coronabitur nisi qui legitime certauerit. Omnis aũt qui in agone contẽdit: ab omnibus se abstinet.* In alio quoq; loco idem Christophilus ait: *Volo vos sine sollicitudine esse.* Tu ergo Christi miles, qui contendis in agone certaminis quotidiani, vt corã Deo tuo tandẽ in æternum appareas gloriosus, gymnosophistã imitare corruptibilem, qui decertans in agone, pro corruptibili quidem corona ne vincatur, ab omnibus se abstinet, vt nudus & liber expeditus currat. Itaq; si viam Dei ambu-

Ouid. 1. de rem. amo.

Monachus verus quis.

Monacho bono nihil felicius.

Miles Christianus semper sibi timeat.

Hier. 9.

Eccl. 27.

Prou. 28.

Matt. 10.

Eccl. 9.

2. Reg. 14

Gala 6.

Eccl. 11.

2. Tim. 2.

1. Cor. 9.

Pugilibus Christianis imitãdi ꝑ ala-strita carnales.

ambulare in vera puritate desideras, si vincere hostē in agone certaminis optas, proice abs te omnia vestimēta curarum terrestriū, capillosq; depone omnes carnaliū voluptatū. Quisquis enim capillis & vestimētis à se proiectis nudus currere didicit, nihil p̄ter absolutū corpus, quo teneriqueat ab aduersario, circumducit. Nā q nudus currit, omni se sollcitudine spoliauit rerū circumstrepētium, & nihil aliud quam victoriā cogitat, nec quid interim penes vxorem geratur aut filios curat. Non eū reuocat à cursu quicquam præsentium, non deterret agilitas sociorum, inter multos contendit quasi solus, ad præmiū festinat anhelās quasi certus. Hunc imitare Christi miles in spirituali certamine, nudus in cruce pendentē saluatorē nudum contēplare: quatenus tanto facilius aduersarium queas prosternere, quanto minus de mundi vanitatibus te viderit habere. Nudus itaq; euis & expeditus ex omni parte dimica, nudus & absolutus ab omnibus in cœlum vola. Nudus in hunc mundum venisti, nudus in terram reuersurus es. Hæc fratres mei sedulo cogitantes sic currite, vt vitam comprehendatis ęternam cum omnibus sanctis. Amen.

Quæ sit armatura militiæ spiritualis.

Homilia III.

SAnctum Apostolum, fratres charissimi, hodie audiuimus ad Ephesios in epistola scribentē. *Induite vos armaturā Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli, quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum: contra spiritalia neqtia in cœlestibus. Propterea accipite vos armaturam Dei, vt possitis resistere in die mala, & in omnibus perfecti stare.* Ephe. 6.

Quæ autem sit armatura Dei subiungit. *State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calciati pedes in præparationem Euangelii pacis. In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei: per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia & obsecratione pro omnibus sanctis.* 1. Thess. 5. Ad Thessalonicenses

Apostolus quoque similiter ait: *Nos autem qui Dei sumus, sobrii simus, induti loricam fidei & charitatis: & galeam spem salutis.* Hæc sunt arma fratres, quibus induti milites Christi sæuum debellant aduersarium. Hæc sunt Monachorum insignia virtutum: sine quibus victoriam nemo consequitur vitiorum. Militiæ humanæ, quam plerique nimis studiose sectantur mortales, instrumenta sunt, galea, scutum, thorax, gladius, pugio, lorica, baltheus, lancea, & cætera id genus multa, quibus curiosissime armātur ad bellū processuri homines: & nisi quā diligētissime in toto fuerint corpore muniti, ad prælīandū certe minus iudicātur idonei: Spiritualis autē militiæ nostræ arma sunt fides, spes, charitas, patiētia, humilitas, obedientia, castitas simul cū sanctis animę virtutibus per D. præceptorem nostrum Benedictum enumeratis in regula sub capite quarto, vbi de instrumētis bonotum operum pulchram facit mētionem. Et vtinam fratres mei tam essemus curiosi & diligentes pro his militiæ nostræ armis spiritualibus, quā homines mūdanos pro eorum corruptibili armatura videmus esse solicitos. Nunc autem, quod nimis dolenter dico, quoniam arma salutis quibus debellare omnes aduersarios nostros debueramus, turpiter abiicimus, qd restat aliud nisi vt hosti nostro in certamine succūbamus? Sed forsā dicetis! Si fides Christiana, sicut apostolus testatur, ad armaturā spiritualis militię pertinet, eam certe nūquā abiecimus. Credimus n. firmiter, quidqd nobis credēdū fācta mater ecclesia proposuit, & in ea fidei professione vsq; ad mortē constanter intendimus permanere. Sed esto. quid autē dicit sanctus Iacobus in epistola? *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides saluare eum? Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est: ita fides sine operibus mortua est.* Iaco. 2. Fides qua saluat.

Quotiescunque igitur de fide scriptura loquitur, non vulgaris & mortua, sed bonis operib⁹ formata, atq; diuini amoris dulcedine illustrata semper oportet intelligatur. Nemo n. saluabitur per fidē tantū, sicut Iacobus dicit in epistola, sed oportet fidēi coniungere Christianæ opera pietatis. Vos creditis in vnum Deum omnipotentem, creatorem cœli & terræ, patrē & filium & spiritū sanctū? Bene facitis. Et dęmo-

dæmones credũt & contremiſcunt. Quid enim? Vbi ſunt opera, per quæ fides veſtra declaretur in Chriſto formata? Otioſa & mortua eſt fides, quę ſanctis & neceſſariis non cõmendatur operib⁹. In Chriſtũ credimus, bene eſt, ſi Chriſti ſequamur exẽpla. Nã ſi Chriſtũ pietatis operibus nõ ſequimur, fruſtra nobis de ſola fide blandimur. Vos, inquiam, creditis, & dæmones credũt. Cũ dilectione fides eſt chriſtiani, ſine dilectione fides diaboli. Recte creditis, ſi Deum ex toto corde pro viribus amatis. Si autẽ vere Deũ nõ diligitis, fidem otioſam & mortuam habetis: *Probatio autem dilectionis*, ſancto Gregorio teſtante, *exhibitio eſt operis.* Sic enim loqtur in euangelio Dominus: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.* Hæc ergõ eſt fides vera, bonis & ſanctis operibus ſecundum Chriſti doctrinã ordinata. Si fide ſimul & opere in Dominũ Ieſũ creditis, certe ſcutum ſalutis in manibus tenetis, in quo cunctos aduerſarios ipſo largiẽte Domino facile ſuperabitis. De hac armarura ſcriptũ eſt. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſionem.* Ioannes quoque ait: *Omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum: & hæc victoria quæ vincit mundũ, fides noſtra.* Et princeps apoſtolorum Petrus ita nos commonet dicens: *Fratres ſobrii eſtote & vigilate, quoniam aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide.* Vera fides & confidentia in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum eſt armatura inuincibilis atque fortiſſima: cui nemo vnquã aduerſariorũ potuit reſiſtere, ſicut in libro Paralipomenõ ſcribitur: *Dixit rex Ioſaphat exercitui ſuo: Credite in Domino Deo veſtro, & ſecuri eritis.* In Eccleſiaſtico etiã ſic legimus: *Qui timetis dominũ, credite illi, & nõ euacuabitur merces veſtra.* Et iterum: *In opere tuo crede ex fide animæ tuæ, hæc eſt enim conuerſatio mandatorum. Qui credit Deo, attendit mandatis: & qui confidit in illo, non minoratus erit.* Curate nuncigitur fratres chariſſimi & ſummo ſtudio ſemper elaborate vt ſcutũ hoc fidei ſanctis operib. formatæ cõtra omnes hoſtiũ veſtrorũ incurſus manibus portetis: quia nunquam ab aduerſatio vincitur, qui hoc ſcuto inexpugnabili munitur. Hoc diuus cõfirmans Auguſtinus de verbis Domini ait: *Nullæ maiores diuitiæ, nulli theſauri, nulli honores, nulla huius mũdi maior eſt ſubſtantia, quam eſt fides catholica, quæ peccatores homines ſaluat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles iuſtificat, pœnitentes reparat, iuſtos augmentat, martyres coronat, virgines & viduas & coniugales caſto pudore conſeruat, clericos ordinat, ſacerdotes cõſecrat, credẽtes in hæreditate æterna cũ ſanctis angelis locat.*

Greg. hõ. 30. in Euang.

Ioan. 14.

Hebr. 12.

1. Ioan. 5.

1. Pet. 5.

2. Par. 20

Eccleſ. 2.

Fidei præſtantia. Aug. ſer. 181. de temp.

Sicut in radice arboris nulla prius apparet pulchritudinis ſpecies, & cũ quicquid eſt in arbore pulchritudinis vel decoris, ex illa procedit: ſic ex fidei humilitate qcquid meriti, qcquid beatitudinis anima ſuſceptura eſt, totum ex fidei fũdamento procedit. Nã ſicut apoſtolus dicit: Quicquid ſiue *omne q̃ non eſt ex fide, peccatum eſt, quoniã ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Credere n. oportet accedentẽ ad Deũ, qa eſt, & inquirẽtibus ſe remunerator ſit.* Quãdo autẽ quiſq; plus diligit, tãto in fide amplius proficit. Nã fides ſine charitate eſt ſicut proiectũ inutile, ac ſine retinaculo ſcutũ. O theſaurus omnibus opulẽtior fides, quæ formata in mente hominis mortalẽ immortalibus cõparas, demones vincis, & regna cũctaq; dura ſuperas fortiter & aduerſa. Fides eſt fundamentũ omnium virtutum, ſine qua nullũ ſpirituale ſubſiſtit ædificium. Fides illuminatrix eſt mentiũ, & principale ſpiritualis militiæ inſtrumentũ. Nam ſine fidei ſcuto diabolus nõ vincitur, nec laſciuæ carnis impetus ſuperatur. Cogitemus ergo fratres q̃ neceſſaria ſit nobis fides per charitatẽ formata ad ſalutẽ, ſine qua in hac militia certantibus neq; victoria conceditur, neq; confidẽtia reſeruatur. Fides. n. eſt ſcutũ, in quo facillime hoſtẽ ſalutis noſtræ vincimus, ſi anſam diuini amoris adiungamus. Dicit namq; B. papa Gregorius. *Tunc. n. veraciter fideles ſumus, ſi q̃ verbis promittimus, operibus adimplemus.* In hac armatura fides cũ ſit fundamentũ omnium bonorũ operũ, cunctas operationes noſtras iure debent p̃cedere, vt mens ad amorẽ valeat peruenire, Niſi. n. fides prius teneatur, nullatenus ad ſpiritualẽ amorẽ pertingitur. Non n. charitas fidẽ, ſed fides p̃cedit charitatẽ, quia nemo poteſt diligere vel ſperare, q̃ bonũ renuit credere. Quoniamvero iã quod etiã iubet fideliter creditis, fundamentũ ſpiritualis ædificii ſuper firmã petram collocaſtis: nunc oportet vt etiam reliqua ad perfectionẽ reſtãtia ſine mora faciatis. Pacem igitur & veritatẽ diligite, quatenus in fide Chriſti vt veri milites poſſi-

Rom. 14.

Hebr. 11.

Greg. hõ. 29. in Euang.

3. Eſd. 3.

possitis omni tẽpore stabiles & firmissimi permanere. Nã sicut scriptura. testatur, *veritas magna est, & fortior p omnibus, nec est cũ ea quicquam iniquum.* Qui veritatem diligit, verus Christi discipulus est, ipsumq; amat Christum in euangelio dicentem. *Ego sum via, veritas & vita, Vniuersæ quoque viæ Domini misericordia & veritas:* à qua satanas per superbiam cecidit, quoniã in veritate sempiterna non permansit. Iubet ergo sãctus Christophilus Paulus milites Domini in veritate se præcingere: in quo statũ perfectionis, ad quem anhelare maxime debent claustrales, voluit demõstrare. Quidnã aliud est veritatẽ diligere, quam esse hominẽ id quod esse iubetur: & ita viuere ad normam iustitiæ, verum & solidũ, qualẽ naturæ per gratiã sancta, perfectio requrit? Hinc Firmianus Lactãtius inquit: *Qui veritati studet, abiiciat inimicas illi & anxias voluptates, quæ animum sibi vinciunt, & liberum esse non permittunt.* Semper autem præferat vera falsis, æterna breuibus, vtilia iucundis. Nihil aspectui gratum sit, nisi quod iuste, quod pie, quod religiose fieri possit: nihil auditui suaue, nisi quod animã reddit meliorem. Milites itaq; lũbos in veritate habẽt præcinctos, quando carnis illecebris & mundi vanitatibus pro Dei amore contẽptis, ita studẽt pro viribus cõuersari & viuere, quatenus summę veritati, quæ Deus est, valeant in omnibus cõplacere. Post hæc miles Christi loricã iustitiæ iubetur induere, sine qua nemo recte ac fructuose poterit Dño militare. Iustitia vero est seruare & distribuere vnicuiq; quod sibi secundũ legẽ vel naturã debetur. Et hæc est omniũ virtutum præclarissima, sine qua nulla potest esse pietas, nulla religio, nulla sanctitas, nullaq; bonorũ malorũve discretio. ipsa n. est lux & splẽdor magnus, ex quo totius boni cõsurgit inter mortales vis atq; dominatio. Iustitia mater innocẽtiæ, cõcordiæ nutrix, parẽs amicitię, pietatis genitrix, & seruatrix religionis. Iustitia, sicut testatur scriptura, perpetua est & immortalis: iniustitia aũt mortis est acquisitio. Quibus vero modis hanc iustitiæ loricam Christianus miles debeat induere, ipse saluator noster in sãcto euãgelio denunciat dicens: *Omnia quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis simtliter.* Itaque fratres mei hunc viuẽdi modum in monasterio seruate, vt vnusquisque commilitoni suo faciat in omnibus quẽadmodũ sibi ab aliis fieri secundũ rectũ rationis iudiciũ omni tempore desiderat. Hoc est enim primũ iustitiæ munus, ne cui quis noceat, deinde vt cõmunibus vtatur sine cuiusquam detrimento alterius: &, quod nostra vlterius requirit malitia, id faciat fratri quod ad salutẽ iusta ratione conducit vt propriũ. O quãta pace fruerẽtur mortales si hortamẽta sectarẽtur apostoli, qua onera portare alterius alter præcipitur. *Omnis*, inquit scriptura, *qui facit iustitiam, ex Deo natus est.* Hæc est lorica iustitiæ fratres, mãdata Dei custodire, proximũ suum diligere, & Deum super omnia feruẽtissime amare. Hoc est indumentũ militiæ nostræ fortissimum, Deo cultũ & pietatẽ, nobis sãctimoniam, & proximo fraternã exhibere charitatẽ. Omnes sub iustitiæ trophæo Christo militamus. siquis iniustus fuerit, nõ ad Christi militiã, sed potius ad demonũ se pertinere consortium ostendit. Iustitia namq; virtus est maxima, quę vnicuiq; q̃ suũ est distribuit: q̃ nisi diligẽtissime custodieris & monachi & militis vocabulũ amittis. Redde igitur Deo cultum & pietatem, superiori tuo siue rectori obedientiam, simul & reuerentiam, quarũ altera cordis, alteravero est operis. Neq; n. sufficit exterius obtẽperare maioribus, nisi ex intimo cordis affectu similiter de eis recte sentiam⁹. Hæc namq; vera iustitia monachorũ est fratres. qua vnusquisq; iuxta præscriptam legis normam sine offensione conuersatur, tribuens vnicuique suam propriam dignitatem, maiori suo reuerentiam, pari concordiã, minori disciplinam, Deo cultum & obedientiam, sibi sanctimoniã, inimico patientiã, pauperi misericordiam, omnibus fraternam in Domino charitatem. Ergo sacer Christophilus inquit: *Debitores sumus fratres non carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Recte igitur militat Deo, qui distribuir vnicuiq; quod suum est. Calceatos dehinc pedes habere iubemur in præparationem euangelii pacis, quatenus bonũ quod ipsi domino largiente cognouimus, etiã aliis hilariter communicemus. Lex. n. nostra fratres, secundũ quã domino militare iubemur, euangelium est Iesu Christi, ad q̃ omnes clausstralium regulæ & con-

Veritas inter arma Christiani.

Ioan. 14.

Psal. 24.

Veritas monachis necessaria.

Lactant. Veritas contraria vanitati.

Iustitia muniatur miles Christianus.

Et quæ ea sit.

Sap. 1.

Luc 6.

Galat. 6.

1. Ioan. 2.

Iustitia monachorum quæ.

Rom 8.

Euangelium fundamentũ est omniũ regularũ monasticarum.

& constitutiones ordinantur. Non enim propter cõstitutiones monasticas Euangeliũ, sed propter Euangeliũ statuta sunt facta monachorum. Christianus namq; saluari potest non monachus, sed monachus saluari non poterit, nisi fuerit Christianus. Pudeat quosdam nimis superstitiosos & fatuos claustrales, qui regulas & statuta sua pluris faciunt q̃ Euangelium Christi, qui traditiones hominum custodiunt vsq; ad carceres & vincula, Dei autem constitutiones & sanctæ vniuersalis Ecclesiæ nõ aduertunt. His verba saluatoris nostri recte conueniunt, Iudæis *κατὰ* Matthæũ dicentis, *Matt.15.* *Quare & vos transgredimini mandatũ Dei propter traditionem vestram?* Euangelica namq; doctrina, omnibus totius mundi constitutionib. longe est præferenda. Post Euangeliũ vero primum auctoritatis locum statuta obtinẽt Ecclesiæ vniuersalis: & nullæ monachorum cõstitutiones aut regulæ illis dignitate cõparantur. Curemus ad Euangelicam viuere puritatem, & erimus in monastica patrũ cõuersatione perfecti. Sint pedes nostri calceati semper in præparationem Euangelii pacis, vt mortificemus in nobis desideria carnis, & per amorem Dei & proximi pacem habeamus cũ omnib. Nam sine pace & cõcordia fraternitatis, nihil prodest maceratio carnis, sancto dicente Hieron. *Greg.3.p. past.c.23.* *Quisquis corpus affligit, sed cõcordiã deserit, Deum quidem laudat in tympano, sed non laudat in choro.* Hinc Salomon pacificum laudans virum dicit in prouerbiis. *Prou.16. & 20.* *Melior est buccella sicca cũ gaudio, quam domus plena victimis cũ iurgio.* Et iterum: *Honor*, inquit, *est homini qui separat se à contentionibus, omnes autem stulti miscentur contumeliis.* *Heb.12.* Sanctus etiam Christophilus amator pacis nos admonet dicẽs. *Pacem sequimini cũ omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deũ.* Vnde & Prophetа Zacharias. *Zach.8.* *Pacem & veritatem diligite, dicit dominus omnipotens.* Et saluator noster *Mar.9.* dicit in sancto Euãgelio secundum Marcum. *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos. Non est pax impiis*, dicit dominus. *Esa.57.* Is autem vere miles est Christi qui pacem habet cum Deo, cum proximo, & in semetipso. Cum Deo pacem habere homo dicitur, qui bona voluntate motus & conuersus ad ipsum per continuum amoris desiderium, contemptis transitoriis, mentis aciem ad superna dirigit, & omnia quæ dominus præcepit, diligẽtissime custodit. Nato enim in carne Dei filio, sancti Angeli domino gloriam cecinerunt, qui super omnia residet in excelsis, & pacem annunciauerunt hominibus bonæ voluntatis. *Luc.1.* Impii autem & iniusti homines hanc cum Deo pacem habere nequeunt, quoniam suas à domino voluntates auerterunt. Pacem vero habet cum proximo qui nulli facit iniuriam, qui læsus non reddit vindictam, sed malum vincens in bono, fraternam nunquam deserit charitatem. Si cõtra hunc talem proximorum quispiã iniuste murmurat, nõ ideo miles Christi deseruit pacem, quia forsitan alius instituit sine causa iusta iniustam murmurationem. Iustus homo, qui pacem cum Deo habet, nulli cupiens nocere proximorum, recte dicetur pacificus, etiamsi contra illum consurgat iniuste quicunq; perturbatus. Dicit enim vir iustus. *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cũ loquebar illis, impugnabant me gratis.* *Psal. 119.* Hinc sanctus Augustin. loquitur. *23.q.3.c. apud.* *Apud veros Dei cultores etiam ipsa bella pacata sunt, quæ non cupiditate aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, vt mali coerceantur, & boni subleuẽtur.* In semetipso pacem habet qui puritate ac sanctimonia illustratus, in conscientia sua viuit sine errore securus, quem synderesis non remordet anxia, nec iniusta cogitatio perturbat vel iniqua. Vnde rursus Augustin. *Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis.* *Augustin. serm. de verb. domini.* Hæc est quæ inimicitias & simultates tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida, nulli grauis, nulli molesta, nulli onerosa, nescit extolli, nescit inflari. Hanc qui accipit teneat, qui perdidit repetat, qui amisit exquirat: quoniam qui in eadem inuentus non fuerit, à patre abdicatur, à filio exhæredatur, & nihilominus à spiritu sancto alienus efficitur. Ad hæreditatem domini nunquam potest accedere, qui testamentum pacis noluit obseruare. Locus enim Dei in pacẽ est, diaboli autem mansio in ira & perturbatione. Omnis itaq; homo, qui hanc *Psal.75.* triplicem pacem in corde suo nõ habuerit, qui eam in ore non præstiterit, nec in operibus ostenderit, nec monachus est dicendus, nec Christianus. Hinc dicit in

Ecclesiæ sanctiones secundũ Euangelium proximæ sunt autoritatis.

Pax Euãgelica quæ & quomodo possideatur.

Pacis encomion.

Euangelio dominus, *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Si Dei vocãtur filii qui pacem faciunt, procul dubio satanæ sunt filii qui pacẽ cõfundũt. Vnde fratres mei charissimi habete inter vos pacem illam quam mundus dare non potest, quæ est pax Dei domini nostri Iesu Christi, de qua dixit Esaias Propheta. *Et erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentiũ, & securitas vsq; in sempiternũ.* Deus.n. pacis & dilectionis est dominus: vnde quicunq; pacem & fraternã dilectionem violat, quod verus Dei amator nõ sit, manifestat. Sit pax Christi vera in cordibus vestris, & nulla huius mundi aduersa formidabitis. Inter vos etiã sit pax vera non fucata, quoniam Christus pacem non ex ore, sed ex corde desiderat, & affectu potius quã labiis vult proximum salutari. Vnde si contristauerit quispiam ex vobis in aliquo fratrem suum, satisfaciat illi quã primum ante solis occasum, & cauete omnes ne sol occidat super iracundiã vestram, quoniam ira inueterata generat odium, & spoliat animã omni ornatu virtutum. Ergo monache, si peccaueris in fratrẽ tuum, mox age pœnitentiam corã eo, ac procidens ad genua veniã precare. *Et gladiũ*, inquit, *spiritus, quod est verbũ Dei*, per omnem orationẽ & obsecrationẽ in manibus Christi milites semper teneamus. Verbũ Dei quod in sanctis continetur scripturis, victoriosum est contra omnes dæmonum incursiones munimem, sicut saluatoris nostri monemur exemplo, qui tentatus à diabolo, trãquilla mansuetudine in faciem eius scripturarum diuinarum testimonia iaculauit dicens. *Scriptũ est, non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo q̃ procedit ab ore Dei.* Et tu monache Christo militans, quotiescunq; tentaris à diabolo, fronti mox imprimito signum sanctæ crucis, & dicito cũ sancto Ioanne Chrysostomo in homilia quadam. *Abrenuncio tibi satana cum omnibus iniquitatibus tuis, & coniungo me tibi Iesu Christe fili Dei viui*, quia scriptum est. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Hic est gladius spiritus ab vtraq; parte acutissimus, quem si manib. in hostem mox à principio tentationis semper vibraueris, cunctas eius machinationes & insidias Deo protegente facile superabis. Dicit.n. scriptura: *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Itaq; mane de strato cõsurgens eam mox facito quam dixi contra salutis tuæ aduersarium contestationem: & neq; diabolus neq; homo peruersus tibi nocere poterit incantatione aut maleficio, siue spaticum sit illud, siue aliud. Hoc ipsum dormiturus ad noctem facito, & quotiens aliquam in cogitatione maligni spiritus perceperis insurgere tentationem. Sicq; tutus eris in omnibus viis tuis, fugietq; procul à te diabolus, nec tibi audebit accedere propius, nisi tua te ignauia supplantauerit in primis, vt vel abieceris gladium, vel mortale aliquod cõmiseris peccatum. Ait namq; scriptura: *Qui faciunt iniquitatem & peccatũ, hostes sunt animæ suæ.* Salomon quoque dicit in Prouerbiis. *Iniquitates suæ capiunt impiũ: & funibus peccatorum suorum constringitur. Ipse morietur, quia non habuit disciplinã: & in multitudine stultitiæ suæ decipietur.* Idcirco fratres charissimi si habitare sub protectione omnipotentis Dei secure volueritis, peccatum fugite: quia peccatũ nos à domini auxilio diuidit: quemadmodũ conscientiæ puritas & munditia Deo nos cõiungit, dicente Esaia Propheta, *Ecce non est abbreuiata manus domini vt saluare nequeat, neq; aggrauata est auris eius vt nõ exaudiat, sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret.* Hieremias quoq; ait. *Iniquitates nostræ declinauerũt hæc, & peccata nostra prohibuerunt bonum à nobis.* Omnis.n. qui mortaliter peccat, ianuam cordis sui diabolo aperit, Deo claditq; nec potest in adiutorium altissimi confidere, quamdiu sine pœnitentia in scelere permanserit iacere.

Esa.32. 1.Cor.14. 2.Cor.13. 1.Thes.5. 1.Thes.3. Eph.4. Verbum Dei gladius spiritus. Matt.4. Chrysost. hom.21. ad pop. Ezec.18. Iac.4. Tob.12. Pro.5. Esa.59. Peccatũ auertit à nobis auxiliũ Dei. Hiere.1.

De lectione & studio diuinarum scripturarum.

Homilia IIII.

CVm omnis scriptura diuinitus inspirata, vt sacer Christophilus, inquit, vtilis sit ad docendum, vel ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus: libenter debemus lectioni diuinarum scripturarum insistere, & omne studium literaturæ secularis, in quo aliquando desudauimus, ad huius speculationis aciem ordinare.

2.Tim.3.

In scripturis nãq; diuinis quicquid salutaris

Adhortatio ad studium lectionē sacrarū literarum.

taris requirit scientia, copiosissime reperitur expressum, vt quod ibi non inueneris, minime ad salutem sit necessarium. Maiestas etenim diuinarum scripturarū omnem totius mundi scientiam atq; doctrinam longe procul transcendit, quam spiritus sanctus hominibus Dei, vt scriberetur, infudit, & vt intelligatur à studiosis lectoribus, illustrationis suæ gratiā impendit. Hanc fratres mei scripturam sedulo cū puritate mentis & feruore geminæ charitatis reuoluite; quoniā quisquis Deum veraciter diligit, omne tempus quod inuenire potest ad ocium, in sacris lectionibus consumit. Sint vobis incitamenta precor ad salubre studiū scripturarum, furiosa, vt ita dixerim, gesta amatorum carnalium, qui literas & eulogia suarum accipientes amatricum, legere non cessant, sæpiusq; & relegunt & osculantur: & quod maioris est indicium amoris, vel ad collum suspendunt, vel ad pectus, quatenus nunquam à mente recedat eius quam cupiunt dilectæ memoria. Considerate fratres carnalium in amore dementiam, & vestram circa Dei amorem erubescite tepiditatem. Quis vestrum circa scripturas Dei sanctas tanto cordis amore afficitur, quanto cæcus amator circa literas amatorias spureas & vanissimas vnius meretriculæ insaniens præ dilectione inflamatur? Ille propter absentis, quam cupit, amorem literas & munuscula crebis osculis prosequitur, apices singulos præ nimio amore cōsiderando iteratis vicibus, rimatur in omnib. quæ agit, semper absentē cogitat, ad eius venire conspectum anxius festinat. O si nos qui monachi dicimur Christiani, qui regi supremo & immortali Christo Iesu militamus, qui Deum nostrum super oīa iubemur diligere, & nihil in hoc mundo præter ipsum præcipimur amare, si, inquam, tanto creatorem nostrum prosequeremur amore, quāto suas amicas corruptibiles & mortales, obseruant & diligunt homines carnaliter sapientes. Deū nobis scriptura sancta quotidie lecta insinuat, eius voluntatē nobis manifestat, q̄d facere debeamus nos instruit: & quid cauere, pandit. Per ipsam omnipotens nobiscum loquitur, & inuisibili nos magisterio informans cōsolatur, sancto dicente apostolo. *Quæcunq; enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Vnde verus Christi miles & præcipue claustralis, qui Deum in toto corde suo diligit, eique soli placere concupiscit, scripturas diuinas & maxime sanctum Euangelium affectuose amplectitur, & in eius lectione meditando assidue occupatur. Quicunq; autem diuinarum scripturarū lectiones negligit, quod verus Dei amator non sit, manifeste ostendit. Sed quid ait ipsa scriptura? *Qui auertit aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Beati vero qui scrutantur testimonia domini, in toto corde exquirunt eum.* Vos itaque, fratres mei, si Dominum Iesum in toto corde vestro veraciter diligitis, si complacere illi super omnia, vt veri milites, desideratis, si deniq; ad perfectionē vitæ monasticæ cupitis proficere, in lectione diuinarum scripturarum debetis vos semper cum affectione feruida occupare. Quam sit vtilis lectio scripturarū, B. Hieronym. insinuat dicens. *Ama scientiam scripturarum & carnis vitia non amabis.* Nihil enim post Deū in hac vita suauius sumitur, nihil dulcius sentitur, nihil mētem ab amore huius mundi validius separat, nihil cōtra omnes aduersariorum tentationes militem Christi adeo cōfortat, nihil monachum ad omne opus bonum in tantum disponit & confirmat, quemadmodum lectio frequens & studium ardens scripturarum. Enimuero, si omnipotentis beneficia, quæ humano impendit generi, per totam late scripturam legendo, ad memoriam studiosa deuotione reducimus, materiam & occasionem præstabit nobis maximam, qua in Dei amore peramplius ardentes ꝓficiamus. Tota enim series diuinarum scripturarum quid cōtinet aliud, quam textū quendam bonorum ordinem, quæ Deus hominibus vel iam præstitit, vel etiam se daturum repromisit. Aut quid est quod nos ad tolerantiam malorum adeo corroborare queat & voluntarie reddere patientes, sicut si legamus in Euangelio passum innocenter pro nobis DEI filium, & post eum martyrum victorias sanctorum? Sacra namq; scriptura continet quæ nobis ad scientiam salutarē sunt necessaria, & monet nos quid in hac peregrinatione militantes vtiliter debeamus appetere, quid etiam declinare. Hinc diuus iterum dicit Hieronym. *Nostra diuitiæ*

Rom. 15.

Pro. 28.

Psa. 118.

Hiero. 4. ep. ad Rust.

sunt in lege Dei meditari die ac nocte. Præparemus igitur nobis fortitudinem, assumamus nobis perfectum robur, vt inter errorum tenebras & cõfusionem noctis scientiæ Christi lumen appareat, diesque & noctes lucem habeant protegentẽ, vt scriptura duce ad terram sanctam peruenire valeamus. Quidnam hac eruditione melius? quid suauius disciplina? Quid dulcius domino nostro Iesu Christo, qui vera est salus & dulcedo fidelium animarum? Sit autem nobis conuiuiũ Christus, sit lectio sacra cib. noster & potus. Quid n. potest esse vita monachi sacerdotis sine scientia scripturarum? Christum non visu, non auditu, non tactu, sed lectione scripturarum cognoscimus, & quanto plus legendo ad verã scientiam proficimus, tanto in scripturis sanctis amplius delectamur. Quid. n. dulcius, quam Dei scire voluntatem, & promissionũ precia non ignorare? Nam sicut Hierony. dicit, *Pinguissimus est ager diuini sermonis, qui oẽs in se habet delicias, & quicquid volueris, ex illo nascitur, sicut tradunt Iudæi, quod manna in deserto quando comedebatur, secundũ voluntatem & desideriũ in ore sapiebat comedẽtis.* Diuinas igitur scripturas fratres mei sæpius legite, per quas potestis voluntatem Dei plane cognoscere, & contra insidias diaboli fortissime vos armare. Nam si iuxta Apostolum Paulum, Christus Dei virtus est, & Dei sapientia; qui nescit scripturas, nescit Dei virtutem & sapientiã, & Christum quomodo sciet? Ignorantia. n. scripturarum, ignorantia est Christi: & qui nescit Christum, ad eius non pertinebit consortium, sancto dicente Christophilo, quoniam *siquis ignorat, certe & ignorabitur.* Quanto autẽ quis in studio diuinarũ scripturarũ magis assiduus fuerit, tanto ex earum lectione maiorẽ intelligentiã & dulcedinẽ capit. Vos autẽ maxime decet, fratres, diuinas scripturas quotidie legendo & discendo reuoluere, quibus & tẽpus copiosum ab occupationib. feriatum cõceditur, & locus raritate occurrẽtiũ satis cõueniens offertur. Idcirco vos hortor & moneo, si vestrã salutẽ diligitis, vt diuinas lectiones in manibus semper habeatis, quatenus omne tẽpus, q̃ vobis post orationis cultũ sine labore p̃mittitur, ad sacræ scripturæ studiũ expẽdatur. Nõ prętereat dies vlla, fratres mei, in qua monachus Christo militans non aliquid legat ex sacris voluminibus, quod eum in sancto proposito faciat meliorem. Quin potius diui Hieronymi sequatur consiliũ dicentis. *Sint scripturæ semper in manibus diuinæ, & iugiter mente voluantur; nec tibi sufficere putes mandata Dei memoriæ recõdere, nisi studeas illa ẽt operib. adimplere.* Duo. n. Deus à nobis fratres mei requirit. Primo enim vult nos scire sanctissimam voluntatem suam; secundo vt agnitam faciamus. Scire autem eius mandata non possumus, si diuinarum scripturarum sciẽtiam ignoremus. Neq; voluntatem Dei facit, qui eã ignorat; neq; scit qui non didicit. Discito igitur, quæ sit Dei volũtas beneplacens, vt facias: facito cognitam, vt amplius intelligas. Nemo enim Dei volũtatem melius intelligit, quam ille qui cognitam ex amore facit. Itaq; si doctissimus diuinarũ scripturarum paraphrastes cupis euadere, non à verbis sed à sanctis operibus scientiæ studiũ discas inchoare. Tunc enim sacræ lectionis vberem cõprehendes scientiam, si mundum custodieris cor tuum ab omni peccato, & feruens in Dei amore sanctam compunctus iugiter reuolueris scripturã. Scientia. n. diuinarum scripturarum altus est mons in quo cum domino Moyses loquitur, ad quẽ accedere vitiorum sordibus pollutus homo prohibetur. Sic namq; in Exo. legitur. *Cauete ne ascendatis in montẽ: nec tangatis fines illius. Omnis qui tetigerit montẽ, morte morietur. Siue iumentum fuerit siue homo, non viuet.* Homo siqdem montem tangit & moritur, quotiens qs literatura seculari turgidus, in simplicitate diuinarũ scripturarũ scãdalizatur. Bestia vero montẽ tangit, & lapidib⁹ obruitur, quotiẽs homo carnaliũ furore passionũ immersus, ad sacræ scripturæ studiũ non purgatus animo ꝓgreditur. Si ergo lectiones diuinarum scripturarũ salubriter vultis euoluere, si ad verã scientiã legendo puenire: omnẽ curate in primis & elationẽ superbię, & temeritatẽ perfidię deponere, ac deinde cubiculum cordis vestri ab omni imundicia carnaliũ voluptatũ expurgare. *Deus.* n. vt ait scriptura canonica, *superbis resistit, humilib. aũt dat gratiã.* Nemo superb⁹, elatus, arrogans, & temerarius, nemo carnalis animo, luxuriosus vel inquietus, ad studiũ sacrę scripturę habetur idoneus, sed humilis duntaxat, mitis, mansuetus, pudicus, castus corpore, & mẽte tranquillus.

Christus in scripturis sacris.

Hiero. in psa. 147.

Sap. 16.

1. Cor. 14.

Hiero. ep 14. ad celant.

Quibus pateant diuinæ scripturæ

Exod. 19.

Iac. 4.

Hinc

Prosper epigram. 26.

Hinc Prosper in Epigrãmate dicit. *Mandata Dei scrutari nisi quieta mens non potest. Vt ergo religiosum exerceatur studium, abiicienda sunt iurgia malignorum. Scrutari legem possunt vtcunq; quieti, si mundi à strepitu libera corda vacent. Vt mens ergo piis studiis intenta iuuetur, prælia diuinus carnea vincat amor. Nam templum Domini per sacra silentia crescit, & tacite struitur non ruitura domus.* Mundatis igitur animis, & corde in Dei amore cõpuncto, atque in vera contritione humiliato, ad studium scripturarum procedite, quia non illuminabit vos dominus nisi ab omni prius fecerit iniquitate purgatos. Namque, vt scriptura ipsa dicit, *peruersæ cogitationes separant à Deo, probata autem virtus corripit insipientes, quoniam in maliuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis: quia spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu.* Ideoque orandum nobis est cum sancto Dauid crebrius ad dominum. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Nemo enim sacras Dei scripturas vtiliter intelligit, qui se in toto corde suo ad dominũ per pœnitentiã nõ conuertit. Ideoq; si vultis diuina eloquia & recte & salubriter intelligere, sumo in primis curate studio, mundos vos ab omni pollutione peccati pro viribus custodire. Non vos precor seducat quorundam monachorũ væsana stultitia, qui suam ignorantiam trito conantur excusare prouerbio dicẽtes. Ad quid nobis scientia scripturarum, qui prædicationis nullum habemus officium? Viri sapientis amplectimur consilium: qui dicit in libro prouerbiorum. *Qui ambulat simpliciter: ambulat confidenter.* Sufficit nobis simpliciter viuere: quoniã *seruus sciens voluntatem domini sui & non faciens, vapulabit plagis multis: qui autem non cognouit & cõmisit digna plagis, vapulabit paucis.* O stulti & perditissimi petrones, qui scientiam salutarem contemnitis, & ignorantiam diuinarum scripturarum potius quã intelligentiam amatis: Nunquid affectata ignorantia paucioribus vos plagis reddet obnoxios? Aut propterea delinquẽtes eritis coram Deo innoxii, quia mandatorum Dei voluntariè estis ignari? Duplici pœna cruciandi eritis, altera quod scire viam mandatorum Dei contemnitis; altera quod sermones eius non custoditis. Non est quam allegatis simplicitas, sed duplex potius impietas. Nam si iuxta prophetam, *beati sunt qui scrutantur testimonia domini*, quis dubitet illos esse maledictos, qui nec Deum exquirũt, nec scripturas eius aduertunt, sed indurato magis animo contemnunt? Audite quid vobis Salomon dicat in prouerbiis. *Vbi non est scientia animæ non est bonum, & stultitia hominis supplantat gressus eius.* De vobis etiam, ô stultissimi tenebriones, illud intelligitur sancti Hieronymi, *quoniam ibi non est ignorantia iam excusabilis, vbi scitur quid sit illud quod ignoratur.* Magis autem cauendum vobis, ne cum illis tandem computemini, qui dixerunt Deo; *recede à nobis, viam scientiarum tuarum nolumus.* Verbum Salomonis male intelligitis, qui de ignorantia dictum simpliciter putatis. *Qui ambulat simpliciter*, sine aliqua deceptione proximi, *ambulat confidenter*, in custodiendo mandata Dei. *qui autem deprauat vias suas, non potest latere*, sed manifestus erit. Hinc rursus ait: *Labia iusti erudiũt plurimos: qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur.* Quid miserabilius sacerdote indocto, qui ẽt si prædicationis non habeat officium, ratione tamen suscepti ordinis ad scientiam obligatur scripturarum? Vult n. Deus, vt omnis homo sanctã eius voluntatem impleat; quã nemo facere sufficit qui ignorat. Primo itaq; iubet dominus, vt eius beneplacitũ discas, secũdo vt facias. Quomodo igitur legis ignorantiã putabitis excusabilem, per quã facti estis primæ voluntatis Dei transgressores? Quare putatis omnipotens Deus volumina hominibus suarum tradidit scripturarum? An vt legerentur ab eis, intelligerenturq;, vel vt non lectæ contemnerentur? Certe vt legerent eas mortalibus sunt datæ scripturæ mãdatorum Dei, postea vero vt opere cõplerentur. Vos autem qui Dei scripturas animo deliberato vultis ignorare: quomodo voluntatem eius, quam insinuant illæ, potestis facere? Aut quemadmodum legis factores esse poteritis, qui auditores antea non fuistis? Fieri namq; potest vt sciens voluntatem Dei, aut obseruet eam, aut negligat: sed fieri nõ potest vt eam ignorans impleat. Enimuero facilius aliquis non faciet bonũ quod nouit, quam impleat opere quod ignorat. Nemo autem facit bonum quod nescit. Dicit de ignoranti-

Sap. 1.

Psa. 50.

In monachos sacrarum literarũ studiũ reiicientes. Pro. 10. Luc. 12.

Psal. 118.

Pro. 1. 9.

Iob. 21.

Pro. 10.

Indoctus voluntatis diuinæ, inexcusabilis.

In quæst. vtriusque test. q. 4.

tantibus in quodam loco S. Augustinus, *Non omnis ignorans immunis est à culpa. Ille enim ignorans potest excusari à pœna, qui quod discere non inuenit. Illis autem ignosci non poterit, qui à quo discerent habentes, disciplinæ operam non dederunt.* Hinc & sanctus Leo Papa dicit. *Si in laicis videtur intolerabilis insciti a, quanto magis in his qui præsunt, nec excusatione est digna nec venia?* Vnde fratres, non facit vos ignorantia diuinarū scripturarum excusatos coram Deo, sed dupliciter reos, qui ne Dei voluntatē oporteat vos facere, eā penitus cupitis ignorare. Homo.n. diuinæ voluntatis non debet esse ignarus, qui adhoc in mundo ponitur, vt per illustrationem intellectus & puritatē affectus, visionis eius sempiternam fruitionem promereatur. Vtraq;.n. cognitio Dei videlicet & sui, vnicuique mortalium necessaria est ad salutē, quā nusquā inueniet sine notitia scripturarū. Enimuero sicut ex cognitione sui venit in hominē timor Dei, & ex notitia Dei nascitur amor Dei, ita prouenit ex ignorantia sui superbia, & ex neglecta Dei cognitione, cum desperatione salutis contemptus. Nihil infelicius monacho indocto, qui studium sanctarum scripturarū, vel negligit, vel contemnit: quia nunquam potest in vera cordis tranquillitate apud semetipsum purus consistere, sed compellitur inquietudine propria cōtra monasticæ conuersationis integritatem externis mentem & inutilibus occupare. Videmus inter vos quosdam scripturarum ignaros, instabiles, mente dyscolos & vagos, quibus eo magis imputamus ignorantiam, quo minus inclinātur ad disciplinam. Turpe quidem est nescire, quod scire iuberis, turpius non discere, turpissimum vero cōtemnere. Et sunt inter vos quidam qui scientiā salutarem nesciunt, sunt etiā qui discere negligunt, quid si addam esse & alios qui scientiam diuinarum scripturarū penitus contemnant? Certe non mentior, vos scitis, quia verum est quod dico. Nam studiis meis nonnulli vestrum vsq; ad inuidiam grauiter aduersati sunt; aratorem se malle habere prælatum, quam oratorem cauillantes. Nonne & visitatores in suam trahere sententiam tentauerunt, cupientes me illorum hortatu in abnegationem traducere scripturarum? vt ruricolam facerent & porcorum curatorem potius quam animarum. Sed frustra conantur diuinum impedire oraculum, quo impellente omnes mundi honores atq; diuitias, quamdiu vixero, studio postponere decreui scripturarum. Abbas sum vester quādiu voluerit ille qui me vocauit, si alterum è duobus oporteat, abbatiam malo dimittere, quā sancto scripturarum studio renunciare. Scio.n. vere, nihil in hac vita homini claustrali salubrius posse contingere, q̄ si diuinas cœperit scripturas veraciter amare. Quisquis vestrū hāc institutionem meam sequi voluerit, me ducē itineris pariter & comitē habebit? Qui autē sequi discentē contēpserit, docentem nihilominus audire cōpelletur vel inuitus. Hæc dixerim in eos qui terrena sapientes & caduca, timorē à se domini abiiciunt, qui omnia pene ignorantes, discere contemnunt. Ego noui pecoris mei vultū: & singulorū inclinationes cordium vestrorū me credo non penitus ignorare. Idcirco non cessabo vos cohortari ad sancta studia scripturarū, sciens q̄ amator sacræ lectionis non potest carnaliū operator esse vitiorū. Quanto.n. monach⁹ in perdiscēdis scripturis fuerit studiosior, tanto minus carnaliū voluptatū ardoribus inflammatur. Quamuis enim, iuxta sententiā diui Hieronymi, *monachus non docentis, sed plangentis potius videatur habere officium*; quia tamē Christi profitetur militiam: cōgruit, immo necessariū est, vt Dei omnipotentis, in cuius verba iurauit & arma, beneplacitam nouerit voluntatem. Verum sicut miles volūtatem domini sui procul absentis scire non potest nisi per nuncios & epistolas, ita monachus æterni regis præcepta nō intelliget nisi p̄ sacras lectiones atq; sermones & Euangelicas scripturas. Ianuam salutis nescientib. lectio scripturarū aperit, studiosum lectorē recto tramite ad Dei notitiā introducit: amatorē sui facit oīa mundana contēnere, & nihil aliud quā veram sapientiā amare. Nihil autē turpius quam in spirituali cōuersatione monachū nolle proficere, & voluntatem Dei scienter velle ignorare. Nemo sibi de sua infirmitate vel ignorantia blandiatur, quoniam *qui ignorat ignorabitur*, & qui scientiā odit salutarē, merito condēnatur. Missurus in omnem terram prædicatores dominus præmonuit dicens. *Prudētes estote sicut serpētes, & simplices sicut colūbæ*, ne vel supplanteris

Leo ep. 23. c. si in laicis. dist. 38.

Cognitio duplex homini necessaria ad salutē.

Necessaria nescire turpe, nō discere turpius, contēnere turpissimum.

Ioannis abbatis ardor erga literas.

Prou. 27.

Hieron. l. cont. Vigilant.

Monachus sacras literas discat.

1. Cor. 14.

Matt. 10.

teris ab aliquo per ignorantiam, vel iniuriam ſtatuas alicui per fraudem. Parum namq; diſtat in vitio, vel decipere poſſe, vel decipi. Rogo vos igitur, fratres chariſſimi, vt in regulam diui patris noſtri Benedicti velitis intendere, quæ vos monet in pleriſq; locis frequentius lectionib. diuinarum ſcripturarum inſudare. In ſcripturis enim docemur ad omnem pietatem informati, quemadmodum in hac breuiſſima peregrinatione huius incolatus debeamus viuere, vt domino Deo noſtro poſſimus ſuper omnia placere. Monachorum namq; eſt mundum & omnes voluptates præſentis vitæ pro Dei amore contemnere, motus carnis illicitos viriliter comprimere, orationi quoq;, lectioni & meditationi ſcripturarum inſiſtere, & mentem à terrenis ad cœleſtia iugiter eleuare. Beatus ille monachus qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra hominũ peſtilentium non ſedit, ſed in lege domini meditatur die ac nocte, diſcens hic in ſcripturis Dei ſapientiam, cuius fructum recepturus eſt poſt huius peregrinationis terminum, vitam æternam.

Pſal. 1.

De quotidiana renouatione ſancti propoſiti ſemel ſuſceptæ religionis.

Homilia V.

AVdiuimus, fratres chariſſimi, lectionem nobis recitatam de libro ſancti Iob, in qua humani generis deplangit miſeriam, & huius calamitatem vitæ, ſimul ac inſtabilem breuitatem. *Homo*, inquit, *natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis; qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Ecce*, inquit, *breues anni tranſcunt, & ſemitam, per quam non reuertar ambulo. Deficiet omnis caro ſimul: & homo in cinerem reuertetur.* Quid inter hæc fratres animaduertitis, quidue cogitatis? Eſtne in nobis homo, qui ſe neſciat eſſe mortalem, qui cum veritate poſſit dicere, *non mouebor in æternum*? Heu fratres mei quam ſumus cæci, oculos tenentes apertos, quam obliuioſi viatores ſumus & deſides, qui nos certo certius nouimus eſſe morituros, & ita in vanitate præſentis vitæ confidimus, ac ſi non eſſemus mortales. *Sed quis eſt homo, qui viuet & non videbit mortem, eruet animam ſuam de manu inferi?* Ecce, ait ſcriptura, *omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur ſuper terram.* Idcirco memores eſtote fratres mei, quoniam mors non tardat, & breue computabitur omne quod præteriit, quia vt ſanctus ait Chriſtophilus Paulus, *Statutum eſt hominibus ſemel mori*, quia legem neceſſitatis communem nemo poterit ſubterfugere. O ſi nunc venturæ mortis horam, quam vnuſquiſq; noſtrum neceſſario ſubibit in breui, quotidie ante mentis intuitum poneremus, taliterq; vitam diſponeremus & mores, quo ſemper inueniremur parati, quam felix & tuta fieri poſſet emigratio noſtra. Nonne & rex viuorum & mortuorum ipſe Chriſtus dominus noſter ad mortem nos ſemper volens eſſe paratos, in ſancto Euangelio præmonuit dicens. *Ideo & vos eſtote parati: quia qua hora non putabitis, filius hominis veniet.* Quantum vero proſit ad mentis puritatem frequens meditatio mortis, ſapiens in Eccleſiaſtico præmonuit dicens, *In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Mortis futuræ cogitatio timorem inducit: timor vero mentem neceſſario concutit: & quaſi clauus malleo impulſus, omnes carnis motus ſuperbæ ligno crucis affigit. Huius conſideratione opinionis pleriq; philoſophorum gentilium, omnem viri ſapientis vitam quandam meditationem mortis continuam eſſe dicebant. Hinc & ſanctus Hieronymus dicit: *Nihil æque tibi proficiet ad temperantiam omnium rerum, ſicut frequens meditatio breuis vitæ huius & incertæ, quæ ſicut folium quod vento rapitur, defluit, & quando non timetur, in mortem cadit.* Idcirco memento mortis tuę, quam nullo conſilio potes euadere, & omnes motus carnis facile poteris ſuperare. Nam qui ſe quotidie cogitat moriturum, præſentia deſpicit, & ſe, niſi deſipiat penitus, ad futura præparabit. Scio enim & partim me fateor expertum, quod mentis humanæ voluntas in ſancto vitæ ſpirituali feruore diu vniformis non poteſt conſiſtere; & propterea memoriam mortis verbis ante oculos placuit ſæpiº reuocare, quatenus dum mens futurorũ timore concutitur, ſancti feruor propoſiti quotidie renouetur. Animus etenim humanus

Iob. 14.

Pſalm. 29

Pſalm. 88

2. Reg. 14

Hebr. 9.

Luc. 12

Eccl. 7.

Frequens mortis meditatio, quam ſalubris.

Hier. ep. 139.

colligatus pro exercitio sui ad corpus, nimium est fluxus & instabilis, & nunc ad illud rapitur, nunc vero ad aliud mouetur. Propterea dicit in Prouerbii dei sapientia per Salomonem. *Prov. 23.* *Præbe fili mi cor tuum mihi, & oculi tui vias meas custodiant.* Ac si dicat. Nisi totum amorem cordis tui diuinæ sapientiæ mancipaueris, nunquam in custodia mandatorum domini stabilis & confirmatus eris. Sicut enim cor primum est principium motus in homine, ita maior est illius pro vitæ conseruatione custodia; quoniam si morborum incursu percutitur vita corporis iam tota periclitatur. Vnde scriptum est: *Prov. 4.* *Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit.* Cordis autem nomine affectum intelligimus, quotiens ad alicuius rei declinat amorem: illi tantum inhærens, vt totam implicet voluntatem. Hinc psalmista dicit. *Psal. 61.* *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere,* id ex nolite illas ex voluntatis desiderio amare. Nihil humano corde mobilius est, quod ad singulas pene cogitationes alteratur, & in eodem proposito difficulter potest consistere, nisi violenta quadam intentione restringatur. Quod *Psal. 23.* sanctus Dauid non ignorans ad dominũ dicebat. *Ego autem dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Ideirco fratres mei charissimi, si quis est vestrum qui domino & saluatori nostro in vera puritate cordis famulari desiderat, si quis monachus esse & opere simul & nomine optat, discat in primis non sibi sed Deo confidere, & bonum sanctæ conuersationis propositum, noua semper institutione curet, non solum quotidie, sed singulis, quãtum prẹualet, etiam horis atq; momentis renouare. Spiritualis etenim conuersationis feruor, ad cuius operationem experimentalem clanstralis vitæ institutio omnis dignoscitur ordinata, diu in eodem puncto non potest consistere, quoniam si non semper in anteriora proficit, ad inferiora, & quod est deterius, infirmiora necessario recurrir. Non est in palæstra spiritualis exercitii aliqua stationis morosæ consistentia; quoniam humani cordis proprietas est, suo motu naturali semper vel ad meliora proficere, vel ad id quod malum est recidiuare. Vnde si non proficis in conuersatione spirituali, necessario deficis: si non ad sanctiora progrederis, certe retroecedis. Quod nobis cum experientia perspicuum fecerit, non cesso admonere charitates vestras, vt desiderium vestrum in bona conuersatione semper ad vlteriora extendatis, ne ibi pernicioſum incidatis deficiendi periculum, vbi proficiendi non innouastis appetitum. Feruor autem spiritualis propositi ad Dei amorem dirigitur, & non aliter quam in ipso conseruatur. Est enim Dei amor igni non absurde comparandus; quoniam sicut ignis subtracto fomento lignorum necessario extinguitur; sic amor Dei, si desint continuata bonorum operum exercitia, mox euanescens periclitatur. Hinc est illud saluatoris in euangelio. *Ignem veni* *Luc. 12.* *mittere super terram, & quid volo nisi vt ardeat?* O monachi felix conscientia illa, in cuius pectore præter Christi amorem nihil ardet, qui Deum diligit super omnia, qui vanitatis studia contemnit vniuersa. Considerate nunc fratres quam diligentissime conscientias vestras, & examussim pensiculate, si deum super omnia diligitis, & si ardet in vobis iam ignis diuini amoris, quatenus fomentum adhibeatis necessarium, ne quando per vestram tepiditatem sancti feruoris igniculum sentiatis penitus extinctum. Credite mihi fratres, quoniam experientia me docuit: ignem in vobis diuini feruoris ardentem faciliori exercitio conseruabitis, quam extinctum denuo succendatis. Quicunq; igitur iam in se Dei experitur amorem, quicunq; cælestem in corde suo recepit charitatem, summa cum solicitudine caueat in prioris vitæ negligentias recidere, sed fomenta adhibeat necessaria spiritualium exercitiorum, quatenus proficientem in se Dei feruorem queat conseruare. Caueat non solum peccata grãdia, *Eccl. 19.* sed etiam negligentias paruas, & quantum poterit minimas; quoniam qui minima spernit, paulatim decidit: & qui non semper metuit periculum, spiritualis feruoris atq; propositi, cito sentiet detrimentum. Dicit enim scriptura. *Si non instanter tenueris te in timore domini, cito subuertetur domus tua.* *Beatus igitur homo qui* *Eccl. 27.* *semper est pauidus,* qui de acceptis virturib. *Prov. 28.* non præsumit, qui certo existimat se deficere, quotiens se non inuenerit singulis momentis ad altiora profeciſſe. Sed vereor,

Amor Dei, igni similis.

Facilius retinetur amor recti, quam recipitur amissus.

Sanctum propositũ nunquam non renouandum.

reor, fratres, & vehementer timeo, nisi me operum quorundam fallat æstimatio, nonnullis in vobis ignem huius sancti necdum adesse feruoris, quippe cum vera monachorum studia parum videantur diligere, quod ex illorum conuersatione cum sit manifestum, nullus vestrum poterit ignorare. Quos monere quidem non duxi penitus superfluum, quanuis parum hactenus videar profeciſſe; cum non sit abbreuiata manus domini, quo minus queat saluare pœnitentes. Confido enim in misericordia Dei viuentis, quoniam propter meam in eos charitatem, & exercitia pietatis illorum, qui ad puritatem regulæ in vobis ambulant, dabit eis aliquando respicere, & studia sancti feruoris ardentius amare. Quid est, fratres, quod non monastice in monasterio viuitis, & professi conuersationem spiritus, secundum carnem ambulatis? An nescitis quam sit periculosum in cœnobio monachum seculariter viuere, & votum sanctæ puritatis, quod emisimus omnes, tepida conuersatione violare? Cognoscite precor, quoniam nouissima omnium claustralium extremis sunt proxima, vt boni & zelosi amatores propriæ salutis monachi, non vulgarium sed maxima sanctorum in cælo præmia recipiant, & qui male vel tepide in religione conuersantur monastica, non mediocri aut populari, sed grauissimo & demonũ puniantur cruciatu. Quanto enim status, in quo quis peccat fuerit altior, tanto pœna delinquentis in eo erit & grauior. Idcirco, si quis inter vos iam viam diuini amoris cum feruore spiritus ambulare didicit, progrediatur necesse est, vt amplius quotidie proficiat. qui vero adhuc iacet in torpore mentis ignauæ, conetur quantocyus vt resurgat. quoniam sicuti iacentibus pœna promittitur, ita non perseuerantibus corona victoriæ denegatur. Cauete igitur ne mentem subuertat pernicioſa tepiditas, quæ nimium est periculosa claustralibus, quia molestissima est & plena miseriarum, & dolorum, ac plane inferno proxima, de cuius voragine raro consurgit monachus, qui semel inciderit. Et heu quot inueniũtur hodie claustrales pusillanimes, remissi & desides, qui sub onere spiritualis militiæ frequenter succumbunt, & raro ad verũ spiritus feruorem resurgunt? Horum sane miseranda conditio, qui nomen habent quod viuant & mortui sunt: quos ad verã compunctionem cordis nec memoria mortis potuit inducere, nec inferni recordatio proposita emollire. Huiusmodi vero monachi, posteaquam diu ita manserint in acedia torpentes, aut opprimuntur mala consuetudine & succumbunt, aut fiunt quodammodo in inferno, vt nunquam ad plenum respirent in lucem miserationum domini, nec in libertatem spiritus, quæ sola est regno cælorum proxima, facitq; iugum domini suaue & onus leue, perueniant. Hæc illis mala contingunt, propterea quod voluntas eorum à carnalibus nondum est purgata passionibus, nec bonum sic volunt, sicuti nouerunt, à propria concupiscentia illecti & abstracti. Amant enim perituræ consolationes carnis, quas etsi interrumpunt aliquando, nunquam tamen penitus rumpunt. Inde est, quod suas affectiones in Deum rarissime dirigunt, & si quando compunguntur ad horam, nõ diu perseuerant, sed pigritia & inertia fatigantur mox animo, bonum quod inchoauerant ex tristitia & melancholia subito fastidiẽtes. Impleri autem feruore diuini amoris non potest mẽshis agitata procellis, quoniam caro ad ignem posita sæpiusq; remota, sicut nunquam bene coquitur, sic * anima in acediam sæpius relapsa, diuino spiritu nequaquam veraciter illustratur. Dicit enim scriptura ad dominum: *Qui elongant se à te, peribunt, & perdidisti omnes qui operantur iniquitatem.* Quanto nanque mens per acediam longius à feruore diuini amoris recesserit, tãto ꝑpinquior inferno & desperationi, rarius & difficilius ad veram pœnitẽtiam conualescit. Quicunq; igitur ex vobis, fratres mei, fugere de medio Babylonis desiderat, quicunq; venire ad internum feruorem spiritus optat, summo semper conatu torporem mentis & acediã à se studeat repellere, & sanctũ diuini amoris propositũ quotidie innouare. Graue nimis est fateor prauæ cõsuetudini carnis resistere, & in corde veteri cõtra morẽ noua cogitare. Certe, fratres, nemo cũ tepida voluntate de profundis inferni potest resurgere, nec malam quis consuetudinem sine magna violentia & diuturna consuetudine cõtraria poterit superare. Nam & si nemo fiat sanctus virib. suis, sed Deus est qui operatur omnia

In monachos seculariter viuentes.

Monachi omnino aut felices aut infelices.

Tepiditas letalis monacho.

Apoc. 3.

Psal. 72.

Vim sibi inferat te pid. 9.

1. Cor. 12.

Matt. 11. omnia in omnibus, constat nobis tamen manifeste quoniam Dei regnum vim patitur, & qui suis inferre motibus carneis vim negligit, ad sanctorum Domini consortium non pertingit. Audi nunc monache, quicunq; tepidus es ad amorem Dei & acedioſus, audi, inquam, & contremisce, quoniam nisi de mala consuetudine torpentis vitæ continuo surrexeris, nisi vim tibimetipsi per consuetudinem cõtrariam intuleris, nisi ad feruorem diuini amoris cor tuum instanter præparaueris, nunquam Dei faciem in gloria videbis. Radix desperationis est acedia, & non solum radix, sed & nutrix eius & mater, quæ si mentem hominis deo dicati semel oppresserit, omnem viam ad salutem ilico præcludit. Non enim dormientibus regnum cælorum promittitur, non ocio & desidia torpentibus beatitudo æternitatis præparatur, sed his qui moribus carnis viriliter imperant, corona reponitur: & qui spiritu non carne viuunt, æternæ felicitatis gloria donantur. Nulla sine labore virtus acquiritur, hostis sine congressu nullus superatur. si vis coronari, vince. si vincere cupis, necesse est vt fortiter ac perseueranter prælieris. *Vsquequo piger dormies*, Salomon tibi clamat, *quando consurges è somno tuo? Si impiger fueris, vt fons messis tua, & egestas longe fugiet à te. Qui enim colligit in messe, filius sapiens est, & qui stertit æstate, filius confusionis. Nam qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur ocium, replebitur egestate.* Nũc tempus est operandi bonum fratres, nunc opportunitas promerendi æternam beatitudinem nobis à domino Deo conceditur, quæ subito in morte amputatur. Dicit enim scriptura: *Quodcunq; facere potest manus tua instanter operare, quia nec opus nec ratio, nec sapientia nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Si vos delectat bonum æternæ beatitudinis, quod promittitur, oportet ne labores pugnandi mentem deterreant qui proponuntur. Nemo enim à domino coronabitur, nisi qui legitime certauerit: nemo perueniet ad culmen æternæ celsitudinis, nisi qui feruore spiritus illicitos motus superauerit carnis. Semper est nobis pugnandum, fratres, contra triplicem aciem diaboli, quandiu in hac peregrinatione viuimus, quoniam nemo hic insuperabilis vsque adeo efficitur, qui non tepescens paulatim superetur. Hinc sanctus proclamat Augustinus: *Nemo securus esse debet in hac vita, quæ tota tentatio nominatur, vt qui potuit fieri ex deteriori melior, non fiat ex meliori quandoq; deterior.* Vnde & salomon in libro prouerbiorum, *Desideria*, inquit, *occidunt pigrum, quoniam sicut in vnoquoq; opere bono perfectionem tribuit constantia, ita omnis religionis & profectus animæ spiritualis interemptrix nouerca est acedia.* Nam, vt diuus inquit Hieronymus, *nihil in sancto vroposito deterius est ocio, quoniam non solum non acquirit noua, sed etiam turpiter consumit prius acquisita.* Sanctæ spiritualis vitæ ratio processu continuo gaudio proficit & crescit, cessatione vero torpet & deficit. Propterea fratres quotidianis ac recentibus virtutum incrementis instauranda mens est, & viuendi hoc iter ratio non de transacto, sed eo quod restat merienda. Ociositatem igitur, quæ mater & nutrix est omnium vitiorum, in primis fugite; acediam autem non fugiendo, sed resistendo fortiter superate. Dicit autem scriptura. *Multam malitiam docuit ociositas.* In desideriis enim vanis & pernicioſis est omnis ocioſus. Semper itaq; monachꝰ, qui Christo in vera puritate mentis desiderat militare, sit in aliquo exercitio spirituali occupatus, ne ocium generet vitium, & inueniant pernicioſæ cogitationes quo roborentur, locum. Quemadmodum rubigo consumit ferrum, & vestis à vermibus corroditur, ita mentem eneruat ocium, & virtus diu intermissa animi, paulatim defluit, ac penitus eneruatur. Ocium igitur fugite acediam vero superare. Verum cum non possimus in vno statu diuini amoris firmiter & sine mutatione mẽtis pſistere, necessariũ nobis est, ne defluamus penitus, quotidie sanctum propositum innouare, vt quotiens per negligentiam humanæ infirmitatis quantumlibet parum torpescere à spirituali feruore incipimus, toties nosmetipsos discutientes memoria futurorum, & dominicæ passionis intuitu ad pristinum mox proficiendi propositum conscientiam reuocemus. Hoc autem summopere nobis cauendum est, ne hunc sanctum proficiendi conatum differamus in crastinum, quoniam sæpe nocuit distulisse bonum in tempus futurum, quod fieri citius potuisset. Hinc sapiens in ecclesiastico dicit, *Ne tardes conuerti ad dominum, & ne differas de*

Ocium monacho in primis fugiendũ.

Pron. 24.

Eccl. 9

2. Tim. 2.

l. 10. conf. c. 32.

Prou. 23.

Eccl. 33.

Monach. ne differat tempori ſuo venienti occurrere.

Eccl. 5.

Eccl.5.

ras de die in diem. Subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Augustinus quoq; ait: *Cur bonum differs in crastinũ, dicens, adhuc vita longa erit? Quis enim scit si longa erit? Et si bona non est, quid prodest quod longa erit?* Sine vita bona, mors dicenda est cõuersatio monachi potius quam vita. Remedia igitur emendationis vitæ, nullis sunt cunctationibus differenda, ne tempus conuersionis pereat tarditate, cum iam nulla dilatio conceditur pœnitendi. Qui enim pœnitenti indulgentiã promisit diem crastinum non spopondit. Nemo Deum timens conuerti differt ad pœnitentiam, nec in crastinum salutem prolongat hodiernam. Omnis autem homo sciens se in mentis tepiditate constiturum, qui differt emendationem vitæ de die in diem, spe longioris ævi decipitur; quoniam si sciret se in crastino moriturum, hodie proculdubio mutaret propositum. Multos miserabiliter decepit spes vitæ longioris: qui dum emendationem conuersationis suæ quotidie differunt, subito in mortis profundum cadunt. Quis in vobis est fratres, qui non statuat inanimo suo emendationis vitæ assumere propositum antequam moriatur? Credo enim quod vnusquisq; vestrum adhuc maiorem intendat exercere pietatem ad Deum, priusquam mortis periculum incidat. Et quare tam diu expectatis? Quare de die in diem differtis? Ecce qui nunc sani viuitis, & non datis vos ad spiritualia exercitia diuini amoris, quando potestis, & dominus patientes expectat, veniet dies vnicuiq; vestrum extrema, & iam properat, in qua perurgente angelo mortis, auferetur à vobis potestas, cuius effectum tantundem distuliſtis. Vnde iterum atq; iterum vos rogo fratres, & qua possum sedulitate admoneo, conuertite vos ad dominum Deum nostrum in toto corde vestro dum viuitis sani & incolumes, nec differatis vlterius voluntatem, ne amittatis etiam cõcessam vobis potestatem. Cogitate sæpiusq; recogitate, quoniam non sumus ciues huius mundi, sed aduenæ & peregrini, neq; habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus, & ad mortem quotidie nescientes etiam properamus.

Spes vitæ longioris multos fallit.

De amore quietis & solitudinis.

HOMILIA VI.

DUo sunt intellectus ab initio creati: quod neminem vestrum scio latere fratres charissimi, angelicus videlicet & humanus. Angelicus vero quando fuerit creatus, sancta scriptura manifeste non aperit, sed Patrum sententia conditionem angelorum opus Dei esse & inter opera sex dierum computauit. Sunt autem qui scribant angelos fuisse creatos longe ante mundum istum visibilem, quod sicut probare testimonio diuinarum scripturarum nõ possumus, ita neq; temere impugnamus. Sunt enim viri graues & sancti complures, qui conditionem angelorum principio mundi longe prætulerũt. Fuit autem intellectus angelicus statim à principio in omnium scibilium actu factus: & omnia nouit quæ scire potuit, nihilq; ad sui perfectionem deinceps admisit. Creatus enim à Domino in sua perfectione naturali quam habere potuit, nullius rationem incrementi quo intelligeret amplius requisiuit. Enimvero cum sine medio sit Deo coniunctus purus intellectus natura factus est, nec more nostro exercitatione ad intelligendum indiget, cuius esse nullam admittit corruptionem. Itaq; suo adhærens obiecto per affectum amoris, Deum, quem centrum suæ beatitudinis esse intelligit, immediate & immobiliter contemplatur & diligit, beatus est, nullam sui alterationẽ pertimescit. Humanus vero intellectus, quẽ nostri præceptores animam vocauerunt, à principio quidem in omni ignorantia creatus est, & nihil eorum nouit quæ angelicus intelligit à natura. Differunt autem isti duo intellectus sicut actus & potentia, lux & tenebræ, scientia & ignorãtia, habitus & priuatio, principium & finis simplex & compositum, substantia & accidens, natura & ars, veritas & similitudo. Omnia namq; scriptura testante diuina, quæ angelico intellectui à natura insunt & à principio, humanus eõsequetur per artem in fine, sicut dominus Iesus in sancto euangelio dicit: *In resurrectione mortuorum neq; nubent neq; nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cælo.* Matt.22. Vt enim mens exerceatur ad intellectum per multos labores quasi per artem, in ergastulo corporis ad breue tempus posita est, in quo si conuersa ad Deum, artificiũ suũ per amorem

rem rite consummauerit, egrediens tandem hinc, par angelo euadit. Quod si carnis motibus consentiens, ordinem suum non custodierit, perturbata & misera ruentibus apostatis spiritibus similis de corpore in æternum crucianda emigrabit. Cum enim mens nostra siue anima in rerum omnium ignorantia & priuatione sit creata, necesse est vt continua actione, motu, & arte in rerum notitiam perueniat. Finis quippe humanum intellectum æquat angelico, eius potentiam commutans in actum: facietq; de priuatione habitum, de vacuo plenum, de imperfecto perfectum, de priuato habentem, de tenebroso lucidum, de nocturno diurnum, de lunari solarem, & de terreno cælestem. Finis iste fratres mei charissimi, salutis æternæ principium est: ad quem venire nemo fœliciter sufficit, qui non totis viribus ad apicem perfectionis tendit. Verum cum sit difficile in medio turbarum hunc necessarium proficiendi conatum semper infractum tenere, vbi mille peccandi præbentur occasiones, sancti Patres ordinis monastici fundatores verbo & exemplo nos docuerunt mundum fugere, & non solum animo, sed etiam corpore frequentiam declinare. Ex eis qui fortiores erant animo, plures conualuerunt ad eremum, vt eo mente fierent propinquiores domino, quo corpore longius recesserunt à mundo. De quibus dictum Esaiæ prophetæ legimus: *Exultabit solitudo & florebit quasi lilium, germinans germinabit & exutabit lætabunda & laudans.* Alii vero cupientes prodesse multis, instituerunt cœnobia, in quibus multitudinem collocarunt monachorum, quorum conuersatio segregata esset à populis, & nihilominus sibi mutuo fieret socialis. Non enim omnibus conuenit sedere in eremo, quibus in medio fratrum magis congruit domino militare. Nam & monasteria nostra solitudinem habent suam, vt qui voluerit esse solitarius possit in medio fratrum, dum cellæ in qua moratur continuauerit secretum. Monachus enim secundum nominis sui interpretationem solitarius dicitur: propterea quod mente & corpore à tumultu huius mundi segregatur. Vnde sermonem hodiernum facturus ad charitates vestras, moneo vos paterna solicitudine & rogo, ne frustra tantundem fuerim locutus, qui nihil aliud quæro nisi vestrum bonum, nihil magis cupio, quam vestrum in spirituali conuersatione profectum. Rogo, inquam, vos & hortor in visceribus fraternæ charitatis, vt cellæ quietem diligatis, tanquam salutis vestræ officinam, in qua pax est multa diligentibus Deum, & magna commoditas perficiendi ad cognitionem summæ veritatis intellectum. Dicit enim propheta Esaiæ: *In silentio & spe erit fortitudo vestra.* Qui non amat solitudinem cellę & quietem silentii, mentis puritatem nequaquam diligit: sed corpore vagus, nouas semper animo vanitates haurit. Hinc diuus Hieronymus ait: *Quid desideramus vrbium frequentiam, qui de singularitate censemur? Mihi enim oppidum carcer est, solitudo paradisus.* Si nos fratres eremus delectaret ac solitudo, magnam locus iste proposito nostro commoditatem præstaret, vbi præter pauperes rusticanos hospes rarus occurrit, nemo turbat quietem nostram, nemo molestat, nemo spectacula vel rumores introducit momentaneæ nouitatis. Sed paucos inter vos amatores internæ quietis cerno, & doleo vehementer, propterea quod oprime sciam monachũ non posse in spirituali conuersatione proficere, quem constat cellæ quietem non amare. Qui autem nouit quantum animæ conferat bonum solitudinis secretum, cellam suam diligit, nec facile foras egreditur, semper metuens in tumultu perdere, quod magno in abdito labore congregauit. Nam, vt sanctus Augustinus dicit: *Minus voluptatibus stimulatur, qui non est vbi frequentia est voluptatum: & minus auaritiæ molestias patitur, qui procul ab hominibus positus diuitias non videt.* Cum ergo sanctus Dei spiritus mentis amet secretum, horreat autem publicum, ad vos pertinet fratres cellarum solitudinem vt omnium ergasterium virtutum diligere, & ab eius habitaculo sine causa rationabili se nunquam alienare. Monachus enim secreti amator non ociosus, qui didicit fortiter in cella consistere, multis interdum sanctis consolationibus fruitur, quibus vagus & inquietus necessario priuatur. Quemadmodum piscis si diutius teneatur extra aquam, moritur, ita monachi omnis perit deuotio, si crebrius extra cellam euagatur. Ioannem imitemur Baptistam, quem Chrysostomus principem

Isa.35.

Monach. vnde dictus.

Adhortatio ad amorẽ quietis.

Esa.30.

Hier. ep. 13. ad Paulin.

* *Aug. l. de singular. cleric.*

Ioannes Baptista princeps monachorum. Chrys. hõ. 1. in Marcum.

pem dicit esse monachorum, qui monachus statim, vt natus est, in eremo viuit, in eremo nutritur, & Christum in solitudine monachus expectauit. Nam sicut difficile est arborem iuxta viam positam fructus vsq; ad maturitatē seruare; sic difficile est monachū extra cellā suā crebro vagantem, & in actibus mundi occupatum, iustitiæ fructus vsq; ad finem immaculatos custodire. Recedamus igitur de via secularis tumultus, & plantemus nos in secreto monasticæ solitudinis, vt nec mundus habeat nobiscum quicquam cōmune, nec nos cum illo. Mens enim, quæ curis & sollicitudinibus mundi concutitur, raro in Dei amore veraciter radicatur. Motus etenim corporis statum frequenter alterat mentis, & homo qui semper in externis mergitur, feruore diuini spiritus nūquam illustratur. Quies namque mentis ex solida consistentia corporis nascitur, & vir qui solitudinem pro dei amore diligit, fortior & sibi vnitus in sancto exercitio consistit. Quisquis igitur in vobis est, fratres, salutis propriæ studiosus amator, discat quietus in cella consistere, & quantum potest studeat se in operibus diuini amoris cum desiderio iugiter occupare. Est autem quietus in cella, non ociosus, tranquillus non somnolentus, spirituali semper exercitio deditus, non torpore animi dissolutus. Instrumenta vero spiritualium in cella exercitiorum sunt quatuor, legere, scribere, orare, ac meditari: quintum vero paucis conceditur, qui post veram cordis puritatem in montem contemplationis domini eleuantur. Deniq; quatuor ista monachorum exercitia in solitudine cellæ manentium, ita sunt moderanda, vt neq; tædium generent, neq; mentis torporē, sed cuiq; actioni tempus congruū deputetur, vt dum vicissitudo mentē alleuiat, vltrā vires corpusculum non grauetur. Habeat igitur horam suam conuenientē studio diuinarum lectio scripturarū, quæ cum senserit deuotionis adesse desiderium, mox in orationem feruidam commutetur. Manualis autem labor qui monacho commoranti sub tranquillitate solitudinis indicitur, vtilis est valde ne pernicioſa in mente tepiditas oriatur. Nam lectio sanctarum scripturarum ad Dei charitatem monachum excitat, meditatio autem passionis dominicæ ac beneficiorum Dei mentem ad feruorem amoris ardentissimi inflammat, oratio vero infirmum animum confirmat, & manualis labor temperate continuatus, à torpore & tædio conseruat. Cum oramus instanter & deuote, cum Deo nostro vbiq; præsente loquimur: dum vero in sanctis scripturis legimus, quid nobis sit appetēdum aut fugiendum, ab ipso domino edocemur. Oratio si fuerit ardens in Dei amore, mentem à peccatis & vitiis purificat, lectio autem instruit & informat, sancto dicente Isidoro. *Orationibus*, inquit, *mundamur, lectionibus instruimur. Vtrum̄q; bonum est, si licet: si non licet vtrumq;, melius est orare quam legere.* Monachus ergo qui tempus suum in cella cupit vtiliter & fructuose expendere, his iugiter exercitiis per vices studeat mentem & corpus occupare, quoniam animus qui tantis laboribus inuigilat, nullum peruersis cogitationibus aditum præstat. Hinc diuus Hier. monachum admonens dicit: *Semper aliquid boni facito, vt diabolus inueniat te occupatum.* Minus enim pulsatur illecebris carnis, qui semper occupatus vtiliter, nullū admittit fastidium mentis. Enimvero dum cautus animæ suæ custos monachus quisque ab vnius boni operis exercitio in aliud cū desiderio feruoris sancti per vicissitudinē rapitur, ad constantiam omnium virtutum roboratur, & tanto minus tædium incidit, quanto magis variari studium, & alternis contra fastidium vti consueuit. Vnde rursum Hier. ait: *Lectionem frequenter interrumpat oratio, & animam iugiter adhærenteus grata vicissitudo sanctæ operationis accendat.* Monachus qui non amat cellæ secretum: verus Christi miles non est: quoniam nomen monachi & habitum portat sine operibus: & qui solitarius esse pro Dei amore debuerat, mente reuersus ad seculum, vanitatis studiū amat. Hinc diuus papa Gregorius ait: *Qui corpore remotus ab hominibus viuit, sed tumultibus conuersationis humanæ, terrenorum se desiderio cogitatione immergit, non est solitarius, quamuis in solitudine commoretur.* Si vero prematur aliquis corporaliter popularibus turbis: & tamen nullos secularium curarum tumultus in corde patiatur, non est in vrbe, etiam si in medio hominum conuersetur. Et hoc est quod contra Iouinianum sanctus dicit Hier. *Sapiens*, inquit, *nūquam solus esse potest. Habet enim secum omnes qui*

Exercitia spiritualia in solitudine & silentio, quinq;

Isid. l. 3. de sum. b. c. 8.

Hie. ep. 4

Hier. in ep. ad demetriad.

Greg. in c. 39. Iob.

Hier. l. 2.

sunt & qui fuerunt boni, & animum liberum, & quacunq; vult profert, & transfert se quocūq; voluerit. Quod enim corpore non potest, mente complectitur, & si hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo. Nunquam ergo vir bonus solus erit. Itaq; consistens in cella tua, semper ocium caueto, quoniam nihil ita vires mentis eneruat omnes sicut ocium, posteaquam ex se produxerit acediam. Si Deum ardenter amaueris, nunquam eris ocioſus, quia verus Christi amor non finit in animo nasci torporem, sed impellit semper ad voluntatem dilecti amantem. Et sicuti quidam carnaliter sapiens veraciter dixit, *qui non vult fieri desidiosus, amet*; ita nos docuit experientia in amore spirituali, quia mentem quam inhabitare cœperit, torpescere ocio & ignauia nō permittit. Semper enim ad meliora diuinus amor impellit, & quanto plus ardendo profecerit, tanto sui maius incrementum sumit. Huius vero ergasterium amoris est conscientia munda; quam si monachus & habere & conseruare mundam desiderat, necesse in primis est quod mūdi vanitates & rerum temporalium negocia contemnat. Non enim possibile est quod geminus in vno resideat pectore amor, nec prævalet homo diligere Christum, qui non vult contemnere mūdum. Deus namq; in trinitate personarum cū sit in essentia substantiæ vnus, aut solus à nobis diligitur, aut cum socio non amatur. Vt igitur conscientia in omni puritate permaneat munda, vtq; Deum amare mens valeat super omnia, secretum cellæ monachus diligat, & nunquā ab internæ dulcedinis exercitio recedat. In cella enim boni & sapientis monachi summa tranquillitas est: & si vspiam est paradisus terrestris, in monasterio est eorum, qui ad puritatem institutionis cœnobiticæ cōuersantur. Est ibi pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honestas, & ibi gaudium, puritas, dulcedo, & magna vitæ tranquillitas, vbi monachus orator deuotus cum domino loquitur, & futura cælestis regni suauitas à contemplatiuo milite prægustatur. O cella monachorum Deo veraciter seruientium paradisus, tu certe hortulus es honestissimæ voluptatis, in quo mens Deo per amorem coniungitur, & per desiderium dulciter eleuatur. Monachus, qui te diligit veneratur & colit, ver' Christi miles est, & Domino inplenitudine virtutum deseruit. Ille vero qui cellæ secretum abhorret & deserit, salutis propriæ officinam contemnit. Vos igitur fratres mei charissimi precor, vt secretū cellæ incipiatis cum desiderio mentis incolere, sine cuius amore nullus ad perfectionem virtutum in cœnobio poterit peruenire.

Vir bonus nunquā solus.

* *Amor dei nūquam ociosum sinit esse hominem.*

Paradisus in syncenis monasteris.

De labore monachorum manuali.

Homilia VII.

Labores manuum tuarum quia manducabis, inquit propheta Domini, *beatus es & bene tibi erit.* Si beati censentur omnes qui proprio manuum victitant de labore: nemo certe panem manducat sine reatu & crimine ocioſus, Omnipotens namq; Deus hanc protoplasto Adæ pœnam pro mandati originalis transgressione inflixit, denuncians ei, quoniam in sudore vultus sui cibum de terra manibus operaturus esset. Cum autem in Adam peccauerimus omnes, eisdem necessario pœnis subiicimur, quibus illum constat fuisse suppositum. Manibus ille suis laborabat escam vnde viueret, nec panem ocioſus manducabat. Hinc diuus pater noster Benedictus ocium detestans monachorum, in regula quam nobis tradidit, inquit. *Ociositas inimica est animæ, & ideo certis temporibus occupari debent monachi in labore manuum, certisque iterum horis in lectione diuina.* Tunc enim vere sunt monachi, si labore manuum suarum viuunt sicut & patres nostri fecerunt & apostoli. *Psal. 117.* *Genes. 3.* *cap. 48.*

Vnde & sanctus Christophilus Paulus in epistola dicit: *Qui non laborat, non manducet.* Erat in primordio monastici statuſ ista consuetudo monachorum, vt nullum sine labore admitterent in sui consortium, non tam propter victus necessaria, quam propter animæ salutem, ne pernicioſis cogitationibus per ocium daretur occasio. Non erant monachis illo tempore census, non decimæ, non reditus, non prouentus vlli annuales, sed victum & vestitum omnes in communi conuersantes manibus sibi procurabant, neminem debiti actione grauantes. *2. Thess. 3.* *Nemo olim monachus sine labore manuum.*

Sancti

1. Thess. 2.

Diuitiæ & census ingens cœnobiorum labes.

Sancti quoq; saluatoris nostri apostoli cũ haberent potestatem de prædicatione euangelii viuendi, manibus suis laborare maluerunt, ne quem fidelium grauasse viderentur, & vt haberent non solum vnde ipsi viuerent, sed etiam quod indigentib. necessaria ministrarent. Verum postea quam census monachi habere cœperunt & reditus, pristina mox simplicitatis studia defecerunt, creuitq; paulatim cum diuitiis rerum temporalium superbia, in tantum vt labores manuum omnes cum tempore monachi recusarent. Quamdiu fuerunt pauperes monachi & genere humiles, Deum in veritate coluerunt: postea vero quam diuitiis abundare cœperunt, simplicitatem fugauit duplicitas, & elatio nobilium humilitatẽ monachorum extirpauit. Integritas namq; obseruantiæ regularis abundantiam peperit rerum temporalium, sed paulatim diuitiæ monachorum puritatem ordinis funditus extinxerunt. Sublata vero integritate obseruantiæ regularis, mox etiam in multis cœnobiis diuitię rerum temporalium iusto Dei iudicio defecerunt. Ex eorum numero præsens monasterium fuit Spanhemense, neq; vltimum fratres mei, neq; primum, quod multis annis in vtroque statu miserabiliter mansit desolatum vsq; adeo quod quinq; in eo duntaxat monachi vitam agentes dissolutam; non haberent vnde sibi vitæ necessaria desumerent. Vnde misericordia Dei tandem prouidente, Fridericus dux Transiluanus inuocato Patrum ordinis reformati consilio anno Christianorum 69. supra 400. atq; 1000. deformatos vita monachos expulit, Abbatẽ nomine Ottonem de Colonia deposuit, & alios de obseruãtia Bursfeldensium ex cœnobio montis specioſi nũcupatos, quatuor in hoc monasterio collocauit: quibus Abbatẽ præfecit Ioannem ex nobili familia de Budisbach, quam vulgo de Carbonaria domo nuncupant: virum qualem vidistis & audistis æterna memoria dignum, qui locum hunc in extrema paupertate reperit, & annis ferme quatuordecim in magna patientia præsidens in eum statum, quo nunc viuimus, reuocauit. Vnde cum nos inopia rerum temporalium adhuc grauiter premat, opus continuo esset labore, quo nos victu aleremus necessario, & domum Dei, in qua versamur, ab ære

Puritas vitæ monasticæ diuitias peperit, easdem exclusa excludit.

Mogun tiæ est cœnobium montis speciosi.

solueremus alieno. Sed qui sunt vestri labores, aut quantum nobis ad tam grandia conducere possunt? Numero sumus pauci, & rusticanos ad labores inepti, nec permittit nos ordinis sacerdotalis institutio totum in agro diem lapides manib. versare, & diuinam intetmittere seruitutem. Miseri sumus, & nimia paupertate inopia q; omnium necessariorum depressi: & si multum laborauerimus, parum exinde proficimus, & si parum fuerimus operati, amplius certe animo deficiemus, *Homo* enim scriptura testante, *nascitur ad laborem quemadmodum auis ad volãdum.* Ne igitur panem vestrum manducetis ocioſi, semper vos aliquo labore honesto & vtili oportebit esse mancipatos, quo & mens à tædio releuetur obseruantiæ regularis, & inopia grauis vel in paruo saltẽ reparetur. Messis tempore ad fœnum, & autumni diebus ad vindemiam vos duntaxat extra monasterium consueuimus occupare, quando videlicet labor & multum est necessarius, & mercenariorũ caritas precium mercedemq; adauget famulorum. Reliquo vos tempore in cœnobio decreuimus continere, propterea q labores vestri comparatione impensarũ monasterii vtilitatibus parum conducũt, & voluntarii ad rusticana studia pauciſſimi vestrum, vt nobis videtur, libenter occurrunt. Est alia consideratio, quæ animũ concitat meum, ne vos externis operib⁹ manuum de facili occupem sine causa rationabili, & necessitate manifesta: experior etenim quod labores huiusce modi operis non conueniunt in vobis obseruantiæ tegulari, sed integritatem monasticæ disciplinæ apud vos magis destruunt quam promoueant. Erubesco dicere & nihilominus effari compellor, vestros labores extra monasterium & cellã, plus destructionis afferre puritati animarum quã salutis. Qui enim labores vestri: Non nevagari, discurrere, comessationibus indulgere & poculis, ac reliquum temporis sermonib. occupare vanis & inutilibus? Non haberis in vobis illum spiritus Dei sanctum feruorem, quo priscos institutionis nostræ monachos legimus quondã inflammatos, qui pro necessitate cõmuni tanto desiderio, tanto studio, tantoq; conatu omnes & singuli manibus suis laborabant, vt putasse tis omne monasterii negocium in vniuscuiusq; prouidentia locatum.

catum. Ita enim laborabant ac si manibus suis singuli omnē enutrire congregationem debuissent. Inter hæc tamen diuini cultus obsequium tanta cum alacritate die ac nocte persoluerunt, quasi laborib. manuum in nullo penitus fuissent occupati. Quis talium in vobis imitator est fratres, vt inopiam communitatis nostræ totius vel suam existimet, vel sudore vultus sui laborando pro viribus studeat releuare? Illi manib. laborantes, continuis Deum cordibus exorabant; vos autem fabulis intenti, nec manib. officio satisfacitis, nec monachi mentibus. Tēpore quoque ieiunii regularis, illi statutum sibi abstinentiæ modum aut diligenter custodiebant, aut si præ magnitudine laborū nequiuissent, ideo manducabant, quatenus laborib. apti & idonei redderentur. Vos autē non manducatis vt laboretis, sed laboratis potius vt manducetis, quando ex regula fuerat ieiunandum. Occasionē ex labore sumitis, vt ieiunium soluatis. Cæterum quam immunde & vilissime nonnulli ex vobis tractent indumenta sua, quis regularis disciplinæ studiosus amator æquanimiter ferat? Cuius nam sunt fratres mei, quæ dispendiose consumitis? Christi patrimonium est omne quod pertinet ad monasteria seruorum Dei, totūque Deo dicatum est, nec rebus Christi cuiquam licet abuti, vel eas in vsum alium commutare. An nescitis quid vobis sanctus legislator noster Bened. dicat in in regula? *Si quis sordide aut negligenter res monasterii tractauerit, corripiatur. Si nō emendauerit, disciplinæ regulari subiaceat.* Et in capite de cellario monasterii dicit: *Omnia vasa monasterii cunctamq; substantiam ita seruet, ac si altaris vasa sacrata conspiciat.* Deniq; tacere non possum nec debeo certe, quā sordide ac negligenter pleriq; vestrum tractent omnia, quasi vel non conspiciātur à Deo, vel nullum eorum rebus cœnobii paret detrimentum ignauia. Scitote fratres, quoniam prænuncians annuncio vobis, quod pro his omnibus, sicut & pro aliis peccatis vestris domino Deo rationē estis reddituri. Labores extra monasterium propterea vobis minui, ne grauius male operando peccaretis, & iniunxi vobis opus manuale, scribere, libros ligare, hisq; similia, quæ cum tranquillitate mētis & corporis intra septa monasterii potestis perficere. Vtinam vel ista manuum vestratum opera cum diligentia pro Dei amore faceretis, ne panem in toto comedatis ocioſi. Nullum est opus manuale, q̄ monachum meo iudicio plus deceat, quam libros sacræ lectionis scribere, & scribentibus aliis necessaria præparare. Hunc enim sanctum laborem oratione plerunq; licebit interrumpere, & pro cibo mentis non minus quam corporis vigilare. Necessitas etiam nos vrget libris scribendis cum diligentia intendere, si cupimus habere ad manum, vnde nos mutuo possimus in studio spirituali vtiliter occupare. Cernitis enim huius cœnobii bibliothecam omnem, quæ olim fuit insignis & magna, per deformatos ante non monachos vsq; adeo distractam venditam & alienatam, vt vltra quatuordecim volumina non fuerint hic à nobis inuenta. Industria quidem impressoriæ artis nostris diebus nuper apud Mogūtiam inuentæ multa quotidie volumina producit in lucem, sed comparare nobis omnia nequaquā est possibile, qui adhuc maxima deprimimur egestate. Quocirca vos moneo & hortor qui ad externos manuum labores non satis libenter occurritis, quatenus ad honorem Dei scribendis voluminibus quam diligenter laboretis, quia sicut ociositas inimica est animæ, sic labor moderatus spiritualis cōseruator est vitæ. Monachus enim quia miles est regis æterni, nunquam debet esse ociosus. Ocium namq; parit acediam, & illa introducit animæ peticiosæ mortis egestatem. Labores autem monachorum ita sunt moderandi, vt nunquam à diuinis vacent colloquis, sed inter opera manuum, in corde meditatio ferueat scripturarum, quæ postea quam in odorem spiritus mentem perduxerit, mox in orationem deuotissimam commutetur. Sit ergo monachus Christi miles sicuti animal Dei mundum quod ruminat, habens semper in ore cordis sui sanctarum pabula scripturarum, ne vanis & pernicios cogitationibus mens pateat, aut verbum ex ore loquētis turpe siue ociosum erumpat.

Ardor antiquorum monachorum in labore manuum.

Cap. 32.

Cap. 33.

Scriptio librorum opus monachis dignum.

Ars extusoria librorum Moguntiæ inuenta à quodā Petro.

Inuehitur in otium.

Monachus ceu animal mundum semper quippiam sanctum ruminet.

Memor sit semper inter operandum scripturæ dicentis: *Beatus vir qui in lege domini meditabitur die ac nocte.* Omnis enim qui Dominum Iesum in veritate diligit, doctrinam simul & passionem eius in corde suo cum lachrymis & orationibus

Psalm. 1.

bus quotidie reuoluit. Verus namq; Dei amator non est, qui mandatorum eius vel ad momentum obliuiscitur. Enimvero, sicut ait scriptura, *qui diligunt dominum, requirunt quæ beneplacita sunt illi: & qui timent nomen sanctum eius, replebuntur lege ipsius.* Hinc quidam sanctorum dixit ad dominum: *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Excitandus ergo semper animus, & stimulis spiritualibus quotidie renouandus, ne vel ignauia torpeat, vel inerti ocio languescat. Laboris monasticæ institutionis exercitium, lectionis & orationis studium, & diligens custodia vigiliarum, vera sunt incitamenta virtutum. Nihil autem sancto proposito monachi pernicioſius ocio, quoniam & carnē excitat in libidinem, & mentis omnem eneruat virtutem, extinguitq; spiritus feruorem. Omnium enim fomes & nutrimentum malorum in claustro est ocium. Vbicunq; igitur fueris siue in agro siue in claustro, semper ocium vt pernicioſissimā animæ pestem fugito, mentem ornans & exercitans vel oratione vel meditatione sctipturarum. Cum bonis & studioſis dei amatoribus conuersare libenter, negligentes vero & salutis propriæ contemptores deuita. Qui enim picem contingit, inquinabitur ab ea: & qui socium se facit peccatorum, non erit immunis à scelere. Sermones tuos diligenter considera, vt nulli detrahas omnino, nec alium auscultes detrahentem: quoniam detractor simul & libens auditor vterq; dæmoni famulatur, alter loquendo, alter vero auscultando. Labora sicut bonus miles Christi Iesu, & diligēter operare manib. quodcunq; tibi ex obedientia iniungitur, nec tibi durum videatur alterius obedire imperio, pro quo spiritui tuo corona æternę fœlicitatis præparatur in cælo. Vnde nullus labor grauis, nullum tempus longum, nulla monacho dura videri obseruantia debet, quibus gloria æternæ beatitudinis acquiritur. Breuitatem huius vitæ, fratres mei, perpendite, & agite bonū quandiu licet, quoniam qui nunc parce seminat, post mortem quoq; parce & metet: & pro suo vnusquisq; opere mercedē condignam recepturus est, non pro alieno. Laborandi tempus breuissimum est, mercedis vero, quæ bonis debetur operibus, sempiternum. Consideratе, fratres mei, homines mundo implicatos & omnes huius seculi amatores, quam fortes sunt in reb. terrenis atq; caducis, in cælestib. vero debiles & infirmi, vt vos intantum Deo placere curetis, quantum illi vt mundo diuites appareant & glorioſi, cōtinue laborant. Nam pro temporali gloria multi vsq; ad mortem desudare non refugiunt, sed pro spe futuræ felicitatis etiam parum vel agere vel sustinere contemnunt. Pro terrenis lucris quaslibet iniurias patientissime tolerant, & pro cælesti mercede sustinere vel tenuissimi verbi contumeliam recusant. Regi terreno, principi vel iudici toto die fortes possūt assistere, in oratione autem coram omnipotente domino ad vnius horæ spacium nequeunt perdurare. Multa pro acquirēdis perituris diuitiis aduersa libenter tolerant, superna vero bona quærere tanto magis negligunt, quanto in amore terrestrium delectabilius occupantur. Horum vos conuersatio, fratres chariſſimi, admoneat omnes huius mundi curas tanto amplius fugere, quanto iam vobis licet minus terrenarum rerū negocia pertractare. Omnem solicitudinem vestram & curam pro acquisitione cælestium bonorū semper impendite, & pro mercede futuræ beatitudinis omni tempore diligentissime laborate. Nam, sicut scriptura testatur, *militia est vita vestra super terram, & quæcunq; homo seminauerit, hæc & metet.* Scitote quia mors quotidie properat, & singulis momentis pars vitæ non amplius reuersura extinguitur. Vigilate igitur, fratres mei chariſſimi, vigilate, quia nescitis quando dominus Deus noster ad iudicium mortis vniuscuiusq; venturus sit, sero, an media nocte, an gallicātu, an mane: ne cum venerit repente, inueniat vos dormientes. Vigilate itaq; omni tempore orātes, vt digni habeamini fugere mala omnia quæ futura sunt, & stare cum fiducia ante cōspectum filii Dei omnia iudicantis. *Omnes* enim, diuo testante Christophilo, *stabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis prout gessit, siue bonum siue malū.* Beatus ille monachus, quem inuenerit dominus in bonis operibus vigilantem, qui se ad nuptias agni cęlestis in vera puritate cordis præparauerit, qui occurrere iudici non formidabit. Semper sit illud in cordibus vestris memorabile verbum diui Hier. super euangelium secundum Mat. dicentis: *Siue comedam,*

Eccl. 2.

Psal. 118.

2. Cor. 9.

Monach. exemplo seculariū excitetur.

Iob. 7. Gal. 6.

2. Cor. 5.

uedam, siue bibam, siue aliud quid faciam, semper vox illa videtur sonare in auribus meis, surgite mortui, & venite ad iudicium. Quotiens diem illum cogito futuri examinis, totus corde & corpore contremisco. Vnde si qua præsentis vitæ est lætitia fratres mei, ita agenda est, vt amaritudo illius tremendi iudicii nũquam recedat à memoria. O dies ille magna terribilis, tremenda nimium & amara valde, in qua sol & luna obscurabuntur, non diminutione luminis, sed comparatione maiestatis, vbi cessabit omne argumentum excusationis, vbi omnia erunt manifesta, nihilq; latere iudicem poterit; quoniam qui nouit occultas cogitationes mentium, tunc palam iudicabit, qui nec gratia præuenitur, nec miseriæ ordia flectitur, muneribus & donis nõ corrumpitur, precibus non mitigabitur, nec satisfactione iam deinceps aliqua placabitur. In hac igitur vita positi, fratres, agat vnusquisq; vestrum pro anima sua quantum potest, quoniam pœnitentia peccatorũ hic facta, solum est vtilis & fructuosa, quandiu locus est veniæ, & sententia adhuc differtur iustitiæ. Qui bene facere ac pœnitentiam agere differt vsq; ad mortem, damnationi est proximus, quoniam bonum quod sanus & incolumis negligit, raro infirmus & iam moriturus instaurabit. Dicit enim S. papa Greg. *Quisquis pœnitentiæ fructus differre vsq; ad mortis horam non metuit, ipse sibi testis est quod pœnitere veraciter nunquã in eius mente fuit.* Nunc ergo conuertite vos ad dominum nostrũ in toto corde vestro pœnitentiam agentes coram illo, & sic viuite precor, vt eum hic migrandum fuerit, apparere ante faciem eius non timeatis.

Quod sine intermissione sit orandum.

Homilia VIII.

DOminus ac Saluator noster Iesus Christus in euangelio fratres καθ' Lucam volens nos continuos esse in orationibus, ita præmonuit dicens: *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* Hoc domini consilium præ cunctis mortalibus maxime decet monachos, & omnes in quacunq; religione claustrales, quorum omnis actio & tota vita, immo quicquid faciunt, aut oratio esse debet, aut saltem orationi conforme. Dicuntur enim non absq; ratione spirituales, quicunq; militiam profitentur monasticam, quatenus ipso moueantur vocabulo carnis voluptates pro Dei amore contemnere, & per veram charitatem in ardore spiritus ambulare. Dicit namq; sanctus Christi Apostolus: *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt, quoniam si secundum carnem vixeritis moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis viuetis.* Sciens autem sine orationis instantia feruorem spiritus diu in nobis non posse subsistere, itetum ad Thessalonicenses ait: *Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite, quoniam hæc est voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis.* Quis autem sit modus orandi, saluator nos docuit in euangelio dicens. *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondita, reddet tibi.* Et in alio loco dixit ad mulierem Samaritanam: *Mulier crede mihi quia veniet hora quando neq; in hoc monte neque in Hierosolymis adorabitis patrem. Sed venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Nam & pater tales quærit qui adorent eum. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Orationem esse cordis potius, quam sermonem oris prolixum, ex Christi doctrina constat manifestum, quia cum Deus sit spiritus non aliter quam intimo feruore spiritus, venit adorandus. Orationis enim cordis in feruore spiritus magna est virtus, multiplicationis vero sermonum sine attentione mentis nulla omnino vtilitas. Hinc sanctus Hieronymus ait: *Non in verbis tantum, sed corde orandus est Deus.* Quapropter melior est quinq; psalmorum decantatio cum cordis puritate ac serenitate spiritualique hilaritate quam totius psalterii modulatio cum anxietate cordis atque tristitia. & diuus papa Gregorius: *Vera postulatio est, non in oris vocibus, sed in cordis vocibus, hoc est in sanctis cogitationibus. Nam valentiores voces apud Dei aures non faciunt verba, sed desideria.*

Exceptis igitur his orationibus, quas dicere vel ex decreto ecclesiæ tenemur, vel ex institutione ordinis monastici, prolixitas in reliquis & multiplicatio verborum nihil aut parum conducunt ad ve-

Luc. 18.

Orare sine intermissione præcipue est monachorum.

Rom. 8

1. Thess. 5.

Mat. 6

Ioan. 4.

Oratio potissimũ est cordis.

Hier. in 6. Matt.

Greg. 22. mor. c. 17.

ad veram internamq; deuotionem mentis, quoniam vbi non est feruens in Dei amore desiderium, superflue extensio introducitur sermonum. Dicit enim sacer Augustinus: *Absit ab oratione multa precatio, sed feruens perseueret intentio, quia multũ loqui in orando est rem necessariam superfluis agere verbis.* Oratio namque paucis verbis res multiplices cõprehendit, vt cito simplicitas fidei sufficientiam suæ salutis addisceret, & prudẽtia ingeniosorum profunditate mysteriorum stupescceret. Illis vero quibus propter duritiam cordis, interni defuerit feruoris cõpunctio, cum se prosternũt ad orationem, sermone prolixiore, clamore & lachrymis opus est, vt diuturna excitatione mentis, ignem diuini amoris feruentem in semetipsis tandem excutiant, donec in affectum sanctæ orationis in Dei spiritu consurgant. Postea vero quam feruor diuini amoris & cõpunctionis mentem penetrauerit, iam deinceps non opus est exercitio verborũ, spiritualis fomenti cõtinuatio requiritur, ne feruor spiritualis incẽdii extinguatur. In hunc finem sanctissimus pater noster orationem in cõuentu abbreuiari voluit: vt si quis in spiritu voluerit orare, seorsum possit. Sunt autem nonnulli, qui vsque adeo sunt duri cordis, vt parum vel inter orandum spiritualis inueniant cõpunctionis, quibus libertas pernicie, & solitudo frequenter parit desperationem. Attendite quæso, fratres charissimi, his quæ dico vobis, & pensate quam sitis ad fine intermissione orandum obligati.

Augu. ep. 121. ad Probam.

Non satis est monacho in schola Christi regis æterni ad perfectionem tendẽti orationes canonicas persoluere, nec sufficit homini, Deo per votum solenniter dicato preces ordinis communes in conuentu adimplere; quoniam qui semper orare sine intermissione præcipitur, vltra verbales etiam ad spirituales orationes obligatur. Nam orationes ab ecclesia vel ordine institutæ, sub merito sunt obedientiæ, & lege necessitatis ratione præcepti. Ille vero modus orandi, qui spiritualis dicitur, omni tẽpore monacho vtilis & necessarius ad perfectionem in libertate spiritus roboratur. Vnde notandũ quod ad orationes, quæ sunt de præcepto ecclesiæ vel ordinis, prolatio verborum de necessitate requiritur, cum intẽtione satisfaciendi statuto quo ad orandum quispiam tenetur. Viderint illi, quomodo satisfaciant mandato ecclesiæ, qui orationes septem canonicas verborum prolatione nõ exprimunt, sed ore clauso seriem precum sola cogitatione oculis ministrantibus percurrunt. In illis autẽ orationibus, quas non ex mandato sed propria voluntate ex deuotione sola dicendas assumimus, feruor mentis in Deum sine prolatione verborum sufficit, quia tales qui adorent in spiritu & veritate Deus oratores, sicut diximus, requirit. Canonicas vero preces, quas nuncupant horas, dicere tenemur, & nõ solum cogitare. Vtrobiq; deuotio mentis ad Deum est vtilis, sine qua nullæ preces creduntur efficaces. Itaque fratres mei quando stamus ad orationem, summo studio inuigilare debemus & intendere precibus, qnas fundimus, ne sine fructu internæ compunctionis oremus. Discedat igitur procul omnis cogitatio carnis, mentem nulla impediat occupatio rei familiaris, nec aliud quicquam tunc animus cogitet, nisi hoc solum quod precatur. Ideo & sacerdos præfatione ante sacrificium de more præmissa, mentes fratrum parat, dicens: Sursum corda, vt dum respondet plebs, Habemus ad dominum, admoneatur nihil aliud cogitare debere quam ipsum quem inuocat Deum. Claudatur ergo contra aduersariũ pectus, & soli domino pateat, nec in tempore sanctæ orationis quicquam occupationis mundanæ penitus admittat. Magna enim orationis puræ vtilitas, quæ veluti nuncius fidelis mandatum feruidæ mentis peragit, volansque ascendit in cælum, quo caro non pertingit. Duabus etenim alis sustentatur oratio, quatenus in cœlum euolet, quarum altera ieiunium dicitur, altera vero eleemosyna nominatur. Hinc sanctus Ioannes dicit Chrysostomus: *Nihil potentius homine orante, qui orat cum ieiunio, quoniam duplices alas habet, & neque oberrat in Matt, neque torpet.*

Monachus orare semper spiritu tenetur.

Orationis alæ duæ.

Chrysost. hom. 58.

Oremus igitur in summo feruore spiritus, & quanta possumus conscientiæ puritate viuamus, quoniam illius est perfecta & DEO placens oratio, cuius & causa clamat & lingua, cuius actus & sermo deprecationi consentiunt, cuius vita & cogitatio patrocinium

cinium precibus ferunt. Nam sine iustitia veritatis, omnis erit infructuosa oratio, quoniam scimus quod Deus non exaudit peccatores, *& quia longe à peccatoribus salus*, dicente scriptura: *Qui auertit aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Sanctus quoque in Psalmo Propheta dicit: *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet me Dominus.* Sicut enim * in vulnere nullū proficit medicamētum, nisi prius extrahatur ferrum, ita nihil proficit illius oratio, cuius adhuc dolus in mente vel odium manet in pectore. Vt autem Deus orationem exaudiat tuam, in primis oportet vt conscientia mundetur ab omni macula peccati mortalis, & verum mens propositum subeat emendationis. Multum orare simul, & in multis offendere, quid est aliud, quam Deum irridere? Duobus etenim modis oratio intercipitur, ne à Domino exaudiatur, altero cum orator adhuc peccando committit malum, altero vero si debitori suo propter Deum non dimittit debitum. Tu ergo qui habere fructum orationum tuarum desideras, qui venire ad Dei miserationem cum penitentibus optas, caue ne quid mali contra Dei voluntatem peragas, & cura diligenter, vt omnia in te commissa hominibus ex corde veraciter dimittas. Scis enim dixisse dominum: *Dimittite, & dimittemini.* Postea vero quam mundaueris conscientiam tuam à malo, & remiseris omne delictum proximo, iam eris ad orandum idoneus, si fueris in feruore sancti propositi recte ad Deum ordinatus. Iam nunc accede confidenter ad precandum Dominum, prosterne te humiliter in conspectu eius, & ora cum purirate cordis & feruore spiritus, nec deficias ab oratione, quandiu viuis in carne. Sit oratio tua pura, simplex, dilucida & manifesta, sit plena grauitatis & ponderis & decore ornata veræ humilitatis. Non postules quicquam in oratione saluti animæ contrarium, neq; pro re temporali nimis importune preceris, quoniam impudentia est, vt petas à Deo diuitias, quę maximam occasionem prę-stant superbiæ, Christianam puritatem frequenter commaculant. Non est impudentia si petas panem quotidianum; quoniam aliud est materiam postulare, vnde superbias, & aliud est petere alimentum necessarium, vnde viuas. Non te iustifices orans, ne sicut Pharisæus exeas condemnatus: nec postules quicquam à Domino quasi tuorum ex debito meritorum, sed humilia te in omnibus, vt gratiam recipere merearis. Memento humilitatis publicani, & cum tanta humilitate ora, vt veniam peccatorum & animi iustificationem cum illo inuenias. Vberior enim est Dei gratia, quam oratio supplicantis; & plus orantibus nobis tribuit quam rogamus. Non in clamore vocis orabis ad eum, qui nouit abscondita cordis, sed in feruore spiritus & intimæ clamore mentis aures pulsa diuinæ maiestatis. Neque longitudinem protrahas verborum ante eum qui est spiritus, quia non in multiloquio, sed in pura mente orantis placabitur Deus. In tempore orationis omnem malitiam & inquietudinem cordis proiice abs te; & quod sæpe dicimus, remitte si quid habes aduersus proximum tuum. Nisi enim proximo tuo debitum omne pro saluatoris amore dimiseris, nihil tuis orationibus à domino impetrabis. Dicitur quoddam esse genus serpentis, quod cum ire voluerit in aquam ad bibēdum, prius euomit omne venenum. Imitare, & tu monache hunc serpentem in hac parte, omneque venenum iræ & amaritudinis euome, remittens fratri tuo centum denarios, vt tibi remittat dominus decem milia talentorum. Qualem erga te cupis esse dominum, talem te quoque exhibeas ad conseruum. Inuoca dominum ex toto corde tuo, & inuenies eum. Sit oratio ardens atq; purissima, vt mens tua in eius amore sanctissimo copuletur. Hoc stude in omni vita tua, vt orationem puram offeras domino Deo in omni tempore. Nunquam deficias in oratione, nec de misericordia domini desperes. Deus enim quod concessurus est etsi differt non aufert. Non leuitate vtitur, nec facile sententia mouetur, quod promisit est fixum, si oraueris instanter, videbis miraculum. Memento te sub Dei stare conspectibus, qui omnia cordium secreta intelligit, & mentis abdita nouit. Vigilanter itaque assiste in conspectu eius, qui omnia cognouit, & quanto poteris feruore spiritus ora, vt misericordiam consequi merearis. Nam oratione sancta mundatur conscientia pœnitentis,

Ioan. 9. Psa. 118. Pro. 28.

Psal. 65.

Duo impediūt orationis fructum.

Luc. 6.

Quid & quomodo precandum.

Luc. 18.

Matth. 5.

Matt. 18.

tis, & qui cor suum in vera puritate ad dominum erigit, eius oratio vacua non redit. O si sciretis, fratres charissimi, quam gratæ sint Deo puræ mentis orationes, & quantam animæ conferant vtilitatem, nullum transire tempus sine precibus sineretis. Oratio enim nostra, si pura fuerit & ardens in feruore spiritus, nuncius est fidelissimus ad Deum, pro nobis Deo loquitur, & omnia quæ saluti nostræ sunt necessaria, obtinet dum precatur. Quo circa vos admoneo & in vera charitate exhorror vt sine intermissione oretis, nec à sancti spiritus feruore vnquam cessetis. Non sit vobis vllum tempus vacuum, vel in torpore mentis ociosum. In timore domini semper quæso vigiles & solliciti estote, quatenus tentationes imminentes fortiter positis vincere ac superare. Mox vt cogitationes sordidæ mentem pulsare cœperint, ad studium orationis recurrite, & minime vobis poterunt prævalere. Oratio namque grandis munitio est animæ, in cuius præsentia deficiunt omnes machinationes partis aduersæ. Per orationes enim purissimas omnia nobis à Deo tribuuntur vtilia, & cuncta procul effugantur aduersa. Mens orationibus puris in amore DEI valenter accenditur, & quicquid occurrit leuioris maculæ, orãdo purgatur. Orationibus sanctis & continuis mundus vincitur, animæ pestes deuotis precibus sanantur, lachrymis & fletu superatur diabolus, & cui mille cohortes ad pugnandum non sufficiunt, vnius oratione pauperis infirmatur. Quẽadmodũ à facie ignis cera liquescẽs resoluitur, sic ad orationis puræ feruorem omnis dæmonũ potentia cõtrita eneruatur. Si cogitatio turpis animo tuo ꝑ dæmones immissa fuerit, impresso mox frõti signo crucis dicito. Salua me Iesu Christe, mediator Dei & hominũ, & cunctã à me hostis antiqui depelle nequitiã per tuã innocentissimã passionem. Quid hac oratione breuius, quidue potentius esse potest? Nam statim vt contra dæmonũ vel præsentiam vel suggestionem cũ feruore mẽtis prolata fuerit, omnis iniquitatis machinatio recedit. Orationis.n. putæ virtus est maxima, quoniã & cælum penetrat: & sua cõstantia debellat aërias potestates. Oratio mentẽ illuminat, affectum purificat, veniam delictorum impetrat, spiritum in Dei amore contra omnes aduersarios cõfortat. Nihil sic mẽtem à terrenis ad cælestium amorem eleuat, nihil carnis voluptates tam cito & valenter exterminat, nihil adeo illustrat intellectum, nihil quoque intantum veritatis confundit aduersarium, sicut oratio pura, quæ cum feruore diuini amoris ad Deum funditur, & bonæ testimonio cõscientiæ decoratur. Si dæmonibus cupis esse terribilis, si Dei vis esse amicus, conscientiam habeto puram, & spiritualem nunquam intermittas orationem. Omnia.n. deuota potest oratio, si rectitudine fidei & vitæ puritate decoretur. Oratio dæmones fugat, virtutem malignantium eneruat, languescentem in tepiditate animã sanat, ac debilem & infirmum in Dei timore spiritum confirmat. Oratio pura Deo facit proximum, & eũ quem acceperat seruum, Dei facit esse amicum. Oratio pura & feruens in amore Dei cælum penetrat, intellectum orantis mirabiliter illuminat, infernum claudit, paradisum aperit, animas fidelium introducit. Veritas enim nõ mentitur, quæ in sancto Euangelio promittit dicens: *Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Omnis n. qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur.* Quis vestrum in toto corde suo conuersus ad dominum orauit vnquã & non est exauditus? Aut quis inuocauit dominum, & elongauit se ab eo? Dicit.n. scriptura. *Scitote quoniã exaudiet dominus preces vestras, si manentes permãseritis in ieiuniis & orationib. in cõspectu domini.* Memores estote Moysi serui domini, qui Amalech cõfidentẽ in virtute sua, nõ ferro pugnãdo, sed precibus sanctis orãdo deiecit. *Multũ.n. valet deprecatio iusti assidua, & oratio humiliantis se penetrat nubes. Helias homo erat similis nobis passibilis, & orauit oratione vt non plueret super terrã, & non pluit annos tres & menses sex. Et rursum orauit, & cælũ dedit pluuiã, & terra dedit fructũ suum.* Oratione & lachrymis rex Ezech. quindecim annos vitæ lõgioris obtinuit, & Prophetæ sentẽtiã precibus mutauit. Orationib. viri sancti claruerunt miraculis, & supplicãtes ad dominũ mortuos reuocarunt ad vitã. Orationis ẽt puritati subiecta sunt oĩa, & nihil est in nobis tam difficile, ꝙ oratio deuota & feruida nequeat impetrare. Tũc autem orantes fiduciã impetrandi ꝙ postulamus à domino accipimus, cũ precibus nostris vitæ prauitas nulla contradicit.

Oratio purę mẽtis quam efficax.

Oratio nõ minus potẽs quã breuis ad uersus omnẽ tentationẽ.

Matth. 5.

Matt. 7.

Iudith. 4.

Exo. 17.

Iac. 5.

Eccl. 35.

Ezech. 38.

Nam

Nam iustæ precis exauditor est dominus, quando videlicet orationem vitæ commendat integritas, & reatus conscientiæ nullus hæsitare facit orantem. Inter dissimiles non stabit amicitia, & inter Deum & peccatorem non poterit esse communio. Si vis exaudiri orans, cura in primis vt à Dei voluntate non discordes. Viue spiritu persimilis Deo, & nullam patieris in oratione repulsam. Enimuero conscientiæ puritas in feruore diuini amoris hominem Deo facit intellectu persimilem, similitudo causat amorem, amor vero introducit familiaritatem, familiaritas confidentiam, & confidentia petitionis consequitur facilem impetrationem. Nam sicut inter dissimilia non fit vnio, ita inter Deum & hominem malum nihil proficit oratio. Quicunque igitur vestrum orationum suarum consequi desiderat effectum, in primis per veram pœnitentiam cordis sui domicilium ab omni mundet delicto. Deinde sanctæ compunctionis semetipsum studeat inflammare exercitio, postea mentem continue pascat in Dei amoris studio, quatenus bonum quod inchoat, nullo deinceps tempore intermittat. Postea vero quam crescente semper in eo diuini amoris desiderio, sanctæ puritatis exercitium longo studio perduxerit in consuetudinem, & mens in bono proposito necessariam conceperit firmitatem, tunc primum similitudo diuinæ communionis paulatim introducitur, & ad statum debitum oratio formatur. Nam quanto mens in Dei amore amplius excitata profecerit, tanto citius oratio quod postulat à domino impetrabit. Solus etenim Dei amor facit orationem esse potentem, in quo mens quanto feruentius arserit, tanto facilius petitionum suarum consequetur effectum. Nam si multum amas, multum potes. *1. Ioan. 4.* *Deus enim charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* In quo vero manet Deus, nihil est illo fortius, nisi Deus ipse solus. Sunt inter vos quidam infirmi & debiles animo, qui se iam fortes in via Domini existimant atque perfectos, quorum est & rara & horaria deuotio, qui sine veste nuptiali regno se appropinquasse gloriantur cælorum, cum tamen adhuc longe in inferioribus iaceant. His ego quod sæpius dixi, iterum dico, quoniam nemo repente fit summus, & nisi monachus omnes passiones suas animales per carnis macerationem domuerit, ad montem diuinæ contemplationis altissimũ non pertingit. Quisquis enim in cœnobio sub potestate & obedientia constitutus, voluntatem suam contra monasticam institutionem sequitur, dignus non est vt in suis orationibus à Domino exaudiatur. Isti autem, de quibus loquimur, in oculis suis magni sunt & sapientes, qui propriam voluntatem diligentes, ad omnia murmurant, & quicquid ipsi non ordinauerint, male factum putant. Actus fratrum suorum curiosa inquisitione discuriunt, suas vero discernere negligentias contemnunt: In moribus sunt dissoluti & incompositi, in verbis leues & clamosi, ad obedientiam inuoluntarii, & semper in bonis operibus tardi & acedia pleni. Communia ordinis exercitia negligunt, priuatis iuxta voluntatem propriam intendunt. Et quandiu in sua temeritate permanẽt, ad verum Dei amorem non consurgunt. Audiant quid dominus dicat, monachi propriæ voluntatis amatores. *Non veni vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me patris.* Hunc fratres præceptorem attendite, ad cuius imitationem nisi vixeritis, sine fructu orabitis. Eius namque orationem libenter exaudit Dominus, qui mandata eius in veritate custodit. Qui vero Dei mandatum transgreditur, qui carnis voluptates & mundi solatia cum desiderio sequitur, eius oratio non exauditur. Deus namque iustus & rectus tunc orationem tuam libenter exaudire creditur, quando mens & vita bona simul deprecantur. Cuius autem conuersatio Deo displicet, oratio eius quomodo placebit? Deus enim spiritus est, & homo qui non in spiritu sed in carne ambulat, certe ad Deum minime appropinquat. Tu itaque monache qui ad puritatem Euangelii & regulæ non ambulas, qui propriam non Dei voluntatem amas, scito quoniam orationum tuarum non senties efficaciam, nisi prius emendaueris vitam. Nisi enim conuersatio tuæ vitæ concordauerit orationi, non impetrabis quod precaris. Tunc magna voce clamas ad dominum, quando etiam lingua tacente, bonis operibus clamas. Orationes enim bonæ & conuersatio mala, ni-

Habes spiritũ Dei, & omnia impetrabis.

Humilitas parẽdi nihil non obtinet.

Ioan. 6.

Ioan. 4.

la, nihil boni merentur. Fac ergo quod sapiens quidam monuit, *Et si peccasti non adiicias iterum : sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur. Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.* Sit mens pura & ardens in amore domini, sit conscientia munda & in sanctæ conuersationis proposito roborata, & erit oratio diuinis auribus grata. Si aliter oraueris, nihil impetrabis. Bene orat qui bene viuit: & facile impetrat, qui sanctis operibus orat. Denique oratio multum redditur efficax & grata in conspectu Dei, si fuerit omni tempore consonans passioni domini nostri Iesu Christi. Christus enim Deus est & homo, mediator inter Deum & nos, per quem tutum accessum habemus ad patrem, sicut ipse testatur in sancto Euangelio: *Nemo*, inquit, *venit ad patrem nisi per me.* Vnde nulla prætereat dies, in qua Christo, ad minus semel, orando gratias non agas, qui suorum dolore vulnerum animæ tuæ sanauit languores, qui sanguinem pro te suum effudit, & morte sua innocentissima de mortis perpetuæ interitu te miserum redemit. Homo certe ingratissimus est, & Christiano vocabulo indignus, qui tantorum beneficiorum Christi vsque adeo fuerit obliuiosus, vt non quotidie vel semel ad minus gratiarum illi referat actiones. Monachus autem, qui seculo mortuus Deo soli viuere iubetur, dominicæ passionis memoriam in suo pectore iugiter portet, semper gratias agens suo redemptori, semper benedicens, semper adorans, & quotidie, immo quantum fieri potest, singulis momentis amaritudinem vulnerum Christi cum lachrymis compatiendo reuoluat. Omni die post orationes singulas regulares, quas Græci appellant canonicas : flexis genibus & eleuata mente in cælum dicat : Gratias ago tibi & benedicens adoro te ô mediator Dei & hominum Christe Iesu dulcissime, Deus & homo, pro incarnatione tua sanctissima, pro natiuitate tua ex virgine, pro circumcisione, pro fuga in Ægyptum & septenni exilio, quod pro nobis sustinuisti. Adoro te domine saluator Iesu Christe pro laboribus tuis, pro fame & siti, frigore ac nuditate, pro itineribus tuis, pro doctrina & predicatione tua, pro miraculis tuis, pro vocatione gentium, & pro iustificatione peccatorum. Ago tibi gratias domine fili Dei viui, pro dolore vulnerum tuorum, benedico te pro effusione sanctissimi sanguinis tui, adoro te pro morte tua quam innocentissime sustinuisti, & rogo te per omnem passionem, pietatem tuam & clementiam miserere mei nunc & in hora mortis meæ. Hanc breuissimam orationem in die ad minus septies deuotus monachus perorabit, & quotiens coram imagine crucifixi transierit, simili modo cum feruore mentis Christum adorabit. Qui verus Christi amator est, Christum semper cogitat, Christum loquitur & veneratur, Christum sibi non dubitat vbique esse præsentem. Eius memoriæ passio Christi nunquam deest, & præ amoris magnitudine seipsum obliuiscitur, & in Christo mente & desiderio totus occupatur. In amore Christi quisquis feruet animo, terrena contemnit, carnem vincit, sola cælestia concupiscit. Christum vigilans semper cum desiderio cogitat, dormiens Christum somniat, & continue suspirãs, cum diuo Ignatio clamat : *Amor meus crucifixus est.* Suspiriis coniungit suspitia, & Iesum quem toto corde suo diligit, non oculis sed spiritu præsentem cernit. Vrgente amoris desiderio quotiens crucifixum intuetur, mox in lachrymas resoluitur & æstuans charitatis incendio vociferatur. O amor cunctis fortitudinibus fortior, quam dulciter ardet qui Christi desiderio inflammatur. Recte locutus est qui dixit : *Fortis est vt mors dilectio.* Quid enim fortius esse potest amore Christi, cuius ardore sancti martyres tot milia genera mortis contemnentes superauerunt? O amor crucifixe meus miserere mei, da mihi eam de qua loquor, dilectionis tuæ sentire dulcedinem, vt semper in corde meo circumferam tuam amarissimã passionem. Scio fratres mei, scio quod non est efficacior modus orandi, nec vtilior nobis qui adhuc sumus infirmi, quam in memoria & virtute passionis domini nostri Iesu Christi. Vnde cum sit manifestum quod sine mediatore non est ascensus mentis ad Deum, omne opus bonum in Christi nomine est inchoandum, quia tunc preces ad Deum vtiliter effundimus cum purificata conscientia per eius vnigenitum filium oramus.

Eccl. 22.

Bona vita, bona oratio.

Ora per virtutem crucis Christi. Ioan. 14.

Oratio cum gratiarũ actione post preces canonicas.

Amor meus crucifixus est. Ep. ad Rom.

Amore Christi nihil fortius. Cant. 8.

De

De custodia & origine cogitationum.

HOMILIA IX.

SALOMON rex ille quondam sapientissimus in libro quem prouerbiorum prænotauit, filium ad veram cohortans sapientiam, inter cætera dixit: *Fili mi attende sapientiam meam & prudentiæ meæ inclina aurem tuam, & custodias cogitationes, & disciplinam labia tua conseruent.* Nō enim minima sapientiæ pars est, fratres charissimi, si sciat monachus cogitationes suas prudenter discernere, & earum motus omni tempore sollicite custodire. Magna res est nihil cogitare mali, sed non minoris prudentiæ malas ab exordio cogitationes posse repellere. Humani etenim cordis profunda sententia, mobilis, varia, multiplex & instabilis semper, cuius obseruare principia, & refrenare motus, summa prudentia est, & magnum sapientiæ signum. Molam si dixero perpetuo motu agitatam cor hominis, à veritate non aberraui, maxime si quis eius inquietudinē adamussim pensiculare voluerit. Quid nam aliud est cor humanum, quam mola quædam in motu semper conterens aliquid? Nunqnam est ociosum cor humanum, nunquam sine motu quiescit, sed agit semper aliquid: & sicut mola semetipsam consumit vacua motu proprio, ita cor hominis à semetipso turpiter defluit, dum illud boni cogitatio non constringit. Semper mouetur in aliquod obiectum cum amoris sui desiderio, semper molit, semper agit, semper circa aliquid occupatur delectabile, siue bonum sit siue malum. Sicut corpus non mouetur sine anima, sic mens hominis non manet fixa in bono nisi continue restricta fuerit per sancta exercitia. Propterea dixit in Ecclesiastico vir sapiens: *Iucunditas cordis hæc est vita hominis, & thesaurus sine defectione sanctitatis, & exultatio viri est longæuitas. Miserere animæ tuæ placens Deo, & cōtine & congrega cor tuum in sanctitate eius, & tristitiam longe expelle à te.* Quid est congregatio cordis, nisi diligens custodia cogitationis? Cor etenim suum in sanctitate domini cōgregat, qui motus cogitationum suarum in timore Dei iugiter obseruat. Et ideo scriptura dicit: *Omnia custodia serua cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.* Sumunt autem cogitationes motuum suorum principia ex his quæ offeruntur à sensibus, quæ tanto euagantur periculosius, quanto minus iudicio rationis ab exordio considerantur. Quisquis igitur cogitationum suarum vigilans esse desiderat, quisquis congregare cor suum in sanctitate domini optat, sensus suos exteriores in primis diligentissime custodiat, & frenum prudentiæ singulis imponat. Hinc de auditu & visu scriptura sic præcipit. *Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis. Beatus homo qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videat malum.* In sancto quoq; Iob sic legimus: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* In eos vero qui ministerio sensuum corruerunt in foueam peccatorum, sic dominus cōtestatur per prophetā Hieremiam: *Quia ascendit mors per fenestras vestras, ingressa est domos vestras disperdere paruulos deforis, & iuuenes de plateis.* Mors per fenestras domos nostras ingreditur, quotiens iniqua cogitatio per ministerium visus vel auditus ad mentem intromittitur. Domus enim conscientia est, de qua scriptura dicit: *Nisi te instanter tenueris in timore Domini, cito subuertetur domus tua, quod est conscientia.* Domus hæc fragilis est multum, & cito subuertitur, nisi continuo exercitio timoris domini muniatur. *Nisi enim dominus custodierit domum, frustra vigilat qui custodit eam.* Timore igitur domini munienda est domus conscientiæ. Sensus quoque diligentissime refrenandi sunt, quia custodire cogitationes suas non sufficit, qui aures & oculos ab occasione mali non auertit. Itaque si vis cogitationum tuarum custos esse prudens, & verus congregator cordis in sanctitate domini, sepi aures tuas spinis compunctionis timoris Dei, ne per visum introducant peccatum. Quod tibi non licet cōcupiscere, noli cum desiderio videre: & quod habere non expedit, noli cogitare. Multi perierunt ministerio sensuum, & qui videre incaute pergunt externa, sæpius interiora sua bona turpiter amiserunt. Qui non timet periculum, iam certe prope interitum est: & qui de sua virtute præsumit, ad ruinam peccati, festinanter currit. Qui oculum vibrat in coruscationem fulguris, excæcabitur ad horam: & qui considerat speciem mulieris,

Prou. 5.

Cor hominis mola est perpetuo mota.

Eccl. 30.

Prou. 4.

Cogitationes ex sensibus oriuntur.

Eccl. 18. Esa. 13.

Iob. 31.

Hier. 9.

Eccl. 27.

Psal. 126.

ris, non erit immunis à periculo. Illius laudo prudentiam monachi qui in medio turbarum est solus, & sensibus suis præponit censorem, ne quid intromittat mali ad dominam. Statuit iuxta portam custodes, qui gladio & fuste repellant incomposite irruentes. Timor enim Domini sanctus nunquam deserit mentem viri sapientis, sed tāquam pugil fortis & vigilans semper ad latus stat principis, ita custodit dominam cordis. Auertit aures suas ab omni scurrilitate verborum, & claudit oculos suos ne videant malum. Semper incedit iuxta duodecimum humilitatis gradum defixis in terram aspectibus, orans cum Prophera ad dominum: *Auerte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua viuifica me domine.* Ita vos moneo fratres, sensus vestros in timore domini dirigite, vt cordis domicilium semper mundum & inuiolatum possitis custodire. Mementote scripturæ dicentis: *Mundamini, qui fertis vasa domini.* Cōsiderate precor, quanta oporteat vos nitere munditia & puritate mentis, qui non solum ratione ordinis sacerdotalis vasa domini fertis, sed quod est amplius, etiam vos ipsi vasa domini estis. Dicit enim sanctus Christophilus Paulus: *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* Et iterum dicit: *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri?* Ac alibi: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Et de ipso Paulo in actibus Apostolorum dominus dixit ad Ananiam: *Vade, quoniam vas electionis est mihi iste.* Monachus qui ordine sacerdotali in Dei Ecclesia fungitur, duplici ratione ad sanctissimæ puritatis obseruantiam tenetur. Oportet enim Christi militem propter votum quod Deo fecit, esse purum, sanctum, & in bonis operibus iugiter infatigabilem, & ratione sacerdotalis ministerii circumspectum, ac diligentissime vigilantem. Scriptum est enim: *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.* Vos ministri estis Dei omnipotentis, qui ad altare quotidie filium eius immolatis, cuius opus in manibus vestris committitur, & magna propterea puritas mentis & corporis in vestra conuersatione postulatur. Vt ergo casta permaneat puritas mentis necesse est quod restringatur instabilitas cogitationis. Custodiendi sunt omni tempore sensus, per quos corrumpitur integritas mentis. Mortui enim estis mundo, & cœpistis iam viuere Christo, non licet vobis cogitare nisi sanctum, nec decet vos Dei ministros aliquid amare terrenum. Deus est enim cui seruitis, ô monachi, omnipotens est cui ministratis ô fratres mei. Viuite puri, sancti & innocentes, quia non decet vos occupari mundi negociis, qui ad militiam Dei vocati estis. Crescat in vobis cum tempore amor Dei & puritas cordis, vt quanto diutius in hoc mundo viuitis, tanto sanctiores euadatis. Visum ab omni malo semper auertite, vt possitis in bonis cogitationibus sine defectu permanere. Oculos mētis vestræ semper in cælum erigite, & visum carnis in rebus perituris nolite occupare. Auditum quoque vestrum ab omni sermone inutili, vano & stulto semper claudite, & futurum Dei iudicium semper cum pauore cogitate. Manus vestras illicito & turpi contactu quarumlibet rerum nolite polluere, vt Dei filium mundo corpore & pura cōscientia possitis immolare. In cibo & potu non est monachorum sapores discernere, nec decet milites Christi corporales delicias amare. Natura pauca requirit, & quibus alatur, rusticana cibaria: appetitus autem nisi restringatur imperio rationis, ad illicita rapitur, per quem naturæ simplicitas violatur. Crapulam in omnibus fugite, & in victu regularem temperantiam seruate. Nemo vestrum patienter audiat detrahentem fratri suo, aut male de proximo loquentem. Linguam suam vnusquisque vestrum ab inutili sermone cohibeat, & male loqui de hominibus Christianis bonus monachus erubescat. Nunquam recedat à memoria vestra illa comminatio domini in sancto Euangelio dicentis: *Ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala. Dico autem vobis, quoniam omne verbum ocioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii.* Omnimis metuenda sententia. Si de ocioso sermone ratio exigitur, detractio, scurrilitas & turpiloquium, quid merentur? Aut si verbum inutile rationi districti examinis censetur obnoxium, quid respondebit

bit qui tam facile loquitur malum & pernicioſum? Ocioſum verbum eſt omnis loquutio hominum quæ ſine iuſta vtilitate prolata eſt, ratione carens legitimæ neceſſitatis. Propterea fratres conſiderate ſermones veſtros, & nemo loquatur verbum ad rem non pertinens vel iuſtæ vtilitatis, vel neceſſariæ rationis. Audiuiſtis enim formidabilem domini ſententiam, & diui legislatoris noſtri præceptum non ignoratis in regula dicentis: *Scurrilitates, verba ocioſa, & riſum mouentia, æterna clauſura in omnibus locis damnamus, & ad tale eloquium diſcipulum aperire os non permittimus.* Tria hic verborum genera ſanctus pater Benedictus monachis interdixit, & æterna clauſura in omnibus locis damnauit. Scurrilia videlicet, ocioſa, & riſum mouentia. Quid autem ſit ſcurrilitas, grammaticorum nobis interpretatio declarauit. Eſt enim ſcurrilitatis vitium vrbanitati & modeſtiæ oppoſitum, & iocularitas quædam laſciua riſum prouocans auditorum ſine verecundia vel honeſtate immoderatum per verba & geſtus qui non congruunt rationi, nec virum decent bonum, nec ſapienti conueniunt. Dicitur autem ſcurrilitas à ſcurra, qui domos ſequitur diuitum, laſciuis & inhoneſtis verbis & geſtibus auditores præmii vel ſtipis gratia prouocans ad riſum. Et hoc genus verborum monachis diuus pater Benedictus interdixit, & penitus damnauit, quoniam qui Deo ſeruiunt, merito abſtinere in conſpectu eius perpetuo à verbis turpibus & inhoneſtis iubentur. Inter ſcurrilitatem vero & multiloquium hoc intereſſe videtur, quod illa excedit ratione inhoneſtatis, & iſta cauſa ſuperfluitatis. Illa eſt turpis & inhoneſta, iſta vero ſine vtilitate ſuperflua. Stultiloquium his recte coniungitur, quoniam non ſolum monachis, verum etiam omnibus interdicitur Chriſtianis. Hinc ſanctus Chriſti Apoſtolus dicit: *Fornicatio autem & omnis immundicia aut auaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet, ſed magis gratiarum actio.* Verbum ocioſum ſimiliter monachis cunctis interdicitur, quoniam à domino, ſicut audiſtis, in ſancto Euangelio prohibetur. Riſum quoque mouentia verba non decent homines Chriſtianos, & multo minus conueniunt clauſtralibus. Monachus enim qui mortuus eſt mundo, ſua nouiſſima ſemper cogitare præcipitur, riſum vero & omnem præſentis vitæ inſolentiam pro DEI amore vbique locorum contemnere iubetur. Eſt autem riſus vox confuſa, internam animi lætitiam hilaritate immoderata denuncians. Nihil autem quod modeſtiam & temperantiam excedit, monachis adeſſe permittitur, quorum vita & conuerſatio non carni & ſanguini, ſed Angelicæ puritati comparatur. Riſus autem intempeſtiuus & immoderata leuitate profuſus, diſſolutæ mentis iudicium eſt, & oſtendit hominem moderatæ honeſtatis & modeſtiæ oblitum. Monachus vero qui Chriſtum imitari iubetur, & ea conditione ſeculo renunciat, vt maiore puritate viuere poſſit, ab omnibus cauere debebit, quæ ſtatum mentis virilem ſubuertunt, & vana huius mundi gaudia pro cœleſtis patriæ deſiderio cuncta deſpicere, ſeque in omni maturitate mentis & corporis perpetuo inſuperabilem conſeruare. Et quemadmodum riſus immoderatus monachis in omni tempore & loco interdicitur, ita & loqui verba riſum auditoribus mouentia prohibentur. Hic iam fratres chariſſimi vosmetipſos attendite, & quomodo refrenare linguas debeatis veſtras, ſedulo cogitate. Quid Propheta dicat in Pſalmo ad memoriam ſæpius reuocate: *Dixi cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Poſui ori meo cuſtodiam, obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis.* Recogitate vos in omni loco aſtare Domino Deo, qui vbique eſt præſens, omnia audit, omnia videt, omnia nouit, omnia intelligit, à cuius notitia nihil abſconditur, cuius diſtricto examini omnia reſeruantur: in cuius aſpectu ſic viuite, vt venire ad eius iudicium ſecure valeatis.

Quotiens de licentia noſtri vel Prioris conuenitis ad colloquium, à verbis ſcurrilibus ocioſis & riſum concitantibus iuxta præceptum legislatoris noſtri ſummopere caueatis, ſint eloquia veſtra modeſtiæ plena, non clamoſa, non friuola, non temeraria, non contentioſa, ne rationi exactæ reddantur obnoxia.

Multi-

Ocioſum verbum quod.

Cap. 6.

Tria loquutionũ genera, D. Benedictus damnat.

Scurrilitas quid.

Eph. 5.

Riſus monacho omnino interdictus.

Pſa. 38.

Prou. 4. Multiloquium similiter fugite, quoniam non est sine peccato, & monachum facit cunctis hominibus onerosum. Seniores loquantur non quælibet, sed verba doctrinæ salutaris, quibus animos iuniorum ad semitam iustitiæ instruant, & ad Dei amorem peramplius incendant. Nam sancto legislatore nostro dicente, Cap. 6. *loqui & docere magistrum condecet, tacere & audire discipulum.* Et ideo seniores loquantur vtilia & doceant, iuniores autem tacendo audiant & discant. Et si qua requirenda sunt à Priore, cum omni humilitate, reuerentia & subiectione requirantur, ne quis videatur plus loqui quam expedit. Ex verbis suis cognoscitur vir, & qui multiplicat locutiones in ore suo, insipiens est corde. Conscientiæ testis est sermo viri, & qui pudicitiam & innocentiam cordis diligit, illius pudicos & sine vanitate oportet esse sermones. Dei namque viuentis ministri estis, ô fratres mei, omnis sermo vanus inutilis & ociosus non exeat de ore vestro, sed si quis bonus est ad ædificationem auditorum, vt charitatem augeat, mentibus ad illustrationem cordis in cognitionem & amorem summæ veritatis. Preciosa lingua monachi, quæ nihil omnino loquitur nisi sanctum, & os benedictione dignum, de quo nihil profertur nisi diuinum. Cor suum vnusquisq; mundum custodiat ab omni cogitatione iniqua, quoniam qui bonus est corde, malum non loquitur verbum: & qui Deum veraciter diligit, sermonem non profert ociosum. Omnem solicitudinem & considerationem adhibete cogitationibus vestris, quoniam ibi præcipua intentione obseruandum est malum vbi suorum processuum sumit exordium, quatenus mox vt oriri cœperit, radicitus amputetur. Nulla enim tam debilis cogitatio mali, quæ tempore non crescat, si consensu nutriatur cogitantis. Mox igitur à principio vincendum est adhuc debile malum, quia dum mora interponitur, vires accipit malum, quantumlibet paruum in exordio videatur. Magnum ex parua scintilla sæpe oritur incēdium, & de minuta cogitatione grande nonnunquam surgit peccatum. Cogitatio dum parit delectationem, mox in consensum solet irrumpere, & consequenter in opus etiam si potest semetipsam præcipitem dare. Dum autem cogitationi malæ in opus per delectationem præstiterit voluntas consensum, etiam si non perficiatur quod concupiscit animus, iam tamen consummatum est coram Deo peccatum. Sed quid dicit scriptura? *Peccatum cum fuerit consummatum, generat mortem.* Iac. 1. Omnipotens etenim Deus voluntatem hominis respicit, siue bonum siue malum velit. Propterea in sancto Euangelio dicit: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Matth. 5. Voluntatē Deus pro facto computat, quotiens homo non potest in effectum deducere quod volebat. Idcirco iterum atque iterum moneo fratres, & quanta possum sedulitate contestor, vt iuxta sanctum Apostolum *caute ambuletis, non quasi insipientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Eph. 5. Insidias dæmonis mali cautissime obseruare, malisque & immundis cogitationibus statim à principio resistite, quoniam sero nimis cogitatur de remedio, cum morbus inualuit tempore diuturno. Assuescite omni tempore bonis & sanctis cogitationibus insistere, & malarum insolentiam facile poteritis superare. Nam sicut vasa bonis liquoribus plena, nihil corruptionis externæ suscipiunt, ita mētes repletæ cogitationibus bonis malarum intemperantiam non admittunt. Mundi cordis oculus est quo Deus cernitur, & per puritatem conscientiæ ad gloriam æternæ fœlicitatis peruenitur. Dicit enim in sancto Euangelio dominus: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Matth. 5. Cor mundum spiritus sancti habitaculum est, & vbi mala cogitatio non admittitur, Deus proculdubio moratur. Cor mundum sedes est sapientiæ, & vbi custoditur puritas mentis, nulla nocebunt pericula aduersitatis. Memores estote scripturæ dicentis: *Peruersæ cogitationes separant à Deo, probata autem virtus corripit insipientes. Quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu.* Sap. 1. Peruersa vero cogitatio est, quæcunque admittitur Euangelicæ puritati contraria, cuius commercio mens cogitantis polluitur, quotiens in his quæ Deo aduersantur, cogitando & reuoluendo delectatur.

Nascētes male cogitationes opprimēdæ.

ctatur. Et iſte cogitationes peruerſæ mentem cogitantis à Deo ſeparant, & paulatim in profundum malorum præcipitant. Mala enim atque peruerſa cogitatio mentem quam penetrauerit, primo per delectationis venenum intoxicat, deinde rationem obnubilat, poſtea voluntatem ad conſentiendũ ſuggeſtioni malæ pertrahit, poſtremo peccatum in opere conſummat. Iam deinceps malum ſemel præſumptum licẽtius agitur, & omnis verecundia ſeu timor per conſuetudinem aufertur. Peccatum peccato coniungitur, & paulatim conſuetudo malefaciendi roboratur. Dum vero conſuetudini malæ tempus conceditur, quędam mox peccandi neceſſitas generatur. Hic duriſſimum mortis imperium, hic extrema profunditas malorũ. Quicunq; hanc ſemel abyſſum peccatorum intrauerit, ſine ſpeciali Dei gratia & maximo labore pœnitendi, ad puritatem cordis raro immo non facile conſurgit. Voluntate ſua peccator in hanc foueã mortis cecidit, reſurgere autem ſine Dei miſeratioẽ non valebit. Duriſſimum eſt iugum conſuetudinis malæ, cui ſi quis collum ſemel ſubmiſerit ad priſtinam libertatem ſpiritus raro convaleſcit. Hæc omnia operatur cogitatio peruerſa cum ad mentem intromittitur, & per delectationem in cõſenſum & opus mutatur. Nulla n. cogitatio tam praua eſt, q̃ paulatim non creſcat, ſi à mente non repellitur. Beatus ille monachus, qui omnem cogitatu ſuũ iactat in Dominum, qui prauis cogitationibus ſemper & vbiq; denegat locum, qui omnes mundi perituras diuitias deſpicit, qui cuncta corporis ſolatia contemnit. Cordis munditiam ſui domino præparat, nihil in hoc mundo præter dominum amat, omnes cogitationes ſuas ad gloriam ſaluatoris ordinat, & mandata illius diligentiſſime obſeruat. Quid illo fœlicius monacho, qui ſe non ciuem ſed peregrinum exhibet mundo? In mundo viuit, quaſi non ſit in mundo: immo maior eſt mundo, cuius conuerſatio tota in cœlo. Conſiderate nunc igitur, fratres chariſſimi, huius breuitatem temporis, & ſemper mementote, quia mortales & cito tranſituri eſtis. *Non enim habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus*, & qui tot milia hominum per mortem nos præceſſiſſe cognoſcimus, quam cito ſimus neceſſario & ipſi morituri, cogitemus. Tempus nunc quidem breue, ſed acceptabile nobis multum conceditur, in quo fructus æternæ vitæ operemur. Nunc enim laborandi eſt tempus: nunc hora ſeminandi bonum, quia poſt mortem vnuſquiſque mercedem laborum ſuorum recepturus eſt, cum laborandi iam facultas nulla conceditur. Idcirco fratres mei hanc mortis horam ſanctis præuenite operibus, & nolite nunc in ſemine laboris deficere, vt in æterna retributione poſſitis ſine fine gaudere. Nulla prætereat, dies in qua vnuſquiſque veſtrum ſe melior non euaſerit, & ad ea quæ præmiſit opera bona, nouum aliquid non addiderit. Semper cogitate futuræ precium meſſis, & nulla vos terrebit magnitudo laboris.

Cõſuetudo mala duriſſimũ telum.

Heb.13.

De quotidiano certamine tentationis.

Homilia X.

HEsterno ſermone admonui charitates veſtras, dilectiſſimi fratres, principiis malarum cogitationum obſiſtere, & vos bonis ac ſanctis operibus ad futuræ mercedis præmium totis viribus præparare. Sed cum ſcriptura teſtante, tentatio ſit vita hominis ſuper terram, neceſſarium duxi de hac ipſa materia quantum dederit Dominus in auribus veſtris differere, vt præmoniti fortius contra aduerſarium inuiſibilem poſſitis dimicare. Verba non ignoratis viri ſapientis, qui in Eccleſiaſtico dicit: *Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & in timore, & prepara animam tuam ad tentationem.* *Iob.7.* *Eccl.2.*

Nemo ſe liberum à tentatione exiſtimet fratres, quamdiu in hac mortali conuerſatione graditur, ſed quanto in DEI timore quiſque amplius profecerit, tanto ſibi nouerit cautius eſſe viuendum. Dicit enim ſanctus Papa Gregorius: *Hoſtis noſter quanto magis rebellari ſibi conſpicit, tanto amplius expugnare contendit: Eos enim pulſare negligit, quos quieto iure ſe poſſidere ſentit. Fugientem à ſe diabolus perſequitur, & eum qui rebellat ſuo imperio ſubuertere conatur.* *Gregor. l. 24. mor. c. 12.*

Vos ô viri quanto amplius in ſpirituali conuer-

uersatione proficitis, tanto maiore instantia contra aduersarium salutis vestræ oportet vigiletis. Nam, vt sanctus Ioannes Chrysostomus ait: *Nunquam dormit noster aduersarius, sed in perniciem semper vigilat generis humani, cum nemo nostrum potest resistere, nisi qui omni tempore in timore domini didicit vigilare.* Et sanctus Leo Papa vrbis Romæ, in quodam sermone dicit: *Non desinit antiquus hostis tentationum laqueos vbique prætendere, vt quoquo modo fidem credentium corrumpendo valeat denigrare. Nouit enim cui illecebras carnis ingerat, cui virus inuidiæ infundat, cui incitamenta luxuriæ apponat. Nouit quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Omnium discutit mores, omnium ventilat causas, omnium scrutatur affectus. Ibi quærit causas nocendi, vbi viderit quenquam diligentius occupari.* Nulla sunt sine tentationum experimento opera virtutis, nulla sine perturbationibus fides, nullum sine hoste certamen, nulla sine congressione victoria. Hinc sanctus Iacobus Apostolus in epistola dicit: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Hinc iterum dicit scriptura: *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Sed ne quis putaret diabolo permissum tentare homines quantum desiderat, sanctus Christophilus clamat: *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* Et sanctus Augustinus: *Tantum*, inquit, *permittitur diabolus tentare quantum tibi prodest, vt exerceari, vt proberis, vt qui te nesciebas, à te ipso inueniaris.* Potest enim diabolus permittente Deo excitare tentationis motum, sed in tua est liberrima potestate si velis tentanti dare vel negare consensum. Vnde cum tentaret in deserto Dei filium, non impulit, non tetigit, non, coegit, sed tantum dixit, *Mitte te deorsum*, vt intelligas quoniam non potest vincere nisi volentem. Idcirco diuus Christi Apostolus dixit: *Resistite diabolo & fugiet à vobis.* Potest enim suggerere malum diabolus, cogere non potest, nec superare, nisi consentias. *Vita nostra*, sancto testante Augustino, *in hac peregrinatione nō potest esse sine peccato & tentatione, quia profectus noster per tentationes augetur, nec si-*

bi quisquam innotescit nisi tentatus, nec potest coronari nisi vicerit, nec potest vincere nisi certauerit, nec potest certare nisi inimicum & tentationes habuerit. Dicit namque scriptura: *Qui non est tentatus, qualia scit? Nemo enim coronabitur, nisi qui legitime certauerit.* Accedentes igitur ad seruitutem Dei, fratres charissimi, state in iustitia & timore, & quandiu potestis vinci ab aduersario, nolite gloriari. Semper vigilate, semper timete, quoniam hostis eum quo inistis certamen, nunquã dormit, non quiescit, non cessat à persecutione: vobisque insidians semper, nunquam fatigatur. Quod si aliquando superatus fuerit, mox ad nouum certamen consurgit, nec desistit ab impugnatione bonorum, donec victus omnino succumbat, aut certe importuna perseuerantia concertantẽ vincat. Vnde & sanctus Papa Gregorius dicit: *Antiquus hostis ex primo certamine dum se succumbere considerat, alia tentationum bella restaurat. Intuetur humani generis cautelosus aduersarius, vniuscuiusque mores, & cui sint vitio propinquiores, illa ponit ante faciem cordis, magnisque vtitur viribus vt subuertat statum mentis.* State in timore domini firmiter radicati, & cunctas facile superabitis tentationes inimici. Scriptum est enim in libro Prouerborum: *In timore domini fiducia fortitudinis.* Et iterum: *Per misericordiam & fidem purgantur peccata, per timorem autem domini declinat omnis à malo.* In Ecclesiastico vero sapiens dixit: *Timor domini expellit peccatum. Nam qui sine timore est, non poterit iustificari. Iracundia enim animositatis illius subuertit eum.* Idcirco Salomonis testimonio *Beatus* ille dicitur *homo qui semper est pauidus: qui vero mentis est duræ, corruet in malum.* Animas quoque vestras per studium sanctæ conuersationis præparate ad tentationem, vt cum venerit possitis resistere, & eo fortiores stare. Nam facile superabitis diabolum, si præparati semper accesseritis ad bellandum. *Ecce aduersarius vester tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret*, cui vos oportet in fide Domini nostri IESV CHRISTI resistere, si victoriam cupitis obtinere. Nullus hic fugiendi locus conceditur, nulla securitatis morula pugnantibus indulgetur, sed congrediaris necesse est, superaturus hostem, si fortiter steteris, aut vincendus ab eo si male pugnaueris. Hac lege mundum in-

Chrysost. hom. 60. in gen.
Leo serm. 7. de nati.
Iaco. 1.
Eccl. 27.
1. Cor. 10.
Augu. in Psal. 61.
* Matt. 4.
Iaco. 4.
Augu. in Psal. 60.
Eccl. 34.
2. Tim. 2.
Greg. 31. mor. c. 29.
Pro. 14.
Pro. 15.
Eccl. 1.
Pro. 28.
1. Pet. 5.

trauimus omnes, vt pugnando vincamus: hac sumus conditione homines facti, vt superatis illecebris carnis, pares Angelis sanctis euadere debeamus. Nunquam desunt monachis certamina, quoniam quandiu versamur in carne, tentationibus necessario sumus expositi. Dicit enim scriptura: *Pſa.33.* *Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos dominus.* In omnibus autem tentationibus nostris illud Esaiæ Prophetæ ad memoriam sedulo reuocemus dicentis: *Qui ablactati estis à lacte, qui abstracti ab vbere, tribulationem super tribulationem expectate, spem super spem adhuc pusillum propter malitiam labiorum, propter linguam malignam.* Ablactati & abstracti ab vbere sunt viri ætate prouecti, quorum est tribulationem super tribulationem propter Deum suscipere, vt spem super spem mereantur reportare, sacra dicente scriptura: *Sed & gloriamur in tribulationibus nostris, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem. Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis. Per multas enim tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* *Rom. 5.* *Act. 14.*

Tentationibus namque nobismetipsis innotescimus, & experimur si DEVM veraciter timeamus. Hinc dominus per Moysen ad populum loquitur dicens: *Tentat vos Dominus DEVS vester, vt sciat si diligatis eum de toto corde vestro, & de tota anima vestra.* *Deu.13.* Mundus iste, fratres charissimi, fornaci comparandus est, in qua continue ardet ignis tentationis & aduersitatis, per quam necessario nobis est transeundum. In hac fornace tribulationis palea comburitur, aurum vero & argentum ab omni macula purgantur: Palea in cinerem vertitur, aurum ad ornatum & decorem regalis Palatii reseruatur. Fornax, inquam, est mundus, ignis tentatio siue tribulatio, aurum homines iusti, palea vero iniusti & peccatores: artifex qui purgat aurum, ipse est omnipotens DEVS, qui nostris profectibus fauet, & ad virtutis meritum cooperatur per gratiam. *Mundus hic fornax quædam est iustis.*

Quod ergo vult Deus, faciamus, quod imponit patienter pro eius amore toleremus, quoniam vt facer Christophilus, inquit, *non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenturam gloriam quæ reuelabitur in nobis.* *Rom.8.* Hinc sanctus Hieronymus ait: *Quis non tribulari velit, quis se maledici non desideret, vt mereatur Christi voce laudari, & cælesti copiosaque mercede munerari?* *Hierony. ep.22.* Vtinam propter domini mei nomen atque iustitiam, cuncta infidelium turba me persequatur & tribulet. Vtinam in opprobrium meum totus hic mundus consurgat, tantum vt merear à Christo laudari, & ad suæ pollicitationis properare mercedem. Et sapiens in Ecclesiastico dicit: *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* *Eccl. 17.* Quisquis igitur vestrum, ô fratres mei, ad regnum cælorum peruenire desiderat, quisquis DEO placere super omnia curat, pro eius amore tribulationes tentationum libenter discat suscipere, & quicquid occurrerit aduersi, gaudenter sustinere. Nemo enim est nostrum, qui purgatione quotidiana non indigeat, nemo qui singulis momentis ferme non delinquat. Si ergo propriam salutem diligimus, si nobis remitti nostra delicta, & purgari ab omni cordis macula flagitamus, patienter sustineamus quicquid aduersi nobis acciderit, quoniam plus animam purgant mala tribulationis, quæ pro Dei amore patiéter tolerat, quam opera bona que nunc in hoc mundo sua sponte patrat. Magna nobis in hoc loco patiendi materia relicta est, quos inopia grauiter premit, paupertas deprimit, æris quoque alieni debitum constringit. Quid in hoc monasterio non experimur aduersi: quas non procellas & tempestates patimur fratres? quibus non exagitamur incommodis? Quam fuerint omnia desolata huius cœnobii bona, cum ante annos quindecim obseruantia introduceretur regularis, nullus vestrum ignorare potest. Sed in me grauius debacchatur inopiæ communis tribulatio, qui vobis vitæ necessaria prouidere debeo: & sæpius vnde reddam, non satis scio. Consolatur autem spiritum meum patientia vestra, & spes quam in domino saluatore humilium concepistis, vt non dubitem eius misericordiam cum tempore affuturam, & audio mihi dicentem per Esaiam Prophetam. *Ecce excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis.* *Esa. 48.* Libenter autem *Magis purgant tolerata mala quã bona peracta.*

tem habebo patientiam in paupertate, quam Deo sic ordinante nunc patimur, vt venire post mortē ad æternitatis diuitias mereamur. Quāto enim in hac peregrinatione nostra iam persecutionibus, paupertate, inopia, laboribus & tribulationibus fuerimus afflicti, tanto in futura remuneratione iustorum domino largiente maiora præmia consequemur. Me cum itaq; fratres mei, tolerate patienter, quicquid omnipotēs Deus pati nos præordinauit, quoniam, sicut diuus papa Gregorius ait, *in omnipotente Deo tunc certa est fiducia, quando pro opere bono aduersitas additur, & in hoc mundo flagellum Dei cum gaudio recipitur, vt pulchrior merces in retributione sanctorum futura seruetur.* Iterum quoque dicit. *De spe sempiternæ hæreditatis gaudium sumunt, quos aduersitas vitæ temporalis humiliat, quia non saluandos in perpetuum cerneret, si erudiendos sub disciplinæ regimine diuina dispensatio non frenaret. Afflicti terrena perdimus, sed afflictionem humiliter sustinentes, bona nobis cælestia multiplicamus. Via quippe est vita præsens, qua ad patriam tendimus, & idcirco frequenter in ea perturbationibus tangimur, ne hic esse patriam arbitremur.* Gaudeat ergo in aduersitate sua monachus, lætetur tentatus, cui crucifixus est mundus. ad Dei se confidat pertinere consortium, qui pura conscientia bonum semper operatur, & recipit in tribulatione contrarium. Vetissimum enim diuinæ miserationis indicium est, si homo Christianus variis aduersitatibus in hoc mundo percutitur, qui pura conscientia Deo seruiens in vera humilitate sine offensione conuersatur. Frequenter enim misericors Deus eos quos diligit, variis modis in hoc mundo percutit, quibus æterna præmia in cælo præparauit. Quosdam vero sciens multum posse peccare, ne peccent, infirmitate corporis præoccupat, & in salutem eorum misericorditer flagellat cernens eorum animabus vtilius esse languoribus frangi ad salutem, q̄ viuere incolumes ad damnationem. Alios vult esse pauperes, quos prænouit diuitiis vti non posse ad salutem. Multis enim huius mundi opes atque diuitiæ causam æternæ damnationis præbuerunt. Vnde Sanctus papa Gregorius iterum dicit. *Multos sua peius felicitas strauit, multos diuturna pax vitios reddidit: eoq; illos inopinatus hostis grauius percellit, quo longo quietis vsu negligentes inuenit. Vnde sancti viri cum multa se proficere virtutū prosperitate considerant, quodam supernæ dispensationis moderamine exerceri se etiā tentationib. exultant, qa tanto robustius acceptam virtutū gloriā custodiunt, quanto tentationis impulsu concussi, infirmitatem suam humilius agnoscunt.* Compendiosum iter ad Christum est via tribulationis, & citius quam in tranquillitate in eo reperitur. Dicit enim S. præsul Ambr. *Multi sunt qui in ocio quærunt Christum, & nō inueniunt, & sunt qui quærunt in persecutionibus, & cito inueniunt.* in periculis fidelium suorum adest, quemadmodum in psalmo de iusto loquitur dicens: *Cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum & glorificabo eū.* Custodiatur in aduersitate conscientiæ puritas, seruetur vitæ inuiolata semper integritas, & erit nobis proculdubio ad salutis meritum q̄cunq; aduersitas. Neminē antiquus hostis concertando potest deiicere, nisi quē inuenerit prius à semetipso defecisse. Ocio q̄rit torpentē, incautum supplantat miliē, illumq; prosternit facillime, quē armis inuenerit denudatum. Propterea fratres mei semper vigilate in orationib. sanctis, semp instate operibus bonis, vt quotiēs tentator accesserit, nūq̄ inueniat ocioſos. Mementote verborū saluatoris nostri Iesu Christi in sacro euāgelio dicentis: *Sint lumbi vestri pcincti, & lucernæ ardētes in manib. vestris, & vos similes hominib. expectātib. dominū suū quādo reuertatur à nuptiis, vt cū venerit & pulsauerit cōfestim aperiāt ei.* Vigilat, q̄ solidus in timore domini consistēs, nunq̄ torpore mētis dormitat. Vigilat, qui animā suā cōtra q̄libet huius mūdi aduersa p sancti constantiā propositi infatigabilē cōseruat. Vigilat, quisquis proficere quotidie in amore domini nō cessat. Lucernā in manib. baiulat, quisquis sanctitatis propositū cōdignis operationib. exornat. Lucernā quoq; tenet in manib. quisquis mente & corpore purgatus, proximo lucet opib. sanctæ pietatis. Hinc S. Christi amator Paul. in epist. dicit: *Obsecro vos charissimi per misericordiā dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiā viuentē, sanctā Deo placentē.* Qui corpus suū per sanctæ abstinentiæ studia castigās in seruitutem spiritui redigit, viuentē domino hostiam cōsecrauit. Quisq; autē cor suū ab omni pollutione peccati mundū & purū conseruare iam didicit, sanctā proculdubio hostiā domino immolauit. Quisquis vero

G. 8. mor. c. 7. & l. 23. c. 24.

Variis modis tentat ac seruat Deus homines.

Tentationib quomodo resistendum.

Luc. 12.

Rom. 12.

in sanctitatis proposito perseuerauerit vsq; ad finem, hostiam sine dubio obtulit placentem. Lumbos autem præcingimus, dum nos ab omni specie libidinis puros & immaculatos corpore & mente custodimus. Magni apud Deum meriti virtus est sanctæ castitatis, & pro magnitudine certaminis singulari præmio in retributione iustorum donanda, dicente Esa.56. Domino per Esaiam prophetam. *Hæc dicit Dominus enuchis: Qui custodierit sabbatha mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus. Nomen sempiternum dabo eis quod non peribit.* Et de his in sancto euangelio dicit dominus: *Sunt enim eunuchi qui de matris vtero sic nati sunt, & sunt eunuchi facti ab hominibus,* Matt.19. *& sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat.* Quare autem dixit, *qui potest capere capiat?* Puto quod ista eunuchorum illatio qui seipsos castrant amore regni cœlorum, Felices eunuchi qui non ad excisionem genitalium referēda sit membrorum, quod pleriq; existimantes errauerunt à veritate euangelii, sed potius ad mentis imperium, quo castitas seruatur integra, Christi amore concepta. Seipsos enim propter regnum Dei castrant, qui veram mentis & corporis castitatem pro Dei amore in violabilē obseruant. Et sicut corporaliter nemo facile castratur sine magni cruciatu doloris, ita nemo sine maximo laboris studio peruenire sufficit ad perfectionem castitatis. Et certe nemo castus viribus suis, nemo pudicus meritis propriis. Deus est qui dat bonam voluntatem, ipse est etiam qui voluntati, vt possit, connectit virtutem. Quoniam vero non est multorum cœlibes viuere, suo relinquit vnumquemq; arbitrio, dicens: *Qui potest capere capiat.* Abscissio membrorum castam non efficit mentem, quoniam radix luxuriæ interior est quam vt pudendorum amputatione possit auferti. Mens vero si casta & integra fuerit, facile membrorum insolentiam refrenabit. Nihil enim fortius mente hominis Deum puro corde super omnia dulciter amantis. Cogitate nunc fratres charissimi futura præmia pulchritudinis, & non grauabit vos labor castitatis. Ad magna enim præmia celsitudinis, ardui peruenitur instantia laboris. Quicunq; igitur laborem subterfugit certaminis, nunquam perueniet ad celsitudinem honoris. Breue nunc tempus est in quo laboramus resistentes diabolo, sed veniet quantocyus æternum, quo regnantes sine fine exultabimus cum Christo. Castigetur corpus abstinentia discreta ne mentis imperio recalcitret, frangatur concupiscentia carnis sanctis exercitiis, vt semper obediat consiliis rationis. Caro castigetur. Si quando lasciuis mentem pulsare motibus cœperit, etiam coerceatur verberibus, quia melius est vt liuor plagarum humiliet dorsum, quam carnis petulantia animam præcipitet in infernum. Dicit enim scriptura: *Qui delicate à pueritia sua nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem.* Prou.29. Caro seruus est mentis, quæ semper imperio debet obedire rationis. Quod si caro nimis licenter nutrita fuerit, ferre spiritus imperium iam voluptatibus assueta recusabit. Seruus enim Domino suo contumax efficitur, quotiens delicate ab eo per consuetudinem nutritur. Difficile autem est seruum rebellem & contumacem ad humilem obedientiam reducere, postea quam longo tempore consueuit recalcitrare. Scriptum est enim: *Seruus verbis non potest erudiri, quia* Prou.29. *quod dicis intelligit, & respondere contemnit.* Propterea sapiens in ecclesiastico dicit: Eccle.33. *Cibaria & virga & onus asino, panis & disciplina & opus seruo. Operatur in disciplina & quærit requiescere, laxa manum illi & quærit libertatem. Iugum & lorum curuant collum durum, & seruum inclinant operationes assiduæ.* Si hæc scripturarum testimonia ad moralem sensum literali mutare cœperimus, omnia quæ de seruo & asino sunt dicta, quam recte conueniant carni pigræ ac delicatæ, inueniemus. Vere etenim caro seruus est animæ, quæ semper contra dominam erigitur, nisi disciplina & opere quotidie fatigetur. Hanc enim qui in ocio & voluptatibus omni tempore delicate nutrit, contra spirituales instinctus necessario sentiet contumacem, quia dum caro in superbiam erigitur, spiritus ocio longuescens & tepidus infirmatur. Nisi ergo hunc seruum tuum, videlicet carnem, ô frater monache, per opus & abstinentiam continue humiliaueris, nisi motibus eius illicitis frenum continentiæ ac sobrietatis imposueris, totus illa præeunte in præcipitium ibis. Scimus enim, sancto dicente apostolo, *quo-*

Gal.6. lo, *quoniam caro concupiſcit aduerſus ſpiritum*, & niſi ſpiritu mortificauerimus opera carnis, in eius corruptione moriemur. Nihil amplius præcipitat animam in foueam peccati, quam inſolentia carnis; quæ dum ſuo viuere arbitrio permittitur domino ſeruus contumax reluctatur. Caro infelix quæ concupiſcentia vanitatis præcipitas animam, non tibi cedet impune, ſi quid te ſuggerente mali commiſerit, quoniam Deus vtranq; iudicabit. Væ tibi cum illa peccauerit, quia dum Adam de paradiſo tranſgreſſor mandatorum expellitur, Eua incentrix malorum neceſſario miſerum comitatur. Eſto conſentiens ſpiritui caro, quia dicit apoſtolus:

Gal.3. *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Et vos, ô viri fratres, qui Chriſti militiam profitemini, qui in legem monaſticæ conuerſationis voluntarie iuraſtis, qui ſaluatoris imitari veſtigia promiſiſtis, attendite vocationem veſtram, vt caute ambuletis, non quaſi inſipientes, qui omni vento agitantur, ſed tanquam veri amatores Ieſu Chriſti, qui ſpiritu facta carnis mortificarũt. Vos, inquam, commilitones mei amantiſſimi ſemper in bonis operibus vigilate, mortificantes pro Chriſti amore corpora veſtra quæ ſunt ſuper terram, in ieiuniis & orationibus aſſidui: & in meditatione diuinarum ſcripturarum iugiter occupati. Semper vos in anteriora extendite, quotidie feruorem ſancti propoſiti nouo ſtudio reformate. Ocium & omnẽ deſidiam fugite, & quam breue ſit huius vitæ tempus, ſedulo cogirate. Nõ vos terreat breuis & modicus labor duri certaminis, non reddat puſillanimes improbitas hoſtis, quoniam labor omnis importunitate voluntaria cito vincitur, & diabolus quantumlibet ſæuiat, mox vt Chriſtum inuocaueritis, ſuperatur. Mementote verborũ domini & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti in ſancto euangelio dicentis.

Luc.9 Crux monachorũ qua. *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.* Crux autem noſtra, fratres mei, quid eſt niſi vita tentationibus & aduerſitatibus plena, & onus diſciplinæ regularis, ſub quo die fatigamur & nocte? Sed congregemus corda noſtra, fratres chariſſimi, & ſuſtineamus pro Dei amore gaudenter quicquid ille nos voluerit ſuſtinere, vt dicere in eius iudicio mereamur. *Tranſiuimus per ignem & aquam, & induxiſti nos in refrigerium.* O quam glorioſa merces in regno cœlorum ſeruis Dei reponitur, qui in hoc breui ſtadio certantes nunc pro eius amore fatigantur. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, illius immenſitas boni, quod omnipotens Deus ſuis amatoribus in æterna fœlicitate præparauit ſine fine perpetuo manſurum. Huius autem boni ſumma fœlicitas humilitate acquiritur, puritate cordis & diuini feruore amoris poſſidetur. Illo feſtinemus fratres chariſſimi, illo quanta poſſumus deuotione mentis curramus, vbi creatori per fruitionem dulcedinis coniungitur ſpiritus, vbi in cognitionem ſummi boni, quod eſt Deus, perficitur intellect⁹. Ibi eſt gaudium ſempiternæ fœlicitatis quod non minuitur, ibi lætitia quæ non terminatur, ibi laborum omnium perpetua requies, ibi tribulationum & iniuriarum pro Chriſto glorioſa merces. Quicquid boni nunc agimus, ibi proculdubio inueniemus repoſitum. quicquid pro amore Chriſti patienter ſuſtinuerimus aduerſi, ibi recipiemus præmio copioſiſſimo remuneratum. O monache, monache, qui tempus infructuoſe expendis tibi ad bene operandum à Domino Deo miſericorditer conceſſum, quid metes aut quid mercedis recipies in illa terribili hora, qui nunc tam piger & inuoluntarius es ad ſeminandum? An ſcriptum de ſanctorum laboribus non legiſti? *Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua: Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos.* Pſalm.65 Eſa.64. 1.Cor.2. Pſal.125.

Iam tempus eſt operandi agrum cordis tui, ô monache, nunc hora ſeminandi bonum ſemen cum hilaritatis benedictione, quoniam qui parce nunc ſeminat, in illa quoq; futuræ mercedis retributione parce & metet. Laborandum nunc eſt, & nunquam à bono opere ceſſandum, quoniam quicquid iam hic operati fuerimus, ibi proculdubio recipimus. 1. Cor. 9.

Si quis ergo fidelis inter vos eſt monachus, ſi quis propriæ ſalutis ſtudioſus amator, ſemper horam futuræ mercedis, quam nemo poteſt ſubterfugere, cogitet, ſemper ad reddendũ villicationis ſuæ rationem ſe paret.

Nulla dies vnquam prætereat, in qua

in qua non fecerit aliquod opus bonum singulariter quod ad futuram retributionem præmittat. Illum se diem expendisse inutiliter existimet, in quo non præmisit bonum opus quod remunerandum expectet. Agrum cordis sui monachus bonus omni tempore studeat excolere, & omnes sentes ac tribulos malarum affectionum penitus quantum præualet extirpare. Discat dominum Iesum super omnia pura mente diligere, & quicquid mandauit ille, diligentissime custodire. Seminet in lachrymis deuotionis & constantiæ, quod metat cum omnibus sanctis in exultatione. Non deterreat mentem laborandi difficultas assidua, nõ frangat animum carnis decertatio dura, quoniam qui parum laborat, parum fructus in messe colligit: & qui nunc multũ pro Christi amore in lachrymis seminat, fructũ in die copiosissimũ reportat. Hęc enim destinatio nostri est itineris fratres, quod in præsenti peregrinatione agimus vt continua laborum & aduersitatum exercitatione purgati, hinc mundi & puri ad patriam exeamus.

De fugiendo prauorum consortio.

Homilia XI.

PRauorum consortia multos à via Domini & saluatoris nostri Iesu Christi retraxerunt, propterea, fratres mei amãtissimi, non cessamus admonere vos, quatenus cum bonis & sanctis in via domini ambuletis, quorum institutione & exemplo quotidie meliores euadatis. Nam sicut diuus ait Christi Apostolus, Menandri cuiusdam græci senarium imitatus, *corrũpunt bonos mores colloquia praua.* 1. Cor. 15. Bonus esse veraciter non desiderat, quem prauorum conuersatio delectat. Nemo enim praua loquitur, nisi qui prius in corde suo contra puritatem euangelicæ traditionis cor ruptus & deprauatus inuenitur. *Index pectoris sermo.* Qualis vnusquisq; est, & qualia in secreto cordis sui ruminando & cogitando peragit, talis ab eius ore sermo frequentius procedit. Cordis enim testis veracissimus est sermo loquentis, domino ac saluatore nostro in S. euangelio dicente, *quoniam ex abundantia cordis os loquitur. Nam bonus homo de thesauro cordis sui profert bona, & malus profert similiter mala.* Luc. 6. Cum ergo bonus non sit qui male loquitur, cauendi nobis sunt omnes qui prauis scurrilibus & perniciosis vtuntur sermonibus, in quorum locutione turpiora quædam frequenter resonãt, sanctitatis autem verba aut nũquam, aut rarissime audiuntur. Turpis sermo impudici cordis indicium est, etiamsi opera nõ sequuntur. Vos igitur, fratres mei charissimi, qui non solum in opere castitatem & omnimodam pudicitiam seruare vsq; ad mortem implicita professione simul & expressa secundum regulam & statuta diuinorum patrum ecclesiastica promisistis, verumetiam ab omni cogitatione immunda longe debetis esse alieni, consortia prauorum hominum fugite, & conuẽtus malignantium: & qui loquuntur iniqua, turpia, seu ociosa, omni tempore declinate. Mementote scripturæ dicentis: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo, induet superbiã* Eccl. 11. Hinc S. papa Greg. dicit. *Infirmi vitare debent societatem prauorum: ne mala quæ frequenter aspiciunt, & corrigere non præualent, delectentur imitari.* Greg. hõ. 9. in l. 1. Ezech. Et diuus Ioannes episcop⁹, *Bonus*, inquit, *malo si connectitur, aut pares redduntur, aut cito ab inuicem separantur. Amicitiæ enim pares aut quærunt aut faciunt.* Chr. in Matth. Rerum etiam natura sic est, vt quotiens bonus malo coniungitur, non ex bono malus melioretur, sed ex malo bonus contaminetur. Diuersitas enim rerum nunquam potest habere concordiam, & multos solicitat nefanda societas. Sunt inter vos quidam fratres, gemens dico, regularis disciplinæ multum obliuiosi professores, quibus cella carcer est, chorus obsidium, oratio nausea, silentium pœna, scripturarum lectio fastidium. Amor Dei corda eorum, aut nunquam, aut raro sursum erigit, quorum conuersatio tota in inferioribus consistit. Quotienscunq; me contingit esse absentem, mox in se conueniunt, non de Christo neq; de dulcedine regni cœlestis, neq; de integritate obseruantiæ regularis, sed longum de vanis & inutilibus huius mundi negociis sermonem proferunt, & de quibus monacho non licet cogitare, fabulis regumq; bellis se colloquendo intromittunt. Quicquid autem his loquor, quicquid dico, quoq; diniungo pœnitẽtiæ, nihil proficit, quos mala consuetudo ab initio suæ institutionis deprauauit. Nihil autem deterius

terius consuetudine mala. Monachus enim, qui nouitius & iuuenis negligitur, omnibus vitæ suæ diebus in torpore & ignauia conuersatur. Dicit namq; scriptura: *Adolescens ambulans iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Propterea vobis dico, venerandi senes, vos precor, vos moneo, & per Dei misericordiam qua possum instantia rogo, ita iam deinceps viuite, ita conuersamini, ita ambulate, quatenus annis, conueniant mores senectutis: & qui iam longe processistis in senium, exemplum sanctitatis institutioni præstetis iuniorum.

Prou. 23. Adhortatio ad senes.

Vobis proculdubio ascribitur, quicquid de esse iuniorum morib. inuenitur vos n. iuniores in omni sãctitate in verbo & in opere debetis p̃cedere, vos illis exẽplum totius perfectionis iubemini exhibere, vt dum omnium in vobis opera virtutum perfecta conspiciunt, quasi verecundiæ quodam impulsu prouocati, ad imitationem sanctitatis vestræ concitentur. Mores etenim seniorum, iunioribus viuendi præbent exemplum, sicuti prouerbio dicitur, *Quod cecinere senes, hoc & iuuenes didicerunt.* Vos autem iuniores reuerentiam cum humilitate senioribus, illorum considerando caniciem exhibete: & quos in obseruantia regularis disciplinæ feruentiores cognoscitis, eorum vos consortio habere præceptores gaudeatis. Cauete illos, qui vel inquiete ambulant, vel puritatem regularis disciplinæ negligentius obseruant. Non omnes, qui dicuntur seniores, iuniorum imitatione sunt digni: nec monachum anni faciunt venerabilem, sed mores in Dei amore cum prudentia constituunt venerandum. Propterea quicunq; in vobis, fratres charissimi, verus Dei cupit esse amator, quicunq; proficere in sancta conuersatione monastica desiderat quam profitetur, indisciplinatorum fratrum consortia semper fugiat, & suo proposito consentientes in bonum commilitones quærat.

Ad iuuenes.

Dicit namq; propheta in psalmo. *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris.* Multis enim nocuit societas mala: & qui delectatur habitare cum reprobis, non erit immunis à contagione peccati. Omnis quippe qui cum malis conuersatur & reprobis, necesse est vt eorum peruersitate aliquantulum eius vitietur integritas. Aut enim diligit illos, & similis eorum efficitur malus; aut odio habebit, & erit inimicus multorum, & ob id necessario inquietus. Quod si multitudine prauorum deuictus eorum delectari consortio semel cœperit, iam & ipse deprauatus est, & paulatim amplius deprauabitur. Si vero malorum opera detestatus fuerit, graui mentis incommodo laborabit, & erit in proficiendo ad melius tanto tardius in ipso desiderium, quanto inquietatur amplius consortio peruersorum. Ago tamen gratias omnipotenti Deo pro vobis, quoniam & si non omnes in Dei charitate, vt optarem, estis feruidi; à magnis tamen, vt confido, peccatis & superbiæ temeritate omnes procul viuitis alieni. Exhortationes meas & parernas admonitiones, quas vobis facio, vt teneor, quotidie libenter suscipitis, quamuis illas in opere necdum perfecte omnes exhibeatis. Spero autem in Domino Iesu, quoniam perficiet in vobis bonum quod cœpit, vt impleatur gaudium meum, & videam vos omnes vno studio, vno proposito, vno sancti feruoris incendio flagrantes, in ergasterio delectari & exerceri diuini amoris.

Psal. 17.

Paterna solicitudinis imago

Cum autem hoc desiderium meum nonnulli vestrum differant, animum plenioris emendationis necdum assumentes quem cupio, iusta necessitate compellor admonere proficientes, quatenus consurgentes animo virili, societates priuatas & nocentes fugiant tepidorum.

Adhuc enim paruus in eorum cordibus est ignis diuini amoris, adhuc nouitium & debile sancti feruoris ardet incendium, & nisi quoridianis fomentetur augmentis, facile sentiet detrimentum.

Idcirco iterum atq; iterum admoneo vos, qui amoris interni cœpistis experiri feruorem, pergite constanter animo, quo Domino inspirante destinastis, & si quos in hoc itinere sancto vobis opere vel sermone inueneritis contrarios, vt pestiferum virus declinate. Nam sicuti aqua extinguit ignem cui infunditur, sic nouitiorum sanctum propositum exemplis tepidorum violatur. Cauete illorum

inter-

interesse colloquiis, quos in obseruantia mandatorum Dei & monasticæ puritatis conspicitis negligentes: quia cum sint passionibus agitati carnalibus, ex abundantia cordis nihil aliud quam vana & carnalia loquuntur. Corrumpunt enim mores iuuenum bonos, senum colloquia praua. Vana sunt cuncta illorum studia, & inutiles immo pestiferi sermones, qui carnaliter sapientes diuini amoris exercitia non nouerunt. Enimvero, sicut vna ouis morbida paulatim vniuersum corrumpit ouile, ita vnus in congregatione monachus acedioſus & peruersus, multarum sæpe fit causa transgressionum. Quemadmodum sancto Christophilo te stante, *modicum fermentum totam farinæ massam* cui miscetur suo *corrumpit* odore. ita monachi iuuenes atq; nouitii, qui cũ tepidis & acedioſis conuersantur senioribus, illorum prauis moribus imbuuntur, & nunquam deinceps ad sancti feruoris integritatem reformantur. Quocirca vobis senioribus dico, Estote bonis operibus castisq; & semper pudicis sermonibus iuuenum forma viuendi, vt quotiens pro suis emendantur delictis, seniorum se non tueantur exemplis. Turpissimum est enim seniores in illis esse culpabiles, pro quibus merito corripiuntur iuniores. Ita precor senes viuite, vt coram vobis nihil quod videatur esse reprehensibile, iuniores aut loq; præsumant aut facere. Iudices vos timeant malorum, non patronatus vicem agentes, quoniam quotquot exemplo vestri peccauerint, vestro periisse magisterio reputantur. Non sit inter vos tepidus quisquam aut desidioſus, quoniam & desideria occidunt pigrum, & perimit vanitas omnem monachum ocioſum. Non sit in vobis homo verboſus, girouagus, circumcellio, murmurans & inquietus, quoniam quisquis talibus delectatur studiis, & se malo perdit opere, & fratrem suum occidit exemplis. Non sit inter vos irrisor simplicium, non humilium contemptor, aut temerarius quisquam taxator, quoniam qui ad irridendum est promptulus, in stultitia sua consummabitur, & non erit glorioſus. Os suum aperit contra humilem, semper quærit iurgia, & gaudet se factis aliorum esse loquacem. Non prosperabitur in consilio suo, & si fuerit aliquo sublimatus honore, cito corruet in profundum. Odibilis est Deo superbia eius, quoniam quum sit stultus & fatuus, eruditum se gloriatur & sapientẽ. Cito denudabitur insipientia eius, & grauis eum occupabit interitus.

1.Cor.5.

Prou. 21.

Aduersus irrisores bonorum operum.

Cor eius meditabitur stultitiam, & non est pax incircuitu eius. Odio erit proximis atq; vicinis, & nullus illum fidelis amore aliquo prosequet amicus. Vitã ducit in hypocrisi assumptæ simulationis, & multos sua stultitia trahet in auersionem. Pacem odit, discordiam diligit, in ignauia mẽtis suæ capietur, & non erit qui condoleat. Afflictione duplici conteretur, pro eo quod habentibus pacem non permisit. Diabolus in lingua eius nidum composuit, & satanas in mente illius fixit domicilium. Propterea non est amor fratrum in corde ipsius, quoniam disseminat inter pastorem & oues discordiam. Amicum se Dei gloriatur, & similem in obseruantia regulari neminem accipit, sed maximum ornamentum monachi humilitatem non intelligit. Os suum ad verba spiritualis ædificationis non aperit, & ex corde illius nihil aliud quam vanitas procedit. Diem totam mente dissolutus & corpore vagus, discurrit in cœnobio, sermoni vacat inutili & penitus ocioso, nihil de salute animæ cogitat, ventrem pro Deo curat. Custodi mentem tuam ab eius eloquio, & in viam sermonum eius pedem tuum ne posueris.

Quisquis te monachum & Dei ministrum exhibere desideras, quisquis dominum Iesum in toto corde veraciter amas, esto cautus & vigilans in omnibus operibus tuis, & consortia semper eorum fugito, in quorum vita nihil doctrinæ cœlestis conspicitur. Humilium & perfectionem sectantium monachorum comes esto & socius, & eum quem in Dei timore cognoueris esse fundatum, libenter admitte præceptorem atq; magistrum.

Cum his qui amant disciplinam & mentis puritatem, libenter ambula, & noli esse quasi homo qui omni vento cedit agitatus, sed confirma in bono proposito animam tuam, ne prauorum decipiaris consilio. Optimum est enim gratia stabilire cor & nec posse decipi, nec velle decipere. Fratrem disciplinarum

rum habeas tibi amicum, & eum qui te verbo corrigit à malo, & exemplo instruit ad bonum, ama & venerare vt patrem. Cum fratre inquieto non habeas aliquod familiaritatis commercium, nequando eius confortatus prauo exemplo, in rebellionem incidas superborum. Monachus iracundus & murmuratione plenus non sit in latere tuo: & eum qui maioribus recalcitrat, nunquam arbitreris amicum. Quem videris sine benedictione senioris canonem violare ieiunii, vt hostem fuge salutis: & qui loquacitate velox est non existente causa, subuertit pacem, & suscitat lites. Quasi à facie colubri fuge monachum rebellem & inobedientem senioribus, quoniam veneno malitiæ plenus æstuat, & in elatione mētis perdidit animam suam. Qui non obedit mandato senioris, peruersus est: & qui correptus non humiliatur, apostata. Qui fratri suo detrahens obloquitur, non sit in colloquio tuo, quoniam longe est fore deterior. Quem omni studio in obseruantia regulari videris sollicitum, vt patrem amabis, & veneraberis vt amantissimum præceptorem. Eius familiaritate confidenter vtaris, cuius amicitia semper in Dei amore te faciat meliorem. Viros toto studio imitare bonos, & illorum sequere mores, qui vivunt monasticæ perfectioni conformes. Fratrem bonæ voluntatis habe amicum, ab eo autem qui duri cordis est, auerte aures tuas.

Qui leuis est animo, & moribus dissolutus, sit tibi quasi homo qui sepes in agro dissipat. Noli socius esse illius qui regulam & silentium contemnit, qui loca non discernit nec tempora, qui sine benedictione prioris vbiq; verba multiplicat. Monachum vino & potationibus communem monasterii canonem crebrius excedentem vt fomentum luxuriæ & scaturiginem deuita omnium vitiorum.

Monachus qui consilio capitis sui contra senioris mandatum innititur, perditioni est proximus, & festinus anhelat in periculum animæ suæ. Ne communicaueris operibus monachi pertinacis, & ne habeas illius amicitiam, qui sua temeritate maiorum factis cachinnans obloquitur.

In medio disciplinatorum esto continuus, & libenter cum humilibus ambulet anima tua. Qui enim veris coniungitur bonis, virtutem illorum participat: & qui cum malis graditur, cadet in foueam. Monachus autem peruersæ voluntatis seducit plurimos, & qui contemnit obedientiam, nunquam exaltabitur. Qui vocem loquens extollit & clamat in altum vociferans, stultitiam cordis sui non potest abscondere, & in vanitate sua gloriabitur. Amicitia bonorum virorum firma salus est animæ, & in societate prauorum, simplicium innocentia corrumpitur. Societas illorum est optima, quorum Dei timor confirmauit bonorum operum exempla. Nihil precios ius amico timente Deum, & nihil periculosius socio qui prauæ est voluntatis. Frater timens Deum in toto corde suo, pro muro fortitudinis erit amico suo: & qui tali cum sanitate mentis coniungitur, benedictione Dei spiritus omni tempore sanctificatur.

Qui in medio timentium Deum graditur, quasi mutuo in circuitu fortissimo ne deficiat sustentatur. Ex verbis suis cognoscitur seruus altissimi, & monachum bonum opera indicant sanctitatis. Omne verbum turpe, scurrile, & ociosum ab ore timentis Dominum non egreditur: & qui verus amator est Iesu, nihil quod offendat bonitatem, operatur. In ore monachi Deum amantis semper Christus resonat: & qui verus est Dei cultor, sermonem iustitiæ in ore simul & in opere demonstrat.

Qui timet Deum, consiliarius est optimus: & qui ad canonem ambulat, iudex est prudens cogitationum. Senior timens Deum, & in obseruantia regulari * multo tempore probatus & expertus, director est iuuenum: & qui non habet in veste maculam, bonus institutor sit nouitiorum.

Qui diuinarum est intelligens doctor & explanator scripturarum, custodiens in humilitate animam suam, omnia verba oris eius tanquam sint aurea libenter excipe, quoniam neruos habent & soliditatem futuræ fœlicitatis æternæ. Qui vere doctus est, infirmanti compatitur: & qui Iesum diligit, fluctuantem animo ad fortitudinem cohortatur. Qui cũ homine verboso graditur, non euadet cõ

tentionem: & qui delectatur mendacio, nunquam erit sapientiæ amicus. Qui assiduus est in externis, non erit proficiens, & sine causa gloriatur se monachum. Cito propositum sanctitatis corrumpitur, quando monachus extra cellam cum desiderio frequentius euagatur. Qui secretum cellæ suæ sine mandato senioris deserit, ad perfectionem sancti propositi nō contendit. Bonorum vitorum ac Deum timentium pulchra societas: & qui consueuit habitare cum eis, non sentiet confusionem. Tabula munda est cor monachi iuuenis, in qua seniorum conuersatio nunquam delenda inscribitur. Cordis pulchri scriptor est pessimus senior, qui turpia coram iuuene vel agit, vel loquitur. Qui sermone temerario mentes iuuenum inficit, quasi Herodes impius, qui pueros interfecit. Malum quod iuuenis à sene stulto & negligente recipit, etiam presbyter factus non emendabit. Omne vas quod impletur aceto corrumpitur: & monachus qui in nouitiatu negligitur, cum senuerit, non emendatur. Maledictus senex cuius mala conuersatione pereunt iuuenes, quoniam in sequentib. relinquit mala vestigia, quasi qui cæcum sua manu præcipitauit in foueam. Apud internum iudicem tot quisq; mortib. dignus est, quot innocentes prauo exemplo eius perierunt. Senem vitæ moderatorem tuæ requirito iuuenis: nō qui multos compleuit annos in sua conuersatione dissoluta & tepida, sed quem timor domini & scripturarum Dei scientia commendat. Melior est societas monachi adolescentis, qui timet Dominum, quam senis doctoris contubernium, cuius vita non habet lumen amoris diuini, & regularis obseruantiæ integritatem. Senex moribus incompositus, indigens munditia mentis, & carens disciplina, quasi qui læsus in tibia claudus ducitur ad sepulchrum. Monachus senex & dissolutus, similis est homini fatuo, qui nesciens finem, cum latronibus in conuiuio potantium capitur. Senior sine maturitate, quasi fistula sambuci contrita pedibus ludentiū. Vane gloriatur se multis diebus extitisse monachum, qui conuersationis internæ non percepit initium. Qui cordis sui munditiam diligit, à consortio indisciplinatorum fratrum se omni tempore custodit. Sicut adhærens vestibus saltantium macula picis contristat virgines, ita q̄ bonus est iuuenis, ad turpia verba seniorum erubescit. Lasciuus sermo non est hominis Deum timentis, quoniam ex abundantia cordis os loquitur: & qui turpia profert eloquia, non est mundus corā altissimo. Si odire te cœperint peccatores propter timorem Dei, non contristeris, quia nisi malis displiceas, bonorum perfectionem non apprehendes. Malis enim displicere propter iustitiam laudabile est, & diuini amoris manifestum indicium. Si diligis animam tuam, fuge consilia indisciplinatorum, & cum derisoribus ne communicauetis. Cum bonis ambula, & qui timet dominum, fiat consiliarius tuus.

De monachis in viam directis.

Homilia XII.

MOnachorum est mundum fugere, & hominum turbas amore solitudinis, quantum præualent, omni tempore declinare. A solitudine monachus dicitur, sicut ab vnitate vnus nominatur. Monachus esse non potest, qui frequentiam sectatur populorum: & qui delectatur in vrbibus, monasticam necdum gustauit dulcedinem. Qui monachus es, cœnobii solitudinem sine causa rationabili nō debes deserere: & qui obligaris ad silentium, noli colloquiis oblectari mundanorum. Quisquis amat vagos in vrbe discursus, conscientiam suam deseruit: & qui frequens est extra monasterium suum, puritatem interni profectus non custodit. Qui domos parentum circuit, & epulis delectatur proximorum, se non cōsiderat monachum: & qui pergit ad conuiuia potantium, interficit animam suam. Qui dormit in domo cognati sui, quærit solatia: & qui declinat religiosorum conuentus, pernicioſam sequitur libertatem. Monach. in domo patris & matris quasi agnus in medio luporū, & quasi lepus quivenatorum circūdatus est canibus. Si monachus es, si Dei seruus & miles, quid facis in domo parentum: aut q̄d requiris in medio populorum? Monach⁹ extra cœnobium diu manens in medio secularium, quasi homo qui sub aquarum profundo sepeliuit vnigenitum suum.

Monachi est solitudinem amare.

Monach. extra monasteriū, est vt piscis extra aquam.

Nam

Nam ſicuti piſcibus non eſt vita in arido, ita monachis non eſt ſalus animæ in ſeculo. Extra flumen piſcis moritur, & monachi conſcientiæ puritas cito extra monaſterium violatur. Monachorum vita in cœnobio, & mors animorum in medio negociorum ſecularium. Magna virtus animi eſt turbas hominum fugere, aut quibus intereſſe fuerit omnino neceſſarium, mente tamen declinare. Compellimur neceſſitate iter nonnunquam per mundum agere, ſed tanto minus ex hominum occurſu puritas conſcientiæ polluitur, quanto mentis deſiderium à cellæ ſecreto minus elongatur. Monendus igitur nobis eſt monachus, quiſq; bonus, vt quotiens pro cuiuſq; rei neceſſitate, præcepto ſenioris in viam dirigitur, nunquam foris animo euagetur. Qui ſenſus ſuos non cuſtodit, obiecto malo cito corrumpitur: & qui timorem Domini abiicit, ad monaſterium impurus neceſſario reuertetur. Cum effluit Rhenus, limoſitate ſua pulchritudinem patentium in circuitu pratorum commaculat: & dum fabulis ſecularium intendit monachus, puritatem conſcientiæ deturpat. Antequam ergo de monaſterio ponas pedem * tuum, ſanctis te orationibus munias, & priuſquam egrediaris, viam domino precibus commendare non omittas. Deinde quod legiſlator mandauit, exequere, & orationibus tam Abbatis quam fratrum omnium tuendum te committe. Canonem ſeueritatis obſeruantiæ regularis tibimetipſi præſcribito, ſub cuius memoria ſtabili, ab omni animum defluxu occurrentium cuſtodias vanitatum. De cœnobio nuſquam progrediaris ſine benedictione Abbatis, quia cum debeas eſſe mortuus atq; ſepultus huic ſeculo, non licebit tibi quicquam vlterius abſq; ſenioris imperio. Militem te regis Ieſu Chriſti agnoſcito, tuum imperatorem ſequaris oportet, ſine quo non eſt ſalus. Ille cruci affixus, non ſuis ſed aliorum manibus deponitur: & tu ſi cupis ſaluari, neceſſe eſt tua voluntas Abbatis imperio gubernetur. Monachus enim qui cœnobium ſine permiſſione Abbatis quoquam egreditur, quaſi ouicula in tenebris, quæ domus incendio concrematur. Verus autem Chriſti monachus etiam extra cœnobium exiſtens corpore, in clauſtro mentis remanet, & non minus eſt ſolus cum multis quam in cella conſueuit eſſe ſolitarius. Amator Chriſti etiam in medio multitudinis Ieſum cogitat: & qui verus eſt operator virtutum in omni loco cor ſuum in Dei timore ſolidum conſeruat. Nam & ſi corpore non ſit in monaſterio, corde tamen propter vigorem animi ſemper conſiſtit ſtabilis, quaſi ſolus in clauſtro. Corporis motu * ſpiritus non polluitur, quãdo mentis ſolitudo cuſtoditur. Eadem tibi ſanctitate viuendum eſt in itinere, ò monache, qua conuerſari iuberis in cœnobio, & maiore quadam gradiendum cautela, ne quempiam remiſſiore ſcandalizes exemplo, vbi tot monachorum ſunt iudices, quot in ſpectores adeſſe videntur. Omnium oculi ſecularium in monachos ſuſpiciunt, & ſanctitatem quam illos audiunt profeſſos, in operibus exquirunt. Plus offendit monachus in vno temerario verbo, quã homo ſeculo deditus in decem milibus. Quantumlibet enim leuis & ſcurrilis homo videatur mundanus, monachorum tamen inſolentiam æquanimiter tolerare non didicit, quoniam omnes clauſtrales non quales ſunt, ſed quales eſſe deberent, ruſtica ſimplicitate credit. Vnde malum verbum aut factum apud illos monacho ad damnationem aſſcribitur, quod mundano homini ad veniam imputarur. Nec immerito. Monachus enim qui ſanctum & approbatum canonem profeſſus eſt, omnem conatum ſuum tenetur ad perfectionem dirigere, & converſationem hominum ſecularium verbo & opere in omni puritate mentis & corporis longe ſuperare. Verbum etenim leue ſeu ocioſum, q; ſecularibus ad veniam cõceditur, clauſtralib. ad interitum æſtimatur. Omnibus metallis aurum precioſius eſt, & amplius à mortalibus concupiſcitur, & in nullo citius macula vel corruptio falſitatis accuſatur. Et vitium quod * in auro iudiciaria ſeueritate diſcernitur, in cæteris metallis provilitate naturę diſſimulatur. Aurum ſua pulchritudine lætificat oculos, & confortat in virtute ſua præcordia vitæ. Aurum conflatum in igne non minuitur: & verus Dei monachus in tribulatione perſecutionis à ſanctitatis propoſito non mutatur. Parua in aureo vaſe macula multum in conſpectu potentis diſplicet: ſi curuum ſit fictile, nemo deteſtatur.

Monach. animo nũquam extra cœnobiũ ſit.

In ſeculo, monachorum tot ſunt iudices, quot ſpectatores.

Monach. auro ſimilis.

Syncerus monach. ſemper monach. eſt hoc eſt, ſolus.

Monacho delinquente in modicis, clamor multorum contra illum ingens oritur, quoniam auro conuersatio eius comparatur. Aureum est speculum, canonica vita monachorum. Aurum in medio luti nullam naturæ suæ maculam recipit, sed omnem pulchritudinem suam inviolabilem custodit. Monachus quoq; verus Christi amator, qualis in secreto cellulæ suæ conuersari didicit, talis etiam directus in viam cum hominibus consistit, quia purus tam mente quam corpore coram domino incedit. Nam si verus est monachus, puluere alienæ conuersationis non polluitur, nec à rectitudine sancti propositi cuiusquam vel præsentia vel colloquio mutatur. Inter mundanorum tumultuarias fabulationes aliunde cogitat, & aliorum dissoluta conuersatio eius mentem non oblectat. Qui secum est corde, etiam in medio tumultuantium non diuiditur. Idcirco monache, qui cupis esse bonus, mentem ad te tuam colligе, & priusquam egrediaris cellam, ad iter cor tuũ dispone. Timor domini semper tui sit comes itineris, & custodia monasticæ disciplinæ nunquam discedat de latere tuo. Sepi aures tuas nouissimorũ memoria, ne sermonis vani auditus mentis tuæ polluat integritatem. Oculos humiliter in terram deprime, ne inspiciant quod concupiscere Dei seruum non deceat. Colloquijs noli interesse carnaliũ, quorum si nequiueris declinare præsentiam, caueto ne accommodes mentem. Etiam in medio ribaldorum tuum non transgrediaris canonem, & consuetã ne deseras maturitatem. Contumelias & opprobria petronum ne timeas, & à verbis tenebrionum non turbetur cor tuum. Conseruatio monasticæ disciplinæ iustitia, & qui despiciunt simplicem, risu persequuntur innocentem, Sanctum in omnibus conserua propositum, & altissimus vindicabit iniuriam. Non dicas in corde tuo, vim patior, neq; verecunderis ad verba deridentium. Gloria monachi sustinere contumeliam: & corona pulchritudinis, gaudere in opprobriis. Qui patiẽs est ad iniurias, Athlãte est fortior: & qui non contristatur irrisus, maior est omnibus.

Monach. scommatibus & dicteriis seculariũ non mouetur.

Si in cœlo fixeris desiderium tuum, nihil te conturbabit in terra: & si monachus es verus, ad iniurias exultabit cor tuum. Est iudex in cœlis qui nouit omnia, & est altissimus Deus qui curat vniuersa. Iustus retributor est meritorum, & pauperum suorum recordabitur. Quanto animam tuam nunc in hac vita pro eius amore deieceris in profundum humilitatis, tanto in futura gloria super cæteros exaltaberis. Patientia enim ascenditur cælum, & humilitate peruenitur ad regnum. Nam & ipsum *oportuit pati Christum, & sic intrare in gloriam suam.* Delicatus est miles, qui contumelias & irrisiones patiente imperatore, quærit delicias: & illo pendente in patibulo crucis pro suo exercitu, sequitur voluptates. Miles qui sine armis ad bellum nudus egreditur, & monachus qui patientiam & humilitatem in contumeliis amplecti dedignatur, velox amborum interitus. Qui syncerus Christi amator est monachus, ad iniurias non irascitur, inferentibus contumeliam non comminatur, in sancto stat fixus proposito: & quantumlibet irruant improbi, non mouetur. Quemadmodum in pratis auget opportuna pluuia fœnum, ita monacho crescit meritum ex humili tolerantia iniuriarum. Omnium neruus virtutum humilitas, & minera bonorum operum constans ad iniurias pro Dei amore patientia. Egressurus itaq; in viam de monasterio, præpara cor tuum ad tolerantiam iniuriarum, & mentem corrobora aduersum insolentias derisorum.

Luc. 24.

Humilitas omnium virtutum uerum.

Cum inclamauerint post tergum tuum nebulones, nomen ingeminantes monachi, Christum memento irrisum & conspu tum ante præsidem, qui non respondit verbum, sed tacitus conseruabat patientiam. Hunc imitare ducem ô monache: hunc semper ausculta præceptorem, qui mitis extitit & humilis corde. Non respondeas te irridentibus verbum, non intorqueas faciem tuam retrorsum, sed dicito cum propheta: *Qui inquirebant mala mihi, loquuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur: Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.*

Psal. 37.

Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Hoc Christus fecit, hoc Iesus docuit, hoc rex omnium præcepit, cuius si vis esse discipulus, ad omnes iniurias semper oportet esto

esto paratus. Constitus in itinere qua potes deuotione orationes tuas canonicas dicere non negligas, & semper aliquid boni tecum in mente vel orando vel meditando reuoluas.

Dominus tecum graditur, & sancti angeli eius te ambulantem comitantur. Et ideo cor mundum conserua in omnibus, ne tantorum offendas comitum maiestatem. Dominus oculus est totus & auris, à cuius notitia nihil absconditur. Sermonibus tuis iugem adhibe custodiam, & præueniat omne verbum oris deliberatio cordis, vt nihil de quo pœnitere possis, omnino loquaris. Os monachi loquitur & pauca & rationabilia, & labia eius nunquam excedunt in sermone. Omnis conuersatio eius in ædificationem ponitur proximorum, & qui moribus docet plurimos, etiam tacens vtilia loquitur. Qui amator verus est Dei, humilime in via graditur, & qui timet altissimum, os suum à cachinno temperat. In omni vita tua mortalem te cogita, & quasi qui iam vltimum emittit spiritum, moriens viuito. Felix regnum & dines apud Deũ prouincia in quibus cum Boote consurgunt monachi, quoniam vbi non est timor Dei, replentur theatra claustralibus. Monachus in via quasi vir qui dormiens loquitur: cum euigilauerit de somno, nihil eorum quæ somniauerat, meminit. Sic enim canon monasticus præcipit. *Nec præsumat quisquam aliis referre, quæcunq; foris monasterium viderit aut audierit, quia plurima destructio est. Quod si quis præsumpserit, vindictæ regulari subiaceat.* Similiter & qui præsumpserit claustra monasterii egredi, vel quocunq; ire, vel quippiam quamuis paruulum sine iussione Abbatis facere. Hãc vitæ normam voluntarie suscipientes in eius verba iurauimus, non licet alicui nostrum retrocedere, vel aliquid in contrarium attentare. Quæ foris vel audisti vel vidisti, foris maneant, noli reuersus de via fratribus inferre nouitatem, ne mentium parias distractionem. Qui timet Dominum, regulæ mandata custodit: & qui amator est disciplinæ, semper maturus incedit. Stultus in via gradiens verba multiplicat, & omnium montium vocabula inquirit. Frater autem humilis cum Deo loquens in abscondito cordis, tacenti est similis, & in sua simplicitate exultans graditur. Quicquid patrum constitutio mandauit, diligentissime considerat, & vbicunq; fuerit, omnia studiose conseruat. Monachus qui directus in viam, se mundum & purum custodiuit ab omni macula culpæ, lætus ad monasterium reuertitur, & quasi maris euaserit periculum, ad portum quietis suspirans festinat. Qui autem perdidit verecundiam, insolens factus est, & quasi iturus ad carcerem, tristis mœrensq; regreditur.

Cap. 67.

Monacho nihil sit neq; amicitiæ neq; commercii cum sæcularibus

Amicitiam secularium hominum verus Christi monachus non quærit nec amat, sed despicit: qui autem familiaritatem dissimilium multiplicat, paulatim decidit à proposito sanctitatis. Maledictus homo claustralis, qui ponit in hominibus confidentiam suam, & recessit à Domino Deo cor eius. Non quæras amicitias hominum, sed cura vt inuisibilium consequaris consortium angelorum. Non conueniunt monacho frequentes amicitiæ mortalium, per quas & vigor mentis resoluitur, & vanæ occupationes ingeruntur.

Nam sicut stillicidium longo tempore cauat lapidem quamuis durum & solidum, sic nimia secularium hominum familiaritas paulatim rigorem emollit monasticum. Charitatem habeto ad omnes, familiaritatem vero ad paucos. Qui Deum habet amicum, facile hominum contemnit familiaritatem: & qui cum angelis loquitur, mortalium colloquiis minime delectatur. Quotiens in via signum dominicæ passionis aut crucifixi conspexeris, non prætereas nisi dicas, Ago tibi gratias Domine Iesu Christe pro dolore vulnerum tuorum, pro sanctissimi sanguinis tui effusione, & pro morte tua innocentissima, quam in ara crucis sustinuisti pro nobis: & rogo te per amaram passionem tuam, miserere mei nunc & in tremenda hora mortis meæ. Hanc orationem breuissimam sæpius inter eundum replica, & nunquam prætereas imaginem crucifixi, nisi gratias egeris saluatori. Non contendas cum eo qui tecum in via graditur, ne contra te reuersus ad monasterium mali quicquam mentiatur. Qui socium itineris ad impatientiam prouocat: quasi qui canem furiosum verbere compellit ad latrandum.

Actio gratiarum quoties in via occurret signũ crucis.

Mansuetudine vincitur improbus,

& qui humilis est corde, mitigat animo concitatum. In medio secularium hominum non effundas sermonem, ne forte contra te sumant irrisionem. Mesopolium loqui bona concedimus inter iuuenes, qui autem minor est ordine, audiat illum. Arator lassus festinat ad requiem, & monachus integer animo, currens de via ad cellam suam cum desiderio reuertitur. Comprimatur in ore verbum donec ratio sententiam æquitatis proferat, & sermo qui potest instruere audientes, non abscondatur. Non credideris carminibus palponum, quoniam cum exhalauerint innocentem, aures mulcent sermonibus incompositis. Mancipiti similis est monachus, qui contentionibus alitur, & quasi homo spaticus, qui sub nomine religionis iurgia suscitat. Coram eruditis non adiicias loqui, ne forsitan cum non intelligis parabolam, irrideatis à circumstantibus. Qui monachum se cognoscit, profundo sermone non vtitur: & qui docet paruulos, enodem facit quæstionem. Cum vadis ad homines proposito tuo dissimiles, non glorieris in aliquo, sed si fueris interrogatus, paucis responde humiliter. Constitutus in itinere semper Deum cogita, & senioris tui reuerentiam existima comitantem. Nihil facias omnino quod illi velis non esse manifestum, quoniam, vt sacer inquit Hierodulus, Christi vices in cœnobio agere creditur, & ideo ab omnibus merito honoratur. Sic ergo viue quasi eum semper habeas ante oculos præsentem, & quod agere vel dicere illo inspectante non præsumeres, neq; absente vllatenus attentes. Stulta enim consolatio est conscientiam mordente reatu, homines latere peccatum, & iudicium fugere pastoris, qui se ad mortem nouit ægrotantem. Monachus qui facit malum, quod suum cupit latere prælatum, monastici canonis integritatem violauit, & in quintum humilitatis gradum enormiter deliquit. Sic enim præcipit: *Quintus humilitatis gradus est, si omnes cogitationes malas cordi suo aduenientes, & mala à se in abscondito facta, per humilem confessionem abbati non celauerit suo.* Hæc Benedicti patris sunt monita, hæc sancta monasticæ institutionis documenta, quę si tu monache contempseris vel neglexeris, immemor salutis propriæ conuinceris. Certum humilitatis indicium est, si monachus aperire seniori cor suum non recusauerit, nihilq; malorũ quæ commisit, suum cupiat latere pastorem. Qui cõfitetur delictum suum cum humilitate, contra aduersarium salutis suæ confortabitur: & qui abscondit cogitationes, pficiet in malum. Nulla enim tam praua cogitatio malorum, quæ paulatim non crescat neglecta, & nullum tam exile vitium, quod vires non sumat, si fuerit dissimulatum. Statim igitur à principio cogitationes malæ sunt repellendæ, quia cum praua non subito extinguitur cogitatio, parit delectationem, delectatio vero consensum, consensus autem præcipitat in operationem. Deinceps actio mali sæpius iterata generat consuetudinem, consuetudo necessitatem, necessitas autẽ inducit desperationem, desperatio contemptum, contemptus obstinationem, & illa mortem animæ parit æternam. Dicit namq; scriptura. *Impius cum venerit in profundum malorum, contemnit.* Nonne Abbas tuus, ò monache, pastor & medicus est animæ tuæ? Nonne fratres mei charissimi ego post Deum ille sum, qui pascit mortalia corpora vestra necessario alimento? Nonne verbum salutis ministrare vobis ego compellor? Si oues pastorem fugitis, quæ sunt pascua spiritus, quæ à nobis expectatis? Qui medicum fugit infirmus, propriam salutem despicit, & animam suam voluntarie occidit.

Progressus impietatis.

Prou. 18.

Monachus ergo ambulans in via malitiæ, & declinans à semitis iustitiæ, morti est proximus, & tanto magis in profundum vitiorum labitur, quanto minus iudicium corrigentis reueretur. Ille autem vere est monachus, qui ab omni iniquitate custodit animam suam, & nihil agit penitus, quod suum vellet ignorare pastorem.

Probus monachus nihil celat abbatem suum.

Qui occultat viam suam, non est purus: & qui fugit præsentiam iudicis, auget suspicionem. Quasi ouis in deserto ambulans quæ à lupo rapitur, monachus negligens & impurus qui se à notitia subtrahit pastoris & a dæmonib. deuoratur.

Ouis morbida currens in interitum, & monachus abscondens omne peccatum, non est salus eorum nisi reuertantur ad medicum. Reuertentes de via monachi statim ipso die, iuxta monasticum canonem

canonem fratrum omnium prouoluantur consp*ectibus, quatenus communibus orationibus expietur quicquid in via per negligentiam delinquitur. Multum enim valet ad diluendum peccata communis oratio plurimorum, si fuerit cum deuotionis feruore profusa ad dominum.

De quotidiana peccatorum expiatione.

Homilia XIII.

QVAMDIV in hac vita corruptibili sumus constituti fratres charissimi, quotidie in multis offendimus, & quantũlibet sancte conuersari videamur, peccato non caremus. *Sap.9.* *Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitãtem.* Dicit namq; scriptura. *Eccl.7.* *Non est homo iustus in terra qui faciat bonum & non peccet.* Diuus *1.Ioan.1.* quoq; Euangelista Ioannes. *Si dixerimus,* inquit, *quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Commertio nempe carnis nimium delectata peccat anima, & fortitudo imminuitur desperatione spiritus. Mens enim obiectione sensibilium decipitur, & delinquendi promtitudo longa consuetudine roboratur. Infirmitas carnis feruorem spiritus debilitat, & sancto mentis proposito voluntatis fragilitas repugnat. Hinc Salomon rex sapientissimus in libro Prouerbiorum dicit: *Pro.14.* *Septies in die cadet iustus & resurget, impii autem corruent in malum.* Huius sententiæ testimonio admouemur in sanctitatis proposito non tepescere, etiã si nos contingeret septies in die cecidisse. Quotiens ô monache per peccatum à sanctitatis proposito cecideris, totiens resurgere ad feruorem pristinum non pigriteris. Humanæ fragilitatis est cadere, sed pertinaciæ diabolicæ deiectum in luto sceleris permanere. Semel peccauerunt dæmones, & facti sunt in sua obstinatione indurati & pertinaces, ad pœnitentiam deinceps nunquam reuersuri. Homines autem quotiescunque ceciderint, semper ad pœnitentiam possunt resurgere, & Dei gratiam quam perdiderant peccando, lachrymis & orationibus impetrare. Cor etenim hominis flexibile, in vtramque partem moueri potest, quia nunquam homo in carne tam malus fieri posse erendus est, quin valeat si velit à malitia sua resipiscere, & Deo largiente ad bonitatem mentem suam reformare. Rursus quoq; nemo tam bonus in hac vita mortali efficitur, qui non fieri malus possit, si gratia domini abutatur. Quæ cum ita se habeant fratres mei, hodierna mihi cohortatione fueritis admonendi, quatenus caute ambuletis, vt qui, conscientia testante, iam in semitis iustitiæ graditur, in ipsa proficiendo quotidie perseueret: & qui reum se coram domino intelligit, vitam quantocyus emendet. Si te humana fragilitas quotidie impellit, siue, vt proprius dicam, præcipitat, facitque delinquere, incitet etiam te amor Dei & propriæ salutis quotidie culpam tuam per veram contritionem humiliter expiare. Sic enim septies in die cadit iustus & resurgit, quoniam etsi ex humana fragilitate labitur, semper tamen in sanctitatis perseuerãs ꝓposito, magis ac magis animo in Dei amore confortatur. A grauibus namque peccatis conscientiam suam conseruans immunem, quotidianis negligentiis inuitus polluitur, & cum se viuere sine delictis non posse conspicit, suam humiliter infirmitatem agnoscens, amplius ingemiscit. Quod si etiam grauiore delicto præoccupatus fuerit, mox ad emendationem per pœnitentiam resurgit. Vnde considerantes humanæ fragilitatis conditionem prisci monasticæ disciplinæ moderatores, varia expiationis genera instituerunt, quibus & bonæ voluntatis monachi quotidie proficiant in melius, & improbi ad obseruantiam regularis vitæ compellantur. In regula namque sanctus pater Benedictus sic præcipit dicens: *Cap. 27. Mar.2.* *Omni sollicitudine curam gerat Abbas circa delinquentes fratres, quia non est opus sanis medicus, sed male habentibus.*

Quamobrem primi obseruantiæ regularis principes prouida consideratione instituerunt, vt quotidie post primas in loco deputato conuentus celebretur culparum, in quo præsidente vel Abbate vel Priore, omnium actus fratrum æqua discussione proferantur in medium. Locus iste fratres mei typum gerit purgatorii animarum, quoniam hic non solum peccata expiantur præterita, sed etiam præmunimur contra futura. *Capitulũ locus expiatorius.*

In hoc etenim loco, quem vocamus capitularem, quicquid in aperto deliquistis, corrigitur, & per salutarem pœnitentiam expiatur. Hic quotidie legem vestram monasticam, ad cuius integritatem viuere promisistis, paraphraste pronunciante cognoscitis; hic verbum salutis exhortatorium diebus singulis auditis, hic martyrum Christi victorias multimodasq; pro fide orthodoxa passiones breuiter recitatas auscultatis. Hæc est monachorum schola pro consideratione disciplinæ regularis necessaria, in qua totum discitur, quod obseruandum clausträlibus mãdatur. Duo sunt, fratres mei dilectissimi, quę à vobis iste locus exigit, alterum vt in correptione humilem semper teneatis patientiam: alterum vero vt nostram qualemcunq; libenter suscipiatis exhortationem. Ad primum cupientes vos esse paratos sancti legislatores nostri fortia martyrum gesta, quorũ imitatores fieri debeatis, legenda præcipiũt; ac deinde vt sitis dociles animo, passum ex regula vnum subiungere mandauerunt. Itaq; vt sitis imitatione sanctorũ martyrum fortes & patientes ad increpationes necessarias, series passionis eorum in auribus vestris hic legitur, & quatenus ad salutarem doctrinam præparetis animos, lectio vobis de regula quã profitemini, vna recitatur. Sancti martyres Christi exemplo vos suo cohortantur ad patientiam, & vt sitis etiam ad iniurias parati, diuus vos admonet Benedictus per doctrinam. Nemo igitur vestrum amantissimi fratres in hoc loco pœnitentiam recusset pro suis negligentiis quotidie humiliter suscipere, nemo dedignetur. Hic locus est publicũ expiandi peccatum, in quo sic iudicii temperatur seueritas, vt pietas discretionis non violetur. Medicus enim esse cupio animarum vestrarum, non peremptor: idcirco ad iudicii nostri examen securi accedite, & vosmetipsos de commissis in aperto negligentiis humiliter proclamate. Nolo vos grauare supra regulam, vt secretissima conscientiæ delicta de confessione sacramentali ad publicum transferã examẽ culparũ, quod nouimus feciſſe quosdam in graue animarum detrimentum suorum subditorum. Sic enim dicit legifer noster Benedictus in regula: *Si vero animæ peccati causa fuerit latens, tantum Abbati aut spiritualibus senioribus patefaciat, qui sciant curare sua, & aliena non detegere vulnera seu publicare.* Duo sunt in monasterio loca expiationis peccati, alter eorũ quæ sunt manifesta, & alter eorum quæ sunt occulta. Manifesta enim peccata in proclamatione culparum quotidiana publice coram omnibus expianda sunt; occulta vero, & quorum manifestatio scandalizaret infirmos, ad confessionem sunt remittenda. Nam cuius peccatum est manifestum oportet vt publice quoque puniatur: & qui deliquit in occulto, etiam in secreto emendetur. Sunt quidam clausträlium rectores, qui latentia subditorum peccata ad publicum examen referre non verentur, qui iudicio quidem meo non satis prudenter iura prælationis exequuntur suæ, dũ subditis viam præcludunt salutis, & confessionem liberrimam constringunt sub vinculo malæ voluntatis: quod quam sit periculosum, nemo vel mediocriter sapiens, qui non intelligat. Hanc enim pastoris temeritatẽ sanctus institutor monachorum ita redargit dicens: *Magnopere sollicitudinem gerat Abbas, & omni sagacitate & industria curet, ne aliquam de ouibus sibi creditis perdat. Nouerit se infirmarum curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem.*

Duo in capitulo necessaria fratribus.

Cap. 46.

Peccata publica abbati, occulta cõfessio nario aperiantur.

Cap. 27.

Trithemius 4. Cõfessores in cœnobio statuit.

Ordinauimus vobis ex seniorib⁹ quatuor spirituales confessores, vt si quis vestrum aliqua fuerit occulta tentatione præoccupatus, & nostram habuerit inexpertã iuuentutem suspectam, ad illos pro consolatione sui securum possit habere recursum. Quamuis neminem in tota congregatione hactenus inuenerimus ista, quem nobis fidem tam in confessione quam extra detraxisse notauerimus. Omnes enim cognoscitis & aperte videtis, quod nihil in vobis amplius quæro, nihil plus desidero, quam vestram salutem, & spiritualis profectus quotidianum incrementum. Vos enim corona mea, vos honor meus, vos gaudium meum: quia tunc me fœlicem existimo, cum vos in Dei profeciſſe amore cognosco. Magnam proficiendi opportunitatem consecuti estis fratres charissimi, quoniam & locus, in quo militamus Domino, ab omni strepitu remotus est, & quotidiana vos admonitione ad meliora promouere non cessamus. Quotiens

tiens vero quispiam vestrum in aliquod peccatum per humanā fragilitatem ceciderit, iacere in deiectione animi diutius non permittitur, vbi alter ab altero in vera charitate fraterna pro suis negligentiis quotidie proclamatur. Hæc est officina salutis, in qua mens pabulo cæleſtis doctrinæ pascitur, & anima satisfactione publica quotidie à delictorū maculis emundatur. Hic locus est purgatorii terrestris, in quo monachus pro suis negligentiis discrete corripitur, & per humilem patientiam pro Christi amore quotidie lōgo martyrio creatori suo immolatur. Nostrū est, fratres, in hoc consistorio culparū proclamatos discrete corripere; vestrum est omnia patientissime sufferre.

Oportet enim vt pro nostris satisfaciamus peccatis, quod si facere in hac vita neglexerimus, in futura compulsi necessario faciemus. Sunt inter vos nōnulli correctiones grauiter ferentes; quibus denunciamus, quod sæpe diximus, quoniam necesse est vt in futuro grauissima sustineant, qui parua hic sustinere ac leuia recusant. Ego autem considerans eorundem infirmitatem & ignorantiā, penes meipsum grauiter crucior, quia mētes eorum saucias video, & tamen adhibere necessaria medicamina ptimesco. *Prælatus, circūspectissimus sit.* Nam si conuenientia morbis applicauero remedia, vereor ne pusillanimes effecti desperationem incidant, vel certe in reprobum sensum dati, penitus à sancto proposito recedant. Quanta igitur possum discretione vtor, sicut vos omnes mihi testimonium perhibebitis, malens infirmos per patientiam cum charitate * mittere ad purgatorium, q̄ ex iusta seueritate desperatos descendere ad infernū. Quis.n. in hac mortalitate satisfacere p peccatis vnquā potuit, qui bonā pœnitētiæ non adhibuit voluntatē? Sola namque voluntas bona pœnitentium opera cōmendat. Cum autē plures puniantur inuiti, adhuc sunt remoti à perfecta satisfactiōe. *In patiētia magis quam actione cōsistit pœnitentia.* Credite mihi fratres mei dilectissimi, quoniam patiendo magis quā agendo cōmendatur satisfactio pro peccatis. Nam & ipse dominus ac saluator omnium nostrum Iesus Christus patiendo totius mundi peccatum in ara crucis * expiauit. Vtinā sciretis, quā sit efficax animæ peccatis sauciatæ medicina, proclamationes & correptiones cum humili patientia suscipere, & etiam in augmētū perfectæ satisfactionis iniurias & contumelias æquanimiter tolerare. Certus sum q̄ omnia satisfactionis genera procul excedit humilis in aduersitate patiētia: & quanto mens ad tolerandas pro Christi amore contumelias & iniurias promptior fuerit, tanto facilius & citius omnium peccatorum suorum veniam & pleniorem indulgentiam à domino consequetur. Locus.n. iste in quo nūc loquimur, purgationis & expiationis ergasterium est, in quo zelus disciplinæ regularis principatum obtinet, discretio examini præsidet, charitas omnia dirigit & complet. Vnde hoc ipso loco patientia vobis multum est necessaria, sine cuius præsentia nulla erit satisfactio consummata. Qui salutis suæ studiosus amator est monachus, hunc locum vt officinam expiationis diligit, & nunquā seipso non melior factus inde procedit. Locus enim iste dæmonibus metuendus est atq; terribilis, sanctis autem Dei Angelis charus, & multum venerādus, in quo humilium monachorum culpa diluitur, & quicquid in aperto delinquitur, etiā publicè coram omnibus expiatur. Si quid vero latentis culpæ à quoquam vestrum commissum fuerit, occulta similiter confessio pœnitentis expurgabit. Vtrobique pura confessio cum humilitate requiritur, & tam hic quam illic patientia vobis necessaria iudicatur. Quisquis igitur monachus cupis esse bonus, in omni patientia præpara animam tuam, vt tam in aduersis quam in prosperis constantissimam teneas mētis tranquillitatem. Cum pro neligentiis tuis ab aliquo confratre proclamatus fueris, patienter feras cum omni humilitate, fideliter inducens ad memoriam, quam innocenter Dei pro te filius fuerit accusatus. Nam si passus est ille contumelias iustus & innocens, qui peccatum non fecit, quare tu non feras patienter increpationes à seniore, qui in multis quotidie offendis? Innumeras ille pro salute tua patientissime sustinuit iniurias, & tu pro tuis peccatis cur non sufferas humiliter patienterq; breues & pauculas admonitiones? Nam si iuste proclamaris in iudicio culparum, necessario es patiens; quoniam quod sustines, ipse meruisti,

& im-

& imputabitur tibi humilis increpationum tolerantia in satisfactionem peccatorum. Quod si non meruisti proclamationem in iudicio, sustineas tamen pro Christi amore patienter, nam nō solum reputabitur tibi ad satisfactionem præcedentium peccatorum, sed multo amplius ad iustificationem. Siue ergo iuste proclametur monachus siue iniuste, causam non habet iustæ defensionis, quoniã si deliquit, merito suo patitur, si vero est innocens, magis ad patiẽtiam obligatur. Nemo enim nisi patiẽs & humilis Christum poterit imitari: sed cum monachus Christi maxime teneatur esse discipulus & imitator, maxime illum conuenit esse patientem. Sine ferro & igne martyr esse potest monachus, si veram vbique patientiam in animo pro Dei amore custodierit. Verus etenim monachus nec laudibus extollitur, nec vituperio contristatur, ad iniurias patientem se exhibet, ad contumelias & opprobria lætus humiliter tacet. Nemo fortior patiente, qui nouit semetipsum vincere, & quælibet cõtraria pro Dei amore tranquilla mente humiliter tolerare. Omnis autem impatiens superbus & arrogans est, quoniã præceptorem humilitatis Iesum non sequitur, & idcirco ad iustas increpationes quas meruit, indignatur. Quemadmodum fornax probat aurum, ita contumeliæ & iniuriæ probant monachum si veraciter diligat Christum. Humilitas & patientia in aduersis vera sunt insignia monachorum: quorum ornatu quicunque non induitur, frustra de nomine gloriatur. Qui humilis non est, monachus veraciter esse non potest: & qui patientiam nō custodit in aduersis, verus Christi non potest esse discipulus. Hinc Salomon Rex in libro Prouerbiorum dixit: *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.* Doctrina enim viri per patientiam dignoscitur, & gloria eius est iniqua prætergredi. *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Ad omnes iniurias patiens est monachus, qui Christum in veritate sequitur: & qui dominicæ passionis meditator est non obliuiosus, contumeliis exultat animo & lætatur. *Omnes* enim, vt sacer Christophilus inquit, *qui pie volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur*: & quicquid eis acciderit mali, summa constantia peruincunt. Et quamuis patientia monacho in omni loco & tẽpore sit necessaria, in quotidiano tamen examine culparum præcipua est intentione diligentius custodienda; vbi de correctione morum agitur, & quicquid fuerit contra normam monasticæ puritatis commissum, in vnoquoq; per seniorem emendatur. Prius ergo quam hunc locũ ingrediamur, mane cogitanda sunt omnia, & animus aduersus ea quæ possunt euenire, firmandus est, vt si durior forsitan increpatio euenerit, mentem à statu tranquillitatis non subuertat. Nam etsi nulli vestrum contumeliam inferre, siue iniuriam facere statuerimus vnquã, fieri posse non negamus, vt vltra demeritum se correptum existimet, quisquis paternam in nobis correptionem verbis potius quam animo pensat. Vestram salutem, sicut Deus nouit, in omnibus, & nihil aliud quærimus, amputare vitia radicitus iuxta religionis nostræ instituta, non lædere quenquam sincere cogitamus. Non possumus omnibus complacere in omnibus, sed illis displicere maxime compellimur, qui peccantes in canonem, quotidie impunitatem sibi scelerum pollicentur: de quibus rex Salomon dixit: *Doctrina mala deserentium viam vitæ, & qui odit increpationes, morietur. Non amat pestilens eum qui se corripit, nec ad sapientes graditur.* Qui male operatur, ex proposito fugit lucem, & odit correptionẽ, quia stultus est: qui autem sensatus est animo, gratias aget suo correctori. Propterea in hac parte nõ vereor odia murmurantium subditorum, sciens me curã infirmarum suscepisse ouium, quibus & volentibus & nolentibus salutis teneor adhibere remedia. Si fieri posset, fratres, optarem summopere neminem vestrũ in aliquo vel tenuiter perturbare, sed in medio vestri cum summa tranquillitate conuersari, & domino Deo nostro in pace mentis & corporis hilariter deseruire. Sed quia non omnes quæ Dei sunt in veritate quæritis, oportet me corripere & aliquando turbare inquietos, ne impunitas paruorum scelerum audaciam præbeat grauiorum. Scio enim quam patiar necessitatem periculi curæ pastoralis, & ideo silere nec possum nec debeo vobis peccantibus, ne ab aliquibus iudicer consentiens. Libenter suffero, si me pro-

Multum nobis prodest, si Christum amamus siue iuste siue iniuste deferri.

Pro. 16.

Eccl. 17.

2. Ti. 3.

Pro. 15.

Non potest abbas multorũ fratrum, quin molestus sit nonnullis.

propterea contingat odio haberi: quod cum fieri sine grauissimo animarum vestrarum periculo nequeat; rogamus vos per dominum nostrum Iesum Christum pro nobis crucifixum vt paternas & necessarias increpationes nostras, pro DEI amore in remissionem peccatorum vestrorum omni tempore patiēter & cum vera humilitate sustineatis. Cogitet vnusquisque apud se nullum esse diem in quo omnia bene faciat, & non offendat in aliquo, sciatq; se mercedem suorum operum in breui recepturum, pro bonis bona, & pro malis similiter mala. Studeat ergo quanrumcunque potest in hac vita pro delictis satisfacere, & omnes iniquitates suas quotidiana castigatione corporis humiliter expiare. Scitote, fratres mei, quia non est aliquod peccatum tam paruum, quod omnipotentis Dei iustitia dimittat impunitum. Propterea, cū nemo sit nostrū, qui non offenderit in multis, armate vos precor patientia & humilitate, vt quotiens pro peccatis correpti fueritis, cum omni mansuetudine sustineatis. Nam in hoc tempore libertatis arbitrii cum parua expiatione satis potestis facere pro debitis multis, quando post mortem in purgatorio anima etiam pro paruis diu & grauissime cruciabitur. Enimuero multum valet satisfactio voluntaria: quæ autem fit ex necessitate, minus promeretur ad gratiam. Omnino fratres cōuenit & oportet animam purgari à delicto, si debeat in celis regnare & gaudere cum Christo. Anima vero quæ purgationem delictorum in præsenti vita neglexerit, grauius in futuro punietur. Nemo vestrum dicat, fratres mei charissimi, quod plures imperiti homines dicere consueuerunt, Sufficit mihi, si anima mea purgatorii pœnas cōsecuta fuerit. Credite mihi, fratres, quicūq; hoc verbum ex animo dixerit, quid futurum sit purgatorium, non perpendit. Nescit enim quid petat, qui purgatoriū desiderat. Quemadmodum stultus est qui cum posset soluere debitum liber, contemnit, & libens vadit ad carcerem, ita stultissimus omnium hominum est merito iudicandus, qui satisfacere in hac vita cum possit Deo pro peccatis, differt ad futuram. Huius vitæ fructuosa est pœnitentia, & voluntaria satisfactio multum quoque meritoria: post mortem vero non erit locus pœnitendi, sed vnusquisque tunc recipiet prout gessit in corpore suo siue bonum siue malum. Hæc fratres cogitate dum sani viuitis, ne mortis imperio præoccupati sero tandem doleatis. Dubium non expectet crastinum salus hodierna, & qui debitum potest cum gratia in libertate soluere, non se patiatur ad carcerem trahi cum fortuna. Quantum quisque potest in omni vita sua tantum curet satisfacere pro peccatis, quoniam securus ad dominum spiritus reuertitur, qui adhuc in corpore existens, per ignem diuini amoris quotidie purgatur. Habetis hic locum in quo publicorum reatuum quotidiana expiatio agitur, si veram & humilem tenueritis in animo patientiam, certam proculdubio cōsequemini omnium remissionem. Pro secretis vero & occultis quid agere debeatis, non solum regula vos admonet, sed etiam quotidiana confessio sacramentalis ad omnia informat. Ad altare namque Dei filium quotidie singuli deuote immolare consueuimus, ad quod sacrosanctum mysterium nemo nostrum accedit, nisi prius ex more confessus, quoniam summa puritas requiritur, vbi salus per missam totius mundi renouatur. Quis inter hæc nostrum, fratres amantissimi, quotidie in Dei amore non proficiat, nisi omnem proficiendi appetitum turpiter ac penitus deponat? Audeo namque dicere, quia monachus qui in hac sancta congregatione non proficit, salutis propriæ penitus conuincitur oblitus. Credite mihi fratres, neminem DEVS saluabit inuitum, si vos profectum neglexeritis proprium, non illi sed vobis imputabitur. DEVS enim lumen est intellectuale, quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, sicut altiuolans inquit Ioannes: qui autem lumen non recipiunt, in tenebris necessario permanserunt.

Nullum peccatum impunitum.

Satisfactio voluntaria multum valet.

Purgatorium desyderare an liceat.

1.Cor.5.

Quotidie sacerdotes celebrant & confitētur.

Ioan.1.

Qui mentem suam auertit à fide, quæ est in filio DEI, manet in tenebris: & qui non facit opera lucis, nihil fides ei proderit ad salutem. Extra fidem Domini nostri Iesu Christi non est salus, & q aliter sentit, nō est Christianus. Non te seducat ô homo pietatis stultæ consideratio, vt credas aliquem extra fidem Christi in qualibet religione saluandum,

Extra fidē Christi non est salus.

dum, quantumlibet viuat innocenter, vel ad legem naturæ: quoniam ſicut extra Noë arcam non fuit hominibus vita, ſic extra fidem Chriſtianam non eſt alicui ſalus ad vitam æternam. Chriſtus enim Dei filius vnicus & ſolus ſaluator eſt mundi, in quem quicunq; non crediderit, ira Dei manet ſuper illum, & cum diabolo condemnabitur. Vos autem fratres mei qui iam in dominum noſtrum Ieſum Chriſtum creditis, ita precor deinceps viuite, vt nomine & opere Chriſtiani, ad eius conſortium peruenire valeatis, qui viuit & regnat cum Deo patre in vnitate ſpiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum.

De vera pœnitentia monachorum.

Homilia XIIII.

QVAMVIS tota conuerſatio noſtra, fratres mei chariſſimi, recte pœnitentia nominari poſſit, quippe qui & nobis mortui, & mundo iam ſepulti videmur, quia tamen carne mortali ſumus circumdati, & peregrinamur in medio nationis peccatricis, fieri non poteſt, quin fragilitatis propriæ impulſu quotidie in aliquo delinquamus, pro cuius expiatione non ſolum generaliter, ſed etiam ſpecialiter fuerit pœnitendo ſatisfaciendum. Eſt enim pœnitentia cunctis mortalibus neceſſaria, qua & commiſſa mala deplangant cũ emendationis propoſito, & deinceps quantum fieri poteſt, viuere ſtatuant ſine peccato. Monachorum eſt proprium, ſine intermiſſione pœnitentiã agere, & tam pro ſuis quam pro alienis peccatis iugiter orare. *Non enim docentis officium habet monachus*, vt ſacer Hieronymus inquit, *ſed plangentis, qui vel ſe lugeat infirmus, vel mundum perfectus, & domini pauidus præſtoletur aduentum.* Si perfectus es monachus, pœnitentiam agito pro peccatis alienis, ſi vero infirmus, oportet vt amplius pœnitens pro propriis. Semper itaq; pœnitendum eſt monacho, qui non ſolum pro ſuis, ſed etiam pro delictis aliorum interceſſor ad Deũ conſtituitur. Sed quis in vobis eſt, fratres, qui proprio non grauetur delicto? Quis, inquam, eſt veſtrum, qui non indigeat pœnitentia? Video vos in multis quotidie offendere, & doleo: cerno quam præteritorum negligatis pœnitentiam, & contremiſco. Nunquid non agnoſcitis vos eſſe mortales? Et quare vocabulo monachi non ſatisfacitis, vt pœnitentiã in tempore neceſſariam agatis? Mementote quæſo comminantis ſcripturæ dicentis. *Ne tardes conuenti ad dominum, & ne differas de die in diem.* Subdito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. Non enim præteribitis mortem, quæ vobis, ô ſenes, in ianua eſt, & iunioribus latet in inſidiis, ſed quando minus cogitatis, de corpore compulſus exiet ſpiritus. Vnde ſi vos eſſe peccatores recognoſcitis, ſi venire ad Dei miſericordiam deſideratis, amodo iam pœnitentiam precor aſſumite, & mores veſtros in omnibus ſecundum regulæ puritatem emendate. Satis ſit hactenus veram neglexiſſe pœnitentiam, & minis tepidam tanto continuaſſe tempore conuerſationem. Deus etenim qui diſſimulat peccata hominum propter pœnitentiam, differentibus pœnitere non promiſit vitæ prolongationem. Conſiderate longanimitatem DEI, qui vos peccantes quotidie tam diu miſericorditer diſtulit, & agite pœnitentiam, quatenus optatam inueniatis remiſſionem. Dicit enim Dominus per Prophetam. *Nolo mortem impii, ſed vt conuertatur à via ſua mala, & viuat.* In ſancto quoque Euangelio dicit. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Magnum eſt bonum pœnitentia mortalibus, quæ ſordidas purgat animas, & mentes ab interitu reuocat deſtinato. Hinc diuus dicit Auguſtinus. *Pœnitentia languores ſanat, leproſos curat, & mortuos ſuſcitat, ſanitatem auget, gratiam conſeruat. Pœnitentia claudis greſſum, cæcis viſum, aridis copiam, debilibus reſtituit firmitatem, vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit & corroborat.*

Hier. con. Vigil. Monachus plan gẽtis officiũ habet.

Eccl. 5.

Sap. 11.

Ezec. 18.

Matt. 3.

Illa autem vera eſt pœnitentia fratres, quam neceſſariæ patres vt totum veraciter commendant, vbi contritio mentem penetrat, vbi latens peccatum humilis & pura confeſſio referat, vbi pro viribus ſatis facit obedientia, vbi ſic pœnitens dolet de præteritis, vt veraciter omni tempore caueat à futuris. Vera pœnitentia eſt quam DEI amor gemitibus exornat & lachrymis, vbi plus dolet

Pœnitentia vera, qua.

dolet peccator de offensa Dei, quam timet de cruciatu inferni. Et quis nostrum non doleat fratres amantissimi, quis non ingemiscat monachorum, in legem se deliquisse altissimi, à quo habemus non solum viuere, sed etiam expectamus promissionem fœlicitatis æternæ? Væ nobis fratres, si veram agere pœnitentiam in hac vita neglexerimus, quam vt semper ageremus, monachi facti sumus. Nostra enim conuersatio in solo crucifixo Iesu Christo debet esse occupata, & á mundi solatiis penitus aliena. Non decent te mundi solatia ô monache, non voluptates, non deliciæ, non risus, non cachinni, non aliqua consolatio carnis, sed mœror & amaritudo cum lachrymis: quibus si non indulseris continuè, monachi vocabulum amisisti. Non licet tibi gaudere cum seculo qui mortuus es mundo: nec debes aliqua præsentis vitæ solatia quærere, qui Domino promisisti secundum regulam monasticam in solitudine seruire. Tuum est monache, vniuersa huius mundi gaudia pro Dei amore semper & vbique contemnere, & nulla aduersa vel dura subire pro honore Saluatoris tui recusare. Sic enim canon monet, sic institutio monastica iubet, sic
Reg. c. 7. ratio salutis necessaria suadet. Omni vilitate & extremitate iuberis esse contentus, & semper ad omnia pauidus. Sed video plerosque vestrum regulam salutis peruertere & aliter quam oportet, in cœnobio conuersari. Delicias monachi nũc quærere in cœnobiis non metuunt: qui ad conuersionem pauperes & mendici de sæculo venerunt. Nam quæ foris habere non poterant, iam si defuerint in monasterio, quasi contumeliã passi grauissimam, contra humilitatem rebellizant. Væ monachis, quos non Dei amor sed inopia fecit claustrales, quorum Deus venter est, & nihil minus quam paupertatem cogitant. Nõ est verum, ô monachi, delicias in monasterio deinceps quærere, quas regula præcipit omnino abnegare. Vobis conuenit omnes voluptates præsentis vitæ spernere, & præter Deum nihil in hoc mundo penitus amare. Tota enim conuersatio vestra diuinis semper debet esse mancipata obsequiis, qui viuere spiritu, & non secundum carnem promisistis. Nunquam sine pœnitentia viuit, qui verus est monachus, sed quotidie corpus suum per abstinentiam macerat, quisquis ad æternæ fœlicitatis epulas veraciter anhelat. Non enim fieri potest vt præsentis vitæ deliciis vtatur monachus, & æternis, sed necesse est si ad illas anhelat, istas contemnat. Christi namque Saluatoris esse discipulus iubetur monachus, qui canonẽ professetur cœnobiticum: cui si placere in veritate desiderat, necesse est vt eius imitator fiat. Sic enim in sancto euangelio dicit. *Qui vult meus esse discipulus, me sequatur.* *Matt. 16.* Quid vero sit, *me sequatur*, sanctus Ioannes Apostolus in epistola quadam edocet dicens: *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare.* *Matt. 17.* Et ipse Dominus iterum in euangelio dicit: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* *1. Ioan. 2.* *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* *Luc. 9.* Non est obscure locutus magister tuus, ô monache, neque sententiam ænigmatibus inuoluit, sed eundẽ protulit sermonem, quo nullam prætendere queas excusationem. Ipse namque Christus est exemplar & norma conuersationis bonæ & perfectæ omni Christiano, & præcipue monacho, quem homo claustralis, qui pro viribus in toto corde non sequitur, de fidei promissione frustra gloriatur. Nã sicut à Christo dicitur Christianus, ita nominatur ab imitatione magistri discipulus. Moribus igitur imitare magistrũ, vt verum te Christi probes discipulum. Dominus enim Iesus Christus, cuius te profiteris discipulum, ô monache, cum esset diues, pro nobis pauper factus est, *2. Cor. 8.* tu autem cum sis vilis & inops, in schola paupertatis omnium rerum abundantiam quæris: & quem præceptor iubet omnia pro sui amore contemnere, rursus omnia cupis in monasterio possidere. Dominus & magister tuus patri vsque ad mortem crucis obediens pro nobis extitit; tu vero superbia & impatientia plenus, obedire maioribus pro eius amore aut renuis, aut inuitus & cum indignatione obedis. Ille propter salutem tuam non solum verba & opprobria improborum hominum patientissime in omni vita sua sustinuit, sed etiam verbera, plagasque liuidas & horrenda vulne-

Quam dissideat multorũ vita, etiã monachorum, à Christo.

Philip. 2.

ratui amore tolerauit. Mortem quoque subire turpissimã non renuit, vt animam tuam ab errore mortis ad vitam lucis æternæ reuocaret. A die natiuitatis suæ in mundo pauper vixit & humilis, multisque tribulationibus saturatus & opprobriis, vt te perditissimum hominem ad Dei cognitionem & amorem doctrina & beneficiis repararet. Quid enim essemus, si Dei filius non apparuisset homo, nisi perditissimi? & quid sumus, si non imitemur magistrum pro viribus, nisi ingrati? Væ nobis ingratis mortalibus, qui Dominum & Saluatorem nostrum humillimum sequi contemnimus. Intueamur conuersationem nostrã fratres, & comparemus discipulos ad magistrum, cuius nomen inuocatum est super nos, & quam longe recesserimus à semitis benignissimi præceptoris nostri, manifeste intelligemus. Sed reuertamur ad eum in toto corde precor, & agamus pœnitentiam, quia procul à via salutis recessimus, carni potius quam spiritui seruientes. Nemo semetipsum spei vanitate decipiat, nullus vltimam huius vitæ horam, quando iam nequeat peccare, pro pœnitentia expectet, quia nec vitæ quantitas habet certitudinem, nec dilatio pœnitendi securitatem. Qui sanus non pœnitet, stultus est: & qui non emendat vitia cum potest, iusto Dei iudicio dilatam amittit potestatem. * Tunc enim fructuosa est pœnitentia, cum arbitrii libertate fuerit voluntaria: sed mortis iam instante periculo videtur potius esse necessaria, quam propria pœnitentis electione assumpta. Nemo dicat in corde suo, fratres mei, nemo cogitet durum esse pœnitendi laborem, & idcirco vsque in vltimam huius vitæ particulam differendum. Nimis est periculosa ista cogitatio, quoniam vitæ certum terminum, quem vnicuique diuina prouidentia statuit, sicuti latere omnes voluit, ita nulli pœnitentiam differenti ex intentione prolongabit. Si volumus esse conscientia tuti atque securi, agamus pœnitentiam dum sani sumus, dum peccare possumus, dum adhuc nulla mortis necessitate instantis vrgemur. Valde namque dubia res est pœnitentiam agere, cum iam necessitas compellit, & mortis te instantia facit non amplius posse peccare, quando vi-

Pœnitentia non differenda.

delicet non tu peccata, sed illa imponentem re sui dimiserunt. O quam multi spe vitæ longioris decepti ad barathrum damnationis æternæ descendunt, qui pœnitentiam agere sani contempserunt. Quanto enim diutius pœnitentiam distuleris, tanto semper ad pœnitentiam minus dispositus inuenieris. Sumit namque malitia cum tempore vires, & nullum est peccatum tam paruũ, quod non crescat neglectum. Pœnitentiam igitur amplectere, dum sanus es, nec differas de die in diem, quoniam quid hodie possis, intelligis: quid autem futurum sit crastino, ignoras. Affert enim sua quæque noua incommoda dies, & qui hodie ad pœnitentiam non est dispositus, cras forsitan minus aptus erit. Nemo autem dicat vestrum, quid peccaui, vt mihi necessaria videatur pœnitentia, cum vita mea tota nihil sit aliud q̃ dura quædam & prolixa pœnitẽdi necessitas? Audistis scriptura testante, *quoniam non est homo super terram qui beneficiat, & non peccet, cum nemo sit mundus coram Deo.* Nam etsi non committatis grandia humanæ impietatis scelera, vt sunt homicidium, furtum, adulterium, fornicationes, & his similia, quia tamen in ea estis vocatione constituti, in qua vitibus totis ad statum perfectionis omnẽ debetis eleuare conatum, peccata q̃ mortalibus in mundo viuentibus parua sunt, vobis certe grauiora imputantur. Cauenda sunt enim claustralibus, quantum fieri potest, omnia peccata, nõ solum q̃ salutem impediunt, sed etiã quæ commaculant indictam perfectionẽ. Et quis vestrũ tanta puritate viuit, quantum perfectio monastica requirit? Grãde peccatum est monacho, si à perfectione conatum suum deposuerit, si negligenter in monasterio vixerit, si vel vnum canonis & euangelii mandatum transgressus fuerit. Et quis in vobis est fratres, qui Dominum Deum tanta sinceritate, tanta charitate, tantoq; diligat feruore amoris, sicut homo factorem & redemptorem suum tenetur diligere? Aut quem dabitis mihi ex omnibus vobis, qui non excedat aliquando vel in cibo sumendo, vel in potu, plus quã integritati congruit monachorum? Quis vestrum non offendit in verbo? aut quis non vexatur aliquando cogitationibus malis? Quem in vobis nõ percussit accedia? & quem tristis non turbauit?

Ezech. 7.

Nemo sibi dicat non egere pœnitentia.

Monachus tenetur ad perfectionem tendere.

bauit pigritia? Quis est ille quem in hac parua congregatione vestrum non tangat elatio, & quem non facit impatientia frequentius murmurantem? Cõsideret vnusquisq; vestrum semitas conuersationis suæ, & inueniet se in multis quolibet etiam momento delinquere. Quid enim si nihil mali cõmiserit monachus? Quid si mundum se custodierit ab hoc sæculo nequam? Perfectus esse non poterit, nisi & à malo declinauerit, & bonum fecerit, quod eius perfectio requirit. Alterum enim sine altero non sufficit, sed ex vtroq; perfectio in homine cõsurgit. Summo igitur studio nobis semper inuigilandum est fratres, vt satisfaciamus institutioni sanctorum patrum, secundũ quam viuere nos professione publica soleñiter obligauimus, quatenus ad perfectionem nobis propositã conatum nostrum sine intermissione dirigamus. Non retrahat nos à sancto conatu propriæ infirmitatis nostræ cõsideratio, quia non minus adiuuamur gratia creatoris, quam nostro curramus desiderio. Sicuti quotidie in multis quidem negligentius conuersando qualibet occasione delinquimus, ita singulis quoque momentis à torpore mentis resurgentes, sanctum conatum in bono proposito renouemus. Cõiungamus sanctis orationibus lachrymas, & Dei semper auxilium deuotis supplicationibus inuocemus. Charitatem in omnibus custodiamus inuiolabilem, quoniam ipsa est quæ multitudinem operit peccatorum. Singulis diebus bonus Christi miles, qui domino suo cupit esse fidelis, conscientiam suam ad minus semel discutiendo examinet, & quantum in sancto profecerit desiderio, vel defecerit eo die, diligentius penset. Quotiens vero deprehenderit se deliquisse in aliquo, confestim agat pœnitentiam, & cum lachrymis à Domino postulet miserationem. Non dubium expectet crastinum salus hodierna, & qui statim potest inuenire veniam, nullatenus interponat dilationem. Corde mox doleat se peccasse contra Dominum, sanctum quoque nouo feruore innouet propositum, illumque diem se perdidisse penitus existimet, in quo se melior proficiendo non euaserit. Semper in ore monachi versetur oratio, in corde sit iugis compunctio, ab oculis lachrymæ deuotionis continuo defluant, & interni amoris exercitia nunquam ab eius memoria recedant. Crebro sit in mẽte hominis claustralis dominicæ passionis amarissimæ recordatio, & omnes preces quas facit ad patrem, in virtute sanguinis & vulnerum Domini nostri Iesu Christi porrigantur. Semper in ore sint verba compunctæ mentis iudicium præ se ferentia, & vel oratio porrigatur ad Deum, vel sermonum eius meditatio reuoluatur. Declinet à malo deuotus monachus, & faciat bonum quod potest, cũ hilaritate & discretione spiritus Dei; quoniam sicut est dictum, ad pœnitentiam agendam non sufficit mores commutare in melius, & à malefactis recedere, nisi etiam bonis operibus conscientiam suam studeat exornare. Ad veram igitur pœnitentiam quatuor, vt scitis fratres mei, requiruntur. Primum est contritio vera pro peccatis, quæ est dolor cordis voluntarie assumptus, in eorum detestationem malorum quæ commisit. De qua scriptura dicit. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Et iterum. *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent.* Comes enim pœnitentiæ dolor est contritionis, qui quãto maior fuerit, tanto pœnitentia fructuosior erit. Contritio namque vera est quam & dolor mentis commendat, & lachrymarum mundatio continua testatur. Magna est vtilitas lachrymarum, quia nullum est tam graue peccatum, quod contritio lachrymis non deleat comitata. Hinc S. doctor Augustinus dicit: *O humilis lachryma quam potens es & virtuosa, quia tuum est regnum, tua est potentia. Aspectum iudicis non vereris inimicis accusantibus silentium imponis, sola intras ad regem, sed sola non recedis: vincis inuincibilem, & ligas omnipotentem.* Idem quoque ait. *Quanto est quilibet sanctior & desiderii sancti plenior, tanto est in orando fletus vberior.* Vera compunctio dolorem habet, dolor autem lachrymis ostenditur, & his pœnitentia quasi quibusdam ornamentis decoratur. Vera compunctio facit animum horrescere peccatum, quæ cum cœperit à timore, suis aucta incrementis, paulatim consurgit in amorem, cuius magna est virtus, & vere admiranda potestas, vt cui mox cedit omnis peccatorum enormitas. Quicunque enim vera cordis compunctio supplicare fecerit,

Examen conscientiæ quotidianæ.

Monachus quotidie se melior fiat.

Pœnitentiæ veræ quatuor necessaria.

Psal. 50.

Psal. 125.

I. Contritio quid & quæ germana.

mox hunc misericors Dominus exaudit. O felices lachrymæ, ô salutaris afflictio, & vere dulcis amaritudo, quam diabolus metuit, per quam anima compuncta ad Dei misericordiam consurgit. Nam vt sanctus inquit papa Gregorius, *quo vberius culpa defletur, eo altior cognitio veritatis attingitur, quia ad videndum internum lumen polluta dudum conscientia lachrymis baptizata renouatur.* Secundum quod ad pœnitentiæ veritatem pertinet, est firmum emendationis propositum, quoniã quisquis verbum confessionis in ore habet, & in corde non habet emendationis propositum, aut dolosus est, aut vanus. Qui vero in corde & non in ore, aut superbus est aut timidus, & nequaquam ad veram pœnitentiam idoneus. Dicit enim scriptura. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* Quæ Christophili sentẽtia, etsi de fide Domini nostri Iesu Christi principaliter intelligenda sit, recte nihilominus ad veram pœnitentiam videtur applicanda. Nam sine confessione oris non sufficit ad pœnitentiam sola contritio cordis, ex eo maxime tempore, quo statutum ecclesiæ confessionem decreuit necessariam ad salutem. Tertium igitur, oris confessio est, ad veritatem pœnitentiæ necessarium, sine qua nec contritio sufficit, nec emendationis futuræ propositum. Qualis vero debeat esse hæc salutaris confessio, neminem vestrum latere scio. Dico tamen quia fortassis non erit inutile, quoniam oportet confessionẽ esse propriam, integram, liberam, humilem, spontaneam & verecundam. Dicit enim præsul sanctus Ambrosius, quoniam plurimum suffragatur Deo ad remittendum peccata hominibus verecunda confessio, & pœnam quam euitare defensione non possumus, pudore humili releuamus. Magna res est confessio debita peccatorum, quoniam & sauciam delictis animam mox ad sanitatem reformat spiritualem, mentem quoque humiliatam iustificat, & veniam peccatis donat. Omnis enim spes nostra post lapsum peccati consistit in humilitate confessionis, quoniam culpa non dimittitur, nisi Deo scienti omnia per sacerdotem in confessione reueletur. In confessione locus est misericordiæ, sicut Salomon dicit in libro Prouerbiorum: *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit & reliquerit ea: misericordiam consequetur.* In Psalmo quoque scriptum est: *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Sanctus etiam Euangelista Ioannes in epistola prima dicit: *Si confitemur peccata nostra, Deus fidelis & iustus est, vt remittat nobis peccata nostra, & emundabit nos ab omni iniquitate.* Et sanctus præsul Augustinus ait: *Confessio est salus animarum, dissipatrix vitiorum, restauratrix virtutum, expugnatrix dæmonum, & cumulatrix omnium bonorum. Os claudit inferni, & portas cælestis aperit paradisi.* Cassiodorus quoque virtutem commendans veræ confessionis, ita dicit: *O beata consideratio, quæ sempiternum tollit opprobrium, quoniam quicquid reatuum inuenerit pœnitentia, perpetuis seculis reddit absolutum.* Quartum ad veram pœnitentiam necessarium, satisfactio est, qua videlicet omnes causas peccatorum excidentes auferimus, & pro his quæ commisimus perperam, sanctis operibus Dominum placamus. Hinc diuus papa Gregorius ait: *Nequaquam satisfacimus, si ab iniquitate cessamus, nisi voluptates quoque quas dileximus, oppositis econtrario lamentis insequamur.* Sanctissimus etiam papa Leo dicit. *Oratione, Dei propitiatio quæritur, ieiunio concupiscentia carnis extinguitur, eleemosynis peccata redimuntur, simulque per omnia Dei imago in nobis renouatur.* Est autem confessio, delinquentis voluntaria accusatio ex erubescentia, & per claues ecclesiæ satisfactoria pro peccatis, cum obligatione per pœnitentiam, ea quæ protulit castigandi in semetipso iussione sacerdotis. Oportet autem confessionem esse simplicem, humilem, puram, fidelem, frequentem, nudam & apertam, discretam, voluntariam, propriam, verecundam, integram, secretam, lachrymis plenam. debitis temporibus factam, fortem, & seipsum ex animo veraciter accusantem, quoniam hæc omnia requirit vera pœnitentia, quæ sic peccata deflet præterita, vt deinceps non committat amplius plangenda.

Greg. 3. p. past. c. 30.

II. *Institutũ rectioris vitæ.*

Rom. 10.

*

Confessio qualis sit.

Amb. in Psal. 37. & ep. 7. lib. 2.

Confessio est necessaria.

Prou. 28.

1. Ioan. 2.

Aug. l. de pœnit.

IV. *Satisfactio.*

Greg. 3. p. past. c. 31.

serm. 1. de ieiun. 10. mens.

Confessionis conditiones.

De ab-

De abstinentia & ieiunio monachorum.

HOMILIA XV.

MAgnum & necessarium bonum est monacho, fratres charissimi, abstinentia cum ieiunio, vt mente videlicet non delinquat in concupiscentia carnis & cogitationibus malis, & corpore abstineat ab escis & potibus lasciuiam animi generantibus. Cito enim concupiscentia mentis in libidinem accenditur, si corpus nimis accurate nutriatur. Huius boni vtilitatem maximam considerantes olim sanctissimi patres, qui monachis viuendi præcepta tradiderunt, vna omnes sententia ieiuniorum nobis certam statuere mensuram, sub cuius moderamine tantam corpus ciborum refectionem sumeret, quantam natura requireret, non quantam intemperies concupiscceret voluntatis. Sancta quoque scriptura ieiunium nobis multipliciter commendat, cuius totiens cum laude facit mentionem. Dicit enim Dominus Deus per os prophetæ sui Iohelis. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, planctu & fletu.* In libro quoque Iudith sic legitur: *Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in ieiuniis & orationibus in conspectu Domini.* In Tobia similiter legimus: *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna magis quam thesauros auri recondere,* quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata. Dominus quoque noster Iesus Christus in sancto Euangelio dixit ad discipulos: *Beati qui nunc esuritis, quoniam saturabimini.* Optimum vero monachorum ieiunium est abstinere à cunctis quæ animum polluere possunt, hoc est ociosum non proferre sermonem, vanas inutiles seu turpes nullas admittere cogitationes, nihil committere quod Dei non deceat seruum, & nihil omittere quod ad iustitiæ pertinet consummationem. Nisi enim mens à vitiis & peccatis ieiunauerit, corporalis abstinentia nihil ad animæ proficiet salutem. Hinc diuus presbyter Hieronymus ait. *Abstinentia tua atque ieiunium eo magis Deo grata sunt, quo cum moribus sanctis offeruntur, vt quæ in aliis sunt vmbracula vitiorum, in te fiant ornamenta virtutum. Nam quid prodest attenuari corpus abstinentia, si animus intumescit superbia?* aut quid virtutis habet vinum non bibere, & ira, luxuria, odio atque inuidia inebriari? Aut quid nobis conducet ad æternam salutem fratres, quod iuxta regulam diui patris nostri Benedicti carnes non comedimus, si carnis vitia non domamus? Dicit enim ter sanctus Papa Gregorius: *Incassum corpus per abstinentiam atteritur, si inordinatis motibus diuisa mens vitiis dissipatur.* Vnde bene dicit scriptura. *Sanctificate ieiunium.* Ieiunium sanctificare, est adiunctis aliis bonis operibus dignam Deo carnis abstinentiam ostendere. Enimuero, si abstinentia sola ciborum hominem virtuosum efficeret, non opus fuisset adiungere, sanctificate: sed quia ieiunium ad sanctificationem animæ solum non sufficit, necessarium est vt virtutum ornatu omnium decoretur. Nam qui à cibis abstinent, & mala peragunt, dæmones imitantur, quibus & semper est ieiunium, & nunquam deest peccatum. Acceptabile Deo ieiuniũ est corpus per abstinentiam à concupiscentia malorum restringere, & facta carnis per spiritum compunctionis pro Christi amore iugiter mortificare. Sit mens ieiunantis in Dei charitate feruida, sit conscientia semp à vitiis munda, & placebũt altissimo seruorum humiliũ ieiunia. Sint monachis quotidiana ieiunia, sicut canõ S. præceptoris Benedicti instituit, sint munda corda, sicut Dominus Iesus in sacro euangelio præcepit: sit moderata refectio satietatem fugiens, quoniam sicut ex nimia saturitate corpus diuersis & variis morbis corrumpitur, ita libidinis incompositus motus in eo concitatur. Modicus namq; ac moderatus cibus & corpori est medicina, & animæ virtutis adminiculum. Dicit enim S. Ioannes, os aureum, Episcopus: *Nihil sic iucundum est sicut cibus bene digestus atque decoctus, nihil sic salutem, nihil sic acumen operatur sensuum, nihil sic ægritudinem fugat, sicut moderata refectio.* Sufficientia enim cum nutrimento moderata sospitatem simul procreat & voluptatem. Abundantia vero morbum facit, molestiasq; ingerit, & ægritudines varias generat. Quod enim fames nimia facit, hoc etiam plenitudo immoderata ciborum consueuit operari. Fames quidem in paucis diebus aufert hominẽ & liberat eum de hac vita pœnali: excessus vero

Ieiunium in sacris literis cõmendatissimum.
Iohel. 2.
Iudith. 4.
Tob. 12.
Luc. 6.
Ieiunium monachorum quod optimũ.
Hieron. epist. ad Demetr.
cap. 39.
Greg. 3 p. past. c. 20.
Sanctificare ieiuniũ quid.
cap. 49.
Matt. 5.
Chrys. hõ. 29. in ep. ad Hebr.
Repletio fame pernicioſior.

vero ciborum consumit & computrescere facit corpus humanum, & macerat ægritudine diuturna, tandemque morte crudeli consumit. Vt ergo mente viuatis & corpore sani, fratres mei dilectissimi, hanc normam viuendi tenete, quam vobis sancti patres verbo præscripserunt, & viuo præmonstrarunt exemplo, vt omnem ciborum potuumque luxuriam fugientes, corpori tãtum indulgeatis, quantum requirente natura bonæ valetudini satis est. Cibus famem sedet, non corpus incitet ad libidinem: potus extinguat sitim, nõ mentem subuertat aut sensum: vestis arceat frigus, non faciat in vanitatis amore mollescere animum. Memores semper estote fratres, quoniam gula primos parentes nostros de regno paradisi & innocentiæ turpiter expulit, qui non auem, non piscem, non vitulum deuorauerũt aut porcum, vt cibum æstimaret in culpa, sed vilissimum pomum contra Dei mandatum pręsumpserunt, quo non escam, sed appetitum sciatis obnoxium esse vitio peccati. Sæpe nãq; fieri potest, vt aliquis homo lautiores cibos sine culpa sumat, dum appetitum regulat, qui viliores non sine conscientię reatu percipit, cum temperantię modum per immoderantiam excedit. Vnde nemo vestrum se à vitio gulæ propterea existimet securum, quia nec lauta cibaria comedit nec delicata, cum non cibus, sed appetitus cibi habeatur in culpa. Valde namque possibile est manducantem fabas & olera peccatum reatus contrahere, & aues in cibo sumentem alium delicatissimas non peccare, Hinc quidam sanctorum patrum dicit: *Quibuslibet escis repletus venter seminaria luxuriæ parit, nec prævalet mens discretionũ gubernacula moderari, ciborum pondere præfocata. Nõ enim sola crapula vini mentem inebriare consueuit, verum etiam cunctarum escarum nimietas vacillantem ac nutabundam eam reddit, omnique integritatis ac puritatis contemplatione omnino despoliat.* Propterea magna discretione opus est, vt & corpori cibus duntaxat impendatur ad vitæ sustentationem necessarius, & nullus indulgentiæ fiat excessus. Hinc ait diuus Papa Gregorius. *Magnus discretionis labor est exactori ciborum corpori & aliquid impendere, & aliquid denegare, & non dando gulam restringere, & dando naturam enutrire. Per abstinentiam quippe vitia extinguenda sunt, non caro: & per cibum corpus alendum est, non peccata.* Sic ergo necesse est vt artem continentiæ monachus in victu teneat, quatenus non carnem, sed vitia occidat. Sæpe enim dum in carne hostem persequimur, spiritum deuotionis, quem diligimus, per immoderatam abstinentiam seuere trucidamus. Sæpius enim dum carni nimium compatientes, quasi conciui parcimus ad prelium contra nos hostem enutrimus. Dominante autem gulæ vitio, omne quod homines fortiter egerunt, perdunt: quia dum venter non restringitur, simul omnes virtutes obtruuntur. Nam ad conflictum spiritualis agonis non assurgitur, si non intra nosmetipsos positus hostis, gulæ videlicet appetitus, per nos iuuante Deo prius edometur: quoniam nisi ea quæ nobis sunt viciniora superauimus, inaniter ad ea quæ sunt longius posita pugnaturi festinamus. Incassum namque contra extraneos inimicos bellum in campo geritur, si intra vrbis mœnia ciuis insidians habeatur. Dæmonum insidias nunquam vincimus, nisi gulam prius in nobismetipsis superemus. Nemo se fratres inani persuasione seducat, vt inter fabas & olera credat non esse peccatum, si animus nimia laxet voluptate percipiendi appetitum. Nam vbique potest in sumendo esse reatus, dum vltra naturæ normam extenditur appetitus. Ecce carnem, siue in monasterio, siue extra nunquam comedimus, pisces hic in rure campestri tarissime videmus, nemo inter nos vnquam lautiora vidit cibaria, delicata habere nec possumus, nec quidem debemus esculenta. Cibaria autẽ nostra sunt hordeum, auena, fabæ, pisa & olera, lac quoque caseus & oua. Ex his vitæ nostræ quotidiana percepimus sustentacula, quorum ne consurgat fastidium, fames incitat appetitum. Pisces extra tempus quadragesimale nobis vsque adeo sunt rari, vt vix in mense semel pauci afferantur ex Naho flumine, atque minutissimi. Nullum est in tota Burstseldensium reformatione cœnobium minus in piscium necessitate prouisum. Sed nunquid propterea non possumus gulæ vitium incidere, quoniam lautiora cibaria non possumus inuenire. Enimuero non cibus in vitio fit, sicut iam dictum

Non tam cibum quã mentem expedit domino, nec tam qualem sed quantum sumas. Cass. l. 5. de instit. monach. c. 6.

Greg. 20. mor. c. 30.

Quam frugaliter Spanhemenses monachi vixerint, qui ne tritici quidem aut siliginem essitarent.

dictum est, sed appetitus, non minus piſorum aut fabarum comeſtor in edendo poteſt delinquere, quam ille qui cibos lautiſſimos & exquiſitos conſueuit manducare. Non facit nos inopia penitus à regula ſecuros, quamuis cauſas minuat in delicatioribus delinquendi. Habemus quidem victũ ſimplicem & ruſticanum, quo vtcunque ſuſtentetur natura, hoc precor fratres mei, curemus, ne in illo quod nauſeam delicatis generat, conſcientia noſtra per exceſſum polluatur. Sumamus cum patientia & gratiarum actione de eo quod Dominus donauit, quantum neceſſitas ipſa requirit, nec putemus diaboli nobis non poſſe nocere inſidias, qui primos in paradiſo homines non lautiore cibo, ſed modico & vili pomo ſupplãtauit. Non enim in cibo vitium eſt, ſed in appetitu, cum aut interdicta nobis concupiſcimus, aut conceſſis auide inhiantes aliter vtimur quam debemus. Neminem plus decet abſtinentia quam monachum, qui cum ſit ad Chriſti militiam ſpecialiter vocatus, non conuenit eius profeſſioni quibuslibet vacare deliciis. Paupertas noſtras abſtinentiæ nobis quandam neceſſitatem indicit, quia tanto nos facilius ad temperantiam poſſum⁹ reſtringere, quanto nos quo defluamus deliciarũ minus poſſumus inuenire. Vertamus itaque precor grauamina egeſtatis in arma ſalutis, vt quo minus lautioribus reficimur cibariis, eo purius in ſanctitate animi ieiunemus. Facilius enim in paupertate ſeruatur temperantia, quæ in diuitiis quidem periclitatur citius. Qualis autem debeat eſſe cibus monachorum, beatus manifeſtat Hieronymus dicens in epiſtola quadam ad Paulinum. *Sit vilis & veſpertinus tibi cibus, holera videlicet & legumina, interdumque piſciculos edere paucos, pro ſummis ducas deliciis.* Qui Chriſtum deſiderat, & illo cœleſti pane veſcitur, nõ quærit magnopere quã de p̃cioſis cibis ſtercus cõficiat. Amator Chriſti abſtinentiã diligit, ieiuniũ vt vnicũ animæ corporisq; remedium, colit: ſũmo cauet ſtudio, ne cor ei⁹ grauetur crapula, nec plus ſumit ciborum, quam contenta paucis expoſtulat natura. Monachus autem qui ieiunium abiicit, qui nutricem virtutum abſtinentiam odit, qui cibos cum auiditate iugurgitat, qui vinum aut ſiceram, & quicquid inebriare poteſt, ad ſatietatem potat, ipſo monachi nomine indignus eſt & Chriſti non poteſt eſſe diſcipulus. Væ temporibus noſtris, in quibus iam clerici & Monachi complures virtutem abſtinentiæ turpiter abiecerunt, & qui populo Dei non minus exemplo quam verbo iter ſalutis præmonſtrare debuerant, comeſſationibus dediti, continuisque potationibus & voluptatibus contra omnem honeſtatem clericorũ immerſi, cum in perditionem æternę mortis præcedere feſtinant. Dicit autem ſcriptura: *Initium vitæ hominis, panis & aqua.* At nunc Monachi & clauſtrales noſtri quicquid precioſius venditur, quicquid lautius inuenitur, ſibi magnis ſumptibus cõparant, ſuis ventribus ingurgitando ſepeliunt, animam ſimul & corpus per intemperantiam corrumpunt. Inter epulas de ieiunio diſputant, & cum in ebriati fuerint, temperantiam laudant. Ibi vnuſquiſque victorem ſe gloriatur vitiorum, cum à gula & ebrietate iam fuerit ſuperatus. *Videte*, inquit, Dominus noſter Ieſus Chriſtus in ſancto euangelio ſecundum Lucam, *ne grauenter corda veſtra in crapula.* Non decet hominem Deo dicatum ad ſatietatem comedere vel bibere, nec licet Monacho, plus quam natura exigit manducare. Sedet famem comeſtio, non inducat repletionem: abſint procul ructus, quos epulonibus conſueuit generare ſatietas, vomitus & indigeries nunquam inter Monachos audiantur. Magno diſcretionis moderamine omnes vtamur clauſtrales oportet, quatenus ita corpus nutriatur eſculentis & poculis, vt ſpiritui ſubſeruiens poſſit viuere, non autem vt incraſſatum contra mentis imperium incipiat laſciuire. Procul ſemper abſit ſatietas, quoniam nihil ſic inflammat corpus, & concitat membra genitalia, ſicut indigeſtus cibus & venter æſtuans vino, ſiue ceruiſia. Hinc diuus Hieronymus monens Euſtochium ad virtutum omnium conſeruatricem temperantiam, in quadam Epiſtola dicit *Sponſa Chriſti vinum fugiat pro veneno, quoniam aduerſus adoleſcentiam arma ſunt vinum & ipſa inuentus procliuior ad gulam. Non ſic auaritia quatit adoleſcentiam, nec inflat ſuperbia, neq; delectat ambitio, ſicut illa quæ nobis videntur*

Penuria & vilitas ciborum multum facit ad temperãtiæ ac ſobrietatis virtutẽ. Hieron. epiſt. 13.

Eccl. 29. Aduerſus luxũ monachorũ.

Luc. 21.

Satietas in victu ſemper vitanda.

Hieron. epiſt. 22.

concreta voluptati vitia carnis. Facile aliis carebimus vitiis, si in timore Domini vel mediocriter vigilemus. Hic autem hostis noster intus est semper inclusus: quocunque pergimus, hunc nobiscum aduersarium portamus. Vinum & adolescentia, duplex incentiuum voluptatis. Quid oleum flammæ adiicimus, aut quare ardenti corpusculo fomenta ignea ministramus? Multos caste ambulantes in medio itinere prostrauit ingluuies, & quos suis instinctibus vincere diabolus non potuit, in profundam luxuriē vini potatio nimia proiecit. Idcirco sanctissimus vitæ nostræ institutor Benedictus instrumenta bonorum enumerans operum, inter præcipua reposuit corpus castigare vigilias amplecti, ieiuniū amare. Nemo enim Christū in veritate sequitur, qui carnem suam delicate nutriens sine quotidiana abstinentia in monasterio conuersatur. Abstinentia quippe moderata ac Deo placens multa in nobis bona operatur si vsque ad finem vitæ religiosa intentione fuerit continuata. Auget enim in primis meritum, & nutrit in nobis omnium genera virtutum. Quænam fuit causa, vt primis parentibus nostris omnipotens Deus esum pomi sub interminatione mortis interdiceret, nisi vt eis meritorum causam per obedientiæ bonum ostenderet? Creauit enim testante scriptura, duos intellectus ab initio, angelicum videlicet & humanum, quibus ad fruitionem æternæ felicitatis per gratiam communicaret semetipsum. Quamuis tamen vtrunque ex gratiæ suæ dono condidit, fieri perpetuo felices etiam ex merito eorum proprio rectissime ordinauit, quatenus in eis & miseratio locum & conuersio necessarium ad salutem consequeretur meritum. Angelicus vero intellectus statim bifariam diuisus est, cum aliis per elationem sua sponte corruentibus, alii suo per amorem principio humiles & subiecti adhæserunt. Et illi quidem apostatantes à suo principio, infelices recesserunt, isti autem pro adhæsionis merito sempiterna beatitudine sunt donati. Humanus vero intellectus in carnem demissus est, qui mox persuadente diabolo mandatum Dei transgreditur, & de interdicto sibi cibo epulatur. Hinc totius humani generis perditio sequitur, quam auferre alius quam Dei filius homo factus ex virgine pro nobis potuit nemo. Quid enim damnauit protoparentes nostros nisi mandati transgressio? quoniam non fuit Deo cura de cibo, sed de obediētia. Nam si abstinuisset homo, sicut ei præceperat omnipotens Deus, certe per hanc obediētiam meruisset in sua innocentia fruitionem æternæ felicitatis. Constat enim traditione scripturarum hominem sine merito liberi arbitrii non posse saluari, quoniam etsi gratia Dei omnia operatur in omnibus, neminem tamen saluabit sine cooperatione propriæ voluntatis, exceptis duntaxat in trinitatis nomine baptizatis infantibus, & qui liberum habere nequeunt vsum rationis. Nam sicut arbitrium liberum nihil operatur ad salutem sine gratia saluatoris, sic Dei gratia non saluabit adultum sine merito bonæ voluntatis. Primus autem homo in paradiso positus, mandatumq; Dei per intemperantiam transgressus, meritum obedientiæ in bona voluntate non habuit, propterea miser & infelix proiectus fuit. Sed omnipotentis Dei miseratio collapsum ex infirmitate reformare ab æternitate statuit, quem deceptum inuidi suggestione serpentis potius, quam propria malitia non ignorauit: Condonauit hunc reatum passioni & morti vnigeniti filii sui in tempore nascentis de virgine, vt qui propria temeritate periit, mediatoris obedientia reformaretur ad salutem. Impossibile namque fuit perditum per inobedientiam genus humanum ad misericordiam creatoris peruenire, nisi per obedientiam talis mediatoris, qui Deus esset & homo, in quo & virtus esset potentiæ, & innocentia naturæ. Eramus enim cæci per ignorantiam, & muti per taciturnitatem. Venit mediator *Dei* & hominum Christus Iesus, destinatus vt illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum, Dei mortalibus cognitionem tradidit, mortuusque pro perditis maximam causam amoris redemptis consignauit. Intellectum erudiuit per fidem, qua Deum cognoscimus: affectum concitauit per passionem, quo ipsum super omnia merito diligamus. Itaque si Dominum & redemptorem nostrum integra sinceritate diligimus, dignum est plane & corpus nostrum pro eius amore castigemus. Conducet enim nobis abstinētia nostra duplici ratione ad meritum, dum

cap. 4.

Abstinētia multum addit meriti.

Nemo adultus sine libero arbitrio saluatur.

Ioan. 1.

dum videlicet ieiunantes per obedientiam, ſtatutis patrum ſatisfacimus: & abſtinentes per charitatem Dei, nos redemptori noſtro qui noſtri cauſa mortem ſuſtinuit, gratos exhibemus. Abſtinentia meritum auget, obedientiam commendat, ſapientiam & eruditionem præſtat, affectum purgat, intellectum illuminat, victoriam contra dæmones tribuit, religionem perficit, veniam peccatorũ impetrat, motus carnis illicitos domat, orationibus efficaciam conciliat, exemplum virtutis proximo declarat. Abſtinentia mentem purificat, animam virtutibus ornat, infirmum corpuſculum ſanat. Qui diligit abſtinentiã, ſapiens eſt: & qui ieiunium amat, dominator fortis: Mens ſobria domiciliũ ſapientiæ: qui autem ſectatur conuiuia, in egeſtate animi morietur. Difficile eſt hominem euadere ſapientem, qui vitam agit in deliciis. Paucis contentatur natura, & in modicis vitæ ſanitas conſeruatur. Multis nocuit diutius continuata voracitas, & plures crapula quam gladio perierunt. Conſuetudo n. naturã alterare videtur, & quanto diutius conualuerit, tanto iam fortior in quolibet negocio erit. Eſt apud Heluetios homo Nicolaus nomine cuius abſtinentia totius Germaniæ, homines conuertit in admirationem, & hodie, ſicut audiuiſtis, in ore omnium cum ſanctitatis titulo nominatur. Is quondam ruricola in quodam Heluetiorum vico exiſtens, more paganorum inter quatuordecim ius dicere conſueuit altercantibus villanis. Contigit eum quodam tempore ſententiam non poſſe reuocare ſociorum, quam putabat iniquam, metuensque ſalutis animæ ſuæ periculũ, relictis domo, vxore, filiis, & cunctis mũdi negociis ac rebus ſolus in vicinũ nemus ꝓ Dei feceſſit amore, in quo vitã ſolitarius agit. Et ecce annus hodie viceſimus ex quo ſolitudinem ingreſſus, cibum non ſumpſit humanum. Omnibus notiſſima loquor, nec hominem in Germania viuere puto, qui famam huius miraculi non audierit. Et ne quis forſitan in poſterũ ſimulatione deceptus non credat, Heluetios vna cum præſule Conſtantienſis eccleſiæ in teſtimonium citamus, qui mores & vitam eius curioſiſſime obſeruat. Acutiſſimus ingenio vir eſt, qui cum ſit literarum penitus ignarus, tamen quaſi alter eremita quondam Antonius, ſenſum optime callet ſcripturarum. Vidimus, quæ deſertiſſime cum quodam diſputauit magiſtro de ſacramento altaris, quæ ſatis mirari non poterit, qui eccleſię per cõtemplationis ſtudium minime guſtauit. Hæc ideo inttoduxerim fratres, quo intelligatis nihil eſſe tam difficile, quod conſuetudo multo tempore continuata non efficiat leue. Sanctus iſte homo, ſicut ipſe confitetur, nõ ſubito ad huius abſtinẽtiæ celſitudinem peruenit, ſed cum tempore ſucceſſiue per gradus, paulatim videlicet ſibi de cibo ſubtrahens modicum, quouſque tandem abſtinere potuit per totum. Abſtinuit enim ſicut diximus, ab omni corruptibili cibo iam in annum ferme vigeſimum. Huius viri exemplo fratres mei vnuſquiſque veſtrum diſcat ſibi quotidie aliquid de cibo & potũ pro Dei amore ſubtrahere, & aſſueſcat corpori ſuo, nõ quantum poteſt, ſed quantũ ſatis eſt ad naturæ ſuſtentationem, miniſtrare. Paucis enim minimiſque, Boëtio teſtante, natura contenta eſt, cuius ſatietatẽ ſi ſuperfluis tentes vrgere alimentis, aut iniucundum fiet quod infuderis, aut nociuum. Multas ægritudines multa fercula pariunt, & ventris ingluuies mentem hebetat, & vitam cruciat. Dicit enim vir ſapiens: *Dulcis eſt ſomnus operanti, ſiue parum ſiue multum comedat, ſaturitas autem diuitis non ſinit enim dormire.* Sine ſatietate implendus eſt venter, & ſine faſtidio de menſa ſurgendum, vt videlicet edamus non quantum poſſumus, ſed quantum poſtulante natura debemus. Monachis autem maxime vitanda eſt ciborum varietas: nã qui eſculentis variis vtitur, plus quam natura exigit, ingerere ſtomacho tentans, non ſine gulę vitio epulatur: Vires enim corporis noſtri moderato & ſimplici cibo reficiendæ, non autem variis & multis turpiter opprimendæ, quia non corpus propter eſcam, ſed eſca propter corpus creata eſt. Quod enim varios corpori morbos afferat ciborum varietas antiquorum temperantia probamus, quos vniformis eſculentorũ ſimplicitas in hac vita diutiſſime conſeruauit. Sanctiſſimus aũt inſtitutor noſter principum monachorum omnium modeſtiſſimus hierophantes Benedictus canonem nobis præſcripſit ſumma diſcretione decoratum

Ieiunii vtilitas.

Nicolai cuiuſdã Heluetii mira abſtinentia.

Naturã contentã paucis.

Eccleſ.

ratum, in quo mensam ciborum cupiens
cap. 39. ostendere monachis, dicit: *Sufficere credimus ad refectionem quotidianam tam sextæ quam nonæ omnibus mensis cocta duo pulmentaria, propter diuersorum infirmitates, vt qui forsitan ex vno non potuerit edere, ex alio reficiatur.* Ergo duo pulmentaria cocta omnibus fratribus sufficiant. Et si fuerint ibi poma, aut nascentia leguminum, addatur & tertium. Si mentem legislatoris nostri sane intelligo, monachis duo pulmentaria cocta indulsit, vbi necessitas expostulat infirmitatis, non ad sanorum repletionem appetitus. Monachus enim qui sanus est, ab hac indulgentia merito excipitur, vt vno duntaxat pulmentario cocto reficiatur. Infirmus autem refici de vtroque mea sententia iure permittitur, cum excessus in nullo timeatur. Verum cum non omnia possimus æqualiter omnes, & vnus plus indigeat ciborum; alius vero minus, impossibile est vnam abstinentiæ formam perscribere cunctis: sed relinquitur vniuscuiusq; discretionis iudicio, vt tantum sumat quantum expostulat necessitas, non quantum imperat appetentiæ voluptas. Hoc maxime cauendum, ne subrepat immoderata ciborum satietas, quæ tunc animam commaculat, cum aut fastidium refectionem sequitur, aut grauis accedia mentem Vomitus de saturitate procedens, canum est potius: quam Monachorum. Religio christana virum maxime detestante epulonem, quoniam deliciæ seruorum Dei, non esca & potus, sed pietas & iustitia sunt, quia & Deus fidei puritate colitur, & vnicuique quod suum est iuste ministratur. Quisquis igitur Deo placere in toto corde tuo desideras, quicunque peruenire ad æternæ fœlicitatis gaudia festinas, ieiunandi modum tibi iuxta mensuram virium tuarum indicito, & curam adhibe maximam, vt ieiunans sis in oratione continuus, in iudiciis iustus, in fraterna dilectione præcipuus, in iniuriis patiens, in increpationis humilis, in sermone circumspectus, in conscientia mundus, in amore Dei feruidus, & in cunctis actionibus tuis comitante prudentia timoratus. Verba inutilia & ociosa fugito, & esto perseuerans in operibus bonis omni tempore, habens in aduersis cōstantiam, in tentationibus vigilantiam, in refectione continentiam, & simplicem in corde puritatem. Sint moderata & sancta in omni mētis humilitate ieiunia, quæ ita corpus attenuent, vt mentem in superbiam non eleunt, ne humilitatis exercitium, materia fiat vitiorum. Ieiunium ocium detestatur, verbositatem non amat, secretum diligit, orationibus & lachrymis intendit. *Ieiunium*, sancto testante Ambrosio, *mors culpæ est, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum castitatis.* Hoc gradu iustus ad Deum Moyses peruenit, hoc numere Helias in cœlum, priusquam moreretur, curru ascendit. Qui spritu ambulant, ieiunium diligunt: & qui castitatem profitentur, affluentiam necessario fugiūt deliciarum. Fames enim amica virginitati inimica lasciuiæ. Saturitas vero prodit castitatem & nutrit lasciuiam. Ardentes enim diaboli sagittas ieiunium extinguit, orationis instantia reprimit, & vigiliarum in Christi amore continuatio, omnes dæmonum insidias repellit. Hinc sanctus Leo papa in quodam sermone dicit: *Quid potest esse ieiunio efficacius, cuius obseruantia appropinquamus Deo, & resistentes diabolo, vitia blanda superamus? Semper enim virtuti cibus ieiunium fuit, & abstinētia sanctæ castitatis alimentum. De abstinentia quippe cogitationes castæ procedunt, rationabiles generat voluntates, pudica quoque consilia, & per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur virtutibus spiritus innouatur.* Amemus igitur ieiunium fratres mei virtutis amore, propter eum qui mortem pro nobis subire non abnuit, & abstineamus non solum ab illicitis, sed etiam quantum fieri potest à concessis, vt qui contra mandata salutis in multis offendimus, in recompensam satisfactionis ab omni nos deinceps voluptate restringamus. Ieiunemus ab omni peccato, nullum sumamus malitiæ cibum, nullas epulas voluptatis deuoremus, nec vino luxuriæ inebriemur Ieiunemus à prauitatibus cunctis, abstineamus à malis operibus: verba inutilia, vana, otiosa, scurrilia: & pernicioſa non loquamur, & à nociuis peruersisque cogitationibus, quæ separant à Deo, semper caueamus. In orationibus Dei semper studiosissime vigilemus, scientes illum nobis vbiq; præsentissimum quem precibus inuocamus. Semper in ore nostro sit laus eius, & cum laudare magnificentiam eius sermone non possumus

Delicia seruorum Dei quæ.

Quæ tandem salutaria ieiunia.

Amb. de Elia & ieiun.

sumus, amoris castissimi desideriis ipsum in corde adoremus. Tunc enim grata sunt illi nostra ieiunia, cum sanctis fuerint operibus & continuis orationibus adornata. *Oratio enim iusti*, sacra testante scriptura, *penetrat cælos*, quæ tanto fit efficacior, quanto charitate ac ieiunio decorata inuenitur, lungamus ei veluti alas binas ieiuniũ & charitatem: & impetrabit nobis à Domino quicquid ad salutem conducibile petierimus.

Eccl. 35.

De quadragesimali ieiunio monachorum.

HOMILIA XVI.

QVia largiente Domino nostro Iesu Christo, fratres charissimi, quadragesimale ieiunium inchoauimus, ratio expostulat vt de illius obseruatione aliquid breuiter dicamus. Quamuis enim plura sanctorum Patrum scripta de hac sacra sancta exercitatione ieiuniorum habeatis, quia tamen experior in vobis sermones meos non penitus infructuosos, libenter ædificationi vestræ impartior: quod largitus est Dominus. Habet namque. beato testante Hieronymo, viuæ vocis actus latentem quandam intus operationem, quam Græco sermone ornatius energiam nuncupauit, & oratio præceptoris ore prolata fortior est ad persuadendum. Ego autem solo nomine pastoris in medio vestri segregatus, confiteor me iuuenem indoctum, & necessaria pro regimine animarum experientia simul ac discretione carentem, quo fit vt loquar cum rubore quodam & verecundia iuuenis inter senes, ignarus inter doctos, discipulus inter magistros. Vnde precor nemo vestrum simplicitatem sermonis mei contemnat, nemo loquentem me grauiter ferat, quoniam etsi ad dicendum non sum idoneus, tamen ratione commissi pastoralis curæ officii admonendum vos coram Deo me fateor obligatum. Charitas mihi vestra loquẽdi præbet audaciam, & quanto vos promptiores ad audiẽdum ostenditis, tanto me amplius vt loquar prouocatis. Nec erit labor mihi grauis quantumlibet magnus videatur, quo salus animarum vestrarum perficitur. Vos me orationibus adiuuate, vt Dominus Iesus in ore meo loquatur, cõcedatque pusillo vires ingenio proferendi ad medium, quicquid in vobis producere

Hiero. ep. 103. ad Paulin.

potest sancti feruoris incrementum. Nã quantum cupio, prodesse charitati vestræ sermonibus meis nequeo, propterea quod cura rei secularis nimium compellor occupari. Vnde festis solum diebus, & in ea parte noctis, quam post laudes nocturnas ducere soleo insomnem, vobis exhortandis inseruio, inschedulis concipiens, quæ mihi dicenda occurrũt. Itaque hodiernam collocutionem de regula sanctissimi patris nostri Benedicti introducere volui, qui de quadragesimali obseruatione sic dicit: *Licet omni tempore vita Monachi quadragesimæ debeat obseruationem habere, tamen quia paucorum est ista virtus, ideo suademus istis diebus quadragesimæ omni puritate vitam suam custodire, omnesque pariter sordes & negligentias aliorum temporum his diebus sanctis diluere.* Quod tunc digne fit, si ab omnibus vitiis temperemus, orationi cum fletibus, lectioni & compunctioni cordis operam demus. Si paucorum est ista virtus, vt omni tempore vitam obseruantiæ agant quadragesimális, manifeste iam constat paucos in religione viuere monachos ad euangelii puritatem, cum teneantur omnes qui Christi profitentur militiam, ad perfectionis apicem conatum suum dirigere. Monachus enim iuxta nominis sui interpretationem solitarius, in cœnobio tunc recte viuere ad euangelium & regulam, quam professus est, creditur, cum seculi rebus atque honoribus pro Dei amore contemptis, in omni puritate cordis coram Deo & hominibus conuersatur, in opere strenuus, in cogitatione mundus, in sermone parcus atque pacificus: Hæc est vita Monachi quadragesimalem in omni tempore habens obseruantiam, corpus pro Dei amore castigare per abstinentiam, & mentem alere per internã compunctionẽ. Recte viuit, qui iuste viuit, qui Deũ diligit super omnia, qui summo studio, summaque diligentia verbis & factis illius obseruat mandata. Ille enim Christi verus est monachus, qui Christum totis viribus imitatur. Si autem volueris imitari Christum ô Monache, q̃ sum dicturus, diligẽtissime obserua. Fuge mundum & omnia solatia carnis, vt vere solitarius esse merearis. Cogitationes vanas, inutiles, turpes, atq; nociuas, nunquam in corde tuo morari permittas, sed cogita

Reg. c. 49. Tota vita monachi propriè quadragesimæ ieiunii obseruatio est.

sem-

semper aliquid boni, & dominicæ passionis memoria de animo tuo nunquam recedat, quo minus pendentem in cruce Dominum quotidie gratiarum actione speculeris. Deum tibi præsentem vbiq; considera, qui videt, nouit & intelligit, quicquid vel cogitaueris vel operat' fueris, quoniam nihil est illi occultum. Cor mundum custodi ab omni inquinamento peccati & puram habeto conscientiam semper in vero Christi amore feruentem. Nullum tibi ociosum auolet tempus, sed in bonis operibus semper inueniat te cogitatio implicatum, Somno ne torpeas multo, & ab omni teporis acedia procul te facias alienum. Ciborum & potus temperantiam capesse, & quanto licet parcius viuito, vt corpus moderate sustẽtatũ spiritu semper in humilitate subseruiat, & minime contra rationis imperium consurgat. Mox vt senseris in te aliquem oriri torporem, ad amarissimæ passionis Domini nostri Iesu Christi memoriam confugito, & quicquid acediam depellere velocius potest, in mentem reducito. Moras rumpito precor omnes, quoniam torpor mentis subito crescit dissimulatus, & acedia, quæ nouo feruore mentis non statim extinguitur, in grauem animæ perniciem confestim roborat. Omnium enim malorum in Monacho est pessimum, si per torporem & acediam locum in corde suo præstiterit seminario vitiorum. Et vobis, ò Monachi, non solum quotidie, sed omni hora atque momento contra hanc bestiam vigilandum est, quoniam admissa in cor, nunquam sola ingreditur, sed eam tota congeries & scaturigo omnium vitiorum comitatur. Non est perniciosior pestis Monachi, quam torpor acediæ, per quem omnis feruor deuotionis extinguitur, & pro fideli obsequio intermisso ignauia & ocio mens in foueam desperationis agitata præcipitatur. A sanctitatis proposito velociter deficit, quisquis moram acediæ permittit. Quo contra Salomõ te admonet in libro Prouerbiorum dicens: *Vade ad formicam ô piger. & considera vias eius, & disce sapientiam: quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum suum, & congregat in messe quod comedat.* Et iterum dicit: *Desideria occidunt pigrum, quia noluerunt quicquam manus eius laborare.* Nihil sanctitatis propositum professis deterius est ocio, quia non solum nihil boni accumulat, sed etiam consumit & dissipat omnia prius accumulata. Nam sanctæ deuotionis feruor processu gaudet ac proficit, cessatione vero torpescit, & paulatim, ne dicam subito, euanescit. Radix enim desperationis est ignauia, & omnium mater ac nutrix vitiorum. Nam sicut vestimentum tinea & generat & nutrit, ita pernitiosissima pestis acedia & parit & fouet desperationem. Neminem hæc bestia plus vexare consueuit, quam Monachos, & eos præcipue qui vitam ducunt in solitudine abstractam. Cauendum ergo summopere vobis est, ò Monachi, ab hoc hoste salutis animarum, & non fugiendo, sed resistendo fortiter dimicandum, sedulo que cogitandum, quia torpore & ignauia nemo sanctitatis honorem consecutus est, neq; aliquis regnum æternæ felicitatis sine magno & continuo labore promeruit. Quotidianis igitur ac recentibus virtutũ semper incremẽtis instauranda mens est, & viuendi hoc periculosum iter non de transacto, sed potius de reliquo metiẽdũ. Nemo securitatem sibi promittat in hac vita, quæ tota tentatio nominatur, tot periculis plena, quot sunt affectiones in anima, sed caueat vnusquisque, vt qui potuit fieri ex deteriore melior, non fiat ex meliore deterior. Et his sanctis maxime diebus curemus omnes, quantum possimus, fieri meliores, adiicientes nobis consilio diui præceptoris nostri aliquid ad solitum pensum seruitutis nostræ, orationes videlicet peculiares, ciborum & potus abstinentiam, vt vnusquisque super mensuram sibi indictam aliquid ppria voluntate cum gaudio sancti spiritus offerat Deo, id est subtrahat corpori suo de cibo, de potu, de somno, de loquacitate, de securitate, & cum spiritalis desiderii gaudio sanctum Pascha expectet. Parum enim religiosus aliis temporibus esse Monachus conuincitur, qui sanctis diebus istis non religiosior & in Dei amore feruentior deuotiorq; inuenitur. Hinc diuus papa Gregorius ait, in quadam Homilia: *Quadragesima summa obseruatione est obseruãda, vt ieiunium in ea præter dies dominicos, qui de abstinentia subtracti sunt, nisi quem infirmitas impedierit, nullatenus soluatur, quia ipsi dies decimæ sunt anni,*

Monacho ociũ in primis fugiendũ.

Prou. 6.

Prou. 21.

Greg. hõ. 16. in Euang.

anni, quas offerre Domino iubemur. Sanctus quoque Ambrosius dicit. *Illequadragesimam facit, qui ieiunando & vigilando ascendit ad pascha. Nam sicut reliquo tempore anni ieiunare præmium est, ita in quadragesima non ieiunare peccatum. Illa enim voluntaria sunt ieiunia, & ista necessaria: illa de arbitrio veniunt, ista vero de lege. Ad illa inuitamur, ad ista compellimur. Et ergo, qui constitutum numerum vna die manducando praterit, non vt violator vnius diei accusatur, sed vt transgressor totius quadragesimæ arguitur.* Refrenanda sunt his sacris diebus omnia desideria carnis, castigandum est per abstinentiam corpus, vt si forsan aliis temporibus minus temperate viximus, hoc quadragesimali ieiunio vtcumque recompensemus. Sequamur ergo monita sanctissimi patris nostri Benedicti, fratres charissimi, & quanta possumus nos sedulitate in sanctis operibus exercitemus, subtrahentes corpori nostro aliquid pro Dei amore de cibo & potu quotidie, quatenus veros nos Dei seruos comprobemus. Consequenter autem sanctus institutor noster subiungit dicens: *Hoc ipsum tamen quod vnusquisque offert, Abbati suo suggerat, & cum eius fiat oratione & voluntate, quia quod sine permissione patris spiritalis fit, præsumptioni deputabitur & vanæ gloriæ, non mercedi.* Ergo cum voluntate Abbatis omnia sunt agenda. Aperta sunt verba legislatoris nostri, fratres, ne quis ad ignorantiæ velamen posset habere recursum. Nam si omnia cum voluntate Abbatis agenda sunt, ergo sine permissione eius nihil omnino est faciendum. Enimuero quanto bonum aliquod opus à pluribus decoratur virtutibus, tanto maioris apud Deum esse meriti non erit dubitandum. Cum igitur monachus de licentia & benedictione sui Abbatis corpori suo aliquid ciborum aut potus pro Dei amore subtrahit, non solum de abstinentia ipsa mercedem promissam à Domino recepturus est satietatis æternæ, sed etiam pro humilitate regnum, & pro sanctæ obedientiæ merito sanctorum omnium in cœlo consequetur sine fine consortium. Monachus enim qui caput suum monasticis institutionibus semel professus subdidit, voluntatem suam Christo in manibus Abbatis resignauit, quam si arbitrio deinceps iterum suo vsurpauerit, Christum iam turpiter abnegauit. Quid enim aliud est monachus vsurpator voluntatis propriæ, nisi rei possessor iniustus alienæ? Sit ergo Monachus Abbati suo humiliter subiectus pro Christi amore semper in omnibus; nihil omnino præsumat agere contra eius imperium, nihil omittat vel negligat, quod sibi ab eo fuerit iniunctum. Caueat summopere, ne pastorem suum inquieta conuersatione, aut contristet, aut perturbet, nec aduersus eum murmuret, nec illi detrahat, nec malum quodcunque in eum dicat. Reuereatur eũ potius syncero affectu charitatis tanquam Christi vicarium, & non contristet animum eius, aut verbis, aut factis importunis, siue incõpositis. Subueniat autem quantum potest eius laboribus, & continuis apud Deum pro eo precibus intercedat. Valde peccant in Deum monachi, qui suis importunis detractionibus ac reprobis moribus Abbatem suum contristare non verentur. Quisquis ergo monachus cupit esse bonus, quisquis in Domino vere vult esse deuotus, Abbatem suum, vt vicarium in monasterio Iesu Christi, pura dilectione semper & vbique veneretur, mandatis eius in omnibus humiliter obediat, & ab eius directione nullatenus recedat. Abbas vero se monachis suis dignum in omnibus studeat exhibere pastorem, qui oues Christi sibi commissas verbo pascat simul & exemplo in omni mansuetudine charitatis. Non conturbet fratres sine iusta & rationabili necessitate, non sit contemptor sanctæ communitatis, dispensatorem se rerum monasterii agnoscat, non dominum. Non sit derisor subditorum suorum, non turbulentus, non importunus, non tyrannus, sed amator eorum syncerus, sermone placidus, moribus lenis & integer, conuersatione sanctus, conscientia mundus, mente in Deum semper deuotus. Curam gerat animarum sibi commissarum omni tempore sollicitam, & nihil eorum negligat, quæ ad salutem eis videntur posse conducere. Non se propterea in altum extollat, quoniam rector aliorum positus est, sed meminerit sibi tanto metuendum amplius, quanto ad reddendam pro omnibus rationem in tremendo iudicio Dei certissime est obligatus. Superbos, rebelles & contumaces quasi

Amb. ser. 34. 25. & 40.

cap. 49.

Ieiunandum cum licentia Abbatis.

Monachus præfecto suo per omnia morẽ gerat.

Qualis esse debeat præfectus.

Dominus corrigat; humiles, obedientes & dirigibiles, vt pater manſuetiſſimus, benigne foueat, & vnicuique ſine perſonarum acceptione ius ſuum ſapienter diſtribuat. Matrem ſe ac nutricem monachorum ſemper exiſtimet: & ideo quos manſuetudine poteſt ad meliora reducere, importunis verbis & duris inuectionibus non debet exacerbare. Infirmorum curam gerat ſollicitam, & ita prouideat omnibus, vt iuſtam non habeant cauſam murmurandi. In ſuis diſcat infirmitatibus, quemadmodum oporteat eum ſubditis miſereri. Bonus enim paſtor animarum eſſe non poteſt, qui neceſſitatibus infirmantium ſubditorum ex animo compati dedignatur. Ille vero bonus inter monachos Abbas fieri poteſt, qui ſe perſonis infirmantium ita nouit comparare, vt quotiens aliquid frater ab eo poſtulat, perſonæ formam in ſe poſtulantis aſſumens in corde ſuo dicat: Quid mihi fieri vellem in hoc negocio ſecundum rectum iudicium rationis, ſi eſſem in perſonis poſtulantis? Enimuero ſi Abbas imaginetur ſe ſubditum, nullum à ſe dimittet abire contriſtatum. Diximus iam fratres quales vos deceat eſſe pro Dei amore ad nos, vt monachi exiſtentes boni, Domino Ieſu in veritate placeatis. Audiſtis nihilominus, qualem ego me vobis debeam exhibere paſtorem: quod vtrum faciam, nec ne vos ipſi melius, quam ipſe, iudicabitis. Fruſtra enim ieiunabimus, & nullum quadrageſimalis obſeruantiæ fructum inueniemus, niſi omnes in vera charitate fraterna cum puritate cordis in Dei amore permanſerimus. Quidnam prodeſt ad æternam ſalutem, per abſtinentiam & ieiunium affligere corpus, & in vera charitate eccleſiaſticæ vnionis coram Deo non eſſe concordes? Aut quid conducet à cibis abſtinere lautioribus, & conſcientiam fœdare operibus ſine cogitationibus malis? Vt enim Deo ſint grata, quæ inchoauimus ieiunia, neceſſarium eſt, vt ſint non ſolum aliena & remota à vitiis atque peccatis, ſed etiam virtutum plenitudine omnium decorata. Dicit enim ſacer Ambroſius: *Quid prodeſt ieiunare viſceribus, & luxuriari venationibus? abſtinere à cibis, & errare peccatis?* An putatis illum ieiunare fratres, qui primo diluculo non ad eccleſiam vigilat, non beatorum martyrum ſancta loca requirit, ſed mane ſurgens congregat ſeruulos, diſponit retia, producit canes, ſaltus ſiluaſque perluſtrat, ſeruos inquam ſecum protrahit fortaſſis magis ad eccleſiam feſtinantes? Voluptatibus ſuis peccata accumulat aliena, neſciens reum ſe futurum tam de ſuo delicto, quam de perditione ſeruorum. Et ſanctus Leo Papa. *Non in ſola abſtinentia cibi ſtat noſtri ſumma ieiunii. Haud enim fructuoſe corpori eſca ſubtrahitur, niſi mens ab omni iniquitate reuocetur*, Diuus quoque Hieronymus ait: *Quid prodeſt corpus tenuari abſtinentia, ſi animus intumeſcit ſuperbia? Quid virtutis habet vinum non bibere, & ira, odio cæteriſque animæ venenoſis inebriari poculis?* Nemo igitur veſtrum de ſola ſibi ciborum abſtinentia promittat ſanctitatem, quoniam quicquid ad veram pœnitentiam requiritur, etiam ieiunio neceſſarium iudicatur. Contritis enim pro peccatis in vero emendationis propoſito ieiunia ad ſalutem proficiunt, qui bonis & ſanctis operibus feruide inſiſtunt. Vnde ieiunantibus à cibo & potu, à cunctis etiam abſtinendum eſt vitiis, quatenus mens virtutum ornata decore, in Chriſti amore dulciter ferueat, & ab intimæ conuerſationis profectu minime tepeſcat. Abſtinentiæ namque virtus nulla, ſi charitatis non fuerit operibus decorata. Idcirco meum audi, ô monache, conſilium, ſi vis ieiunium facere coram Deo fructuoſum. In primis expurga conſcientiam tuã ab omni macula peccati, vt nulla in te remaneat concupiſcentia mali, vt mens in exercitio fiat diuini amoris feruida, & in cunctis virtutibus laudabiliter exornata. Per contritionis & confeſſionis remedium peccata dilue præterita, & orationibus inſtando cum lachrymis, mentem contra omnes tentationes in Dei adiutorio confirma. Ad Deum, quantum potes, in amoris exercitio eſto feruidus, ad teipſum in conſcientia pura bene tranquillus, ad confratrem tuũ in vera charitate ordinatus. In humilitate ſemper eſto præcipuus, conſtantia & obedientia firmus, caſtitate mentis & corpore nitidus, man-

Leo ſerm. 1. & ſeq. de ieiun. 7. menſ.

Hiero. ep. ad Celãt.

Contritio & confeſſio.

Sancta vita ieiunio iungẽda. Amb. ſer. 33. de Quadr.

Monacho saltē semel per diem reminiscendum passionis dominicæ.

manſuetudine pius, actione monachus, perfectionis deſiderio iugiter accenſus. Si hoc munditiæ ac puritatis genere abſtinentiam tuam commendaueris, recte ieiunabis. In meditatione paſſionis Domini & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti diligenter exercita mentem tuam, ita vt nulla prætereat dies, in qua vitam & mortem eius cum gratiarum actione ad minus ſemel non percurreris meditando cum lachrymis. Rudis enim & nimium indeuotus, ne dicam ingratus eſt Chriſtianus, qui ita vel rebus temporalibus immergitur, vel carnis voluptatibus occupatur, vt redemptoris ſui amariſſimæ paſſionis quotidie non ſemel ad minus gratias agendo recordetur. Monachus autem, qui beneficiorum Domini noſtri Ieſu Chriſti obliuiſcitur, qui paſſionis eius non ſemel quotidie cum gratiarum actione reminiſcitur, qui non omni die in lege Domini Euangelica meditatur, ingratiſſimus merito omnium hominum cenſetur. Nihil eſt enim illa oratione potentius, quæ Deo patri offertur in vnione ac virtute dominicæ paſſionis. Iuſte nimirum damnandus ille eſt ſpiritus, qui precioſiſſimo Chriſti ſanguine redemptus, à carnis ſuæ voluptatibus ſeducitur, vt tantorum erga ſe beneficiorum Dei non recordetur. Nulla enim cauſa fuit, vt Dei filius homo fieret, niſi quia nos peccatores voluit iuſtificare, pro nobis natus in mundo, pro nobis paſſus in mundo, & pro noſtris ſceleribus crudeliter mortuus in ligno. Ille iuſtus venit in mundum, vt nos iuſtificaret, qui eramus peccatores: pius venit ad impios, vt pietatem, humilitatem & patientiam ab eo diſceremus. Venit medicus ad infirmos, vita ad mortuos, miſeratio ad deſperatos, quem non noſtra merita de cœlo traxerunt in mundum, ſed peccata. Dignum eſt igitur, fratres mei, vt tota deuotione hoc ieiunium quadrageſimale ſacratiſſimæ paſſioni eius dicatum celebremus, qui tanta pro noſtra ſalute facere prior eſt dignatus, qui vt nos de interitu mortis eriperet, ſemetipſum pro nobis dare in mortem non dubitauit. Agamus Chriſti amore quicquid boni poſſumus, perferamus intuitu paſſionis eius & mortis omne quod nobis aduerſitatis in hoc mundo acciderit, quoniam Dominus Ieſus, qui pati pro nobis ex charitate voluit, vt eum toto corde diligamus, veraciter ſe digniſſimum oſtendit. Nam ſi peccatorem te, frater, agnoſcis, ſua te Chriſtus morte ſaluauit. In cruce, quomodo decet, contemplare pendentem, & ab omni morſu peccati ſanaberis. Nihil enim in hoc mundo reperitur efficacius ad curanda conſcientiæ vulnera, nihil potentius ad purgandam aciem pauidæ mentis, quam ſedula vulnerum Chriſti meditatio. Fuſus enim precioſiſſimus ſanguis Domini, ſufficiens factus eſt medicina peccati. Hinc ſanctus dicit præſul Auguſtinus. *Fratres, vt vulnerati à peccato ſanemur, Chriſtum crucifixum intueamur. Quomodo enim qui intuebantur ſerpentem æneum in deſerto, non peribant morſibus ſerpentum; ſic qui fide & deuotione intuentur mortem Ieſu Chriſti, ſanantur à morſibus peccatorum.* Si autem iuſtificatum te confidis à peccato, eo magis atque feruentius tibi Chriſtus in cruce pendens intuendus eſt, ſine cuius merito paſſionis nemo viuit iuſtus in terra. Nam extra fidem Chriſti non eſt iuſtitia: & quantumlibet homo viuat religioſe, ſi non credit in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, æternam nullatenus conſequetur ſalutem, ſed ira Dei manet ſuper eum, & neceſſario peribit in æternum. Mors Chriſti ianuam ſalutis aperuit, per quam nemo alius poteſt ingredi, niſi qui in Chriſtum fideliter credit. Propterea enim Chriſtus damnationi ſe mortis humiliter ſubdidit, vt credentes à iugo damnationis perpetuæ liberaret. O charitas infinita, ô pietas ſine menſura, quis credentium in te maieſtas æterna non miretur tam ſtupenda nobis indulta beneficia? Paſſio enim tua Domine Ieſu noſtræ ſalutis eſt precium, vltimumque peccatorum refugium, infirmarum mentium ſingulare remedium, fons, origo & finis omnium bonorum. Recolamus nunc igitur fratres chariſſimi, & ſedulo ad memoriam reuocemus dominicæ paſſionis amaritudinem, vt quia neceſſario peccatores nos recognoſcimus, iuſtificari tandem per meritum ipſius Saluatoris noſtri valeamus. Meditatio enim dominicæ paſſionis præcellit omnia huius mundi exercitia, ſi cum deuotionis intimæ feruore diutius fuerit continuata.

Aduerſus ingratos redemptori.

Adhortatio ad meditandam Domini paſſionem.

in c. 3. Ioan. tract. 2.

Mens illa monachi, quæ ſtudio diuini amoris ſuccenſa, paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti memoriam habere cum lachrymis, quotidie ad horam ſaltem modicam conſueuit, dæmonum ſuggeſtionibus non facile pateſcit. Cor etenim illud, quod amor Ieſu poſſidet, omnibus cogitationibus malis ſemper inacceſſibile & clauſum manet. Felix nimirum ille monachus, & nunquam præter honorem nominandus, qui in doctrina & paſſione Domini noſtri Ieſu Chriſti cum amoris ſtudio meditatur die ac nocte, qui Saluatoris ſui nunquam obliuiſcitur, qui ſiue comedat, ſiue bibat, ſiue aliud quid faciat, ſemper Dominum Ieſum in cruce pendentem oculis mentalibus intuetur. Nullæ verſantur in eius corde pernicioſæ cogitationes, verbum ex ore eius malum vel ocioſum non procedit, nihil quam crucifixum pro nobis IESVM cogitat, & quicquid loquitur, IESVM vel iuſtitiam ſonat. Mox vt imaginem depictam Ieſu viderit crucifixi, in lachrymis reſoluitur, & præ nimio mentis deſiderio quaſi ſtupidus effectus amaritudine dulciſſima repletur. Nullas vitæ præſentis conſolationes poteſt admittere, quia cum Dominum ſuum in cœlo reſidere cogitat, ſuum in terra prolongatum exilium plorat. Nihil in hoc mundo præter Ieſum diligit, nihil aliud quam crucifixum quærit, diuitiæ ſi affint, cor ſuum penitus dedignatur apponere. ſi autem defuerint, eas minime quærit inuenire. Cum enim ſe pauperis Ieſu agnoſcat eſſe diſcipulum, optime intelligit huius mundi diuitias magnum Chriſtianæ perfectionis eſſe impedimentum. Victum habens tenuem, & vilem corporis amictum, cum ſuo domino contentus eſt, qui pauper factus pro nobis beatos iuſtitiam prædixit eſurientes. Felix inquam ille monachus, qui dicere veraciter cum ſancto martyre Chriſti Theophoro poteſt. *Amor meus crucifixus eſt*, & ideo cor meum nullam huius mundi recipit conſolationem. Et illud Chriſtophili Pauli. Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Nunc ergo, fratres mei chariſſimi, audite conſiliũ meum, & per iugem dominicæ paſſionis memoriam inchoatum ſanctificate ieiunium. Dico enim vobis quod inter omnia exercitia monachorum nullum poteſt eſſe ſanctius, nullum Deo acceptabilius, nullum vobis ſalubrius, quam illud quod in meditatione paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti quotidiana ſedulitate cum interni amoris compunctione practicatur. Hoc enim ſalutaris paſſionis exercitium, ſubito de peccatore facit pœnitentem, de tepido & arido mirabili compunctione deuotum, de impio iuſtum. Multitudinem peccatorum operit, vires ſpiritui contra dæmones tribuit, vitiis cunctis dat terminum, & ſanctis animæ virtutibus validum confert incrementum. Dominicæ paſſionis deuote continuata memoria conſcientiam meditantis purificat, intellectum in omni cognitione veritatis illuminat, affectum in Dei amore ſuauiter inflammat. Paſſionis Chriſti deuota meditatio facit omnia huius mundi oblectamẽta contemnere, & nulla quantumlibet dura vel contraria formidare. Libidinem exterminat, luxuriam tam mentis quam corporis edomat, inuidiã fugat, gulam refrænat, auaritiam ſedat, acediam inflammat, iram mitigat, ſuperbiam radicitus extirpat. Mentem inſuper hominis, quam paſſio Chriſti veraciter occupat, nulla rei carnalis paſſio fatigat. O quam ſuauiter ardet, quem paſſionis Ieſu memoria dulciter inflammauit, & quam fœliciter mens æſtuat, quæ mortis Chriſti iugem amplectitur meditationem. O bone Ieſu amor crucifixe meus, qui ſalus & ſaluator fidelium es animarum, da nobis continuam paſſionis tuæ memoriam agere, concede famulis tuis inchoata ieiunia bonis ſemper operibus commendare, quia tunc abſtinentia noſtra maieſtati tuæ incircumſcriptibili erit gratiſſima, cum ſanguinis tui pretioſi fuerit meditatione decorata, qui viuis & regnas cum Deo patre in vnitate ſpiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum.

Ignat. ep. ad Rom.

Galat. 6.

De ſomno & vigilia monachorum.

HOMILIA XVII.

MOnachus qui ſe moriturum ſemper cogitat, nullum tempus ocioſum tranſi-

tranſire permittit. Dicit enim ſcriptura. *Eccle. 7.* *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Quo contra de obliuioſis & inertibus eſt ſcriptum: *Deut. 32.* *Gens abſque conſilio eſt & ſine prudentia, vtinam ſaperent & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent.* Memoria mortis animo inducit vigilantiam, & omnem extinguit inordinatã mentis cogitationem. Qui mortem recte metuit, nunquam in bono opere torpeſcit. Dicit namque vir ſapiens: *Eccle. 9.* *Quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Monachus enim, qui verus Dei cultor eſt, nullum temporis momentum inutiliter expendit, ſed noctibus atque diebus in exercitio boni operis ſemper vigiliam mentis cum ſumma deuotione peragit, & corpore dormiens, in animo conſtanter ad Dei nuncios dicit: *Cant. 5.* *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Somnus imago eſt mortis, & ſenſuum corporis ligatio, qui autem verus amator eſt Chriſti, etiam dormiens corpore, mente vigilat, oranſque indeſinenter ad Dominum charitatis affectu clamat: *Pſal. 37.* *Ante te eſt omne deſiderium meum*, te ſomnians cogito Ieſu crucifixe amor meus. Erubeſco fratres mei, & vehementer confundor de vigilantia monachorum afferre ſermonem: quia dum præcedentium ſanctorum patrum conſuetudinem vigilandi ad memoriam reuoco, quam longe ab illorum perfectione diſtet noſtra infirmitas, mœrens recognoſco. Illi diuino ſuccenſi amore in Dei laudibus noctes integras frequenter duxerunt inſomnes: nobis autem horarum octo ſpacium dormiendi vix interdum videtur ſufficere, quarum ante matutinum quinque, poſtea vero tres breuitatis accuſare non ceſſamus. Vera enim monachorum abſtinentia non ſolum in ciborum & potuum parſimonia conſiſtit, ſed etiam in vigiliarum ad Dei laudem continuatione, quia ſtulta eſt maceratio carnis, in qua venter ab eſcis reſtringitur, & totum corpus per ſomnolentiam impinguatur. Non ſolum quippe corpus cibo & potu in ſui ſubſiſtentiam reficitur: ſed etiam ſomni quiete reformatur. Quale nam eſt illud monachorum ieiunium, cibis & potibus abſtinendo parcere, & ſomno ad ſatietatem indulgere? Parum refert, cibo an ſomno reficias corpus, cum in vtroque ſatietas ſit vitium. Propterea veteres & primi monachorum principes non minus dormiendi, quam comedendi atque bibendi temperantiam cuſtodientes, in vtroque continentiſſimi perdurarunt. Eorum aliqui ſtantes in pedibus ſuis, aliqui vero ſuper nudã terram iacentes, parciſſimum naturæ ſomnũ conceſſerunt. Quorum non infimum ſanctitatis merito quendam nouimus dixiſſe, *Sufficit vna hora monacho ad dormiendum, ſi pugnator fuerit & aduerſarius vitiorum.* *S. Arſenius.* Non enim minus luxuriam nutrit ſomnus, quam cibus & potus. Alius quidam ſanctorum duas ad dormiendum horas vel tres monacho volebat ſufficere, vt parcitatem ciborum, quietis etiam temperantia commendaret. Recentiores autem ordinis noſtri reformatores, qui nobis ſub nomine vnionis de Burſfeldia per Germaniam viuendi modum ad puritatem regulæ tradiderunt, conſiderantes infirmitatem humanæ conditionis, vigiliarum rationem modeſtiſſime ordinarunt. Quinque etenim horarum ſpacium ante nocturnas laudes monachis in conuentu miſericorditer indulſerunt, & duarum vel ſemitrium poſt matutinas dormitioni ſimiliter addiderunt. Cui hoc tempus, videlicet ſeptem horarum, ad quieſcendum non ſufficit, nimis ſe pigrum & acedioſum monachum oſtendit. Vnde monemur vigilare non ſolum mente, ſed etiam corpore, quoniam cor ſuum vix in vera puritate conſeruare ſufficit, qui corporaliter in Dei vigilare obſequio contemnit. Vigilemus igitur, dilectiſſimi fratres, maxime his ſanctis quadrageſimæ diebus, in quibus vitiis bellum indiximus, & antiquum hoſtem diabolum vincere & ſuperare fortiter parati ſumus. Audiſtis enim ſanctum Apoſtolorum principem his verbis admonentem: *1. Pet. 5.* *Fratres ſobrii eſtote & vigilate.* Quare hoc monuit. *Quia*, inquit, *aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide.* Itaque fratres mei vigilemus, quandiu ſumus in bello conſtituti, nequando ſomnolentia depreſſi vel ocio, ab aduerſario ſalutis noſtrę ſuperemur, Quan-

Somnus non minus obeſt quam cibus.

Septem ad ſummum horas etiam monacho dormiſſe, abunde eſt.

diu enim in carne viuimus, necesse est, vt vigilantia & castigatione corporis nostri contra inimicum fortiter pugnemus. Non deterreat vos labor certaminis, quoniam etsi aduersarius noster sit importunus, vsque adeo tamen infirmus & debilis est, vt neminem possit superare nisi volentem, & eum qui omnem custodiam sui penitus abiecit. Dominus autem Iesus Christus adiutor & protector noster est fortis, qui virtutem præstat alacriter dimicantibus, & victores immarcessibili corona cum omnibus sanctis suis donabit in cœlis. Quemadmodum puluis à vento dispergitur, * sic aduersarius noster diabolus à voce psallentium cum humili deuotione confusus & territus effugatur. Nemo igitur vestrum dilectissimi fratres negligenter agat, nemo in tempore orationis pigritia mentis & somnolentia torpescat, nemo diaboli concertationem inordinato pauore timeat. State viriliter pro salute animarum vestrarum perpetua contra infirmum aduersarium pugnantes, & non minus carnem propriam, quam dæmones habete suspectam. Scitis enim, testante non solum scriptura, verum etiam longa experientia docente, quoniam caro concupiscit aduersus spiritum: & ideo monachus, qui propria carnis petulantia non læditur, raro in certamine à dæmonibus superatur. *Spiritu igitur ambulate, & carnis desideria non perficietis.* Qui vigilans & pugnator est fortis, infirmiorem & torpentem à deuotione fratrem excitet, eumque tam verbis, quam exemplis ad sanctum feruorem spiritus pro viribus reformet. Qui spiritualis est inter vos, inordinatum fratrem suum non despiciat, sed per humilem admonitionem eum potius ad pietatis studium reducat. Dicit enim scriptura: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Enimuero si consentientes in fraterna dilectione ad inuicem per fidem Iesu Christi semper vnanimes fueritis, aduersarium vestrum diabolum facile sine dubio vincetis, Nam vbi vera charitas Christi, habitãtes in cœnobio monachos facit vnanimes, ibi Deus in omni sanctitate colitur, ibi sanctorũ angelorum præsentia inuisibilis esse creditur, per quos malignorum spirituum temeritas refrænatur. In tali congregatione sanctorum Deus habitat, quem cœlestis regni exercitus vna cum psallentium monachorum vocibus collaudat. Paradisus est deliciarum cœlestium, multitudo in Dei amore feruentium monachorum. Ciuitas multitudine ornata turrium, congregatio est idipsum in Domino sentientium monachorum. Vigilate fratres mei precor, vigilate in orationibus sanctis, & eo maxime tempore somnolentiam & mentis torporem excutite, quando in ecclesia coram Domino statis ad psallendum. Nam si coram Deo stantes in psalmodia feruentes in oratione fueritis, eius proculdubio gratiam vobis adesse sentietis. Nimis enim alienus est à monachi proposito, qui inter orandum aliunde cogitat, & mentem suam non diuinis, sed caducis rebus vel occupationibus agitandam præstat. Scitis enim quid sanctus institutor noster Benedictus dicat in regula. *Si cum hominibus*, inquit, *potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus nisi cum humilitate & reuerentia, quanto magis Domino Deo vniuersorum cum omni humilitate & puritatis deuotione supplicandum est, & non in multiloquio, sed in puritate cordis, & compunctione lachrymarum nos exaudiri sciamus?* Quoniam vero nobis psallentibus Deum vbique credimus esse præsentem, magna in oratione opus est, vt mens nostra voci per omnia concordet. Cogitemus ergo, fratres, cui assistimus, & cui in conspectu angelorum psalmos orando recitamus: quoniam monachus qui orationis tempore vanis cogitationibus cor suum occupat, quasi homo qui astans ante Regem vel Cæsarem, & loquens cum eo de his quæ ad salutem corporis sui valde sunt necessaria, vocatus autem à seruo suo regem dimittit, seque ad confabulationes famuli vanas & inutiles conuertit. Vere stultus iudicaretur ab omnibus quicunque hoc faceret, & merito videretur pœnis grauissimis puniendus. Monachus autem quid meretur, qui stans coram summo Rege vniuersorum, & loquens cum eo de salute animæ suæ, oculos repente interiores conuertit ad occu-

Vnanimitas orantium ad exauditionem necessaria.

Mens illi vacet, quę oras. cap. 20. *

Nota simile.

Galat. 5.

Gal. 6.

occupationes inutiles, & neglecta æterni regis præsentia vanas admittit vel etiam pernitiosas in mentem cogitationes? Sit terreni regis illusor atque contemptor amputatione capititis plectitur, cœlestem contemnens imperatorem quid meretur? Quocirca moneo vos fratres, & quanta possum sinceritate rogo, quatenus purificetis corda vestra maxime in tempore orationis ab cogitationis iniquæ macula, vt hoc solum reuoluatis in animo, quod in ore decantatis. Sicut angeli cum timore & summa reuerentia Deo semper assistunt, hymnum laudis perpetuum decantantes, ita curemus & nos fratres mei puro corde, conscientia munda & feruentissima illi deuotione assistere, vt multo magis spiritu quam corpore laudes ei possimus decantare. Segregemus ergo mentes nostras ab omnibus negociis terrenis, purgemus conscientias nostras à cunctis illecebris carnis: induamus feruorem sancti spiritus, & omnem à nobis pigritiam & ignauiam longe repellamus. Nam sicut onus graue dorsum hominis acedioſi deprimit, Ita somnolentia tempore psalmodię Monachorum mentes opprimere consueuit. Nihil plus nocet Monachis quam acedia, quæ paulatim eneruat omnes vires mentis, totumque feruorem spiritus extinguit. Mox enim vt Monachus à feruore sanctæ deuotionis cœperit deficere, mentem subintrant innumeræ cogitationes malæ, quas tanto minus iam potest repellere, quanto longius à feruore pristino conuincitur recessisse: Hinc somnolentia in diuinorum exhibitione obsequiorum oritur, mens tristitia & melancholia nimium grauatur, quam Monachus tepescens animo, non spiritualibus, sed terrenis atque carnalibus consolatiunculis releuare omni studio meditatur. Cumque diutius in hac alienatione mentis progreditur, ad compunctionis exercitium iam quasi insensibilis obduratur, & quanto consolationibus carnis inhiat, tanto longius ab interno feruore spiritus aberrat. Quid enim vos in tempore psalmodiæ facit somnolentos, nisi acedia? quoniam mens quæ in torporem incidit, mox corpus dormitare facit. Sed iterum vos, moneo fratres, vt crebius consueui, quatenus ignauiam & somnolentiam tempore orationis maxime fugiatis, quoniam sicut ebrietas obliuionem inducit animo, sic etiam somnolentiam mentem insanam & fatuam efficit coram Deo. Cauete somnolentiæ vitium, ô vos iuuenes, quo ex senioribus quosdam longe iam consuetudine dolemus infectos, quibus in choro familiaris est dormitatio, & nimis rara mentis ad Deum compunctio. Cauete, inquam, hanc malam dormiendi consuetudinem, quæ postquam Monachum semel captiuum abduxerit, raro liberum permittit. Propterea in exordio conuersionis maxime iuuenibus contra hunc pernicioſissimum hostem religionis pugnandum est, sicut quidam in carmine dixit: *Principiis obsta: sero medicina paratur, Cum mala per longas inualuere moras. Sed propera, nec te venturas differ in horas, Qui non est hodie, cras minus aptus erit.* Difficile namque est longam & diuturnitate inueteratam curare infirmitatem, Regibus & Principibus terrenis quanta diligentia & sedulitate famuli assistant videamus, vt quemadmodum coram Deo, qui solus est Rex omnium & Dominus vniuersorum, in orationibus astare nos deceat, non ignoremus. Oculi omnium in Dominum respiciunt, & ad nutum eius omnes & singuli diligentissime pendent, ne quid illo iubente per negligentiam fugiat assistentes. Hinc igitur considereмus, qanta nos oporteat Domino Deo puritate in orationis synaxi die noctuque assistere, à quo regnum cupimus æternæ felicitatis impetrare. Non vox, non clamor, sed feruens in Dei charitate intentio meretur exauditionem. Somnolentiam ergo & torporem mentis vt letale venenum fugite, quia somnus & ocium scaturigo sunt omnium vitiorum. Oculus autem vigilans minister est internæ deuotionis, & Monachus, qui Iesum Christum veraciter diligit, ab omni immoderantia se custodit. Qui vigilans est, mentem acuit intelligentia, multũ vero dormiẽs monachus turpiter excæcat animã suã. Vigilãs in oratione & ieiunio Monachus, formidabilis

Nullapestis exitialior monachis, quam segnities.

Horat. li. 1. epist.

Vigilantia quos fructus afferat.

est diabolo: qui autem cibo satiatur & somno, à spiritu fornicationis non permittitur quiescere. Vigilia enim orationibus dicata feruorem frangit luxuriæ, ignem quoque valenter extinguit concupiscentiæ, intima cordis purificat, mentem illuminat, affectum ad amorem cœlestium inflammat. Vigilia est bonarum cogitationum parens, nutrix, atque custodia, tentationum antiqui hostis certa victoria, phantasmatum fuga, mors vitiorum, vita & fons omnium virtutum. Somnus autem multus comes & fotor libidinis, raptor vitæ hominis, imago mortis, obliuionis conciliator, inertiæ coniunx. Somnus immoderatus stomachum corrumpit: cerebrum lædit, corpus simul & animam dissoluit. Monachus frequenter somno deditus, sapientiam spernit, castitatem prostituit, animæ salutem negligit, tempus pretiosum perdit, mentem interficit, vitia nutrit. Quisquis igitur vestrum, amantissimi fratres, ad supernæ fœlicitatis requiem peruenire desiderat, omnem à se torporem & ignauiam mentis fortiter repellat, discat in primis semetipsum vincere, vt hostem salutis suæ diabolum deinceps valeat superare. Enimuero nisi malum, quod in te est, prius exterminaueris, illud quod aduentitium est, quando superabis? Disce passionibus imperare tuis, & omnia quæ foris accidunt, adiuuante Domino facile superabis. Purga mentem ab omni concupiscentia inordinata, vt solum Iesum in veritate super omnia diligas, cum quo gaudere in æternum speras. Nemo autem cum Christo regnabit in cœlis, qui cum sanctis moribus non imitatur in terris, sancta dicente scriptura: *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.* Dominus etenim Iesus, qui sua nos morte ab interitu damnationis æternæ liberauit, ipse mediator Dei & hominum voluntarie factus est: ipse via, per quam nobis vitæ trames est continuandus, ipse dux potens itineris, ipse norma & regula Christianis est salutaris conuersationis. Nemo venit ad Deum, nisi per Christum patrem, nemo videbit nisi per filium. Vnde si vultis venire ad salutem, oportet vt transeatis per saluatorem. Ipse namque in sancto Euangelio dixit: *Nemo venit ad patrem nisi per me,* Et illud, *Ego sum ostium: per me si quis introierit, pabulum vitæ æternæ inueniet,* Ac iterum: *Ego sum via veritas & vita.* Per hanc viam piis & sanctis moribus viuendo precor, fratres mei, semper incedite: hanc veritatem puro corde feruenter diligite: ad hanc vitam, quæ sola est permanens, ardenter festinate. Doctrina Christi nunquam de cordibus vestris recedat, sed omni tempore in memoria permaneat, quoniam verus imitator eius fieri renuit, qui nō die ac nocte in meditatione verborum eius exercitatus fuit. Semper itaque in orationibus vigilantes tanta puritate mentis viuite, quatenus vocantem vos in mortis hora cum lætitia mereamini audire, Iesum Christum Dominum nostrum, qui viuit & regnat cum Deo patre in vnitate spiritus sancti Deus omnipotens vnus, per omnia secula seculorum. Amen.

1. Ioan. 2.

Ioan. 10. Ioan. 14.

De patientia & mansuetudine.

HOMILIA XVIII.

INter omnes fidei Christianæ professores, nullum hodie genus est hominum, cui virtus patientiæ magis videatur esse necessaria, quam cœtui monachorum. Nam refrigescente his nostris diebus charitate multorum, vt Pauli vtamur eloquio, spectaculum facti sumus mortalibus, vt quocunque Monachus inter homines mundanos deuenerit, digitis ferme omnium à quibus cernitur, subsannandus & irridendus denotetur. Cur hoc dixerim scitis, qui factum in oppido nuper Bingionum non ignoratis. Excepit iuuenum ac puerorum ebria turba Monachum quempiam via transeuntem publica, & quasi pluuiæ causam præstitisset itinerans, proiecit in lutum, tractansque iniuria virum, impudentiæ suæ miserandum effinxit spectaculum. Nemo, qui compesceret insolentes, affuit: vicit tamen patientia Monachi furentes, & Christi plenus amore, nihil aliud; cum male tractaretur, quam Deo gratias, respondit. Vnde quanto se magis exhibuit mente & animo tranquillum, tanto plus nebulones insontem traxerunt, vino illum

Matt. 24 Monachi huius seculi fabula.

1. Cor. 4. Monachi cuiusdam mira patientia.

*

æstuare putantes, quem amor Christi iucundum fecerat & lætum. Reliquit Monachis cunctis magnum patientiæ documentum: qui cum posset se vindicare, non voluit, iniuriarum. Vtinam fratres mei tam patientes pro Dei amore peccatisque nostris essemus in minimis, quam ille bonus vir in maximis fuit. Sunt inter vos quidam, inuitus loquor, nimium proterui & impatientes, qui verbo quamuis non iniurioso mouentur ad iram: atque dum pro suis negligentiis iuste corriguntur, iniuste murmurant: peccatum per impatientiam peccato adiicientes.

Christus vnicum & singulare patientiæ exemplum.

Sed in quem finem patientiam illis memorati hominis propono in medium, qui omnium virorum patientissimum non attendunt Iesum Christum. Enimuero quisquis exemplo regis cœlorum patientiam & humilitatem non amplectitur, nullius imitatione hominis ad mansuetudinem reuocatur.. Summum namque & supremum patientiæ & humilitatis exemplar est Dei filius, cuius recordatione passionis quisquis ad sufferentiam non flectitur, induratus & dæmonum socius merito censetur. Verba Domini nostri Iesu Christi esse vera bonus nemo dubitat christianus. dicit autem in

Matt. 5. sancto Euangelio Christus: *Beati mites: quoniam ipsum possidebunt terram.* Si mites beati sunt dicendi: quid prohibet ne

Luc. 21. rancorosi, iracundi & immites nominentur maledicti? Certe nihil. Et si testante ipso Domino & saluatore nostro Iesu Christo animas nostras in patientia possidemus, non est dubium quin eas per impatientiam amittamus. Maxime igitur conuenit Monachos esse mites, mansuetos & patientes, qui se Christi & Apostolorum imitationi solenniter deuouerunt. Christus autem omnium mitissimus suis in Euangelio discipulis

Matt. 11. & imitatoribus præcipit, dicens: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. Hinc sanctus præsul Augustinus: Si cum Christo vis regnare in cœlis, disce prius ab eo, vt sis mitis, patiens, humilis & mansuetus, quoniam nisi ad eius imitationem vitæ in hoc mundo conuersatus fueris, nullatenus cum eo in-*

Amb. l. 5. in Lucã. *perpetuum regnabis.* Diuus quoque Ambrosius dicit: *Cum deposuero omne peccatum, & exuero omnem malitiam, & simplicitate contentus fuero inops malorum, super est vt mores temperem. Quid enim mihi prodest carere sceleribus, nisi fuero mitis atque mansuetus?* Ille autem mitis est qui cedit improbitatibus, & non resistit in malo, sed vincit in bono malum. Mansuetus est autem, testante Chrysostomo, *qui cum iniuriis prouocatus fuerit, nec malum cogitat facere, nec facit.* Cassiodorus vero dicit: *Mansuetos appellamus manu consuetos, id est patientes & mites, qui alienas iniquitates tolerant, nec aliquem grauare præsumunt, de qualibus in*

Pſal. 33. *psalmo dicitur: In Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti & lætentur.* Non dixit in lege periti, non ieiunantes, non psallentes, sed mansueti lætentur, qui cum charitate præcipue habere omnium rerum temperantiam consueuerunt. Illi autem vere sunt mites, mansueti & patientes, qui neminem lædunt, nemini inuriantur, neminem penitus offendunt, sed in sua simplici humilitate consistentes omnes iniurias, contumelias & irrisiones pro Christi amore semper æquanimiter tolerant, & contra lædentes nullo animi dolore mouentur, quemadmodum fuisse Monachum illum iam diximus, quem apud Bingiones pueri furentes nimis contumelioſe tractauerunt. Facile autem est esse mitem, patientem & mansuetum, quandiu nihil dicitur, vel agitur, nisi pro voluntate & arbitrio patientis. Patebit autem, quam sit longe à vera mansuetudine, si leuis oriatur occasio. Magna est virtus si non lædas à quo læsus es: magna fortitudo animi, si pro Dei amore iniuriam remittas inferenti: magna gloria si Christi mandatum obseruas, & preces pro iniuriantibus fundis. Nemo vires animi cognouit sui, quem contumelia necdum aduſſit insignis. Nemo se glorietur mitem vel patientem, qui non fuit saturatus opprobriis. Non est sine aduersitate patientia, nec sine improperio mansuetudo, quoniam si debitas tolerantiæ metas custodire volueris, oportebit in primis contumeliam adesse inferentem. Si fuissem, inquit, monachus piger & animalis, in diebus martyrum, nulla pœnarum genera subire pro Christi amore timuissem,

Chr. hom. 6. in Matt.

In impatientes sed iactabundos.

cor-

corpus voluntarie obiecissem tortoribus, vt coronam martyrii reportassem. Magna stultitiæ temeritas. Verbum pro Dei amore patienter sufferre nunquam potuisti, & constantiam sanctorum martyrum polliceris? Leuem correptionem metuis, qui corpus te daturum pro Christo promittis. Si martyrium te delectat, audi quid beatissimus papa Gregorius dicat: *Si adiuuante nos Christo virtutem patientiæ seruare contendimus, & in pace Ecclesiæ viuimus, & martyrii palmam tenemus. Nam sine ferro & flamma martyres esse possumus, si patientiam in animo veraciter custodiamus.* Mori á persequente, martyrium in aperto opere est: ferre autem contumelias, & odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione. Patientia vero est aliena mala æquanimiter perpeti, & contra eum qui malum intulit, nullo dolore morderi. Quid nunc piger dices ô Monache, qui martyrium verborum sufferre leuissimum impotens, de constantia fundendi sanguinis tam proterue gloriaris? Disce miser in leuibus habere patientiam, & considera, quoniam, dicente scriptura, *qui in modico infidelis est, & in quod maius est, quis crederet?* Ad omnia quæ fiunt in cœnobio murmuras, increpatus quantumlibet leuiter ꝑ grauibus delictis & negligentiis tuis impatientissime toleras, nemo tibi recte in monasterio graditur, nemo præter te in tua æstimatione religiose conuersatur. Tu, quantũ tibi videtur, solus in cœnobio sanctus, tu omnium doctissimus neminem scire consentis, quod tu solus ignoras. Super omnes te honoribus cunctis existimas dignum, quia non solum patientia cares, sed neque humilitatem veram, neque obedientiam retines. Non est hæc via, per quam itur ad regnum cœlorum, quando in schola humilitatis superbit Monachus, & moribus Christo viuit contrarius Christianus. Monachus autem Iesu Christi solenniter iuratus minister, vt Dominum possit imitari suum, non debet esse superbus, sed humilis: obediens, non rebellis: mansuetus non crudelis, neque proteruus, sed mitis, Monachus vero superbus, iracundus, contentiosus & propriæ voluntatis amator, quales prò dolor, vt frequenter, sunt in temporalibus constituti, quos apud nos cellarios secundum regulam nuncupamus, quorum elatio multis viam ad interitum fecit. Compellit me dolor ad loquendum, & prohibet verecundia, quamuis casum noueritis omnes quo nos in fratre diabolus pridem confudit. Quis illo in tota congregatione nostra superbior? quis maiore proteruia plenus incessit? Quia vero maiorem inter nos rerum temporalium experientiam habere videbatur, cunctis ob id se præstantiorem existimauit. Permisit omnipotens vt caderet, quatenus qui suam infirmitatem reputans agnoscere noluit, confusus tandem non sine multorum scandalo aduersarium intelligeret Deum superborum. Doleo vehementer, & plus quam dici potest, culpa ruentis mihi grauior videtur, quoniam illo ruente confundimur omnes. Det illi Deus pœnitentiam agere veram, vt qui eius lapsu scandalizati fuerant, satisfactione coram Deo & hominibus ædificentur. Semper Monachis pernicioſa fuit elatio, & mentem hominis quam semel inuaserit, in foueam vitiorum omnium demergit. Cauete superbiam fratres mei, quoniam ipsa est omnis peccati exordium: ipsa est quæ per inuidiam diaboli, mortem introduxit in orbem terrarum. Superbia virtutum est mors omnium, & cunctorum fons & scaturigo vitiorum. Humilitas autem virtutum nutrix maxime decet Monachos, quoniam & mites facit & mansuetos. Omnis enim superbus impatiens, & omnis arrogans mansuetudinis inimicus. Qui humilis est corde, habet in aduersis pro Dei amore patientiam: & qui ad iniurias animo tranquillus est, duplicem meretur coronam. Vir patiens in aduersis, Deo proximus: qui autem superbus & immitis est, lætificat inimicos. Dicit namque scriptura, *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbiũ.* Sanctus quoq; præsul Augustinus, *Paratus debet esse homo iustus & pius, patienter eorum malitiam, sustinere, quos fieri bonos cupit, vt potius numerus crescat bonorum, & non pari malitia si quis numero addat malorum.* Est enim nobis patientia multum necessaria fratres, vt voluntatem Dei facientes, sanctam in Christo reportemus promissionem. Nobis quotidie assunt, quibus exer-

Superbus quidam monachus fœde lapsus est.

Greg. hõ. 35. in Euang.

Luc. 16.

Prou. 16.

epist. 4. ad Marcellin.

Heb. 10.

exercitemur, aduersa, propterea sicuti tolerantiæ nunquam deest causa, ita precor necessaria semper assit patientia. Inopia & paupertate necessariarum rerum opprimimur, carnis infirmæ commercio grauamur; tentat præterea nos mundus, vt alliciat; tentat diabolus, vt seducat. Inter tot salutis nostræ aduersarios necessarium est, fratres, vt in omni patientia & humilitate vigilemus, quoniam in hac peregrinatione quandiu viuimus, in medio, vt ita dixerim, malorum positi sumus. Sufficiat nobis paupertas nostra oportet, quia non est monasticæ religionis in temporalibus exaltari, sed potius deprimi, vt Monachi pauperes Christum imitantes pro nobis pauperem factum, in perpetuum cum eo in cœlis mereamur gloriari. Quid si malos & peccatores quosdam in seculo videamus abundare diuitiis? Si boni homines & iusti in hoc mundo sunt diuites, eorum non fortitudini, sed infirmitati per DEI prouidentiam consulitur, vt beneficiis ad meliora prouocentur. *Iunior fui*, dicit propheta, *& senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius mendicans. Iacta*, inquit, *cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet, non dabit in æternum fluctuationem iusto.* Nouit Dominus Iesus quid vnicuique seruulorum suorum ad salutem conueniat, & ideo munera præsentis vitæ pro captu singulorum inæqualiter dispensat. Non enim omnibus omnia conueniunt, propterea iustorum in hoc mundo rebus temporalibus, alii sunt pauperes, alii vero locupletes. De pauperibus Dominus Iesu in sancto Euangelio dicit. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Et per prophetam loquitur dicens. *Ecce excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis.* Non enim conducit ad æternam salutem omnibus, huius mundi possidere diuitias, sed quosdam expedit esse pauperes, quosdam vero locupletes, prout Dominus vniuersorum cuique prouidit esse vtilius. De iustis & bonis diuitibus Salomon dicit in libro Prouerbiorum: *Benedictio Domini diuites faeit, nec sociabitur ei afflictio.* Si autem mali & reprobi diuitiis abundauerint in hoc seculo, non debet bono mouere ad indignationem: sed magis timeant eum, qui nullum bonum dimittit irremuneratum, & nullum malum impunitum. Malos enim, quos propter iniquitatem eorum remunerare in cœlis non potest, pro eorum bonis in hac vita remunerat: & bonis, quos hic in pauperrate nutrit, pro iustitiæ merito æterna in cœlis præmia conseruat. Verum, sicut non omnes in hoc mundo pauperes sunt iusti & boni, ita non omnes rerum temporalium diuites in hac vita sunt mali. Malorum remuneratio in terris merito sine indignatione ferenda est, quam non amor Dei, sed iustitia voluit esse præsentem. Vnde, sicut mali nihil habent in cœlo, ita vos qui monasticam paupertatem estis professi, nihil habere debetis in terra, sed spe illius boni ad quod tenditis, quicquid in via contigerit aduersi tolerare patientissime debetis. Nam vt sanctus Christi amator Paulus ait, *non sunt condignæ passionis huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Qui diuites sunt in Christo, coniungant humilitati misericordiam: qui vero sunt pauperes, sumant cum innocentia pro Dei amore patientiam. Mites etenim Christi, nec paupertate deiicitur, nec diuitiis eleuatur, sed in se firmus consistens animo, regi cœlorum tranquillus militat, & nihil de rebus transitoriis curat. Ita qui verus est monachus, nec laudibus extollitur, nec vituperatione frangitur, non intumescit necessariarum rerum affluctia, nec contrahitur paupertate, læta simul contemnit & tristia, quoniam sicut propheta dixerat, *sol eum non vret per diem, neque luna per noctem.* Nos autem fratres charissimi faciamus de necessitate virtutem & voluntatem bonam, & de paupertatis incommodo, quod necessario patimur, bonum nobis & vtile magnum comparemus: quod tunc demum fieri potest, si pro Dei amore hanc ipsam viriliter & animo tranquillo toleremus inopiam. Antecessorum nostrorum deformata conuersatio eam, quam patimur egestatem huic monasterio induxit, quam omnipotens Dei miseratio, si mandata eius corde perfecto custodierimus, cum tempore procul dubio

Mali nihil in cœlo, boni nihil in mundo possident.

Psal. 36. & 54.

Matt. 5.

Psal. 48.

Prou. 10.

Rom. 8.

Psal. 120.

dubio releuabit. Ab annis retro ferme ducendis, quemadmodum coniectura simul & literis præcedentium assequi possumus, puritas monasticæ institutionis in hoc Spanhemensi monasterio, sicut & in aliis pene omnium defecit & inordinatio vitæ Monachorum omnem terrenarum rerum substantiam penitus dissipauit. Enimuero cum anno Christianorum nono & sexagesimo supra quadringentesimum atque millesimum Fridericus comes palatinus ac Bauariæ dux Christianissimus, qui morabatur in Semeren, reprobam Monachorum vitam in suo principatu nimis haberet exosam, tria cœnobia Monachis deformatis expulsis reformauit, & optime institutos ex aliis monasteriis introduxit. Et primo quidem duo canonicorum regularium sancti Augustini monasteria ad obseruantiam regularis disciplinæ reduxit, Rauengirserburg videlicet apud Cynotos, & Svvabenheim apud Stauronesios in pago Nagauiensium. Nouissime anno Domini prænotato etiam hoc præsens cœnobium nostrum Sphanhemense reformationem ordinis reuocauit, eliminatisque Abbate cum Monachis quinque, alios de obseruantia quatuor in locum restituit, quibus prædecessorum meum Ioannem de Colenhusen nunc in Selgenstat Abbatisantem præfecit. Tanta vero locum paupertate oppressum & ære grauatum alieno inuenerunt, vt nemo fuerit, qui illum crederet posse restaurari, quoniam prouentus annui omnes aut venditi aut sub redemptionis titulo fuerunt alienati; nihil etiam de quo viuerent, penitus fuit relictum. Adest eorum quæ dicimus relator & testis frater noster Henricus vnus ex primis quatuor reformatoribus de Moguntia missis, ex cuius ore plenius omnia cognoscetis. Et ecce iam annus decimus & septimus agitur, ex quo locus iste sub capitulo reformatæ vnionis de Burserfeldia instauratur, & adhuc paupertate non modica excoquimur. Hæc propterea dixerim fratres, vt sciatis quoniam necessitatem quam patimur non soli portamus, cum illi quatuor viri qui monasterium reformauerunt, primi sustinuerint grauiora, quibus faba & pisum satiauerant ventrem, & potum in mensura pyracium tenue præbuit. Vocauit nos miseratio Dei ad hunc locum, in quo salutis nostræ antidicum per patientiam vincamus, vt iuxta consilium diui Apostoli victum habentes tenuem, & quo tegamur vestimentum, contenti, Domino gratias agentes, in hilaritate mentis seruiamus. Non enim sumus vocati ad epulas carnis, neque ad delicias huius mundi, non ad voluptates neque ad vitæ præsentis solatia, sed ad militandum Domino & Imperatori nostro Iesu Christo in abstinentia omnium delectabilium huius seculi, in conscientia pura & humilitate cordis. Attendite nunc igitur vocationem vestram ô monachi, & nolite propositum sanctitatis corrumpere, si ad Dei gloriam cupitis peruenire. Væ tibi monache infidelis qui vocationis tuæ contemptor ac voti transgressor factus, in monasterio non monastice viuis, qui ad tribulationem patienter tolerandam vocatus es Dei pro amore, & de refrigerio percunctaris. Iubet enim te tua professio in omni vilitate & extremitate vestimentorum humiliter contentum incedere, & tu curiositati vestium non metuis studium adhibere. In sitim vocatus es, & tu aquam bibere contemnens, vinum vsque ad satietatem potare contra monasticum canonem delectaris. Ad dimicandum contra salutis tuæ aduersarium fortiter, monachus factus es, & tu proiectis à te virtutum armis, piger, iners & nudus, immo, quod grauius est, caterua vitiorum comitante incedis. Ad vigilandum in orationibus sanctis inuitatus es, & tu somno inerti & ignauia turpi resolueris. In subiectionem humilis obedientiæ vocatus es, & tu inflatus superbia seniorum præceptis obtemperare contemnis. In charitatem vocatus es, & tu contra fratrem tuum odium in pectore gestare non formidas. In fletum & lachrymas vocatus es: & risus cum inordinato profundis cachinno. Ad pœnitentiam te Dominus vocauit in monasterio, & tu resolutus in lasciuiam peccato coniungis peccatum. Ad meditandum die ac nocte in lege Domini nostri Iesu Christi vocatus es, & tu post vanitatem ambulans, fabulis & rebus caducis intendis.

Fridericus Bauariæ dux Spanhemense monasteriũ repurgauit.

Io. Colenhusen Abbas Seligenstadianus.

1. Tim. 6.

In secus omnino se gerentes in cœnobiis quã qua de causa illuc ierint ac vouerint, inuehitur.

dis. Ad cœlum vocatus es, & tu mundum diligens, terrena sectaris. In mansuetudinem humilitatis vocauit te Dominus, & tu rancore & superbia plenus incedis. Ad perfectionem purissimæ conuersationis monasticæ à Domino vocatus es, & tu vt iumentum in stercore vanitatis & negligentiæ computrescis. Ad obseruantiam mandatorum Dei vocatus es, & tu voluptatibus carnis deditus, nihil minus quam Christum cogitas. Ad amandum Dominum IESVM super omnia inuitatus es: & tu ambulas post desideria cordis tui mala, ingratum te exhibens redemptori tuo. Qui spiritu viuere debueras, terrena sapis, & omnia spiritualis conuersationis sancta exercitia submersus in superbia contemnis. Et quid in illa die iudicii responsurus es iudici, qui ingratissimo tibi dicturus est: Ego, qui Dominus sum vniuersorum, propter te humiliaui memetipsum formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo, sanguinem pro te meum effudi, pro te verbera sustinui, & mortem pro te nimis amaram spontanea voluntate subiui. Ego te ô monache in toto corde meo dilexi, ego te in sanguine meo de morte perpetua redemi: ego te si mandata custodiuisses mea, ad cœleste regnum ex amore vocaui. Tu autem præceptis meis vixisti contrarius, & quod grauius est, in verba mea iuratus cum esses, apostatam & impium te traditorem contra me Dominum tuum exhibere non timuisti. Nunc igitur da rationem villicationis tuæ. Quid tunc responsurus es ô monache piger & deses, qui tempus nunc acceptabile tam infructuose consumis, & viuere in vera puritate monastica secundum regulam contemnis? Quid inquam respondebis? Negabisne prauitatis opera quæ commisisti, ostensurus per fallaciam bona quæ nunc operari spernis, quatenus mendacio circumuenias iudicem, sicque debitam euadas tuis demeritis pœnam? Sed ignorare non debes, quoniam omnia quæ fecisti, dixisti vel cogitasti per omnem vitam tuam, bona & mala in conspectu iudicis sunt manifesta, & nihil eum latere potest, qui solus omnia nouit. Omnia enim in libro Dei scripta sunt, & conscientia tua omnium aduersum te malegestorum apertum perhibebit testimonium: ita quod nec minima quidem cogitatio poterit latere. Dicit enim ad Deum scriptura prophetarum: *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi.* Psal. 75. Ad tribunal omnia scientis iudicandus es, ante cuius terribile iudicium omnis creatura cum metu nimio & tremore stabit; vbi nulla penitus admittitur excusatio, sed singuli recepturi sunt debitam suis meritis semota appellatione sententiam. Millia millium & decies centena millia sanctorum spirituum assistent ei, & tu mendacio te fallere iudicem posse confidis? Sed audi consilium meum, & surgens ab inertia tua pernicioſa tandem expergiscere, & per veram pœnitentiam ad Dei misericordiam in tempore à iustitia recurre. Non differas de die in diem, quoniam nimis est periculosum in peccatis manenti confidere, & salutis remedium quod offertur, refutare. Memento quoniam morituras es, & quando non cogitas, ad iudicium vocaberis. Cogita precor dubium viuendi tempus quomodo labitur, & omnia quæ mortalia sunt, quam cito corrumpuntur. Nihil in humanis stabile, nihil fixum, nihil firmum, sed omnia quæ cernimus, corruptibilia sunt, & cum tempore mutantur. Considera etiam, vbinam sunt fratres nostri Valentinus, Martinus & Ioannes, qui anno præsenti nobiscum viuentes sani incolumes ac læti fuerunt, nobiscum pariter loquebantur, manducabant, bibebant & laborabant, nihil minus quam hoc anno se morituros cogitantes. Ecce quando non putabant, venit mors, rapuit eos, statuitque animas eorum ad tribunal tremendi iudicis, qui reddidit vnicuique secundum opera manuum suarum. Ecce nunc iam disce fratrum tuorum exemplo, quoniam & tu moriturus es, & forsitan multo transibis ab hoc mundo citius quam poteris æstimare. Resipiscito miser, quando iam potes, age pœnitentiam in tempore sanitatis tuæ, quando iudex pollicetur misericordiam, & noli differre bonum hodiernum in dubium crastinum. Consurge vel nunc sero tandem ab ignauia negligentioris transactæ conuersationis, in qua hactenus

Quid exprobaturus sit Dominus monacho ingrato.

turpiter computriuisti, & expurga conscientiam tuam ab omni macula peccati, lachrymis exterge quod commisisti malũ, & iam deinceps viue innocenter, vt condecet monachum. Perfectum emendationis capesse propositum, & intellige, quoniam non incipientibus bonum, sed perseuerantibus vsque in finem repromittitur regnum cœ-
Matt. 24 lorum. Scito etiam quod non peruenitur inertia & torpore ad cœlum, sed labore magno, conatu voluntatis proficiendi maximo, & studii exercitii spiritualis indefesso. Volens igitur Domino seruire ac placere in veritate, semper consiste apud temetipsum pauidus in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.

Resistendum est fortiter inordinatis motibus, & concupiscentiis carnis: reluctandum est animo constantissimo blandimentis & vanitatibus seculi cunctis: per orationes & magnanimitatem spiritus fugandus est dæmon nostræ aduersarius salutis.

Nemo somnolentus, piger & acediosus vnquam Dei peruenit ad regnum: nemo sine labore continuo & multis
Matt. 11. sudoribus obtinuit cœlum. Dicit enim in sancto Euangelio Dominus. Regnum Dei vim patitur, & violenti, hoc est, qui malis concupiscentiis carnis nouerunt resistere constanter, rapiunt illud. Reuoluite omnium gesta sanctorum, & nusquam inuenietis aliquem sine magno & continuo labore sanctificatum. Nam & si nemo fiat sanctus viribus suis, tamen omnipotentis Domini gratiosa miseratio, quæ & voluntatem benefaciendi certantibus præstat & vires, neminem sanctificat sine o-
2. Tim. 3. peribus bonæ & rectæ voluntatis. Cum ergo DEVS velit saluos fieri omnes homines, & neminem perire, nobis fratres mei summo opere cauendum est, ne gratiam eius in vacuum recipiamus, sed enitendum potius viribus totis, quatenus tanti satoris gratuitis donis veluti ager fertilis ex operibus bonæ voluntatis, fructibus semper respondeamus condignis. Armemus nos igitur scuto fidei, & induamus loricam constantiæ ac patientiæ salutaris, vt præparati aduersus omnia quæ nobis accidere possunt, per humilitatem & feruorem sancti spiritus adiuuante Domino nostro IESV CHRISTO vincamus. In omnibus his patientia nobis multum est necessaria, sine cuius adminiculo nulla vnquam fuit vel esse potuit in operibus bonis & sanctis perseuerantia. Neque enim via sanctis ad cœlum fuit alia quam patientia, neque sanctificari vnquam potuit, qui patientiam abiecit. Enimuero quotquot omnipotenti Deo placuerunt ab exordio mundi vsque in hanc nostram ætatem, non aliter quam per patientiam contra mundi principem triumpha- *Psal. 43.*
runt. Vnde illud Psalmistæ omnes dicere quam rectissime potuerunt: *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.* Sanctissimus quoque Apostolus CHRISTI Paulus veterem commemorans patientiam sanctorum, inter cætera dicit: *Circumie-* *Heb. 11.*
runt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis & in cauernis terræ. Omnes *2. Tim. 3.*
enim qui volunt pie viuere in Christo, persecutionem patientur, quoniam sicut ait propheta, *multæ sunt tribulationes iustorum,* *Psal. 31.*
& de omnibus liberabit eos Dominus. Necessaria est igitur cunctis mortalibus patientia, & maxime decet clausträles; quoniam, sicuti nunquam, desunt iustis in hoc mundo contraria, ita nemo iustificabitur sine patientia.

Sunt autem gradus patientiæ princi- *Patientiæ gradus tres.*
pales, quemadmodum veterum distinxit industria, tres. Primus quidem ac infimus illorum est hominum, qui aduersa neque inquirunt neque libenter sufferunt; sed cum acciderint, grauantur animo, & deiiciuntur mœrore, conqueruntur etiam quandoque & murmurant contra inferentes ad horam, sed postquam inflammata transierit concitatio mentis, ad se redeunt, & irrogatam sine vindicta contumeliam patienter tolerare videntur. Horum tamen non magnæ virtutis patientia semper vitio inquietæ mentis est proxima, & propterea sæpe nullius, interdum vero minoris meriti æstimanda. Et quamuis hi tales nostris temporibus virtute patientiæ dicãtur insignes, comparati tamen veteribus sanctis, hoc venerabile nomẽ Christianæ longanimitatis

& to-

& tolerantiæ non merentur. Non enim patientia videtur esse vera, quæ amaritudine & indignatione mentis concitatæ fuerit obfuscata. Secundus patientiæ gradus illorum esse hominum dicitur, qui licet mala perpeti non quærant, attamen cum venerint, vltro benigne suscipiunt, & quasi donum à Deo missum patientissime amplexantur. Et hi tales veraciter dicendi sunt patientes, qui diuino succensi amore, quicquid aduersi prouenerit, æquanimiter tolerant, & eandem quam prius habebant in prosperis animi tranquillitatem etiam in tribulatione conseruant. *Iob.2.* Horum ex numero fuisse sanctissimum illum Iob Idumæum non dubitauerim, qui non solum aduersitate percussus extrema patienter omnia tulit, sed etiam in voragine malorum positus gratias agens Do- *Prou.19.* mino benedixit. *Dominus*, inquiens *dedit. Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Hunc patientiæ gradum omnes custodire conuenit Christianos, & præ cæteris maxime claustrales. Dicit enim vir sapiens. *Doctrina viri per patientiam dignoscitur.* Nam quanto vnusquisque in lege Domini & cognitione institutionis naturæ rationalis doctior fuerit, tanto in aduersis patientior erit. Quid si audentius loquar veritatis amator, quoniam plus nobis prosunt aduersa quam prospera, si docti simus, & propriæ conditionis non obliuiosi pensiculatores? Tertius vero patientiæ gradus reliquorum certe & supremus & perfectissimus illis merito conceditur, qui contraria non solum cum opus fuerit, pro Dei amore & vtilitate fratrum æquanimiter tolerant, sed etiam feruentiore spiritu charitatis inflammati vltro se ingerentes ad contumelias & iniurias suspiciendas alacriter festinant. Et hoc genus patiētiæ bifariam diuiditur, sicuti duplex ratio martyrii sanctorum inuenitur. Nam quidam cum latere potuissent in persecutione credentium, ardente in eis charitate Chtisti, nemine compellente; sed spontanea se voluntate tribunalibus persequentium ingesserūt, & Iesum publice confitentes redemptorem mundi, illata sibi tormenta cum gaudio susceperunt. Alii vero quamuis se vltro non ingesserint, martyrium tamen gaudenter susceperunt oblatum, parati semper sustinere pro fide Christi, quicquid crudelitas tyrannorum in ferre potuisset. His gradum obtinent lucidissimi confessores merito viciniorem, quos & si crudelitas impiorum persequendo non abstulit, gloriam tamen martyrii nullatenus amiserunt. Enimuero crucifigentes pro Christi nomine carnem suam in hoc mundo, & voluntarium & diuturnum martyrium pertulerunt, qui per abstinentiam & humilitatem gloriosi facti sunt, animo constantes ac patientissimi semper existentes, & ad martyrium corporaliter susciendum paratissimi. Quorum vos, ô Monache, pro viribus imitatores esse curate quoniam hostes qui corpus interimant pro Christo, iam desunt, concupiscentiis carnis reluctantes, & aduersa patienter pro Dei amore sustinentes, vos martyres mente & spiritu exhibeatis. Martyrii genus in pace sanctorum est optimum carnem pro Dei nomine per abstinentiam affligere, nihil in hoc mundo concupiscere, in operibus bonis semper proficere, & si quid acciderit mali, cum hilaritate mentis gratanter ac patienter in omnibus tolerare. Ad hanc normam patiētiæ fratres charissimi deinceps viuite, si cum Christo in æternum cupitis regnare. *Alter alterius onera portate, & sic implebitis legem Christi*, vt quod sibi quisque desiderat, etiam fratri suo hilariter impendat.

Isto modo Christiani omnes martyrium debemus Christo.

De vera humilitate monachorum.

HOMILIA XIX.

Humilitas summa & præcipua virtus monachorū.

OMnium ferme doctorum sententia est, fratres charissimi, summam & præcipuam Monachorum virtutem non aliam esse quā humilitatem, propterea quod ipsa mater & nutrix sit omnium virtutum. Humilitas namque Monachum facit, superbia destruxit & corrumpit. Hinc Dominus per Esaiam dicit: *Ad quem respiciam nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* *Isa. vlt.* *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, quia initium omnis peccati superbia est,* & sine vera humilitate nemo *Ioan 4.* *Eccle. 10.*

salutem consequi potest. Quod cum ita sit, necessarium mihi fore existimo, fratres, sine intermissione cohortari vos, vt superbiam fugientes, in omnibus operibus vestris profundam semper custodiatis humilitatem. Nullum quippe opus bonum Domino Deo placere creditur, quod sine condimento humilitatis præsentatur. Humilitas enim medicina est animarum fidelium saluberrima, quæ omnibus consulit, quoniam tumentia spiritus hulcera comprimit, tabescentia reficit, deprauata corrigit, excrescentia tollit. O mater & parens omnium virtutum humilitas, tu patientiam confirmas, compunctionem excitas, charitatem illuminas, castitatem ornas, orationem fœcundas, ieiunium & abstinentiam commendas. O sancta & vere Deo dilecta humilitas, tu per pœnitentiam iustificas impium, tu in sanctitatis proposito conseruas iustum, tu amatoribus tuis potenter aperis cœlum, tu pœnitentibus claudis infernum. O veneranda & nimium Deo grata humilitas, tu filium patris æterni de cœlis in vterum Mariæ castissimiæ atque perpetuæ virginis compulisti descendere, tu illum nobis fecisti visibilem apparere, tu pannis inuolutum vilibus reposuisti in præsepio, vt nos ornamentis perpetuæ fœlicitatis decoraret in cœlo. Tu Dei filium circumcisionem carnis impulisti suscipere, vt mente circuncisi nos ad promissam hæreditatem sanctorum possemus introire.

Matt. 2. O magnæ potestatis humilitas, quæ regem cœli & terræ à facie vnius vilissimi homuncionis fecisti recedere, & septenni exilio in terra Aegiptiorũ habitare. Tu Christum Iesum vnigenitum Dei filium, quem corpus humanum pro salute nostra compnlisti assumere, amarissimam quoque passionem & mortem fecisti spontanea voluntate subire. Magnum est imperium tuum ô veneranda sanctificatis humilitas, quoniam tibi regnum cœlorum promittitur, tuis cultoribus beatitudinis sempiternæ munus conceditur, & quisquis tua custodit vestigia, ad angelorum celsitudinem sublimatur, dicente in sancto

Luc. 18. Euangelio Christo: *Omnis qui se exaltat: humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.* Te Rex cœlorum docuit, qui suis imitatoribus dixit: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* *Matt. 11.* Beatissima quoque genitrix intacta virgo Maria, in suo cantico laudis dulcissimo de Domino Deo sic loquitur. *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* *Luc. 1.* Et propheta dicit in psalmo: *Respexit Dominus in orationes humilium, & non spreuit preces eorum.* *Psal. 101.* *Oratio namque humiliantis se nubes penetrat, & donec propinquet non consolabitur, & non discedet donec altissimus aspiciat.* *Eccl. 35.* Monachum in conscientia sua purum humilitas Deo facit gratissimum, & quanto se pro Dei honore amplius humiliando deiecerit, tanto glorioſior in regno apparebit. Monachus qui veraciter se humiliat, filius altissimi per gratiæ participationem efficitur, & cum Rege cœlorum Iesu Christo in æternum lætabitur. Qui vere Christum imitari desiderat, humilitatem quoque veram assumat, qua circumamictus & munitus quasi lorica fortitudinis magna faciat, & de se non nisi humilia sentiens, vanæ gloriæ maculam non incurrat. Hæc enim vera Monachorum perfectio est, propriam semper imperfectionem humiliter recognoscere, & potius quid ei desit boni, quam quid habeat, sedulo cogitare. *Vera humilitas nõ quid adsit, sed quid desit sibi, considerat.* Vera namque humilitas in anteriora per desiderium charitatis semper extenditur, & præteritorum cauta memoratrix, ne perdat habita metuit, & cupiens nondum habita per studium deuotionis acquirere, in sanctitatis feruore non tepescit. In quantis adhuc deficiat, studiosissime considerat, & in quibus profecerit non pensat. *Vera humilitas cũ faciat maxima de se sentit minima.* Enimuero quisquis se iam esse aliquid existimat, adhuc longius à vera humilitate distat, quoniam vera humilitas magna facit, & de se sentit minima, & quanto amplius profecerit, tanto infirmitatem suam profundius recognoscit. Sic etenim scriptura præcipit dicens. *Quanto maior es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* *Eccle. 3.* Iterumque dicit: *Humilia valde spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impii ignis & vermis.* *Eccle. 6.* Humilitatem igitur, fratres mei, assumite veram, non illã quæ foris in gestu & voce coram hominibus à simulatoribus quandoque ostenditur, sed Christianam, quæ puro cordis affectu *Humilitatis maxima cõmẽdatio.*

pos-

possidetur. Aliud est enim virtutem habere humilitatis, & aliud imaginem similitudinis. Vera humilitas ad omnes iniurias & contumelias tranquillo corde semper est patiens, ad præcepta quoque non solum maiorum, sed etiam æqualium est sine disceptatione obediens, in aduersis seruat constantiam, in corporis necessitate moderantiam, in moribus continentiam, in conuictu honestatem. Hilaris est, non dissoluta, grauis est non melancholica, larga in miserationibus, non prodiga, infirmis compatiens, non remissa. Humilitas Christiana sine intermissione in amore Dei compungitur, in spiritu deuotionis feruens iugiter lachrymis rigatur, suum Principem Iesum Christum videre semper desiderat, cuius monita sequens in spiritu præ dolore suspirat. Dolet enim se peccatorem, quicunque humilitatem veram complectitur, ingemiscit se non posse tantum proficere, quantum cupit, quisquis Dei filium imitatur. Nihil excellentius humilitate Christiana, nihil præclarius cognitione propria, quæ semper in eminentiori posita nunquam extollitur: & subiecta omnibus, vniuersis dominatur. Qui enim paruus est in oculis suis, magnus coram Deo efficitur: & qui se magnum aliquid esse in hoc mundo existimat, coram Deo nullius momenti iudicatur. Nam tanto erit quisque apud internum iudicem pretiosior, quanto bene faciens & nunquam deficiens fuerit in æstimatione sua despectior. Humilitas enim stabile fundamentum est omnium virtutum, quoniam omne spirituale ædificium, quod in altum Christianæ perfectionis erigitur, sola humilitatis petra sustinetur, Enimuero, si vera desit humilitas, nihil erit aliud virtutum cæterarum congregatio, quam ruina quædam constructæ sine fundamento in sabulo domus. In spirituali siquidem ædificio fundamentum stabile ponit humilitas, latitudinem vero ipsius domus ordinat charitas, in altum paries continuatione bonorum operum in feruore spiritus erigitur, in fide Domini nostri Iesu Christi, & spe firma promissionis æternæ protectionis & fœlicitatis rectum in vertice collocatur, & longitudo in longanimitate patientiæ pulcherrima ordinatione disponitur. Vnde, fratres mei, vos iterum atque iterum moneo, contestor & oro, quatenus ædificium spiritualis exercitationis in humilitatis imo fundare curetis, quoniam nullum Deo placet opus bonum, quod extra veram humilitatem fuerit oblatum. Sunt autem multa quæ seruos Dei ad veram consueuerunt humilitatem prouocare. Nam aliquos propriæ vilitatis consideratio in semetipsis coram Deo humiliat, quia dum se miseros & infirmos esse iam sæpius experti considerant, omnem spem suam & confidentiam in Deum humiliati locant. Alii vero multitudinem erga se beneficiorum Dei pensiculantes, iudicium ingratitudinis metuunt, & ideo in conspectu Dei cum magno timore ac reuerentia gratitudinis semper humiles incedunt. Et quis nostrum est fratres, cui omnipotentis Dei miseratio non multa etiam singulariter præstiterit beneficia? cui si volumus esse grati, maxime simus humiles oportet. Alii post multitudinem peccatorum ad pœnitentiam diuina pietate conuersi, quanta contra legem omnipotentis mala commiserint, ad memoriam sedulo reuocant, & pro his in amaritudine spiritus humilitati, suas impietates cum horrore detestantur. Nos autem in multis offendimus, vnde necessarium est vt nos mente & coram semper etiam corpore humiliemus, vt superabundet gratia, vbi peccatum prius abundauit. Sæpius autem diuinæ miserationis prouidentia quosdam enormiter ad tempus permittit delinquere, vt postea conuersi ad pœnitentiam, in vera discant humilitate permanere. Melior est pœnitens humilis eo, qui non peccauit superbo, quoniam humilitas pœnitentes iustificat, & superbia arrogantes etiam si aliud nihil male fecerint id solum quod superbi sunt, in æternum damnat. Alii Christi Iesu amaram passionem quotidiana meditatione in corde suo portantes, tanto se magis humiliant, quanto se tantis, tamque mirificis ipsius redemptoris sui debitores nimis insufficientes beneficiis non ignorant. Humiliauit semetipum Dei filius homo factus pro nobis, multisque

Ad humilitatem quæres prouocẽt. Sui ipsius cognitio. Consideratio beneficiorum Dei.

Peccatorũ recordatio.

Passionis Christi meditatio

saturatus opprobriis, mortem crucis turpissimam voluntarie subiuit, vt nos de mortis perpetuæ interita liberaret. Quis homo Christianus, & Monachus maxime, non humiliabit Deo valde animam suam, cum tantam creatoris & redemtoris sui humilitatem ad memoriam reuocauerit? Enimuero quem Christi humilitas ad mansuetudinem non prouocat, nullæ hominum admonitiones eo proficient.

Ioan.14. Christus se viã dixit, vt eã sequamur.

Frustra dicimur Monachi, nisi Christum pro viribus humiliter fuerimus secuti. Propterea namque viam se dixit in sancto Euangelio, vt eius humilitatem imitemur: & tanti conuersatio magistri, fieret spiritualis forma discipuli. Nos itaque fratres quantum possumus totis viribus elaboremus, vt omne quod in nobis tumidum superbia reddidit, humilitas meditatione amarissimæ passionis Iesu Christi concepta, complanet, instauret ac reformet.

Humilitas passionis Christi, summa humilitatis nostræ occasio.

O quantum nos conuenit humiliare animas nostras amore Iesu Christi, fratres mei, cum ipse Deus & creator omniũ homo factus in tantam se pro nobis dejecerit humilitatem. Summa igitur medicina est ad inducendam veram seruo Dei humilitatem, si quotidie sæpiusq; ad memoriam reuocauerit amarissimam Christi Iesu passionem. Multos etiam tribulationes, aduersitates & infirmitates cum paupertate vei inopia fecerunt humiles, qui forsitan in prosperis & secundis perissent elati. Et nobis confidimus, quod sæpius dicere solemus, ad salutem nostram conducere paupertatem, dum causam humilitatis habemus magnam, elationis vero & superbiæ materiam nullam inuenimus. Alii continua exercitatione virtutum, & memoria mortis, quam breui necessario sunt passuri, ad magnam humilitatem peruenerunt. Quem non etiam superbissimum humiliet intenta meditatio mortis? Aut quis tam ferox animo, qui non demittat paulatim tumorem, si diligentius cogitauerit in breui se moriturum? Proinde conscientia Monachi nunquam debet memoriam à se mortis futuræ depellere, quatenus & humilis permaneat & tristis, vt consistens in humilitate non superbiat, & mœror continuus omnem cordi lasciuiam interdicat. Nonnullos etiam gratuita Dei miseratio præuenit, & spiritussancti cohabitatione humiles facit. Omnis qui spiritu Dei agitur, superbiam summe detestatur. Qui seipsum in veritate cognoscit, sapientissimus est, & non potest ab humilitatis mansuetudine facere discessum.

Aduersa & molesta mundi huius.

Mortis memoria.

Spiritus diuini inhabitatio.

Omnis autem superbus & arrogans ignarus est, etiam si magnus inter mortales & inclytus videatur. Vera enim sapientia in domicilio requiescit sanctæ humilitatis, & ipsa per patientiæ documentum elatio ostenditur. Ex cognitione Dei suiipsius humilitas nascitur, & hæc vera sapientia merito nuncupatur Qui seipsum cognouit veraciter, iam non habet vnde superbiat, quoniam sciens viliratem suam, nihil altum cogitat, sed in mœrore animi positus ad Dominum clamat: *Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis quia reputas eum? Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut vmbra pertranseunt.* Quid ergo superbit terra & cinis? Quid tumet contra Deum spiritus hominis caduci atque mortalis? *Humiliamini*, igitur ô fratres mei charissimi, sicut scriptum est, *sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis.* Valde namque placet Domino Deo in seruis suis cum timore casto humilitas, quippe qui nullam sine ea virtutem hominis approbat ad salutem. Vnde si cupimus solium excelsi scandere regni cœlorum, oportet nos multum esse humiles, quia non est aliud iter ad cœlum, nisi profundissimæ humiliatis, per quod & ipse Dei filius & omnes sancti ascenderunt. Omnes autem qui per aliam portam ad regnum intrare conatisunt, repercusso in limine humilitatis superbiæ capite, ingredi minime potuerunt. Non enim capit superbos ianua humilitatis, & angustum iter mansuetudinis amatores non recipit auaritiæ & elationis. Quicunque igitur venire ad celsitudinem regni cœlestis desiderat, per gradus humilitatis ascendat, sine quibus ascẽdere quisquis incipit, in profundum perditionis & mortis indubitanter cadit. Humilitas enim scala est cœli, duodecim pulchre distincta climatibus, de cuius ascẽsu legislator noster Benedictus dicit in regula. *Si humilitatis sum-*

Prou. 11. Vbi cognitio Dei & suiipsius ibi sapientia: vbi sapientia, ibi humilitas.

Psal.8. Psal.143. Eccl. 10.

Iob. 15.

cap. 7.

summæ volumus culmen attingere, & ad exaltationem illam cœlestem velociter peruenire, illa nobis erigenda est scala, quæ in somnis Iacob apparuit, per quam ei ascendentes & descendentes angeli demonstrabantur. Non aliud sine dubio descensus ille & ascensus à nobis intelligitur, nisi exaltatione descendere, & humilitate ascendere, sicut scriptura nobis indicat diuina: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur?* Scala vero ipsa erecta, nostra est vita in hoc seculo, quæ humiliato corde à Domino erigitur in cœlum. Latera enim eiusdem scalæ, dicimus nostrum esse corpus & animam: in quæ latera diuersos gradus humilitatis & disciplinæ euocatio diuina ascendendos inseruit. Consequenter vero ipsos duodecim gradus per ordinem pulchra satis distributione enumerat, qui cum vobis sint omnino notissimi, superfluum fuerit in eis recensendis hac vice diutius occupari. Sufficit enim hoc loco meminisse canonis sancti, in cuius verba omnes voluntarie dudum iurastis, vt sciatis vobis humilitatem non minus ad salutem necessariam, quam Dei simul & proximi charitatem. Monachi etenim virtus maxima esse humilitas dicitur, & in tantum est suæ professioni necessaria, vt sine ea nequeat saluari. Monachus elatus animo, atque superbus, non CHRISTI, sed diaboli mancipium est, & partem cum DEI filio non habebit in cœlis, sed cum dæmonibus in inferno sine fine cruciabitur. Nam CHRISTVS magister & præceptor humilitatis omnes detestatur superbos, & in sui consortium non admittit nisi humiles, mites, & mansuetos. Diabolus autem caput & inuentor superbiæ est, cuius serui atque discipuli sunt omnes qui superbiam eius & elationem sequuntur. Ipse namque Rex superborum humilitatem ferre non potest, fugit mites, & in conspectu mansuetorum corde, stare non præsumit. In conuentu enim seruorum DEI humilium CHRISTVS habitat, in medio autem superborum contentiones & iurgia discordantium diabolus concitat. Vbi fuerit humilitas, ibi pax est vera, & summa tranquillitas: vbi autem dominatur superbia, ibi rancor, ira, turbatio & discordia sine intermissione confundunt vniuersa. Cauete igitur fratres mei superbiam, quoniam si angelos de cœlo proiecit elatos, pauperes quando non damnaret clausirales? Dæmones fecit ex angelis, & socios dæmonum proculdubio facit ex monachis. Humilitatem sequamini omni tempore totis viribus, & quantum potestis fugite omnem superbiam & ostentationem, quoniam nisi humiliaueritis valde animas vestras, non intrabitis in regnum cœlorum. In simplicitate cordis vestri coram Domino IESV semper ambulate, puram in omnibus conscientiam habentes, ne humilitas vestra fiat bestialis, quia nihil confert ad salutem peccatorum se publice recognoscere, & in malo perseuerando culpam non emendare. Verus etenim CHRISTI seruus humilitatem suam bonis operibus sanctificat, & omnem vitæ reatum transactæ per continuam pœnitentiam emendat. Ad memoriam quotidie reuocat malum, quod se commisisse meminit, & se offendisse Dominum grauiter ingemiscit. Caute multum ambulat, & ita commissa deplangit præterita, vt nequaquam committat amplius plangenda.

Gen. 28.

Luc. 18.

Humilitas quam necessaria potissimũ monacho.

Iob 41.

Monachus qui veraciter est humilis, Dominum IESVM in pura conscientia sequitur, & nihil in hoc mundo timet amplius, quam præceptorem offendere, quem imitatur. Quicquid agit, & quocunque incesserit, præsentem Dominum IESVM semper cogitat, & quemadmodum illi complaceat soli, continua meditatione explorat. Hæc etenim vera & Christiana humilitas, & humilis est Christianitas, peccatum in vera compunctione diluere, & conscientiam in omni puritate non solum metu pœnarum, sed Christi potius amore omni tempore conseruare. Vera monachorum humilitas quicquid potest boni pro Dei honore operatur continue, & nihil operaturam se cogitat, quod nouit Christo displicere. Vera monachorum humilitas nihil eorum quæ Deus mandauit, negligit, & quæ prohibuit ille, semper vt mortifera fugit. Monachus pœnitẽs in compunctione lachrymarum humilis, & Domino seruiens in feruore charitatis,

sanctorum est socius angelorum, cœlique amicus ciuibus, & dæmonibus multum formidabilis. Nihil enim plus metuunt & fugiunt dæmones, quam humilitatem seruorum Iesu Christi, quia cum sint ipsi vitiosa voluntate sua superbissimi, humilium deuotione vehementissime cruciantur. Nam vbi vera est humilitas, dæmones subsistere nequeunt, quoniam sicut glacies ab igne resoluitur, ita maligni spiritus à præsentia humilis monachi dissipantur, O veneranda mater & conseruatrix omnium virtutum humilitas, tuum est regnum, tua est potentia: tu regnum confers humilibus, tu gloriam felicitatis æternæ tribuis mansuetis, sine tuo ducatu nemo venit ad cœlum: qui te sequitur, non timet infernum. Qui sine humilitate virtutum opera congregat, quasi qui puluerem in ventum portat. Tu condimentum bonorum operum es omnium, quoniam sicut cibus in ore comedentis absque sale non est sapidus, ita sine tuo comitatu, Dei nullus constituitur amicus. Humilitas filium Dei hominem fecit, humilitas seruum Christi sancto angelo comparabit. Angelus per superbiam arbitrio proprio factus est diabolus, & homo Christianus per humilitatem fit angelus. Humilitas mansuetis Dei seruis aperit cœlum, & superbia homines elatos demergit ad infernum. Humilitas, Dei facit amicos: & superbia, dæmonum efficit socios. Humilitas mentem ad veram sapientiam illuminat, & superbia intellectum illius quem possederit obcæcat. Humilitas purgat à cunctis inordinatis affectionibus hominem quem possidet, & superbia suum cultorem omnibus sceleribus & spurcitiis adimplet. Humilitas amatorem suum Dei seruum efficit, superbia vero diaboli mancipium facit. Humilitas sapientem facit in lege Domini, superbia autem stultum reddit hominem à cognitione altissimi. Humilitas introducit pauperem ad consortium Dei, & superbia diuitem membrum facit diaboli. Humilitas mater & nutrix virtutum est omnium, & superbia cunctorum est scaturigo vitiorum. Humilitas multitudinem peccatorum mediante charitate operit: superbia vero sola omnium plenitudinem vitiorum introducit. Humilitas bona monachorum opera Deo facit esse gratissima, superbia autem creatori elatorum studia reddit odiosa. Humilitas quicquid postulauerit à Domino suscipit, superborum vero precibus Deus omnipotens resistit, Humilitas in miserationibus Domini piam semper habet cum hilaritate mentis fiduciam, superbia autem cum desperationis aculeo generat in homine perturbationem. Humilitas in Christi amore semper habet gaudium spiritus, superbiam vero pernicioſus semper occupat metus. Humilitas bonorum operum fotrix nihil spiritualium exercitiorum negligit, superbia autem omnia salutis studia contemnit. Humilitas peccatores iustificat, superbia vero suos sectatores damnat. Humilitas Deo facit proximum, superbia autem à gratia Dei efficit alienum. Humilitas mandatis Dei placida voluntate studiosa obsequitur, superbia præceptis altissimi reluctatur. Humilitas merita sempiternæ fœlicitatis accumulat, superbia autem sibi grauissima inferni tormenta parat. Humilitas securitatem præstat in mortis articulo, superbia vero horribilem metum & calamitatem affert morituro. Humilitas animam sui cultoris in tremendo Dei iudicio ab omni angustia liberat, superbia autem omnes elatos quos decepit in mundo, coram iudice accusat. Humilitas DEI seruos iudicis locabit ad dexteram, superbia vero damnandos constituet ad sinistram. Humilitas causam aget pro suis & obtinebit in iudicio, superbia autem nimium confusa tradet elatos diabolo. Humilitas præmium æternæ fœlicitatis suis rependet amicis, superbia vero tormenta perpetuæ damnationis omnibus dabit elatis. Humilitas in cœlo sine fine coronabitur, superbia autem apud inferos inæstimabilem cruciatum cum dæmonibus perpetuo patietur. Humilitas coronata cum Christo regnabit in cœlis, & superbia contempta cum diabolo cruciabitur in pœnis. Humilitas læta & glorioſa in æternum sedebit ad dextram Dei, super-

Humilitas filium Dei hominem fecit.

perbia autem tristis & ignominiosa sine fine iacebit in tormentis inferni. Tunc humiles exultabunt in gloria, & superbi omnes præ nimio dolore perpetuis temporibus clamabunt in pœna. Ibi stabunt humiles in conspectu Dei ad sanctorum omnium lætitia magna, & exultatione sempiterna, recipientes pro voluntaria huius vitæ inopia diuitias immarcessibiles, pro mansuetudine regnum, pro tristitia gaudium, pro Dei amore imperium, pro contemptu mundi & carnis maceratione spontanea cœlum. Videntes autem superbi & arrogantes in inferno constituti tantam gloriam humilium, quos in mundo despexerunt, mirabuntur in tam subita mutatione sanctorum, turbabunturque timore horribili præ nimia spiritus angustia gementes & dicentes
Sap. 5. in furorem superbiæ: Hi sunt monachi pauperes & humiles quondam vilibus induti, sequestrati ab hominibus, ab esu carnium & omni spurcitia carnis abstinentes, quos habuimus aliquando in derisum & similitudinem improperii: nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo inter filios Dei computati sunt, & inter sanctos sors illorum est. Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non illuxit: & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Quid nobis iam prodest superbia, qua tunc inflati contempsimus humiles? & quid nobis confert habita in seculo diuitiarũ iactantia? Præterierunt omnia, & nos pro contumacia inter dæmones computati sumus, quoniam humilitatem odio semper habuimus, ac sine fine patimur inæstimabiles cruciatus. Humiles autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio illorum apud altissimum. Hæc fratres mei semper præcogitate, quoniam indubitanter ita futura sunt: veramque propterea mentis humilitatem assumite, peccatum omne fugite, conscientiam puram conseruate, quatenus æternæ præmia vitæ mereamini obtinere. Amen.

De monachorum obedientia vera.

HOMILIA XX.

HVmilitas monachorum si vera & perfecta fuerit, omnem plenitudinem sanctarum virtutum parit. Quod si virtutum splendore caruerit, vera in mente humilitas nunquam fuit. In primis etenim veram parit obedientiam, & profundam in cunctis pro Dei amore subiectionem. Monachus enim qui vere humilis peregrinatur in carne, Saluatoris nostri Iesu Christi studiosum se in omnibus præbet discipulum: pro cuius amore omni vilitate & extremitate contentus, Abbati suo in cunctis obediens se gloriatur subiectum. Magna virtus est humilis pro Christi amore obedientia, quæ monacho cœlum aperit: & infernum sua fotitudine claudit. Obedientia viam paradisi reparat: & pacem inter Deum & hominem reformat. Hæc autem est obedientia monachi vera: quæ non seruili metu, sed internæ charitatis affectu mandatis superiorum impenditur: quæ non timore pœnæ, sed amore iustitiæ vsque ad mortem perseuerans, in hilaritate mentis bonum operatur. Duæ sunt alæ mentis pulcherrimæ, quibus è terra monachus in cœlum auolat: quarum altera humilitas dicitur: altera subiectionis obedientia nominatur. Monachus qui his alis ornatus non fuerit, & nomen & meritum suæ dignitatis penitus amisit. Nec monachus est dicendus, sed mendax & falsissimus apostata, quisquis in cœnobio viuit & conuersatur sine humilis subiectionis obedientia. Monachus enim sine obedientia est monstrum diaboli, & qui præceptis maiorum reluctatur, pœnas hæreditabit inferni. Vitam æternæ fœlicitatis inobedientia primi hominis ab initio perdidit, quam obedientia Iesu Christi reparauit. Ipse namque factus
Philip. 2. est pro nobis patri obediens vsque ad mortem, & sua passione innocentissima nobis amissam restituit fœlicitatem. Vnde iter ad salutem est humilis obedientia, sancto legislatore nostro Benedicto clamante in regula. *Ausculta ô fili*
In prolo- *præcepta magistri, & inclina aurem cordis go.* *tui, & admonitionem pii patris libenter accipe & efficaciter comple, vt ad eum per obedien-*

Humilitas obedientiæ mater.

Humilitas & obedientiæ alæ duæ, quibus itur in cœlum.

dientiæ laborem redeas, à quo per inobedientiæ desidiam receſſiſti. Obedientia eſt arbor æternæ ſalutis, quæ creſcit in horto monaſticæ humilitatis. Obedientia eſt ſpiritus ſancti domicilium, & quietum voluntatis propriæ ſepulchrum. Obedientia eſt ſuperare fœlicitatis meritum, & vnicum monaſticæ diſciplinæ documentum. Obedientia eſt elationis & ſuperbię omnis exterminium, & cunctorum perſecutrix vitiorum. Obedientia omnem vincit malitiam, & cunctam extinguit carnis inordioatam voluptatem. Obedientia puram & mundam facit conſcientiam, & veram in mente conſeruat humilitatem. Obedientia eſt animæ vulneratæ remedium, & totius obſeruantiæ monaſticæ fundamentum. Obedientia eſt omnium bonorum operum fidelis cuſtodia, & ſyncerę mentis diſciplina. Obedientia eſt mortificationis principium, & gloriosum monachi ornamentum. Obedientia eſt conſeruatrix pacis & concordiæ, ſine qua vigor perit monaſticæ diſciplinæ. Obedientia mentis aciem ad Deum ſemper dirigit, & qui vere mortificatus eſt animo cuncta huius ſolatia contemnit. Obedientia monachum facit Deo proximum, & à cunctis animæ ſordibus procul alienum. Obedientia eſt animæ decor, & indumentum pulchritudinis, ſine qua nemo ad regnum perueniet æternæ claritatis. Obedientia eſt mater victoriæ, & qui nouit pro Dei honore ſubeſſe humiliter, martyrii coronam in cœlis conſequetur. Obedientia monachum diſcernit à ſeculo, & qui eam ſequitur in toto corde ſuo, magnus erit coram altiſſimo. Obedientia eſt Chriſtianæ perfectionis conſummatio, in cuius humili ergaſterio, quanto monachus amplius profecerit, tanto ſanctior euadit. Obedientia
* eſt certa hora mortis ſecuritas, quoniam tanto monachus hinc migraturus euolabit ſecurior, quanto fuit ad obedientiam mandatorum paratior. Obedientia eſt remuneratrix humilium, & præcipuum inſigne meritorum. Obedientia eſt norma chriſtianæ manſuetudinis, & fortiſſimum internæ nutrimentum charitatis, Obedientia eſt caſtitatis vmbraculum, & innocentiæ puritatis ornamentum. Obedientia eſt

Obedientiæ precium.

monachorum ſapientia, & acquieſcere * mandatis prælatorum ſumma clauſtralium philoſophia. Obedientia & humilitas monachorum ſunt opes atque diuitiæ: & memoriam dominicæ paſſionis in mente iugiter poſſidere, ſuper omnes mundi epulas dulcedo eſt maxima. Obedientia monachum facit & humilitas: qui autem rebellis eſt & ſuperbus, habitum ſine cauſa portat monaſticum. Obedientia eſt in mente viua membrorum voluntaria mortificatio, cuius tantum eſt dignitatis meritum, vt homo nihil habeat maius quod ſit in Dei honorem offerendum. Offerat vnuſquiſque pro Dei amore quod poteſt, ille proculdubio plus omnibus * obtulit, qui voluntatem propriam propter Deum per obedientiam mactauit. Magnum quidem eſt bonum facultates ſuas propter Chriſti amorem in vſus pauperum diſtribuere, & inopiam egentium eleemoſynis releuare. Verum quantum parti præponderat totum, quanto neceſſitate nobilius eſt liberum voluntatis arbitrium, quantum à terra diſtat cœlum, tanto magis ille obtulit, qui ſemeipſum pro Dei amore ſpontanea voluntate perpetuo abnegauit. Quicquid enim ſubſtantiæ temporalis obtuleris Deo, non tuum ſed alienum eſt, & minoris quam proprium tam æſtimationis quam mercedis. Vnum habes proprium, quod ſuper omnia Deo placet oblatum. Quid hoc niſi voluntas libera, quam omnipotens creator in tua poteſtate collocauit? Voluntas autem bona cunctis eſt maior diuitiis, qua nihil Deo offertur ditius, nihil cõſecratur acceptius. Hoc Deo munus precioſiſſimũ fratres mei ſemel obtuliſtis, quando voſmetipſos & omnia mundana pro eius honore abnegantes monaſticum habitum induiſtis. Mementote verborum precor ſanctæ profeſſionis veſtræ, & nunquam recedat à memoria ſolennis illa promiſſio, quam vnuſquiſque veſtrum in conſpectu Dei coram nobis emiſit di- *
cens: *Ego frater Ioannes promitto ſtabilitatem, & conuerſionem morum meorum, & obedientiam ſecundum regulam ſancti Benedicti coram Deo & ſanctis eius, in hoc monaſterio quod conſtructum eſt in honore beati Martini, in præſentia Domini Ioannis Abbatis.* Ecce vinculum quo nos ad obedientiam volun-

Obedientia nihil maius aut acceptius poteſt offerri Deo.

Profeſſionis nunquam ſuæ immemor ſit monachus.

voluntarie obstrinximus, ecce militia, quam professi sumus. Hæc enim sunt vota, quæ distinxerunt labia nostra, hæc sunt quæ obtulimus Deo piæ deuotionis sacrificia. Certe fratres mei magna sunt quæ promisimus & maior incumbit nobis necessitas custodire quod professi sumus. Nisi enim fideliter seruauerimus omnia, quæ nobis regula diui patris nostri Benedicti præcipit, omnipotentis Dei iustitia nos vt periuros & impios transgressores grauiter iudicabit. Valde namque periculosum est promissum Deo non reddere, & per obliuionem sanctæ institutionis propositum violare. Propterea satisfacturus pastoralis curæ officio vos ad obseruantiam regularis disciplinæ quotidie soleo admonere, nec deinceps vnquam deerit vobis necessarius sermo salutis, quandiu spiritus meus perseuerauerit in hoc ergastulo carnis. Vos autem curate precor, ne sitis infructuosi auditores, quoniam res pro anima geritur, quæ semel perdita nunquam recuperatur. Quicunque igitur vestrum ad intellectualis stadium certaminis currendum conueniistis in monasterio, quicunque pro Christi amore propriæ voluntati semel renunciastis & sæculo, galeam salutis assumite sanctam obedientiam, & certam de hoste reportabitis victoriam. Obedientia enim armatura est Monachorum fortissima, cui nulla poterunt nocere aduersa. Dicit namque scriptura: *Qui custodit præceptum, non experietur quicquam mali.* In prouerbiis quoque sic dicitur: *Vir obediens loquetur victorias.* Obedientia Monachum in cunctis tentationibus reddit inuincibilem, & qui sequitur in omnibus senioris sui consilium, nunquam sentiet animæ salutis detrimentum. Obedientia enim est via breuis & aspera, per quam cito ad perfectionis culmen ascendunt. Monachus autem qui verus est miles Christi, suo nunquam confidit iudicio, sed in omnibus directionem sui sequitur & obseruat pastoris. Enimuero qui verus est Christi amator, qui Monachus omnino cupit esse fidelis, Abbatem suum tanquam Dei vicarium diligit, eiusque mandatis, consiliis & ordinationibus in cunctis semper obediens, hilariter acquiescit. Quod facere Monachus confidenter vt possit, non puer, non indoctus, non carnalis, non indigens discretione nec animo leuis, vel inexpertus spiritualium certaminum, in Abbatem ordinandus, sed vir moribus canus, in diuinis scripturis eruditus, spiritu ambulans in vera conuersatione sanctitatis, pius, mansuetus, mente tranquillus atque discretus, qui & improbis iudicium & beneuolis nouerit exhibere miserationem. Quotiens enim homo inquietus, turbulentus, indiscretus, imperitus Abbas Monachorum præficitur, mox regularis disciplinæ integritas naufragatur. Necesse est subiectionem perire simul & humilitatis obedientiam, quando subditi confidentiam nequeunt habere firmiter ad pastorem. Nam si Abbas irrisor est fratrum suorum, vel importunus contemptor infirmorum, quis aperiet illi cordis sui quodcunque arcanum? Maxima igitur solicitudine in principio vigilandum fuerit, vt pastor destitutis ouibus talis ordinetur prælatus, qui nihil aliud quærat, quam Dei honorem, & animarum salutem. Monachus qui talem fuerit assecutus pastorem, gratias agat Deo, quoniã his nostris temporibus rarus occurrit, qui se dignum & idoneum in omnibus nouerit exhibere prælatum. Amandus est merito á subditis omnibus, & vt Christi vicarius in monasterio cõtinua veneratione honorandus. Aperiãtur ei securę cogitationes omniũ, quoniã nihil aliud quęrit, quam profectũ singulorum. Si medicũ ægrotantium corporum oportet esse prudentem, expertum, & summa discretione præditum, quanto magis Abbatem decet esse virum optimum, qui medicus est animarum? Felices Monachi, quibus vtilem & idoneum pastorem Dei miseratio contulit, si tamen vt hoc ipsum intelligant, etiam non negauit. Alioquin malarum ouium pastor bonus in sua rectitudine non agnoscitur, sed prauorum ingratitudine cum Domino potius cruciatur. Frequenter enim cæca sunt iudicia Monachorum quotiens de prælatis sententia quæritur, & qui moribus corrumpit integritatem ordinis, raro de pastoribus verum & rectum iudicant. Propter ingraditudinem subditorum rectores plerunq; mutantur in deterius, & monachi qui

Obedientia armatura est monachi.

Eccl. 8.

Prou. 21.

Quis dã signari debeat abbas.

Felices monachi bonum nacti abbatem.

qui bonum & vtilem pastorem in vita præsentem despiciunt, successorem stultum & inutilē iusto Dei iudicio susceperunt, Qui in simplicitate subditi sunt, recte ambulant: & qui Christum veraciter imitantur, non discernunt præsidentem. Habemus enim quem sequamur pastorem fidelium animarum Dominum nostrum Iesum Christum, in quē animo fideliter prospicientes pastorem visibilem temere non discernemus.

Matt. 23. *Super cathedram Moysi*, inquit, *sederunt scribæ & pharisei: quæ vobis dicunt, facite: quæ autem faciunt, nolite imitari.* Audi hæc ô Monache, & qui proptiæ salutis amator es studiosus, formam obedientiæ quam sequaris, considera. Abbas, Christi vicarium gerit in monasterio, qui siue bonus sit siue malus, obedientiam non suo merito sed Christi nomine meretur omnium subditorum Neque enim de solis apostolis intelligimus dictum. *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit*, sed de quolibet in Dei ecclesia prælato, qui custos & rector constitutus est animarum. Ergo si Abbatem habes bonum, idoneum, & sanctum, audi vocem eius tanquam mandatum Dei vicem gerentis, & quicquid tibi præceperit, esto obediens in omnibus. Sit autem tibi doctrina eius norma viuendi, & conuersatio sancta purioris institutionis exemplum. Amicus enim Dei est, & Iesu Christi vicarius, altero meretur vt diligas, altero vero vt in omnibus præcipienti obedias. Quod si pastorem assecutus es rudem, imperitum vel certe minus idoneum, caueto precor, ne actiones eius temere velis discutere, sed cogita potius q̄ peccata tua merentur pastorem inutilem habere. Considera eum non quod est, sed quod dicitur, & honora pastorem propter illius amorem & reuerentiam, cuius vicariatu insignitur. Obedientiam quam Deo promisisti, eius vicario pure & simpliciter exhibendam omni tempore memineris, quoniam si Abbas in sua conuersatione malus fuerit, vicariatum tamen Christi, nisi iure deponatur, non amittit. Nec te absoluit à promissa religionis obedientia pastoris tui reproba vita. Metuenda est vsitati prouerbii nostri sententia. *Monachi reprobi non merentur Abbatem habere bonum.* Non de vobis hoc paradigma vibratum existimetis fratres charissimi, neque enim pastorem me malum confido, quamuis rudem & imperitum negare non possum: sed neque mali de vobis suspicionem admisimus vnquam, quippe qui nihil magis quærimus, quam fraternam in omnibus nutrire & ampliare charitatem. Frequenter veniunt ad nos Monachi vel cum ratione vel sine causa peregrinantes, qui materiam instabilitatis suæ vt plurimum retorquent in Abbates. Ego autem, qui vos ad omnia, quæ sancta & vtilia, cupio esse instructos, charitates vestras paterne exhortor & moneo, vt his circuncellionibus aures de cætero non porrigatis, qui moribus pastorum suorum detrahunt, & propria sceleta delationibus alienis abscondere contendunt. Non est hæc monasticæ institutionis necessaria integritas, causam rebellionis & inobedientiæ subditorum in caput retorquere pastoris. Qui verus est Monachus, aliena temere non iudicat: & qui humilis obedientiæ filius est, causas rebellionis non explorat. Qui autem passionibus carnis indulget consensum, nunquam potest quiescere: & qui vitam scrutatur alienam, contemptor salutis est propriæ. Monachus in Dei amore fundatus non diiudicat mandatum senioris, & qui Christum semper intuetur præsentem, suum, vt angelum Dei, veneratur pastorem. Audacia Monachum degenerat, & præsumptio multos in carcerem præcipitauit. Monachus petulans, lasciuus & proteruus, sanctitatis amisit propositum: & nisi reuocetur ad mentem dura castigatione carnis, pedem iam posuit ad infernum. Qui mandatum senionris curiosa temeritate discernit, non est obediens: & qui contristatur ad imperium, non est verus Christi discipulus. Vera namque obedientia non murmurat, non hæsitat, non tristatur, non quærit diuerticulum, non tardat, non excusat, nec ostendit minimum irresignationis signum. Ad mandatum senioris pro Christi amore semper exultat, occurrit læta, & cum festinatione obedit hilariter. Quid enim aliud Monachus, quam certator assiduus, qui virtutibus armatus humilitatis & obedientiæ, semper in stadio certaminis vigi-

Peccata plebis inutilē pastorē merentur.

In instabiles monachos.

vigilat, & sub triplici acie victor contra semetipsum fortius pugnat? Beatus ille monachus, qui vim sibi ipsi faciens, voluntatem carnis superare didicit, & per cõtinuum spiritualis militiæ vsum, montem veræ obedientiæ arduum conscendit. Vere monachus ille beatus, qui contemptis omnibus mundi solatiis, se totũ in amore Iesu Christi reposuit, & nihil iã visibiliũ amplius cõcupiscit. Nõ est monachorum, diuitias, honores & voluptates in hoc mũdo quærere, nec decet militẽ Christi aliud quam Christum cogitare. O monachum ter quaterq; felicem, qui voluntatẽ pro Christi amore propriã vsq; ad vltimum vitæ mortificat, & in vera obedientia humilis perseuerat. Quantum sit bonum corã Deo humilis obedi-
1. Reg. 15. entia, fratres mei, nemo sufficienter potest edicere, quã cunctis victimis diuina protestatio voluit præferre. Obedientia est, quæ animã Deo recõciliat, & præter
* effusionem sanguinis martyres coronat. *Monachus, diuturnus martyr.* Monachus.n. qui se propter Deum spõtanea voluntate ad perpetuã religionis obedientiam obligat, si iuxta votum recte viuit, prolixum certe martyrium portat. Obedientia igitur est sine sanguinis effusione martyrium, & subjcere se homini propter Deum voluntarie, carnis ingens est tormentũ. Anima quæ humilitatem & obedientiam veraciter diligit, ad coronam martyrij sine dubio pertingit. Arduum est opus & nimis laboriosum certamen, liberum hominẽ semetipsum despicere, & se totum & voluntatem suam omnem sub imperio & potestate alterius perpetuo resignare. Intueamur autẽ fidelibus oculis huius mercedẽ certaminis, & reputabimus oĩa dura & aspera huius vitæ quasi ludum esse quendam puerilem, qui iam ad horã cernitur, & nusquam postea comparebit. Nam vt Christi amator dicit Apostolus, *non sunt*
Rom. 8. *condignæ passiones huius temporis ad superuenturam gloriã quæ reuelabitur in nobis.* Coronam, quam sanctis martyrium pro Christo quondã contulit, hodie veris Christi amatoribus humilis obedientia præparabit. Monachus.n. pro Christo vere humilis & obediẽs, sine pauore securus moritur, vt pote qui sub imperio senioris sui fideliter militans ab omni rationis exactione liberatur. Nam qui ad nutum pastoris sui viuens, in omnibus mandatis Dei recte graditur, nihil potest committere quod ad iudicem deferatur. Abbatis enim testimonio defenditur, ad cuius directionem sine querela recte conuersatur. Considerate fratres legem obedientiæ, secundum quam viuere promisistis: & scitote quoniam necessarium fecistis quod voluntarium fuerat, quando in sententiam monasticæ traditionis solenniter cõsensistis. Non licet vobis iam à sancto proposito recedere, nec potestis votum semel emissum reuocare. Si feceritis omnia secundum sanctum Euangelium Christi, & normam Benedicti patris, quæ vouistis, non sit vobis hæsitationis dubium, beati eritis, & mercedem sanctis debitam à domino recipietis. Si autem promissionum vestrarum immemores, votũ sanctæ puritatis Deo factum violaueritis, si conuersatione spirituali contempta secundum carnem vixeritis, iam nunc denuncio vobis ex lege vestra, quoniam certissime condemnandi estis à Domino nostro Iesu Christo iudice omnium, quem irridendo contempsistis. Multo enim melius est nihil promittere, quam votum violare. Salutis igitur vestræ conditio in hoc vno ponitur, vt quemadmodnm semel promisistis Deo, secundum regulam sancti Benedicti vsque ad mortem in omni puritate mentis & corporis conuersando perseueretis. Homo enim Christianus, qui non vouit conuersionem monasticam, saluari potest recte viuendo secundum Euangelium. qui autem semel factus est monachus, non saluabitur nisi omnia seruauerit vsque ad mortem quæ ad monasticum requiruntur institutum. Ausculta igitur ô monache verbum breue, solidum ac verum. Monachus es, si monachum vixeris, saluus eris: sin vero aliter vixeris, non saluaberis, sed portionem tuam recipies inter spiritus apostatas, quoniam Deum, cui mentitus es, irridens contempsisti. Reuoca nunc igitur temetipsum ad te, conscientiam tuam de omni vita tua diligenter examina, quomodo impleueris eatenus vota tua, quæ promisisti, examussim pensa. Veruntamen sit tibi suspecta propriæ examinationis sententia, nisi te confirment etiam iudicia aliena. Horam semper cogita illam, in qua monasterium conuersionis causa primum in-

Masculæ & dignæ viro admonitio.

Monachus saluari nequit, nisi præstet vota.

greſſus es, vt quotiens à feruore ſanctitatis torpentem offenderis animum, ad priſtinum nouitiatus renouare queas inſtitutum, Cito poteris fieri monachus bonus, ſi obedientiam & humilitatem in omnibus ſemper vbique cuſtodieris. Obedientia monachi vera multas in eo virtutes congregat; humilitas autem ne defluant congregatas ſeruas. Omni tempore paratus eſto mandatis obedire paſtoris, & quantumcunque in agone certaminis ſancti profeceris, non extollas animam tuam in aliquam profectus æſtimationem. Quid enim ſunt iuſtitiæ noſtræ coram Domino? aut quid boni facere poſſumus quod ille non dederit? Quoniam DEVS qui eſt omnia in omnibus, ſibi ſufficiens & ſolus perfectus, bonorum noſtrorum, non eget, quippe qui eſt ſummum & incommutabile bonum, in cuius comparatione minus ſunt quam nihilum omnes iuſtificationes noſtræ. Monachus igitur ſub Abbate conſtitutus in humilitate veraciter obediens, ſecure graditur, & ſi perſeuerauerit vſque in finem pugnans & vincens, glorioſe remunerabitur. Vere delectat me, fratres, humilitas obedientiæ veſtræ, quam omnipotenti domino vt fideles exhibetis, nec me vobis in hac parte prælatũ intueor, ſed ſocium, & omnium veſtrum humilem quamuis inutilem miniſtrum. In his ergo, quæ veſtram concernunt ſalutem, non meam precor loquentem reſpiciatis perſonam, ſed omnium potius dominum communem, pro cuius amore me indignum hominem vobis præfeciſtis Abbatem. Ego enim vobis bene currentibus non ero moleſtus, ſi quis autem declinauerit à via veritatis, compellor obuiare pro viribus etiam inuitus. Semper cogitet monachus introitum ſuum ad cœnobium, & nunquam obliuiſcatur primum inſtitutionis ſuæ propoſitum. In omnibus quoque operibus tuis, ô monache, ſemper cogita, quoniam non es diuturnus ſuper terram, ſed in breui ab hac vita migraturus es, & quando forſitan non exiſtimas, moriturus. Cuſtodi ergo inuiolatum ſanctitatis propoſitum, & ſemper eſto vigilans in operibus bonis, vt cum venerit dominus & te vocauerit, inueniat præparatum. Memento quoniam peregrinus es in terra, nec habes hic manentem ciuitatem, ſed quemadmodum viator feſtinanter ad itineris terminum properat, ita mors ad te quotidie ſine intermiſſione appropinquat. Dum ergo ſanus es, diſpone domum conſcientiæ tuæ, vt mortem non timeas, quoniam raro bene moritur, qui non vt quotidie moriturus præparatur. O quam ſecure de hac vita monachus egreditur, qui conſcientiam in omni puritate cuſtodiens mundam, ad integritatem regulæ ſanctiſſimi legislatoris noſtri vſque ad mortem ſine reprehenſione omni tempore conuerſatur. Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM quaſi præſentem, immo nuſquam abſentem, mens tua iugiter habeat in memoria, & non tranſeat hora, in qua patientem pro te cum gratiarum actione non cogites. Sta in humilitate & vera obedientia, & nulla tibi vnquam præualebunt contraria. Quemadmodum arbor multas & magnas radices in terra mittens, non facile de loco ſuo euellitur, ſic monachus charitatem & obedientiam in humilitate cum cæteris virtutibus poſſidens, nequaquam à dæmonibus ſuperatur. *Hebr. 13.*

Obedientia magna virtus eſt fratres, quæ menti cæteras virtutes inſerit, inſertasque per humilitatis miniſterium cuſtodit. Ipſe Dominus noſter IESVS CHRISTVS, qui factus eſt pro nobis obediens vſque ad mortem crucis, corda veſtra per gratiam ſuam illuminet, & mentes veſtras ad obſeruantiam regularis vitæ omni tempore dulciter inflammet, qui viuit & regnat cum DEO patre in vnitate ſpiritus ſancti DEVS per omnia ſæcula ſæculorum, AMEN. *Phil. 2.*

De continentia & vera caſtitate.

HOMILIA XXI.

MAXIME optarem, fratres mei chariſſimi, eam me gratiã conſecutum à Deo, qua vobis paſtor dignus & idoneus opere ſimul eſſem & ſermone. Scio enim, nec me fugit, quã periculoſa res ſit homi-

homini iuueni & inexperto, qualis ego sum, regimen animarum, quando is, qui nec dum semetipsum dirigere & gubernare ad iustitiæ normam didicit, accedere ad aliorum magisterium præsumit. Erubesco in medio vestrum os meũ aperire ad docendum, qui breui tempore discipulus, ante maturitatẽ cogor esse didascalus. Verum quoniam ita placuit vobis, & voluistis me iuuenem habere magistrum, parcite mihi, quoniam necessitas me compellit cõmissum pro viribus adimplere officium. Vestris mihi subuenite orationibus precor fratres, vt vires, quas ætatis imperitia denegat, DEI miseratio impendat. Cupio.n. vos coram Deo ambulare in omni puritate mentis & corporis, vt ei complaceatis, cui vos ab initio tradidistis. Ducẽ itineris assumpti ad cælum intueamini dominũ nostrum Iesum Christum, qui natus de virgine Maria semper pudicissima, mẽtis & corporis perfectissimam castitatem perpetuo conseruauit. Hunc sequamini præceptorem, in cuius militiam manus consecrastis, vt non solum corpore seruetis indictam vobis continentiam, sed etiam mente lucidam super sapphirum & carbunculum custodiatis perpetuo castitatem. Castitas enim virtus pulcherrima

Castitas cũ primis monachos decet.

præcipue decet claustrales, per quam sub iugo rationis impetus omnis refrenetur libidinis, & furia extincta vitiorum habitudo corporis seruetur totius honestatis. Monachus incontinens & lasciuus, qui spurcam carnis libidinem sequitur, cum dæmonibus, qui recesserunt à Domino, computatur. Tria sunt enim sine quorum obseruatione perpetua, nemo inter monachos censetur nominandus. Horum primum est humilis & veræ subiectionis obedientia; secundum, omnis abdicatio proprietatis, vt præcipit regula, tertium perpetuæ continentiæ & castitatis inuiolata custodia. Quodlibet istorum violauerit monachus, ordinis sui propositum corrupit. Duobus castitas sustentatur comitibus, ieiunio, videlicet, ac temperantia, quibus si aliquando destituta fuerit, cito proculdubio labascit.

Castitatis laus.

Castitas, monachorum ornamentum est maximum, qua decorati ad consortium introducentur Angelorum. Castitate nihil est pulchrius, quæ conceptum de immundo semine facit mundum: de hoste quoque efficit domesticum, & de homine terrestri Angelum. Castitas virtus est omnium virtutum speciosissima, quæ dum pro Christi amore vsque ad mortem seruanda promittitur, inæstimabili præmio remuneratur. Castitas Angelorum societati est proxima, & summa Christianæ mẽtis medicina. Castitas est Iesu Christi æterni regis amabile domicilium, & futuræ incorruptionis mirabile principium. Castitas est plenitudo cælestis gratiæ, per quam redintegratur omnis corruptio naturæ. Castitas est virtus omnium potentissima, per quam in vase fragili mirabili certamine vincitur natura. Castitas vitam imitatur angelicam, & nescit in medio luti aliquam maculæ conspersionem. Beatus homo, qui veræ donum castitatis à Domino Deo suscipere promeruit, & ipsum inuiolatum vsq; ad mortem in humilitate Christiana custodiuit. Castus est, qui amore Iesu Christi mente & corpore purus, ab omni carnis coinquinatione se abstinet, qui feruore sancti spiritus in charitate DEI dulciter ardet, qui nihil omnino concupiscit in hoc sæculo, qui esse & viuere semper desiderat cum Christo. Castus est, qui memor professionis militiæ spiritualis motus carnis ratione comprimit, & omnes prurientes libidinis scintillas mox à principio fortiter restringit. Castus est, qui mox vt cogitatio carnalis mentem pulsare cœperit, diuinum cum lachrymis implorat auxilium, nec quiescit à precibus donec incendium prurientis ardoris penitus senserit extinctum. Castus est, qui fugit omnem materiam & occasionem luxuriæ, qui pepigit fœdus cum oculis suis ne quidem cogitet de fœmina, & ponit custodiam sensibus suis nequa ingerantur fœda vel impudica. Castus est, qui lasciuorum declinat consortia, & semper auertit oculos suos ne conspiciat vana. Castus est, qui omnium mulierum detestatur frequentiam, & qui suam fragilitatem cum timore & vigilantia omni tempore habet suspectam. Castus quidem est, qui mente & corpore naturam imitatur angelicam, & qui sanctis moribus nullam admittit corruptionem. Castitas donum est gratiæ, & non opus naturæ vel industriæ humanæ. Castitas monachum humilem Deo facit esse gra-

Castus quis.

Iob. 31.

tissimum, quoniam qui viuit in carne mortali sine corruptione, socius est Angelorum. Qui castitatem assecutus est veram, semper est humilis: & qui naturam eius intelligit, non sibi eius possessionem arrogat, sed domino qui dedit. Nemo enim castus viribus suis, quoniam naturam vincere homo fragilis non sufficit, nisi dederit ille qui naturam & omnia creauit. Nam quotiens natura per castitatem vincitur, Deus homini manifeste cooperatur. Habet autem ipsa castitas in pubescentibus difficile principium, quousque motus illicitæ cogitationis ducatur in contemptum. Castitas fornicationem, fugiendo potius quam concertando, exuperat, quoniam tot subtilibus armis luxuria circumcingitur, vt vltro sit declinanda priusquam congrediatur. Quotiens ergo cunque animus luxuriæ motibus tangitur, diujnum sine mora auxilium inuocetur, non detur immundæ cogitationi deliberationis spacium, sed mox vt sentiri cœperit, per obliuionis remedium ducatur in contemptum. Cum hoste fraudulēto, & qui semper vtitur insidijs, nulla sunt penitus commiscenda colloquia, & cum immundis cogitationibus carnis non sunt tractanda consilia. Enimuero nisi caput serpentis conteras, labitur: & nisi motus luxuriæ mox comprimis à principio, roborantur. Monet sanctus Christi Apostolus Paulus contra quælibet vitia pugnandum, fornicationem solam præcipit fugiendam. Materiam contra nos victoriæ circumferimus, propterea vult quod hostem fugiamus. Castitas ieiunio alitur, gula naufragatur. Vnde si castitatem diligis, ama ieiunium, vt necessarium habeat alimentum. Qui castus est, apis industriam sequitur: & qui vere est monachus, quasi omnibus floribus exornatus, cunctis virtutibus decoratur. Castus est, non omnis qui nescit luxuriam, sed qui in carne pura & mūda pro Christi amore solius, etiam mentis obtinet sanctitatem. Alioquin quid prodest domicilij puritas, si habitator sit fœdus & immundus? Habuit & virgines suas quondam Vestæ sacrificantes cæca gentilitas, sed quia non DEO vero pudicitiam corporum immolarunt, nec fidem rectam mente tenuerunt, cum suis dæmonibus quos coluerunt, in profundum inferni descenderunt. Castus est enim qui amore creatoris & carnem ab omni cohibet luxuria, & mentem sanctis virtutibus ipsi DEO immolat omnifariam decoratam. Extra fidem IESV CHRISTI hodie non est castitas vera, neque ad salutem æternam meritoria. Viue castus ô monache, conuersare purus & sanctus, & quamdiu manet in corpore spiritus, de luto non præsumas confidentiam habere castitatis. Cibus castitatis & ieiunium & abstinentia, & in omni actione salubris continentiæ firmamentum. Sed cum omnia fueris assecutus, noli confidere, quia de cælo lapsus est, quem scimus nihil manducasse. Maceratio corporis ad conseruandam pulchritudinem castitatis & necessaria est valde & vtilis, sed quantumcunque in vtraque profeceris, noli tibimetipsi confidere, sed vigilans semper & sperans in auxilium domini, time. Nisi enim continue & instantissime tenueris te in timore domini, cito subuerteretur domus conscientiæ tuæ. In vanum currit, qui castitatem suis viribus custodire præsumit.

Nisi enim dominus ædificauerit castitatis domicilium, frustra laborat qui abstinentiæ construit murum. Et nisi tu viribus totis gratiæ diuinæ cooperator extiteris, castitatis pulchritudinem nullatenus obtinebis. Neque enim castum te faciet Deus sine tua voluntate, neque tu donum hoc magnum consequeris, nisi succurrat ille per suam miserationem tuæ infirmitati. Tuum ergo fuerit, ô monache, in bona voluntate castitatis offerre desiderium, & in humili confidentia certum à Domino expectare incrementum. Adhibe tuum, & non deerit domini auxilium. Castitas donum est gratiæ, non naturæ, & præter carnem in carne viuere, angelicæ fortitudinis est, non humanæ. Veruntamen non est difficile seruare castitatem homini bonæ voluntatis, qui maxime segregatur à tumultu seculariū, & viuit solitarius in medio monachorum. Monachus etiam, qui iuuenis & innocens bonæ reformationis cœnobium ingreditur, si mentem suam in timore domini continue occupauerit, minus à luxuria impugnatur.

Vincēda libido omnis, non pugna, sed fuga.

1. Cor. 6.

Amasca-stitatem, ama & ieiuniū.

Eccl. 2.

Castitas maximè donum Dei.

Perni-

Pernicioſa enim eſt libidinis experientia, quoniam ſicut quidam veraciter dixit, *vincere vult animos non ſatiare Venus.* Monachus autem propriæ ſalutis ſtudioſus amator, libidinis ardorem de facili poteſt extinguere, ſi ocium & ſaturitatem fugiens, in ſpirituali exercitio ſe cõtinue voluerit occupare. Inter omnia quippe vitia, nullum amplius & periculoſius caſtitatem impugnat, quam ſaturitas & ocium. Si hæc duo mala ſuperauerit monachus, caſtitatem facile cuſtodiet. Hinc ſanctiſſimi principes monachorum, cupientes amputare libidinis cauſas, victum nobis parcum ac tenuem conſtituerunt ad certam menſuram, quo corpus ſuſtentetur ad neceſſitatem, & non increaſſetur ad libidinem. Somni quoq; parcitatẽ monachis vtilem ſanxerunt, quia requies immoderata carnem non minus extendit quam gula. Ocium vero tanquam animæ pernicioſiſſimam peſtem longe voluerunt eſſe à clauſtralibus, partientes ſapientiſſime tempus, vt monachus nunquam inueniretur ocioſus. Audite hæc fratres & mente percipite, qui theſaurum magnum in fragili corpuſculo portatis. Ocium fugite, ſemper aliquid boni facite, vt quotiens tentator diabolus acceſſerit, vtiliter vos inueniat occupatos. Enimuero qui ocioſus eſt, inſidiis patet tentantis: qui autem occupatur in opere bono, aditum clauſit omnem inſidiis. Cõtinua igitur exercitatione occupãdus eſt animus, vt nunquam inueniatur ocioſus. Beatus ille monachus, qui mentem ſuam omni tempore in bonis exercitiis occupat, & nunquam in ſomno torporis & ignauiæ dormitat. Beatus eſt miles Chriſti ſpiritualis, qui ſemper in timore domini vigilat, & omnes inordinatos motus carnis ſtatim à principio refrenat. Veram enim caſtitatem illæſam cuſtodire non ſufficit, quiſquis cum immundis cogitationibus quaſi deliberans ludit. Primis motibus iniquarum cogitationum reluctandum eſt, quoniam vbi mora generat periculum, ſtatim fortiter eſt pugnandum. Semper eſt vigilandum contra ſalutis noſtræ aduerſarium, qui nunquam citius vincitur, quam ſi mox à principio ſuffocetur. Continua exercitatione opus eſt fratres, quia mens in ſanctis ſtudiis ſemper occupata, eſt quaſi turris altiſſima fortitudinis, in qua conſtitutus miles IESV CHRISTI vigilantiſſimus, nullas metuit inſidias hoſtilitatis. Obſecro vos igitur fratres mei chariſſimi, ne ocio tempus conſumatis, ne materiam in vobis vitiorum auxeritis, qui maligni ſpiritus aſtutias non ignoratis. Continentiam ſeruate in omnibus, & directricem virtutum temperantiam adhibete cunctis operibus veſtris. Semper cogitate quemadmodum oportet vos in omni religione & ſanctitate ambulare coram Domino DEO, in cuius verba iuraſtis, & ſic viuite, vt comparere in eius iudicio non timeatis. Monachi eſtis, in miniſterium Domini noſtri Ieſu Chriſti voluntaria promiſſione ſegregati de mundo, vnde oportet ſub neceſſitate ſalutis, altiorem & ſanctiorem vos cæteris conchriſtianis ducere vitam, & omnem carnis & animæ deuincere prauitatem. Oportet enim vos mente ſimul & corpore ſemper eſſe caſtiſſimos, & nulla corruptibilis carnis ſpurcitia maculatos. Monachus incontinens, apoſtata eſt: & qui carnem ſuam coinquinat ſpurcitia mulierum, ſimilis eſt violanti iuramentum. Lacus inferni, luxuria, & deſperatio* ſemper incontinentiæ eſt proxima. Monachus qui ſemel in foueam carnis labitur, raro ad veram compunctionem cordis inflammatur. Nam fornicationis vitium conſuetudine diuturna conualeſcens, de facili non vincitur, niſi contrariis remediis per violentiam emendetur. Maioris difficultatis eſt poſt lapſum carnis ad veram caſtitatem reſurgere, quam in habita continentia permanere. Facilius eſt à ſtatu rectitudinis in quodlibet vitium cadere, quam roboratum conſuetudine peccatum emendare. Nam, vt veraciter quidam ait gentilis, *facilis deſcenſus auerni, ſed reuocare gradum ſuperaſque euadere ad auras, hic opus hic labor eſt.*

Aeſtum libidinis quomodo extinguas.

Ociũ repugnat caſtitati.

Semellapſi vixre ſurgunt.

Virgilius. Aene. 6.

Conſideremus illos qui foueam hanc turpiſſimam inciderunt, & poſtea maiorum auctoritate ad pœnitentiam compulſi ſunt, quemadmodum in medio fratrum conuerſantur. Veræ compunctionis non habent ſigna, ſed in ariditate cordis vitam agunt inquietam. Nulla mentis deuotio apud eos conſpici-

tur, sed carnis vbique solatia sequuntur. O quam raro ad interni amoris dulcedinem conuertitur, quisquis in lacum fornicationis semel præcipitatur. Nisi enim priusquam in hanc miseriam deueniat, fundatus in timore domini fuerit, lapsus difficillime ad veram compunctionem recurrit. Sobrie igitur viuite fratres charissimi, & semper vigilate in orationibus sanctis, quoniam nisi cautissime in omnibus ambulaueritis, laqueos dæmonum nequaquam poteritis euadere. Abstinentiam diligite, humilitatem super omnia custodite. Nemo enim carnis suæ motus potest deprimere, qui gulam & superbiam contempserit edomare. Fornicationis insolens dæmonium nunquam melius vincitur, quam si vera cordis humilitas in plenitudine virtutum omnium conseruetur. Nam, sicut omnipotens Deus superbis resistens, humilibus dat gratiam, ita diabolus fugiens humiles, superbos præcipitat in fornicationem. Qui ergo gulosus ad satietatem manducans & bibens, vincere spiritum fornicationis desiderat, quasi oleum ad incendium portat. Et qui cum sola abstinentia luxuriæ motus contendit extinguere, similis est homini qui cum vna manu in medio fluctuum cernitur natare.

Non temere vere compunguntur, qui semel sese libidini permiserunt.

Iac. 4.

Nota simile.

* Coniungatur abstinentiæ continua ad DEVM oratio, & in naui sanctæ humilitatis secure nauigabitur. Semper sit in ore monachi oratio, & memoria passionis & mortis domini Iesu nunquam ab eius meditatione recedat. Nihil enim sic mētem aduersus dæmonem fornicationis confortat & animam, sicut deuota meditatio passionis domini & saluatoris nostri IESV CHRISTI. Quotiens ergo motum carnis inordinatum senseris, quotiens hostem adesse inuisibilem ad nocendum perceperis, mox ad pendentem in cruce filium Dei confugito, flexisque in terram genibus talis ad eum formetur oratio. OIESV crucifixe amor meus, per dolorem vulnerum tuorum miserere mei, per sanctissimi sanguinis tui effusionem adiuua me in isto certamine, & per virtutem innocentissimæ mortis tuæ libera me ab omni mentis & corporis contagione. Nihil hoc orationis modo salubrius, in qua passionis Christi memoria colitur, & in virtute saluatoris omnium petitiones solidantur. Nihil antiqui hostis insidias magis extenuat, nihil vires malignitatis eius citius infirmat, quam si deuotus Christi seruus in meditatione amarissimæ passionis domini humiliter perseuerat.

Oratio quoties libido mētem pulsauerit.

Quemadmodum fur quispiam fugit ante faciem iudicis persequentis, sic diabolus velociter euanescit à conspectu monachi meditantis cum attentione passionem & mortem saluatoris. Cito motus iniquæ cogitationis extinguitur, vbi passionis Christi amaritudo ad mentem reuocatur. Quemadmodum nix incalescēte sole resoluitur, ita diabol⁹ à meditatione passionis dominicæ fugatur. Maximum castitatis præsidium est, auxilium semper inuocare diuinum. Et nisi mox à principio tentationis recurras ad dominum, senties paulatim ex mora detrimentum. Nam si moram in cogitationibus perniciosis admiseris, insensibilem mox dæmones ingerunt cæcitatem mentis. Nisi enim mens prius excæcata fuerit, voluntas dæmoni non succumbit. Fornicationis verò spiritus mentem in primis grauiter obtenebrat, postea donec præcipitauerit in peccatum obcæcatum, oppugnat. Postea vero quam monachum in lutum nefandi sceleris præcipitauerit, ne consurgat iterum ad pœnitentiam, duobus se modis interponit. Aut enim peccati grauitatem subtiliter alleuiare conatur, vt pœnam grandem non metuat: aut districtionem iudicii lapso reducit ad memoriam, vt desperationis foueam incurrat. His laqueis capitur peccatrix anima, & quanto diutius iacuerit in in profundo miseriæ, tanto redditur magis obdurata. Fugite, ô claustrales, ocium, & gulam satietatemque ventris summopere declinate, quoniam monachus, qui ventrem cibo & potu satiat, fornicationis dæmoni materiam nocendi præstat. Cordis veram contritionem assumite, & illicitos motus carnis per lachrymas orationis refrenate. Nemo enim corpus suum recte vincere sufficit, qui contritionis aculeum prius non assumpsit. Ad sanctæ autem contritionis gratiam non potest pertingere, qui seipsum perfecte contempserit abnegare.

Principiis tētationis obstādum.

Quis-

Quisquis autem seipsum pro Christi amore perfecte abnegauerit, iam carnis impetum superans gratiam contritionis facilius consequetur. Nam qui voluntate mortificatus est, nihil carnale, nihil turpe cõcupiscit. Sed quis est nostrum, fratres, qui ad hanc mortificationis gratiam dicere se audeat peruenisse? Quis nostrum se nesciat infirmum? In stadio spiritualis militiæ currimus, & quotidiano certamine contra vitia pugnamus. Fiduciam pacis nullam accepimus, etiam si pacem interdum habeamus. Quanto nobis familiarior est infirmitas carnis, tãto sunt duriora prælia castitatis. Hinc nobis maxime vigilandum est quando hostem familiarem circumferimus, & quasi domesticum impulsorem mali sustinemus. Quousq; igitur in hac mortalitate viuimus, corruptorem castitatis semper timeam⁹. Caueamus omnia quę libidinem excitãt, & quantum possumvs, acediam & ocium fugiamus. Sunt enim vere castitatis fortissimi hostes saturitas panis & ocium, q̃ nisi per abstinentiam & operationem salutaris exercitii procul expulsi fuerint, proximum castitati minantur naufragiũ. Omni custodia serua te corda vestra, ò charissimi fratres mei, & contra nũquam dormientem aduersarium vestrum semper animo vigilate. Armate vos lorica perfectæ fidei Iesu Christi, quatenus opere & credulitate sitis veri Christiani. Omnes in fraterna charitate semper estote vnanimes, & in vera regularis disciplinæ obseruantia sine fictione concordes. Ieiunium & continentiam diligite, sine intermissione semper orate. Ocium velut animæ pestem pernicioſam fugite, & in sanctis operibus vos iugiter exercete. Amate silentium, & solitudinem monasticam nolite fugere, si veram mentis & corporis munditiam cupitis obtinere. Oculorum aurium & sermonum continuam habete custodiam, ne per fenestras mors ingrediatur ad animam. Mulierum alloquia fugite, & contactus etiam sanctarũ velut ignis incendium declinate. Nemo tuto libenter intuetur, quod mortis affert aculeum cupitum. Dominum nostrum Iesum Christum morientem pro vobis in cruce fidelibus oculis mentis per amorẽ semper aspice, in eius doctrina euãgelica vos salubriter quotidie occupate, passioni eius simul & morti gratias humiliter agite. Hæc si continuata perseuerãtia in vera simplicitate cordis vsq; ad mortem feceritis, confidimus quod sanctorum consortio eritis præmiandi.

De fraterna charitate monachorum.

Homilia XXII.

AVdiuimus, fratres mei charissimi, dominum nostrum Iesum Christum in sancto euangelio præcipientem: *Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.* Matt. 7. Breuis quidem, sed solida fraternæ charitatis commendatio, sine qua nemo ad Dei amorem potest ascendere. Nemo enim potest Deum diligere, qui conchristianum suum conuincitur non amare. Hinc B. Ioannes dicit apost. *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est, & scitis quoniam homicida non habet vitam æternam in se manentem. Vnde si quis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem suum odit, mendax est.* 1. Ioan. 3. 1. Ioan. 4. Propterea S. hortatur nos Christo philus Paulus dicens: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Galat. 6. Et princeps apostolorum ita nos admonet Petrus: *Ante omnia*, inquit, *mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habẽtes, quia charitas operit multitudinẽ peccatorum.* 1. Pet. 4. Quã sit necessaria fraterna charitas ad salutẽ, dominus vniuersorum Iesus Christus aperuit dicens: *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est primum & maximum mandatum. Secundum simile est huic: Diliges proximum tuum sicut temetipsum. In his duobus mãdatis vniuersa lex pendet & prpphetæ.* Luc. 10. Quicquid enim in tota serie scripturarum vsquam prȩcipitur, ad hæc duo mandata sine dubio refertur. Proximum hic non sanguinis necessitudine iũctum intelligimus, sed omnem hominem societate rationis, maxime vero Christianum, quem vnusquisq; tanquam seipsum iubetur diligere, cum quo æternam salutẽ cernitur expectare. Vos autem, fratres, maxime decet alterutrum in vera charitate saluatoris Iesu Christi diligere, quibus professio indicit monastica totis viribus ad perfectionis culmen anhelare. Nam sicut radix omnium malorum est cupiditas, ita radix omnium bonorũ est charitas. Deũ in primis propter seipsum, quia summũ 2. Tim. 6.

bonum est, super omnia corde puro debetis diligere, ac deinde proximum syncera charitate propter dominum amare. Hæc duo charitatis præcepta Christi auctoritate coniuncta sunt, vt alterum impleri sine altero nullatenus possit. Nam qui Deum veraciter diligit, proximum suum odire non potest. Si oderit proximum, non vere diligit Deum. Parit enim Dei amor dilectionem proximi, & per amorem proximi nutritur amor Dei. Si alter amorum defuerit, alter minime cõualescit. Nam qui proximum suum perfecte non diligit, se Dei amore vacuum ostendit. Tunc ergo Deum veraciter diligimus, quando proximum nostrum, hoc est omnem hominem Christianum syncera intentione diligentius amamus.

Charitatis vires.

Charitas namq; fraterna est vinculum pacis, quæ sola nutrit in habitatione cõcordiam, & conseruat inter fratres Christianam vnitatem. Charitas est genitrix mansuetudinis, & generosa mater catholicæ pietatis. Charitas fraterna dæmonibus est formidabilis, quoniam victoriosos facit omnes quorum circumplectitur atrium cordis. Charitas extinguit libidinis incendium, & omnem multitudinem operit peccatorum. Charitas hominem Deo reddit chariſſimum, & sanctorum socium facit angelorũ. Charitas in vnitate sanctorum conseruat ecclesiam, extra quam salutem nullus consequitur æternam. Charitas fraterna mores componit claustralium, & Deum habitare facit in medio monachorum. Charitas nulli facit iniuriam, sed omnibus ministrat auxilium per miserationem. Charitas exterminat omne vitium, quia nutrix est vnica omnium virtutum. Charitas fraternitatis reformationem in vigore conseruat claustralium, & magnam operatur salutẽ animarum. Charitas mutua confirmat obedientiam, & fructuosam facit fraternam correctionem. Charitas veram inter fratres nutrit concordiam, & tam mentium quam corporum bene redolentem conseruat castitatem. Charitas monachos in domo Dei facit esse vnanimes, & in omni bono opere laudabiliter concordes.

1. Pet. 4.

Charitas mutua rigorem ordinis alleuiat, & omnia quæ dura & aspera videntur carnalibus, per consuetudinem quasi leuissima quædam in naturam cõmutat. Charitas pulchritudo est monachorum pulcherrima, quæ cunctis est virtutibus adornata. Charitas odium & inuidiam de cœnobijs seruorum Dei penitus exterminat, & reliqua mortis crimina procul sua præsentia fugat. Charitas fratrum est spiritus sancti decens habitaculum, & serenæ conscientiæ fortalitium.

Charitas est ministra iustitiæ, & vnica in monasterio conseruatrix regularis disciplinæ. Charitas mentem à crudelitate seruat innoxiam, & placidam cunctis subministrat animi lenitatem. Charitas fraterna salutem quærit omnium, & non sinit habentem se torpescere ociosum. Charitas non detestatur inopiam, sed parata est fratrum amore omnem sufferre paupertatem. Charitas est aqua cælestis dulcedinis, quã si quis in feruore spiritus sancti potauerit, inferni perpetuam sitim non expaueſcit. Charitas fraterna, carnis non quærit illecebras, sed affectiones dirigit in proximũ puras, sanctas & impollutas. Charitas nomen habet castæ pulchritudinis, quod cõmunicari non potest rebus vel actionibus impurissimæ voluptatis. Charitas puritatẽ diligit atq; munditiã, & non admittit aliquam impuritatem. Charitas in operatione dilectionis non carnem proximi considerat, sed animam, quam ad imaginem Dei non dubitat esse creatam. Charitas fraterna piis admonitionibus delinquentem proximum erigit, & omnes actiones suas ab omni malitia puras & innoxias custodit. Charitas in pace & tranquillitate mentis ambulat, & neq; verbo neq; facto neq; signo proximum contristat.

Charitas quantum potest se in cunctis humiliat, & infirmanti proximo quasi Dei filio diligentissime ministrat. Charitas neminem temere iudicat, sed peccantem proximum mansuetissimis admonitionibus humiliter emendat. Charitas terribilis & metuenda est reprobis, sed pia & benigna mansuetis. Charitas aliena incommoda veluti propria computat, & pro fratrum tribulatione quasi patiatur ipsa plorat. Charitas omnibus in necessitate positis compatitur, & non minus pro malis alienis quam pro suis contristatur. Charitas proximo nihil improperat, sed infirmitates omnium pro

Dei

Dei amore ſemper æquanimiter portat. Charitas in bonis operibus eſt aſſidua,& quandiu manet in corde nunquam eſt otioſa,Charitas.nihil eorum ad quæ obligatur,negligit,ſed omnia quam diligentiſſime cuſtodit. Charitas fraterna legis eſt conſummatio,quoniam quicqd poſt Dei cultum præcipitur, ad dilectionem proximi refertur.Hinc S. Chriſti amator dicit: *Qui diligit proximum legem impleuit.* Rom. 13. *Nam non adulterabis, non occides, non furaberis,non falſum teſtimonium dices, non concupiſces rem proximi tui,& ſi quod eſt aliud mandatum,in hoc verbo inſtauratur, diliges proximũ tuum ſicut teipſum.Dilectio proximi malum nõ operatur.Plenitudo ergo legis eſt dilectio.* Itaq; fratres mei chariſſimi rogamus vos per dominum & ſaluatorem noſtrum Ieſum Chriſtũ qui iudicaturus eſt viuos & mortuos,quatenus fraternam charitatẽ ſemper cuſtodiatis illæſam, ſine qua nec Deum veraciter poteſtis diligere, nec aliq; mandatum eius adimplere. Tam enim neceſſaria eſt vobis ad ſalutem fraternæ charitatis cuſtodia,quam corporibus ad vitam conſeruandam ciborum & potus alimenta. Corpus namq; ſine nutrimento neceſſario moritur, & omnes animæ virtutes ſine fraterna charitate diſſipantur.Charitas etenim fraterna multitudinem monachorum conſeruat in vnitate ſpiritus, quoniam ſine vinculo dilectionis mutuæ nullus clauſtralium perſeuerat ſine perturbatione conuentus. Monachus qui fratrem ſuum odio perſequitur,à Dei charitate procul elõgatur. Dicit enim S.euangeliſta Ioannes: *Qui odit* 1.Ioan. 2. *fratrem ſuum,in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quo eat,quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.* Amator autem proximi caſtus & prudens in lumine ſpiritus ſancti ſecurus ambulat,& nec ipſe perturbatur ab aliquo,nec quenquam alium perturbat.Eſt enim proximi verus amor mitis,dulcis ac pientiſſimus,&in omni conuictu ſuo manſuetus, pacificus atq; tranquillus. Dirigit tamen vigor diſciplinæ apud rectores manſuetudinem, & clementia fraternę conſiderationis pulchre temperat vigorem.Oportet enim, vt ſit alterum temperetur ex altero, quatenus nec vigor ſit rigid⁹, nec amor diſſolutus. Amator fraternæ charitatis viam iuſtitię non deſerit: & qui recte diligit proximũ ſuum,nihil corruptionis interponit. Verus namq; proximi amor, nec aurum cõcupiſcit,nec miniſtrantium requirit obſequia, ſed contemptis omnibus,quæ animi ſtatum ſubuertere poſſunt, ſolius animæ ſectatur incrementa. Non enim ſyncera eſt charitas proximorum, dona corruptionis appetere,aut more puerorum propter munuſculorum diſtributiones concurrentem affectu ſimilitudinis amare.Monachorum amicitia inter bonos eiuſdem propoſiti zelatores debet eſſe communis, & procul remota ab omni affectione carnis. Sit pura,ſimplex, recta,& ſine cuiuſquam iniuria durabilis, nec habeat in ſe quicquam ſuſpectæ conſpirationis.Non eſt hæc norma fraternæ charitatis,priuata conſolationis interdictæ conuenticula quærere, & ſine benedictione Prioris,furtiuis, immo prohibitis locutionibus vacare. Amorem veſtrũ proximo non recte,ſed potius pernitioſe impenditis,quotiens contra normam regularis obſeruantiæ ad carnis ſolatia cõuenitis. Dilectio monachi debet eſſe ſolida,& ab omni tranſgreſſione diſciplinæ regularis remotiſſima, quoniam niſi charitas muta fuerit à colloquiis carnalibus, ignem in ſe non habet diuini amoris. Examinate nunc, fratres, veſtra colloquia, etſi corda habeatis etiam in vera charitate radicata.Charitas enim,quæ conſolationes ſpiritui nocentes vel dat proximo, vel recipit, nunquam ſyncera fuit. Curate igitur mentis oculum, nõ ad carnis pulchritudinem,ſed potius ad animę contemplationem dirigere,ſi recte vultis proximum ac laudabiliter amare. Caro enim cum ſine reſpectu animæ diligitur, non ſyncera,ſed carnalis & impura dilectio generatur.

Vera charitas nihil quod corrumpi queat,moratur.

Conſidera fratrem tuum animam tibi habere conſimilem, & ſemper cogita,quoniam fœlicitatem ambo expectatis æqualem. Mente ſiue anima intelligimus, anima non corpore immortales ſumus.

Quod immortale eſt, alter iubetur in altero diligere, & ad animam potius, quam ad corpus reſpectum charitatis ordinare.

Nam,ſicuti ratione & intellectu à brutis animalib.diſcernimur, ita dilectionis noſtræ intuitus ad mentem qua intelligimus,non ad corpus, q; cum beſtiis habemus

mus commune, referatur. Procul sint à monachis sanctis omnes affectiones carnis, qui mutuam & sinceram nõ ignorãt regulam charitatis. Sit amor in alterutrũ purus, rectus, & Dei solius timore cõceptus, quatenus nullum interveniat commodum rei corruptibilis, sed permaneat simplex intẽtio charitatis. Charitas vero simplex & pura malæ conspirationis non quærit diuerticula, nec se armat cõtentionis murmure ad iniquitatis machinamenta. Qui veram charitatem fraternitatis in corde suo possidet, pacem custodit in omnibus & nullã excitat materiam vel causam pernicioſæ dissensionis. Charitas vnicuique ius suum impẽdens nulli facit iniuriam, & omne quod sibi non vult fieri, nunquam in alterius transfundit personam. Non existimetis vos veram charitatem habere fraternam, quando alterutrum diligitis intuitu carnis vel commodi rei cuiuslibet temporalis; quoniam, vbi causa dilectionis non est dominus, semper affectus diligentis est vel in parte vel in toto vitiosus. Recte autem diligit fratrem suum, qui diligit eum amore Dei, & propter communem, quã expectamus participationem regni. Propterea, vt sanctus Ioannes dicit episcopus, in vnum corpus baptizati sumus ecclesiæ, quatenus non dissoluamur, sed in ea quæ adinuicem est conuenientia & amicitia corporis vnius charitatem & cõuenientiam mutuam perpetuo conseruemus. Quemadmodum nemo extra vnitatem ecclesiæ catholicæ salutem potest consequi, ita nullus sine fraterna charitate posse creditur saluari. Charitas ergo vobis ante omnia est ad salutem necessaria, sine qua reliqua virtutum opera penitus sunt infructuosa. Nihil enim boni esse potest, nihil meriti salutaris ad vitam, quod ex illa non duxit originem. Charitas via quædam est ad virtutis compendium, per quam si quis recto ingreditur tramite itineris, nulla egebit directione ducis.

Charitas vnum Deum respicit.

Chr. hom. 30. in 1. ad Cor.

Charitas pura simplex & recta, non proximum consueuit lædere, nec malum alicui inferre. Charitas affectum, quem commodis præstat propriis, impendere consueuit omnibus: & quicquid sibi ad salutem sperat conducere, hoc vniuersis hominibus in Christo Iesu cupit esse cõmune. Charitas absq; vlla perturbatione officio dilectionis vtitur, & cum omnes homines maxime diligat, pro nullo tamen ad zelum amaritudinis prouocatur. Semper est solida, semper constãs, semper stabilis & firma, quia nec passionibus tangitur, nec motibus inquietudinis agitatur. Communem se præbet omnibus, & ita suam dilectionem impendit singulis, vt tamen proxima videatur vniuersis.

Charitas in his, quæ pertinent ad rationem mentis & animæ, seipsam non negligit: in illis vero quæ commodum respiciunt corporis, sæpe causas aliorum propriis vtilitatibus præponit. Magnum est veræ charitatis imperium, quod alienum incommodum compellit hominẽ facere suum. Vos itaq; fratres mei, qui vos solemniter ad Christi præcinxistis militiam, qui per arduum iter obedientiæ ad vitam anhelatis æternam, si non vultis in tam laborioſi certaminis stadio frustra currere, curetis ante omnia hortamur fraternam in vobis charitatem semper inuiolabilem custodire. Nisi enim synceram & perfectam charitatem adinuicem habueritis, sine fructu in obseruantia regulari laboratis. Nihil vobis abstinentia ab esu carnium ad animarum salutem conferet, nihil abdicatio peculii omnis ad æternæ fœlicitatis adeptionem proficiet, si locum in cordibus vestris fraterna dilectio non tenet. Cupientes ergo saluari cum Christo, in veritate vos mutuo diligite, & sicut Christus dilexit vos, ita precamur alterutrũ amate. Quod sibi fieri vnusquisq; vestrum desiderat, hoc ipsum fratri suo sine inuidia propter Dei amorem omni tempore impendat. Vincat in vobis omnia carnis iurgia & quaslibet contentiones amor diuinus, nec inueniat locum pernicioſa carnis dissensio, vbi commorari iugiter debet fraternæ charitatis plenitudo. Nam si omnes in monasterio secundum legem Christianæ institutionis viuitis, alter ab alterius læsione necessario semper abstinetis.

Si vero per contentiones & iniurias mutuo vos læditis, nec monachi certe nec veri Christiani estis. Decet enim claustrales & monachos omnes, in obseruantia charitatis esse præcipuos, ab inuidiæ odiiq; rancore longius esse remotos. Sit ergo monachus in proposito sanctitatis

tatis vsq; ad mortẽ ſtabilis, ſit in Dei miniſterio fidelis, quatenus & in amore creatoris dulciter ferueat, & nunquam á puritate conſcientiæ recedat. Quiſquis enim dominum Deum ex toto corde ſuo perfecte diligit, & conſcientiam ſuam ab omni pollutione peccati mundam conſeruat & puram, & ſynceram proximo ſuo ſemper exhibet charitatem. Eum vero quem vel inuidia vrit, vel odium contra fratrem excitat, manifeſtum eſt nec Deum veraciter diligere, nec puram à peccato conſcientiam habere. Omnis ergo qui fratrem ſuum odio & indignatione perſequitur, nec monachus eſt verus nec dignus nomine Chriſtiani, ſed merito & conuerſatione dæmonum miniſter & ſocius. Procul igitur hinc è ſancta congregatione veſtra cedant odia, nulla ſint in medio veſtrum contentionis pernicioſæ certamina, non reperiatur iſthic zelus amaritudinis, ſermo nullus audiatur diſplicentis elationis. Iugiter hic vigeat fraternæ vnitatis concordia, ſingulorum conſcientias exornet Chriſtianæ puritatis innocentia, vt ſic viuamus in hoc breui tempore, quatenus poſt mortem cum Chriſto gloriemur in æternitate.

De charitate hominis in Deum.

Homilia XXIII.

Nihil neq; iuſtius neq; vtili agimus quam cũ Deum diligimus.

Nihil tam iuſtum, nihil tam ſanctum, nihil in humanis actionibus tam poteſt eſſe honeſtum, quam Deum ex toto corde, & in tota mente, & in tota virtute ſuper omnia ſemper diligere, & pro eius amore nec mortem nec pœnarum quęlibet genera formidare. Nullius actionis maior in nobis eſt cauſa quam diuini amoris, quia cum Deus ſit auctor omnium, nihil eo diligitur iuſtius: & cum bonorũ cunctorum ſit maximum, eo nihil amatur fructuoſius. Prior Deus dilexit nos infimos ſummus, maximus paruulos, omnipotens infirmos. Nos igitur, fratres mei, dominum Deum toto corde, tota anima, totaq; virtute diligamus, à quo ſuauiſſime diligimur, qui nos non ſolum ad imaginẽ & ſimilitudinem ſuam cõdidit, ſed quod indicium eſt amoris maximi, per doctrinam & mortem vnigeniti filii ſui domini noſtri Ieſu Chriſti ad regnum æternæ felicitatis miſericorditer vocauit. Nunquã ſic tenerrime, dulciter & fortiter aliqua mater carnaiis dilexit vnigenitum filium ſuum, quemadmodum nos dilexit omnipotens Deus, qui non ſolum homo fieri ad noſtram eruditionem voluit, ſed etiã mortem ſubire in aſſumpta carne pro ſalute noſtra dignatus fuit. Nulla dilectio maior vnquam extitit, ſi recte penſiculemus quis fuerit qui tanta pro nobis tolerauit. Noſtri quippe amore liber à mortis debito, voluntarie moritur, & qui ab omni peccato ſemper immunis extitit, innocens & iuſtus pro noſtris peccatis volens condemnatur. Iuſtiſſima ergo ratione nobis præcipitur vt dominum Deum noſtrum ex toto corde diligamus, qui nos cum non eſſemus, ex ſola bonitate condidit: & cum periſſemus, miſericorditer liberauit. Omnium virtutum dilectio Dei eſt maxima, quoniam quicquid boni, quicquid virtutis in hoc mundo agitur, ſi non fit ex charitate in Deum, mercede vacuatur. Charitas in Deum, conſcientiam ab omni delicto purificat, quoniam is qui dominum Deum ſuum ex tota anima ſua & in toto corde & ex omni fortitudine ſua veraciter diligit, procul dubio nullum in ſua conſcientia locũ vitiis concedit. Cor enim quod amor Dei occupat, nulla vitiorum immundities ſubintrat. Theſaurus indeficiens eſt amor Dei, quæ ſi poſſidet, cunctis mundi locupletibus eſt ditior: quo qui caret, omnibus pauperibus eſt miſerior. Hinc ſanctus Chriſti dicit apoſtolus: *Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum*, quoniam nihil deeſt timentibus illum. Felix homo, in cuius corde præter amorem Chriſti nulla colligatio terrenæ dilectionis inhabitat, qui ad nullius hominis memoriam ſuſpirat, in cuius conſcientia puritas reſidet, & diuinus amor ſemper ardentiſſime feruet. Amate illum, ô fratres mei, qui amore veſtri deſcendit in virginis vterum.

Amor dei non poteſt conſiſtere cum peccato.

Rom. 8.

Illum ſemper portate in cordibus veſtris, qui vobis ſua morte aperuit cælum.

Sit in vobis omni tempore, fratres, vt mors fortis Chriſti dilectio, quatenus vita veſtra, Chriſti doctrinæ ſit conformis, & ſiquando fuerit neceſſarium, mori pro eius amore non timeatis, ſi-

Cant. 8.

tis, sicut ipse prior subire mortem pro nobis placide ac benigne dignatus est. Amor enim Christi monachum Deo facit proximum, & qui semper est feruens in charitate domini, consortium assequetur angelorum. Amor Christi facit hominē contra omnes dæmonum insultus esse fortissimum, & non minus in aduersis quam in prosperis longanimem simul atque tranquillum. Amor Christi docet mundum veraciter contemnere, & omnes delicias eius carnisq; solatia cuncta pro nihilo reputare. Amor Christi motus carnis illicitos cito deprimit, & menti castitatem purissimam inducit. Amor Christi mentem ad cælestia cum desiderio dulciter eleuat, & segregatam à terrenis in spirituali exercitio conseruat. Amor Dei omnia dura leuigat, & aspera, quoniam vbi Christus in veritate diligitur, tribulationes & quælibet aduersa pro deliciis computantur. Amor Dei semper in bonis operibus est assiduus, & nunquā est otiosus. Amor Dei contemnit præsentia, & mentem fortiter eleuat ad æterna. Amor Dei nec honores ambit, nec quærit diuitias, sed Christo coniunctus per desiderium, nihil omnino concupiscit præter illum. Amor Dei multitudinem peccatorum operit, & omnia delicta pœnitentibus remittit. Amor Dei est turris fortitudinis, cui nequeunt appropinquare omnes ministri diabolicæ prauitatis. Amor Dei est consummatio totius iustitiæ, & finis monasticæ disciplinę. Amor Dei perficit monachum, & facit eum in omnibus bonis operibus consummatum. Amor Dei est suaue iugum internæ dulcedinis, per quod eliminatur à mente omnis spurcitia terrenæ corruptionis.

Amoris diuina energia.

1. Pet. 4.

Amor Dei honorificat animas, & facit eas à cunctis sordibus puras & immaculatas. Amor Dei mentem in omnem cognitionem cælestium bonorum perfecte illuminat, ipsumq; affectum à cunctis immundis vanitatibus purgat. Amor Dei habentem se veraciter facit doctissimum, & in omni scriptura mirabiliter eruditum. Amor Dei monachum reddit cunctis hostibus formidabilem, & confert perseuerantibus angelicam potestatem. Amor Dei hominem defendit in periculis, quoniam quicunq; Deum veraciter diligit, nulla contraria pertimescit. Amor Dei habentem se in mortis hora securum facit ac tutum à dæmonibus, & coniungit animam cælestibus turmis. Amor Dei possessorem suum cælestem reducit ad patriam, & confert amantibus Deum gloriam sempiternam. Amor Dei omnium bonorum operum est maximum, & cunctarum virtutum in fide Christi vnicum fundamentum. Amor Dei vnguentum est optimum, in quo sanantur omnia vulnera languentium animarum. Amor Dei paupertatis & inopiæ est abundans remedium, & cōsolatio efficax supra omnem possessionē diuitiarum. Amor Christi omnem huius mundi doctrinam procul exuperat, & perfectissime habentes ad omnem scientiam saluti necessariam informat. Amor Dei spiritui sancto mansionem delectabilem in corde hominis præparat, eumq; perseuerantem in omni puritate conseruat.

Amor dei docet omnia.

Amor Dei omnium doctorum est velocissimus, quoniam quod carnales cū tempore discunt & multo studio, hoc spiritus sanctus Deum amantibus tradit in momento. Amor Dei scientiam dat paruulis, & rusticos doctiores facit eruditis. Amor Dei fortior est omnibus, & sua virtute dominatur vniuersis. Amor Dei solo verbo dæmonibus imperat, eosq; de obsessis hominum corporibus per crucis signaculum fugat. Amor Dei sanctis in cœlo spiritibus æternam beatitudinem contulit, quos gratia conditoris amantes confirmauit. Amor Dei homines in fide Iesu Christi baptizatos, in æterna fœlicitate beatificat, quia nemo ad consortium angelorum vnquam potuit pertingere, nisi quem Dei amor perseuerans probaretur inflammasse. Amor enim Dei solus est qui opera & bona facit, & meritoria, quoniam hoc solum Deus oblatum à nobis munus boni operis suscipit, quod flamma charitatis dignum in eius conspectu fecit. Quicquid extra charitatem agitur, indignum Dei conspectu iudicatur. Attendite nunc fratres mei admonitionibus nostris, & diligenter considerate quam necessarium sit vobis Deum super omnia diligere, si ad eius regnum peruenire cupitis, & in æternum feliciter cū eo triumphare. Nemo vestrum inanibus verbis seducat animam suam, vt credat se Deum veraciter diligere, cuius mandata

vel

vel contemnit, vel negligit custodire. Audistis dominum Iesum in sancto euangelio dicentem: *Qui diligit me, sermones meos seruabit.* Et sicut diuus papa Gregor. dicit: *exhibitio præcepti operis, probatio est indictæ dilectionis.* Tunc enim Dominum Deum nostrum ex toto corde veraciter diligimus, quando contemptis mundanis voluptatibus mandata eius omnia vsq; ad mortem perfecte custodimus. Item tunc eum super omnia diligimus, quando illius amore, non carne, sed secundum spiritum innocenter ambulamus. Veraciter Deum diligit, qui semper bonis operibus intentus, purum & immaculatum se ab hoc sæculo custodit. Ille autem dominũ Deum recte diligit, qui nihil in hoc mundo penitur concupiscit. Deum ex toto corde suo veraciter diligit, qui mundi honores, diuitias, voluptates, & omnia carnis solatia pro eius amore fortiter cõtemnit. Ille Deum in tota anima sua diligit, qui in obseruatione mandatorum eius omni tempore soliuitus, nihil eorum quæ illi sũt placita, facere omittit. Amor etenim Dei nihil negligit, sed omnia quæ mandauerit ille, diligentissime seruare & implere consueuit. Qui Deum in vera charitate diligit, legem prophetas & euangelium impleuit. Ex operibus igitur vestris dabitis testimonium si veraciter diligitis Deum: Omnis enim qui diuini amoris radium susciperе meruit, & magna & manifesta semper dilectionis indicia ostendit. Ignis quippe diuini amoris possidentem, in omnibus pium, castum, mansuetumq; facit atq; humillimum, & tam in aduersis quam in prosperis sine perturbatione semper in eadem mentis cõstantia tranquillum. Monachus qui Dominum Deum veraciter diligit, secundũ regulam sanctissimi patris nostri Benedicti mandatis seniorum semper in omnib. hilariter obedit, in duris & contrariis amplectitur patientiam, & veram vbiq; conseruat humilitatem. Amor Dei cunctis operibus bonis possessorem suum facit esse ditissimum, ipsumq; à vitiis quibuslibet procul reddit alienum. Amator Dei ad imperium obedientiæ non murmurat, in increpationibus se temere non extat, contra proximum suum felle amaritudinis non tangitur, nec læsus etiam perturbatur. Qui Dei verus amator est, vitã suam in omni puritate mentis & corporis conseruat irreprehensibilem, & non solum verbo, sed etiam opere & veritate feruentẽ in se demonstrat charitatem. Quicquid in mundo pulchrum, quicqd lasciuientis carnis petulantia blanditur, Dei verus amator totum constantissime despicit, & nihil aliud quam Christo placere, & cum illo viuere quantocyus concupiscit. Magna & incredibilis nescientibus est vis diuini amoris, quæ hominem semper impellit ad bene operandum, & nunquam sinit viuere ocioſum. Quid enim est aliud internusa mor Dei, quam dulcis ebrietas animæ? per quam homo à cunctis consolationibus mundi rapitur, & quasi nihil sentiat quid agãt mortales, in solo spiritus sancti conuiuio epulatur. Qui verus Dei amator est monachus, omnẽ mundi curiositatem mundialiumq; rerum sollicitudinem propter Chrlstum deposuit, & quasi non sentiat, omnes curarum punctiones animo transcendit. *Mihi*, cum apost. clamat, *mundus crucifixus est, & ego mundo.* O vinũ diuini amoris, quam dulciter inebrias, quam innocenter satias, quam sapienter infatuas, quam caste inflammas. Omnis enim qui tuo sapore inebriatus fuerit, ab omni tumultu carnalium voluptatum segregatus, in vmbra sancti spiritus dulciter quiescit. Propter nimiam spiritus ebrietatem carnalibus & mundanis aliena loquitur, & nihil ex ore eius Deo contrarium auditur. Hæc est vini spiritualis immaculata satietas, quæ per desiderium tanto magis extenditur, quanto diutius continuatur. O sancta & veneranda Christi amatoris simplicitas, quæ etsi multis qui terrena sapiunt, videatur esse stultitia, coram Deo tamen & omnibus sanctis eius maxima & vere summa est sapientia. Habeat mundus prudentiam suam, habeat honores, dignitates atq; diuitias, ego autem eligerem vnius simplicis monachi Deum veraciter diligentis meritum, quam totius mundi principatum. Amor Dei & summa voluptas est animi & semper castissima, cuius incendium mentem illuminat, & affectum suauiter inflammat. Amor Dei fons cælestis est gratiæ, quia mentem quam charitas Christi arando purificat, gratia sancti spiritus fructibus virtutum omnium fœcundat. Amor Christi omnipotentis Dei amicitiam hominibus conciliat, & volũtatem sum-

Ioan. 12. *G. hom. 30. in euã.* *Quis toto corde Deum diligat.*

Rom. 13.

Amor nihil aliud quam dulcis ebrietas animæ

Galat. 6.

Nota' saluberrimum votum.

mæ maiestatis mortalibus reuelet. Amor Dei monachum Deo facit acceptabilem quia non scientiam, non eruditionem, non eloquentiam requirit à nobis, sed charitatem. Monachus ergo qui se domino Deo publice immolauit, nihil debet curare nisi Deum, ne cor videatur habere diuisum, quoniam sicut Deus est vnus, ita amor in Deum non potest esse diuisus. Hinc sacer inquit præsul Aug. *Minus te domine amat, qui aliquid tecum amat, quod propter te non amat.* Sicut Deus perfectus est, ita etiam à nobis est tota fortitudine amandus, quoniam non recte diligitur, quotiens præter ipsum cum ipso aliquid amatur.

Aug. l. 10. confes. c. 29. Soliloq. c. 19. Deus solus vult diligi.

Amor Dei tunc recte progreditur, quando ei nihil quod eum debilitare possit, admiscetur. Vnusquisq; vestrum quantum potest, in tota fortitudine mētis suæ dominum Deum suum super omnia diligere studeat, quia solus in Deum amor est, qui vobis ianuam paradisi reparabit.

Quanto enim nunc Deum ardentius diligitis, tanto maiorem gloriam in patria cælesti recipietis. Felix ille monachus, in cuius conscientia præter amorē Christi, nullius occupationis imaginatio residet, qui vigilans nihil aliud quam Christum cogitat, dormiens Christum somniat, viuens & moriens ad Christum constantissime suspirat. O quam bene secureq; moritur, qui in exercitio diuini amoris semper fuit sollicitus, & in obseruantia mandatorum Dei omni tempore studiosus.

Solus enim Dei amor ad regnum cœlorum intromittitur, & quanto in diligendo mens fuerit feruentior, tanto merces in regno cælorū erit maior. Qui multum diligit, multum recipit: & qui nunc minus diligit, etiam tunc minus est recepturus in gloria. Quantum ergo quisq; potest ex toto corde suo & ex tota anima sua & ex tota fortitudine tantum diligat, quia nō tepide, non segniter Deus noster amandus est, sed feruenter sapienter & dulciter. Amor autem Dei spiritualibus crescit & augmentatur exercitiis, quemadmodum fomento lignorum ardens extenditur ignis. Enimvero si ligna subtrahantur, ignis extinguitur: & si spiritualia intermittantur exercitia, mox charitas naufragatur.

Amor dei spiritualibus exercitiis vires colligit.

Amor autem Dei verus nunquam est ociosus, sed omni tempore in his quæ charitatem nutriunt & conseruant, delectabiliter occupatus. Amor enim Dei, sui amati nunquam obliuiscitur, sed eius præsentiam & pulchritudinem semper meditatur, & iam in orationibus deuotissimis ad Iesum loquitur, iam in scripturis sanctis loquentem illum sibi admiratur. Verus Christi amator die ac nocte meditatur in lege domini, & omnia quæ Deo placere intelligit, cum summa diligentia facit.

O quam dulciter ardet, quem DEI amor veraciter inflammauit? quam leuiter æstuat, cuius mentem spiritus sancti flamma incendit? Beatus monachus, qui plenus diuini amoris à terrenis vanitatibus se totum subtrahit, & in vmbra cælestis desiderii quiescit. O si amorem habe- * remus ad Deum tam fortem, integrum & vehementem, sicut insani & stulti amatores ad suas possident corruptibiles amatrices, quarum desiderio frequenter æstuantes, turpiter insaniunt, & nulla huius mundi scandala pertimescunt. Amor autem Dei fortior est omnibus, si fuerit in nobis veraciter radicatus. Quicunq; Dominum Deum veraciter diligit, semper in memoria sua retinet eius amarissimam passionem, quia nihil ita perfectum in corde hominis Dei causat amorem, nihil sic veram inducit compunctionem, * sicut beneficiorum Dei nunquam intermissa recordatio.

Semper itaq; sit in memoria passionis Christi conscripta series, & hoc verbum de ore tuo nunquam recedat: O Iesu crucifixe amor meus, per innocentissimæ mortis tuæ virtutem miserere mei, & fac me seruum tuum fidelem.

Amabis Deum si ex corde frequenter apud te repetes quanta pro te & fecit & passus est.

De serenitate conscientiæ.

HOMILIA XXIV.

MAgna nobis solicitudine vigilandum est fratres charissimi, & continua meditatione curandum vt conscientiam nostram, cuius testimonium subterfugere nō possumus, ab omni cōtagione peccati mūdā semp & imaculatā custodia mus.

mus. Nihil enim pulchrius, nihil iucundius, nihil deniq; precioſius conſcientia bona, quoniam vbi mens rectitudinis in ſe ſuæ manifeſtum habet teſtimonium, nullum inquietudinis perniciosæ patitur remorſum. Conſcientia recta & bona eſt incredibile mentis tripudium, & certum in omni aduerſitate ſolatium. Monachus qui bonæ conſcientiæ aſſecutus eſt teſtimonium, nec videre quidem recuſat, nec mortis futuræ metuit aduentum. Bona conſcientia ſemper eſt læta, ſemper iucunda, ſemper intrepida, & in pace Ieſu Chriſti veraciter tranquilla. In bona conſcientia ſemper eſt pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honeſtas, gaudium, lætitia, dulcedo, & ſine diſſolutione iucunditas. Conſcientia gazophylacium eſt animæ, quoniam quicquid in ea reponitur, ad commeatum futuræ vitæ reſeruatur. Conſcientia bona theſaurus eſt optimus, quem ſi quis habere neglexerit, omnium hominum miſerrimus & infeliciſſimus eſt iudicandus. Conſcientia bona ſpiritus ſancti eſt habitaculum, & paradiſus terreſtris omnium gratiarum. Conſcientia bona impiorum detractiones non metuit, & mens recti conſcia famæ mendacia contemnit. Conſcientia bona ſemper eſt hilaris: & qui operatur iuſtitiã Dei, non eſt inutiliter triſtis. Conſcientia bona ſemper in amore Domini proficit: & qui viuit innocenter, periculũ non pauebit. Conſcientia bona cum omnibus habet in Deo pacem & concordiam, & ſuam curat in humili ſimplicitate ſalutem. Conſcientia bona confirmat animam: qui autem aſſiduus eſt in malis, corruet in deſperationem. Conſcientia bona confidenter increpat ſtolidum: qui vero malus eſt, amarum conſeruat ſilentium. Conſcientia bona lætificat animã: qui vero ſibi malorum eſt conſcius, continuam patitur mentis deſolationẽ. Conſcientia bona tuto reprehendit impium: qui autem rectitudinis amiſit teſtimonium, ſemper timet redargutionem. Conſcientia bona pulcherrimus ornatus eſt animæ: & qui non curat in hac vita ſapientiam in egeſtate morietur. Conſcientia bona virtutum eſt domicilium, & vera manſi cæleſtium arcanorum. Conſcientia bona totius eſt philoſophiæ conſummatio, & omnium ſcientiarum plenitudo.

Conſcientia bona dotes.

Conſcientia bona virtutum doctrix eſt optima, & diſciplina omnium ſtudiorum conſummata. Conſcientia bona fructum ſanctitatis fert optimum & ſtans fundata in timore domini, nullum admittit peccatum. Conſcientia bona cunctis mundi opibus eſt precioſior, & omnibus deſiderabilib⁹ quæ in hac vita poſſunt haberi, multum ſuauior. Conſcientia bona Chriſtianæ perfectionis eſt meritum, & futuræ felicitatis humiliter præſumptibile principium. Conſcientia bona virtutum ager eſt fertilis, & odor paradiſi Dei dulcis atq; ſuauis. Conſcientia bona huius vitæ comes eſt dulciſſimus, & mediator inter Deum & hominem glorioſus. Conſcientia bona dæmonibus multum eſt formidabilis, ſed amica placens angelis ſanctis. Conſcientia bona morientem ſecurum facit contra inſidias dæmonum, & commeatum habere meretur angelorum. Conſcientia bona timet apparere in conſpectu iudicis, nec ſyndereſis iudicium metuit accuſantis. conſcientia bona ſpem habet in Deum, & ſine hæſitationis inquietudine optimã confidentiam, quoniam qui ſe nihil mali commiſiſſe meminit, ad examen iudicii confidenter venit. Conſcientia bona copioſe à Domino Deo remuneratur, & in gaudium ſempiternum commutatur. Conſcientia bona eſt, non quæ nihil mali perpetrat, ſed quæ pro Dei amore mũditiam conſeruans ab omni peccato, bonorum quoq; operum exercitatione omnium ſe decentiſſime ornat. Conſcientia enim bona ſecundum prophetæ monitionem à malo penitus declinat, & bonum ſtudioſiſſima intentione ſemper & & continue operatur. *Pſalm. 33* Conſcientia bona maxime decorat monachum, eumq; facit à ſæcularibus actionibus procul alienum.

Conſcientia bona Dominum Ieſum in ſimplici puritate ſequitur, & nullis errorum maculis inquinatur. Conſcientia enim quæ bona eſt, & quamdiu bona eſt, non poteſt eſſe erronea, ſed manet ſemper in veritate ſancti ſpiritus fundata.

Conſcientia vero quæ fuerit erronea, non eſt bona. Error enim & veritati repugnat, & nullatenus cum bonitate participat. Conſcientia autem errante periculum eſt proximum, & valde *Error in conſcientia vnde.*

præceps descensus ad infernum. Sũt multi inter claustrales infirmi, & nimium imbecilles animo, qui conscientiarum suarum non semper recto diriguntur iudicio, causis variis præoccupati. Et sæpe quidem conscientiæ vel paruus vel magnus error consurgit ex ignorantia, quotiens videlicet dubitat minus in spirituali exercitatione peritus, bona sit via quam considerat in animo, an mala. Quis enim recte ambulans in sua simplicitate intelligit omnia? In dubiis, maiorum sunt requirenda consilia, & quod illi decreuerint, monachus non dubitet amplectendum pro veritatis sententia. Aliquando conscientia errat ex negligentia, quando monachus negligit semetipsum per examen orationis discutere, & non laborat in dubiis veritatem indagare. Hinc error in cõscientia perniciosus oritur, per quẽ ratio paulatim obnubilatur. Frequenter etiam superbia conscientiam facit erroneam, & à cognitione veritatis procul alienam. Superbus enim quamuis se nescire intelligat, sapiens tamen & doctus videri ab omnib⁹ appetit, propterea fateri ignorantiam suam erubescit. Nonnunquam vero error conscientiæ de singularitate oritur, cui præsumptio semper admixta perhibetur. Et hæc pestis frequenter infesta est monachis, & his qui sanctitatem profitentur sine fundamento necessario humilitatis. Quis enim quæ vias singulares graditur, citius à lupis capta strangulatur. Aliquando etiam affectus nimium inordinatus conscientiam in errorem præcipitat, quando scilicet homo plus quam expedit, suam voluntatem amat. Quisquis enim affectu propriæ sensualitatis ducitur, frequenter in veritatis iudicio excæcatur. Hinc fieri non est dubium, quod multi conscientias habent erroneas, quia nimium diligunt carnis propriæ voluptates. Omnis autem superbus, luxuriosus, immundus & magnis vel publicis sceleribus innodatus, conscientiam suam studiosa peruersitate obnubilat, & quam erroneè de futura retributione meritorum sentiat, & verbis & operibus frequenter manifestat. Affectus malitiosus rectitudinis peruertit iudicium, & carnis inordinata concupiscentia obnubilat intellectum. Aliquando insuper conscientiam facit errare nimia & immoderata pusillanimitas, quod malum partim ex ignorantia nascitur, partim ex sensualitate propria generatur. In hac autem scrupulositate monachus vel abbatis vel senioris alicuius magis experti sequatur consilium, & temere non defendat proprii capitis sentimentum. Periculosa est scrupulositas, quia conscientiam in errorem præcipitat, & multos infeliciter supplantat. Omne quippe quod contra conscientiam agitur, ad infernum ædificare perhibetur. Nimia etiam perplexitas animi pluribus nocuit, eosq; in varios errores præcipites dedit. Qui autem vere monachus est humilis, ad examen se confert sui rectoris. Nam quicunq; superioris sui consilio in dubiis occurrentibus vtitur, non facile dæmonum insidiis supplãtatur. Conscientiæ enim monachorum, quanto magis prælati sapientis discussioni expositæ fuerint, tanto securiores ac magis lucidæ nitescent. Curandum igitur in primis fratres charissimi, vt conscientias habeatis ab omni errore liberas, ac deinde à cunctis vitiis puras, & postremo virtutum omnium sanctis operibus decoratas. Omni ergo custodia seruet cor suum monachus in veritate cupiens proficere, & quantum fieri potest, clausuram sensibus adhibeat, nec aliquid mortiferum ingredi permittat. Quod si qualibet occasione se in aliquod peccatũ cecidisse cognouerit, mox illud per veram pœnitentiam delere studeat, nec tempus concedat semini prauo, quo in deterius conualescat. Dum paruum est vulnus, adhibeatur remedium, quoniam si negligitur, crescit in immensum. Primis igitur motibus dæmoniacæ suggestionis fortiter fratres mei resistite, & hostẽ, quando paruus & infirmus est, superate. Si vero corporis sensualitas omnino lasciua fuerit, dura maceratione reducatur ad obedientiam, quemadmodum diuum patrẽ nostrum Benedictum fecisse nouimus, cum lubricam carnis petulantiam, vrticarum vepriumq; punctionibus extirpauit. Deniq; si horrendas impiorum futuras pœnas ad memoriam sedulo reuocaueris, illicitos motus carnis facile superabis.

Pusillanimitas in conscientia vnde oritur.

Venienti occurrendum tentationi, idque quo modo.

Greg. l. 2. dial. c. 2.

Nemo enim est qui non plus dolorem timeat, quam diligat voluptatem. Gaudia quoq; supernæ felicitatis, ad quæ peruenire desideras, ad mentem sæpius reducito, quoniam si ea fideliter cogitaueris,

Magis timetur dolor, quam diligatur voluptas.

sæpius reducito, quoniam si ea fideliter cogitaueris, carnis incendium fortiter mitigabis. Quicquid in mundo delectat, corruptibile & momentaneum est, æternæ autem voluptatis gaudia sine fine permanent in æternum. Stultum est ergo & extremæ dementiæ, transitorium commodum eligere, & illud bonum quod in æternum manet, contemnere. Stultus apud homines iudicatur, qui auro præfert scoriam, sed insipientissimus apud Deum habetur, qui bonis sempiternis temporalem anteponit voluptatem. Qui serenam conscientiam diligit, ocium fugiat, quoniam sicut scriptura dicit, *in desideriis* *Eccle. 33.* *est omnis ociosus, & multam malitiam docuit ociositas.* Occupandus est bonis exercitiis animus, & sanctæ cõuersationis qui charitate ferueat ignis vsu continuo nutriendus. Ociosus enim nec sibi viuit nec proximo, sed ventri semper est deditus aut somno: mentem aperit vitiis, & clausam vacuamq; tenet virtutibus. Ociositas incentrix libidinis, cito extinguit feruorem spiritualis deuotionis. Abstinentia quoq; monacho valde in primis est necessaria, vt conscientia permaneat mun- *H. ep. 22.* da. Nam, vt diuus Hieron. *repletus venter* *Prou. 29.* *facile despumat in libidinem, & qui seruum suũ nutrit delicate, sentiet eum contumacem.* Amator serenitatis conscientiæ, in sanctis orationibus sit continuus, quoniam sicut canis lapidem, ita dæmones fugiunt deuotam & continuam orationem. Acediam quoq; diligenter caueat simul & mentis tristitiam, moxq; vt aliquam serpere tentationem senserit, ad consolationem scripturarum habeat recursum, Enimuero mentem, quam Dei sermo repleuerit, turpis cogitatio non intrabit. Quicquid agimus, quicquid cogitamus, quicquid operamur, Dei semper sciamus adesse præsentiam, & inordinatam facile superabimus delectationem. Conscientia bona Dei præsentiam nũquam obliuiscitur, sed iudicem semper adesse suum meditatur. Agite nunc fratres mei, vt conscientias habeatis puras ab omni scelere: & si quis grauatum se in aliqua delicto senserit, per veram pœnitentiam sine mora reuertatur ad necessariam puritatem. Nisi enim conscientias omni tempore mũdas & bonas habueritis, apostatæ, non monachi viuitis.

De ad mortem præparatione continua.

HOMILIA XXV.

SVmma claustralium philosophia, fratres mei charissimi, continua est meditatio mortis. Hinc quidam sapiens vtilitatem considerans huius philosophiæ, quemlibet admonuit mortalem, dicens: *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Meditatio mortis hominem à voluptatibus carnis retrahit, & contemptũ omnium corruptibilium inducit. Meditatio mortis præsentia voluntaria paupertate despicit, & mentem ad futurorũ desiderium impellit. Meditatio mortis superbiam procul eliminat, & veram humilitatem in corde meditantis plantat. Meditatio mortis monachum circa obseruantiam regularis disciplinæ facit solicitum, & nunquam permittit esse ociosum. Meditatio mortis omnes mundi vanitates amputat, & mentem in summa temperantia conseruat. Meditatio mortis vanos & transitorios mundi honores facit contemnere, & nihil aliud quam futurum Dei iudicium cogitare. Meditatio mortis paupertatem huius vitæ non metuit, quoniam sempiternas diuitias toto desiderio concupiscit. Meditatio mortis omnia huius mundi aduersa pro Christi amore patientissime tolerat, quia nihil aliud quam supernam retributionẽ sperat. Meditatio mortis monachum facit humilem, & in cunctis mandatis rectitudinis obedientem. Meditatio mortis monachum quietum facit, & in congregatione stabilem, & cum omnibus in Christo bene concordantem. Meditatio mortis monachum quietum facit atque pacificum, & sine mentis perturbatione aliqua tranquillum. Meditatio mortis omnes dissolutiones & leuitates exterminat, & monachum maturum & salubriter tristem in omnibus præseruat. Meditatio mortis monachum facit solitarium, & in sanctis orationibus continue deuotum. Meditatio mortis accelerat pœnitentiam, & veram inducit compunctionem. Meditatio mortis desiderium ab omni vanitate subtrahit, & conscientiam serenam & purissimam custodit. Meditatio mortis hominem facit omnia huius mundi solatia contemnere, & ad exi- *Eccl. 7. Meditatio mortis quam plena frugis bona.*

tum se quotidie præparare. Meditatio mortis ocium docet fugere, & facit hominem in timore domini iugiter vigilare. Meditatio mortis nulli facit iniuriam, quia districtam semper metuit iudicii rationem, Meditatio mortis iracundiam & omnes motus inordinatos mitigat, quia dum se homo cito moriturum cogitat, mentem nihil extrinsecum perturbat. Meditatio mortis cor contritum facit & humilẽ, quia futurorum intenta memoria neminem permittit superbire. Meditatio mortis continua tutum in extremis facit exitum, quoniam ex multo tempore meditantem constituit præparatum. Meditatio mortis claustrales maxime decet ac monachos, quos omnium terrenorum abdicatio & ipsa professio regularis mundo iam fecit mortuos atq; sepultos. Meditatio mortis monachum facit in stadio spiritualis militiæ prudenter currere, & propositum sancti feruoris quotidie innouare. Meditatio mortis continua valde vtilis est claustralibus, quoniam & carnis vitia potenter reprimit, & nullum peruersis cogitationibus mentis aditum concedit. Dicit enim sanctus præsul Augustinus. *Timor de futura morte mentem necessario concutit, & quasi clauus carnis omnes motus superbiæ ligno crucis affigit.* Et sanctus ecclesiæ pugil Hieron. dicit: *Nihil æque tibi proficiet ad temperantiam omnium rerum, quam frequens cogitatio breuis vitæ, cuius finis certus est, hora vero incertius nihil est.* Meditatio igitur mortis omnem intẽperantiam corrigit, & mores meditantis pulchra varietate stabiles componit. Meditatio mortis veram præstat homini sapientiam, & summam in claustralibus perficit philosophiam. Nam & Platonis sententia fuit, omnem sapientum vitam *meditationem esse mortis*, propterea quod ea cõditione omnes nascimur, vt hinc rursus per mortem egrediamur. Dicit enim scriptura: *Omnes morimur & quasi aquæ in terram dilabimur, quæ amplius non reuertuntur.* Et sanctus Christi apostolus Paulus, *Statutum est*, inquit, *hominibus semel mori.* Meditatio necessariæ mortis continua facit hominem nunquam in terrenis rebus confidere, sed exitum suum in omni loco & tempore cum prouidentia expectare.

Aug. in l. 2. doctr. Christ. c. 7

Dial. de sapientia.

2. Reg. 14

Hebr. 9.

Meditatio mortis terminum viuẽdi semper in omni loco expectat, propter ea quod moriendi punctum penitus ignorat. Qui mortis futuræ quotidie meditatur aduentum, quanta potest diligentia omni tempore se disponit ad moriendum. Nihil enim morte nobis certius est, quamuis horam moriendi omnes ignoremus. Vnde charitates vestras, fratres, qua possum⁹ instãtia monem⁹, vt vos semper cogitetis morituros, taliq; vos prouidentia ad moriendum sedulo præparetis, vt cum venerit hora egredi non timeatis. Nemo vitam sibi polliceatur in hoc mundo prolixam, quia nihil sic decipit mortales, quomodo spes æui longioris. Quid enim operatur in hominibus prolixior ætas, nisi quod pluribus delictis facit obnoxios, & ad moriendum semper minus dispositos? Quanto viuimus in hoc mundo diutius, tanto mortem amplius formidamus. Accumulat longior ętas maiora spiritualis obligationis debita, & tanto venire ante conspectum districti iudicis homo senex amplius metuit, quanto se pluribus ad reddendam rationem obligatum coram domino recognoscit. Animus enim de corpore suo inuitus egreditur, qui conscientiæ suæ grauioribus stimulis agitatur. Qui autem ab omni malitia iniquitatis est purus, & necessario decore virtutum ad salutem ornatus, mori non metuit, quia per mortem ad vitam sempitèrnam vadit. Qualis ergo mori vis, ô monache, talis nunc viue, quia mala mors esse non poterit, quã vitæ bonæ integritas præcessit. O quam secure moritur, quisquis Dominũ Iesum super omnia diligit, & omnia huius mũdi bona pro illius amore contemnens, eius sermones veraciter custodit. Securus ab hac vita egreditur, qui sine macula conscientiæ semper in Dei amore conuersatur.

Satis diu vixit, qui vixit satis bene.

Securus quis moritur.

Secure moritur, cuius vita nullis huius mundi voluptatibus inquinatur. Mors enim sanctorum, somnus est dulcissimus, & ad vitam æternam tranquillus introitus.

Mors autem peccatorum pessima, quorum vita mala, & diuinis institutionibus præcessit contraria. Qui viuit in peccatis Deo contrarius, fit illi mors ad infernum horrendus introitus. Male non moritur qui bene vixit: & raro bene moritur, qui semper male vixisse demonstratur.

Securus

Securus moritur, qui Deum pura mente super omnia diligit, & se ab hoc sæculo nequam mundum omni tempore custodit. Mors bonis & rectis corde optabilis, quia terminum imponit exilio, & vitam reddit in cælo. Mors est relictio corporis, euersio tenebrosi carceris, & depositio sarcinæ grauis. Mors est præsentium malorum terminus, tristitiæ finis, & omnis sepulchrum terrenæ voluptatis. Mortem bona vita in fide & charitate IESV CHRISTI facit preciosam, & Dei seruo maxime optabilem. Curate nunc igitur, fratres, mortem sanctis præuenire operibus, & vobis facite virtutum studio iucundum, quod natura cunctis voluit esse necessarium. Mementote quoniam omnes necessario sumus mortales, & quando non putamus, ex hoc mundo transibimus. Nam, vt præsul quidam dixit venerandus, *tollimur è medio fatis vrgentibus omnes, & trahimur quo nos vita peracta vocat.* Quodcunque igitur possumus bonum operemur, fratres mei, dum tempus habemus, ne mortis præuenti impetio, nos fuisse negligentes nimium sero doleamus. Tempus solum est nostrum, cætera vero aliena sunt omnia. Labor militiæ nostræ, spiritualis, & si durus aliquantulum tepidis mentibus videatur, tamen breuissimus est & cum vita cito terminabitur: sed merces bonorum operum, quæ dabitur nobis, manet in æternum. Meditatio cito futuræ mortis nunquam vos deserat, sed consideratione districti iudicij, quod nemo subterfugere potest, mentes vestras in Dei amore iugiter compungat. Ecce quot monachi nos in hoc Spanhemensi cœnobio per annos ferme quadringentos à prima fundatione sui viuendo & moriendo præcesserunt, quorum apud nos hodie nulla penitus supereſt memoria.

Quod nos sumus, illi fuerunt: quod illi sunt, post breue tempus erimus. Homines fuerunt mortales, quod sumus: mortui sunt & reuersi in puluerem terræ, quod erimus. Abbas ego sum huius monasterii Spanhemensis quintus atq; vicesimus, nisi quatuor & viginti præcessissent ad mortem, ego certe vicesimus quintus non peruenissem ad hanc Abbatiam.

Locum alteri quoque breui daturus sum, vt sextus atque vicesimus Abbatum numerus impleatur. Post illum rursus ordinabitur alius, & mors vnius institutio fit alterius, & dum alter succedit alteri, mortis imperio subiiciuntur vniuersi. Vbi sunt ergo, fratres, qui nos in hoc monasterio præcesserunt? Quemadmodum nulla eorum memoria est apud nos, qui præcesserunt, ita & nos in obliuionem erimus sempiternam apud illos qui sequentur. Hæc præcogitemus fratres chariſſimi dum viuimus, ne imparati mortem incidamus. Sicuti quotidie properamus ad mortem, ita quotidie pro viribus præparemur: quoniam securus moritur, qui bonis & sanctis operibus in vita decoratur. Non vos decipiat spes vitæ longioris, quoniam quanto diutius in hoc mundo viuitis, tanto breuius victuri estis. Ecce quotidie ad mortē tendentes morimur, quotidie vna pars vitæ nobis amputatur, & quanto vita nostra diutius protrahitur, tanto reliquum viuendi tempus abbreuiatur. *Aduersus spem vitæ longioris.*

Omne quod viximus tempus totum amisimus, quia præteriit: quod hodie viuimus momentaneum, cum morte diuidimus: quantum viuendi de futuro restet nobis temporis, ignoramus.

Quid igitur in vanitate huius vitæ confidimus, qui cito morituri sumus: Itaque assidue cogitemus fratres eo nos cito peruenturos, quo nos omnes maiores nostri dudum præcesserunt. Omnes hac lege nascimur, vt breui moriamur. Mors illis videatur terribilis, quorum vita in carnis voluptate tota polluitur, & nihil in cælo bonorum reseruatur.

Nos qui spem nostram in Dominum IESVM CHRISTVM saluatorem omnium collocantes, mundi voluptates pro eius amore contempsimus, mortem quare timeamus? Veruntamen cum omnium terribilium terribilissimum sit mors, indiscretum moriendi timorem ita propulsare poterimus, si nos quotidie quasi iam morituros præparemus. Aliud tamen est pauorem mortis habere, aliud tremorem.

Nam & Dominus IESVS pauorem mortis præsensit, non tremorem, vt duarum proprietates naturarum ostenderet. Meditatio igitur mortis continua nobis infirmis omnino est necessaria, vt mens nec dum in charitate Christi perfecta, quasi violento quodam impulsu ad compunctionis gratiam excitetur. Memoria enim futuræ mortis, quasi clauus qui ligno infigitur, ita mens pauore vtili penetratur. Memoria mortis arduam introducit pœnitentiam, & veram mentis sobrietatem. Memoria mortis necessaria est insipientibus, quorum conuersatio à seruili timore incipitur, vt per filialem successiue in charitatem eleuetur. Memoria mortis & districti examinis futuri iudicii Dei maxime illis est necessaria, qui mala consuetudine ac diuturna trahuntur ad peccandum. Et sunt inter vos quidam in militia spirituali nimis tepidi & negligentes, quos monentes exhortamur paterne, quatenus se recordentur esse mortales, taliterque viuant deinceps, vt mori non timeant. Valde enim periculosum est in eo statu viuere, in quo mori quis formidaret. Ita viuendum est, vt mortem expectemus securi: quod tunc demum fieri potest, si nos in omni puritate mentis & corporis conseruantes, in exercitis diuinæ charitatis iugiter ferueamus. Viuamus quantum fieri potest innocenter, secundum diui patris Benedicti regulã quam professi sumus, & spem habebimus bonam, quoniam miserebitur nostri omnipotens Deus, qui perire hominem non permittit bonæ voluntatis. Deum semper cogitemus nobis vbique præsentẽ, qui omnia videt, omnia nouit, omnia intelligit, omnia remunerat, & ea puritate viuamus, qua nos suæ maiestati sanctissime militare polliciti sumus.

FINIS.

Libri primi exhortationum ad monachos finis adest manu mea propria Ioannis Trithemij Abbatis Spanhemensis scripti 9. die Mensis Iunij. Anno Christianorum 1486. Indict. 4. Anno ætatis meæ 24. Hoc opus diuini anteceſſori meo nunc Abbati Selgenſtatenſi chariſſimo.

IOAN.

IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEIMENSIS SERMONVM, AD MONACHOS LIBER SECVNDVS.

Argumenta

SERMONVM LIBRI SECVNDI.

SERMO I. *Quod cautè sit monachis viuendum.*
II. *Quod sit ordinatio vitæ monasticæ bona.*
III. *Quæ sint veræ humilitatis indicia,*
IV. *De ardua via, quæ ducit ad vitam.*
V. *Quemadmodum sit fugiendum peccatum.*
VI. *De cognitione gratiæ spiritualis.*
VII. *De nouem ascensionis gradibus.*

EPISTOLA.

IOANNES Trithemius Abbas monasterij Spanheimensis licet indignus, reuerendo patri domino Ioanni de Colenhausen Abbati Selgenstattensi, quondam vero Spanhemensi, antecessori meo charissimo cum orationibus animum complacendi promptum atque paratum. Miseram nuper ad te præceptor venerande librum meum exhortationum ad monachos primum quinque & viginti continentem Homilias, quem postea quam tuo examine comprobatum intellexi, etiam hunc secundum quem nunc mitto, nomini tuo duxi confidenter inscribendum. In illo ad institutionem fratrum Homilias XXV. quas coram eis habueram, comportaui, in isto sermones numero septem, secundum ordinem quo dicti sunt in eorundem præsentia, ordinaui. Examen paternitatis tuæ subire non vereor, quoniam te præceptorem semper mansuetum habui, & veritatis syncerum amatorem dudum expertus sum. Ingenio quippe viges & miti & profundo, qui facile inter verum & falsum potes discernere, & vbi requirit necessitas, omnia sufficienter emendare. Vnde secundum innatam tibi mansuetudinem patienter feras ingenii mei ruditatem precor, qui & in scientia scripturarum sum paruulus, & in ordine prælatorum

latorum nouitius. Dabit mihi, sicuti confido, in scripturis exercitatio vsum, & continuata scribendi sollicitudo profectum. Occupatio rei familiaris & inopia loci sæpius me à salutari studio retrahunt, & animum contra voluntatis propositum aliorsum transponunt. Diebus tantummodo festis atque dominicis mihi ad scribendum conceditur ocium, in quibus ob Dei reuerentiam nullas soleo admittere causas rusticorum. Interdum etiam post decantatas ex consuetudine laudes matutinas, quod reliquum est noctis, studio literarum soleo impendere, & aliquod pro fratrum meorum institutione, prout possum, lucubrare. Cupio enim tua in omnibus sequi vestigia, & laudabilem docendi subditos consuetudinem, quam introduxisti, perpetuo, si possum, obseruare. Scio me ad hoc obligatum ex officio, & quamuis sum rudis & indoctus, libenter tamen volo pro viribus in discendo simul & docendo esse sollicitus: Sermones istos examini tuo subiicio, quos vt magisterij tui lima corrigat, humili supplicatione expostulo. Paucos è pluribus comportaui in ordinem, quoniam nec omnes commendaui literis, nec videbatur mihi nimia libri extensio vel necessaria vel vtilis. Festis enim diebus, quando feriamur à tumultu negociorum mundialium, lectioni vacamus iuxta regulam scripturarum. Et ne frustra locum videar occupare pastoris, quod noctibus lucubraui, soleo post nonas loco regularis studij dicere, & coram fratribus in conuentu ex chartula recitare. Experior enim quod hæc sollicitudo mea non solum fratribus ad ædificationem proficit, sed etiam mihi ad dictandi peritiam conducit. Vale præceptor venerande, & ora pro nobis. Ex Spanheim duodecimo die mensis Septembris. Anno Christianorum Millesimo quadringentesimo octuagesimo sexto.

Trithemii etiã tum adolescentis seruẽs erga bonas literas studium.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI INCIPIT LIBER EXHORTATIONVM ad monachos secundus Ioannis Trithemij.

Quod caute sit monachis viuendum.

SERMO I.

MVLTA quidem sunt fratres dilectissimi vobis ad considerationem in hac vita necessaria, si ad æternæ salutis gloriam cupitis peruenire. Scitis enim scriptura testante, quoniam *aduersarius vester diabolus, sicut leo rugiens circuit, quærens quem deuoret*, cui magna vigilantia in fide Domini nostri Iesu Christi per charitatis opera nouimus resistendum. Nemo igitur de suis viribus præsumat, ne in vanitate confidat: quoniam nisi vos in timore domini humiliter continueritis, cito in laqueum diaboli cadetis. *Quanto magnus es* (scriptura præcipit) *humilia te in omnibus*: quoniam Deus resistit superbis, & gratia concedit humilibus. Monachum etenim decet esse humilem, & verum huius mundi cõtemptorem. Monachum oportet in obseruantia regularis disciplinæ semper esse sollicitum, & in timore domini continue studiosum. Monachum oportet castum & pudicum esse mente simul & corpore, vt DEO seruiat, quemadmodum promisit, in omni puritate. Monachus non debet viuere secundum voluntatem propriam, sed secundum regulam, & pastoris sui conformem normæ institutionis cœnobiticæ directionem. Monachus negociosum & sanctum debet amare silentium, & mentem suam occupare vtiliter in lectione scripturarum. Monachus omni tempore vsque ad mortem debet esse sollicitus quatenus in obseruantia mandatorum DEI & regulæ sit perfectus. Vt autem sciatis quæ vobis in sancta religione conuersantibus ad perfectionem sint necessaria, describam vobis quendam virtutum tramitem, per quem ad regnum cœlorum viam oportet dirigere. Virtutes autem omnes mutuo cohærent necessitudinis glutino, vt qui vnam perfecte possidet, omnes habere videatur, & qui vel vna caret, nullam penitus dicatur possidere. Omnium virtutum prima ad salutem necessaria est sanctissima fides catholica, ab omni errorum & hæresum pollutione segregata, & in doctrina Domini nostri Iesu Christi originaliter radicata. Nam, scriptura testante,

1. Pet. 5.

Eccl. 3. Iac. 4.

Series quædam virtutũ ac veluti gradus ad regnũ cœlorum.

testante, *sine fide impossibile est placere Deo: & qui non credit in vnigenitum filium Dei, iam iudicatus est, & ira Dei manet super eum.* Omnium ergo virtutum origo fides est, de qua omnia salutis studia oriuntur. Fides in Deum vera & recta timorem Domini generat, quoniam si Deum credimus iustum, merito confitebimur esse timendum. Fides recta spem parit & confidentiam, quia dum misericordem Deũ credimus, mox de bonitate illius salutem nos posse consequi speramus. Fides charitatem generat, quia si Deum esse summum bonum credimus, ipsum sine dubio amamus. Quis enim non amaret, quod summe bonum non dubitat? *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium*, & vnicum salutis nostræ fundamentum. Fides Deo coniungit animam, & facit eam in medio charitatis æterni regis amicam. Dicit enim sanctissimus præsul Augustin: *Nulla maiores diuitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla huius mundi maior est substantia, quam est fides catholica, quæ peccatores homines saluat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles iustificat, pœnitentes reparat, iustos augmentat, martyres coronat, virgines, viduas & coniugales casto pudore conseruat, clericos ordinat, sacerdotes consecrat, credentes cum sanctis Angelis in æterna hæreditate cælorum collocat.* Vbi autem sana fides non est, non potest esse iustitia, quia *iustus ex fide viuit*, & qui caret iustitiæ merito, portionem nullam habebit cum Christo. Fides est humanæ salutis initiũ, sine qua nemo ad numerum filiorũ Dei potest pertingere, nec partem aliquam in regno Dei possidere. Fides fundamentũ virtutũ est omniũ, quicquid extra fidem agitur, proculdubio ad gehennam ædificatur. Fides Christiana lampas est pulcherrima, illuminans animam, & per obseruantiam mandatorum introducẽs eam ad fœlicitatem æternam. Fides in primis mentem reducit ad DEI scientiam, postea dat præcepta viuendi ad obedientiam, & cum homo Dei mandata custodierit, spes consequendæ salutis erigitur, deinde charitas in cordibus firmatur. Fides cognitionem dat animæ, cognitio parit actionem in charitate, & his duobus beatitudo repromittitur in æternitate. Cauendum summopere ne sit error in cognitione, quia dum fides recta hæresum falsitate corrumpitur, ad salutis portum actione nulla peruenitur. Sit ergo in fide rectitudo & veritas, in actione iustitia & synceritas, & nulla dominabitur iniquitas. *Fides enim sine operibus mortua est*, & nihil meretur ad salutem felicitatis æternæ. Fidem habere sine operibus charitatis, est imitari dæmones, qui cum ab omni charitate procul sint alieni, Deum tamen esse iustum & credunt & contremiscunt. Hinc de credulis qui opera non exhibent charitatis, dominus loquitur per Prophetam Esaiam, & postea per semetipsum in sancto euangelio dicens. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.* Qui Christum ore laudat sine opere, quasi vir qui dubitat in fide. Nam si veraciter crederet, Deum vtiq; timeret. Fides sine operibus quasi corpus sine spiritu mortuum, quod à viuorum sublatum conspectibus absconditur in sepulchrum. Si bene credis, & male viuis, proprio te gladio perimis, quia *scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi.* Cauete fratres mei, ne quem errorem admittatis in fide, & curate summopere vt nulla sit nequitia in operatione. Sequamini fidẽ, quam nobis sancta cõmendat ecclesia, agite vitam sicut euangelium præcipit, & norma cœnobitica. Deinde spẽ habeatis in Dei miseratione omni tempore certissimam, sed nunquam à timore domini alienam. Spes est futurorum bonorum certa per gratiam misserentis Dei expectatio, & merendi per charitatis exercitium iustitiæ coronam sollicitudo. Spes est certa expectatio futuræ beatitudinis: quam gratia Dei operatur in nobis comitante rectitudine bonæ voluntatis. Spes est qua quis venire ad vitam æternæ felicitatis sperat, quam desiderat, & mediante gratia Dei suam etiam voluntatem in occursum componit & aptat. Spes est bonorum, arduorum, futurorum & possibilium, quibus nemo sperat contrarium. Neq; enim malum quis sperat neq; leue, neq; quod præsens est siue præteritum, nec ignoramus spem non esse impossibilium. Spes moderatrix laborum est omnium, & vnica consolatrix in medio tribulationum. Spes enim futurorũ bonorum laborantibus pro Christo in hac vita parit requiem, sicut in agone certantibus mitigat dolorem vulnerum co-

Fides prima est origo omniũ virtutum. Heb. 11. Ioan. 3.

Heb. 11. serm. 18. de temp. c. 12.

Abac. 2.

Ioan. 2.

Esa. 29. Matt. 15.

Iac. 4.

Spei quid.

ronæ expectatio per continuam victoriam. Spes in tormentis roborauit martyres, & fecit eos in virtute Christi omnibus persecutoribus fortiores. Spes æternæ beatitudinis conseruat ecclesiam, & dedit sanctis confessoribus atque virginibus veram in Christo charitatem. Spes deiectũ mœrore fortiter erigit animum, & quanto se per amorem altius sustulerit, tanto minus contraria huius mundi sentit. *Beatus vir, qui confidit in domino, quia spes non confundit*, sicut sanctus promisit Apostolus, *qua salui facti sumus*. Vt autem spes non erumpat in præsumptionem, timor domini ad salutem nobis est necessarius, vt quem pium & misericordem credimus, iustum etiam & rectum non dubitemus. Dicit enim beatissimus Papa Gregorius. *Nobis nihil securius quam sub spe timere, ne incauta mens vel desperando se in profundum vitiorum deiiciat, vel extollendo de donis præsumptuosa ruat.* Nam quanto ante oculos districti iudicis sub spe humilius trepidat, tanto in illo robustius stat. Timor Dei mentem corrigit, & puram ab omni malitia custodit. Timor domini initium est sapientiæ, quoniam in via Dei à timore incipitur, vt paulatim ad charitatis fortitudinem perueniatur. Timor domini componit monachum, & facit eum in obseruantia regularis disciplinæ studiosum. Timor domini custodit regulam, & seruat veram mentis & corporis puritatem. Timor domini nihil eorum quæ præcepta sunt, negligit, sed omnia sollicite custodit. Timor domini nullum admittit ocium, sed continue occupatur circa bonum, vt excludat peccatum. Monachus qui abiecit timorem domini, quasi ciuitas in medium deueniens hostium, cuius omnes destructi sunt muri. Vrbs sine murorum custodia cito ab inimicis capitur, & monachus qui non habet Dei timorem, facile à dæmonibus superatur. Solus enim Dei timor est qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam seruat, & facit monachum in sanctitatis proposito perseuerantem. Ex timore paulatim oritur charitas, quæ cum iuuante Deo veraciter in mente radicata fuerit seruilem timorem superans iam foras mittit. Radix omnium bonorum est charitas, quoniam quicquid in hac vita boni agitur, vt Deo placeat, per solam charitatem temperatur. Charitas omnium virtutum est maxima, sine qua nihil sunt cuncta mortalium facta. Dicit enim sanctissimus Christi Apostolus. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habuero, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero Prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Considerate diligenter iam nunc fratres mei vosmetipsos, & conscientias vestras interrogate, si veram habeatis charitatem DEI, sine qua nihil cætera omnia proficiunt ad salutem. Audiuistis enim sententiam Apostoli manifestam, qua charitatem dicit ad salutem esse necessariam. Nemo in sapientia huius mundi confidat, nemo de acceptis donis naturalibus inaniter se extollat, nemo de cõtinentia corporali præsumat, quoniam si charitas defuerit, nihil ad salutem reliquorum obseruantia conducit. Verum ne quis falsam de se æstimationem præsumeret, sanctus Apostolus signa quædam & operationes charitatis exposuit, dicens, *Charitas patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit.* Habete charitatem Dei in vobis fratres mei, quam nisi custodieritis, frustra certando laboratis. Humilitatem vobis sæpius diximus omnem esse necessariam, quæ non solum virtus est magna, sed reliquarum quoque virtutum nutrix & custos omnium præcipua. Dicit enim magnus Papa Gregorius: *Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi puluerẽ in ventum portat.* Maxima enim monachorum virtus humilitas est, quoniam tanto esse humiliores tenentur cæteris in mundo vitam agentibus, quanto ex professione ad maiorem perfectionem conari & tendere sunt adstricti. Virtutum stabile fundamẽtum est humilitas, super quo quicquid constructum fuerit nullo tempestatis turbine subuertetur. Per superbiam

Hier. 17. *Rom. 5.* *Rom. 8.* *Timor spem non destituat* *Greg. l. 6. regist. ep. 186.* *Psa. 110.* *Caritas.* *1. Cor. 13.* *Argumẽta præsentis charitatis.* *1. Cor. 13.* *Humilitas quanta virtus.* *Grego. in 3. Psalm. pœnit.*

biam diabolus de cælo cecidit, per humilitatem homo ascendit. Frustra nominamur monachi, si non fuerimus humiles: quoniam sicut ignis si fomento careat lignorum, extinguitur: ita monachus sine humilitate suo nomine valde indignus iudicatur. Humilitate Christiana diabolus vincitur, & quasi clauo percussus fugiens superatur. Nulla splendidior gemma in ornatu monastico humilitate cernitur: quam si monachus contempserit, & professionem suam & Christum humilem negauit. Humilitati succedit prudentia, quæ omnia semper ad normam rationis dirigit, & nihil præter rectum, honestum & laudabile facit. Prudentia nouit quid virtuose debeat appetere, & probè scit quæ secundum rectum rationis iudicium debeat vitare. Prudentia vera & perfecta est qua summum illud incommutabile bonum appetimus, & omnia ad finem debitum & rectum ordinamus. Prudentia regularis disciplinæ obseruantiam in vigore conseruat stabilem, & reducit aberrantes monachos ad amissi propositi integram reformationem. Prudentia monachum in recta salutis via dirigit, & in neutram partem declinare sinit. Prudentia inter fratres pacem conseruat & concordiam, & rectam ordinat in singulis actionem. Prudentia vobis, ô fratres mei, valde est necessaria, qua noueritis in omni actione quæ vobis assumenda sint, & quæ rursus fugienda. Vera prudentia non carnis sed spiritus docet vos mundum contemnere, & solum ea quæ futura & æterna sunt desiderare. Prudentia docet hominem in semetipso stabilem consistere, & neque in prosperis, neque in aduersis à sanctitatis proposito declinare. Prudentia docet pulchre ordinare præsentia, ad memoriam pro informatione reducit præterita, & ne quid inopinate accidat prouidet futura. Prudentia delinquentes vtiliter & fructuose corripit, & omnia quæ vel agit vel dicit aut cogitat, secundum rationis iudicium ad finem debitum componit. *Estote igitur prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*: quia prudentia sine bonitate malitia est, & simplicitas sine prudentia rationali, stultitia nominatur. Dicit enim sanctissimus Paulus Christi apostolus: *Prudentia carnis, mors est.* Prudétes estote, ne fraude aliorũ circumueniamini: simplices vero, ne quẽ circumueniatis. Hoc.n. prudentis officium est, nec falli posse, nec aliquẽ velle decipere. Vir prudens iudicium rationis non deserit, & nihil de quo sit pœnitendũ, agit. A prouidendo.n. prudens dicitur. Prudentiam comitatur iustitia, quæ omnium virtutũ est splendidissima. Nã sine iustitia nihil sunt reliquæ virtutes oẽs. Iustitia est cõseruatrix religionis, mater gratiæ, obseruantiæ nutrix, veritatis altrix, genitrix pacis, & origo pietatis. Iustitia est virtus, quæ distribuit & cõseruat vnicuiq; q̃ suum est, quæ propriã vtilitatem negligit, vt cõmunem seruet vtilitatem & æquitatẽ, sine qua nulla Respublica diu in pace potest subsistere. Dicit.n. in Ecclesiastico vir sapiens: *Regnũ à gente in gentem transfertur propter iniustitias, & iniurias & cõtumelias, ac diuersos dolos.* Ordo iustitiæ primũ respicit Deum, deinde patriã, exinde parentes, postea oẽs in cõmuni secundũ distinctiones graduum, & merita dignitatũ. Deo in primis iustitia dictãte debemus religionẽ, fidẽ, cultum, deuotionem & gratiarũ actiones, & verã ex toto corde sub obedientia dilectionẽ. Nobis deinde puritatem mentis & corporis, continentiã cum studio perfectionis, quo ad illum nobis per obedientiam redire liceat, à quo creati sumus. Tertio loco patriæ debemus commodum, honorem & defensionem, eiusq; quantum possumus cum ipsa iustitia procurare vtilitatem. Quarto parentibus tenemur exhibere honorem & obedientiam, & in eorum necessitate curã & omnimodam sustentationem. Quinto prælatis & superioribus nostris debemus obedientiam, & humilem pro amore Christi subiectionem. Sexto debent prælati doctrinam & pabulum subditis, correctionemque delinquentibus. Septimo autem loco debemus maioribus & principibus honorem, & sine crimine pro Dei amore subiectionem. Octauo debemus venerabilibus personis reuerentiam, & sacerdotibus honorem. Consequenter æqualibus tenemur præstare amicitiam, inferioribus dignationem, benefactoribus vicissitudinem, amicis communitatem, inimicis patientiam, pauperibus misericordiam, miseris consolationem, omnibus charitatem. Hæc autem est vera iustitia, qua Deum ex to-

Humilitas.

Prudentia Christiana quid.

Matt. 10.

Rom. 8

Iustitia velut epitome quædam omnium virtutũ.

Eccl. 10.

Iustitiæ sine charitatis gradus.

to corde propter seipsum diligimus, & proximum nostrum in Deo sicut nosmetipsos: inimicos autē propter Deum, distribuentes vnicuiq; quod sibi iure debetur, omnium vtilitati prouidentes. Sed cum nimia iustitia facile incurrat peccatum, temperantia omnibus vobis necessaria est, quæ sola perfectos facit. Est autem temperantia virtus ratione discernens & vincens animi motus & omnem libidinem, ne impetus in agendo excedat legis æquitatem. Temperantia virtus optima voluptatibus imperat, & omnia in ordine debito conseruat. Omnibus actionibus, verbis quoque & cogitationibus vestris adhibete temperantiam, & necessariam virtutibus discretionem. Quicquid boni cum discretione feceritis, virtutis merito vocabulum accipit: quod autem fit sine discretione, vitium est dicendum. Discretio moderatrix virtutum est omnium, & maximum prudentiæ ac iustitiæ ornamentū. Discretio non solum prælatis, sed etiam subditis est necessaria, quoniam ipsa virtutibus dat ordinem, affectionibus confert modestiam, & cunctis hominum cōsilijs tribuit decorem pulcherrimum & honestatem. Hinc quidam sapiens dixit?

Temperantia.

Discretio.

Horatius l. 1. serm. sat. 1.

Est modus in rebus: sunt certi denig; fines,
Quos vltra citraq; nequit consistere rectum.

Fortitudo Christiana quid.

Ad hoc animi fortitudo vobis necessaria est, fratres, per quam non solum constantes efficiamini in aduersis, sed etiam prompti & alacres in arduis. Quis enim sine animi fortitudine maxima hunc mundum cum suis voluptatibus posset contemnere, & in sancta religione monastica sub obedientiæ legibus vsque ad mortem perseuerare? Fortitudo animi vires de charitate Christi suscipit, & constans non minus in aduersis, quam in prosperis virtutis desiderio cōsistit. Fortitudo viam rectitudinis absque timore graditur, & hostibus quadam sancta superbia terribilis & formidanda videtur. Fortitudo animi paruulorum contemnit iniurias, & omnes facile superat carnis voluptates. Fortitudo in prosperis latet, in aduersitate ostenditur, & manifeste per patientiam declaratur. Animo fortis est, non qui vindicat iniurias sibi illatas, sed qui patienter tolerat, & si acceperit in potestatem aduersarium, potuisse vindicare vindictam putat. Monachorum fortitudo est mundum contemnere, carnem vincere, omnes mundi honores & voluptates spernere, & in solum Deum spem omnem & confidentiam collocare. Mensura fortitudinis est, nec timidum esse, nec audacē, quoniam recta incedens via, neque ad dexteram declinat, neque ad sinistram. Monachus ille fortis est iudicandus, qui temperans est in omnibus, moderatusq; & iustus. Hinc dicit sanctissimus Papa Gregorius: *Iustorum fortitudo est carnem vincere, propriis voluptatibus contraire, delectationem vitæ præsentis extinguere, huius mundi aspera pro æternis præmijs amare, prosperitatis blandimenta contemnere, aduersitatis metum in corde superare.* Fortes facti sunt sancti in bello, quia carnem domant, virtutibus coruscant, spiritum roborant, terrena despiciunt, cœlestia appetunt, occidi possunt, flecti non possunt, nec sustinere falsa per infirmitatem metuunt, nec læsi vnquam à veritate, conticescunt. Monachus ergo qui vera virtute fortis est, nec temere audet, nec inconsulte timet. Regia enim via est fortitudo simul atque constantia: à qua temerarius & pertinax declinat ad dexteram, timidus vero pusillanimis pauidusque ad sinistram. Monachus animo constans & fortis nunquam recedit à sanctitatis proposito, sed nec aduersis deprimitur, nec prosperis eleuatur. Vnde & sanctissimus præsul Ambrosius, *Stultus*, inquit, *vt Luna mutatur: sapiens autem metu non frangitur, potestate non mutatur, non extollitur prosperis, non mergitur tristibus.*

Greg. l. 7. mor. c. 9.

Hebr. 11.

Eccl. 27. A. l. 2. de Abrah. c. 7.

Vbi enim sapientia & virtus, ibi constantia est & fortitudo animi. Sapiens ergo semper idem est animo, non minuitur nec augetur mutationibus rerum, nec vt paruulus fluctuat, vt circumferatur omni vento doctrinæ sed manet perfectus in Christo, fundatus charitate, radicatusq; in fidei perfectione. Postremo fratres mei charissimi perseuerantia vobis in omni opere bono & virtuoso necessaria est, sine qua nemo vnquam peruenit ad gloriæ coronam. Dicit. n. in sancto Euangelio dominus: *Qui perseuerauerit vsq; in finem, saluus erit.* Tolle perseuerantiam, & neque virtus habebit præmium, nec mercedem obsequium, nec gratiā meretur beneficium.

Perseuerantia colophon est omnium virtutū. Mat. 24.

Sola

Sola etenim perseuerantia bonorum operum coronam laudis meretur accipere, sine qua nihil prodest bonum inchoasse. Nullum virtus habet meritum, cui perseuerantia non dedit incrementum. Non incipientibus bonum, sed perseuerantibus in bono vsque ad mortem, regnum æternæ fælicitatis repromittitur, quia non mane, non meridie, sed cum sero factum esset, laborantibus in vinea denarius reddebatur. Non enim, qui bene cœpit laudandus est, sed qui bene continuauit vsque ad finẽ, honorandus est. Quocirca fratres mei sedulo vos admonere soleo; nec vnquam debeo cessare, quatenus diligenter attendatis vocationem vestram, & caute ambuletis in omni religione & sanctitate, quemadmodum iuratos decet milites Christi. Nunc enim tempus est benefaciendi, quia cum mortis hora aduenerit, omnem facultatem operandi funditus amputabit. Et ideo, quamdiu viuitis sani & incolumes, benefacite, futuram retributionem semper cogitate, & quotidie in profectu spiritali crescite. *Quærite dominum dum inueniri potest.* Christi saluatoris vita sit imitatio vestra, quẽ sequi pro viribus non gressibus pedum, sed similitudine affectionum, ex institutionis vestræ fundamento tenemini. Caute in omnibus ambulate, timorem Dei in vera humilitate semper ante mẽtis intuitum ponite. Magna enim puritate vobis est opus, qui mente & corpore in sanctam Christi militiam consensistis. Ad vos nunc pertinet, ô fratres, mundum & omnia quæ in mundo sunt propter DEVM perpetua fortitudine contemnere, omnes carnalium voluptatum motus vincere, peccatum fugere, in bonis & sanctis operibus vos iugiter occupare. Vita quoque vestra, quantum fieri humana infirmitas sinit, puritatem debet imitari angelicam, & omnẽ fugere ac detestari prauitatem. Angeli autem sancti nunquam sunt ocioſi, sed in laudibus Dei semper absque fatigatione vel tædio solliciti. Angeli sancti Deum super omnia diligunt, & ab eius charitate, nec momentaneè quidem recedunt. Horum imitatione monachus in obsequio Christi debet esse assiduus, & semper in bonis operibus secundum Euangelium & regulam occupatus. Monachus Dei charitatem debet habere feruentissimam, & proximi veram ordinatamq; & synceram dilectionem. Amor etenim feruens in Deum perficit monachum, & non sinit esse ocioſum. Dicit enim Pater sanctissimus Papa Gregorius. *Amor Dei nunquam est ocioſus. Operatur enim magna si est, qui si operari renuit, verus Dei amor nunquam fuit.* Nam si de carnali amore verum poëta dixit insanus, *qui non vult fieri desidioſus, amet*: quanto fortius castissimus Dei amor mentem ad ardua impellit, quam possidet. Amate Deum, fratres, in toto corde, quantum se desiderii fortitudo potest extendere, & omnia quæ vobis præcepta sunt, facilime potestis obseruare. Nihil enim amanti difficile, sed omnia dura, omnia grauia & ardua, ardens facilia facit amor.

Matt. 20.

Esai. 55.

Monachus Angelũ Dei referat.

Gregor. hom. 38. in Euãg.

Quæ sit ordinatio vitæ monasticæ bona.
SERMO II.

LEgimus institutionem sanctissimi patris nostri Benedicti, quam vsitato vocabulo religionem siue ordinem appellamus, in principio fundationis suæ claruisse sanctissimam, & per totam Latinorum Ecclesiã valde & multipliciter fuisse dilatatã, Vnde annis quamplurimis in hoc ipso ordine multi claruerunt viri sapientes, eruditi atque sanctissimi, qui omnem magnifice illustrauerũt ecclesiã. Sunt.n. qui scribant ex hac monastica religione nostra sanctorum catalogo insertos tam viros quam moniales quindecim milia sexcentos. Horum nobis multitudo sanctorum in ordine fratres ad imitationem proponitur, non ad vanè gloriandum. Quid eorum multitudo nobis ad salutem nostram potest conducere, si conuersationem, qua præcesserũt, non imitamur? Quotiens ordinis nostri viros sanctissimos laudare vtiliter cupimus, ad eorum cõsortium venire sanctis moribus festinemus. Tunc etenim de multitudine sanctorũ ordinis nostri fructuosè gloriabimur, si rectè viuentes eorum numerum augere sedulo conemur. Propterea namq; tantam vobis multitudinem sanctorũ proponimus, vt cum vicisse mundum & carnẽ multos ante vos in hoc ipso ordine conspicitis, de vestra tandem conuersatione tepida resurga-

Plures hodie multo numerãtur.

tis. Virtutem, quam illis Dei miseratio contulit, vobis in vera charitate petentibus nõ negabit. Vicerunt illi mundum, quia Christũ tota deuotione dilexerũt, oĩa pro eius amore contemnentes. Contempserunt omnia, & Dominus Iesus ꝓuidit illis quæcunq; videbantur eis ad sustentationẽ vitæ necessaria. Durauit hic feruor deuotionis monachorũ post primam ordinis institutionem pluribus annis in magna cõstantia, & multorum milium hominum animas conuertit ad dominum. Sed nihil stabile in humanis, nihil perpetuum in caducis. Contulit monachis religio sancta diuitias, donec matrem filia ex tempore suffocauit. Nam, vt scriptura dicit, *omnes qui volũt diuites fieri, incidunt in tentationes diabboli.* Incrassatus est dilectus & recalcitrauit: impinguatus & dilatatus terrenis possessionibus, dereliquit institutionis primæ sancta studia, abiit post vanitates & insanias fallãs, quẽ copia rerum temporalium diuitiis spiritualibus inopem & miserum fecit. Hæc ordinis nostri miseranda deformitas cœpit post diui patris Benedicti transitum annis ferme ducentis, & magis ac magis cum tempore creuit, quousq; tãdem per totum ordinem noxium virus sese diffudit. Hæc autem deformitas ordinem nõ subito, sed per multorum successum annorum tandem pene totum occupauit, quamuis omnipotens Deus bonis eum viris in toto nunquam destituerit, sed reliquit sibi semper aliquos, qui genua sua ante Baal minime curuauerint. Surrexerunt enim viri misericordiæ, quorum iustitiæ nunquam tradentur obliuioni, qui ruinæ ordinis cõpatientes, humerũ submisere labori, & eum, largiente domino suffragium, in multis locis restaurarunt. Multæ quidem variæ reformationes in ordine particulares multotiens diuersis temporibus viguerunt, sed nulla fuit vnquã generalis, quæ totum ordinẽ ad integritatem regularis obseruantiæ reduceret. Deniq; particulares instaurationes, quas plures fuisse diximus, quasi oẽs collapsas iterum videmus. Nouissime autem, eo videlicet anno Christianorum millesimo quadringentesimo atq; vicesimo, quo Concilium generale celebratur in Constantia, noua quædam & hactenus vltima reformatio particularis in Alemãnia sumpsit exordium, quæ à quodã cœnobio in Saxoniæ partibus tunc quidem omnium pauperrimo, quod Bursfeldia nuncupatur, appellationis suæ sortitur vocabulũ. Prim⁹ vero auctor & princeps huius reformationis sanctissimæ fuit Ioannes Rode Abbas insignis monasterii sancti Matthiæ apud Treuiros, qui generalis visitator ordinis cõstitutus à præfato Constantiensi concilio, ne aliis prędicans ipse iudicaretur reprobus, reformationem primum exhibuit in semetipso. Reformauit. n. & se in primis & monachos memorati monasterii, cõstitutiões edidit conformes regulæ, & cõfirmationem sancti operis impetrauit sedis Apostolicæ. Inter omnia vero cœnobia ordinis Bursfeldia monasteriũ humile atque pauperculũ hanc reformationem primo suscepit, quã postea in Reinhausen & in pauca Saxoniæ monasteria sibi vicina dilatauit. Mortuo tandẽ Ioanne Rode Abbate sancti Mathię, principe reformationis nostræ, cum in eodẽ loco non inueniretur pro dilatatione incepti negocii suę cessor idoneus, Ioannes de Hagen Abbas Bursfeldensis, qui iam certa monasteria reformauerat, vir sanctus, & multũ zelosus pro ordine, instante Archiepiscopo Treuirorum Iacobo electus fuit. Qui sua paupertate contentus, Bursfeldiam non cõsensit dimittere, ne diuitias paupertati videretur pręposuisse. Mansit igitur in suo monasterio, & alius in locũ primi reformatoris ordinatus fuit. Qui cum neq; doctrina neq; zelo antecessori suo videretur cõparandus, parũ pro cõtinuatione inchoati negotij potuit efficere, nec reformationẽ in multos ampliare. Cõtigit interea Nicolaũ Cusanum S. Romanę Eccles. presbyterũ Cardinalem, Apostolicæ sedis legatum venire in Germaniã, qui cum zelo magno ferueret ordinis nostri, multa pro illius reformatione cõstituit & indulsit. Audiens autẽ præfati Abbatis in Bursfeldia famã bonam, & feruẽtissimum regularis disciplinæ propositũ, vocatũ ad se generalẽ ordinis reformatorem constituit, & plura per eius industriã cœnobia reformauit. Hac tandem occasione capitulum annale pro conseruatione reformationis instituit, præsidentiam de sancto Mathia in Bursfeldiam transtulit, confirmari omnia quæ pro bono reformationis instituerat, per sedem Apostolicam impetrauit.

Sanctitas antiquorum patrum vsq; ad prodigium refrixit, vt ne dicam periit in filiis. 1. Ti. 6. Deu. 32.

Rom. 11.

Nicolaus Cusanus vir doctiss.

Concilij Constantiense reformari cœnobia sancinit.

Primus

Primus reformationis Bursfeldensis Abbas.

Primus autem Bursfeldiæ Abbas in reformatione fuit Ioannes monachus de Reinhausen institutus, secundus Ioan. de Hagen iam dictus. Tertius vero Theodoricus quem vidimus, & quartus Ioannes qui nunc est in regimine nouiter institutus. Reformationis nostræ originem, fratres charissimi, propterea breuiter perstrinximus, vt quanto cœperit labore, cognoscatis, & vsque ad mortem in sancta obseruantia regulari constantes perseueretis. Inter omnes enim reformationes ordinis nostri, quæ præcesserunt, nulla fuit vnquam regulæ diui patris Benedicti magis conformis & consentanea, & à peregrinis adinuentionibus magis aliena. Omnium aliarum pene reformationum statuta legimus, sed nulla plus quam nostra consentanea regulæ ad puritatem intentionis Benedicti existimamus. Hæc est reformatio Bursfeldensis in ordine sanctissima, quæ veram & docet obedientiam, & custodit in humilitate subiectionem. Viuunt in hac sancta religione pauperes & sine peculio monachi, viuunt humiles, viuunt obedientes, viuunt casti. O veneranda monachorum vnio, in qua charitas geminata imperat, obedientia militat, humilitas obtemperat, oratio vigilat, perseuerantia pugnat, castitas sancta triumphat. Hæc est schola disciplinæ regularis, institutrix Christianæ humilitatis, quæ mores ad rectitudinem dirigit, & carnis vitia restringit. Nemo in hac virtutum palestra voluntatem propriam sequi contra regulam permittitur, nemo benefacere prohibetur. Ad puritatem regulæ in hac sancta vnione viuitur: & si quispiam à semita rectitudinis deuiare cœperit, seniorum industria mox ad obseruantiam iustitiæ reuocatur. Regula sanctissimi patris Benedicti ter publicè in anno legitur, vt nemo sub ignorantiæ typo se de obseruantia excusare moliatur. Duo sunt quæ mihi spem magnam de perseuerantia huius sanctæ reformationis pollicentur, annale videlicet capitulum, & biennalis diligens visitatio monachorum, alterum, si quodlibet istorum intermittitur mox reformatio periclitatur. Cogitate nunc igitur, fratres charissimi, & quantum potestis diligentissime curate, ne hoc diui præsulis Martini cœnobium sub tam

Ter in anno prælegitur regula.

venerandæ reformationis titulo inutiliter occupetis, quoniam nisi secundum regulam & ordinis statuta, purè, sanctè & inculpatè vixeritis, frustra de nomine confiditis. Dicemus vobis pauca salutis vestræ monita, per quorum studiosam obseruantiã reformationis nostræ Bursfeldinę & nomẽ habebitis merito, & dignitatem. In primis ante omnia conatum vestrum totis desideriis in monasticam perfectionem dirigite, quem quotiens tepescentem senseritis, mox per dominicæ passionis & mortis innocentissimæ intentam memoriam renouate. Nam etsi esse perfecti non teneamur de necessitate salutis, tenemur tamen ad perfectionẽ conari desideriis totis. Mox enim, vt monachus conatum proficiendi abiicit, in foueam defectionis cadit. Secundum quod vobis custodiendum sancta consuetudo reformationis nostræ instituit, conatum proficiendi in concepto desiderio fortiter custodit. Mane igitur, quando suscitati ad primas consurgitis, ista in secreto faciatis. Cursum * instantis diei futurum examinando discutite, & quid agendum vtiliter instet, prudenter cogitate. Quam cautè velitis viuere diem totum, in cordibus vestris proponite: & animos contra omnia quæ aduersa possent accidere, per patientiam armate. Quicquid agitis, in feruore charitatis perficite: & omnia verba ac facta semper ad Dei laudem ordinate. Tertium vobis iudicamus vtile & necessarium, vt per deuotissimas orationes auxilium in omnibus semper studeatis implorare diuinum. Et valde nobis videtur conueniens, quod sæpe diximus, & semper admonemus, vt quisque vestrum ad minus semel in die dominicæ passionis agat memoriam, & pro multis à DEO perceptis beneficiis vel vna vice dicat gratiarum actionem.

Quod vt fieri possit ab vnoquoque vestrum vniformiter, formam hanc breuem quam ordinauimus auscultate, & si vultis, pro vobis rescribite. Adoro, laudo, benedico & glorifico te, Domine IESV CHRISTE fili Dei viui, saluator & viuificator omnium fidelium animarum, & ago tibi gratias ex intimo cordis mei affectu pro sanctissima incarnatione & natiuitate tua ex purissima virgine

Memoria Dominicæ passionis cũ gratiarũ actione quotidie facienda.

Maria, pro circumcisione tua, pro fuga in Ægyptum, pro septemni tuo ibidem exilio, & pro reditu tuo postea in terram natiuitatis tuæ temporalis. Ago tibi gratias dulcissime Domine Iesu, laudo, benedico & adoro te pro cunctis laboribus, itineribus & fatigationibus tuis, pro fame, siti, frigore, nuditate, paupertate & inopia, & pro necessitatibus, iniuriis, contumeliis, irrisionibus & detractionibus quas in omni vita tua sustinuisti pro nobis voluntarie, non coactus. Et quotiens manum mouisti ad operandum, pedem ad ambulandum vel quotiens aperuisti os tuum ad loquendum, totiens te benedico, laudo, glorifico, humiliterq; adoro, & ex omnibus cordis mei viribus tibi semper gratias ago mediator Dei & hominum Iesu Christe dulcissime. Ago tibi gratias, Domine Iesu Christe rex cælorum clementissime, pro doctrina tua sanctissima, pro institutione fidei tuæ & sacramentorum euangelica, pro vocatione gentium, pro iustificatione peccatorum, & pro cunctis mirabilibus atq; virtutibus tuis, & pro beneficiis tuis omnibus quæ vel mihi præstitisti in specie, vel cæteris vniuersis mecum in genere.

Ago tibi gratias, Domine IESV CHRISTE saluator benignissime pro charitate tua quam habuisti ad genus humanum, & pro tota passione tua amarissima, & cunctis doloribus, quos sustinuisti propter nos miseros. Ago tibi gratias, Domine Iesu, laudo, benedico & adoro te pro mœrore & tristitia innocentissimi cordis tui, quam imminente passionis tẽpore sustinuisti pro nobis, quando dixisti ad sequentes te discipulos tuos: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Rogo te per hanc cordis tui tristitiam ô Domine Deus miserere mei nunc & in hora mortis meæ, & aufer à me omnem melancholiam & inordinatum mœrorem, concedens mihi tristitiam pro peccatis meis omni tempore salutarem. Ago tibi gratias pro mœstitia sanctissimi cordis tui, quando patrem in agonia positus vsque tertio rogasti, vt calicem à te transferret passionis, fusoque præangustia mirabili sudore, in eius voluntatem te totum resignasti pro nobis. Ago tibi gratias, ô rex cæli & terræ, pro tua captiuitate, pro contumeliis, iniuriis & irrisionibus, quas toto passionis tempore sustinuisti propter nostram omniumq; salutem. Ago tibi gratias, ô Domine Iesu, laudo, benedico, & adoro te ligatum ad columnam pro flagellatione tenerrimi corporis tui durissima, & sacrosanctissimi sanguinis effusione, vulnerumq; immenso dolore. Adoro te Domine Iesu Christe, spinis coronate, & gratias ago tibi pro punctionibus & doloribus sanctissimi capitis tui, pro verberibus, sputis, & cunctis irrisionibus tuæ maiestati ab impiis crudeliter illatis. Adoro te, Christe Iesu fili Dei viui, crucis tuæ pondus grauissimum baiulantem, adoro te coram multitudine vestimentis nudatum, adoro te clauis ferreis ad crucem manibus ac pedibus extensum, & nimis crudeliter affixum. Adoro te IESU Christe rex sempiterne pro me pendentem ac morientem in cruce, & gratias ago doloribus vulnerum tuorum. Gratias ago effusioni preciosissimi sanguinis tui, gratias ago innocentissimæ morti tuæ, quam voluntarie sustinuisti pro nostris & totius mundi peccatis. Gratias ago immensæ bonitati tuæ, quod me tuam vocasti ad fidem, quod me in nomine sanctæ trinitatis baptizari fecisti, & quod me de mundi vanitate ad seruiendum tibi in vera mentis tranquillitate ad hanc sanctam es congregationem vocare dignatus. Rogo te per nomen tuum sanctissimum, ô dulcissime Iesu, mediator Dei & hominum, rogo te per dolorem vulnerum tuorum; & per meritum amarissimæ passionis tuæ, rogo te per sanctissimi sanguinis tui effusionem, & per innocentissimæ mortis tuæ virtutem, concede mihi peccatorum meorum omnium indulgentiam, infunde cordi, meo feruentissimi amoris tui dulcedinem; da mihi cum profectu omnium virtutum perseuerantiam, & miserere mei nunc & in hora mortis meæ, custodiens me hodie & omni tempore in misericordia tua pie Iesu ab omni peccato & periculo mentis & corporis, in nomine patris & filij & spiritus sancti Amen.

Matt. 26.

Quis vestrum est fratres qui hanc breuem orationem, aut similem si habeat meliorem, quotidie semel dicere nequeat? Neque enim prolixa est, neq; peregrinis inuoluta dictionibus, sed

breuis

breuis & plana, vitam & passionem Christi stricto complectens epitomate. Deo nimium ingratus est homo Christianus, & maxime claustralis, qui non semel ad minus in die dominicæ passionis agit memoriam, gratiarum deuote referens actiones. Quod si cui vestrum hæc oratio nimis prolixa fuerit, in homilia octaua exhortationum nostrarum advos nuper diximus breuiorem, ad quam tædiosus potest habere recursum. Ante omnia precor cauete ne tantis Dei beneficiis vnquam sitis ingrati. Fiat hæc gratiarum actio post matutinas, quia tempus orandi aptissimum est, & deuotionem consueuit augere nocturnæ quietis silentium. Dico enim, quod verum testantur experti, nullas orationes ad impetrandum efficaciores, quam illas quæ cum dominicæ passionis memoria & gratitudine Deo patri offeruntur. Quartum quod vobis pro regulari obseruantia iudicauimus necessarium, est, vt in custodia sensuum vigiletis exteriorum, quia nemo ciuitatem cordis sui bene custodire sufficit, qui portas claudere contemnit. Amate silentium, & fugite omnem huius seculi tumultum. Prudentiam sanctam cunctis adhibete quæ facitis, & secretum amate quietis. Monachus enim qui publicum & vagos discursus diligit, verus obseruantiæ amator nunquam fuit. Quinto monemus, vt pernicioſum animæ fugiatis ocium, quoniam hoc pestiferum virus grauissima nutrit vitia, & semper immundas parit cogitationes. Quicunq; igitur virtutum amator proptiam salutem diligit, quicunque peruenire ad æternam felicitatem concupiscit, quasi à facie diaboli fugiat ocium, si cupit declinare peccatum. Sexto ad puritatem obseruantiæ regularis de salutis necessitate requiritur, vt proprietatis abdicatio vsq; ad mortem ab omnibus inuiolata custodiatur. Monachus enim habens peculium, iter sibi parat ad infernum. Qui autem pecunias recipit & exponit in cœnobio, minister sit publicus: nemo id præsumere audeat priuatus. Diuitiarum possessio non decet monachus, qui dominum Iesum in paupertate spiritus imitari iubentur. Audiamus sanctum Christi Apostolum dicentem: *Habentes victum & amictum, his contenti simus.* Prouidemus vobis Deo miserante necessaria, non quantum postulat inordinatæ voluptatis concupiscentia, sed quantum contenta pauci requirit natura. Itaq; sicut vobis habere aliquid sine consensu Abbatis non est licitum, ita cũ ministremus omnia, neq; necessarium. Septimum quod facit monachum, est humilis obedientia præceptorum. Non enim verus monachus esse potest, qui contemnit obedientiam, & negat superioribus suis quam promisit subiectionem. Hic inobedientiæ morbus ex elatione & superbia mentis oritur, quemadmodum ex malo vlcere sanies generatur. Sed quid dicit scriptura? *Odibilis coram Deo & hominibus est superbia, & omnis transgressionis initiũ.* Militia monachorum est imitatio Christi, qui patri obediuit vsq; ad mortem. Octauum locum exornat virtus pulcherrima castitas, qua contempta necesse iam est regularis vt omnis naufragetur integritas. Monachus enim de necessitate salutis suæ vsq; ad mortem iubetur caste viuere, & ab omni pollutione venerea perpetuo abstinere. Hæc enim tria sunt vota monasticæ conuersationis principalia, contra quorum obseruantiam viuere, monachorum est damnatio certa. Monachorum etenim professio sub æternæ damnationis sententia præcipit eos viuere sine proprio sub obedientia pastoris, & in perpetua castitate. Vno ex tribus his ablato, integritas monastica violata est, & damnat transgressio contemnẽtem. Nono igitur loco admonemus omnem hominẽ Deo dicatũ quatenus tãquam serpentẽ venenosum, propriã semper caueat voluntatẽ: quoniam nisi eam omni tempore suspectabam habuerit, facile in foueã damnationis cadit. Attendite regulam, quæ monachis nec corporis nec voluntatis propriæ pmittit potestatem. Nemo peccat inuitus. Si volũtatem tuã Deo & Abbati tuo in omnib. perfecte submiseris, peccatũ facile declinabis. Decimũ quod integritatem obseruãtiæ regularis conseruare potest in vobis fratres mei charissimi, est vt in omnibus aduersis & contrariis patientiam habeatis constantissimam propter amorem Dei. Est enim patientia virtus magna, quam tolerãtiam alio nomine vocamus: sine qua nemo tentationum suarum victor euadet. Propterea dixit in sancto euangelio dominus: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Quid est patientia

Seu sensuum custodia.

Monach. non potest habere pecuniam.

1. Tim. 6.

Eccl. 10.

Propria voluntas cauenda.

Patient.

Luc. 21.

nihil & suas & suorum iniurias & cætera quæq; aduersa pro Dei reuerentia & amore æquanimiter tolerare? Credite mihi fratres, sententiam apostoli dico: *patientia vobis est valde necessaria, vt voluntatem Dei facientes reportetis repromissionem.* Hebr. 10. Sit vobis patientiæ Dominus Iesus viuũ exemplar: quẽ totis viribus sequamini. Vndecimo fratres mei cauete ne corda vestra grauẽtur in crapula: quia monachus non debet ad satietatem manducare & bibere: sed abstinentiæ amore sẽper cũ quodam appetitu & esurie cessare. Dicit enim vir sapiens. *Qui diligit epulas, in egestate erit: & qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.* Prou. 21. A mate ieiunium: abstinentiam diligite: in omnibus continentiam & parsimoniam seruate. Hęc arma sunt clausstralium: hæc insignia spiritualis militiæ monachorum: sine quibus caro nõ vincitur, nec dæmones superantur. Affluentiam ciborum sermones comitantur inutiles: & vino repletus venter immundas concitat suggestiones carnis atq; libidinis: Si vis esse castus, abstemius esto: Turpissimum est monacho ventri seruire & gulæ, qui pro Dei amore cunctis simul mundi voluptatibus renunciauit. Duodecimum quod monachum in obseruantia regulari facit vtilem & strenuum est, vt sit diligentissimus circa diuinitatis obsequium. Enimvero qui verus Dei est seruus (quod esse monachi omnes debebũt) semper in opere creatoris sui feruidus est & diligens: & quia Deum vbiq; veraciter nouit esse præsentem, tota se illi deuotione parat in ministerium obsequiosum. Scriptum est enim: *Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter.* Hier. 48. Accedentes igitur ad seruitutem summi & incommutabilis Dei, fratres chariſſimi: dulciter, sapiẽter, feruenter & hilariter psallite: & quanta potestis deuotione ac puritate mentis creatorem & saluatorem vestrum sedulo collaudate. Absit procul à cordibus psallentium omnis pigritia, nõ admittatur vlla inter laudandnm somnolentia, quoniam cum Deus sit præsens in medio psallentium, decet omnino feruorem adesse deuotionis animorum. Omnia tempore diuini obsequii sint munda, omnia pura, omnia feruore charitatis plenissima, quatenus improbæ cogitationes locum non habeant, & omnia debite fiant. Peracto die, conmpletorioq; ex more decantato, mox vt monachus ad secretum cellæ peruenerit, examinet conscientiam suam, quibus se negociis occupauit. *Examen conscientiæ commendatũ.* Hæc fratrum consuetudo est Bursfeldinæ reformationis, optima atq; laudabilis, vt se nullus post completorium super stratum suum præsumat reponere, nisi prius conscientiam suam super commissis in die culpis vel negligentiis diligentissime studeat examinare. Quod si offendisse vos habito examine per diem in aliquo deprehenderitis, quid faciendum sit, docti longa consuetudine, scitis. Occulta mox in crastinum per contritionẽ & humilem confessionem delenda sunt, manifesta vero ad capitulum culparum, quod seruatur quotidie, referenda. Hic mos reformati est ordinis, hæc sanctæ institutio reformationis, vt culpas delinquentium fratrum nunquam permittamus crescere, sed mox vt oriri cœperint, eas curemus amputare. Quotidie purgandus est animus, quotidie propositum sanctitatis renouandum, quia sicut in eodem statu non possumus sine mutatione consistere, sic necessarium est nobis mentem ad pristinum charitatis feruorem continuo exercitio crebrius excitare,

Quæ sint veræ humilitatis indicia.

Sermo III.

NEmo se vestrum amantissimi fratres, propria sui æstimatione decipiat, nemo cor suum stulta & inani præsumptione seducat. Non omnes qui videri cupiunt, coram Deo sunt humiles: nec qui tacent ad iniurias, semper vere patientes. Verarum etenim virtutum radices consistunt in abscondito cordis, & non in sola exterioris demonstratione exhibitionis.

Cernimus quosdam in vobis, qui humiles reputari potius quam esse veraciter appetunt, & superbiæ signa multa, humilitatis vero aut nulla, aut certissime pauciſſima ostendunt. Compatimur vehementer nimium errantibus, sicut iure debemus, qui nomen virtutis habere cupiunt, sed virtutem contemnunt. Quem rogo decipitis miseri? Nonne vosipsos turpiter seducendo perimitis, qui contempta veritate mendacium amatis? Vt autem

autem sciatis quam superbe viuitis, indicia & signa veræ humilitatis per ordinẽ dicemus; quorum quædam in corde duntaxat manent abscondita, quædam vero etiam foris erumpentia, cunctis intuentibus fiant oportet manifesta. Sit hoc monacho verum perfectæ humilitatis speculum, in quo singulis diebus respiciens examinet semetipsum. Primum igitur verę humilitatis indicium vnusquisq; in semetipso potest agnoscere, quando se potest cunctis hominibus inferiorem & viliorem, non sermone fucato, sed humili cordis iudicio reputare. Hoc signum profundæ humilitatis est maximum, vt monachus ad meliorem conuersationẽ semper proficiens, inutilem se Dei seruum credat & indignum. Cordis est vera humilitas, non sermonis: mentis est studium, non solius corporalis demonstrationis. Monachus ille veraciter est humilis, qui Deum super omnia diligit, qui se ab omni transgressione mandatorum dei & regulæ purum in omnibus semper custodit, qui magna pietatis & iustitiæ faeit opera, & de se apud se vera æstimatione sentit humilia. Secundum veræ ac profundæ humilitatis indicium ille consequitur, qui bene currens in timore Domini ac perseuerans, suas negligentias omni tempore coram Deo & hominibus confitetur. Quanto enim plus in bonis operibus profecerit, tanto magis peccata sua & negligentias ante mentis oculos ponit. Contritionem pro suis delictis in corde gerit continuam, & semper compunctus animo, orans & gemens à Domino cum lachrymis petit veniam & miserationem. Nec solum pro suis, sed etiam pro totius mundi orat peccatis. Maximum contra mentis elationem remedium propriorum est memoria delictorum. Tertium humilitatis indicium, omnia quæ facit opera bona, penes se in secreto conseruare desiderat, & suum profectum propter humilitatis studium occultat.

Humilitatis veræ signa.

1.

2.

3.

Non enim vane gloriatur, qui humilis est, nec laudem quærit ab hominibus, qui gloriam sperat æternæ felicitatis. Quicunq; se vestrum humilem esse & verum monachum existimat, hoc signum profundæ submissionis & abiectionis propter Deum non contemnat. Quartum vere humilitatis indicium, in abyssum contemptus suiipsius voluntarie descendens, omnes confratres suos etiam aperte peccantes coram Deo se meliores existimat, sua mala bonorum oblitus sapienter considerat, aliorum vero mala silentio transiens, quæ fecerint bona, oportune manifestat. Hæc est veræ humilitatis conditio, vt semper aliorum opera bona miretur & prædicet, sua vilipendat propter euitationem superbiæ prudenter & occultet. Quintum veræ humilitatis signum consecutus, in sua simplicitate quietus est, & de aliorum defectibus non loquitur, nisi vel ratione officii, vel charitatis imperio compellatur. Seruat tamen in correctione prudens humilitas modestiam, vt eum quem corripiendo seuerius, meliorẽ non potest efficere, leniter & mansuete studeat admonere. Increpationes etiam interdum sapienter dissimulat, & magis opportunum tẽpus expectat & obseruat. Sextum humilitatis signum ostenditur, quando monachus ad arguendum & reprehendendum aliorum peccata humilitatis amore tardus & non facilis inuenitur. Qui enim veraciter est humilis, semper propriam infirmitatem considerat, & quanta commiserat ipse contra Dei iustitiã mala, tacitus in occulto pensat. Hinc aliorum facta reprehendere valde metuit, quoniam se peccatorem, & propterea iudicare alios indignum recognoscit. Monachorum prælatos atq; rectores ab hac norma humilitatis pro tanto excipimus, pro quanto eos fore obligatos ad correctionem subditorum scimus. Septimum veræ humilitatis signum, correptiones & emendationes pro culpis & negligentiis suis libenter suscipit, & nullo contra reprehendentem se dolore amarescit. Quotiens vero humilis ab aliquo corripitur, cum propheta in spiritu lætatur dicens: *Corripiat me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* De superbis vero dicit scriptura: *Oderunt corripientem in porta.* Qui vere humilis est corripientem se diligit, adulantem vero fugit. Octauum veræ humilitatis indicium manifeste ostenditur, quando correptus culpam non defendit, non negat, non palliat, non excusat, sed simplici verecundia confitetur.

4.

Qui monachis præsidet, non vbiq; omnia debent indicia humilitatis.

5.

6.

Psal. 140.

Amos 5.

7.

8.

Monachus vere humilis dum corripitur, non murmurat, sed mẽsuram æquitatis ex-

tis exceſſiſſe non reclamat, ſed mox cadens in terram coram iudice māſuetiſſime clamat, Peccaui, culpam fateor, veniam precor, emendam polliceor. Nonum monaſticæ humilitatis indicium habentem facit eloquio mitem, dulcem, modeſtumq;, & in voce non clamoſum. Monachum, quem in loquendo clamoſum & præcipitem videris, non humilem, ſed ſuperbum & temeratium iudicabis. Humilis autem modeſte & quaſi ſub ſilentio loquitur, & ſemper audire paratior, quam loqui corā aliis inuenitur. Turpe eſt monacho vocem nimium exaltare dū loquitur, quippe qui mundo crucifixus, amare ſilentium iubetur. Decimum perfecte humilitatis indiciū ille poſſidet, qui omnia quæcunq; audierit de ꝓximo, interpretari ad meliorem partem ſolet. Dicit enim ſaluator noſter in ſancto euang. *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Et iterum: *Qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Sanctus quoq; apoſt. dicit: *Nolite ante tempus iudicare, quo ad vſq; veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: Tu quis es qui iudicas alienum ſeruum? Suo domino ſtat aut cadit, non autem tibi.* Vndecimum ſanctæ humilitatis indicium, nullum hominem propter quoſcūq; exceſſus in corde ſuo deſpicit, ſed omnes ſibi ſanctitatis merito præponit. Omnes etiam delinquentes publice, meliores ſe forte exiſtimat, & propterea neminem condemnat. Quid ipſe fecerit mali, ſemper in corde ſecum cogitat, aliorum vero bona præponderare ſuis humiliter penſat. Vnde neminem ſpernit, neminem vilipendit, neminem contemnit, qui ſaluos fieri omnes in domino cōcupiſcit. Duodecimum perfectum veræ humilitatis ſignum. laudari ab hominib. non appetit, ſed quotiens commendatur ab aliquo, cum dolore mentis ingemiſcens erubeſcit. Cum vero laudes aliorum recitari in conuentu audierit, congaudēs proximi laudibus, exultansq; animo hilareſcit. Suas audire laudes ſine cordis amaritudine non poteſt, qui perfecte humilis eſt: quoniam qui ſpem ſuam in Dominum Ieſum repoſuit, omnem huius vitæ gloriam contemnit. Tertium vero ſupra decimum veræ humilitatis indicium eſt. laudes & fauores non ſolum in veritate mentis contemnit, ſed eos etiam à quibus laudari ſe conſpicit, prudenter declinat. Qui vere humiles ſunt, laudatores ſuos fugiunt, & quotiens laudantur, nihil reſpondentes obmuteſcunt. Grauis eſt humili magnæ reputationis æſtimatio: & tanto plus in ſemetipſo cōfunditur, quanto ab hominibus amplius prædicatur. Vera nanq; humilitas vituperata proficit: laudata periculum incurrit. Quartum poſt decimum perfectum humilitatis monaſticæ ſignum. in correptionibus & detractionibus, ſi quas patitur, ſpirituale concipit gaudium, & magnum diuini amoris incrementum. Iniuriatus compungitur, & peramplius ad mundi contemptum prouocatur. Quotiens iniurioſe ab aliquo reprehenditur, ſi humilis eſt, ſe iuſte correptum arbitratur. Non enim ſuam innocentiam in obiectione conſiderat: ſed quia Deum grauiter in aliis offenderit, humiliter & compunctus penſat. Quintū vero poſt decimum perfectæ humilitatis indicium, nunquam ſe corripienti recalcitrat, ſed in omni tranquillitate animi ſilentium ſeruat. Vitia reprehenſori ſuo etiam notiſſima in faciem non proiicit, nec aliquas argumenti cauſas quærit. Non querulatur ſibi fieri contumeliam, nullam opponit cōtra temeratium excuſationem, nec verbis verba conſueuit rependere, ſed velut mutus ad omnia tacere. Sextum ſupra decimum profundæ humilitatis ſignum, cuncta mundi ſolatia deſpicit, & nullas mortalium amicitias requirit. Vera etenim humilitas, quæ pro Chriſti amore aſſumitur non aliunde quam in ſolo Chriſto delectatur. In Chriſti autem amore non poteſt conſiſtere, niſi quis & ſuam voluntatem & mundum cum omnibus inordinatis voluptatibus didicit abnegare. Sic enim dicit in ſancto euangelio dominus: *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem & vxorem & filios, & fratres & ſorores, adhuc animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Septimum vero poſt decimum humilitatis ſignum, in plura ſe non diuidit, hominum ſubuentiones & beneficia magnopere non requirit, ſed in ſua mediocritate vel etiam extremitate humiliter conſiſtit.

IX. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII.

Matt. 7. 1. Cor. 4. Rom. 14. Luc. 14.

Pro beneficiis hominum acceptis non multum conſueuit applaudere, ſed verbis paucis atq; ſimplicibus ſe gratum exhibere.

Munuſcula infirmorum diſſoluunt animos,

animos, & incautos multotiens in sermone inutiles reddunt atq; superfluos. Enimvero qui vere humilis est, mundanorum non delectatur colloquiis, quoniam sæpe impediunt propositum puritatis. Amor Christi non diligit publicum. Octauum supra decimum humilitatis signum, omnibus patiẽtibus propter Christi amorem ex corde compatitur, & aliorum defectus infirmitatesq; patientissime tolerat, atq; pro delinquentium emẽdatione orat. Vera namq; humilitas peccantibus infirmis viscera pietatis & compassionibus exhibet: falsa autem & simulata quoniam vere superbia est, dura & indiscreta seueritate contra fragiles tumet, multisq; fit causa periculi, quando in corrigendo excedit normam charitatis Dei. Qui autem veraciter est humilis, semper modum correctionis debitum timet excedere, & ideo plus inclinatur, ad misericordiam, quam ad nimiam seueritatem. Nonum post decimum vere humilitatis indicium, ab omni mentem prẽseruat inuidia, & cunctis hominib. fauet & bona imprecat. Diuinæ pietatis munera nulli inuidet, gratiam Dei omnibus auet, aliorum profectibus congaudet. Neminem Dei beneficiis indignum iudicat, omnes se meliores putat. Commodum pximorum suum existimat, quoniam omnes vt semetipsum amat. Vicesimũ perfectæ humilitatis signum, multitudinem peccatorum suorum cum amaritudine cordis ad memoriam reuocat, & propter ea se omni beneficio & gratia Dei indignum putat. Vnde profundum humilitatis petens, publicanum imitatur euangelicum, qui suorum delictorum habens memoriam, nec oculos volebat eleuare in cælum. Monachus enim, qui pro Christi amore veraciter est humilis, semper in corde suo compunctionis sanctæ gerit tristitiam, & eorum quæ fecit malorum, pœnitentiam. Vicesimum primũ cœnobiticæ humilitatis indicium, plus aliorũ quam suo credit iudicio, & propriam voluntatem propter Christum imperio totaliter subiicit alieno. Attendant in vobis, qui pròprii capitis sui sequuntur iudicium, si apprehendere queant aut velint hoc monasticæ humilitatis signum. Vere namq; humilitatis monasticæ paucos hodie obseruatores cernimus, qui plures eam profitentes monachos videmus. O tempora, ô mores, in quibus humilitatem promittimus omnes, & promissam custodire inuiolatam paucissimi veraciter curamus. Vicesimum secũdum cœnobiticæ humilitatis signum, vestes pulchras, nouas, preciosas, abominatur & despicit, & omnia indumenta ab aliis piecta habere & induere concupiscit. Vilioribus libens vtitur, & in his quæ comẽnunt alii, plurimum delectatur. Non decent monachum vestimenta pulchra & ornate composita, sed vilissima, quibus defendatur corpus ab aëris intemperati duntaxat iniuria. Omnis enim curiositas interdicta est claustralibus, qui ratione professionis suæ coram Deo factæ, ad mũdi contemptum obligantur. Humilitas alta fugit, quæ humilia sunt, quærit. Tertium vltra vicesimum humilitatis monasticæ signum ostendit monachum seruilem fratribus, & obsequiis voluntarie deditum, & ad omnia quæcunq; iussus fuerit, paratum. Vera etenim humilitas etiam inferioribus promptissima voluntate obsequitur, & nunquam contra præcipientem indignatur. Quantum prævalet, omnibus famulari pro Christi amore desiderat, qui Deum in toto corde fideliter amat.

XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII.

Quicquid enim seruitii fratribus impenderit, Christo exhibitum firmiter totum credit. Quartum supra vicesimum humilitatis signum tunc monachus in veritate consequitur, quando propter Dei amorem viliora in monasterio curare officia, quæ cæteri contemnunt, delectatur. Hunc veræ humilitatis gradum plures quondam ascendisse legimus, quos magni apud Deum esse meriti non dubitamus. Dicit enim in sancto euangelio Dominus: *Omnis qui se humiliat, exaltabitur, quoniam Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Luc. 18. Iacob. 4.

XXIV.

Humilis monachus imitatur Christũ, superbus diabolum. Quintum atq; vicesimum monasticæ humilitatis signum est in conuẽtu quorumlibet hominum semper inferiorem sedendi locum quærere, & nec æquali nec inferiori se præferre. Non est monachorum de loci præminẽtia superbe contendere, nec decet militem Christi honore alios velle superare. Verus etenim monachus, qui humilitatẽ diligit, omni extremitate contentus, neminem præcellere concupiscit. Sextũ sui pra'vi-

XXV. XXVI.

Luc. 18.

pra viceſimum humilitatis indicium, illi maxime conuenit, qui cum ſit doctus & eruditus, propter demiſſam ſui humiliationem, omnem doctrinam & ſcientiam abſcondit. Monachus enim qui vere humilis eſt, ſemper ad audiendum paratior, quam ad loquendum. Dicit namq; diuinus preſbyter Hier. *Monachus non docentis ſed plangentis habet officium, qui vel ſe lugeat vel mundum, & domini pauidus præſtoletur aduentum.* Arrogantia monachorum & Deo & hominibus odioſa eſt, & peccato ſemper obnoxia. Septimum poſt viceſimum humilitatis ſignum, ille perfecte conſequitur, qui amore diſciplinæ regularis tacere magis quam loqui delectatur. Humilis Chriſti amator ſilentium diligit, & ne offendat in ſermone, loqui pauciſſima conſueuit. Raro inuenitur apud loquaces humilitas, & qui velox eſt ad loquendum, præcipitat animam ſuã. Monachus loquax & garrulus non caret ſuperbia: & qui ſtultus eſt, multiplicat verba. Quiſquis in ſpirituali certamine aduerſarium ſuum per humilitatem ſuperare deſiderat, linguam ſuam à multiloquio & ab omni ſermone ocioſo refrenare non omittat. Scriptum eſt libro Proverbiorum, quoniam *in multiloquio non deerit peccatum.* Octauum poſt viceſimum perfectæ humilitatis ſignum quiſquis adeptus fuerit, riſum & omnes inordinatos cachinnantium geſtus euitabit. Monachum planctus maxime decet, non riſus, vt pote qui cunctis mundi leuitatibus eſt mortuus. Dicit autem vir ſapiens: *Fatuus in riſu exaltat vocem ſuam: vir autem ſapiens vix tacite ridebit.* Nonum ſupra viceſimum perfectæ humilitatis indicium à timore domini ſumit exordium, pro cuius honore quantum præualet, omne fugit & deteſtatur peccatum. Omnis enim qui peccare non metuit, humilis veraciter non fuit. Monachus autem qui Chriſtum pro viribus in vera humilitate ſequitur, omne peccatum conſueuit fugere, & quantum poteſt, ſe in virtutum ſtudio exercere. Confitetur peccatum ſuum humilitas, & quotiens etiam in minimis offenderit, donec emendauerit omnia per veram pœnitentiam, non quieſcit. Qui veraciter eſt humilis, pro ſeruanda conſcientiæ munditia ſemper etiam inuenitur ſtudioſus.

Hier. lib. contra Vigilant. *XXVII.* *Prou. 10. XXVIII.* *Eccl. 21. XXIX.*

Humilitatis enim nutrimentum eſt charitas, quæ habentem non permittit ocioſum. Triceſimum veræ humilitatis ſignum confirmatum in propoſito ſanctitatis oſtendit monachum, & facit eum cunctis fratribus etiam iunioribus ſubiectum. *XXX.*

Quicquid mandauerit paſtor, obedit ſimpliciter: nunquam præcepta ſenioris diſcutit: cauſam cur ita iubeat, nõ requirit. Ad impoſſibilia ſi præcipiantur, animo eſt promptulus, ad quæcunq; dura & ardua ſine contradictione paratus. Conſilio paſtoris ſui dirigitur, illi credit, illi confidit, illi obſequitur, illius imperio volens gubernatur. Audiſtis iam fratres mei chariſſimi triginta veræ humilitatis indicia, ò bone Deus, vbi ſunt opera? Quis noſtrum gloriabitur veram ſe habere humilitatem, vt in his ſignis nullum pariatur defectum? Hæc pro pudor ſunt noſtra tempora, in quibus charitas multorum refriguit, periit ſanctæ religionis integritas, deuotio pene omnium expirauit. Monachi noſtri ſanctitatem quærunt ſine virtutum merito, meritum habere volunt ſine laboris exercitio, propterea ſanctus hodie nõ reperitur in monaſterio. Feruor ſanctæ compunctionis in multis nimium eſt rarus aut tepidus, quoniam vbi carni & ſanguini viuitur, feruor internæ charitatis non habetur. Non ſatis eſt tibi ò monache, qui de obſeruantia gloriaris, nihil habere proprium, fœminam non tangere, ſub obedientia paſtoris in monaſterio reſidere, non manducare carnes, & in cæteris quæ ſunt exteriora diſciplinæ regularis, iuxta monaſticam inſtitutionem viuere, niſi cum ſumma diligentia ſtudeas etiam interiora tua per veram charitatem Dei & proximi exornare. *Matt. 24*

Charitas enim finis eſt obſeruantiæ regularis, ad cuius acquiſitionem cætera omnia ſunt principaliter inſtituta. Vnde ſine charitate Dei nihil tibi proſunt omnia, quoniam ipſa & vnica eſt & ſola quæ diſcernit inter opera bona & mala. O monache monache, quicunq; ſine feruore charitatis tepide conuerſaris in monaſterio, putaſne quod exterior apparatus diſciplinæ ſaluum facere poſſit? Charitas eſt quæ habentem ſanctificat, charitas reliquas Deo virtutes & omnia bona opera commendat. *Charitas meta eſt & finis totius regularis vitæ.*

Habe-

Habeto charitatem, & erunt grata Deo cuncta quæ facis opera pietatis.

De ardua via quæ ducit ad vitam.

Sermo IV.

AVdiuistis fratres chariſſimi dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum hodierna lectione in ſancto euangelio dicentem: *Matt.7.* *Quam angusta est porta & arcta via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam.* *Ioan. 14.* Nonne ipſe Chriſtus eſt via, qui dixerat. *Ego sum via, veritas & vita?* Et quomodo *Matt.11.* nunc dicit eam arctam eſſe & anguſtam, cum ipſe ſit qui dixerat, *Tollite iugum meum super vos, & discite quia mitis sum & humilis corde? Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Quid aliud eſt iugum Chriſti, quam arcta via & anguſta ad regnum Dei? Quomodo ergo & leuis & anguſta? Audiat charitas veſtra. Iugum Domini Ieſu ſuaue eſt bonis, durum & importabile reprobis. Via Chriſti ad vitam lata eſt & iucunda exercitatis in charitate humilibus, anguſta vero & amara ſuperbis. * Nihil eſt enim tam durum, nihil tam terribile, nihil tam arduum, quod amanti Deum uon ſit facile & iucundum. Rurſus nihil eſt tam leue, nihil tam facile, nihil tam paruum, quod malæ voluntati nõ ſit graue & oneroſum. Idcirco dixit Dominus: *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde*

Si vultis portare iugum meum ſuper vos, primo manſuetudinem & humilitatem cordis mei diſcite, quoniam niſi mites & humiles fueritis, ſarcinam meam quaſi graue pondus & importabile onus portare minime ſufficietis. Humilis ſum via, ſuperbos non capio: anguſta ſum porta, tumidos non admitto. Niſi omnia quæ mundana ſunt, animo ſpreueritis, niſi carnis voluptatibus vim neceſſariam intuleritis, quaſi onuſtum peccatis animal, per me ad regnum intrare non poteſtis.

Via ſum humilis, & mites humileſq; recipio, Ianua ſum arcta, pauperes ſpiritu & corde mundos intromitto. Ad vitam æternam fratres per viam veritatis anguſtam tendimus, oportet vt nobis omnia quæ ad tam arduum iter ſunt neceſſaria, in tempore procuremus. Sunt autem viatoribus quatuor in primis neceſſaria, ſine quibus periculoſum eſt iter, & ad ſcopum raro peruenitur. Primum quod viatoribus dicimus eſſe neceſſarium, cognitionem eſſe credimus viarum. Nam qui ſine cognitione viarum præuia procul ambulare nititur, periculoſis quandoq; erroribus implicatur. Aut ergo viam prius diſcat prudens viator, aut peritum ſibi aſſumit comitem itineris, ne vel in manus latronum incidat, vel à recto itineris tramite recedat. Ad patriam igitur cæleſtis regni cupientes redire per viam nimis anguſtam & paucis cognitam, ipſum neceſſe eſt itineris habeamus ducem & comitem, Ieſum Chriſtum, qui ſe viam nominauit & veritatem. Extra Chriſtum non eſt vera ſcientia: & qui Chriſtum ſui comitem itineris habere negligit, in vanum & ſine fructu currit. Diſcamus ergo viam vitæ, chariſſimi fratres, ſine cuius ſcientia nemo pertingit ad patriam, ad vitam nemo perueniet æternam. Credamus firmiter Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum vnicum mediatorem Dei & hominum, verum Deum & hominem, extra cuius fidem nemo ſaluabitur, quãtumlibet innocenter conuerſari videatur. Ipſe quippe in ſancto euangelio dicit: *Qui credit in vnigenitum filium Dei, habet vitam æternam in ſeipſo manentem.* *Ioan. 3.* *Qui autem non credit in filium, manet ira Dei ſuper eum.* Quid eſt, *manet ira ſuper eũ*: niſi quod non remouetur ab eo primum originale peccatum? Nam poſt inſtitutionem noui teſtamenti per ſolam Chriſti fidem remouetur originale peccatum à credentibus in eum. Circumciſio patribus data fuit, in ſignum futuræ ſalutis, nullus tamen eorum prius intrare ad regnum cælorum potuit, quam Chriſtus ſaluator à mortuis reſurrexit. Extra fidem ergo Chriſti non eſt ſalus, quoniam ſicut ipſe dixit; *qui non crediderit, iam iudicatus est & condemnabitur.* *Ibid.* Maneamus in Chriſto per fidem & amorem, quoniam ipſe via ſalutis eſt, ipſe veritas ſine errore, ipſe vita ſine morte. Si dominum Ieſum itineris noſtri ducem habuerimus, confidenter ambulamus. Secundo viatoribus neceſſarium eſt, vt per terras ſui itineris tranſeant ſine cuiuſquam iniuria, quoniam ſi aut furtum, aut latrocinium, vel ſimile quodcunq; aliud peccatum in rempublicam commiſerint, vltimo venirent plectendi

Via ducẽti ad cælũ quatuor neceſſaria 1.

2.

ſupplicio,&non pertingerent ad propoſitam itineris deſtinationem. Nos autem in via poſiti,fratres, qui tendimus ad patriam regni cæleſtis,diligentiſſime caueamus,ne quid committamus verbo,facto vel cogitatu iuſtitiæ Dei contrarium, ſed tribuamus vnicuiq; ius & debitum ſuum, Deo in primis pietatem,cultum & charitatem,proximo dilectionem, nobis perfectæ puritatis ſanctimoniam.Enimvero ſi aliter quam Chriſtus docuit vixerimus, in recta via ſalutis,quæ ducit ad regnum, nō manemus.Manebimus autem in via; ſi mandata Dei cuſtodierimus. Ambulabimus in veritate,ſi ipſum dominum Deum noſtrum in fortitudine mentis dilexerimus.Perueniemus ad vitam, ſi declinantes à malo in exercitio boni continue perſeueramus. Tertio ſumptum itineris habere neceſſarium eſt, quia ſi viaticum defecerit ambulantibus, ad propoſitum locum non poterunt peruenire. Viator autem prudens,priuſquam domum exeat ſuam,tempus & magnitudinem itineris apud ſe computat,& ſecundum quod requiririt neceſſitas,viaticum &ſumptus parat.Iter nobis & magnum reſtat & arduum, oportet vt ſumptus præparemus plures in annos,ne deficiamus in hac via qua pergimus. Viaticum huius itineris noſtri ad patriam ſupercæleſtem,non aurum eſt,non argentum, non fallaces diuitiæ ſeculi,ſed fides Chriſti,& amor dei. Sanctæ virtutes ad regnum cælorum viaticum indeficiens ſunt animæ,quib.confortata viam Dei ambulet in hilaritate. Anima Chriſto fidelis,& ſanctis comitata virtutibus,arduam viam hilariter peragit huius longæ peregrinationis.Deum ſuper omnia diligere, in bonis ſe operib. iugiter exercere,in omni puritate ſeruare conſcientiam,nulli facere iniuriam,verum præſtat animæ viaticum ad patriam in cælum ſempiternam. Quarto viatoribus neceſſarium conſulitur, ne priuſquã perueniant ad finem itineris, cœpti propoſiti obliuiſcantur. Stultus etenim viator dicendus eſt, qui puerorum ludis reuocatur ab itinere,& obliuiſcitur quo tẽdebat ire.Et nos,fratres chariſſimi,qui viam religionis monaſticæ arripuimus,nec eſſe eſt vt ſemper finem noſtrum cogitemus,quoniam nobis etiam non aduertẽtibus quotidie mors properat,& imparatos ſimul & paratos iudicio præſentat Agamus interea bonum dum licet,quantũ poſſumus,& conuerti ad dominum in toto corde non tardemus. Chriſtus eſt via, per quam ad regnũ Dei pergimus. Chriſtus eſt veritas, in qua manentes non erramus. Chriſtus vita eſt quam ſperamus. Audite fratres, quid ipſe dicat in ſancto euangelio: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum,& tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Hæc eſt via,quam à principio monaſticæ profeſſionis eſtis ingreſſi, quam ſi vultis recte & laudabiliter pergere, oportebit vos in obſeruantia regulari pure conuerſantes, Chriſtum ſuper omnia amare. Veſtrum eſt fratres nihil in hoc mundo diligere, & carnem pro amore Dei caſtigare. Monachorum eſt omnes delicias & voluptates præſentis vitæ cõtemnere, & nihil aliud quam ſempiternas epulas deſiderare. Monachorum eſt Chriſtum pro viribus imitari, & vitam ſuam ad euangelicam inſtituere puritatem.Imitari Chriſtum,ſumma perfectio eſt.Miniſter Chriſti fidelis dominum ſuum ſequitur, & vbi Chriſtus eſt, illic & miniſter eius erit,Quicunq; igitur veſtrũ propriæ ſalutis amator,ad regnum cælorum venire poſt Chriſtum deſiderat,quicunq; cuſtodire &ſeruare vſq;in finem ea quę promiſit in religionis ingreſſu,optat, etiam iſta cuſtodiat. In primis quantum prævalet,monachus diſcat per fidem & deuotionem Deum in ſynceritate mentis cognoſcere, & ſe omni tempore in ſcripturis ſanctis pie & ſobrie occupare. Ea quæ ſancta fidelium mater eccleſia vel credenda vel ſeruãda ſtatuit fideliter firmiterq; & credat & cuſtodiat,nec ab eius determinatione vllatenus recedat. Omnes qui remanſerant extra arcã,diluuium quondã pdidit,ſolus Noe cũ his qui fuerunt in arca,ſaluus euaſit. Arca figuram eccleſiæ præſtitit,&res facta myſterium figurauit. Vnde non eſt hominibus ſalus extra eccleſiam, quam dominus noſter Ieſus Chriſtus ædificauit ſupra petram firmiſſimam. Infidelis quiſq; non eſt in eccleſia,ergo peribit neceſſario, ſicut illi quondam qui non fuerunt in arca. Omnes enim qui non credunt in dominũ & ſaluatorem mundi Ieſum Chriſtum, Iudæi,Pagani,Gentiles,Saraceni,item hæretici aũq; ſchiſmatici, qui ſe ab vnione eccleſiæ catholicæ ſubtraxerunt, extra ſalutis arcam ſunt poſiti,&ſi perſeuarauerint

Matt.16.

Ioan. 12.

Monacho viam ſalutis aggreſſo quæ ſint neceſſaria.

Heb. 11. rint in errore, proculdubio cũ dæmonibus perpetuo damnandi. Cum ergo fides sit fundamentum salutis, sine qua impossibile est placere Deo, sciat monachus oportet, quid credere debeat, & ne contingat eum errare, euangelium & constitutiones ecclesiæ concernentes eum discat. *Nam qui ignorat, ignorabitur.* Turpissimum est monacho, fidei regulas nescire Christianæ, & quid teneatur credere ad salutem, penitus ignorare. Non dicimus, quod ea quæ vobis proponuntur credenda, curiose argumentando debeatis discutere, cum vt sanctus dicit papa Greg. *fides non habeat meritum, cui humana præbet ratio experimẽtum.* Hoc autem monemus, quod monachus in diuinis scripturis debet esse studiosus, vt sciat quid eum sancta mater ecclesia iubeat credere, ac possit omnes errores fidei contrarios præos præcauere. Sit ergo miles Iesu Christi monachus omnis in fide catholica firmus & stabilis, sit in scripturis sobrius & studiosus, & in bonis operibus continuus. Secundum quod ambulãti monacho in via salutis æternæ credimus esse necessarium, est vt studeat cognoscere semetipsum. Cognitio enim sui ipsius omnium scientiarum est optima: & ideo cunctis mortalium studiis merito præferenda. Huius tamen scientiæ salutaris nimium est difficile principium, propterea quod pauci sunt valde, qui non diligant mundum. Omnis enim qui mundum sequitur, & diligit vanitates quæ transeũt, sui ipsius cognitor esse non potest. Et nihil plus impedit hominem à cognitione sui, quam ipse homo. Qui voluptatibus carnis suæ pascitur, qui vana scientia huius mundi, siue diuitiis siue honoribus in superbiam eleuatur, venire ad cognitionẽ suiipsius non permittitur. Veruntamen multa scire & seipsum negligere, non sapere est, sed potius insanire. Ad grauioris dãnationis cumulum pertinet multa discere, & semetipsũ turpiter ignorare. Cogiter igitur quisq; vestrum, quid sit, vnde sit, & quid futurus sit. Homo per seipsum certe nihil est, sed quicqd est, ex Deo est, & propter Deum. Quid est homo, nisi viator & peregrinus quasi vnius diei super terram, qui hodie viuus in mundo cernitur, sed mane raptus per mortem amplius nonvidetur? Omnis vita nostra, omnis actio, omnis dies, omnis hora, quam nihil sumus ostendit, qui viuendo morimur, agendo corrumpimur, cũ tempore extinguimur & mutamur. O lachrimosum genus hominum, instabile, miserum & infirmum, quam ventosum, cæcum & vanũ te conspicio, dum ex illis qui nos præcesserunt ad mortem, ad præsentes nos cõparationem facio. Verum dixit, qui te folio arboris comparauit. Ventus de arbore rapiens folium in terram proiicit, in cuius locum aliud nouum postea simili subiectum casui succrescit. Quod autem in terram resoluitur, & nunquam deinceps ad arborem reuertetur. Hinc quidã Græcorum sapiens dicit: *Quale genus folium, tale est genus atq; virorum.* Hominum genus foliorum generi similimum est, qa viresc it ad tempus, & in terram resoluitur, & nec folium ad arborem, nec homo ad vitam reuertitur. Sequitur iam tertiũ, quod monacho in via Dei ambulanti valde puto necessarium. Omnis homo qui semetipsum viatorem huius vitæ breuissimi temporis intelligit, se humilem in omnibus veraciter ostendit. Ad quid enim terra superbiret & cinis? Elatus esse non poterit, qui seipsum veraciter cognoscit. Nullam fratres mei causam habemus elationis & superbiæ, sed humilitatis multam atq; continuam, quippe qui terra sumus, & pulueris quædam compactio, atque post paucos dies iterum in puluerem reuersuri. Sed quia paucorum est vera humilitas, idcirco via salutis angusta dicitur: & à paucis inuenitur. Humilitate peruenitur ad regnum, quoniam dicente in sancto euangelio domino, *omnis qui se propter Deum humiliat exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur.* Quarto viatori monacho ad cælum summe est necessarium, quatenus ab omni peccato se faciat alienum, quoniam ad regnum Dei nemo intromittitur, nisi qui summa conscientiæ puritate commendatur. Vnde sanctis virtutibus ac bonis operibus continue ornanda est conscientia, quia illis duntaxat aperitur cælum, qui pro Dei amore despiciunt mundum. Hinc Petrus Christi sanctissimus archiapostolus in epistola secunda dicit: *Vos autem omnem curam subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatẽ.*

G. hom. 26. in euã

II.

Iob. 13 Esai. 64. Homerus in Iliade. Tale quidem genus est hominum, quale est foliorum.

III.

Luc. 14.

IV.

2. Pet. 1.

ect.1.6.d vß.c.4. & 7.c.25. *Vna fides Christiana saluat.*

Hæc autem si vobiscum adsint & superent, non vacuos nec sine fructu vos constituent in cognitione domini nostri Iesu Christi. Vnde est, Firmiano testante, virtus ac via bonorum, quæ animas exutas à carne ducit ac vehit non in fabulosos poetarum Elysios campos, sed in angelicos choros, fides scilicet Christiana per opera veræ charitatis decorata, quæ omne fugit peccatũ. Quinto viatori per arduum iter cælestis regni præcipitur, vt Dei voluntatem seruãdo, mandata in omnibus sequatur. Quicquid vel dicturus vel acturus est, prius diligenter examinet, si cum Dei & ecclesiæ ordinationibus concordet. Quod si vel Deo vel ecclesiæ inuenerit esse contrarium, fugiat subito, ne incidat peccatum. Sapientis enim est viri nihil inexaminatum committere, sed omnia per prouidentiæ consilium antequam agat, diligẽter cogitare. Qui autem in hoc itinere arduo vult esse tutus, atq; securus, vitam & mores pro viribus imitetur domini nostri Iesu Christi, qui lux est omnibus in vitam æternam. Sextum quod viatori nostro iudicamus necessarium, est, vt salutare diligat studium scripturarum. Non sit curiosus in lectione, nec vanis superstitionibus deditus, sed animo simplex, purus & rectus. Monachum non decet scripturis inhærere gentilium, nec fabulis studium accommodare turpium poetarum. Qui sectatur vana, nunquam erit sapiens: & qui curiosa quærit, cito defluet in peccatum. Omnem vanæ superstitionis lectionem semper fugiat monachus: & quicquid non conducit ad diuinarum scientiam scripturarum, viatori nostro omni tempore est contemnendum. Septimo viatori nostro iudicamus valde necessarium, quatenus & sensus & cogitationes suas prudenter dirigat, & ab omni concupiscentia inordinata custodiat. Asellus noster proteruus freno disciplinæ coercendus est, ne sessorem spiritum præcipitet in infernum. Qui se ambulare in conspectu videntis omnia semper cogitat, conscientiam suam puram & mũdam summa diligentia conseruat. Semper in timore domini vigilat, semper in ieiunio & abstinentia corpusculum pro amore cælestis patriæ castigat. Monachus qui se peregrinum agnoscit & aduenam in hoc mundo, cælestis patriæ nunquam obliuiscitur, quoniam nihil cernit in via præsentis vitæ, in quo animus delectetur. Viator etenim prudens nulla viarum spectacula considerat, nihil eum in sua peregrinatione rerum transeũtium delectat, sed ad finem itineris omni tempore suspirat. Dulcem semper cogitat patriam, grauiter fert suam prolongari vel retardari peregrinationem, & idcirco nihil in hoc mundo præter dominum Iesum habere desiderat, in cuius apparere conspectu sedulo festinat. Octauum viatori nostro necessarium, est diuinæ charitatis exercitium indefessum. Nemo enim ad cæleste patriam venire poterit, qui à charitatis itinere discedit. Charitas Dei ad Deũ via est: quam si quis in se ardentem habere neglexit, à vero itinere cælestis patriæ miserabiliter errauit. *Deus*, inquit scriptura, *charitas est: & qui manet in charitate, in deo manet, & Deus in eo.* Qui autem in charitate non est, iam procul recessit à via salutis & ambulans in tenebris peccatorum, nũquam perueniet ad regnum.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

1. Ioan. 4.

Quemadmodum sit fugiendum peccatum.

SERMO V.

AVdistis fratres mei charissimi omnes, quid de peccatorib. dixerit S. Ioan. apost. *Qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat.* Metuenda & nimium fomidanda sententia. Si omnes qui faciunt peccatũ, ex diabolo sunt, & in multis offendamus omnes, quantos inueniemus à peccato immunes? Dicit nihilominus consequenter: *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semẽ ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniã ex Deo natus est.* Præmiserat autem & dixit: *Si dixerimus quoniã non habemus peccatum, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Quid sibi vult hæc ipsa contradictio, vt nemo filiorũ Dei sit absq; peccato peccatũ nõ faciat q̃ est natus ex Deo? Nulla istic inuenitur cõtradictio, quoniã vtrunq; verum est, quia & nemo sine peccato est in eo, q̃ nemo est sine lege peccati: & qui est natus ex Deo, peccatum non facit, quia per legẽ mentis, id est per charitatẽ, quæ Dei semen est, peccatum non facit. *Charitas enim operit multitudinem peccatorum*, sine qua nullum est opus bonum, & ipsa sola potens est delere omne peccatum. Hinc sanctus dicit præsul Augustin. *Nullus sanctus & iustus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse iustus vel sanctus, si cum affectu teneat sanctitate.*

1. Ioan. 3.

2. Ioan. 1.

2. Pet. 4.

De eccl. dogm. c. 85.

Sed

Sed ista peccata iustorum non sunt mortalia vel enormia putanda, sed parua & venialia, sine quibus vita præsens vix agitur, quoniam procul à iusto sit omne peccatum mortale, si nomen iustitiæ debeat retinere, necesse est. Peccatum nanque mortale hominem à Deo separat, animam necat, & cum dæmonibus in æternum damnat. Hoc pernicioſum genus peccati mortalis cauere per Dei gratiam possumus, & per arbitrii rectitudinẽ sollicite debemus. Propterea enim facti sumus monachi, vt cautissime viuentes sub obedientiæ salutaris imperio mortalis non incideremus foueam peccati. Sẽper itaq; vigilandum est monacho in operibus bonis, vt à mortali scelere viuat immunis. Quisquis autem in via Dei carnem sibi molestam sentit atq; contrariam, necesse est, vt eam per pœnalium memoriam faciat spiritui subiectam, & quasi per metum obedientem. In primis ergo monachus propriæ salutis amator fallacem huius mundi statum deceptionemq; semper attente consideret, & quã cito transeat omnis delectatio carnis, penset.

Quanam suadeant peccati fugam.

Ille à peccatis animum suum facile potest retrahere, qui voluptatem carnis breuissimam, pœnam vero peccantibus debitam sedulo cogitauerit æternam. Mundus transit simul & concupiscentia eius; homines quoq; moriendo transeunt omnes, & nemo diu in hac vita manere permittitur. Quid enim est mũdus, nisi mare magnum, profundum & inquietum? in quo tot sunt malorum reptilia, quot hominũ desideria mala ad bonum inordinata. O munde fallax, deceptor & immunde, qui tibi adhærentes turpiter decipis, sequentes te omnes in profundum inferni submergis, quam felices sunt illi, qui te pro Christi amore despiciunt, diuisionemq; facientes vtilem, à tuis vanitatibus in tempore discedunt. Quicquid in mundo cernimus, vanum est, & omnis mundi amator vanus efficitur, & in breui corrumpetur. Cogitate vos in breui morituros, quoniam nihil sic hominem à peccato retrahit, quemadmodum frequens & intenta mortis meditatio facit. Dicit enim scriptura: *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Necessitas moriendi cogitata mentem timore concutit, & à vitio compescit. Secundum quod peccatum persuadet fugere, est futuri metus iudicii, in quo necesse est omnes homines præsentari. Hoc tremendum iudicium nemo potest euadere, sed oportet nos omnes in eo comparere. Duo nobis metuenda iudicia imminent, quorum neutrum poterimus subterfugere, sed necessitas nos compellit in vtroq; comparere. Alterum particulare dicitur, in quo statim post mortem anima pro meritis, vel ad gratiam, vel ad pœnam iudicatur. Alterum vero generale nominatur, quod erit in fine seculi, vbi omnes publice iudicabimur à filio vnigenito Dei.

I.

1. Ioan. 2.

Eccl. 7.

II.

Vtrunq; nimis terribile iudicium, & cunctis mortalibus valde metuendum. Hinc Propheta Ioel dicit: *Magnus dies Domini & terribilis valde, & quis sustinebit eum?* *Ioel. 2.* In concionatore quoq; Rex Salomon dicit: *Cuncta quæ fiunt sub sole, adducet Deus in iudicium, pro omni errato iudicaturus siue bonum sit siue malum.* *Eccl. 12.* In Esaia quoq; sic legitur: *Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui, & principibus eius.* *Esa. 3.* Et in libro Amos Prophetæ sic scribitur: *Væ desiderãtibus diem Domini. Ad quid eam vobis? Dies enim Domini ista tenebræ & non lux.* *Amos 5.* Sophonias quoq; propheta Domini, amaritudinem futuri iudicii pronuncians dixit: *Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis. In igne zeli Domini deuorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram.* *Soph. 1.*

Hunc diem terribilem nimis & cũctis tremendum mortalibus, quem certo venturum creditis, in memoria fratres chariſſimi semper habeatis. Dicit enim sanctissimus præsul Ambrosius. *Nihil est quod magis proficiat ad vitam honestam, quam vt eum credamus iudicem futurum, quem nec occulta mentium fallunt, nec inhonesta delectãt. Omnes enim nos,* vt sanctus Christophilus inquit, *manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis prout gesit, siue bonum, siue malum.* *2. Cor. 5.* Quam sit metuenda illa dies futuri terribilisq; iudicii, sanctus presbyter Hier. insinuat dicens: *siue comedam siue bibam, siue aliquid aliud faciem, semper vox illa videtur sonare in auribus meis: Surgite mortui & venite ad iudicium.* *A. l. 1. offi. c. 26.*

Quotiens diem iudicii cogito, to-

tus corde & corpore contremisco. Vnde si qua præsentis vitæ est lætitia, ita agenda est, vt nunquam amaritudo futuri iudicii recedat à memoria. Quid nos miseri dicemus in illa die, vel quomodo stabimus ante districtum iudicem, si, vt diuus Petrus dicit Apostolus, *vix iustus saluabitur?* Si Hier. vir iustus atq; sanctissimus iudicium futurum timuit, ô bone Deus, quomodo Trithemius peccator infelix comparebit? Si iustus metuit, peccator quomodo stabit? Quid enim dicemus, aut quid respondebimus vndiq; grauiter accusati? Omnia elementa stabunt aduersum nos in testimonium, accusabunt terra simul & cælum, quod si etiam tacerent omnia, grauis erit vnicuiq; conscientia propria. Nihil ignorat qui nouit omnia, quoniam ibi manifesta erunt iudicanti vniuersa.

1. Pet. 4.

Iudicii supremi imago semper ob oculos habenda.

Erunt ibi quæ fecimus mala nos grauiter accusantia, aderunt circumcirca pro testimonio contra nos infinita dæmonia, apertum videbimus chaos infra nos horridum, iudicem super nos conspiciemus iratum, & ex omni parte extremũ nobis imminere periculum. Hæc fratres mei futuri examinis pericula semper in memoria cordis reuoluite, & quam sit horrendum futuram sententiam iudicis incidere, sedulo cogitate. In illa terribili hora plus valebunt pura corda quam astuta rhetorum verba: plus conducet homini conscientia munda, quam totius orbis pecunia, quoniam qui iudicaturus est omnia, non fallitur, immo nec precio nec precibus immutatur. O quam incredibilis horror inuadet impios omnes, quam metuendam sunt audituri sententiam, *Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & angelis eius.* O malorum omnium pessimum, ô tristitia profundissima omnium tristitiarum, à consortio sanctorum diuidi, & cum dæmonibus in æternũ cruciari. Vere dies iudicii horrenda, omnibusq; metuenda, quia nimis amara, vbi synderesis conscientiæ vermis non moritur, vbi semel damnatus ad supplicium, nunquam liberatur. Monachus ergo salutem cupiens assequi sempiternam, se quantum potest ab omni peccato mundum semper custodiat, & illa vox, *Ite maledicti in ignem æternum,* nunquam ab ejus memoria recedat.

Mat. 25.

Vnde tertium quod ad declinandum à peccato, multum æstimamus conducere, est amaritudinem pœnarum æternæ damnationis sedulo cogitare. Nulla enim tam vehemens est carnalis voluptatis tentatio, quę non subito victa deficiat, si tentatus, quid iam patiantur in inferno damnati, studiosa meditatione recogitat.

Quid nunc diuitiæ quondam habitæ prosunt damnatis? quid conferunt voluptates transactæ positis in inferno luxuriosis? quid vanissimi honores tumidis? quid potestas quondam læta superbis? Cogitate fratres quid iam damnati patiantur apud inferos, & ne vobis contingant similia, in bonis & sanctis operibus iugiter perseuerate. Si timetis infernum, fugite peccatum. Nihil enim nocebit infernus, si homo in fide Christi permanserit à peccatis alienus: nec ardebit in pœna, *qui prius hic non arserit in culpa. Metuendus inferni locus, in quo non est vlla redemptio sed quisquis illuc damnatus semel intrauerit, ad salutem amplius non exibit. Clamant in tormẽtis, in angustia miseri, in horrore sempiterno positi dicentes: Quid nunc prodest nobis superbia nostra, diuitiæ, honores, dignitates, luxuria, gula, & omnes transactæ voluptates carnales, quid nobis iam prosunt in æternum damnatis? Ecce omnia transierunt velut vmbra, & tanquam vnius noctis breue somnium cuncta euanuerũt.* Nos autem cruciatibus æternis deputati sumus, in quibus nullam esse redemptionem certissime scimus. *In inferno,* sicut Augustinus testatur, *etsi erit stimulus pœnitudinis, nulla tamen erit in damnatis correctio voluntatis, à quibus ita culpabitur iniquitas, vt nullatenus ab eis possit diligi vel desiderari iustitiæ æquitas. Ibi tunc edax inferni flamma comburit, quos nunc carnalis delectatio polluit: & tanto amplius quisq; in tormentis vritur, quanto hic in carne contra Deum magis delectatur. Apud inferos,* contestante Gregorio, *frigus erit intolerabile, ignis inextinguibilis, vermis conscientiæ immortalis, fœtor intolerabilis, tenebræ palpabiles, dolores inæstimabiles, flagella sine intermissione cædentium, horrenda visio dæmonum, confusio commissorum criminum, desperatio omnium bonorum:* sed omnium in inferno pœnarum longe grauissima existimanda est, quod illic damnati lucis æternæ visione perpetuo sunt priuati.

Gehennæ inferorũ forma.

Sapien. 5.

lib. de fide ad Petrũ c. 3.

Hinc

Chryſoſt. hom. 69. in Matt. Hinc beatiſſimus præſul Ioannes Chryſoſtomus ait: *Intolerabilis res eſt gehenna, & omnes homines abhorrent eam. Quis enim neſciat illud ſupplicium inferni eſſe multum horribile? Verum ſi mille quiſquam, immo ſi decem millia ponat gehennas, nihil eſt totum quod dicit, comparatum ad illud, animam exoſam Chriſto, repelli à gloria ſanctorum, & illam audire terribilem vocem ex ore iudicis omnium, Luc. 13. Diſcedite à me operarii iniquitatis, quoniam neſcio vos: & ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt vobis, & diabolo.* O vox omnium terribilium longe terribiliſſima, ô ſententia metuenda & nimium horrenda cunctis mortalibus, odiri pro demeritis à Chriſto, exprobrari à iudice, ſeparari à conſortio gloriæ, & nullam ſpem recuperationis amplius retinere. Cogitate nunc fratres, certiſſime futuras impiorum pœnas, & comparate quoſcunque huius vitæ dolores, quoſcunque tranſeuntis æui cruciatus, omniaque cogitabilia huius mundi tormenta ad illa ſempiterna damnatorum ſupplicia, & erunt ſicut nihil ad aliquid, imaginatio ad veritatem, ſomnium ad vigiliam. Tentationes carnis & legem peccati facile ſuperabitis, ſi harum rerum cogitationem in memoria continue retinetis. O æternum, quam inexcogitabile tempus, æuum ſine fine, ſeculum ſine tempore. Beatus qui nunc præuidet in tempore, quomodo poſt hanc breuiſſimam vitam bene habeat in æternitate.

Quartum quod hominem à peccato poteſt retrahere, eſt futuræ ſempiternæque fælicitatis continuam in corde memoriam habere. *Rom. 8. Felicitatis æternæ effigies. Vere non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad ſuperuenturam gloriam quæ reuelabitur in ſanctis*, vbi nulla erit diſcordia, nulla penitus diſſonantia, ſed erit ſumma pax omnium, & ſempiterna concordia lætantium ſanctorum. In cœleſti ſanctorum beatitudine gaudium eſt verum ſine triſtitia, pax ſine diſcordia, bonitas ſine malitia, lætitia ſine fine, lux ſine tenebris, vita ſine dolore perennis. Ibi eſt dulcedo ſine amaritudine, requies ſine labore, laus ſine vituperio, amor ſine vitio, claritas ſine nubilo, ſatietas ſine faſtidio. Sine tædio manet æternitas, ſine defectu exuberat bonitas, ſine miſeria continuatur felicitas.

Nam vbi DEVS eſt omnia in omnibus, perfectum & plenum gaudium aderit vniuerſis. Ibi anima ſiue mens ſancta principio ſuo per amorem coniungitur, intellectus ad cognitionem ſummi boni perfecte illuminatur, & ex duobus iſtis fruitio æternæ fælicitatis exultantibus infunditur. Deum in regno æternitatis cognoſcere & diligere, eſt ipſam fœlicitatis gloriam fruendo poſſidere. Ad hoc quippe conditus eſt homo, vt DEVM creatorem ſuum eſſe ſummum bonum intelligat, intelligendo ſuper omnia diligat, amando in æternum fruatur atque poſſideat. Hic finis eſt inſtitutionis monaſticæ, hæc deſtinatio fidei Chriſtianæ, quatenus DEVM quem nunc per fidem cognoſcimus, & in toto corde per charitatis opera diligimus, in beata vita perfecte intelligentes, obiectum noſtræ fruitionis perpetuum habeamus. Pro huius ſempiternæ fœlicitatis adeptione, fratres chariſſimi, omnia etiam cum maximo labore facienda ſunt bona, omnia patientiſſime toleranda aduerſa, quoniam breuiſſimum virtutis exercitium, præmium nobis parit æternum. Audite quid ad hæc ſanctus Ioannes dicat Epiſcopus. *Si quotidie*, inquit, *oporteret nos tormenta perferre, ſi ipſam denique gehennam paruo tempore tolerare, vt Chriſtum videre poſſemus in gloria regnantem æterna, ſanctorumque eius numero in perpetuum ſociari, non erit pari ratione condignum omne quod nobis triſte poteſt accidere, vt tanti boni gloriam mereamur poſſidere?* *Chr. hom. 66. ad pop. Ant. & hom. 24. in Matt.* Ad ſummum vero bonum non peruenitur, niſi per ſummos labores, quoniam ſicut in ſancto Euangelio Dominus dicit, *regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* *Matt. 11.* Quintum quod hominem debet à peccato retrahere, eſt humanæ conditionis honeſtatem conſiderare, quæ naturali ductu rationis deteſtatur vitium, & virtutis diligit bonum. Virtutis amator eſt omnis homo qui viuit ſecundum imperium rationis: qui autem in ſtercore vitiorum ſordeſcens voluitur, vt beſtia non vt homo conuerſatur. Vobis autem fratres mei maxime deteſtanda ſunt vitia, virtutes amandæ, quippe qui propterea cõtempſeritis mundum, vt in cœnobio vitam agerentis à peccatis alienam, & ſanctis virtutibus decoratam. *Homo ad virtutem natus.*

Virtutes igitur vobis colendæ sunt, non imagines virtutum: colendæ dico non thure, non sacrificio, sed amore proposito integerrimæ voluntatis. Virtutes etenim colere, nihil est aliud, nisi eas animo comprehendere, & pro Dei amore vsque ad mortem inviolatas retinere. Nam, sicut Lactantius ait, *omne virtutis officium est non peccare*: & ideo non est vera virtus, nisi quæ per fidem Christi ad eum finem tendit, vbi est bonum hominis summum, quo melius esse non potest. Virtuosus autem non est, qui Deum non dilgit, cum omnium virtutum summa sit charitas.

Lact. l.6. d.instit.c. 5.

Vnde si Deum ex toto corde super omnia diligitis, virtuosi veraciter estis. Vna igitur est virtus ac via bonorum, qua per fidem & dilectionem Iesv Christi peruenitur ad regnum. Qui Deum veraciter amat, virtutis amore non peccat. Considerate vestram dignitatem fratres mei, & fugite peccatum: quoniam omnis qui superbia inflatur, qui luxuria sordidatur, qui cæteris animæ pestibus inficitur, non viuit vt homo, sed in semetipso confunditur, & in perditionem æternæ mortis progreditur. Quanto enim quisque amplius in peccatum labitur, tanto longius recedit à Deo, & magis appropinquat inferno. Cum autem omnes homines naturaliter appetant bonum, turpissimum, est amare peccatum, quoniam omnis peccator bonum deserit, & ad malum conuertit. Sexto mentem à peccato fortiter retrahit, si in meditatione dominicæ passionis ex consuetudine semper occupata persistit. Quis enim voluptatibus carnis operam nauare poterit, si mundi rectorem Iesum Christum pendentem pro se in cruce cogitauerit? Mors Christi mundum liberauit à morte perpetua: quod beneficium quisquis in memoria secum portauerit, facile ab omni scelere vitiorum abstinebit. Denique si quis Deum in omni loco sibi præsentem, omniaque scientem & intelligentem tota mentis intentione cogitauerit, omne peccatum proculdubio semper abhorrebit. Est autem nobis Deus vbique non solum præsens, sed vere intimus ac præsentissimus: quem nullum latet secretum: cui nihil manet absconditum, sed totum ei patet manifestum.

6.

Corda scrutatur omnium, secretissima nouit cogitationum, qui veram cognitionem solus habet vniuersorum. Quis enim mortalium in præsentia tantę maiestatis, quam videre omnia credit, peccare sine maximo rubore audeat, si, quis sit & quatenus qui videt, pensat? Quotiens ergo molestat iniqua cogitatio mentem, quotiens inordinati motus carnis inquietant animam, Dominum Deum, qui malorum est vindex, præsentem cogita, passionis Iesu Christi amaritudinem ad memoriam reuoca, auxilių gratiæ cœlestis deuotus implora. Durior est lapide, quem ista diligentius cogitata nequiuerint à peccandi proposito reuocare.

Septimum quod mentem studiosi monachi à peccandi desiderio reuocat, est vt lectione continua passiones sanctorum martyrum percurrat. Enimuero quisquis inuincibilem constantiam sanctorum martyrum Christi sæpius ad memoriam reuocat, fieri nō potest quin ad resistendum peccatis fortior & robustior fiat. Propterea namque fortia sanctorum gesta literis demandata sunt, vt quotiens nos infirmi talia legimus, ad imitationem præcedentium consurgamus. Non respiciatis in eos fratres, qui sanctorum historijs fidem superba temeritate denegant, & ea quæ de beatissimis Christi amicis glorioſa narrantur, fabulas putant. Nam virtutes & bona quæ in semetipsis non inueniunt, sanctos habuisse Dei credere contemnunt. Sunt enim plures & inter eos potissime qui de sua eruditione se magnos existimant, historias sanctorum patrum temere nimis refutantes: & cum ipsi arduum virtutis iter aggredi nequeant, neminem aut raros potuisse ventosa loquacitate confingant. Quicquid coram eis de conuersationibus sanctorum vel ardui vel magni legitur, confictum & fabulosum clamitant: & quales ipsi viuunt in tenebris vitiorum positi, taliter eos quorum derident historias, arbitrātur præcessisse. Monachus autem prudens atque deuotus non mouetur superborum ignauia, vt pote qui probe intelligit vim quandam exhortandi sanctorum inesse historijs efficacem. Nam, vt de me interea quod verum est fatear, plus ad interni feruoris deuotionem vnius

7.

In eos qui diuorum historias aut cauillātur, aut irreuerenter habent.

nius sancti conuersatione commoueor, quam curiosis sermonibus multis: quia sicut Papa sanctissimus Leo dicit, *Validiora sunt exempla, quam verba: & plus est opere docere, quam voce.* Verum, sicuti non omnia placent omnibus, ita nec omnibus conueniunt omnia: hoc vnicuique frequentius ac studiosius legendum consulimus, cuius lectione mens ad maiorem incitatur profectum.

Leo serm. de S. Laurent.

8. Octauum quod hominem à peccato retrahit, est charitas, de qua sanctus Apostolus dicit: *Charitas patiens est, benigna est, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit.* Qui DEVM amat, fugit peccatum: qui autem seruus est scelerum, profecto non diligit Deum. Amator Dei non facit peccatum: & qui Dominum suum veraciter diligit, ac semper intuetur præsentem, non operatur iniquitatem. Deus est summum & incommutabile bonum, cuius amore peccatum & fugiendum est, & detestandum, quoniam qui timore pœnarum duntaxat peccare metuit, ad charitatis præmia non ascendit. Seruus enim non peccat, metu verberum, sed filius recedit à malo, parentis amore, ne animum offendat paternum. Caueamus peccatum, fratres mei, & quanta possumus animi purita in conspectu Domini conuersemur, quoniam sicut lethale venenum corpus sumptum interficit, sic peccatum deliquentis animam occidit. Hinc nos vir sapiens admonet in Ecclesiastico dicens: *Quasi à facie colubri fuge peccata, quoniam si accesseris ad illa, suscipient te. Dentes leonis, dentes peccati interficientes animas hominum. Quasi romphæa bis acuta hominis iniquitas, plagæ illius non est sanitas.* In Ezechiele quoque dicitur: *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.*

1. Cor. 13.

Eccl. 21.

Ezc. 18.

Omni sollicitudine semper nobis vigilandum est, vt ne mediante peccato diuidamur à Domino. Nihil autem perfecta charitate in DEVM est fortius ad superandum omne peccatum, quoniam sicut Ioannes Euangelista sanctissimus dicit: *Omnis qui ex DEO natus est, non facit peccatum*: qui autem peccat, non DEVM imitatur, sed præmium peccati diabolum. Diligamus DEVM, & non dominabitur nobis in peccatum: amemus Christum, & nihil operabitur saluti nostræ contrarium. Nihil melius, nihil contra peccatum fortius, nihil securius, quam DEVM amare, qui prior dilexit nos, & lauit nos à peccatis omnibus in sanguine vnigeniti filii. Sumus enim obligati DEO, & eum tenemur amare totis viribus cordis multiplici ratione.

1. Ioan. 3.

Apoc. 1.

Deus nobis toto animo amandus ob multa.

1. Primo quidem summe à nobis diligendus est DEVS, non aliam ob causam, nisi propter semetipsum, qui summum & vnicum est bonum, in quo solo quies & salus est animæ, sine quo non est salus, non requies, non beatitudo, non felicitas neque in cœlo est, neque in terra. DEVS enim cum sit omnium rerum causa, factor atque principium, ipse solus est animæ beatitudinis obiectum, ad cuius sempiternam fruitionem sola charitate pertingitur, solaque mentis puritate ad eius amorem peruenitur. Cum itaque Deus vnicum & summum sit animæ bonum, propter seipsum à nobis est totis viribus diligendus. Extra Deum nihil est bonum, nihil sanctum, nihil quod animam lætificare possit in æternum. Solus enim DEVS est beatitudinis animæ centrum.

2. Secundo iubemur Dominum Deum nostrum diligere, quia se patrem nobis dignatur pientissimum exhibere. Sic etenim orare nos docuit: *Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum.* Vere DEVS omnium nostrum est pater, qui nos creauit, omnes nutrit, pascit, & in esse conseruat, ne pereamus. Nunquam fuit aliquis tam indulgens pater super terram, qui tanta charitate dilexerit vnigenitum filium suum, quanta nos DEVS omnipotens pater noster dilectione pietatis amat, fouet, dirigit atque prosequitur. Et ideo ipsum tenemur puro corde super omnia diligere, qui dat nobis & esse & viuere. Ipse enim pater noster est: & Adam, qui omnium hominum creatus est primus, ignorauit nos.

Matt. 6.

Tertio

3. Tertio debemus Deum super omnia diligere propter similitudinem, quoniam ad imaginem Dei factus est homo, suum intellectu quadam similitudine sequens creatorem. Deus autem intellectus est perfectus, infinitus ac sempiternus, cuius bonitatem noster intellectus participans per gratiam beatus efficitur in eo qui creauit omnia. Nam etsi nulla sit inter Deum & hominem comparatio, est tamen ipsius animæ rationalis ad suum principium ex conditionis nobilitate non contemnendæ dignitatis similitudo. Dicit enim Propheta: *Ego dixi, dii estis, & filii excelsi omnes.* Dixit etiam in principio Dominus Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.*

Psal.8. Gen.1.

Magna in genus nostrum diuinæ pietatis dignatio, quã nos decet omni tempore pura mente charitatis obseruantia memorari. Quarto Deum nostrum propter inæstimabilem munificẽtiam suam debemus super omnia diligere, quem recognoscimus nobis tanta beneficia non merentibus contulisse. Cum non essemus, ipse nos sua bonitate in esse primũ condidit, & ad participium suæ gloriæ, quæ nunquam terminabitur, ordinauit. Sic enim dicit de hominis nobilitate scriptura: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.*

4.

Psal.8.

Quid præstat angelus homini.

Vultis scire, fratres, in quo minus angelo sit homo? his quæ dicimus, diligenter intendite. Duo sunt intellectus ab initio creati, angelicus & humanus. Angelicus statim à principio creationis suæ in omnium scibilium actu factus est plenus atque perfectus, & omnia quæ scire debuit, à natura nouit & comprehendit: humanus vero primo quidẽ in omnium scibilium potentia consistit, omnia ignorans, in fine autem per multas actiones tandem omnium scientiam vt angelicus acquiret. Perfecta namque naturæ consummatio, quæ angelico inest à principio, humano in fine donabitur. Vnde inter hos duos creatos intellectus hoc solum interesse constat, quod angelicus est, quod esse potest: humanis vero similitudinem angelicæ perfectionis in fine, hoc est mortem carnis, recepturus est. Angelicus enim quando primum fuit creatus, sine vlla sui actione, immobiliter, substantialiter, & à natura, omnium scientia plenus euasit atque perfectus: & inter angelos qui suo principio, Deo videlicet, adhæserunt per amorem, in æterna fœlicitate cõfirmati sunt, qui autem in semetipsis gloriantes, affectu recesserunt à Deo, perpetuo sunt miseri & infelices. Humanus vero intellectus quoniam à principio in omnium rerum ignorantia & priuatione creatus est, necesse habet vt actione motu & arte in propositam sibi rerum notitiam tandem perueniat. Quamdiu sumus in corpore, & peregrinamur à Domino, intellectus noster, propter nimium corporis commercium, quasi in tenebris ignorantiæ positus confunditur, & ad scientiam futurorum perfectam minime illustratur. Postea vero quam anima fuerit separata de corpore, iam intellectus gaudebit angelica perfectione. Tantum ergo distamus ab angelis, quantum de corporea impuritate participamus.

Quinto maxime à nobis diligendus est Deus, quoniam ipse prior dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine vnigeniti filij sui. Creator summe diligit creaturam suam, quam de nihilo codidit: dignum est vt ipsa creatura suum maxime diligat creatorem, cuius bonitate in esse producta fuit. Amat nos DEVS maxima charitate qua maior dici vel cogitari non potest, & in tantum nos diligit, quod amplius diligere nec debuit nec potuit, quoniam in DEO perfecta sunt omnia, & non est apud incommutabilem transmutationis facultas aliqua. Attendite nunc fratres mei quanto feruore mentis, quantoque desiderio cordis DEVM suum homo debeat diligere, à quo supremo dilectionis gradu etiam sine meritis amatur. Extendamus animum in eius amorem super omnia quantum possumus: dignus est enim quem totis viribus diligamus

5. *1.Ioan.4. Apo.1.*

Deus nos quantum potest & debet diligit.

Quantum enim cunque amantem nos DEVM amauerimus, ad illam tamen mensuram qua ipse nos diligit, nullatenus perueniemus. Nam ipse, vt diximus, summe nos diligit, nec potest amor in nos eius amplius crescere, quem creaturam suam constat perfectissime amare. Nos autem quantumcunque dilexerimus illum, semper possumus in

aman-

amando vlterius proficere, & vsque ad mortem ardentius amare. O nos infirmi, nos tepidi, nos lutoso carceri mancipati, quid retribuemus amatori tanto, qui nos infinitis gradibus præcellit amando, cum facturæ ad factorem nulla sit comparatio?

6. *Vocatio nostri, quantum beneficiũ.*

Sextum quod nos in amorem Dei prouocare merito debuerit, est summæ pietatis in nos eius consideratio, qui tot milibus hominum per orbem latum in errore dimissis, nos in Europa cum paucis ad Christianæ fidei cognitionem misericorditer vocauit. Omnium beneficiorum hoc post Christi mortem existimo esse præcipuum, quod nos fecit esse in fide Christianos. Nam extra fidem Christi nemo saluabitur, siue annuncietur Christus, siue penitus ignoretur.

Quot hodie sunt in Asia & Africa regna, quot gentes, quot insulæ maris, quibus nulla de Christo cognitio est, nullaque fides, sed in errore omnis religio, & sine merito salutis, etiam si qui extra Christianissimum vnum videantur adorare & colere DEVM? Christus enim saluator fidelium est animarum, in quem quisquis non crediderit, iam iudicatus est: & sine dubio condemnabitur. Vnde nunquam Deo condignas gratiarum actiones referre poterimus, quod nos in fide catholica (vt ita dixerim) nasci constituit, & in sanguine vnigeniti filii sui ab interitu mortis liberauit. Simus ergo huius tanti beneficii memores, & ita curemus viuere, ne iudicemur de ingratitudine. Benedicamus Deum patrem in omni tempore, qui dona spiritu sancti effudit super nos, & non permisit vt remoti ab vnitate catholicæ vnitatis ecclesiæ nasceremur.

Ioan. 3.

7. Septimum quod amorem DEI producere in cordibus nostris posse creditur, in promissione sempiternæ fœlicitatis consideratur. Nam si consideremus quanta nobis in cœlo bona se daturum promiserit, amor eius merito in nostris cordibus dulciter ardebit. Se nobis totum promisit in præmium, qui solus est summum & penitus incommutabile bonum: qui cum sit indiuisibilis, ita se fruendum præstabit omnibus, vt nihilominus totus possideatur à singulis. Omnes diligit à quibus diligitur, & singulos diligit à quibus habetur. Quanto nunc DEVM amplius pura mente diligimus, tanto ibi plus præmii recipiemus.

De cognitione gratiæ spiritualis.

SERMO VI.

DOCET nos sanctus CHRISTI Apostolus Ioannes, omni spiritui non semper esse credendum, sed examinandos diligenter instinctus, vtrum sint ex DEO qui lumen est verum, ne quid forsitan contra nos insurgat ex parte tenebrarum. Aduersarius etenim noster cum sit astutus, nunquam dormitat, sed mille modos, quibus nos capiat incautos, excogitat. Aliter tamen iam proficientes aggreditur, & aliter cum illis agit, qui adhuc in torpore negligentiæ conuersantur. *1. Ioan. 4.*

Quanto in DEI mandatis amplius profecerimus, tanto magis est necessarium, vt contra insidiantem nobis diabolum vigilemus. Dæmon fugere tentantes importune persequitur, & in eos qui cupiunt placere DEO amore, inuidia debacchatur. Latitans in occulto sub specie boni nescientes consueuit inuadere, quos nouit se apta congressione non posse superare. Multa consueuit proficientibus & adhuc minus in timore DEI fundatis suggerere, quibus incautas mentes plerumque sub specie boni conatur supplantare. Contra cuius insidias optimum est remedium, si omnes cogitationes cordis sui monachus examini deferat seniorum. Dæmones namque publicum luminis odiunt, & venire in notitiam spiritualium seniorum cogitationes iuuenum quas suggerunt, erubescunt. Vnde quisquis vestrum se stare in bono existimat, semper sit sollicitus ne diabolo supplantante ruat.

Sunt inter vos quidam & annis & conuersione iuuenes, qui sensualitatibus suis plus quam expedit consentiunt: quibus dæmones variis modis quasi sub boni specie illudunt.

Sanctita-

Sanctitatem quærunt sine merito, meritum habere cupiunt sine virtutum necessariarum exercitio. Videntur sibi coram Deo magni deuotione atq; præcipui, & in suis passionibus animalibus non sunt mortificati. Erratis ô miseri, & vosiipsos turpiter decipitis, qui sine fundamento humilimæ subiectionis & obedientiæ, sanctitatis turrim ædificare cogitatis. Mortificanda sunt prius inordinata sensualitatis desideria, refrenandæ sunt passiones animales, ira, murmur, & indignationis liuor, atq; omnis impatiẽtia: quoniam quamdiu vobis dominantur vitia, non sunt Deo grata quæcunq; priuatæ singularitatis offertis munera. Vana sunt omnia vbi non pura conscientia est. Suspecta nobis est conuersatio, monachi iuuenis, quantumlibet videatur esse deuota, quam subiectionis voluntariæ humilitas non cõmendat. Monachus enim sine humilitate & obediẽtia non potest esse bonus, quamuis ieiunio & oratione quotidie venetur sanctitatem. Multos in occulto elationis & superbiæ diabolus decipit, quos vigilare, ieiunare, & orare continue permittit. Nã sicut nulla sine humilitate & charitate Deo grata sunt opera, ita ieiunium, vigiliæ, orationes & studia monachorum sine his diabolo non sunt formidanda. Hinc non mouetur diabolus, vnde non torquetur. Non magnipendit vigilias elati, neq; ieiunium aduertit tumidi, nec orationes metuit superbi. Si autem inuenerit te humilem, si mandatis seniorum in omnibus hilariter obedientem, si considerauerit te magna facere, & de te humilia sentire, si DEI & proximi charitatem in te perpenderit ardere, iam certe contra te mouetur, quoniam tuis virtutibus illius inuidia torquetur: omnia quæ potest in te suæ calliditatis vertit arma, & sanctitatis propositum totis viribus conatur euertere. Nihil enim dæmonibus in monacho plus displicet, nihil eos vehementius torquet, quam si pro DEI amore in omnibus se veraciter humiliauerit, & militiam institutionis monasticæ sub obedientiæ custodia hilari semper animo seruauerit. Cauendi sunt vobis instinctus dæmonum, qui vos magnum aliquid esse putatis sine verarum merito virtutum. Ego video vos ad mandata seniorum inuoluntarios, in correctione impatientes & murmurioſos, ad reprehensionem vitæ alienæ promptulos, sed in considerandis defectibus propriis esse tardissimos. Signa sunt hæc instinctus dæmonum certissima, & contemptæ necessariæ mortificationis voluntatis propriæ indicia manifesta. Religionis magnæ & intetnæ deuotionis cultores vos esse perfectos & sanctos creditis, & neque fraternam charitatem, neque veram humilitatem in vobis necessariam monachis habetis. Sensibilem in orationibus deuotionem quæritis, & lachrymantibus oculis iam DEI vos amicos existimatis. Quid enim? Faciunt ne sanctum in orationibus lachrymæ, quando oratur cum quadam elatione mentis sine vera humilitate? Dat lachrymas DEVS, dat contrariis pulsatus animus, dat etiam deceptor elatorum diabolus. DEVS mentem in vera charitate humiliatam quasi pratum dulcibus fœcundat lachrymis, natura plorantem commouet in aduersis, diabolus aquarum riuulos infundit sub deuotionis similitudine superbis. Humilitas est virtus vnica, quæ in latitudine charitatis facit corda hominum veraciter deuota. Nihil tibi prodest, ô monache, quicquid in tua singularitate feceris, si veram humilitatem non habeas cum feruore geminæ charitatis. Nam ad nocturnas ante alios surgere laudes, longas præter consuetudinem ordinis in priuato dicere orationes, ieiunium vltra constitutum regulæ continuare aliis licite manducantibus, in secreto manere, cæteris ad communem laborem egredientibus, duo faciunt meritoria: quæ si defuerint, cuncta erunt penitus infructuosa. Enimuero quicquid operum monachi charitas & humilis obedientia non commendauerint, vacuum à merito iudicabitur coram DEO, & præmio carebit. Vos autem, qui præcepta seniorum tumido supercilio contemnitis, non quæ illi iubent, sed quæ vobis placent, propria temeritate facitis, qui communibus ordinis sanctis exercitijs adinuentiones proprias anteponitis, adhuc longe à sanctorum conuersatione remoti estis.

Non licet vobis, ea quæ sunt de institutione monastica, propria temeritate desere-

Humilitas vna Satanam profligat.

Fons lachrymarũ è diuersis venis scaturit.

Humilis obedientia & charitas duo hæc nisi adsint, nihil prodest.

deserere, & quæ vobis placent noua ac vana necessariis anteferre. Ingratum est DEO quodcunque opus feceritis, contempto illo ad quod obligati estis. Diuinæ inspiratio gratiæ humilitatem docet, obedientiam persuadet, ac veram in omnibus sequitur charitatem, mandatum seruat, nec superbiam admittit, nec spernit aliquem, sed regularis disciplinæ perpetuam sectatur integritatem. Instinctus autem diaboli sub specie boni callide incautum supplantat monachum, & facit eum proprio iudicio in omnibus subiectum. Omnia enim quæ ad conseruationem integritatis monasticæ pertinent, ille male instituta mentitur & contraria, & suis ob id studiis postponenda. Verum, vt discatis gratiam Dei ab instinctibus antiqui hostis sapienter discernere, quæ dicimus, notate.

I. *Ars discernendi gratiam Dei a suggestione diaboli.*

In primis igitur quicunque se Dei gratia inspiratum existimat, si quotidie fiat in conscientia purior, decrescente fomite peccati sedulus aduertat. Vbicunq; enim spiritum Dominus gratiæ cœlestis effuderit, omnis peccandi mox affectio recedit. Quod si peccandi, horror mentem non inuaserit, profecto manifestum est, quod hominem instinctus diaboli occupauit. Mox enim vt spiritus sanctus mentem hominis penetrauerit, omne vitiorum incendium aut mitigat, aut penitus extinguit. Hinc semetipsum vnus, quisque vestrum diligenter examinet, & cuius moueatur instinctu, penset. Dei namque instinctus peccatum consueuit minuere, sed antiqui hostis augere. Vnde, qui aguntur spiritu Dei, peccatum in eis quotidie minuitur, qui vero instinctum sequuntur diaboli, raro veraciter emendantur.

II. Secundum instinctus diuini signum ex augmento virtutum cognoscitur, quoniam sancti spiritus gratia semper in homine magnas virtutes operatur. Cum ergo te sentis quotidie in Dei amore ac bonis operibus proficere, quando experiris in te peccandi consuetudinem & vitia quælibet de die in diem minus præualere, Dei adesse gratiam humiliter debes agnoscere. Amor enim Dei quem affert gratia, nunquam otiosus, sed in bonis semper operibus vtiliter occupatur, quoniam & multitudinem peccatorum operit, & virtutibus exercitans animum, peccare non permittit. Gratia quippe Dei stare cum peccatis non poterit, & esse in homine sine virtutum operatione minime consueuit.

III. Tertium spiritus Dei signum in homine ostenditur, quando mens in sanctitatis proposito non fluctuat, sed fortius de die in diem conualescens roboratur. Nam multi sunt qui horaria compunctione tacti, prima duo signa quandoq; suscipiunt, sed perseuerantiam contemnentes, ad tertium non pertingunt. Sine autem perseuerantia nullu est boni operis præmium. Domino dicente in sancto Euangelio: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Matt. 24. Nouit se diabolus ad breue tempus absentem fingere, & progredientem iuxta duo præscripta spiritus Dei signa quasi nesciat eum vel timeat, dissimulare. Mox deinde prorumpens ex insidiis, deuotiorem incautum aggreditur, & in pristinam negligentiæ foueam præcipitans miserum grauius vulnerat. O consuetudinis malæ quam graue iugum, quam iniquum & horrendum dominium, & raro ante mortem terminandum. Timeat & horreat, quemcunq; longa consuetudo peccati ligat. Nihil enim difficilius, quam tempore longo roboratam deuincere consuetudinem malam. Hinc Salomon dicit in prouerbiis: *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Prou. 22. Veruntamen si consuetudinem malam non violenter vincimus, semper duriorem & minus vincibilem sentiemus.

Consuetudo mala quam graue malum.

IV. Quartum præsentiæ spiritus Dei signum perseuerantiæ boni recte subiungitur, quoniã affectu purgato mens in cognitionem diuini luminis per gratiã illustratur. Hæc n. est vnctio sancti spiritus, quã nemo intelligit, nisi qui accipit. hæc plenitudo cœlestis doctrinæ, quæ vitia simul & errores à mẽtibus excludit. Omnis Christianæ religionis castus amator, qui hoc signum cœlestis benedictionis acceperit, plus quam antea, quæ sint veræ charitatis merita, simul & exercitia pietatis, supra cæteros sapit. Status quoque mẽtis in rectitudine cælestis desiderii ponitur, & ad veram scientiam futuræ beatitudinis illuminatur. Habet hoc signum, adeptæ veritatis familiare indicium, quia

mens illuminante Deo in scripturis sanctis & extra incipit altissima sapere, & quanto plus intelligit, tãto se studet profundius humiliare. Spiritus enim sanctus humilitatem suis muneribus adhibet, quæ si repulsa fuerit, manifeste iam constat, quia spiritus recessit.

V. Quintum gratiæ Dei signum accipitur, si mens hominis tota in Dei voluntate resignatur, si quotidie in eius amore per desiderium accenditur, si conscientia, quantum infirmitas humana sustinet in omni puritate conseruatur. Amor enim Dei per acceptam spiritus sancti gratiam statim in mente nascitur, bonisque operibus & spititualibus exercitiis quotidie roboratur: peccatum horret, detestatur & refugit, nihilque nisi purum sanctum & deificum admittit. Vbicunq; hoc signum fuerit, nullum peccatum erit. Si peccatum affuerit: signum verum non fuit.

VI. Sextum instinctus diuini signum accipiunt, qui semper animo in melius conualescunt, Spiritus enim Dei mentem hominis quam per gratiam suam in habitat, patientem & voluntariam ad tolerandas iniurias efficit, & ad faciendum bonum promptissimum reddit. Quicunque vestrum motu se conuersari diuino existimat, quicunque se ambulare in via rectitudinis putat, conscientiam suam examinet, vtrum ad tolerandas iniurias pro Christi amore fiat quotidie promptior, an videlicet in tribulatione gaudeat, & plus in aduersis quam in prosperis animo deuotio crescat. Quod si ad tolerandas iniurias Inuoluntarium se impatientemque repererit, quam longe sit à perfectionis
1. Cor. 13. gratia positus, facile agnoscit. Charitas enim sancti spiritus donum, patiens est, benigna est.

VII. Septimum gratiæ spiritualis indicium illi accipiunt, qui pro Christi amore omnes consolationes præsentis vitæ contemnunt. Anima quæ Deum in se per amorem habet præsentem, omnia carnis solatia despicit, per dura & aspera venire ad Dominum suum concupiscit. Diuitias huius mundi non diligit, honores & dignitates transitorias spernit, carnis voluptates fortiter contemnit. Meditatur in lege Domini semper, & amarissimæ passionis Iesu Christi nunquam obliuiscitur. Quis in vobis est fratres, qui faciat hæc? qui omnes detestetur consolatiunculas huius seculi? qui nihil aliud cogitet, nihil quærat, nihil concupiscat, quam charitatem Dei? Quicunque hoc signum præsentiæ spiritus sancti consecutus fuerit, si perseuerauerit vsq; in finem vitæ, saluus erit.

VIII. Octauum boni cursus indicium, & verum præsentiæ S. spiritus signum tunc *Matt. 20* accipimus, quando voluntates nostras diuinis ordinationibus humiliter in omnibus conformamus. Iste gradus spiritualis profectus Monachum ab omnibus curis mundi segregat, & totum ad interiora vocat. Eius namque voluntas diuinæ voluntati placidæ mentis affectu subiicitur, & à cunctis desideriis quæ militant aduersis spiritum, longe separatur. Quisquis hoc donum gratiæ spiritus sancti acceperit, in primis agat gratias cum humilitate, nec se inaniter extollat de munere, sed quando profecerit amplius, tanto se plus humiliare discat in omnibus. Sæpe autem homo Dei gratiam meretur amittere, quam negligit In pyxide veræ humilitatis conseruare. Propterea omnipotens Deus nonnunquam sensibilis deuotionis gratiam proficientibus ad breue tempus subtrahit, quatenus in mente perseueret humilitas, & feruor desiderii ad inquirendum amplius inardescat. Verum cum multæ sint causæ in hominibus quibus gratia Dei quandoque subtrahitur, opere fuerit præcium vt ex ordine dicatur. Primo quidem gratia Dei homini propter peccatum subtrahitur, quando conscientia vitiorum turpitudine maculatur. Deus enim noster (vt scriptura dicit) zelotes aut solus diligitur, aut cum socio quolibet non amatur, Quotiens ergo mens vel ad seipsum, vel ad aliud inordinate concupi- *Esa. 26.* scendo reflectitur, à suo principio, quod Deus est, alienata remouetur, vnde gratiam quam habuerat, meretur amittere, quam peccato cõsentiens inuiolatam noluit custodire. Hinc hortatur sanctus Christi Apostolus Paulus? *ne gratiam Dei* *2. Cor. 6.* *in vacuum recipiamus* quæ tunc quidẽ frustra in vacuum recipitur, quando mens recipientis vitiorũ sordibus inquinatur.

Humilitas velut pyxis vel plene quædam quæ certas omnes virtutes expromat custodiat. Gratia Dei quibus de causis subtrahitur.

Vascu-

Vasculum in quod gratiam Dei recipimus, nostra est conscientia, quæ dum purgatur à vitiis, & sanctis adornatur virtutibus, dignum fit sancti spiritus habitaculum, & magnum in nobis generat profectum. Quod si vasculum conscientiæ nostræ per putredinem peccati fœdatum fuerit, mox Dei spiritus cum omnibus donis gratiæ recedit. Nonne Dominus noster Iesus Christus amator & sponsus fidelis est animæ, quam sibi proprii sanguinis effusione comparauit? Qua fronte, qua temeritate hunc tantum amatorem saluatoremque tuum ô homo potes contemnere, & aliud in hoc mundo quodlibet amare? Deus te summe diligit, qui tuus est creator, sua te morte ab interitu sempiterno liberauit.. Quid illi retribuis, ô homo mortalis, à quo tanta suscepisti beneficia? Nihil à te petit, nihil quærit, nihil postulat, nisi gratitudinem, dilectionem & charitatem. Custodi innocentiam & puritatem conscientiæ, ne perdas instinctum gratiæ.

II. Secunda etenim causa propter quam gratia homini subtrahitur, ingratitudinis superbia nũcupatur. *Deus* autem (scriptura testante) *resistit superbis, humilibus vero dat gratiam.* Iacob. 4. Iusto namque Dei iudicio gratia spiritus sancti amittitur, quotiens eam qui habet, in superbiam eleuatur. Luc. 18. *Omnis enim qui se humiliat, exaltabitur: & qui se exaltat, humiliabitur.* Hinc iternm dicit Esa. 66. omnipotens Deus: *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos?* Quanto se quisque amplius in vera puritate conscientiæ pro amore Christi humiliauerit, tanto ad recipiendum gratiam spiritus sancti magis idoneus erit. Quotiens vero mens in superbiam erigitur, merito deuotionis spiritus quasi ab immundo vasculo aufertur. Nemo igitur, fratres mei, de gratia spiritussancti quam accepit, superbiat, nemo se inaniter extollat, quoniam nisi fuerimus humiles, miserationum Domini nequaquam poterimus esse participes. Nam vt sacer inquit Christophilus Paulus, qui existimat Galat. 6. *se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.*

III. Tertio gratia deuotionis homini propter pigritiam & acediam subtrahitur, quando mens in bonis operibus minime exercitatur. Nam sicuti ait scriptura, *ociositas inimica est animæ, & omnis qui sectatur ocium, in egestate erit.* Prou. 22. Dicit enim vir sapiens: *Desideria occidunt pigrum, noluerunt enim quicquam operari manus eius.* Prou. 23. Quemadmodum ignis sine fomento extinguitur, ita spiritus deuotionis sine continuo exercitio charitatis euanescens extenuatur. Nemo igitur de suis viribus in hac vita præsumat, nemo in pristina conuersatione quasi securus confidat, quoniam quandiu quis potest fieri ex deteriore melior, potest etiam fieri ex meliore deterior. Vita enim nostra tentatio est tota super terram, in qua qui non progredimur in bono, deficimus: *ibique*: vt sanctus Papa dicit Leo, *deficiendi periculum incidimus, vbi appetitum proficiendi reuocamus.* Iob 7. Acediam igitur fugite, & in bonis operibus semper vigilate. Considerate quid seruo pigro acciderit, qui pecuniam Domini sui, quam ad negociandum acceperat, in sudario abscondit. Luc. 19. Negociamini, precor, dum tempus est, & semper in bonis studiis; quandiu viuitis, estote occupati.

IV. Quarto gratia deuotionis vt plurimum illis subtrahitur, qui sub obedientia positi voluntatem propriam sequuntur. Monachus enim qui suam voluntatem diligit, Dei gratiam iustissime amittit. Qui autem se propter Deum pastoris obedientiæ in omnibus humiliter subiicit, qui cordis proprii voluntatem spernit, variis donis gratiæ spiritualis infunditur, & lumine interni feruoris illustratur. Nihil Deo precio sius & acceptius offerre possumus, quam si propriam voluntatem illius amore abnegemus. Denique professio ipsa monasticæ institutionis nobis ex necessitate salutis inducit voluntatem ptopriam contemnere, & illi qui nobis prælatus est, humiliter subiacere. Monachus ergo qui motum voluntatis propriæ sequitur, quasi vas immundum & gratiæ spiritualis indignum iudicatur. Vnde merito gratia Dei monacho proprię voluntatis subtrahitur, qui aliter viuens quam promisit, Domino mentitur.

V. Quinto gratia deuotionis monacho subtrahitur, quam suis demeritis habere arbitratur. Quod in se habitat peccatũ, non intelligit: si quid boni acceperit, suis meritis asscribit. Contra hanc mentis

ignauiam sanctus propheta dixit ad Do-
Psal. 29. minum: *Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem, quia non est volentis,*
Rom. 9. *neque currentis, sed miserentis Dei, Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Nemo enim deuotus meritis suis, nemo sanctus viribus propriis. Omnes autem causæ subtractionis gratiæ Dei quas diximus, pertinere ad nostram infirmitatem agnoscamus. Quãtum vero ad illos pertinet, qui iam in via perfectionis ambulant, alia datur ratio, quandiu perseuerant, Nam illis gratia Dei nunquam subtrahitur, licet sensibilis feruor compunctionis aliquando ad tempus auferatur. Et huius ablationis causas per ordinem dicamus.

I. Et primo quidem omnipotens Deus
* *Deuotionis sensus quare viris pijs subtrahatur.* gratiam sensibilis deuotionis interdum suis amatoribus ad tempus subtrahit, vt dum inuocatus adesse dissimulat, amoris interni desiderium crescat. Nouerunt hanc ardoris sancti vicissitudinem omnes, qui diuini amoris senserunt incendium, & qui veri sunt æmulatores sanctorum patrum. Quando enim cunque se sponsus à sponsa subtrahit, amantis desiderium crescit. Quæ dum æstuans quærit quem diligit præ amoris desiderio gemit.

II. Secundo hæc gratia deuotis ad horam subtrahitur, ne fragilitas in superbiam eleuetur. Dum enim gratiam compunctionis etiam nolentes amittimus, nostram infirmitatem, quæ nihil à seipsa potest, humili discussione iudicamus. Vt ergo deuoti cultores Dei humiles in sua sublimitate permaneant, necesse est vt suam fragilitatem agnoscant.

III. Tertiam vero causam requirit meritum, quia consolationes internas quærere non est fortium, sed infirmorum. Gratis seruiendum est Domino, quia bonus est: qui autem sensibilem in sua deuotione quærunt dulcedinem, nimis delicati sunt, & Dominum Iesum pro consolatiunculis quærunt. Viriliter amandus est Dominus, & omnes affectiones muliebres & molles procul ab animo propulsandæ. Vt ergo meritum suis cultoribus in sancta compunctione Dominus augeat, interdum sensibilis deuotionis gratiam postulantibus negat. Sed ne tedii amaritudine affecti omnino torpescant à sanctitatis proposito, non procul recedit mœrentium consolator, sed manet in vicino. Ad amicam subito reuertitur, & quam tristem ad horam dissimulauerit, dulcedine præsentiæ spiritualis consolatur.

IV. Quartam his causam coniungimus, qua mouetur vt cautius ambulemus, Nã si compũctionis gratiam timemus amittere, discamus habitam diligentius custodire. Thesaurus enim rarus & preciosus quanto amplius diligitur, tanto diligẽtius à possidẽte custoditur. Monachus igitur qui gratiam deuotionis à Domino meruit accipere, ne perdat eam sua negligentia, summo studio debet vigilare. Vt autem sciatis quẽadmodum debeatis indultam compunctionis gratiam conseruare, ne pereat, ordo dicendorum vobis clare manifestat.

I. Primo qui gratiam internæ compunctionis sibi cõcessam non vult amittere. *Compunctionis gratia quo studio retinetur.* studeat se quantum prævalet, mundum & purum ab omni peccato conseruare. Caueat non solum mortalia horrenda q; scelera, sed etiam parua q̃ dicũtur venialia, quoniam *q minima spernit, paulatim decidit*: & q nõ cauet multa parua, frequẽter ex consuetudine vnum magnum efficit. *Eccle. 9.*

II. Secunda vero cautela pro conseruatione gratiæ necessaria dicitur, vt omnis iactantia caueatur Si donum compunctionis à Domino meruisti accipere, quantum in te est, studeas illud humiliter occultare. Fugit enim sancti spiritus gratia publicum, & detestatur omne cor iactantia superbum. Nam, vt diuus Gregorius dicit, *spoliari desiderat, qui thesaurum in publico portat.* *G. hom. 8. in Euãg.*

III. Tertio si gratiam compunctionis internæ non vis amittere, quietem solitudinis studeas amare. Dicit enim scriptura diuina: *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum?* *Esa. 66.* Et iterum in alio dicit. *In silentio & spe erit fortitudo vestra.* *Esa. 30.* Gratia enim compunctionis internæ cito amittitur, quando secretum solitudinis non amatur. Discat ergo monachus in cella secum libenter consistere, qui gratiam *Dei* vult possidere.

IV. Quarto cauendum summopere ne aliquem hominem quantumlibet malum in corde tuo despicias, quoniã gratia cõpunctionis iusto Dei iudicio subtra-

hitur,

hitur, quotiens temerarium de proximo iudicium non cauetur. Dicit namque in sancto Euangelio Dominus: *Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini.*

V. Quinto monachus, qui gratiam internæ deuotionis non vult amittere, studeat se in cultu virtutum omnium exercere. Semper in timore Domini vigilet, semper se in exercitio diuini amoris occupet, in bonis operibus iugiter sit assiduus, & in memoria passionis dominicæ, quantum prę ualet, omni tempore deuotus. Intenta enim passionis Christi meditatio hominẽ contra omnia vitia corroborat, & compũctionis gratiã conseruat.

VI. Sexto in sanctis orationibus esto continuus, quia compunctionis gratiam custodire non sufficit, qui orationis studium intermittit. Dicit enim saluator *Matt. 14.* in sancto Euangelio: *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.* Auxilium Domini præsto est inuocantibus: qui autem orare negligit, gratiam amittit. Quod si gratiam deuotionis quolibet modo amiseris, sequentibus eam sex remediis cito recuperabis.

I. Gratia amissa quomodo recipitur. In primis considera sine Dei gratia ad salutem non posse proficere, sed eius miseratione in omnibus quæ facturus es bona, te maxima indigere. Recognosce igitur te gratia Dei ad operandum bonum esse indignum: sed quamuis te propter multitudinem peccatorum tuorum scias indignum, inuoca tamen eum, quoniã prope est: & omne tempus quod tibi ociosum à communibus exercitiis conceditur, fac vtiliter & fructuose expendatur. Gratia Dei ad operandum bonũ tibi est necessaria, quę latitudine charitatis acquiritur, humilitate custoditur, pœnitentiæ salutaris studio recuperatur. Dominus tecũ est, quãdiu cum eo fueris bona voluntate. Vt aũt gratiam deuotionis amissam recuperare valeas, oportet Deo in vera te humilitate subiicias.

II. Secundo ad recuperationem gratiæ compunctionis amissæ videtur necessarium, quatenus in nullo te contra Dominum eleues, sed voluntatem tuam in omnibus diuinæ ordinationi conformes. *Mar. 6.* Vt fiat voluntas eius, in oratione dominica dicimus: dignum est, vt ipsi orationi mente & affectu voluntarie semper concordemus.

III. Tertio qui gratiam deuotionis amissam recuperare desiderat, oportet quod omnem huius mundi voluptatem propter Dei amorem fortiter contemnat. Non enim fieri potest, vt spiritum internæ compunctionis recipiat, qui terrenis gaudiis & voluptatibus cordis habitaculum laxat. oportet ergo quod omnem præsentis vitæ consolationem abiicias, si spiritum diuini amoris habere cum suis charismatibus optas.

IV. Quarto iuberis te à vanis curis & occupationibus huius mũdi perpetuo subtrahere, & mentẽ omni tempore in Dei seruitio delectabiliter occupare. Nam, vt Dominus ait, *Nemo potest Deo seruire & mammonæ*; sed qui Domino in veritate cordis famulari desiderat, necesse est vt omnes mũdi occupationes contemnat. *Luc. 6.*

V. Quinto suademus, vt cor tuum in meditatione passionis Christi semper occupare memineris, quoniam non est alia via ad compunctionis gratiam recuperandam compendiosior, nec modus orationis ad impetrandum à Domino quæcunque postulauerimus, efficacior.

VI. Sexto conscientiam tuam quotidie expurgare per veram pœnitentiam studeas: & quotiens in aliquam culpam ceciderit, mox per contritionẽ resipiscas. Si hæc bona voluntate custodire curaueris, amissam compunctionis gratiam Deo miserante recuperabis.

De nouem ascensionis gradibus.

SERMO VII.

SCalam vobis describimus, fratres charissimi, nouem graduum, per quam fit ascensus humani spiritus in cœlum. Et quamuis altero sit alter sublimior, tamen ad regnũ Dei omnes & singuli dirigunt, & à meritis ascendentium merita discernunt. His ergo quæ dicturi sumus, diligenter attendite, & quantũ in profectu spirituali profeceritis, considerate. Omnes quotquot ad regnum Dei perueniunt, huius scalæ gradibus ascenderunt. Quanto vero quisq; in amore Dei amplius profecerit, tanto iam altius ascendit.

Primus gradus inferno est proximus, & magis à sublimitate cœlestis patriæ remotus. Homines enim in eo positi, à vitiis recedere, & in timore Dei proficere incipiunt, & venialia negligentes, a mortalibus recedunt. Mente quidem ad ope- *I. Gradus.*

rationem virtutum anhelantes, grauiora peccata fugiunt: sed infirmitate prauæ consuetudinis prægrauati, minima non attendunt. Vnde sæpius ex fragilitate mortalis peccati foueam incidunt, quoniam venialia grauiorum occasiones non cauerunt. Nullum enim peccatum tam paruum est, quod maius non fiat neglectum. Nam etsi venialia peccata in toto cauere non possumus, omnibus tamē viribus, ne multiplicentur in nobis, attendere debemus. Qui autem miserāte Domino in isto gradu quotidie ad meliora proficiunt, rarius in peccatum cadunt. Quotiens vero ceciderint, totiens per pœnitentiam resurgunt. Status tamen eorum periculo est proximus, quoniam sicut vestis lacerata sæpius, tandem inutilis redditur: sic homo qui crebrius peccādo labitur, mala consuetudine frequenter suffocatur. Si qui tamen ex isto gradu in miserationibus Domini ex hac vita decesserint, non sine grauissimis purgatorij pœnis saluabuntur. Ad sublimiora igitur properandum est, quo non solum mortalia, sed etiam venialia pro viribus caueantur.

II. Secundum gradum illi creduntur ascendere, qui venialia simul & mortalia scelera, quantum prævalent, conantur euitare: verum nimio corporis infirmati commercio, non perseuerant in proposito, sed frequenter in varias huius vitæ negligentias incidunt, quamuis mortalia non committunt. Hunc gradum nos tepidi ascendisse vtcunque confidimus, qui sub regularis disciplinæ obseruantia constituti, mentes nostras à grauioribus peccatis adiuuante Domino custodimus. Quoniam vero nimium sumus tepidi, multum negligenter viuimus, & ad operandum sanctarum virtutum exercitia tardi sumus. Sunt autem plures in climate huius secundi gradus constituti, quos timor seruilis occupat, qui solus si fuerit, regno Dei minime appropinquat. Ad consequendam nempe supernæ felicitatis gloriam timor seruilis sine charitate non sufficit, quoniam seruus est qui non peccat metu supplicii, filius autem malum non facit amore Dei. Bonum est tamē à seruili timore incipere, vt homo paulatim ad filialem qui castus dicitur, valeat peruenire. Nam etsi metu pœnarum recedere à malo, ad consequendum Dei regnum minime sufficiat, operantem tamen ad timorē filialem parat. Vnde proficientium gradus est infimus, timore supplicii non delinquere, & ne damnetur perpetuo, non peccare. Sola.n. charitas merita discernens omnium, vt apta ingredi ad regnū Dei intromittitur: & quicquid factū extra illā fuerit, indignū Dei regno iudicatur. Quisquis ergo secundum hunc gradū meruisti ascendere, quisquis metu pœnarū didicisti non peccare, si vis ad gaudium fœlicitatis pertingere, cura quantocyus ad sublimiora properare. Quoniā vero (testante prouerbio) nemo repente fit summus, vt ab inferioribus incipias, recte q̄dem permittimus, sed stare in valle tenebrarum, diu periculosum iudicamus. Ascende igitur, quantum potes quotidie, & noli cum bestiis in stercoribus fœtentium actionum persistere, quoniam si non proficis, deficis: si non ascendis, descendis.

Timor seruilis bonus.

III. Tertius gradus ab illis comprehenditur, qui in bono proposito perseuerantes, se ab omni peccato mortali custodiunt, & à venialibus quoque pro viribus recedunt. Conscientiæ puritatem diligunt, & nihil quod eam maculare possit, vllatenus committunt. In vno tamen inferiores sunt sequentibus, quia non simpliciter propter amorem Dei recedentes à malo benefaciunt, sed ideo quod recepturos se regnum Dei pro suis meritis, confidunt. Non sunt in statu perfectionis, qui Deo propter mercedem seruiunt, sed cum infirmis adhuc longe à culmine sanctitatis in inferioribus consistunt. Qui Deum pura mente veraciter diligit, neque timore pœnarum, neque intuitu mercedis, sed amore ipsius tantum illi famulatur & seruit. Et propterea gradus præscripti omnes proponuntur incipientibus, per quos paulatim ascendentes, tandem coniungentur perfectis. Bonum est metu pœnarum à malo recedere, bonum est amore mercedis bonum facere, & quamuis nequaquam ad perfectionē sufficiat, initium tamen & viam proficiendi cupientibus præstat. Timor etenim seruilis continuatus filialem & castum generat, de cuius scaturigine perfecta charitas manet. Charitas autem posteaquam mentem semel accenderit,

omnem

omnem deinceps timorem seruilem & metum foras mittit.

IV. Quartus gradus viam perfectionis manifestare ascendentibus nititur, & ideo maior præscriptis merito iudicatur. Quicquid enim in illis boni cernitur, in isto perfectius habetur. Ascensores namque huius quarti gradus omni se studio non solum à mortalibus peccatis, sed etiam à venialibus quantum est eis possibile custodiunt, bonis & sanctis operibus diligentissime insistunt, & Deo placere super omnia cupiunt. In vno præcedentes superant, quoniam neque metu pœnarum declinant à malo, neque spe mercedis bonum operantur, sed amore Dei solius omnia faciunt, & nihil aliud quam Dei honorem quærunt. Hæc est via conantibus ad perfectonem proposita, hæc est vera sanctæ iustitiæ regula, vt Deum pura mente diligamus super omnia, & pro eius honore faciamus cuncta opera nostra. Amator enim Dei verus nec pœnam metuit, nec præmium cogitat, sed in amplitudine cordis ambulans voluntatem suam diuinæ ordinationi commendat. Deus enim quia summe bonus, non propter mercedem regni cœlestis, nec propter aliquid aliud, sed propter semetipsum diligendus est, & semper in omni opere bono principaliter in intentione habendus. Festinate fratres mei charissimi hunc gradum spiritualis scalæ quantocyus ascendere, quatenus ad perfectionis culmen possitis aliquando peruenire. Etenim si vos, qui sub obedientia monasticæ perfectionis estis constituti, ad hunc quartum gradum profeceritis, iam sine labore quintum ascendetis. Nam qui in quarto sunt positi gradu, opera iustitiæ bona ex voluntate propria faciunt, quoniam nec voto, nec professione monasticis se constitutionibus submiserunt. Et in hoc vno sunt inferiores sequentibus, propterea quod opus bonum tanto est Deo acceptabilius, quanto magis obedientiæ merito commendatur.

V. Quintum igitur gradum illi ascendunt, qui se totis viribus à peccatis custodiunt, & sub obedientia constituti, fortes semper & constantes in sanctitatis proposito persistunt. Deum pura mente super omnia diligentes, propter eius amorem bona opera principaliter faciunt, & in sua intentione nec pœnas timent, nec præmia requirunt, Prælatis suis propter amorem Dei humiliter obediunt, & à puritate regularis obseruantiæ in nullo pœnitus recedunt. Ex his sunt nonnulli, quos infirmitas carnis quandoque mente facit instabiles, & in suis opinionibus contra obedientiam aliquantulum pertinaces. Exercitia sua & p iuatas obseruantiolas contra determinationem prælatorum interdum conantur defendere, & se prudentiores in examinatione spiritualium suis rectoribus æstimare. Hoc fugite, ô Monachi, quia dæmonium latet in insidiis, & quos aperta congressione non potest vincere, occulta machinatione nititur superare. Quanto enim Monachus coram Deo sanctior & perfectior fuerit, tanto prælato suo sine discussione promptius obedit. Quod si Monachus perfectus Abbati suo, licet imperfecto, in licitis & honestis obedire contempserit, iam certe perfectionis vocabulum amisit. Ita ergo vnusquisque studio proficiendi curet insistere, vt obedientiam in nullo præsumat violare. Dicit enim scriptura: *Melior est obedientia quam victimæ, & auscultare magis quam immolare adipem arietum.* 1. Reg. 15. Quicquid obtuleris, alienū est, verus autem obediens offert seipsum.

VI. Sextus ergo gradus illis maxime conuenit, qui in omni puritate mētis & corporis viuētes Dominū super omnia diligunt, qui bonū omne q̄ possunt, p̄ Dei solius honore faciūt, qui à mādatis prelatorū non recedūt. Magna est virtus obedientiæ, quæ factum opus bonum duplicat, & meritū augens operanti, quasi arborē Deo cum fructu repræsentat. Non vos permoueāt verba hominū obediētiā contēnentiū, ô fratres mei charissimi, qui libertatē voluntatis subiectioni monachorū p̄ferunt, & opus bonum ex libertate factum, obedientiæ meritis anteponunt. Nam etsi Monachus ex necessitate professionis suæ obediat, bona tamen voluntas qua se pro Dei amore obligauit ad obedientiam, hanc necessitatem multipliciter commendat. Est autem necessitas qua homo ad faciendum aliqd compellitur, vbi voluntas non consentit, sed

Monachus & si ex necessitate obediat, immensum inde fructum refert.

Necessitas multiplex.

sed semper reluctatur. Hæc necessitas laudem virtutis minuit, quia bonum opus nunquam in voluntate fuit. Est & alia necessitas ex inclinatione mentis interiori proueniens quæ laudem boni operis auget, non minuit, propterea quod voluntatem in ipsum opus intensius accendit. Est necessitas tertia quæ finem respicit, & voluntatem non compellit. Nam si volueris transire nauigio Rhenum, necessitas conueniens postulat instrumentum. Necessitas autem qua Monachus obedire suo pastori compellitur, non est coactionis primæ, neque inclinationis secundæ, sed tertiæ potius, quoniam ex præcedente voluntate ad finem ordinatur. Necessarium ergo est Monacho propter finem, illud quod Abbas præcipit, facere, vt votum quod emisit, pro Dei amore valeat implere. Cum ergo finis iste sit multum laudabilis, quo se creatori suo ex amore creatura subiicit, obediendi necessitas in Monacho laudem boni operis non minuit, sed ampliorem facit. O felix Monachorum necessitas, quæ de bonæ voluntatis thesauro sumpsit exordium, & ordinatur ad finem, qui Deus est, incommutabile bonum. Maioris est laudis, excellentioris est meriti, & abundantioris est præmij, ratione voti bonũ opus ex obedientia facere, quam si fiat sine voto ex propriæ voluntatis libertate. Monachus autem seipsum totum & omnem voluntatem suam Deo semel obtulit, & sibi nihil penitus reseruauit. Quicquid sub obedientia boni facit, ad finem assumptæ religionis pro Christi amore seruandæ reducitur, cui nullum opus post martyrium comparatur. Qui sine voto continẽs est ab actu venereo, vnam virtutem operatur, quæ nominatur castitas, qui autem obseruat eam ratione voti, altius graditur, quoniam ad perfectionem totius religionis, quam professus est, singulæ virtutes ordinate referuntur. Plus enim est religio monastica tota, quam vna virtus priuata. Nam qui offert Deo bonum opus, quod sine obedientia fecit, id præstat solum, relinquens sibi quod maius est, potentiam agendi simul & propriam voluntatem. Monachus autem qui ex obedientiæ voto aliquid facit propter Deum, excellentioris est meriti, quoniam & actum offert Deo, & potentiam agendi. Nemo enim Deo plus obtulit, quam Monachus qui semetipsum dedit. Huius autem sexti gradus nonnulli ascensores quendam in se defectum superbiæ habent absconditum, quia dum ad seipsos incaute respiciunt, diuinæ voluntati sicut oportuerat non in omnibus se committunt. Is vero defectus ex quadam subtilissima vanitate sumit exordium, dum animus suæ puritati confidens, reuelari sibi à Domino petit aliquod secretum. Et in hoc vno sexti climatis ascensores distant à septimis, qui Deo mancipati signa refugiunt vanitatis. *Signa enim non fidelibus sed infidelibus data sunt.* Vnde monachus qui signũ à Domino postulat, quod se diuinæ voluntati adhuc perfecte non submiserit, manifestat. 1. Cor. 4.

Ex voto facere melius, quã libere facere.

VII. Septimũ ascendunt gradum, qui omnia præscripta studiosissime custodiũt, & Deo in omnibus subiecti sine macula vanitatis viuũt. Peccatum omne tam veniale, quã mortale, pro viribus fugiunt, opera virtutum pro solius amore Dei faciunt, suis in cunctis obediunt pastoribus, nulla petunt miracula vanitatis. Quicquid omnipotens Deus ordinauerit super eos, gratanter suscipiunt, de obseruantia monastica puritatis in nullo pœnitus recedunt. In vno tamen sunt inferiores sequentibus, quia patiuntur fortassis aliquem defectum quem nesciũt, cuius impulsu quandoque sensualitatis propriæ aliquid committunt.

VIII. Octauum gradum quicunque ascendere meruerit, sensualitati nihil amplius concedit. Hic requies animi dulcissima, hic mentis tranquillitas perfecta. Nihil in hoc gradu pulchritudinis vitiosum relinquitur, nihil hic quod contristare possit animum, inuenitur. Omnia sunt hic munda, omnia pura, omnia sancta, omnia charitatis feruore suauissime ardentia. O si hunc gradum contendamus ascendere? ô si in hunc portum tranquillitatis aliquando mereamur peruenire? Quando magis in hoc sancto climate confitens internæ suauitatis dulcedinem gustare cœperit, tanto in anteriora festinans amplius concupiscit. O sancta amoris prædicanda semper desideria, ô venerandæ perfectionis exercitia, vbi munda nitet sine peccatis

tis Deum amantis conſcientia, vbi ceſſarunt vitiorum improba certamina, & ſucceſſit tranquillitas magna.

Nonum gradum aſcendunt in octauo iam conſummati, qui omnia præſcripta pure & ſimpliciter propter amorem Dei cuſtodiunt, & nihil aliud quam Deum laudare, benedicere, & glorificare concupiſcunt. Quiſquis hunc perfectionis gradum aſcenderit, quaſi oblitus ſui, Deo ſe totum reſignans, humiliter ſubmittit. Ad omnia Dei beneficia indignum ſe reputat, de ſeipſo nihil penitus curat, quoniam ſe totum Deo iam didicit committere, & eius ordinationi humiliter in omnibus ſubiacere. Vnde nec miracula petit, nec aliquas in hac vita cõſolationes poſtulat, ſed cum ſancto Chriſti Apoſtolo veraciter clamat, *Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Mundus enim mihi crucifixus eſt, & ego mundo.* Verus etenim Chriſti amator monachus, ſe totum Deo ex charitate obtulit, & mundũ cum omnibus diuitiis, honoribus & vanitatibus contempſit. Vnde mundus ei crucifixus dicitur, in quo nihil eſt, quod eius penetrare mentem poſſe videatur. Felices illi monachi, qui pura conſcientia Domino Deo in vera charitate ſeruiunt, qui ſub humilitatis & obedientiæ imperio ſine offenſione currunt, qui gradum perfectionis hunc vltimũ aſcendunt. Hi ſunt veri monachi, qui nihil aliud quærunt quam honorem Dei. Nempe fratres mei quamuis monachi non teneantur de neceſſitate ſalutis eſſe perfecti, alioquin pauciſſimi ſaluarentur, tenemur tamen omnes bona voluntate ad perfectionem tendere, & quantis poſſumus viribus ad nonum hunc gradum anhelare. Monaſtico ſiquidem propoſito valde contrarium eſt, nolle proficere, & apoſtaſiæ genus, poſt votum perfectionis, in imperfectione velle permanere. Hoſtes enim ſunt noſtræ ſalutis vitia, quæ nos impugnant, & donec aut vincant aut vincantur, nos perſequi non ceſſant. Imitemur veteris pugnæ hiſtorias, quando non vno die, ſed ſucceſſiue hoſtes ſuos filii promiſſionis deleuerunt, Difficile namque eſt omnia vincere ſimul, niſi charitas Dei obumbrauerit ſubito mentem. Aduerſum cuncta nos impugnantia quomodolibet vitia geramus bellum, vincamus hodie gulam, qua rite proſtrata ſuperemus acediam, ſicque agamus cum cæteris vt victores tandem euadamus omnium. Aderit nobis pugnantibus Dominus & dabit victoriam Deus amatoribus ſuis Amen, Anno Domini 1486. 1. die Septemb.

Phil. 1. Gal. 6.

Mundus quibus crucifixus.

Monachus contendere debet ad perfectionem.

FINIS.

IOAN.

IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEIMENSIS, DE TRIPLICI REGIONE CLAVSTRALIVM, ET SPIRITVALI EXERcitio Monachorum Liber in duas partes distributus.

I. PARS HABET TRES TRACTATVS.

I. TRACTATVS

Qui est de prima regione claustralium, continetur articulis vel capitibus nouem.

ARTIC. I. De prima regione animæ, in qua monachi carnales degunt cum bestiis.
II. Quemadmodum monachi huius regionis inordinati sint ad suum prælatum.
III. Quemadmodum contra Prælati inordinati sint ad subditos.
IV. Quemadmodum monachi sint inordinati ad inuicem.
V. Quemadmodum inordinati sint ad seipsos.
VI. Quemadmodum inordinati ad res monasterii.
VII. Quemadmodum inordinati ad contemptum seculi.
VIII. Quemadmodum inordinati sint ad pœnitentiam.
IX. De his qui vicini huic regioni in eam crebro relabuntur.

II. TRACTATVS.

Qui est de secunda regione claustralium, continetur articulis septem, & radicibus diuini timoris septem.

ART. I. De continua finis cœnobiticæ vitæ intentione.
II. De restrictione debita virium sensualium.
III. De fideli potentiarum emendatione.
IV. De operum regionis attenta reformatione.
V. De institutione veri profectus monastici, & gradibus humilitatis 12.
VI. De potentiarum aptatione pro tertiæ regionis ingressu.
VII. De prædictorum omnium exemplari & expreimentali certitudine.

III. TRA-

III. TRACTATVS.

Qui est de tertia regione claustral. continetur art. 8.

ART. I. *Quod suprema regio claustralium sit grata comparatione.*
II. *Quod suprema regio sit suauis & amabilis propinquitate.*
III. *Quod diuina sit eruditione.*
IV. *Quod fundata sit in simplicitate.*
V. *Quod magnifica sit reductione.*
VI. *Quod sit thesaurizatione iucunda, atque verissima.*
VII. *Quod maxima gaudeat spiritus libertate.*
VIII. *Quibus modis ad huius regionis verticem ascendatur.*

II. PARS CONTINET MODVM ET FORMAM quotidiani exercitii Monachorum.

Huic subiicitur.

EIVSDEM EXERCITII COMPENDIVM, &c.

EPISTOLA.

IOANNIS TRITHEMII IN OPVSCVLVM DE TRIPLICI REGIONE CLAVSTRALIVM.

REuerendis in Christo Patribus, dominis præsidentibus, diffinitoribus, & cæteris Abbatibus Capituli annalis, Ordinis sancti Benedicti, vnionis & obseruantiæ Bursfeldensis; frater Ioannes Trithemius, vocatus Abbas in Spanheim, eiusdem ordinis & congregationis Moguntinæ diœcesis, reuerentiam & charitatem. Parui præceptis vestris colendissimi patres, & opusculum de triplici regione claustralium, vna cum exercitio spirituali monachorum, per venerabilem patrem dominum Ioannem Abbatem Bursfeldensem nuper editum, sicut mihi præceptis, assumpsi corrigendum. Et reuera, nisi me auctoritas vestra compulisset, nunquam ad tanti patris præclarum opus manum fuissem ausus apponere: quem constat me longe doctiorem & sanctiorem optime scripsisse. Quid enim corrigerem, vbi omnia probatissima inueniuntur? Vir bonus & deuotus non aliter scripsit, quam vixit & docuit. Veruntamen, vt satisfacerem tam vestro imperio, quam precibus ipsius auctoris, totum opusculum breuioribus quidem, licet non paucioribus sententiis reddidi, & illud, accentibus deseruiens, in meum scribendi morem & stilum, quantum potui, reduxi. Ordinem vero & materiam prioris voluminis tenui, formam & dicendi consuetudinem penitus immutaui. Multa quæ mihi videbantur vtilia, pene in omnibus locis addidi: pauca subtraxi: verba non sensus in singulis alteraui. Hoc enim vt auderem, & iussio vestra contulit, & præfati patris importuna petitio persuasit. Voluistis namque, vt ex veteri materia opus nouum facerem: adderem quælibet mihi visa congrua: resecarem superflua: alterarem immutanda. Feci quod potui: mandatis vestris obediui: opus iniunctum pro viribus ingenii mei, quæ tenues sunt, rescribendo consummaui. Suscipite nunc igitur, amantissimi patres, opus non meum, sed vestrum: non à me compositum, sed potius rescriptum. Si vobis placuerit labor prædicti patris, laudate ingenium: sin autem propter vtilitatem displicuerit, meum corrigite imperfectum: quoniam qui materiam ad spirituale ædificium optimam ex impensis alterius habui, per imperitiam meam structuram ineptam fabricaui. Si stultus factus sum, vos coegistis me. Siue ergo placeat opus, siue displiceat, mihi satius est inepte scribendo vestrum obedienter suscepisse imperium: quam contra obedientiam tenuisse silentium. Confido tamen, non viribus propriis, sed meritis alienis: quoniam opus quod charitas edidit, nulli Deum amanti displicebit. Opto paternitates vestras in Christo semper manere felices. Ex Spanheim, 14. Ralend. Septemb. Anno Dominicæ Incarnationis M. CD. XCVII.

PRÆ-

PRÆFATIO.

CVM vitæ monasticæ statum huius temporis ad mentem reuoco, eius calamitati vehementer condoleo: quoniam feruor spiritualis exercitii, qui olim fructus in ordine sancti patris nostri Benedicti vberrimos protulit, nunc à monachis vt plurimum defecit. Cernimus enim claustrales moribus redire ad seculum, contemni videmus à multis regularis obseruantiæ institutum, & religio, quæ instituta ad contemptum seculi à principio fuerat, ad pompas seculi per monachos improbos denuo reuocatur. Cecidit corona capitis nostri: integritas regularis disciplinæ corrupta est, & pristinus sanctæ conuersationis feruor interiit. Ordinis nostri monasteria complura in deformitate pessima iacere sepulta cernimus, quæ reformata ad puritatem regulæ pauciſsima videmus. Huius autem excidii regularis inspitutionis causa, est spiritualium exercitiorum negligentia, quia mox vt spiritus feruoris in mentibus claustralium desipuit, caro per abnegationem suiipsius mortua reuixit, & mundus qui deuotis cordibus aridus & despectus ante apparuit, in mentibus carnalibus rursus florescere cæpit. Enimuero cordis humani cogitatio ab adolescentia ad malum prona, nisi quotidiano spiritualis exercitii fræno ad feruorem spiritus incitata fuerit, in pristinas negligentias mox reciens à sancto proposito tepescit. Nam sicut noualis ager cultoris diligenti cura destitutus, succrescentibus spinis cito in solitudinem priorem reuertitur: ita mens humana quantumlibet pura sit vel sancta, in vepres vitiorum cito redigitur, nisi quotidiano deuotionis exercitio ad feruorem spiritus renouetur. Hac consideratione ducti patres obseruantiæ nostræ Bursfeldensis deuoti cultores, nobis & posteritati verbo & exemplo mandarunt, vt qui manere in feruore spiritus constantes pro nostra fragilitate non possumus, saltem recollectione serotina post completorium diurnas negligentias accusantes, mentis nostræ statum ad feruorem sancti propositi reuocemus. Quisquis autem quotidianæ institutionis exercitium omiserit, in profundum torporis cadit, quemadmodum sapiens in Ecclesiastico dicit. Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subuertetur domus tua: quæ intelligitur bona conscientia. Ad huius exercitii tam vtilis tamque necessarii commeatum regula sanctissimi patris nostri Benedicti monacho videtur sufficere, quam constat omnem materiam exercitiorum, tam spiritualium quam corporalium ad custodiam regularis disciplinæ necessariam monachis continere. Et idcirco omnia monachorum exercitia, constitutionibus regulæ humiliter submittenda sunt, quoniam quicquid vel à nobis, vel ab aliis pro restitutione monachorum præcipitur, totum ad obseruantiam normæ monasticæ deputatur. Nam totius religionis nostræ summa, quæ continuatione spiritualis exercitii acquiritur, in regula monasticæ traditionis quasi in radice per compendium habetur. Omne igitur, vel spirituale vel corporale monachorum exercitium, quo mens ad humilem obedientiam & abnegationem suiipsius ex amore indu-

Causa ruinę vitæ monasticæ.

Eccli. 27.

Regula S. Benedicti sufficit pro institutione spirituali.

re inducitur, institutis sanctæ regulæ conformatur: quod quanto monachum bonum & humilem proximum Deo exhibere dignoscitur, tanto contemptoris superbi studiis adʒ uersatur. Huius exercitii sancta mysteria cultoris sui mentem inuisibili magisterio ad amorem Dei tanquam ad debitum, finem securo tramite dirigunt, internæ deuotionis gratiam mirabiliter acquirunt: faciuntque monachum omnia terrena veluti nihilum contemnere, & in feruore spiritus omni tempore dulciter ardere. Hoc salubre deuoʒ tionis exercitium animalis homo non percipit, hoc studium monachus vanus & cuʒ riosus non intelligit, hanc scientiam omnibus præferendam superbus non admittit. Feʒ lix qui secreta huius exercitii penetrare didicit, felix qui hoc donum sanctæ compunʒ ctionis à Domino accipere meruit, quod quicunque semel perfectæ consequutus fuerit, nulla aduersa huius mundi formidabit. Illud vero exercitium, quod debito fine destituʒ tum mentes hominum claustralium ad obseruantiam mandatorum regulæ non dirigit, spiritus disciplinæ sanctus non infundit, quoniam vbi subiectionis obedientia despicitur, nullum ab omnipotente Deo munus acceptatur. Scriptum est enim: Melior est obe- 1.Reg.15.
dientia quam victimæ: & auscultare magis quam offerre adipem. Et quamuis mulʒ ta spiritualis exercitii à diuersis composita inueniantur opuscula, quia tamen non omniʒ bus conueniunt omnia, visum est etiam ad conuenientiam regulæ sanctissimi patris noʒ stri aliquid edere, quo magis & vicinius ad puritatem regularis obseruantiæ nosmetiʒ psos possimus excitare. Itaque præsens opusculum de optimi patris Theodorici quon- Diuisio Opuscuʒ li præʒ sentis.
dam cœnobii Bursfeldensis abbatis exercitiis collectum in duas partes principales diuiʒ dimus: quarum prima in consideratione institutionis monasticæ ponitur, secunda circa exercitationem spiritualis vitæ occupatur. In prima temetipsum iuberis cognoscere, in secunda mentem à terrenis ad cœlestia eleuare. Igitur ad propositum considerationis nostris pro viribus accedentes, primum tractatum in tres partes diuidimus secundum triplicem claustralium statum: quorum primos sensuales, secundos rationales, tertios spirituales possumus appellare. Ex hoc triplici hominum statu, huic operi titulum conʒ uenientem assumimus, quod de triplici regione claustralium nuncupamus. In his tribus regionibus omnis turba monachorum concluditur, quemadmodum in sequentibus dicetur.

DE TRIPLICI REGIONE CLAVSTRALIVM OPVSCVLVM IN PARTES DVAS DIVISVM.

Quarum

Prior tres habet Tractatus, ac primus quidem est de prima regione clauſtralium.

De prima regione animæ, in qua cum beſtiis monachi verſantur carnales, multis paſſionibus inordinati, in regione infima ſenſualiter conuerſantes.

ARTICVLVS I.

PRima igitur animæ regio ſenſualis infima & animalis dicitur, in qua radices omnium malorum continentur. In hac regione tenebroſa conſtituti homines cum beſtiis in genere ſuo participant, quippe qui mores (vt ita dicam) beſtiales obſeruant, dum rationi aut nihil aut parum deferunt, ſed omnia ſenſualitati, vt beſtiæ concedunt. Nam in iſta regione infima tres animæ vires ſenſuales præſident, quarum prima ſenſibilis circa obiecta quinque ſenſuum exteriorum diffunditur: concupiſcibilis altera in carnalibus delectatur: tertia iraſcibilis voluptatibus carnis contraria fugiendo perſequitur.

Et hæc regio infima, cœlo comparatur aereo, quoniam, ſicut in aere grandines, niues, fulgura, & variæ tempeſtates generantur, ita & in mentibus hominum carnalium hanc tenebroſam regionem inhabitantium variæ ſæuiunt tempeſtates vitiorum. Væ monachis carnalibus, qui hanc regionem tenebroſam inhabitant, in qua motus frequens eſt ſcelerum, tempeſtas continua voluptatum. Hi ſunt monachi paſſionibus animalibus dediti, qui rationem ſenſualitati ſubiiciunt, qui ſecundum carnem in
Gal. 5. deſideriis beſtialibus viuunt. *Manifeſta autem ſunt opera carnis* in hac infima regione degẽtis: *quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorũ ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia.* de quibus ſanctus proclamat Apoſtolus: *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Hæc ſunt operum infimæ regionis indicia, hæ mentium carnalium monachorum mortiferæ tempeſtates, qui in religione irreligioſe viuunt, qui traditiones ſanctorum Patrum deſpiciunt, qui præcepta ſeniorum prædita p̃ſumptione contemnunt. Hi ſunt infimæ regionis immundi cultores, vitiis & concupiſcentiis carnalibus dediti, qui Deum non curant habere in notitia, qui voluptatibus carnis inſeruiunt, qui votum ſanctæ religionis quod profeſſi ſunt cõtumaciter frangunt, qui animarum ſuarum contempta ſalute, gratiam Dei vocantem ſequi deſpiciunt. Propterea tradidit eos in reprobum ſenſum, & in falſum iudiciũ, vt malum exiſtiment bonum, & quę in veritate peſſima ſunt, ipſi optima eſſe falſo arbitrentur. Hi ſunt de quibus ſanctus prophetauit Apoſtolus, monachi carnales, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, Rom. 1.
contumelioſi, ſuperbi, elati, inuentores malorum, maioribus non obedientes, inſipientes, incompoſiti, ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordia, repleti omni iniquitate, malicia, nequitia, contentione, dolo, & malignitate, qui cum iuſtitiã Dei cognoſcant, nolunt intelligere, quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte perpetua, & non ſolũ qui illa faciunt, ſed etiã qui faciẽtibus ea cõſentiunt.

tiunt, & qui malorum ſtudiis ex officio minime contradicunt. Enimuero rector animarum, qui delinquentes ſubditos non corrigit, alienis ſe damnandum ſceleribus inuoluit, eorumque ſocius tacendo efficitur, quorum culpas damnatio ſubſequetur. Quiſquis enim paſtor animarum poſitus, emendare ſecundum regulam canonicam peccantes negligit, etiamſi delicto careat proprio, tamen apud diſtrictum iudicem pro merito condemnabitur alieno. Dicit namque ſummus paſtor ad prophetam. *Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael: & audies de ore meo verbum: & annunciabis eis ex me. Si ergo dicente me ad impium, morte morieris, non ei annunciaueris, neque loquutus fueris, vt auertatur à via ſua impia & viuat, ipſe quidem impius in iniquitate ſua morietur: ſanguinem vero eius de manu tua requiram.* Et Benedictus pater noſter in regula. *Sciat*, inquit, *Abbas culpæ paſtoris incumbere, ſi quid minus vtilitatis paterfamilias in ouibus ſuis potuerit inuenire.* O ſententia cunctis ſemper metuenda paſtoribus, qua non ſolum praua conuerſatio ſubditorum rectori aſcribitur, ſed etiam de minori profectu eorundem reus apud internum iudicem habetur. O quid nos miſeri paſtores in illo diſtricto examine dicturi ſumus, qui monachos nobis commiſſos multipliciter delinquentes emendare ſecundum regulam negligimus, qui iacentes in infima regione ad ſuperiora non vocamus, ſed carnales cum carnalibus in vmbra mortis ocio pernicioſo torpeſcimus? Væ omnibus in hac regione tenebroſa manentibus, quoniam niſi pœnitentiam egerint, cum illis deputandi ſunt, qui tenebras exteriores inhabitant, *vbi nullus ordo ſed perpetuus horror inhabitat.* Nam ſicut monachi ſecundum regulam ſpiritu ambulantes in cœlo cum ſanctis angelis ſine fine feliciter coronandi ſunt, ita contra normam inſtitutionis monaſticæ in hac infima regione carnis vſque ad mortem perſeuerantes, paganis deteriores cum dæmonibus in inferno æternaliter ſunt cruciandi. Veraciter enim dixit ille beatus. *Sicut nunquam vidi meliores his qui in cœnobio profecerunt, ita non ſum expertus deteriores illis qui in monaſterio defecerunt.* Profeſſio enim monaſtica ſpiritualis vitæ perfectionem exigit, & ad ſummam virtutum quaſi ad ſuum finem debitum tendit. Quanto autem quiſque ab hoc conatu proficiendi in monaſterio conſtitutus defecerit, tanto longius à propoſito monachi recedit.

Superior tenetur corrigere ſubditos.

Ezech. 3.

cap. 2.

Iob 10.

Aug. ep. 137.

Quemadmodum monachi carnales huius infimæ regionis ciues inordinati ſunt in multis articulis.

QVamuis deſcriptio huius infimæ regionis, carnalibus quibuſcunque hominibus in peccatis & ſceleribus cum beſtiis morantibus generaliter conueniat: tamen vt noſtra curemus, de clauſtralibus tepidis & carnalibus loqui intendimus, bonis ac deuotis nullam penitus iniuriam irrogantes. Semper enim & in omnibus mores bonorum clauſtralium intactos & illæſos permanere volumus, quotiens de malis ſtudiis prauorum diſputamus. Malos itaque clauſtrales & mores prauos reprehendimus, bonos honorantes vbique, vt decet, collaudamus. Et quid aliud quam malum de malis dicere poſſumus? in quibus nulla quæ dicamus bona inuenimus. In ordine ſancto inordinate viuunt, traditiones ſeniorum deſpiciunt, verba ſalutis non admittunt. Tanta vero monachorum infimæ regis inordinatio eſt, vt facilius ſit meo iudicio publicanum conuertere, quam inordinatum monachum ad pœnitentiam reuocare. Hanc autem inordinationem carnalium monachorum in octo articulis comprehendimus, quanquam eos in multis aliis inordinatos eſſe non ignoremus.

Inordinatio monachorũ octo articulis exponitur.

Et primo quidem ciues huius infimæ regionis monachi beſtiales inordinati ſunt ad Deum: deinde ad ſuum prælatum: tertio prælatus ad ſubditos: quarto membra ad inuicẽ: rurſum quinto inordinati ſunt ad ſemetipſos: deinde ad res monaſterii: ſeptimo ad contemptum mundi: conſequenter ad pœnitentiam peccati. Iſtæ ſunt principales infimæ regionis inordinationes ciuium: hæ beſtiales affectiones carnalium monachorum, qui mente & corpore in infimis habitant, qui proficere ad ſummam non feſtinant. Has itaque infimæ regionis inordinatas conditiones per ordinem breuiter curabo exprimere, &

quam longe sint à Deo carnales monachi pro viribus demonstrare. Nam, sicut ait propheta, *longe à peccatoribus salus.* *Psal. 118*

Quemadmodum ciues huius infimæ regionis inordinati sint ad Deum.

ARTIVLVS I.

3

IGitur monachi carnales huius infimæ regionis insani cultores multipliciter inordinati sunt ad Deum, cuius amoris dulcedinem nunquam sentiunt, nullam timoris diuini compunctionē admittūt, in affectionibus suis bestiales & tumidi, in voluptatibus suis carnalibus omni tempore sunt immundi.

*

Inordinati ad Deum. I.

Et primo quidem eorum inordinatio ad Deum ex ignorantia sumit originem: quandoquidē passionibus animalibus dediti non curant Deum habere in notitia, nec illa, quæ ad timorem eius inducunt animum, cogitare consentiunt, sed malis desideriis obcæcati in cogitationibus suis euanescunt. Sed quid ait scriptura? *Qui ignorat, ignorabitur.* Nolunt intelligere vt bene agant, à facie districti iudicis non formidant, sine pœnitentia in malis iugiter perseuerāt. Enimuero more iumētorum in voluptatibus suis computrescere non metuunt, patientiam Dei vocantis ad penitentiā non attendunt, nihil aliud quam carnis suæ commoda inquirunt. Omni tempore in peccatis maximis sine aliquo timore ambulāt, scire vias Domini contumaciter recusāt De futuro iudicio, aut nihil, aut parum cogitant, pœnas peccatoribus præparatas in inferno non formidant, nunquam corda eorum compūctionis gratia penetrat, quorum mentes Dei amor non inflammat. Nulla eis de Deo cura est, de morte pauor nullus. Vētri magis, quam Deo obediunt, viuere secundum carnē omni tempore concupiscunt, & dum salutē propriam turpiter negligunt, ad infernum cum dęmonibus descendunt. Enimuero, qui Deum obliti votum sanctæ conuersationis monasticæ male custodiunt, ad præmia cœlestis vitæ iustis tribuendo non pertingunt. *1. Cor. 14.*

II. Secundo inordinati sunt ad Deū carnales monachi ex professione stolida, quam secundum regulam promittunt viuere, quod tamen veraciter non curant adimplere. Et quid magis inordinatum quā Domino Deo vitæ sanctitatem promittere, & in turpitudine prioris vitę permanere? Irrisor omnipotētis Dei est, non monachus: quisquis in monasterio aliter quā regula docet monastica cōuersatur. O quam multos hodie inter claustrales viuere seculariter cernimus, quam plures professionis suæ propositum negligere videmus, qui regularis disciplinæ obseruantiam variis modis violant, qui Dei bonitatem scienter ignorant, qui pœnitentiam agere recusant.

III. Tertio multi claustrales huius infimæ regionis inordinati sunt ad Deum, ex debitæ seruitutis incuria, qui suis affectionibus & desideriis carnalibus variis modis deseruiunt, & semper distracta mente ad Dei seruitium accedūt. Ex his nonnulli ad chorum sine aliqua deuotione occurrūt tepidi, alii necessitate compellente accedunt inuiti, quidam cogitationibus exterioribus dispersi diuinis intersunt corpore, sed foris per diuersas officinas vagantur in mente. Alii falsas occasiones non metuunt exquirere, quibus se à choro quasi licenter valeant absentare. Nunc grauem dolorem capitis simulant, nunc hoc nunc illud mendaciter allegant, & dum seruitutem Deo omnipotenti debitam fallaciter subtrahunt, æternæ maledictionis opprobrium negligentibus debitum incurrunt.

IIII. Quarto sunt complures inordinati ad Deum, ex operatione consuetudinis, qui etsi maledictione negligentium aliquando careant, nunquam tamen ad fructum internæ deuotionis appropinquant. Nam ad seruitutem Dei accedunt ex sola consuetudine, nec in aliquod bonum opus mouentur ex deuotione. Alii sub graui necessitate constituti mandatis superiorum inuiti satis obediunt, & pœnas tēporales potius, quā iudiciū Dei pertimescūt. Hi crucē Domini cū Simone in angaria baiulant, qui tanq̄ *vitula Effraim docta ad trituram,* sola cōsuetudine bonis operibus instant. Bonum autē nō benefaciunt, qui ad Dei seruitutem intentione non debita accedunt. Ré quoq; iusti sine mercede iusti perficiunt *Osee. 10.*

qui

quæ in operibus bonis & iustis voluntatem bonam non assumunt.

V. Quinto ciues infimæ regionis inordinati sunt ad Deum per vitium ingratitudinis; quod est scelus maximum inordinatæ voluntatis. Et sæpe quidem tentationibus variis atque grauissimis suo demerito flagellandus exponitur; qui de perceptis beneficiis ingratus Domino inuenitur. Et ideo beneficium, quod accepit, meretur amittere, qui se gratum tanto benefactori negligit exhibere. Et quæ maior potest esse ingratitudo, quam in religione non religiose viuere; votum frangere, propositum solenniter assumptum turpiter violare? Monachus enim, qui vitiis carnalibus semetipsum inuoluit, qui viuere secundum regulam quam professus est negligit, maximum ingratitudinis vitium voluntarie incurrit.

Quemadmodum monachi huius infimæ regionis inordinati sunt ad suum prælatum.

ARTICVLVS II.

AD prælatum suum monachi carnales multipliciter inordinati sunt, cuius vitam continuis detractionibus lacerant: pastorali officio contumaci pectore derogant, filialis dilectionis affectū impendere suo pastori secundum regulam recusant. Variis enim voluptatibus obcæcati monachi huius infimæ regionis, cuius vicem gerat in monasterio Abbas dedignātur inspicere: & quem velut Christi vicarium humiliter venerari debuerant, tanquam sibi similem ex infirmitate, nullum dignum honore putant. Sub huius inordinatę conuersationis laqueo, antiquus hostis monachos carnales decipit: quos variis modis in sui pastoris disciplinam inducit. Maxima namque potestas sæuiendi in gregem monasticum diabolo conceditur, dum is qui præest à subditis oditur. Nam, sicut sanari non potest infirmus, qui medicum detestando non sinit accedere: sic saluari non potest monachus, qui propter auersionem tentationes suas pastori non vult aperire. Quomodo enim potest ouis infirma dentes lupi rapacis euadere, si pastoris præsentiam non potest sustinere?

Inordinati ad superiores.

Primo itaque monachi inordinati vitam sui pastoris vituperant, eius & facta & dicta contumaciter accusant: quia dum rectorem incedere secundum traditiones sanctorum patrum considerant, corrigi in suis prauitatibus formidant. Semper enim apud reprobas mentes vita bonorum in suspitionem trahitur, semper alienis virtutibus inuidia torquetur: & monachus qui se vitiis & peccatis voluntarie subiicit, semper pastorem purgatæ conuersationis odit. I. ✱

II. Secundo autem ciues huius tenebrosæ regionis inordinati sunt ad suum prælatum, cum eius officio derogant, quem ad præsidendum in monasterio à Deo ordinatum non ignorant. Contra eum facili occasione murmurant, eius mandata non obseruant, & qui se armis sanctæ obedientiæ pro Dei amore iampridem subdiderant, nunc more Sarabaitarum contempta obedientia, voluntatum suarum sibi pernicioſum dominium vsurpant. Abbatem prauis suis conuenientem moribus habere desiderant, sanctum & vtilem recusant. Si remissum & inertem pastorem inuenerint, multis eum venenis adulando intoxicant, patrem optimum & piissimum vocant, eique se non humiliter, sed libenter subiiciunt, à quo nullam prauitatis suæ correptionem pertimescunt.

III. Tertio monachi carnales inordinatos se ad suos pastores exhibent, dum eis affectum filialis amoris subtrahunt, & obedire secundum regulam contemnunt. Veruntamen cum monachus Abbatem suum tanquam Christi vicarium syncero affectu teneatur diligere: non poterit eum sine grauissimo scelere odire. Enimuero qui pastorem suum amore Christi non diligit, verus amator Dei non existit. Nam Christus, qui etiam inimicos vult diligi, suos vicarios quomodo permitteret odiri? Illum itaque intende, qui tibi Abbatem præesse vice sua voluit, & causa displicentiæ contra eum iam deinceps non erit.

IV. Quarto ciues inordinati vallis vmbrosæ pastoris sui reuerentiæ derogant, dum ei honorem ex regula debitum non solum contemnūt impendere, sed quod

peius est, non metuunt etiam contumeliam irrogare. Regula enim prohibet Abbatem vices Christi in monasterio gerere, cui omnes Monachi tanquam ipsi Christo debent humiliter obedire, quoniã obedientia, quæ maioribus impenditur, Christo exhibetur. Sed peruersi claustrales de præsidentia prælatorum semper ingrati ordinationi diuinæ contumaciter obuiare non metuunt: mandatis sanctæ regulæ obedire contemnunt: Abbatemq; suum, cui omnem reuerentiam exhibere debuerant, odio & detractionibus lacerantes inhonorant. Quicquid fecerit, quicquid ordinauerit, quicquid dixerit, tanquam male factum eis displicet, quippe qui conuersationi eius omni tempore detrahunt: eius contempto officio, nihil magis quam confusionem sui pastoris oues morbidæ inquirunt. Ex his nonnulli Abbatem suum in occulto iudicantes despiciuut, alii in faciem ei contradicunt: qui dum reuerentiam suo pastori exhibere negligunt, omnem disciplinæ obseruantiam confundunt. His semper est familiaris elatio, carnis amica turpitudo: quoniam qui se ab affectu pastoris voluntarie subtrahunt, in tentationes abominabiles & scelera pessima cadunt. Quisquis enim Christi vicarium in monasterio despicit, sæuiendi in se potestatem diabolo tradit, & vnionem corporis mystici confundit.

Superiori obediendũ tanquã Christo.

In obediẽs superiori, dæmonem in se prouocat.

Quinto monachi carnales inordinati ad suum pastorem eius auctoritati derogant: dum nihil ei licere nisi consenserint ipsi in cœnobio putant. Virtutem humilitatis elata ceruice despiciunt: subiectionem regularem spernunt: cedere melioribus contemnunt. Omnibus negociis & causis se volunt immittere: sibique consilii principatum vsurpare: vt Abbas nihil agere vel disponere audeat: nisi prius de eorum consensu negocium procedat. Sed quid dicit legislator Benedictus in regula? *Audiens*, inquit, *Abbas consilia fratrum, tractet apud se, & quod vtilius iudicauerit faciat.* Et iterum. *Sic autem dent fratres consilium cum omni humilitatis subiectione, vt non præsumant procaciter defendere, quod eis visum fuerit*: sed magis in Abbatis *pendeat arbitrio: vt quod salubrius esse iudicauerit, ei cuncti obediant.* Et rursus de ordinando præposito dicit. *Nos prouidemus expedire, propter charitatis pacisque custodiam: in Abbatis pendere arbitrio ordinationem monasterii sui.* Hæc vtique ordinatio institutionem destitutionemque omnium officialium monasterii respicit: quæ non consensum fratrũ, sed consilium Deum timentium requirit. Denique omnibus regula mandat agendum secundum voluntatem Abbatis: nihilque penitus esse præsumendum, quod ab eo non fuerit iniunctum. Hanc eius auctoritatem Monachi carnales, propriæ voluntatis temerarii vsurpatores, variis modis conantur infringere: totiusq; monasterii ordinem & charitatem perturbare: dum agendum rectori nihil existimant, nisi quod ipsi rectum putant. Sed dicite mihi regionis infimæ superbi cultores, qui voluntatem vestram semper statuitis, qui vobis ius alienum vsurpatis: hæccine est obedientiæ virtus, nolle maioris imperio cedere, sed proprio iudicio pertinaciter inherere? Non sic vobis viuendum sanctus pater in regula statuit, qui vos in omnibus sequi voluntatem Abbatis iussit. Maxima enim virtus Monachi obedientia est: quam diuus pater noster vsq; adeo commendare voluit, quod bonum opus sine voluntate Abbatis merito carere dixit. Vnde & præcipiens ita concludit. *Ergo cum voluntate Abbatis omnia fiant: & nullus in monasterio proprii cordis sequatur voluntatem.* Quod si non videatur ad ordinationem monasterii prudentia rectoris sufficiens, monachis carnalibus imputandum est: qui sibi non idoneum voluntarie præfecerunt. Semper odio habet stultitia prudentiam: & Abbatem Monachi praui detestantur sapientem. Qui ergo sibi stultum scienter perficiunt: eius ordinationi & voluntati necessario subiacebunt. Nulla denique insufficientia pastoris obedientiam subditorum debet extinguere: cum regula nos iubeat etiam inutili obedire. Dicit enim. *Præceptis Abbatis in omnibus obediendum est: etiam si ipse, quod absit, aliter agat.* Sed nobis inobedientiam redarguentibus Monachi carnales obiiciunt. Recta, inquiunt, & bona intentione hæc facimus: qui perire substantiam monasterii per malũ regimen videmus. Sed vobis contra dicit

Cap. 65.

Maxima virtus monachi obedientia.

Cap. 71.

cap. 3.

Abbatis iudicio stãdum est in omnibus.

Abbati etiam malo obediendum. Cap. 4.

Rom. 3.

Rom. 3. dicit Apostolus: quoniam, *non sunt facienda mala, vt veniant bona*, nec propter damnum rei temporalis, deserenda est subiectio humilitatis. Nam vbi inter damnum substantiæ temporalis & regularis obedientiæ periculum aliquid subeundum occurrerit, melius est perire substantiam, quam lædi obedientiæ puritatem. Non enim pecunias de manibus nostris requiret sed animas. Enimuero qui verus monachus est, omnibus rebus mundi virtutem obedientiæ præfert. Ciues autem huius infimæ regionis monachi carnales variis modis virtutem obedientiæ lacerant, arma sanctæ humilitatis impugnant, vt mihi facilius videatur nouum de soculo monachũ instituere, quã istorum ignauiam posse emendare. Sed ex fructibus eorũ, quales sint manifeste cognoscimus, quippe qui pacẽ & charitatẽ in monasterio violant, concordiã vnitatis turbant: inter fratres & Abbatem discordiam seminant: obedire mandatis regulæ cõtumaciter recusant. Hæc sunt opera malorum claustralium: hæc sunt indicia ciuium infimorum, qui propriæ voluntatis improbissimi defensores arma sanctæ obedientiæ proiiciunt: carne non spiritu viuunt: patrum statutis aut nihil aut parum deferunt? sanis consiliis non acquiescunt, quorum damnatio iusta est. Nam sicut impossibile est ignem flammantem non sursum ascendere: ita non est possibile monachum sine obedientia cœli secreta penetrare.

Monachus per obedientiam penetrat cœlum.

5 *Quemadmodum pastores huius infimæ regionis inordinati sint ad subditos.*

ARTIVLVS III.

QVoniam vero Monachus cõplures infimę regionis inordinatos ad suos pastores ostendimus: nunquid prælatorum inordinationes erga subditos quasi nobis parcentes non ostendemus? Neque nomen Abbatis quemquam sanctificat: neq; immeritum pastoralis curæ præeminentia saluat. Cum ergo multi inter prælatos montem infimæ regionis cum bestiis terræ inhabitent, nequaquam nobis silentio sunt transeundi. Complures enim rectores claustralium inordinatos se subditis exhibent: qui non solum commissas sibi animas secundum regulam pascere negligunt, sed eas variis modis lacerant & occidunt. Quotiescunque vero in pastorem aliquis de infima regione assumit, in peius prauorum studia roborat. In Abbatem igitur promouendus est vir bonus & diligens Deum, qui hanc infimam regionem dudum superauerit: qui carnis passiones domare nouerit: qui ascendere ad supremam illam regionẽ spiritus & velit & possit. Oportet enim Abbatem Monachorum altioris esse meriti quã monachos: quoniam quisquis rector animarum cõstituitur, necesse est vt multis virtutibus adornetur. Nam si pastor infirmus adhuc in infima regione cum ouibus habitat, debiles negligendo interficit, non confortat. Cæcus enim, si ducatum cæco præbeat, necesse est vt cum eo simul infoueam cadat. Pastor enim qui se ordinatum erga subditos suos secundum regulam non exhibet, non pastor sed mercenarius dicendus est, & in domo Domini non manebit inæternum. Multæ autim sunt inordinationes prælatorum carnalium: quæ tanto amplius ouibus nocent: quanto rarius emendantur.

In Abbatem quis eligendus.

Et primo quidem inordinatus est rector ad subditos, si mercenarius fuerit: si neglectis ouibus proprium carnis vel animæ commodum quærit: si vt voluntatem suam consequi valeat, nihil petentibus contra regulam negat. Enimuero qui mercenarius est, oues veraciter non diligit: propriam gloriam quęrit, aliis pręesse desiderat, prodesse secundum regulam non curat, gaudet se dici Abbatem, non nouit exhibere pastorem. Mercedem ergo vanitatis suæ vanam recipit, qui non Dei, sed suam gloriam quærit: qui animas subditorum suorum perire citius permitteret: quam Abbatiam alteri meliori resignaret. Mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Non est verus monachus, non est pastor bonus, non est Dei amator syncerus, qui præsidens Monachis inuoluntarius est cedere, si consilio timentiũ Deum sic visum fuerit expedire. Cura regiminis

I. *Superiores inordinati ad subditos.*

Superior debet esse humilis.

animarum elatum hominẽ despicit: humilem & resignatum Deo ad omnia requirit. Si ergo vis pastor bonus & verus Monachus inueniri, taliter intentionem tuam omni tempore formandam memineris; vt paratus sis ex amore Dei * animas tibi commissas pro viribus humiliter pascere, paratus sis etiam pastorale officium ad arbitrium Dei & bonorum hominum ex cordis integritate resignare. Hanc intentionem, si semper in mente tua permanentem seruaueris, & tibi & aliis bonus pastor eris. Si vero in cura pastorali honorem diligis propriũ, si tuum commodum vtilitati prefers subditorum, adhuc cum bestiis in regione infima habitas, & quã sis inordinati cordis manifestas.

II. Secundo, pastor animarum inordinatus erga subditos efficitur: si animus eius nimis auide in rebus temporalibus occupetur: si maiorem solicitudinem gerat pro negotiis secularibus, quod pro commissis sibi animabus. Hanc vero nimiam rerum temporalium, curam sanctus pater Benedictus in regula prohibet: animasque rationales omnibus rebus seculi merito iudicat præferendas.

cap. 2. *Ante omnia*, inquit: *ne dissimilans aut parui pendens salutem animarum sibi commissarum plus gerat solicitudinem Abbas de rebus transitoriis terrenis atque caducis: sed semper cogitet quoniam animas suscepit regendas: pro quibus est rationem redditurus.* Consequenter eum de necessariis corporis pius pater certificat: si Deum amans pura mente colat. *Et ne forte*, inquit, *causetur de minore substantia meminerit scri-*

Matt. 6. *ptum. Primum quarite regnum Dei & iustitiam eius: & hæc omnia adiicientur*

Psal. 33. *vobis. Et iterum. Nihil est timentibus Deum.* Sed pastor Monachorum inordinatus auaritiæ spiritu seducitur, mente tanquam non sentiens excecatur, Domini à

1. Reg. 20. se timorem proiicit, cum Achab venundatus sub peccato ad auxilium sceleris currit: promissa per sanctum patrem de consequendis necessariis confidentia destituitur: plus quam decet monachum in exterioribus occupatur. Impulsus iam deinceps auaritiæ stimulis, mandata Dei & sanctæ matris Ecclesiæ despicit, dies festos non custodit, rebus terrenis totus immergit, nihil aliud quam temporalia meditatur. Mandatum Domini stultus cum Saule transgreditur, expiari se victimis contra obedientiam fatuus arbitratur, Deinque aut rebus aut curis secularibus incrassatus & dilatatus in omnem lasciuiam & dissolutionem plerunque labitur: regularis disciplinæ obseruantiam detestatur: & dum coerceri à malis studiis auctoritate capti metuit, dissolutionem sanctæ vnionis querit. Deinde reprobus cum Saule effectus Pythonissæ consilium in- 1. Reg. 28.
uocat: obedientiam reformationis suo monasterio damnabilem clamat, absolui quamtocius à submissione sanctæ confederationis desiderat, ad hoc multa fallo & mendaciter narrat. Sed cum auctoritas capituli annalis impune despicitur: restat vt obseruantia monastica naufragetur, quoniam amor Dei bonos in disciplina regulariter continet, & timor correctionis prauos à malis operibus coercet. Quisquis autem subterfugere vnitatem capituli nititur, diabolum imitatur. Sic imperator Bulgarorum subditos sibi Christianos conuentum in Ecclesia * celebrare sub pœna capitis prohibet, quibus tamen credendi, quicquid voluerint, licentiam indulget. Nouit enim callidus homo synceritatem christianæ fidei non diu posse subsistere, si contigerit publicum exhortationis officium deesse. Hunc Christianæ fidei aduersarium inordinatus & carnalis Abbas quantum potest imitari nititur, qui mandatis tam necessarii capituli reluctatur. Sola enim capituli auctoritas est, quæ regularis disciplinæ obseruantia in ordine continuat: quæ si contempta fuerit, nulla conuersationis monasticæ integritas permanebit. Sed infirmæ regionis cultor Abbas inordinatus contra regularem obseruantiam causas fingit innumeras, conditiones monasterii sui mentitur contrarias, antiqua priuilegia supprimi conqueritur, subdi suum cœnobium alicui dedignatur. Sed væ inornatis hominibus: per quos ab hac sanctissima congregatione vel vnũ contigerit cœnobium amitti. Deniq; hæc auaritiæ pestis Abbatem non solum inordinatum facit ad subditos, sed etiam sibimetipsi contrarium, & à Deo pœnitus auersum. Cupiditas enim omnium malorũ radix est: quæ tollens seruũ Christi ministrum

Capitulorum vel congregationum vtilitas.

facit

facit esse diaboli. Abbas ergo qui mentem suam huic vitio submiserit, non pastorem, sed mercenarium se ostendit. Semper lucris terrenis inhiat: de profectu animarum nihil curat: sacræ lectionis codex raro vel nunquam in manibus eius conspicitur: registra censuum crebrius reuoluuntur. Agrum agro copulat, aurum & argentum semper in thecam sepeliendum comportat, & dum abundare monasterium suũ rebus temporalibus nimium desiderat, prædam raptoribus parat. Frequentet enim fiscus * dominii tẽporalis pecunias monasteriorum deuorat, quas nimia cupido monachorum cœnobiis importat. Væ tibi pastor auare claustralium, qui maiorem geris sollicitudinem de brutis animalibus, quam de commissis tibi animabus. Infirmatur equus, & mox paras remedium: perit anima, & nullum putas imminere periculum. Ægrotat bos & asinus, tuque compateris: absorbetur tristitia frater, & non occurris. Tu ergo mercenarie, non pastor, qui fratrum tuorum infirmitates contumaci pectore despicis, qui constitutis in amaritudine non succurris, non præsumas te manus Dñi posse effugere, cuius oues tã nequiter permittis interire.

III. Tertio inordinatus est rector ad subditos, cũ eos quos intra septa monasterii sollicite seruare debuerat, non sine periculo in exterioribus locat. Enimuero dũ * cœnobita infirmus ad regimen monialium, vel ad Ecclesias seculares exponitur, regularis obseruãtiæ integritas violatur, quoniã qui adhuc in regione infima consistens spiritui carnem subiicere non didicit, præsidere aliis sine suo periculo nescit. Pastor autem inordinatus, qui propter commodum rei temporalis monachos suos tanto periculo non timet exponere, omniũ animarum tali occasione pereuntium reus est, & apud æternũ iudicẽ ad restituriõẽ omnium obligarur. Non est de professione monachi seculariũ Ecclesias regere, non expedit infirmo cœnobitę monialibus præsidere. Sed quid? Ergo he monachus imperio se pastoris debet opponere, si eũ voluerit cum monialibus, aut in Ecclesiis seculariũ residere. Mandat enim regula, nihil obedientiæ præferendum. Nescio sane, quid hic interrogationi respondeam, vt periculũ, quod vtrobrq; imminere cernitur, non incurram. Nam si veritatem dixero, subiectionis obedientiã videbor infringere, si monachos periculo exponendos consensero, fateor me peccare. Dicã tamen paucis quod sentio, quanquam parituram odium veritatem non ignoro. Sicut monachus de necessitate suæ professionis in omnibus, quę sunt secundum regulam monasticam suo simpliciter tenetur obedire pastori, ita prælatus compellere monachum ad ea quæ sunt supra regulam, maxime salutis periculo interueniente non potest sine ipsius voluntate. Sed Ecclesias regere, mulieribus præesse, extra cœnobium residere, non est secundum regulam obedisse. Non irascamini mihi patres, si veritatem dixi, nolite frontem contrahere, si quod mihi videtur expressi, vos nihilominus quod vobis videtur, etiam me reclamãte, estis facturi. Veruntamẽ oro, nolite monachos vestros periculo castitatis exponere, nolite aliquem ad monialium & Ecclesiarum parochialium regimen violenter compellere, cum plures qui hæc officia ambitiose appetant possitis inuenire. Bona quidem est obedientia, sed veritati & animæ saluti est præferenda. Cum enim de salutis periculo agitur, melius est obedientiam humiliter excusando postponere, quam castitatis naufragium subire. Væ monachorum prælatis qui cœnobiis suis Ecclesias secularium incorporant, qui auaritiæ facibus sinum cupidinis laxant, quia dum se benefacere posteritati existimant, multos per occasionem damnant.

Obedientia animæ saluti non est præferenda.

IV. Quarto rector monachorũ inordinatus in subditos suos efficitur, si turbulentus & anxius inueniatur. In pastore animarum pia & prudens discretio valde necessaria est, ne aut zelus disciplinæ sit nimius, aut modus compatiendi nimia laxitate remissus. Sed rector inordinatus quandoque per indiscretum furorem tyrannum se monachis exhibet, quandoque per dissolutã compassionem ad grauissima scelera velut insensibilis tacet. Nescit iusti moderamen reginiminis, feruorem in se non experitur fraternæ charitatis, semper dominum se monachorum existimat, patrem & socium humiliũ ignorat. Quid hoc regimine ferociꝰ? quid sceleratius potestate? vbi non Deus, non ratio, non intellectus, sed bestia prin-

Monachi an queãt præsidere monialibus, & seculi. Ecclesiis.

principatur? Enimuero vbi Deus & intellectus gubernat imperiũ: à rectitudine legis naturæ præsidentium iudicia non recedunt. Inordinatus vero & anxius rector variis passionibus bestiarũ inficitur, semper male de monachis suspicatur: qui dum regiminis modum perperam dirigit, anxius semper amittere regnum cum Herode pertimescit.

V. Quinto pastor claustralium inordinatus ad Monachos dicit: si in erogandis monasterii rebus, aut nimius, aut obstinatus habeatur. Nimius autem dicendus est, si in distribuendo fuerit prodigus, aut indiscreta largitione diffusus. Obstinatus vero dicitur, si quæ danda sunt opportune non dederit: aut necessaria subditis tenaciter impendit. Obstinatus etiam dicendus est, qui timorem Domini proiicit, qui suo sensui nimium confidit: qui in agendis quibuslibet nulla sapientum consilia admittit. Et quidem inter pastores animarum complures hac ægritudine mentis inordinati sunt, qui res monasterii aut nimis improuide erogant, aut nimia tenacitate conseruant. Conuiuia suis adulatoribus lautissima præparant, aliis vero quibus sunt aduersi, etiam ninima negant. In domo hospitum, vel in abbatia sua pastores inordinata conuersatione deprauati vsque ad crapulam aliquando comedunt, de vino semper optimo bibunt, sed pauperibus monachis, qui vigilando & cantando pondus portant diei & æstus, vix tenuiter necessaria concedunt.

VI. Sexto, prælatus monachorum valde inordinatus ostenditur, si contra Deum audax iudicia eius paruipendendo in superbiam eleuatur. Enimuero cum pastor à subditis corrigi non possit, per sanctũ patrem Benedictum ad iudicium Dei remittitur, sicut in multis locis regulæ habetur. *Nouerit*, inquit, *Abbas se de omnibus iudiciis suis Deo reddere rationem.* Et iterum. *Ordinatus autem Abbas cogitet semper quale onus susceperit & cui villicationis suæ redditurus est rationem.* Et rursus dicit. *Mox vt oriri vicia ceperint cum charitate illa amputet, non cum tyrannide.* Et in alio loco præmonet dicens. *Ipse tamen Abbas cum timore Dei & obseruantia sanctæ regulæ omnia faciat: sciens se proculdubio de omnibus iudiciis suis æquissimo iudici Deo rationem redditurum.* Sed inordinatus rector monachorum hanc sanctissimi legislatoris comminationem exaudire velut aspis obturatis auribus despicit, Dei longanimitatis patientiam contemnit, nihil de futuro examine cogitat, donec sibi tandem iratus iudex in faciem dicat. *Hæc feci sti & tacui.* Nunc itaque *redde rationem villicationis tuæ*, resigna mihi oues hæreditatis meæ, mihiq; animas tibi quondam in corpore commissas sine mora restitue, numerum earum integrum repone, quarum si vel vna te negligente interiit, faciem meam tua anima inæternum non videbit. Quid tunc respondebis summo pastori rector inutilis, vbi non solum à te pereuntiũ sanguis exigitur, sed etiam ratio minus proficientũ postulatur? Ecce nũc in securitate pessima spreto Dei examine ambulans, omnia tibi licere quæ placent in corpore putas, & cui sis rationem daturus de omnibus aliquando non cogitas. Cito veniet Dominus omnium, cui te ministrum infidelem non times ostendere, cuius tibi honorem non metuis arrogare. Nisi interea penitentiam egeris, nisi vitam in melius emendaueris cum dæmonibus in inferno sine fine ardebis.

Psal. 79. *Luc. 16.*

Septimo contingit inordinatum erga subditos esse pastorem, si neglecta vtilitate communi proprium commodum vitiosa intentione quæsierit, si præsidens in mouasterio, non Deo, sed suis vtilitatibus seruit, dum se propter carnis pernicios as libertates consequendas gaudet esse prælatum, sibique fraudulenter ex rebus monasterii prouidet in futurum. Hæc autem inordinatio in illis maxime, qui cedunt officio qualibet occasione conspicitur, quibus pro mercede villicationis suæ, ac si fuissent Episcopi, annua pensio de rebus monasterii assignatur. Non est modus iste quærentium Dominum, non est via hæc veterum monachorum. Dum cedis officio pastorali, propter Deum cede simpliciter, noli propter victũ & vestitum quicquam exigere, si non vis cum proprietariis peccare. Monachus es, monachus, priusquã fieres Abbas, fuisti, monachus, post officium permanebis. Cur ergo pensionẽ exigas, qui te monachum non ignoras? Quemadmodum emendo

Monachus pensione annua vti non potest.

cap. 3. *Superior reddet rationẽ Deo de iudiciis suis.* *cap. 64.* *cap. 65.*

do prælaturas vicium simoniæ committitur, ita pensionem exigendo p resignatione Abbatię in regulam peccatur. Quid ergo? Damnamus eos, qui cedentes officio pastoralis curæ, sine crimine, prouisiones annuas de rebus monasterii receperunt? Absit, Necessaria nõ interdicimus, qui superflua denegamus. Veruntamen, qui verus Monachus & Dei amator est, etiam post Abbatiam prouisione regulari contentus est.

Quemadmodum monachi ciues infimæ regionis sint inordinati adinuicem.

ARTICVLVS IV.

CIues infimę regionis monachi, & homines carnales multis & variis modis sunt inordinati adinuicem, quam qui passionibus animalibus more bestiarum concitati semetipsos ad rectum iudicium rationis non dirigunt, mirandum non est si fraternæ conuersationis ordinem peruertunt. *Semper enim præsumit scæua perturbata conscientia, & mala mens nunquam gaudia pacis habet*, sed continuo viciorum mœrore concutitur, sempiternis ignibus scelerum intus cruciatur. Itaque monachi ciues tenebrosæ regionis malis & inordinatis affectionibus obcæcati finem monasticæ professionis non considerant, nihil aliud quam præsentis vitę commodum amant, salutem propriam negligunt, ad æternitatis amorem non assurgunt.

Sap. 17.

Inordinatio monachorum inter se. I.

Primo igitur ad inuicem valde inordinati sunt, dum intellectualem respectum in fratres habendũ abiiciunt, dũ imaginẽ Dei in homine non aduertũt, dũ communionem gratiæ & gloriæ hominibus infusæ & in futuro condonandæ non cogitant, nec fraternæ confœderationis dilectionem sibi mutuo exhibere curant. Viuunt inuicem, sicut equus & mulus, corporali schemate concordes, quam quicquid sensualitati gratum est diligũt, quicquid rationi conuenit, non admittunt. Diligitur alter ab altero, non quia homo est, sed quia dilectori suo in affectione sensualitatis similis est. Homo.n. carnalis amat in homine, nõ virtutes, nõ religionem, non deniq; ipsam naturam, sed carnem, sed sanguinem, sed corporis qualitatem. Cum ergo amor carnalium sit carnalis, & facili est occasione mutabilis. Ciues enim huius infimæ regionis mores venerantur consimiles, & Monachos monachi semper affectione cõplectuntur equales. Quem Deus ab æterno dilexit inordinatus cœnobita persequitur, quem ille propter demerita spernit, iste vt sanctum veneratur.

II. Secundo sunt inordinati claustrales ad inuicem ratione dissimilitudinis, dum vel seniores austeritate & superbia concitati suos iuniores despiciunt, vel iuniores se suis senioribus cõtumaciter opponunt. Et hæc inordinatio sanctæ regulæ valde probatur contraria, quæ senioribus mandat iuniores ex paterna affectione diligere, & in iunioribus præcipit suis senioribus propter Deum humiliter obedire. Sed cum seniores huius infimæ regionis ciues paternum affectum iunioribus subtrahunt, in graue odium minores inardescunt, & dum se contemni iuuenes ab illis iniuste considerant eorum mores improbos quotidie accusant. Discunt ergo infirmi iuuenes mores non rectos seniorum: &, vt in prouerbio dicitur, sicut canere maiores considerant, sic quoq; minores saltant.

III. Tertio male adinuicẽ ordinantur monachi, qui zelum bonum & mutuã obedientiam abiiciunt, qui malum & à regula prohibitum zelandi genus assumunt. Verbis & factis sibi inuicem varias committunt iniurias, alter alterum æmulandi studio malum obseruare nititur, ad contumeliam inferendam alter ab altero prouocatur. Infirmitates suas mutuo sibi improperant, ad vindictam semper anhelant. Regularis disciplinæ zelus despicitur, indignationis & amaritudinis passio dominatur. Auersis vultibus sibi inuicem obuiant, quantum lateat in pectore odium, apertis indiciis manifestant. Nõ sic impii, non sic, quoniã quisquis odio fratrem suum persequitur, homicida & regno Dei indignus comprobatur. O misera semper carnalium monachorum conditio, quæ tanto inferno est proxima, quanto à timore Dei fuerit aliena. Imitantur enim non angelos, sed dæmones, quicunq; per zelum malum in schola pacis delectantur esse

1 Ioan. 3.

esse discordes. Enimuero, sicut animal brutum naturę suę feritatem non deserit, sic monachus bestialisà zelo pessimo non recedit.

Quemadmodum monachi ciues infimæ regionis ad seipsos inordinati sint.

7 ARTICVLVS V.

CIues infimæ regionis Monachi carnis ad nihil magis inordinati sunt, quã ad semetipsos. Omnem enim considerationem suiipsius abiiciunt, in quem sint finem creati non attendunt, qui dum se vnusquisque sordibus viciorum polluit, à conditionis suæ originali rectitudine mens improba recedit. Hæc mirandum, si ad alios inordinatus foris cultor iusimę regionis efficitur, qui per varias passiones carnis à semetipso confusus interius dissipatur. Dicit enim scriptura. *Qui sibi malus est, cui bonus erit?* Rectus humanę conditionis ordo carnem spiritui subiiciendam instituit, spiritus iubetur esse subiectus illi à quo essendi formam accepit. Sed apud carnales mentes ordo rationis peruertitur, dum caro spiritui dominatur, & ratio quæ secundũ insitã sibi vim intellectus omnino gubernare debuerat, carnis voluptatibus suffocata ad rectitudinem iudicii per imperium non festinat.

Eccli. 14.

Monachi inordinati ad seipsos per curiositatem.

Sunt igitur ad seipsos monachi carnales inordinati per curiositatis vitiũ, quam inquirendo vitam alienam curiose diiudicant, & propriam omnibus inquinatam vitiis non emendant. Magna in seipsis scelera corrigere nesciunt, qui tamen in minimis delinquentes alios superbe reprehendunt. Festucam in oculo fratris diligenter considerant & trabem suis hærentem oculis, tanquam nihil sit, excusant. Omnes affectiones suas sensualitati subiiciunt, spretoque rationis iudicio carnaliter, sicut bestiæ, viuunt, quos frequenter ad iram passio concitat, inuidię furor contra proximum inflammat. Vindictã in fratres anxio semper animo expostulant, quam sæpe nimio furore obcęcati non sine incommodo proprio reportant. Sed diu latere in occulto ciues inordinati nequeunt, qui quanto sibi per elationem mentis manent incogniti, tanto per cęcum iudicium aliis fiunt manifesti. Omnis enim superbus & inordinatus primũ semetipsum ignorare dicitur, quoniã si veraciter seipsum cognosceret, nullatenus superbiret. Cum vero suiipsius inordinatio de superbia sumat originem, non possumus hanc pestem melius describere, quam si radices eius per gradus descendentes ad inferos euremus aperire. Nã sicut vitæ spiritualis summa in duodecim gradibus humilitatis concluditur, ita totius inordinationis monasticæ scaturigo in bissenis superbiæ gradibus continetur.

Origo inordin. monast. est ex 12. gradibus superbiæ.

Primus itaque gradus superbiæ curiositas dicitur, qua male ordinati ad seipsos monachi, vitam & mores proprios negligunt, & aliorum vel facta vel dicta iugiter inquirunt. Omni tempore fratrum negligentias arguunt, vitam pastoris reprehendunt, qui quanto curiosius aliena foris scire appetunt, tanto à semetipsis longius recedunt. Monachis autem vitium curiositatis perniciosissimum est, quia si mentẽ suam semel inuaserit, omnibus virtutibus spolians, vitiorum domicilium facit. Verissimum infirmitatis signum est, aliorum facta discutere, & præter rationẽ officii in alienis se culpis occupare. Monachus enim qui secundum nominis sui diffinitionem seipsum solum curare præcipitur, non sine salutis suæ manifesto periculo aliorum facta perscrutatur. Quicunque autem se vicio curiositatis subiiciunt in secundum mox gradum superbiæ descendunt. Semper enim vnus disponit ad alium, nullumque solum dominatur elatis monachis peccatum.

I. Gradus sup.

II. Secundus ergo superbiæ gradus mentis leuitas est, & vagi cordis instabilis occupatio. Hunc inordinatæ conuersationis gradum monachi carnales per affectiones varias incidunt, quas ex curiositatis vitio sensualiter contraxerunt. Oportet autem verum cœnobitam in sancto proposito persistere stabilem, quoniam cum leuitas mentis admittitur, virtutis constantia in corde dissipatur. Inordinatæ mentis indicium est per varias rerũ imagines discurrere, & nouas semper affectionum sensualium formas procreare.

III. Tertius gradus superbiæ inanis lætitia dicitur, quæ de leuitate mentis inordinati

dinati hominis procreatur. Componunt sibi monachi carnales varias affectionum imagines, quæ dum gratæ sensualitati occurrunt, lætantur, dum secus euenerit, grauem indignationem contrahentes, in tentationes varias prolabuntur. Sed non est vera lætitia, quæ aliunde, quam de Deo sumit exordium, nec diu perseuerat gaudium, quod ex Dei amore non habet processum. Et ideo homines inordinati per vanam lætitiam in apertam iactantiam corruunt, dum sibi grandia mendaciter asscribunt.

IV. Quartus itaq; gradus superbię, quemadmodum diximus, ex inani lætitia oritur, qui stulta iactãtia nuncupatur. Hunc monachi carnales incidunt, cum se coram aliis magnificantes extollunt. Si quid boni fecerint, audacter in medium proferunt, sæpe mendaciter componentes etiam quæ non fecerunt. Sancti, docti, prudentes, & nobiles, videri appetunt, multaque per ingenii versutiam fingunt, quatenus hominibus glorioſi foris appareant, qui se intus à merito virtutis vacuos non ignorant. Si quempiam laudare coram eis cœperis, mox in contrarium se erigunt, multa in illum vitiosa dicunt: quia dum se solos laudabiles ostendere cupiunt, nullum laudari coram se alium permittunt.

V. Quintus gradus superbiæ singularitas accipitur, qui de iactantiæ tumore generatur. In hunc gradum superbi claustrales corruunt, qui se vel merito vel scientia præminere aliis per iactantiam præsumpserunt. Vnde, ne cæteris per conuersationem appareant similes, ex sola se superbia in omnibus exhibent singulares. Sed singularitas ista in cœnobio reprehenditur, vbi viuere in communi omnes secundum regulam iubentur. Superbi autem monachi diuo testante Bernardo, dum se aliis virtutibus & sapientia præferunt, in tantam arrogantiam temeritatis cadunt, vt plus sibi de vno ieiunio blandiantur comedentibus cæteris, quam si & aliis septem diebus ieiunassent, Denique commodior videtur vna oratiũcula singularis, quam psalmodia tota vnius noctis. Inter prandendum oculos per mensam sæpe circumferunt, & si quem minus comedere viderint, ingemiscunt, seque dolere victos incipiunt, subtrahentes sibi crudeliter, quod necessario victui prouiderunt. Hi superbi claustrales ad singularia sua sunt strenui, ad communia pigri. In lecto vigilant, in choro & in lectione regulari dormitant.

Bernard. tract. de grad. humilitatis.

VI. Sextus superbiæ gradus de quinto sumit exordium, qui dicitur arrogantia superborum. Enimuero cum inordinati claustrales per singularitatis studium aliis apparere foris incipiunt, in maiorem arrogantiæ vesaniam inardescunt, & quodcunque in eorum laudem ab hominibus dicitur, verum fatui arbitrantur. O miseranda superborum stultitia: qui cum in omnibus rebus aliis nulli plus credant quam sibi, de se solum sibi minus credunt quam alteri. Quicquid de se laudatum ab imperitis audiunt, non ignorantiæ vel beneuolentiæ laudatoris, sed suis meritis asscribunt. Sed quicunque humanis laudibus delectabiliter pascitur, omni virtute vacuus, & arrogantia plenus coram Domino habetur.

VII. Septimus gradus superbiæ de præcedente nascitur, qui superborum præsumptio appellatur. Hunc omnes arrogantes incidunt, qui se esse aliquid magni singulariter credunt. De quibus dicit Bernardus. *Qui se alios præcedere existimat, quomodo plus de se quam de aliis non præsumat? Primus in conuentu residet, in consiliis primus respondet, non vocatus accedit, non iussus se intromittit, reordinat ordinata, refutat ab aliis facta. Quicquid ipse non fecerit, aut ordinauerit, non recte factum, nec pulchre existimat ordinatum, Iudicat iudicantes, præiudicat iudicaturis.* Cui enim Deus in corde non sufficit, frustra in exterioribus solatium quærit.

Bern. ibi. gradu 7.

VIII. Octauus gradus superbiæ peccatorum defensio dicitur, qui de præsumptione semper generatur. Monachus enim præsumptuosus se omnibus meliorem semper existimat, peccatũ si quod commiserit, aut pertinaciter negat, aut si conuictus fuerit, multipliciter excusat. Quomodo namque culpam suam confiteri humiliter poterit, qui se reum non agnoscit? Hunc talẽ si p delictis suis castigare volueris, semper deteriorẽ facis Quicunque ergo pro qualibet re correptus in verba malitiæ declinauerit, quicunque arguenti se excusationes peccatorum

torum opponit, in hunc mortis descensum quinto humilitatis gradui oppositũ cadit. Variis autem modis peccatum suum præsumptuosus excusare nititur, qui in hunc superbię gradum corruisse inuenitur. Aut enim dicit, non feci, aut feci quidem sed bene feci, aut si male, non multum male, aut si multum male, non mala intentione. Et si conuictus de malitia fuerit, mox in sui excusationem alienum consilium assumit. Sed qui procaciter etiam opera & manifesta negare vel defendere non metuit, nunquam occulta secundum regulam Abbati suo reuelabit. Cum vero ad confessionem venerit, veritatem simulato animo palliabit, qui vt ipse confusionem possit euadere, aliorum studet in medium negligentias proferre. Intus male ordinatus superbus & præsumptuosus culpas in confessione palliat proprias, confitetur alienas. Semper inquietus apud se aliorum facta examinat, omnes vna sententia damnat, neminem recte in cœnobio viuere conqueritur, nullam esse inter fratres charitatẽ arbitratur. Quod si vana p̃sumptio eius per confessoris industriã deprehensa fuerit, mox aliũ confessorem quærit, cui si Abbas contradicere vel leuiter ceperit, in nonum superbiæ gradum elatus monachus per mentis inquietudinem cadit.

VIIII. Nonus autem superbiæ gradus murmuratio vel impatientia describitur, quæ carnalibus monachis vt plurimũ dominatur. Enimuero, cuius simulata confessio est, vna leui contumelia vel pœnitentia tactus, mox in apertam superbiam erigitur, humilitatis simulatæ dolus aperitur, nec se mens ficta diutius potest abscondere, sed in publicum, quicquid intus latet, compellitur proferre. Iam deinceps incompos sui factus cœnobita superbus ad omnia murmurat, iudicium pastoris, quamuis iustum, contumaciter accusat, dentibus frendet, commotus irascitur, sine ratione velut insanus perturbatur. Monachus autem superbus murmurationi deditus, quarto gradu humilitatis contempto, decimum superbię descensum incidit, per quem ad infernum currit.

X. Decimus gradus superbiæ murmurationem sequitur, qui rebellio nuncupatur. Hunc monachi superbi & carnales incidunt, qui adhuc in regione infima commorantes murmurationibus intendunt. Vnde Bernardus, *Nisi*, inquit, *murmurantem diuina miseratio respiciat, vt tandem conuersus quod talibus valde difficile est. aliorum iudiciis tacitus acquiescat, mox frontosus & impudens effectus tanto in hunc gradum deterius corruet, quanto desperatius animi motus non coercet.* Semper ad peiora progreditur, & qui prius fratres suos arrogans latenter contempserat, iam etiam quod grauius est se contemnere magistrum aperte manifestat. Sed hunc superbiæ gradum diuini examinis animaduersio diu inultum transire non patitur, dum rebellis suis pastoribus monachi frequenter cito & miserabili morte consumuntur. Alii enim recedentes ab ordine apostatant, alii propter grauia scelera carceres fedant, nonnulli de cœnobiis expulsi vagi & miserabiles exulant, multi horribiliter percussi à Domino desperati ad inferos festinant. Scriptum est enim. *Qui potestati resistit, Dei ordinati ni contradicit.* Et iterum Dominus ait de prælatis fidelium, *Qui vos spernit me speruit.* Quid ad ista dicetis monachi rebelles? Iura mihi allegabitis, quorum veritatem deprauatis. Sed audeo dicere, quod vtinam vos pudeat audire. Non te monache rebellis in districto Dei saluabit examine præsumptio iuris, qui nunc superbe contemnis obedientiam subiectionis. Ius obedientiam præcipit, subiectionem humilem in ordine requirit.

Bern. ibid. gradu. 10.

Rom. 13.

Luc. 10.

XI. Vndecimum superbiæ gradum, qui est libertas peccandi consequenter monachi rebelles incidunt, qui non solum fratrum, sed etiam prælatorum correptiones & hortamenta contemnunt. Enimuero dum rebellio contra præceptorem assumitur, audacia peccandi generatur, quia qui correctionis auctoritatem despicit, iam quasi licenter omnia scelera committit. Amor Dei bonos cœnobitas à peccatis voluntarie cohibet, & timor infirmos coercet. Vbi vero nec amor Dei, nec metus correptionis monachum penetrat, iam mens per rebellionem & consuetudinem peccandi inferno appropinquat. Dicit enim scriptura. *Impius cum venerit in profundum malorum contemnit.* Quid contemnit? Deum contemnit, homines spernit, despe-

Prou. 18.

desperatus animæ suæ salutem querere nescit.

XII. Duodecimum ergo superbiæ gradum incidit, qui per audaciam peccandi in malam consuetudinem currit. Hic est proximus descensus ad inferos; hæc semita inferni, hoc iter velox ad regionem apertam mortis caligine. Quicunq; hunc gradum consuetudinis peccandi semel inciderit, non nisi in manu miserationis Dei valida resurgit, quadum consuetudini non resistitur, necessitas peccandi generatur. Semper enim in peius malitia proficit, & semper ruens profundius cadit.

Ecce isti sunt superbiæ gradus duodecim, per quos ad infernum descenditur, quos quicunque cupit euadere, semper se studeat in humilitatis obseruantia custodire. In his duodecim malis, omnis indignitas vitiorum cœnobitam obnubilat, ad se inordininatum monachum causat, moribus hominem in bestiam ferociſſimam commutat. Finis horum interitus est, & nisi ante mortem carnis pœnitentiæ remedium interueniat progressus malorum graduum arsurum sine fine monachũ damnat. Quisquis autem inordinatus ad se in primum gradum superbię semel ceciderit, nisi per pœnitẽtiam quantocius surgere studeat, mox in secundum & consequenter in omnes per ordines semetipsum p̃cipitat. Inordinationis vero carnalium monachorũ ad se summa in his gradibus elationis exprimitur, per quos ciues infimæ regionis inordinati demonstrãtur. Quæ autem de monachis inordinatis atq; superbis diximus, etiam de prælatis infimæ regionis intelligere debemus.

Quemadmodum ciues infimæ regionis monachi carnales inordinati sunt ad res monasterii.

ARTICVLVS VI.

QVicunque in monasterio constitutus affectiones suas interiores ordinare ad puritatem sancti propositi negligit, frequenter etiam inexterioribus enormiter excedit. Monachi enim inordinati ad Deum, per consequens ad omnia inordinati perhibẽtur. Nam sicut bonus cœnobita diuinæ voluntati per amorem vnitus, omnia secundũ rectum ordinem rationis simplici oculo considerat, sic à Deo per affectiones inordinatas auersus, etiam in bonis, quibus male vtitur, peccat. Sunt igitur monachi carnales infimę regionis cultores, non solum male inordinati ad animam, sed etiam ad substantiã monasterii temporalem. Interiorem namq; confusionem mẽtis exterior perturbatio corporis sequitur, & vna per aliam demonstratur.

I. *Inordinatio monachorũ ad res monasterii.*

Et primo quidem ad res mo ciues infimæ regionis male ordinantur, dum eas non recte ordine sibi concedi expostulant, aut plus quam vsus regularis institutionis permittit, quomodo libet vsurpant. Regla n. nostra, quæ monachis dari omnia necessaria præcipit, penitus superflua interdicit.

II. Secundo, male vtuntur rebus monasterii, qui contra prohibitionem magistri dare & accipere non metuunt, vel qui in commissis dolum & fraudẽ infideliter committunt. Monachus enim, qui res monasterii pro suo libitu sine causa rationabili contra regulam quouis modo sine licentia dissipat, in regulam, sicut proprietarius infidelis & falsarius, peccat.

III. Tertio, inordinatos se monachi vel Abbates ad res monasterii exhibent, dum illas vsibus non licitis indulgent. Furtum & sacrilegium simul committitur, cum res monasterii in vsus illicitos conuertuntur. Substantia enim monasterii Deo dicata tanquã vasa sancti altaris custodiri præcipitur, ne quouis modo per negligentiam dissipetur. Qui autem res clausralium inutiliter vetat expendere, eas nullatenus pro peccato in vsus turpes concederet erogare. Quid respondebunt monachi & rectores infimæ regionis legislatori nostro in districto examine, qui res monasterii parentibus, cognatis, mimis, histrionibus, & hominibus turpibus in occasionem & præmium peccati non metuunt dissipare?

IV. Quarto in rebus monasterii Abbates & monachi carnales grauiter peccant, qui eas cum detrimento diuinæ charitatis & propriæ salutis nimis auare comportant. Incensi namque facibus auari-

tiæ nihil aliud, quam luera & pecunias cogitant, dies festos violantes non obseruant, semper augere temporalia cupiunt, charitatis damna non aduertunt. Plus dolent pro moriente pecore, quam pro pereunte peccatore.

Tam vero cæci sunt omnes inordinati claustrales, vt auaritiam prudentiam existiment, diuitias reformationem putent. Agrum ago copulant, quæstum pietatẽ vocant, & vbi abundare temporalia conspiciunt, ibi optimam obseruari disciplinam dicunt. Exponere pro communi bono ordinis etiã pauca renuunt, qui veræ charitatis ordinem intus amiserunt, structuras inutiles, curiosas, & damnabiles in altum erigunt, vestes & ornamenta preciosa diuinis minus ne- * cessaria seruitiis emunt, sacra auro vestiunt, pauperes CHRISTI nudos derelinquunt. Non decet hæc auara curiositas monachos, quoniam qui sanctos imitari veteres præcipimur, vendere hæc pro sustentatione pauperum iubemur. Monachus autem cupidus & Abbas auarus tam longe sunt à sanctæ religionis proposito, qnam diabolus à cœlo.

V. Quinto monachi carnales in rebus monasterii peccant, dum eas orationibus non recompensant. Eleemosynas fidelium omnes hilariter recipiunt, sed pauci dantibus orationum suffragia impendunt. Ex his multi ciues infimæ regionis cum ad ordinẽ venerint, non Deo sed ventri deseruiunt, plus quã necessitas requirit cibi, potus, ac vestimentorũ dari sibi concupiscunt, & qui in seculo vix panem & holera in cibum habere poterant, nunc monachi effecti, oua & piscículos recusant. Magnos, varios, diuersos, ac delicatos sibi dari pisces importune expostulant, pro concupiscentia carnis murmurantes cum filiis Israel in deserto ad ducem clamant, oua & pisa comedere se non posse asserunt, semper delicatiora concupiscunt.

Quemadmodum ciues infimæ regionis sint male inordinati ad contemptum seculi.

ARTICVLVS VII.

REgnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud. Quicunque ergo per arma sanctæ obediẽtiæ supernum regnum intrare desiderat, quicunque sub regulari conuersatione Deo viuere optat, oportet vt voluptatibus carnis vim inferat, & mundum cum omnibus suis vanitatibus fortiter contemnat, Sed monachi carnales infimæ regionis ciues, qui tam ad Deum, quã ad seipsos male ordinati sunt, etiam ad contemptum seculi male ordinantur. *Matt. 11.* *

I. *Inordinatio monach. ad contemptum seculi.* Et primo quidem inficiuntur à concupiscentia carnis, qui semper ardent incendio voluptatis. In cibo & potu reperiuntur superflui, in lectulis & balneis contra regulam delicati, carnis desideria saluti animæ præferunt, internæ conuersationis dulcedinem non requirunt. Carnem suam nimis delicate nutriunt, per quod in variis concupiscentiis iugiter inardescunt. Nemo enim veraciter mũdum potest contemnere, qui carnis appetitum etiam in minimis negligit refrenare. Si ad sacietatem comedis, mundum veraciter non contemnis. Primum namq; mandatum quod contemtoribus mundi imponitur, in abstinentia solidatur. Si autem vsque ad satietatem cibi ventrem repleris, continuo aut libidinem, aut grauem acediam incutris. Concupiscentia ergo carnis mẽtem cœnobitæ inordinati retrahit, ne mundum contemnere possit.

II. Secundo inordinati sunt ad contemnendum seculum, propter vanam concupiscentiam oculorum. Monachus enim, qui veri honoris fidelium animarum obliuiscitur, in pompis mundialibus & ornamentis penitus curiosis delectatur. Enimuero qualis vnusquisque interius apud semetipsum lateat, exterior apparatus manifestat. Circumferre in digitis annulos, in orariis corallos, olfactoriala in manibus, & plicas in cappis, monachum non ostendit, sed militem, non cœnobitam humilem, sed superbũ exhibet seculare, Iste autem ornatus in monachis non potest placere

aliis

aliis quam reprobis, qui etiam sæpe inuenitur displicuisse superbis. Væ vobis inordinati claustrales, qui per concupiscentiam duplicem oculorum ad infernum descenditis, dum videre in aliis, quæ non expedit, cupitis, & videndos vos cæteris aliter, quam oportet, exhibetis. Quid vobis clenodia seculi, quid curiositates mundi? Cito hæ pulchritudines diuo testante Bernardo animum masculinum effeminant, cito honestates istæ forenses virile propositum eneruant. Similes sunt isti pueris pannosis, qui propter vnam exilem rubeam ligam manicæ laceratæ affixam valde se pulchros & decoros existimãt, & coram se positis aliis optime vestitis, quasi nudi sint, procaciter insultant. Vident hi claustrales pomposi alios in humili habitu incedentes mundum in spiritu paupertatis contẽnere, eosq; propterea & Deo & hominibus placere, se autem à sapientibus & principibus despici, & quandoq; etiam ad colloquium non admitti. Hæc vidẽtes superbi, etsi quasi pro iniuria grauiter doleant, tamen deponere fastum penitus recusant.

III. Tertio ciues infimę regionis male ordinantur ad contemptum seculi propter superbiam vitę, quia nõ solum sunt infecti ad vanas cõplacentias carnis, sed etiã superbi per tumorem mentis. Omnes enim, qui carnis desideria sequuntur, inaniter se supra se erigunt, alios quantumlibet meliores contemnunt, pati æquales nesciunt, superiores non admittunt. Hi magnum sibi apparatum seruorum lætantur assistere, in consiliis primi contendunt residere, videri hominibus glorioſi appetunt, pompose per publicum incedunt. Inflati superbiæ spiritu monasteria se gloriantur ex fundatione possidere insignia, rebus temporalibus opulenta, clenodiis, structuris, & priuilegiis curiosa. Pauperes monachos vel Abbates exilium cœnobiorum elato corde despiciunt, se præferre non erubescunt, qui quanto gloriam in rebus exterioribus venari cupiunt, tanto à vera gloria cum fatuis virginibus recedunt.

Quemadmodum ciues huius infimæ regionis sint inordinati ad pœnitentiam.

ARTICVLVS VIII. 10

CVm homo natus de muliere breui viuens tempore, multisque repletus miseriis in eodem statu permanere diu non valeat, necesse est vt se omni studio quotidie reformando ad finem debitum conuertat, quoniam quamdiu quis viuere in hoc mundo permittitur, in vtramque partem mutabilis perhibetur. Quisquis ergo in hac mutabilitate constitutus venire ad immutabilitatis gaudia desiderat, suam fragilitatem humiliter agnoscat, semperque post lapsum peccati ad pœnitentiæ remedia confugiat, & iacere in scelere etiam ad momentum pertimescat. Vita enim monachi semper in pœnitentia salutari debet consistere, & aduentum iudicis cum timore sancto iugiter expectare. Dicit enim beatus Hieronymus. *Monachus non docentis sed plangentis habet officium, qui vel se lugeat vel mundum, & Domini pauidus præstoletur aduentum.* Sed infimæ regionis inordinati claustrales hoc remedium salutare despiciunt, tempus acceptabile in vanitate consumunt, & quæ ad omnia male ordinari non metuunt, etiam ad agendam pœnitentiam valde se inordinatos ostendunt. *Hieron. contra Vigilant.*

I. *Inordinatio monachorũ ad pœnitentiam.*

Primo quidem sunt male ad pœnitentiam ordinati per mentis incuriam, dum quantum displiceat omnipoteti Deo peccatum intelligere negligunt, cui prauæ voluntatis arbitrio contradicere non pertimescunt. Sicut nox tetra diei opponitur, sic peccator diuinæ bonitati auersus & aduersarius habetur. Quod putridum cadauer facere solet in conspectu hominum, hoc suo modo peccatum incomparabiliter facit in conspectu angelorum. Sed monachi carnales Dei honorem despiciunt, & ideo contumeliam peccati non aduertunt. Emendare venialia negligunt, qui quasi licenter mortalia committunt. Dicit enim scriptura. *Qui minima negligit, paulatim decidit.* Hinc nos Bernardi monet sententia dicens. *Nemo* *Eccli. 9. serm. 1. de conuers. S. Pauli.*

fratres dicat in corde suo, leuia sunt ista, non curo ea corrigere, non est magnum si in his maneam venialibus minimisque peccatis. Hæc est fratres impœnitentia, hæc est blasphemia in spiritum sanctum irremissibilis. Nemo enim peccata maiora potest subterfugere, si minora contempserit emendare. Nihil deterius incuria mentis.

II. Secundo monachi carnales infimæ regionis amatores ad pœnitentiam nimis inordinati sunt, qui contagium peccati non aduertunt. Nam sicut ex morbo contagioso plerunque homo sanus inficitur, ita ex vno peccato in aliud homo inclinatur. Semper enim vnum peccatum ad aliud disponere dicitur, nisi per contritionem quantotius emendetur. Ait namque prophe-
Thren. 1. ta. *Peccatum peccauit Hierusalem, idcirco*
Apoc. 22. *instabilis facta est.* Et alibi. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Huius autem morbi contagium sufficienter ostendimus in gradibus superbiæ, quoniam sicut vnum oriri semper ex alio diximus, sic hominem ex vno peccato fieri lubricum in aliud per incuriam sentimus.

III. Tertio monachi carnales ad pœnitentiã inordinati pessimum languorem per consuetudinem peccati contrahunt, dum pernicioſam cæcitatem mentis incurrunt. Omne vitium sæpe commissum vilipenditur, & per consuetudinem leuius æstimatur. Quemadmodũ gratia mentem illuminat, ita rationem peccati frequentia excæcat. Scriptum est enim.
Esa. 6. *Excæca cor populi huius & aures eius aggraua, vt videntes non videant, & audientes non intelligant, ne conuertantur & sanem eos, di-*
Prou. 18. *cit Dominus. Impius enim cum venerit in profundum malorũ contemnit.* Nullum peccatum adeo magnum est: quod non leue & paruum per consuetudinem videatur.

IIII. Quarto inordinati clausirales per consuetudinem mali obcæcati ad gratiam veræ compunctionis non veniunt, ad confessionẽ ex consuetudine sola superficialiter accedunt, voluntatem prauam non deserunt, emendationis propositum veraciter non assumunt. Vę illis, qui in consuetudine peccati sepulti districti examinis censuram non metuunt, qui à cęcitate mentis per contritionis remedium nõ recedunt, quoniã sicut nunc longanimitatem bonitatis Dei despiciunt, sic in illa hora terribili æternæ mortis sententiam subibunt. Quid prodesse poterit confessio oris, vbi non est vera contritio cordis. Nõ est sine contritione salutaris cõfessio, nec potest sine proposito emendationis esse contritio. Indicium contritionis, est nolle amplius peccare.

IIII. Quinto inordinati regionis infimæ ciues per consuetudinem peccandi omnipotentis Dei contemptores effecti, grauiora semper animæ pericula incidunt, dum ad sanctissima corporis & sanguinis Domini sacra mysteria semper male accedunt. Confessionem superficialem ex consuetudine faciunt, bestias viciorum grãdes inconscientiis suis currere promittunt. Iam vero deinceps quasi inferno confœderati Deum non metuũt, emendationis vitæ semitas cõtẽnunt, bene se ordinatos existimãt, quantis interius pleni sint vitiis non curant. Interdum phantastica deuotione sensibiliter affecti, iam adesse spiritum sanctum reputant, se dilectos Deo & sanctos affirmant. Diuinis quoque mysteriis impudenter se ingerunt, corpus & sanguinem Domini non diiudicantes ad iudicium & condemnationẽ sibi assumunt. Deniq; hi tales indigne communicantes grauius obdurantur, qui dum se valde securos & bene conuersari existimant, mundare conscientiam à vitiis debite non curant. Sic Iudas apostata malum traditionis, quod prius, vt quidam ait, in saluatorem verebatur efficere, post buccellam introeunte in ipsum diabolo audacter sine verecundia non timuit explere. O quam multi sunt huius infimæ regionis ciues monachi carnales, elati, superbi, inuidi, murmurosi, & variis peccatis innodati, quorum conscientia per veram contritionem raro vel nunquam munda efficitur, qui tamen ad altare sanctissimum ferme quotidie accedere non verentur.

Ecce quam mala societas omnium in hac infima regione morantium, quorum finis interitus est, quibus per mortem corporis descensus ad inferos præparatur. Hæc est regio longin- Luc. 15
qua bestialis & dissimilitudinis, in quam filius ille prodigus abiit, qui portionem hæreditatis suæ cum meretricibus luxuriose dissipauit. In hac regione ciues morantur carnales, de qua-

qualibus sanctus protestatur Apostolus. 1. Cor. 2. *Nescit animalis homo quæ sunt Dei.* In hac regione tenebrosa mortisque operta caligine nihil boni spiritualis inhabitat, in qua non pax, sed discordia bestialis regnat, dicente propheta. Isa. 57. *Non est pax impiis, dicit Dominus Deus.*

De his qui vicini regioni huic infimæ sæpius in eam per mentis inconstantiam relabuntur.

ARTICVLVS IX.

QVamuis inter primã regionem malorum & secundam bonorum proprie nullum sit medium : sunt tamen nonnulli, qui inter vtramque sæpe versantur, dum ex infirmitate modo sunt tepidi, modo ex contritione mentis videntur esse deuoti. Hi sunt homines infirmi, qui licet non sint in regione infima submersi, sunt ei tamen per negligentiam valde vicini, & frequenter quidem in eam per malam consuetudinem incidunt, qui ab affectionibus carnis pro posse non recedunt. De quibus in quodam sermone dicit Bernardus. Bern. ser. 6. in ascens. Domini. *Perniciosa tepiditas, quia periculosa est, quia molestissima & plena miseriæ & doloris, ac plane inferno proxima vmbra mortis iure censetur.* Sane inuenire est homines pusillanimes & remissos, deficientes sub onere, virga & calcaribus indigentes, quorum remissa est lætitia, pusillanimis tristitia, quorum breuis est & rara compunctio, cum animalis sit cogitatio, tepida conuersatio, quorum obedientia sine deuotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione. Hos denique sicut videmus vix gehennæ metus inhibet, pudor cohibet, vix frænat ratio, vix disciplina coercet. Huiusmodi autem si diu ita manserint sub onere, aut opprimuntur & succumbunt, aut quodammodo in inferno sunt, vt nunquam ad plenum respirent in lucem miserationum Domini, nec in libertatem spiritus, quæ sola facit iugum suaue & onus leue. Bern. ibi. serm. 3. Inde autem tam pernicioſa tepiditas manat, quia voluntas eorum nondum purgata est, nec bonum sic volunt, sicut nouerunt, à propria concupiscentia abstracti & illecti. Amant enim in carne sua terrenas consolatiunculas, siue in verbo, siue in signo, siue in facto, siue in aliquo alio, & si hæc interrumpunt aliquando, non tamen penitus rumpunt. Inde est quod raro affectiones suas dirigunt in Deum, eorumque compunctio non est continua, sed horaria. Impleri autem visitationibus Domini anima, quæ his distractionibus subiacet nõ potest, & quanto magis illis euacuatur, tanto amplius istis implebitur, si multum, multum, si parum, parum. Vel fortassis si magis probas, nunquam illis istæ misceri poterunt in æternum. Non enim spiritus & caro, non ignis & tepiditas in vno domicilio commorantur, præsertim cum tepiditas ipsa soleat Domino vomitum prouocare. Quicunq; ergo fugere de medio Babylonis desiderat, quicunq; venire ad regionem spiritus optat, semper à se torporem mentis curet repellere, & in sancto proposito per incendium diuini amoris iugiter ardere. Nihil adeo nocet Deo seruire volentibus, sicut mentis tepiditas, quæ semper in principio ex parua quadam negligentia oritur, sed nisi statim curetur, successiue mirabiliter augetur. In vicinia autem regionis infimæ constitutus in eandem sæpe relabitur, quoniam fæces conuersationis pristinæ carnalis adhuc eius voluntatem subtiliter occupant, & feruorem deuotionis debilem facili occasione perturbant. Sed nemo ex profundo inferni potest cum tepida voluntate resurgere, nemo consuetudinem sine consuetudine contraria potest superare, quoniam nisi quædam violentia interuenerit, semper vitium consuetudo peccandi roborabit. Recte autem infima hæc regio infernus dicitur, quæ quadam similitudine perturbationis & auersionis inferno comparatur. Sunt autem post hanc vitam tres animarum mansiones, quæ ex tribus regionibus ciues suos emigrantes ex hoc mundo suscipiunt. Prima enim mansio infernus dicitur, & hæc infimæ regioni comparatur. Nam sicut in inferno nullus ordo, sed perpetuus horror inhabitat, ita in hac regione infima omnia furor mentis obcæcatæ affectionibus carnalibus perturbat. In inferno omnes sunt mali, & in regione

Remedia contra tepiditatẽ.

Infima regio dicitur infernus.

infima nusquam reperiuntur boni. Quicunque autem ad infernum corruunt, de regione infima fuerunt. Semper enim ciues suos infima regio mittit ad inferos, nisi pœnitentia ducti viuentes operibus mortuis renunciare curauerint. Secunda mansio purgatorium dicitur, & hæc regioni secundæ rationali comparatur. Quemadmodum enim purgatorium animas purgat & perficit, purgatasque ad regnum cœlorum transmittit, ita secunda hæc regio ciues suos perseuerantes in se per continuum exercitium à sordibus peccatorum abluit, & ad conscensum regionis tertiæ, quæ spiritus dicitur disponit. In hac mansione omnes sunt boni, sed tamen vt meliores fiant purgandi, & in regione secundæ nusquam sunt mali, sed tamen vt meliores efficiantur semper exercitandi. Hæc regio ciues suos morientes in se mittit ad purgatorium, quoniam etsi omnes sunt boni, nondum tamen ad regnum sine purgatione temporanea videntur idonei. Enimuero, qui hanc regionem mediam inhabitant, quamuis supremæ videantur esse proximi, non tamen à puluere inferioris adhuc penitus sunt remoti. Tertia vero animarum separatarum mansio regnum cœlorum dicitur, & hæc supremæ regioni spiritus comparatur. Sicut enim in illa cœlesti patria requies summa & pax habetur æterna, ita in regione spiritus tranquillitas est mentis continua.

FINIS TRACTATVS I.

IN SE-

IN SECVNDVM TRACTATVM PRIMÆ PARTIS, QVI AGIT DE MEDIA REGIONE, VIDELICET rationali clauſtralium.

PRÆFATIO.

SEDiam nunc dimittamus aliquando hanc tenebroſam regionem carnalium, in qua turbo manet ſcelerum, & tempeſtas continua vitiorum. Satis illi conceſſimus, & plus quam propoſiti fuerat noſtri circa illam immorati ſumus. Dimittamus argo mortuos ſepelire mortuos ſuos, cedamus tenebris. ad lucem vitæ ſpiritualis properemus. Excundum nobis eſt de Ægypto tenebroſæ regionis, ad ſupremum verticem ſpiritus per medium rationis ſedulo feſtinandum. Aggrediamur ergo nunc tandem regionem animæ mediam. per quam ſucceſſiue venitur ad ſupremam. Hæc animæ regio ſatis congrue rationalis dicitur, in qua continuus labor pro inquirenda ſumma veritate habetur. Ciues huius mediæ regionis feruor mentis erigere ſemper ad altiora nititur, ſed reducere ad infima ſæuientis turbinis motus carnis infirmitas conatur. Hinc labor continuus, hinc ſuſpiria oriuntur & gemitus, quoniam corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Hæc arcta via eſt quæ ducit ad vitam, & pauci ambulant per eam. *In hac regione concupiſcentiis carnis violentia tamdiu imponitur, quouſque ſpiritui voluntas ad nutum ſubiiciatur. Dicit enim in euangelio Dominus.* Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. *In iſta regione bellum certaminis Deo ſeruituris indicitur: ſicut vir ſapiens teſtatur.* Fili, *inquit*, accedens ad ſeruitutē Dei ſta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem. *Quantæ ſint in hac media regione tentationes per exercitii ſpiritualis difficultatem quotidie diſcimus, dum variis modis impulſi manere diu in feruoris ſpiritu non valemus. Iam nos à proficiendi ſtudio infirmitas carnis reuocat: nunc hoſtis antiqui tentatio vexat, iam proximorum conuictus impedit, nunc mundi fallacia ſeducit. Volentibus igitur iu hac regione laboris proficere, maxima fortitudine opus eſt, quia nemo tentationibus ſuis poteſt vſque in finem reſiſtere, niſi vim ſibi quotidie ſtudeat inferre. Quicunque autem ad hanc regionem ſe peruenisſe exiſtimat, de ſuis viribus non præſumat, quoniam ſicut gratia Dei vt bonum in nobis operetur voluntatis noſtræ arbitrium exigit, ita voluntas gratiam neceſſario requirit. Nemo enim ſanctus viribus ſuis. Nemo igitur de ſe audeat præſumere, ſed qui ſtat, videat ne cadat.* Militia eſt vita hominis ſuper terram: *quoniam per multas tribulationes venitur ad regnum, laboribuſque virtutum arduis acquiritur cœlum.* Euntes, *inquit propheta*, ibant & flebant mittentes ſemina ſua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos. *Enimuero* qui ſeminant in lachrymis, in gaudio metent. *Si quis autem defecerit in ſemine, certe non gaudebit in meſſe. Cum ergo per cōtinuos exercitii ſpiritualis labores mens à puluere primæ regionis purganda ſit, noli in hac media regione ocium quærere, noli quietem negligentiæ amare, quia nemo hic ſtare ſufficit, niſi qui ſe ad laborem continuum fortiter accingit. Quiſquis in hac regione media non ſemper ad meliora proficit, mox in negligentias prioris vitæ cadit, ibique incidit deficiendi periculum, vbi amiſit proficiendi appetitum. Hic locus eſt continui certaminis, in quo pugnare qui negligit, vincendus retrocedit.*

Sap. 9.
Matt. 7.
Matt. 11.
Eccli. 2.
Iob. 7.
Pſal. 125.

TRACTA-

TRACTATVS II.

DE SECVNDA REGIONE ANIMÆ, QVÆ RATIONALIS DICITVR, IN QVA SVB MVLTIS LABORIBVS homines versantur.

SEcunda igitur animæ regio rationalis dicitur, in qua mēs pro inquisitione summæ veritatis labore continuo exercetur, quæ quanto se ab infima longius segregat, tanto supremæ magis appropinquat. Et hæc regio certis modis cœlo æthereo assimulando proponitur, in quo situs astrorum & motus continuus habetur.

Nam sicut motus ipse ordine primi motoris causante semper in cœlo disponitur, sic labor continuus in regione media versatur, quatenus vnaquæque intellectualis potentia suū obiectum perficiat, & ab ordine sibi naturaliter indito nullatenus recedat. Sunt autem huiusmodi potentiæ animæ tres, memoria, intellectus, voluntas.

Ex his memoria similitudines rerum & phantasmata colligit, seque circa arduum extendit. Intellectus autem phantasmata ipsa discernendo considerat, & hic verum inuestigat. Voluntas vero probatum ab intellectu ordinatum amplectitur, & hæc circa bonum cognitum versatur. Cum tres istæ animæ vires ordinem suum recte custodiunt, spiritum in fide ad cœlestia perducunt.

Regio autem ista secunda cœlo comparatur ætherio, in quo sicut motus continuus & situs est syderum, sic in hac regione media motus & labor continuus est contra certamina vitiorum. Et sicut motus syderum inditum sibi à natura ordinem officii perficit, ita & in hac regione fieri rectitudinis æquitas requirit, quatenus vnaquæque animæ potentia, dum suo obiecto subiicitur, quantum viatoribus contingere potest, ad finem ordinatum sibi perficiatur. Non autem simpliciter aliqua ipsarum potest in hac regione ad plenitudinem perfici, cum nemo in hac peregrinatione tam perfectus sit, qui non esse in suo ordine perfectior possit. Nam etsi memoria in suo obiecto, quod est arduum, omnium creaturarum similitudines & phantasmata collecta posset aspicere, non satiaretur, nisi earum principium quod est Deus, posset apprehendere, sed hoc omnino est huic regioni impossibile, in qua de Deo nulla possumus phantasmata vel similitudines formare. Intellectus quoque cæcæ (vt ita dixerim) voluntatis consiliarius circa verum extenditur, sed quantumcunq; suum consideret obiectum, non satiatur, donec omnem veritatem possit apprehendere, & ad cognitionem æternæ summæ & infallibilis veritatis sine opinione phantasticæ speculationis peruenire. Sed ista perfectio nulli est viatori possibilis, quandiu versatur in corpore mortalitatis. Voluntas etiam in suo obiecto, quod est bonum, satiari & veraciter iocundari non poterit, nisi ad illud incommutabile & summum bonum perueniat, quod nulla vicissitudinis stabilitas obumbrat. Summa veritas & incommutabile bonum Deus est, qui ad Moysen dixit. *Non videbit me homo & viuet.* Et summæ veritatis discipulus ait. *Deum nemo videbit vnquam.* Sed & propheta Dominum alloquens dicit. *Vere tu es Deus absconditus.* Quamuis autem prædictæ tres animæ potentiæ suum obiectum non possint in hac vita perfecte comprehendere, nulla tamen à suo debet officio cessare, ne ibi incurrat deficiendi periculum, vbi conandi depositum fuit institutum. Ciues ergo huius mediæ regionis malas in se affectiones mortificant, continuis se virtutibus ornant, omnia opera sua recta intentione dirigunt, à rationis officio minime recedunt.

Exod. 33. *Ioan. 1.* *Esa. 45.*

Sunt autem ciues huius regionis viri scholastici, speculatiui & actiui, diuersis quidem & honestis artibus dediti, qui rationi vires sensuales seu carnales sub-

subiiciunt, qui has tres potentias animæ ab omnibus obiectis illicitis mundare non omittunt, qui suam intentionem semper ad finem honestæ vtilitatis eleuant, qui voluntatem actu vel habitu ad finem debitum reformant. Cœnobita igitur huius emundationis amator, qui ad tertiam regionem spiritus cupit ascendere, sequentes articulos principales consistens in regione media debet custodire.

Summarium Veritatis huius mediæ regionis in septem articulis principalibus exprimitur.

QVicunq; in hac regione media secundum professionis suæ votum exoptat proficere, sequentes articulos sedulo curet obseruare, quos si conseruare neglexerit, se non mediæ sed infimæ regionis adhuc esse ciuem ostendit. Nam sicut supra diximus, nemo in hac regione media sine continuo proficiendi conatu potest consistere, in qua non profeciſſe deficere est, & non ascendisse descendere. Monachus ergo, qui regione tenebrosa superata tandem ad mediam hanc peruenire Domino auxiliante promeruit, cauendum sibi nouerit, ne conatum proficiendi vel ad modicum deserat, sed semper ad vlteriora se extendat, memineritque admonitionis viri sapientis qui dicit. *Nisi te constanter in timore Domini teneas, cito subuertetur domus tua*, id est conscientia. Impossibile namque est quempiam in sancta conuersatione proficere, qui conatum proficiendi per timorem Domini quotidie neglexerit innouare. Effectus autem innouationis huius tunc ordinatus ostenditur, cum veritas articulorum regionis mediæ debite obseruatur. Primus ergo articulus est diligens cœnobitici finis intentio: secundus est debita vitium sensualium restrictio: tertius potentiarum fidelis emundatio: quartus operum infimæ regionis attenta reformatio: quintus ordinata veri cœnobitici profectus institutio: tertius ad ingressum tertiæ regionis potentiarum adaptatio: & septimus prædictorum omnium exemplaris vel experimentalis certitudo.

Eccli. 27.

De continua & diligenti finis cœnobiticæ conuersationis intentione.

ARTICVLVS I. 3

Monacho finis ingressus sui attendendus.

CVm finis primum sit in intentione sapientis, & vnumquodque in suo genere tanto cẽseatur perfectius, quanto plus suo fini appropiat, semper monachus cultor huius mediæ regionis consideret, quare ad religionem accesserit, & si intentionem suam ordinatam inuenerit, eam continuare studeat, sin vero corruptam inuenerit, reformare ad rectitudinem finis debiti non omittat.

Sed nota quod finis in exercitiis spiritualibus duplex esse describitur, per quem virtus conuersationis monasticæ meritis augetur.

Primus est charitas, qui principalis & vltimatus dicitur, ad quem omnia exercitia monastica quasi ad primam causam ordinantur. Quicquid boni facimus ad hunc finem semper & principaliter ordinandum est, quoniam nullum opus virtutis percipit meritum, nisi semper charitas debitum constituat fundamentum. *Deus*, inquit Ioannes, *charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, Omnis autem qui in Deo manet non peccat.* 1. Ioan. 4. 1. Ioan. 3.

Secundus finis dispositiuus ad primum principalem, quasi per medium aliquod aptum dirigitur, & hic secundarius vel minus principalis appellatur. Hunc finem monachus semper debet attendere, & per eum sua exercitia ad vltimum finem ordinare. Nemo enim ad finem charitatis principalem potest pertingere, qui finem negligit obseruare.

Finis autem iste dispositiuus ad vltimum, quantum ad cœnobitas pertinet secundum Ioannem Cassianum in collationibus patrum est, *omnes curas mundi à se penitus abiicere, suasque voluntates mortificare, omnem quoque dispo-* Cass. l. 4. instit. c. 8.

dispositionem sui & curam præsidenti committere, & nihil de crastino cogitare. Oportet enim cœnobitam in hac regione media proficere volentem pœnitus suiipsius abnegationem assumere, ac deinde se totaliter in manus præsidentis resignare, quatenus apud semetipsum intus sit mundus ab omni propriæ voluntatis puluere, & foris ad seruiendum Domino liber ab omni sæculari occupatione. Enimuero nisi ad hunc finem cœnobita noster peruenerit, nequaquam verus est monachus, quoniam adhuc in carne corruptibili corruptionem seminat, & virtutem suæ professionis minime obseruat.

Quis verus monachus sit.

Hæc autem propriæ voluntatis monasticæ abnegatio principaliter in tribus videtur consistere, sine quibus nemo se veraciter dicendus est abnegasse. Et primo quidem propriæ voluntatis mortificatio requirit in monacho eradicationem proprii iudicii, quoniam quicunque suo iudicio vel consilio innititur, humiliter subesse alteri dedignatur. Radix enim ex qua defensio propriæ voluntatis oritur, consilii vel iudicii proprii adhæsio nuncupatur. Quicunque autem in cœnobio constitutus iudicio proprio inherere desiderat, vt ptopriæ voluntatis vsurpator in regulam grauiter peccat. Decet enim cœnobitam alieno potius imperio quam proprio viuere, si ad vitam æternam per obedientię meritum desiderat peruenire. Enimuero propriũ amare iudiciũ, maxima animæ lepra est, quæ tanto secundum Bernardum est *pernicioſior, quanto occultior fuerit, qua quanto aliquis abundat, tanto ſibi ſanior eſſe videtur.* Secundo voluntatis mortificatio requirit euacuationem propriorum affectuum, quia nemo inter aduersa & commodosa ordinatus & Deo veraciter subiectus stare sufficit, qui suas affectiones carnales non fortiter restringit. Tertio ad mortificationem propriæ voluntatis paupertas illa spiritus requiritur, ne in rebus vsualibus, victu, amictu, ac cæteris affectus monachi captiuetur, quoniam quisquis ista nimium diligit, se amatorem voluntatis propriæ contra regulam ostendit. Oportet enim cœnobitam verum huius mediæ regionis cultorem doctrinæ sanctæ humilitatis feruenter insistere, omnia nundana pro Dei amore libenter contemnere, & præter Deum nihil penitus amare. Si quid habet in vsu, regula permittente, caueat affectum cordis sui apponere, sitque paratus pro arbitrio pastoris & fratrum vtilitate omnia placido corde resignare. Semper quæ simplicia & viliora sunt, eligat, Deo gratias in omnibus agat, in quo solo spem & sufficientiam suam ponens hilariter dicat. In te Domine Iesu omnia habens pro tuo amore omnia libenter despicio, de transitoriis nil pœnitus curabo.

Proprio iudicio vti non debet.

Bern ſer. 3. de reſur.

Affectus frænare.

Paupertatẽ diligere.

Igitur cœnobita noster deuotus ad finem hunc institutionis monasticæ intentionis suæ oculum fideli semper consideratione dirigat, ab eius intuitu nunquam recedat, quoniam quisquis in actione vltimi finis obliuiscitur, quasi nauta imperitus & cæcus inter procellas maris mox periturus euagatur. Imitetur' ergo Monachus fidelis nautam deuotione peritum, vt quemadmodum ille semper portũ habens præ oculis illac nauim dirigere intenta solicitudine nititur, si mens hominis boni ad Deum semper quasi ad littus & vltimum finem dirigatur. Sagittarii certum sibi aliquod signum constituunt, &, ne visus dispergatur à termino præfixo, vnum oculum claudunt. Sicut autem sagitta iacientis ad signum dirigitur, sic intentio monachi boni ad Deum semper ordinatur, in qua etiam oculus inferioris affectionis clauditur, ne acumen superioris considerationis per inania dispergatur. Oportet enim affectum terrenæ curiositatis & intellectum sapientiæ carnalis quasi nesciendo claudere, si mentis intuitum semper ad finem debitum cupimus eleuare. Et sicut aquila irreuerberatis oculis solem intueri dicitur, ita Monachus Dei seruus finem institutionis monasticæ sine intermissione contemplatur. Quemadmodum prudens viator mansionem, quo tendit, delectabiliter procedendo considerat, sic bonus cœnobita in omnibus, quæ facit, semper cum feruente desiderio ad finem suum, qui Deus est, principaliter anhelat. Stultus autem viator est, qui constitutus in itinere mansionis, ad quam tendit, obliuiscitur, & aliorsum errans impedimentis

Finẽ præpoſitum habere.

variis

variis scienter implicatur. Et monachus, qui destinationis suæ finem non studiose considerat, profecto cæcus in itinere oberrat.

Conatum bonũ habere.

Monachus ergo bonus & propriæ salutis amator conatum suum bonum in exercitiis spiritualibus non negligit, sed semper affectum ad altiora se in sanctis operibus exercitando sustollit. Conatus autem bonus est, nihil eorum quæ Deus mandauit, omittere: pastori pro Dei amore in omnibus humiliter obedire, semper affectum à terrenis elongatum ad memoriam supernorum erigere: & per continuum exercitium spiritualis conuersationis sanctum propositum quotidie innouare. Quicquid boni facit cœnobita deuotus semper omnipotenti DEO fideli attentione offerat, omnia terrena forti animo contemnat, soli DEO placere concupiscat.

Sit fidelis semper cœnobiticæ intentio, vt nihil aliud quam Dei laudem & honorem velit concupiscere, sit diligens attentio, vt omnes sensus corporis & affectiones animæ ad Dei seruitium nouerit conuocare: quatenus suo Domino fideliter seruiat, & illius gloriam, non propriam, requirat.

De restitutione debita virium sensualium.

ARTICVLVS II.

QVAM vtile, quamque necessarium nobis sit, vires sensualium passionum restringere, inter monachos præsertim existimo neminem ignorare. Enimuero, quisquis ad finem regularis conuersationis debitum, quem descripsimus, in hac regione cupit pertingere, oportet eum mores & motus naturales inordinatos prudenti constantia domare: quia nemo se resignare alterius imperio veraciter sufficit, qui sensualium passionum vires non fortiter restringit. Oportet enim proficere cupientem, & motus, & prudentiam carnis animo constanti relinquere, & diuinæ se gratiæ, non carnis & sanguinis filium exhibere. Dicit enim scriptura. *Si secundum carnis imperium vixeritis, moriemini.* Enimuero *qui seminant in carne, de carne & metent corruptionem. Caro autem & sanguis regnum Dei non possidebunt.* Sed quid dicit nobis saluator? *Inimici*, inquit, *hominis domestici eius.* *Rom. 8. Gal. 6. 1. Cor. 15. Matt. 10.*

Et qui sunt isti domestici, nisi vires sensuales, qui spiritui aduersantur? Concupiscibilitas enim & irascibilitas, inimici nostri, omnia in nobis mala aduersus spiritum concitant, & domum conscientiæ variis passionibus continue perturbant. Quamdiu enim istæ vires sensuales suos naturales motus & cursus in homine peragunt: ipsum ad libertatem spiritus ascendere non permittunt. Concupiscibilitas in sensu carnis delectabilibus fruitur, & vis econtrario irascibilis pœnalia corporis detestatur. Interea, quamdiu hoc bellum carnis in homine agitur, inquietus carnalis & infimæ regionis cultor monachus habetur. Quicunque ergo venire ad vitam æternam desiderat, necesse est, vt has inordinatas sensuum vires fortiter in omnibus restringat.

Studeat ergo cœnobita fidelis vim concupiscibilem ad pœnalia quæ DEO sunt accepta dirigere: & omnes suas affectiones ad DEI beneplacitum reformare. Si hoc fecerit, confidenter ad dominum orabit. *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.* Et illud sæpius dulciter lachrymando clamabit. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te DEVS.* Deinde vim irascibilem DEO adhærens delectationibus sensualibus prudenter discat opponere: eamque ad viciorum odium sedulo reformare. *Psal. 118. Psal. 41.*

Sic anima ad suum ordinata principium; dura quæque pro DEI amore non metuet perpeti: & omnibus concupiscentiis carnalibus fortiter per vim irascibilem incipiet reluctari. Et tunc cœnobita deuotus eleuante se spiritu clamabit. *Renuit consolari anima mea.* Et illud Apostoli. *Omnia arbitratus sum vt stercora.* Anima enim quæ DEVM veraciter diligit, omnia præter ipsum contemnit. *Psal. 76. Phil. 3.*

Ex his autem duabus viribus o-

mnis affectio inordinata oritur: & bonæ similiter per oppositum his generantur. Nam de concupiscibili gaudium & spes sumunt exordium: & irascibilis dolorem parturit & metum. De his sanctus ita dicit Bernardus. *Totum cor hominis quatuor affectionibus est peruersum, quas si ad Deum reducimus, totum cor hominis est conuersum.*

Ber. serm. 2. in cap. ieiunii.

De fideli potentiarum emundatione.

5 ARTICVLVS III.

SED restringere vires sensuales nequaquam sufficimus, nisi etiam potentias intellectuales fideliter emundemus. Ad hanc emundationem magna & continua diligentia opus est: quoniam cœnobita qui negligentiæ torpore resoluitur, nunquam à vitiosis affectionibus emundatur. Qui enim corruptis potentiis seminat, nihil aliud quam corruptionem de suis erroribus reportat. Oportet ergo cœnobitam huius mediæ regionis cultorem potentias suas interiores ab omni inordinatione corrigere, si velit in studio proficiendi iugiter permanere. Sunt autem hæ potentiæ intellectuales taliter emundande.

Mortificatio potentiarū animæ necessaria monacho.

Primo quidem intellectus ab omni imaginatione vanarum similitudinum purgandus est: quatenus se ab vniuersis materialibus eripiens, sursum sine aliqua imaginatione similitudinis ad suum principium erigat, & suo prudenter obiecto intentus se totum ad summæ veritatis radium conuertat.

Memoriam deinde suam cœnobita noster fidelis ab omni occupatione rerum illicitarum emundare non negligat, nullas cogitationum turpium vel minus vtilium species admittat, studeatque phantasmata passionum irrationabiliū per sanctas meditationes repellere: & quantum fieri potest, nihil stultum cogitare.

Voluntas etiam ab omni inordinata affectione purganda est, vt nihil velit, nisi quod recta ratio volendum suggerit, nihil reprobet, nisi quod illa secundum veritatis iudicium sibi interdicit.

Hæc autem restrictio virium & emundatio potentiarum, sicut diximus, nulli penitus nisi per diligentiam magnam discretam & continuam in pugna forti conceditur: scientes, quod regnum Dei vim patiatur: nec hostem sibi quisquam potest subiicere, nisi qui contra ipsum atrociter & perseueranter voluerit dimicare. Nam beato pontifice Augustino perhibente cognouimus, quod homo bene non moritur, nisi vitiis & concupiscentiis antea moriatur. Sed his nemo veraciter inter homines moritur, nisi qui suis voluntatibus per laborem continuum in lachrymis seminans reluctatur. Muniendus ergo salutaribus doctrinis est animus, fortitudo patientiæ in omnibus assumenda est: quoniam sicut hostem armatum nudus & impatiens laboris non potest prosternere: ita monachus sine armis spiritualibus & quadam continua pugnandi violentia potentias suas intellectuales non præualet emundare. Arma vero spiritualis militiæ quamquam in suo profectu sint plurima: tria tamen monacho principaliter sunt assumenda.

Nemo bene moritur nisi vitiis moriatur Aug. l. de discipli. Christianac. 2.

Arma tria necessaria monacho.

Et primo quidem cœnobitæ strenuitas in omnibus, quæ agit necessaria est, quatenus aggredi contraria carni fortiter audeat, & nullo vnquam tempore in sancto proposito tepescat. Dura enim & penitus contraria sunt carni exercitia spiritus: in quibus constanter perseuerare non sufficit, qui strenuitatis fortissimæ arma induere contemnit. Si ergo omnes affectiones tuas spiritui cupis subiicere, si vis contra carnis vitia feliciter pugnare, cura tibi violentiam prudentissimam facere, & te contra omnia fortiter armare.

Deinde sancta quædam seueritas tibi assumenda proponitur: per quam omnia contraria & aduersa istius mundi quasi nihilum portantur. Enimuero quisquis hanc animi benignam se, veritatem pro DEI amore cælestique desiderio semel veraciter assumpserit: nulla iam deinceps aduersa carnis formidabit: sed tanta interius diuinæ remunerationis consideratione perfunditur, vt plus in aduersis quam in prosperis occurrentibus sibi delectari videatur.

Sed

Sed seueritas infirmioribus nequaquam est placida, nisi benignitas dulcedine fuerit aliquantulum temperata. Idcirco consequenter ipsa benignitas militi nostro assumenda est, vt dum per infirmitatem carnis in prælio tentatus, vel etiam vulneratus, quandoque titubat, per pœnitentiam mox pugnaturus fortius denuo resurgat. Oportet enim militem CHRISTI, si ceciderit in bello, per contritionem & alia pœnitentiæ remedia iterum pugnaturum totiens resurgere, quousque tandem aliquando aduersarium, miserante DEO, valeat superare.

Nunquam desperandū de victoria.

Si septies in die cadit iustus & resurgit, quomodo veniam peccator, sed iam pœnitens, non sperabit? Surgite totiens iterum pugnaturi ô milites, quotiescunque aduersario vincente ceciderit is, fortius semper de nouo instaurate militiam: vt hostem, quem interimere fortitudine non sufficitis, perseuerantia tandem superetis. Noli desperare victoriam ô cœnobita fidelis, propterea quod sæpe victus à tentatione vitiorum cecidisti in laqueum, noli diutius iacere prostratus, quia te sentis infirmum, sed mox totiens resurge, quotiens lapsus fueris, & confide, quoniam misericordem habes Dominum, cuius auxilio tandem victor contra aduersarium eris. Nemo enim repente fit summus, nec incautis militibus statim victoria de inimico conceditur, ne perituri grauius in superbiam eleuentur. Charior semper rei difficulter acquisitæ possessio, & bonum quod laboriose acquiritur, cum maiori diligentia custoditur. Tamdiu pius pater DEVS tentationibus aduersarii victos nos permittit in foueam peccati per intervallum vicissitudinis cadere, quousque infirmitatis nostræ conscij discamus nihil in nostris viribus, sed in ipsius gratia solummodo sperare. Tu autem homo, qui propositum sæpe interrumpis peccando, nunquam tardes resurgere, quoniam etsi hostem tibi non potes perfecte subiicere, bonum tamen tibi erit, si te vltima dies etiam post sæpe iteratam ruinam stantem & pugnantem potuerit inuenire. Eos vero quibus miseratio Dei virtutem & gratiam debellandi aduersarium contulit, hoc consilium non resoluit. Verum tamen qui stat, videat ne cadat.

De operum primæ regionis attenta reformatione.

ARTICVLVS. IIII. 6

QVONIAM quidem, sicut in fine primi tractatus docuimus, regio hæc media primæ ex infima parte est proxima; in qua cœnobita, si aliquantulum negligens & remissus fuerit, mox sine medio in priorem iterum cadit. Et ideo, qui in ista regione proficiendo cupit persistere, semper attenta vigilantia infimæ regionis opera studeat reformare. Et ne simus prolixi, quisquis hanc in se reformationem exercere desiderat; opera in hac regione octo articulis primæ contraria assumat. Nam sicut medicorum traditione præcipitur, contrarijs contraria curantur.

Ciues igitur huius mediæ regionis monachi fideles hoc primum iubentur inspicere, vt se ad DEVM studeant præ omnibus ordinare. Hæc autem ordinatio tunc bene fieri dicitur, si Deus ex toto corde secundum legem super omnia amatur.

Deinde ad prælatum suum cœnobita deuotus se ordinatum exhibeat, humilem ei reuerentiam impendat: studeat illum syncera charitate diligere; & omnia quæ præcipit secundum regulam custodire.

Rector quoque animarum curet ordinatus ad cœnobitas incedere, seque pastorem ouibus verum non mercenarium exhibere, salutem animarum sibi commissarum non negligat, temporalia spiritualibus non præponat. Oderit vitia, diligat fratres, & se in omnibus bonis exemplarem exhibeat.

Deinde fratres sibi inuicem tanquam vnius capitis membra cohæreant, in vera charitate Dei se mutuo diligant, & à bono zelo non recedant. Omnes enim quo per fidem CHRISTI venire ad vitam æternam bonis operibus insistendo confidimus, CHRISTI summi capitis membra sumus. Quisquis autem fratrem suum malo zelo vel

odio cæteriſque malis affectionibus perſequitur, ſe primum à capite diuidit; ac deinde iniuriam Chriſto facit.

Conſequenter ad ſeipſum vnuſquiſq; ſe ordinatum exhibeat: omnibus pro CHRISTI amore ſe humiliter ſubdat, alios ſibi per humilitatem præferat, ſeque omnibus indigniorem monachis credat.

In vſu rerum monaſterii ſemper inſtitutionem regulæ caueant excedere, ſed ordinatos ſe ad omnia & fideles vbique ſtudeant exhibere. Nihil contra voluntatem Abbatis habere appetant, nullam in vſu rerum voluptatem animi admittant.

Curabunt deinde cœnobitæ fideles ſe iuxta regulam inſtitutionem ordinare ad contemptum ſeculi: quatenus nihil in hoc mundo diligant, ſed omnia pro amore Dei veraciter contemnant.

Ad pœnitentiam ſe diligentiſſime ordinare non negligant, ad humilem exceſſuum ſuorum confeſſionem ſæpe recurrant: quoniam, ſicut in hoc mundo ſine peccato viuere nemo creditur, ita pœnitentia omnibus neceſſaria etiam monachis iudicatur. Bonus ergo cœnobita per compunctionis ſtudium ad pœnitentiam ſemper diſcat recurrere, ſeque de ſuis exceſſibus in capitulo humiliter accuſare, pœnitentiam iniunctam libenter peragere: & ſe in omnibus fideliter emendare.

De ordinata inſtitutione veri profectus monaſtici & gradibus humilitatis.

7

ARTICVLVS. V.

MAXIMA virtus monachi humilitas eſt: & grauiſſimum in cœnobita ſcelus ſuperbia. Monachus enim tumida mente ſuperbus diaboli imitator & ſeruus efficitur: omnibuſque virtutibus ſi quas habuerat ſpoliatur, quoniam nulla poteſt virtus in mente ſubſiſtere, in qua ſuperbiam contigerit reſidere. Igitur cœnobita qui in hac regione media cupit proficere, ad verum profectum inſtitutionis monaſticæ per humilitatem ſe diſcat ordinare: quia nemo veraciter humilitatem conſequitur, niſi qui ſtudiis ſpiritualibus immoratur. Verus autem profectus regularis inſtitutionis omnes muſas adulterinas excludens ex gradibus humilitatis oritur, qui per ſuas radices in regula duodecim ponuntur. *For. can. ſan.*

Radices vero huius profectus ex ſtudio ſacræ lectionis proueniunt: quæ hominem paulatim ad timorem domini perducunt. Ex lectione meditatio ſpiritualis oritur, ex qua ſancta compunctio generatur.

Vtilior autem modus cœnobiticæ meditationis conſiſtit in memoria paſſionis domini: & in conſideratione beneficiorum DEI. Porro qui hanc regionem mediam excedentes ad tranquillitatem ſpiritus perueniunt, ſuas meditationes per contemplationem diuinę maieſtatis & excellētię ſublimiores reddunt. Et de his quidem ſuo loco dicemus. Duæ autem radices iſtæ ab aſſiduæ orationis irriguo incrementa ſuſcipiunt: & in robur firmiſſimæ plantæ conualeſcunt. Nulla enim ſine oratione meditatio proficit, & ſtudium ſine illa non ſaluabit.

Ex his tribus radicibus ſpiritualis profectus timor domini, qui eſt primus gradus humilitatis oritur: ex quo cæteri gradus per ordinem ſuccedentes procreantur. Monachi autem, qui ſalutare ſtudium ſcripturarum & ſanctas meditationes cum aſſiduis orationibus negligunt; ad hunc primum humilitatis gradum minime pertingunt. Qui vero primum gradum humilitatis non poteſt aſcendere: quando ad alios poterit peruenire? Secundus enim nunquam aſcenditur, ſi primus negligatur. Ergo qui vnum negligit, nullum aſcendit.

Sacræ autem lectionis ſtudium non ad vanitatem mundi, neque ad voluptatem ſeductæ mentis aſſumendum eſt: quia nunquam ad compunctionem lectio proficit, quam carnis aut vanitatis delectatio corrumpit. Monachus autem per ſtudium ſacræ lectionis ad deuotionem non poteſt pertingere; niſi *Sacra lectio quæ congruat monacho.*

nisi omnem curiositatem in simplicem spiritum studeat commutare. Quisquis ergo ex lectione scripturarum ad compunctionem proficere desiderat : quisquis ascendere ad humilitatem per radices timoris optat : non quamlibet lectionis materiam debet eligere, sed eam duntaxat quæ mentem ad DEI amorem amplius potest excitare. Ad hanc rem lectio conuersationis sanctorum mihi satis videtur idonea: quia sæpe ad amorem DEI mens iacentis erigitur; dum vita seruorum eius ad memoriam reuocatur. Miracula quoque & reuelationes tormentorum seu gaudiorum animarum separatarum catholicæ fidei conformes libenter admittimus : quibus corda torpentia sæpius prouocari ad compunctionem expertissumus.

Vita sanctorũ ab eo legẽda.

Denique passiones sanctorum martyrum feruorem deuotionis non mediocriter excitant: in quibus,dum,charitatem insuperabilem CHRISTI ad mentem reducimus; compuncti exemplo tantæ constantiæ quasi quodam incendio amoris tacti de nostra imperfectione suspiramus. Ex lectione meditationis materia sumitur, & qualis illa fuerit; talis ista erit. Non poetarum turpia carmina,non philosophorum curiosa dogmata, non rhetorum turgentia scripta, feruorem deuotæ compunctionis in monachis excitant, sed conceptum potius suffocant. Si ergo vis bonis meditationibus insistere, noli animum tuum aliis lectionibus quam sanctis & deuotis occupare. Enimuero nec vua de spinis colligitur,nec compunctio ex vanitatis studio generatur. Qui pro scientia huius mundi studet,ea legat, quæ sibi ad eruditionem conueniunt, qui vero compunctionem quærit, illa cogitet, quæ ad amorem DEI per timorem animum accendunt. De nouissimis igitur, quæ nos manent lectio frequens sumat exordium, deinde sanctorum legantur gesta patrum, quatenus memoria futurorum ad timorem Dei mentem conuertiat, & sanctorum exemplaris conuersatio imitandi desiderium accendat. Ait enim vir sapiens. *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis,*

Non prophani auctores.

Eccl.7.

Conuersatio sanctorum patrum nobis in exemplum proponitur, & malorum interitus ad disciplinam nostram nobis recitatur,vt virtus remunerata desiderium moueat, & iniquitas punita peccandi licentiam interdicat. Semper ergo cœnobita deuotus exempla & virtutes sanctorum ad memoriam reuocet, prauorum breuem voluptatem, sed cruciatum æternum consideret, quatenus infælicitatem timendo mereatur euadere, & illorum perpetuum gaudium insistendo virtutibus obtinere. Non leuis est bonorum malorumque discreta conditio, quoniam in æternum vtraque mansura describitur, nec vllo fine terminatur. O æternum cunctis semper pauendum mortalibus,in quo post hanc vita consummationis timor nullus est iustis, & liberationis spes nulla peruersis. Cogitet, qui potest, quid sit æternum, vbi nullus est finis, qui audet, imaginetur terminum, & cum in æterno nihil aliud quam æternum inuenerit, intelligat quam nihil sit omne tempus, quo in hoc mundo viuit. Enimuero spiritus carne semel exutus hanc æternitatis abyssum necessario subire compellitur, & conditionem quam pro meritis suis semel adeptus fuerit,sine fine perferens in aliam non mutabit. Nam qui bonus in DEI charitate moritur, vitam æternam pro meritis sortietur. Qui autem malus & sine pœnitentiæ reconciliatione ab hac vita semel decesserit, cum dæmonibus in inferno sine fine cruciandus permanebit. Ex his meditationibus timor in mente seruilis oritur, per quem paulatim ad amorem peruenitur. Vt autem cœnobitam per has radices ad charitatem possimus successiue perducere, placet nobis per ordinem gradus humilitatis in regula descriptos breuiter explanare.

Primus itaque gradus humilitatis per sanctum Benedictum in regula,timor DEI describitur, qui initium sapientiæ appellatur. Timor autem Domini triplici distinctione traditur, seruilis videlicet, initialis, ac filialis, qui & castus nuncupatur. Ex triplici hac distinctione tres radices dicuntur procedere, secundum quas meditationes suas cœnobita incipiens debebit ordinare. Ha-

Gradus Humilitatis.

1.

Psal.18.

Timor Domini triplex.

bent enim singulæ radices suas meditationes proprias: & cum vna recte disponitur, semper alia melior generatur.

Ex seruili namque timore non seruiliter tantum, sed prudenter & virtuose assumpto, meditationes horroris & pœnarum proueniunt, quæ cohibentes à peccato animum paulatim filialem introducunt. Enimuero, dum consideratione pœnarum mens in horrorem conuertitur; peccandi audacia cohibetur: quia seruus qui verbera metuit, præcepta domini custodit. Timor autem iste seruilis ad promerendam hæreditatem paternam solus non sufficit: sed tamen initialis effectus ad filialem, qui est sufficiens, disponit.

Initialis enim timor, medius inter vtrumque ponitur, & de seruili in filialem facile commutatur. Iste timor initialis meditationes de nouissimis recipit: & tam pœnas incurrere, quam dulcem amittere patriam pertimescit. Et hic latius in regula ponitur, vbi etiam radices eius describuntur.

Timor autem filialis meditationes suas in amore complectitur: dum nihil aliud metuit, nisi ne pater dilectus offendatur. De hoc timore dicit vir sapiens. *Timor domini gloria & gloriatio: lætitia & corona exultationis.* Eccl. 1.

Timor domini delectabit cor, & dabit letitiam & gaudium, in longitudinē dierum. Et iterum. *Timenti Deum bene erit in extremis: & in die defunctionis suæ benedicetur.* Ibi. v. 13. Iste quoque timor castus dicitur: quia non metu pœnarum, sed amore solo mala detestatur.

Ex hoc triplici timore tres exercitiorum spiritualium latitudines circa gradus humilitatis videmus exurgere; singulisque timoribus exercitia singula conuenire. Aliter enim timor seruilis sua exercitia peragit; aliter initialis virtutibus insistit: atque multo aliter filialis in suis operibus procedit. Nam sicut affectiones cordium vario modo proueniunt: ita exercitia vnius timoris diuersimode fiunt. Aliter enim memor suorum scelerum publicanus sententiam iudicis timuit: aliter se audire vocem tubæ mortuos ad iudicium vocantis Hieronymus dixit. Ait enim de illo sanctum Euangelium. *Stans à longe publicanus nolebat oculos suos ad cælum erigere: sed percutiens pectus suum dicebat. DEVS propitius esto mihi peccatori.* Luc. 18. Sed Hieronymus ille beatus dicit. *Siue bibo siue comedo, semper tubam illam auribus meis insonantem audire me puto. Surgite mortui, venite ad iudicium:*

Vtriusque compunctio ex timore oritur, sed non ex vnius affectionis desiderio vtraque generatur. Publicanus enim reatu peccatorum suorum territus iusti iudicis sententiam timuit: & ideo compunctus dixit. *DEVS propitius esto mihi peccatori.* Hieronymus vero non ex conscientiæ reatu timore concutitur, sed fundatus in charitate seruumque se reputans inutilem diuinę iustitiæ abyssum reuereretur.

2. Gradus

SEcundus gradus est voluntatem propriam pro DEI amore relinquere: suum velle in nullo contra regulam amare. Iste gradus ex primo ascensu humilitatis oritur: & in tertium eleuatur. Abnegatio propriæ voluntatis. Enimuero qui DEVM timet, & ab eo separari, pœnasque subire veraciter metuit; nihil amplius quam propriam voluntatem odit. Nouit enim cœnobita fidelis, quod omne peccatum ex sola voluntate propria oritur: & ideo illam vt inferni ianuam detestatur. Veraciter namque dixit ille beatus. *Tolle voluntatem propriam, & iam non erit infernus. Nihil enim in inferno ardet nisi voluntas propria:* Bern. ser. 3. de resurr. nihil gratiam Dei amittit nisi voluntaria culpa. Quisquis ergo DEVM veraciter timens eius gratiam amittere metuit, propriam voluntatem vt insidiatorem animæ suæ pertimescit. Consideratio autem periculi voluntatis proprie facit cœnobitam suum velle contemnere; & semetipsum sibi abnegare Et hæc abnegatio propriæ voluntatis & suiipsius tribus modis perficitur, quemadmodum in sequentibus dicetur.

Et primo quidem seipsum sibi abnegat, qui studet secundum doctrinam æterne sapientiæ & non secundum proprios motus viuere: & Christo sibi humilitatem persuadenti in omnibus obedire. Dicat ergo cœnobitæ saluator. Si vis temetipsum negare tibi, & me sequi, auerte oculos tuos, ne videant nociua: Abnegatio triplex.

nociua, aures ne audiant vana, & pro dulcibus huius mundi sume amara. Corporis tui delicias disce contemnere, tranquillitatem & pacem cordis amare, omnes tribulationes pro mei amore patienter & gaudenter recipere, & vilis despicabilisq; videri ab omnibus concupisce. Consequenter disce voluntates tuas in omnibus frangere, concupiscentias carnis mortificare, omnia terrena contemnere, & vitam tuam, quãtum fieri potest, conuersationi saluatoris tui pro viribus conformare, *Qui enim se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare.* Qui ista fecerit, seipsum bene abnegauit.

1. Ioan. 2.

Secundo propriæ voluntatis abnegatio tũ recte perficitur, dum aliena commoda propriis præponuntur. Dicit enim S. apost. *Non quæ sua sunt quærentes, sed quæ aliorum.* Nam secundum Bernardi sentẽtiam totiens anima pro fratribus ponitur, quotiens eorum commoda propriis vtilitatibus pro amore Dei præferuntur.

Phil. 2

Tertio propriæ voluntatis resignatio perfectionis plenitudinem accipit, dum cœnobita compunctus ac Deo totaliter mancipatus ei gratis sine intuitu mercedis seruire ex amore concupiscit. Et ista sanctissima proprię voluntatis resignatio hominem Deo proximum efficit: & in eius amore semper requiescit.

Quemadmodum vero hæc suiipsius resignatio de secundo gradu humilitatis subsistentiam accipit: ita & internam resignationem omnimodam ad voluntatẽ Dei in omnibus necessario requirit. Dicit enim in euangelio dominus. *Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me patris.* Perfecta igitur resignatio est, qua voluntas humana totaliter voluntati diuinæ subiicitur, & ex amore integro conformatur. Ita enim dominus ipse orare nos docuit. *Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra.* Et illud psalmigraphi. *in manus tuas commendo spiritum meum.* Nunquam in hoc mundo securius viuitur, quam si humana voluntas DEO perfecte subiiciatur.

Ioan. 5

Matt. 6. Psalm. 30

Enimuero suiipsius perfecta resignatio, qua cœnobita voluntatem suam veraciter Deo subiicit; recta viam ad summum bonum sine medio ostendit. Summa hic mentis tranquillitas, maxima in est cordi securitas, quoniam animus qui se Deo perfecte studet subiicere, nulla huius mundi contraria, nisi solum peccatum, amplius poterit formidare. Quicquid aduersitatis ingruerit, domino adiuuante didicit vincere, quicquid commoditatis desiderat, in solo se domino intelligit possidere. Omnia aduersa pro eius amore despicit, omnia bona in eius dilectione collocauit. Prudenter n. dixit ille deuotus. *Dimitte omnia, & inuenies omnia.* Relinque cupiditatem, & veram inuenies pacem.

Deniq; vt hæc propriæ voluntatis resignatio plenitudinem consummationis accipiat, triplicis adminiculi suffragium, vt ita dixerim, implorat.

Primum in virtute perseuerantiæ ponitur: vt voluntas semel abnegata nunquam resumatur. Dicit enim ad huius suffragii contemptores sanctus ille Bernardus.

Vt quid rursum vos de vobis intromittitis? qui semel matura deliberatione voluntatem vestram nobis tradidistis? Monachus enim qui voluntatem suam semel Deo in manus abbatis tradidit, eam sine sacrilegii crimine non resumit.

Secundum q; ad perfectam resignationem voluntatis requiritur, est, vt nunquam remittatur. Hinc ad tepidam animam in Apocalypsi dominus dicit. *Habeo aduersum te panca, quia primam charitatem,* id est feruorem tuum, *reliquisti.*

Apocal. 2

Tertio resignatio voluntatis perficitur, si nunquam rescindatur. Dicit enim saluator. *Qui perseuerauerit vsq; in finem, saluus erit.*

Matt. 10

Cum ergo videris cœnobitam inquietum seu ira commotum, noueris totius tentationis molem ex irresignatione procedere, nec vnquam curabis hunc morbum ægritudinis, nisi prius persuadeas resignationem abnegatæ voluntatis.

3. Grad.

Tertius gradus humilitatis est, se in omni obedientia, maiori pro Dei amore subdere, & se imitatorem Christi operibus non verbis tantum exhibere, de quo sanctus dicit Apostolus. *Factus est obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis.* Iste gradus ex secũdo sumit exordium & vsq; ad tertium suũ eleuat ascensum. Nã sicut

Phil. 2 Obedientiare ignosa.

secundus voluntatem propriam abnegando mortificat: sic iste per humilẽ subiectionem sancti operis fundamentum locat. Ille se totum voluntati diuinæ subiicit: iste pro amore Dei etiam hominibus obedit. Unius gradus custodia sine alterius obseruatione in monacho non sufficit: nec voluntas cœnobitæ ordinationi diuinæ subiicitur, quæ obedire maioris imperio dedignatur. Verus ergo cœnobita omne gaudium suum in virtute sanctę obedientiæ collocat, implere in omnibus voluntatem sui pastoris lucrum maximum putat: graue damnum animæ se credit incurrere si extra obedientiam vel modicum se inuenerit commisisse. Semper enim fidei deuotione consideraverat, quid dominus in Euangelio dicat. *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit.* Hinc beatus ille Bernardus dicit ad monachos. Quicquid vice Dei præcipit homo, no aliter accipiendum est, quã si per se Deus ipse præciperet. Hanc igitur obedientiæ subiectionem verus monachus omni sacrificio præferat, nihil contra eius integritatem penitus agat, & sibi quod scriptum est apud semetipsum iugiter dicat. *Melior est obedientia quam victimæ.* Unde & regula dicit. Ergo cum voluntate abbatis omnia facienda sunt.

Luc. 10.
Bern. l. de præcepto & dispẽs.
1. Reg. 15.
cap. 55

Gradus autem iste, sicut diximus, ex secundo oritur, quoniam qui pro Dei timore propriam voluntatem perfecte deserit, iam nihil aliud quam illam in omnibus sequi in hoc mundo quærit. Sed quia Deus semel loquitur & idipsum non repetit, non potest homo infirmus volũtatem scire altissimi, idcirco se commisit ipsi⁹ loco in manus sui ꝓlati. Obediat ergo cœnobita secundum regulam vicario Christi, & sine dubio adimplebit voluntatem Dei.

Ordo in obediendo seruãdus.

Hæc autem obedientia prælatis debetur stricte secundum euangelium & regulam monasticam, quoniam etsi mutua obedientia fratrum sit bona, nunquã tamen imperio maioris est præferenda. Monachi vero obedientiam sibi inuicem discretam iubentur impendere, & saluis præceptis maiorum se mutuis obsequiis præuenire. Et, vt de nostra consuetudine inferamus exemplum, omnibus secundum ordinem est obediendum. Si te frater interpellauerit, libenter obedi, si aliud senior præceperit dimisso prioris imperio huic obaudi. Rursum si prior conuentus suum mandatum interposuerit, omnis obedientia fratrum mutua cessabit. Quod si præceptum Abbatis interuenerit: nullius alterius obedientia in contrarium valebit. Ipse enim vices Christi in monasterio primus agere creditur, & ideo omnibus præfertur.

Obedientiæ conditiones.

Sunt autem virtutis sanctæ obedientie septem circumstantiæ graduales, quas beatus ita descripsit Bernardus. Primus gradus obedientiæ est obedire libenter, vt videlicet voluntatem propriam penitus non habeas, sed pastoris tui beneplacitum omnino tuum credas. Secundus, obedire simpliciter, vt non plus nec aliter quam tibi est imperatum facias, nec minus agens aliquid omittas. Tertius est obedire hilariter, vt in vultu serenitatem præferas, & in voce dulcedinem ostendas. Quartus est obedire velociter, vt non sit tardior manus in opere, quam imperium in voce. Quintus est obedire viriliter, ne vires mandato subtrahat, seq; infirmum & præceptis imparem fingat. Sextus est obedire humiliter, non superbe, non elate, non contentiose, quoniam nisi obedientia humilis fuerit, non mercedem, sed vindictam reportabit. Septimus est obedire perseueranter, quia non est vera obedientia, quæ ante cõsummationem intermittitur, & qui perseverat vsq; in finem solus remuneratur.

Ber serm. de virtute obedientia.

Matt. 10.

Fructus autem obedientiæ perpetuus est, & nullo vnquam fine terminatur. Tantum vero Deus omnipotens nostris obedit precibus, quantum nos maioribus nostris obedimus. Non tibi monache ceruicose blandiaris de orationis instantia, quoniam qui Christi vicarium in cœnobio despicit, orãtem hunc Christus non exaudit.

Obedientiæ effectus.

Humilitas orationem eleuat, obedientia commendat. Obedientia enim, sicut quidam ex patribus dixit, salus est omnium fidelium, genitrix omnium virtutum, inuentrix regni cælorum. Obedientia cælos aperit: inferni ianuas claudit, cohabitatrix angelorum efficitur, cibus sanctorum omnium habetur. Monachus autẽ qui obedientiæ subiectionem abiicit, ad mortem currit.

4. Grad. Patientiæ cap. 7.

Quartus humilitatis gradus est patientia in aduersis: de quo sanctus pater noster Benedictus in regula loquitur, *si mona-*

si monachus sub obedientia duris contrariis, vel etiam quibuslibet irrogatis iniuriis tacita conscientia patientiam amplectatur. Iste quoq; gradus ex tertio sumit principium, quoniam nemo veraciter dicendus obediens: si impatiens fuerit inuentus. Nam, vt diuus ille dicit Chrysostomus, *non potest regi esse acceptus, qui hosti fuerit subiectus, nec Christo veraciter esse subditus: qui passionato impatientiæ fuerit carni mancipatus.* Nemo enim poterit hostem atrocem vincere: nisi qui contra ipsum fortiter didicit dimicare. Patientia nobis valde necessaria, quoniam nulla virtus legitime perficitur, si patientia deseratur. *Maioris etenim meriti est*, beato perhibente Gregorio, *aduersa patienter pro Deo suscipere, quam bonis operibus insudare.* Et sanctus Hieronymus ait. *Qui pro peccatis suis tribulationem aduenisse existimat, Dei misericordiam sibi ad benefaciendum amplius prouocat.* Discat ergo cœnobita virtutem patientiæ omnibus accidentibus sibi opponere, si de hostibus suis desiderat triumphare. Vincit enim qui patitur; qui murmurat, superatur.

In tribus consistit patientia.

In tribus autem virtus patientiæ maxime necessaria est, & præmiis remuneratur altissimis. In contumeliis verborum patientia viri prudentis & amantis Deum humilitatis seruat propositum, in ablatione rerum & commodorum temporalium suscipit incrementum, & in læsione corporis conscientia tacita virtutis conseruat institutum. Cogita nunc ô fidelis anima quomodo saluator tuus amantissimus Iesus hæc tria patientissime pro tua redemptione sustinuit, & si te illum credis diligere, non graueris pro eius amore similia cum patientia tolerare.

Ex tribus gradibus proxime præcedentibus vnum finis cœnobitici summarium constituimus, quem vt nobis videtur, rationabiliter trigradum appellamus.

Tribus enim gradibus secundo videlicet, tertio & quarto finis cœnobiticæ institutionis perficitur, & abnegatio volũtatis proprie consummatur. Nam vbi abnegationi propriæ voluntatis & obedientiæ conseruatrix virtutum patientia coniungitur, omnis voluptas & sollicitudo corporis mortificatur. Quisquis hunc trigradum ascendere meruit, præceptum domini compleuit, quo in euangelio dicit. *Qui vult venire post me abneget se*, per gradum humilitatis secundum, *& tollat crucem suam*, per tertium, *& sequatur me*, per quartum. *Matt. 16.*

5. Grad. Confessio. Reg. Ben. c. 7.

Quintus gradus humilitatis est vera peccatorum confessio: in quem cœnobita fidelis ascendere dicitur, si omnes cogitationes malas cordi suo aduenientes, vel quælibet mala in abscondito cõmissa, abbati suo humili fiducia confiteatur. Enimuero, si quid per impatientiam suggerente aduersario in trigrado præcedẽti delinquitur, in isto per contritionem & confessionem humilem reformatur. Nemo enim tam perfectus inuenitur, qui non maculam terrenæ conuersationis cõtrahat, dicente scriptura. *In multis offendimus omnes. Nemo enim mũdus a peccato, infans cuius vita est vnius diei super terram.* Necessario itaq; gradus iste post quartum sine medio sequitur, in quo omnes negligentiæ præcedentium emendantur. Confessio vera militem in certamine ruentem subleuat: vulneratum ab hoste sanat, infirmum & pusillanimẽ confortat. Quisquis ergo stare in prælio & vincere hostem fortiter desiderat, sæpius ad veræ confessionis præsidia recurrat. Impossibile est enim vulneratum ab hoste sanitatẽ recipere, qui vulnus ipsum medico negligit aperire. Tu ergo cœnobita fidelis, qui saluare animam tuam & bonus esse miles Iesu Christi desideras, confessionem humilem non omittas: quia nũquam poteris diabolum melius vincere, quam si omnes cogitationes, quas tibi suggerit & peccata studeas abbati tuo fideliter aperire. *Iac. 3.*

Certum est mihi, & multorum interitu probatum, cœnobitam se multis vincendum tentationibus inimici committere, qui hunc gradum renuit custodire.

6. Grad. Contemptus sui.

Sextus gradus humilitatis ex vera cõfessione oritur, vt se monachus vilem ad omnia & indignum arbitretur. Hunc enim secundum regulam verum credimus monachum, quem omni vilitate & extremitate in victu & amictu ex humili patientia cernimus esse contentum. Vilitas autem ista ad vsualia in communi reducitur, sed extremitas in abiectis & grauioribus incommodis collocat. Illa enim in vilioribus vestimentis, cibis, & quibuslibet necessariis corporis patientiam

Lben-

libenter amplectitur, ista ministrare infirmis, horrendis, leprosis, & abiectis, cõfundi, degradari, & vilipendi in omnibus delectatur. Monachus igitur qui carni & mundo veraciter est mortuus; omni vilitate & extremitate sit contentus, operarium se fidelem in omnibus exhibeat, & tamen propter naturæ corruptionem, qua in multis offendit, se vilem & indignum credat.

Enimvero, quicquid boni in hoc mundo agitur, quantumlibet sancte & religiose in hoc sæculo viuatur, ad promerendam vitam æternam nulli potest sufficere: nisi Dei magna miseratio dignetur subuenire. Maxima pro minimis accipimus, regnum Dei non ex nostro merito nobis debitum, sed ex gratia promissum expectamus. Dicit enim sanctus Apostolus. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Nam si absq; misericordia iustitiam Dei suscipimus, inferno digni sumus. Omnes iram peccando incurrimus, sed amorem ex gratia reportamus. Nemo saluatur nisi per gratiam, nemo damnatur nisi per iustitiam. Interea tamen, vt gratiam Dei consequamur, bonæ voluntatis nostræ studium requiritur, sine qua gratia in nobis nihil ad meritum operatur. Nam etsi nemo sanctus viribus suis, tamen bonum nullus bene facit inuitus. Ita enim gratia Dei & libertas arbitrii se habent ad inuicem, vt vnum sine altero ad saluandum hominem non possit sufficere, sed vtrunq; necessario debet ad virtutis operationem conuenire. Cum ergo sine gratia Dei nihil boni possimus facere, nos viles & indignos ad omnia debemus æstimare, quatenus dum nos Deo in humilitate submittimus, maiora semper impetremus. Et ideo sextus iste gradus confessionis est meritum: & omnium præcedentium vnicum fundamentum. Quamdiu enim cœnobita in isto gradu humilitatis permanserit, firmus in priotibus stabit.

Rom. 8

Gratia & voluntas hominis concurrunt in bono opere.

7 Grad. Optare se contemni

Septimus gradus humilitatis est, se non solum ex intimo cordis affectu omnibus viliorem credere: sed etiam vt alii hoc de se credant & loquantur simplici animo desiderare. Ista humilitatis sanctæ conditio in alto ponitur, & à paucis hoc tempore monachis amatur. Prima enim conditio huius profundæ humilitatis in hoc videtur consistere, vt se monachus omnibus viliorem ex corde debeat æstimare. Secunda est, vt se vilem & abiectũ æstimari ab omnibus gaudeat, & hoc ex intimo cordis affectu sine fictione concupiscat.

Tertia conditio in altiori mansione ponitur, vt videlicet monachus ex eodẽ affectu tractari vilissime & conculcari ab omnibus delectetur. Radicatus in hac humilitate cœnobita opprobrium & cõtumeliam diligit, contemni & vilissime abiici non pertimescit: quoniam se totũ in Dei amore submittens humiliter collocat, & ad improperia quasi ad epulas cum hilaritate maxima festinat. Sed vt veritatem huius septimi gradus intelligas, sequentes considerationes legas.

Prima consideratio mentem ad spem diuini amoris dirigit, quæ ex quadam pia confidentia surgit. Quanquam enim nesciat homo, vtrum amore vel odio dignus sit, tamen quilibet ex dispositione cordis sui aliqualiter potest agnoscere, quid de statu suo bono vel malo debeat sentire.

Secundo considerandum, quod hæc dispositio cordis boni, & ordinatæ voluntatis ad Deum; amoris Dei & bonorum operum approbationis est signum. Sic enim nato in carne Domino angeli decinerunt. *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis.* *Luc. 2*

Tertio notandum, quod sicut bona dispositio cordis mentem per sancta exercitia ad timorem Dei, & operationem virtutum semper ordinat & prouocat, sic malæ dispositionis incuria ad vitia & accidiam maxime inclinat. Huius autem diuersitatis consideratio, coniecturam facit.

Quarto considerandum est, quod mala cordis dispositio gratiarum Dei & merita in homine impedit & euacuat, quoniam animam vilem ignobilem & degenerem efficit, & semper ad grauiora ac pessima disponit. Enimuero radix malorum linguæ & operis venit ex malo cordis, sicut patet in Saule, multisq; similibus.

Quinta consideratio est, quod malum operis & linguæ nunquam bene discutitur, nisi prius malum cordis veraciter sciatur. Unusquisq; autem cor suum melius, quam alius, potest discutere: & qualis apud

pud semetipsum lateat considerare. Cœnobitæ igitur, cui alterius cura non est commissa, sufficit cor suum diligenter inspicere, & se in scrutinio cordis alieni nullatenus occupare. Pastor autem monachorum cui cura animarum committitur, etiam cognoscere vultum pecoris iubetur.

Sexto notandum ex his, quod valde temerarium est cor alienum velle discutere, & ex verbis & factis intima fratrum iudicare. *Nouit dominus, qui sunt eius*, nec homini conceditur, vt absq; ratione officii alieni cordis iudex temerarius efficiatur. 2. Tim. 2.

* Septimo notandum, quod paruũ proprii cordis malum plus scienti nocet in proprio, quam magnum ex suspitione dubitatum de corde alieno. Illud enim deflendum est, quia certum & cognitum, istud pie excusandum, quia ignotum.

Octauo considerandum ex quo vnusquisq; multas imperfectiones in corde proprio videt, quas in alienis non potest agnoscere: pro his se, in quantum sunt obices gratiæ, inferiorem debet æstimare. In quantum vero deturpant animam, se viliorem aliis despiciat, etiam si publica eorum crimina cognoscat. Enimuero, cũ radix cordis eorum sibi penitus sit incognita, scire non potest, qualiter circa eum diuina electio ab æterno fuerit ordinata.

* Quis latronem crucifixum cum domino electum ab æterno crederet, si eum secundum opera iudicaret? Omnia electis ad bonum proueniunt, quoniam vbi peccatum abundasse cernitur, sæpe diuine electione volente gratia maior inuenitur. Amor enim diuinus electos suos ab æterno respicit & amplectitur: eosq; non secundum miseriam, in qua nunc sunt, sed secundum futuram gloriam electos intuetur. Caueat ergo cœnobita aliis detrahere, caueat alios iudicare, si mortem æternam exoptat euadere. *Quis enim es tu, vt seruum alienum diiudices?* Suo domino soli constat iudicandus. Rom. 14.

Vnde affectus ille contemptus sui sumi que at.

Affectus autem huius septimi gradus propter clausulam illam, ex intimo cordis affectu, triplicem radicem originis suæ possidet, veritatis, scilicet spei, & charitatis.

Enimvero videns cœnobita fidelis, quod esse suum à seipso non habeat, se quantum ex se nihil veraciter putat, & ex consequenti eodem respectu opera sua quantum ex se nihil est, nihil considerat, quippe qui nihil fieri ex nihilo non ignorat. Congaudet ergo veritati monachus, qui se & opera sua isto respectu nihil existimat, quia vitium falsitatis timet incurrere, si se magni aliquid crederet esse. Et ideo recedens à semetipso, deficit, & suum esse, viuere, & posse in solo Deo ponit. Secundo, affectus iste ex spe maioris gratiæ acquirendæ oritur, quia cum homo ex humilitate à seipso deficit, ad Dei gratiam propius accedit. Tertio humilitatis huius affectus ex Dei amore sumit exordium, & continuum in illo accipit incremẽtum. Quisquis.n. Deum perfecte diligit, nihil aliud quam eius honorem in omnibus quærit, nec se in aliquo nouit extollere, sed propter Deum omnibus desiderat subiacere. Quanto iste per opprobria & iniurias deprimitur, tanto gaudẽs amplius in domino lætatur. Gaudet se esse miserum: quatenus in se dominum prædicet glorioſum. Qui dominum suum veraciter diligit, nihil aliud quam eius gloriam quærit.

Patet ex his, quæ diximus, quod perfecta charitas quæ ascendentibus per gradus humilitatis promittitur, in hoc septimo exhibetur. Alii enim quinq; gradus in regula sequentes ad perfectionem interioris hominis in septimo existentis nihil adiiciunt, sed exteriorem potius, ne interiorem dissipet componunt. Deniq; ex septimo gradu nouos quosdam ascensus humilitatis possemus erigere, & in eis omnes gradus cæteros altius eleuare. Timor enim filialis feruentior in eo residet. qui latitudinem aliorum amplius perficere potest.

Cognitis iam vsq; ad gradum charitatis ascensionibus cordis, cogitet cœnobita, quo studio, quo conatu, qua perseuerantia in his exercere se debeat, vt ad gradum hunc amoris septimum pertingat.

Qui vero in his gradibus humilitatis non semper conatur proficere, nouerit se in regulam peccare, & nisi conatum sanctum pœnitendo receperit, damnationis sententiam incurrit. Sic enim regula dicit. *Quod si aliquando aliter fecerit, sciat se damnandum ab eo quem irridet.* Nam si mi- cap. 58.

si minus in religione proficiens quisq; reus diuino iudicio creditur, conatum proficiendi deserens quid aliud quam tententiam damnationis susc ipere meretur? Vbi enim de minori profectu etiam inter conantes proficere ratio secundum regulam ponitur, omnem conatum proficiendi contemnentes monachi sine dubio per sententiam iudicis damnantur. Si ergo damnationis periculum non vis incurrere, stude conatum proficiendi regula iugiter custodire.

Quoniam alios quinq; gradus humilitatis ad custodiam interioris hominis pertinere diximus: etiam illos breuiter exponamus. Monachos enim qui mores suos exteriores componere secũdum regulam negligit: non diu compositus in interioribus stabit. Nam sicut corpus vestimentis nudatum corrumpitur, ita humilitas sine moribus euacuatur.

8. Grad. Octauus igitur gradus humilitatis ita in regula ponitur, si nihil agat monachus nisi quod communis cœnobii regula, vel maiorum exempla cohortantur. In hoc gradu singularitas exterioris cõuersationis contra regulam monachis interdicitur, sed interior singularitas maioris charitatis & humilitatis nulli prohibetur. Nemo ergo adinuentiones suas sanctæ regulæ præferat, nemo suas consuetudines exemplis maiorum anteponat, quoniam stare in septimo gradu non sufficit, qui regulam communitatis non custodit.

9. Nonus gradus humilitatis ex regula sequitur, per quem loquacitas nimia prohibetur. Decet enim monachum seruare silentium, maxime dum residet in medio seniorum. Enimuero, qui non interrogatus loquitur, pro fatuo merito habetur.

10. Decimus gradus humilitatis facilitatem risus & leuitatem prohibet, quoniam stultus & alienus à Dei timore conuincitur, quisquis in vsu delectatur.

11. Undecimus gradus humilitatis modestiam & maturitatem monacho præcipit, vt cum opportunitas & licentia loquendi conceditur, cum humilii grauitate sine risu & stomacho loquatur. Sit sermo monachi rarus, breuis, & rationabilis, quia non decet eum inutilia dicere, qui altissimo vult placere.

12. Duodecimus gradus humilitatis docet monachum exteriorem hominem in visu & apparatu ex humili corde componere, & quam deuotus sit interius, etiam exteriori conuersatione demonstrare. Et quamuis gradus iste in ordine omnium sit vltimus, tamen in executione proficere incipientium est primus.

Et ideo Bernardus hos duodecim gradus humilitatis describens ab isto incipit, & ad primum ascendendo (vt ita dixerim) per ordinem descendit. Nemo enim interius facile ad compũctionẽ cordis & Dei timorem proficit, qui mores exterius non componit. *Bern. in tract. de grad. humilit.*

De potentiarum aptatione deuota pro tertiæ regionis ingressu.

ARTICVLVS VI.

QVM ex gradibus humilitatis maxime interioris hominis potentiæ animæ purgatæ fundamentaliter & reformatæ fuerint, iam necessarium valde in monachis dicitur, vt pro ingressu regionis tertiæ deuotius adaptentur. Hæc autem sedulitas conandi ad altiora cœnobitæ, sicut diximus, necessaria est: quoniam, vbi conatus proficiendi deponitur, acquisita virtus omnino dissipatur. Nemo stare in hac regione secunda permittitur: sed omnes ad tertiam per conatum continuum ascendere iubemur. Enimuero hic motus continuus ignauos quosq; & tepidos in primam regionem carnis proiicit, humiles & feruentes desiderio semper ad tertiam sine violentia dulciter impellit.

Quisquis ergo potentiarum suarum reformationem obtinere a Domino per humilitatem meruit, tertiæ regioni spiritus iam proximus existit. qui vt eam ingredi potenter valeat, necesse est quatenus potentias animæ suæ diligentissime aptando singulis operationibus componat. Intellectus autem tunc recte pro ingressu regionis tertiæ aptatus dicitur, quando ad cognoscendam summam veritatem iuxta suam capacitatem illuminatur.

Ad idem memoria componitur, quando ad tenendam fouendamq; summam veritatem plene absorbetur, Voluntas autem,

autem, si ad amandum summum bonum, quod est Deus afficitur, pro ingressu spiritus bene adaptatur.

Vt autem cœnobita potentiarum intellectualium purificationem consequi valeat, necesse est vt moriens mundo ab omni tumultu interiori & exteriori mens pacificata requiescat, quatenus intra sinũ diuini amoris sepulta permaneat, & nunquam ab internæ vnionis dulcedine recedat. Ad hanc requiem mentis quatuor gradibus pertingitur, qui in bona voluntate quatuor modis radicantur.

Gradus ad requiem mentis obtinẽdam.

Primus gradus bonæ voluntatis virtutum ponit exordia, qui dicitur voluntas recta.

Anima enim, quæ legi Dei consentiens Deo per rectam voluntatem subiicitur, etiam si adhuc videatur infirma, ad virtutis tramitem ordinatur. Nam carne repugnante virtus perficitur, & quam recta sit voluntas, ex violentia spiritus probatur. Sæpe tamen voluntas recta & bona dicitur etiam, quæ minus valida inuenitur. Bonum quod diligit non semper potest perficere, malum quod odit per infirmitatem se dolet perpetrasse. Infimæ regioni nimis per infirmitatem carnis est proxima, sed ex rectitudine intentionis & conatus proficiendi ad libertatem spiritus iugiter accensa. *Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio sensum deprimit multa cogitantem.* O quis pugnam hanc inter spiritum & carnem posset describere, vbi spiritus ipse carnem sibi per voluntatem rectam subiugare desiderat, & caro infirma semper per desideria contraria spiritui repugnat?

Sap. 9.

Secundus gradus est voluntas in rectitudine valida, vt & malum quod odit cõtra impetum carnis fortiter fugiat, & bonum quod diligit, licet cum labore agendo, valide comprehendat.

Tertius gradus est voluntas deuota, qua mens dilatato corde viam mandatorum Dei amplectitur, & in eis sicut in omnibus diuitiis delectatur. Enimuero voluntas non diu permanet valida, si in mãdatis Dei non fuerit deuota.

Quartus gradus est voluntas plena, quatenus vires suas omnino diuidat, sed se totam per abnegationem omnium in Deum suum iugiter extendat. Ad hunc gradum tria sunt necessaria, vt bona voluntas in nobis efficiatur plena.

Primum est plenaria suiipsius abnegatio, quoniam voluntas adhuc esse infirma conuincitur, quæ per abnegationem sui omnimodam non mortificatur.

Secundum quod ad plenam voluntatem bonam requiritur, perfecta resignatio perhibetur, quam si quis apprehendere desiderat, tertium humilitatis gradum feruide ascendat.

Tertium membrum ad quartum gradum bonæ voluntatis necessarium, volũtatis in Deum totalis extensio dicitur, per quam anima in diuinum amorẽ admissa & dulciter ardens in eundem quodammodo transmutatur, & in regionem tertiam frequenter admittitur.

Deniq; ista transmutatio in diuinum amorem secundum Bernardi sententiã, *amor*, dilectio, adhæsio, coniunctio, charitas, siue fruitio est, ad quam nemo potest pertingere, nisi qui omnes affectiones suas in feruore spiritus didicit mortificare. Spiritus enim hominis cor sursum habentis in Deum perfecta voluntas dicitur, & cum Deo dulcissimo fœdere vnitur. In his ergo bonæ voluntatis gradibus cœnobita fidelis conatum suum sine intermissione debet sursum dirigere, & quãtum proficiat vel deficiat semper prudẽti studio examinare. Dicit enim S. Bern. *Sicut condemnatus est qui in voluntate vitiosa permanet, ita reprehensibilis est, qui proficere in aliis non studet. Vbi enim proficiendi conatus deponitur, deficiendi periculum subitur.*

Bern. ep. 253.

De prædictorum omnium exemplari atq; experimentali certitudine.

ARTICVLVS VII.

QVamuis homo vtrum amore vel odio dignus sit nesciat, potest tamen vnusquisq; conscientiam suam diligenter discutiendo agnoscere, quid de conditione status sui debeat sentire. Qualis vnusq; sq; intus apud semetipsum lateat, testimonium conscientiæ propriæ manifestat. Vt ergo cœnobita status sui conditionem luculenter possit discernere, tria in sua conscientia secundum Ioannem Castellensem super regulam debet obseruare, sine quibus nemo bonus Christianus efficitur, nemo bonus homo aut monachus iudiciatur.

Vnde cognoscat homo se esse in statu gratiæ.

Primum igitur, quod ad bonum hominem requiritur, est bonæ conscientiæ testimonium, vt nullum videlicet in conscientia mortale lateat peccatum. Mens enim quæ reatu peccati mortalis polluitur, quod malus sit conscientiæ status testificatur. Oportet ergo vt se monachus quisq; diligenter examinet & de culpis suis commissis secundum Ecclesiæ ordinationem sedulo expurget. Qui vero cõscientiam suam examinando mundam à peccato mortali inuenerit, humiles Deo laudes exhibeat, & sequentium examen subiungere non omittat.

Secundum itaq; necessarium ad bonũ hominem est, Deum in omnibus operib. principaliter intendere, & omnia ad eius laudem & honorem pro viribus ordinare. Si vero multitudine & varietate operum impediente Deum homo non semper actualiter præ oculis habere præualet, saltem habitualiter intentionem suam viuendi secundum gratissimam Dei voluntatem huic desiderio conformet.

Tertium, vt in omnibus Deo & sanctę matri Ecclesiæ prælatisq; sibi præpositis obediat, & à rectæ ac illuminatæ rationis tramite non recedat, quoniam quisquis hanc triplicem obedientiam despicit, fidem negauit. Necessarium est igitur parẽ his tribus ordine recto exhibere obedientiam secundum institutum rationis, vt vita monachi sine timore in actionibus suis permaneat irreprehensibilis.

Hæc tria cum humili synceritate possessa bonum hominem efficiunt, & statũ conscientiæ bene sperantis in domino ostendunt. Homo autem cui vnum istorũ defuerit perfecte bonus non est, etiam si bonus esse videatur. Si vero penitens de peccatis suis hæc tria deinceps adimplere proposuerit, iam bonus & Deo gratus efficitur, quantumcunq; malus ante habeatur. Porro, vt ex bono homine bonus religiosus siue spiritualis nascatur, alia tria secundum prædictum Castellensem requiruntur.

Vnde cognoscat se vere religiosum.

Primum, quod ad bonum religiosum faciendum requiritur est, vt puritas cordis ab omni æmulatione seu incitatione carnis per disciplinæ studium expurgetur. Hæc autem puritas nunquam melius acquiritur, quam si mundus cum omnibus rebus contemnatur.

Secundum, per quod bonus homo bonus religiosus efficitur, libertas in Deo spiritualis nuncupatur. Hæc rerum omnium phantasmatibus exclusis se in omnibus exercitiis suis expeditam sursum in Deum potest erigere, & in gratiarum actione cum deuotis orationibus sine impedimento iugiter eleuare.

Tertio modo bonus homo, spiritualis bonus efficitur: quando per amoris desiderium spiritus cum Deo certis gradibus vnitur. Duo ista vltima cœnobitam nostrum spiritualem faciunt, & ad ciues regionis tertiæ sæpius introducunt. Quicũ que ergo de conscientiæ suæ testimonio bene cupit confidere, se in prædictis humiliter studeat exercere, quia nunquam prudenter de securitate præsumitur, cũ periculum non vitatur. Et quid tam periculosum, quam semper in negligentiis & peccatis viuere, & commissos errores nolle emendare? Iustorum confidentia ex testimonio bonæ conscientiæ orta semper est optima, & Deo in humili seruitute iugiter subiecta. Sed impii & peccatores sæuis actionibus perturbati contra Deum se erigunt, & de conscientiæ testimonio non confidunt, sed inaniter potius præsumunt.

Sequuntur septem radices diuini timoris, quæ in primo gradu humilitatis fundamentaliter ponuntur.

CVm hæc secunda regio cœnobitam per gradus humilitatis ex timore dei procedentes per ordinem principaliter instituat, necessarium est illi radices ipsius timoris luculenter agnoscere, si velit ad amorem Dei ascendendo peruenire. Vt ergo domum hãc spiritualem ad perfectum possimus construere: radices ipsas per ordinem debemus in fundamento collocare. Eas autem in primo gradu humilitatis ideo non digessimus, ne ordinem dicendorum nimia prolixitate confunderemus. Sunt ergo timoris Dei septem radices per quas cœnobita ad compunctionem inducitur, & in vera humilitate proficiendo fortius radicatur.

RADIX I.

Diuini timoris. Radix 1.

PRima radix timoris & amoris Dei, est intenta meditatio incõprehensibilis diuinæ maiestatis, q̃ tãto minus cõprehendit, quanto

quanto ab homine curiosius inuestigatur. Dicit enim propheta. *Vere tu es Deus absconditus.* Hæc meditatio diuinæ perfectionis admirationem generat, admiratio reuerentiam causat, ex reuerentia timor maiestatis oritur, & ex timore cultus procreatur. Meditatio vero summæ bonitatis in septem conditiones secundum propositum nostrum diuiditur, quæ septem diebus hebdomadæ vel etiam septē horis canonicis congrue coaptantur. Et quamuis summa illa & perfectissima bonitas nobis ad meditationis materiam abundanter sufficiat, quia tamen paucorū est ad inuisibilia sine visibilibus posse cōscendere, volumus per cognita mentes infirmorum ad incognita eleuare. Dicit enim S. Apost. *Inuisibilia Dei à creatura mūdi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoq; eius virtus & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles.*

Esa. 45.

Rom. 1

Primo igitur mira virtutis Dei potētia laudabilis est in principali opere creationis, quippe qui omnia ex nihilo producere potuit, & tam magna, tā solida, tā varia & nobilia sola voluntate creauit. Ex hac consideratione admiratio diuinæ virtutis oritur, per quam homo ad timorem Dei prouocatur.

Secundo prouida Dei sapientia laudabilis est, quoniam vniuersa sciēs ordinat, & omnia quæ creauit per suam prouidētiam gubernat. Omnia nouit, omnia intelligit, suo consilio omnia disponit, omnia suo imperio concludit. Nam, vt dixit quidam amator sapientiæ mundi, *Deus sphæra est, cuius centrum vbiq; est, & circumferentia nusquam.* Intra omnia est, nec includitur: extra omnia est & non excluditur, infra omnia est, nec opprimitur, supra omnia est & nō portatur. Ipse omnia includit, qui vbiq; totus cum sit, nullo in loco concluditur, magnus & immensus, nulla quantitate terminatur Ipse omnia, sicut vult, ordinat, in se stabilis semper & immobilis rerum vicissitudines mutat, bonis æterna præmia sine passione animi misericorditer parat, iniustos sine perturbatione iratus damnat. Magnus sine magnitudine: immensus sine quantitate, terminum rebus posuit, gubernans mūdum omnia disponit.

Tertio misericors Dei clementia in nostra redemptione laudabiliter est qui quem hominem ad imaginem suam cōdidit, tam misere lapsum in foueā damnationis tam misericorditer restaurauit. O quid retribuam summæ & incomprehensibili maiestati? vermiculus sum ego, imo nihil factori meo comparatus: qui me, cum non essem, sua virtute condidit: cum periissem per me factus homo moriens in cruce redemit? Quid tibi rependam mediator Dei & hominum Iesu mundi saluator: qui cum sis Deus excelsus & inæstimabilis homo factus pro me vilissimo tam vilia & indigna subire voluisti? Ecce cor meum tibi loquitur, tibi omnia viscera mea inclinantur; quoniam vox nulla potest exprimere, quę de passione tua innocentissima fidelibus tuis intus in corde das sentire.

Quarto in opere iustificationis nostrę benigna Dei patiētia laudabilis est, quoniam peccatores nō solum misericorditer tolerat, sed etiam iustificandos ad pœnitentiam promissis æternis gaudiis vocat. Quis hāc indulgentissimi patris clementiam laudare sufficeret: qui reuertētes ad se peccatores tam misericorditer iustificat, gratiam promerendi post lapsū donat, occasiones bene viuendi multiplices ordinat, sacramenta sua quasi quędam vasa gratiæ pœnitentibus subministrat. Deniq; ad compunctionem, eruditionem, consolationem, & gratiarum actionem spiritum sanctum suis infundit fidelibus, amicos & filios faciens de inimicis. Non aduertit, qualis peccator antea fuerit, solum, vt deinceps sibi fidelis permaneat, quærit. Magna diuinæ miserationis elementia, quæ pœnitentes tam misericorditer adveniam suscipit, quibus etiam post culpam magna præmia promittit.

Quinto profunda Dei iustitia in damnatione reproborum laudabilis est, quia nullum malum impunitum transire patitur, priuans peccatorem bono, quod amittere peccando stultus non veretur. Deniq;, vt nostro more loquamur, summa Dei munditia in hoc laudabilis ostenditur, quæ omne peccatum & vitium tāquā cadauer putridum abominatur. Sapientiam quoq; eius in damnatione impiorum laudabilem esse agnouimus, quæ bona de malis eliciens sibi eos seruire cōpellit in pœna, qui contra iustitiam peccantes subesse nolebant in culpa.

Sexto larga Dei munificentia laudabilis

bilis est in beatorum glorificatione, quoniam p merito paruo electos suos tam in effabili mercede remunerat, tāq; immortali cum angelis sanctis munere donat.

Septimo incomprehensibilis Dei excellentia in seipsa laudabilis est, quæ omnia secundum prouidentiam suam ordinat, & in se quietissima semper sine motu vel tempore immobilis perseuerat. Huius cōsiderationis septimæ ispeculatio ad sabbathum æternæ fælicitatis pertinet: in quo iam non laboriosæ conuersationis operatio, sed felix æternæ mansionis & quietis beatitudo. Enimuero sicut Deus creator omnium die septimo omne opus suum perfeciſſe ac quieuisse legitur, sic non opus, sed quies æterna in cælesti sabbatho iustis imponetur. Nos ergo, si peruenire ad cælestes illas mansiones fæliciter cupimus, in Deo solo quiescamus, in quo rationalis creatura quiescendo perficitur, perfecta per amoris adhesionem cum Domino ineffabili vnione & gaudio lætatur. Iam ad laudandum Deum nihil deinceps extra Deum pura quærat deuotio, quoniam Deus ipse omnipotens perfectus ac sapienrissimus pro materia suæ laudis omnibus sufficit, omnem que laudem infinitis perfectionibus excedit. Dicit enim scriptura. *Laudate Dominum quantum potestatis superualebit adhuc. Maior enim est omni laude,* & ideo potius in se & propter se, quam ex creaturis à nobis humilime est laudandus. Eccl. 43.

Ex prædictis cōsiderationibus de deo multiplex & varius deuotionis affectus oritur, per quam etiam orationis dignior effectus secundum affectionis desiderium generatur. Cum enim de maiestate Dei vel potentia meditatio cordis assumitur, admiratio reuerenda procreatur. Cum vero de inenarrabili sapientia eius meditari incipimus, de stulta imperfectione nostra confusi nosipsos accusamus. Sic consequenter ex consideratione misericordiæ Dei spes veniæ suscipitur, de patientia eius amor cordis generatur: ex iustitia humiliatio: ex meditatione munificentiæ gratitudo. Quemadmodū enim secundum qualitatem lignorum ignis accensus in magnitudine proficit, ita secūdum varias de Deo meditationes ardor deuotionis in orationibus Deum amantibus exurgit.

De meditatione operis nostræ reparationis in passione domini nostri Iesu Christi. II

RADIX II. *Radix 2. Timoris.*

SEcunda radix timoris & amoris Dei in meditatione redemptionis nostrę ponitur, quæ in vita, moribus, doctrina & passione domini nostri Iesu Christi per exercitii sedulitatem generatur. Inter omnes meditationes hanc nobis esse vtiliorem credimus, in qua contineri salutem nostram, & æternæ felicitatis summam scimus. Et nota quod passio domini quātum ad processum fuit iniusta, quantum ad modum ignominiosa, quantum ad dolorem acerba, & quantum ad effectum fructuosa, & ideo in memoria semper est habenda. *Meditatio passionis Christi.*

Primo, quantum ad processum fuit iniusta, quia de virgine natus, nec contraxit peccatum, nec fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Mors enim pro peccato nobis infligitur, sed iuste mori non potuit, qui sine omni peccato semper iustus & innocens fuit. Deniq; contra legem humanam occiditur, si mortis sententia in hominem, nec confessum, nec conuictum de crimine feratur. De tribus enim accusatus coram Pilato saluator, quod se regem appellans tributum interdiceret Cæsari, tertio, quod filium se faceret dei, de primis duobus euangelium loquitur, & accusatio falsa demonstratur. De primo enim constabat manifeste contrarium, cum regnum suum Christus diceret non esse terrenum. Falsitas quoq; secundi Pilatum non latuit: qui dandaCæsari, quæ fuerant Cæsaris Iesum præcepisse non ignorauit. De tertio interrogatus à præside, tacuit, quia Pilatus audire diuinam generationem Iesu, siue etiam humanam natiuitatē indignus fuit. Passio eius etiam contra consuetudinem extitit, quia nullam dilationem temporis accepit. In carcerem ex consuetudine non ponitur, nihil in eius causa deliberatur, sed captus mox ad iudicem morti subiiciendus trahitur, flagellatus, cōsputus, & multis affectus iniuriis, plagis & irrisionibus in cruce conclauatur. Tertio fuit legi naturæ contraria, & ex obstinato cordis odio procurata. * Matt. 22 Ioan. 18.

Vetat enim natura sæuire in mortuum, & horret nouis plagis corpus lace-

lacerare occisum. Mortuus namq; in cruce redemptor noster lancea transfigitur, & contra legem naturæ defunctus ab impiis vulneratur.

Secundo passio Christi quantum admodum ignominiosa fuisse dicitur, propter sex causas, quæ sequuntur. Primo propter exile precium, quoniam sanguis incomparabilis precii pro triginta argenteis à discipulo venditur, pro quibus asellum suum vendere nemo dignaretur. Secundo propter ignominiosum officium, quia vulneribus plenus crucem suã portare semimortuus compellitur, quod de nullo factum latrone inuenitur. Tertio propter indignitatem loci, quoniam extra ciuitatem in loco caluariæ crucifigitur, vbi latrones & scelerati homicidæ pro suis demeritis puniuntur. Quarto propter ignominiosum supplicium, quoniam in cruce nudus suspenditur, quæ pœna solis latronibus & sceleratis hominibus debetur. Enimvero, sicut scriptura dicit, morte turpissima condemnatus mundi redemptor fuit. Quinto propter ignominiosum ludibrium, quoniam coram omni multitudine nudus in cruce suspenditur, & tanquam fatuus & insanus ab omnibus blasphematur. De quo psalmista dicit. *Tota die verecundia mea contra me est.* Sexto ignominiosum consortium, quia cum sceleratis deputatus in medio suspenditur latronum. Quid nunc agis ô anima Christiana? Ecce saluator tuus inter latrones medius suspenditur, & tu prima residere in concilio non formidas?

Sap. 2.

Psal. 43.

Tertio sanctissima Christi passio, quãtum ad dolorem acerbissima extitit, propter septem rationes. Primo propter carnis eius delicatam viuacitatem, quæ in complexione naturali fuit optima, & ideo in dolorum perpessione grauius afflicta. Plus enim dolet caro delicata, quam naturali conditione grossa. Cum ergo caro Christi subtilis & delicata fuerit, sudorem in horto sanguineum emisit. Secundo propter qualitatem occidentiũ, quia nõ ab extraneis Christus occiditur, sed à suis propriis consanguineis & proximis, sicut antea per prophetam cõquerebatur. *Popule meus, quid feci tibi?* Tolerabilius enim quis ab extraneis & inimicis quam à suis patitur: cui saltem amici ex sanguinis vicinitate compatiuntur. Tertio propter passionis acerbitatem: quoniam in illis locis affligitur, in quibus dolor propter neruos amplius sentitur. Eleuatus namq; in cruce manibus & pedib. configitur, felle & hysopo sitiens vniuersorum dominus potatur. Dicit enim de eo psalmista. *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea.* Quis dolorem sanctissimi cordis tui ô bone Iesu mente posset concipere? quando claui durissimi manus & pedes tuos tam crudeliter cæperunt perforare? Utinam se anima mea gratam tibi semper exhibeat, vtinam recordatio sanctissimæ passionis tuæ à memoria mea non recedat. Facile orationũ mearum effectum à te potero consequi, si me in exercitio passionis tuæ sine intermissione contigerit oblectari. Sentiat vnusquisq; quod potest, ego omnibus exercitiis memoriam passionis tuæ præfero, per quam me, quicquid saluti congruit, accepturum in orationibus confido. Quarto propter diuturnitatem passio Christi acerbissima extitit, quoniam ab hora captiuitatis suæ vsque ad mortem semper in acerbissimo cruciatu fuit. *Toto die,* inquit, *contristatus ingrediebar, & non est sanitas in carne mea.* Quinto propter generalitatem passionis, quoniam in quibuscunq; pati Christus potuit, passus singulariter fuit. In fama namq; patitur, qui falso accusatus ab impiis blasphematur. In rebus quoque passus est, quia nudus & expoliatus in ligno suspenditur: cuius vestimenta per sortem inter milites diuiduntur. In anima patitur, quia passionis acerbitatem præsentiens vsq; ad morte tristabatur. In toto corpore passus est, quoniam à planta pedis vsq; ad verticem capitis nulla in eo sanitas fuit. In amicis patitur, quia à discipulo traditur, & desertus ab omnib. etiam à Petro publice negatur. In compassione quoq; matris affligitur, cuius sanctissimam animam doloris gladius pertransisse memoratur. Ex ingratitudine multorum passus est: quia mortem, quam omnibus compatiendo sustinuit, perditam in multis reprobis præsciuit, Deniq; in omnibus sensibus passus est, sicut ex euangelio docemur. In oculis patitur, qui multis lachrymis effusis panniculo velantur.

Psalm. 21

Thren. 1.

Passio Christi cur acerbissima.

In auditu patitur: cum multis iniuriis & contumeliis irrisus blasphematur. In

olfactu patitur, quoniam fœdis iudeorum sputis deturpatur. In tactu patitur, quoniam in omnibus membris corporis torquetur. In gustu patitur: quia sitiens felle & aceto potatur. Sexto propter passionis causalitatem, quæ sola fuit Iudeorum inuidia: cum omnino pateretur sine culpa. Enimuero quisquis iniuste patitur, per amplius in animo torquetur. Innocens autem Dei filius pro nostris peccatis moritur: pro nostris sceleribus torquetur, sicut in Esaia legitur. *Vere languores nostros ipse tulit.* Septimo propter omnis consolationis inopiam, quoniam nullum Christus in passione sua reperit consolantem. Dicit enim in psalmo. *Elongasti à me amicũ & proximum, & notos meos à miseria.* Enimuero noti eius à longe steteruut.

Esa. 53.

Psalm. 87

Quarto passio Christi, quantum ad effectum fuit fructuosa, quæ in tribus principaliter est considerandа. Primo enim facta est peccatorum remissio, secũdo, gratiæ collatio: tertio, gloriæ exhibitio. Et tria titulus cruci affixus indicat, qui, vt Euangelista dicit, causam passionis Iesu cõtinebat. *Iesus, Nazarenus, Rex Iudeorum.* Nã *Iesus*, peccatores saluans, quo ad primum: *Nazarenus*, florem gratiæ conferens, quo ad secundum: *Rex Iudeorum*, se confitentibus regnum exhibens cæleste, quo ad tertium.

Ioan. 19

Cæterum in hac radice secunda meditationes de passione domini ad singulas horas septem dierum hebdomadæ ordinauimus, quas post finem tertiæ regionis idcirco posuimus. Nam quæ nunc digessimus, potius ad lectionem, quam ad meditationem pertinere cernimus, & ideo illas postergamus.

De meditatione beneficiorum Dei.

Radix 3. Timoris diuini.

RADIX III.

TErtia radix diuini timoris & amoris meditatione Dei beneficiorum figitur, per quam ad deuotionis gratiam venitur. Enimuero principium deuotionis in meditatione beneficiorum Dei ponitur, ex quorum memoria dilectio generatur. Medium vero tanquam in ipsa meditatione progressus, nihil aliud quã Deo placere super omnia desiderat, à quo se in multis præuentum beneficiis sine merito non ignorat. Finis autem Deum flagranti desiderio super omnia puro mentis feruore diligit, illiq; soli iugiter adhærere sine medio concupiscit. Et quamuis misericors Deus vnicuiq; nostrum specialiter multa contulerit: quia tamen non vni, sed multis hæc nostra synthemata scribimus, non particularia singulis, sed generalia omnibus collocata beneficia producere breuiter debemus. Sub numero ergo septenario potiora cõprehendimus, vt per septem dies hebdomadæ vel etiam in ipsis horis canonicis materiam quotidie meditandi in promptu habeamus. Si quis autem in altioribus per eleuationem mentis in Deum iam habitat, ista tanquam nouitiis proposita non requirat. Qui vero propter infirmitatem mentis suæ ad supremum illũ verticem theoriæ non valet ascendere, studeat se in istis meditationibus beneficiorum Dei feruentius exercere, quatenus, dum humiliora diligenter continuat, ad altiora purgatus fortior ascendat. Meminerit ergo cænobita deuotus quid à domino Deo acceperit, vt se gratum exhibere possit. Reddat Deo, quod accepit, si bonus esse concupiscit.

Dedit enim nobis Deus, primo corpus & animam cum ornamentis suis, & quos ad imaginem suam intellectuales condidit, etiam ad regna cælestia misericorditer vocauit. Quid nobis donare amplius potuit, qui creatis nobis cum non essemus, semetipsum dedit? Sed quid conditori nostro reddere possumus, qui ex nostro merito peccatores & infirmi sumus? Reddamus quod sumus, reddamus quod debemus, fidelem scilicet seruitutem pro corpore, quod à Domino accepimus, & synceram dilectionem p anima, qua ad imaginem Dei creati sumus.

Sic enim propheta nos admonet in psalmo. *Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Seruite fideliter, diligite reuerenter. Ex parte corporis fidele creatori vestro seruitium impendite, ipsumque ex parte animæ totis viribus amate. Seruite illi, quod potens & magnus est dominus, diligite quod bonus. Potentia eius in creatione vestra ostenditur, bonitas in reparatione declaratur. Quoniam vos cum non essetis creauit per suam

Psalm. 2.

poten-

potentiam, fidele meretur seruitium, reparauit lapsos per suam bonitatem, synceræ meretur dilectionis affectum. Enimuero pater noster est per amorem, dominus est per incomprehensibilem potestatem.

Secundo fidem nobis dedit cum sacramentis, quoniam sicut nos sine voluntate nostra condidit, ita ad fidem sine nostro merito vocauit. Dicit enim ad suos discipulos in sancto Euãgelio Christus. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Per fidem ad suum anima principium Christiana reducitur, sacramentis renouatur, Christo igitur incorporati per fidem & sacramenta quæ dedit perpetuam adhæsionem tenemur impendere, & in eius sancto fœdere iugiter permanere. Nã in baptismo diabolo & omnibus pompis eius renunciauimus, perpetuo nos adhæsuros Christo promisimus, leuantes nos de sacro fonte pro nobis fideiussores coram domino in fide parentũ constituentes. Dicamus ergo semper ex corde cum propheta. *Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in domino Deo spem meam.*

Ioan. 15.

Psal. 72.

Tertio dedit nobis omnipotens Deus artificium rectitudinis, & documẽta veritatis. Pro his tenemur creatori nostro fidelem executionem, & perpetuam sine fraude seruitutem. Iubemur ergo in primis omnia ad laudem Dei facere, & in omnibus, quæ facimus, intentionem nostram ad ipsius honorem principaliter eleuare. Sola enim intẽtio bona in Deum discernit opera, solus amor facit fructuosa. Ecce naturæ nobis artificium ad laudandum se dominus contulit, documenta insuper salutis per legem dedit, laudem à nobis & amorem super omnia requirit. Exerceamus ergo ad honorem Dei collatum nobis artificium, & fiet intentionis purus oculus per legis documentum.

Quarto, nobis misericors pater mundum cum elementis necessariis contulit, pro quibus syneeram à nobis speculationem sui debitam requirit. Quicquid in hoc mundo cernimus ad memoriã Dei nos debet inducere, & ad suum creatorem super omnia diligendum iugiter prouocare. Hinc dicit exercitatus in sacris Bernardus. *Integer & Dei verus amator quocunque se vertit admonitionem habet familiarem sui creatoris, rebusque pro speculo vtitur: & à creaturis ad creatorem sic cogitans eleuatur.* De singulis enim dicit. Si ista bona pulchra & dulcia videntur quæ creata cum tempore mutantur & transeunt, quid bonitatis pulchritudinis & dulcedinis habet auctor ipsorum Deus inæternum manens qui sibi his incomparabiliter meliora reseruauit? Hac consideratione rerum homo deuotus omnes homines simplici oculo mentis, quasi Dei imaginis similitudinem respicit, & corporis formam placentem vel displicentem in eis curiose non attendit. Considerat enim in homine, non quid videt exterius, sed creatoris imaginem, quam fælicitatis æternæ nouit esse consortem.

Quinto, Dei filius semetipsum in tormentis pro nobis obtulit, perditosq; nos de interitu mortis perpetuæ suo sanguine redemit. Huic saluatoris nostri charitati beniuolam imitationem iubemur impendere, si ad eius regnum cupimus peruenire. Dicit enim princeps Apostolorum fidelibus. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* 1. Pet. 2.

Quid retribuam, tibi ô bone Iesu, pro tuis in me beneficiis tam magnis tamque immensis? Compatiar corde, compatiar opere, imitabor te affectionibus mentis pro mea possibilitate.

Sexto, tempus promerendi vitam æternam creator nobis contulit, corporisque necessaria nutrimenta dedit. His etiam nobismetipsis debitores existimus, qui meritorum nobis acquisitionem in hoc tempore debemus. Cur ergo dies salutis tam negligenter, & sine fructu meritorum expendimus, qui tempore precioſius nil habemus? Ecce sub breui nunc tempore æternæ fælicitatis gaudia promereri possumus, & omnes operari, quod bonum est, dissimulamus.

Væ nobis stultis & insanis, qui nihil in hoc mundo precioſius tempore accepimus, & tamen nihil vilius expendere solemus. Nunc enim tempus aeceptabile nobis conceditur, nunc dies salutis indulgentur, in quibus operibus sanctis cum maximo feruore debemus insistere, & mortis horam semper præuidere.

Septimo, cælum nobis Deus omnibus

refertum gaudiis proposuit, & semetipsum cum omnibus in eo contentis in præmium promisit. Pro hac munificentia saluatoris nostri sanctis misericordiæ operibus debemus insistere, & nos imitatores Dei pro viribus exhibere. Ad hoc nos hortatur in sacris Euangeliis dominus. *Estote misericordes, sicut & pater vester Deus misericors est.* In fine quoque mundi cum dies iudicii aduenerit, misericordes ipso domino promittente ibũt in vitam æternam, quoniam, qui misericordiam fecerit, misericordiam consequetur. Et ne quis mihi dicat ex monachis, misericordiam nulli possum impendere, cum me religio nihil omnino permittat possidere: nouerimus inter opera misericordiæ necessaria, spiritualia esse potiora. Si monachus vis esse misericors, Deum ora pro miseris, salutarem impende doctrinam imperitis.

Luc.6. Mat. 25. Iac.2.

Summa igitur meditationis beneficiorum Dei tribus exercitiis innititur, in quibus principaliter tota continetur. In primo quidem omnia Deo, non nobis debemus attribuere, in secundo nosmetipsos memorando Dei beneficia in amoris studio exercere, in tertio semper de perceptis beneficiis ex puro corde gratias agere. Si autem istis beneficiorum exercitiis cor nostrum ad Dei amorem volumus accendere, sex conditiones in ipsis donis domini debemus considerare. Primo considera, quod donum DEI penitus est nobile: secundo, quoniam tibi maxime fructuosum & vtile: tertio, quia varium, multiplex, & crebrius iteratum. Et hæc tria donum in se ordinatum considerant: duo quæ sequuntur dantis personam respiciunt: vltimum, conditionem notat accipientis: quarto itaque considera magnam donantis in te affectionem: quinto, inæstimabilem eius dignitatem: sexto, quod accipiens tu magna à maximo vilis es & contemptibilis: & ad omnia indignus. Ex his considerationibus beneficiorum amor DEI in mente hominis deuoti consueuit exurgere: & certis gradibus proficiens spiritum ad theoriam eleuare.

De cognitione suiipsius.

RADIX. IIII.

RADIX IV. Timoris diuini.

QVARTA radix diuinum producens timorem cognitio suiipsius dicitur: vtilis valde, si ad præcedentes referatur. Enimuero, si quanta nobis tantillis dominus tantus fecerit ad mentem considerando reducimus: quam simus indigni, viles, & prorsus immeriti ad omnia cognoscemus. Ad cognitionem vero sui hominem quatuor debent inducere: ex quorum consideratione nos Deum maxime conuenit amare.

Primo igitur consideret homo fidelis creationis suæ principium: & inueniet se, cum non esset, ex sola Dei bonitate creatum. Quis Deum rogare potuit, quando nemo fuit? Summum illud penitusque ineffabile bonum te ad imaginem suam, ô homo, cum non esses, condidit: suæ bonitatis te participem ex sola bonitate fecit. Quid meruisti, quando non fuisti? Aut quid conditio tua omnipotenti Deo commodi afferre potuit, qui semper incommutabilis subsistens in se nullum accidens admittit? Nihil Deo nouum: nihil summo & incommutabili bono potest esse antiquum. Semper est, quod esse potest: quia nec optimus melior, nec maximus fit maior. Creauit te sua bonitate Deus, non quod tua conditio ei fuerit necessaria, sed tibi soli commodosa. Qui hanc Dei bonitatem intenta meditatione considerat, suum creatorem merito laudat.

Secundo, ne erigaris in superbiam homo conditionis tuæ vilitatem considera: quoniam de limo terræ factus es: & post paululum per vermes consumptus in terræ puluerem reuerteris. Quid ergo superbis terra & cinis? Habet tua conceptio culpam, natiuitas miseriam, vita pœnam, resolutio mortis angustiam. *Homo enim natus de muliere breui viuens tempore repletur multis miseriis:* & tunc maxime miser est: cum se miserum in carne non agnoscit.

Iob.14.

Tertio considera tuæ conceptionis originem: & inuenies animam tuam fœda peccati originalis turpitudine maculatam. Omnes enim filii iræ nascimur, sed gratiam baptismatis in sanguine CHRISTI IESV consequentes ab originali macula emundamur. Merito saluatorem nostrum per hanc considerationem diligimus: cuius misericordia

dia ab originali macula mundati sumus.

Quarto considera fidelis anima, quẽ admodum nimis sis facta vilis iterãs vias tuas in actu peccati, quoniam te Christo sponso tuo exhibuisti adulteram, cum sibi te copulauerit per suum sanguinẽ penitus immaculatum. Quid facis ô misera? Cur sponsum tuum amantissimum deseris, aut quare à tuo principio fatua recedis? In carne positam te noueris: nõ vt vitiis & concupiscentiis eius consentias, sed potius per rationis imperiũ resistas. Quotiens enim motibus carnis inordinatis & diuinæ rectitudini cõtrariis tuum cõsensum, vt ita dixerim, dissimulando tradideris, totiens auersa a summo bono, tuoq; sponso te adulteram ostendis. Caue caue, ô anima Christi sanguine redempta, ne te carnis amor decipiat, quoniam sicut primus homo deceptus amore sociæ mulieris in mortem cecidit, sic quilibet animus carnis suæ voluptatibus cõsentiẽs à suo principio, quod Deus est, turpiter recedit. Sed heu misera, quomodo cecidisti? Habitasti in terra aliena: coinquinata es cum mortuis, deputata es cum descendentibus in infernum. Dereliquisti fontem sapientiæ, conuersa es retrorsum, adulterium commisisti. Sed meum audi consilium, & adducẽ pubertatis tuæ Iesum quantocius reuertere, te totam illi humiliter submitte. Misericors est, te reuertentem ad se libenter suscipiet, vitia remittet, & amoris sui gratiam, si petieris, impendet. Sed oportet te ab affectionibus carnis tuæ recedere, si ad conspectum saluatoris tui desideras peruenire. Ergo si conuerteris ad Iesum, in veritate conuertere: quia non potest nisi verum summa veritas amare.

Est & alius cognitionis propriæ modus, qui Dei respectu assumitur, quotiens inter Deum & hominem comparatio incomparabilis cogitatur. De hoc modo clarus incõtemplatione dicit Bernard. *Nunquam se melius deprehendit modus imperfectionis humanæ, quam in lumine vultus Dei & speculo visionis diuinæ.* Ibi enim qui plus est in die & plus videns quid sibi deest, emendat in dies similitudine, quicquid deliquit dissimilitudine, appropinquans & similitudine, à quo longe factus est per dissimilitudinem. Erigamus ergo mentis aciem ad superlucidũ diuinæ perfectionis speculum, nostrum illi bono incommutabili submittamus affectum, quatenus in Dei sapientia nostram insipientiam possimus deprehendere, & in eius potentia nostram infirmitatem considerare.

De peccatorum suorum habenda memoria.

RADIX V.

Radix 5. Timoris diuini.

QVINTA radix timoris DEI est peccatorum memoria, & fœditas ipsa peccati sæpius cogitata. Enimuero, qui turpitudinem peccati mortalis veraciter intelligit, semper mali huius foueam pertimescit. Vt autem grauitatem peccati aliquo modo possis agnoscere, septem quæ sequuntur, debes cogitare.

Primo igitur considera pulchritudinem iustitię Dei, cui peccatum est omnino contrarium, & ideo maxime fugiendum. anima enim per peccatum à summo bono penitus auertitur: & amor, qui naturaliter ineſt ei ad suum principium, in odium cõmutatur. Nam, sicut omnia bona sunt à primo bono, sic omnis amor ad quodcunq; bonum feratur, accensus est naturaliter ab eodem. Amor enim noster, cum in nullis bonis velut in fine quiescere possit, pro fine, vbi sit quieturus, habet idem bonum, quod habuit & principium. Quotiescunque ergo peccatum contra pulchritudinem iustitiæ Dei cõmittitur, à suo principio animus separatur. Deus enim, cum sit charitas, amorem in anima exigit, pax pacem requirit, simile diligit, dissimile odit.

Secundo enormitatem peccati considera, & quantum Deo displiceat eius fœditas, sedulo pensa. Ecce propter superbiam nobilissimum angelum Luciferum Deus iustus de cœlo expulit, & cum suis complicibus æterni ignis incendio damnauit. Primos quoq; nostros parentes Adam & Euam de paradyso propter inobedientiam exire compulit, totumq; genus humanum in eorum scelere mortis sententia duplicis iusto iudicio condemnauit. Deniq; reuoluamus totã veteris & noui testamenti historiã, & inueniemus à Dei iustitia sæpe grauiter punitum, quod contra eam temere constabat perpetratum. Cognoscitur ergo facile grauitas sceleris, si districtio cogitetur subsecutæ vltionis.

Tertio

Tertio considera, quam graue de peccato scandalum oritur : maxime dum coram aliis peccatur. Qui enim exemplo suo malo aliquem ad peccandum prouocat, aduersarium se DEI manifestat. Nam Deus animas sanguine vnigeniti sui redemptas, saluare per suam voluntatem ex misericordia dispositit: quas iste perdere per malum exemplum ex auersione Dei concupiscit. Peccatum vero scandali, quo ad culpam, hac ratione grauissimum dicitur: quoniam, sicut diximus, Deo aduersatur. Quod si is, qui occasionem damni dat, damnum dedisse putandus est, tot se peccator mortis sententiis damnandum subiicit, quot homines suo exemplo malo cadere in mortale crimen fecit. Dicit enim in sancto Euangelio Christus. *Væ homini per quem scandalum venit.* Et iterum dicit. *Qui scandalizauerit vnum de his pusillis in* Matt. 18. me credentibus, expedit ei, vt mola asinaria suspendatur in collo eius, & demergatur in profundum maris. Rara est scandalizantis pusillos vera pœnitentia: quoniam cum damnum alienum restituere negligit, ad fructum salutaris pœnitentiæ minime pertingit.

Quarto negligentiam ingrati cordis tui considera, quoniam qui creatus ad imaginem Dei factorem tuum amare super omnia debueras: tuis eum peccatis multipliciter inhonoras. Christo Dei filio, cuius sanguine redemptus es continuum amoris seruitium deberes impendere, sed plus carnem, quam saluatorem tuum Iesum, non metuis amare. Sanctissimam denique passionem eius animo compatiente quotidie deberes in mente reuoluere: & tu nihil minus quam illam soles cogitare. Inter filios Dei per solam misericordiam adoptatus dignum te vocatione superna exhibere imitatorem debueras : & adhuc iacere in infimis per desidiam non formidas. Et quid multa dico? Ecce qui sancto insignitus spiritu, cum angelis reputatus es, vocaris ad hæreditatem filiorum Dei : ab omnibus sanctis inuitaris ad epulas paradysi: corpori & sanguini saluatoris nostri Iesu Christi quotidie participas : & tamen mandata Dei & regulę, quæ promisisti, vt beatus esses, non obseruas. Examina ergo conscientiam tuam diligenter, & inuenies, quia multa deberes facere bona, quæ omittis: pluraque admittere mala, quæ contra Dei beneplacitum committis.

Quinto considera, quem peccando offenderis : quia non hominem sed Deum, non creaturam, sed creatorem. Magnus est cui peccasti & immensus, terribilis & glorioſus, cuius maiestatem tremunt angeli, cuius virtutem mirantur omnia numina cæli. Summo quidem & incommutabili bono Deo omnis creaturæ principio & fini, spiritus rationalis amorem & desiderium adhæsionis supra intellectum humanum debet impendere: seque totum ad illud veracitet vnum tanquam ad suum centrum omnibus phantasmatibus contemptis altius eleuare: ad quod tanto se potest facilius erigere: quanto cætera omnia relinquens, semetipsum sibi studuerit vnire. Virtute enim ipsius vnius vbique fit vnio: nec aliam ob causam similiora inuicem facilius vniuntur : quam quod in qualitate sunt vnum. Animus ergo cum ipso principio rerum vno tunc demum vniri rectissime dicitur: quando ipse potissimum in se vnum factus ab omni multitudine separatur: atque supra omnem imaginationem, rationem, & intelligentiam, sola, euadit sua vnitas fruens per amatorium affectum vnitate Dei; centrum suum, vt ita dixerim, copulans cum centro vniuersi. Cum autem animus ipse humanus suo quasi coniugio carnis male compatiens ad passiones quaslibet animales conuertitur: iam vnitas ipsa in multitudinem vni soli contrariam male commutatur, efficiturque tanto remotus à suo principio : quanto fuerit diuisus à semetipso. Magnam denique reuertendi ad vnum illud ineffabile diuinum, difficultatem animus ipse contrahit: quotiens semetipso confuso in peccatum apostasiæ cadit. Cogita nunc, quam magnus & ineffabilis sit, contra cuius honorem peccatum committitur : & cum magnitudinem maiestatis eius penitus non valeas intelligere: eius potentiam discе humiliter timere.

Sexto quid amiseris peccando considera : quatenus cognita magnitudo damni pœnitentiam acceleret: & perditum per lachrymas restauret. Quid ergo miser amisisti peccando? Audi quid amiseris. Similis Deo factus per gratiam, angelorum

gelorum ſocius, membrum Chriſti, & hæres æternæ fœlicitatis electus fueras, viuere & gaudere ſine fine in bonis domini cum omnibus ſanctis debuiſti, ſed quid factum eſt te peccante? *Comparatus es iumentis inſipientibus, & ſimilis factus es illis.* Cum enim in honore eſſes, noluiſti intelligere, de reliquiſti fontem vitę, peccando factus es ſocius & membrum diaboli, ſcortum Antichriſti, hæres inferni. Dereliquiſti vitam, mortem elegiſti ſempiternam. Si times ſententiam, muta voluntatem, & inuenies remiſſionem.

Pſa. 48.

Septimo conſidera, quid peccando merueris, quoniam ſi pro vno peccato mors æterna infligitur, qui multa, ne dicam innumerabilia commiſit, cogita quid mereatur. *Anima enim quæ peccauerit, ipſa morietur.* Meruiſti autem etiam per vnum mortale peccatum ſocius ſine fine eſſe diaboli, priuari omnibus gaudiis cœli, cremari in æternum ignibus inferni. Hæc ſunt præmia, quæ tibi peccatum attulit, hæc munera quæ promiſit.

Eze. 18.

Nunc igitur ex his ſeptem conſiderationibus emplaſtrum fac animæ vulneratæ: aſſume tibi ſtimulum compunctionis, vt ad radicem peruenias timoris. Sed propera, nec de die in diem differas, quoniam qui penitentis humilem confeſſionem ſuſcipit: differenti diem craſtinum non ſpopondit. Nam vbi inuenit acceleratio veniam, ſæpe dilatio intercipit vitam. Multos ſpes vitæ longioris ad interitum pertrahit, quia, dum ſe confidunt diutius poſſe in hoc mundo viuere, pœnitentiæ tempus faciunt ſine pœnitentia tranſire. Tu autem homo, ſi meum admittis conſilium, pœnitentiam non differas, quoniam quid tibi ſit allatura dies craſtina penitus ignoras. Tempus enim pœnitentiæ meretur amittere, qui pœnitendi ſtudium totiens non metuit differre.

15

Radix 6. Timoris diuini.

De vanitate præſentium & æternitate futurorum.

RADIX. VI.

SExta radix timoris in mente meditantis erigitur, ſi vanitas viſibilium, & inuiſibilium æternitas ſtudioſa intentione cogitetur. Omnia. n. quæ in hoc mundo cernimus, vanitati & corruptioni ſunt prorſus obnoxia, & paruiſſimo quidem tempore duratura. *Cuncta ſub ancipiti pendent mortalia caſu, & ſpondent propria mobilitate fugam. Quicquid habes hodie, cras te fortaſſe relinquet, aut modo dum loqueris, deſinet eſſe tuum.* Nihil enim in hoc mundo diuturnum & ſtabile cernimus, ſed mutari omnia cum tempore videmus.

Hildeber. Canom.

Aſcende nunc igitur ſpeculã mentis tuæ ô cœnobita fidelis, & cõſidera, quam nihil ſint omnia, quæ tempus continet: quoniam quicquid viſibile nunc cernitur, poſt modicum corrumpetur. Sume de præteritis conſiderationẽ præſentiũ, & vide, quoniã quod præteriit, non eſt: & quod modo eſſe videtur, poſt paululum non erit. Vbi ſunt Reges gentiũ, vbi principes, vbi duces, vbi diuites, vbi quõdam in ſæculo potentes? Vbi ſunt oẽs amatores mundi, vbi homines qui ſpreuerunt iter arduum cæli? Deniq;, vbi ſunt oẽs illi quondam tibi noti in ſæculo? quos mors interea rapuit te exiſtẽte in clauſtro? Ecce ab origine mundi, & qui multis & qui paucis vixere temporibus oẽs in ſua generatione mortui ſunt: & ſecũdũ diuerſitatem meritorum ẽt præmia diuerſa iuſtitia dictante perceperunt. Amatores Dei perpetuas manſiones lucidas, gaudiis inæſtimabilibus refertas creatori omniũ aſſociati percipiunt, & mundi cultores Dei mandata contẽnentes, honoribus quondam hic tumidi, ſcientia inflati, diuitiis immerſi, voluptatib. & vitiis dediti, ad infernum ſine fine cruciandi deſcenderunt. Quid obſecro nũc ſanctis in cęlo nocet quondam laborioſus & carni contrarius contemptus ſeculi, pro quo in æternũ fruuntur iam læta viſione Dei? Vel quid prodeſt nunc impiis in inferno ſepultis olim habita cõſolatio carnis, pro qua nunc accipiunt tormẽta æternæ dãnationis? Hæc cogita, dum prodeſt, hæc meditare, dum cauẽdi opportunitas adeſt. Rurſus altius aſcendens intuitũ mentis tenta pro viribus in abyſſum infinitæ profunditatis infigere, & quã longum ſit, quod æternum eſt, cogitare. Æternũ eſt tẽpus, quod nullo fine concluditur nullo ſpacio terminatur. Sancti Dei in ęternũ exultabunt in gloria beati: peccatores in æternũ in inferno ardebunt miſeri. O æternũ nomẽ ſine fine terribile: quis cogitare te poterit vel dicere ſine timore? Reuera q̃ te cogitat; nunq̃ in ęternũ peccat.

Æternum

Æternum non habet finem. Audi comparationem,& cum non fuerit sufficiens ad æternum suscipe timorem. Si arenæ poneretur aceruus in magnitudine mõtis Olympi in cælum vsque porrectus,de quo post decies mille annos,vnum duntaxat granum parua consumeret auicula, nequaquam diceretur mons ille duraturus in æternum, sed esset fini obnoxius; & licet post innumerabiles annos, tamen aliquando desiturus. Veruntamen omne illud tempus,quo remaneret aliquid de monte quamquam esset longissimum, tamen respectiue nihil videretur ad æternum. Quod æternum est, nec imaginationem finis recipit : nec spem consummationis aut terminum admittit.

O igitur quam stultus,quam fatuus, quam insanus est homo, qui hanc considerationem æternitatis abiicit:& tempus acceptabile ad promerendum æterna bona sibi concessum inutiliter expendit. Veniet hora,& iam prope accelerat: in qua miser,quid sit æternum, iam non melius facturus discat. Sed tu cœnobita meus, qui cupis esse fidelis,abiice a te omnem sollicitudinem mundi, omnem curam tuam pone ad amorem Dei:nihil agas,nihil dicas,nihil cogites, nisi quod te ad amorem creatoris tui potest inducere:vel quod ad ędificationem aliorum, aut puram corporis necessitatem noueris pertinere. Separare precor ab infimis : vt possis bonis oblectari æternis. Nulla te carnis sollicitudo ab interna mentis tranquillitate submoueat:te voluptas nulla corrumpat, stude orationibus, quantum præuales cum deuotione semper insistere:& rursum per affectum amoris crebrius eleuare.

De zelo Dei semper habendo.

RADIX VII. Timoris diuini.

RADIX. VII.

SEPTIMA radix timoris Dei, zelus dicitur: in quo se non mediocriter exercere monachus iubetur. Iniurias enim domini sui nullus æquanimiter tolerat: qui eum veraciter amat. Tu ergo cœnobita,qui seruus Iesu Christi fidelis esse desideras,noli zelum eius in temetipso negligere: Dei iniuriam,cum videris, noli dissimulare: quia dominum suum minus amare conuincitur, quisquis illi detrahentibus non statim reluctatur. Talem te sciant homines amatorem Dei, & hostem vitiorum: vt coram te loqui male non audiant,agere quicq̃ mali te inspectante non præsumant. Esto rectitudine animi conspicuus,vitæ merito clarus:zelo reuerendus. Te recti velut Dei famulum diligant, vultum tuum reprobi vt iudicem pertimescant. Nemo in conspectu tuo quicquam alienum à bonis moribus præsumat agere, quippe cum te omnes nouerint DEI iniuriam non posse tolerare. Sic Phinees sacerdotium sempiternum promeruit: quando iram domini legem zelando fortiter placauit. *Num.25. Psal. 105.* Si ordinem perire in cœnobio videris, si fratres tui regularem obseruantiam cæperint quouis modo corrumpere:noli, si Dei seruus es, ad eorum vitia tacere. Murum te oppone fortiter pro domo domini : exerce quantum præuales zelum Dei, destrue consilia malignantium, temeritati obsiste superborum. Si verus Dei amator fueris, solo vultu prauorum conuenticula dissipabis. Nemo enim suum coram te nudabit consilium: si zelum tuum de contrario habuerit suspectum. Si autem mali & reprobi præsentiam tuam male agentes non metuunt,profecto in te zelum DEI nullum recognoscunt. Vt ergo verum te Christi seruum exhibeas,debes fratribus tuis illatas tibi iniurias pro Dei amore libenter remittere, & pro ipsis iniuriantibus Deum exorare. Iniurias autem Domini tui non est tuum sine ipsius voluntate remittere : sed potius ex zelo rectitudinis vindicare. Cesset in his amor sanguinis, cedat procul amicitiæ fœdus, zelus Dei omnibus est iure præferendus. Sic enim obseruanda est amicitia hominis,vt zelo Dei nunquam præferatur.

Væ monachis & Abbatibus, qui Dei zelum tam audacter abiiciunt,qui familiaritates hominum diuino imperio anteponunt, qui vitia subditorum stulta commiseratione dissimulant, qui traditiones sanctæ regulæ, nec in se nec in aliis obseruant. Et quid dicam ? Cernimus inter monachos claustrales obediõtiam mandatorum despici, zelum rectitudinis sperni, obseruantiam regulæ contemni. Fœdus inter se amicitiæ carnalis,

nalis, sub nomine charitatis duo vel plures contrahunt, infirmi suos morbos animæ infirmioribus confidunt, & Dei amicitiam per puritatem mentis minime requirũt. Vnusquisq; meliorem cæteris suum socium existimat: alterq; alterum nõ spiritualiter, sed carnaliter deceptus, amat, quippe qui affectus suos in Deum nõ eleuant, nihil aliud quàm solatia carnis amant. Sed monachum, quem videris infirmorum fratrum amicitiam quærere, non Dei seruum, sed amatorem carnis debes æstimare. Qui enim cor suum in Dei amore totum veraciter occupat: * nihil de amicitia humana curat. Amor Iesu sibi ad omnia sufficit, extra quem nihil amplius requirit. Qui autem in exterioribus mentis solatum quæsierit: quod DEVM ex toto corde non diligat opere ostendit. Amor DEI solitudinem diligit, tumultus hominum odit: amicorum colloquia non requirit. O bone Iesu, quam dulcis est amor tuus, quoniam cor amantis te penetrat, te videns videre desiderat. te habens amplecti animus exoptat. Enimuero, qui te amat, suiipsius obliuiscitur, nihil aliud, quam dulcissimam præsentiam tui meditatur. Nihil est in mundo, quod amanti te placeat: nihil vsquã reperitur quod præter te animus concupiscat. O quot suspiriis amore vulnerata mens angitur: quam vberrimis lachrymis in secreto facies irrigatur, quia quotiens dilecti facie in cœlo præsidentis cogitat, totiens se in terris desolatam plorat. Interea sæpe tẽtat aliquid de suo Iesu amantissimo mẽs languens amore dicere, in eius amorem conatur etiam alios prouocare, sed mox vt nomen Iesu dulcissimum proferre ceperit, * præ amoris magnitudine nolens obmutescit. Amor enim Iesu nullis verbis exprimitur, sed in secreto mentis cum dulcedine sentitur. Scio qui dicebat. *Amor meus crucifixus est.* Quis est amor tuus ô famule Dei? Cur ploras Quare ingemiscis? Ignatius. *Amor meus crucifixus*: & ego non lugeam? Dominus meus est mortuus, & ego cohibere lachrymas potero? Noli flere ô fidelis anima, nam etsi amor tuus mortuus est, vt te à morte redimeret, sed iam resurrexit à mortuis, vt te in cælo coronaret. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabit tibi coronam vitæ.*

S. Ignat. ep. 11. ad Roman.

Apoc. 2.

De modo & gradibus diuini amoris, conclusionem complectens huius secundæ regionis. 17

QVoniam nemo repente fit summus, nec ad illum supremum verticem diuini amoris quisquam subito suis viribus potest ascendere, vtile nunc reor modos siue gradus ipsos amandi Deum certos breuiter annotare. Ad mouendum ergo cor humanum in diuinum amorem, passio Domini nostri Iesu Christi meo iudicio præ omnibus aliis est efficacissima, si fuerit in mente hominis pure, dulciter, feruenter, perseueranterque sedulo cogitata. Enimuero, qui vitam passionem & mortem saluatoris nostri sæpius compatiendo & gratias agendo secundum principales maxime articulos ad memoriam reuocat, ad amorem diuinum ascensum cordis velocem parat. Sed hanc sanctissimam occupationem mentis circa passionem domini in secunda parte huius operis principali oportune tractabimus, vbi modum spiritualis exercitii latius exponemus. Quantum vero ad rationem dictorum in hoc loco pertinet, tres modos amandi Deum inuenio, quos breuiter secundum ordinem explicabo.

Passionis Christi meditatio efficax est ad amorẽ diuinũ efficiendũ.

Primus modus iubet vt diligas amantem te dulciter, totum te illi iungas suauiter, ita vt nihil extra Deum cor tuum diligat, nihil aliunde requirat. Deus. n. totum cum sit, cor totum solus possidere amantis desiderat, à dispersis se cogitationibus elongat. Ergo si amare vis dulciter: ama totaliter. Aut totum enim, aut nihil Dei perficit amor. Meditatio passionis Iesu Christi saluatoris nostri te totum possideat, donec amor in te dulciter conualescat. Oportet te totum, quod in carne blanditur, contemnere: si ad amorem DEI desideras peruenire. Non enim potest aliquis Deum in hac vita dulciter diligere, quamdiu aliquid in mundo conuincitur amare. Amor siquidem mundi penitus est diuino cõtrarius, quoniã, vbi alter ad penetralia cordis admittitur, alter adesse prohibetur. Quantam vero dulcedinem quantam suauitatem quantamq; mentis lætitiam amor Dei in corde amantis generet nemo prorsus intelligit, nisi qui spretis o-

Tres modi amandi Deum. 1.

mnibus rebus & euentibus mundi Deum solum multo tempore amauit. Cor Deum amantis nihil eorum quæ sunt in mundo diligit, diuitias, honores, & fauores sæculi contemnit, nulla subire aduersa pro amore domini sui pertimescit. Amor Dei nunquam est ociosus, semper venire ad suum principium desiderat, nullos in hoc mundo labores perpeti recusat. Ergo, qui non vult fieri desidiosus, amet. Proximus quoque propter Deum dulciter amandus est, & nulla ratione contra Deum vel iustitiam offendendus. Fratri suo vnusquisque verbis & factis talem se semper exhibeat, quales ad se alios expectat. Veraciter enim proximum suum diligit, qui pro eo res, corpus, & animam exponit. Hoc Christus docuit, hoc pro nobis Dei filius fecit. Enimuero, qui dicit se in Christum veraciter credere, debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare. Christum veraciter non diligit, qui eius mandata non custodit. Ait enim. *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Membra sumus vnius capitis Iesu Christi, in quem tunc credimus, cum eius præceptum de dilectione in Deum & ad proximum obseruamus. Diligamus ergo proximum nostrum, quia membrum in Christo nobiscum est, vt quemadmodum vnum membrum in corpore alteri compatitur, ita frater à fratre pro amore Christi humiliter adiuuetur.

Ioan. 15.

2. Secundus modus tibi mandat, vt sapienter diligas, nihilque in diuino amore aliud quam Deum quæras. Extende affectum tuum in illud verbum, quod erat in principio apud Deum, mentem tuam eleua supra omne quod est creatum, quoniam nisi teipsum & omnia quę sunt in mundo deseras, venire ad eum non poteris quem amas. Denique si Deum sapienter cupis diligere, noli te aliquid æstimare, quoniã vbi se aliquid esse homo existimat, iam insipienter amat.

3. Tertius modus præcipit, vt fortiter diligas, & exponere corpus & animam pro Dei amore nunquam pertimescas. Non est Dei amator fortis, qui subire mortem pro eo pertimescit. *Fortis est enim, vt mors, dilectio.* Proximus sapienter diligitur, si non homo, sed vitium oditur. Fortiter autem diligitur, si omnis iniuria ex animo benefaciendi eidem remittatur.

Cant. 8.

FINIS TRACTATVS II.

IN TER-

IN TERTIVM TRACTATVM PRIMÆ PARTIS, QVI DESCRIBIT SVPREMAM REgionem Ipiritus clauſtralium.

PRÆFATIO.

SCripturus tandem adiuuante domino ſupremam illam regionem ſpiritus, pauore ſimul & pudore concutior, quoniam & paruus loqui de rebus maximis timeo, & docere, quæ non ſatis ſum expertus, multum erubeſco. Cuius enim quantumlibet exercitati hominis ingenium, ſtatum mentis per amorem in Deo ſuauiter quieſcentis agnoſceret, vel quis ſermo etiam facundiſſimi oratoris internæ contemplationis ſecretam dulcedinem explicaret? Enimuero huius tertiæ regionis exercitium intellectum humanum pro maiori parte exſuperat, in quo mens purificati hominis per feruorem diuini amoris ſuper ſemetipſam rapitur, & in abyſſo diuinæ contemplationis naturali eſſentia permanente mirabili dulcedine ſoporata abſorbetur. Nam tanta ſuauitate maieſtatis internæ opprimitur, vt ſtatum ſuum nec intelligere, nec eloqui poſſe videatur. Operatione ſiquidem ſenſitiua deſerta, etiam intellectiua penitus ſupergreditur, & quod eſt amplius ſeipſam, deſerens, ſine imaginatione, ratione, vel intelligentia, ſupra ſemetipſam in ſupremum illum diuinæ caliginis verticem per affectum eleuatur. Cum vero à ſemetipſa penitus defecerit, non agit, ſed quieſcit, nec ad ſe reuerſa, quid fuerit paſſa, poteſt intelligere: nec modum eleuationis ſuæ alicui reuelare. Tam enim profunda, tamque ſublimis eſt mentis iſta in Deum eleuatio, vt eam non ſolũ inexpertus non poſſit intelligere, ſed neque expertus etiã, quemadmodum ipſa eſt, eam penitus valeat verbis explicare. Ego autem, quid potero de monte diuinæ caliginis dicere, quem necdum merui penetrare? Puteus enim contemplationis internæ altus eſt, ego autem infirmus, quippe qui nec hydriam aptam his aquis attuli, nec gradus aſcenſus ad ardua congruos paraui. Non decent ſtultum verba compoſita, nec loqui de ſecretis diuinæ contemplationis homo imperitus & frigidus debuit, qui cum infirmis ad huc in vallibus conſiſtit. Solus. n. fructuoſe de rebus profundis loquitur, qui duplicis ſpiritus radio illuſtratur. Verum tamen, cum ſim homo ſub obedientia annalis capituli conſtitutus, mandatum ipſius Synodi compellor aſſumere, & opus mihi propoſitum pro viribus terminare. Tertiam itaq; regionem clauſtralium ductu venerandi patris domini Ioannis Burſfeldenſis deuoti abbatis ingredior, vt quod ille ſcholaſtico & veraci deſcripſit eloquio, ego ad meum loquendi morem pro poſſe reducendo videar obediſſe Capitulo.

TRACTATVS III.

DE TERTIA REGIONE ANIMAE, QVAE SPIRITVALIS DICITVR, IN QVA MENTIS SVMma tranquillitas habetur.

TErtia, siue suprema animæ regio spiritualis dicitur, in qua summa requies mentis & tranquillitas versatur. Et hæc regio cœlo comparatur Empyreo, in quo vera quies est omnium, & vera felicitas animorum. In hac regione consistens spiritus sub se rationalem deserit, & per amorem eleuatus in Deum mirabiliter ascendit. Quicquid enim in hac regione sanctissima agitur, diuinum penitus censetur. Hic humanus spiritus supra se raptus diuinum illapsum suscipit, & soporatus in caligine diuinæ contemplationis abstractus ab omnibus creaturis suauiter conquiescit. In hac regione omnipotens Deus spiritum contemplantis se dirigit, simplificatasque potentias animæ intellectuales ab omni phantasmate in cõclaue reuocatas, iuxta suas tendentias obiectas perficit: & mentem omni multitudine exutam, ad se vnum inducens principium, & se quoq; vnum non per naturam, sed per participationem gratiosam facit. Ciues huius supremæ regionis sunt homines vere spirituales, qui contemptis omnibus rebus & affectionibus seculi, nihil in hoc mundo præter Deum diligunt, nihil inordinate concupiscunt, sed per internum affectum absorpti à diuino spiritu, DEVM ipsum vehementer sitiunt, in eius amorem ineffabili desiderio inardescunt. Tanto enim amoris feruore aguntur in Deum, vt super semetipsos eleuati, omnes plerumque operationes intellectuales deserant, & in diuinæ contemplationis abyssum rapti nihil penitus præter Deum admittant, ibique existentes insensibiliter per gratiam amoris, vnum cum DEO fiant salua naturarum proprietate, munere participationis. Dicit enim sanctus IESV CHRISTI Apostolus. *Qui adhæret domino, vnus spiritus est.* Et iterum dicit. *Qui spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt.* Huius quoque sanctissimæ regionis ciuem se idem Apostolus indicat, qui Philippensibus clamat. *Nostra autem conuersatio in cælis est. Quamdiu enim sumus in corpore peregrinamur à domino:* sed quasi per somnium ad patriam nostrã suauiter ducimur, quando mente & spiritu in cælestibus conuersamur. Per somnium dixerim non proprie, sed remota comparatione. In somniis namque imaginibus rerum nobis intelligibilium, reseruatis speciebus in phantasia egredimur, in contemplatione præter omnem imaginationem puri ad Deum mente & spiritu eleuamur. Et ideo hæc suprema regio animæ spiritualis dicitur, à qua omnes religiosi nomen spiritualitatis sortiuntur. Væ nobis. Spirituales ab hac regione fæliciſsima dicimur, religiosi Dei amatores nuncupamur, qui tamen montis huius verticem per contemplationis altitudinem non ascendimus, sed cum infirmis semper infirmi in lectulo desideriorum carnalium iacemus. Ad quid nomen sanctum gerimus, qui sancti non sumus? Curemus ergo totis viribus per continuum mediæ regionis exercitium ad hanc supremi verticis celsitudinem ascendere, si nomen spiritualis conuersationis veraciter cupimus obtinere. In hac regione charitas tenet imperium: sapientia Consulatum, in qua nihil præter Deum diligitur, nihil inordinate perpetratur. Hæc autem sanctissima regio ad cęlum Empyreum pertinet, quoniam, quos in ciues spiritualiter suscipit, ad cæli gaudia sine medio transmittit. Nam sicut infima regio carnis ciues suos morientes mittit ad infernum, & media rationis ad purgatorium, sic ista perfectos cultores suos decedentes transmittit ad cælum. Huius autem tertię ac supremæ regionis dignitas multis prærogatiuis exprimitur, & in septem articulis maxime commendatur, sicut per ordinem dicetur.

1 Cor. 6. *Rom. 8.* *Phil. 3.*

Quod

Quod hæc ſuprema regio ſpiritus clauſtralium ſit grata comparatione

ARTICVLVS I.

VT primo quidem hæc tertia regio animæ grata comparatione dicitur, quoniam ſupremo cælo Empyreo comparatur. Nam ſicut in cælo empyreo tranquilla ſunt omnia, ſic in iſto ſupremæ regionis vertice mens hominis contemplantis Deum, nullis eſt turbationibus agitata. Hic quies ſumma contemplantis eſt animæ, hic nulla vitiorum turba inhabitat, amaritudo mentis nulla prorſus appropinquat. In cælo ſiquidem Empyreo maieſtas Dei à ſanctis ſpiritibus ineffabili munere cernitur, hic in caligine per deſiderium amoris ſupra intelligentiam videtur. Ibi Deus eſt omnia in omnibus, hic præter Deum nihil placet ex omnibus. Ibi ſanctis conceditur à laboribus ſine fine quieſcere, hic mens internæ dulcedinis indicibilem ſuauitatem permittitur quieſcendo præguſtare. Non eſt maior quam in cælo fælicitas, & non eſt in mundo tam ſuauis quam in iſta regione tranquillitas. Beati nimirum, qui hunc montem diuinæ contemplationis meruerunt aſcendere, qui nihil penitus in hoc mundo diligunt, nil aliud quam ſemper Deo adhærere concupiſcunt. O quam ſecura eſt iſtorum ciuium conſcientia, quam conuerſatio læta: vbi nihil mali committitur: nihil aliud, quam ſummum illud in commutabile bonum deſideratur. Mens enim purificata per diuinum amorem, quæ hanc regionem veraciter & perſeueranter aſcenderit, nihil carnale nihil inordinatum concupiſcit, ſe totam in contemplationem ſummæ maieſtatis per deſiderium erigit, in ſolo Deo dulciter quieſcit. O quis internam dulcedinem amantis Deum veraciter poſſet exprimere: vbi mens vires & potentias animæ à diſperſione multitudinis in vnum reuocat, & ſurſum ignitis affectibus in conclaue ſpiritus leuat? Hic aciem ſuam ad ſummum illud incommutabile bonum per amorem dirigit, omne à ſe multitudinem creatam & creabilem penitus reiicit, in vnum ſe animus colligit, vt vnitus ſibimetipſi, ad ſuũ principium quod vnum eſt, ſine impedimento multitudinis aſſurgere poſſit. Ad vnum ſiquidem rerum omnium principium vnitas ſola poteſt attingere, quia multitudinem vnitas refugit, vnum vnitas requirit. Nam quantum multitudini conceſſeris, tantum ab vnitate recedis. Mens ergo in hac ſuprema regione ſpiritus cõmorantis hominis, vt ſe ad contemplationem ſui principii per amorem poſſit erigere, omnem à ſe multitudinem in imaginatione, aut intelligentia hærentem ſolet abdicare, quatenus in ſua vnitate collecta, illum ſimplici amoris affectu ardenter valeat intendere, quem nouit ſuper omnem poſitionem eſſe.

Quod iſta ſuprema regio ſpiritus ſit ſuauis & amabilis propinquitate.

ARTICVLVS. II.

SECVNDO autem regio iſta ſuprema ſpiritus dulcis & ſuauiſſima eſt ſimilitudine, & ſingulari propinquitate. Nã ciues huius ſanctiſſimæ regionis, vnus paries duntaxat luteus, vt ita dixerim, à ſupernis ciuibus ſeparat: quia quandiu ſpiritus carnem inhabitat, quaſi per parietem ad cælum clamat. Luteus autem paries, carnis ergaſterium eſt: de quo ſpiritus liber ad cælum migraturus egreditur, quando per mortem à corpore ſeparatur. Saucius vero peccatis ſpiritus qui ſe ad hanc regionem per purum affectũ amoris nõ poteſt erigere, à cælo Empyreo adhuc dicitur lõgius diſtare. Qui autem in iſta regione quietiſſima commorantur cælo Empyreo ſunt proximi: quia nullis peccatorũ maculis pregrauati oĩa terrena & carnalia deſpiciunt, mẽte & ſpiritu cõuerſari in cæleſtibus ſemper concupiſcunt. Vnum ſi quidem & idem habent obiectum illi, qui cælũ Empyreũ inhabitant: & iſti qui in tertia regione cõmorãtur. Sed hoc intereſt, quoniã Deum iſti contẽplantur in ænigmate illi autem in clara viſione. Mira contemplantium vtrobiq; ſuauitas, hic magna, illic maxima, hic in deſiderio feruidi amoris, illic in poſſeſſione beatiſſimæ viſionis.

In hac ſuprema regione diuinæ contemplationis ſpiritus rationalis vires & poten-

potentias suas in suum conclaue reuocat, in quo & ipse liber ab omni phantasmate vacat, se supra se in diuinę caliginis densum erigit, in quo soporatus per amorem exstaticum suauiter requiescit. Nulla versatur hic cogitationum importuna confusio, nulla phantasiarum imaginatio, sed nuda mens sursum erigitur, sine cogitatione vel imaginatione qualibet contẽplatur. Enimuero quando mẽs ipsa cogitationibus aditũ refert, rursus ad mediam regionem, quæ rationis est, descendere se manifestat. Sed cum mens hominis nõ valeat semper in vertice cõtemplationis diuinæ immota persistere, necessarium est eam sæpius ad secundæ regionis rationale exercitium redire. Si vero in passiones sensuales prolapsa fuerit, iam rursus ad regionem infimam descendit. Animus autẽ veri amatoris Dei, quãuis propter fragilitatem carnis non possit semper in contẽplationis amænitate cõsistere, studet tamen sæpius per ignitum affectũ se ad illam eleuare, quatenus exercitium rationis sic impleat, vt dulcedinem internæ suauitatis nõ penitus omittat. O quam bonum est adhærere domino: quã dulce est soli intendere Deo, vt mens dominũ Iesum præ omnib. sitiat: & eum cõplecti semper ignitis desideriis concupiscat. In hac siquidem regione consistens cælo Empyreo est proxima: & ideo maximis desideriis amoris ad illud inflammata. O quot gemitus & lachrymas mens feruens amore consueuit emittere, quã ardenter ad cælestia suspirare, quoniam quanto per secretum contẽplationis in hac regione suprema consistens cælo Empyreo est vicinior: tãto exeundi carcerem corporis affectus cognoscitur esse ardentior. Vnde & cum sancto Apostolo mẽs amore languida in suis ignitis suspiriis dicit. *Cupio dissolui, & esse cum Chtisto.* Phil. 1.

Quod hæc animæ regio diuina sit eruditione.

ARTICVLVS III.

TErtio suprema hęc animæ regio diuina eruditione dicitur, in qua mens amore diuino feruens, non ab homine, sed à sancto spiritu docetur. Dixit.n. suis amatoribus in sacro Euangelio Christus. *Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Et iterũ illud prophetę, *Et erunt*, inqt, *oẽs docibiles Dei.* Sanctus etenim spiritꝰ cor amãtis Iesum inhabitat, & illud suo inuisibili magisterio illuminat. Ioan. 16. Esa. 54. Luc. 10.

In hac regione spiritus vera sapientia Mariæ pars optima in silentii tranquillitate legitur: Theologia mystica in secreto diuinæ caliginis ineffabili dulcedine docetur, mẽs dilectũ suum per feruorẽ sanctissimi amoris dispositа in occulto alloquitur: & in ipsum assidue per desideriũ eleuatur. Hæc autẽ sapientia seu mystica Theologia persuaderi quidem potest ab homine, sed doceri nõ potest, nisi in diuina eruditione. Opus.n. sancti spiritus agitur, quando mens in veritate per contemplationem illustratur.

Sed cõsiderandũ nobis est, quod mystica Theologia per exercitium affectus purificati acquiritur, per amoris incẽdiũ docetur. Speculatiua aũt Theologia, quã scholasticam appellamus, per exercitiũ intellectus dicitur, dum studio mens cõtinuo inseruiens mancipatur. Ad acquisitionẽ mysticæ Theologiæ purgatio affectus ab omni interribili requiritur, vt voluntas per auisionẽ deprauata, per conuersionẽ intimi amoris ad suũ principiũ reformetur. Enimuero, nisi affectus ab omni cõcupiscentia inordinata purgatus fuerit, ad sublimitatem huiꝰ sacratissimæ sapiẽtię nõ ascendit. Si aũt passiones sensuales abiecerit, si volũtas hominis diuinæ voluntati cõformata fuerit, mens per ignitum amorẽ sursum erigitur: & in diuinę caliginis imẽnsitatẽ anagogicis motibꝰ eleuatur. Huius Theologiæ dulcedinem nemo intelligit, nisi qui accipit, nemo accipit, nisi qui ipsam solã ex omnib. per amoris suspiria quærit. Hanc Psalm. quærebat, quando ad dominum orabat. *Vtinã dirigãtur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas, in omni tẽpore.* Tantis.n. desiderij motibus vir sanctus sursum ferebatur ad diuinæ voluntatis obsequiũ, vt in eodẽ psalmo centesimo octauodecimo pęnè nullum dixerit versum, in quo non posuerit verbũ diuinum æquiualens iudiciũ. Exercitiũ huius purgationis in secũda regione incipitur, & in ista cõsummatur. Labor.n. non paruus exigitur, vt affectus à concupiscentiis sæculi purgetur. Assumpto autẽ spiritualis reformationis exercitio, mẽs paulatim in amore proficit, ascendere ad hãc regionẽ certis Psal. 118.

gra-

gradibus concupiſcit, ad huius theologiæ inuiſibilem ſcholam per deſiderium accelerat, ad oſtium diuinæ miſerationis continuis gemitibus ſuſpirans pulſat. Sed mens in ſecretum huius myſticæ ſapientiæ non admittitur, niſi poſt omnimodam purgationem affectus ab omni creatura exuatur, atque ſeipſam ſibimet vniat, & ab omni ratione vel imaginatione rerum cogitabilium longius recedat.

Niſi enim ab omni creatura receſſerit, ad creatorem, qui eſt ſuper omnia, non accedit. In hac igitur ſchola diuina eruditione ſpiritus ſanctus præſidere diſcentibus creditur, qui docet hominem nihil in hoc mundo diligere, & Dei ſe voluntati in omnibus conformare. Felix, qui huius magiſtri diſcipulus eſſe meruit, felix, qui hanc ſcholam per amoris deſiderium intrauit, quoniam in myſtico ſilentio miranda percipit, quæ Deus non amantibus abſcondit.

Quod hæc ſuprema regio ſpiritus fundata ſit ſimplicitate.

ARTICVLVS IV.

VArto, hæc ſanctiſſima regio ſpiritus fundata ſimplicitate dicitur: in qua mens non per eſſentiam, ſed per adhæſionis amorem ſuo incommutabili principio vnitur. Nam, ſicut in ſuperioribus iam diximus, ſummum illud bonum Deus vnum eſt: ad quod animus noſter non poteſt accedere, niſi exutus omnem multitudinem, quæ ad rationem, imaginationem, & intelligentiam pertinet, ſemetipſum ſibi penitus vnitum ſtudeat exhibere. Animus enim ipſe ad ſummum bonum pertingere naturaliter appetit, ſed quanto per multitudinem in ſua operatione diuiditur, tanto ad veniendum ſe Deo minus idoneus inuenitur. Multitudo namq; eſt vnitati oppoſita, & quanto ſe mens ad multa contulerit, tanto ab vnitate recedit.

Vnum, duo, tria, quatuor, decem ſunt. Recedis ab vno, quoniam multiplicaris in numero. Redi ad vnum: ſi cupis habere principium. Vnum namque eſt rerum omnium principium, cui ſi aliquid in animo tuo addideris, mox ab eo recedis.

Cum dicis vnum, dicis principium. Si duo dixeris, iam principium derelinquis. Vt ergo ſemper poſſis tuum contemplari principium, cura te omni tempore exuta multitudine reddere vnum. Nam cum omnia bona ſint à primo bono, & omnis amor ad quodcunq; bonum feratur, ab eodem ſit naturaliter accenſus, non poteſt amor noſter in vllis bonis tanquam in vltimo fine quieſcere, niſi ad ſuum principium nudus & purus ſtudeat finaliter remeare.

Virtute enim ipſius vnius ſolum fit vnio: quoniam non alia ratione facilius vniri ſimiliora inuicem dicimus, quam quod vnum eſſe in qualitate videmus. Animus ergo ſummo rerum principio vno tunc demum poſſe vniri creditur, cum exutus omnem multitudinem, ſibiq; met ipſi vnitus amore feruentiſſimo in Deum eleuatur.

Sicut inter diuerſa qualitate non fit vnio: ſic inter Deum & animum in ſemetipſo diuiſum non poteſt eſſe adhæſio. Vnius enim ad vnum ſimilitudine qualitatis fit vnio: & mentis ſimplificate & exutæ ab omnibus per amatorum affectu erit cum Deo adhæſio. Simplicitate itaq; fundata eſt ſuprema regio ſpiritus, in qua mens purificati hominis in Deum feruentiſſimo amoris deſiderio erigitur, & ſuo principio incommutali per gratiam vnitur. Intellectus & affectus duo ſunt oculi animæ, quorum primus quidem intellectus ad cognoſcendum Deum erigitur, ſed venire ad montem diuinæ caliginis non ſufficit, quoniam oneratus phantaſmatibus rerum ſenſibilium incedit.

Affectus igitur animæ ſimplicior oculus montem caliginoſum ſine imaginibus quibuſcunque ingreditur: Deum per amorem contemplatur, ab omnibus creaturis ſegregatus nihil ſenſibile cogitat, quieſcens in myſtico ſilentio nudus vacat.

Iſte eſt oculus ſimplex, quo totum corpus lucidum efficitur, iſte eſt, de quo ſponſus in canticis gloriatur. *Vulneraſti cor meum ſoror ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum.* Cant. 4.

Affectus enim per feruorem amoris ad diuinæ contemplationis secretum sine ductu intellectꝰ solus ingreditur, & ergo in vno & nõ in ambobus oculis sponsus vulneratur.

Quisquis autem per exercitium deuotionis & puritatis ad hanc vnionis & simplificationis regionem CHRISTO largiente peruenire meruit, discat omni tempore in profunda humilitate prudenter consistere, ne per superbiam amittat donum, quod se gaudet obtinere.

Bern. ad cantica serm. 33. Dicit enim profundus & cautissimus diuinorum contemplator Bernardus. *Oportet profundare humilitatem, & de se humiliter sentire nitentem ad altiora: ne dum supra se vane extollitur, cadat ab alto, quo ascendisse videbatur.*

Consistens igitur in hac regione ad gradus humilitatis in secunda descriptos, prudenter aliquando redeat, manere in profunda resignatione suiipsius humiliter discat, quia mox vt abnegationem sui animus contempserit, de altissimo monte in immane præcipitium ruit.

Multi enim in iubilo sensualis deuotionis suæ confidentes decepti sunt: qui in montem hunc altissimum sine fundamento humilitatis ascenderunt. * Alii capitibus læsis sensibusq; destructis stulti facti sunt, quoniam nondum mortificatis passionibus suis caliginem mystici silentii ingredi præsumpserunt. Alii in superbiam elati, dum adhuc sensualitati fuerunt dediti, per voluntatis propriæ vitium descenderunt in profundum inferni.

Exod. 19. Hebr. 12. Dicit enim de ascensu huius vertices scriptura. *Bestia quæ montem tetigerit, lapidibus obruatur.*

Tunc autem bestia tangere montem dicitur, quando homo nondum per exercitium secundæ regionis purificatus, tertiam ascendere conatur. Quandiu enim affectus à passionibus sensualitatis suæ purgatus non fuerit, adhuc in eo bestia viuit. Quod si ad montem Dei cum sua bestialitate mens hominis accedere præsumpserit, tot lapidibus obruitur, quod passionum motibus vulneratur.

Eccl. 22. Dicit namq; vir sapiens. *In lapide luteo lapidatus est piger, & omnes loquentur in aspernationem illius.* Per luteum lapidem affectio carnalis exprimitur, quia homo luto comparatur. In Iob namq; scriptum est. *Memente quæso, quod sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me.* *Iob 10.* Et iterum dicit. *Comparatus sum luto; & assimulatus sum fauillæ & cineri.* *Iob 30.*

Itaq; luteo lapide piger obruitur, quando mens adhuc carnalibus & sensualibus passionibus immunda, ad montem contemplationis tentat ascendere, in quo velut indigna, per duros lapides oppositos repulsam & ruinam cogitur sustinere.

Nemo enim ad hanc quietissimam regionem spiritus contingere poterit, qui se non prius per longum exercitium in camino mediæ regionis expurgauit. Quasi in cribro aquam haurire nititur: quisquis adhuc passionibus carnalibus deditus, hanc supremam regionem spiritus accedere conatur. Enimuero hæc regio mentes in se carnales non patitur: quæ purificatis ab omni affectione cordibus præparatur.

Quod hæc suprema regio spiritus magnifica sit reductione.

ARTICVLVS V.

QVinto hęc suprema regio spiritus reductione dicitur esse magnifica, & ideo summis est desideriis ab omnibus appetenda. Hanc enim quasi domum propriam pater ille noster cælestis inhabitat, ad quam nos exules & peregrinos quasi ad paternam habitationem sedulo vocat. *Luc. 15.* In hanc nos cum prodigo filio reuertentes clementer suscipit, in amplexus nostros per amorem ruit, stola prima nos induit, charitatis vestem amantibus concedit.

Cur ergo redire quantocius ad indulgentissimum patrem negligimus, quem paratum in amplexus nostros etiam post contemptum esse videmus? Nos miseri per voluntatis nostræ temeritatem recessimus portionem hæreditatis nostræ cum meretricibus carnalium affectionum dissipauimus, omni decore & ornatu paterno turpiter nudati sumꝰ.

Qua-

Quare non redimus ad patrem, quem nouimus ineffabiliter esse clementem? Reuertamur saltem obsecro post culpam, qui contempsimus vitare ruinã. *Reuertere reuertere Sunamitis misera*, reuertere in affectionibus grauiter captiua, reuertere in doloribus mortificata. Quid moraris?

Cur tardas? Reuertere ô fidelis anima ad ducem pubertatis tuæ Iesum, reuertere ad virum priorem: redi ad pientissimum patrem tecum amoris desiderio expectantem. Ecce enim cum patientia te expectat, tibiq; per Esaiam prophetam clamat. *Reuertere ad me, quoniam redemi te.* *Cant. 6.*

Deleui vt nubem iniquitate tuas: & quasi nebulam peccata tua. Quid est ô anima, quod in terra inimicorum es? Inueterasti in terra aliena, coinquinata es cum mortuis: deputata es cum descendentibus in infernum. Memento, quoniam omnipotens Deus ex nihilo te condidit, cogita quod te ad imaginem & similitudinem suam formauit, memor esto vnde excideris, vide, vbi proiecta inter porcos immundarum affectionum pedibus conculcaris. *Esa. 44.*

Te conditor tuus in supremam hanc regionem spiritus ab initio posuit, tibi amoris sui naturale exercitium commisit: vitæ quoq; semper mansuræ spem contulit.

Tu autem dereliquisti fontem sapientiæ: egressa es in infimam regionem dissimilitudinis, dissipasti bona promissa hæreditatis. Sed reuertere vel sero tandem ad exercitium pœnitendi regionis mediæ, donec purgata ab omnibus iniquitatibus tuis reditum merearis ad amœnitatem regionis supremæ. Ibi te pater indulgentissimus læte reuertentem suscipiet, stolam tibi innocentiæ primã recuperatam induet, dabitq; tibi annulum sanctissimæ confœderationis in manibus, calceamenta veræ mortificationis malarum affectionum in pedibus, quatenus his ornamentis decorata tanquam sponsa fidelis iugiter illi adhæreas, & ab eius amore deinceps nullatenus recedas.

Denique in escam saginatum tibi occidet vitulum, dapifer erit ipse simul & conuiuium, præ amoris magnitudine carnem suam dabit in edulium, & proprium sanguinem in potum. Ibi spiritus domini sanctus aderit, suis te donis mysticis implebit.

Tunc exultans in Domino cantabis. Fructus Iesu dulcis est gutturi meo, quia spiritus eius super mel dulcis.

Est itaq; hæc suprema regio spiritus reductione magnifica, quoniam ciues suos, quos in suam habitationem suscipit, ad amœnitatem cælestis patriæ reducit. Ciues autem huius sanctissimæ regionis ex fructibus spiritus infallibiliter cognoscimus, de quibus dixisse sanctum Apostolum scimus. *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Hos fructus ciues huius tertiæ regionis proferunt, quoniam Deo pleni & vniti, semper læti in Domino & charitate feruentissimi incedunt. *Gal. 5.*

Quicquid enim iusto viro in hoc monte amoris habitanti acciderit, non eum contristabit. Semper namq; pacatus & tranquillus in Dei amore animus, nullis prosperitatibus erigitur, nullis aduersitatibus perturbatur.

Quod hæc suprema regio spiritus sit thesaurizatione iucunda atque verissima.

ARTICVLVS VI.

SEXTO hæc pulcherrima regio spiritus thesaurizatione iucunda dicitur atq; verissima: quoniam quicquid per per exercitium boni operis acquiritur, in simplicitate spiritus possidetur. Animi thesaurus Dei amor est, cuius feruore dum mens purificata incenditur, ad hanc regionem quasi ad apothecam amoris propriam eleuatur.

Dicit enim in sacro Euangelio DOMINVS. *Vbi thesaurus tuus est, ibi & cor tuum erit.* *Matt. 6. Math. 13*

Hic

Hic est thesaurus in agro scripturarum absconditus, *quem qui invenerit homo abscondit: et vadens omnia vendit: vt agrum cum thesauro emere possit.* Ager est suprema hæc regio spiritus, thesaurus est amor diuinus, quem homo inueniens cætera omnia debet contemnere, vt agrum cum thesauro incunde valeat possidere. Non est in mundo iucundior amore diuino possessio, non est in hac vita amplior pulchritudo, quoniam quisquis hunc thesaurum amoris habuerit, nihil amplius requirit.

Et sicut ignis naturaliter sursum agitur, sic amor in hanc regionem spiritus quasi ad suum domicilium proprium eleuatur.

Mens namque diuino amore succensa, ignitis affectibus in DEVM semper sustollitur, & supra omnem cogitationem mirabili in suum principium dulcedine mouetur. In exercitio enim secundæ regionis purificata se ad ascensum huius tertiæ per amatorium affectū præparat, venire ad eum quem diligit quantocius anhelat, nihil aliud quam Iesum cordis sui thesaurum cogitat, illum præ amoris magnitudine ignitis suspiriis adorat.

Expleto autem suauissimo contemplationis officio, subito dilectus elabitur, ad secundæ regionis exercitium mens amore languida reuocatur, in quo DEI verus amator corpore quidem commorari inter homines cernitur, sed affectu & desiderio cum suo amantissimo Iesu conuersatur.

Et licet anagogica ista spiritus creati actio fiat impulsu spiritus Dei, oportet tamen vt mens per exercitium secundæ regionis purgata seipsam ad ascensum promoueat, & diuino spiritui per affectum feruentissimum disposita concurrat.

Enimuero DEVS omnipotens, qui nobis arbitrii libertatem contulit, neminem ad hanc supremam contemplationis suæ regionem non volentem eleuabit. Voluntas igitur nostra ad propriam salutem requiritur: amor ad ascensum postulatur.

Si vis ad hunc diuinæ caliginis supremum verticem ascendere, oportebit te plurimum amare. Voluntas amorem purgata suscipit: amor plurimum ignitus extasim facit. Ergo si ad montem contemplationis euolare desideras, oportet vt Deum feruentissime amando, teipsum penitus excedas. Si autem DEVM veraciter diligis, & te & omnia præter ipsum vnicum contemnis. Ipse enim veraciter thesaurus est animæ, quem si quis per amorem adeptus fuerit, semper Iesum cogitabit Iste thesaurus amando acquiritur, cuius vtilitatem nemo intelligit, qui illum per amorem non accepit.

Qui habere hunc inæstimabilem thesaurum desiderat, cor suum in amore dulcissimi Iesu iugiter figat. Enimuero, qui amat, habet, qui habet, amat. Mens quæ hunc thesaurum amoris Iesu habere meruit, affectu in hac regione suprema cum ipso iugiter consistit.

Quod hæc tertia & suprema regio animæ maxima libertate spiritus gaudeat.

8

ARTICVLVS VII.

SEptimo hæc animæ sanctissima regio magna libertate spiritus exuberat, in qua animus liber à passionibus carnis Deo vnitus per amorem regnat. Dicit enim sanctus Apostolus. *Vbi spiritus domini, ibi libertas.* 2. Cor. 3.

Et iterum. *Quicunq; spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei,* Enimuero consistens in hac regione spiritus, liber ab omni inquinamento carnis & sanguinis efficitur, exutusq; ab omni cogitationis phantasmate nudus & solus in caliginem diuinæ contemplationis eleuatur. Hæc vera libertas animi est, in feruore diuini amoris quiescere, & nulla huius mundi solatia amare. Rom. 8.

Consideret ergo seipsum homo & amorem suum diligenter examinet, & si inuenerit seipsum pie affectum, ignitis desideriis etiam sine preuia cogitatione frequenter ad diuinū amorem erigi confidat se inter huius regionis ciues laudabiliter ascribi.

Spiritus enim Dei spiritui nostro testimo-

ſtimonium perhibet, & mente quam in radium diuini amoris erigit, etiam conditionem ſui ſtatus ſcire facit. Iſta libertas animi per diuini amoris feruorem acquiritur, quod cor amantis Deum ſupremus ſanctus inhabitat, qui veram libertatem amantibus donat.

In hac ſanctiſſima libertate diuina ſapientia diſcitur, ſuauitas diuinæ bonitatis inæſtimabili dulcedinæ prægustatur, mens liberrima effecta ſupra ſe rapitur, in ſilentio diuinæ caliginis quieſcens ſoporatur.

Et hæc myſtica ſapientia in mente eleuata, & in DEVM purificata conſiſtere dicitur: quæ nullo obſtaculo cuiuſcunq; rei à ſuo effectuali progreſſu impeditur.

✝ Aſcendens in hanc regionem mens amore ſuccẽſa cogitationes & imagines penitus deſerit, ſola, nuda, & liberrima euadit, quia cogitationes propter officium memoriæ in media regione coguntur perſiſtere, nec ſupremæ regioni ſpiritus quæ ſuper omnem intelligentiam eſt hominis nullatenus poterunt appropiare. Solo enim affectu & deſiderio huc per amorem aſcenditur, procul hinc phantaſmata cogitationum repelluntur. Nam mox, vt aſcendere per cogitationes mens incipit, in regionem mediam repulſa cadit.

Veruntamen per intellectus operationem aſcenſus ipſe incipitur, quo mox deficiente per affectum conſummatur.

Intellectus enim in amorem ſummi boni deſiderium excitat, quantum poteſt eius pulchritudinem cõmendat, ſed cum affectus excitatus per amorem aſcendere ad contemplationem tantæ pulchritudinis cœperit, intellectus præ ſtupore deficiens obmuteſcit. Mens autem comitatum intellectus non ſufferẽs ſola & nuda, ab omnique cogitationis imagine liberrima montem caliginoſum ſuper ſplendentem ingreditur, dilectum non quidem facie ad faciem, ſed in ænigmate contemplatur, præ magnitudine amoris deficit, rapta in ſilentio quieſcit.

Quoniam Iſrahelitici populi Dux Moyſes, vocatus á Deo montem caliginoſum ſolus aſcendiſſe legitur, plebem prohibuiſſe ab acceſſu montis ſub interminatione mortis memoratur, in caligine dominus apparuit, legem populo per ipſum Moyſen dedit.

Sic enim in Exodo ſcribitur. *Totus autem mons Synai fumabat, eo quod deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne, & aſcenderet fumus ex eo quaſi de fornace. Erat q; omnis mons terribilis, & ſonitus buccinæ paulatim creſcebat in maius, & prolixius tendebatur, Cunctus autem populus videbat lãpades montem q; fumantem, & perterriti ac pauore cõcuſſi ſteterunt procul dicentes Moyſi. Loquere tu nobis & audiemus, non loquatur nobis dominus, ne forte moriamur.* Exod. 19.

Omnia hæc ſunt plena myſteriis, quæ ſi diligenti conſideratione diſcuſſa fuerint, hanc ſupremam regionem ſpiritus magnifice commendabunt. Mons enim Synai altitudinem huius regionis ſignificat: caligo fumans contemplationis obiectum repræſentat: Moyſes affectum in amore ardentem exprimit: populus turbam cogitationum & phantaſmatum oſtendit.

Montem vero aſcendere & intrare caliginem ſolus Moyſes Dux populi permittitur, quoniam affectus diuino inflammatus amore ſolus in verticem ſummæ contemplationis eleuatur. Populus autem ſub interminatione mortis ad montem prohibetur accedere, quia nullus intellectus, nulla cogitatio, nulla imaginatio, vel ratiocinatio, diuinæ maieſtatis ſecretum poterit vllatenus penetrare.

Stat plebs procul à monte pauore perterrita, quoniã dũ mens per affectum amoris in abyſſum contemplationis ſola ingreditur, omnis turba cogitationum penitus deficiens perturbatur.

Non audet intellectus affectu aſcendente propius accedere, ſed procul ſubſiſtens in ſe pauore concuſſus cogitur remanere.

Vnde cedens maieſtati, ſtupens cum propheta dicit ad Dominum. *Vere Deus abſconditus es tu.* Eſai. 45.

Exiſtens autem in cacumine montis Moyſes caligine inuoluitur: Deum lumine intellectus non concipit, ſed in contemplationem eius ſolum per amorem & deſiderium tranſit.

Moyſes

Moyses,& non dominus ad populum pauentem loquitur, quoniam affectus domicilium amoris purgatus ingreditur, per quem potentiæ spiritus illustrantur.

Quibus modis vel gradibus ad hunc supremum huius regionis verticem sit ascendendum.

Articvlvs VIII.

QVAMQVAM in plerisq; præcedentibus huius opusculi locis modum ascendendi ad hanc supremam regionem spiritus compendiose tradiderim, non erit tamen, vt opinor, inutile bene dicta sæpius repetere, vt ea possimus arctius retinere.

Parum namque, vt mihi videtur, prodest pulchritudinem contemplationis describere, nisi etiam modum perueniendi ad eam nouerimus cupientibus demonstrare. Igitur volens ad amænitatem huius supremæ regionis per desiderium amoris ascendere, studeat, se in laboribus mediç diligenter exercere, quoniam nisi in illa per studium sanctæ compunctionis à passionibus sensualibus purgatus fuerit, ad istam non sine periculo accedit. Pro huius exercitii consummatione passionem Domini nostri Iesu Christi sæpius ad memoriam reuocet, ex complacentia diuini amoris ploret, discatq; textum ipsius passionis cum attentione frequenter meditando transcurrere, & ad compassionem saluatoris seipsum prouocare. Et quoniam corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, vt se mens in ista meditatione dominicæ passionis valenter possit erigere, studeat, si opus fuerit, cogitationibus suis imagines veraciter sensibiles præsentare. Secedens igitur à turbis in silentio passionis ordinem incipiat memorando reuoluere, studeat mentis oculis cum domino patiente singulis interesse, loquentem Iesum in imaginatione audiat, cum eunte per omnia passionis loca vadat. Deinde singulis articulis affectiones suas ex compassionis desiderio conferat: constitutum ante se Iesum patientem fidelibus oculis intendat, flentem præ angustia cordis assuescat in spiritu quasi præsens corporaliter alloqui, vulneratum q; in columna & in cruce per amoris desiderium amplexari.

Cito enim mens in amorem domini Iesu accendi poterit, si compati per meditationis lachrymas illi veraciter assuescit. Sed de passionis dominicæ efficacissimo exercitio latius me alibi scripsisse memini, idcirco hic breuiter transiui. Sufficit enim nescientibus meditandi eam dedisse principia cum scientes habeant altiora.

Affectu igitur ab omni passione & concupiscentia impediente purgata mes intellectu iuuante cogitare bonitatem & pulchritudinem summi boni aliquantulum incipit: deinde comprehendere bonum incommutabile concupiscit, sed cum se ad cognitionem illius subleuante intellectu per admirationem erigit, continuo operatio intellectus euanescit, nec potest ratio affectum vlterius subsequi, quem videt non aliter quam solum & penitus nudum posse ab omnibus eleuari. Quamdiu vero mens legitime purificata non fuerit, ad veram caliginem huius montis affectus non pertingit.

Contemplatio aurem aliquando dilatatione mētis peragitur, quod cũ animus per suam industriam vehementius in meditatione sancta extenditur, in contemplationem meditatio commutatur. Et iste modus contemplationis tribus gradibus consueuit exurgere, arte qua quid nobis agendum sit discimus, exercitatione qua scita peragimus, attentione officium explemus.

Aliquando contemplatio subleuatione mentis in Deum assumitur, quoniam cum mens super humanam industriam diuinitus irradiata fuerit, quasi per assueta supra se rapta in speculationem diuinorum transit. Iste quoq; modus tribus gradibus in altum contemplationis erigitur, quoniam aliquando intelligentia hominis diuinitus inspirata aliquid accipit, quod modum propriæ scientiæ qua penitus excedit.

Secundus gradus mentem supra industriam erigit, quando aliquid diuinitus illustrata percipit, ad quod nulla humana industria pertingit.

Tertio gradu mens in altum erigitur, quando supra humanæ naturæ & industriç

duſtriæ metas in contemplatione diuinitus illuminatur.

Interdum etiam contemplatio alienatione mentis in diuinæ caliginis montem ſe dirigit, quando præſentium memoria ſopita, in ignotum humanæ ſcientiæ ſtatum animus diuinæ operationis illuminatione tranſit. Et iſte modus ad hanc ſupremam regionem ſpiritus maxime pertinet: in qua mens veri amatoris Dei tanto feruore amoris accenſa cernitur, vt alienata à ſe ſæpius comprobetur.

Aliquando enim præ magnitudine deuotionis extra ſe rapitur: aliquando per nimiam admirationem ſupra ſe eleuatur, interdum propter immenſam exultationem ſeipſam deſerit, & per amoris radium in ſupremam contemplationis eleuationem tranſit.

Sed huius altiſſimæ & ſupremæ regionis amœnitatem homo mortalis non intelligit, qui ad illam per experientiam amoris purificatus non aſcendit.

FINIS.

IN SECVNDAM PARTEM PRINCIPALEM EXERCITII spiritualis claustralium.

PRÆFATIO.

QVoniam opusculum de triplici regione claustralium nobis per Capitulum annale nuper iniunctum, auxiliante domino nostro Iesu Christo compleuimus, restat nunc vt secundam partem operis principalem pro viribus assumentes, quotidiani exercitii spiritualis modum & formam describamus. Sunt namque & inter claustrales multi infirmi & imbecilles: è quibus nõnulli forsitan ad contemplationem diuini amoris libenter ascenderent, si modum conuenientem incipientibus haberent. Omnibus enim in sancta religione constitutis summopere cauendum est, ne ocio mens torpeat, quoniam quiquis à continuo labore spiritualis exercitii defecerit, paulatim in profundum torporis cadit. Nam sicut ignis iste noster visibilis sine fomento sibi congruente non potest in sua operatione subsistere: sic internæ compunctionis amor non potest sine continuo deuotionis exercitio in mente hominis permanere. Mox enim vt labor studii spiritualis per negligentiam intermissus fuerit: omnis compunctio deuotionis paulatim euanescit. Nemo siquidem in sancto proposito stabilis & firmus potest persistere, qui feruorem mentis non quotidie per aliquod exercitium studet innouare. Quam cito nanque fomentum diuini amoris subtrahitur, in torporem deuotio commutatur. Dicit enim scriptura. In desideriis est omnis ociosus. Ne ergo mens paulatim à sancto feruore spiritus per ignauiam defluat, oportet vt se quotidie per aliquod exercitiũ spirituale renouare discat, quatenus dum fomẽtum amori singulis diebus impenditur, desiderium proficiendi amplius incendatur. Sic olim profecisse sanctissimos patres in ordine legimus, sic eos in deuotione permansisse scimus, quoniam humanæ mentis instabilitatem optime nouerant, & ideo excitare se ad nouum feruorem spritus quotidie solebant: Alius per lectionis sacræ studium mentem suam ad compunctionem deuotionis impulit, alius pro continuatione sancti propositi singulis diebus vicinæ mortis imaginem ante oculos inter nos posuit, alius per certum modum in orationibus semetipsum Domino cum lachrymis quotidie immolauit. Nullus inter eos sine quotidiano spirituali exercitio mentis fuisse creditur, nullus ocio deditus inuenitur, quia regnum Dei laborantibus in vinea Domini promittitur, ociosis vero denegatur. Hoc deuoti patres annalis capituli considerantes, præsens exercitium vnanimiter decreuerunt assumere, & practicandum suis subditis meliora non habentibus exhibere. Et licet tanta monachorum multitudo præfato capitulo subiecta ad vnius exercitii formulam restringi nec possit nec debeat, omnibus tamen in commune proponitur, vt isto, qui non habuerit melius exercitium, vtatur. Maxime autem congruit, vt nouiter conuersi ad ordinem subiecto se modo exerceant, donec fundati in humilitate, per compunctionem ad meliora crescãt. Qui vero se iam ex multo tempore in altioribus deuotione assueta commorari existimat, hæc saltem paruulis sine inuidia permittat. Nec enim dubito complures melioribus spiritualis exercitii modis deditos in ordine viuere: qui vouerint ex longa consuetudine in suprema regione spiritus per amoris diuini radium permanere. His puerilia nostra nequaquam ingerimus, quos gradibus præsentis exercitii sublimiores non ignoramus. Nos enim proficere incipientibus imperfecti scribimus, perfectos non docere, sed audire potius docentes humiliter parati sumus.

SECVN-

SECVNDA PARS PRINCIPALIS OPVSCVLI TRIPLICIS REGIONIS CLAVSTRALIVM,

quæ continet modum & formam quotidiani exercitii monachorum.

VEro regi domino nostro Iesu Christo secũdum monasticam regulam militaturus, in primis fortissima sanctę obedientiæ arma humiliter & perseueranter studeat assumere, deinde se assuescat in sanctis operibus iugiter exercere, orationibus sine intermissione cum deuotione insistere, & Deũ super omnia amare. Quicqd agit, solius Dei honorẽ p̃ferat, quicquid incohat, semper orationem ad dominum præmittat. Enimvero cum domino Deo loquitur, qui semper deuotis orationibus occupatur. Vt autem bonus cœnobita iugiter orandi modum cum eleuatione mentis in promptu habeat, præsens opusculum cum attentione crebrius legere non omittat. Ordinauimus enim in eo ad singulas horas & officia breues quasdam oratiunculas, per quas mens ad amorem cælestium sæpius erigitur, & feruor sancti propositi crebrius renouatur.

AD MATVTINAS.

EXcitatus igitur ad matutinas deuotus cœnobita, mox omnem à se somnolentiæ torporem excutiat, se vocatum ad militandum suo domino, cui professus est, credat. Studeat ergo regi suo cũ hilaritate occurrere, seq; ad ipsius immortale seruitium cum feruore spiritus humiliter præparare. Confestim itaq; se cum honestate maxima erigat, & sedens in stratu suo, seq; crucis signaculo muniens dicat.

ORATIO.

IN nomine patris, & filii, & spiritus sancti. Amen.

Sit nomen domini benedictum, ex hoc nunc & vsq; in seculum.

Deinde descendens de stratu suo: flexis genibus dicat.

GRatias ago tibi omnipotens Deus, qui me indignum peccatorem hac nocte custodire dignatus es, Rogo te per misericordiam tuam, vt me per hunc diem & omni tempore in laude tua dirigas, mundum me à peccato custodias, & in tuo sanctissimo amore dulciter accendas.

Vel dicat.

O adoranda trinitas, ô veneranda vnitas, per te sumus creati vera æternitas, per te sumus redempti summa tu charitas. Populum tu cunctum protege, salua, libera, eripe, & munda. Te adoramus omnipotens, tibi canimus, tibi laus, & gloria, per infinita sæcula seculorum. Amen.

Conuersus deinde ad beatissimam Dei genitricem Mariam virginem, dicat.

AVe Maria gratia plena Dominus tecum benedicta tu in mulieribus & benedictus fructus ventris tui Iesus Christus Amen.

MOnstra te esse matrem, sumat per te precem, qui pro nobis natus tulit esse tuus.

MAria mater gratię, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe.

GLoria tibi Domine, qui natus es de virgine, cum patre & sancto spiritu in sempiterna secula. Amen.

Ad primum signum.

PRimo autem insonante signo mox cœnobita interioris cubiculi secretum adeat, conscientiam suam mundando diligenter discutiat, & se in tribus sequentibus ad orationem præparando componat.

Media adrecte orandum & meditandum Genes. 15.

Primo quidem studeat mentem suam ab exterioribus rebus vanis & perituris ac spiritui contrariis ad interiora reducere, & nihil de secularibus vel temporalibus negociis penitus cogitare. Quemadmodum Abraham aues à sacrificio stans fortiter abegisse legitur, ita nobis faciendum contra mundanas cogitationes circumvolantes nos importune sub diuinis necessarium videtur. Ad hanc obliuionem transeuntium mentem suam cœnobita facilius potest inducere, si radicem sextam in secunda regione superius positam de vanitate præsentium sæpius ad memoriam voluerit reuocare.

Secundo mentis oculos in cognitionem suiipsius cum humilitate dirigat, sciens se sua virtute non posse in secundo feruore spiritus persistere, nisi diuina eum miseratio dignetur adiuuare. Denique ad laudandum creatorem suum, se monachus humilis dignum non esse intelligat, & inde auxilium à Domino & laudis dignæ meritum petat. Si vero de suiipsius cognitione amplius scire desiderat, quartam radicem deuotus monachus legat.

Tertio volenti Domino Deo in orationibus deuote assistere, necessarium est mentem cum feruore spiritus ad cælestia eleuare.

Dicit enim in sancto Euangelio dominus. *Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Dicit etiam deuotissimus Dei orator Bernardus. *Docendus est Christi tyrunculus in oratione sua cor sursum eleuare, spiritualiter orare, à corporalium imaginibus recedere, & nihil corporale cogitare.*

Sed quod non datur omnibus posse mentem ad Deum inuisibilem super intellectum erigere, oportet etiam infirmis de eleuationis faciliori modo prouidere. Vnde & dicit. *Infirmo autem meditanti vel oranti, imago dominicæ natiuitatis, humanitatis, & passionis vel resurrectionis tutius proponitur, in qua mens ad compunctionis lachrymas prouocetur, quatenus infirmus animus, qui non nouit, nisi corporalia, habeat quibus iuxta modum suæ capacitatis afficiatur ad diuina. Enimuero, dum per fidem in forma mediatoris Deum ab homine non diuidit, ad Deum aliquando in homine pertingit.*

Saluator enim noster mediator Dei & hominum Iesus Christus, Deus & homo est. Discat ergo cœnobita deuotus primam radicem diuinæ cognitionis sæpe reuoluere, quatenus se valeat per amorem altius eleuare. Quanto enim Deus perfectius cognoscitur, tanto ardentius amatur, & quanto plus diligitur, tanto melius laudatur. Laus namq; amori sẽper est proxima.

Vt autem cor tuum semper libere possis in oratione ad Dominum Deum erigere, disce nihil in hoc mundo singulariter amare, quoniam qui ad nullam rem penitus afficitur, rarius euagatur. Nihil enim sic exonerat cor liberumque reddit, nihil tam liberaliter sine angustia coram Domino conuersari facit, nihilq; tam cito & leniter post varios tumultus externos hominem ad interiora recolligit, quam in omnib. rebus & casibus nullo priuato affectu ad aliquid affici: sed Deo & superioribus suis resignatũ in omnibus humiliter cõuersari. Ad hæc qcq̃d pro gloria & Dei conseruatione regularis disciplinæ iniunctum taliter dispositum fuerit, hoc totum cœnobita cum humili obedientia, siue commodosum sit, siue molestum, synceriter assumit. Et hæc animi soliditas tam prospera quã aduersa contemnens mentem mirabiliter eleuat, & in fruitionem quandã amoris castissimi transformat.

Ad secundum signum.

SEcundo autem insonante signo cœnobita iam ad interiora sufficiẽter recollectus, cella cum maturitate exeat, semper Dominum in corde benedicat, cum prudentibus virginibus sponso festinet occurrere, signum se magni regis existimet audire.

Exiens

Exiens cellam dicat.

PRotege domine plebem tuam per signum sanctæ crucis ab omnibus insidiis inimicorum omnium, vt tibi gratam exhibeamus seruitutem, & acceptabile tibi fiat sacrificium nostrum.

Dirige nos domine in viam pacis, ad gloriam nominis tui sempiternam.

Ingrediens Ecclesiam dicat.

BEati qui habitant in domo tua domine, in secula seculorum laudabunt te. Munda me domine ab omni iniquinamento mentis & corporis, vt te laudare & benedicere in domo tua merear in æternum.

Transiens coram crucifixo dicat.

ROgo te amantissime domine Iesu per omnem amaritudinem sanctissimæ passionis tuæ, quam pro me sustinuisti, & maxime quando nobilissima anima tua egressa est de corpore tuo, miserere animæ meæ in egressu suo. Amen.

Ad aquam benedictam.

AVfer à me domine cunctas iniquitates meas, vt ad sanctorum pura mente merear introire. Asperges me domine hysopo &c.

Coram imagine beatæ Mariæ virginis.

O Florens rosa, mater Domini speciosa. O virgo mitis. O fæcundissima vitis: clarior aurora, pro nobis iugiter ora.

Coram altari transiens dicat.

GLoria tibi domine, qui natus es de virgine: cum patre & sancto spiritu in sempiterna secula.

Vel.

TE patrem ingenitum, te filium vnigenitum, te spiritum sanctum, sanctam & indiuiduam Trinitatem laudo, benedico, & adoro sine fine. O summa vnitas rerum omnium principium, miserere mei propter temetipsum.

Coram venerabili sacramento.

AVE viuens hostia, veritas & vita. In qua sacrificia prisca sunt finita. Per te patri gloria datur infinita. Per te stat Ecclesia iugiter munita. Dona mihi præmia, in æterna vita. Amen.

Vel

O salutaris hostia.

Stans in loco suo in choro.

CVm vero ad locum stationis suę consuetum in choro peruenerit: si vacat, cogitet quid sanctus pater noster Benedictus de orationis & psalmodiæ reuerentia in regula dixit. Deniq; psalmorum canendorum materiam considerans, intentionem suam illis studeat subiicere, & ad quid velit singula referre, sollicite præuidere. Si de aliquo sancto matutinale officium canitur, in memoriam illius psalmodia coram Domino dicatur.

Quod si materia psalmorum passioni Domini nostri Iesu Christi congruerit, in eius memoriam referenda erit: Sed spiritus compunctionis, si canenti affuerit, per amorem omnia docebit. Mens enim feruens in amore Dei, intentionem suam optime nouit ad laudem conditoris dirigere: & eam secundum proprietatem psalmodiæ in singulis versibus subito variare.

Nam iuxta materiam eorum, quæ cantantur, cum voluerit, se exercitat, & iam humanitatem Christi amplectitur, nunc subito in diuinitatem eius cum alio versu eleuatur. Potest nihilominus, si placuerit cænobita noster fidelis sub eodem signo durante feruorem sanctorum angelorum DEVM sine intermissione laudantium ad mentem reducere, & se iuxta vires suas illis pər desiderium conformare.

Ante omnes horas.

QVoniam virtus dominicæ incarnationis & passionis omnium sanctorum merita incomparabiliter exsuperat, ideirco amator Dei ante singulas horas ad Deum patrem hanc orationem cum mentis attentione, corde vel ore dicat.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui nos cum non essemus de nihilo creasti, cum perissemus misericorditer redemisti, rogo te per incommutabilem maiestatem tuam, suscipe has laudes & orationes, quas tibi nunc & omni tẽpore

dicturus ſum in illa vnione charitatis & dilectionis, qua vnigenitum filium tuum miſiſti in vterum beatiſſimæ virginis Mariæ: & in qua eum patientem & morientem pro nobis in cruce ſuſcepiſti. Amen.

Nota de præfata oratione.

NON putes hunc orandi modum eſſe friuolum, nec humana curioſitate adinuentum, quantum ſi Deum amicos ſuos per reuelationem multa docere cõſueuiſſe credideris, nihil huic formæ ſanctiſſimæ contradices. Quin potius lege miranda opera domini quæ amatoribus ſuis exhibuit, & inuenies quid de hoc modo & orandi forma Mechtildi & aliis reuelauit. Mihi autem penitus perſuaſum noueris, omnipotenti Deo orationem eſſe gratiſſimam, quam deuota mẽs in vnione paſſionis dominicæ Deo patri duxerit offerendam. Et hæc oblatio non ſolum in horis canonicis, verum & aliis orationibus miſſis & quibuslibet bonis exercitiis vel operibus præmitti mente, vel ore poteſt. Si vero per obliuionem præmiſſa non fuerit, poterit inter orandum interſeri, vel etiam poteſt conſummationem addi.

Qualiter ſe monachus in horis habere debeat.

IN principio diuinæ laudis cœnobita deuotus magnam diligentiam adhibeat, ne mens imagines vel cogitationes de rebus tranſitoriis admittat, quoniam niſi mox in principio vanæ cogitationes repulſæ fuerint, per totum officium intentionem cordis perturbabunt. Idcirco fidelis orator ſe totum in ſe recolligat, & nihil diuino famulatui iuxta regulã præponat.

Inter pſallendum materiam ipſam pſalmorum ad congruentem intentionis ſuæ aciem referat, ſenſum orationis prudenter reſpiciat, verba diſtincte & ordinate proferat, mente ſurſum tendat.

Poſt ſingulos vero pſalmos vel lectiones ſemetipſum diligenter conſiderando examinet, &, ſi adhuc compunctio deuotionis in mente feruеat, exploret. Si adhuc feruorem adeſſe inuenerit, ſanctis eum deſideriis amplius ſtudeat accendere, & ſemetipſum hæc vel ſimilia dicat. Væ mihi miſero, qui Deum meum tam negligenter laudo. Ecce Dominus meus amariſſime pro me tota nocte paſſus nullam requiem habuit, & ego vna hora vigilare cum eo non potui? Adiuua me domine Deus meus, vt tibi prudenter pſallare poſſim.

Deniq; ſub quolibet pſalmo ſemetipſum opportune per aliqua ardentia verba ad compunctionem feruoris excitet, quatenus per mentalem exhortationem affectum amplius inflammet. Vtinam, inquiens, Domine Deus ex toto corde ſuper omnia te poſſim diligere, & tibi ſoli iugiter adhærere.

O bone Deus incende cor meum in tuo ſanctiſſimo amore.

Amor meus crucifixus eſt, & ego quid facio ſuper terram?

O Ieſu dulcis amor meus, poſſide cor meum, quia theſaurus cordis mei es, Rex meus & Deus meus.

Poſt Matutinas.

COmpleto matutinali officio, confeſſionibuſq; factis vel auditis, confeſtim horam de ſancta cruce legere non negligat, qua completa hanc oraciunculam ſubdat.

Oratio.

OBſecro dulciſſime Domine Ieſu, per dolorem vulnerum tuorum & per ſanctiſſimi ſanguinis tui effuſionem, ac innocentiſſimæ mortis tuæ virtutem, miſerere mei nunc & in hora mortis meę Amen.

Deinde dicat.

SAnctæ & indiuiduæ Trinitati, Ieſu Chriſti domini noſtri crucifixæ humanitati, beatiſſimæ Mariæ ſemper virgini : & ſanctæ Annæ, eius venerabili genitrici, cum omnibus ſanctis ſit ſempiterna laus & gloria, per infinita ſecula. Amen.

Poſt

Post confessionem.

QVoniam finitis matutinis consuetudo nostra est, vt se per confessionem in die celebraturi disponant, idcirco deuotus cœnobita confessione sua quocũque tempore peracta mox pœnitentiam sibi iniunctam deuote perficiat, nec ad altare, nisi confessione sacramentali semper præmissa, quantum fieri potest, accedat.

In exeundo Ecclesiam.

IN exeundo Ecclesiam post singulas horas officio diuino completo, vel etiam quocunque tempore, ordinem & modum orandi in introitu Ecclesiæ superius descriptum potest repetere, & eundem ritum in singulis locis suis obseruare. Si autem modum hunc variare pro maiori deuotione voluerit, sequentes orationculas vel similes orabit.

Ante summum altare inclinans dicat.

BEnedicta sit sancta trinitas, atque indiuisa vnitas, confitebimur, ei quia fecit nobiscum misericordiam suam. O summa maiestas rerum omnium principium miserere mei. Amen.

Reuersus ad cellam.

DEinde post matutinas & singulas diei horas reuersus ad cellam deuotus Christi amator, ante stratum suum ad genua procidat, omnipotenti DEO humiliter gratias agat, quoniam insufficientem ministrum ad suum est seruitium dignatus admittere, & ibidem filiis suis annumerare. Dicat ergo hanc vel similem orationem.

ORATIO.

GRatias ago tibi omnipotens sempiterne Deus, quod me indignum peccatorem ad tuum seruitium nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordię tuæ vocare dignatus es. Rogo te per dolorem vulnerum domini nostri IESV CHRISTI vnigeniti tui, & per sanctissimi sanguinis eius effusionem, ac innocentissimæ mortis virtutem, suscipe hoc sacrificium seruitutis meę pro gloria maiestatis tuæ, pro peccatis meis, pro Ecclesia tua sancta, & pro animabus omnium fidelium defunctorum in pœnis purgatorii constitutis, in illa vnione charitatis, qua eundem Dominum nostrum IESVM CHRISTVM pro nobis in cruce suscepisti morientem, & concede mihi per meritum eiusdem passionis te in veritate diligere, & in tuo seruitio fidelem iugiter permanere. Amen.

Recollectio matutina.

DEinde conscientiæ tuæ examen parumper ingredere, & si in te conditiones boni claustralis in septimo articulo secundæ regionis descriptos adhuc habeas, vide. Si aliquid deesse cognoueris, quantocius reformare non negligas: ne paulatim per desidiam euanescas. Scriptum est enim. *Qui minima negligit, paulatim decidit.* Et sanctus amator Dei Augustinus dicit. *Nullum peccatum adeo paruum est quod non crescat neglectum.* Examinata igitur conscientia, & in sancto feruore reformata, dicat ad Dominum. *Eccl. 19.* *Au. serm. 89. de tẽp.*

Oratio pro perseuerantia.

CONcede quæ sumus omnipotens Deus per mertitum passionis Domini nostri Iesu Christi, & per intercessionem beate Mariæ semper virginis, sanctarũq; omnium cœlestium virtutũ, & beatorum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum, virginum, & omnium electorum tuorum, nobis in tua voluntate perseuerantiam, vt tibi placitam iugiter valeamus exhibere seruitutem. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Ascendens stratum.

INtrans lectum signo sescentæ crucis muniat, & cum attentione spiritus dicat. In nomine Domine nostri Iesu Christi, me intendo reponere, quatenus diuinam eius maiestatem confortatus possim amplius per diem collaudare.

Sedens in lecto.

PAx Domini nostri Iesu Christi, integritas beatę Mariæ semper virginis, signum sanctæ crucis, virtus dominicæ passionis & intercessio omnium sanctorum custodiat me nunc & semper. In nomine patris & filii & spiritus sancti Amẽ. Se signando reponat.

Exercitium cœnobitæ ad primas.

CONSIDERATIO. II.

CVM cœnobita noſter deuotus ad primas de more exercitatus fuerit, ordinem & modum ſe recolligendi & orandi ſuperius poſitum ante matutinas cuſtodiat, & muniens ſe ſigno viuificæ crucis dicat. In nomine patris & filii & ſpiritus ſancti. Amen. Deſcendens autem de ſtratu feruenſq; in ſecundo propoſito, rurſus ad genua procidat, & complosis manibus dicat.

ORATIO.

VEni ſancte ſpiritus reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende, qui per diuerſitatem linguarum cunctarum gentes in vnitatem fidei congregaſti. ℣. Emitte ſpiritum tuum & creabuntur. Et renouabis faciem terræ.

ORATIO.

DEVS cui cor omne patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet ſecretum, purifica per infuſionem ſancti ſpiritus cogitationes cordis noſtri, vt te perfecte diligere, & digne laudare mereamur. Per Chriſtum dominum noſtrum.

Addat. O florens roſa, & ſi quid aliud voluerit, pro deuotione adiiciat.

Ad primum ſignum.

AD primum deinde ſignum cuiuslibet horæ diei, vel etiam ad tactum horologii, ſi altioribus non fuerit meditationibus occupatus, dicat. Sit nomen domini benedictum, ex hoc nunc & vſque in ſeculum. Adiiciatque breuem aliquam oratiunculam ex mentis ardore formatam, hoc vel ſimili modo.

Oratiuncula.

SVſcipe me dulciſſime Domine Ieſu in ſeruum perpetuum vt te ſemper habeam vnicum bonum.

ALIA.

OBſecro te elementiſſimæ Deus, da mihi in ſancta religione tam innocenter viuere, vt ad te principium & finem omnis boni valeam peruenire.

ALIA.

VTinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas in omni tempore.

ALIA.

AMantiſſime Domine Ieſu rogo te per meritum ſanctiſſimæ paſſionis tuæ doce me omnia contemnere, vt te ſummum animæ bonum iugiter merear inuenire.

Deinde ſeruetur præparatorium generale ad orationis feruorem ſuperius ante matutinas poſitum, & purgetur conſcientia, ſi quid contra puritatem eius fuerit commiſſum. Veruntamen, ſi mens in contemplatione diuini amoris per iuge deſiderium eleuata fuerit, paruulorum exercitiis minus indigebit.

Ad ſecundum ſignum.

SEcundo ſigno tam ad primas, quam ad reliquas diei horas ſonante, ſeruetur modus ſuperius ad matutinas poſitus, quantum orandum permiſerit vnicuique tempus. Dum vero Eccleſiam cœnobita noſter intrat, vel egreditur, reuerentiam exhibere Deo coram altaribus & crucifixo non negligat, ſed humiliter inclinans orationes congruentes ex more dicat. Nam corporis modeſta inclinatio, interioris hominis fertur ad Deum bene ordinati oſtenſio.

In loco capitulari poſt primas.

INgrediens poſt primas locum capitularem cœnobita deuotus, pro victoria ſanctorum martyrum Deo gratias agere meminerit, quos in maximo feruore ſpiritus contempto ſuorum corporum cruciatu per mortis teſtimonium militaſſe domino cognoſcit. Cum ergo ſanctorum fortia geſta legi audieris, ora dominum, quatenus tibi meritis eorum tua peccata dignetur remittere, teq; ad portandũ iugum monaſticæ diſciplinæ pro conſortio ipſorum conſequendo miſericorditer roborare. Et hoc deſiderium tibi aſſumendum proponitur, dum lectis eorundem paſſionibus, diuinum auxilium ter ab omnibus inuocatur. In principio quoque diei hæc agimus, quatenus ſanctorum exemplis ad patiẽtiam robo-

roborati, per totum diem nulla aduersa timeamus. Cum autem martyrem aliquem audis fortiter perstitisse in agone certaminis, his vel similibus ad eum per orabis.

ORATIO.

SAncte miles regis æterni, rogo te per amorem Domini nostri Iesu Christi, qui te fecit carnis tormenta & mundi huius insidias vincere, ora pro me, vt ad tui consortium quantocius merear peruenire.

Si nomen confessoris, aut virginis, vel alterius conditionis sancti recitatum fuerit, facile deuotus DEI amator secundum affectus sui ardorem orationem ad sanctum quemlibet ex tempore variabit. Orationes enim affectuales, præ omnibus sunt efficaces.

Ad lectionem regulæ.

DVm lector passum vnum ex more de regula recitat, deuotus cœnobita in corde dicat. Adiuua me dulcissime Domine Iesu Christe, vt secundum hanc normam serui tui Benedicti religiosi possim viuere, & in tuo sanctissimo seruitio omni tempore fideliter permanere.

Deinde cogitet, quoniam, sicut regula bonis & deuotis ad profectum quotidie legitur, sic tepidis malis, seu negligẽtibus, vt sint inexcusabiles, ad damnationis cumulum recitatur. Denique nouerit se ad fidelem conatum obligari omnium quæ regula continet, quemadmodum tenor professionis habet. Sic enim in professione dixit. Promitto obediẽtiam & conuersionem morum meorum secundum regulã sancti Benedicti.

Formula professionis monasticæ.

Cum recitantur nomina defunctorum.

CVm vero post lectionem regulæ nomina defunctorum recitata fuerint, pro his & aliis commissis, & non commissis fidelibus omnibus non minus ex charitate, quam ex debito monachus sic orabit.

Oratio.

OBsecro dulcissime Domine Iesu per dolorem vulnerum tuorum, & per sanctissimi sanguinis tui effusionem, ac innocentissimæ mortis tuæ virtutem, miserere his animabus, & omnibus mihi in oratione commissis, ac omnibus fidelibus defunctis, & dona eis requiem sempiternam. Magnum siquidem opus misericordiæ est pro animabus in carcere purgatorii constitutis apud misericordem iudicem intercedere, & eis per memoriam Dominicæ passionis ex charitate subuenire. Credo enim firmiter & pia præsumptione confido, quoniam oratio quæ pro defunctis ex sola charitate funditur in sinum orantis duplicata reuertetur. Homo namque deuotus, qui hic per feruorem diuini amoris orando singulariter pro omnibus fidelibus defunctis eis in charitate compatitur: moriens inæstimabili mercede honoratur. Dicit.n. in sancto Euãgelio Dominus. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequẽtur.* Matt. 5.

De capitulo culparum.

CVm nihil sit in humanis actibus ex omni parte perfectum, gaudeat se deuotus cœnobita, imperfectionis suæ inuenisse remedium, quoniam quicquid in cœnobiis bene reformatis ex humana fragilitate delinquitur, quotidie emẽdatur. Capitulum enim culparum singulis diebus continuatum delicta publica diluit, confessio sacramentalis quotidie iterata per contritionis gratiam occultas negligentias remittit. Quatuor in cœnobio capitula cernimus, de quib. per ordinem dicemus.

Primum capitulum passiuum est, est dum frater se proclamat vel proclamatur ab alio.

PRimum capitulum passiuum dicitur, in quo se deuotus cœnobita noster de negligentiis suis proclamat, vel ab alio proclamatur. In hoc capitulo Dei amator, qui semetipsum sibi abnegauit, negligentias suas humiliter & accusat, & accusari ab aliis patitur, ne à domino post hanc vitam durius iudicetur. Dicit enim sanctus Dei Apostolus. *Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur.* Et Propheta Nahum dicit. *Non consurget duplex tribulatio.* Enimuero, qui hic pro peccatis suis pro Dei amore voluntarie nũc affligitur, dignum est, vt tanq̃ bene purgatus per conditoris misericordiam à futura tribulatione liberetur. Vtinã scirẽt oẽs clausirales, quantũ eis voluntarie sustinentibus proclamationes capitulares ad meritum vitæ sempiternæ proficerẽt, omnes accusationes & iniurias pro amore Dei, cũ in æstimabili gaudio sustinerẽt 1. Cor. 11. Nahũ. 1.

Plus

Plus enim meremur cum iniurias & aduersa, pro Dei amore & fraterna charitate patienter sufferimus, quam si bonis operibus insistamus.

Stans igitur in iudicio monachus deuotus, proclamationes quaslibet non metuat, sed accusari ab aliis in memoriã dominicæ passionis concupiscat, sciens coram se celsitudinis gloriam esse propositam, & humili patientiæ in cælo cõferendam. O frater, cur non sustineres proclamationes fratrum, qui cõsortium expectas angelorum? Absit à te omnis indignatio, absit murmuratio, procul cedat elatio. Non enim habes impatientiæ causam. Aut enim iuste proclamaris, aut iniuste. Si iuste, cur non sustineres? Melius est hic purgari in modicis, quam post hanc vitam in multis. Et qui peccat publice coram omnibus est arguendus. Si autem iniuste proclamaris, recordare te monachum, & inuenies ad iniurias obligatum. Dum enim iuste proclamaris per humilem patientiam purgandum te noueris: dum iniuste, verum te monachum ostendis & amplius mereris. Cum ergo proclamaris quartum & sextum humilitatis gradum ad memoriam reuoca: &, si verus es monachus, etiam pro te accusantibus ora. Verus enim Dei amator amplius proclamantem se diligit, & ei semper eodem die, aut orationem aliquam aut speciale obsequium impendit. Si bonus & sapiens es, non poterit tibi displicere proclamatio, si vero malus & stultus es, omni tempore dignus es proclamari. Dicit enim de sapiente scriptura. *Corripe sapientem, & diliget te.* De malis vero & stultis dicit propheta. *Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfecte abominati sunt.*

Prou. 9.
Amos. 5.

Secundum capitulum actiuum est, in quo alter proclamat alterum.

SEcundum vero capitulum actiuum dicimus, in quo non iam nosmetipsos, sed alium proclamamus. Ad actum huius proclamationis charitas summe est necessaria, compassio quoque non minus, quam discretio adhibenda. Cum ergo fratrem tuum ratione charitatis proclamare volueris, timorem Dei semper adhibeas, & memor consortii æternæ vitæ in principio dicas. Dilectus frater noster hoc vel illud commisit, rogo quatenus emendare se propter dominum velit. Quicquid dicendum fuerit, paucis verbis compatiendo proferat, factum simpliciter dicat, culpam proclamati aggrauando non augeat, præsidenti, vtrum bonum vel malum sit, quod fecit, sententiam tacitus committat. Qui enim inter plures solus culpam fratris sententiando aggrauat, zeli amaritudinis & displicentiæ suspicionem vt plurimum reportat. Ergo qui alium proclamare nititur, caueat, ne contra fratrem suum amaritudinis zelo moueatur, quoniam, si charitas proclamantis non interueniat, proclamatum rancor non emendat. Nunquam in delinquente auisatio proclamantis fructificat, quam amor Dei & fraterna charitas non commendant. Enimuero Deus omnipotens, cum sit summè bonus, proclamationi tuæ in corde fratris non dabit compunctionis propositum, cum te inuenerit, non ex charitate, sed ex displicentia ad proclamandum esse commotum. Nam vbi charitatis suæ radicem inuenerit, bonum fructum non negabit. Si autem cõtra fratrem tuum te senseris aliqua indignatione commotum, melius est proclamationem ad tempus intermittere, quam te alieno vulnere tam crudeliter sauciare.

Tertium capitulum est priuatæ humiliationis.

TErtium capitulum priuatæ humilitationis dicitur, quotiens frater à seniore pro suis negligentiis increpatur. Mãdat enim sanctissimus pater noster Benedictus in 72. cap. regulę. quod monachus quolibet loco vel tempore proclamatus, mox vt senioris sui animum etiam leniter commotum senserit, se debeat ad pedes illius prosternere, & ibi vsque ad iussionem eius humiliter iacere. Hic se excusare, vel culpam alteri imponere nullatenus permittitur, sed tacere, & se humiliter recognoscere monachus iubetur. Qui. n. verus monachus est, nec iuste correptus murmurat, nec iniuste proclamatus se excusat. In diuinis quoq; officiis cæteris q; conuentualibus locis, mox vt cœnobita deuotus in aliquo per negligentiam

gentiam offenderit, se humilians iuxta cõsuetudinẽ inibi satis facit, eligitq; potius maiorem pœnitẽtiam in dubiis agere, quã cum minore conscientiam ledere, vel scãdalum aliis procurare. Qui vero se ad hanc humiliationem omni tempore & loco subeundam adhuc grauem & difficilem intelligit, nõ spiritu ambulat, sed adhuc carnaliter viuit, qui nisi hunc iebusęum subiugando tributarium sibi effecerit nunquam verus & deuotus cœnobita erit.

Quartum capitulum est tractatuum & consiliorum.

QVartum capitulum deliberatiuum dicimus, quando fratres pro aliqua ardua causa ad cõsiliũ vocamus. Quemadmodum hoc capitulum celebrari debeat, S. Benedictus de adhibẽdis ad consiliũ fratribus in regula manifestat. Humilis ergo & verus cœnobita cum ad cõsilium vocatus fuerit, cum reuerentia & verecundia humiliter accedit, interrogatus quid sentiat, pauca loquitur, contemni suum consilium & aliena probari minime dedignatur. Quod. n. sentit, humiliter dicit: sed aliorum semper consilia suo præferens, & se & suam sententiã discutiendã præsidẽti veraci subiectione cõmittit. Adeo. n. in humilitate profunda seipsum annihilat, vt semper plus aliis quam sibimetipsi credat: confiditq; melioribus se bonum diuinitus inspirari cõsilium, & tanquam vicariũ Cnristi suum in mente omnibus solet præponere prælatum. Maxime siquidem ad mortificationem propriæ voluntatis monachus proficit, qui suam opinionem in consiliis dandis Abbati cum hilari humilitate omni tẽpore submittit. Cum autẽ deuotus cœnobita consilium suum contemni aut reprobari senserit, gratias omnipotenti Deo ex vera humilitate referat, & ablatam sibi occasionem superbiendi recognoscat.

Post capitulum quotidianum.

SI post capitulum culparum pro tertiis redeundum fuerit ad Ecclesiam, modus ordinatæ orationis superius in singulis obseruetur. Si vero ad cellam tuam de capitulo transieris, iterum flexis genibus sicut post matutinas,

Ad dominum orabis.

Deinde, si hora permiserit denuo se aliquantulum recolligat, & debitum professionis suæ ad memoriam reducat. Postea cœnobita sic oret.

Oratio.

DA mihi quæso Domine Deus in obseruantia mandatorum tuorum secundum beneplacitũ sanctissimæ voluntatis tuæ proficere, & debitum professionis meę iuxta normam mihi propositam cum feruore spiritus iugiter adimplere. Per CHRISTVM Dominum.

Ad priuatas missas.

CONSIDERATIO. III.

CVm natura humana vigorem ad ingressum regni cælestis ex seipsa non valeat percipere, placuit misericordissimo patri Deo per mortẽ Domini nostri Iesu Christi vnigeniti sui nobis misericorditer subuenire, vt qui propter infirmitatẽ nostrã accedere ad maiestatẽ inuisibilem nõ possumus, mediatorẽ, qui Deus sit & homo, pro nobis accedentẽ habeamus. Enimuero sanctissimæ passionis nostri mediatoris meritũ nobis aditũ regni cælestis aperuit, spiritualis vitæ alimentum dedit: & sicut à vite nutrimentũ palmes attrahit, sic in Christo mens nostra veraciter viuit. Hoc autem spiritus nutrimẽtum præcipua suauitate in sacramento corporis & sanguinis ipsius mediatoris nostri percipimus, quotiens illud in odorẽ suauitatis Deo patri deuote immolamus. Et hęc sacratissima oblatio corporis & sanguinis Domini non solum nobis ad veniam peccatorum proficit, sed ẽt animabus defunctorum in purgatorio constitutis mirabiliter succurrit. Magna igitur & continua deuotione tam nobile sacrificium immolandum est, quoniam opera nostra bona, quæ per se nimis sunt vilia, per hanc sanctissimam oblationem Deo patri fiunt grauissima. Vt ergo cœnobita noster deuotus immolationi huius pretiosi sacrificii feruenter possit insistere, quatuor velit per ordinẽ notare.

Missæ vtilitas.

De ministrante ad Missam.

MInistraturus ad Missam frater deuotus, cũ maxima hilaritate & feruore debet occurrere, & se ad ministrãdum sacerdoti diligẽtissime prępparare. Dicit n. sanctus Hugo. Ad Missas libenter ministra, quia officiũ angelorũ est, & cũ ad illud sacrificiũ ministras, illos tibi familiares efficis, quorũ cooperator assistis.

Si

Si iuxta promissum saluatoris, iustum susciens in nomine iusti, mercedem iusti recipit, quis ad Missam deuote ministranti celebrantis præmium negabit? Quisquis, n. cũ feruore diuini amoris celebrantibus ad ministrãdum semper deuote consueuit assistere, hunc diuina pietas etiam in hac vita solet aliqua speciali gratia remunerare, morienti quoq; sancti angeli tãquam familiariter noto creduntur occurrere, & animã ministri Iesu ad conspectum eius cũ gaudio præsentare. Sic namq; ad patrem orat in S. Euangelio filius. *Volo pater, vt vbi sum ego, illic sit & minister meus.* Magna est n. in hoc venerabili sacramento diuinæ pietatis dignatio, quoniam, sicut idem Hugo dicit, nihil minus videtur Deus facere in eo, quod quotidie dignatur de cœlo descendere super altare pro salute nostra, quam cum de cœlo descendens humanam naturam homo factus assumsit. Et sicut dominus noster Iesus Christus nobis in memoriã suæ amarissimæ passionis hoc venerabile sacramentũ ad indicium maximæ dilectionis contulit, sic eos, qui se ad suscipiendum illud, vel ad ministrandum sumentibus cum humili deuotione & amore disponunt, amplius & singulariter diligit, eisque in fide per illud postulantibus in omni necessitate succurrit.

Matt. 10.

Ioan. 12.

Neq; n. durus esse nobis plena fide orantibus Iesus poterit in cœlo præsidens: qui tam clemens & pius fuit misericordiam postulantibus in terris ambulans. Quis vnquã accessit ad pedes eius & repulsus est? Quis infirmus sanari petiit, quẽ ambulans inter homines non curauit? Nunquã ergo Dominus Iesus nobis in fide postulantibus misericordiam negare poterit, qui adhuc mortalis orantibus se tam misericors fuit. Ait enim. *Omnia possibilia sunt credenti.*

Mar. 9.

Ministraturus itaq; ad Missam ante omnia se purgare ab omni mala tentatione & inordinata affectione studeat, se quantum potest ad se per amoris Iesu desiderium reducat, quatenus purificatus Domino possit assistere, & tam pro se quã pro tota Ecclesia, viuis ac mortuis efficaciter orare. Stans igitur sub Missa post sacerdotem opportuno tempore his vel similibus verbis oret.

Oratio ministrantis.

O Dulcissime & amantissime Domine Iesu rogo te per omnem angustiam sanctissimi cordis tui, quam in passione tua sustinuisti, rogo per sanctissimi sanguinis tui effusionẽ, & per innocentissimæ mortis tuæ virtutem, rogo per sacrosanctum corporis & sanguinis tui mysterium, ad cuius tibi immolationem inutilis minister assisto, miserere mei & purifica cor meum ab omni affectione illicita, vt tibi digne valeam ministrare. Da mihi veram omnium peccatorũ meorum contritionem & indulgentiã, sanctæ compunctionis gratiam, iugem passionis tuæ memoriam, cordis purã deuotionẽ, lachrymarum fontem, serenæ conscientiæ puritatem, & sanctissimi amoris tui perpetuum feruorem. Da mihi obsecro clementissime amator hominum per dolorem vulnerum tuorum firmum in sancto feruore propositum; verum quoq; omnium mũdialium contemptum, continuum cęlestis patriæ desiderium, & certũ in sancta religione profectum. Concede mihi dulcissime Iesu in aduersis constantiam, in tribulatione patientiã, in moribus disciplinam, & veram semper & vbiq; in mente humilitatẽ. Fac me precor huius sanctissimi sacrificii corporis & sanguinis tui participem, quatenus mens mea præsentiæ tuæ dulcedinem sentiat, in tuo amore suauiter ardeat, & à te in æternum non recedat. Amen.

Oret ẽt pro suo pastore: oret pro tota cõgregatione, vt illum in sua voluntate dominus misericorditer dirigat, istam sub regulari obseruantia custodiens ab omni aduersitate defendat.

Insuper oret pro vniuersali Ecclesia, oret pro fidelibus & infidelibus, quatenus omnipotens Deus credentes in fide custodiat, non credentes ad fidem catholicam conuertat. Oret etiam pro conuersione vtilium personarum ad ordinẽ: per quas & suum monasterium in vtroq; statu proficiat, & tota obseruantia ordinis in melius crescat. Non obliuiscatur fidelium animarum in pœnis purgatorii misericordiam cõditoris expectantium, sed orans pro eis nouerit se post paululũ ad eas transiturum, vbi oratio nunc fusa in sinum orantis reuertetur. Caueat autem deuotus Christi minister, ne aliquid eorum, quæ suo incũbunt officio qualibet occasione negligat, ne ve celebrantẽ per suas orationes aut inquietudines distra-

distractum reddat. Dum vacat, sub silentio meditari vel orare poterit, dum ministrandum est, debet orationes saltem verbales intermittere, & sacerdoti in omnibus diligenter ministrando respondere.

Sub eleuatione sacratissimi corporis Christi poterit exemplo diui Thomæ Aquinatis cum attentione ad Christum dicere. Tu rex gloriæ Christe, tu patris sempiternus es filius, vsq; ad finem ipsius hymni.

Post eleuationem conuertat se deuotus cœnobita ad Dominum Iesum, cupiens ex intimo corde tanti mysterii habere consortium, & tanquam esset communicaturus suum præparet affectũ, quoniam quotiens deuotus Dei amator corpus Christi ex feruore cordis optat accipere, virtutem sacramenti creditur accepisse. Dixit enim Dominus Iesus ad animam quandam sibi amicam. Si homo feruens in amore meo corpus meum in die mille vicibus, si foret possibile, ex desiderio suscipere optauerit, totiẽs coram me per virtutem ipsius corporis mei desiderium suum in anima veraciter consequetur. Et ergo hoc desiderio in men e amantis Iesum concepto, sic vel simili modo cœnobita oret ad dominum.

Spiritualis communionis vtilitas.

Oratio ministrantis.

VTinam amantissime domine Iesu essem tam bene & feruenter dispositus, vt liceret mihi nunc sanctissimũ corpus tuum in hoc venerabili sacramento suscipere: vtinam liceret mihi sacram hãc communionem in die sæpius iterare. O dulcedo mea, ô spes mea domine Iesu, tu nosti mentis meæ ardorem in te, & coram te est omne desiderium meũ. Oro te per omnem bonitatem tuam, concede mihi virtutem & gratiam huius sanctissimi sacramenti, nunc & omni tempore in animam meam suscipere, vt in te valeam iugiter permanere.

Sacerdotis celebraturi diligens præparatio.

ACcessurus ad immolandum hoc sacratissimum corporis & sanguinis dominici sacramentum sacerdos prius se diligenter examinet, & cuius regionis sit ciuis cautissime exploret. Si adhuc se in fine regionis cultorem inuenerit, ad altare non debet accedere, nisi per contritionem & confessionem, firmumq; propositum emendandi se prius studeat expurgare. Si autem se ciuem secundæ regionis inuenerit, si potentias suas ad cœnobiticum finem reformatas & ordinatas offẽderit, facile se ad celebrandum potest disponere, quippe qui proprium affectum indies euacuando se crebrius per desiderium sursum didicit eleuare. Cito enim diuina bonitas affectum hominis ingregreditur, qui nullo desiderio proprio maculatur.

Volens igitur cum deuotione & feruore diuini amoris hoc sanctissimum officium sacerdotale perficere, præmittat aliquas orationes ardentes, quibus se ad compunctionem ampliorem valeat prouocare. Raro enim deuotio in altari conceditur, si mens ad feruorem non antea præparetur, idcirco patres nostri desiderantes vnumquemq; nostrum in sua libera deuotione proficere, noluerunt nos multis psalmis ante accessum altaris more quorundam occupare, non quod propterea sine recollectione aliquis deberet accedere, sed vt vnusquisq; posset suæ deuotioni conuenientioribus exercitiis seu orationibus in secreto liberius vacare.

Igitur eleuationem mentis in dominũ Iesum ante accessum altaris celebrantibus cupientes persuadere subiectam orationem ex ea quæ sancti fertur Ambrosii Mediolanensis Episcopi digessimus, quã in merito dominicæ passionis satis efficacem credimus. Accessurus itaq; ad altare cœnobita deuotus, cui vacat & libet, poterit istam vel similem orationem præmittere, vel quibus voluerit se modis præparare.

Oratio ante accessum altaris.

SVmme sacerdos & vere pontifex Iesu Christe, qui te obtulisti Deo patri hostiam puram, sanctam, & immaculatam, in ara crucis pro nobis miseris peccatoribus, quiq; dedisti nobis carnem tuam ad manducandum, & sanguinem tuum ad bibendum, & posuisti illud mysterium in virtute spiritus sancti dicens. Hæc quotienscunq; feceritis in mei memoriam facietis,

Rogo te per dolorem vulnerum tuorum, & per preciosissimi sanguinis tui effusionem, innocentissimæq; mortis virtutem, ac per ipsum corpus & sanguinem

tuum magnum salutis nostræ precium, rogo per hanc miram & inenarrabilem charitatem, qua nos miseros & indignos sic amasti, vt lauares nos à peccatis nostris in sanguine tuo, miserere mei, et indulge mihi omnia peccata mea, & doce me indignum seruum tuum, quem etiam inter cætera dona tua ad officium sacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ, per spiritum sanctum tuum, mysterium hoc ea tractare reuerentia & honore, deuotione & timore, quib. oportet & decet. Fac me obsecro de tanto mysterio illud semper credere & intelligere, sentire & firmiter tenere, dicere & cogitare, quod tibi placet & quod expedit saluti animæ meæ. Intret spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, & sine strepitu verborum loquatur in me veritatem tantorum mysteriorum. Profunda quippe sunt nimis & sacro tecta velamine. Propter magnam clementiam tuã dulcissime Domine Iesu, concede mihi Missarum solemnia puro corde & mũda cõscientia celebrare. Oro te per dulcedinem sanctissimi cordis tui amantissime saluator, libera cor meum ab omnibus vanis, immundis, noxiis, & illicitis cogitationibus, vt fiat dignum amoris tui habitaculum nunc & sine fine in æternum.

Rogo te, o amator hominum, dulcissime domine Iesu, per omnem virtutem sanctissimæ passionis tuæ, repelle à me spiritum elationis & superbiæ, cenodoxię & inuidiæ, libidinis & blasphemiæ, & reple animam meam virtute charitatis & innocentiæ. Rex virtutum, Iesu amator sanctæ castitatis & integritatis, rogo te per sanctissimam virginitatẽ beatissimæ genetricis & intemeratæ virginis Mariæ, ac per corporis tui reuerendissimi puritatem, extingue in me rore cælestis benedictionis fomitem ardentis libidinis, vt sit, & permaneat in me nitor totius puritatis. Mortifica in me obsecro stimulos carnis, & omnes libidinosas commotiones, & inordinatos affectus, & da mihi veram & perpetuam castitatem, vna cum cæteris donis tuis, quæ tibi placent in veritate, vt tibi omni tempore immaculato corpore & mundo corde sacrificium corporis & sanguinis tui valeam offerre.

Scio Domine, & vere scio, & idipsum bonitati tuæ confiteor, quod non sum dignus accedere ad tantum mysterium propter nimia peccata mea, & multas negligentias meas. Sed scio etiam, & ex toto corde meo credo, & ore confiteor, quia tu cum sis omnipotens, potes me facere dignum, qui solus iustificas impium, & de immundo potes facere mundũ. Ideo per omnipotentiam tuã te oro, concede mihi indigno famulo tuo, veram contritionem peccatorum meorum, puram quoque deuotionem & feruentissimam in tuo amore compunctionem, vt hoc sanctissimũ sacrificium cum timore & reuerentia, cũ puritate cordis & fonte dulcium lachrimarum, cum lætitia spirituali, cælesti gaudio, cum humilitate & feruore charitatis tibi valeam offerre. O dulcissime Domine Iesu concede mihi in hac hora misericordiam tuam, vt sentiat mens mea beatissimæ presentiæ tuæ dulcedinem, & sanctorum angelorum in circuitu meo deuotionem, & suiipsius in te placidam eleuationem.

Aufer à me Domine Iesu cunctas iniquitates meas, & tui amoris ignem clementer accende. Non irascaris mihi o Iesu ineffabile bonum, neque multitudinem viscerum tuorum super me contineas. Non enim in iustificationibus meis effundo preces ante faciem tuam Domine, sed in miserationibus tuis multis. Aufer à me Domine Iesu cor lapideum & durum, & da mihi cor carneum & compunctum, quod te timeat, te super omnia diligat, in te solo delectetur, te sequatur, te perfruatur in æternum.

O clementissime Domine Iesu, rogo te per sacrosanctum mysterium corporis & sanguinis tui, quo in Ecclesia tua sancta quotidie pascimur & potamur, abluimur & sanctificamur, atq; vnius summæ diuinitatis tuæ participes efficimur, da mihi virtutes tuas sanctas, quibus ornatus bona conscientia ad altare tuum possim accedere, ita vt hæc sacramenta cælestia fiant mihi salus & vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto & superbenedicto. *Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* O dulcissime panis, sana palatum cordis mei, vt sentiam suauitatem amoris tui. *Ioan. 6.*

Sana

Sana Domine cor meum ab omni languore, vt nullam præter te sentiat dulcedinem, nullum præter te quærat amorem, nullam præter te amet consolationem. O Iesu sanctissime panis vitæ & intellectus, inte habens omne delectamentum, & omnem suauitatem odoris, qui nos de te semper reficis, & in te nunquam deficis, comedat te cor meum obsecro, & dulcedine suauitatis tuæ repleatur anima mea. O panis sancte, ô panis viue, panis pulcher, panis munde, qui de cœlo descendisti, & das vitam mundo, veni in cor meum, & munda me ab omni inquinamento mentis & spiritus. Intra in animam meam, sana & sanctifica me omni tempore. Esto tutamen & continua salus corporis & animæ meæ. Repelle à me insidiantes mihi hostes, vt sacramẽto corporis & sanguinis tui munitus, pro te recto tramite sub regulari disciplina proficiam, & ad regnum tuum post hanc vitam lætus perueniam.

Prolixitatis excusatio.

Si cui hæc oratio nimis prolixa visa fuerit, legat partem quam voluerit, quoniam ob id ad eam in paragraphos breues distinximus, vt tædium tolleremus. Is vero qui nec totam, nec partem legere vult, frustra de prolixitate conqueritur, cum nec longam nec breuem velle orare conuincatur.

Meditatio ante accessum altaris.

Denique per meditationem Dominicæ passionis, vel saltem vnius sacratioris articuli aut pluriũ, si ad sit temporis opportunitas mens deuoti hominis mirabili operatione compungitur, si consuetudo sapidæ meditationis habeatur. Sapidam vero dixerim meditationem Dominicæ passionis, quando homo purificatus per veram mortificationem, mox vt passionem Domini cogitando reuoluere cæperit, in lachrymas sine violentia ex solo amore resoluitur, & ex nimio feruoris desiderio quasi in quendam mentis excessum præparatur. Qui hoc donum accepit à Domino, nunquam melius ad celebrandum se præparare poterit, quam si ante accessum altaris semper de passione Domini vnum ad minus articulum meditando cum lachrymis transcurrit. Enimuero cum Missarum celebratio in memoriam Dominicæ passionis per ipsum redemptorem nostrum instituta sit, nunquam se homo ad illam melius & fructuosius præparat, quam si per meditationem ipsius amarissimæ passionis feruentius inardescat.

Mentis sub celebratione sacerdotis ad Deum eleuatio.

CVm quanta reuerentia deuotione & puritate mentis omnipotenti Deo in altari debeamus assistere, quis sermo exprimeret, vel quis intellectus capiendo penetraret? Ibi enim verũ corpus & verus sanguis Domini nostri Iesu Christi ineffabili modo conficitur, ibi Dominus maiestatis veraciter præsens adoratur, ibi exercitus angelorum inuisibilis suo regi assistens coniubilat, ibi Deum & hominem Iesum tota cœlestis curia adorat. Maxima ergo puritate mentis, maxima reuerentia & humilitate opus est, cum tantæ maiestati debemus assistere, ne aliquid in nobis scrutans renes & cor, quod offendat, Dominus Iesus possit inuenire. Cedant hinc procul omnes mundi sollicitudines, recedant omnes cogitationes, nihil hic cogitet, nisi quod ad consummationem tanti ministerii pertinet, nihil versetur in mente nisi quod in præsentia tantæ maiestatis & gloriæ decet. Hic enim non humanę virtutis officium, sed diuinæ maiestatis miraculum agitur, patri Dei filius immolatur, corpus redemptoris nostri in veritate sumitur, reparationis nostræ mysterium celebratur. Stãs igitur in altari sacerdos meminerit se inuisibili maiestati assistere, & caueat quicquam aliunde cogitare.

Post celebrationem mentis diligens seruetur custodia.

POst celebrationem vel Dominici corporis & sanguinis communionem omnipotenti Deo gratiarum actiones deuotus cœnobita referat, seque per totum diem in concepta puritate & deuotione mentis per spirituale exercitium custodiat, affectiones suas ignitis radiis in Deum dirigat, & à sancto proposito non tepescat. Studeat ante omnia nihil in hoc mundo diligere, sed cor suum omnibus terrenis affectionibus penitus exutum ad diuini amoris incen-

dium iugiter eleuare. Semper cogitet, quomodo iam deinceps vitam suam quasi de nouo in sancto feruore conuersationis instituat, seq; pro sæpius iterata susceptione tanti hospitis humiliter disponat. Deniq; per diem in laboribus sibi iniunctis sæpius orationem aliquam in virtute & vnione illius sacramenti Deo patri offerat, quatenus semetipsum per sanctæ communionis & obedientiæ regularis exercitia in diuino amore amplius accẽdat. Et hunc diuinum amorem maxime per virtutem huius venerabilis sacramẽti consequimur: si in memoriam dominicæ passionis illo sæpius communicando per compunctionis gratiam renouemur. Enimuero deuota mens hominis per cõmunionem huius sacratissimi sacramenti inferuorem diuini amoris efficaci operatione accenditur: & abnegata sibi penitus in Christum per gratiam vnita transformatur. Quanto ergo vnusquisq; sibimetipsi per veram resignationem abnegatus in memoriam dominicæ passionis se domino hostiam viuam obtulerit, tanto ad digne celebrandum magis dispositus erit.

Post priuatas missas, rediens ad cellam.

CElebratione Missarum finita gratiarumq; actionibus ex more terminatis, reuertatur ad cellam monachus : & præmissa oratione consueta, vt supra ad matutinas, paulisper seipsum recolligat, & à sancto proposito perseuerantiæ amplius accendat. Deinde conuersus ad dominum dicat.

Oratio.

OBsecro te dulcissime domine Iesu per virtutem sanctissimi corporis & sanguinis tui, quod accepi, licet indignus, concede mihi amoris tui dulcedinem, fraternæ dilectionis synceritatem, in tentatione fortitudinem, in corde puritatẽ, & in moribus disciplinam, vt professioni meæ te largiente satisfaciam, & in tuo sanctissimo amore iugiter proficiam. Deinde vsq; ad primum signum pro choro legat aliquid boni, meditetur, aut oret, vel certe scribat, & operi ex obedientia sibi iniuncto feruenter insistat.

Ad primum signum pro choro, ante summam missam.

CVM primum signum insonuerit ad horam quæ summæ Missæ ex more præmittitur, mox cœnobita dimissis omnibus, quæ in manibus habuerit, orationes præparatorias ad chorum legat, sicut ante matutinas in superioribus ordinatæ sunt. Postea vadat ad chorum, cum reuerentia & maturitate, inclinans & orans iuxta ritum superius positum.

Ad summam missam.

CONSIDERATIO IV.

SVb compulsu ad summam Missam poteris horam, de sancta cruce debitam legere, & postea, quantum permiserit tẽpus, aliquid de proemio priuatis missis præposito ad memoriam reuocare. Summa enim salutis nostræ in merito passionis domini nostri Iesu Christi posita est, nec meritorium nobis aliquod opus bonum creditur, quod in eius virtute non offertur. Huius autem passionis memoria in celebratione Missarum peragitur, vbi agnus innocens pro nobis occisus, ineffabili mysterio Deo patri immolatur. A solo igitur Saluatore nostro Domino Iesu Christo, quem passum pro nobis credimus, salutem veraciter speramus. Et ideo, quicquid in collectis Ecclesia postulat, per ipsum dari sibi à Deo patre humiliter rogat. Hunc itaq; respectum meriti dominicæ passionis cœnobita noster deuotus in corde habeat : super quo totum Missæ officium tanquam super molarem inferiorem lapidem suauiter recurrat. Omnis enim Missa, vndecunq; sit, quæ in S. Dei Ecclesia dicitur, ad meritum passionis dominicæ omni tempore refertur.

De introitu Missæ.

NOn autem intendimus officiũ Missæ per singula exponere, cum vnusquisque nostrum expositiones complures aliorum possit inuenire, sed dare occasionem meditandi deuotis fratribus cupimus, quos internis desideriis inflammari scimus.

Primam itaq; partem introitus, & versum ad incarnationem domini meditando potes reducere, repetitionem cum Gloria, ad eius natiuitatem referre. Nihilominus, quid contineat Introitus secundum sensum literalem diligenter debes inspicere, vt conuenientem tibi spiritu-

ſpiritualem intelligentiam poſſis inuenire. Nihil enim fruſtra in diuino officio agitur, ſed omnia myſteriis & ſacris actionibus implentur.

De Kyrieleiſon.

KYrieleiſon græcũ eſt, & compoſitum ex nomine & verbo, & apud eoſdem ſunt duæ dictiones. Prima enim à Kyrios quod eſt Dominus, Kyrie in vocatiuo dicitur, ſecunda ab eleeo, quod eſt miſereor. eleyſon, miſerere, in imperatiũo profertur. Inde fit Kyrieleiſon, id eſt, Domine miſerere, per eliſionem pro Kyrie eleiſon, quoniã vocalis ante vocalem propter meliorem ſonum elidi poteſt.

Ter itaq; ad patrẽ Kyrieleiſon dicitur, vt qui filium ſuũ pronobis ex nimia charitate incarnari ex virgine & mori voluit, ſua nobis miſericordia in neceſſitatibus ſubuenire velit.

Ad filium quoq; tribus vicibus, Chriſte eleiſon dicimus, in quo ipſum vt nobis ſubueniat oramus.

Ter etiam Kyrieleiſon ad ſpiritum ſanctum proferimus, in quo ipſum per ſuam ineffabilem bonitatem in noſtrum adiutorium humiliter inuocamus.

De Gloria in excelſis.

DEinde Gloria in excelſis Deo, ſingulari numero dicitur, in quo patrem & filium & ſpiritum ſanctũ, vnũ ſolum verum Deum in trinitate perſonarum & vnitate ſubſtantiæ cõfitemur. Cõſequenter ipſi hymno angelico oportet cœnobitam valde eſſe deuotum, & ad ſingula verba, vt ita dixerim, ſingulariter intentũ, in quo bonæ volũtatis hominibus donũ pacis promittitur, & Deus variis ſententiis humiliter à nobis adoratur.

Ad Collectas.

CVm vero collectæ ſeu orationes à ſacerdote proferuntur ad Deum, ſtans in cliuis cœnobita nihil aliũde cogitet, ſed auſcultans ad verba ſacerdotis, ſuum deſiderium illis concordans Deo repræſentet.

Ad Epiſtolam.

CVm legitur epiſtola, diligenter ad omnia debes intendere, & Deo cum maximo feruore ſpiritus gratias agere, quod deſerto Iudaico populo, te & progenitores tuos ex gentili errore ad ſuam fidem tam miſericorditer voluit vocare.

Ad Graduale.

SVb Graduali, alleluia, ſequentia, vel tractu, cogita quam longum ſancti patres habuerint deſideriũ, qui ante Chriſti incarnationem optabant aduentum. Poſtea reuolue, quam multis laboribus & iniuriis ſaluator tuus per annos tres & triginta in hoc mundo, pro te fatigatus fuerit, qui ſemetipſum pro tua ſalute in mortem volũtarie dedit. Deinde longum in carne & periculoſum animæ tuę memorare exilium, vt amplius poſſis per hanc meditationem præſentis miſeriæ ad diuinum amorem tuum inflammare affectum.

Sub Euangelio.

SVb ſancto Euangelio elauata mente in Dominũ exultans age gratias, quoniam te naſci ex Chriſtianis parentibus miſericors pater voluit, & quia te ſanctæ ac ſuauiſſimæ doctrinæ ſuæ participem fecit.

Sub Symbolo.

CVm ſymbolum catholicæ fidei canitur, omnia verba & myſteria cum humili feruore ſpiritus conſidera, te totum in te mox recolligere feſtina, quatenus vocãti te ad fidẽ ſine tuo merito gratias poſſis agere, & in ipſum te per amorem ſpiritus eleuare. Cogita, ſi potes, immo quantum potes, quam magnus, excelſus & immenſus ſit Dei filius, qui pro te incarnari voluit, quam dura & amara pro te tolerauit.

Ad Offertorium.

SVb offertorio mentem tuam cum hoſtia conſecrãda in oblationem applica, quid ibi agatur myſtice penſa. Eſt enim hoſtia rotunda & candida. In candore puritas, innocentia, & paſſa humanitas noſtri Saluatoris Deo patri pro nobis contra omnes impuritates noſtras offerenda proponitur, in rotunditate eius immenſa diuinitas nobis in præmium propoſita offertur. Dic ergo ad Dominum.

Oratio.

QVod tibi offeram omnipotẽs Deus, munus condignum non habeo, in

sacrificium meipsum tibi trado. Suscipe igitur sanctissime pater in vnione sanctissimæ oblationis corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi vnigeniti filii tui, me tibi in munus æternum, & in seruum perpetuum, & da mihi continuum sancti amoris tui incendium, vt tibi placitum iugiter possim exhibere famulatum. Per eundem.

Oratio.

OFfero tibi omnipotens Deus vitam, passionem & mortem eiusdem Domini nostri Iesu Christi pro peccatis meis, pro sancta Romana & vniuersali Ecclesia, pro summo Pontifice, pro Episcopo nostro, pro Abbate nostro, pro confratribus meis omnibus, pro vnione obseruantiæ nostræ, pro toto quoque ordine nostro, pro salure omnium fidelium, pro conuersione infidelium, & pro redemptione fidelium animarum in pœnis purgatorii existentium. Suscipe obsecro sancte pater hanc oblationem meam in vnione charitatis illa, qua eundem Dominum nostrum Iesum Christum in cruce pro nobis morientem suscepisti & placeat tibi.

Sub Præfatione.

SVb Præfatione cura mentem tuam à terrenis omnibus ad cœlestia erigere, & ad laudandum Dominum cum sanctis angelis præparare. Memento quod per meritum dominicæ passionis ad consortium angelorum vocatus es, & cura vt ad illud per obseruantiam mandatorum peruenias.

Ad Sanctus.

MEnte sursum eleuatus cum *Sanctus*, canitur patrem & filiũ & spiritum sanctum vnum Deum & Dominum glorifica, eius maiestatẽ cum sanctis angelis omni tempore humiliter adora.

Sub Canone.

POst sanctilogium sub Canone meditationem Dominicę passionis poteris assumere, & eam per singulos articulos maiores principales, Deo patri, pro te, vel pro aliis, aut qualibet necessitate offerre. Dic ergo tali vel simili modo.

Sancte pater offero tibi sanguineũ sudorem & lachrymas Domini nostri Iesu Christi amantissimi filii tui, in illa charitate & vnione, qua semetipsum tibi voluntarie in mortem pro nobis obtulit, pro peccatis meis, vel pro illo fratre, aut illa vel illa necessitate. & rogo te per dolorem vulnerum eiusdem dulcissimi filii tui, & per sanctissimi sanguinis eius effusionem ac innocentissimæ mortis eius virtutem miserere mei, vel illius, aut concede nobis hoc, vel illud, &c. Per eundem Dominum nostrum.

De cæteris quoque articulis Dominicæ passionis similiter agere poteris, & eos secundum affectionis tuæ intentionem offerendo ampliare.

Ad eleuationem,

SI in eleuatione corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi mens tua in altioribus occupata non fuerit, poteris orare ad Dominum, qui veraciter præsens est, hoc modo.

Oratio.

TV rex gloriæ Christe. Tu patris sempiternus es filius. Tu ad liberandum, &c. vsque in finem. Hanc enim partem hymni sanctus Thomas de Aquino sub eleuatione orasse ad Dominum legitur.

Ad Agnus Dei.

CVm *Agnus Dei* canitur, mentem tuam ad Dominum Iesum singulari fiducia subleua, & vt te ad pacem perpetuam suscipiat suppliciter ora. Ad eum, pro cuius amore omnia reliquisti, affectum dirige, stabilem ab eo profectum sancti propositi pro sacræ communionis susceptione pete.

Ad Ite Missa est.

QVando in fine, *Ite missa est* canitur, fac vt mens tua cum sanctis angelis reuertentibus in cœlum subleuetur, quatenus Dominum Iesum in maiestate præsidentem per desiderium merearis conspicere, quem in Sacramento missum ad patrem iam in terra non potes amplius videre. Accende itaque desiderium tuum per imaginem desolationis, more eorum, qui suis inuiti separantur *ab amicis*. Dic ergo in corde tuo.

Meditatio.

ECce Dominus meus ad cœlos rediit, me desolatũ in terra dereliquit. Quid hic ago cum mortalibus, qui Dominum habeo immortalem? Cur illum non sequor: Heu mihi, quia incolatus meus prolon-

prolongatus est, habitaui cum habitatoribus tenebrarum, multum incola fuit anima mea. Cupio dissolui & esse cum Christo, sed quis me infelicem hominem liberabit de corpore mortis huius? O amantissime Domine Iesu, O spes mea ò Deus & saluator animæ meæ, trahe me post te, currã in odore vnguentorũ tuorũ. O dulcis amor meus, non obliuiscaris mei in finẽ, sed digneris mentem meam in te frequenter sustollere, vt qui te corporaliter videre in hac mortalitate constitutus nequeo, saltem affectu & desiderio in tuo sanctissimo amore subleuatus te in spiritu crebrius merear in gloria contueri. O salus mea, ô cor cordis mei, amantissime Iesu, non derelinquas me, neq; despicias, esto mihi propitius adiutor, & dirige me semper in tua sanctissima voluntate, vt tibi veraciter valeam complacere.

Post summam Missam & horam sequentem.

POst finem horæ quæ summam Missam immediate sequitur, consueta reuerentia superius descripta ad cellam tuam reuertere, orationes, vt post matutinas docuimus, per feruorem spiritus ad Dominum funde, quod reliquum est temporis meditationibus insiste. Cogita fæditatem peccati, quoniam à Deo separat, & auersum non pœnitentem inæternum damnat. Cura igitur voluntatem tuam firmissimo proposito ad Deum omnino conuertere, & peccati contagium pro viribus omni tempore vitare.

De refectione regulari.

CONSIDERATIO V.

CVm vero signum ad refectionem pulsatur, infirmis, egenis, & pauperibus necessitatem patientibus ex affectu compatere, & pro eis cum aliud non possis Dominum deprecare. Cogita multos inter Christianos esse te longe meliores, quos dura paupertas in hac vita opprimit, quibus nec cibus ad victum necessarius hac hora porrigitur, nec vestes saltem tenuissimæ ad amictum corporis ministrantur. Tu autem, Monachus cum sis, contemptor seculi, optimis indutus vestibus, tanquam princeps ad mensam resides, cibus tibi ad sacietatem per fratres te meliores apponitur, omnia vsque ad nauseam tibi indigno peccatori per Dei seruos necessaria ministrantur. Cogita igitur, quem hęc opulentia rerum in monacho habitura sit exitum, quoniam qui per ingressum religionis paupertatẽ professus es, nunc in religione splendidius seculi diuitibus epularis. Cura igitir, vt tantis beneficiis Dei non sis ingratus, viue secundum regulam, quam professus es, ora pro conferentibus monasterio tuo substantiam temporalem, vt illis Deus omnipotens vitam misericorditer tribuat æternam.

De lectione mensali.

REsidens autem ad mensam, inter edendum esto compositus, noli hinc inde respicere, sed stude cibum tibi appositum ad necessitatem naturæ duntaxat cum humilitate & gratiarum actione manducare. Quid legatur ad mensam, diligenter considera, vt quemadmodum corpus suo cibo reficitur, ita & anima sua refectione minime defraudetur. Disce mentem tuam inter edendum ad cœlestia frequenter erigere, & per verbum sacræ lectionis, quod nobis manducantibus nunquam deest, diuina compunctione temetipsum dulciter inflammare. Verus enim & internus Dei cultor, quotiens de amaritudine Dominicæ passionis, de feruore diuini amoris, vel de regno patiæ cœlestis, etiam inter epulas legi aliquid audierit, statim ex nimio desiderio ingemiscit, affectus in amoris ardore succenditur, nimia dulcedinem compulsus homo lachrymatur. Enimuero mens, quæ Dominum Iesum veraciter diligit, mox, vt nomen eius audierit, vel imaginem crucifixi aspexerit, in compunctionem resoluitur, & per affectum ad pedes vel amplexus illius eleuatur.

Ad gratias.

COmpleta refectione, age gratias Domino, & dum sub psalmo vadis ad ecclesiam, mentem tuam sursum dirige pro benefactoribus viuis & defunctis intercede. Si post gratias aliquam singularem orationem pro defunctis addideris, benefacis.

De lectione regulari.

REdiens de refectorio ad cellam, si non sit dies ieiunii, consuetudinem

orandi perfice: deinde boni aliquid ad ædificationem lege, meditare, vel opus, quod tibi iniunctum est fac, aut scribe. Si aût dies ieiunii fuerit, assumpto volumine studii tui locum lectionis regularis ingredere, sedens cum aliis, q; volueris, sub silentio lege. Cum vero ad dicendum aliquid boni interrogatus à præsidente fueris, pauca & vtilia sine curiosis allegationibus humiliter respondebis. Non vtaris prolixo sermone, nec secularium vanas curiositates in medium proferas, circumsedentes fratres tuos aut rectores tuis sermonibus non inuoluas, sed mentis tuæ conceptum paucis simpliciter exprime, nisi forte præsidens ex certa consideratione te iusserit sermonem facere longiorem.

Exercitium monachi post prandium vsq; ad vesperas.

Consideratio VI.

POst lectionem ad cellam reuersus, operibus tuis semper aliquam orationem debes præmittere, & in omnibus, quæ facis Dei auxilium postulare. Existens autem in cella non sis ociosus, sed semper aliquid boni facito, maxime quod obedientia iniunxerit Abbatis. Nunc ora, nunc scribe, lege aliquid boni aut meditare, quoniam cella monachum ociosum, aut bestiam facit, aut dæmonem. Sed de his suo loco in sequentibus latius dicemus. Cura, vt tempus expendas vtiliter, quoniam de omnibus Deo rationem in breui es redditurus.

De incolatu cellæ & operibus in ea faciendis.

TRia sunt loca, in quorum aliquo monachus deuotus & Deum amans frequentius debet inueniri. In Ecclesia videlicet, in cella, & suo tempore in refectorio. Vagari autem per cœnobium non permittitur, quia de malis & reprobis & gyrouagis scriptum est. *In circuitu impii ambulant.* *Psal. 11.* De viro autem iusto dicit Ieremias. *Bonum est viro cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua, sedebit solitarius & tacebit, quia leuauit se super se.* *Thren. 3.* Quinque autem sunt opera cellæ præcipua, primum est iussis intendere: secundum est vtiliter legere: tertium est meditationi opportune insistere: quartum est frequenter orare: quintum decenter quiescere. De his per ordinem breuiter dicamus.

In cella primo debes iussis intendere.

PRimo quidem existens in cellæ habitaculo disce iussis intendere, & tuas deuotiones ociosas obedientiæ non præferre. Dicit enim scriptura. *Melior est obedientia quam stultorum victimæ, & auscultare magis quam offerre adipem.* *1. Reg. 15.* Igitur si tibi in cella aliquid ad operandum iniunctum fuerit, noli semitas obedientiæ qualibet occasione transgredi, sed studeopus tibi impositum propter amorem Domini nostri Iesu Christi & meritum sanctæ obedientiæ diligenter operari. Hinc quietis amator Hugo dicit. *Libenter esto in cella, & semper age aliquid in ea, quod ædificet te & à maiore iniungitur, reputans, quod tui iuris non sit, eam exire sine licentia,* præter naturæ necessitatem. Habes & de hoc sanctissimi patris nostri Benedicti prohibitionem in regula, qui tibi egressum & discursum interdicit sine licentia.

Secundo in cella debes vtiliter legere.

MAxime decet monachum in cella existentem semper aliquid boni legere, & se vtiliter in omnibus occupare. Lectio enim sacra tentationes diaboli superat, carnis incendia sedat, mundum facit contemnere, ad cœlestia mentem eleuare. Veraciter enim dixit diuinæ scripturæ amator Hieronymus. *Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis.* *Hier. ep. 4.* Non sunt monachis omnia legenda omnibus, quoniam qui adhuc infirmus est animo, non nisi doctrinis simplicibus est imbuendus. Et Hugo ait, ad monachum simplicitatis amantem. *Non legas ad hoc, vt doctior habearis, neque curiositates legas quæ non ædificant, quoniam vana lectio vanas cogitationes generat, & mentis extinguit deuotionem.* Legenda sunt igitur simplicioribus monachis simplicia, non alta, deuota non curiosa, quatenus qui propter ingenii tarditatem non sunt in altoribus docti, in vanis non fiant dissoluti. Qui autem fortiores sunt animo, conuenientia eis studia non interdicimus, quoniã omnia munda sunt mũdis, nihilque nocet lectum veraciter deuo-

deuotis. Veruntamen nemo sibi vsurpet fortitudinem animi, quam non habet; sed in discretione Abbatis ponitur, quis ad libertatem lectionis idoneus esse videatur.

Tertio in cella meditationibus opportune debes insistere.

QVemadmodum flos de radice oritur, sic ex lectione meditatio generatur. Si lectio vana fuerit, etiam meditatio infructuosa & inutilis erit. Fructus enim lectionis meditatio est, & meditationis genimen oratio. Cura igitur sanctis meditationibus opportune insistere: vt discas etiam aliquando mentem per feruorem diuini amoris in contemplationem eleuare. Deniq; meditatio ipsa mentem eleuat, & lectionis studium memoriæ commendat.

Quarto debes in cella frequenter orare.

1. Thess. 5. MOnet nos sanctus Apostolus orationi sine intermissione insistere, quia sicut nobis necessarius est semper halitus ad vitam carnis, sic omnino necessaria est continua oratio ad sanitatem mentis. Nam sicut lectionibus ad bonum instruimur: ita orationibus à malo liberamur. *Matt. 7.* Dicit enim in sancto Euangelio Dominus. *Orate, vt non intretis in tentationem.* Oratio namq; mentem esurientem reficit, carnalis concupiscentiæ incendium extinguit, mores instruit: demones repellit. Si vis semper esse cum Deo; semper ora. Sit autem oratio tua pura, simplex, & munda, sit per feruorem amoris ad Deum fusa, & non esse non poterit infructuosa.

Quinto debes in cella decenter quiescere.

OPtime quiescit, qui nihil mali committit. Bene quiescit, qui omnes mũdi occupationes contemnit. Esto quietus in cella, vt nulla hinc inde cogitatione vageris, esto mente purus atq; tranquillus, vt sapidam scientiam consequi merearis. Dicit enim sanctus in carmine *Prosper in lib. epigram. c. 26. & 91.* Prosper. *Tranquillam & vacuam curis sapientia mentem, Imbuit, & placidi pectoris hospes erit.* Et iterũ dicit. *Scrutari legẽ possunt vtcũq; quieti. Si mundi à strepitu libera corda vacẽt. Vt mens ergo piis studiis intenta iuuetur? Iurgia diuinus carnea vincat amor.* Consiste igitur in cella quietus, & poteris veritatem amando cognoscere. Mens n. tranquilla diuinæ sapientiæ capax esse non poterit, quando corpus inquietum existit. Hinc Hugo dicit, *in dormitorio esto quietus, ne alius per te inquietetur*, euigilans autem, siue dormire cupiens, semper occurrat tibi memoria bonitatis Dei cum gratiarũ actione, quemadmodum ipse super nos semper vigilat, quatenus nos sibi humiliter seruientes ab omni malo custodiat. Cum pergis ad stratum tuum, prius aliquid de Deo cogitando vel meditando debes præmittere, quatenus in cogitationibus sanctis suauiter valeas obdormire. Quales enim vigilãtis occupationes fuerint, talis & dormientis erit requies, talia & somnia erunt. Mens namque diuino feruens amore, nec dormiens, nec vigilans amatoris sui obliuisci poterit, quemadmodum sponsa in Canticis dicit. *Ego dormio: & cor meum vigilat.* *Cant. 5.*

Ad Vesperas.

CONSIDERATIO VII.

AVdito primo signo ad Vesperas, & dicto ex more, *sit nomen domini benedictum*, cum cæteris præmitti solitis, occupatis in negotiis secluaribus compatere, & quod ab illis liberum esse voluit te ad seruiendum sibi omnipotens Deus gratias age. Deinde recolligere te ad interiora, vel meditari de passione Domini aliquid poteris, donec insonante secũdo ad chorum vadis. Meo namq; iudicio nulla incipientium proficientiumque ad compunctionem & mentis deuotionem meditatio melior est, quam illa, quæ ex passione domini nostri Iesu Christi per ignotos affectus sumit exordium.

Ad vigilias mortuorum.

SUb compulsu vigiliarum post vespras, horam de sancta cruce poteris persoluere, & postea de immensa charitate Dei, qua diligit fideles animas aliquid cogitare. Deinde, quantum poteris, cogita in quam magna sint desolatione sanctæ illæ animæ in purgatorio constitutæ, quam magnus sit dolor spiritui à corpore separato, & ad centrum sui Principii redire cupienti, vultum sui conditoris non posse per amicam fruitionem

cerne-

cernere, sed cogi in pœnis & cruciatibus sibi grauissimis expectare. Tanta enim est animæ separatæ in pœnis constitutæ & ad Deum venire cupientis desolatio, tristitia & mœror, vt nullum tormentorum genus in hoc mundo nobis cognitum eius mœstitię posset comparari. Nõ est nostro more comparatio corporalis mœstitiæ & desolationis ad statum spiritus separati, & in dilatatione reuersionis ad suum principium constituti. Quantum ergo potes, desolationi fidelium animarum in purgatorii carcere gementium compatere, & sedulas pro eis ad Dominum orationes funde. Nam etsi per iustitiam suam omnipotens ac misericors pater illas à regno differat, inæstimabili tamen eas charitate amat. Quicquid ergo pro eis orando nunc boni feceris, gratum omnipotenti Deo sacrificium impendis. Et tu, cum illuc veneris, multiplicatum recipies, quicquid hic in charitate pro illis feciſti. Dicit enim scriptura. *Sanctum & salubre est pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.*

Purgatorii pœnæ.

2. Mach. 12.

Transiens per cimiterium vel ambitum. Ora pro defunctis.

TRansiens vero per cimiterium, ambitum, vel alium locum sepulturæ mortuorum, non obliuiscaris fratrum tuorum & omnium fidelium defunctorum, sed charitate motus illis compatere, & eis apud Dominum tali vel simili modo studeas subuenire.

Oratio.

AVete fideles animæ, in sancta pace requiescite. Qui vos redemit suo pretioso sanguine, dignetur vos à pœnis liberare, & ad æterna gaudia perducere, vbi gaudeatis & exultetis in æternum benedictæ.

Alia.

BEnedicat vos Deus pater, qui vos creauit. Benedicat vos Iesus Christus, qui vos suo preciosissimo sanguine redemit. Benedicat vos spiritus sanctus, qui sua pietate & munere ab æterna damnatione vos præseruauit. Amen.

Sæpius lege sequentem orationem.

OBsecro te dulcissime Domine Iesu fili Dei viui per dolorem vulnerum tuorum, & per sanctissimi sanguinis tui effusionem, ac innocentissimæ mortis tuæ virtutem, miserere animabus omnium fidelium defunctorum in pœnis purgatorii existentibus, & da eis mansionem lucis æternæ cum omnibus sanctis tuis.

Post vesperas vsque ad completorium.

CONSIDERATIO VIII.

POst vesperas, seu vigilias mortuorum ad cellam tuam cum orationibus & inclinationibus consuetis reuertere, ibique flexis genibus gratias conseruatori tuo misericordissimo redde, quoniam te non solum à seculi vanitatibus clementer eripuit, sed etiam à multis malis & periculis in ordine custodiuit. Deinde recogita, quanta bona corporalia & spiritualia pius tibi pater nihil merenti exhibuit, & quod maximum est tibi fideliter in ipsius amore perseueranti seipsum in præmium promisit. Esto gratus & semper in oratione vigilans, vt in amore Dei dulciter ardeas.

Ad cœnam.

FActo autem signo ad cœnam, ad occurrendum te humiliter præpara, & quæ superius ad prandium signauimus, obserua. Post cœnam ad cellam tuam redire poteris, & orationi vel meditationi insistere, donec signum pulsetur ad collationem.

Ad collationem.

POst cœnam audito signo collationis spiritualis mox ad eam cum grauitate studeas occurrere, & lectionem diei vltimam cum feruore spiritus audire. Verbum enim sanctæ exhortationis, quod vltimo auditum fuerit, menti per totam noctem tenacius inhærebit. Si autem ieiunium fuerit, collatio inter bibendum obseruari in refectorio consueuit. Ad sacram igitur lectionem in omni loco esto intentus, quoniam vbi verbum exhortationis sanctæ cum attentione libenter accipitur, non potest fieri, quin mens sæpius eleuetur.

Ad

Ad completorium.

VAdens ad Completorium, dominum exora, quatenus omnia mundana & carnalia te semper faciat cõtemnere, donetq; tibi in suo sanctissimo amore iugiter permanere, vt cursu præsentis vitæ completo templum Dei non manufactum merearis ingredi, & in æternum cum omnibus sanctis in domino lætari. In fine autem completorii cum pulsari signum angelicæ salutationis audieris, beatissimã Dei genitricem & virginem Mariam humiliter salutabis, vt te suis meritis per noctem custodiat, & pro tua salute apud filium iugiter intercedat.

Post completorium,

FInito completorio mox ad cellam regredere, & præmissis orationibus cõsuetis cura te ad recollectionem animi sequentem diligentissime præparare.

De examine conscientiæ,

De recollectione post completorium,

CONSIDERATIO IX.

CVm non possumus in vno statu mentis sancto immobiles omnino persistere, necessarium nobis est sanctum propositum sæpius renouare, vt quotiens per diem errando per deuia peccatorum ab vno animi nostri principio summo Deo recedimus, totiens per contritionem & compunctionem ad illum emendatione firmiter proposita redeamus. Hinc nobis sancti patres nostri constituerunt recollectioni post completorium insistere, & nos de negligentiis per diem commissis examinare, vt sanctitatis propositum, quod satis debile & infirmum nouimus, ad feruorem spiritus per continuum recollectionis exercitium renouemus. Volens igitur cænobita noster deuotus se fructuose & vtili continuatione recolligere, se in quinq; debet principaliter per ordinem examinare.

Rationis exactio.

PRimum in recollectione obseruandũ est rationis exactio, per quam cœnobita ante oculos mentis castigandum iubetur reducere, quicquid se in die negligenter aut male vel minus bene meminerit delinquendo commisisse. Conuersus itaq; ad dominum complosis manib. ante lectum iaceat, & tali vel simili modo dicat.

GRatias ago tibi omnipotens & misericors Deus pro vniuersis beneficiis tuis, quæ mihi indigno peccatori, & nihil penitus merenti, à iuuentute mea vsq; in hanc horam exhibere dignatus es, quoniam, qui nihil boni merui, multa & innumerabilia bonitatis tuæ dona suscepi. Vtinam tibi summo & incõmutabili bono digne possem gratias agere, vtinam in tuo sancto seruitio te puro corde te mũda conscientia possem collaudare. Sed, proh dolor, infirmitate, concupiscentia, & mala consuetudine præualentibus, qui tuo sanctissimo amori puro corde & conscientia inhærere debui, te multis negligentiis & culpis iterum atq; iterum offẽdi, & quotiens secundum internas bonitatis tuæ inspirationes ad spiritus feruorem conatus sum surgere, heu me totiens doleo iterum corruisse.

Ecce bone Iesu, quot culpas, quot negligentias, quot reatus hodie solum incidi? quot vanas, quot inutiles, quot perniciosas in tam paucis horis cogitationes admisi? quot inutilia & nociua verba protuli? quot negligentias & delicta in meis actionibus hoc die perpetraui?

Væ mihi misero, qui nec vnum quidem breuissimum diem in tuo sanctissimo seruitio perseuerare sine cordis impuritate & negligentia potui, qui tot hodie culpas & imperfectiones varias commisi. Confiteor tuæ bonitati ô mitissime Deus omnia peccata mea, quæ ab incunte mea ætate incidi, ante pedes tuos ô dulcissime Iesu pono omnes negligentias, quas hodie commisi, veniam peto, quam non sum dignus accipere, gratiam postulo, quam me in vacuum totiens fateor accepisse. O amantissime Dei & hominum mediator Iesu Christe, noli me miserum peccatorem despicere, quem voluisti proprio sanguine comparare. Confiteor tibi omnes negligentias, quas hodie quomodolibet incidi, & culpas quas commisi.

Sic cænobita coram Domino mente prostratus potiores negligentias ad memoriã reuocet, & veniã humiliter postulans suã imperfectionẽ deploret. Maxime autem

autem recogitet, si quempiam verbo vel facto offenderit, si quid contra fratrem dixerit, si contra charitatem & reuerentiam aliquid commiserit, vel si scienter aliquem male contristauit. Et generaliter, in quocunq; se contra Deum, contra seipsum, contra prælatum, contra proximũ, siue regulam vel statuta patrum deliquisse cognouerit, ad examen huius capituli reuocare studeat, & de secretis in confessione crastina, de publicis & regularibus transgressionibus in proximo capitulo se accusando expurgare fideliter & ex aĩmo proponat. Doleat de commissis, satisfaciat de contritis, caueat de committendis.

Deinde aduertat graue Deum offendentis periculum, siue veniale fuerit, siue mortale peccatum. Dicit enim Ioannes Gerson Cancellarius Parisiensis in tractatu de spirituali vita. *Adeo peccatum etiam veniale contra Deum esse, quod ex sua iustitia hominem pro illo posset damnare in æternum. Quod autem homini illud ad damnationem non imputat, non de iustitia, sed de sua infinita bonitate procedit.* Et diuus Præsul Anselmus nos commonet, quod homo pro toto mundo non debeat minimum peccatum contra Dei voluntatem scienter committere. Dicit beatissimus pontifex Augustinus. *Nullum peccatum adeo veniale est, quin mortale fiat dum placet.* Dices. Non potest hæc vera esse sententia, quoniam si peccatum veniale fuerit, nunquã mortale fieri potest. Si autem mortale sit, veniale non fuit. Sed audi & intellige. Concedo peccatum veniale secundum suam considerationem mortale non posse fieri, sed vnum idemq; peccatum quod potest stare cum charitate, vni ex sola negligentia & infirmitate veniale solum efficitur, alteri quidem ex contemptu & auersione Dei in eodem peccanti mortale sine dubio, quia placet etiam, inquantum peccatum est & contra Deum, merito imputatur. *Beatus* ergo *qui semper est pauidus, qui autem mentis est duræ, corruet in malum.* Qui minima peccata cum possit emendare negligit, paulatim in grauiora cadit.

Peccatũ veniale quam graue.

Anſl. lib. 1. Cur Deus homo c. 21

Auguſt. tract. 12. in Ioan 1 ep. 108.

Prou. 28.

Enimuero quantum omnipotẽti Deo peccatum displiceat subsequens vindicta manifestat. Totiens enim peccantes cõtra dominum punitos grauiter in sacris voluminibus & gestis transacti temporis legimus, vt merito peccati foueam timeamus.

Quantum ei breuissima etiam auersi spiritus cogitatio displiceat, nobis primi angeli casus declarat. Quã cito se namq; contra dominum superbiendo inordinatum exhibuit, proiectus in infernum fuit.

Quantum vero contra dominum sint verba ociosa & inutilia, in vita sanctorum patrum de porcis infernalibus inter loquentes inutilia fratres apparentibus historia nos admonet satis manifesta.

Quantum omnipotentem Deum verba mala & pernicioſa offendant, in puero quinq; annorum blasphemante patuit, quem diabolus de patris sinu rapiens viuum ad infernum, vt creditur, asporrauit. *Greg. lib. 4. dial. c. 18.*

Quantũ vero displiceant illi facta negligentiæ circa suum officium, patet in filiis Heli negligentibus & minus curantibus sacrificii ritum. *1. Reg. 4.*

Quantum displiceant Deo etiam bona opera contra solitam, promissamq; obedientiam facta, sanctus Astion suo nos facto edocuit, qui licet non contra, tamẽ præter iussum, non impune aquas solitas portauit. Et de multis aliis similia legimus.

Quantum vero mala facta Deum offendant, cum ex infinitis, vt ita dixerim, historiis possimus intelligere, paucis exemplis non opus est probare.

CVm autem cœnobita noster in recollectionibus suis deuotus, se præmissis, vel quibuslibet aliis negligentiis seu peccatis quantumcunq; grauibus oneratum inuenerit, assumat contritionem sibi possibilem de præteritis, emendationis propositum de futuris firmiter cauendis, & pœnitentiam de commissis. Assumat ergo consilium supradicti Cancellarii, & compunctus dicat ad dominum.

Veritas I.

O Domine Deus meus confiteor tuæ sanctissimæ bonitati, quod sic vel sic contra tuam voluntatem peccaui, de quo vehementer doleo, & ob id, quod te, qui totus es bonus, offendi, pœnitentiam humiliter ago.

Veritas II.

O Domine Deus meus, qui omnia nosti, tu scis q; te largiẽte bonum habeo propositum, & intendo, te adiuuante, mo

pro viri-

pro viribus emendare in futurum. Cauetur autem peccatum precibus Deum pro adiutorio inuocãdo, pœnis, corpori pœnitentiam infligendo, fuga, occasionem peccati euitando. Idcirco pro veritate tertia dicat.

Veritas III.

O Domine Deus meus bonam habeo voluntatem, confessionem peccatorum meorum faciendi, secundum mandatum tuum & sanctæ matris Ecclesiæ pro loco & tempore, ex animo, integraliter, sine fictione.

Quisquis has tres veritates ex synceritate cordis sine falsitate, ore vel mente, ad Dominum protulerit, quantumcunq; antea peccauerit, iam securus est, si in tali statu etiam sine confessione in absentia sacerdotis decesserit, sic tamen, quod in purgatorio satisfaciat, quod pœnitendo non compleuit. Qui autem easdem veritates obstante voluntate peccandi, qua actualiter delectatur, aut intquo proposito, quo peccatorum occasiones vitare cõtemnit, ex pura mente veraciter dicere non potuerit, in statu damnationis est, quem nec Papa potest absoluere.

Cautelæ futuræ indictio.

SEcundum, quod in recollectione sua cœnobitæ obseruandum præscribitur, indictio futuræ cautelæ nuncupatur. Pẽset, quæ fuerint sibi occasiones transgressionis præteritæ, & facilius se custodiet à periculo futuræ. Nunquam enim peccati fouea melius obstruitur, quam si peccandi occasio vitetur. Et diuus Bernard. ait. Superuenienti siquidem nocti facienda est indictio, secundum communis instituti regulam sua exercitia distribuendo. In his omne debitum rite persoluitur, si spiritus Deo, spiritui caro subiiciatur, & si quid fuerit intermissum, neglectum, vel imperfectum, modo tempore & loco non maneat irrecompensatum.

Suffragiorum postulatio.

TErtium in recollectione boni cœnobitæ est deuota suffragiorum postulatio, quippe qui suam infirmitatem optimè intelligit, adiutorium à fortioribus petit. Mox ergo, vt recollectionem suam compleuerit, se ad sanctam & indiuiduam Trinitatem petiturus misericordiam cõuertit, deinde genitricem Dei beatissimam inuocat, postea sanctorum omnium preces & auxilia implorat. Et non solum hic sui ipsius meminit, sed orationes pro toto ordine & Ecclesia fundit.

Ad quiescendum benedictio.

QVartum in recollectione est cœnobitæ ad quiescendum benedictio, qua se orationibus munit, & custodiendum per noctem diuinæ bonitati committit. Igitur ad sonitum signi dormitionis, aut tempore statuto locum quietis accedens signo sanctæ crucis se muniat, & cum deuotione dicat.

Benedictio quietis.

PAx Domini nostri Iesu Christi; meritum & integritas beatæ Mariæ semper virginis, signum sanctæ crucis, virtus dominicæ passionis, benedictio, custodia, & meritum omnium sanctorum, angelorum, & electorum Dei, sint inter me & omnes inimicos meos visibiles & inuisibiles hic & in æternum Amen.

Oratio.

COmmendo me hac nocte & omni tẽpore, in vulneribus tuis amantissime Domine Iesu, & rogo te per meritum sanctissimæ passionis tuæ, miserere mei, & custodi me ab omnibus insidiis & illusionibus inimici, vt pura mente, & mundo corpore dispositis mihi valeam horis consurgere, & te cum feruore spiritus collaudare.

Pro quiete habenda discretio.

QVintum & vltimum in recollectione commemorandum, est pro quiete habenda discretio, vt quemadmodum cœnobita recollectionem hanc serotinam nunquam penitus debet omittere, sic etiam non velit eam in destructionem sui capitis nimium indiscrete prolongare. Completis igitur cum discretione omnibus, desiderium feruoris in Deum cũ lachrymis, si potest, erigat, mentem non confundat. Ascendens vero stratum, aliquid de passione Domini vel de amore Iesu, aut certe de gloria cælestis regni in memoria secum deferat, in quo dormiẽs suauiter requiescat. Dicit namq; Bernardus:

Iturus in somnum, defer aliquid tecum in memoria vel in cogitatione, in quo placide obdormias, quod nonnunquam etiam somniare iuuet, quod etiam euigilantem excipiat, & in statum hesternæ intentionis restituat. Sic tibi nox sicut dies illuminabitur, & nox illuminatio tua erit in deliciis tuis, quatenus placide obdormias, in pace requiescas, facileq; euigilabis, & surgens facilis eris ad redeundum in id vnde non totus discessisti. Veruntamen omnibus his semper est adhibenda discretio, ne aut meditatio nimia somnum impediens cerebrum destruat, aut somnus immoderate præreptus meditationem penitus intermittat. Nam hac hora potius dormiendum est monacho, quam meditandum quatenus tempore statuto sit ad surgendum dispositus, & ad diuinum officium cum hilaritate bene ordinatus. Affectus enim per meditationem nimium inflammatus cerebrum & sensus destruit, & somnum ab oculis debilium tollit. Sit ergo breuis in lecto meditatio, vbi capiti vel per gratiam vel per naturam non adest magna fortitudo.

De labore manuum.

Consideratio X.

Quoniam sanctissimus pater noster Benedictus in regula, viuentes de laboribus manuum suarum monachos veros commendans felices asserit, vt post finẽ diei de hoc sanctissimo exercitio aliquid disceremus, visum nobis congruum fuit. Multifarie siquidem hoc opus commendari à sanctis patrib. legimus, in quo illos profeciſſe coram Deo & hominibus non mediocriter scimus. Dicit enim sanctus Apostolus. *Qui non laborat, non manducet.* Quid vero de hoc manuali exercitio inter doctissimos doctor Augustinus senserit in libro de opere monachorum lucidissime ostendit. Veteres etiã illos sanctissimos patres in solitudine morãtes operi manuum non tepide insudasse legimus, quatenus periculum ocii non incurrerẽt, & de suis laboribus viuẽtes exemplo beatissimi doctoris gentium neminem grauarent. Vtinam & nos fratres hoc sanctũ laborandi exercitium pari cum illis intentione & beneuolentia dignemur assumere: vt post finem laboris nostri mereamur cum illis sine fine in cælesti patria requiescere.

Quattuor sunt monacho in labore obseruanda.

VOcatus ad laborem monachus talem se exhibere in omnibus studeat, vt meritum laboris corporalis per mentis dissolutionem non amittat. Multos enim inter monachos non recte ad laborem exire cernimus, quos nihil aliud quæ rere quam carnis solatia videmus. Ex his nonnulli vt tempore ieiunii regularis manducandi occasionem habeant, labores inutiles & minus necessarios vsurpant.

Laborant enim, vt comedant, vtrum prosit vel obsit monasterio non curant. Alii, vt hinc inde sine fræno disciplinæ quasi per occasionem possint discurrere, varios labores consueuerunt ordinare. Alii, vt vanis locutionibus & leuitatibus licenter indulgeant, labores inutiles cœnobio procurant. Alii, vt homines (non dicam) quos, seculares sibi notos & amicos ad carnem non DEVM videre & alloqui quasi per opportunitatem sine suspicione valeant, externos labores amant. Alii propter mentis instabilitatem non valentes in monasterio quiescere, semper ad labores videntur anhelare. Omnium istorum sic laborantium non est syncera intentio, ideo mercedem laboris optimam non attingunt. Tu autem frater, cum ad laborem vocaris, intentionem tuam regularem institutioni cura submittere, vt nihil aliud quam Dei honorem, obedientiæ meritum & vtilitatem monasterii diligas, nihil præter profectũ animi intendas.

Existens autem in labore, noli feruorem spiritus imprudenter extinguere, noli spiritualis conuersationis exercitium omittere, sed quatuor sequentia cura diligenter vbiq; obseruare. In exteriori conuersatione esto fidelis, seruilis, & beniuolus, in interiori humilis & deuotus. in locutione parcus & ædificatorius, in moribus compositus & maturus. Si quatuor hæc in labore seruaueris, ad cellam melior semper redibis.

Ad extra sit monachus fidelis, beniuolus, & seruilis.

Pri-

PRimum in labore cœnobitę diligenter obseruandum est, vt in laborando fidelem suo monasterio se semper exhibeat, fratres in seruiendo & ministrando seu etiam grauiora portando ex charitate præueniat, & omnibus se verbis & factis benivolum & tractabilem ostendat. Dicit autem sanctus amator Dei Bernhardus. *Serius & prudens animus ad omnẽ se comparat laborem, nec tamen in eo dissoluitur, sed per eum magis in seipsum colligitur, qui semper habet præ oculis non tam quod agit, quam quod agendo intendit.* Omnis enim consummationis intendit finem: quo inquantum verius nititur, intantum etiam feruentius & fidelius manibus operatur: totius sui corporis sibi subiiciens seruitutem, in quo voluntas facit vsum, vsus exercitium, & exercitium vires subministrat. Deuotus & fidelis cœnobita, qui Deum in veritate diligit, in labore sibi non parcit, sed cum tanto feruore, hilaritate, & fidelitate, operibus manuũ sibi impositis consueuit insistere, tanquam si omnes in monasterio constitutos suo labore solus cogeretur enutrire. Nouit enim prudentissimus animus totum se Deo impendere, quicquid pro seruorum eius necessitate corporali eum contigerit laborare. Nam sicut spiritualia sine cooperatione temporalium nõ possunt diu in religione subsistere, ita ministrantem seruientibus Deo necessaria corporis propter Deum, seruum Dei non dubito appellare. Et ergo quicquid bonus cœnobita suis laboribus monasterio recta intentione potest acquirere, id totum se sciat DOMINO exhibere. Verumtamen sic sibi monachus laborandum semper intelligat, vt orationes monasticas, Missas, & cætera sanctæ matris Ecclesiæ seruitia nullatenus omittat.

Opus autẽ manuale curiosum, & propria complacentia suceptum obedientiæ merito apud æternum iudicem destituitur & tanquam ociosum, & sine licentia maioris præsumptum rationi obnoxium habetur. Sed bonus cœnobita, qui soli Deo placere desiderat, in omni surreptione ocioſi verbi, facti, vel cogitationis, illud Bernardi apud semetipsum dicat. *Si modo esses moriturus, faceres ne hoc sic quod nunc agis, cogitas, vel dicis?* Quod si moriturus non ageres hoc, quod modo agis, stultissimus es: qui tibi opera mortis in breui moriturus tam audacter præmittis ad mortem. Si autem bene mori cum sit necesse desideras, quod non faceres si mors iam adesset, nullo tẽpore peragas. Quicquid enim nunc feceris, post mortem, siue bonum sit, siue malum, inuenies.

Ad intra sit monachus humilis & deuotus.

SEcundo monachus tempore laboris ad intra debet esse deuotus & humilis, quoniam si profectum interni feruoris deserit, nihil iuuat quod per laborem exterius acquirit. Vt ergo in laborando animus veraciter proficiat, gradus bonæ voluntatis in prima regione conscriptos ad memoriam sæpius reducat. Meditationes de passione Domini secundum feruorem deuotionis ordinet, in quibus labores suos pro possibilitate Christi laboribus conformet. Sit in corde semper per abnegationem sui humilis, sit in affectu per feruorem sanctæ compunctionis deuotus quatenus labor manuum exterius ad profectum & vtilitatem communitatis proficiat & mens ab interna dulcedine diuini amoris non recedat. Si labor fatigat operantem cœnobitam, si æstas vrit, si importune sitis opprimit, recogitet quantos labores Dominus Iesus pro nobis sustinuit, & omnia leuius portabit. Orans itaque dicat ad Dominum.

Oratio laborantis.

O Dulcissime & amantissime Domine Iesu rex cœli & terræ qui pro mea redemptione natus de purissima virgine Maria triginta trib. annis inter homines Deus & homo cõuersatus es, qui magnos in ambulando, docendo, & prædicando, labores habuisti, qui pro me sitim, esurię æstum & frigus voluntarie & patienter sustinuisti, pro quibus omnibus tibi gratias ago. Suscipe obsecro tantillos labores meos quamuis inutiles, quos tuæ sanctissimæ maiestati humiliter offero in memoriam & honorem omnium laborũ tuorum & sanctissimæ passionis tuæ, & placeant tibi in vnione illa qua Deo primi sanctissimi labores tui placuerunt Amen.

Reuoluat autem cænobita noster sub labore, si tempus permiserit, principales articulos dominicæ passionis. Primum eos quasi Christo in passione præsente commemorãdo: deinde ad genua gratias agendo: tertio secundum eorum similitudinem misericordiam in eis postulando.

Conuersationes quoque sanctorũ Patrum aut martyrum passiones ad memoriam reuocet: &, quantam nunc mercedẽ & gloriam pro suis laboribus percipiant in patria, pensẽt.

In locutione sit monachus parcus & ædificatorius.

TErtium, quod obseruandum monacho in labore præcipitur, est, vt pauca & ædificatoria loquatur. Dicit enim scriptura. *In multiloquio non deerit peccatum.* Prou. 10. Nunquam loquatur sine licentia monachus, si veraciter desiderat esse bonus. Habita vero licentia loquendi, non loquatur nisi pauca, & vtilia sciens verba ociosa & scurrilia per regulam in omni loco esse damnata. Talem sibi loquendi modum in omni loco & tempore per circumspectionem instituat, vt loquendo neminem offendat. Audiat libentius, quam libeat loqui, nec omnia dicat, quæ mens suggerit, si stultorum improperium pertimescit. Sic etenim Hugo dicit ad monachum. *Non omnia quæ scis, effundas, quasi vas sine operculo, quod statim, vt inclinatur, effundit quicquid in se continet, & omni puluere & immunditie putet.* Diligenter caue, ne vnquam directe vel indirecte gloriam tuam videaris quærere, nec alicui, quod in te commendabile latet, animo gloriandi, vel aliàs imprudenter eleuare. Si tu taces de te ipso & abscõdis, amplius placebis, si tu prodis & cõmẽdas teipsum, vilescis coram omnibus & irrideberis. Verba ociosa caue, quia dum non aduertimus talia, dilabimur paulatim ad nociua, ex quibus generantur vel turbationes vel dissolutiones, vel conscientiæ graues corrosiones. Talis esto in conuersatione tua interiori, vt amore spiritualis meditationis te semper plus delectet silentium quam loquacitas.

In moribus sit cœnobita compositus & maturus.

QVarto monachus, tam in labore quã extra in omni loco mores suos iubetur componere, & se in omnibus & factis & verbis coram hominibus maturum exhibere, sit in corde mundus & humilis, sit in sermone benignus & vtilis, sit incessu modestus & grauis, sit in cõuersatione tota maturus & exemplaris. Totus autem homo facile ad normam disciplinæ componitur, si conatus proficiendi in animo omni tempore firmus habeatur. Enimuero dum monachus proficere quotidie ad meliora desiderat, omnem dissolutionem & inordinatam conuersationem vitat. Conatus namq; firmus proficiendi hoc habet proprium, vt animum conantis valde reddat in omnibus circũspectum. Qui autem firmum conatum in melius proficiendi non habet, veraciter non potest dici compositus, quamuis hominibus videatur esse maturus. Cito enim maturitas ficta in apertam dissolutionem mentis resoluitur, vbi radix disciplinæ timor Dei non habetur. Vt ergo cœnobita noster intus & extra semper valeat esse compositus, studeat in timore Domini veraciter esse radicatus. *Qui enim timet Deum, nihil negligit.* Eccl. 7. 19. Et amor Dei non est ociosus.

Qualis debeat esse conuersatio monachi ad alios homines.

CONSIDERATIO XI.

QVoniam vero de maturitate & compositione monachi coram hominibus seruanda dicere cepimus, vtile nobis videtur, vt quemadmodum se exhibere singulis debeat, nunc breuiter dicamus. Aliter enim se prælato suo exhibere præcipitur, atq; aliter confratribus suis & secularibus se ostendere iubetur. Rectori namq; vice Christi debet exhibere reuerentiam, confratri charitatem, iniurantibus mansuetudinem: secularibus modestam pietatem. Reddat itaque monachus vnicuiq; quod suum est, & erit coram Deo & hominibus veraciter compositus. Quid debeat Deo, quidve sibimetipsi, superius est sufficienter dictum, nunc, proposita nobis prosequamur.

Sit conuersatio reuerentialis erga Prælatum vice Christi.

PRimo cõuersatio monachi debet esse reuerẽtialis ad prælatum, dicẽte in sacro

ero euangelio domino. *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit.* Monachus enim, qui obedientiam & reuerentiam Abbati suo debitam subtrahit, omnipotenti Deo iniuriam facit. Nam sicut pater noster sanctissimus in regula loquitur, Abbas vices Christi gerere in monasterio comprobatur. Quisquis ergo regis alicuius vicarium despicit, regem ipsum proculdubio contemnit. Sed dic mihi bone frater, quare debitam reuerentiam Prælato tuo subtrahis, quem Christi vicarium audis? Forsitan malum & tali officio penitus indignum existimas, & propterea licere tibi eum contemnere putas? Non sic frater, non sic, sed considera, cuius sit locus, in quo Christi vicarius præsidet, & mittentem te honorare noueris, non missum. Si vis Christi esse discipulus, considera semper, ad quid veneris, & nunquã Prælato etiam indigno reuerentiam negabis. Ad quid enim venisti? Vtiq; vt te secundum Euangelium & regulam propter Deum abneges, vt sub alterius imperio Christo milites, vt mercedem pro his æternam cum patientia expectes. Noli ergo, frater, noli coronam æternæ felicitatis tibi paratam in cælis propter vnius hominis displicentiam amittere, quam non deberes pro toto mundo commutare. Memẽto, quod nihil habes nisi à Deo, cui totum debes, quod es, & quod scis, vt voluntatem eius impleas, & secundum eius ordinationem viuas. Sed cum non confidas te voluntatem Dei posse intelligere, rectori tuo tanquam vicario eius, cui, te subdidisti, debes humiliter obedire, neq; vitam ipsius, neq; imperium debes discutere, cum tibi non liceat pastorem iudicare. In tua siquidem professione voluntatem propriam iurasti non debere perficere, sed Abbati secundum regulam velle in omnibus obedire. Abbas ergo voluntatis tuæ dominus est, non sua assumptione, sed ordinatione Dei, cuius & vicarius est. Rei autem alienæ contrectatio domino inuito furtum est, & scis, quod fures partem non habebunt in regno Christi & Dei. Monachus itaq; regulariter Deo & suo Abbati professus, voluntatis propriæ iam deinceps non habet dominium, qui, si eandem voluntatem suam postea sibi vsurpauerit, furtum & sacrilegium committit. Nec saluabit præsumptorem impetrata licentia, si minis & contumeliis fuerit impetrata. Abbas tuus, ô frater, Dei vicarius est, cui obedientiam promissam, non vt homini sed tanq; Deo debes impendere, & humilem reuerentiam loco Dei exhibere. Quicquid enim rectori à subditis impenditur, ad Deũ cui⁹ vicarius est, ꝓculdubio refertur. Cũ ergo ꝓlato tuo te propter Deum solum & ob nullam aliam causam subieceris, talem te omni tempore erga eum exhibere studeas, vt te libere facere vel dimittere, quicquid ei videtur, expedire, iubere valeat, & nullas animi tui insolentias vel perturbationes omnino pertimescat. Nam si abbas tuus te monachum suum timere compellitur, æquitatis ordo violatur, & vbi esse super magistrum discipulus nititur, in Euangelium peccatur. Caue igitur, ne prælatis reuerentiam & honorem subtrahas, caue, ne illos contristando dominum offendas, sed cura eis, quales cunq; sint, reuerenter occurrere, & eorum mandatis secundum Euangelium & regulam in omnibus obedire. Crede mihi frater, quoniam culpa, quæ in prælatum à subdito committitur, aut in præsenti vita, aut in futura grauissime punitur. Scriptum est enim. *Nolite tangere Christos meos.* Quicquid tibi prælatus tuus præceperit tali confidentia debes suscipere, vt credas Deum illud sibi inspirasse.

Superiori vt Dei vicario obediendum.

Monach. non est dominus suæ voluntatis. *

Psal. 104.

Sit monachi conuersatio charitatiua ad fratres.

SEcundo conuersatio monachi erga confratres charitatem habere præcipitur, per quam solam pax & concordia in monasterio habetur. Cogitet semper & in corde suo reuoluat cœnobita noster fidelis communem animarum in æterna felicitate lætitiam, & oculum mentis iugiter in conditionem animorum æqualem dirigat, vt ab amore futuri consortii cogitatio non recedat.

Si frater te verbo, aut facto quomodolibet offenderit, si tibi in aliquo molestus vel aduersarius fuerit, noli motum sensualitatis inordinatum ex eo perpendere, noli præsentem eius infirmitatem considerare, sed mentis tuæ oculos ad animæ ipsius nobilitatem subleua, & quale sit tecum habitura æternæ felicitatis consortium pensa. Ad hoc

regulæ capitulum de bono zelo monachorum ſæpius ad memoriam debes reducere, vt facilius ad fraternam charitatem temetipſum valeas excitare. Ante omnia caue, ne diſplicentiam contra fratrem tuum admiſeris, quoniam, qui proximo ſuo frequenter iraſcitur, Deum nõ amare manifeſte comprobatur. Quisquis enim Deum ex toto corde ſuo diligit, diſplicentiam contra fratrem ſuum fidelem non admittit. In tanta vero mentis eleuatione monachus debet conſtitui, vt quicquid frater in eum commiſerit, animæ illius naturam penſando non poſſit commoueri.

Sit conuerſatio monachi ad iniuriatores manſueta.

TErtio monachi conuerſatio ad iniuriatores debet eſſe manſueta, quod tunc demum bene agitur, ſi reſpectus cõmunis futuræ felicitatis & conſortii ſemper habeatur. Ad hanc animi manſuetudinem conſequendam cænobita noſter conuerſationes ſanctorum Patrum ad mentem crebrius diſcat reducere, & cum quanta lætitia ſuſceperint iniurias fideliter cogitare. Studeat in primis imitari quantum poſſibile eſt, ſaluatorem noſtrum Dominum Ieſum Chriſtum, qui non ſolum iniurias & contumelias impiorum manſuetiſſimo corde ſuſtinuit, ſed etiam patrem pro ſuis perſecutoribus exorauit, vt non perirent. Hoc ſaluatoris exemplum ſancti Patres imitantes iniurias patienter & manſuete ſolebant pro Dei amore ſuſcipere, & ipſos iniuriatores q; eſt amplius, amare. Ad hæc cœnobita gradus manſuetudinis ad mentem reuocet, qui his verſibus breuiter incluſi continentur. Apta, conforta, mitis, contraria porta. Serua, compeſce, tecum penitus requieſce. Corripe prudenter, clemens ſis, da ſapienter. Ora ponendo te, martyrium cupiendo. Humilitas enim ſi mentem cœnobitæ poſſederit, iniurias amare facit. Gradus vero humlitatis his verſibus continentur.

DVODECIM GRADVS humilitatis.

Iuſtorum graduum primus timet omnipotẽtem.
Illecebris carnis ſubmittit frena ſecundus.
Tertius Abbati ſupponit ſe reuerenter.
Conuitiis ſpretis quartus patienter obedit.
Abbati referat quintus penetralia cordis.
Vilis & indignus conſtat ſe iudice ſextus.
Cunctis ſe credit fore ſeptimus inferiorem.
Nil facit octauus quod non fert regula cellæ.
Non loquitur nonus, dum non interrogat alter.
Proſcribit riſum denus, damnatq; cachinnum.
Vndecimus loquitur rationis paucula verba.
Spectat humum ſemper duodenus vertice flexo.

De eiſdem aliter.

Cerne Deum, nec velle tuum fac, te regat alter.
Dura feras, nil corde tegas, ſed & infima quæras,
Eſto peripſema, ſoliuagus non, obſtrue linguam.
Riſus parcus, ſermo grauis, geſtus humiles ſint.

Nota. Peripſema legi & ſcribi debet, non peripſima ſicut imperiti legunt in epiſtola ad Romanos, & dicitur limatura & omnium rerum purgatio.

Sit conuerſatio monachi ad ſeculares modeſta.

QVarto conuerſatio monachi ad ſeculares debet eſſe modeſta, vt nec familiaritas cum eis ſit nimia. nec elongatio indiſcreta, Hinc Hugo dicit. *Circa homines, quantum in te eſt, caue omne quod poteſt eis non bonum eſſe exemplum, ſicut decet ſeruum Dei fidelem honorem Domini ſui in omnibus promouere, & inhonorationem eius cauere.* Nec familiaris ſis cuicunq; feminæ, etiam ſanctę. Nam ſi diſcretæ ſunt, ex hoc magis placebis, ſi vero importunæ fuerint amplius ſunt fugiendæ. Non ſis ſuſpicioſus. Eſto infirmis obſequioſus in obſequiis humilibus, eſto verax valde in verbis, ſint verba tua quaſi iuramentum, & ædificabis alios. Paupertatem ama. Sis caſtus in omnibus, & vbiq; timoratus.

In omnibus autem virtutibus & bonis moribus fundandis propone tibi illud clariſſimum ac perfectiſſimum totius claritatis exemplum, vitæ & conuerſationis domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ad hoc de cœlo miſſus eſt, vt nos præiret in via virtutum, & erudiret nos ſuo exemplo, ſicut ſemetipſum. Quanto ergo ſe monachus in via virtutum huic conformare per imitationem curauerit, tanto in gloria æternæ felicitatis proculdubio ſimilior & propinquior erit. Quicquid agis, ſemper in eum reſpice, & quemadmodũ ſe habuerit in omnibus ſecundum Euangelium, & tuam æſtimationem vide. Cũ enim ſit optimus, optime ſe in omnibus gerebat.

gerebat. Dicit ergo ad teipsum. Si Dominus meus Iesus adesset, quid putas faceret ad hoc, vel quid iam diceret? Certe optime & faceret & loqueretur, quem me in omnibus oportet pro viribus imitari.

Conclusio generalis omnium exercitiorum spiritualium.

CONSIDERATIO XII.

VOlentes tandem aliquando huic operi finem imponere, dicimus complementum omnium exercitiorum spiritualium in duobus consistere. Primo in cognitione & sentimento imperfectionis propriæ, vt monachus infirmitatis suę semper sit conscius, & in humilitate permaneat radicatus. Secundo in desiderio & conamine veniendi ad conuersationem altiorẽ, vt proficere semper ad meliora in spiritu cupiat, & ab hoc conatu minime recedat. Ad hunc vero proficiẽdi conatum quilibet cœnobita mentem suam omni momento debet extendere, quem si aliquando intermiserit, voti trãsgressionem & animæ suæ periculum grauissimum incurrit. Caueat autem monachus, ne consideratio propriæ infirmitatis conatum proficiendi abiiciat, caueat, ne conatus ipse considerationem imperfectionis contemnat, sed hæc ambo sic mutuo sibi cohæreant, vt nunquam ab inuicem recedant. Quod si propriæ imperfectionis nimia consideratio mentem in desperationem deiicere tentauerit, reuocet ad memoriam illud, quod sanctus Abbas Bern. dicit. *Respiremus* inquit, *fratres quoniam etsi nihil sumus in cordibus nostris, forsan in corde Dei potest aliquid latere in nobis.* Bern. ser. 5. de dedicat.

Hæ duæ considerationes infirmitatis nostræ & æstimationis diuinæ magnam in nobis deuotionem excitant, sic psalmista dicebat. *Ego sum pauper & dolens.* ecce prima, *salus tua Deus suscepit me*, ecce secunda. Psal. 68.

Deniq; necessarium est volenti se in his exercitiis spiritualibus vtiliter occupare, habere cor iucundum & liberum, & ab omni anxietate vel curis seculi alienum. Spiritus enim sanctus libertatis & gaudii spiritus est, cor liberum & in Deo iucundum diligit, &, vt ita dixerim, suo simili applaudit. Nam, sicut auis ligata in terris, se ad cælum volando non potest sustollere, sic mens caducis occupata se ad cælestia non potest eleuare. Nec oportet spiritum nimia frequentatione deiicere, alioquin & cerebrum confunditur, & arida consuetudine inuanum laboratur. Discat ergo cœnobita in spiritu feruens his cum moderamine semper insistere, & causam omnis exercitii in Deũ, qui principium & finis est, totius bonitatis per intentionem iugiter referre. Conatum suum ad illius timorem & amorem fideliter dirigat, & mentem in profunda humilitate figat, quoniam non facile à Deo derelinquitur, qui in amore radicatur.

FINIS.

IOANNIS TRITHEMII, COMPENDIVM SPIRITVALIS EXERCITII.

ETSI formula ſpiritualis exercitii ad ædificationem clauſtralium per nos edita, deuotis quibuſque in ocio vacantibus poſſet apparere breuiſſima, vereremur tamen ne occupatis in re familiari ſatis videatur eſſe prolixa, quorum dum cogitatio in diſponendis neceſſariis ſubditorum continua ſollicitudine extenditur, facile animus in exercitiis ſpiritualibus etiam breuiſſimis fatigatur. Ne igitur monachi noſtri, qui vel exterioribus ſunt dediti, vel in ſpirituali conuerſatione minus deuoti, occaſſione prolixitatis ad argumentum excuſationis ſolitæ poſſint confugere, iuſſi ſumus eandem traditionem abbreuiare, vt & maiorem in ſua deuotione feruidi teneant, & minorem tepidi non omittant.

PRACTICA EXERCITII ſpiritualis.

ANte omnes & ſingulas horas generaliter cænobita deuotus conatum ſuum in hunc finem ſtudeat dirigere, vt Deum in corde ſuo per radicem beneficiorum eius totis viribus concupiſcat magnificare. Tantus ſit in eo deuotionis feruentiſſimus ardor, tanta compunctio, tanta denique inundatio lachrymarum, vt quicunque pſallentem viderit, ad magnificandũ dominum eius exemplo prouocetur. Secundo ad charitatem proximi ſe, quantum poteſt, excitare meminerit, quoniam amor in Deum fruſtra dirigitur, ſi proximus odiatur. Expulſis igitur cunctis diſplicentiæ ſpinis, conuerſus ad Dominum cænobita deuotiſſimus oret.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui nos ad exercitium tuæ dilectionis multimoda rerum creatione inſtruens te ſuper omnia totis viribus, & proximum ſicut noſmetipſos propter te amare præcepiſti, tui ſanctiſſimi amoris ac proximi dilectionis mihi gratiam concede propitius, vt repreſſis omnibus diſplicentiæ auerſionis & iracundiæ motibus, te puro ſemper corde ſuper omnia diligam, & à dilectione ſyncera proximi nullatenus recedam, quatenus ſicut membrum cohærens membro læſo compatitur, ita mens mea proximum ſyncere diligens, membrum eſſe veri capitis noſtri Ieſu Chriſti mereatur. Qui tecum viuit & regnat.

Alia Oratio.

OBſecro ſancte pater omnipotens æterne Deus per virtutem ſanctiſsimę paſsionis vnigeniti filii tui Domini noſtri Ieſu Chriſti, illumina oculos cordis mei, vt ſpiritu compunctus, quam ſæpe in mãdatis tuis offenderim, videam, & per miſericordiam tuam emundatus ab omni ſorde peccati nunquam deinceps offendam.

Poſt matutinas.

FInitis matutinis adhuc in Eccleſia reſidens, vel etiam in cella poſitus, aſſumas tibi veræ reſignationis affectum, ſic orans.

Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte fili Dei viui, qui hora matutina in maxima ſanctiſsimi cordis tui anguſtia conſtitutus, te poſt trinam

trinam orationem in voluntatem Dei patris tui plenissime resignasti, concede mihi in virtute illius charitatis tuæ, voluntatem meam pro tuo amore in omnibus perfecte contemnere, ac me in dispositionem voluntatis tuæ & eorum, quos mihi præfecisti, omni tempore veraciter resignare. Qui viuit & regnat.

Post primas.

POst primas, cum chorum exiens locũ capitularem ingrederis, ob memoriam innocentissimi saluatoris tui coram Pilato accusati, ad humilem confessionem formabis affectum tuum, sic orans ad dominum.

Oratio.

AMantissime ac dulcissime Domine Iesu, qui hora prima coram Pilato falso accusatus te Dei filium veraciter cõfessus es, miserere mei, & concede mihi per innocentiam tuam veræ confessionis virtutem, vt verba quælibet accusantium me humiliter perferam, & nullis opprobriis ab interna mentis tranquillitate recedam. Qui viuis & regnas cum Deo patre.

Post tertias.

POst tertias ad mentem reuocabis, quanta opprobria, quantas illusiones, & irrisiones sustinuerit innocentissimus Dominus Iesus pro tua redemptione, in cuius memoriam assumas tibi desideriũ sexti gradus humilitatis, sic orans.

Oratio.

ODulcissime Domine Iesu, qui pro nobis miserabiliter flagellatus, illusus, irrisus, spinis coronatus, & consputus hora tertia fuisti. Da mihi in virtute omnium passionum tuarum per sanctissimi sanguinis tui effusionem, pro tuo amore, omni vilitate & extremitate semper esse contentum: quatenus intuitu peccatorum meorum, me & indignum operarium tuum humiliter sentiam, & tamen in tuo sancto seruitio nullatenus tepescam.

Post sextam.

POst sextam Dominum Iesum crucem suam coram omnibus baiulantem, & in ea deinde miserabiliter pendentem cum cæteris pænalitatum eius articulis considera, & inflammatus ad desiderium septimi gradus humilitatis, ad ipsum cum feruore spiritus ora.

Oratio.

ODulcissime Domine Iesu, qui propter nos miseros peccatores, post innumeros passionis tuæ dolores, crucem tuam mæstissima genitrice tua vidente ad locum mortis tuæ portasti, in qua crudeliter affixus, felle & aceto potatus, ac derisus multipliciter fuisti, rogo te per dolorem vulnerum tuorum, da mihi omnium peccatorum meorum veniam, sanctæ compunctionis gratiam, lachrymarũ fontem, profundæ humilitatis virtutem, iugem amarissimæ passionis tuę memoriam, quatenus omne, quod sum, & valeo, tibi semper deseruiat, & mens mea in tuo amore iugiter feruescat.

Post nonam.

POst nonam memor esto dulcissimi Iesu in cruce morientis, & procidens in spiritu ad genua eius cum lachrymis, quãta potest deuotione, gratias agens, sic orabis.

Oratio.

ADoro tenunc ô dulcissime Domine Iesu Christe rex cæli & terræ pro me misero in cruce morientem, & gratias tibi humiliter ago pro sancta passione tua & innocentissima morte. O quid retribuam tibi amantissime saluator pro omnib. quæ retribuisti mihi? Ecce meipsum tibi offero, in tuis sanctissimis vulneribus cõmorari iugiter concupisco. Rogo te per innocentissimæ mortis tuæ virtutem, miserere mei, sicut tu scis, confige timore tuo carnes meas, & omnes inordinatos motus in me comprime, vt feruore sanctissimi amoris tui inflammatus, te puro corde diligam, ore laudabilem confitear, opere pro viribus humili conuersatione sequar. Obsecro te clementissime Domine Iesu per illam sanctissimi cordis tui angustiam, quam sustinuisti in cruce, quando sanctissima anima tua egressa est de corpore tuo, miserere animæ meæ in egressu suo.

Hora prima post prandium.

HOra prima post prandium, nisi fueris exercitiis sublimioribus occupatus, pro cognitione propriæ fragilitatis impe-

impetranda, tali vel simili modo ad Dominum orabis.

Oratio.

DOmine Deus, qui me ex magna pietate tua in primo parente de limo terræ creasti, vt memor conditionis humilis, te creatorem meum in vera humilitate glorificarem: Da mihi obsecro fragilitatem meam omni tempore veraciter cognoscere, quatenus, dum considero quam vtilis & prope nihil sum ex merito proprio, tibi placere merear ex munere tuo: per Christum.

Hora secunda.

HOra secunda post meridiem cœnobita noster deuotus grauitatem peccatorum suorum, quibus in sancta religioē præsertim existens contra regulam peccauit, ad memoriam summatim reuocet, conuersusque ad Dominum, sic oret.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui nos miseros in peccatis mortuos, per incarnationem & mortem vnigeniti filii tui Domini nostri Iesu Christi ex sola misericordia tua viuificare dignatus es, concede mihi per virtutem innocentissimæ passionis eius omnium peccatorum meorum indulgentiam, vt tibi pura conscientia deinceps merear famulari. Per eundem Dominum nostrum.

Hora tertia.

HOra tertia post prandium cœnobita noster fidelis votorum suorum, quæ Domino promisit & maxime abdicationis omnis proprietatis videlicet in rebus, iudiciis, & voluntate meminerit, & compunctus ad Dominū in feruore spiritus, sic orabit,

Oratio.

OMnipotens ac misericors Deus, qui vota famulorum tuorū ex fideli deuotione tibi oblata benigno fauore sanctificas & suscipis, concede mihi omnia tibi promissa per virtutem humilitatis, castitatis, obedientiæ, & paupertatis tanta mētis puritate reddere: vt ad regnum tuum spiritu pauperibus promissum merear te miserante peruenire, per Dominum nostrum.

Post vesperas.

POst vesperas, quam vana sint omnia visibilia bonus cœnobita noster cogitet, & mente ad amorem inuisibilem bonorum eleuatus ad Dominum cum quāta potest deuotione clamet.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui nos per visibilia quæ creasti ad cognitionem & amorem inuisibilium transducere voluisti, da mihi præsentium vanitatem ita cognoscere, vt æternitatem futurorum pura semper merear mēte cogitare.

Alia.

PRotector in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum, multiplica super nos misericordiam tuā, vt te rectore, te duce, sic transeamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna.

Alia Oratio.

DEus qui diligentibus te bona inuisibilia præparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum, vt te in omnibus & super omnia diligentes, promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, consequamur. Per Dominum.

Post cœnam & collationem.

POst cœnam siue collationem cœnobita fidelis desiderium pro bono zelo & maxime animarum, quo potest feruore charitatis, induat, & orans ad Dominum dicat.

Oratio.

DOmine Deus amator maximus fidelium animarum, qui pro salute hominum filium tuum mori in crucis patibulo voluisti, da mihi per exemplum eiusdem filii tui in bono zelo semper proficere, & pro salute animarum nullos labores, nulla aduersa formidare, quatenus tui amoris incendio roboratus contradicentibus tibi, opportune resistere audeam, & murū me pro domo tua viriliter opponam. Per eundem Dominum nostrum.

Post completorium.

POst completorium recollectis viribus suis cœnobita deuotus, cordis sui secretum solus introeat, omnesq; curas & solli-

sollicitudines mundi foras derelinquat, quatenus liber & absolutus ab omnibus cum Domino Iesu per desiderium compunctionis mereatur colloqui, eiq; per amoris incendium dulciter vniri. Reuocatis itaq; in summa culpis diurnis ad memoriam examinis, sic oret ad Dominum.

Oratio.

O Clementissime Dn. Iesu Christe, qui pro nostra redemptione subire mortem turpissimam voluisti, concede mihi obsecro, per dolorem vulnerum tuorum ac per sanctissimi sanguinis tui effusionem, & innocentissimæ mortis tuæ virtutem omnium peccatorum meorum veniam, vt mundata conscientia tibi deinceps per desiderium amoris iugiter adhæream, in sancta religione quotidie proficiam, & me tuæ sanctissimæ voluntati humiliter in omnibus submittam.

Ad filium.

COrpus & animam meam tibi Domine Iesu Christe hac nocte & omni tempore commendo virtute & vnione illius amoris, qua dilectam genitricem tuam virginem Mariam pendens in cruce discipulo commendasti, in qua me obsecro ab omnibus insidiis antiqui serpentis custodias, carnis illicitos motus deprimas, turpia & mala somnia procul abigas, noctiumq; phantasmata repellas, quatenus in tua pace securus dormiam, & ad laudes tuas dispositis mihi horis hilater consurgam. Amen.

Ad patrem.

DOmine sancte pater omnipotens æterne Deus, qui nos ad gratiam tuam in passione vnigeniti filii tui placide suscepisti, suscipe obsecro clementer omnia bona opera, quæ te donante in hoc die operatus sum, verbis, factis, seu cogitationibus, in virtute & vnione illius charitatis & amoris, qua suscepisti eundem filium tuum pendentem & morientem in cruce pro nobis. Me tibi sancte pater in fide & vnione illius charitatis hac nocte & omni tempore commendo, qua filius tuus DOMINVS noster tibi moriturus iam spiritum suum in cruce commendauit.

Ad sanctam Mariam.

SAncta & immaculata Dei genitrix virgo Maria, rogo te per amaram dulcissimi filii tui passionem & mortem, non me asperneris miserum peccatorem propter immundam conscientiam meam, sed memento te matrem esse misericordiæ, & ora pro me Deum quem genuisti, vt mihi peccata mea clementer indulgeat, amatorem me suum feruentem efficiat, ab omnibus insidiis & malis hac nocte custodiat, & post mortem carnis animam meã ad vitam æternam perducat. Tuæ protectioni beatissima virgo Maria me hac nocte & omni tempore committo, in virtute & vnione illius commissionis, qua te dilectus filius tuus Dominus noster Iesus Christus iam moriturus in cruce Ioanni suo discipulo commendauit.

De memoria dominicæ passionis.

CVm passio Domini nostri Iesu Christi sit ianua salutis nostræ per quam nobis regnum cælorum patescit, debemus nos, qua possumus deuotione in ea frequentius exercere, quia facile precum nostrarum effectum impetrabimus, si per amorem compassionis in virtute vulnerum suorum Dominum adoremus. Idcirco te cænobita fidelis, qua possum sedulitate moneo, exhortor, & rogo, vt memor beneficiorum Dei, nullum diem penitus negligas, in quo non gratias tuo saluatori pro amaritudine suæ passionis & mortis agas. Et si prolixius, quauis occasione non præuales, vno saltem verbo te gratum exhibere redemptori tuo non recuses. Sic ipse Dominus Iesus reuelauit amatoribus suis, quibus voluit, quoniam nihil gratius illi, nihilq; vtilius nobis quã passionis & mortis eius memoriam cum gratiarum actione recolere, & alios vt idem faciant admonere. Accipe igitur verbum abbreuiatum, ne te oratio prolixior faciat tædiosum.

Flexis in terram genibus simul complosis manibus dic.

GRatias ago tibi dulcissime Domine Iesu pro vniuersis vulneribus, doloribus, & iniuriis innocentissimæ passionis tuæ & mortis, rogo te per eandem mortem tuam miserere mei nunc & in hora mortis meæ.

Vel sic.

Ama-

AMariſſimæ paſſioni, & innocentiſſimæ morti tuæ Domine Ieſu Chriſte, animo compatiente gratias ago, rogo te miſerere mei.

Vel ſic.

LAudo, benedico, adoro te Domine Ieſu Chriſte Rex cæli & terræ, & gratias ago tibi pro ſancta paſſione tua, qua me miſerum à morte perpetua liberaſti. Rogo te per virtutem eiuſdem paſſionis tuæ, fac me innocentiſſimæ mortis tuæ in æternum eſſe participem.

Concluſio huius compendii por Ioannem Trithemium Abbatem Spanhemenſem.

ET ne ſim prolixior, quam oportet, hic finem impono compendio. Præcepit enim mihi venerabilis ille cætus Abbatum Capituli noſtri annalis hoc loco vitare prolixitatem, ne tepidi & mundani clauſtrales faſtidium vocent in cauſam. Si vitam mihi dederit vacuam curis, quã ſemper optaui, Dominus Ieſus, conabor ſatisfacere & intentioni propriæ, & petitioni alienæ. Statui enim quibuſdam Chriſto dicatis virginibus poſtulantibus normam tradere, per quam deuotus quiſque cœnobita in paſſione Domini ſe poſſit contra omnes tentationes exercere, in qua, ſi paucis menſibus ſe, vt oportet, exercitando permanſerit, paulatim ab humanitate Chriſti ad diuinitatem eius per amoris radium dulciter euolabit. Nam ad Dei amorem peruenire cupientibus facilem aditum dominicæ paſſionis continuata meditatio reſerat, quia dum mẽs per compaſſionem ex memoria beneficiorum tanti amatoris compungitur, cum lachrymis æſtuans deſiderio ad amorem eleuatur. Vos ergo clauſtrales Deo dicati, quibus non vacat intendere multis, hæc pauca ſuſcipite, in quibus, licet non ſit incendium amoris continuum, poterit tamen perſeuerantibus eſſe renouatum.

FINIS.

IOAN.

IOANNIS TRITHEMII
SPANHEMENSIS ABBATIS

DE RELIGIOSORVM TENTATIONIBVS LIBRI DVO.

ARGVMENTA.
LIBRI PRIORIS.

Cap. I. De quatuor tentatoribus, & primo de Deo.
II. De secundo tentatore, qui est mundus.
III. De tertio tentatore, quæ est propria caro.
IV. De quarto tentatore, qui est diabolus.
V. De quadruplici Tentationum genere.
VI. De quatuor modis, quibus dæmon illudit hominem in cogitationibus.
VII. De tentatione dæmonum generaliter circa fidem.
VIII. An & quomodo secretas hominum cogitationes agnoscant?
IX. De occasione tentationum atque cogitationum.
X. De remediis contra tentationes in generali.
XI. De Tentationum vtilitate.

ARGVMENTA,
LIBRI POSTERIORIS.

Cap. I. De tentationibus generatim.
II. De tentationibus particularibus contra fidem.
III. De tentatione desperationis & tristitiæ.
IV. De tentatione superbiæ & filiarum eius.
V. De tentationibus vanæ gloriæ.
VI. De tentatione auaritiæ, & cupiditatis.

IOANNIS TRITHEMII
SPANHEMENSIS ABBATIS
DE TENTATIONIBVS RELIGIOSORVM
LIBER I.

CAPVT I.
DE QVATVOR TENTATORIBVS, DEO, MVNdo, dæmone & carne, & primo de Deo.

HVmanum genus per transgressionem mãdati primorum parentum multis subactum miseriis & calamitatibus pænas luit acerrimas, quas sibi dira culpa inflixit. Nam sicut in Iob scriptum est. *Homo natus de muliere breuiviuens tempore repletur multis miseriis.* Iob. 14. Tota enim vita, nostra quantumlibet longæua comparata æternitati momento etiam breuior est. Quidnam habet homo super terram omnibus diebus, quibus versatur in ea? In sordib. & putredine generamur, in tenebris confouemur, in doloribus nascimur, matresq; prius grauamus miseras, quam videamus lucem. Quis ergo det oculis meis fontem lachrymarum, vt fleam miserabilem humanæ conditionis progressum, damnabilem dissolutionis egressum, & vitam periculis plenissimam? Et quamuis à paradisi gaudiis electi in hanc miseriarum vallem per opem saluatoris ad principium nostrum mundi cõditorem nos subleuet spes reuertendi, graues nihilominus hostis antiqui insidias, donec in hac reclusione degimus, experimur, quia tanto contra nos valentius insurgit, quo diem iudicii, eo q; sibi postmodũ tentare non liceat, appropinquare agnoscit. Cum enim se damnatum, culpa spontanea id exigente inperpetuum sentiat, socios suæ damnationis, quoscũq; potest, inuitat. Quod cauendũ scriptura admonet dicens. *Fratres, sobrii estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.* 1. Pet. 5. Quare rugiens, nisi vt iam diximus, quoniam suæ malignitatis terminum, quo sibi tentare sanctos permissum est, instare cognoscens in cumulum suæ damnationis in seruos Dei vehementius inardescit. Tempus enim breue est, & nouissima hora instat. Contra huius aduersarii nostri machinamenta à saluatore admonemur oratione & vigilia dimicare. *Vigilate*, inquit, *& orate, vt non intretis in tentationem.* Matt. 26. Multum enim valet oratio contra tentationes cum lachrymis. Hinc nos Paulus admonens ait. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli. Arma Christianæ militiæ sunt orationes, & exercitia caritatis. Qui huiusmodi arma portat, diuina virtute ꝓtegitur, cui principaliter innititur, quia ipse in Deo est, & Deꝰ in eo. Hoc in canonica sua B. Ioannes innuit, dicens. *Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* 1. Ioan. 4. Nec mirum, si is fortiter pugnat, & operatur, qui diuina virtute præcingitur. Talem, quamdiu stat cum Deo, & in Deo, diabolus vincere non potest, sicut nec lupus ouẽ audet inuadere, quamdiu lateri adhæret pastoris. Quis n. homini audeat nocere, aut tangere, quãdiu stat iuxta regem? Puer quoq;, si alicuiꝰ improbitate turbatus fuerit, citius ad sinum matris, tanquam suæ quietis tutissimũ portum recurrit, & sub protectione manuum illius etiam insequentis minas irridet.

irridet. Quod idcirco, frater cariſſime, de tentationibus acturus præmittere volui, vt ſummum vincendi genus confugientibus ad Dei clementiam ſpe firma ab ipſo bonorum largitore omnium te poſſe conſequi agnoſceres. Hoc enim breuiter tibi tanquam memoriale perpetuum dixerim, qui Dei ſubiicitur voluntati, nullatenus poterit ab aduerſario ſu-
1. Ioan. 3. perari. Hinc Ioannes ait. *Qui manet in Deo, peccatum non facit.* De armis autem, quibus aduerſarii caſtra debellanda ſunt, infra Deo fauente dicemus, cum de remediis contra tentationes loqui cœperimus. Notandum itaque eſt, quod diuerſa ſunt genera tentationum, quæ etiam in vincentibus diuerſorum ſunt materia
Tentatores quatuor. præmiorum. Quatuor tamen præcipue ſunt tentatores, videlicet, DEVS, mundus, caro, diabolus. DEVS quidem tentat,
Primo Deus. vt probet, & approbet, & vt qualis ſit homo ſibiipſi innoteſcat: quatenus & ipſe proficiat tentatus in approbationem, &
Gen. 22. proximus per exemplum ad ædificatio-
Iac. 5. nem. Sic probauit Abraham in exemplũ
Tob. 2. obedientiæ, Iob patientiæ: quod & de Tobia legimus. Ait enim Scriptura. *Hanc tentationem, ſcilicet cæcitatis, permiſit Deus euenire illi, vt poſteris daretur exemplum patientiæ.* Sanctos etiam martyres in exemplum fidelitatis & conſtantiæ tentari permiſit,
Sap. 3. teſtante Scriptura, ac dicente, *Deus tenta-*
Deu. 8. *uit eos, & inuenit illos dignos ſe.* Et in Deuteronomio ſcriptum eſt. *Tentauit te Dominus, vt nota fierent, quæ in animo tuo verſabantur.*
Deu. 13. Et rurſum. *Tentat vos Dominus, vt palam fiat, an diligatis eum, an non?* Quotieſcumque ergo ſic tentamur, demus gloriam Deo, & non contriſtemur. Solet enim interdum Dominus tentare fidem noſtram, vt fortior, vel glorioſior fiat, ſi-
Matth. 8. cut Euangelici illius Centurionis docemur exemplo, cuius puerum cum ſciret vtique poteſtate ſermonis ſui ſe Dominus curaturum, offerre maluit præſentiam corporalem, dicens. *Ego veniam, & curabo illum.* Sed illo hanc eius oblationẽ feruẽtioris fidei flagrantia ſupergrediente, atque dicente: Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſed dic tantum verbo, & ſanabitur puer meus, miratur eum Dominus, atque collaudat, cunctiſq; illis, qui ex Iſrael crediderant, præfert, dicens. *Amen dico vobis, non inueni*
Ioan. 6. *tantam fidem in Iſrael.* Philippum quoque tentabat interrogans, vnde emerent panem, vt alerent turbam. Ipſe autem ſciebat, quid eſſet facturus. Et quare tentabat eum? vt ſibi ſua infirmitas innoteſceret, quoniam non recordabatur operũ priorum. Dixerat enim. *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat.* Numquam tentat *Deus quã fine tentet* Dominus in malum, cum bonus ſit, ſed omnia ad profectum noſtrum diſponit, plerumque ob probationem, nonnumquam ob emendationem, interdum ob merita delictorum. Ob probationem quidem, vt beatum Abraham, vt Iob, Tobiam, multosque ſanctorum, quos innumeras legimus protuliſſe tentationes. Hinc etenim eſt illud ad populum Dei. *Probaui te apud aquam contradictionis.* Ad *Pſal. 80.* Iob quoque ait. *Anputas me tibi aliter locu-* *Iob 33.* *tum, quam vt appareres iuſtus?* ac ſi diceret Ideo permiſi te aliquantulum tentare, vt qui iuſtus eras in conſpectu meo, patientiæ exemplum præbens notus fieres omnibus. Si iſto modo tentetur quilibet ſuam conſcientiam diſcutiendo inquirat & Deo gratias pro benigna ſui referat viſitatione. Ob meditationem vero, cum iuſtos ſuos, pro paruis quibuſdam, leuibusque peccatis, ſeu elatione ſuæ puritatis, ne in laqueum incidant diaboli humilians diuerſis tentationibus tradit vt omnem ſordem cogitationum in igne tentationum emundans velut aurum purũ futuro tranſmittat examini, nihil in eis remittens quod ſcrutans poſt hæc iudicii ignis pœnali cruciatu expurgaturus inue niat iuxta illud Pſalmiſtæ. *Multæ tribulatio* *Pſal. 33.* *nes iuſtorum.* Hinc quẽlibet proficere volentem ſapiens admonet dicens. *Fili, no-* *Prou. 3.* *li negligere diſciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Do-* *Heb. 12.* *minus corripit. Flagellat autem omnem filium quem recipit.* Quomodo, inquis, me diligit, quem tot tentationibus vexatum, etiam tibulationes adiungit? Vulgare dictum eſt, ſed cœlo elapſum. Quoniam *Pſal. 61.* iuſtus iudex nullum bonum tranſire patitur irremuneratum, nec malum quodlibet impunitum. Ait namque Propheta. *Quoniam duo hæc audiui, quia poteſtas Dei, & tibi Domine miſericordia: quia tu reddes vnicuique iuxta opera ſua.* Cumque mens iuſti ſui reatus conſcientia timere didicerit, quæ hinc decedentes impurgatos pœna cruciat, ſtatim quantum Dominus ad

eos, quos hic per tētationes purgari permittit diligat cognoscit, ita vt dicat & ipsa illud Augustinianum. *Domine hic vre, hic seca, vt in æternum parcas.* Quia enim, vt diximus, nulla culpa sine purgatione pœnæ dimittitur, sapiens quilibet & deuotus purgatoriū à Domino sibi petat constitui in hac vita, vbi non solum pro culpis satisfacere, sed & meritum suum largiente Deo patientia plurimum poterit cumulare. Beatus homo, quem Deus in carne purgare dignabitur. Quis enim est filius, quem non corripit pater? Quod si extra disciplinā es, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulterinus, & non filius es. Sed absit à te, frater, huiuscemodi alienatio, quæ tibi tantum patrem reddit offensum. Ipse enim dicit. *Ego, quos amo, arguo, & castigo.* Ad quos etiam sub figura Ierusalem ex persona Dei per Ieremiam sermo dirigitur. *Faciam enim consummationem in omnibus gentibus, in quibus dispersi te, te autem non faciam in consummationem, sed castigabo te in iudicio, vt non tibi videaris innoxius.* Ecce Dominus populum suum, quem sibi in peculium eligit, cæteris pereuntibus non in cōsummationem dedit, sed emendatione paterna purgauit. Pro qua salutari emendatione orat Dauid dicens. *Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos & cor meum.* Ieremias quoque vtilitatem huius tentationis considerans orabat. *Corripe*, inquit, *nos Domine, veruntamen in iudicio & non in furore tuo.* Melius enim est tentationibus peccata hic purgari, quam post hanc vitam cum culpa aut macula mitti in tormēta ignis. Ideoque pro consolatione singulari hæc tibi, carissime frater, vota fieri volo, sperans te omnimodis gloriari debere in infirmitatibus & tribulationibus tuis in Domino, quando per eas pœnam ignis purgatorii te confidas auxiliante Christo euadere. Sciendum vero est, quoniam sunt nonnulli. qui versiculum quidem superius dictum clamant, & dicunt. Domine hic vre, hic seca, vt ibi parcas, sed effectus patientiæ cum oratione nequaquam concordat. Quia mox vt aliqua tentatione tanguntur, non solum patienter ferre nequeunt, sed & in iram vehementius exardescunt. De his Dauid dicebat. Domine tange montes, & fumigabunt. Sæpe etiam pro merito peccatorum plaga tentationis infertur. vt vbi Dominus populo Israel plagas se immissurum comminatur dicens. *Dentes bestiarum immittam in eos, &c.* In Psalmo quoque. *Multa flagella peccatorum.* Malorum enim, qui incorrigibiles permanent sæpe in hac vita indiciis plagarum futura damnatio declaratur, quatenus dum terminum culpæ imponere negligunt, quid in futuro passuri sint, etiam temporaliter vexati addiscunt. Quam sententiā iusti iudicis Propheta considerans dicebat. *Duplici contritione contere eos Domine.* Inuenimus sane & alias rationes, quibus Deus plerosque sinit tentari; quos suo loco melius, auxiliante Domino demonstrabimus. Nunc iam secundus tentator discutiendus, quis sit, & quid valeat, accedat.

Prou. 3. *Ierem. 5. & 30.* *Psal. 25.* *Ierem. 10.* *Psal. 143.* *Deut. 32.* *Psal. 31.* *Psal. 17.*

CAPVT II.

De secundo Tentatore, qui est Mundus.

MVNDVS autem iste, eo quod alliciat ad malum, tentare nos dicitur, quod est intelligendum de mundo materiali tantum in rebus concupiscibilibus, sed magis in hominibus carnalibus & mundanis. Hinc Salomon ait. *Creaturæ Dei factæ sunt in odium, & muscipulam, & tentationem pedibus insipientium.* Sed cum odium peccatum sit, & per consequens malum, & Deus malum non fecerit, iuxta illud. *Vniuersa opera Domini bona valde*, & quoniam ipse omnes creaturas condidit, de quibus Sapiens dicit, quod in odium factæ sint, & in tentationem pedibus insipientium. quomodo hoc stare potest, quod hic dicitur? Deus enim, sicut iam diximus, omnium conditor vniuersa bona creauit, & quis fecit ea in tentationem? Certe primus homo, qui transgressus est mandatum Domini, hanc nobis inflixit tentationem. Siquidē priusquam peccaret omnes creaturas habuit in solatium, sed perpetrato scelere, quæcumque prius tenuit vt dñs, postea habuit in tētationē & opprobriū sicut seruus. Aliā peccati causam nemo quærat. Deus mali auctor non est, qui omnia creans bona fecit, & recta. Voluntas .n. prima causa peccati fuit, quā homo in ratione iusta nō moderauit.

Sap. 14. *Eccli. 39.*

rauit. Iustum est igitur, vt qui peccati seruus effectus Dominum reliquit creaturarum omnium conditorem, voluntate & actione corruptus in tẽtationem habeat omnes creaturas. Sicut enim ante peccatum omnia deferebant hominis innocentiæ, ita post culpam omnia contraria facta sunt eius corruptioni. Sic namque scriptum est. *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Qui enim sua culpa mundi deseruit creatorem, iusto iudicio mundum ipsum patitur tentatorem, vt qui in factorem deliquit, persecutionem sustineat à factura. Quamdiu vero homo obediens extitit creatori, obediens mansit creatura homini. At vbi homo superbus iugum creatoris abiecit, dedignabatur concreatura eius subesse ditioni. Hæc est illa infelix occasio, quæ mundum aduersus hominem docuit rebellare. Inde mundus tentandi nos sumpsit audaciam, cum creatoris iam vltra non vidit defensionem. Res nobis plurimas ostendit concupiscibiles, & in omnibus vt capiat laqueum suæ fraudulentiæ protendit. Laquei isti sunt ea per quæ res temporales in amorem suum alliciunt, & in contemptum creatoris inducunt. Res enim mundi huius ad vsum nobis commodatæ sunt, non ad fruitionem. Quicumque his fruitur, abutitur. Fruitio enim hominis in solo creatore constituenda est. Nunc autem, quia mundi rebus ardentius inhæremus, cum ipso labente labimur, nec prius nos lapsos agnoscimus, quam & res, & mundum perdamus. Mundus enim transibit & concupiscentia eius. Sed mundus iste quantis sit repletus periculis & tentationibus, beati nobis Antonii visio, si non essemus & ipsi experti, declararet, qui raptus in extasi vidit mundum plenum laqueis, & clamauit. Quis euadet, ô Domine, hos laqueos? Responsum accepit, quod humilitas eos possit euadere. Qui enim humilis est & pauper spiritu, à mundo non capitur, sed ruptis laqueis liber transibit ad cælum. Qui autem in mundo aliquid concupiscit præter Deum, iam ipsius hamo, vt piscis tenetur captiuus. Sancti enim viri, quales fuerunt Patres nostri aliquando in Ægypto, quia nihil huius mundi appetunt, proculdubio ipsius tentationibus non premuntur. Nudus quippe athleta fortius currit, quia materiam impedientem non portat. Qui autem onere pressus incedit, diuerticula quærens citius offendit. Mundus enim iste plenissimus est acutissimis spinis, quibus quilibet tanto crudelius pungitur, quanto se curis eius plus ingesserit. nẽpe mala eius veraciter sentit, qui bona eius inhianter appetit. Scriptum est enim. *Qui tangit picem inquinabitur ab ea.* Qui mundi amore tenetur captiuus, nisi mundo ereptus, non poterit sapere creatorem. In Iob namque scriptum est. *Immisit in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat. tenebitur planta eius laqueo, & exardescet contra eum sitis. abscondita est in terra pedica eius, & decipula illius super semitam.* Mundus enim iste rete suum ad capiendos homines vbique extendit, & oblectamenta oculorum crebra infestatione obtutibus ambulantium opponit. Ad hominem itaque mundanum dicitur. *Immisit in rete pedes suos*, quia dum cupiditatibus suis auarus inhiat, mundi tentus amore, in imo peccatorum iacet, nec valet suis quicquam viribus vt resurgat. Vnde recte dicitur. *Et in maculis eius ambulat.* Qui enim mundi amore semel trahitur, in maculis eius, id est, in sordibus vitiorum se totum inuoluens ad vicinum præcipitium quasi maculatus tendit. *Tenebitur planta illius laqueo*, quia dum se curis seculi immergit quasi laqueo irretitus ad superna conscendere minime valet. Cumque sursum caput erigit, diuitiis, vel honoribus, aut voluptatibus seculi implicatus in præceps ad ima ruit? tantoque mundi amor succrescit ardentior, quanto diuinæ sapientiæ ros in ipso fit minor. Vnde dicitur. *Et exardescet contra eum sitis.* Quid hic per sitim, nisi desiderium habendi auarorum accipitur, qui quanto plus habent, tanto plus appetunt. Auarus enim numquam dicit, sufficit: sed nomen habet ab opere, qui semper auri auidus est appetitor. *Abscondita est in terra pedica eius.* Per pedicam sensus, seu cogitationes cordis debemus intelligere: quoniam sicut homo quinque pedicas habet in pede vno, ita & sensus quinque in vno corpore. Auari autem cogitatio, quæ per pedicam signatur, eo quod & homo quinque sensus habeat interiores pro pede vno, & exteriores pro pede altero, semper versatur in terra, quomodo diuitias

Psal. 48.

Eccli. 13.

Iob 18.

Temporalibus bonis vti, nõ frui debemus.

Athan. in eius vita.

accumulet, seu quomodo custodiat à furibus, & prædonibus iam collectas. Voluptuosi etiam mens in terra absconditur, quia terrenarum tantum rerum commoda rimatur. Et quicunque præter Deum omnium creatorem aliquid, quod ille nolit, diligit, ne valeat veram speculari lucem, in terra absconditus iacet. Hinc nos Ioannes ad contemptum mundi exhortatur, dicens. *Filioli nolite diligere* 1.Ioan.2. *mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Quoniam, si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo.* Fallax est enim hic mundus, finis dubius, exitus horribilis, iudex terribilis, pœna infinibilis. Et ergo periculosior est blandus quam molestus, & magis cauendus, cum per prospera attrahit, quam cum per aduersa sæuit. Blandimenta eius noxia plena sunt dolis, nititur vt decipiat, insistit vt occidat. Recte mundus per antiphrasin dictus est, quia mundus non est, sed omni spurcitia, & malitia plenus, dicente Scriptura. *Quoniam* 1.Ioan.5. *totus mundus in maligno positus est.*

CAPVT III.

DE TENTATORE TERTIO,

ideſt, de carne propria, quæ nos & premit & tentat.

Iac.1. VNVSQVISQVE *autem*, teste Iacobo, *magis tentatur à propria carne, à concupiscentia sua abstractus & illectus.* Hæc est illa meretrix, quæ habet poculum aureum in manu illiciti actus plenum abominatione immunditiæ. Calix iste carnalis concupiscentiæ omnes nos de Adam prodeuntes infecit & inebriauit, quem nobis mater omnium Eua decepta per serpentem potandum propina- Psal.74. uit. Veruntamen fex eius non est exinanita, bibimus omnes de illo, quotquot à muliere concipimur. Mulier decepta est, quæ colonum paradisi exulem fecit. Et Gen.3. sicut Eua misera virum in mortem induxit, ita caro spiritum per concupiscentiam conatur occidere, & à paradiso, quem nobis Christus Dei filius suo pretioso sanguine aperuit, excludere. Sed non est audienda persuasio eius seductoria. Profecto si peccauerit spiritus & caro * simul tormenta patietur. O caro misera, quem nisi teipsam perimis, dum spiritui Gen.39. resistis? Hæc est illa Ægyptia, quæ Ioseph, id est, spiritum ad consensum illicitum cogere cupit; quæ non est audienda, sed omnimodis relicto pallio Gen.38. secularis conuersationis fugienda. Hæc est Thamar, quæ deposita veste lugubri viduitatis scilicet, & pœnitentiæ induta theristro mollitiei sedet in biuio, quiescens in voluptate & vanitate, vt Iudam, id est, pœnitentem & confitentem spiritum prouocet ad incestuosum concubitum, quæ audienda vel aspicienda non Num.25. est. Hæc est Cozbi filia Principis Madian, quæ ornata habitu meretricio mittitur ad seducendos filios Israel, quæ appetenda non est, sed per disciplinam iustæ seueritatis necanda. Hæc est illa me- Prou.7. retrix ornata habitu meretricio, præparata ad capiendas animas, garrula, vaga, quietis impatiens, quam vidit Salomon de fenestra domus suæ væcordem iuuenem illaqueantem, & ad perditionem trahentem. Hæc est Iahel, quæ Sisaram, Iud.4. id est, spiritum à prælio fugientem, & otium ac quietem appetentem inuitat ad quiescendum in tabernaculo suo, ideſt, in agendo curam carnis in desideriis, quę propinando lac blandæ delectationis per consensum illicitum occidit, dum clauũ amoris penetrantis illiciti in eum infigit. Hanc, frater carissime, noli audire, sed fuge & caue, ne pereas in manu illius. Quoties enim otio torpescis, aut torpore consumeris, toties per Iahel, id est, carnem spiritus necatur. Hæc est Dalila fitula, Iud.16. quæ Sampsonem virtute spolians Philistiim, id est, dæmonibus tradidit excæcandum & illudendum. Hæc est Iezabel 3.Reg.21. illa fluxus sterquilinii, quæ sanguinem iniuste effundit. Hæc est Vasthi superba Hester 1. in conuiuio voluptatis summo regi inobediens, quam deponi oportet, ne leuet contra Dominum proprium calcaneum suum. Hæc est Athalia nequam, quæ cu- 4.Reg.11. piditate regnãdi interfecit omne semen regium, bonarũ videlicet affectionũ: quæ mortificanda est, non in templo contemplationis dimittenda regnare. Hæc est etiam Herodias incæstuosa meretrix, quæ Matt.14. filiæ suę, id est, delectationi carnali complacens, caput Ioannis, ideſt, gratiam spiritui fecit amputari. Hæc quoque est an- Matt.26. cilla ostiaria, quæ in custodia & gubernatione habet quinque sensus exteriores,

quos

quos male custodiens Petrũ fecit abne-
Eccli. 25. gare Christum. Hæc est illa mulier, de qua Salomon ait, quoniam non est *nequitia super nequitia mulieris.* Hæc bonis semper infesta operibus viro, id est, spiritui iugiter rebellat. Viro enim stulto mulier nequam dominatur, quia homini impio voluptuosa caro imperat. Hunc nostrum inimicum quocunq; pergimus nobiscum portamus, quem tanto sentimus fortiorẽ, quanto pro eius cura plus sumus solliciti. Nam ibi spiritus deficit, vbi caro quiescit, & dum illa roboratur, iste infirmatur. Et reuera aduersarius noster iste, tanto nobis periculosior est, quanto vicinior. Quẽ fame & inedia domari oportet, ne impinguatus insolescat. domandus inquam est, non occidendus. Veruntamẽ non est nutriendus delicate, ne habeamus eum postea contumacẽ. Venter quippe repletus cito spumat in libidinem, & inchoata voluptas maius incendium parit. Si itaque in Domino, quod arbitror, proficere cupis, caue tibi ab aduersario tuo, quia callidior te est. *Vinum & adolescentia duplex incendium voluptatis:* ideoq; fuge vinũ velut venenum. Quoniam, teste Salomone, in
Ephes. 5. ipso *luxuria est.* Si pateris incendiũ in carne tua ratione iuuentutis, cauẽdus est vini immoderatus vsus, qui plus accendit focum voluptatis. In iuuenibus enim maior impetus libidinis esse solet, quem feruor sanctæ conuersationis extinguere debet, iuuentus, fœmina & vinum carnis aduersus spiritum arma bellica sunt. Sed & mala consuetudo carnis contra animam fortissimum propugnaculũ est. Hinc est, quod tam continenter aduersus spiritum cõcupiscit, tam assidue murmurat & impatiẽs est disciplinæ, illicita suggerit, nec rationi obtemperat, necvllo timore inhibetur. Tentat autẽ nos caro quatuor mo-
Caro 4. modis nos tentat. dis, quibus quasi quatuor rotis suum circũfert aurigam. Primo, timore humano aduersa nimis timendo & horrẽdo: quando videlicet suadet, vt illa vitando quæ timet contra salutem aliquid faciat, vel quę sunt ad salutem omittat, ne aduersa ipsa incurrat. Contra hanc eius tentationem supplicia inferni opponẽda sunt, & sedulo in memoria habenda, quatenus illa timendo homo quæcunq; libẽter sustineat aduersa. Deus solus timendus est, qui totũ hominẽ, carnem, scilicet, & animã in sua cõstituit potestate. Hunc itaq; timeamus. Qui enim Deũ timet, nõ faciet mala, nec carnis cõsentiet illecebris. Non est quod timeas, si amaueris Deum. Deum time, & timeberis ab omnibus. Deũ ama, & amaberis ab omnibus. Carnalibus desideriis obsta, & vim vi repellere disce. In exẽplũ tibi proponitur B. Abbas & legifer noster Benedictus, qui cum vim carnis insurgere sentiret, sentibus & veprib. carnẽ domãs voluptatẽ violenter pellebat. Frater etiã quidã de Ordine S. Francisci cum hyemis tẽpore ob inopiã vestiũ impetuosum frigus pateretur, cogitauit ab Ordine discedere. Qui tamen diuinitus inspiratus de nocte consurgens relicto habitu nudũ se in cumulũ niuis proiecit, volutansq; se ibi donec infrigidatæ carni diceret. O domina caro, acciperetis vos modo & amodo vnã tunicã patienter? Cum autẽ carnalis voluptas diu postmodũ respõdisset, q; sic, resumpto habitu rediit, & de illa tẽtatione postea in pace remansit. Secundo ten-
S. Greg. l. 2. dial. c. 2

2. tat caro ex eo q; nimis amat blãda, & suauia sibi atq; delectabilia, vt per ea suadeat spiritui, vt ꝓiiciat se in foueã peccati. Sed sciat voluptuosus quisq; quoniã dũ rusticus vrsum capere nititur, vas mellis super ramũ gracilẽ ponit, fouea subtus arborẽ parata de melle aliquid distillare facit, q; dum vrsus auidus plus cupiẽs inuenire de ramo in ramũ prosequitur nescius in foueã cadit. Sic qui sequitur voluptatẽ carnis in foueã peccati cadit, capitur à diabolo & occiditur. Tertio tentat ex eo, quod
3. oppressa, vel afflicta pœnitẽtia seu tribulatione ad murmur & impatientẽ spiritũ ꝓuocare laborat. Quod si spiritũ fortẽ & patientẽ videret, reclamat indignabunda dicens. Cur illatã tibi iniuriã patiẽter ferres, vt ridiculus fieres æmulis tuis? Si hanc tibi irrogatam sine talione calumniã remiseris cunctis maiora in te cõmittendi opprobria audaciã dedisti, &c. Sic spiritus afflictæ carni compatitur, & suam consentiendo fortitudinem amittit. Videns
Iud. 16. Sampson afflictionem Dalilæ, assentiens ei secretum suum reuelauit, & fraude deceptus captus est ab inimicis suis. Quarto tentat per contumaciam, quando ni-
4. mis impugnatur, sicut scriptum est. *Qui*
Prou. 29. *delicate à pueritia sua nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem.* Sic fuit de Mi-
2. Reg. 16. phiboseth, & seruo suo Siba, qui contempsit, & impediuit eum, ne sequeretur regẽ Dauid. Procurante quoq; eo amisit

Gen. 16. hæreditatẽ ſuam. Sic Agar ancilla Abrahæ videns ſe plenam, contempſit dominam ſuam. Fertur, quod diues quidam arietem ſuum impinguarat, ita quod nimia pinguedine incraſſatus in omnes inuitantes ſe cornibus impingebat. Cum autem ſemel dormitaret Dominus ad ignem, videns aries eum frequenter inclinantem, & deprimentem caput, credidit ſe inuitari more ſolito ad ſaltum impingendi in eum. Qua æſtimatione aries ſeductus tam fortiter in dominum ſuum irruit, quod eum occidit. Sic facit caro ſpiritui negligenti, & eam nimis impinguanti. Curam igitur carnis ita moderari nos conuenit, vt ſpiritui rebellare non audeat, ſed eius tanquam ſanioribus acquieſcat ſuaſionibus.

CAPVT IV.

DE QVARTO TENTATORE, id eſt, Diabolo.

QVARTVS denique tentator, qui nunquam fatigatur, diabolus eſt, cuique totum ſtudium & exercitium eſt tentare homines, cupiens eum ſe proiectum ſciat, multos ſuæ damnationis habere participes. Sed dæmonum eſt mala ſuggerere, noſtrum eſt non conſentire, quia quoties eis reſiſtimus, toties ſuperamus, angelos honoramus, qui noſtro certamini interſunt, Deum glorificamus, qui incitat nos vt pugnemus, adiuuat vt vincamus, conſolidat, ne deficiamus. Cum autem diabolus ſit aſtutiſſimus, diuerſos habet modos & artes tentandi, de quibus 2. Cor. 2. Paulus dicebat. *Non enim ignoramus aſtutias eius*. Vnde tentat multipliciter cum ſit venator & piſcator: retia habet diuerſa & artificia, per quæ homines capit, trahit, decipit, & inuoluit. Et cum ſit intellectu ſubtiliſſimus, malitia aſtutiſſimus, experientia longiſſimi temporis vſitatiſſimus, audacia procaciſſimus, diſcurſu velociſſimus, infatigabilis ad nocendum, inſatiabilis ad perdendum, implacabilis ad parcendum, horribilis ad meditandum, intolerabilis ad ſuſtinendum, inuiſibilis ad intuendum, nulla inſuper nocendi genera neſciens, nunquam à tentatione nec die, nec nocte quieſcit. Vnũquemque proprio aggreditur vitio, in quo citius ſe ſperat vincere poſſe. Nouit, cui adhibeat æſtus cupiditatis, cui gulæ illecebras ingerat, cui apponat incitamentum luxuriæ, cui infundat virus inuidiæ. Nouit quem mœrore concutiat, quem fallat gaudio, quem metu opprimat, quem admiratione ſeducat. Omnes diſcutit conſuetudines, ventilat curas, ſcrutatur affectus, & ibi quærit cauſas nocendi, vbi quemque viderit ſtudioſius occupari. Non deſinit deceptionum laqueos vbique prætendere, & vt quoquo modo homines decipiat inſtare. Nulli parcit ætati, dignitati, ſtatui vel ſexui, aut ſanctitati, nec ipſi Domino, quem auſus eſt etiam tentare. Et quamuis generaliter omnes tentet, & nemini parcat: ſtudioſius tamen & libentius tentat maiores Prælatos ſanctiores, de quorum deiectione plus gloriatur. Nouit enim callidus hoſtis, quod tanto ſit ruina grauior, quanto excellentia maior. Monachus quoque cum ſis, conſidera, quantum ipſos perſequatur, qui per aſſumptum religionis habitum eius fugere nituntur tyrannidem. Quidam pater referre ſolebat. Cum eſſem, inquit, puer filius ſacerdotis idolorum intraui ſemel cum patre meo templum eorum, de nocte excitatus vidi principem dæmonũ quaſi in ſolio ſedentem, & exercitum eius ſibi aſſiſtentem, quem vnus veniens adorauit. Requiſitus, vnde veniſſet, & quid egiſſet, reſpondit ſe de prouincia quadã veniſſe, & multas guerras ſuſcitaſſe, ac ſanguinem copioſum effudiſſe humanum. Requiſitus, in quanto temporis ſpatio? reſpondit in triginta diebus. Quẽ ſtatim flagellauit, quaſi tanto tempore minus feciſſet. Acceſſit ſecundus, qui ſe in viginti diebus multas naues in mari cum ducentis hominibus referebat interemiſſe, quem ſimiliter flagellatum abiecit. Tertio de nuptiis venienti, & ſe in decem diebus ſponſum interfeciſſe, prælia, & ſeditiones multas excitaſſe, ac

Damon infeſtus religioſis.

Exempla vide Spec. exempl. exem. 208.

Damonis proprietates.

se, ac homines plurimos occidisse glorianti simile contigit. Venit quartus postea, qui cum adorasset principem, requisitus de aduentu suo, & factis, respondit se venire de eremo, vbi per vndecim annos monachum tentauerat, & vix tandem eum ad vnam fornicationem inclinauerat. Quo audito, princeps dæmonũ surgens hunc suum satellitem osculabatur, & regio diademate præ cæteris omnibus honorabat, posuitque eum in cathedram suam, & cæteri omnes eum adorabant, quod rem tam grandem sua industria breui, vt putabatur, in spatio perfe-
Greg.l.7. cisset. Simile narrat B. Gregorius in tertio Dialogorum de Iudæo, qui vidit in templo idolorum dæmonem assistere in modum regis, vt iam dictum est, & illum dæmonem commendantem, & honorantem, & vt inceptum perficeret suadentem, qui procurauerat multis temporibus, quod Andreas Fundanæ Ecclesiæ Episcopus sanctimonialem quãdam manu ad posteriora percuteret: quod audientes dæmones gaudebant, & vt perfi-
Exemplũ Spec. Exempl. dist. 9. ex. 209. ceret inceptum rogabãt. Quidam etiam sanctus Pater ductus ab angelo in locum, vbi erat congregatio monachorum, vidit omnes officinas plenas maxima multitudine dæmonum volantium ad modum muscarum. Veniens autem ad ciuitatem, vbi erat forum, vidit ibi vnum solum dæmonem satis otiosum super portam ciuitatis stantem. Eremitæ miranti, & causam istius quærenti angelus respondit, quia in ciuitate omnes voluntatem diaboli faciebant, & ideo vnus ad custodiam sufficeret, ne forte per aliquid interueniens incepissent rebellizare. In Abbatia vero, quia omnes eos turpiter repellebant, & rebelles erant eis, ideo ibi multi erant, & monachos acriter impugnabãt. Quando .n. aliquis castrũ suum tenet pacifice, & possidet ad voluntatẽ suam, sufficit ibi vnus castellanus, qui castrũ custodiat. Sed quãdo rebellat ei, tunc illud obsidet cũ exercitus multitudine copiosa, donec subiugauerit eos sibi, vel spes deficiat obtinẽdi. Hoc mystice per Antiochũ qui interpretatur, pauper silẽs, in Machabæorũ primo factũ, nobis huius reiconf e-
1. Mac. 1. ret intelligẽtiam. Ait .n. Scriptura. *Ascendit Antiochus cum multitudine graui intrãs sanctificationẽ*, scilicet religionis. Antioch⁹, vt diximus, pauper silẽs, vel pauperis silẽtiũ interpretatur, & signat diabolũ, qui vere pauper est, id est, gloria cælesti spoliatus, & silẽs, quia à laude Dei vacuus & mutus. Hic cũ multitudine graui dæmonũ videlicet intrat sanctificationẽ .i. monachorũ per votũ religionis sanctificatorũ congregationẽ, si quẽpiã inueniat minus cautũ, vel otio torpentẽ, quem deuoret. Abbas Moyses ita improbe tentat⁹ fuit, q̃ in cella sua stare nõ poterat præ rẽtatione carnis, & fugit ad Abbatẽ Isidorũ, q̃ facta oratione dixit ei. Ascende ad superiora cellæ, & respice ad occidẽtẽ. Quo facto vidit infinitã multitudinẽ dęmonũ furentiũ, & frementiũ ad præliũ, & ignea tela proiicientiũ contra ipsum. Dixit ei Abbas Isidorus. Noli timere, quia plures nobiscũ sunt, q̃ cũ illis. Respice ad orientẽ. Qui respiciẽs vidit infinitã multitudinẽ angelorũ, & gloriosũ cęli exercitũ super lumẽ solis splendentẽ. Qua visione p̃specta rediit ad cellã suam in Dño confortatus. Ex his omnib⁹ colligitur, quanta diabolus aduersus monachos, & clausträles p̃sonas tentamenta machinetur, qui plus de perditione vnius monachi solicitus est, q̃ de decẽ millibus, quos in laqueo suo iam habet. Sed vnde ei tãta inuidia in monachos? Profecto, cum omnes odio p̃sequatur, plus tñ in eos sæuit, quos se statim irrecuperabiliter amittere pertimescit. Se enim contẽni sentiẽs acriter ingemiscit, & factã sibi cõtumeliã omnibus nisibus vindicare cupiẽs laqueũ auolantib⁹ vbiq; protẽdit. Hinc p Abacuc dicitur. *Totum in hamo subleuauit, traxit in sagena sua, cõgregauit in rete suum.* Sed ô monache miles Christi cõsidera, cui te p̃baueris, non ineas pactũ cum aduersario Dñi tui, sed omnibus suasionib⁹ eius repugna: noli assentiri ei, quoniã fraudulẽter te circũuenit, si iugẽ solicitudinẽ nõ geras. Te & Dominũ tuũ tãta inuidia persequitur, quanta nec æstimari potest, & tu facies, q̃ beneplacita sunt illi? Absit, absit, noli te credere ei, q̃m mẽdax est ipse & pater mẽdacii. Iniustũ est seruire illi, q̃ nullo placatur obsequio. Quanto enim quisq; ei sedulus fuerit in obsequẽdo, tãto maiorẽ pœnã dãnationis consequitur se ei associãdo. Iam vero, vt supra dictũ est, plus solito sæuit, quia quãto p̃pinquius finẽ mũdi cernit, tanto crudelius in fideles p̃secutiones exercet, vt q̃ se cõtinuo dãnandũ cõspicit socios sibi multiplicet, cũ quib⁹ gehennæ ignib⁹ aduratur. Tædiosus ste & im p̃pbus, ideo ten-

Abbas Moyses.

Abac. 1.

Cur dæmon nunc maxime seuiat.

tentat improbe & procaciter ſicut muſca, quia ſæpe repulſus ſæpe redit, & ſicut canis impudens per vnam ianuam pulſus redit per aliam. Tentat autē frequenter & aſſidue, vt quem impetu vincere non poteſt, ſaltem tædio vincat. Vnde *Pſal. 117.* Propheta. *Circundederunt me*, inquit, *ſicut apes.* Apis animal exiguum, ſed aſtutum & improbum eſt, quod etiam plerunque ſine ceſſatione perſequitur fugientem: ſic diabolus improbus ſe obtutibus noſtris ingerit, & licet ſæpe repulſus aſſidue tamen oppugnat, ſicut patet de eremita, quem annis quadraginta tentabat. Crudeliſſimus homicida crudeliter tentat, cuius crudelitas inſatiabilis ad nocendum bonis ſemper inuidet, & eos perſequitur, quantum poteſt, nec vllo compaſſionis dolore quieſcit. Et quod per ſe minus poteſt, per ſuos implere non ceſſat, *Iob 2.* ſicut Iob per vxorem, filios Iſrael per Pharaonem, innocentes per Herodem, primitiuam Eccleſiam tentauit per Neronem. Tantæ hic draco crudelitatis & inuidiæ eſt, vt etiam Dominum maieſtatis tentare non erubeſceret. Hic eſt draco ille magnus & rufus, qui volebat deuorare maſculum mulieris, id eſt, fidem credētium in primitiua Eccleſia deſtruere: quia idcirco rufus dicitur, quia variis hæreſum maculis Eccleſiam, quantum in eo fuerat, deturpauit. Sed non prævaluit ille crudeliſſimus homicida homo inimicus, nec ſuper ſeminata zizania triticum potuere inficere. Non enim quantum *Dæmon non poteſt nocere quantum vult.* vellet ſibi nocere permittitur, quia poteſtas eius ſub poteſtate eſt, qui reſiſtere non poteſt. Nam ſi tantum poſſet nocere, quantum vellet, aliquis iuſtorum non *1. Cor. 10.* remaneret. Hinc Paulus ait. *Fidelis Deus qui non ſinit nos tentari ſupra id quod poſſumus: ſed dat etiam cum tentatione prouentum, vt poſſimus ſuſtinere.* Tentator iſte impiiſſimus in hoc maximam ſuæ crudelitatis inſaniam demonſtrat, quia de malo gaudet, præſertim de iuſtorum ruina, & de conuerſione ipſorum triſtatur, bona cuncta impedire nititur, dolis inſiſtit, & fraudibus operatur. Nec tantum ex malignitate bonos impedit, ſed etiam, quantum prævalet, omnia bona perſequitur, & extinguit.

Tentat autem acrius eius dominium fugientes, quia illos tentare negligit, quos quieto iure ſe poſſidere ſentit. Hoc enim quotidianis diſcimus experimentis, illos, qui conuerti deliberāt, acrius tētari à concupiſcentia carnis, & eos grauius in operibus luti, lateris & palearum premi, qui Ægyptum egredi, & Pharaonem fugere moliuntur. Et illi quidem, qui iam in religionis obſeruantia ſtabiliti ſunt, eius ſæpe nequitiis deluduntur. Sunt enim nonnulli etiam inter religioſos, quos ſpiritus iſte nequam nullis momentis à tentationibus ſinit eſſe ſolutos. Iam inflammat in libidinem, iam ad cupiditatem inclinat, modo iram excitat, modo pro gloria bonæ conuerſationis propriæ complacētiæ amorem collaudat. Et ſunt nonnulli, quos ita in tepiditate, & torpore proſternit, vt nihil boni cum hilaritate agere poſſint. *Dæmon variis modis tentat monachos.*

Et ſunt plerique, qui ab initio conuerſionis ſuæ negligenter inceperunt, quos ita ſibi aſtringit, vt à mala conſuetudine vix cum magna difficultate reſurgere queant. Quos aliquando reſurgere molientes tot tantiſque infeſtat tentationibus, vt ſe à Deo pene derelictos æſtiment, & tanto fiunt triſtiores, quanto in tentationibus huiuſmodi experti. Hinc ſtimuli carnis inſurgunt, hinc blaſphemiæ ſpiritus inſoleſcit, hinc tædium vitæ ſubterfugium quæritat, hinc mens rudis cogitationum turbine inuoluitur, & miſerum iuuenem tantis phantaſiis agitat, vt quid agat, quoue ſe vertat, penitus non ſciat. iuuenem, inquam, volentem proficere, & à torporis ignauia ſurgere hæc mala agitant; quia ſenes his malis raro agitantur.

Qui enim annos ſuos in negligentia & torpore expendit, in ſenio reſurgendi feruorem raro ſentit. Scriptum eſt enim: *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit non recedet ab ea.* Nam arbor, quæ in principio ſuæ plantationis ſemel curuata fuit, ſolidata in annis nequaquam recta fiet. Sic etiam cum monacho iuuene eſt: qui qualis inſtituitur à principio, talis in ſenio erit. Qui enim ſe ad vitia ſemel per annos iuuentutis inclinat, curuus ſemper ſtat, nec vnquam morum rectitudine ſurſum creſcere valet. *Prou. 22.*

Et ideo, cariſſime, pretioſum & facile emendandi tempus tibi à Deo collatum attende, & dum iuuenis es, diſce quod

quod senex scias. Non enim adhuc mala consuetudo in te radices suas firmauit, sed iam primo nisi euellantur, emittere præsumit. Hoc te scire cupio, quoniam si modo in proposito sancto non institeris, dum instar ceræ dirigibilis est animus, nunquam, nisi speciali dono Dei te emẽdare valebis. Inueterata autem consuetudo difficile relinquitur. Tentationes quoq; sustinere habebit, qui Domino seruire elegerit. Sed fortis animi sit quem hic feruor incendit, quia quanto tentationes nostræ maiores fuerint, tanto præmia victorum gloriosiora erunt. Expulsus enim Sathanas actiores tentationum aculeos infligere molitur, vt eius tentationis conflictus mens ab eo impugnata sentiat, quos prius possessa nesciebat. Sed & hoc sciendum est, quod quanto nos plus tentant, tanto nobis vincentibus eos furor proprius plus cruciat.

Dæmones torquentur nostra constantia.

Nec hanc, quam nobiscum habent colluctationem illos sine suo labore credimus conficere. Namque habent & ipsi in suo conflictu quandam anxietatem & tristitiam, & maxime cum fuerint validioribus æmulis, id est, viris sanctis perfectisq; congressi. Vtrorumq; enim sudor & labor, ac solicitudo creditur, vbi colluctatio esse perhibetur. Laborãt enim, & sæpe anxiãtur non minus impugnãtes humanum genus, & desudant insistentes vt prævaleant de vnoquoq; illam quam cupiunt obtinere victoriam. Quod si vicerimus eos, manebit in ipsis illa confusio, quæ nos manebit, si ab ipsos fuissemus elisi, secundum illud. *Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos, & conuertetur dolor eius in caput eius.* Et iterum. *Veniat illi laqueus, quem ignorat, & captio, quam abscondit, apprehendat eum, & in laqueum cadat in ipsum.* Scilicet, quem super hominum deceptione molitur. Dolent ergo etiam ipsi non minus, & quemadmodum nos elidunt, ipsi quoq; similiter eliduntur, nec victi sine confusione discedunt. Quas eorum ruinas atq; conflictus monachus, qui sanos interioris hominis oculos possidet quotidie cernens, vidensq; super gaudere ruinis & casibus singulorum, ac timens ne de se quoq; euenire eis valeat ista lætitia DOMINVM deprecans dicat.

Psal. 139. *Psal. 34.* *Psal. 12.*

Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in mortem, ne quando dicat inimicus meus prævalui aduersus eum.

Qui tribulant me, exultabunt, si motus fuero. Et illud. *Deus meus, ne super gaudeant mihi, ne dicant in cordibus suis, euge, euge animæ nostræ: nec dicant, deuorabimus eum.* Qui rursum cunctis conatibus expensis, cum deceptionem nostram nõ potuerint obtinere, super casso labore suo necesse est, vt confundantur, & erubescant, qui quæruntanimas nostras, vt auferant eas, induantur confusione & pudore, qui cogitant nobis mala. Hinc Propheta Ieremias ait.

Psal. 34.

Confundantur illi, & non confundar ego, paueant illi, & non paueam ego, induc super eos iram furoris tui, & duplici contritione contere eos. Nulli dubium sit, cum à nobis fuerint superati, duplici eos contritione conterendos. primum, quod hominibus expetentibus sanctitatem illi eam possidentes amiserint, causaq; extiterint perditionis humanæ. Deinde, quod spiritales substãtiæ fuerint, à carnalibus terreniq; deiectæ.

Ieremi. 17.

Hinc scriptum est. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis*, id est, confusus. Imprimis enim grauis & insufferibilis est impetus eius: sed si quis forti animo sustinuerit eum in primo, in secundo inueniet eum infirmiorem. Quanto enim plus percussus fuerit, tanto magis refrigescit, & deficit.

Iac. 4.

Primæ tẽtationi dæmonis resistendum

In primo igitur motu resistat, qui victoriam reportare de aduersario desiderat. Serpens enim lubricus est, qui nisi per caput vix teneri potest, cuius si capiti, id est, primæ suggestioni non resistitur, totus in intima cordis, dum non sentitur, illabitur.

Magna eius in seruos Dei præsumptio qui nulli religioni parcere nouit. Mali auctor suo modo nequitiæ origo, rerum hostis, corruptor seculi, hominis semper inimicus. Ille laqueos tendit, lapsus parat, foueas fodit, comparat ruinas, stimulat corpora, pungit animas, cogitationes suggerit, immittit iras, odia nutrit, vitia addit, virtutes occidit, amori errores inserit, discordias alit, pacem turbat, ordinem confundit, affectus dissipat, humana violat, diuina tentat. Quis præsumptionem maiorem audiuit aliquando?

Dæmonis opera.

Quis

Quis eius malitiæ vidit similem? Inimicus est omnis creaturæ, aduersarius creatoris, sine affectione, nihil diligit eorum, quæ Deus creauit in vniuerso. omnia tentat, omnia confundere cupit, solius criminis amator. Tanto in humanum genus odio debacchatur, vt insaniæ & furori terminum constituere nesciens seipsum confundat & lædat. Sicut phreneticus alienatus à sensu furit, insanit, & spumat: sic diabolus non solum in alios, sed & in seipsum crudelem exercet tyrannidem. Qui enim sibi nequam est, cui bonus erit? Vigilemus itaq; in oratione, charissime frater, custodientes atrium spiritus nostri, ne dormitantes aliquando, & tepide agente ab hoste opprimamur, ad nocendum crudelissimo. Ipse impugnare non definit, nos orationibus & lachrymis insistentes cuncta eius iacula in omnibus auxiliante Domino reiiciamus. Tunc autem diabolus à nobis vincitur, quando mens nostra in tentamenta eius ad delectationem atque consensum non pertrahitur. Subtus nos est appetitus noster, & si volumus mediante gratia Dei dominabimur eius. Non enim sufficimus à nobis aliquid cogitare tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra à Deo est. Stemus itaq; præcincti in fide oppugnantes aduersarium, & auxilium dabit nobis Deus de sancto.

CAPVT V.

DE QVADRVPLICI GENERE Tentationum.

IN psalmo nonagesimo Dominus ad sibi deuotum quemq;, ne in tempore tribulationis diffidat, sed de protectione Domini præsumat, loquitur dicens *Non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano.* In quibus verbis quatuor modi tentationis denotãtur. Est enim quædam tentatio leuis & occulta, quæ notatur, cum dicitur. *A timore nocturno.* Est alia leuis & aperta, quæ notatur cum dicitur, *à sagitta volante in die.* Est tertia grauis & occulta, quæ notatur, *in negotio perambulante in tenebris.* Est alia grauis & manifesta, quæ notatur, cum dicitur. *ab incursu & dæmonio meridiano.* Leuis & aperta tentatio dicitur, quando diabolus in aliquas visibiles similitudines se transfigurans, hominum scilicet, vel animalium, viros sanctos prouocat ad aliquas leuitates, sicut in vita B. Dominici legitur, quod oranti diabolus in specie fratris apparens, prouocabat eum ad silẽtii fractionem: quem vir sanctus diabolũ esse cognoscens, adiurauit eum, vt diceret ei, de quo fratres tentaret in choro. Qui respondit. Facio eos tarde venire, indeuote psallere, & cito exire. Sic de quolibet loco conuentuali interrogatus proprium tentandi genus ostendit. Sæpe autem tentat homines de leuibus vt ad grauiora perueniant, vt de verbis otiosis, de quib. sæpe ad noxia prolabuntur: quia, sicut dicit B. Gregorius, dum otiosa cauere negligimus, paulatim ad noxia peruenimus, vt prius aliena loqui libeat, & postmodum detractionibus eorum vitã, de quib. loquimur, lingua mordeat, quandoque autem vsque ad asperas contumelias erumpat. Hinc seminantur stimuli, oriuntur rixæ, accenduntur faces odiorũ, pax tota extinguitur cordium. Sæpe etiã ex iocosis actibus modica occasione suborta perueniunt homines ad verba contumeliosa, & à verbis ad verbera: nonnunquam etiam ad gladios & ad mortes, quia à modica scintilla augetur ignis. Qui n. minima negligit, paulatim decidit. Curã itaque sedulam nostris adhibeamus operibus, ne per incuriam corruamus in malum. Tentatio leuis & occulta est, de qua in Exodo legitur. *ventus vrens locustam leuauit, & proiecit in mare.* Dæmones comparantur vento propter velocitatem, & vento vrenti, quia gratiam deuotionis exsiccant.

Tẽtatio 1.

Theod. in vita S. Domin.

Gregor. 3. dial. c. 15.

Tẽtatio 2. Exod. 10.

sieeant. Tunc autem ventus vrens leuat locustas, quando dæmones de loco ad locum leuiter discurrentes ad aliqua leuia verba, vel facta excitant leues mentes. Sed ad hoc eleuant, vt proiiciant in mare, id est, in amaritudinem infernalem. Hoc est enim quod dicitur, quoniam vētus vrens caterua malignorum spirituum intelligatur; leuauit locustam, id est, leuem hominem, qui de se aliquid præsumens in mente sua vitio elationis sordescit: quam videlicet, locustam, id est, superbā mentē dæmones in ꝓfundū pelagi peccatorum proiiciunt. Ait enim dominus. *Omnis qui se exaltat humiliabitur.* *Math. 23* Et hæc causa in principio leuis, nisi exstirpetur, in fine solidabitur. Notandum etiam est, quòd aliquando dæmones ex velocitate sua subitò prænunciant, quæ in remotis partibus facta fuisse nouerunt, vt cùm hominibus vera dicunt, etiam aliquando opportuno tempore falsa immisceant, quæ certitudine prædictorum vera credantur. Ad hunc etiam finem sæpè occulta denunciant, vt reuelatio aliqua credatur esse ex Deo, cùm tentatio diabolica sit.

Vnde discretionem in his, iuxta quod *1. Ioan. 4.* ait scriptura, habere oportet. *Probate spiritus, an ex Deo sint.* Et iterum. *nolite omni spiritui credere.* De Sancto ANTONIO legitur, quòd cùm quidam Patres *Exemplum.* venissent ad eum, vt ab eo quærerent de quibusdam reuelationibus sibi factis, prædixit eis quædam, quæ fecerant, ✱ & quæ acciderant eis in via. Mirantibus autem illis, & quærentibus, quomodo hoc sciuisset, respondit sibi à dæmonibus esse dictum, & quæ ipsi putabant esse reuelationes diuinas prædixit tenta- *Tentatio.* tiones esse diabolicas. EST & tentatio grauis, & ista est duplex, occulta videlicet & patens. Hic, vt leo, ferocitatem suam vbicunque permittitur in nos exercere non desinit apertè: &, sicut draco vbique insidiatur occultè, & si insidiando non vincere se posse perspicit, ad arma crudelitatis in aperto surgit. Hinc *1. Pet. 5.* Petrus ait. *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuo-* *Psalm. 21.* *ret.* Et in psalmo. *Aperuerunt super me os, sicut leo rapiens & rugiens.* Tentatio autem grauis & patens multipliciter contingit. Vno modo, quando diabolus res corporales, & visibiles, & appetibiles oculis ingerit. Secundo modo seipsum in corporearum rerum similitudines transformando. Tertio personas Christi, angelorum, vel sanctorum mendaciter ostentando. Quarto modo persecutiones seu pugnas visibiles per se, vel per suos inferendo. Prima ergo tentatio sensualis est, quando diabolus ostendit oculis corporalibus res visibiles, quę possunt animum videntis ad sui concupiscētiā trahere, sicut fecit B. Antonio aurum spargens in solitudine, & S. Fran- *Bonau in vita S. Francisci.* cisco ostendens ei in via bursam magnam quasi pecunia plenam, quam cum socius suaderet accipi, & inde eleemosynas multas fieri, Sanctus prohibuit, sentiens machinamentum diaboli, sed cùm socius non quiesceret, permisit sanctus, vt videret socius manifestè diaboli falsitatem. quam leuante fratre, exiuit inde serpens, & postmodum cito disparuit. Similiter, quando obiicit aliis sensibus delectabilia sibi, sensualis potest dici illa tentatio, vt quando sonora auditui, odores olfactui, sapores gustui, suauia & mollia tactui. Per portam vrbis attentat capere ciuitatem, sicut Abimelech, de quo in Iudicum libro scri- ✱ ptum est. *Appropinquans portis vrbis ignem* *Iud. 9.* *apponere nitebatur*, id est, renum concupiscentiam. Circuit enim diabolus ciuitatem cordis nostri, quærens muri par- *Dæmonis insidiæ.* tem debiliorem, qua faciliùs possit obtinere vrbem. Et sicut lupus ouile circuit explorans, si fortè aperturam vel foramen aliquod inueniat, per quod intrare valeat, ita diabolus lupus rapax & atrocissimus homicida nos vndiq; obseruat, si quo modo vel leuem possit tentandi inuenire occasionem. Circuit tanquā hostis obsidens, muros clausos explorat, an sit aliqua pars murorū minùs stabilis, cuius aditu ad interiora penetret. Offert oculis formas illicitas & faciles ad voluptates, vt visu destruat castitatem. Aures per cantores tentat, vt molliat monasticum vigorē: linguā conuitio prouocat, manum iniurias lacessenti bus ad cædem instigat: honores terrenos promittit, vt cœlestes adimat, & cùm latenter non potest fallere, addit apertos terrores. in pace subdolus, in persecutioue violentus, semper in insidiis laqueū ponit, quia maior est eius fraudulentia, quā potestas. Secundo modo impugnat sensus, transfigurando se in

Tentat per varias rerum species.

diuersas rerum similitudines extra, vt eos quos ludificat sub specie mulierum quod in Vitas patrum pluries factum legitur. Obsessus quidã nostris diebus à dæmone responsa pluries dabat. Vnde semel interrogatus, cur iam nõ appareret hominibus in specie visibili, sicut aliquando consueuerunt; respõdit cum cachinnatione. Ad q̃d opus esset in pluribus fatigari, cũ paucioribus vincere possimus? Non habemus necesse nos in species trãsformare visibiles, vbi per inuisibiles tẽtantes vos facilè superamus. Occultis. n. suasionibus nostris iam citò acquiescitis, & ideo non est opus aperto vos bello impugnare. Tertio modo ludificat sensus & tentat transfigurando se in similitudinem Christi, angelorum, vel aliorum sanctorum, vt vel sic mentiendo incautos seducat. Hoc est, quod Apostolus ait, quoniã *angelus Satanæ trãsfigurat se in angelũ lucis*. Sic diabolus B. Martino apparuit, purpura indutus & corona aurea coronatus, dicẽs ei, quod esset Christus q̃ ad terras descẽdens primo voluit ei apparere, & adorari ab eo. Qui respondit, quod Dominus Iesus Christus non promiserit se venturum in habitu regio & purpura, & quod non reciperet Christum, nisi in ea forma, qua passus est, & præferentem suæ stigmata passionis. Quo audito diabolus confusus abscessit. Item in Vitas patrum cum appareret in magna claritate in habitu regio cuidam Patrum dicens. quod ad hoc venerit ipse cum esset Christus, vt eum adoraret, & de hoc luerum maximum reportaret: respondit Sanctus. Christum meum quotidie adoro, sicut ipse scit, tu autem quis es? Quod audiens diabolus euanuit fœda relinquens vestigia. Cum alteri Patri similiter & in simili forma appareret, & similia diceret, ille clausit oculos, dicens. Fuge, Christum nolo hic videre: Sufficit mihi, si videre potero eum in cœlo. Quo audito confusus abscessit. Sunt autem nonnulli inter religiosos, maxime qui spiritu elationis inflati de puritate sua vtcunque gloriantur, quos diabolus isto modo tentandi sæpius illudit, vt se dignos reuelatione aut consolatione diuina æstimantes facili transformatione eos possit decipere. Quod exemplo verius demonstrabimus, quam ratione. Fuit quædam mulier, quam iste spiritus sic tentare consueuit. Incepit ipsa aliquando cogitare apud se, quod esset munda mulier & sancta, ac talis, quæ digna esset diuina reuelatione, aut consolatione aliqua visibili. Et cum semel de hac re in camera sua sola cogitaret, visus est ei fulgor maximus intrasse, & cum eo quidam rex pulcherrimus constipatus multitudine duodecim vel religiosorũ plurimorum dicens ipsi horrenti, ne timeret, quia ipse esset IESVS Christus cum discipulis suis veniens ad consolandum eam. Cui cum multa blanda dixisset, & multa ei promisisset, si in eius amore perseueraret & ipsa hoc ei se facturum promitteret, recessit promittens quod eam sæpè visitaret. Insequenti nocte venit ad eam solicitans eam ad amplexus, & seminis commixtionem. Qua consentiente fecit eam iurare, quod nõ reuelaret alicui familiaritatem, quam ostendebat, ei plurima promittens. Tertia den q̃ nocte venit in minus speciosa forma & habitu, post in forma militis, post clerici, post rustici, post monachi, post goliardi: Cũ autẽ vidẽs se deceptã fugisset ad cõfessionẽ veniens ad eã sequenti nocte diabolus fere insanire videbatur, comminans ei, sed non poterat eam opprimere, vel extinguere, vt volebat. Quotiescunque autem peccabat venialiter grauius, magis ad eam accedebat, & magis eam terrebat. Quando autem confessa erat, & communionem recipiebat, quod erat ei singulare remedium & consolatio, tunc diabolus à longè stabat, nec accedere poterat, vsquequo in aliquo excessisset. Mille artifex diabolus multos sub specie boni mendax decepit. Stulta igitur est huiusmodi cogitatio, qua se dignum reuelatione aliquis cogitat vel reputat, & plures in laqueum deiicit venantium. Nouitius quidam in religione multum erat solicitus de salute sua. De nocte autem, cum alii dormirent vigilans deuotè rogauit DEVM & B. Virginem, vt reuelarent ei de matre sua defuncta, in quo statu esset, credens se dignum, cui huiusmodi reuelatio fieri deberet pro eo, quod aliis dormientibus in stratis suis ipse vigilaret. Cum autem sic vigilasset ferè ad matutinas, apparuit ei diabolus sub specie B. Virginis quasi ostendens ei matrem suam sub pallio suo, dicens eam eius precibus liberatam. Cum secunda nocte similiter vs-

Etiam Christi, & sanctorum.

2. Cor. 11.

Sulpit. in eius vita.

Exemplum mulieris à dæmone decepta.

Exemplum nouitii.

que

vsque ad dictam noctis vigilasset horam, apparuit ei in minus decēti similitudine, & ad vltimum fæda relinquens vestigia eum ad turpia prouocabat, & ad tantam peruenit ex vigilantia capitis debilitatem, quod nisi fuisset discretorum consilio ei subuentum, grauiter periclitari potuisset in corpore & in anima. Hinc discant nouitij, & adhuc iuuenili leuitate indomiti non singularitate, sed communitate gloriari. Multa legimus prædictis similia, quomodo incautos & elatos diabolus in specie alicuius sancti vel angeli deceperit. In specie quidem angelorum vt in Vitis Patrum, vbi quendam longo tempore seduxerunt, & ad vltimum ad tantam credulitatem, vt patrem carnalem ad se venientem cum bipenne, putans esse dæmonem, interficeret, illuserunt. In specie Episcopi & sacerdotis etiam nonnullos deceperunt, quasi detulissent Eucharistiam, &c. In forma Moysi, vt in historia Tripartita legimus, vbi multos Iudæos seductos præcipitauit in mare.

Aliorum.

Trip. 12. c. 9.

Tētatio 4. Quarto diabolus quando non potest alliciendo, blandiendo, promittendo, mentiendo seducere, tunc per flagella, verbera, persecutiones, seditiones apertas, tam per se, quam per suos perturbare conatur. Per se quidem, sicut apparet in B. Iob: per suos vero, sicut in principio nascentis Ecclesiæ fecit per eos, qui martyres occiderunt. Ad hæc etiam sæpe mouet contentiones, & seditiones, & lites inter homines, vt quos non potest oculis tentando vincere, saltem contrariis vincat. Beatus Franciscus cum venisset ad Aretinam ciuitatem & seditione inter ciues orta propinquum immineret excidium ciuitatis, vidit dæmones exultantes, ciuesque illos contra se inuicem succendentes. Cum autem sanctus vir mandasset per socium, quod ex parte omnipotentis Dei & sui dæmones omnes recederent, subito miro modo ciues omnes vnanimiter in pacem assenserunt. Quid etiam B. Antonio contigerit scimus, & quanta constantia, quamuis multum verberaretur eos vicerit, non ignoramus. Est etiam tentatio grauis & latens, siue occulta: quando scilicet diabolus ex crudelitate sua tentat grauiter, sed ex astutia sua virus iniquitatis suæ, & deceptionum laqueos mira subtilitate occultat, vt eo facilius seducat. Vnde Psalmista. *In via hac qua ambulabam, abscon derunt laqueum mihi.* Et iterum. *Insidiatur in occulto quasi leo in spelunca sua.* Istam occultam tentationem in cogitationibus tam multipliciter operatur, quam subtiliter, vt causas difficile noscamus. Quatuor autem modis secretas suas in cogitationibus humanis quantum Deus permittit illusiones operari solet. Primo in vi imaginatiua diuersas species rerum vel imagines præsentando. Secundo in memoria. Tertio in intellectu, siue in operatione rationis. Quarto, quando fit cum negotiatione rationis.

Bonauen. in vita.

Psal. 141.

Psal. 10.

CAPVT VI.

DE QVATVOR MODIS QVIBVS diabolus in cogitationibus illudit hominem.

1. Modus. PRIMO itaque diabolus operatur in imaginatiua, imprimens in ea diuersas rerum imagines, in quas ipse diabolus se transformat, sicut in speculo imprimuntur imagines rerum extra. Dicit enim B. Augustinus. *Dæmones terrenarum amatoribus malefacta suadent miris & inuisibilibus modis per subtilitatem suam hominum corpora non sentiendo, sed & penetrando, & se cogitationibus eorum per quædam imaginaria ingerendo & immiscendo, siue vigilantium, siue dormientium.* Ludificat autem homines tripliciter secundum vim imaginatiuam, vel phantasticam, vt videantur hominibus res exteriores in aliarum rerum species trāsmutatæ, vel ipsi homines videantur sibi ipsis in aliarum rerum speciem

Aug. l. 6. de ciuit. c. 3. & epist. 114.

transmutati, sicut quidam incantatores artificio dæmonum faciunt. In vitis Patrum legimus, quod quædam mulier ad virum sanctum ducta videbatur ab aliis equa, sed diabolus oculos Macarij deludere non potuit, qui viros illos pro hac eorum diffidentia increpauit, & dæmonum phantasias destruxit. Non enim diabolus illorum oculos deludere potest, qui Deum recta fide & spe contemplando viderunt. Secundo modo tentat ludificando, se in diuersas rerũ species transmutando, & imaginationi se interius præsentando. Vnde in ipsa tanquam in speculo resultant quasi diuersæ species, in quibus se transformat, & diuersi gestus, siue in oratione, aut alibi, habentibus etiam oculos clausos. Sic B. Macarius vidit dæmones in diuersis speciebus ludificare orantes fratres, & quod extra præsentabant, intra in corde resultabant. Isto modo infirmiores, & incipere cupientes multum solicitant, plures eis ingerentes phantasias & imaginationes, si quo modo eos à proposito possint declinare. Vnde mox vt se ad orationem dederint, cogitationibus statim pulsantur immũdis, mulierumque species cordium præsentat obtutibus, vt dum intus imaginando carnis delectabilia cogitant, studium orationis perdant. In aliis vero exercitiis, etsi non desinit tentare occupatos, non tamen adeo infestus est, quemadmodum in oratione. Nouit enim bonum orationis, & ideo cum inuidus sit, impedire conatur. Quod quidam sanctorum Patrum expertus, cum interrogaretur, quis sibi maximus videretur labor? respondit, q̃ non esset maior labor, quam orare Deum deuote, eo quod diabolus multum insidiaretur orationi.

Palladius in Lausiac. hist. — *2. modus.* — *Orationi deditos maxime tentat.* — *Agathon.* — *3. modus.* — *3. Reg. 22.*

Tertio modo ludificat, & tentat in phantasia per imagines somniorum, per diuersas visiones, aut mulierum, aut aliorum, per quæ illud in somnio videant dormientes, sicut fecit forsitan ille spiritus qui missus erat ad decipiendũ Achab. Dixerat enim. *Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum.* Multas inquietudines seruis Dei per somnia inferunt dæmones, iam imaginationes turpium mulierum, iam pecudum, iam aliarum rerum præsentando, si quo modo eas vel leuiter ad illicitarum rerum possent pertrahere consensum. In ipsa etiam illusione phantastica nonnunquam carnis procurant pollutionem, quatenus timidos à communione per huiusmodi vexationes impediant altaris. Vnde in Vitis Patrum sanctorum legitur, quod dæmones quendam fratrem sic illudebant, vt quandocunque fratres debebant communionem Corporis & Sanguinis Domini recipere, apparebant ei dæmones somniando in specie mulierum illudentes & polluentes eum. Cum autem consuleret Patres, quid sibi super hoc esset faciendum, inquirentes de statu eius, & inuenientes, quod hoc non accideret ex cibi vel potus superfluitate, sed ex diaboli illusione iudicauerunt hoc fieri. Et cum consuluissent ei, ne propter hanc causam communionem dimitteret, diabolus ei postea non illusit. Ex his satis puto perpenditur, ad quid dæmon sic hominibus illudere conetur. Nouit enim, quod sacra cõmunio digne sumpta omnem eius eneruet potestatem, & ideirco phantasticis imaginationibus hoc bonum, si quo modo impedire possit, excogitat.

* *Polluti iubentur communicare.*

Noui & ego quendam fratrem, quem simili modo diabolus multum vexare consueuit. In festiuitatibus enim, quando ad sacram communionem accedere debebat, frequenter has illusiones, quantumcunque sibi timuisset, diabolus fecit. Cum autem illi persuaderetur, ne propter hanc causam à communione se remoueret, cessauit huiusmodi quassatio diabolica. Solet etiam iste dæmon, quem aliqui somnium vocant, quod est numen quoddam gentilium, in somnis maxime incautis religiosis apparere, multa eis reuelare, in specie lucis apparere, multas falsas consolationes exhibere, quatenus sibi per aliqua vera immixta decepti credant, & obediant, & in elationem incidant quasi digni præ aliis diuinis consolationibus & reuelationibus, & angelicis collocutionibus habeantur.

Somniũ Deus.

Secundus gradus tentationis est in memoria, quando diabolus procurat, vt in memoriam veniant præteritæ delectationes, vel per imaginatiuam, vel aliter, vel ea, quæ homo audiuit, vel vidit præterito tempore, quæ possint eum mouere ad aliquod peccatum operis, vel delectationis, sicut facit som-

somniantem quod comedat, vt expergefactus magis esuriat, & vigilans quod appetit ad mentem reducat. Sic tentabat filios Israel in deserto murmurantes contra Dominum, & Moysen seruum eius, dicentes. *Vtinam mortui essemus in Aegypto, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate.* Et in Numerorum libro dicunt. *Quis dabit nobis ad vescendum carnes? recordamur piscium, quos comedebamus in Aegypto, in mentem nobis veniunt cucumeres & pepones, porrique, & cæpe, & allia, &c.* Reducit enim diabolus ad memoriam res præterito factas, seu mulierum species aliquando visarum, sicut de beatissimo Patre nostro Benedicto legimus, quod in primordio suæ conuersionis visa aliquando mulier sibi venit ad mentem, & adeo vexauit, vt pene eremum deseruisset, considerans vir sanctus diaboli esse infestationem, inspirante Deo, in spinas & vrticas se proiecit, & carnem vulnerans carnis effugauit suggestionem. Astutus artifex idcirco ad memoriam reducit præterita, vt mentem in eorum delectationem inclinans sanctum propositum corrumpere possit. Veniunt autem nonnulli ad religionem, qui legitimas in seculo habuere vxores, quarum quamuis defunctæ sunt viris memoriam toties reducit ad mentem, vt plerunque necessitate victi transacta delectatio pariat nouam. grauissimos carnis aliquando stimulos perferunt, & proh dolor sæpe vincuntur. Deludit illos in somnis dæmon, mulierum opponit figmenta, incitat carnem, voluptatem suggerit, nutrit ardorem. Et quare hoc agit, cum sciat hominem dormientem sine ratione non posse peccare? Profecto callidus hostis nouit sensum obiectis moueri, & idcirco carnalibus hominibus carnalia ingerit dormientibus, vt vigilantes nocturnas somniatas delectationes retineant in mente. Sæpe enim contingit dormientes, dum libidinosa somniant, vt excitati à somno in libidinem spument, & quod dormientes pertransiit vigilantes seruent. Sunt alij, qui in seculo cum mulieribus inquinati non fuerunt, quos tamen diabolus conuersos turpiter vexare non desinit. Nocturnas eis imaginationes carnalium turpitudinum quas nunquam nouerant, repræsentat, quibus mentem eorum adeo deludit, vt pœniteat eos nonnunquam, quod talia in seculo non sint experti. Hinc cogitationes turpissimæ creseunt, hinc stimuli carnis vehementer insurgũt, & sic miseram ludificant mentem, vt ad talia plerunque nefandissima corruat, quæ nec experientia, nec scientia in seculo nouerat. Et hæc malitia tua nequissime hostis, hæc est perditionis tuæ insanabilis ira, hæc fraus inuidiæ, hoc odij inueterati virus. Tertius gradus tentationis est, quando intellectus humanus accipit à phantasia similitudines rerum, quas ei diabolus mediante phantasia ministrat. Vel forte diabolus per subtilitatem naturæ suæ intellectum suum plenum formis rerum applicat humano intellectui, qui est sicut speculum susceptibile omnium formarum, quæ applicantur ei. Sicut est de duobus speculis sibi oppositis, forma quæ est in vno, resultat in alio. Sic potest esse in anima, quod formas & species quas vult ei diabolus præsentare exhibet in intellectu suo. Sic etiã potest esse in anima, quod diabolus volens ei representare species aliquas ad tentandum intellectum suum applicat, quantum potest humano intellectui tanquam speculum speculo, vt in ipso resultent ita subtiliter, vt videatur homini, quod sint cogitationes suæ. Hinc Cassianus in Collationibus Patrum. *Non est mirum*, inquit, *spiritum insensibiliter coniugari animo ad suadendum, quæ placita sunt ei. Est enim inter eos, sicut inter homines, quædam similitudo substantiæ, & cognatio. Nunquam autem sibi simul vniri, ita vt alter alterius sit capax possibile est. Hoc enim soli Deo conuenit.* Hanc autem applicationem sui cum anima, vt quidam volunt, forte diabolus facit, quando tentat de rebus pure spiritualibus, quæ non apprehenduntur imaginatione corporali, vtpote de fide & spe. In istis enim sublimioribus subtilior accedit tentatio, quia diabolus sine ordine licet agat, modum tamen quendam specialem in huiusmodi suggestionibus obseruat. De tentationibus autẽ istis, quamuis in speciali inferius dicturi simus, tamen etiam hic generaliter libet modicum declarare.

Exo. 16.

Num. 11.

S. Gregor. 2. dial. 2.

Quomodo per somnia dæmon vexet monachos.

Collat. 7. cap. 10.

CAPVT VII.

DE TENTATIONE DÆMONVM generaliter circa fidem.

CALLIDVS itaque hostis, vbi victis magis scit imminere periculum, atque resurgēdi difficultatem, ibi suæ malignitatis laqueos studiosius expandit. Tentat autem in ea parte ciuitatem, vbi se citius æstimat concludere eiues; *Hebr. 11.* scientes, dicente Apostolo, quod impossibile sit Deo placere sine fide, etiam ipsam fidem quam habet ex parte per experientiam conatur auferre. Multas enim simplicib⁹ immittit quęstiones, seu phantasias, vt in fide faciat hæsitare. Habet vero duos in causa tentandi modos. Vno modo, quando tētat sine operatione hominis rationis. Alio modo cum quadam ratiocinatione & argumentatione, de quibus modis pauca hic inserenda sunt. Primo modo tentat simplices applicans se humano intellectui cum quadam obscuritate vmbrosa. Obscurat enim intellectum hominis quantum potest, & obnubilat, vt in maximam tristitiam veniat, vel acediam, vel nimium timorem, vel obliuionem eorū quæ sciuit, vel quæ scire debet, sicut fit in energumenis, qui mente patiuntur. Hinc rursus Cassianus ait. *Collat. 7. c. 12.* *Energumeni quidam sic à dæmonibus vexantur, vt ea quæ gerunt & loquuntur nequaquam intelligant. Quidam vero nouerunt, & postea recordantur.* Intellectus enim hominis succrescentibus doloribus corporalibus, & ratio ita per inquietudines dæmonum, vbi Deus permittit, offuscantur, vt homo fere sine ratione videatur. Oritur etiam intrinsecus quædam dubiosa alienatio, vt si quando homo aliquid intelligere posset, seipsum nesciens miratur. Quorundam etiam, qui sani vidētur, quos nequaquam corporaliter vexare possunt, ita intellectum obnubilant, vt fide hæsitantes, de iis dubitent, quæ credere tenentur. *Tentationes scrupulosorū.* Nonnullos etiam per istas tentationes ad tantam diabolus inducit amaritudinem tristitiæ, vel mœroris, vt nullam consolationem recipiant: sicut fit quandoque contra melancholicos & infirmos, quibus aliquando videtur, quod omnes conspirauerint in mortem eorum, & de illis maiorem suspicionem habent, qui salutem eorum feruentius desiderant: & hoc quidem partim ex peccati materia, partim ex ludificatione fit diabolica. Alii sic inuoluuntur in omnibus dictis & factis suis, & tanto scrupulo abundant, vt semper timeant se peccare mortaliter, & vix possunt induci, vt credant, vel fidem adhibeant consiliis saniorum atque prudentum. Alij sic se Deo reputant in omnibus displicere, quod in nullo meritum se habere credunt, vel nunquam salutem posse consequi. Alios in desperationem inducit, & plerunque ex desperatione seipsos interimere suadet, submergere, vel suffocare suggerit, sicut patet de Iuda, & Achitophel, & plurimis aliis. Nititur etiam diabolus viros sanctos aliquando in desperationem ducere, si posset, sicut de B. Antonio legitur. Qui cum semel oraret, vidit se raptum, & per aera deduci ab angelis, & vidit infinitos dæmones ei occurrere, ac peccata adolescentiæ replicare, & augmentare, & eum de iis accusare. Et cum angeli è contra dicerent, illa per Dei misericordiam sunt sopita: sed si quid haberent, ex quo factus fuerit monachus illud obiicerent, ipsi multa falsa imponebant. Sed cum angeli librum conscientiæ, vel consensus eius euoluerent, & de his quæ obiiciebant nihil inuenirent, ipsi dæmones confusi recesserunt. Alios contra caritatem inducit, alios in amaritudinem odij, inuidiæ, vel rancoris, sicut Iudæos inflammauerat contra Dominum, qui dicebant. grauissimus est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius. Virtutis inimicus, criminis fautor diabolus cuilibet virtuti contraria opponere nouit, & hoc non in aperto semper, sed occulte sæpius: quoniam vt certum habeo numquam se ad tentationem manifestum exhibet, alioquin facile caueri

Athan. in eius vita.

posset,

posset, sed sub specie bona, suadet mala, & sæpe vitiis nomina accõmodat virtutum. Indoctis quoque laqueos suæ nequitiæ tendit, & doctos sæpe in doctrina sua decipit. Tentat enim plerosque de fide contra fidem, & experientia cõstat, quod suis nititur argumentationibus reddere falsum. Vir quidam litteratus & bonus religionem ingressus, in nouitiatu suo sic fuit tentationis laqueis inuolutus, vt cogitaret, vtrum mundus esset aliquid nisi somnium. Vtrum ipse animam haberet, vtrum etiam Deus esset? De his dolebat pene ad mortem, & per hæc fere in desperationem cadebat, vel ad sui occisionem videbatur induci, nisi saniori consilio credidisset dicenti sibi, quod ex quo illa cogitatio, quæ est diaboli tentatio displicebat, sibi potius esset martyrium, quam culpa. Dicit namque B. Gregorius. *Tentatio, cui non consentitur, non est peccatum, sed materia exercendæ virtutis.* Mulier quædam nobilis ad hæreticæ prauitatis inquisitorem accedens, petiuit, vt comburetur tanquam hæretica pessima, deterior omnibus illis, qui pro infidelitate, vel hæresi cremabantur, cum multis lachrymis asserens, quod & de articulis fidei, & de Sacramentis pessima cogitaret. Inquisita, si hæc ei placerent, & an acquiesceret eis, respõdit, quod potius vellet esse mortua, & bene volebat comburi, vt ab istis possit penitus liberari. Cum autem diceretur ei, vt ista contemneret, & cor suum transferret ad alia cogitanda, consolationem recipiens, in breui plene fuit ab omnibus liberata. Quantumcunque turpis fuerit cogitatio, non polluit mentem, dum displicet. Sed quisquis hac vel cogitatione pulsatur, non nimis sit timidus, quia timor noster & pauor hostem ferociorem reddunt. Magis enim sibi nostra confert timiditas, quam fortitudo, aut propria potestas. Est quidem fateor in huiusmodi tentationibus laboriosa quædam luctatio, non sine dolore sufferenda. Veruntamen hoc vnum scio, quoniam si volumus, omnia cedent nobis in profectum, & animæ salutem. Omnipotens enim Deus ipse nouit, quid vnicuique expediat, & qua eum permittit tentatione probari. Quandoque fit hæc tentatio in memoria cum argumentatione vel ratiocinatione, puta diabolus in cogitatione probat per aliqua verba Scripturæ, quæ prima fronte videntur fidei repugnare, vel per aliquas naturales aut physicas rationes impossibile esse sic vt fides tenet circa articulos suos, & Ecclesiæ Sacramẽta, vel quando in anima est strepitus malarum cogitationum ratione per diaboli procurationem alicubi occupata, vel non corrigente, vel negligente reprimere, seu repellere differente. Hinc Propheta Ieremias ait. *Vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?* fit enim aliquando, vt mentis conceptus in dubitatione fidei per diabolicas suggestiones quasi rationabiliter cogitationes defendat, proponat, argumentetur, & iuxta suam phantasticam definitionem in errore concludat, adeo vt nullis sanis rationibus acquiescere possit. Quandoque etiam probat aliquibus verisimilibus rationibus, vel auctoritatibus aliquid, in quod debeat intellectus faciliter assentire, sicut Domino quem tentans Sacræ Scripturæ testimoniis conuincere nitebatur. Leuis plerunque in huiusmodi cogitationibus occasio, sed si in capite suggestionibus non resistitur nociua materies generatur. Plures nouimus sic incidisse in errorem, quos primo leuiter satis tentatos in cogitationibus constat. In primis igitur motibus consilia quærenda sunt, & hostis antiqui lubrica mala spernenda. Quod quidam considerans satis eleganter admonuit dicens. *Principiis obsta, sero medicina paratur.* ac si diceret. Dum morbus crescere incipit, tunc cauendus est dolor. Medicina enim non iam crescere incipientibus, sed doloribus inueteratis paratur. Et hoc stultum est, vt fini adhibeantur medicamina doloris principio in dolore transacto.

Tentatio materia virtutis esse potest.

Greg. 23. moral. c. 24.

Exemplũ

Ierem. 4.

Matt. 4.

Ouid. de rem. amo.

CAPVT VIII.

AN ET QVOMODO DÆMONES SECRETA hominum in cogitationibus agnoscant.

QVÆRI à plerisque maxime simplicioribus fratribus solet, cum dæmones naturaliter tantæ subtilitatis sint, & astutiæ: vtrumne secreta cogitationum nostrarum penetrare valeant. Ad quod respondeo breuiter, quod directe & simpliciter nequaquam est credendum eos posse cognoscere abscondita cordium, sed indirecte & occasionaliter per indicia quædam exteriora sæpe deprehendunt, quæ versentur in cordibus humanis. *Nemo enim scit, quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis,* & Deus qui creauit illum. de quo scriptum est. *Scrutans corda & renes Deus.* Et *quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi.* Solus ipse nouit, quid sit in homine, qui hominem condidit, sicut dicit. *Noui te ex nomine.* Nequaquam igitur dæmones cogitationum nostrarum attingere qualitates possunt, sed indiciis aliquando sensibilibus multa instructi experientia eas forinsecus colligentes, id est, aut ex nostris dispositionibus, aut verbis & studiis, in quæ propensius conspexerint nos inclinari. Cæterum illas, quæ necdum de internis animæ ad aliqua exteriora indicia prodierunt, nequaquam adire possunt. Dicit enim B. Augustinus. *Internas animæ cogitationes diabolum non videre certi sumus, sed motu eas corporis ab illo, & affectionum indiciis colligi, & experimento didicimus. Secreta autem cordis solus ille nouit, ad quem dicitur, Tu solus nosti corda filiorum hominum.* Exterior corporis motus animi interiorem motum demonstrat: nam qualis quisque est in abscondito, manifesta opera clamitant. Suggerunt quidem vitia, sed quemadmodum eorum suggestiones admittantur vel reiiciantur non nouerunt, nisi per quædam signa exteriora, quia animæ naturam atque substantiam penetrare nullo modo possunt. Si fratrem aliquem in gastrimargia tentauerint, signa petunt, an admiserit suggestiones, vel quomodo. Si viderint eum ad fenestram, aut ad solem frequenter oculum erexisse, vel de hora solicitius inquisiuisse cognoscunt desiderium gula fuisse susceptum. Si fornicationem ingerentes senserint eum patienter telum libidinis suscepisse, si viderint carnē commotam, vel manus inhoneste applicantem, aut certe non vt oportuit, aduersus suggestiones immunditiæ suspirasse, vel mulierum curiosius obseruare aspectus, lasciuiam intelligunt in penetralibus animæ & libidinis iaculū fuisse defixum. Hanc etiam suggestæ libidinis flammam occasionibus diuersis solent incendere, vt mulierum procurare occursus, animalium turpitudines, pudendorum necessarios tactus, vermium aut similium morsus, quatenus semel accensa libido in maiorem flammam exsurgat. Si incitamenta tristitiæ, si iræ, si furoris admouerint, vtrum nam cordi insederint, ex corporis gestu, & sensibili cōmotione dinoscunt. scilicet eum vel infremuisse tacitum, vel quadam indignatione suspirasse, seu vultum considerauerint quodam pallore, aut rubore mutasse, & ita subtiliter, quisnam cui sit vitio deditus deprehendunt. Illo namque vnumquemq; nostrum delectari certa ratione cognoscunt, ad cuius instigationem mox quodam nutu vel motu corporis consensum, conuenientiamque ab eo præstitam fuisse peruiderint. Nec mirum, si spiritus illā, vt præfertur per indicia subtiliter agnoscant, cum hoc à prudentibus quoque viris sæpissime fieri videamus, vt videlicet interioris hominis statum de figura & vultu, seu qualitate exterioris agnoscant. Quod si in carnalibus verum est, multo magis in spiritualibus, & aereis virtutibus consequens erit, quos vtique & natura subtiliores, & diuturna experientia fecit habiliores. Sed quamuis cogitationum secreta modo iam dicto per signa deprehendant, sæpe tamen in huiusmodi coniecturationibus falluntur. Nam sicut a-

Demon vt cognoscat cogitationes hominis.

2. Cor. 2.

Psal. 7.

Psal. 75.

Exo. 33.

Aug. de Eccl. dogmat. c. 81

2. Par. 6.

ctus sæpe discrepant à cogitatione, eo quod voluntas hominis sæpius confunditur & pertrahitur ad diuersa, ita coniecturatio difficile est vt sit semper vera. Deus enim solus perfecte omnia nouit, & cui ipse voluerit reuelare. Ipsi enim tantummodo sunt penetrabiles omnes spirituales atque intellectuales substantiæ, eo quod solus & totus, & vbique, & in omnibus sit; ita vt & cogitationes seminum & internos animi motus, atque abdita mentis vniuersa inspiciat atque perlustret. Hinc Apostolus ait. *Viuus est sermo* *Hebr. 4.* *Dei & efficax, & acutior super omnem gladium ancipitem, & pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus, compagum quoque ac medullarum, ac discretor cogitationum & intentionum cordis; & non est creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius.* Et Dauid in Psalmo. *Qui finxit singulatim corda eorum, &c.* ipse est, qui nouit occulta cordis, quem timere & honorare debemus, ne immundi appareamus. Hinc ipse per Prophetam ait. *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* *Psal. 32.* *Isai. 1.*

CAPVT IX.

DE OCCASIONE TENTATIONVM atque cogitationum.

CVM malum vix caueri valeat, quod nescitur, oportet vt quibus modis cogitationes suum sumant principium, paucis demonstremus sermonibus.

1. Occasio otium. Sumit enim sibi diabolus tentandi occasionem à nostro. Prima igitur tentationis occasio est, otiositas: quia sicut scriptum est. *In desideriis est omnis otiosus.* Quem enim diabolus non inuenit occupatum in opere diuino, libenter occupat in suo. Quo contra vnumquemque monachum hortatur B. Hieronymus dicens. *Semper aliquid boni facito, vt te diabolus inueniat occupatum.* *Hier. epi. 4. ad Rustic.* Nam, vt sanctus Pater noster Benedictus in regula scribit. *Otiositas inimica est animæ*: quia cum otiosam animam diabolus inuenit, occasione suscepta quasi locuturus ad eam blandus & subdolus pergit. In Vitis Patrum legitur, quod seni cuidam data fuerit gratia videndi quæ fiebant. Vidit itaque semel dæmonem ad ostium cellæ fratris cuiusdam stantem, & quamdiu frater interius fuerat occupatus non audebat ingredi: sed stabat prope ianuam expectans. Cum autem frater ille cessasset à meditationibus, dæmon intrabat. Caueat ergo & fugiat otium, quicunque incursus tentationum timet, quoniam, sicut quidam dicit. Otia si tollas periere cupidinis artes. Secundo dat

2. Vana gloria. occasionem tentandi amor vanæ gloriæ, vel laudis humanæ, sicut de Ezechia legimus, quoniam gloriabatur de portento solis, atque ex elatione ostendit nuncios regis Babylonis quæcunque habuit in domo sua, vt apud eos magnus haberetur; vnde dicitur. *Dereliquit eum Dominus vt tentaretur, & non fierent omnia, quæ erant in corde suo.* *2. Par. 32.* Hinc Salomon ait. *Ne collaudes virum, hoc enim est tentatio hominum.* *Eccli. 27.* Multis enim mentis suæ elatio, & amor gloriæ mundanæ causa & occasio fuere mortis. Diabolus namque superbiæ caput superbos tentare, imo capere facile potest, vbi simplicibus & humilibus non audet appropinquare. Simile enim simili

3. Præsumptio coniugatorum. coniungi solet, & ex parte corruptus facile corrumpitur totus. Deus autem superbis resistit, sicut & Manasse fecit. humilibus dat resistendi tentationibus gratiam, sicut Apostolis, martyribus, confessoribus, virginibus & sanctis omnibus Tertia præsumptio eorum, qui sunt in coniugio, qui præsumunt se posse continere, cum non possint, nisi dederit Dominus. Hinc Paulus ait. *Reuertimini in idipsum ne vos tentet Sathanas.* *1. Cor. 7.* Præsumptio enim pluribus fuit occasio tentationis, quia sicut Deus superbis resistit, ita præsumptuosos, & in propria virtute confidentes deserit, quatenus humiliati discant: quoniam sine Deo nihil penitus valebant. Quarto occasionem tentandi

4. Ignauia. dat

dat somnolentia & pigritia, quoniam multo sępius ex somnolentia tentationes concipiuntur, & grauissimæ carnis stimulationes, tædium, acedia', desperatio, & si quæ similia. Oportet autem seruum Christi esse vigilantem, semper hilarem atque feruentem. Dicit namque Dominus. *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.* Et Apostolus Paulus. *Iam hora est nos de somno surgere*, & apertis oculis vigilare ad Christum. Quamuis corporis indiget lassitudo vt recreetur, tamen mens semper in feruore spiritus in sancto proposito æstuat, vt possit dicere. *Ego dormio & cor meum vigilat.* Ille enim vere vigilat, qui soli Deo placere cupiens nullis tentationibus præbet assensum. Quinto, nimia securitas, quoniam *quando dicunt, pax & securitas, repentinus eis superueniet interitus.* Sic Gedeon hostes suos securos quiescentes inuasit persecutus & occidit. Erant enim securi, & nihil aduersi suspicabantur. Sic diabolus in homines irruit, quãdo nimia securitate mala non timent, quando dicunt in cordibus suis, non mouebimur in æternum. Sed dicit B. Hieronymus. *Tunc maxime oppugnaris, cum te impugnari nescis.* Virtus exercitium quærit. Sexto, nimia implicatio & delectatio terrenorum: quia impossibile est, vt tentationes non sentiat, qui superioribus relictis in imis versatur. Hinc est, quod Dominus ad serpentem dixerat. *Super pectus tuum gradieris*, id est, qui sponte cælestia deseruisti, coactus in terra versaberis, vt qui solebas incedere erectus, iam deprimaris incuruatus. Qui enim terrenis rebus inhiat, antiqui hostis maiores insidias portat, quia tanto quis malo appropiat, quanto à vero bono, & summo Deo longius distat. Septimo curiositas & euagatio sensuum, quia obiecta mouẽt sensum, & vix se quisquam à cogitationibus cohibet, qui cogitabilia, seu delectabilia videt. *Vidit*, ait Scriptura, *mulier, quod lignum esset pulchrum aspectu, tulit de fructu eius, & comedit.* Si non prius vidisset, nequaquam concupiscere potuerat. Nemo enim quod nescit, concupiscere potest. Homo noster interior quasi in ciuitate quietus sedet, dum portas ciuitatis, id est, sensus corporis, clausas tenet. Si autem aperuerit portas, aduersariorum caterua ingreditur, & ciuitatem destruens habitatorem occidit. Hoc se diabolus facturum denũciat, cum in persona ipsius Ezechiel dicat. *Ascendam ad terram, quæ est sine muro, veniam ad quiescentes, habitantes q; secure.* Terra sine muro, est homo sine custodia sensuum suorum, qui idcirco secure quasi habitat, quia multas aduersariorum spirituum tentationes portat. Homo etenim, cuius spiritus in naribus eius, cuius lingua procax ad loquendum mendacium, cuius oculus spectaculis & turpitudinibus intendit, cuius auditus fabulis vacat, cuius pedes in malum veloces sunt, cuius olfactus Christi spernit odorem, cuius tactus illicita stringit, huius est sine muro habitatio. Qui idcirco secure quiescere dicitur, quia pacẽ vitiis inter se habentibus, nullis aduersis contra virtutibus, quibus vacuus est, impugnatur. Octauo, boni propositi fractio, & asperitatis assuetæ emollitio. Nam statim vt diabolus in proposito deprehenderit laxitatem, accedit tanquam securus de victoria, vt valeat destruere totum. Aliquando enim carnalis homo contra rigorem murmurans dicit. Homo es, quemadmodum & cæteri, debilis & infirmus, tantum non poteris sustinere laborem. Tunc accedens tentator etiam suggerit suum, & paulatim vsum remissum facit, & rigorem euellit. Nam sicut hostes fracturam aliquam in muro conspicientes per eam ingrediuntur ciuitatem, ita & dæmones ex modica occasione magnam faciunt, quousque depositio rigore securi accedant ad interiora ciuitatis. Non enim audet diabolus aggredi homines duros & asperos, seu asperitate pœnitentiæ inuolutos, sed molles & dissolutos, vt aqua. Nono, dat occasionem tentãdi hominis instabilitas, & motuum exteriorum leuitas, per quæ iudicat diabolus de interioribus leuitatibus, & quod leuiter hominem possit ad malum inclinare. Exteriora etenim, vt supra dictum est, interiorum indicia sunt. Isti homines qui hinc inde vagantur in terra, raro aut nunquam in eodem bono proposito perseuerant. Stultus enim vt luna mutatur, qui omni vento inclinatur, dicentibus ad eum dæmonibus. *Incuruare vt transeamus*, id ẽst, suggestioni nostræ succumbe, vt vincamus. De his ait Propheta. *Sicut puluis quem proiicit ventus à facie terræ.* Diabolus leuis est, & leues rapit, & per naturæ suæ leuitatem leuiter dicta vel facta cognoscit. Multos etiam de monasterio egres-

Matt. 26. *Rom. 13.* *Cant. 5.* *5. Securitas.* *1. Thess 5.* *Iud. 7.* *6. Cura temporalium.* *Gen. 3.* *7. Curiositas.* *Gen. 3.* *Ezec. 38.* *8. Propositi fractio.* *9. Inconstantia.* *Psal. 1.* *Isaiæ 5.*

egressos fratres hostis malitiosus prostrauit. Arbusta enim de loco in locum pluries transplantata fructum rarò afferre consueuit, quæ antequam radices suas bene expandat auulsa de loco sæpius aresçit. Lapis etiam, qui per multa loca voluitur rarò fit hirsutus: & Monachus qui de vno monasterio in aliud leuiter volat rarissimè fit sanctus seu stabilis. Hinc Apostolus ait. *Maneat vnusquisque in ea vocatione, qua vocati estis.* Salomon quoque considerans periculum leuitatis aiebat. *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris*, quia curatio faciet cessare peccata maxima. Quis est spiritus potestatem habens nisi dæmon? quia ex eo, quod creatura Dei est, spiritus illius dicitur, sicut in regnorum libro primo scribitur, quoniam inuasit spiritus Dei malus Saul. Domini est terra & plenitudo eius. Iste itaque spiritus Dei potestatem habentis si irruerit super te, ne deseras locum tuum. Multos siquidem callidè eiecit de cellulis suis, quos grauiter postea allisit. Hinc Cassianus ait. *Ideoq; iugis cellæ cõmoratio retentãda est. Toties. n. etiã reuersus quis velut nouus in ea, & incipiens habitator titubabit, atq; turbabitur, quoties ab eadem fuerit euagatus. Illam namq; quam in cella residens acquisierat animi intentionem si fuerit relaxata, recuperari rursus sine labore non poterit, ac dolore, & per hoc reductus retro non de amisso cogitabit profectu, quem superadiicere potuit, si è cella non fuisset excursus, sed gaudebit potius, si illum statũ, de quo recidit, semetipsum senserit recepisse. Nam sicut amissum ac præteritum tempus vlterius reuocari non potest: ita nec illa quidem, quæ perierunt possunt emolumenta restitui.* Cella monachi viuentis in carne paradisus est, quæ fastidiosis & negligentibus carcer angustus videtur.

Cass. coll. 6. c. 15.

1. Cor. 7.

Eccle. 11

1. Reg. 16.

CAPVT X.

De remediis contra tentationes in generali.

DOMINVS autem Deus omnipotens ad exercendas virtutes in cordibus nostris tẽtatorem nobis diabolum insidiari permittit, quatenus de victoria, quam ipso præstante consequimur, etiam præmium vitæ æternæ copiosius percipiamus. *Regnum enim Dei vim patitur, & violenti*, id est, qui diabolo & carni viriliter resistunt, *rapiunt illud.* Si autem ad præmium anhelamus, pro victoria prius laborandum est. *Nemo enim coronabitur, nisi legitimè certauerit.* Virtuti debetur laus, sed nulla sine labore virtus, quia homo ad laborem natus, sicut auis ad volandum. suscipiendum ergo est de manu Domini quicquid dederit, quoniam ipse scit, quid vobis necessarium sit. *Fidelis est Deus, qui non sinit nos tentari supra id quod possumus.* Multas enim nos contra aduersarium docuit victorias, & cõtra quodlibet vulnus suggestionis propriã medelam apposuit, Igitur de remediis contra tentationes iam pauca loquamur. Necesse est enim animam esse munitam ad se solicitè defendendam, ita vt verificetur illud sponsę in Canticis. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israhel, omnes tenẽtes gladios, & ad bella doctissimi.* Ad quemlibet iustum, & aduersus dæmones armatum hæc mystica referatur sententia. Quicunque animi sui motus regit, & premit illicitos affectus, cogitationum suarum rex est & sensuum. Qui & Salomon, id est, pacificus dicitur, quia qui motibus illicitis repulsis in tabernaculo mentis cœlestia meditatur, reiiciens à se terrenarum tumultum curarum, in pace sancta quiescit. Quem sexaginta fortes ambiunt, quando per decem præcepta decalogi, & sex opera misericordię, invirtutũ custodia se non desistit communire. Qui gladios tenent in manibus, quando anima iusti sacræ scripturæ testimoniis & exẽplis se ab hostiũ incursibus auxiliante Christo defendit. Omnes ad bella doctissimi, quia vir qlibet sanctus, & monachus deuotus contra quodlibet iaculum inimici similem sciat refundere vicem. Hostis enim noster mille habet artes nocendi, qui tam variis oppugnandus est telis, quam variis nos oppugnat insidiis. Nunquam monachum tẽtatio inuadat imparatũ, sed semper in promptu habeat, quod iaciat

Matt. 11.

2. Tim. 2.

1. Cor. 10.

Cant. 3.

iaciat contra hostem. Vnde sponsa pulchrè prosequitur dicēs. *Vniuscuiusq; ensis super femur suum propter timores nocturnos*, id est, verbum Dei & fides vnumquemq; iustorum semper & vbiq; præcingat propter improbas tentationes diabolicas. Arma igitur monachi contra hostem, orationes sunt, & varia dona virtutum. Hinc rursus *Cant. 4.* sponsa ait. *Mille clypei pendent ex ea*, id est, turre Dauid, videlicet anima fideli, omnis armatura fortium. Isti clypei sunt multimoda munimenta contra tentationes & incursus spirituum malignorum, qui quotidie obseruant muros mentis nostræ, si quo modo ciuitatem negligentiùs munitam possint intrare. Contra quos hæc, quæ sequuntur munimenta, opponenda sunt, quibus resistere, seu præualere non possunt. Primum ergò munimentum, per quod vincitur tentatio, est fides, B. Ioanne Apostolo testante. *Hæc est victoria, quæ vincit mundū, fides vestra.* Et apostolus Petrus cùm enumerasset inimici astutias, vincendi genus aut instrumentum adiunxit dicens. *Cui resistite fortes in fide.* Apostolus quoq; Paulus Ephesiis scribit. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Ad Hebræos autem. *Sancti*, inquit, *per fidem vicerunt regna.* In fide itaque armetur anima iusta, & nequaquam poterit ab aduersario superari. Fides .n. lampas ardens & lucēs est: quia sicut lampas illuminat domum, ita fides in amorem Dei accendit, & contra hostem illuminat animam. Sed si amorem vis accendere fidei, noli inhærere ducatui carnali. *Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* Quicunque ergò contra diabolum dimicare contendit, scuto fidei sit munitus, quia vbi fides recta regnat, nullæ dæmonum præualebunt insidiæ. Multi à dæmonibus illuduntur, multi à maleficis, & incantatricibus vexantur: Sed hoc fidenter loquor, rectæ fidei Catholicæ nulla tenebrarum potest approximare potestas. In huius rei probationem veritatis testimonia adducenda sunt. *Qui nō hæsitauerit in fide. &c.* Et illud. *Omnia sunt possibilia credenti.* Et ad Petrum confitentem de Ecclesia Catholica ac vera fide dicitur. *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Munimenta fidei Catholicæ fortissima sunt, quorum protectione fultus hostium nullos Catholicus timebit incursus. Quod Patres nostri prædecessores considerantes, sanxerunt, vt monachi ordinis eorundem inuiolabiliter omni die Symbolum Apostolorum bis regulariter dicerent, videlicet, de mane ad initium Primarum pro custodia diei salubri, & de sero post Completorium pro angelica protectione noctis instantis obtinenda fideli. Quam bonam, necessariamque consuetudinem, non solùm religiosi, verum etiam seculares plerique clerici pro regula firmiter seruant. Itaq; contra hostis antiqui tentamenta fides Catholica firmiter est obiicienda, & sæpius ore & corde recitanda, quoniam nihil ita vires inimici stringit, sicut vera fides, & confessio saluatoris. SECVNDVM remediū est spes & confidentia de adiutorio Dei, quoniā in vacuū fides gerit, vbi spes de creditis bonis non habetur. Hinc SENECA ait. *Spes est vltimum aduersarum rerum solatium.* Sic se in tentationibus habebat, qui dicit. *Ad te Domine leuaui animam: Deus meus in te confido, non erubescam.* Quem se Dominus propter spem & confidentiam exaudisse indicat dicens. *Quoniam in me sperauit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.* ISAIAS quoque ait. *In silentio & spe erit fortitudo nostra.* In Paralipomenon quoq; libro secundo legimus, quia dum Iosaphat rex Iuda propter incursus filiorum Moab & Ammon territus Dominum pro auxilio deprecaretur, factus est spiritus Domini super Iahaziel filium Zachariæ, & prophetauit, dixitq; inter cetera ad vniuersam plebem *Nolite timere; nec paueatis hanc multitudinem. Non eritis vos, qui dimicabitis, sed tantùm confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos. Qui enim confidunt in Domino, sicut mons Sion in æternum non commouebuntur.* Si homo fragili carne circundatus confidentiæ suæ innixum non facilè spernit, quomodo Dominus DEVS omnipotens in se confidentes derelinquere posset? Hinc propheta ait. *Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine.* Quis sperauit in Domino & derelictus est? Cùm bonus sit & misericordissimus Dominus, quibuscunque tentationibus pulsati fuerimus, clamemus ad eum sperantes, & quod nobis expedire nouit, proculdubio dabit. Non contristemur in tentatione, neque de auxilio Dei diffidamus, quoniam ira maxima venit in filios diffidentiæ, qui ponunt carnem brachium

Remedia contra tentationes.

1. Fides.
1. Ioan. 5.
1. Pet. 5.
Eph. 6.
Heb. 11.
1. Cor. 2.
Iac. 1.
Marc. 9.
Matt. 16.
2. Fiducia.
Senecain ep.
Psal. 4.
Isa. 30.
cap. 20.
Psal. 124.
Psal. 117.

um suum, & non sunt confisi in Domino.

3. Timor. TERTIVM est timor solicitans, de quo dicit scriptura. *Qui timent Dominum, non facient mala.* Quando enim tentatus timet, ne si victus fuerit offendat Deum, & si damnetur ab hostibus confundatur, viriliter pugnat, & Deus auxilium dabit illi, sicut scriptum est. *Timenti Deum non occurrunt mala, sed in tentatione Deus illum conseruabit, & liberabit à malis.* Et iterum. Qui *timet Dominum nihil trepidabit, & non pauebit, quoniam ipse est spes eius. Timentis Dominum beata est anima eius, ad quem respicit, & qui est fortitudo eius. Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegmen ardoris, & obumbraculum meridiani, deprecatio offensionis & adiutorium casus exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem. Dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet.* Quis est fortis armatus nisi timor Domini? Scriptum est enim. *Timor Domini plurima fortitudo.* Atrium suum fortis armatus custodit, quando timor Domini cor iusti possidens peccatum expellit. Impossibile est eum perire, quem sic timor Domini custodit. Timēs Deum facilè resistet tentationi, quia Deus adiutor eius est.

Ecclē. 15. Ecclē. 33. Isa. 34. Eccl. 15. & 34. Luc. 11. Prou. 15.

4. Fortitudo. QVARTVM remedium est virilitas velociter resistendi, quoniam mora periculosa est, eo quod hostis impetuosus sit. Hinc quidam ait. *Principiis obsta, sero medicina paratur. Cū mala per longas conualuere moras.* Mox vt latro atrio tuo incipit appropinquare, irrue in eum noli sustinere moras. Paruulus facilè eliditur, qui si creuisset in virum, maiores consequeretur vires. Vnde bene Prophera. *Beatus,* inquit, *qui allidit paruulos suos ad Petram,* id est, qui primos motus cogitationum, quos diabolus vt paruulos procreat turpiter ad petram videlicet destruendos & occidendos prosternit. Vel qui cogitationes suas mox vt concipiūtur allidit ad Christum, qui est Petra, dicente Apostolo. *Petra autem erat Christus.* Modica enim cogitatio, si non mox eiicitur, sæpe confundit mentem. Hinc quidam egregius versificator ait. *Parua necat morsu spatiosum vipera taurum. A cane non magno sæpe tenetur aper.* Modicum fermentum totam farinæ massam corrumpit. Magnum incendium parua scintilla parat. Granum sinapis minimum in immensum sæpè crescit. Melius est occasionem fugere, quam incautè perire. Semen impiorum si non deletur, succrescens totam occupat terram. Malæ igitur suggestioni in instanti resistendum est: quia si turpis cogitatio menti admittitur bonæ, si quæ sunt, statim pelluntur. nam *morbida facta pecus totum corrumpit ouile. ne maculet reliquas est separanda grege.* Qui serpentem voluerit occidere, caput velociter conterat necesse est, quoniam difficile potest teneri in lubrico. Vnde B. Gregorius. *Lubricus est antiquus hostis, qui nisi capite teneatur, totis visceribus elabitur.* Semper autem prima suggestio timida & infirmior est.

Psal. 136. 1. Cor. 10. lib. 32. mor. c. 17.

5. Oratio. QVINTVM remedium est Oratio tam propria, quam aliena bonorum. Nam contra astutias diaboli sanctos Apostolos & Patres non per aliud quam per orationes legimus vicisse. Ad hoc fortissimum pugnandi genus veritas admonet dicens. *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.* Isaias. quoque ait. *Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis saluatorem & propugnatorem, qui liberet eos.* Quod autem oratio bonorum etiam proficiat tentatis, habemus in exodo euidentissimum exemplum in Moyse, qui pro Israhel sursum erectis manibus in pugna contra Amalech constituto deprecabatur; & si quādo manus ab oratione relaxasset, vincebat Amalech, & fugabat Israhelem: si verò manus erigeret sursum, vincebant filii Israhel. Manus autem Moysi graues erant. Aaron igitur & Hur sustentabant manus eius ex vtraque parte. Moyses aquaticus, vel de aqua sumptus interpretatur, & signat orationem deuotam cum lacrymis. Aaron mons fortitudinis, quidesignat perseuerantiam, quæ manus Moysi, id est, orationis sustentat, sicut dicit Apostolus. *Sine intermissione orate.* Hur ignis dicitur vel incendium, & designat caritatem Dei & proximi: quæ alteram manum Moysi sustētat, quia sine his duabus virtutibus, scilicet caritate & perseuerantia oratio nulla Deo placebit. Manus quippe Moysi graues sunt, quia ora-

Matt. 26 Isa. 19. Exo. 17. 1. Thes. 5.

tio nisi caritate & perseuerantia sustentetur, ad Deum eleuari nequaquam potest. *Multum valet oratio iusti assidua*, quoniam si pura fuerit, si simplex & dilucida cœlos penetrans vacua non redibit. Validissimum contra hostis insidias antiqui iaculum est oratio deuota fidelium. Grauis est nobis inimici tentatio, sed grauior illi nostra oratio. Lædit nos eius astutia, & iniquitas, sed offendit eum, & torquet multo magis misericordia nostra & pietas. Humilitatem nostram non sustinet, vritur caritate, mansuetudine vincitur, oratione ligatur. Nihil enim eius prævalet astutia, vbi deuota mens oratione munitur. Quoties ergo cunque tentatio turpis penetralia cordis pulsat, toties ad orationem recurrendum est. oratio namque si fuerit fidelis & deuota dæmones fugat, angelos in adiutorium salutis inuitat, scutum est contra nocturnos terrores, diurnorum requies laborum, & in omni labore efficax solatium. Instemus igitur orationi, & nobis prævalere non poterunt aduersa.

Iac. 5.

6. S. Scripturæ lectio.

** H. ep. 4.*

Matt. 4.

SEXTVM contra tentationes remedium est frequens sanctarum scripturarum lectio. Hinc D. HIERONYMVS ait. *Ama scientiam literarum, & carnis vitia non amabis.* Dominus ac redemptor noster tentatorem non potestate, sed sacrarum auctoritatibus scripturarũ, pro nostra vtique instructione, vincere maluit, vt discamus & nos in omni tentatione iaculis sacræ lectionis inimici debellare versutias. Vnde scriptum est. *Melior est sapientia, quam vires.* Et. *Sapientiam non vincit malitia.* Sanctarum enim dulcedo scripturarum mentem à terrenis ad cœlestia erigit, à vitiis ad virtutes ire compellit, in tentationibus præbet solatium, in doloribus medicinam, diligentibus eam vitam æternam. Qui enim lectioni diuinæ insistit, quid agere, quidue dimittere debeat, salubriter agnoscit.

Eccl. 9.

Sap. 7.

7. Confessio peccatorum.

Luc. 23.

SEPTIMVM est, confessio peccatorum, quia ipsa est salus animarum, dissipatrix vitiorum, restauratrix virtutum, oppugnatrix dæmonum. Quid plura? obstruit os inferni, portas aperit paradisi. Latro in cruce Dominum confessus est, & promissionem regni accepit. Confessionem lego, pœnitẽtiam non lego, & tamen vocem promittẽtis audio: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Monachus itaque pericula tentationum cupiens euadere, hostem per verecundiam & humilem veracemq; confessionem conetur expellere, & cogitationes suas seniori spirituali & experto non dubitet reuelare. quia mox vt agnouerit se diabolus per hanc manifestationem in tentationibus suis esse denudatũ territus & confusus abscedit. Nullo autem alio vitio tam præcipitem monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quã cum neglectis consiliis seniorum in suo iudicio persuaserit confidere.

OCTAVVM est cordis humilitas, & operis. Proprium enim monachorũ contra hostem iaculum est, & specialis vis humilitas, & quanto quis fuerit humilior, tanto longius ab hoste superbo disiungitur. Spiritus enim sanctus solis præbet fortitudinem resistendi humilibus, dicẽte propheta. *Super quem requiescet spiritus meus nisi super humilem ac quietum, & trementem sermones meos?* Cum Beatus pater ANTONIVS in visione, mundum totum cerneret plenum laqueis, & clamasset, quis eos euadere possit? audiuit quod sola humilitas. *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Cuidam fratri apparuit diabolus transformatus in angelum lucis, & dixit ad eum. Ego sum Gabriel missus ad te. Ille respondit. Vide, ne ad alium missus sis. quia non sum dignus, vt angelus mittatur ad me. Ille tanta eius humilitate peterritus abscessit ab eo confusus. Ad hoc perficiendum remedium, humilia officia in cœnobio, quæ nemo alius facere velit, eligenda sunt.

8. humilitas.

Isa. 26.

Athan. in vita.

Iac. 4.

Vide spec exem. dist 2. exe. 170.

NONVM est consideratio exemplorum, quomodo, & qualiter sancti Patres nostri tentati, probati, & perfecti inuenti sunt. & quam viriliter contra antiquum hostem fide & oratione sedula vicerũt. In præliis enim militibus, vt ad animi fortitudinem conualeant, facta recitãtur maiorum, vt dum prædecessores suos laudari audiunt, ipsi ad victoriam anheli currant. Nihil enim ita mentem ad virtutis amorem accendit, sicut lectio & memoria frequens actuum Patrum sanctorum.

9. Exempla.

Hoc

Hoc quod loquimur expertus sum, quoniam exempla desidiam à corde recludunt. Et ergo monachus historias S. Patrum auidus legat propter ædificationem, quia facta eorum nos docent & instruunt quid facere debeamus.

10. Labor DECIMVM est, laboris occupatio, quia homo laborans vnum tantum patitur inimicum: otiosus autem multorum oppugnatur incursibus. Homini quoque post lapsum laboris exercitium indicitur, ne deterius otiosus tentaretur. Hinc quidam ait. *Labor improbus omnia vincit.* *Virg. in Georg.* Generosos animos labor nutrit, si recuses laborem, sapientiam perdidisti. non est viri timere sudorem. Homo enim nascitur ad laborem, sicut auis ad volandum. Si ergo tentationes cupis prosternere, disce in laboribus stare, & semper memineris, quoniam per multos labores venitur tandem ad præmium. *Hier. in epist.* Ait namque B. HIERONYMVS: *Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur.* Semper igitur in exercitio aliquo bono sit Monachus. Scribat videlicet libros, aut legat, vel aliud quid manibus faciat, lectioni vacet, oret vel meditetur, vt nullam sine profectu transeat horam.

11. Disciplinæ rigor. VNDECIMVM remedium est disciplinæ rigor in obseruantia mandatorum Dei & ordinis, quia diligentia & custodia disciplinæ regularis aditum omnem ad animam inimico præcludit. Qui autem negligens est in obseruantia ordinis, facilè capitur laqueo hostis. Sancti enim Patres mirabilem tenuere rigorem, sicut omnes libri vitæ eorum testantur. Quos si ad regnum sequi cupimus, sanctorum imitemur prius necesse est rigorem operum bonorũ. Sit igitur monachus sanctæ disciplinæ amator, vitiorum persecutor, silentii custos, humilitatis professor, & regula maturitatis.

12. Caritas. DVODECIMVM remedium est, feruor caritatis, de quo dicitur in Canticis. *Cant. 8.* *Fortis est vt mors dilectio. Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem.* Nulla tentatio, nullum luctamen sanctam potest vincere caritatem. Sicut musca quantumcunque esuriens insidere non audet super ollam feruentem, aut scutellam nimis calidam, sic inimicus noster diabolus non præsumit inuadere animum caritate feruentem. Omnia vincit amor, cui hostis nullus videtur potentior sancto feruore. Discat monachus in caritate proficere, si in tentationibus non vult deficere.

13. Lætitia. TREDECIMVM. Est spiritualis iucunditas, maximè tentationis tempore, quia cernens callidus hostis mentis nostræ in Domino lætitiam, suspicatur suas suggestiones sperni & contemni se dolẽs confusus abscedit. *1 Mach. 3.* Iudas Machabæus vt refert scriptura, præliabatur prælium Israhel omni lætitia & vincebat. Vnde Philisthiim tenentes figuram dæmonum animum impugnantium cum audissent Israhelem exultantem dicebant. *1. Reg. 4.* *Væ nobis, non enim fuit tanta exultatio heri & nudiustertius.* Cum Dominus B. ANTONIO diuersas fallendi *Athan. in vita.* artes inimici ostendisset, adiunxit. Vna est ratio vincendi inimicum, spiritualis videlicet lætitia. Diabolus ad hoc nititur, vt pacem & tranquillitatem cordis humani, etsi non possit vincere, saltem perturbet, & ex continua tristitia in acediam trahat. Si igitur tentationes diaboli quantumlibet grauis vincere & superare cupis, cordis serenitatem & animi lætitiam in Domino lætus & alacer conserua. *Prou. 17* *Spiritus autem tristis exsiccat ossa*, id est, fortitudinem animæ consumit, & quasi facit infirmam.

14. Passio Christi. QVARTVMDECIMVM est virtus passionis Christi & sanctæ crucis. Quotiescunque enim Monachus sub alas confugerit crucifixi, nullas insidias pauebit hostis antiqui. Omnia habemus in Christo, & omnia in nobis Christus. Si à vulnere curari desideras, medicus est: Si febribus æstuas, fõs est. si iniustè grauaris, iustitia est. Si indiges auxilio, virtus est. si mortem times, vita, si tenebras horrescis, lux est. Si cœlum desideras, via est. Si cibum quæris, panis viuus est, si à tentatione inquietaris, auxiliator est. Qui enim Christum habet nullius indiget. Hinc ait. BERNARDVS. *Sub Christi sca pulis quatuor nobis beneficia conferuntur. Sub his enim abscondimur, sub his ab incursu accipitrum & miluorum protegimur, sub his vmbraculum salubre refrigerat, & nimium solis repellit feruorem, sub his quoque alimur* *Bern. in quodam sermone.*

& fouemur. Mox vt turpis aliqua cogitatio pulsauerit mentem, Christi suffragia imprecanda sunt, & signaculo viuificæ crucis pectus muniendum. Si à tentatione antiqui hostis non vis vinci, disce in passione Domini nostri IESV Christi gloriari. Crux enim Christi humilium est in via tuitio, superborum deiectio, victoria Christiani, perditio diaboli, infernorum destructio, cœlestium confirmatio, mors infidelium, vita iustorum. Omnem superat aduersariorum potestatem propter eum qui sanctificat illam.

15. Bona voluntas. QVINTVM decimum remedium contra tentationes est bona voluntas. Nihil enim acceptabilius coram DEO bona voluntate. Quod autem Dei auxilio contra aduersarium protegatur homo bonæ voluntatis, sancti angeli, qui natum Dominum pastoribus nuntiabant, declarant, cum dicunt. *Luc. 2.* *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Impossibile enim est bonam hominis voluntatem, si perseuerans est, à Deo contemni. Hæc autem est bona voluntas, qua Deo placere concupiscimus, virtutes amamus & proximum, ac vitia declinamus. In omnibus & super omnia stude bonæ voluntati, & ne per interualla temporum defluat, quotidie per recollectiones sanctum propositum in sacris lectionibus & orationibus renouetur.

16. mortis memoria SEXTVM decimum est frequens memoria mortis & futurorum nouissimorum. Dicit enim scriptura. *Eccl. 33.* *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* *Aug. l. 2.* Et B. Augustinus ait. *Nihil sic reuocat à peccato, quam frequens meditatio mortis.* *de gen. c. 28.* Et ergo, quotiescunque cogitatio turpis animum stimulat, memoremur horæ mortis, & dicamus. Si modo esses moriturus *Matt. 25* faceresne hoc? Illa quoq; semper in aure cordis vox resonet, qua dicetur. *Surgite mortui, venite ad iudicium.* Et illius non obliuiscamur vocis terribilis, qua ad impios *17. Communio sacra.* dicturus est Dominus. *Ite maledicti in ignem æternũ, q paratus est diabolo & angelis eius.*

DECIMVM septimum remedium est digna communicatio sanctissimi corporis & sanguinis Iesu Christi Domini nostri. *Eccle. 33.* Hinc scriptum est. *Medicina omnium,* id est, tentationum, *in festinatione nebulæ, & ros obuians ab ardore venienti.* Hinc Ambrosius ait. *Qui vulnus habet, semper medicinam requirit.* Vulnus est, quod sub peccato sumus. medicina est cœleste & venerabile sacramentum. Animę enim cibus corpus & sanguis Domini est, quo munita cuncta hostis iacula contemnit, quia regem & principem suum potentissimum habet præsentem, qui solo verbo aduersarii potestatem elidere potest. Quid times, ò anima fidelis, sponsa regis æterni, quid times versutias inimici stans in latere sinus altissimi? Non timeo profugum seruum, vbi mecum habeo placabilem Dominum. Hoc duntaxat summopere procurandum est, vt tantum Principem tuum condignis suscipias honoribus. Vbicunque corpus Dominicum digne suscipitur, omnis aduersarii potentia infirmatur. Gaude ò anima fidelis, quæ testimonio bonæ conscientiæ secura omninium, te rectori thalamum præparasti.

CAPVT XI.

QVAM VTILE ET NECESSARIVM SIT HOMINI volenti proficere, tentari, & quot ex tentationibus commoda proueniant his, qui patienter atq; libenter illas sufferunt.

ANTIQVVS hostis etsi ex malitia sua nos plurimum tentet, non id sine DEI tamen permissione agere credendus est, cũ sit sub potestate illius constitutus, qui ait. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* *Matt. vlt.* Spiritus enim malignus tantum potest, quantum DEVS per-

permiserit. Deus autem, sicut ait Apo-
1. Cor. 10. stolus; *Fidelis est, qui non sinit nos tentari supra id, quod possumus portare, sed dat etiam cum tentatione proventum, vt possimus sustinere.* Ipse nouit, quantum nobis expediat tentari, & pro vtilitate nostra diuersas nobis permittit imponi vexationes. Quia ergo Deum iustum & misericordem esse firmiter credimus, omnia quæ nobis contrauenerint spe sursum erecta in eum patienter sustinere debemus. Neque arbitremur nos, cum diuersis tentationibus pulsamur, ab eo esse derelictos, sed tunc ei nos appropinquare credamus, dum ab eo aduersitatibus visitamur. Dicit &
Aug. in psal. 60 enim B. AVGVSTINVS. *Vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine peccato, siue tentatione, quia profectus noster per tentationem nostram fit: nec sibi quisquam innotescit, nisi tentatus: nec potest coronari, nisi vicerit; nec potest vincere, nisi certauerit, nec potest certare, nisi inimicum & tentationes habuerit.* Bona igitur occasio, quæ nos ad vitam dirigit æternam. Multa quoque in tentationibus vtilitas est, si patienter, libenter, & hilariter sufferantur.

1. Bonum tentationis. PRIMVM igitur bonum, quod ex tentatione prouenit, est purgatio peccatorum, quam Dauid desiderabat cum diceret. *Proba me Domine: & tenta me, vre renes meos & cor meum.* Omnipotens enim DEVS, quod amat, & castigat, vt à peccatis, si qua per fragilitatem humanæ conuersationis commiserunt, purgatos sine obstaculo culpæ ad vitam æternam transmittat. Si quis itaq; in hac vita mala sua cum Lazaro recipere voluerit, vt postea cum eo sinu Abrahæ recipiatur, libenter sufferat tentationum iacula pro peccatorum expiatione, & dicat illud B. AVGVSTINI. *Domine hic vre, hic seca, vt in æternum parcas.* Sicut enim rubiginem ferri consumit ignis, sic tentatio mentem purgat à rubigine peccatorum.

II. SECVNDVM bonum est, cordis humiliatio, siue humilitatis conseruatio. Hinc B. GREGORIVS ait. *Dum vitia nos tentant proficientes in nobis virtutes humiliant. Quod propheta considerans aiebat. Bonum mihi quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.* Ad

magnam igitur vtilitatem fidelium materia reseruata est certantium, vt non superbiat sanctitas, dum pulsatur infirmitas. Hoc est, quod Israhel Iebusæum tolerat, vt humana mens de se humilia sentiat, & agnoscat se esse infirmam, dum suæ imbecillitatis exercitatorem portat. Et ideirco DEVS hominem tentari permittit, vt dum animus contrariis percutitur, infirmitate sua agnita in DEO fortius solidetur. Paulus etiam vas electionis stimulo tentationis concutitur, ne magnitudine reuelationum in superbiam eleuetur. Cum ergo tentamur, vt nos agamus gratias DEO, & sciamus nos ab eo piè visitatos, non derelictos.

Iud. 1.

2. Cor. 12.

III. TERTIVM bonum est, doctrinalis instructio, sicut dicit scriptura: *quoniam vexatio intellectum dabit auditui.* Tentatio in homine experiẽtiã parit, vt sciat inter bonũ & malũ discernere, & vnũ ab altero separare. Tentatus enim non solum versutias inimici, sed etiam virtutem propriam, quam modica sit experitur, vt deinceps se Dei, non sua agnoscat virtute victorem. Sunt enim plærique, qui priusquam tententur fortes se æstimant, qui tentati, quanta sit infirmitas sua experiuntur, quam antea ignorabant. Tale in Petro habemus exemplum, qui antequam tentaretur in mortem cum Domino se iturum promisit, qui tamen postmodum ad vocem vnius mulierculæ Christum negauit. Quis Petro fidelior? Quis eo inter Christi amatores ferUentior? Et tamen modicum à tentatione pulsatus cecidit. Nemo igitur de se audeat præsumere, cum legit Petrum Apostolorum principem corruisse. Hinc nos Paulus admonens dicit. *Qui stat, videat ne cadat.* Prodest ergo tentatio ad experientiam, vt sciat homo infirmitatem suam, mundi malitias, diaboli astutias & artes eius nocendi innumeras, quas non expedit ignorare. Vnde scriptum est. *Qui non est tentatus quid scit?* Vir in multis expertus cogitabit multa, & qui multa didicit enarrabit intellectum. In libro quoque Iudicum scriptum est. *Hæ sunt gentes quas dimisit Deus in terra, vt erudiret Israhel.*

Iud. 1. Matt. 26. 1. Cor. 10. Eccl. 34. Iudic. 9.

IV. QVARTVM est meritorum acqui-

vel augmentatio sicut de S. Iob legimus, quoniam post tentationem reddita sunt ei omnia duplicia. Abrahæ quoq; post tentationem in signum meritorum Dominus dicit. *Benedicam tibi. & multiplicabo te.* ista vtiq; benedictio accumulatio est meritorum. Huius boni infinita pœnè legimus exempla. In Vitas patrum de abbatissa Sara dicitur, quod per 23. annos fuerit grauissimè tentata spiritu fornicationis, nec vnquam petiit se semel liberari ab ea, sed semper dicebat. Da mihi fortitudinem Domine DEVS meus. Discipulus cuiusdam senis tentabatur grauiter, & resistebat, & grauiter se affligebat. Senex hoc videns ait. Vis fili, quod rogem Dominum, vt auferat à te hanc tentationem. Qui respondit. Non Pater, quia sentio ex ea in animo meo profectum, quia occasione huius amplius ieiuno, vigilo & oro. Veruntamen ora pro me vt DEVS det mihi fortitudinem. Quod audiens Senex, commendans enim, gauisus est. Tentatio enim, cui non consentimus, occasio nobis est meritorum.

Iob.42. *Gen.22.* *Exemplum.* *Specul. exempl. dist. 2. exe. 30.*

V. QVINTVM bonum est in amore Dei confirmatio. Probat enim DEVS amicos suos, vt approbet: tentari sinit vt victores eos copiosius remuneret. Hinc sapiens ait. *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Ad Tobiã quoq; angelùs dicit. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.* In libro etiam Iudith dicitur. *Abraham pater noster per multas tentationes probatus est.* Multi enim sunt, qui sibi videntur DEVM diligere tempore pacis, sed in tempore tentationis retrocedunt. De qualibus est illud, quòd de instabili propheta Domino dicit. *Confitebitur tibi, cum bene feceris ei.* Non est verus amator qui in tentatione deserit amatum.

Ecclc.27. *Tob.12.* *Iud.8.* *Psal.48.*

VI. SEXTVM bonum est, proximorum compassio, vt homo tentatus experiatur in seipso, quomodo aliis possit compati tentatis. Multi enim, qui tentationes experti non sunt aliis in tentatione constitutis compati nescierùnt, sicut in Vitas patrum de quodam sene fertur, qui iuuenem à spiritu fornicationis impugnatum pro consilio ad se venientem ferè in desperationem immisit, dicens eum fore Deo odibilem, & habitu monastico indignum, nec inter sanctos Dei debere commorari. Qui desperatus ad seculum redire statuit, nisi ei per alium senem discretum subuentum diuina dispensatione fuisset. Multum ergo necessaria est senioribus, & pastoribus animarum experientia tentationũ, vt sciant compati infirmitatibus subditorũ. Idcircò permisit Deus Petrum tentari, vt futurus pastor Ecclesiæ disceret peccatoribus misereri. Quomodo expediuisset negatorem Domini, si non fuisset suam expertus fragilitatem?

Lib. de fornicationum.1.

VII. SEPTIMVM est optanda perfectio: quia per tentationes homo consequitur perfectionem, ideoq; nõ solũ patiẽter, sed &gaudenter debemus sustinere eas. Hinc Iacobus. *Omne*, inquit, *gaudium æstimate fratres, cum in tentationes varias incideritis, quod tribulatio patientiam operatur; patientia autem opus perfectum habet, vt sitis perfecti & integri in nullo deficientes.* Propter hoc Paulus dicebat. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi: nam virtus in infirmitate perficitur.* Sicut aurum in igne splendescit, sic homo bonæ voluntatis in tentatione proficit.

Iac. 1. *2.Cor. 12*

VIII. OCTAVVM bonum est diuina protectio, quia omnipotens DEVS tentari permittit vt vincant, hos protegit, ne ab hoste ipsi vincantur. Vnde scriptum est. *Multæ tribulationes iustorum: de omnibus autem his liberabit eos Dominus.* Refugium nostrum ipse est, qui nos fecit, vt essemus. Hinc Salomon ait. *Timenti Deum non occurrent mala*, futura scilicet, & æterna.

Psal.33. *Eccle.33.*

IX. NONVM est diuina consolatio. Nam qui tentationes in mundo sustinent, merentur à Domino, & sanctis angelis visitari, & dulciter consolari, quod in dialogo B. GREGORII legimus pluries contigisse. Deuicta tentatione ad Dominum accesserunt, & ministrabant ei.

Matt.4.

X. DECIMVM bonum est, exemplaris ostensio, vt alii videant tribulationes, quas iustus patitur, & compuncti corrigantur ab erroribus suis. DEVS enim bonos viros & perfectos in exemplum ponit aliorum, sicut in Tobia scriptum est. *Hanc tentationem permisit Deus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patiẽtiæ, sicut & sancti* Iob. De Eleazaro quoque in secundo libro Machabæorum dicitur. Memoriam mortis suæ exemplum virtutis & fortitudinis derelinquens. Prodest enim huiusmodi datum exemplum ad roborandum infirmos.

Tob.2. *2 Mach.6*

XI. VNDECIMVM est Dei glorificatio.

nam

nam qui sustinent patienter, sicut proximum ædificant per exemplum, ita Deum
1.Pet.1. glorificant per subiectionem. Hinc Petrus ait. *In Deo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus, vt probatio fidei vestræ multo preciosior auro, quod per ignem probatur, inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem in reuelationem Iesu Christi.*

XII. Dvodecimvm bonum est diuina retributio. Deus enim illis retribuit, sicut scriptum est; *Reddidit Deus mercedem laborũ sanctorum suorum.* Nam & de Abraham in Ecclesiastico scriptum est, *In tentatione inuentus est fidelis, ideò dedit ei gloriam Deus in*
Iac.1. *gente sua.* Hinc Iacobus ait. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniã cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ.* Et Dominus ad discipulos dicit. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis: & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* En vtilitates tentationum, carissime frater, audisti. ad hoc studeas, vt inuidum hostem forti & hilari animo vincas. Non contristeris in tentationibus tuis: quoniam si in religione veraciter proficere cupis, necesse est, vt per ignem transeas probationis. Nulla sunt sine tentationum experimentis opera virtutum, nulla sine probationibus fides: nullum sine hoste certamen, nulla sine congressione victoria. Nam sicut caro, si sale non aspergitur, statim nigra fit, & corrumpitur, ita & anima, nisi tentationibus continuis saliatur citò resoluitur & relaxatur. Ideoq; misericors Deus nobis salubriter prouidet, dum tentationibus concutimur, ne per desidiam in malam consuetudinem relaxemur. Quicunq; enim piè in Christo viuere cupit, persecutionibus atteritur. Neq; iam Ecclesiam saltem apud nos aliquis infidelium persequitur, à quo habeamus sustinere persecutionem: & tamen sine persecutione non sumus. Qui verò persecutores nostri sint superius satis dictum constat. Qui enim Domino deuotè seruire contendit qui cogitationum malarum incursus repellere cupit, qui Deo placere, & verus monachus esse desiderat, hic maiores aduersarii insidias portat. Tunc enim magis grauari se quisque impulsù vitiorum agnoscit, dum ad proficiendum eum amor incendit: sicut populus Israhel grauiori onere ab Ægyptiis premitur, dum per Moysen ad seruiendum Domino inuitatur. Quod & tibi dilectissime frater contingere æstimo, qui eo magis tentationibus impugnaris, quo feruentius in Dei amore proficere cupis. Vitia enim ante hoc propositum, quo modo flagras quasi pacem in te habebant: nunc verò, quando expellere illa incipis, acriori cõtra te virtute consurgũt. Fiunt tibi nunc inimica, quæ aliquando prosperè blandiebantur: quia qui Domino veraciter placere desiderat, quicquid ex aduerso est grauiter portat. Antequam teipsum inciperes considerare, antequam ad splendorem luminis æterni oculos mentis velles erigere, præcessit turba peccatorũ postquam respirasti à laqueo diaboli, id est, ab illo tempore, quo iacebas semimortuus sequitur turba tẽtationum. Illa se obiiciunt, ne ad Dominum conuertaris, ista se ingerunt, ne liberius cordis oculis Deum contempleris. Sed noli timere, quoniam vt credo, vtile tibi est tentari, quatenus à sopore negligentiæ solicitantibus vitiis ad virtutes animum per exercitium præpares meritorum. Feras igitur, quod necesse est, donec patientia vincatur: quoniam non est arbitrii nostri cogitationes prauæ suggestionis præuenire. Ne autẽ in aĩo iaceat, ne crescat vel placeat nostræ attinet voluntati. In omnibus hilaris esto, ne tristitia nociua inimico sit causa gaudendi. Dominus noster Iesus Christus, qui ait, *Confidite, ego vici mundum:* in se sperantibus pro sua pietate non denegabit protectionem.

IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEMENSIS DE TENTATIONIBVS religiosorum.

LIBER II.

PRÆFATIO.

IN superiori tractatu, quantũ Deus donauit generaliter de tentationibus, differens tuæ, vt æstimo, satisfeci petitioni dilectissime frater, vbi quantum potui prolixitatem caui sermonis, & nihil quod huic operi necessarium foret secundum meum iudicium voluntariè saltem omisi. Primo enim de quatuor tentatoribus scripsi, quorum primus scilicet Deus, non tentator, sed approbator potius est credendus bonorum. Post hæc multiplicia demonstraui genera tentationum, modos quoque descripsi earundem, & causas. Deinde remedia subiunxi, & quam vtile sit proficienti in melius tentatio, quod & concluditur fini. Nunc rursus instetisti apud me, quatenus contra speciales tibi tentationes aliquam vincendi formulam demonstrarem, quia fortius nonnunquam specialia impugnant, vbi generalia cessant. Me contra propositum agere compellis, vt sim mihi ipsi in ore aliorum causa doloris. Quicunque me talia audierit attentasse, præsumptuosum iudicabit & arrogantem, quasi ignorauerim scriptum Altiora te ne quæsieris, vt viam paucis notam inuenis ego me scire iactitem aut ambulasse. eroque te id causante, ridiculum cunctis in ore, quippe qui docere præsumpserim ipse discens, quia cum loqui nesciam tacere non finis. Non sum medicus, & non est panis in domo mea. nolite me vobis constituere principem. Cui hæc loquor? tibi vtiq; & fratribus tuis, qui nondum in discipulatu institutum vobis præfecistis magistrum. Modo quantæ sit temeritatis docere, quod nescias coactus experior. En sermo implanatus meæ dat testimonium ignorantiæ, quod puer ego balbutiens doctorum vsurpauerim mihi nomen. His & talibus solicita consideratione perspectis necessarium & vtile silere mihi videbatur, quia est tempus loquẽdi & est tẽpus tacẽdi. De nostro autẽ tẽpore vereor scriptum, quia sapiens in tempore illo tacebit, quoniam tempus malum est. Sed quia sicut cogitata fuit petiti operis difficultas, ita cogitari debuit desiderantis caritas, de qua sine dubio scriptum est. Quoniam caritas omnia potest, omnia suffert,

1. Cor. 13. &c. Confido etiam in Domino, quod vires meas multo amplius adiuuet tua petentis oratio, quam grauet ipsius materiæ magnitudo. Quamuis enim mea meritricitas huic operi faciat inualidum, tua tamen fide & oratione qui petis, Dei gratia potest facere idoneum.

Consi-

Considero simul, vt quidam ait, quoniam necessariarum tractatio quæstionum, etsi non instruit, inuenientis quod quærit animum, exercet tamen quærentis ingenium, vt aut nouerit se quærendo & nihil inueniendo nescire, quod se forte nosse præsumpserat, & ignorantiæ suæ consequenter admonitus, quod sibi deesse videret, solicitus quærat; quod inuenerit, teneat; quod tenuerit, perseueranter exerceat, aut si quod sibi de diuinis litteris propositum fuerit salubriter tractare, ac sufficienter explicare potuerit, non de inuentione infletur, sed in Domino, qui intus illuminauit, glorietur: quia scientia sicut sine dono Dei, quod est caritas, inflat, ita si caritas admisceatur doctrinæ quantumlibet simplici ædificat. Duplex verò mihi loquendi se causa offert. Vna videlicet, vt tuæ caritatis satisfaciam petitioni: altera, 1. Cor. 8. *vt ingeniolum meum ne torpescat pro pleniori scientiæ intellectu captando vtili & sedulo labore exercitem. Itaq; quod hortaris orationibus tuis adiutus confisus in Domino, cuius amore singula facimus, aggrediar opus. & quamuis sufficienter id me non posse explere certissimè sciam, tamen quantum valeo extendam vires. Vt autem placeat magis meus vt cunq; labor, cum reciproca dulcis oratio pergat, & maiorem delucidæ veritatis de se præbeat opportunitatem, per modum dialogizandi incedam, vt tentationum suarum grauamina exponens monachus interroget, & opportuna quantum Deus dederit remedia contra easdem conficiens Abbas respondeat. Nec mireris, si aliquando cæptum videar deseruisse, & alium introduxisse sermonem, neq; enim superfluitatis arguendus sum, si causas necessarias necessarioribus compensabo. Rursus, si in respondendo non semper cuilibet quiuero satisfacere quæstioni: non idcirco abiicias laborem, quia magis conflictus intendo monstrare, quam vincere. Æstimo enim superius generaliter pluribus satisfactum tentationibus. Nũc itaq; incipiamus sermonem.*

CAPVT I.

DE TENTATIONIBVS GENERATIM.

Iob. 7.

MONACHVS. Cum iuxta scripturæ testimonium militia sit vita hominis super terram, quæ quidem militia nihil aliud est, quam tentatio, in qua pauci experti & probati inueniuntur, magnus sedulo me occupat timor, quo omnia etiam interiora cordis mei conturbantur: quia cum fortes etiam plærique, vt cernitur, ab hoste prostrati cadant, quid ego infirmus homuncio facturus sum, qui nec fortitudinem habeo, nec dimicandi experientiam? Quoniam quidem in ambiguo constitutus coarctor nimis, è duobus eligere alterum compellor, aut vincere, aut vinci, Sed his quoque grauius quidpiam accedit, hostis videlicet astuta experientia, qua non solum infirmos, sed & fortes quoque grauiter oppugnat. Volebam quidem quando de seculo ad religionem auolaui, eius fugere insidias, & grauius heu me sentio impugnari. Siquidem ad comparationem eorum, quæ sustinui in seculo infinitè quasi grauiora sunt, quæ patior in religione. Nam, vt cætera taceam, tantis nonnunquam agitor cogitationibus, vt mori potius liberet, quam viuere. Quæ foris non noui, iam hic experior certamina. Sicut apes in feruore æstatis, ita me cogitationes immundæ plærunque offendunt. Volo abigere, & fortius insurgunt: repello, & vehementius conualescunt. Non datur pax misero, ñ e vnius quidem horæ quiescendi locus. Tempus orationis sine pugna non transit, nox diem excipit, & dies noctem ten-

Queritur se fœdis cogitationibus obrui.

tentationibus plenam resumit; intestina bella grauissima sunt & periculo proxima. Nec his solum vexor, quinetiam à fratribus & falsis hominibus infinita perfero incommoda. Tantus est dolor mentis meæ, quantus nec exprimi potest. Et in his non est consolator mihi. nemo est, qui doleat vicem meam, omnes recesserunt à me, obliuioni datus sum tanquam mortuus, opprobrium factus in fratribus meis, & ridiculum cunctis videntibus me. Quid mihi longa cruciatio vitæ? melius est cito mori, quam male viuere.

ABBAS. Quousq; talia loqueris frater? nihil sine causa fit. Deus iustus est, tolle querelas, nunquid tu solus tentaris? nunquid iniuriam pateris? vel tu solus in conspectu altissimi mundus apparuisti? Memento obsecro sententiæ Apostolicæ, qua dicitur. *Omnes, qui piè volunt viuere in Christo Iesu, necesse est, vt persecutionem patiantur.* Sed ecce cum Christianitas iam in pace quiescens, vt ita dixerim, cum principibus suis habeat pacem, vinculis non clauditur, sed carcere, flagris & verberibus non cæditur, nec diuersorum generatormentorum, vt Christum abneget, applicantur, sed hæc specialis tentatio præcessit, & abiit, eo quod Nero mortuus sit; generalem tamen vt in Christo piè viuat sustinet persecutionem, cuius quilibet homo in sua carne habet originem. Illa enim est magis noxia persecutio; non quam materialis intorquet seueritas, sed quam vitiorum parit aduersitas. Virtus enim & vitium se inuicem oppugnant, caro concupiscit aduersus spiritum; mundus decipere nititur simpliciter gradientem. Tunè solus hac persecutione impugnaris? nunquid tu solus in Christo piè viuere cupis? Omnes Dei sumus, omnes Deo appropinquare cupimus. Scito te igitur tot socios habere in tentationibus, quot in spe habes participes. MONACHVS Verum est quidem quod loqueris Pater: omnes oramus, *Adueniat regnum tuum.* sed non omnes æqualiter possumus. Sed est alia mihi anxietas, quæ mœroribus duplicatis meos sensus inuoluat, & mordacibus stimulis inexplicabiles curas imponat. ABBAS. Quænam est illa? MONACHVS. Mouet me plurimũ, quod cum talibus tentamentis, & cum tam obstinati morbi certamine mihi soli contigerit, dimicare, cum alios nouerim & mitioribus plagis esse correctos, & compendioso luctamine extitisse victores. Cur mihi Dominus non cum cæteris certamen indixit? cur me non sicut cæteros castigauit? Ego miserior & infelicior cunctis, solus in hac domo tentationibus premor: cæteri liberi sunt, nullis vel raris admodum pulsantur illecebris. ABBAS. Dum incautius loquendo multum querularis, præsumptionis crimen incurris, quasi tu solus in hoc cœnobio tentationibus pulseris. Sed esto. Si solus pugnas, solus coronaberis victor. Nec debes in tam arduò certamine constitutus de humilibus cogitare, inferiora enim sunt præmia inferioribus pugnis. Vbi deniq; fortia fortibus imperantur, fortiorem fortior muneris sequitur census, & ideò ignominiam iudicat fortis cum inferiore componi, magnus est enim, qui vicerit magna. deuotionis est maximæ maxima sustinere. ingentis virtutis est ingentia superare. Solus non es, multos profecto habes commilitones. Tibi nota est pugna propria, incerta est tibi aliena. Noli aduersus Dominum murmurare, alioquin non cedet tibi in prosperum. Nihil enim impium pietas parit, non tentat, vt perimat, sed probat, vt approbet. Nam qui superna reguntur potestate & intermundi miserias milleformes corrigendi versamur: nec nostrum est de potestate Domini, aut plagas eligere, aut alia certamina, quæ ferendo vincamus, sicut nec seruorum est de Dominis eligere genera flagellorum. Nunquam enim ex arbitrio pœnitentis, pendet licentia verberantis. Potestatis est emendare, conditionis subiacere. Regis est onus imponere, militis sustinere. Quippe cum ab ipso rege nihil geratur iniustum, qui sub legionibus pro virium qualitate bellicos sudores imponens fortes mittit ad fortia, inferioribus competentia iubet, vt nec inferior contra proprias vires certamine potentioris arcetur, nec potentior inferioris certamen degradatus meritis humilietur, & dum hoc agitur, vt nullus in alieno minoretur, aut certè succumbat, omnes cupit esse victores. Vnde huius nostri regis in imponendis luctaminibus discretionem intuens Apostolus ait. *Fidelis Deus, qui non sinit nos tentari, supra id quod possumus ferre, sed dat cum tentationibus etiam exitum, vt possimus sustinere.* Ipse enim, qui finxit cordafiliorum

Fortius pugnantibus maiora parata præmia.

Nostrum non est eligere tribulationis genus.

1. Tim. 3

Gal. 5.

Matt. 6.

1. Cor. 10

rum hominum vires metiť singulorum, & vnicuique iuxta posse suum proprium portabile certamen indicit. MONACHVS. Quia vero semel cæpi, loquar ad te patrem meum: & vnicum post Deum animæ meæ solatium. Rogo, ne ægrè feras sermonis mei importunitatem, quoniam verecundia mihi est de singulis te interrogare, quibus me sentio grauari. ABBAS. Vtinam tibi, quantum volo, possem conferre, dilectissime frater, nullus mihi grauis videretur labor. Animæ tuæ licet immeritus datus sum pastor, & ideò quicquid pro salute tua, & omnium fratrum tuorum me contigerit laborare, libens impendam. Sed & tibi præ cæteris magis reddor solicitus, quem meis in omnibus cerno parere mandatis. Cordis igitur tui salua honestate grauamina pande, & quicquid volueris auxiliante Deo secundum vires meas sine inuidia communicabo. MONACHVS. Grates habeo immensas, carissime ac venerande Pater, quoniam tanti habitus sum apud te. Concedat omnipotens condignis id me promereri precibus. ABBAS. opus non est longos pertrahere sermones, sed necessitudo loquatur duntaxat, non ambitiosa voluptas. MONACHVS. Antequam tentamentorum meorum fœda denudem vnum à te Pater interrogo, quod mihi velis, obsecro, exponere, quid causæ sit, vel esse possit, quod ego, vt nosti, præ cæteris tot agiter tentationibus, tot tantisq; turpibus pulsor cogitationibus, vt quanto diligentiam adhibeo maiorem, tanto plures videar contra me suscitare pugnantes: non enim sine causa tanta ingruunt aduersa. ABBAS. cuiusmodi est ista quæstio? nunquid Deus ego sum, vt causas intelligam singulorum? iudicia Dei abyssus multa, & quis inuestigabit ea? supra vires paruitatis meæ est ratio, quam quæris. In tractatu præcedenti, vbi causas nonnullas tentationum assignaui, super his pateris inquirere sententiam. Veruntamen, quæ tibi tuæ tentationis videatur esse causa expone, & tunc opinionem quoque meam referabo. MONACHVS. Quem sentio pudet efferre sermonem, ne tinniant ambæ aures Paternitatis tuæ, quia stolidus plurimum est. Quando se aduersis quassatam mens mea querulatur infirma, confestim cogitatio quædam maligna insurgit, qua audeat dicere. Cuncti actus tui omnipotenti Deo displicent, & idcircò variis te finit tentationum fluctibus impeti, quatenus dum hosti succumbis offensam intelligas creatoris. Si enim diligeret te: non pateretur tantis subdi calamitatibus. ABBAS. Contra hanc inimici suggestionem, si tamen ipsius suggestio, quid Dominus dicat in Apocalypsi Ioannis sedulo ad mentem reducito. Ait enim. *Ego quos amo arguo & castigo.* Si vis, vt ab ipso ameris, pati quoq; debes vt tenteris. Scio enim perfectos solere viros, non solum in spe, sed & in tribulatione gloriari, consolante eos scriptura, ac dicente. *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Et iterum. *Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit.* Et, quoniam *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.* Speciale iudicium est amoris, si diuersis tentationibus concutiaris. MONACHVS. Si meus est amator Deus, cur me igitur amatoris mei flagella graui laceratione mestificant, & lædendo conturbant? Si me amplexibus flagellorum torquet, qui amat, iam partes odii falsus amor exercet, iam male oderit, ne torqueat. ABBAS. Imò caue ne oderit, roga vt amare dignetur. Amor enim emendat, odium verò supplicium comminatur. Amor disciplinam consueuit impendere; odium verò dictante sententia reatum recitare. Tentantur iusti, tentantur & mali. Et sicut sanctis & electis tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit: sic damnandis & reprobis tribulatio parit è cõtrario pusillanimitatẽ, pusillanimitas pturbationẽ, pturbatio desperationẽ, & illa dãnationẽ. Ne ergo hæc te tam horrenda, quod Deus auertat, demergat tempestas aquæ, ne huius tam tremendi abyssi absorbeat profundum, neuè vrgeat super te tam inexplebilis puteus os suum. solicitè studeas teipsum discutere, & vtrum ex amore corrigaris, vel odio indagare. MONACHVS Sed quomodo id sciam, vel vnde, qua causa tribuler intelligam? ABBAS. Breue tibi super his, sed verum dabo responsum, quo facile, an ea, que pateris, verbera sint diligentis, vel flagella irascentis intelliges. Si te in numero illorum ascriptum confidis, de quibus nuncii æterni regis præcinebant. *pax est in terra hominibus bonæ volun-*

Tribulatio propria iustorum.

Apoc. 3.

Eccle. 27.

Psal. 33.

Act. 14.

Rom. 5.

Vnde cognoscatur

flagellum esse Dei diligentis.

voluntatis, quicqd pateris aduersi, amoris indicium est, & in cumulum tibi cedet meritorum. Bona enim voluntas Deo proximum facit. Si huius boni feruore occupat, si ex toto corde summo regi in veritate complacere desideras, si conscientia te non remordet saltem de præsenti, tentatio exercendæ virtutis tibi materia est, non causa vindictæ. Nihil enim facilius bonæ voluntate, quæ aspera planat, dura mitigat, cuncta superat aduersa. Mali autem quia conscientiæ suæ reatu mordentur, nec bonæ voluntatis mucrone se defendere norunt, completur in eis illa sententia, qua dicitur. *Duplici contritione contere eos.* Et. *Descendant in infernum viuentes.* Viuens in infernum descendit, quem conscientia rea deprimens pœnam, quam ibi sine fine passurus præsenti facit inchoare miseria. Sed ad ordinem vnde paululũ digressi sumus sermocinando reuertamur. MONACHVS. Placet, quod vis, omissus sermo producatur in medium. Quia verò duplicem tentationis asseris finem, peto, vt mihi edisseras, quomodo Deus dicatur irasci, vel odisse hominem, quem creauit: cum fides teneat catholica, nullum in Deum cadere accidens gaudii vel meroris, quippe qui immutabilis est, nec vllo vnquam modo mouetur. ABBAS. Omnipotens Deus incommutabilis natura, ineffabilis maiestate, irasci dicitur, non animæ motu, vel qualibet perturbatione, quæ illi omnino accidere non potest, sed creaturæ delinquenti, id est, hominibus impiis & peccatoribus iustam dicitur inferre vltionem, hoc est, reddere illis quæ merentur. Et hæc est vltio diuina: iste furor eius dicitur. Iustus est enim, & ideò omnis iniustitia execrabilis est illi, quam nullo modo impunitam transire patitur. Odit, dum offenditur, irascitur, dum non rogatur offensus. In odium n. sui prouocat Dominũ, qui factis odibilibus & odibilẽ facit, & offensum rogare contemnit. Et enim amat Deus hominem vt artifex fabricam, sed odit mala opera, quibus fabrica vrgetur in lapsum. Ergo qui mala opera odit, malorum operum non potest amare factorem, sicut Salomon sapientissimus protulit. *Odio*, inquit, *sunt Deo impius & impietas eius.* Quem si tribulari permiserit, vel vt tentatione instructus respiret ei talis accidit quassatio, vel si emendare contempserit, qualia habeat sustinere in inferno etiam in carne positus sentit. MONACHVS. Quid putas, estnè credendum aliquos damnandorum in hac vita carere tentatione? vel certè si aliqui tribulantur, cur non æqualiter?

Ierem. 17.

Psal. 54.

Quomodo Deus dicatur irasci.

ABBAS. Omnes quidem tentamur, sed non omnes æqualiter, quia DEVS moderator omnium iustissimè cuncta disponens nihil sine causa permittit. Via enim, quæ vergit ad regnum, angusta est, & pauci ambulant per eam: quoniam sine magnis tribulationibus optatum nemo victoriæ consequitur triumphum. Hinc soli viæ patet palatium cœli, cæteræ verò voluptatum anfractibus tortuosis regionem flammiferam petunt. De quibus Salomon ait. *Sunt viæ, quæ videntur hominibus iustæ, quarum finis tendit ad mortem.* Et per has vias, illi præcipites gradiuntur, quibus cursus inimicę vitæ blandimentis fallacibus adulatur, quos fallit fudum tempus & decipit, recipit interitus & concludit, quos prospera mundi alliciunt, qui in bonis ducunt dies suos, & in puncto descendũt ad inferos. Sic infelix felicitas in interitum pronos & labiles ducit, & cum dicunt, pax & securitas, repentina eis superueniet calamitas. Nam quos infideliter ducit secũdarum rerum iter incertum, vitaq; malè iucunda, necesse est in irreuocabilem lapsum subitaneus casus impingat, sicut Salomon testatur. *Sicuti*, inquit, *qui impauimento cadit sic casus malorum festinanter veniet.* Hi sunt proculdubio, qui non merentur alicuius miseriæ vẽtilatis fatigationibus agitari, quibus æterna ægritudo nutritur, nec verberari cum sanctis Domino castigante, cum quo post flagella regnetur. Quorum Dauid meminit dicens. *In laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideo tenuit eos superbia*, &c. Profecto qui in laboribus hominum non sunt, in laboribus dæmonum erunt. Nam quos in hoc mundo permittente Deo prospera eleuant, nec vlla purgant aduersa, aut perfecti sunt, aut purgatione indigni: *Qui autem non est tentatus, qualia scit?* Deus enim pater filios, quos recipit castigationis flagello erudit. Aurũ, quod ignis non probauit, summus noster artifex spernit. Cernis igitur medicinali flagello, immeritos despici, & meritos amabiliter castigari, Parens enim omnium Deus

Matt. 7.

Prou. 14.

Tribulatio communis bonis & malis.

Eccle. 20.

Psal. 72.

Eccle. 34.

DEVS est, vt medicus fidelis erga susceptos, & genitor circa liberos suos, quos amat, sic ferit, vt castiget, non occidat. Ergo felix est, qui vapulat, vbi amoris est plaga. Beatus, quem superni verberis remedium curat, corrigit, emendat, atque componit. MONACHVS. Antequam memoria labatur, tentatio in bonis vtrum semper meritum habeat, mihi cupio declarari. ABBAS. Iustus, secundum quod dicit Apostolus, omnia quæ facit, ad gloriam Dei agit: & DEVS cum summè bonus sit, omnia timentibus se conuertit in bonum. Scimus enim, quoniam timentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Æterna siquidem sapiẽtia attingens à fine non solum fortiter, sed & suauiter omnia disponit. Nihil enim contrarii sapientiam corrumpere potest. Profecto, qui Dei gloriam in omnibus quærit, vtilitatem propriam in singulis recipit. Qui cunctorum metuit conditorem, omni meretur congruentia subleuari. Siue aspera, vt purgent, siue prospera, vt demulceant fideli suo Deus omnia irrogat ad vtilitatem. MONACHVS. Sed vbi est obsecro illa sapientis sententia, quoniam *nescit homo, an amore vel odio dignus sit?* Quis in tantis aduersitatibus se Dei miseratione æstimet dignum? ABBAS. Stulta est huiusmodi quæstio, & diuinæ dispositioni pœnè contraria. *Qui obseruat ventum, non seret: & qui considerat nubes nunquam metet.* Semen suum rusticus spe roboratus iacit in terram: de fructu autem certitudinem non habet. Filios suos parentes scholæ legibus subiiciunt, & quid de eis futurum sit prorsus ignorant. Negotiatores spe lucri maria peragrant, ignotasque prouincias incerti perlustrant. Venatores diebus ac noctibus in solitudine vagantur incerti, quibus sola spes omnis laboris exemit onus. Denique piscatores spe tantum subnixi retia sua laxant in capturam. Et, vt plura breui comprehendam sermone, omnis actio humana spe finis consequendi, non certitudine intenditur. Nam sicut pisces in aqua, ita homines, quamdiu carne teguntur mortali viuunt in spe. *Omnia enim in futurum seruantur incerta,* vt dum de se homo fiduciam non habet, spei opera faciat, donec veniat certitudo. Non ergo certitudinem quæras in via, quam consequi non potes nisi in patria. MONACHVS. Placent, quæ dicis. transeamus iam obsecro ad pugnas singulares, quibus maior inest fortitudo. ABBAS. vt vis fiat. aperi cordis tui angustias, & pro modulo paruitatis meę de scriptis sanctorum Patrum remedia salubria adhibere curabo.

Colos. 3.
Rom. 1.
Eccl. 9.
Eccle. 11.
Eccl. 9.

CAPVT II.

DE TENTATIONIBVS CONTRA FIDEM.

MONACHVS. Iniqua mihi cogitatio, quam fari quidem erubesco, nolenti plerũq; importunè satis occurrit, quæ audeat mussitare, Dominum nostrum Iesum Christum, in quem firmiter credimus, nõ illum esse, de quo prophetę præcinebant, sed adhuc verum esse venturum, sicut impietas docet Iudaica. Hæc me pluries fatigare consueuit impugnatio, nec vllis viribus eã expellere queo. Credo enim firmiter, & fideliter de Domino Iesu Christo omnia, quæ sancta mater credit Ecclesia: nec tamẽ ista cessat impiissima suggestio. Et quamuis potius mori, quam in ea delectari velim, vt tamen exemplo Dominico sacræ scripturæ iaculo hostem feriam, mihi paucis, quemadmodum congrediar, edisserere sermonibus. ABBAS. Antequam sacræ scripturæ testimonia huic cogitationi opponam, hoc quod sæpius superius me dixisse memini, te scire cõuenit, quoniam quidem cogitatio, quantumcunq; turpis fuerit, non polluit mentem, dum displicet, dum non cõsentit animus, dum voluntas renititur, & ratio. Cæterum an argumentationibus contra hostem in similibus tibi pugnandum sit non facilè definiam, eo quod astutus sit hostis, & tu in sacra scriptura minus expertus. Verũtamen in istis non æstimo magnum fore periculum, vbi certa sunt testimonia scripturarum. Validissima tamen contra hostem arma sunt orationes sedulæ cum lacrymis. sed vt tuæ satisfaciam vtcunque petitioni; quod Christus verus

Christum fuisse Messiam à patribus prædictũ. 1. Ratio.

sit Deus & vnus, qui venit in hunc mundum carnem assumere paucis sacræ scripturæ declarabo eloquiis. In psalmo 71. de Christo dicitur. *Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis, donec auferatur Luna.* Teste euangelio, tempore natiuitatis Christi fuit abundantia pacis, vt totus mundus sub vnius pacificè regeretur imperio, quę tam diu durauit, donec Christus ascendens in cœlum deuicta morte digna Iudæos sequeretur damnatio. Nam ascensionem Domini ciuitas eorum à Vespasiano & Tito Imperatoribus destructa ab omnibus pœne describitur historiegraphis, qui nullam causam huius desolationis, nisi passionem

II Domini nostri Iesu Christi assignant. Denique Iosephus sacerdos de gente Iudæorum, non ausus Iesum virum nominare, apertissime Christum eum appel-

III. lat. Validissima sunt testimonia etiam ab aduersariis prolata. Veniamus nunc ad

Dan. 9. prophetiam Danielis, vbi manifeste dicit iuge sacrificium & hostiam deficere in Christi aduentu debere, quod modo videmus impletum, dum sacrificium &

IV. hostia cessauit, & nec sacerdos sit, qui offerat, nec populus, qui porrigat. In Genesi quoque legimus Iacob in benedictione Iudæ dixisse. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de fœmore eius,*

Gen. 49. *donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* A tempore Saul primi regis Israhel, qui fuit de tribu Beniamin, cui de tribu Iuda Dauid successit in regno, non defecit dux de Iuda vsque ad Christum, quando primus alienigena Herodes à Romanis rex est constitutus Iudæorum. Herodes enim, sub quo natus est Dominus proselytus erat, nec pertinebat ad eum hæreditas regni. Verissima & fidelissima est hæc prophetia Iacob, & à spiritu sancto inspirata: cui nec ipsi quidem Iudæi contradicere valent. Et ne putares esse dictum de mittendo, qui Iudæos à captiuitate liberaret tẽporali, pulcherrimè adiunxit. *Et ipse erit expectatio gentium.* Neque enim gentiles in liberatione Iudæorum de captiuitate inimicorum suorum lætari credendi sunt, qui potius eos habebant aduersarios, sed in hoc expectabãt Christum, quo dictum

2. ad Abraham fuerat *In semine tuo benedicentur omnes gentes, &c:* Ecce sceptrum de Iuda ablatum est, defiit regnum, dux non est amplius in Israhel. Est & aliud euidens signum Christum in carne venisse, diuturna Iudæorum captiuitas. Sic enim in Daniele scriptum est. *Et erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationẽ & finem perseuerabit desolatio.* *Dan. 9.* In multis quoque sacræ scripturæ locis de extrema Iudæorum & perseueranti captiuitate à sanctis prophetatum legimus prophetis, quos laborioſum, longumque esset enarrare per singula. Antea etiam leguntur captiui iuisse in Babylonem, sed nullam hinc similem vnquam subiere captiuitatem. Nam in captiuitatem primo ducti in Babylonem nullam pœnam præter seruitutem sustinuerunt. In ista autem, qua modo tenentur, tanta eis opprobria hostes intulerunt, quibus similia nec visa, nec audita aliquãdo sunt. Occisi quidam & cremati sunt, & captiuorum more venditi. Adeo enim increuit venditio illa, donec pro vno argenteo captiui darentur 30. nec tamen inueniebantur emptores, sicut ante prædixerat Moyses: *Venderis inimicis tuis in seruos & ancillas, & non erit qui emat.* *Deu. 28.* Naues etiam illis impletæ sine vllo remige, vel gubernaculo vagari per pelagus sunt dimissæ. Et ecce iam mille quadringentos octoginta paulo minus annos in captiuitate impleuerunt, & adhuc quanto durare debeat tempore nullo scripto certum habent. Nunquam ante tanto tempore dereliquit eos in tribulatione Dominus, neque defuit eis propheta, nisi in ista tantum, quæ non reuertetur, donec iuxta Danielem consummatio fiat. Quamdiu enim in paterna manserint voluntate & fide, tamdiu proculdubio manebunt in eadem tribulatione captiuitatis. Dixerant enim Patres eorũ, qui crucifixerũt Dominũ: *Sanguis eius super nos, & sup filios nostros.* *Matt. 27.* Omnes libri pphetarũ de his luculẽtissime protestãtur. Deniq; legimus Dominũ dixisse. *Cerno q̃ populo duræ ceruicis sis semel descẽdã, & dispdã te.* *Exo. 3* Descẽdit Dominus noster Iesus Christus verus Dei filius carnẽ assumẽs humanã. Iudæos disperdidit incredulos, & gẽtes infideles ad fidem vocauit, sicut ad matrẽ eius Mariã Simeõ in tẽplo dixerat. *Positus est hic in ruinã, & in resurrectionẽ multorum in Israel.* *Luc. 2.* Lege prophetas, & si intelligis dicta eorum nulla te deinceps de hac materia cogitatio pulsabit. Ipsi enim de Christo vera locuti sunt, quæ omnia pro maxima parte cernimus impleta. Sed &

alte

alterum tibi dico, quoniam si dulcedinem internam Domini nostri IESV Christi vel modicè contemplando gustasses, scires vtique talibus facile obuiare certaminibus, quoniam IESVM scire summa victoria est. MONACHVS. Sed esto, quod per dicta Prophetarum Christum in carne venisse probabile, imò certissimum est, non tamen ilico praua suggestio discedit. Statim enim vno victus certamine aliud insidiando genus hostis malignus inquirit. Dicit namque rursus. Neque Iudæi verè credunt, neque Christiani, sed figmenta sunt quæcunq; scripta eorum. Neq; enim Deus est, quem ipsi colunt, neque sancti sunt, qui forte putantur. Alius ergo quispiam Deus est esse credendus: hunc me quærere necesse est, qui verus sit, quem cæteri homines ignorant, quia Deus verus ignotus est. sicut etiam propheta vnus ait ad Deum suum, quoniam *Deus absconditus es tu.* Hæc vtique pessima cogitatio sæpe menti posset occurrere. ABBAS. Dic mihi obsecro, si Deus, quem colimus, qui & Iudæis legem dedit, eo quod vnus sit, si, inquam, ipse non est Deus, quem mihi Deum alium demonstrare poteris. Si alium Deum nosti, dicito palã. MONACHVS. non noui. ABBAS. Si ergo Deum alium non nosti, præter eum, quem colimus, qui verè solus est Deus super omnia benedictus, malas & blasphemas cogitationes à mente tua depelle. MONACHVS. Deus noster, quem colimus, ipse solus fateor est Deus, sed nequeo cogitationes omnino radicitus extirpare. ABBAS. Igitur, si adhuc cogitationibus pulsaris, quales sint, velociter edicito, vt finem his de fide imponamus sermonibus. MONACHVS. Gentiles sapientissimos habuere Philosophos, qui Deum Israel ignorantes proprios sibi Deos colebant. num tot tantiq; sapientes errauerũt? ABBAS. omnia quæ in mundo sunt, vt oculis nostris cernimus, de necessitate mouentur. A quonam mouentur? nonne à Deo? Vtiq; à Deo. sed intellige, quod omne mouens fortius est suo moto, & tenens fortius tento. Qui autem cœlum mouet & terram, constat esse Deum, qui constituit omnia, & tenet, qui sine initio est, & sine fine, immortalis, æternus, nullo egens. Superior omnibus, passionibus non subiacet, nec diminutionibus, vt sunt ira, obliuio, ignorantia & his similia. Per ipsum omnia sunt constituta, non indiget sacrificio & libamine, aut alio cunctorum apparentium, sed omnes illo indigent. Et quoniam gentilium fecisti mentionem, si vis, breuiter tibi & eorum patefaciam errores, vt quantum à vera religione distent agnoscas. MONACHVS. Volo, & omnino desideranter id fieri exopto. ABBAS. Chaldæi igitur, qui in idololatria ceteris præeminebant, nescientes Deum errauerunt post elementa, & cæperunt colere creaturam potius, quam suum creatorem: quarum & imagines quasdam facientes, nominauerunt figuras cœli, & terræ & maris, solisque & Lunæ, & ceterorum elementorum, & luminarium, & concludentes in templis adorauerunt, Deos vocantes eos, quos seruant diligenter, ne rapiantur à furibus. Et non intellexerunt, quod omne quod seruat maius est seruato, & maius est faciens quam factum. Qui ergo cœlum Deum dicunt, errant, quia videmus ipsum volubile & secundum necessitatem motum, & ex multis constitutum. Astra etiam ordine & spacio feruntur de loco ad locum, de signato ad signum, & nunc quidem occumbunt, nunc verò rursum oriuntur. Deus autem, quia incommutabilis est, hæc omnia creauit. Sol & Luna eclypsantur, quod Deo omnino non conuenit. Qui autem terram Deam putarũt, errant. Videmus enim illam à nobis conculcari, & contumeliam pati, ac dominationi hominum subiacentem, defossam & conspersam, & inutilem factam. Nam si igne torreatur, efficitur mortua. insuper & stercoribus animalium corrumpitur, & ipsa & fructus eius sanguine interfectorum inficitur & inquinatur, effoditur, impletur, mortuorum theca fit corporum. Constat ergo terram Deum non esse, quę tot tantisq; subiacet passionibus. Qui autem putauerunt aquam esse Deum, non minus errauerunt, cum & ipsa ad vsum facta sit hominum, & dominationi eorum subiaceat. polluitur, corrumpitur, & immutatur, calescit, & tingitur coloribus, & frigore congelatur, & cruoribus inquinatur, & ad cunctarum sordium ablutionem assumitur. Impossibile est ergo aquam esse Deam, sed opus Dei. Ignis etiam DEVS non est, quem Chaldæi antiquitus coluerunt, & adhuc multi colunt, quia & ipse ditioni subiacet hominum, circumfertur

Isa 45.

Ethnicorum errores de Deo.

* *Elementa nõ esse Deos.*

de loco ad locum, & accenditur ad elixandas carnes diuersas & assandas. Sed & mortuorum corpora comburit, corrumpitur etiam multis modis ab hominibus, & extinguitur. nequaquam ergo Deus est æstimandus. Qui vero aerem Deum putauerunt, errant: qui & ipse multis subiacet corruptionibus & passionibus, vt cerni datur ad oculũ, quoniã diuersas ex sua corruptione sustinet iniurias, fetoris, impssiones malas, nebularũ quoq; densitate obfuscatur, & venenatis inficitur collisionibus. Quomodo ergo posset esse Deus, qui tãtis iniuriis & passionibus corrũpit? Ecce paucis æstimo declaratũ, quoniã elemẽta Dii non sunt, cũ omnia subiaceant corruptioni, sed opera vnius Dei sunt, qui est primũ mouens, & causa omniũ creatorũ. Frustra igitur cogitatio his contraria de cætero te pulsabit. MONACHVS. Sed quid de Diis Græcorum dicis, videlicet de Saturno, de Ioue & similibus, nunquid & illi non sunt Dii? ABBAS. *Omnes Dii gentium dæmonia,* & vasa malignorum. Græci etenim dicentes se esse sapientes qui idola colunt stulti facti sunt, deteriores, & insipientiores Chaldæis, quoniam Deos plures factos esse affirmant. Certè quicquid factum est, ab aliquo factum est, quia nemo facit seipsum. Si ergo Dii plures facti sunt, à quo facti sunt? Et quis factorem eorum fecit? Seipsum feciſſe impossibile est. ab alio fieri non potuit, supra quem alius non erat. Constat ergo vnum esse principium, qui Deus est omnium, qui homines quidem creauit, & cętera: deos autem nec creauit, nec fecit, qui ipse solus Deus est. Gentiles autem multos Deos factos mentiuntur, alios quidem masculos, alios fœminas, quibus & singula imposuere nomina: sed reuera non sunt Dii, sed homines fuerunt, omnium vitiorum, cunctarumq; actores iniquitatum, quos non virtutis excellentia, sed vitiorum enormitas hoc nomine appellauit. Tales enim sibi Deos elegerunt gentiles, quorũ vestigiis inhærentes securius adulterent, rapiant, occidant, & omnia mala faciant. MONACHVS. Multum vituperas Deos gentium, quos & homines sceleratos extitisse affirmas, sed nihil eorum, vnde respuẽdi sint, ostendis. Non est sine suspicione dãnatio, vbi non exprimitur crimẽ. Si sceleratos vocas, quid fecerint edicito. ABBAS. Non me æstimes sine causa sceleratos vocasse Deos gentium, quia vt Poetæ fingunt eorum, sceleratissimi etiam extiterunt. Inducunt nãq; ante omnes Deos Saturnum, cui & filios suos olim sacrificare consueuerunt, qui genuit multos pueros de Rhea, & insaniens comedit filios suos. An non magnum sit scelus proprios deuorasse natos? Aiunt autem Iouem sibi abscidisse virilia, & proiecisse in mare, vnde Venus fabulosè fuerit nata. Alligans verò suum Patrem Iupiter proiecit in tartarum. Ecce quam sceleratus hic fuerit, qui principatum fertur tenere Deorum. Secundus verò inducitur Iupiter, quem regem ferunt Deorum, & transformatum in animalia vt cum mulieribus adulteria committeret mortalibus. Dicunt enim eum formatum in taurum propter Europam: in aurum ꝓpter Dianam, & in cygnum ꝓpter Lidam. & in Satyrũ propter Antyopen, in fulmen propter Semelen, & ita genuisse ex his filios multos quos nominare foret tœdiosum, & nouem filias, quas vocauerunt musas. Deinde inducunt de Ganymede. Hos Deos imitati sunt gentiles, quorum facinora narrare horribile puto, & facti sunt adulteri, & masculorum concubitores, & aliorum operum patratores secundum imitationem Deorum suorum. Quomodo autem creditur Deum esse adulterum, aut Sodomitam, aut parricidam? Denique inducunt Vulcanum quendam Deum, & istum claudum, & tenentem malleum, & forcipes, & ferrariam artem exercentem victus gratia. Ergo egens erat, quod non conuenit Deum esse, nec claudum. Hunc sequitur Mercurius, quem dicunt esse cupidum & furem & auarum, & magum, & versipellem, & sermonum interpretem, sed non conuenit Deum esse talem. Æsculapius etiam Deus eorum est medicus, potiones & emplastra victus gratia componens. O pauper DEVS, qui non habet vnde viuat, nisi arte quærat panem, quem comedat. Tam etiam potens erat, vt à Ioue propter Darii Lacedœmonis filium fulmine interiret. Mars DEVS belligeratur, eorum zelotes, cupidus ouium & aliarum rerum, fallax & fraudulentus adulterio cum Venere perpetrato & ipse à paruo Cupidine & Vulcano ligatus phibetur. Bacchũ verò inducũt esse Deum

Psal. 95.

Nec Iouem. Saturnum, &c.

Deos gen. tilium fuisse scelestos.

Deum nocturnas agentem festiuitates, & magistrum ebrietatis, & euellentem vxores proximorum, furiosum, & fugitiuum. Nouissimè à tyrannis occisus est. Herculem etiam inducunt DEVM & ebriosum fuisse, & insanum, & suos occidisse, et ad vltimum igne consumptum interiisse. Apollinem quoq; inducunt esse Deum zelotem, & arcum ferentem ac pharetram: aliquando verò cytharam, aut tibiam, & diuinātem hominibus mercedis gratia. Dianam verò inducunt sororem illius fuisse venatricem, & arcum habuisse cum pharetra, & hanc errare in montibus solam cum canibus, vt capiat ceruam aut caprā. Venerem autem dicūt etiam Deam esse adulteram. Adonidem quoq; inducunt Deum esse venatorem, & hunc violenter mortuū esse apro plagatū, nec potuisse auxiliari miseriæ suæ. Ecce Dii tui Roma, quos ante Petri & Pauli prædicationē colebas. Hæc omnia & multo turpiora & maligna gentiles olim introduxerunt de Diis suis, quæ neq; dicere congruit, neq; in memoriā omnino deferre. Si igitur perfida te cogitatio pulsauerit, oppone stultitiā gentilium, & præ verecundia nihil horum poteris amasse. De omnibus enim Diis suis talia gentiles induxerunt: quos si quis Deos æstimat, aut insanus est, aut bestia. Vnde sumentes homines occasionem à Diis suis, perpetrauerunt omnem iniquitatē & luxuriam, & impietatem, polluentes terram & aerem prauis suis actibus & iniquis. Ægyptii verò sceleratiores & stolidiores omnibus existentes deterius omnibus errauerunt. Nam bruta animalia Deos habuerunt, terrena videlicet & aquatica, oues & boues &c. arbores & germinantia, & contaminati sunt omni insania & luxuria deterius omnibus. Nam quidam eorum coluerunt ouem, quidam vero hircū, alii verò vitulum & porcum, nonnulli verò eorum & accipitrem, vulturem & aquilam, alii verò crocodilum, quidam autem catum, & canem, & lupum, & simiam, & draconem, & aspidem, & alii cæpe & allium, & alii spinas cæterasq; creaturas. Vnusquisq; pro DEO colebat, quod volebat. Solum verum DEVM apud illos coli erat illicitum. En quo nos duxit stultitia gentilium. Certe in his nihil veritatis reperitur, quod colendum sit; consequens est ergo, vt praua cogitatio cesset, aut DEVM verum, si potest, demonstret. MONACHVS. Expulsis erroribus gentilium alia posset forsitan suboriri tentatio, quæ diceret, verum DEVM esse, quem Iudęi colunt, quia ipse mundum creauit, & idcirco fidei ipsorum esse inhærendum. ABBAS. Verum est, Iudæi verum Deum colunt, sed non secundum scientiam. Nam Christum negant filium DEI, & sunt quodammodo similes gentibus, licet aliquo modo veritati videantur appropinquare, à qua seipsos elongauerunt. Hi sunt filii Abrahæ secundum carnem tantum, quos Dominus duxit de Ægypto in manu potenti, & brachio forti, qui & ipsi sæpe idolis seruierunt, & missos ad se prophetas occiderunt. De eorum stirpe nasciturus fuerat DEI filius secundum carnem, non propter probitatem ipsorum, sed Abrahæ, Isaac & Iacob, quibus hoc DEVS pater promiserat olim. Ipsi enim semper à die, quo eos de Ægypto liberauit, ei restiterunt, quorum multos rebelles occidit in solitudine. Sæpius etiam peccatis suis exigentibus captiui ducti sunt, quia non erat cor ipsorum rectum coram eo. Deinde postquam placuit filio DEI vt veniret in terram, ex Maria virgine carnē de stirpe Dauid filii Abrahæ pro nobis passurus assumpsit: quem ipsi non solum recipere recusarunt, verum etiam morte turpissima condemnauerunt, tradentes eum Pilato pręsidi Romanorum ad crucifigendum, immemores beneficiorum eius, & innumerabiliū miraculorum, quæ inter eos operatus est, & perierunt propria iniquitate. Quamuis, ergo verum DEVM colant, quia tamen eius vnigenitum filium abnegant, non veniat in sortem eorum anima mea: DEVS noui testamenti, & qui vetus dedit vnus est, quem solum DEVM in sancta Trinitate colimus, & adoramus: ipsi gloria in secula. MONACHVS. Sedatis vtcunq; tumultibus cogitationum circa prædicta occurrit alia quædam satis & ipsa turpis & illicita, contra quam, quomodo resistendum sit, me, peto informes. Dicit enim. Quomodo sub tam parua forma panis totus Christus potest cō-tineri? Et nititur affirmare, non esse ibi corpus Christi, quod etiam nefas est cogitare. Hæc me cogitatio sæpe multum vexauit, & tanto mihi est grauior, quanto

Ægyptiorum Dii absurdi.

Iudæi non verum Deum colani.

Tentatio de S. Eucharistia.

illam inuitus experior. Nunquam mihi placuit huiusmodi suggestio, sed semper dolui vehementer, quoniam totam plerunq; abstrahit deuotionem, & pusillanimem me reddit ac tristem. Si quid igitur nosti, quod hic queat mederi doloribus, mihi velis insinuare fideliter obsecro. ABBAS. Hac ego plures vidi & audiui laborare pugna, deuotas admodum & religiosas personas, quibus ista cogitatio tormentum extitit, non voluptas, sicut propria ipsorum didici relatione. Quod his respondi, quia consolationem quæsierunt à paruitate mea, tibi quoq; responderim: quoniam non est nobis contra huiusmodi tentationes sermone pugnãdum, aut sophismate, sed oratione & patientia. Fidelis est Dominus, qui non sinit nos tentari supra id quod possumus sustinere. Non sunt metuendæ hæ suggestiones, quoniam ad hoc solum hostis antiquus aspirat, si quo modo ad pauorem nos inducat, & pusillanimes reddat. Ipse enim, cum mille artifex sit, diuturna experientia didicit nihil sic obesse omni Christiano, & maxime claustralibus personis, quam tristitiam & pusillanimitatem. Ex tristitia enim oritur acedia, ex acedia negligẽtia & tepor in ꝓposito sancto, ex negligentia otiũ, ex otio tentatio, ex tentatione suggestio, delectatio, consensio, opus, consuetudo, perseuerantia, necessitas, quam sequitur desperatio, & damnatio perennis. In hoc etenim diabolus laborat, vt per tristitiam nociuam sancti propositi feruorem extinguat. Sed si machinas eius nos senserit spreuisse, statim confusus abscedit. De hoc autem venerabili sacramento nulla est ambiguitas, quoniam verum corpus ibi Domi-

2. Cor. 10.

nicum sub specie panis continetur, & sumitur. Sunt enim in illo sacramento quædam secundum naturam, quædam supra naturam, sed non supra intellectũ, q̃dam vero supra naturam & supra intellectum. Supra naturã sunt ibi accidẽtia sine subiecto, vt color, sapor, rotunditas, & huiusmodi, sed non sunt supra intellectum, qa intellectus bene intelligit accidentia sine subiecto per abstractionem. Deus autem potentior est in operando, quam intellectus in intelligendo. Supra naturam & intellectum est, ibi Christus, etiam in tanta quantitate, in quanta in cœlo viuus & verus, & nõ excedit terminos illius paruæ formæ, videlicet, panis. Vnde dicit Damascenus, quod sit ibi operatio supra naturam, & intelligẽtiam. Fides ibi supplet, quod intellectus capere nequit. Nec habet *fides meritũ, vbi humana ratio capit experimentum.* Quomodo ibi integrum corpus sit noli discutere, si non vis errare: quia non est hominis intellectui datum diuina inuestigare, sed tantum credere mysteria. Deus enim cum omnipotens sit, & hæc & his maiora, quamuis supra intellectum nostrum, quoties voluerit, potest operari. Vnde scriptum est. *Omnia quæ voluit Dominus fecit.* Quoties ergo talis cogitatio insurgit, non est attendenda, sed mens ad alia cogitanda extendatur, donec huiusmodi vexatio quiescat. Quicunque autem semel sacratissimi sacramenti gustauerit suauitatem, non poterit deinceps aliqua etiam contraria sensisse. Absit à fidelium mentibus tam iniqua suggestio. Qui verò nolens & inuitus hanc patitur cogitationem, oret Dominum, & confidat, donec eripi mereatur.

In Euchãristia quæ sint supra naturam.

D. l. 4. orth. fid. c. 14.

Greg. hom. 26. in Euang

Psal. 113.

CAPVT III.

DE DESPERATIONE ET TRISTITIA MENTIS.

MONACHVS. Audiui te iam mentis tristitiæ mala, quæ ex tentationibus solẽt procedere describentem, & recordatus sum sententiæ sapientis, qui ait.

Prou. 17. Quoniam spiritus tristis exsiccat ossa. simul & mala, quæ plerunque sustinere compellor ad mentem mihi veniunt, & recordatio eorum nouum mihi parit dolorem, dum me id amplius passurum formido, quod grauiter sustinui ante. Æstimo enim in omni tentatione, quã patior, non esse

esse periculum maius, quo interueniente omnis profectus suspenditur. ABBAS. Quænam sunt illa, quibus te sic querularis grauatum? MONACHVS. Confusa mens ordinem nescit dicendorum, & dum simul prorumpit ad plurima, minus apta redditur ad singula. Itaq; desperationis fouea me transeunte per aduersa tribulationum os suum plerunq; super me dilatare conatur tam turpiter, tamq; potenter, vt omnibus tentationibus sola mihi hæc appareat grauissima. Solet enim dicere. Cum Dominus DEVS tot tantisq; tentationibus te permittat fatigari, non credo me sibi fore dilectum, sed magis causam quærere, vt damnet. Multas enim turpissimas cogitationes superstitiosas & malas tibi suggeri permittit, quæ non videntur amoris esse, sed odii. Nam si me diligeret, non sineret tentationibus concuti, quibus me nouit superandũ. In paruis enim plerunq; derelinquet luctantem, & in magnis quid faceret? ABBAS. Contra primam, quam proposuisti, cogitationem tibi breuiter respondet ipse Dominus per prophetam dicens. *Viuo ego, quia nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat.* Et in Euãgelio veritas ait. *Quia venit filius Dei quærere quod perierat.* Qui non vult mortem tuam, occasionem non quærit, vt occidat. Et qui dispersa colligit, collecta dispergere non creditur. Tentationes tibi infligi permittit, non vt damnet victum, sed vt remuneret victorem. Abraham per tentationes probatus est, Ioseph in Ægyptum venditus, Iob omnibus suis denudatus. Tobias lumine oculorum priuatus, Ioannes Baptista in carcere decollatus, sancti Apostoli lapidati, flagellati, occisi, martyres interfecti sunt, & multi iustorum persecutiones innumeras perpessi. Nunquid hos DEVS odio habuit? an ignoras scriptum, quoniam *regnum Dei vim patitur*? Nulla sine labore virtus, nullum sine hoste certamen, nulla sine congressione victoria. Reuolue vitas sanctorum Patrum, & multos inuenies sæpe turpissimis cogitationibus impugnatos, quos tamen certum est Dei flagrasse amore. Omnis autem exercitatio spiritalis vitæ in præsenti quidẽ mœrori proxima iudicatur, sed sustinentibus felicem exitum disponit. Deus, qui summè bonus est, nihil odit eorum, quę fecit, solã abominatur iniquitatem, sicut scriptum est. *Iniquos odio habui.* Ipse enim, quos diligit corripit, & arguit: flagellat autem omnem filium, quem recipit. Multos etiam permittit tentari, quos tamen scit esse lapsuros, quatenus agnita fragilitate propria discant de se non alta præsumere, sed in Dei solum adiutorio confidere. Semper adest certantibus, inuisibili suos gratia confortans, se tamen cœlat, tanquam non sit præsens, qui nolit auxilium præbere, & necessitatem dissimulat certantium, vt in adiutorium feruẽtius imploretur, & maior hosti confusio fiat, dum ab homine vincitur, quem DEVS videbatur ad tempus deseruisse. Sanctus quoq; Antonius cum consummasset obtenta victoria certamen cum hoste apparenti sibi Domino dixisse fertur. *Vbi eras bone IESV, vbi eras? quare à principio non adfuisti? vt sanares vulnera mea.* Cui Dominus respondit. *Antoni hic eram, sed expectabam videre certamen tuum.* Si sanctis suis præsentiam nonnunquam sui solet abscondere, quis tu es, vt eum semper tibi præsumas contrarium, quando eum non vides præsentem? Cessent huiusmodi querelæ: Si pugnare piget, nõ reportabis coronam. MONACHVS. Rursus dicit mihi cogitatio. Multa & grauia commisi peccata, de quibus nunq; verè contritus sum, neq; satisfeci, sed semper ad laxiora promptus præteritorum malorum, pro quibus lugere deberem, obliuiscor. Quid mihi supereſt, nisi aut infernus, aut grauissimũ purgatorium post hanc vitam? Nescio, an peccata mihi indulserit Deus, q̃bus eum toties tam grauiter offendi. ABBAS. Si scripturę sacræ credis dicenti. *In quacunq; hora peccator ingemuerit saluus erit,* huic facile resistes tentationi. Nec ideirco de Dei miseratione diffidendũ est, quia tantũ conteri & flere pro peccato nõ potes, quantũ desideras: quoniam quantũ potes tantũ sufficit. bona voluntas satisfactionis supplebit defectum. Nã quicq̃d vis, & non potes, DEVS profecto reputat. Fidelis Dominus & verax, qui non mentitur, q̃ paratus sit ad suscipiendum peccatorem conuersum per prophetã insinuat dicens. *Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat.* Et iterum. *Cum auerterit se impius ab impietate sua, quam operatur, & fecerit iudicium & iustitiam, ipse animam suam viuificauit.* Hæc quam fidelis sit promissio

Tentationes pati non est signum improbitatis

Ezec. 33.

Matt. 18.

Matt. 11.

Prou. 3.

Athan. in vita.

Tentatio alia pusillan.

Ezech. 18.

Ezech. 18.

in multis sanctorum liquidè patet, qui conuersi de pristinis peccatis maiorem à Domino gratiam percipere meruerunt. *Matt.26.* Intueamur Petrũ negationis suæ vinculis astrictum, sed compunctione cordis & lacrymis infidelitatis nodos resoluit. *Luc. 7.* Lego peccatum, sed pœnitentiam aliam non lego, nisi quia amarè fleuit. Maria peccatrix, de qua in Euangelio narratur, à Domino multorum remissionem meruit peccatorum, cui pœnitentia non legitur iuncta, nisi vt amplius caueret peccare. Saulus Ecclesiam DEI persequens, & in martyrio Stephani cooperãs *Act. 7. & 9.* Apostolus factus, & in vas electionis est commutatus, non solum peccatorũ percepit indulgentiam, sed gratiam quoq; à Domino consecutus est abundantiorem. *2. Reg. 11. & 12.* Dauid etiam in veteri testamẽto adulteriũ commisit & homicidiũ, contritione *2. Par. 36.* sola meruit remissionẽ. Manasses quoq; humiliatus in conspectu Domini & contritus, non solum peccatorum promeruit remissionem, sed & amissi regni celerem restitutionem. Quis modo audeat de Dei miseratione diffidere, vbi tot consecutæ indulgentiæ præcedunt exempla? Maior est enim DEI misericordia, quam omnis iniquitas humana. Ait enim. *Confide fili, Matt. 9. remittuntur tibi peccata.* Semper paratus est recipere pœnitentem, & expansis manibus in cruce pendens fugitiuum filium benignissime suscipit reuertentem. Latronem in cruce, licet serò pœnitentem misericorditer susceptit, cui & regnum *Luc. 23.* DEI sine dilatione promisit dicens. *Hodie mecum eris in paradiso.* Nullus ergo desperet veniam, etiamsi circa finem vitæ ad pœnitentiam conuertatur: quia vnũquemq; Deus de suo fine, non de vita præterita iudicat, sicut ait. *Qualem te inuenio, Ambr. in talem te iudico*: Hinc AMBROSIVS nos *Marcũ.* hortatur dicens. *Nemo diffidat, nemo veterum conscius delictorum præmia diuina desperet. nouit Dominus mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum. Misericordia enim Domini super omnia opera eius.* MONACHVS Morbus etiam validus plerumq; mentem meam occupat, & ad tantam me tristitiam deducit, vt penitus ignorem discernere inter bonum & malum. Dicit enim pigra cogitatio. Quid iam vltra frustra laboras mala consuetudine obligatus, non poteris te emendare. Conaris enim exurgere, sed peccatorum oneribus *Tentatio desperantis de emendatione.*

prægrauatus semper relaberis. De die in diem promittis emendam, & nullus sequitur emendationis effectus. Vespere dico, quia cras emendabo, & cras semper manet, hodie adhuc nullum vidi. Quid ergo agendum est, quando de præteritis certa damnatio imminet, de præsentibus emendatio nulla succurrit? Deficio, non possum hoc diutius sustinere luctamen. Sola me consuetudo mala detinet alligatum. Illa voluntatem corrumpit, mercede priuat, tristitiam generat & mortem. ABBAS. Difficile est, fateor, *Consuetudo mala vt vincenda.* antiquam mutare consuetudinem, sicut scriptum est. Quia prouerbium est, *Prou. 22.* *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Sed quid. Ergonè impossibile erit, quia difficile est? nequaquã. Multa enim difficilia sunt, quæ consuetudine facilia fiunt. Quod heri nõ egisti, fac hodie, dum adhuc viuere licet. Nec differas de die in diem, quia quid dies crastinus afferat, ignoras. Nec idcirco à bene cepto proposito retrahas mentem, quia non statim consequeris profectum concupitum: sed scito, quoniam nemo repente fit summus, & quia *hæredi-* *Prou. 20.* *tas, ad quam festinatur in principio, in fine benedictione carebit.* Successiuè fit motus, & spatiis suis singula melius aguntur. Consuetudo mala non potest infringi subito, nisi violenter. Si ergo vim nosti inferre potenter, sin autẽ, infirmiter, vsus alteret vsum. Abscindatur ergo ferro acutæ compunctionis vulnus inueteratæ consuetudinis. si est acerbus dolor, leniatur vnguento dulcissimæ deuotionis. Hoc inter regnum DEI & animam obstaculum ponitur, contra quod pugnaturos fideles suos Dominus præmonuit, dicens. *Regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud.* *Matt. 11.* Nisi enim contra consuetudinem malam sibi quisq; vim inferat, regnum Dei rapere non valet. Oportet enim vt contra nosmetipsos pugnemus, quatenus caro spiritui subiecta discat agnoscere se regentem. Nemo autem ad culmen virtutis præsumat se posse ascendere, qui vim sibi ipsi non nouit inferre. Non enim est possibile hic gaudere cum mundo, & post hanc vitã gaudere cum Christo, nisi quantum pœnitentia interuenerit. Nam quicunq; sanctorũ voluerit sequi vestigia, necesse est vt sibi ipsi in multis contrarius sit. *Nemo autem coronabitur, nisi legitime certauerit.* *2. Tim. 2.*

fauerit. Ecce iam tempora fauente DEO acceptabilia sunt, nunc spargamus semen nostrum, suo enim tempore metemus. Cito transit labor vitæ præsentis, & sudor in certamine fusus statim deficit: merces autem operi nostro debita sine fine durabit. Tempus laboris momentaneum est & breue, sed retributio iustorum æterna. Vincat consuetudinem malam frequens memoria mortis, & obliuio subsecutura nos de futuris faciat cogitare. Ego qui nunc ista loquor ad te moriturus omnia relinqno post me. Tũc aliquãdo dicetur ab iis, q̃ hæc forsitan lecturi sunt, cũ totus mũdus mei oblitus fuerit. Quis putas hęc nobis scripta reliq̃t? vbi nã est? O ego tũc, vbi ero, qui hic modo loquor ad te. Quod nũc futurũ est, tũc mihi nõ erit. Et q̃s illo in tempore mei recordabitur super terrã? Ego qui iam præsens sum, tunc in præterito dicar fuisse. O vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Qui ante nos fuerunt, modo non sunt, nos iam sumus, & non statim erimus: & q̃ iam non sunt, erunt & desinent etiam ipsi esse, qui iam non sunt. Si memoria horum consuetudinem non confundit, quid valeat simile ignoro. Prodest tamen sacra lectio scripturarum, & multum valet meminisse contra malam consuetudinem actuum Patrum sanctorum. Donec sanus es, corrige mores: infirmitas propria mala affert. O pretiosum tempus, cui nulla vis auri æquiualet, seu argenti. O florida iuuentus, quam faciles sunt gressus tui, impetus leues, dirigibiles actus. Indurata senectus assueta difficulter relinquit. O quam damnosum quamq̃ dolendum huleus in iuuene, cõsuetudo mali. Veruntamen, quamdiu iuuenis & mollis est actus, seu vius, facilem admittit medelam. Senem autem ab antiquo malæ consuetudinis dolore conualescere difficillimum est. Hinc quidam pulcherrimè ait. *Principiis obsta, sero medicina paratur, cum mala per longas conualuere moras.* Et tu carissime frater: quem etsi mala, seu tepida consuetudo prẽmit, diuturna tamen non grauat, dũ faciles sunt actus, dum mollis est animus, ceruicẽ reflecte, mores compone, vitia restringe, orna virtutes. Iam vitam emenda, dum tempus consentit & ætas, sicut in prouerbio dicebatur ãtiquitus. *Incipe parue puer risu cognoscere matrem.* Ne differas de die in diem, sed hodie semper velut vltimum diem ordina. Profecto, si in iuuentute iugũ disciplinæ portare non assuescis, senex obstinatus eris. Iuuentus enim licet prona sit ad lapsum, facilis nihilominus cõstat ad ascensum. Qualem te senẽ expectas, talẽ modo iuuenem instituere memẽto. Nam adolescens vitiosus senem inueteratum malorũ prænunciat. MONACHVS. Vestigiis sanctorum vehementer inhærere concupisco: sed à ꝓfectu quo nescio retrahor impedimento. Quanto magis surgere tento, tanto grauius cado. ABBAS. Vt ego cerno, languidus causam vulneris ignoras. Sola pigritia te impedit, ne volũtatis bonæ sequatur effectus. Tepidus es, & feruorẽ sancti propositi accendere non nosti. Sic miseri in torpore computrescimus, & quid patimur ignoramus. Gloriã absq̃ merito volumus habere, & meritũ sine opere, opusq̃ sine labore. Delectat nos culmen sanctitatis, sed terret exercitium virtutis. Sancti esse volumus, & opera non facimus sanctorum. Mox vt vitam sancti Patris alicuius legimus, vehemẽter compungimur, tales fieri optamus, sed opera eorum ardua, & virtutum angustam semitã attingere formidamus. Nemo sanctorum sine magno labore sanctitatẽ vnquam consecutus est. Si quẽ delectat sanctitas, non terreatur asperitate laboris: q̃a virtus in arduo posita est, ad quã difficilis patet ascensus, feruẽti desiderio & perseueranti duntaxat accessibilis. Infirma voluntas & debile propositũ stabile non est, quod tam leuis occasio affectu spoliat & opere. MONACHVS. Sed quomodo gaudere possum, cũ tanta mala de proximis porto? Nihil vnde gaudendum sit habeo, sentio enim mihi pœne omnia grauia, quæ cerno. ABBAS. Duplex est tristitiæ genus, imò duo genera. Vnum scilicet, quod salutem operatur; aliud verò, quod ad perniciem trahit. De primo genere dicitur. *Beatus homo, qui semper est pauidus*, id est, qui peccatorũ suorũ recordatione cõpungitur, & iudicis pauidus præstolatur aduẽtũ. Alterũ autẽ tristitiæ genus est, de quo dicitur. *Spiritus tristis exsiccat ossa*, id est, tristitia seculi omnem fortitudinẽ animę aufert. Si primo genere tristitiæ laboras, vt ꝓ peccatis lugeas, vel dilatione regni cœlestis, saluus eris: si secundo, infelix nimium es. Non admiseris tristitiam propter mundi huius aduersa, sciens dixisse Dominum discipulis suis. *In mundo pressuram habebitis.* Et iterum. *Mundus quidem gaudebit, vos autem tristabimini, sed tristitia*

Consuetudo in iuuentute facile vincitur.

Ouid. de rem. amoris.

Virg. in Buc.

Tepor obstat emẽdationi.

Tristitia duplex. Prou. 28.

Prou. 17.

Ioan. 16.

vestra

vestra vertetur in gaudium. Beata tristitia, quæ gaudium parit sine fine mansurum. Gaudendum nobis in Domino est, maximè cum in diuersas tentationes incidérimus, dicente Domino. *Gaudete in illa die & exultate: ecce enim merces vestra multa est in cælo.* Sancti enim Apostoli, tentante scriptura, *gaudentes ibant à conspectu consilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Hos si imitari volumus ad gloriam, sequamur prius ad pugnam, quia nisi per tristia venitur ad gaudia regni. Contra pernicioſam tristitiam hanc feruore sancti propositi pugnandum est, quia contraria contrariis curantur, & maior virtus expellit minorem. Singulis diebus post Completorium, & maximè cum ad lectum suum venerit in silentio capitulum sibi monachus teneat, recogitans, quid in die cogitatione, locutione, & opere deliquerit, publicè vel priuatim, & à singulis peccatis conscientiam suam lacrymis, & dolore compunctionis diligenter purificet. Sanctum quoq; propositum per studium sacræ lectionis quotidie innouare non negligat: sicq; vitam suam omni hora in melius reformet, malam extirpando consuetudinem per exercitia bona, vt mane & vespere dicere possit. *Nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi.* Si nunquam vis esse tristis, benè viue, quia bona vita semper gaudiũ habet. Stultus autem vt luna mutatur, quia bonæ conscientiæ testimonium, vnde gaudeat non habet, aut si habuerit instabilitate morum amittit. Hunc ego æstimo virum, cuius nec vultum blanda vanitas exhilarat, nec aduersarum rerum fortuna immutat, quam strenuitas morum inuariabilem fauente DEO conseruat. Sicut enim tinea vestimento & vermis ligno, ita tristitia viri cordi nocet. Vestimentum namq; tinearum esu attactum, nullius pretii, vel honesti vsus poterit vlterius habere commercium, itidemq; lignum vermibus exaratum, non iam ad ornatum vel mediocrem ædificii, sed ad combustionem ignis merebitur deputari. Ita igitur & anima, quæ edacissimis tristitiæ morsibus deuoratur, inutilis erit, nihilq; deinceps ornatus in tẽplo Domini poterit exhibere. Caue igitur à tristitia animæ tuæ, quia sepulchrum viui hominis est animus tristitia perfossus. Bonum est itaq; gratia stabilire cor, vt mens bene sibi conscia nullis à statu suæ rectitudinis moueatur tentationum incursibus, MONACHVS. Quod igitur contra huiusmodi morbum adhibebo remedium? Latius quidem in superioribus de hac materia disseruisti, sed efficacius si quid nosti, compendiosè mihi velis, obsecro, communicare. ABBAS. Si hanc perniciosissimam passionem curare volumus mentem nostram spiritali meditatione iugiter occupatam futura spe & contemplatione repromissæ beatitudinis ad cælestia deuotissimè, quantum possumus, erigamus. Hoc enim modo vniuersa tristitiarum genera valebimus superare cum æternarum rerum, ac futurarũ intuitu semper læti atq; immobiles perdurantes, nec casibus deiecti præsentibus, nec prosperis fuerimus elati: vtraq; velut caduca, & mox transeuntia contemplantes. Aut si quando morbus vel leniter serpere cœperit, statim sine mora per studium sanctæ compunctionis repellatur. MONACHVS. Cum scriptum in libro Iob scias, quoniam homo nunquam in eodem statu permanet, quid est, quod loqueris immobiles nos esse debere? Quod ille impossibile dicit, tunè necessarium affirmes? ABBAS. Multa in sacro eloquio impossibilia videntur, imo & impossibilia sunt, ad quæ tamen nitendum est pro modulo nostro. Impossibile est enim quempiam in tantum proficere, vt perfectior esse non possit: & tamen persuademur omnes ad summam perfectionem niti Sanctorum. Itaq; id iubemur desiderio concupiscere, quod actione nequimus obtinere. Quãuis enim mens nostra vnum statum iugiter retinere non valeat, debemus tamen ad hoc conari, vt nulla eum perturbatio immutet. Possumus equidem, licet interius immutemur plerunq;, vultum tamen secundum accidentia fortuita habere serenum, & quasi in vno rectitudinis tramite immobiliter constitutum, quamuis & ipsum difficile sit. Hinc quidam ait. Tristia, si potes, non admiseris: si non, omnibus ne ostenderis. MONACHVS. Si, vt dicis, mens nostra in eodem statu iugiter permanere non potest, quomodo hoc discernendum sit, & quare, nunc restat vt edicas. ABBAS. Mens humana cum instabilis sit ab initio, stare in eodem puncto semper non potest, se necesse est, vt secun-

Matt. 5.

Act. 5.

Examen conscientiæ.

Psal. 76.

Remediũ cõtra tristitiam.

Iob. 14.

Nitendũ ad perfectionem.

Mens instabilis.

secundum Apostolũ, aut renouatus quis spiritu mentis suæ per singulos dies proficiat ad ea, quæ in ante sunt semper se extendens, aut si neglexerit, consequens est, vt retro redeat, atq; in deterius relabatur. Et idcirco nullo modo mens poterit in vna atq; eadẽ qualitate durare, sed aut proficit, aut deficit: veluti si qs contra aquas fluminis impetuosi nauem subigere remorum impulsione conetur, necesse est eum, aut virtute brachiorum violenter ad superiora conscendere, aut remissis manibus ad præceps retrorsum abire. Fluminis impetus nauem consistere immobilem non sinit, quia si ad alta scandere nequit, ad ima procul dubio ruit. Quapropter istud erit euidens nostri indiciũ detrimenti, si intellexerimus nos nihil amplius acquisisse: nec dubitemus retrorsum nos omnimodis reuocatos-qua die non senserimus ad superiora progressos: quia, vt dixi, nec in eodẽ statu mens hominis potest iugiter permanere, nec in hac carne consistens ita virtutum apicem possidebit quisq; ille sanctorum vt immobilis perseueret. Necesse est enim aut aliquid adiici illis semper aut minui, nullaq; in omni creatura talis poterit esse perfectio, quæ mutabilitatis non subiaceat passioni. Solus DEVS incommutabilis est, qui per seipsum loquitur. *Ego sum*, inquit DEVS, *& non mutor*. Et Dauid in psalmo. *Tu idem ipse es*. Ideoq; debemus ad virtutum studia iugi solicitudine nosmetipsos semper extendere, & bonis semper exercitiis occupare, ne cessante profectu confestim diminutio sequatur. Ibi enim deficimus, vbi proficere cessamus. Virtus exercitium quærit, otio autem euacuatur. Sed iam de desperatione atq; tristitia hæc dicta sufficiant, stilus ad reliqua dirigatur.

Phil. 3.

Mal. 3.

Psal. 101.

CAPVT IV.

DE TENTATIONIBVS SVPERBIÆ ET FILIArum eius.

MONACHVS. Superbiæ etiam impugnatione fatigatus à profectu, & executione sancti propositi multum impedior, ita vt pœnè nihil facere audeã, quod laudem importet, siue honorem. Huiusmodi siquidem vitii cogitatio omnes operum meorum aditus obseruat, requiem mentis meæ perturbat, & improbè se interioribus meis repræsentat obtutibus. Dicit namq;: Cæteris es melior, in interioribus deuotus, sapientior multis, sacræ scripturæ nosti profundius indagare mysteria, in portandis oneribus Conuentualibus valde vtilis, in legendo distinctus, in cantu expertus, in verbis ornatus, in moribus compositus. In scientia coætaneos tuos multum excellis. ad Prælaturam illam & illam bene valeres, fratribus places, & cunctos virtute præcellis. Insuper multa à Deo habes collata beneficia, quibus multi, qui tecum morantur, carent. ABBAS. tanta morbi huius enarras vulnera, vt per singula respondere tædiosum sit, silentio pertrãsire periculosum. Ne igitur omnibus immorando lectori tædium pariat oratio, breuiter atq; succinctim, prout potero respondebo. Ad primum itaque quo se cogitatio cunctis iactitat meliorem, hoc tibi responsum sit, quia eo quo te meliorem æstimas deterior factus es. Quanto enim quisque exiterit melior, tãto erit procul dubio & humilior. Nunquid talis es, qualis esse deberes? Si bonus es, meliorem te reputando iam desinis esse quod es. Nemo enim potest se cogitare bonum, nisi prius de bono collapsus fuerit ad malum. Vera essentia, non subiacet æstimationi. qui se æstimat esse, quod non est, errat: & qui se reputat, quod est, virtutem vænalẽ portat. Virtus æstimationem fugit, latibulum quærit, non vult videri quod est, detestatur fauorem proprium, nec iudicium metuit alienum. Deuotio etiam pedem non figit, præsentia nihil reputans semper ad altiora tendit, & se ibi dese-

Virtus laudes suas fugit.

defeciſſe æſtimat, vbi ſe aliquid eſſe cognoſcit. Sed miror, quid ſibi hæc cogitatio velit. non enim tantam in te adhuc deuotionem expertus ſum, quantam te gloriaris habere. Tunc verò poteris eſſe deuotus, cum nullis te ſenſeris cogitationum turpium in diuino ſeruitio ſtimulis agitari, cum mens ſemper intenta fuerit cœleſtibus, & nullis paſſionibus incurſantibus ab amore tepuerit diuino. Rurſus de ſapientia, qua te cæteros præcellere putas, quid aliud dicam, niſi quod in vulgo dicitur. Completa eſt ſtultitia ſtulti, quãdo ſe ſapientem fore reputat. Summa ſcientiæ breuis eſt, quam quidam aperuit Philoſophus dicens. Vnum, inquit, ſcio, quod neſcio. Nunquam ſe ſapiens ſapientem putat. Stultus autem vtique ſpargit famam ſui. Vis tuam experiri ſapientiam, attende quid Salomon dicat. *Doctrina viri per patientiam dignoſcitur.* Prou. 19. Certè ſi patientia indicium ſapientiæ eſt: tu ſapiens non es, quia valde impatiens es. Ego enim noui mores tuos, quia nec ſapiens nec patiens es. Vera ſapientia ſeruitutem non ſuſtinet vitiorum, quia patientia humilis eſt, obediens, tractabilis & virtuoſa. Si talis es, ſapientem te fore credam. Qui enim peccatum facit ſtultus & inſipiens eſt, quaſi poſſit fallere Deum. *Dixit enim inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* Pſal. 13. Quis eſt iſte inſipiens, niſi ſtolidus peccator, cuius cor à Domino recedit. Nemo ſuperbus ſapiens eſt, quia omnis arrogans ignorãs eſt; quippe in *maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Sap. 1. Vera ſapientia eſt, mala deuitare bona gratis exhibere, aduerſa patienter tolerare, nil per oſtentationem fingere, nullam iniuriæ vltionem quærere, pro veritate contumeliam pati. Quid te cæteris ſapientiorem exiſtimas, cum eis virtutibus inferior exiſtas? Vera ſapientia eſt vita laudabilis, & apud Deum pura mens, per quam puri puro iunguntur, & ſancti ſancto ſociantur. Sapientia illa clariſſima eſt, & monaſticis apta perſonis, non quæ in verbis volat, ſed quæ virtutibus conſtat. Scripturarum quoque myſteria quo neſcio deceptus errore referare te ſcire affirmas, & quam paruus ſis intellectu nõ penſas, cum nihil ſcire te ſciam. Quis tu, qui ſacram te æſtimo intelligere ſcripturam. Profundiſſima ſunt, & imperſcrutabilia myſteria eius, & quis inueſtigabit ea? Sunt multi te doctiores, quorum nec dum minima comprehendis. De cæteris, quæ ſubiungis, quam videlicet ornatus in moribus, quam vtilis operibus, quamque expertus in cantando. Hoc tibi dixerim, quod ſcriptum eſt: quoniam cui multum committitur, multum etiã ab eo exigitur. Matt. 25. Si reuera vtilis es, à quonã habes quod es, nonne à Deo? vtiq; à Deo. Quid ergo ſuperbis terra & cinis? Ipſi de omnibus rationem redditurus es, à quo habes, quicquid es. Si multa beneficia recepiſti, ſtrictiorem reddes ſine dubio rationem. Nam, cum creſcunt dona, creſcunt etiam rationes donorum. Adiungis etiam aptum te fore ad Prælaturas, aut officia gradu tuo maiora, ſed non perpendis, quia eo inutilis es, quo te vtilem credis. Sola te libido attrahit dominandi, qua cæteris imperare queas, vt à iugo imperii ipſe ſoluaris. Qui ſe Prælationis munere dignum æſtimat, ipſe de ſe iudicat, quia adhuc iugum vitiorum portat. *Iudicium etiam duriſſimum fiet in eos, qui præſunt,* Sap. 6. qui non ſolum pro ſe, & actibus propriis, ſed etiam pro commiſſo ſibi grege rationem ſunt reddituri. Miſer eſt etiam, & maximè ſi conſequatur cupitum, quem ad Prælaturam cupido trahit dominandi. Nemo igitur ſibi *aſſumat honorẽ, niſi qui vocatur à Deo, vt Aaron.* Heb. 5. Magna enim ſublimitas magnam requirit cautelam, honor grandis grandiori debet ſolicitudine circumuallari; quia, vt dictum eſt, cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Dignus quippe honore non eſt, qui ad honores cupidus anhelat. Vnde GREGORIVS. *Sicut qui inuitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris eſt altaribus admouendus: ſic qui vltro ambit, vel importune ſe ingerit eſt proculdubio repellendus. Malè ſe rectum putat, qui regulam ſummæ rectitudinis ignorat. non debet hominum ductatum ſuſcipere, qui neſcit homines bene viuendo præire.* Greg. in regiſtro. Contentus ſit vnuſquisque gratia collata ſibi. *Domini eſt terra & plenitudo eius.* Pſal. 23. Ipſe quos vult iuſtè exaltat, & quos vult iuſtè humiliat. Superbus enim prælatione indignus eſt, quia illam Salomonis doctrinam imitari dedignatur, qua dicit. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Eccle. 3. Deus enim ſuperbis reſiſtit, & ponit humiles in ſublimi, quibus & dat gratiam. MONACHVS. Si qua contra ſuperbiam noſti remedia, peto, vt in generali aſtruere non graueris. ABBAS. Quid tibi aliud loquor, niſi

quia

quia tota series sacrę scripturæ superbiam detestatur, & humilitatē laudabilē prædicat? Hoc tibi breuiter dictum sit, quoniā si spiritalē agonē legitimè certare, & à Deo desideras coronari, oportet vt hanc ferocissimam bestiam, velut deuoratricē cunctarum virtutum omnimodis festines extinguere, certus, q; hac in tuo pectore cōmorante non solū vitiis ceteris carere nō possis, verumetiā si q̄d virtutis habere videaris, huius veneno depereat. Nullo n. modo poterit in ānima nostra virtutū structura cōsurgere, nisi prius fūdamēta veræ humilitatis iacta fuerint in corde nostro, quæ firmissimè collocata perfectionis & caritatis culmen valeant sustinere: quia frustra ad caritatis aut perfectionis fastigium aspirat, qui custodem virtutum omnium humilitatem in suo pectore non portat. Si igitur superbiam vincere cupimus, remedia illi contraria opponamus videlicet, vt per humilitatis studium eiusmodi mala fecemus, & primò fratribus nostris humilitatē verā ex intimo cordis exhibeamus affectu, in nullo, scilicet, acq̄escentes eos contristare aut lædere. Et ideo, quanto morbus iste magis intumuerit, tanto nos in humilioribus exercitiis vel officiis fratribus nostris, etiā quorum affectum nobis senserimus disiunctū, seruiendo frequentius studeamus exercere. Hostis enim noster, quo insidiante morbus hic nascitur, superbus valde est. idcircò cum senserit nos vilioribus admodum pro captanda vera humilitate delectari exercitiis, nō valens tantā sibi illatā sustinere iniuriā, ꝓcul cōfusus abscedit. Vulnera namq; mentis salubri exercitio corporis sananda sunt. Quod tunc fieri poterit, quando abrenūciatis omnibus seculi huius facultatibus cruce nostra susceptā obedientiæ iugo humili & simplici corde sine vlla simulatione colla submiserimus: ita vt præter Abbatis mādatū nulla penitus voluntas viuat in nobis. Quod nō aliter obseruare poterit, nisi monachus non solū se mortuū huic mūdo, verūetiā insipiētē iudicauerit ac stultū, vniuersa q̄ sibi à senioribus imperata fuerint sine vlla discussione perficiēs. Ad humilitatis n. culmen peruenire nō potest, q adhuc animo terrenis curis deseruit. Humilitas nāq; publica vitat. Socia verò humilitatis patientia est q̄ & mater, inquātū humilitatē prę-

Humilitas opponenda superbiæ.

cedit, & filia eius est, quādo ex ea generatur. MONACHVS. Humilitas, vt mihi apparet, patientiā præcedit, quia nemo superbus patiens dicitur. Sed quare patientiam dicas præcedere, non satis intelligo. ABBAS. Si vim verborum attenderes, scires proculdubio vera esse q̄ dico. Non aio humilitatē de patientia oriri simpliciter, sed adiungo: inquātū humilitatē ꝓcedit. quia dubium non est neminē posse patientem fieri, qui humilis prius non fuerit, si ad interiorem hominem huiusmodi passio referatur. Cæterum de exteriori homine possibile est per violentam patientiam superbiam vertisse in humilitatem. Possumus quidem etiam durante adhuc certamine superbię interioris illatam foris dissimulare iniuriā, & successiuè per vim consuetudini incussā quoq; apprehendere humilitatem: Sed hæc talis patientia nondū perfecta est, quia adhuc in luctamine versatur. Quam si ad perfectum vsque adiuuante Domino perduxerimus, humilitatis insigne proculdubio recipiemus. Itaque humilitas sic præcedit patientiam & sequitur, vt vna sine altera nequaquam haberi possit. Nam omnes virtutes sibi inuicē copulatæ sunt, vt qui vnam perfectè habuerit, omnes habeat, & qui vna caruerit careat omnibus. Vt ergo omnes simul possideamus vnam quæ cæteris eminet, humilitatem dico, habeamus, nosmetipsos inferiores omnibus iudicantes, vt vniuersa quæ nobis fuerint irrogata, etiam si iniuriosa sint à quocunq; homine Christiano tanquam à Superioribus nostris illata patientissimè toleremus. Quæ quidē à nobis nō solū facillimè tolerabuntur, verumetiā parua iudicābūtur ac nulla, si mēte iugiter recolamus, vel Domini nostri Iesu Christi, vel sanctorum omnium passiones. Considerantes tanto nos leuioribus iniuriis attentari, quanto longius à meritis eorū & conuersatione distamus, pariter etiā ponderātes immēsitatē facinorū nostrorū, q̄bus multa sustinere aduersa meruimus: & quoniā in breui de hoc seculo migraturi eorū statim erimus consortes, quorum hic facti sumus sequaces. Peremptoria namq; est hæc contēplatio nō solū supbiæ, verūetiā generaliter omniū vitiorū. Quomodo autem in hac humilitate ꝓficere debeamus, in secūdo libro de exhortationibus me breuiter cōmemorasse memini, vbi & gradus ascensionis eius & indicia luculē-

Patiētiā sequitur humilitatem.

Omnes virtutes connexæ.

tius designaui, & quæ ad hanc consequẽdã necessaria sint pariter annotaui. Quoniam igitur hos tibi legendos tradidi libros, poteris, si libet, etiam ibi contra superbiæ morbũ emplastra quærere. Deinde post hanc ipsam humilitatem, quam coram fratribus exhibemus, erga DEVM etiam firmissimè retineamus, gloriã sibi in omnibus attribuentes vt nihil nosmetipsos absq; illius opitulatione vel gratia, quod ad virtutum consummationẽ pertinet, posse perficere cognoscamus. Sed & hoc ipsum, q; intelligere meruimus, eius esse muneris certissimè credamus. Monachus itaq; volens proficere insolescẽti cogitationi semp humilitatis remedia opponat, & dicat. Quid superbis terra & cinis? Et iterum: Memento, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Quid mihi suggeris fastum superbiæ ô cogitatio inanis? quam te fore simulas? An scripturam non legisti, qua dicitur. *Omnis qui se exaltat humiliabitur. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESV Christi.* Vade post me Sathana, confusioni mihi es ante faciem Dei mei. O iniqua cogitatio, quis te docuit alta suspicari? Deus ab initio superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Non parcet DEVS homini superbo, qui angelum quoq; superbientem proiecit de cœlo. Nunquid tu, terra cum sis & pulvis, splẽdidiores Lucifero? Nunquid altior es, quam ipse fuit à principio? quem facis teipsum? quorsum te eleuas? Memento obsecro quid fueris olim, quid modo sis, quam fragili vasculo contineris, quibus stercoribus immersus sis, & qualia semper de tua carne purgamenta omni nausea plena proiicias. O homo meus attende quæ loquor. nemo superbus cœlorum regnum intrabit. Ianua humilis est. qui erectus incedit, ingredi non valet. Dominus noster IESVS Christus ostium est, per quod itur ad Patrem testãte ipso eodem filio, quia *nemo venit ad Patrẽ nisi per me*, qui de se ait. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Audi tumor superbiæ, audi & confundere. Omnis qui se exaltat, humiliabitur. Superbia angelũ eiecit de cœlo, primum quoq; hominem exhæredauit à paradiso, Saul depulit à solio regni, Iudæos pluries in captiuitatem relegauit. magnam, vt historiæ ferunt humanæ, Troiam destruxit, & multos sublimes deposuit vsq; ad pulverem. Si angelus de tanta sublimitate persuperbiam cecidit, quomodo tu ad tantam celsitudinem superbiens ascendes? Certè angelo nec agilior, nec potentior es, vt vnde ille cecidit, illic tu superbiens stare possis. Sed illius sententiæ teneris obnoxius, qua dicitur. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Densissimis procul dubio in terra tenebris superbię lutum inuoluitur, quando Lucifer ille, qui mane oriebatur splendidus in cœlo elationis caligine amissa gloria obtenebratur. Omnium vitiorum fomes atque origo superbia est, quæ de angelo dæmonem fecit, homini mortem intulit, coneeslamq; beatitudinem prorsus euacuauit. O malorum omnium mater, fons scelerum, vena nequitiæ, te superbiam dico. detestor consilia tua, fraudium inuentrix, amica mortis, latitudo inferni. Tu angelum gloria spoliasti paradisi, hominem in exilium detrusisti, fratricidium inueniisti, thronum contra Deum erexisti, confudisti linguam, fortem interemisti Goliam, suspendisti Vriam, interfecisti Nicanorem, peremisti Antiochum, Pharaonem cum omni exercitu suo submersisti, sedes Regum destruxisti, radices potentium euellisti. Et quid pluribus immoror verbis? non est malum in orbe terrarum, quod à malignitatis tuæ radice non trahat originem. Tu pacem disturbas, seditiones inter ciues commoues, hostile prouocas certamen, ad bellum trudis inermem. fugax quietis, amatrix discordiæ, auaritiæ fomes, nutrimentum inuidiæ, luxuriæ mater, peccati custos, omnium dissipatrix bonorum. Tu religionis confusio, caritatis inimica, criminis auctrix. O virtutum omnium depopulatrix superbia, malorum robur actuum, quam innumerabilia sunt mala, quæ de tua peruersitate sumunt exordium! MONACHVS. Magnificè quidem satis de superbia differuisti: placeat ergo & de humilitate laude dignissima aliqua in oppositum prædictorũ concinnare, quia non est partis aduersæ damnatio completa, si suam quis de iustitiæ tramite nequiuerit exaltare sententiam.

* *Gen. 3.*

Matt. 23. Gal. 6.

Iac. 4.

Ioan. 14.

Matt. 11.

Sup. 9.

Superbia mala.

AB-

ABBAS. Faciam auxiliante Deo, quod hortaris, & humilitatis insignia, quantum ingenii mei subministrat exiguitas, efferam in publicum. Hanc ego imprimis non immeritò excelsam prædicauerim, vbicunque eius contrariam in ima depressi. Superbia de iusto peccatorem, hæc sola de impio efficit iustum. Sicut impossibile est saluare superbum, ita & impossibile est posse perire humiliatum. Nam iuxta antiquam translationem Dominus per Isaiam prophetam dicit. *Super quem requiescet spiritus meus nisi super humilem, & quietum, ac trementem sermones meos?* siue, secundum exemplar a B. HIERONYMI, quæ Hebraicam exprimunt veritatem, ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Superbia de angelo fecit dæmonem: humilitas autem de homine efficit Deum, iuxta quod scriptum est. *Ego dixi Dii estis, & filii excelsi omnes.* Omnium virtutum origo & custos humilitas est, per quam DEVS homo factus est, vt nos suæ Deitatis in adoptionem filiationis faceret esse participes. Et quid dignum de hac potero proloqui virtute? virtutum virtus humilitas: nam sicut sal corporeo alimento præbet saporem, ita & ipsa cunctas in conspectu Dei virtutes sapidas reddit & acceptas. Nulla enim sunt opera virtutum, si humilitatis vnguento non condiantur. Vnde GREGORIVS. *Perit omne quod agitur, si non humilitate custoditur.* Humilitas enim cunctarum virtutum obtinet principatum, sine qua nec virginitas meretur, nec aliquod opus remunerabitur. Ipsa est enim fundamentum religionis, custosque disciplinæ, caritatis connexio, salutis inuentrix. amatrix virtutum, extirpatrix vitiorũ, iustitiæ norma, concordię tutrix & pacis, & vinculum vnitatis. O virginitatis custos! quam tota pulchra refulges, quam efficax est oratio tua, quæ nubes penetrat, cœlum aperit, claudit infernum. Nulla splendidior gẽma in ornatu sponsæ filii Dei, quam humilitas, quæ de cœlo nobis veniens reserauit paradisum. Summa disciplinæ monasticæ humilitas est, cuius non multa sunt documenta, sed hoc solum includit totum γνῶθι σεαυτὸν, id est, nosse te ipsum. nam initium sapientiæ est cognitio sui. Qui seipsum cognoscit vilitatem suam iugiter intuens Dei magnitudinem miratur, incipitq; timere Deum, quem tam potentem agnouit. Salutis verò nostræ principium timor domini est. per hunc enim & initium conuersionis, & vitiorum purgatio, & virtutum custodia his qui imbuuntur ad viam perfectionis, acquiritur. Qui cum penetrauerit hominis mentem, contemptum ei rerum omnium parit, obliuionemq; parentum, & mundi ipsius gignit horrorem. Contemptu autem ac priuatione facultatum omnium humilitas acquiritur. Illa sola est, quæ monachum facit; factumq; ne pereat, custodit. Nihil enim sic monachum Deo reddit acceptum, sicut humilis æstimatio sui. Est namque summum monachi decus perfecta humilitas. Qua abiecta, nec monachum quisquam esse se putet, nec Christianum. Nihil autem in omnibus quę agimus viciniores nos Deo facit, quam ipsa humilitas. Non indoctam & asininam humilitatem, quæ magis stoliditas est vocanda, sed quæ habet sui modestiam & scientiam, laudamus, vt dicere quilibet possit. Scio humiliari, id est, in quo loco, qua moderatione, quo fine, in quo officio, in quo munere, qua causa. Humilitas quidem omnibus generaliter præcipitur habenda in corde, sed omnes eam non semper foris plus quam expedit iubentur exhibere in opere. Non enim expedit, vt is qui in corrigendis vitiis cæteris prælatus est, semper in sua confidat humilitate, sed opottet, vt sic mansuetudinis qualitas temperetur, quatenus disciplinæ auctoritas non contemnatur. Et idcirco agnoscat rector bonis se fore socium per humilitatem; obstinatis autem atque peruersis prælatum per disciplinæ autoritatem, vt mansuetis se exhibeat humilem, delinquentibus vero correctorẽ. MONACHVS. Multos nouimus ad pfectionẽ magno quidem desiderio inflãmari, quos tamẽ parũ profeciſſe cernimus, nec ad contẽplationis dulcedinẽ vnquã peruenisse. Cur putas tam boni desiderii non consequũtur effectũ? ABBAS. Multos à perfectione retraxit superbia, quæ tanq̃ serpẽs lubricus in mente hominis latitans aditus cunctos, ne aliquid boni in debitum effectum perducatur, obseruat. Sunt enim nonnulli, quos proficiendi amor inflammat, sed latens superbiæ rubigo mox vt

Humilitatis encomia.

Isa. vlt.

Psal. 81.

G. hom. 7. in Euang.

aliquid boni inceperit, velut nouum ac nondum ſtabilem partum conſumit, & deuorat. Religio apparet in opere, ſed vera humilitas non relucet in mente, quia ſemper mixta diſciplinæ elatio omne virtutis exercitium confundit. Hoc enim incunctanter dixerim, non poſſe quenquam perfectionis finem ac puritatis attingere, niſi per humilitatem veram, ſine qua nec fides ſaluat, nec caritas ædificat. Quæ quidem humilitas primo fratribus exhibenda eſt, ac deinde in penetralibus cordis Deo offerenda, ſine cuius auxilio ad cupitam nequaquam valemus conſcendere perfectionem. Eſt autem duplex genus ſuperbiæ, videlicet, ſpiritualis & carnalis. Spiritalis ſuperbia eſt, quæ ſpiritales viros ſummosque pulſare conſueuit. Carnalis autem ſuperbia incipientes atque carnales complectitur. Primum autem ſuperbiæ genus non multis cognitum nec expertum eſt, quia nec plures ſtudent perfectam cordis apprehendere puritatem, vt ad hos præliorum gradus valeant peruenire, nec vitiorum præcedentium condignam procurare ſatagunt purgationem. Illos enim duntaxat pulſare ſolet, qui deuictis ſuperioribus vitiis iam propemodum ſunt in virtutum culmine collocati. Spiritus etenim malignus, cum mille nocendi habeat modos, vnicuique tale ingerit bellum, in quo ſe ſperat fieri victorem. Nam quia ſanctos viros lapſu carnali ſuperare non potuit, ſpiritali ruina deiicere ac ſupplantare conatur, per hanc eos multo labore meritis conquiſitis ſpoliare contendens. Nefarias enim & turpes illis opponit cogitationes, vt quos mala ſuadendo ſuperare non poterat, bona inconſideratè laudando decipiat, vti experti ſunt illi, quorum intereſt. Nos enim, qui adhuc terrenis ſumus paſſionibus inuoluti nequaquam hoc modo tentare conſueuit, ſed craſſiore & carnali admodum elatione ſupplantat. Fortioribus enim fortior inſtat tentatio, & qui certamina carnalia viceruntſpiritalia, quatenus virtus in exercitio creſcat, ſufferre habebũt. MONACHVS. Vellem ſcire, ſi non grauaret, quando talis tẽtatio incipere ſoleat pulſare mentẽ. ABBAS. Hæc vt prædiximus, ſpiritalis ſuperbiæ tentatio ſolummodo pulſat ſpirituales, & valde deuotos, qui animales vicere motus, quibus ira non præualet, quos luxuria non pulſat nec aliquod ſimile vitium carnale impugnat, ſicut impatientia, inobedientia, odium, inuidia, gula, auaritia, acedia, & cetera his ſimilia. Quamdiu horum vitiorum quis improbitate pulſatur, ad prædicti certaminis agonem nondũ peruenit. MONACHVS. Carnalis quoque certamen ſuperbiæ, quonàm modo incipientes pulſet, velis mihi peto, auſcultanti perſtringere. ABBAS. Opus non eſt dicta confirmari ſermonibus, quando ipſa experientia rei edocet veritatem. Huius ego ſine dubio te certaminis credo expertum, qui toties à vitiorum & negligentiæ voragine conatus exurgere ſemper priſtina conſuetudine depreſſus es. Neq; enim ab hac pugna poteris eſſe alienus, q., vt ipſe fateris, tantis tentationũ impugnaris incurſibus. Sed vt ſcias cuiuſmodi ſit propoſita tentatio, paucis, vt potero, verbis ipſius deſignabo qualitates. Hæc igitur, quam diximus, carnalis ſuperbia, omnes eos inuoluit, quos impatientia non ſinit eſſe tranquillos, quos ira perturbat, inobedientia eleuat, acedia opprimit, luxuriæ cogitationes inquinant, inuidiæ malum tabeſcere facit. Qui enim cum his, & ſimilibus vitiis adhuc certat, ſpiritalis illius pugnæ, de qua prædiximus, qualitatem ignorat. Pulſatur tamen & ipſe ſuperbiæ incurſibus, vt ſe ceteris præferat, ſapientiorem doctumq; iudicet, atq; æſtimet ſanctiorem. Sed hæc omnia de paſſionibus ſupradictis ſumunt originem. Omnis autem pugna tua frater qua tentaris, ab his vitiis, ſcilicet impatientia, & ſimilibus procedunt. Cur hoc? niſi quia cum tepido ac malè arrepto renuntiationis principio in conſuetudinem vitæ negligentioris te inſtituiſti? Si enim feruorẽ ſancti propoſiti in principio conuerſionis aſſumpſiſſes, nequaquam modo tãtas à profectu ſentires difficultates. Nunc verò, quia ab initio tepidè incepiſti, priſtina obſiſtit conſuetudo ne profectus debitus finis ſequatur. *Bonũ eſt enim homini cum portauerit iugum Domini ab adoleſcentia ſua.* quia quod iuuenilis ętas firmiter inſtituit, per conſuetudinem quodammodo in naturã vertit. MONACHVS. Vera ſunt, Pater, quæ locutus es. ab initio tepidus ſemper extiti, ac negligens, nec bonum vnquam pro-

Superbiæ genus duplex.

Carnalis quæ dicatur ſuperbia.

Thren. 3.

propositum firmiter obseruare curaui. Iuuenis eram, ac paruulus, & horum quæ modo experior, prorsus ignarus. Sed hoc procul dubio culpæ eorum adscribitur, qui me commissum habentes debitè instituere neglexerunt. Potuissent vtiq; taliter me in principio informasse, & voluntate propria, vt decuit, exspoliasse, sanctoque me inflammasse desiderio, quo ad tantas malæ cõsuetudinis miserias nõ peruenissem. Nunc autem quia neglexerũt, culpa redundat in eos, qui cum possent, malos immemores corrigere noluerunt. ABBAS. Vt cum pace tua loquar, dilectissime frater, ego ex eo tempore, quo nouitius mecũ esse cœpisti, ceruicem tuam noui durissimam, quia disciplinæ semper horruisti rigorem: voluntatis propriæ oblectamenta abiicere noluisti. Scio etenim & certus sum, quia si infornace tentationis te tui rectores debitè probassent, primi anni circulum impatientia nimia agitatus nequaquam expectasses. Quales illo tẽpore instabilitatis tẽtationes habueris, omnes pænè nouimus. Cessa igitur lacerare quos laceras; non ipsorũ, sed tua est culpa, qui in via disciplinę dirigi nolebas. Quin potius diligẽtiam ad perfectionem obtinendam eo nunc maiorẽ facias, quo tẽpus primę institutionis te negligentius expendisse cognoscis. Et quia, sicut dicis, feruorem deuotionis ad proficiẽdũ, Deo largiente, cõcepisti, disce patientiæ & humilitatis regulam, q̃ à principio scire noluisti. Ante omnia fuge pernicioſissimam animę vulneratæ pestẽ superbię, qa vt in superioribus breuiter declarauimus, impossibile est hominẽ superbum posse saluari. MONACHVS. Quæso te, vt quemadmodum humilitatẽ coram fratribus debeam habere & proximis, mihi edisserere non graueris. ABBAS. Rem iustam postulasti, & idcirco, quantum potero, tuæ satisfaciam petitioni. Itaque si proximum volueris ædificare exemplo humilitatis, si spiritus sancti concupiscis fieri habitaculum, quemadmodum tibi normam humilitatis beatus BENEDICTVS in duodecim gradibus descripsit, disce hũmiliari. Tuã nõ delecteris adimplere voluntatẽ, imò voluntatẽ noli habere. Hæc enim sunt vera humilitatis indicia, videlicet, Primo, si mortificatas in se monachus habeat voluntates. Secundo, si nõ solũ actuũ suorũ, verumetiam cogitationũ nihil suũ celauerit Abbatem. Tertio, si nihil suæ discretioni, sed iudicio Abbatis vniuersa committat, atq; monita eius sitiens atq; libenter auscultet. Quarto, si in omnibus obseruet obedientiam, mansuetudinem, ac patientiæ constantiam. Quinto, si non solum iniuriam inferat nulli, sed nec ab alio sibi irrogatam doleat, atque tristetur. Sexto, si nihil agat, vel præsumat, quod non vel communis regula, vel seniorum cohortantur exempla. Septimo, si omni vilitate & extremitate contentus sit, & ad omnia quæ sibi præcipiũtur se velut operarium malum iudicauerit, & indignũ. Octauo, si semetipsũ cunctis inferiorem, non superficie pronuntiet labiorum, sed intimo cordis credat affectu. Nono, si linguam cohibeat, vel non sit clamosus in voce. Decimo, si non sit facilis, ac promptus in risu. Vndecimo, si humilitatem, quam gerit in corde, in incessu quoque ostendat, id est, vt non sit vagus in visu, sed stabilis & compositus, semper defixis in terram aspectibus, sicut duodecimus humilitatis indicat gradus. Porro timor Domini, qui est primus in regula humilitatis gradus, magis Deo exhibetur, quam hominibus ostendatur. Qui hæc de se indicia dederit humilitatis, quæ sint illa spiritalia, de quibus paulo superius fecimus mentionem, certamina poterit experiri, quoniam carnalia transcendens ad excelsiora prouectus est. Qui itaque in humilitate proficere desiderat, hãc eius scalam ascendat, propriam oderit voluntatem, Abbati suo in omnibus obediat, quid ille iusserit, sacrosanctum sibi æstimet & saluti proficuũ. Cogitationes quoq; cordi suo aduenientes confidenter illi aperiat, nec aliquid agat, quod illũ scire nollet. Fratribus se obediẽtem exhibeat, caritatiuũ, atq; seruilem, linguã suã à multiloquio conseruet, neminem aliquo modo cõtristet. Quietẽ cellæ nõ deserat, in omnibus tractabilẽ ac mansuetũ se ostendat. Quotiescunq; à seniore q̃uis leniter correptus fuerit, discat petere veniã, & tãdiu prostratus iaceat in terra, donec eum surgere iubeat maior. Sacras frequẽter audiat lectiones, in dubiis ad seniorũ recurrat cõsilia, delinquẽtibus exhibeat cõpassionẽ, & sciat, quo tẽpore debeat silere. MONACHVS. Velis nunc obsecro carnalis superbiæ indicia referare, quatenus cogni-

Qua ratione humilitas queat seruari.

Superbiæ carnalis indicia.

tis contrariis veritas magis eluceſcat. ABBAS. Exterioris hominis motu interior homo agnoſcitur. His igitur indiciis carnalis ſuꝑbiæ tumor declaratur. Ineſt primitus in loquela eius clamor, in taciturnitate amaritudo, excelſus & effuſus in lętitia riſus, irrationabilis in ſerenitate triſtitia, in reſponſione rancor importunus, facilitas in ſermone, verba paſſim ſine vlla cordis grauitate erũpẽtia. expers patiẽtiæ eſt, caritatis aliena, audax ad contumelias irrogandas, ad tolerandas puſillanimis, ad obediẽdũ difficilis, niſi in quo eã deſiderium ſuum voluntasq; præuenerit, ad recipiẽdã exhortationẽ implacabilis, ad reſecandas voluntates ſuas infirma, ad ſuccũbendum alienis durиſſima, ſemperq; ſuas definitiones ſtatuere cõtendẽs: ipſa verò nequaquam cedere alterius voluntati acquieſcens: & ita fit, vt etiam incapax cõſilii ſalubris effectu in omnibus ſuo potius quam ſeniorum credat iudicio. His mens miſera laqueis ſemel inuoluta difficile iugum huius ſeruitutis poterit excutere. Statim enim vt talibus deprauatus etiam in minimis fuerit à ſeniore correptus, non ſolum veniam accipere negligit, ſed quod grauius eſt, verba excuſationis inſtruens culpam ſuam defendit. Siquidem cum cõtra monaſticam diſciplinam quippiam fecerit, vel correptus fuerit feciſſe, non dicit, culpa mea. vel, peccaui, ſed intentionem non requiſitus conatur depingere ſuam. Inſuper negligentias aliorum facilè reprehendit, aditus eorũ ſuſpicioſus obſeruat, & ne ipſe corripiatur ab aliis negligentias eorum obiicit ipſis: ad iudicandum ceteros facilis nemini parcit, niſi tãtum ſibi, mala diffamat, detrahit frequenter, ſuperiores rẽphendit, felicitate torquetur aliena. Vtilia quæq; ac bona in ſiniſtram partem interpretatur, dolet de profectu proximi, neminem ſe patitur ſuperiorem. Caput ſuum ſequitur errabũdus, cõſilia ſeniorũ ſpernit, ſe cunctis æſtimat meliorem. Siqd facit, ſi orat, ſi vigilat, ſi abſtinet, ex propria voluntate agit, non ex mandato ſuperiorum. Nam ſi præciperetur ei etiã, quod libenter fecerat, fieret tędioſum. En carnalis ſuperbię deſcriptio, quorſum miſerum trahat ſemel captiuum. MONACHVS. Quis ergo hominis ſic deluſi finis erit? poteſtnè aliquando à tam pernicioſo morbo auxiliante Deo conualeſcere? an deſperandus ſit? ABBAS. Nemo eſt deſperandus, quamdiu adhuc in corpore viuit. Potens eſt enim DEVS de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ. *Matt. 3.* Ipſe eſt enim qui iuſtificat impium. Sed difficile eſt valde hominem laqueis morbi prædicti ſemel captum & vinctum ſine gratia Dei ſpeciali poſſe reſurgere. Sed ſcire debes, frater, quod multi aliquibus prædictis inſidiis tentantur, qui tamen iuuante Deo minimè vincuntur. Qui autem omnibus ſimul impugnatur, vix ſine macula euadet. Multi tamen & tentantur, & ſuperantur, quorum finis ſine dubio interitus eſt. MONACHVS. Quomodo nam id fieri conſueuerit edicito. ABBAS. Iam huius tibi peſtis indicia deſcripſi, vbi etiam de qualitate periculi multa inſerui, quomodo monachum ad extremam vſque deducat infelicitatem. Quid infelicius monacho, qui obedientiam perdidit & ſubiectionem? Quisquis enim ſuperbię morbo fuerit occupatus, non ſolum nullam ſubiectionis, aut obedientiæ regulam cuſtodire dignatur, verum nec auribus qdem ſuis ipſã perfectionis doctrinã admittit, tantũq; cõcreſcit in corde eius ſpiritualis verbi faſtidiũ, vt cũ forte talis fuerit oborta collatio, vno in loco ſtare neſciat eius obtutus, ſed huc illucq; ſtupidus circumferatur intuitus & aliorſum in obliquum, quam moris eſt, oculi defigantur. Pro ſuſpiriis enim ſalutaribus, quæ in huiuſmodi collationibus deuotis quibuſque ſolent naſci, ſputa de gutture ſicco proiiciuntur, excreationes etiam ſine vlla interpellatione phlegmatis, puocãtur, digiti ludũt, & in modũ qddã ſcribẽtis volitãt, atq; depingũt, & ita huc atq; illuc vniuerſa membra corporis cõmouẽtur, vt dũ ſpiritualis agitat collatio totũ ſe vel ſcatẽtibus vermibus, vel acutiſſimis ſudibus credat inſidere, & qcqd ſenior ad ædificationem protuleritaudiẽtiũ, ob ſuã ſugillationẽ ęſtimet eſſe prolatum. Et ita fit, vt non ſolum in nullo ei proficiat collatio ſpiritalis, verumetiam dãnoſa magis exiſtat, efficiaturq; maioris cauſa peccati. Dum enim pro conſcientia ſua totũ contra ſe ſuſpicatur prolatũ, vehementiori cordis obſtinatione induratur, irę quoq; ſtimulis acrius inſtigatur. O quot talium ſunt hodie frater, quibus omnis collatio ſeniorum eſt oneroſa qui

Alia indicia.

*

qui has in se superbiæ qualitates præferentes omnibus volentibus proficere scandalo sunt & oneri? Quod ipsi non dixerint, malè suspicantur prolatum. Cito commouentur ad iram, leniſſimas quoq; correptiones impatientiſſimè sufferunt, oderunt corripientem: sæpe, quod nefas est etiam audire, conspirant in mortem. Omnia hæc radicem à superbia trahunt ac fomitem. Tu ipse nonnullos talium nosti, sed vide ne sit in consortio eorum anima tua, & pereas cum peccatoribus. Adhuc audi, qualia de se spiracula venenosa superbus carnalis emittat. Est illi post hæc excelsa vox, maximè dum ira pallescit, sermo rigidus, amara & turbulenta responsio, incessus erectus ac mollis, lingua facilis, procax loquela, nec vnquam, taciturnitatis amica, nisi cum contra fratrem rancorem quendam in suo corde conceperit, fitque silentium eius, non compunctionis, nec humilitatis vllius, sed superbiæ & indignationis indicium, ita vt quid in eo detestabilius sit haud facile discernatur, vtrum diffusa illa petulansq; lætitia, an dira hęc virulentaq; serietas. In illa namq; sermo non opportunus, risus leuis ac fatuus, effrenata ac indisciplinata cordis elatio, in ista verò ira plenum virulentumq; silentium, & quod ob hoc tantum concipitur, vt aduersus fratrem rancor taciturnitate seruatus protelari diutius possit, non vt ex eo virtus humilitatis ac patientiæ præbeatur. His descensuum gradibus ad ima deuolutus iam ipsam disciplinam cœnobii perhorrescit, ac veluti qui fratrum consortio de perfectione retrahatur, ac de bono patientiæ atq; humilitatis aliorum vitio & impedimento reuocetur, mutandi locum quærit opportunitatem, & ad eosdem se conuentus conferre ăxius insistit, vbi caritas maior sit inter fratres, ac regularis disciplinæ institutio. Vnde dicit. Hic vota mea Domino reddere nō possum, superiores nostri nullum affectum dilectionis nobis ostendunt, non est inter fratres sancta caritas fraterna, suspiciones & rixæ totam hanc impleuere congregationem. Deinde quatenus iustam recedendi à loco videatur habere occasionem Abbati suo quasi negligenti & inscio obloquitur, fratres vbicunq; potest diffamat, omnibusq; aduentantibus hospitibus & peregrinis, secularibus & religiosis suorum reuelat negligentias fratrum. Cumq; in hunc pernitiosissimum elationis morbum corruerit, vt nec verus monachus, nec secularis effectus sit, totus in reprobum sensum labitur, & spelunca fit latronum, & cauerna omnium vitiorum, tantaq; experitur tentationum incommoda, vt nefandissima quædā, quæ etiam nominare non licet, perpetrare non timeat. Ex hinc carnalis eum concupiscentia inuadit, excæcat, obdurat, & ligat, vt diebus ac noctibus nunquam pacem possit habere. In die iuges luxuriæ cogitationes mentem ipsius possident, carnis quoq; stimuli sine intermissione vexant, nocte autem patitur immundissima quædam in somnis, cum quibus in die cogitabundus ludebat: sicq; fit, vt quia originem vitiorū superbiam extinguere à principio neglexit, omnia in se simul vitia plantet. Huius viri, qui talis est, conscientia nunquam est quieta, non libera, non iucunda, semper tristis, semper anxia & pauida, & immortalibus stimulis sine intermissione agitata. MONACHVS. Quid est, quod iam paulo ante dixisti, quia videlicet superbus fratrum infirmitates in suæ instabilitatis trahat adminiculum. Certè à malis recedere vtile est, quia vt scriptura dicit, *q tāgit picem ingnabitur ab ea*, & ad sanctos conuolare laudabile dicente iterum scriptura. *Cum sancto sanctus eris.* In regula quoq; habemus, quod nonnunquam ordinatione diuina monachus de vno monasterio in aliud tranfertur. Quod ergo beatus BENEDICTVS concessit, tune negabis? ABBAS. Non nego id sæpius laudabiliter & vtiliter posse fieri, vt de vno monasterio ad aliud se transferat, sed nequaquam semper aut licere, aut expedire, confidēter affirmo. Certe, qui huiusce modi morbi insania laborat, de quo iam dictum, nec potest, nec debet à cœnobio proprio discedere, Dū causa iniusta, & mala est, vix vnquam effectus bonus erit. Qui de frattum caritate imminuta querulatur, discat ipse habere caritatem, & fratrem suum ante tempus ne iudicet. Qui bonus est, etiam inter malos potest manere bonus. q verò malꝰ est, bonorū rarò societate mutabitur. Terra salutiferas, eadēq; nocentes herbas nutrit, & vrticæ proxima rosa sæpe crescit. Si locus sanctificaret hominem, nequaquam de cælo Lucifer corruisset. Si bonorum societas malos efficeret bonos, cur Iudas

Describitur monachus in proposito deficiens.

Eccl. 13. Psal. 17.

An monachum conueniat migrare in aliud cœnob.

in collegio sanctorum Apostolorum impius repertus est? Quorsum cunq; se verterit impius, sequitur ipsum semper iniquitas eius. Infirmitatis maximæ est aliorum non posse sufferre infirmitates. Qui fratres de amissa caritate tam temere iudicat, ipse se caritatem non habere demonstrat. Nec tamen cum omnino malis permanendum censeo, si nulli inter eos boni habeantur, ne Loth cum Sodomitis pereat secedendum erit à loco. Sed vbicunque boni mixti reperiuntur malis, vel vbi tria substantialia religionis vota obseruantur, nec personæ ibi habitantes publicè sunt infames, & vbi vitia corriguntur, & disciplina aliquo modo seruatur, poterit se quilibet proficere volens sine periculo stabilire. In omnibus autem actibus nostris causæ requirendæ sunt.

CAPVT. V.

DE TENTATIONIBVS VANÆ GLORIÆ.

MONACHVS. Vanæ siue inanis gloriæ tentationes etiam plerunq; accerrimas suggerente cogitatione suffero, quas quomodo vincere debeam ignoro. Dicit mihi itaq; cogitatio. Age bonum, quod vales: ostende cunctis bonum quod agis, vt bonus, sanctus, & iustus ab omnibus dicaris; vt doctus, sapiens, & venerabilis à cunctis prædiceris, vt homo Dei voceris, vt nemo te contemnere audeat, vt omnes diligant te ac venerentur, quatenus aliquando in Priorem eligant, aut Abbatem. Non patiaris quicquam bonorum quæ agis in occulto latere, cuncta profer ad lucem, vt fratrum in te trahas affectus. ABBAS. Pharisæorũ iustitia erat in ostentatione operis, non in rectitudine intentionis, in locutione, non in opere, in corporis afflictione, non in mandatorum obseruatione. De quibus veritas dicit. *Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.* Matt. 23. Sed terribile est valde, quod sequitur, & omnibus metuendum hypocritis. *Amen*, inquit, *dico vobis, quia receperunt mercedem suam.* Fuge pro omnibus hypocrisin, si adeo expectas remunerationem bonorum. Subtile malum est, secretum virus, venenum latens, virtutum extirpatrix, tinea sanctitatis. secreta simulat, prospera fallit, curiosa mentitur, & crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum. Nam ieiunum ieiunio perimit, oratione orationem vacuat, misericordiam miseratione prosternit. Sed de hac in posterioribus loquemur. Ceterum de vana gloria, qua te querularis impugnari, notandum quod multiplex est. Nam & in habitu, & in forma, in incessu, in voce, in opere, in vigiliis, in ieiuniis, in oratione, in solitudine, seu quiete, in lectione, in scientia, in taciturnitate, in obedientia, in humilitate, in longanimitate militem Christi vulnerare conatur, & velut quidam pernitiosissimus scopulus tumentibus vndis obiectus improuisum ac miserabile naufragium prospero nauigãtibus vento, dum non cauetur, nec prævidetur importat. Ideoq; scriptura dicit. *Beatus homo, qui semper est pauidus: qui autem mentis est duræ, corruet in malum.* Iste morbus velut latruculus quidam proficientium semitas ex omni parte obseruat, vt siue ad dextram declinemus, siue ad sinistram, eius nequaquam valeamus effugere insidias. Hæc enim pestis viros volentes proficere inuadere conatur, contra quam nos dimicare scriptura hortatur in locis pluribus, quando ait. *Non declines ad dextram, neq; ad sinistram*, id est, ne tibi de virtutibus blandiaris, ac dextris successibus & spiritualibus extollaris, nec deflectens ad sinistrum tramitem vitiorum secundum Apostolum gloriam tibi ex eis in tuam confusionem conquiras. Vis scire quomodo aditus viarum nostrarum obseruet? His intende quæ dico. Quem spiritus vanæ gloriæ in veste pretiosa decipere non potest, hunc in squalida superare conatur. Et quem non potuit per honorem deiicere, humilitate supplantat. Quem scientiæ & elocutionis ornatu nequi-

Vana gloria multiplex.

Prou. 4.

qſiuit extollere, grauitate taciturnitatis elidit. Si ieiunet palam, gloria vanitatis pulſatur. Si illud cauſa humilitatis contexerit, eodem vitio elationis obtunditur. Orationes quoq; prolixas, ne vanæ gloriæ fæditate maculetur in publico facere vitat, & in ſecreto cubiculi ſui clauſo quoq; oſtio orans nequaquã inanis gloriæ aculeos euadit. Diſputantibus aliis, atq; de ſacra ſcriptura conferentibus ne vanæ gloriæ notã incurrat tacet, & accedit ei pro ſilentio grauior pugna. Nemini parcit iſta tentatio, bonos perſequitur, nec à malis quidem cohibet rete ſuum. Nulla eſt enim tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tangatur. Alium tentat ſuggerendo, quod patientiſſimus ſit operis ac laboris: alium, quod humilitate cæteros præponderet, conatur extollere. Alius ſcientiæ, alius eloquentiæ, alius lectionis, alius vigiliarum prolixitate tentatur. Non ergo mireris frater, ſi & tu hac tentatione impugnaris, qua pœne omnes tentantur, qui DEO placere deſiderant. Nec aliâs quemquam hic morbus niſi ſuis nititur virtutibus ſauciare, in his offendicula tendens interitus, in quibus vitæ ſtipendia conquiruntur. Nemo enim de ea virtute tentatur, quam in ſe non habuerit. De continentia ſcortum non impugnatur, nec de abſtinentia ebrius, nec de humilitate ſuperbus. Qui enim hac impugnatione tentantur, non de alia re, quam quæ laude videatur digna, extolluntur. Hinc propheta ait. *In via hac qua ambulabam abſconderunt laqueum mihi.* Neq; autẽ ait ſimpliciter, in via, ſed adiungit, qua ambulabam, vt intelligas in ea via virtutum quemlibet tentari ab hoc vitio, qua graditur tendens ad brauium vocationis ſupernæ. Non enim aliunde, quã virtutum eius, quem impetit, ſucceſſibus animatur. MONACHVS. Sed nunquid incipientes tam acriter huiusmodi paſſio tentare poterit, qui nihil fecerunt, vnde glorientur? ABBAS. Si impugnatione vanæ gloriæ non pulſarentur etiam ipſi incipientes, tu ipſius ſuggeſtione nequaquã tentareris. Nunc autem, quia & ipſe, qui nihil laude dignum feciſti, quoniam necdum bene incepiſti huius venationis laqueos euadere non potuiſti, experientia potius, quam verbo præpoſitæ quæſtionis veritatem edoceris. Scire ramen debes, quoniam aliter tentantur incipientes, atq; aliter proficientes, ſiue perfecti: ſi tamen & illi tentari ſolent, ego nec perfectus ſum, nec perfectorum experior certamina. Itaq; ſolet incipientium mentes atq; eorum qui minus adhuc vel virtute animi, vel ſcientia profecerunt, aut propter ſonum vocis extollere, quod ſcilicet modulatius & dulcius pſallant, aut quod ſint exeſis carnibus, vel corpore lautiores, vel facie venuſtiores, vel manibus digitiſq; pulchrè ornati, aut quod parentes diuites & nobiles habeant, vel cognatos multos atq; potentes. Interdum etiam dignitates & opes, quæ forte nec apprehendi quidem aliquando potuiſſent perſuadet quempiam facile potuiſſe adepturum, ſi perſeueraſſet in ſeculo vana ſpe etiam de incertis inflans eum, & de his quæ nunquam poſſedit, velut qui ea contempſerit gloria vanitatis extollens. Multos quoq; alios atq; diuerſos huius pugnæ agones experiuntur nouitii incipientes. Poſtquam verò ad viam pietatis gradiendam calcatis puerilibus greſſus fixerint, altiora etiam vanę glorię certamina habebũt. hæc tentatio non facilè expellitur, ſed mox vt victa fuerit fortius ad pugnam conſurgit. MONACHVS. Sed dicit beatus IOANNES epiſcopus. *Imprimis grauis & inſuperabilis eſt impetus diaboli, quod ſi quis animo forti ſuſtinuerit, in ſecundo ſentiet eum infirmiorem.* Et B. PETRVS Apoſtolus. *Reſiſtite,* inquit, *diabolo, & fugiet à vobis.* Cum ergo conſtet vanam gloriam tentationem eſſe diabolicam, & hi duo dicant eum ſemel ſuperatum ſecundo fieri infirmiorem; quomodo tu dicis ſemel victum fortius reuerti ad pugnam? Si vinci non poteſt fruſtra cum fortiore initur certamen. ABBAS. Vanæ gloriæ tentatio vinci quidem poteſt, ſed totaliter extirpari vix poteſt, niſi quis deſierit eſſe virtuoſus. Solum enim peccatum tentatione caret. Itaque, vt diximus, omnia vitia ſuperata marceſcunt, & devicta per ſingulos dies infirmiora redduntur, & vel loco, vel tempore minuuntur, atque deferuent, ſeu certè à contrariis virtutibus diſſidentia, vel cauentur facilius, vel vitantur. Hoc verò vanæ gloriæ vitium deiectum acrius reſurgit ad luctam, & cum putatur extinctum ſua morte viuacius conualeſcit. Cætera genera vitiorum eos tantum im-

Vana gloria etiam virtuti inſidiatur

Vana gloria vt tẽtet incipientes.

Chry. in Matt.

1. Pet. 5.

Vanæ gloriæ tentatio vix vincitur.

Pſal. 141.

impugnare solent, quos in certamine superauerint: hoc verò suos victores acrius insectatur: quantoq; fuerit validius elisum, tanto vehementius victoriæ ipsius elatione congreditur. Et hæc est subtilis inimici versutia, vt militem Christi propriis faciat iaculis occumbere, quem hostilibus armis superare nō potuit. Cetera etiam vitia à contrariis sibi virtutibus dissidentia, & ex aperto tanquam clara luce bellantia, & superantur facilius, & cauentur frequentius. Hoc autem virtutibus insertum, & aciei promixtum velut in nocte dimicans atrocius inopinatos decipit & incautos. Sub pallio se virtutum abscondit, & subitò consurgens cum virtutibus contra virtutes dimicat. Mille nocendi vias exquirit, & in vna parte vincitur, in altera acrius instruit classem. Hæc pestis velut vermis virulentus, quicquid suo morsu semel contaminauerit, tabescere facit & inutile. Multa tamen contingere tentat, quæ apprehendere minimè valet. MONACHVS. Quid igitur contra tam occultum, tamq; pernicioſum morbum faciendum est? Remedio vtiq; salubri sanari potest. ABBAS. Multa nobis contra hanc pugnam sacra scriptura monita præbet. Dicit enim Dominus in Euangelio. *Dum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Matt. 6. Et de oratione quidem ait. *Tu autem cum oraueris intra cubiculum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito,* &c. De ieiunio autem. *Cum ieiunatis, nolite fieri, sicut hypocritæ tristes.* Et post pauca. *Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum, ne videaris ab hominibus ieiunans.* Hinc Apostolus ait. *Nolite fieri inanis gloriæ cupidi.* Gal. 5. Itaq; miles Christi, qui verum ac spiritalem agonem legitimè certare desiderat, hanc multiformem, variamq; bestiam omnimodis superare festinet. Quam si euadere cupimus, cogitemus imprimis illud Dauidicum. *Dominus dissipauit ossa eorum, qui hominibus placent; confusi sunt, quoniam Dominus spreuit eos,* Psal. 52. nihilq; vanitatis, ac inanis gloriæ causa facere præsumamus. Cogitemus sedulò, quā vana sint omnia, quæ in mundo cernuntur. perit omne, quod propter gloriam Dei non geritur. Vbi sunt amatores mundi inanis gloriæ cupidi, qui ante pauca tempora nobiscū erant? mortui sunt, nihil ex eis remansit, nisi cineres & vermium putredo. Deinde ea quæ bono initio fecerimus obseruatione diligentissima custodiamus, ne omnes laborū nostrorum fructus post irrepens vana gloria consumat. Quicquid etiam in conuersatione fratrum minimè recipit, vel exercet, omni studio vt iactantiæ deditum declinemus, & ea quæ nos possunt inter ceteros notabiles reddere, ac veluti solis facientibus laus apud homines sit conquirenda vitemus. Legimus enim de S. BERNARDO, quod quam diu occultum poterat manere cilicium portabat ad carnem; vbi autem innotuisse ceteris perpendit, reiecto à se cilicio ad communia se transtulit. Quod idcirco sine dubio faciebat, ne vanitatis maculam incurreret, & ne fratres omissis communibus in sola singularitate æstimarent acquirendam sanctitatem. Regula enim beati BENEDICTI vnicuiq; sufficiens creditur ad perfectionem sanctitatis. Et ergo fugienda sunt, quæcunq; communis monasterii regula laudabilis non tenet. Poterit tamen in deserto, quilibet agere, quantum sibi ex eadem regula permittitur, sed in aperto communibus sit contentus. MONACHVS. Si bona quæ facimus occultanda sunt, quomodo implebitur illa sententia Domini dicentis. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.* ABBAS. Qui iubet nos per bona opera ædificare proximum, præcipit etiam ostentationem fugere, dicens. *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Bonū est coram homnibus bona facere propter ædificationem; sed malum est aliquid tale agere propter vanæ gloriæ ostentationem. Ideoq; si quid boni agimus nec pro humanis, sed pro æternis fauoribus faciamus, desideremus esse occultum. Quod si ex toto occcultare non possumus, sit saltem in animo occultandi voluntas. Non enim ostentationis arguitur, qui desiderat esse occultum, quamuis in lucem veniat, quod operatur. Ad ædificationem occulta bona opera hi ostendere possunt, qui nullis vanæ gloriæ stimulis agitati, de opere nullum omnino requirunt fauorē. Sic B. DOMINICVS de adiutorio Dei confisus, q; noxam vanitatis non contraheret, vt superstitiosas mulierculas ad veram fidem Catholicam perduceret, sanctam coram eis hypocrysin simulauit.

In eius vita.

Matt. 5.

Matt. 6.

In eius vita.

Mo-

MONACHVS. De futura etiam sanctitate superba se mens sæpe iactitat, & de iis plerunque gloriatur, quæ forsitan nunquam apprehendet. Spondet & promittit sibi perfectionem, signa quoque virtutum futura, atque miracula. ABBAS. nihil sic à perfectione retrahit conantem, sicut pestis huiusmodi, quam enarras, si monachi semel possederit mentem. Et ideo multi sunt, quos amor perfectionis inflammat, sed peste inanis gloriæ se opponente ad ea quæ cupiunt peruenire non possunt. Mox enim, vt aliquid boni cœperint, iam sanctos se æstimant atque deuotos, alios iudicant, spernunt ceteros, se cunctis reputant meliores. Hi tales sanctitatem quidem concupiscunt, non simpliciter propter DEVM, sed stultam sibi imaginationem proponentes in cogitationibus suis sedulo gemunt, & dicunt. Vtinam si posses talem comprehendere sanctitatem, qualem ille vel ille sanctus habuit, vt consolationibus ac reuelationibus diuinis fruereris, vt miraculis coruscares, vt ad tactum tuum sanarentur infirmi, vt ex reuelatione cognoscceres Dei futura, vt hominum noscceres secreta, si hanc, inquam, posses consequi perfectionem, cunctis venerabilis fieres, atque admirabilis. Ex hoc incipit interdum ostendere, quod non est, vt videatur esse, quod superbè concupiscit. Humilitatem ostendit in opere, quam non habet in corde: fingit se caritate esse plenum, & inuidia tabescit intrinsecus. Coram fratribus, quæ ad ædificationem pertinent, loquitur, vt talis videatur esse in opere, qualis appareat in sermone. Sed quorsum ista? Non magnopere, quomodo hæc mala crescãt, indagandum est, sed qualiter queant exstirpari. Quid stultius, quam de ea re sibi blandiri, quam apprehendere quis non valet? Quamdiu in animo tuo hæc tentatio prævalet, ad perfectionem peruenire non potes. Si iam miraculorum ostensione coruscares, non eo sanctior esses. Miracula sanctum non faciunt, quia & quibusdam in iudicio extremo dicentibus: *Domine, nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus*, dominus dicturus est. *Non noui vos. discedite à me operarii iniquitatis.* Si miraculorum frequentia sanctum quenquam facit, cur hos Dominus miracula facientes se nescire perhibet? Considera ergo, quoniam in signis sanctitas non est, quando miraculorum factores à Domino reprobantur. Denique, cum Dominus binos discipulos ad prædicandum mitteret in omnem ciuitatem, ad quam ille venturus erat, & illi reuersi de miraculorum perpetratione gloriarentur, increpans eos aiebat. *Videbam*, inquit, *Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Et ideo subiungit. *Nolite gaudere, quia vobis dæmonia subiiciuntur, sed gaudete quoniã nomina vestra scripta sunt in cœlis.* O quã pernicioſus est hic morbus animabus, quas cum potenter à via perfectionis retrahit, vt ne minimam quidem proficiendi semitam pergere valeant, in corde latitans cuncta virtutum opera infructuosa facit, bona quæque consumit vt tinea, perforat, annihilat, conculcat, & corrodit. Qui huic subiacet vitio semper instabilis est, & nunquam in vera tranquillitate mentis pacificus. Hodie multa bona proponit, vitam notabiliter emendare instituit, mores componere, sanctos Patres imitari contendit: Sed in hoc proposito perseuerare non potest, quia verum religionis fundamentum humilitatem in suo pectore non collocauit. Diu namq; in sancto proposito consistere nequit, qui omnium virtutum in se radicem humilitatem non plantauit. Mox enim vt aliqua tentatione tangitur, à feruenti proposito torpescit, quo ad horam flagrare videbatur. Hinc stimuli carnis oriuntur, & concupiscentiæ malæ, suspicioſæ cogitationes & anxiæ, & conscientiæ bonæ nouerca tristitia. In hac negligentia iterum moratur depressus, & dolore infructuoso conteritur, quia tam miserè cum seipso colluctatur. Post aliquot dies, hebdomades, aut mẽses iterum spiritu sanctitatis in die volantis, & nunquam stabilis tangitur, emendationẽ proponit: & dicit. Ecce nunc realiter emendabo vitam, nequaquã vt antea per negligentiam corruam, sed sanctos imitabor Patres, eroq; Deo auxiliante similis illis. Quo iterum concepto spiritu deuotus valde efficitur, orat assiduè, illicitas detestatur cogitationes, bonis insistit operibus, & dicit. Non mouebor amplius Sed vix octo elapsis diebus iterũ p negligentiã torpescit, & in hoc torpore multo diutius iacet, quam in sancto proposito antea

Vanæ gloriæ cogitatio.

Miracula non faciunt sanctum.

Matt. 7.

Luc. 10.

Inconstantia deditorum vanæ gloriæ.

antea stetit. Facillimè namq; ad hanc torporis & tepiditatis foueam cadit, sed vix in multis diebus cum magna difficultate resurgere valet. Si autem iterum surrexerit, iterum quoq; cadit, & diutius in sancto proposito non persistit, quam momentaneus ille spiritus feruoris in suo pectore volauit. Sicq; fit, vt quoniam fundamentum non locauit humilitatis, toties virtutum ædificium ruat, quoties sursum erigitur. In hoc certamine miser constitutus toties vincitur, quoties se æstimat victorem. Ex hac mutua collisione tanta plerunq; tristitia oritur, vt prope mens in desperationem lapsa dicat Quid frustra deciperis? quousque hanc colluctationem miserrimam sustinebo? Pluribus ecce iam annis in hoc certamine constitutus semper ad pristinam sum relapsus negligentiam. Nequaquam me iam vltra fatigabo frustra. non enim potero emendare. Sufficiat mihi, vt sim sicut antea fui, & non sentiam hanc pugnam durissimam. Hæc & his similia imò deteriora in iugi colluctatione potius intra semetipsum graui dolore rimatur, & tanto minus proficit, quanto à vera humilitate longius recessit. Si verè superata tristitia iterum sancto desiderio inflammatus fuerit, ad primum mox luctamen inuitus recurrit, & more ligni aridi quod super spumantes fertur vndas, modo in sublimi natat, modo sub aqua suppressum ducitur. Et in his omnibus perfectionem misera sibi mens spondet, quam vt certissimum sic nunquam apprehendere potest. MONACHVS. Vera sunt, quæ locutus es, & quasi de secreto cordis mei prolata. Hoc enim certamine, vt verum fatear, sæpe multumq; laceßitus succubui. Quid igitur faciam Pater? ABBAS. Collige in vnum, quæ superius de hac materia dicta sunt, & huius miserandi certaminis nullam aliam causam inuenies, quam secretam & latentem elationem. Qui enim, sicut præfatus sum, adhuc elationis, & vanæ gloriæ vitio tangitur, ad perfectam vitæ pristinæ emendationem attingere non permittitur, sed in hoc certamine ponitur purgandus, vt humiliatus discat illud orare Dauidicum. *Psal. 113. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Si igitur ab hac pugna liberari desideras, discе sanctæ humilitatis & patientiæ formas, quia quamdiu subtili domino elationis seruis, non poteris culmen apprehendere virtutis & perfectionis. Discе igitur primo humilitatem, & quicquid in nomine Domini inchoas vitio carebit. Sed quia, vt iam dictum est, multis in hoc certamine aliqui perseuerant annis, hoc quoq; tibi dixerim: quia nisi violenter surgens firmus in proposito steteris, toties relaberis, quoties surgere conatus fueris. Nisi enim tibi ipsi vim inferre studueris, nec à consuetudine pristina surgere, nec ad culmen sanctitatis conscendere valebis, quo tendis. Oportet ergo, vt in impetu spiritus consurgas, & nulla tentatione à bene cœpto semel itinere retraharis. Quoties à tentatione aliqua mala pulsaris, ad spiritualis Patris, qui ædificare te possit, aut senioris religiosi cuiuslibet examen recurras, quid intrinsecus patiaris fideliter sine palliatione referans: qui quicquid tibi in nomine Domini præceperit, sine cunctatione aliqua facere satage. MONACHVS. Alia interdum potest suboriri cogitatio vanitatis, quæ dicat. Fac aliquid boni, atq; opus insigne, vt post mortem tui quoq; memoria habeatur. O vtinam si tale sapientiæ donum accepisset à DEO, quale suscepit ille, grande aliquid faceres in doctrinis scripturæ sacræ, vt omnes, qui post te futuri sunt, te in laude habentes admirarentur. *Vanæ gloriæ alia tentatio.* ABBAS. O insipiens, quid prodest tibi post mortem ista memoria? quid tibi cõferet, si vbi es torqueris, & vbi non es, laudaris? Labora potius, vt in illa memoria habearis, de qua propheta dicit, *In memoria æterna erit iustus.* *Psal. 111.* Hominum enim memoria obliuione terminabitur, diuturnitate euanescit, quia æterna non est. Quid mihi eorum memoria conferet, quo amplius futurus non sum? Ecce ego, qui modo huius cœnobii clausura detineor, quid de fauore lucrabor hominum, quos aliquando vidi, nec vltra videbo? Quid prodest homini in terra Hierosolymorum peregrinari, nunquam reuersuro, nec visuro, nec audituro laudatores suos, si in Moguntia Germaniæ multum laudetur? Vanitas insana id appetere, quod nec iuuat, nec prodest. Si post mortem cęlorum habitaculo receptus fueris, superfluè tui memoria geritur in terra, quia in memoria æterna constitutus laude non eges humana. Si autem, quod absit,

Laudes humanæ contemnendæ.

sit, inferni te claustra susceperint, non poterit te laus saluare humana, quem semel ad infernum culpa demersit propria. Sed magis tibi timendum est, ne quem fauor extollat humanus, ibi atrocius torqueat infernus. Desiste igitur ab hac stultitia, & noli laudes hic quærere, quæ tibi causa sunt miseriæ & damnationis. Disce magis nesciri, quoniam Deus scrutator est cordium, qui teste non indiget, nec laudatore in remuneratione tui. Quia verò de hypocrisi me in fine huius capituli superius promisi acturum, si eius certamine pulsaris, poteris referare. MONACHVS. Imò recordor sponsionis, & tacitus præstolabar effectum. Nunc itaque, quoniam de hac re interrogas, sine simulatione eius in me experta venena denudabo. Dicit enim aliquando cogitatio. Ne à cūctis detesteris, finge te foris esse, quod intus non appetis. Ostende in moribus disciplinam, in oratione & psalmodia deuotionem, in gestu humilitatem, in correptionibus patientiam, in collocutionibus caritatem. Si enim te talem foris ostenderis, qualis intus es, detestabuntur te fratres omnes, nec poteris eorum in te trahere affectus, neq; dominandi super eos vllo modo consequi potestatem. ABBAS. caue animæ tuæ ab hypocrisi, quia nihil sic exterminat omne bonum, sicut simulatio. Si castum te simulas, & aliud est in conscientia, gloriam habes mercenarii & pœnam peccatoris. Si te simulas esse, quod non es, intuentes per mendacium decepisti: porrò os quod mentitur occidit animam, quia *perdet Deus omnes, qui loquuntur mendacium.* Cuius mentem hæc pestis pernicioſa semel inuaserit, omni virtute eum expoliat, & vitiorum cunctorum laqueis inuoluit. Vult enim hypocrita humilis videri, non esse, pauper sine defectu, bene vestiri sine solicitudine, delicatè pasci sine labore, sanctus reputari sine opere. Nulla res sic exhaurit animæ vires, sicut hypocrisis. nam malum sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, non cauetur. Diuersicolor est omnis hypocrita. aliis adulatur, aliis detrahit, mordax vt canis, dolosus vt vulpes, superbus vt leo, tristis vt cattus, quia cito de illata sibi contumelia tristatur, & dolet, nec impatientiam suam diutius cohibere potest, quia qualis quisque apud se lateat,

Contra tentationem hypocrisis.

Psal. 5.

illata contumelia probat. In pelle venit ouina, sed intrinsecus est lupus rapax, mellis dulcedinem, id est, inanis gloriæ quærit vt vrsus: in odio viuit vt accipiter, vitia specie celat virtutum. Vult esse sine auctoritate iudex, sine visu testis: vnde sæpe loquitur mendacium pro veritate, falsus accusator, & omni veritate carens. Hypocritæ sicut sepulchra foris dealbata sunt, intrinsecus spurcitia, & omni immunditia pleni, de quibus Dominus dicit. Væ vobis hypocritæ, quia mundatis tantum, quod deforis est. Quid est vita hypocritæ, nisi quædam visio phantasmatis, quæ hoc ostendit in imagine, quod non habet ex veritate? Sed exitus manifestat, quod à principio celabatur, & quæ dubia sunt in origine, probantur in fine. Laus enim hypocritæ breuis, & gloria eius ad instar puncti. Depone igitur omnem simulationem, satage esse quod non es, vt magis bonus & virtuosus sis, quam videaris. Simulata namque æquitas, non est æquitas, sed simulatio, & duplex iniquitas. MONACHVS. Deinde superba iterum cogitatio inobedientiam suam colorare volens, dicit. Ego illi obedire non valeo, quem me deteriorem cerno. Bono quidem & sancto Prælato promptus obedirem, sed huic non possum obedire, quem tali video conuersatione, vt nec auctoritate dignus sit, nec officio Prælationis viuere. Te magis, quam illos, deceret imperare, qui tibi non possunt ingenio vel industria coæquari. ABBAS. Sed meminisse debes Dominici præcepti, quo dicitur. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Et ne putares bono tantum Prælato, & non etiam malo in licitis & honestis fore obediendum, in alio loco de Pharisæis & malis Prælatis fidelibus dicit. *Omnia quæ vobis dicunt, illa facite: quæ autem faciunt, nolite facere.* Et Apostolus Paulus. *Non est,* inquit, *potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Quales autem debeant esse ii, qui imperant, non est discutiendum à subditis. Ipsi habent iudicem suum districtum, qui iudicabit omnes actus eorum. Quod verò etiam malis Prælatis in his quæ ad officium eorum pertinent, obediendum sit, Beatus PETRVS in sua ca-

Hypocrita describitur.

Obedientia etiam malis prælatis debetur.

Luc. 10.

Matt. 23.

Rom. 13.

1. Pet. 2. nonica ostendit, dicens. *Serui subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis*: Tu autem quis es vt iudices Prælatum tuum? Superiorem habet, à quo procul dubio iudicabitur. Cæterum, quam præsumptuosum, quamque stultum sit imperio se dignum iudicare, & aliis potius imperare velle, quam imperari, omnis sanctorum Patrum doctrina conclamat. Dicit enim Paulus. Heb. 5. *Nemo sibi assumit honorem nisi qui vocatur à Deo sicut Aaron.* Discipulatus enim securus est. magisterium autem periculis plenum. Tutius namq; est regi, quàm regere: quoniam quanto quis in eminentiori constitutus est loco, tanto maiori versatur in periculo. Desine ergo ab hac stulta cogitatione, nihil in magisterio sine mœrore & solicitudine. Discere magis, quia non solum Abbati, aut Priori sed secundum regulam sibi quoq; inuicem fratres obedire in caritate tenentur. Sed iam finem his imponamus sermonibus, vt ad alia transire possimus.

CAPVT VI.

DE TENTATIONE AVARITIÆ ET CVPIditatis.

MONACHVS. Auaritiæ quoq; & cupiditatis facibus nonnunquam accendor, vt ea concupiscere soleam, quæ non habeo, nec forsitã habere expediret. Sanè quamuis argentum non concupiscam, aut aurum, non tamen à cupidine sum alienus. Dicit namq; cogitatio nequam. O si tantam haberes in sacra scriptura scientiam, quantam ille dinoscitur habere, vel ille. Hinc ista concupiscentia fit maior, quia scientiæ video succedere honores. Sed quamuis auaritiæ tentationes nondum expertus sim, maximè ex eo, quo monachus factus sum, ne tamen huiusmodi tentatio auri aut argenti imparatum me quomodolibet occupet in futurum, aliquid contra hanc pestem edisserere non graueris.

Monachus nihil habere debet sine facultate Abbatis.

ABBAS. Non te à tentatione auaritiæ ęsti mes alienum, quia non in sola pecunia auaritia est, sed in omni quoq; re, quæ pecunia comparatur. Monachus non solum pecuniam habere non debet, sed nec aliud quidquam, quod Abbas non dederit, aut permiserit. Possibile namq; est etiam non habentem, aut concupiscentem pecunias, nequaquam auaritiæ morbo carere. Si codicem pulchrum concupiscis, si cappam, si rem aliquam aliam, quam habere tibi non licet, auaritiæ sine dubio morbo laboras. A quo sibi monachus diligentissimè caueat, ne anima eius semel inhærens difficile sanari possit. Nam quanto facilius in principio caueri, ac respui potest, tanto neglectus & intermissus semel cordi fit pernicioſior cunctis difficiliusq; propellitur. Malorum namq; omnium efficitur radix multiplices fructificans fomites vitiorum. Est enim secundum dictum Apostoli, *non solum radix malorum, sed & seruitus idolorum.* Auaritia inimica est caritatis, omnisq; virtutis æmula, regna dissipat, gentes conturbat, corrũpit mores, aufert famã pariter & honores. Plena est omni dolo, decipit assiduè & occidit frequẽs in mẽdacio. Monachum in monasterio residere nõ patitur. 1. Tim. 6. Eph. 5.

CETERA DESIDERANTVR.

IO. TRITH.
De vitio pro-

IO-

IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEMENSIS DE VITIO PROPRIETATIS MONACHORVM.

LIBER.

Argumenta singulorum Capitum.

CAPVT I. Monachi proprium esse voluntatem propriam abnegare, & Christi vestigiis insistere.

II. De tribus votis substantialibus monasticæ religionis, quibus omnis religio innititur.

III. Quam periculosum sit votum non reddere.

IV. Quod ius canonicum proprium Monacho sub grauissimis pœnis simpliciter interdicat.

V. Ex dictis S. Patrum probatur, quod peculium monacho penitus interdictum sit.

VI. Vtrum Abbas monacho possit concedere proprium?

VII. Contra excusantes proprietatis vitium.

VIII. Quod ex proprietate monachorum multa mala, & pericula animarum proueniant.

IX. Quemadmodum monachi debeant habere necessaria.

X. Contra proprietatis vitium admonitio.

IOANNIS TRITHEMII DE PROPRIETATIS MONACHORVM OPVSCVLVM.

CAPVT I.

MONACHI PROPRIVM ESSE, VOLVNTATEM propriam abnegare, & Christi vestigiis insistere.

OMNES ad vitam æternam sine personarum acceptatione sumus vocati: omnes etiam illuc peruenire cupimus: sed ambulare per angustum iter omnes formidamus. Dicit autem scriptura. *Regnum Dei vim patitur: & violenti rapiunt illud. Angusta siquidem est via quæ ducit ad vitam:* Matt. 11. Matt. 7.

tam: & pauci sunt qui ambulant per eam. Quæ est angusta via? Propriam voluntatem ꝓpter Dei amorem deserere, voluptates carnis non amare, mundum & omnia quę illius sunt contemnere, patientiam in aduersis habere, iniuriam non vindicare, inimicis benefacere, odientes se diligere, diuitias terrenas cum affectu habendi derelinquere, voluntariam paupertatem in humilitatis spiritu diligere. Hæc est angusta semita: hoc arduum salutis iter: hæc via quæ ducit ad vitam æternam. De hac semita Dominus dicit. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me.* Crux nostra fratres propriæ volũtatis abnegatio est: vt secundum spiritum conuersantes carnis desideria non faciamus. Quid voluntatem nostram quærimus, si veri monachi sumus? Ecce Dei filius facere voluntatem pro nostra salute propriam noluit: & nos maioris imperio reluctamur? Nunquid non ista est ampla via, quæ ducit ad perditionem? in qua omnes, quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi? Si monachus es, ad quid voluntatem tibi vsurpas alienam? Enimuero, postea quam iugo regulæ caput tuum submisisti, voluntas tua non amplius tua est, sed eius quem ducem & moderatorem tibi pręfecisti. Iam itaque missa manu ad aratrum non licet tibi post tergum respicere: nec voluntatem tuam debes constituere: quia viam Dei angustam alius nemo in veritate graditur: nisi qui carnis concupiscentiæ forti animo reluctatur.

Arcta via quæ?

Matt. 6.

Monachi est abnegare voluntatem.

Psal. 1. *Beatus qui non abiit in consilio impiorum: & qui in via peccatorum non stetit:* nec post *Psal. 118.* mundi vanitates ambulauit, *Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.* Felix homo qui per angustum iter graditur: qui Dominum Iesum pro posse imitatur: qui voluntatem suam intuitu salutis deserit: qui contempto mundo se alterius imperio submittit. Et quanquam in seculo ista possit haberi conuersatio: quia tamen paucis hoc posse conceditur, propterea nobis monastica religio à sanctis persuadetur. Multis enim occasionibus delinquẽdi vita secularis inuoluitur: magnis terrenarum solicitudinum curis anxiatur: & in bono proposito stabilis nunquam permittitur. Hodie se ad Dominum proponit conuertere: & eras de mundi negotiis compellitur iterum cogitare. Quisquis ergo omnipotenti Deo in libertate spiritus famulari desiderat: ad tutissimum quietis portum se conferat, & contempto seculo rebusq; mundi, collũ institutis regularibus humiliter submittat. Hæc summa philosophia est: Christũ pro posse imitari: qui in Euangelio dicebat. *Non veni facere voluntatem meam: sed eius qui misit me patris.* Oportet ergo volentem Christum imitari: omnem à se mundi huius substantiam alienam facere: & obedientiam euangelicam studiosius obseruare. Sic enim ipse Dominus præcipit. *Qui non renunciat omnibus quæ possidet: non potest meus esse discipulus.* Et iterum. *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & veni sequere me: & habebis thesaurum in cælis.* Hæc sunt præcepta eorum, qui seculo renunciant: qui in monasteriis constituti vitam regularem obseruãt, q; in semitis obedientiæ cõuersantur. Alia enim sunt præcepta quę dantur fidelibus communem in seculo vitam agentibus: atque alia mundi actioni renunciantibus. Illis namque præcipitur, vt omnia sua bene gerant: istis, vt omnia sua derelinquant. Illi præceptis generalibus astringuntur: isti præcepta communia perfectius cõuersando transcẽdunt. Monachis verò, qui ad perfectionem tendũt, non sufficit omnia relinquere, nisi etiam curent Christum sanctis moribus imitari. Quæ est imitatio Christi? Obedientiam colere, humilitatem & patientiam custodire, castitatẽ amare, sup omnia seruare charitatẽ. Ipse humilitatis & pauptatis amator est: imitatores humiles & pauperes spiritu req;rit. Hinc ad fidelẽ animam per prophetã dicit. *In camino pauptatis elegi te.* Et in Euãgelio ad discipulos. *Beati,* inquit, *pauperes spiritu, quoniã vestrũ est regnũ cælorũ.* Nõ omnes beati sũt pauperes: sed illi dũtaxat, q; in spiritu humilitatis & in animo contrito, spretis omnibus Christũ in intimis sequuntur, quiq; veraciter dicere ad Dominum possunt. *Ecce nos reliquimus omnia: & secuti sumus te.* Hæc autem gloriatio veris monachis conuenit: qui contempto seculo penitus studeant esse quod dicuntur. His profecto Dominus promittit dicens. *Amen dico vobis, omnis qui reliquerit domũ, aut parentes, fratres aut sorores, & cetera quæ enumerat: centuplum accipiet & vitam æternã possidebit.* Enimuero quisquis

Religiosæ vitæ laus.

Ioan. 6.

Luc. 14.

Matt. 19.

Monachis alia præcipiũtur quam secularibus.

Isa. 48.

Matt. 5.

Matt. 19.

pio

pro Dei amore omnes mundi vanitates contempserit: seq; ad internæ contemplationis dulcedinem contulerit, tantam in his ipsis exercitiis suauitatem inueniet, vt in eius comparatione se nihil æstimet dimisisse. Qui enim pro consequenda æterna vita carnis suæ voluptates ardenti in Deum animo contempserit: qui omnes mundi huius diuitias cœlestium desiderio inflammatus calcauerit: qui seipsum sibi abnegans alterius imperio propter Deum vsque in finem submiserit, habere centuplum sine dubio dignus erit. Enimuero, postquam diuinæ contemplationis dulcedinem semel percepit: nihil est quod eũ deinceps à sancto ꝓposito retrahere possit. Viã triũ dierũ ex Ægypto per desertum ambulare scriptura nos admonet: quatenus ad montem sãctæ contemplationis gradatim venientes, in tranquillitate mentis domino seruiamus. Sic enim Exodus habet. *Dominus Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in solitudinem: & sacrificemus Domino Deo nostro: ne forte accidat nobis pestis aut gladius.* His verbis monasticę conuersationis summa describitur: dum trium dierum iter peragendum indicitur. *Exo. 5.*

CAPVT II.

DE TRIBVS VOTIS SVBSTANTIALIBVS MONASTICÆ Religionis, quibus omnis religio innititur.

Exo. 1. REX Ægypti Pharao populum Dei vehementer luto quondam afflixisse legitur: dum eos fugere de suo imperio frustra meditatur. Rex Ægypti diabolus est: qui fugientes mundum dolis multis persequitur, eosq; retrahere ad suum imperium meditatur. Ægyptus enim tenebræ, angustia, siue tribulatio interpretata dicitur: per quam præsens seculum designatur. Quisquis mundi huius tenebrosi negotiis premitur: habitare in Ægypto memoratur. Sed mox, vt mundum fugere, ac monasticæ solitudinis amœna quærere deliberat: diaboli tẽtamenta, quasi Pharaonis imperium durius portat. *Exo. 5.* Viam trium dierum ambulare per desertum spirituali deuotione nititur: sed mundi vanitatibus irretitus per diabolum impeditur. Nemo enim facilè de tenebris Ægypti potest exire: nisi in manu forti & brachio extento. Non omnibus data est hæc gratia: vt mundum possint contemnere, & per viam trium dierum ad montem regularis disciplinæ peruenire. Multi enim sunt vocati: pauci verò electi: quia in Ægypto plures malũt *Matt. 7.* lutosi consistere, quam in deserti lumine habitare. Lata nempe est via, quæ ducit in perditionem, & multi ambulant per eam. Angustum verò iter pauci ambulant: quia carnis concupiscentias plurimi amant: & fugere de tenebris Ægypti dissimulant. Beati verò illi censendi sunt, quibus mundus iste crucifixus est: qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis & cõcupiscentiis; quos de Ægypto liberauit gratia Christi: & introduxit in montem sanctificationis suę gaudentes. Viam itaq; trium dierum ex Ægypto ambulat: qui spretis seculi pompis sanctæ religionis eremum intrat: & corpus suum per obedientiam, castitatem, & proprii abdicationem castigat. Primæ etenim diei iter est, omnia terrena pro Dei amore relinquere, & nihil amplius de rebus mundi cogitare. Nisi enim proprium quisque dimiserit, ad monasticæ vitæ conuersationem inhabilis erit. Adeo quippe proprietatis abdicatio ad substantiam religionis pertinet: vt sine illa monachus dici nemo queat. Venditis itaque rebus seculi: distributisque ritè in vsus pauperum, secundæ diei via per obedientiam continuanda indicitur. Hæc in radice humilitatis figitur: & in altum charitatis eleuatur. Quemadmodum per inobediẽtiam primorum parentum omnes à paradisi gau- *Gal. 5.*

Monachus inhabilis ad statũ religionis, nisi propria dimittat.

diis cecidimus: ita per arduum iter obedientiæ adiuuante Domino nos resurgere debere scimus. Nulla monachorum sine obedientia merita sunt: sine humilitate virtutes nullæ. Quisquis igitur Ægyptum fugiens tenebrosam ad lucem æternæ claritatis cupis pertingere, humilem obedientiam cura sollicitè custodire. Dicit enim scriptura. *Melior est obedientia, quam victimæ: & auscultare magis, quam offerre adipem arietum.* Hoc voto sanctæ obedientiæ omnia includuntur, quæ ad obseruantiam regularem pertinent: quoniam quicquid in regula præcipitur, per solam obedientiam adimpletur. Quicquid enim sancti & honesti per præsidentem monacho iniungitur, in obedientia regulari solidatur. Hoc secundæ diei iter pauci in veritate ambulant: quia facilius est sua derelinquere, quam semetipsum abnegare. Ardua namq; via est alterius se voluntati submittere: & suam voluntatem penitus non amare. Sicut filii Israel Ægyptum cum gaudio & lætitia exeuntes, statim in deserto contra Dominum & Moysen murmurarunt, ita multi contemptis rebus seculi monasticum iter cum magno feruore arripiunt: qui tamen contra obedientiam prælatorum plerunq; grauiter inardescunt: & qui per distributionem prius cum hilaritate videbantur currere, iam sub obedientia constituti de arrepto itinere inueniuntur pœnitere. Sed omnes qui contra ducem in deserto murmurabant: in via deficientes terram repromissam non introierunt. Hinc metuant monachi omnes, qui propositi sui executionem negligunt: & iter sanctum trium substantialiũ peragere contemnunt. Cadent in solitudine mortui: qui viuere in Ægypto videbantur. Enimverò tertii diei iter, quomodo poterit perficere, quem constat in secũdi via defecisse? Aut quomodo castitas monachorum apud districtum iudicem poterit esse meritoria, si contemnatur obedientia? Tertii enim diei via est castitas: quæ nunquam in veritate acquiritur, si obedientia deseratur. O quot hodie monastico vocabulo indignos se exhibent, qui in cœnobiis corpore sunt constituti, sed animo & actione seculariter viuunt. Resumunt peculium, quod dimiserunt: obedientiam despiciunt, quã spoponderunt: castitatem violant, quam solenniter vouerunt. Tria substantialia religionis suæ vota transgredi non metuunt: & se monachos esse gloriantur! O vana religio, in qua voti consideratio non habetur. Quid aurum & argentum congregat, qui monachum profitetur? Quid peculium monache possides, qui voluntariam vouisti paupertatem? Enimuero monachus non est, qui diuitias in mundo possidet. Igitur contra hoc proprietatis vitium nos loqui compellit occasio: quæ nota est his, qui ad scribendum nos prouocarunt. Multos enim hoc morbo infectos religiosi nominis viros cernimus, & dolemus.

Monachi nulla merita sine obedientia.

1. Reg. 15.

Castitas sine obedientia seruari nequit.

Obedientia difficilior paupertate.

Exo. 16.

CAPVT III.

QVAM PERICVLOSVM SIT VOTVM NON reddere.

AVDI ô monache ingrate quid tibi scriptura diuina præcipiat. Ait enim. *Si quid Domino vouisti: ne moreris reddere. Displicet ei infidelis & stulta promissio. Multo enim melius est non vouere quam promissum negare.* Quicquid igitur Deo voueris, redde. Vis nosse quid illi promiseris? Regulam tuam secundum quã viuere spopondisti considera. Quid illa præcipit? Audi summarium. *Conuersionem morum tuorum* secundum ordinationem tibi indicit monasticam:

Eccl. 5.

Professionis monachi summa.

sticam: deinde abdicationem omnis proprietatis vsque ad acus valorem tibi mandat perpetuam: obedientiam & castitatem tibi præcipit: & stabilitatem tibi ordinis vsq; ad obitum continuandam imponit. Hæc est summa promissionis tuæ, hæc est necessitas monasticæ disciplinæ: quam si temere transgressus fueris, voti præuaricator eris. Si vidua continentiam perpetuam vouerit, nubere ei de cætero non licebit. Si autem post votum nupserit, contra se Deum irritauit. Antequam promitteret Deo vt esset vidua, in ipsius erat potestate nubere: postquam verò semel continentiam vouit, iam deinceps libertatem nubendi penitus amisit. Sic & tu monache, antequam Deo promitteres obseruantiam regularem, liber eras: poteras inculpatè sine voti promissione viuere, & in via mandatorum Dei ambulare. Quis ad promittendum Deo te compulit? Nonne tui arbitrii erat, quod volebas, facere? Vox tua ligauit te Deo: iam deinceps non es liber, sed seruus Iesu Christi. Promisisti, Dei esse cæpisti; Deus, q̃ suũ est, non vult dimittere, nec honorẽ tuum alteri dare. Iam tibi nõ licet post respicere: semel emissum Deo votum non poteris reuocare: quia cum Deo causam habes agere. Quid igitur vanis cogitationibus æstuas? Ad quid de bono proposito malè cogitas? Non est irritabilis Deus. Si sanctum propositum tuum violaueris: si votum tuum temeraria præsumptione transgressus fueris: non habebit te Deus in eo gradu, quo antea habuit: sed tanquam infidelem profugum, & apostatam te iudicabit: quippe qui præstitam Domino tuo fidem impia præsumptione irritam fecisti. Dicit ergo ad te ô monache Deus. Quid me infideli promissione tua irrides? Cur pristina vitia repetis? Quare præstitam mihi fidem infringis? Ego tibi libertatem arbitrii contuli: quis te coegit promittere, quod reddere non valebas? Nunquid necessitate te compuli? Voluntas tua ligauit te mihi: pactum meum si violaueris, non amicus sed hostis eris. Dum adhuc tui esses in seculo, eras quidem de familia mea, sed non eras de ministerialibus, neq; de intimis. Quemadmodum enim princeps aliquis potens, multos quidem in suo regno subiectos sibi habens homines, quosdam agrorum cultores, quosdam verò pastores, aut alios quoslibet artifices, siue operarios ex eis constituit: atque ex his omnibus, quosdem sibi fideles quotidie assistere facit, qui seipsos negligentes illi toto studio famulantur: sic ego ex mihi subiectis in fide quos volo eligo, quos velut ministros intimos diligo & honoro. Tu ergò qui promissa mihi fidelitate de multitudine meorum ad seruiendum in conspectu meo spontanea voluntate accessisti, de intimis familiaribus meis esse cœpisti. Si mihi deinceps in aliquo recalcitraueris, si fidem promissam fregeris non habebo te in eo loco quo habebam prius, sed inter inimicos infideles te computabo. Quanto enim per voti promissionem mihi proximus factus es: tanto displicebis amplius, si aliter vixeris, quam promisisti. Exigo nunc à te promissum: quod non exegi promittendum. Monachus es: non nisi monachus saluaberis. Si aliter vixeris, quam monachus: veluti præuaricatorem fœderis mei condemnabo te. Si verò vsque in finem mihi fidelis permanseris: magnus in regno meo eris: & cum omnibus sanctis inæternum feliciter exultabis. Votum itaq; tuum considera ô monache, & cura sollicitè adimplere quod promisisti: quia nisi regulariter in cœnobio vixeris: cum impiis portionem habebis. Sed quia de vitio proprietatis loqui specialitet intendimus: opportunum videtur vt stilum ad materiam dirigamus.

Votum Deo factum non potest reuocari.

Vouentes fiunt Dei familiares.

Simile.

Monacho extra monasterium non est salus.

CAPVT IV.

QVOD IVS CANONICVM PROPRIVM MONACHO sub grauissimis pœnis simpliciter interdicat.

Auctoritas canonũ quanta.

DETESTABILE proprietatis vitium in monachis cupientes pro viribus extirpare, sermonem iuris canonici attestatione comprobemus: vt dum auctoritate vniuersalis Ecclesiæ loquimur, nullam à peruersis contradictionem patiamur. Tantæ.n.auctoritatis sunt decreta Ecclesiastica, vt quisquis contradicere illis præsumserit, non catholicus sed hostis Ecclesiæ iudicetur. Quicquid ergo auctoritate Ecclesiæ præcipitur: tanquam Euangelium ab omnibus habeatur. Audi nunc monache, qui proprium possides: quid Vicarius Christi dicat in persona Ecclesiæ. *Prohibemus, inquit, districte in virtute sanctæ obedientiæ sub obtestatione diuini iudicii, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat: sed si quis aliquid habet proprium, totum in continenti resignet. Si verò post hoc proprietatem aliquam habere deprehensus quis fuerit, regulari monitione præmissa, de monasterio expellatur: nec recipiatur vlterius, nisi pœniteat secundum monasticam disciplinam. Quòd si proprietas apud quenquam in morte reperta fuerit: ipsa cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilinio subterretur secundum quod beatus Gregorius papa in libro dialogorum fecisse legitur. Vnde si quicquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere; sed Abbati, vel priori, aut cellerario assignetur.* Hæc sunt verba Ecclesiæ: quæ Papa Innocentius tertius in concilio generali promulgauit, & in c. Cum ad monasterium. habentur. In c. quoq;, Monachi, dicitur. *Monachus qui peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta administratione permissum, a communione remoueatur altaris. Et qui in extremis cum peculio inuentus fuerit, & dignè non pœnituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres recipiat sepulturam. Abbas autem qui diligenter ista non curauerit, officii sui iacturam se nouerit incursurum.* Hic attendant monachi fallaces, qui sine administratione aliqua peculium possident: qui se apud Deũ in conscientia securos existimant, si de Abbatis licentia peccant. Dicit enim in constitutione sua Vicarius Christi. *Nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo annexa est regulæ monachali, vt contra eam nec summus pontifex possit licentiam indulgere.* Quid adhuc excusationes in peccatis, ô monachi, quæritis, qui contra regulam, votum & decretum summi Pontificis proprium possidetis? Quid falsam Abbatis auctoritatem pro excusatione vestra assumitis, qui summum Pontificem non posse dispensare cum monacho, vt habeat proprium, auditis? Enimuero, quod Vicarius Christi se posse facere negat: homo non præsumat. Sicut Abbas tuus dispensare tecum non potest, vt castitatem promissam Deo violes: ita nec licentiam indulgere, vt proprium possideas. Prælatus ergò, qui monacho contra regulam peculium indulserit, votum suum violauit. Caueat itaq;, ne præuaricatorem se regulæ constituat, si proprium, quod non licet monacho, concedat. Deniq; ex seueritate dictæ pœnæ colligitur, quid de huius vitii grauitate cogitandum indicetur. Non enim leui pœnitentia hæc culpa corripitur, dum à communione altaris remouetur. Cæterorum vitiorum pœnitentiæ per mortem saltem deficiunt: hoc proprietatis vitium non solum in hac vita durissima districtione corripitur, sed etiam post mortem terribili animaduersione punitur. Et iusta quidem huius præuaricationis damnatio. Sanè monachus, qui in congregatione fratrum cõtra vnitatis normam proprium aliquid possidet, ab eorum se consortio facit alienum. Cum ergo viuens suo vitio concordiam fraternitatis impia præsumptione turbauerit: cum se ab vnionis obseruantia voluntariè diuiserit, indignus est fraternam inter alios recipere sepulturam. Omnia vitia monachorum leui quadam miseratione puniuntur ad arbitriũ præsidentis: sola proprietas est, quæ reũ à cõmunione sanctorum tanquam mendacem spiritui sancto eliminat. Vnde præcipitur viuus de monasterio proiici: & mortuus extra cœnobium in sterquilinio sepeliri. Monachus itaq; proprietarius, tanquam leprosus, de congregatione fraternitatis expellendus est: ne totum ouile suo detestabili vitio commaculet. Nemo è fratribus illum sufferat: nemo conscius vitium illius tam enorme dissimulet: nemo reum occultet. Omnes vnanimiter zelo disciplinæ contra præuaricatorem insurgant: de congregatione peruersum incorrigibilem expellant: omnes de communi periculo paueant. Meminerint, quid contra pręuaricatorẽ Acha-

c. cum ad monast. in Decretal.

Greg. lib. 4. 5. 55.

c. monachi. de statu mon. in Decretal.

c. cum ad monasterium.

Papa non potest dispensare cum monacho de habendo proprio.

Proprietatis vitium post mortem punitur & cur?

Iosue 7. Achan Dominus ad Iosue ducem populi dixerit: & de simili casu metuant. *Non ero*, inquit, *vltra vobiscum, donec conteratis eum, qui huius sceleris reus est.* Sicut ergo præcipiente Domino populus Israel Achan lapidibus obruit, & cessauit contra eos indignatio: ita zelosi monachi proprietarium in sua congregatione viuere nullatenus sinant: sed admonitum prius, incorrigibilem de monasterio expellant. Nec videatur eis crudele professum contumacem expellere: quia minoris est damni, si vnus induratus suo vitio pereat: quàm vt totam congregationem exemplo pessimo corrumpat. Dicit enim Apostolus. *Impius, si discedit: discedat:* Si quis tamen in hoc crimine incorrigibilis repertus fuerit, ad carcerem detrudatur, donec vitium suum recognoscat, & promittat emendationem. Melius est enim si fieri potest, vt clausus in carcere pœniteat, quàm expulsus, vagus & desperatus per mundum in Ordinis scandalum discurrat. Omnia verò quæ ad sustentationem corporis necessaria sunt monachis, per Abbatem distribuantur: quia tunc eos ad obseruantiam mandatorum regulæ, absq; contradictione poterit audacter compellere, si de necessariis vitæ nequeant murmurare. Sic enim de primitiua Ecclesia Apostolorum legitur. *Erant eis omnia communia: nec quisquam eorum aliquid habebat proprium: sed dabatur singulis, prout vnicuique opus erat.* Quicunque enim vitam eorum voluisset cum fide Christiana assumere, vendebat si quid habebat proprium, & precium ponebat ad pedes Apostolorum. Ananias autẽ & Saphira, qui contra institutionem Apostolicæ conuersationis peculium possidere occultè præsumpserant, duram perditionis sententiam exceperunt. Simili pœna digni sunt monachi, qui reperti fuerint, proprietatis vitio delectari. Graue etenim crimen committitur, pro cuius expiatione offerri sacra oblatio prohibetur. Damnationis sententiam euadere non poterit, monachus proprietarius, qui sine pœnitẽtia ex hac vita decesserit. Omnes itaque monachi adeò sine proprio viuere sunt obligati, vt nulla dispensatione Abbatis à voto paupertatis queant absolui. Et de his quidem copiosa iuris pontificii testimonia possemus adducere: nisi propositum breuitatis nos compelleret ad alia festinare. Hæc igitur ex iure prolata sufficiant, quod restat dicendum, dictis sanctorum Patrum & regulis comprobemus.

Act. 4.

Act. 5.

1. Cor. 7.

Monachis ōnia necessaria ab Abbate suppeditanda.

CAPVT V.

EX DICTIS SANCTORVM PATRVM PRObatur: quod peculium monacho, pœnitus interdictum sit.

REuoluamus omnes sanctorum Patrum scripta & regulas: & nusquam inueniemus monacho peculium vllatenus permissum. Omnes enim hoc vitiũ damnant: omnes proprium monacho prohibent: omnes in communi viuere renunciantes seculo præcipiunt. Et primo quidem sanctum legislatorem nostrũ Benedictum audiamus in regula. Dicit enim. *Præcipuè hoc vitium radicitus amputandum est de monasterio: ne quis præsumat aliquid habere proprium: nullam omnino rem, neq; tabulas, neq; codicem, neq; graphium, sed nihil omnino: quippe quibus nec corpora sua habere licet in ppria potestate. Neq; præsumat quisquam aliquid dare, aut accipere sine iussione Abbatis.* Et post pauca. *Quòd si q; quã in hoc nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admoneatur semel & iterum: si non emendauerit, correptioni subiaceat.* Sanctus quoq; Basilius in regula monachorum dicit. *Si quis sibi proprium dicit esse aliquid, sine dubio alienum se facit ab electis Dei: & charitate Christi, qui qua docuit verbo, & opere compleuit: qui animam suam posuit pro amicis suis.* Si ergo ipse animam suam posuit: quomodo nos etiã ea quæ extra animam sunt nobis vendicabimus? Si non acquieſcit monachus doctrinæ Domini dicentis, diligite inuicem, sicut & ego dilexi vos, acquiescat Apostolo dicenti. *auferte malum ex vobisipsis*: ne forte accidat vt modicum fermentum totam

Regula S. Benedicti.

S. Basilii lib. de instit. mõ. c. 25.

1. Cor. 5.

totam massam corrumpat. In admonitionibus quoque ad monachos, idem Basilius dicit. *Quotidiano victu contentus esto: & quicquid supereſt, tanquam impedimentum huius propoſiti proiice à te. Multi enim per auaritiam, mortis periculum inciderunt. Propter auaritiam Achan cum ſuis omnibus lapidatus eſt:* Saul à Domino *factus eſt alienus: & ad extremum de regali culmine pulſus, ab inimicis ſuis peremptus eſt.* Alienum te faceto, fili mi, ab hoc vitio: & voluntariam paupertatem libenter amplectere. Beatus quoque Hieronymus dicit in normula virginum. *Qui iam renunciauerunt omnibus, quæ poſſident ex voto ſub iuramenti pollicitatione promiſerunt, nihil temporale, nihil terrenum, non ſolum poſſidere: ſed nec quidem appetere.* Et ſanctus Doctor Auguſtinus in ſuo canone præcipiens fratribus dicit. *Non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia: & diſtribuatur vnicuique veſtrum à præpoſito veſtro victus & tegumentum.* In regula quoque Pauli & Stephani antiquiſſima dicitur. *Nulli fratrum liceat, vel pomum, vel quodcunque olerum aut condimentorum, vel aliud aliqd ad vſus ſuos quaſi peculiari apparatu habere: ne maligno detur occaſio.* Et iterũ poſt pauca. *Nulli liceat, vel veſtimentum vel calceamentum, aut tabulas vel cuiuſcunque rei paruiſſimæ, tam nouum quam vetus, nec quicquã quod alteri fratri datum fuerit paruapræſumptione contingere ad vtendum. Nec inter ſe fratribus liceat, vt id quod de communi quiſquam acceperit, niſi permiſſo prioris cum alio fratre quaſi peculiari amore commutare: ne hac occaſione naſcatur amor illicitus: ſed vnuſquiſq; quod ei caritatis diſtributione datur: hoc libens & bona voluntate accipiat.* In regula quoq; Pachomii legitur. *Deinde inſtruendus monachus fieri cupiens ab eo qui præeſt patre: vt nihil ſibi relinquat, niſi crucem* Chriſti, quam teneat, & ſequatur Dominum. Et in regula ſanctorum Patrum, quæ pactum monachorum dicitur. *Ante omnia habentes caritatem, humilitatem, patientiam, manſuetudinem, & cætera quæ docet ſanctus Apoſtolus: ita vt nemo quicquam ſuum vendicet: ſicut ſcriptum eſt* in actibus apoſtolorum, habeat omnia communia. Et Iohannes Gerundenſis epiſcopus in regula monachorum. *Quicunq; in monaſterium ſuſceptus fuerit, non ſolum de ſubſtantia, quam intulit: ſed nec de ſemetipſo ab illa hora iudicabit. Nam ſi aliquid prius intulit fratribus: ipſi tamen non eſt licitum vt aliquid habeat in ſua poteſtate.* In regula etiam Pachomii angelica dicitur. *Nemo in domo & cellula ſua habeat aliquid: præter ea, quæ in communi monaſterii lege præcepta ſunt. Non tunicam laneam, non pallium, non pellem intonſis arietum lanis molliorem: non nummos quantumlibet paucos: nec puluillum quidem ad caput.* Orieſieſus quoque in doctrina monachorum ſic loquitur. *Vigilemus attentius: & ſciamus quod magnam nobis Deus præſtiterit gratiã per patrem noſtrum Pachomium, vt renunciaremus ſeculo: & omnem ſolicitudinem mundi, & curas rerum ſecularium pro nihilo deponeremus. Quæ enim nobis occaſio relicta eſt, vt habeamus quippiam proprium à funiculo vſq; ad corrigiam calceamenti: cum habeamus præpoſitos qui pro nobis ſolliciti ſunt, tam in cibo quam in veſtitu?* Liberi ſumus, iugum de ceruicibus noſtris mundanæ ſeruitutis abiecimus: cur rurſum volumus reuerti ad vomitum noſtrum, & aliquid habere, vnde ſoliciti ſimus, & q; perdere metuamus? Ad quos vſus ſuperfluum palliolum, aut epulæ lautiores, aut mollior lectus: cum omnia in communi ſint præparata, & cruce Chriſti nihil durius ſit? Sufficit nobis habere quod homini ſatius eſt. Tantam veteres obſeruantiam paupertati monaſticæ adhibebant: vt pauciſſimis contenti, paruiſſimæ rei ſuperfluitatem, peculium, & ob id damnabilem in monacho penitus iudicarent. Hinc ſanctus pater Columbanus Abbas in ſua regula præcipit. *Monachis, quibus pro Chriſto mundus crucifixus eſt, & ipſi mundo, cupiditas cauenda eſt: nimirum dum non ſolũ ſuperfluum eos habere damnabile eſt, ſed etiam velle: quorum non cenſus, ſed voluntas quæritur: qui relinquentes omnia & Chriſtum dominum cum timoris cruce quotidiani ſequentes, in cœlis habent theſauros. Iccirco, dum in cœlis multa ſunt habituri, paruo & extremæ neceſſitatis cenſu in terris debent eſſe contenti: ſcientes lepram eſſe cupiditatem monachis. Ideo ergo nuditas & facultatum contemptus, prima perfectio eſt monachorum: ſecunda vero purgatio vitiorum. tertia perfectiſſima Dei cõtinuata dilectio: ac diuinorum iugis amor, qui terrenorum ſuccedit oblinioni.* Idem etiam in libro de quotidianis pœnitentiis monachorum ſic ſtatuit. *Monachus qui dixerit ſuum aliquid proprium, ſex percuſſionibus emendetur.* In eodem volumine circa finem denuo ſic præcipit. *Operis peculiaris præſumtio, centum plagis emendetur: Poſſeſſio alicuius rei, quam non neceſsitas generaliter omnibus fratribus conceſsit, amiſsione eiuſdem, & centum pla-*

Baſ. ib. c. 10.

S. Hieronymi. in reg. c. 2.

S. Auguſtini. Reg. c. 2.

Pauli & Stephani.

S. Pachomii.

Io. Gerũdenſis.

Orieſieſus. de quo in Catal. de ſcriptor. Eccleſ.

S. Columbani regula.

S. Isidori. plagis coerceatur. Et in regula Isidori dicitur. *Monachis autem summopere studendum est, vt apostolicam vitam tenentes, sicut in vnum constituti esse noscuntur, ita vnum cor habeant in Domino, nihil sibi proprium vendicantes, nihilque in quantulumcunque amorem rei priuatæ gerentes: sed iuxta exemplum Apostolicum omnia communia habentes, in præceptis Christi fideliter permanendo proficiant.* In regula quoque Fructuosi episcopi inter alia sic præcipitur. *Nec quisquam è monachis suum asserens, dicat codex meus, tabulæ meæ, & reliqua. Quod verbũ si de ore eius effugerit: pœnitentiæ subiacebit: ne velut propria quilibet in monasterio habere videatur: sed sint illis sicut scriptum est omnia communia.* Hinc in religione nostra apud reformatos obtinuit: vt suũ dicere aliquid etiam ioco deuotus nemo præsumat. Et in octauo capitulo idem Fructuosus iterum sic præcipit. *Nuditas & parsimonia ciborum, & lectulorum duritia amplectatur. Peculiaritas in vtensilibus, aut in vestimentis, aut in quibuslibet rebus etiam vilissimis & abiectis omni modo vitetur: quia abominatio monachis est, & infamium quicquam possidere. Munus denique quodlibet, siue epistolas nemo* monachus accipiat. Deniq; in regula cœnobii sancti Ferreoli episcopi & martyris, decimo capitulo sic scribitur. *Illud etiam statui debere prospeximus: vt nullus monachorum aliquid sibi proprium absque societate fratrum audeat dicere: ita vt etiam in his quæ sua sunt, nihil amplius credat sibi iuris esse: quam ceteris: quia cum scipsum alterius subdidit potestati, omnia secum in alienam potestatem transmisit. Quicquid ergò secum rerum detulerit expetito consortio monachorum, ac vbi corpori congregationis membrum factus adhæserit, statim cognoscat omnia in communionem transisse.* Et hoc tantum iudicet proprium, quicquid cum fratribus possederit indiuisum. In regula quoque sancti Aureliani episcopi. 25. capitulo dicitur. *Nullus præsumat quicquam suum dicere, aut sibi proprium vendicare: sed secundum actus apostolorum, sint vobis omnia communia: & sit vobis anima vna & cor vnum in Domino.* Et in regula Abbatis Cassiani dicitur. *Nec quicquam peculiare liceat monacho possidere: sed ita se nudatum ex omni parte cognoscat: vt præter tunicam, pallium, calciarium, vel matulam suam nihil amplius habeat: & nec verbo quidem audeat dicere aliquid suum: quod magnum sit crimen ex ore monachi processisse,* tunicam *meam: codicem meum, tabulas meas, graphium meum: & cætera his similia. Nam si huiusmodi verbum per subreptionẽ,* vel ignorantiam de ore eius effuderit; digna pro hoc pœnitentia satisfaciens, veniam petat in terra prostratus. Item in regula Tarnentensi, capitulo quartodecimo sic legitur. *Hæc sunt quæ in monasterio constitutis, pro Dei amore & timore conuenit obseruare: propter quod in vnum estis pro timore Domini congregati. Oportet, vt in domo Domini vnanimes habitetis: & sit vobis anima vna & cor vnum in timore Domini peruigilans: nihilque habere vos proprium reputetis: sed sint cuncta communia: quæ vobis Abbatis imperio dispensantur.* Et in regula monachorum orientalium dicitur. *Inter omnes fratres hoc obseruabitur: vt obedientes senioribus suis, & deferentes sibi inuicem, habeant patientiam, moderationem, humilitatem, charitatem, pacem sine figmento & mendacio, & maledictione, & verbositate, & iurandi consuetudine, ita vt nemo suum quicquam vendicet, neque vllus aliquid peculiariter vsurpet, sed habeãt omnia cõmunia. Sed & sine seniorum verbo & auctoritate nullus frater quicquã agat, neque accipiat aliquid, neque det.* Vigilius quoq; diaconus & Abbas in 33. capitulo suæ regulæ sic loquitur. *Si quid peculiare apud aliquem inuẽtum fuerit: grandi eum Abbas & diuturna excommunicatione condemnet: vt illius exemplo deterriti omnes, nullus hoc audeat imitari.* Et beatus Cęsarius episcopus Arelatensis in 15. capitulo regulæ suæ dicit. *Nemo sibi aliquid iudicet proprium: siue in vestimento, siue in alia quacunq; re magna vel parua.* Aurelianus episcopus in regula ad moniales, capitulo tertio sic dicit. *Nihil occultè accipiatis: sed si quis propinquus, aut amicus aliquid in vestimento aut in auro, vel aliud quodcunque dederit aut transmiserit, in potestate sit Abbatissæ. Et si illi, cui transmittitur necesse fuerit tribuatur: sin verò illa non indiget, in commune redactũ est, cui est necessarium, tribuatur.* Item in regula Serui Dei ad sorores capitulo 17. scribitur. *proprii aliquid in monasterio nihil est habendum: sed potius propter nomen Domini omnia contemnenda sunt. Quid enim proprium aliquid suum fidelis anima de rebus mundi vendicet: cui mundus crucifixus est, & ipsa mundo? Omnia ergo, quæ in monasterio habentur: sint omnibus communia: vt nulla dare aut accipere aliquid præsumat sine iussione Abbatissæ. Si quæ secus fecerit, regulari disciplinæ subiaceat.* Sed ne per omnes veterum regulas discurrendo tædium lectori prolixior sermo pariat: ex dictis sanctorum

Fructuosi Episc. Act. 4. Ferreoli Episc. S. Aureliani Episc. Cassiani. in l. 4. instit. c. 13. Tarnentensis regula. Oriental. monach. regula. Vigilius Abbas. B. Cæsarius. Aurelianus Episc. Serui Dei regula.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

communionem omnium fratrum sit procul remouendus, si in hoc vitio fuerit deprehensus: Quam periculosa in monacho sit proprietas, nemo satis exprimere potest. Enimuero periculum, quod Ananiæ & Saphiræ peculium retinentibus in corpore accidit, proprietariis monachis in anima quotidie contingit. Moriuntur vtplurimum sine vera pœnitentia, qui contra monasticam institutionem peculium possidere non verentur. Existimant enim sibi licere, quod illicitũ est, consensu Prioris, cum nec summus Pontifex licentiam monacho super proprietate possit indulgere. Væ vobis proprietarii, qui votũ vestrum infringitis, & iram Dei contra vos prouocatis, quoniam lenius habebunt fures & meretrices in die Domini, quam vos, si morientes in hoc vitio fueritis deprehensi. Non enim simplex crimen in monacho censetur proprietas, vbi multa in vnum crimina concurrunt. Pactum cum Deo initum frangitur: votum solemne violatur: caritas fraternæ vnitatis spernitur: furtum committitur: sacrilegium perpetratur. Vnde Augustinus dicit in regula. *Si aliquis rem sibi collatã celauerit, furti iudicio condemnetur.* Ad quid monacho cuiuscũq; rei proprietas: qui nec sui corporis potestatem habere permittitur? Aut quomodo alienum audebit præsumere, cui de suo nihil licet possidere? Quisquis igitur bonus monachus votiq; sui redditor inueniri desiderat: quisquis in cœnobio constitutus ad cælestem patriam anhelat: quisquis inferni tormenta formidat: animam suam ab hoc vitio solerter custodiat: & nihil penitus contra monasticam institutionem possideat. Omnia verò, quæ ad victũ & amictum monachis necessaria sunt, monachis per Abbatem, non in pecuniis, sed in vtensilibus ministrentur. Hinc sanctus pater noster Benedictus in regula præcipit, dicens. *Omnia necessaria à patre monasterii speranda sunt.* Ab Abbate igitur necessaria speranda sunt, non superflua. qa vbi necessitas ad vsum monacho permittitur, superfluitas vt crimen condemnatur. Et sicut Abbas necessaria fratribus denegans grauiter à Deo reprehenditur: ita si cõcesserit superflua, tanquam pæuaricator sancti Ordinis condemnatur. Necessaria itaq; monachis Abbas prouideat: superflua interdicat. Nec securum se credat monachus, si Abbate consentiente superfluum habeat: quoniam sicut Monacho habere proprium interdicitur, ita concedere non necessaria Abbas prohibetur. Et Monachus si rem aliquam non sibi necessariam nimia importunitate ab Abbate suo extorserit, valde sibi metuendum est, ne tanquam proprietarius inde coram Deo iudicetur. Nihil enim habere debet monachus contra regulam: nihil contra Abbatis voluntatem: quippe qui suum nihil penitus æstimare præcipitur: cui velle & nolle per omnia denegatur. Quicunq; verò aliquid habet, quod Abbatem suum latere desiderat, proprietatis vitium in pectore clausum portat. Sed de his hactenus.

Act. 5.

Grauitas criminis proprietatis.

Aug. c. 29 reg.

Reg. c. 33.

Monacho superflua habere nõ licet etiã consentiẽte Abbate.

CAPVT VI.

VTRVM ABBAS MONACHO POSSIT CONcedere proprium.

QVOD Monacho proprium habere omnino non liceat, multis sanctorum testimoniis probauimus: restat nunc, vt ad sequentia procedamus. Et primò quidem nobis quærendum est: vtrum in Abbatis sit arbitrio cum monacho de peculio dispensare. Ad hanc quęstionem verbis summi Pontificis in principio huius operis respondimus: vbi testimonia iuris canonici in medium deduximus. Sic enim Papa dixit. *Nec æstimet Abbas quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare: quia abdicatio proprietatis,*

Innoc. III

tatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa regulæ monachali: vt contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere. Soluta est quæstio: & negatiua necessario vera cõcluditur. Nunc ergò in quanto periculo sint constituti Abbates negligentes ista considerent: qui contra regulã & prohibitionem summi Pontificis proprium suis monachis indulgent. Non est maior potestas, quam summi Pontificis in Ecclesia: quoniam quod ille non potest absoluere, nemo alius poterit liberare. Cur igitur ô Abba teipsum decipis. cur altiora te & pœnitus illicita præsumis? Quod Papa facere se posse denegat: tu qua temeritate vsurpas? Ecce cum monacho contra institutionem monasticam dispensas, vt habeat peculium: cum id facere non posse audias Pontificem summum? Quem teipsum facis? Nunquid tu maior es Vicario Christi? Quotiescunque monacho concedis proprium, totiens fautorem te constituis vitiorum. Quemadmodum præsumis alteri concedere: quod tibi sub eadem lege constituto minimè licet possidere? Enimuerò constitutis in cœnobio proprietas omnibus interdicitur: dum in communi viuere præcipiuntur. Neque enim de communitate Abbas excipitur: qui non Dominus, sed dispensator rerum monasterii constituitur. Omnium itaq; fratrum suorum minister est: vt vnicuique secundum necessitatem de communi substantia tribuat: Dominum verò rerum neminem pœnitus cõstituat. Si ergo monacho indulserit proprium, iam non dispensat illi necessaria, sed Dominum constituit substantiæ alienę. Hoc regula sancti Benedicti prohibet, quę Abbatem dispensatorem recipit, non Dominum. Sanctus autẽ Benedictus Abbatem sub regula esse præcipit, dicens. *Omnes magistram sequantur regulam, nec temere ab ea declinetur ab aliquo.* Qui omnes sub regula constituit: profecto Abbatem non excepit. Deniq; in capitulo de Abbate sic loquitur. *Ideòq; Abbas nihil extra præceptum Domini (quod absit) docere debet aut constituere vel iubere: sed iussio eius & doctrina fermentum diuinæ iustitiæ in discipulorum mentibus conspergat.* Abbas autem, qui monacho indulget proprium, facit contra præceptum Domini dicentis. *Omnis qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Non seducat te Abba malè intellecta potestas: tibi regula certos limites ponit, quos transgredi nemini licet. Ecce monachi tui, vt fierent discipuli Domini, subdentes colla regulæ omnibus renũciarunt: non licet eis quod dimiserãt repetere: neq; proprium vllatenus possidere. Si malæ præsumptioni consensum dederis: si proprium monacho concesseris, cõtra præceptum Domini, contra regulam sancti Benedicti, contra ius scriptum, cõtra decreta sanctorum Patrum, contra votum tuum facere consentiens, damnationi perpetuæ te obnoxium reddis, & ex seruis Domini atq; discipulis mancipia facis idolorum. Cupiditas enim seruitus idolorum describitur: quæ cum in cæteris sit damnabilis, in monachis præcipue est criminalis. Omnium claustralium in hoc regula consentit, vt nulli penitus inter eos liceat aliquid habere proprium, sed sint eis omnia communia: & distribuatur vnicuiq; à Priore, quod necessarium est. Quicunq; hanc monasticæ communitatis regulam violat, proculdubio se extra numerum electorum locat, & sua se temeritate grauiter damnat. Nunquam enim monasticæ obseruantiæ puritas integra potest consistere, nisi omnes in cõmuni studeant conuersari. Enimuero dum vnusquisq; commodum suum temporale cogitat, charitas fraterna exulat, humilitas monastica perit, obedientia regularis vacillat. Nusquã enim in religione securius viuitur, quàm si vnitas per omnia seruatur. In quolibet cœnobio prælatus vnus ex regula cõstituitur: à quo necessaria monachorum omnia requirãtur. Caueat itaq; dispensator, ne limites commissionis suæ in dispẽsando necessaria confratribus excedat: nèue infidelis existat: meminerit q; se ministrum rerum monasterii esse non Dominum. Idcirco sicut proprium aliis non potest concedere: ita nec sibi peculium vllatenus vsurpare. Distribuat singulis necessaria: nulli verò concedat, nec sibi quidem superflua. Monachi enim habentes victum tenuem, & vestitum simplicem, his debẽt esse contenti. In dandis autẽ necessariis illa semper consideratio habenda est: vt qui plus indiget amplius accipiat: & nemo, qui paucis contentari potest, de hoc murmuret. Illis autem qui indiuersis monasterii officiis constituti sunt Abbas necessaria quælibet potest concedere: eosq; ad reddendam rationẽ suo tempore obligare. Nec tamẽ propriũ sibi monachi quicq̃ eorum existiment,

Summi Pontificis in Ecclesia summa potestas est.

Abbas non potest monacho concedere proprium

Nec ipse potest habere proprium.

Reg. c. 3.

Reg. c. 2.

Luc. 14.

Cur proprietas cauendamonacho.

Qua ratione necessaria distribuenda monachis.

quæ ratione administrationis possident: cum ad communitatẽ cœnobii vel Ecclesiæ omnia pertineãt. Quãcunq; n. administrationẽ monachus habuerit, proprium aliquod possidere prohibetur. Nã & ipse Abbas cum monachus sit, vouit & promisit paupertatẽ ex regula: & idcirco nihil sibi proprium poterit vendicare. Si autem proprium sibi vsurpauerit, regulã violauit. Neq; dicat Abbas suũ aliqd, non codex meꝰ, nõ ager, nõ villa, nõ cẽsus: sed si tale aliquid cum corã hominibus dicere oporteat, noster, non meus dicat. Etenim cum res monasterii communitatis sint, & communitas præsupponit multos, nulli videatur ridiculum, si monachus, aut Abbas singularis persona, dixerit nostrum. Ad communitatem dicti sermonis refertur intentio. Neq; puerilia sunt hæc: quę sanctos Patres antiqssimos tam studiosẽ constat obseruasse, vt pœnitentiã in trãsgressores præscriberent. Euidens namq; in Abbate superbiæ signum est, si suũ aliquid dicere frequenter consueseat. Sicut enim Abbatem castitatis violasse votum turpissimum est: ita si propriũ, aut ipse habuerit, aut indulserit, monachis dãnabile. Abbas itaq;, qui peculium monacho præter administrationẽ concesserit, præuaricatorẽ se monasticæ regulæ ostẽdit. Nec vllo mõ excusat proprietarios ficta illa resignatio: qua in plerisq; monasteriis claues in cœna Domini ponunt ad pedes Abbatis, animo ad dimittẽdũ peculium nequaq; resignato. Quid ista simulatio? Putasne monache vitiũ proprietatis te posse effugere: si claues peculii tui ad pedes Abbatis iterũ repetendas posueris? Qualis est ista proprietatis resignatio: vbi Abbas cogitur tibi mox reddere, quod videris resignasse? Nõ est vera resignatio: quãdo voluntas actioni nõ cõcordat. O Abba infelix, qui & te decipis & tuos: cur monachis propriũ cõtra regulam indulges? Respondebis forsitan. Non concedo monachis propriũ: sed tantum necessaria ad vsum. Si proprium negas: quid curam eõquirendi monachis quæ volunt non amputas? Ecce alii domos separatas contra statuta ordinis inhabitant: alii aurũ & argentũ per fas nefasq; congregant: omnes priuatis cõmodis inuigilant. Istane proprietatis vitio carent? Sed dic mihi. Quis oro necessaria monachis tuis ò Abba dispõit? Tũe an cellerarius? Scio quod neuter. Quis ergo dat vestimenta monachis? Hic peculii summa contexitur. Vestes sibi monachi comparant: in amictu semetipsos curant: quærere sunt compulsi à parentibus & cognatis, vnde viuant. Qui pecuniis inter eos abundat, vestes sibi necessarias comparat: qui autem non habet pecuniam, patitur in vestitu penuriam. Abbas interea nullam de necessariis fratrum gerit solicitudinem: nullam de nuditate pauperum monachorum verecundiam: sed dimissis in errore ouibus sua commoda sectatur. Nullã præter nomen & chorum in plerisque communitas: dum vnusquisque suipsius curam gerit in vitæ necessariis: Abbas verò titulum sine opere portat dignitatis. Alius in communi dat victum fratribus: vestitum sibi quisque cogitur prouidere. Nonnulli etiam proprietatem monachis suis prohibent: quibus tamen vitæ necessaria non indulgent. Quid omnes istos nisi præuaricatores monasticæ conuersationis dixerim? qui fratribus suis secundum regulam cum possint in necessariis non prouident, qui eis peculium indulgent, qui monachis occasionem proprietatis præbẽt. Væ vobis Abbates & prælati monachorum, qui oues Christi sanguine redemptas moribus vestris interficitis, qui monasticam vnitatem violatis: q; obseruantiam regularem destruitis. Væ inquã, vobis vitæ apostolicæ desertores: quoniã animas quas suscepistis regere, inpditionem finitis transire. In quos omnis culpa monachorum reuertitur, quia vos delinquentes debueratis corrigere: non timetis vitiis superare. Vt enim licenter possideatis vosipsi peculium: libenter cum monachis in vitio simili dispensatis. Enimuero si regularem obseruantiam diligeretis ex animo: tantum nefas monachis non permitteretis. Non Deo sed hominibus seruitis ad oculum, qui vos obseruantiales fingitis, & regulam non tenetis. Si estis monachi, cur in communi non viuitis? Enimuero quibus esse debet anima vna & cor vnum in Domino: proprium habere pœnitus interdicitur. Monachus enim, qui peculium contra regulam habuerit, votum suum turpiter violauit: & nisi contritus pœnitentiam egerit, à sanctorum consortio se alienũ facit. Nisi, n. monachus omnẽ substantiã mũdi secundum regulam suã abiecerit, dignitatis suæ

Nec Abbas potest proprium habere.

Vestes ad Abbate curande monachi

Luc. 14. suæ vocabulum amittit. Dicit namque in Euangelio Dominus. *Qui non renunciauerit omnibus, quæ possidet: non potest meus esse discipulus.* Et iterum. *Si vis esse perfectus: vende omnia quæ habes & da pauperibus: & veni sequere me.* Primo volentem esse discipulum Christi oportet possessiones huius mundi derelinquere: vt in præceptis Dei possit sine solicitudine aliqua vacare. Idcirco audi ô monache. Si vis esse discipulus Domini: proiice abs te omnẽ solicitudinem mundi. Viue in cœnobio secundum regulam monasticam: viue sub obedientia sine proprio: viue castè & humiliter sine opprobrio. Qui si aliter, quã promisisti, conuersatus fueris: scias te cõdemnandum à Deo maximo: quem irrides. Non te seducat Prioris tui licentia, vt peculium quodcunq; possideas: quoniam dispensatio illius non est licita, quæ Deo, canonibus & regulæ inuenitur contraria.

CAPVT VII.

CONTRA EXCVSANTES PROPRIETATIS VITIVM.

SVNT autem nonnulli, qui se patronos vitiorum stulta præsumptione exhibent: & qui monachos proprietarios seuera districtione corrigere debuerant, perdita commiseratione excusant. Contra regulam monachis concedunt propria: & dum oues morbidas per zelum rectitudinis turbare metuunt: commissas sibi animas perdunt. O Abba nutritor vitiorum, proprietatis sceleratę indultor: quid respondebis summo Pastori, cum à te oues requisierit suas? Quid inquam, respondebis ex omni parte accusatus? Qui rector animarum positus, vitia subditorum tuorum debueras arguere, non times sceleribus fomitem ministrare. Sed dices. Ego monachis meis proprium non indulgeo: sed necessaria concedo. Tu autem quomodo peculium audes dicere: quod puræ necessitatis est? Quid hic dicis ô Abba? Ecce monachi tui ipsi vestes sibi coguntur disponere: permittis quæ volunt suis pecuniis comparare: & instar mercatorum ad eorum libitum emere & vendere. Et vbi manent statuta Benedicti Papæ duodecimi & Capituli generalis quæ monachis necessaria prohibent in pecuniis ministrari? Si monachus sibi ipsi prouidere necessaria compellitur: ad quid prælati super eos constituuntur? Enimuero, vt sine cura & solicitudine rerum temporalium Domino in tranquillitate mentis seruire possem, religionem ingressus sum: si meipsum in necessariis corporis prouidere rursus compulsus fuero, mallem me permãsisse in seculo. Nõ monachus curam sui gerit sine periculo: qui autem renunciauit diuitiis mundi, aurum non amat sine peccato. Quid pecunia monacho, qui nihil amare debuerat in mundo? Aut quæ est necessitas prælatum super monachos constituere: si vnusquisq; seipsum cogitur prouidere? Væ tibi rector monachorum, qui subditos tuos in Ægyptum non times reducere: dum eos proprium ad priuatum vsum cõsentis possidere. Ecce omnipotens Deus commisit tibi populum suum de tenebris Ægypti fugientem, quatenus per desertũ religionis ad terrã repromissionis in cœlis eum debeas perducere: & tu vltro venientes facis in Ægyptũ redire? Quid mihi excusationis ineptè verba opponis? Nunquid ratione administrationis fratribus tuis indulges peculium? Monachine omnes administratores sunt? Quid administrant? Publica, an priuata? Si administrant publica: dispensatio super habenda pecunia ad rationem officii tantum licita erit. Si autem administratio non publica, sed priuata fuerit: possessio pecuniæ proprietas erit. Qualis ergo excusatio est monachorum non officialium, qui proprietatis suæ vitium nomine administrationis palliare conantur? Quid administratis ô monachi? Cui necessaria disponitis? Nonne

Papa nolut pecuniam dari monachis ad necessaria comparanda.

vobiſmetipſis? Sanè, dum vnuſquiſque curam ſui ipſius gerit in deſideriis carnis, nonne proprietarii eſtis? Tollite verba excuſationis: Deus ſcrutatur intima cordis. Sed forſan dicitis. Non eſt dicenda proprietas: vbi ad reſignandum eſt prompta voluntas. Eſto. Quando vos ad reſignandum, quę habetis, promptos inueniam? Reſpondebitis. Omni tempore. Quomodo verum oſtendetis, quod dicitis? Reſpondebitis. Ex corde ad reſignandum omnia promptos nos in cæna Domini oſtendimus: quando rerum noſtrarum omnium claues ad manus Abbatis noſtri reſignamus. Quare hoc facitis? Vt nos veros monachos probemus. Falſum eſt: ſententiam excommunicationis ferendam in proprietarios timetis. Die mihi Abba, cur peculium non aufers à monachis: q. ſe ad reſignandum promptos affirmant? Ecce quidam eorum tibi claues peculii ſui cuſtodes in cæna Domini reſignaturos ſe offerunt. Cur illas non recipis? Timeo inquis. Quid times? Monachos timeo. Cur illos? Quoniam ſcio, quod nõ ſũt ex animo reſignati. Quid ergo? Tu aufer ab eis, quod reſignãt peculium: & noli conſiderare animum fictum. Iterum times? Quid trepidas? Quid moraris? Aufer quod offerunt: & fac eis non ſecundum animi intentionem, ſed ſecũdum ſententiam ſermonis. Non audeo inquis. Cur non audes? Quia mala minantur. Quicquid contra me excogitare potuerint, facturi ſunt: ſi proprium auferens, conſuetudinem eorum intregero. Proprium, quod ficto reſignant animo, eis denuo indulgeo: quia furorem eorum expaueſco. Videtis nũc, ô monachi, quid Abbas de reſignatione veſtra ſentiat: quam fictam eſſe & vanam nullus noſtrum ignorat. Denique maior pars veſtrum illum reſignandi vſum, nec verum habet, nec fictum. Excuſationes in peccatis quæritis: qui ſub adminiſtrationis vocabulo proprium defenſatis. Sed rurſum dicitis. Quicquid tamen nos habere cognoſcimus: ante mortem reſignamus. O ſera & tarda reſignatio: quæ non ex voluntate oritur: ſed neceſſitate mortis vrgetur. Nam ſi concedatur diutius viuere: ſtatim pœnitet monachum proprium reſignaſſe. Parum ergò reſignatio peculii proderit: quæ initium ex morte ſumit. Ceſſent igitur excuſationes proprietariorum in peccatis, quia defenſioni locus non conceditur, vbi crimen tam multiplici indicio condemnatur. Proprium monacho lex diuina prohibet: ius canonicum peculium Religioſo penitus interdicit: omnes ſanctorum Patrũ regulæ clamant monacho proprietatem prorſus illicitam.

Monachi quotannis claues reſignant Abbati, ne proprietarii videantur.

CAPVT VIII.

QVOD EX PROPRIETATE MONACHORVM multa mala & pericula animarum proueniant.

MONACHI proprietarii quantis ſe periculis & malis ſubiiciant: multorum actiones probant. Et de illis quidem, qui in cœnobis degunt, vbi nulla regularis vitæ obſeruantia eſt, ſatis admodum diximus; quoniam, vbi tota conuerſatio monaſtica periſſe cernitur, nulla de proprietatis vitio conſciẽtia habetur. De noſtris igitur etiam interim loquamur, qui ſub diſciplina conſtituti hoc vitio deteſtabili nonnunquam reperiuntur deprauari. Nec tamen priores excludimus, dum con-

contra istos disputamus. Omnibus dicitur, quod pertinere ad omnes comprobatur. Omnibus quoque fugiendum est, quod omnibus probatur interdictum. Monachis enim omnibus interdicitur proprietas. Hoc detestabile vitium, cum tepidam remissamq; monachi semel possederit mentem, tantis eum malis & vitiis subiicit, vt excutere deinceps iugum eius non facilè possit. Quamobrem nulli vilis despectusque videatur hic morbus: qui sicut potest perfacile declinari, ita si quenquam semel inuaserit, rarò salutis remedia admittit. Astuta sunt argumenta diaboli. Inprimis monachum de parua pecuniæ summa sollicitãs, veluti rationabiles ei falsos colores, ob quos vel reseruare sibi aliquid ad necessitatem futuram debeat, vel parare, confingit: vt cum se victorem in paruis senserit, ad maiora paulatim compellere incautum possit. Qui enim succumbit in minimo, quando victor in maximo erit? Postquam verò se diabolus in omnibus auditũ persenserit: grauiora cogitationibus immittit. Conqsitis enim monachus iam aliquot nummis, videtur sibi, quod in eodem cœnobio diutius non possit consistere: omne quod viderit in displicentiam & nauseam assuescit reuocare: Abbatem durum, inutilem, ac negligentem iudicat: fratres omnes vna sententia, tanquam sine charitate conuersentur, damnat. Deinceps nulla peculii habetur conscientia: dum quasi pro viatico sanctioris vitę quærendæ non creditur culpa. Itaque cum hostis antiquus huiuscemodi cogitationibus illaqueauerit mentem, omnes vias monachus excogitat: qualiter vel vnũ denarium acquirat. Offertoria furatur: & vendit occultè quod rapuit: à parentibus, cognatis & amicis pro aliquo commercio denarios petit & accipit. Instabilitatis suæ consequutus iuuamen & sumptus, paratus ad fugam, insolenter Abbati respondet ad omnia: & tanquam peregrinum & extraneũ se gerens, se moresque fratrum negligit: correptionis verba pœnitus contemnit. Occasiones deinde contra Prælatum, quibus offendi irascique debeat, studiosè perquirit: ne leui casu motus fugisse de cœnobio æstimetur. Neque tamen de sua infelicitate contentus est: sed alios etiam susurrationibus clandestinis, quantum præualet, nititur deprauare, ne solus videatur excessisse. Hinc Abbas Cassianus dicit. *Cumque pecuniarum pondus monachum de claustro, veluti feralis quædam bestia de cœtu gregis segregans, pecus opportunum prædæ destitutione sodalium fecerit, & deuorationi facilem contubernii priuatione reddiderit eum, qui prius opera monasterii leuia exercere despexerat, die ac nocte spe questus infatigabiliter laborare compellit: non orationum solemnia, non ieiuniorum modum, non vigiliarum regulam custodire permittit, non honestarum intercessionum explere officia sinit: dummodo vel auaritiæ rabiem satiare, vel quotidianis vsibus possit occurrere: cupiditatis ignem, dum acquirendo extinguendum credit, vehementius accendens. Sicque verificatur dictum apostoli: radix omnium malorum est cupiditas.* Cupiditatis & peculii facibus semel accensus monachus, nullam deinceps humilitatis & obedientiæ virtutem in corde suo retinet: charitatem nullam fraternitatis habet: disciplinam in moribus nullam exhibet. Indignatur ad omnia: ad singula quæ fiunt in cœnobio murmurat, die ac nocte de nummis cogitat. Elato capite procedit in publicum: oculos circumducit instabiles: impatiens quietis angustiam cellæ declinat: monasterium (quanquam latissimum) carcerem putat. Iam nulla seruata reuerentia, veluti equus ad prælium fertur infrenis: nec victu conuentuali nec solito indumento contentus, non se diutius toleraturum hæc esse importunis vocibus clamitat. Ad seruiendum Deo locum cœnobii inconuenientem conqueritur: negligentes fratres & indisciplinatos vociferatur: se cõmorari his sine dispendio salutis minimè posse lachrymatur. Vnde si quoquam se non celerius asportauerit: periturum se portinus grauiter ingemiscit. Huius etenim vitii tanta vis est: vt monachum, quem in congregatione semel infecerit, in profundum malorum paulatim præcipitet. Orationes contemnit & vigilias: fraternam charitatem deserit: correctionem seniorum vilipendit. Semper anxius de peculio cogitat: venire in lucem proprietatis suæ crimen formidat: loca tutiora pro conseruando peculio explorat. Omne quod habet, parũ existimat: appetitũ ad lucra potiora laxat. O maledicta monachorum proprietas: quæ non minus possidet quam possidetur.

Cassiani lib. 7. de instit. mõ. c. 10.

Quam noxium sit etiam parum pecuniæ habere.

1. Tim. 6.

Monachi tentati qui mores

tur. Quemcunq; enim semel ceperit, omni obseruantia & disciplina regulari nudum & aduersarium facit. Non solum autem in pecunia censetur esse proprietas: sed in omni quoq; re, quæ pecunia comparatur & venditur. Monachus ergo proprietarius potest esse in minimo: sicut alius in magno: qui si paruum quid contra regulam sine Abbatis licentia possidet, sine dubio proprium tenet. Idcirco regula dicit. *Nihil omnino monachus proprium habeat.* Sanè vbi nihil haberi permittitur, omnis rei proprietas aufertur. Errant itaq; & peccant in regulam, qui monachos minima quæq; sicut tabulas, iconas, & mappulas dare, aut accipere posse absque licentia Prioris existimant. Sunt enim nonnulli, etiam inter eos qui se Obseruantiales profitentur, qui præter necessitatem in cellulis suis multa priuata possident: pro quorum vsu habendo nullam ab Abbate licentiam receperunt: putantes ea idcirco non esse propria, quia precio sunt parua. Sed hoc non admittit regula sancti Benedicti: quæ nihil omnino habere sine licentia concedit. Quisquis ergo monasticum propositum custodire ad regulam desiderat, nihil penitus, quod Abbas non dederit, aut permiserit, requirat: ne vitium proprietatis, quod alii committunt in pecunia, ipse graphio incurrat, aut tabula, Nusquam enim tutior est conscientia monachi: quam si nuda penitus fuerit ab omni substantia mundi. Quicunq; verò aliquid quantumlibet paruum, quod Abbatem suum velit celare possidet, peculii vitio reus iudicatur. Omnia enim cum scitu & voluntate Abbatis in monasterio agenda sunt. Vnde fratres chariſſimi ante omnia cauete hoc vitium: per quod monachus incurrit omne malum. Quicunq; enim animam suam hoc scelere fœdauerit: nunquam nisi pœnitentiam agat, securus in conscientia quiescit.

Proprietas non in sola pecunia.

Reg. c. 33.

CAPVT IX.

QVEMADMODVM MONACHI DEBEANT habere necessaria.

OMnia necessaria à patre monasterii speranda sunt: quoniam qui minister communitatis monasticæ constituitur, prouidere necessaria monachis tenetur. Oportet ergo dispensatorem substantiæ monasterii fidelem esse & prouidum: & imitari exemplum Apostolorum vt distribuat vnicuiq; sine personarum acceptione quod opus habet. Non præponat commodum suum necessitatibus fratrum: ne & ipse incurrat proprietatis nefandæ periculum. Qualia subministrat necessaria monachis, talibus vtatur & ipse. Non enim decet prouisorem seruorum Dei, neglectis illis, epulis vacare lautioribus: quia dum suam commoditatem pastor præponit vtilitati ouium, murmurationem in se concitat subditorum. Vbi ergo omnia debent esse communia, nec Abbati licet quærere priuata. Rector itaq; monachorum, qui neglectis necessitatibus fratrum, epulis & potibus lautioribus vacat, in regulam communitatis peccat. Quemadmodum ergo prouideri sibi desiderat, ita quoq; necessaria monachis Prælatus impendat. Monachi verò ita necessitatibus suis concessa indulgeant: vt communitatis regulam minimè corrumpant. Nihil pœnitus sine licentia monachus habeat: communia priuatis anteponat: & voluntatem Abbatis secundum regulam monasticam & se & indulta ponat. Si de permissione Prioris codicem, imaginem, vel simile aliquid in cella possidet: nouerit sibi vsum rei permissum: proprietatem seu dominium verò prohibitum. Et ideo ad resignandum sit promptus in animo: quotiens à Prælato super

Act. 4.

Monachus nihil sine licentia habere potest.

super his iuxta regulam fuerit requisitus. Caueat tamen Abbas: ne monachos sibi commissos turbet, & contristet sine causa. Omnium enim suorum actuum Deo se nouerit rationem esse redditurum. Enimuero quæ sine culpa potest concedere, non debet cum periculo denegare. Suscepit enim infirmorum curam, non fortium: vnde necesse est, vt maxima prudẽtia fulgeat: ne aliquem ex sibi commissis perdat. Varii namque sunt affectus monachorum, & in vtramque partem flexibiles; nisi Abbas cautè & prudenter se inter eos habuerit: dissensioni & murmurationi fomitem ministrabit. Memor itaq; sit infirmitatis propriæ: & facilè compatietur alienæ. Hæc dixerim, non q; debeat monachis ad vota eorum quęque concedere: sed necessaria secundum regulam prouidere. Facilè enim ad obseruantiam regularem monachos suos poterit compellere: qui ea quæ necessaria sunt, eis curauerit ministrare. Qui autem negat necessaria corporis, frequenter audit verba murmurationis. Ante omnia verò Abbas caueat, ne monachis necessaria in pecuniis concedat: quoniam qui sine solicitudine mundialium rerum diuinæ contemplationi debent insistere indignum valdè est, si necessaria sibi corporis cogantur prouidere. Ordo enim monasticus ad hoc institutus agnoscitur: vt segregati à mundi curis monachi, sine impedimento diuina comtemplentur. Abbas autem super monachos idcirco constituitur: vt eius & doctrina & solicitudine pascantur. Sed de his hactenus dixisse sufficiat.

CAPVT X.

CONTRA PROPRIETATIS VITIVM ADmonitio.

ATENDAMVS itaque fratres propositum nostrum, quod ingredientes cœnobium assumpsimus: & animas nostras ab hoc proprietatis vitio solicitè custodiamus. Si agonem spiritalem legitimè certare volumus: hunc quoque pernicioſum hostem à cordibus nostris extrudamus: de quo hæc erit summa victoria, triumphusque perpetuus: vt quemadmodum in constitutionibus Patrum præcipitur, nec in minima quidem re conscientia monachi polluatur. Caueamus pericula, quæ huic vitio semper sunt proxima. Impossibile namque est eum, qui victus in exigua stipe, concupiscentiæ semel in corde suo radicem susceperit, non maioris desiderii protinus incendio conflagrari. Vt autem hoc vitium radicitus amputetur de monasterio, dentur ab Abbate omnia quæ necessaria sunt monachis. Monachi sumus, & Christum imitari secundum regulam præcipimur, vt in cœlestibus regnis voluntariæ paupertatis præmia consequi mereamur. Cur ergò aliquid in mundo contrarium nostro proposito quæreremus: qui thesaurum in cœlis expectamus? Enimuero, si cupimus esse discipuli Christi, vilescant nobis necesse est diuitiæ mundi. Dicit namque Apostolus. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus: vt ei placeat cui se probauit.* 2. Tim. 2. Et in Euangelio Dominus. *Qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Luc. 14. *Difficile namque est diuitem intrare in regnum cœlorum.* Matt. 19. Beati ergo illi censendi sunt, qui mundi voluptatibus illudentes cunctas diuitias eius forti animo contemserunt: qui cœnobium ingressi, salutare Domini cum silentio & patientia expectant. De quibus Dominus dicit. *Qui reliquerit patrẽ aut matrẽ, fratres aut sorores, domos*

aut agros, propter nomen meum: centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Magna Dei nostri promissio: sed maxima & omni desiderio concupiscenda possessio. Facile contemnit omnia, qui huius promissionis donum nusquam obliuiscitur. Ecce fratres mei, eduxit nos iam de Ægypto gratia Dei, vocans de mundo ad sanctum ordinem: curandum nobis est, & omni studio laborandum, vt per desertum huius vitæ ambulantes, viam trium votorum substantialium nullo vnquam tempore deseramus. Iter enim salutis nostræ ad terram promissionis, est obseruantia mandatorum Dei, Ecclesiæ catholicæ, & Ordinis. Si quis è nobis (quod absit) hanc viam ambulare contempserit, transgressor sui voti erit, & terram sanctæ repromissionis non videbit.

FINIS.

CARMEN RVTGERI SYCAMBRI IN LIBRVM REVERENDI DOMINI IOHANNIS TRITHEMII ABBATIS de proprietate Monachorum.

HVNC percurre librum, si vincla monastica stringunt.
Nam proprii vitium duriter ense ferit.
Faminis ense loquor scripti quoq; : colligit omnes
Vires : impulsa vt concidat ipsa lues.
Adducit veterum veneranda scripta virorum,
Quîs proprii vetitam comprobat esse luem.
Et scriptura sacra vetat omnem proprietatem
Voti constrictis relligione pii.
Quinetiam cunctis monachis ius proprietatis.
Omnia diuina (perlege) iura negant,
Hoc motus vitio veterum Trithemius Abbas,
Normas perspexit, & pia iussa Patrum.
Conueniunt omnes, scelus ingens proprietatis
Conclamant, præsens edocet ista liber.
Tu modo quisquis eris, noxam fuge proprietatis,
Sic scitis veteres constituere Patres.
Hoc faciens mercede bona donaueris ipsum
Codicis auctorem, talia dona parans.

In eundem librum Carmen Theoderici Gresemundi iunioris.

Quisquis ades secli contemptor, quisquis anhelas
Viuere sacrata in relligione Deo.
Hunc lege, nam monachis nil proprietatis habendum
Suadet : quod secum noxia multa trahat,
Cesset inanis opum cesset mala cura peculi,
Quæ tempsit monachus ceßet amare bona.
Ergo legens docti saluberrima scripta Iohannis
Trithemii: fugias exitiale malum.

IO. TRITH.

De laude scriptorum.

IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEMENSIS DE LAVDE SCRIPTORVM MANVALIVM. LIBER.

Argumenta singulorum Capitum.

CAPVT Commendantur descriptores sacrorum librorum.
II. Sacra scriptura noui & veteris testamenti laudatur.
III. De veterum diligentia & amore erga libros.
IV. Quantum studium posuerint in describendis libris.
V. Quam conueniat monachis librorum scriptio.
VI. Quam bonum & vtile iisdem sit scribere.
VII. Non debere à scriptione cessare ob inuentam typographiam.
VIII. De orthographia & modo scribendi.
IX. Quid agendum scribendi imperitis.
X. Quales materias monachi debeant scribere.
XI. An diebus festis liceat transcribendis libris vacare?
XII. De discrimine scriptorum & opusculorum nominibus.
XIII. De instituendis scriptoribus & otio vitando.
XIV. Vtrum sit commendabilis scriptorum multitudo?
XV. De custodia & munditia librorum habenda.
XVI. Exhortatio ad studium & amorem scribendorum librorum.

EPISTOLA IOHANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEMENSIS AD DOMINVM GERLACVM ABBATEM TVITIENSIS CÆNOBII.

VEnerabili & amantissimo patri Domino Gerlaco de Breitbach Abbati Tuitiensi, ordinis sancti Benedicti, frater Iohannes de Trittenhem, vocatus Abbas in Spanhem, eiusdem ordinis, salutem & caritatem. Cum nuper de annali capitulo Erffordiæ celebrato simul reuertentes de maiestate diuinarum scripturarum varia inuicem tractaremus: & per earum splendorem nostram religionem quondam gloriosam fuisse diceremus: petisti à me cum multa caritatis instantia, vt tibi aliquid scriberem: quo tuos ad amorem

amorem scribendi subditos facilius prouocares. Putabas enim id multis profuturum: & uostris præcipue commendandum. Tuis itaq; precibus humiliter præbens assensum, promisi, quod ingenii mei vires excedere non ignoraui: de adiutorio altissimi & fraterna caritate sumens fiduciam: quibus in hac vita continuè cupimus armari. Vnde mox, vt mihi de occupationibus meis paululum licuit respirare, mentem fidei, manum apposui chartis: & hunc, quem cernis modicum tractatulum de laude scriptorum tuis orationibus adiutus ordinaui. In quo, si minus aliquid feci quam debui, curis meis diuersis noueris imputandum: quibus plerunq; intantum occupor, vt vix mihi liceat interceptis vicibus ad optata studia remeare. Suscipiat igitur caritas tua, pater venerande, librum quem petiuit: legat, examinet: & si iudicauerit dignum, ad aliorum quoq; fratrum notitiam venire patiatur. Potest enim fieri, vt eius lectione fratres ad amorem scripturæ incitentur. Tu autem cœpta via progredere: scripturis sanctis ardenter incumbe: tuosq; fratres, vt idem faciant, modis omnibus exhortare. Intueantur sanctum illum & venerabilem virum Rupertum vestri Tuitiensis cœnobii quondam Abbatem: qui vel solus ad exemplum studendi eis potest sufficere. Qui cum singulari desiderio diuinas scripturas, tum legendo, tum orando percurreret, per visionem spiritu sancto docente, tantum in eis meruit proficere, vt similem in exponendis scripturarum arcanis suo tempore non haberet. Qui si ad eius mensuram non possumus studendo pertingere: nunquid à studiis sanctis propterea debemus cessare? Nunquid excellentia ceterorum nos ab accessu sacræ lectionis arcebit? Absit. Si non possumus Augustinum imitari, siue Gregorium: eos saltem imitemur: quorum doctrinam nouimus ab aliis emanasse. Vnusquisq; autem proprium donum habet ex Deo: alius sic, alius verò sic. Hoc tantum caueamus, ne in agro dominico sine fructu bonorum studiorum steriles simus. Vale nostri memor. Anno Domini M. CCCC. XCII. 1. Cor. 7.

IOANNIS TRITHEMII ABBATIS DE LAVDE SCRIPTORVM MANVALIVM OPVSCVLVM.

CAPVT I.

IN QVO COMMENDANTVR DESCRIPTORES sanctorum librorum.

DE laude scriptorum facturi sermonem, illius inuocamus auxilium, qui syncteris scriptoribus æternæ vitæ claritatem promisit in præmiũ. Nempe qui ad iustitiam erudiunt plurimos, fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates. Quod non solum de illis intelligendum esse, qui de sua vena cudunt noua, sed etiam de his qui vetera transcribunt, in sequentibus Domino largiente monstrabimus. Nam quantumcunq; vtilis sit Doctoris traditio, absq; ministerio scriptoris ad notitiam posterorum nequaquam deducitur. Quicquid enim boni agimus, quicquid fructuose docemus, in obliuionem cito rapitur: nisi scriptorum studio literis commendetur. Scriptores ergo virtutem dant verbis: memoriam rebus: vigorem temporibus. Hos si de Ecclesia tollas, vacillat fides, charitas friget, spes decidit, ius perit, confunditur lex, in obliuionem transit Euangelium. Deniq; si scriptura defecerit, dispergetur populus, deuotio extinguetur, pax catholicæ vnitatis confusa turbabitur. Sed absq; scriptoribus nõ potest scriptura diu salua cõsistere: quæ & casu frangitur & vetustate corrumpitur. *Impressura enim res papyrea est: & breui tẽpore tota consumitur. Scriptor autẽ mẽbranis cõmendans literas: & se, & ea quæ scribit, in tempus longinquũ extendit.* Vnde ipse Ecclesiam ditat, fidem conseruat, hæreses destruit, vitia repellit, mores instruit, & dat incrementa virtutibus. Scriptor deuotus, qualem describere intendimus, Dan. 12.

dimus, Deum laudat, angelos lætificat, iustos homines confortat, peccatores emendat, humiles commendat, bonos conseruat, superbos debellat, cõdemnat pertinaces. Scriptor pietate insignis, Dei preco est, quia voluntatem eius & præsentibus annunciat & futuris: promittens bonis vitam æternam, pœnitentibus veniam, negligentibus pœnam, contemnentibus damnationem. Quid hac arte salubrius: quid commendabilius pietatequam? Deus diligit, angeli colunt, cœli ciues vniuersi venerantur. Hæc est enim, quæ fidelibus arma fabricat contra hæreticos: quæ superbos deiicit, dæmones spoliat sua fortitudine, & normã viuendi ponit Christianis. Hæc est, quæ insçios docet, pusillanimes corroborat, deuotos colit, amore complexatur pacificos. Quid est, quod dignè in laudem scriptoris à me possit dici? Quicquid dixero, laudibus eius inferius est, quia prius in me angustus arctabitur spiritus, quam tanto condigna honori desit materia. Contingit mihi fateor, quod imperitis oratoribus plerunq; solet accidere, qui rerum de quibus loqui cœperant maiestate conterriti, nec loqui possunt, quod sentiunt, nec propter verecundiam tacere præsumunt. Sicque fit, vt dum ordinem & regulas dicendi transire metuunt, à proposito vtilitatis cadunt. Nam sicut spiritus Prophetię aliquando etiam prophetas ad tempus vtiliter deserit, ita oratoribus quoq; non semper adest vsitata facundia. Quanto ergo facilius mihi tremor incutitur, qui nec rhetor sum, nec idoneus exornare latam sermone materiam. Hæret lingua palato iam arida, spiritus premit sicca præcordia, tremit intinctus iterum calamus, in solo viget pectore desiderium & amor scriptoris. Cum ergo defecerim, nemo materiam, sed verba nouerit defuisse loquenti. Faciam tamen Christo iuuante, quod potero, cum sola Charitas nostri sit causa laboris, quæ omnia posse titè prædicatur. *1. Cor. 13.*

CAPVT II.

COMMENDATIO VTILITATIS SACRÆ scripturæ.

VERVM, antequam laudes & vtilitatem scriptorum vlterius prosequamur, libet in commendationem sacræ scripturæ laxare pauliſper calamum: vt fratres, qui ad scribendi studium prouocandi sunt, prius in amorem sacræ scientiæ prouocentur. Nisi enim pateat vtilitas operis, animum non flectet suasio laboris. Scriptura itaq; sacra, fratres chariſſimi, nobis ad multa vtilis est: quæ quasi nauicula in hoc mari magno amatores suos sine periculo transducit ad littus: dum mentes à terrenis ad cælestia eleuat: dum tribulationes mitigat, dum labores leuigat, dum vitia extirpans virtutes plantat. Ipsa enim charitatem accendit, auget fidem, deuotionem excitat, nutrit veritatem. Qui hanc amauerit, beatus est: si tamen in semitis eius vsque ad mortem permanserit. Melior est acquisitio eius negotiatione auri & argenti: primi & puriſſimi fructus eius. Preciosior est cunctis opibus scientia scripturarum: & omnia quæ in hac vita desiderantur ab hominibus, huic non valent comparari. Longitudo dierum in dextera eius: & in sinistra illius diuitiæ & gloria. Viæ illius viæ pulchræ: & omnes semitæ eius pacificæ. Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam:

eam: & qui tenuerint eam beati. Ipsa enim cor hominis purificat: intellectum sui amatoris illuminat: affectum dulciter accendens inebriat. Hanc amaui & exquisiui à iuuentute mea: in sponsam elegi eam: & amator factus sum formæ illius. Generositatem illius glorificat contubernium habens Dei: sed & omnium Dominus dilexit illam. Doctrix enim est disciplinæ Dei: & electrix operum illius. Speciosior est sole: & super omnem dispositionem stellarum. luci comparata inuenitur prior, quia lumen eius à tenebris nunquam extinguitur. Qui amat scientiam scripturarum: stabilietur in pace habitaculum eius. Non enim habet amaritudiuem conuersatio eius: nec tædium conuictus illius: sed lætitiam & gaudium. O quam mirabilis & dulcis inest scripturis ordo dictorum: vbi desiderium amantis semper excrescit: vbi satietas nunquam patitur fastidium: vbi esuries delectabilis iustorum, vbi nimietas non arguitur: sed importunitas crebra magis laudatur. In hac notitia rerum salutarium discitur: in hac rite credentibus vita æterna promittitur. Scripturæ etenim præterita sine falsitate describunt: præsentia aliter, quam videntur, ostendunt: futura quasi ex certitudine coram denunciant. Vbiq; in eis veritas regnat: vbiq; virtus diuina irradiat: vbiq; ad animarum salutem necessaria panduntur legentibus. Quid enim vtilitatis & suauitatis non continetur in litteris sanctis: si pura intentione legantur? Ibi est quod fortis comedat: ibi quod paruulus sugat. Ibi veritatem facti historia denunciat: ibi allegoria fidem roborat: ibi mores tropologia format: ibi ad cęlestem patriam anagogia mentem leuat. Tota virtutibus plena est: si deuota & pura intentione legatur. Nihil ibi ocioſe positum est: nihil sine causa mysterii conditum. Omnia mysteriis & pietate plena sunt. Nam has literas ratio humana non reperit: sed hominibus olim sanctis virtus cælestis infudit. Quas tunc bene datur intelligi: quando eas vera & vtilia prædicare mens deuota crediderit. Carnalis autem homo, quantacunq; infletur scientia, sacras scripturas non potest intelligere: quia vera scientia scripturarum, humilitas deuota est mentium. Amator scientiæ sacræ veraciter studiosus, quietem cordis facile consequitur: quia dum doctrinæ scripturarum intentus est, minus de vanitate mundi pulsatur. Veraciter enim dixit ille beatus. *Ama scientiam scripturarum: & carnis vitia non amabis.* O si à talibus studiis mens humana non tepesceret, quàm felix status interioris hominis vigeret. Si ocii tempus non haberet mens inquieta mortalium, non pateret tam facilis aditus sordibus vitiorum. O si claustrales nostri nunc scripturarum studiis veraciter, vt olim, insisterent: quã vtiles & sibi ac Ecclesiæ catholicæ existerent. Scientia enim scripturarum est, quæ humiles vtiliter ponit in sublimi, pauperes ditat, despectos glorificat, deuotos iuuat, Prælatos ornat, à seculo monachos segregat, vitiis purgat, virtutum gradibus exaltat. Ipsa est enim, quæ fidem format, caritatem ordinat, spem erigit, iustitiam colit, temperantiam instruit, prudentiam dirigit ad regulam pietatis. Sacra scriptura fons est sapientiæ, semita iustitiæ, forma disciplinæ, apotheca salutis, magistra veritatis. Hanc si amaueris, veraciter inuenies: & si in conuictu eius permanseris, cor tuũ ineffabili gaudio delectabit: ita vt omnes huius mundi honores & diuitias in illius comparatione velut puluerem contemnas exiguum. Docebit enim te aduersa mundi cuncta vincere: oblectamenta voluptatum spernere: pulchra huius vitę vt fœda æstimare. Si hanc sponsam dilectam habueris, nunquam pernitiosè tristis eris: sed semper iucundus, semper hilaris, semper in amore Dei proficiens. Insuper exaltabit te coram Deo & hominibus: erisq; in ore omnium admirabilis, & maiores tui venerabuntur te. Non erit, qui contradicat sermonibus tuis: habebis amicos reges & principes: & de remotis terrę mittent eulogia tibi. Eris sine ambitu gloriosus: & sine timore reuerendus. Ineffabile donum consequeris ab ea, & venerabilis eris coram omnibus hominibus. Liberabit te à vinculo carnis huius corruptæ: & ducet ante thronum altissimi regis: vbi stola iucundæ immortalitatis vestieris. Fortis est mater hæc, & valde honorifica: qua præcedente castra inimicorum transibis securus. Habet enim Dei cognitionem amicam. Quisquis igitur es, qui animæ tuæ salutem diligis, ab hac magistra non

Hieron. ep. 4. ad Rusticũ.

disce-

discedas : eius præcepta noli negligere, vt ad amorem Dei valeas peruenire. Ad cuius continuandam amicitiam copia sanctorum voluminum tibi necessaria est. Sine libris enim ad eius familiaritatem non venies.

CAPVT III.

DE VETERVM DILIGENTIA ET AMORE ad libros.

EAM nunc igitur exemplo veterum etiam gentilium ad amorem librorum te, quantum licet, excitare conabor. Plus enim aliquando exempla proficiunt, quam verba: quia dum & alios, quod iubemur, prius fecisse conspicimus: minus de laboris duricia formidamus. Quod autem singulare proponitur: à suscipiente grauius iudicatur. Gaudet infirmitas humana consortio plurimorum: & minus terret à multis crebrius vsitatum. Si ergo perpendimus quantam veteres in colligendis libris habuerint diligentiam: studia nostra velut puerorum ludus nihil apparebunt. Nullis illi pepercerunt expensis: nullos formidarunt labores: quibus librorum multitudinem potuissent acquirere. Vnde non solum suarum gentium volumina coëmebant: sed & quarumcunq; nationum exterarum dicta vel facta in suam linguam transferentes, ad bibliothecas publicas condere satagebãt. E quibus apud Græcos bibliothecam Pisistratus primus instituit: quã ab Athenienſibus auctam Xerxes incẽsis Athenis euexit in Persas: longoque post tempore Seleucus Nicanor denuò retulit in Græciam. Hinc studium regibus vrbibusq; cæteris natum est comparandi libros diuersarum gentium: & per interpretes in aliam linguam vertendi. *Postea rex Alexander* cognomento magnus, quãuis bellicis continuè ageretur incursibus, mirum in modum constituendis omnium librorum bibliothecis animum dedit. *Quid dicam de Ptolomæo* Philadelpho omnis literaturæ sagacissimo viro, qui cum studio bibliothecæ Pisistratum æmularetur, non gentium tantum scripturas, sed etiam diuinas literas maximis expensis interpretans, in bibliothecam suam incredibili feruore intulit. Nam septuaginta milia librorum eius tempore Alexandriæ inuenta sunt. Plato princeps Philosophorum tantum fertur habuisse amorem ad libros, vt Philolai pythagorici tres libros decem milibus denariis mercatus sit. Aristoteles etiam non minoris gloriæ apud Philosophos paucos libros Speusippi philosophi post eius mortem talentis atticis tribus comparauit: quæ faciunt nummos septuaginta duo milia. Sed omissis gentilibus amatoribus librorum, quorum ingens est numerus, ad nostros transeamus. Ambrosius, discipulus & amicus magni Origenis, incredibili studio feruens ad libros, Origenem quotidie ad scribendum hortabatur, immo impellebat: ita vt eum compulsorem operis in quadam epistola amicè appellaret.

Beatus martyr Pamphilus Eusebii Cæsarienſis presbyter tãto libros amabat desiderio: vt maiorem partem librorum Origenis sua manu describens, maximam multitudinem librorum apud Cæsaræam cooperante Eusebio congregauerit. Sanctus etiam presbyter Hieronymus ab vrbe secedens, cum omnia mundana contemneret, solam bibliothecam, quam sibi condiderat, se fatetur non potuisse deserere. Augustinus catholicæ Doctor Ecclesiæ præcipuus, cum mori debuisset, quasi pro singulari testamento fratribus commisit, vt bibliothecam Ecclesiasticam diligenter custodirent. Longum est, si velimus amatores

librorum præcipuos, quos nouimus nominatim describere: qui ab initio christianæ fidei vsque ad nostram ætatem diuersis temporibus claruerunt. Dant amori sacro testimonium infinita pœnè volumina quæ suis bibliothecis illi tradiderunt. Videmus in multis cœnobiis maximè nostri ordinis præclara & antiquissima exemplaria: quæ mira subtilitate conscripta diligentiam veterum demonstrant. Erat olim Abbatibus & monachis nostri ordinis ad libros incredibile studium: quippe qui nouerant ordinis decorem, & infirmarum animarum in eis haberi remedium. Libri enim sunt, qui nobis futuræ felicitatis desiderium faciunt: præsentis exilii miserias minuunt: vitia pellunt, virtutes inserunt. constantiam in tribulatione tribuunt, fructum indulti temporis producunt. Quid enim nisi terrena sapere possemus: si non haberemus consolationem scripturarum? Denique à mentibus hominum fides catholica cito deficeret: si non haberentur instrumenta scripturarum. Nihil ergo melius, quam diuinis scripturis cum desiderio amoris incumbere: quibus instruimur, quomodo in via Dei solicite debeamus ambulare. Cum autem scripturæ legi non possint, nisi scribantur prius: vtile & necessarium est, vt monachi ad scribendum eas in cœnobiis diligentissimè exerceantur. Inter omnia enim exercitia manualia nullum adeo conuenit monachis, sicut scribendis voluminibus sacris studium impendere. *Monachis conuenit scribendi exercitium.*

CAPVT IV.

DE DILIGENTIA VETERVM IN SCRIBENDIS libris.

DENIQVE si historias transacti temporis diligenter inspiciamus, quantam curam veteres & sancti Patres scribendis libris etiam propriis eorum manibus impenderint, & inueniemus, & mirabimur. Sciebant enim geminam huius artis vtilitatem: quod sibi multipliciter ad corpus & animam proficeret, & posteris ad vitæ honestatem deseruiret. Sanctus Pamphilus martyr, vt paulo ante iam diximus, intantum huius artis amator fuit: vt maximam partem librorum Origenis propria manu descripserit. Si vir tantus & idoneus martyr Christi, officium scriptoris tam feruenti desiderio subire non renuit: quid nos vermiculi dicturi sumus, qui in monasterio sine cura temporalium rerum degentes, nec veterum exemplo, nec prælatorum præcepto, manum dignamur apponere scripturis? Martyr iste sanctus in testimonium desidiæ & pigritiæ nostræ in iudicio stabit contra nos, qui negligimus in pace imitari: quod ille magno desiderio in persecutione operatus est. De sancto Ambrosio Mediolanensi episcopo legimus, quod omnes à se editos libros descripserit propria manu: de quibus ego (ne paucos æstimares) vltra centenos iam reperi. Quis nostrum audeat gloriari, quod centum libros ab aliis editos in otio monasterii descripserit: cum hic beatissimus Pontifex in cura Ecclesiastica positus, & in multis occupatus, plures etiam rescripserit, quos ipse ante composuit? Amor scripturarum cultores suos esse non finit otiosos. Sed quia hunc in nobis habere negligimus, otio inerti torpemus: ita vt quæ facilima sunt studiosis, nobis ad operandum difficilia reddantur. O quam felix esset ordo noster fratres: si exemplis veterum studio incumberemus scripturarum. Intueamur antiquos nostri Ordinis Abbates & monachos, nostræ religionis columnas, Cassiodorum, Bedam, Alcuinum, Rabanum, Re-

Regino. Reginonem, Petrũ Damiani, & cæteros: *Petrus Damiani* quanta diligentia libros veterum descripserunt: quibus nullus labor durus, nullæ expensæ graues videbantur, quibus augere potuissent bibliothecarum suarum ornatum.

De hac industria Cassiodorus & Petrus Damiani singulares atque præclaros *Rupertus* tractatus ediderunt. Sed nec Rupertum vestrum Tuitiensem, fratres negligenter transire debemus: cuius profunditatem ingenii tot voluminum cõgeries fulgida decorauit. Ipse enim, cum esset vir deuotus, & Dei, scripturarumque ardentissimus amator, per visionem diuinitus illuminari meruit: ita vt in exponendis scripturis suo tempore Alemannia similem non haberet. Composuit multa egregia volumina, quæ propriis manibus Ambrosii exemplo descripsit: aliisq; describenda hilariter communicauit. Inter quos *Cuno.* Cuno Abbas Sigebergẽsis cœnobii, Ratisponẽsis postea episcopus, vir in diuinis scripturis studiosus, omnes pene tractatus, quos Rupertus vester cuderat, tam per se q̃ per fratres suos fecit excopiari. Vnde maior pars voluminum Ruperti in Sigebergẽsi cœnobio habetur. Sed & ipse Rupertus diuersarũ artium libros colligens, apud Tuitium bibliothecã ornatissimam instituit: quam temporum malitia, vt cernitur, iamdudum dissipauit. In multis quoque monasteriis nostri ordinis diligentia veterum in scribendis voluminibus adhuc hodie conspicitur: vbi vnius manu viginti vel triginta volumina sæpe ornatissimè scripta ostenduntur. Deniq; in vita sancti Martini Turonensis narrat *S. Martinus.* Sulpitius, quod in eius cœnobio præter scriptorum nullum exercebatur artificium. Ex quo planè colligitur, quod etiam antiqui sanctissimi patres hanc felicem artem omnibus exercitiis manualibus in cœnobis prætulerunt. Nemo igiturvestrũ fratres refugiat, quod sanctos patres tanta fecisse diligentia non ignorat. Sicut illi nobis scribendo profuerunt: ita & nos posteris monimenta salutis præparemus. Nam si olim veteres non scripsissent, quid nos modo legeremus? Enimuero nisi breuitati statuissem consulere: de veterũ diligentia scriptorum adhuc multa possem declamare. Sed quoniam scientibus historias loquor; cœptum volo abbreuiare sermonem.

CAPVT V.

QVOD QVASI PROPRIVM ET CONVENIENS monachorum artificium sit libros veterum describere.

INTENDAMVS fratres, quid Paulus ad propositum nostrũ dicat Apostolus: quid sanctus Benedictus legifer quoq; noster proclamet in regula. Ipsi enim duces nostri sunt: quorum nos decet obedire mandatis. Primus sic ait. *Qui non laboret,* *2. Thes. 3.* *nec manducet.* Secundus autem dicit. *Tunc* *Reg. c. 48* *veri monachi sunt, cum de laboribus manuum suarum viuunt.* Ergo si manducare prohibetur qui laborare non vult: monachi ociosi aut non manducent, aut præceptorum Apostoli se transgressores agnoscant. Si autem, nisi manducent, non possunt viuere, laborandum eis est: vt laborantes & manducantes valeant etiam bene viuere. Nam viuere & non bene viuere, est iam mori incipere. Malè autem viuit, qui aliter quam debet viuit. Debemus autem omnes ad regulam viuere præceptorũ Dei & Ecclesię catholicę. Qui ergo viuit ociosè, non viuit ad traditionem Ecclesiæ: & idcirco malè viuit. Malè autem vitæ terminus pessimi status initium est: nisi ante vitę pœnitentia assumatur.

Item, si veri monachi sunt, qui de laboribus manuum suarum viuunt: sequi-

tur, vt veri monachi non sint, qui ociosè viuentes laborare contemnunt. Qui autem in cœnobio verus monachus non est, qui obsecro est? Non est, qui verus non est. Prorsus monachus non est, qui verus non est: quia omne quod veritati contrarium est, non est, vt esse debet.

Quod autem non est, vt esse debet, summæ veritati contradicit: quæ omnibus rebus debitum ordinem essendi constituit. Et ergo veraciter non est. Laborandum itaque nobis est fratres, ne offendamus Apostolum ociosè manducantes: ne desinamus esse, quod vt essemus, monasterii claustra subiuimus. Nullus autem in cœnobiis labor est, qui magis nos deceat, magis expediat. nostræque professioni plus appropinquet, quam officium scribendi. Nam diuinis mancipati officiis fodere non valemus: duros grauesque agrorum labores ferre non possumus: quia si foris in operibus rusticis per diem nos fatigari contingeret, diuinum à choro seruitium periret.

Monachis non congruunt graues labores.

Sed cum Dei famulatus omnibus sit præponendus laboribus: valde inconueniens esset vt interioribus omissis exterioribus se monachi immergerent. Labor autem scribendi non impedit horas diuino mancipatas officio: quia dum cursus horarum per interualla temporum distinguitur, spacium vnicuique conueniens deputatur. Legimus de sancto Beda venerabili monacho, quod licet multa volumina scripserit, tamen à diuino seruitio se raro propter studium consueuerit absentare: sed interuallo horarum contentus, libros quos edidit, pœne innumerabiles scripsit. Nihilominus, si Abbas vtile iudicauerit & fuerit necessarium, scriptor bonus à communibus seruitiis nonnunquam poterit supportari. Sed in hac libertate debitæ circumstantiæ sunt necessariò pensandæ.

Beda.

Non enim omni spiritui credendum est. Officium monachi est, tam sua quam aliena deplangere facinora: Dominique cum timore præstolari aduentum: orationi & contemplationi frequenter insistere, mundum fugere, in solitudine sedere. Sed quem hac nostra ætate monachum dabis mihi vnum ex milibus, qui in monte contemplationis iugiter commoretur? Cum ergo ad orandum simus desides, ad contemplandum rudes, ne per inania desideriorum effluamus, nullis hunc defectum laboribus melius poterimus compensare, quam si scribendis voluminibus ad multorum ædificationem studium impendamus. Si quis autem est, qui orationi & contemplationi vacantibus horis ritè & constanter possit insistere, ab onere scriptorum erit excusandus. Sed huius rei examinatio in Abbatis, vel alterius viri experti discretione posita sit.

Officium monachi quod.

Quis à scriptione eximendus.

Non enim cito credendum est instinctibus iuuenum. Sæpe namque dum se ad montem contemplationis iam peruenisse existimant, periculosis erroribus appropinquant. Igitur ô Abba vel Prior, si monachum adolescentem actiuis nondum moribus bene institutum, sed adhuc suis passionibus seruientem videris, etiamsi mira dixerit, noli credere, noli permittere: sed arreptis pedibus eius ad terram subiectionis proiice, vt discat non alta sapere in superbia & elatione cordis, sed humilibus consentire.

In his non dicimus, quod eum qui potest bene facere debeas prohibere: sed vt tales, si nosti, doceas ordinem proficiendi: ne si bestia tetigerit montem, lapidibus obruta pereat. Qui autem carnem suam crucifixit cum vitiis & concupiscentiis: qui passionibus suis dominari nouit: qui sub obedientia conuersari humiliter didicit: etiamsi iuuenis sit, idoneus est ad montem Dei ascendere. Eum autem, qui adhuc passionibus animalibus subiacet, qui adhuc infirmus & debilis est, ab montis accessu pedem coërceat: & sanctis exercitiis actiuæ vitæ operam impendat. Hi tales itaque ad scribendi officium deputandi sunt: ne suis libertatibus pernicioſè dimissi in baratrum se erroris præcipitent. Nemo enim repente fit summus: sed certis distinctionum gradibus homo in altum proficit. Ab actiua vita incipiendum est: vt ad contemplatiuam ritè peruenias. In nulla autem re monachus actiuæ perfectioni plus appropin-

pinquare sufficit: quam si ex caritate diuinas scripturas rescribendo inuigilet. Nam vnde eleemosynam dabit, qui nihil habet? Scriptor autem deuotus opera misericordiæ abundantius implere dinoscitur, cuius labor maioris meriti comprobatur. Hinc quidam sic cecinit. Prædicat, atq; studet scriptor, largitur, & orat. Affligitur, sal dat, fontemq;, lucemq; futuris. Ecclesiam ditat, armat, custodit, honorat. Quis labor isto vtilior? qui tot prærogatiuis honoratur? Deniq; si quis de hac materia melius informari desiderat: librum Cancellari Parisiensis de laude scriptorũ legat Ibi enim iam dictas vtilitates scribendi copiosè videbit exposita: & in laudem boni scriptoris plura congesta syntagmata. Nullus ergo labor manibus exercetur: qui nostro magis conueniat proposito, quam officium scribendi. Hoc antiquitus considerantes monachi cum incredibili desiderio libros describebant: scientes hanc artem omnipotenti Deo singulariter esse dilectam. Vult enim nos Deus suam voluntatem scire & facere, & mandata solicitè custodire. Sed voluntas eius ad nostram scientiam nequaquam pertingeret: nisi hanc scriptoris industriam literis commendasset. Nuncii ergo voluntatis Dei scriptores sunt, qui hanc nobis per literas tradiderunt.

Ioa. Gersonis.

CAPVT VI.

QVAM BONVM ET VTILE SIT MONACHIS scribere.

MAGNA est itaq; huius sacratissimæ artis vtilitas: quæ non solum præsentibus, sed etiam futuris annunciat voluntatem Dei. Monachi autem scribentes libros diuinos, qui non docendi sed plangendi habent officium, cum sermone prædicare non valeant, manu & calamo voluntatẽ Domini longè futuris annunciant. Et maior est scriptoris pietas officio prædicantis, quia illius cum tempore perit monitio: istius perseuerat in annos multos annunciatio. Prædicator loquitur duntaxat præsentibus: scriptor prædicat etiam futuris. Illius sermo semel auditus cito in nihilum redigitur: istius lectio millesies repetita nunquam minuitur. Cum prædicator deficit, cessat officium: scriptor etiam mortuus in volumine moribus facit institutum. Parum valet officium prædicantis: si scriptoris ministerio non iuuetur. Quid enim prædicabit, si scriptor, quod legat, non scripserit? Ex pietate igitur scriptoris, vtilis efficitur sermo prædicantis. Nisi enim ille scriberet, iste quod prædicaret non haberet. Quatuor autem vtilitates præcipuas monachus in scribendo deuotus consequetur. Tempus quod preciosissimum est fructuosè expenditur: eius intellectus, dũ scribit illuminatur: ad deuotionẽ interior affectus accenditur: & post hanc vitam singulari mercede præmiatur. Quomodo posset monachus concessum sibi tempus fructuosius expendere: quàm scribendis voluminibus cum amore dei insistere? Nam huic officio Deus fauet, angeli congaudentes assistunt, omnium deuotio fidelium syncera famulatur. Deniq; interim quod bonas deuotasq; rescribit materias: cogitationes inanes vel turpes non patitur molestas: verba ociosa non loquitur: sęuis rumoribus non maculatur: sed quietus & solitarius sedens cum gaudio epulatur in scripturis: & bonis exercitiis ad glorificandum Deum prouocat intuentes. Etenim, dum bonas scribit materias, scribendo in agnitionem mysteriorum paulatim introducitur, & interius animo magnificè illustratur. Fortius enim, quæ scribimus, menti imprimimus: quia scri-

Scriptorum 4. commoda.

bentes & legentes ea cum morula tractamus. Mens quoq; scribentis ad deuotionem fœlicius plerumq; accenditur: dum scripturas ruminans sæpe per eas inflammatur. Quale autem deuoto scriptori præmiũ in cœlo debeatur, ex multis eorum laboribus facilè colligitur. Credimus enim, quod scriptor deuotus & sincerus in illa retributione iustorum prædicatoris aureola non priuetur: qui tam multos manu docere in fide conspicitur. Nam quod ille loquendo, hic scribendi officio docet. *Fuit in quodam cœnobio nostri Ordinis mihi non incognito frater quidam deuotus, qui inscribendis ad ornatum bibliothecæ voluminibus magnũ habebat studiũ: ita vt quotienscunq; à diuino potuisset vacare officio, adsecreta cellæ se conferens huic sacrato labori insisteret. Vnde & multa sanctorum opuscula cum ingenti deuotione excopiauit. Huius mortui ossa cum post multos annos leuarentur de terra: tres digiti dexteræ manus quibus tot volumina scripserat, tam integri & incorrupti inuenti sunt, ac si eodem tempore sepulchro fuissent impositi. Reliquum autem corpus, vt moris est, consumptum ad ossa fuit.* Quo testimonio colligitur: quam sanctum hoc officium apud omnipotentem Deum iudicetur: cuius vt meritum viuentibus ostenderet, etiam in mortuis cadaueribus membra scriptorum honorauit. O fratres mei, si sciretis huius vtilitatem operis: non essetis tam pigri & tardi ad officium scriptoris. An putatis Deum victimis posse placari stultorum? Maius meritum habet ad Deum humilis frater deuotè ex obedientia vnum librum excopians, quam ille, qui & deuotè & ex propria auctoritate contemplationi vacare videtur. Melior est enim obedientia, quam victimæ. Monachus autem bonum opus, si iubetur, debet dimittere: & Abbatis voluntatem licitam non suam adimplere. Malum enim propter obedientiam nunquam est faciendum. Itaq; fratres charissimi nolite hoc bonum negligere: scribendi studium nolite vilipendere. Magnum namq; bonum est: & Ecclesiæ catholicæ & animabus vestris valdè commodosum. Si quis in eo se vsitauerit: quantæ vtilitatis sit, agnoscet. Incipite cum desiderio: & cum amore sancto perficietis. Gaudeat se vnusquisque in domo Dei ad aliorum vtilitatem aliquid laboribus suis attulisse. Clemens & iustus est Dominus, labores vestros tam pios, tam vtiles, tam necessarios Ecclesię non sine maxima retributione transibit.

CAPVT VII.

QVOD PROPTER IMPRESSVRAM A SCRIbendis voluminibus non sit desistendum.

NEMO cogitet, fratres, nemo dicat, quid necesse est me scribendo fatigari, cum ars impressoria tot tantosq; libros transfundat in lucem: vt modico ære magnam bibliothecam possimus instruere? Verè, quicunq; talia loquitur, ocio suo tenebras facere conatur. Quis nesciat, quanta sit inter scripturam & impressuram distantia? Scriptura enim, si membranis imponitur ad mille annos poterit perdurare: impressura autem cum res papyrea sit, quamdiu subsistet? Si in volumine papyreo ad ducentos annos perdurare potuerit, magnum est: quanquam multi sunt, qui propria materia impressuram arbitrentur consumendam. Hoc posteritas iudicabit. Enimuero etiamsi multa volumina impressa sint: nunquam tamen adeò imprimentur, quin

quin semper ad scribendum, quod impressum non sit, valeas inuenire. Nec facilè quisquam omnes impressos libros, vel inuenire potest, vel emere. Quod si etiam omnes libri totius mundi imprimerentur, à studio suo scriptor deuotus nequaquam deberet desistere, sed etiam impressos vtiles per scripturam perpetuare: qui alioquin diu non valent subsistere. Hoc enim faciens dabit scripturis nutantibus firmitatem: paruis precii magnitudinem: caducis temporis longæuitatem. Deuotus autem scriptor semper inueniet, cui incumbens officio mereatur. Non patitur constringi sub conditione impressoris. Liber est: & libertatis suæ gaudebit officio. Neque enim impressore inferior est: vt studium suum deserat, propter illius impressuram Sed eo consultè præterito lætus via cæpta progreditur: sciens suam coronam apud Deum non minuendam: quacunq; importunitate alterius. Qui autem à scribendi studio cessat propter impressuram, verus amator scripturarum non est: quia præsentia duntaxat intuens nihil solicitus est pro ædificatione posterorum. Nos autem fratres charissimi mercedem istius sancti laboris intuentes ab eius studio non cessemus, etiamsi multa milia voluminum habeamus. Scriptis enim codicibus nunquam impressi exæquo comparantur. Nã orthographiam & cæteros librorum ornatus impressura plerũque negligit. Scriptura autem maioris industriæ est.

CAPVT VIII.

DE ORTHOGRAPHIA ET MODO SCRIBENDI.

VT autem deuotus scriptor officium vtiliter impleat suum, & libros, quos scribit, pulchra venustate reddat ornatos, diligentissime obseruet præcepta orthographiæ: sine quibus libri quantũlibet vtiles, fædi despectiq; redduntur. De hac autem materia in veterum codicibus auctorum copiosa documenta habentur: quibus non est huius temporis diutius immorari. Exempla etiam eruditorum hominum nouis scriptoribus præcepta industriæ sunt. Inspiciamus volumina antiquissima, quæ scriptores eruditi scripserunt: & ex eorum imitatione sumamus artis nostræ compendium. In quibus fuerunt nonnulli, qui scripturæ tam exactam adhibuere diligentiam, vt non solum rectè, sed etiam peritè scripserunt, notis, colis, & schematibus pulchra varietate volumina distinguentes: vt solo aspectu ad lectionem eorundem videaris prouocari. Tametsi apud veteres imperiti scriptores codices fædauerint suos: dum aut nescierunt, aut noluerunt intelligere, vt bene scriberent. Tu autem non imperitorum negligentiam, sed eruditorum solertiam tibi propositam noueris imitandam. Antiquitus non admittebantur passim scriptores, sed tantum docti & eruditi, qui etiam à peritia notarum, notarii appellati sunt. Qui non solum pulchra, sed etiam emendata volumina mira subtilitate scripserunt. Hos velim imiteris: quia dignum & iustum est, vt scriptura sãctissima ex ore Dei ad nostram ædificationem prolata, & rectè scribatur & ornatè. Quid dicam de quibusdam huius ætatis scriptoribus: qui etsi plerunque, quid scribant intelligant, adeò pigri & desides sunt, vt nullã penitus diligẽtiã velint adhibere scripturis? Hi sunt corruptores rectitudinis scripturarum, falsificatores Bullarum summi Pontificis Iesu Christi, nuncii stulti & peruersi: quippe qui voluntatem Dei scribentes, cum timore & solicitudine annũciare debuerant, quam

è contrario negligenter & corruptè tractant. Si iuxta canonum statuta excommunicatus est, qui litteras Papæ falsificat: qua pœna plectendus est, qui Dei scripturas deprauat? Sicut scriptor deuotus & diligens magnum in Ecclesia Dei fructum scribendo exhibet: ita desidiosus & negligens maxima eidem damna infert. Dum enim scripturas corrumpit Ecclesiç, falsa pro veris annũciat: lectores à studio sancto impedit: intelligentiam tollit, ordinem docendi peruertit. Hæc dixerim in eos, qui collato sibi dono intellectus abutuntur: & ex pigritia vel negligẽtia scripturas sanctas fallè scribendo corrumpere non verentur. In illos autem qui minus eruditi faciunt studiosè quod possunt, non est tam dura ferenda sententia. Nemo enim peccat inuitus. Cum ergo scriptor deuotus codicem studiosè descripserit, ad exemplar eum denuo conferat: si cubi errauerit, studiosa emẽdatione castiget. Hoc faciens & ipse scriptor idoneus & fidelis, & liber ordine debito acceptabilis inuenitur. Si fieri potest, ornentur codices pulchro decore: vt etiam aspectu sui ad lectionem prouocent intuentes. Hoc enim veteres magno studio procurasse cognouimus: vt venustas exterior interiorem codicum pulchritudinem commendaret. Sacra enim scriptura dignissima est omni ornatu. Cauendum tamen est, ne ipse ornatus sit curiosus: ne pulchritudinem rectitudini præponamus: quia vbi honestas admittitur, curiositas prohibetur. Simul, ne dicto Hieronymi notemur, quo arguit imperitos, qui pulchros codices malunt habere quam emendatos. Et de multitudine librorum similis erit adhibenda sententia.

De exteriore librorum ornatu.

Hier. præfat. in Iob.

CAPVT IX.

DE HIS QVI SCRIBERE NON POSSVNT.

SI qui autem fratres essẽt adeo rudes & aridi vt penitus scribere nesciant: suademus in primis vt discant: quia nihil adeo difficile est, quod non cedat bonæ volũtati. Qui si omnino hãc sacratissimã artem non potuerint addiscere: dabimus in promptu consilium, ne fructu tam sancti operis penitus priuentur. Scriptoribus ergo in aliis succurrite, si scribendis voluminibus ipsi non valetis insistere. Vnus corrigat, quod alius scripsit: alius rubro perornet, quod ille emendauit: hic notis distinguat, atque schematibus: cõglutinet iste, & liget codicem asseribus. Tu aptabis asseres, iste corium: laminas ille præparet ad ornatum. Nullius hic desit ministeriũ: quo deuotus scriptor releuatus suum valeat continuare officium. Denique ad scribendi rationem multa pertinent, quę singula possint singuli pręparare. Scindat vnus pergamenum, alius purget: tertius lineando scriptoribus aptet: alius encaustum, pennas alius ministret. Semper enim habetis, quo scriptores vestros debeatis supportare. Nec displiceat vobis, si vtilis scriptor iudicio Abbatis ab oneribus conuentualibus interdũ supportetur. Vos alloquor fratres, qui aliqua causa præpediti scribere non valetis: vobis hæc dogmata præcipua intentione exposui. Intueamini monachos quondam nostri ordinis insignes, vt contemporaneos Bedæ, Rabani, Haimonis, ceterorumque venerabilium Abbatum, cum quanta hilaritate scriptoribus ministrarunt. Incredibili namque scripturarum amore feruentes beatos se æstimabant & felices: si doctores & scriptores suos in aliquo potuissent adiuuare. Hoc studium monachorum sanctitate morum venerabilẽ ordinem nostrum quondam magnificè sublimauit: quo deficiente, excellentia ordinis collapsa periit. Nunc

itaq;

itaq; fratres pro animarũ vestrarum salute & Ordinis sanctis scripturis feruẽter insistite, vt ad eos, qui vos in eo laudabiliter præcesserunt, possitis cum gaudio peruenire. Non se à labore scribendi excusare audeat: qui pœnam ociosorum euadere desiderat. Si non potes ornatè scribere, scribe vt præuales: hoc tantum caueto, ne sensum scripturarum tua negligentia corrumpas. Malo enim codicem habere emendatum, quam pulchrum: exilem, quam nullum. Ne dicas ergo, quia bene scribere nescio, idcirco excusatus sum: sed scribe, vt potes, & nihil à te amplius exigitur.

CAPVT X.

DE MATERIA QVAM SCRIBANT.

SI autem quæratur, quales materias monachi debeãt scribere: breuiter respondemus quod tales, quales obedientia Superiorum iniungit. In Abbatis enim vel Prioris arbitrio est: quid vnicuiq; ad scribendum velit iniungere. Caueant tamen ne infirmis fratribus tales materias ad scribendum committant, de quarum lectione infirmiores fiant. Non enim expedit omnes materias legere omnibus. Quod si tale quid scribi debeat, committatur fratribus fortioribus & eruditis: nouerint mel fugere de petra, & oleum de saxo durissimo. Libri autem sanctorum Patrum, quibus diuinas explanauere scripturas à monachis singulari studio scribendi sunt: quia ex illorum notitia ad intelligentiam mysteriorum Dei copiosius instruuntur. Sed & eorundem tractatus, qui ad excitandam deuotionem idonei sunt, præcipua intentione à nostris scriptoribus sunt scribendi. Et generaliter omnes libri, qui vel bonis moribus instituendis, vel orthodoxæ fidei integritati deseruiunt, ad monachorum studia sunt comparandi. Sed nec secularium litterarum codices recusamus, immo diligimus: quorum scientia ad intelligentiam sanctarum scripturarum nobis valde necessaria est. Hoc monachi veteres non ignorantes in omnibus disciplinis secularis litteraturæ instituebantur. Quatuor autem monachis, quantum ad eorum statum attinet, scienda sunt: sine quorum scientia vnitas Ecclesiastica non diu posset in suo robore subsistere. Theologia, musica, iura, & ars computistica. Intelligentibus rationes singulorum apertæ sunt: quas in alio loco plenius digessimus. Et de his quoq; scriptores nostri fuerant admonendi: ne literarum secularium scientias velut inutiles reputarent. Prouidentia itaq; Abbatis vnicuique pro suo captu, quod scribat, prouideat. Si autem Abbates curis secularium rerum se immerserint (quod plures faciunt) neglectis libris, monachi nihilominus studium scribendi continuent, nec ob negligentiam Abbatum suum profectum velint amittere. In hoc casu suppleat defectum Abbatis desidiosi Prior solicitus, & ordinet fratribus conuenientes ad scribendum materias. Scio enim plura insignia monasteria, quorum Priores (Abbatum non obstante desidia) ornatissimas bibliothecas instruxerunt. Ergo si fratres ad scribendum sunt liberi, eligant sibi Doctores singulos, quorum volumina scribant: vnus Origenem, alter Basilium, alius Augustinum, alter Hieronymum, & sic de cæteris, secundum vniuscuiusque inclinationem: quia ex hoc amplius in sacro studio plerunque proficiunt. Si autem liberi non sunt: nouerint obedientiam prælati electioni propriæ iure præferendam. Fratres etiam scriptores, qui volunt in studio diuinarum scripturarum proficere, faciant sibi libellos, quos rapiarios vocant: vt quando libros sanctorum Patrum scribendo transcur-

Monachus quibus scientiis instructus esse debeat.

Quo fructu legendi S. Patres.

currunt, si quid memoratu dignum inuenerint, exemplo sagacissimæ apis colligant, & sententias vtiles, quasi odoriferos flores, in alueario sui voluminis congerentes, in promptu habeant: quo tempore opportuno sermoneni conuenientem proferre sciant. Hoc venerabilis Beda monachus feciſſe legitur: hoc Rabanus Abbas. hoc Bonauētura Cardinalis. hoc alii complures doctissimi viri actitasse memorantur. Multum quippe ad intelligentiam sacræ scripturæ proficit, qui hunc discendi ordinem custodit.

Sed caueat, ne studium priuatum vtilitati præferat plurimorum: hoc est, ne suis collectionibus continuè immorando, bonum obedientiæ prætereat. Non enim prosperabuntur studia, quæ legibus obedientiæ repugnant. Teneat in vtroque medium: ne nimium scribendo deficiat: neque sibi vacans, obedientiam & charitatem suis commodis postponat.

Dum folia humida siccantur, vel fatigatum ex labore tremitat caput, velut pro solatio suis collecturis inuigilet. Sed & diebus festis, dum ab orationibus vacat, talia curet.

CAPVT XI.

AN LICEAT MONACHIS FESTIS DIEBVS scribere.

DATA iam occasione præsentibus quæritur. An licitum sit monachis festis diebus scribere: quibus in lege ab operibus seruilibus præcipitur vacare. Hanc quæstionem Iohanni cancellario quondam Parisiensi viro doctissimo legimus à quibusdam fuisse propositam: quam in libro de laude scriptorum. per 12. considerationes deducens, ita postremo concludit dicens. *Nihil impedit libros, seu tractatulos, vel codicillos deuotionis scribere diebus festis, habito moderamine, quale sapiens iudicabit in hoc opere: quod vtiq; non seruile censendum est, sed in honorem Ecclesiæ plus aliquando vergens, quam multiplicatio vocalis orationis, immo insolens in aliquibus Missarum inculcatio.* Hæc ille. Nos autem adiicientes cum humilitate dicimus, quod monachus sub obedientia constitutus, si præcipiente prælato festis diebus materias vtiles scribit, nihil timeat: quia melior est obedientia scribentis, quam victimæ propriæ voluntatis. Ea tamen quæ ex institutione festi obligant, hac occasione non negligat: sicuti est celebrare, vel audire missam, & horas ritè persoluere canonicas. Bene facit itaque, libros sacros scribens diebus festis, debitis circumstantiis diligenter adhibitis. Qui autem diuinæ contemplationi congruenter potest insistere, excellentiorem gradum creditur obtinere, nisi obedientiæ meritum iure interueniat. Illa enim bonis operibus incrementum adiicit: & ex æqualibus meliora facit. Cum ergo simus homines infirmi & ad contemplationē minus idonei, melius est hoc damnum scribendo refundere, quam inutilibus (vt fieri solet) sermonibus vacare. Quia etiam nec legere semper possumus, nec orare: non est quo nos posthæc vtilius occupemus: quam si cum deuotione scribendis libris studium impendamus. Ex hoc non solum nos instruimur: sed etiam futuris longè post nos materiam ædificationis præparamus. Non minus scriptor docet bona scribendo: quam prædicator sancta prædicando. Et quod illi licet: istum quis prohibet? Et sicut iam diximus fratres studiosi præsertim festis diebus suis deuotionibus consulentes codicillos suos rapiarios confidenter possunt scribere: nisi vt dictum est, obedientia aliud præcipiat operari. In omnibus

bus autem his serenanda est intentio precipientis: regulanda etiam deuotio scribentis. Qui autem aliquid scribunt pro precio, quantumcunq; materia vtilis sit, ab hac libertate secluſi festis diebus ab opere cessabunt: quia lucris terrenis intentione deseruiunt: & ideirco seruile opus iudicatur: nisi forte alius interueniat (quod raro contingit) respectus pietatis.

CAPVT XII.

DE DIFFERENTIA SCRIPTORVM, ET OPVsculorum nominibus.

SCRIPTORES duplici apud antiquos appellatione habebantur: Primi dicebantur antiquarii, qui vetera tantummodo scriberent, nomen ab officio sumentes. Secundi appellabantur librarii, qui & noua scribebant & vetera. Antiquarii, cum scriberent, etiam antiquis litteris vtebantur: librarii autem nouis. Dicuntur autem librarii à libro, hoc est interiori corticis, quæ ligno cohæret: quia ante vsum chartæ vel membranæ de libris arbeorum volumina compaginata fiebãt: sicut in vetustissimis bibliothecis adhuc hodie reperiuntur quandoque vestigia. Iam pro instructione deuoti scriptoris libet diuersitatem opusculorum aliquantulum describere, sicuti à Rabano viro quondam peritissimo enarrantur: quia non erit fratribus inutilis eorum notitia, vt sciant quemadmodum vnum quodq; opusculum debeant appellare. Opusculorum ergo tria sunt genera. Primum genus, excerpta dicũtur: quod Græci Scholia nuncupant: in quibus ea quæ videntur obscura, vel difficilia, summatim ac breuiter perstringuntur. Secundum genus Homeliæ sunt: quas nos Verbum appellamus, & proferuntur ad populum. Tertium genus Tomi, quos nos libros, vel volumina nuncupamus. Homeliæ ad vulgum sunt: tomi, id est libri maioris disputationis.

Dialogus est collatio duorum: à dia & logos: quod est duorum sermo. Tractatus est vnius rei multiplex expositio. Cõmentaria dicta sunt quasi commenta: sũt enim interpretationes: commenta iuris, commenta euangelii. Apologeticos est liber excusationis: in quo solent quidam accusantibus respondere. Panegyricos, id est laudatiuus: licentiosum & lasciuum genus dicendi, in laudibus regum & principum, in cuius compositione homines multis mendaciis adulantur. Prologos est præfatio ante librum, vt prologus beati Hieronymi in Genesim. Proemion est initium dicendi vel operis: & sæpe pro præfatione accipitur. Simperasma, operis alicuius conclusio est: & nostro more tertiæ decinationis, sicut dogma accipitur. Biblos. id est codex multorum librorum est: vt codex Bibliæ, qui multos libros continet. Liber est tractatus partialis per se diuisus vel vnicus: & vnus liber Augustini de pœnitentia: vel quatuor de doctrina Christiana, &c. Volumen liber est à voluendo dictus: sicut volumina legis, volumina prophetarum. Fastorum libri sunt, in quibus reges & consules scribuntur. Folia autem librorum ad similitudinem arborum appellata sunt: quia ex corticibus earundem fiebant: vel quia ad modum foliorum in codice volitant. Versus dicuntur à vertẽdo: quia antiqui scribebant, sicut aratur terra. A siniſtra enim ad dexteram stilum primo ducebant: deinde conuertebantur ab inferiori, & ad siniſtram rursus scribebant.

Scheda schedæ, est quod emendatur adhuc, & necdum in mundum redactum est: pro qua nos conceptiones quasi impolitas materias dicimus.

Instrumenta autem scribæ sunt calamus & penna.

CAPVT XIII.

DE INSTITVENDIS SCRIPTORIBVS IN cœnobiis.

QVONIAM, vt supra diximus, nullum artificium adeò monachorum professioni conuenit, sicut scribendi officium, ob id, quod multi infirmi & imbecilles (ne dicam rudes) ad exercitia sublimiora non sunt idonei. Non enim omnibus donatum est cõtemplationi vel orationi semper insistere: vel alios prædicando informare. Sunt verò nonnulli desides & pigri, qui se excusant, immo gloriantur, dicentes. Nescio scribere. Si nescis, perdiscas: alioquin qui non laborat, nec manducet. Non excusat te ignorantia ab officio, quam facile vincibilem, negligis superare. Si tibi bona tantum inesset voluntas, scribendi artem cito præberet assiduitas Ad tollendas igitur excusationes pigrorum, consultum videtur & valde proficuum, vt Abbates eos vel per suos vel alios monachos in arte scribendi faciant instrui: quia ex hoc & pigris excusationis materia tollitur: & maxima vtilitas inde generatur. *Otiositas enim inimica est animæ: & desideria occidunt pigrum.* Si quis autem adeo piger aut maliuolus fuerit, vt omnino scribere non consentiat: aliis laboribus & abstinentiis affligendus est, donec petat in solatium, quod antea contempsit. Sit tamen cautus in omnibus Abbas: & ardua semper præcedant monita caritatis. Oderunt hanc disciplinam valdè dæmones: scientes, quod per eius ministerium salus multorum procuratur. Ideirco monachos omni studio ab eius officio conantur retrahere: & eousque nonnunquam perducere, vt plerique suis prælatis vsque ad inobedientiæ crimen resistentes calamitatem incidãt horribilem. Quales iam plerosque nouimus suis maioribus inobedientes, ne scribere possent, diabolo suadente, sibiipsis crudeles effecti, extremam demẽtiam inciderunt. Sed omittamus hæc: ne plus noceant, quam prosint infirmis lectoribus. Excusationem legitimam nemo habet: cui in sola voluntate constat defectus. Qui enim addiscere volunt, opportuna semper documenta inuenient: vel ab aliis qui nouerũt, vel ex veterum libris informandi. Vsus etiam scribendi multum conducit ad profectum: quia hæc ars si diu intermittitur, paulatim dediscitur. Nulla enim disciplina, quantumlibet celebris, absq; vsu diutius retinetur. Practica enim artis vigor est. Legant monachi, qui scribere nolunt, librum beati Augustini de opere monachorum: & erubescant suam ignauiam, qui contra Patrum decreta otiosè conuersantur. Scriptura dicit. *In desideriis est omnis otiosus.* Quare? Quia dum ad operandum foris vtilia per exercitium non flectitur: cogitationibus immundis mens vacua intus sordidatur. Saturitas panis & otium, Sodomitas ad æternum deduxit interitum. Otiositas mater & scaturigo est omnium vitiorum, & omnim interitus virtutum. Nam tempus acceptabile infructuosè & turpiter expendit: virtutum fomenta deserit: libidinem suggerit vires minuit, animam occidit. Otium itaque fugite, qui ad vitam æternam cupitis peruenire: quæ non otiosis sed ritè laborantibus repromissa est. Et maximè in monachis hæc desidia reprehenditur: qui non de labore ad otium, sed de otio ad laborẽ vocantur. Quod si dixeris mihi, non possum scribere, in cella per totum diem non valeo permanere. ad labores exteriores libenter ibo, fodere aut portare lapides minime recusabo, tantum ne angustiam patiar in his quæ mihi sunt omnino contraria, breuiter respondebo. Non est bona comparatio, quæ à profectu meliori discedit. Melius est scribere, quam fodere: libros sacros lege-

Prou. 21.

Prou. 12

Ezech. 16.

Otium fugiendum.

Monacho congruit potius scribere, quã fodere.

legere, quam lapides portare: nisi obedientia vel pietas ad omnia valens se voluerit interponere. Si non potes scribere, si in cella solus non vales permanere: cur ad monasterium venire voluisti, monachum non victurus? In cœnobio enim non monachum viuere, est se ad damnationem proprii oris sententia alligare. Monachus enim iuxta nominis sui interpretationem in cœnobio solus sedere precipitur, vt à mundi curis per silentium separetur. Tu ergo, si nolueris esse quod promisisti: Deo (transgressor voti) mentiris. Deo autem mentiri, est suo se ore damnare. Conuersionem morum tuorum vouisti secundum regulam sancti Benedicti: quæ monachos intantum laborare præcipit: vt otiosos monachos esse negauerit. Quod autem te laboribus exterioribus occupari desideras: quam vacuus ab interiori exercitio sis manifestas.

Quem enim ex monachis hi labores delectant: eum interiores necesse est derelinquant. Exterioribus, inquam, laboribus duceris instinctu diabolico: qui sibi interiores nouit esse contrarios. Si verus monachus esses, non abhorreres secretum cellæ, quod tuæ vel maximè congruit honestati. Non est tanta in monachis nostra ætate deuotio: vt veterum exemplo in operibus agriculturæ possint proficere. Magis destruunt hi labores deuotionem, quam ædificent. Mox enim vt ventum fuerit ad colloquia, nullus vel rarus ædificationis sermo depromitur: sed ad mundi negotia quam cupidissimè ora laxantur. De regum bellis, de principum guerris, de seculi pompis iucunda habetur tractatio: nulla custodia prorsus adhibetur silentio. His igitur laboribus quasi quibusdam distractionum vinculis absoluti ad interiora animum conuertentes cellæ secretum amemus: orationi & lectioni crebrius insistamus: libros sanctorum Patrum cum deuotione scribamus: escas animarũ pascentes quæramus, quia nostris laboribus corpora nutrire non possumus. Qui nescit scribere, ab aliis discat, qui sciunt, suamq; voluntatem subdat obedientiæ, si pœnam ociosè manducantium cupit euadere. Semper enim, quibus instruantur scriptores, frater deuotus inueniet. Et quia bona voluntas meretur gratiam, vt piis incrementis semper proficiat, congruis stipendiis est crebrius honoranda. Abbas igitur fratres suos, quos ad obediendum promptos, ad scribendum voluntarios ac hilares esse perspexerit, ampliori beniuolentia prosequatur, gratiis honoret congruis, oneraq; interdum relaxet cæterorum. Et quod tales deuoti fratres propter obedientiam & amorẽ scripturarum semetipsos negligunt, Abbas in omnibus eis necessariis abundantius, quam cæteris prouideat, qui tales esse & inueniri contemnunt.

Hoc enim faciens, & bonos in studio sancto conseruabit, & alios ad imitationem eorum prouocabit. Semitas tamen huius opinionis prætextu non transgrediatur.

CAPVT XIV.

AD SIT COMMENDABILE IN COENOBIIS multos habere codices.

SVNT nonnulli, qui amatores librorum de multitudine velut nimietate reprehendunt, dicentes ad institutionẽ bonæ vitæ codices paucos sufficere: qui doceant nos vitia fugere, & virtutes amare. Aiunt enim ad eos, quos diligere libros conspiciunt. Quid vos tanta librorum multitudine obruitis: cum eos legere omnes non possitis quos habetis? Melius est enim paucos habere codices & legere: quam multos in bibliotheca reconditos sine lectione transire. Quibus breuiter respondemus. Si reprehensibile

est multa volūmina habere, cum ad sciē-tiam salutarem pauca possent sufficere: malum sit etiam fateantur, sanctos Patres tā multa & pœnè innumerabilia scripsisse. Cur Origenes sex millia, cur Augustinus mille, cur Ambrosius ducentos, cur trecentos libros Hieronymus edidit: cū ad bonæ vitæ institutionem pauci sufficiant? An forte multos scribere licet, & non habere? Ad quid ergo scribuntur, si eos haberi non licet? Si malum est multos libros emere, cur sancti Patres tantam diligentiam in colligendis scribēdisq; olim fecerunt? Sic stulti estis, vt bonum malum, & malum bonum asserentes, dum contra amatores librorum sine distinctione latratis, etiam obloqui sanctissimis patribus non timetis? quorum dum imitatores reprehenditis, quasi malè præcesserint illi arguitis. Si malum est imitari: quomodo præcessisse bonum erit? Sed quia sanctorum studium iustè non potes reprehendere, si sapis: cessa eorum imitatores lacerare. Nam si illis bonum fuit: nec istis malum erit. Ecce tu aurum & argentum congregas: agrum agro copulas: & malum non iudicas. Sed dicis. Pecunias colligere pro instanti fratrum necessitate prouidentiæ est: & in futurum recondere iustæ rationis. Libros autem tam innumeros emere non prouidentiæ, sed curiositatis est. O imperator cupiditatis, ô auaritiæ princeps: quid honestatis non oppugnat ignauia tua? Quid non corrodit sæua cupiditas? Vt amatores sacræ scientiæ vituperes, auaritiam commendas. Ex abundantia cordis tui os loquitur: & quod sapientiæ aduersarius sis tuus sermo testatur. Non est quam simulas prouidentia, sed auaritia: non fratrum necessitas, sed auri cupiditas. Odisti disciplinam & sermones Domini, proiecisti retrorsum, & quasi de insigni iustitia gloriaris? Sed transeant hæc, alio tempore, processura in publicum. Omnes autem libri bonarum artium boni sunt: maximè, qui ad intellectum sacræ scripturæ conducunt. Malum ergo non est, bonos habere libros: nisi prohibitio faciat illicitum. Sed nullum inuenitur præceptum, quod multitudinem librorum prohibeat. Quid igitur nobis de copia librorum insultas? Cur sanctum & necessarium in Ecclesia studium condemnas? Bonum est, constanter ausim dicere, & multos & bonos in cœnobio habere codices, quibus fratrum promoueatur studium: etiamsi omnes legere non sufficiant. Secularium quoque auctorum volumina à monachorū bibliothecis non sunt repellenda: sine quorum notitia diuinos libros non æstimo quenquam perfectè intelligere. Nam si antiquorum patrum nostri ordinis bibliothecas perscrutemur (vt Bedæ in Anglia, Rabani in Fulda, Haymonis in Hirsfeldia, Petri in Viuario. Notgeri apud sanctum Gallum. Guimundi ad beatum Leufredum, Sigeberti in Gemblaco. Herigeri quoque apud Lobia: aliorumq; dictissimorum ac venerabilium Patrum, qui scientia & sanctitate in Ecclesia Dei claruerunt, inueniemus copiam librorum in omni facultate, in omni scientia, in omni doctrina: quod etiam ex eorum opusculis facilè possumus agnoscere: dum in omni litteratura tam diuina quam humana periti fuisse declarantur. Horum exempla imitari monachis honorabile & vtile est. Ceterum nihil est in hac vita tam pium, tam salubre, tam sanctum, quo voluntas mala non possit abuti: sic etiam de librorum multitudine poterit euenire, si non Dei & scripturarum amor, sed curiositas vel elatio fuerit in causa. Caueat igitur is, qui colligendis voluminibus inuigilat, ne appetitum suum in vanitate ponat. Studeat intentionem ad debitum finem dirigere, si non vult à bono deuiare.

* * *

CA.

CAPVT XV.

DE CVSTODIA ET MVNDITIA LIBRORVM habenda.

CVM thesaurus maximus Ecclesię copia sit scripturarum: qui libros sanctos diligenter custodire negligit, iniuriam Ecclesiæ facit. Arma enim quibus se contra hæreticos muniat libri sunt: quos qui vel distrahi vel perire patitur, minus Ecclesiam diligere comprobatur. Quam si amaret, vt debuit, suis eam spoliari armis nequaquam permitteret. Amatores itaq; librorum attentius exhortamur, vt bibliothecam solicitè custodiant: aut talibus commendent armariis, qui nihil ex ea surripi permittant. Ex bibliothecis facilè monachorum disciplina cognoscitur: & quid studeant ex libris cito animaduerti potest. Si ad domum tuam venero, non est opus interrogem te quid studeas: volumina tua dabunt testimonium actionibus tuis. Codices tui honorant te: sicut à te honorantur. Si negligis illos, negligent te: si contemnis, contemnent te. Deniq; *qui contemnunt me* (ait sapientia Dei, quæ in libris agnoscitur) *erunt ignobiles*. Si volumina tua scamnis lacera volant, si pulueribus operiũtur, si maculata intus, si foris incomposita fuerint, indoctum te & fuconem proclamabũt, etiamsi doctor habearis. Quomodo doctrinam amare poteris, si libros informatores tuos contemnis & negligis? Sicut sapiẽtia puri cordis habitaculum & diligit & inhabitat: sic amator sapientiæ librorum munditiam & ornatum amat. Nam qui domum alicuius lacerat: quod inhabitantem nõ vereatur manifestat. Et qui libros diuinarum vel humanarum scripturarum negligenter & immundè tractat, contentam in eis scientiam se non amare probat. Philobiblos itaque noster pro custodia & ornatu librorum summum impendat studium: secundum materias vel dignitates ordinet libros ad pulpitum: vt studiosi fratres citius inuenire possint quod quæritant. Nullam de sua bibliotheca materiam abiiciendam existimet præter dogmata hæreticorum: quia nullus liber tam exilis est, qui non ad aliquam vtilitatem possit cõducere. Sit bibliotheca sub tuta custodia: nec passim omnibus pateat, sed illis duntaxat, quos amor & studium scripturarum commendat. Multa enim bibliothecis damna illata cognouimus: eo quod sine discretione paterent vniuersis. Nec de locis suis libri facilè emittendi sunt, nisi sub fide, & certa fiducia. Habeantur omnium librorum bibliothecæ inuentaria: vt nihil distrahi possit vel amitti. Zelotes insuper noster disciplinarum vtilium eos quos diligit libros nonnunquam visitet: & quam rectè se habeant diligentissimè exploret. Denique non sit parcus & inuidus ad communicandum studiosis de bibliotheca volumina: quia thesaurus occultus & sapientia abscondita, velut inutiles, comprobantur. Quotiescunque ergò petitur ad rescribenda volumina studiosis libenter accõmodet, sub certa tamen fidei cautione, quatenus & suum thesaurum cœnobio custodiat, & alios sine sui diminutione diuites faciat. Quicunque autem libros ad scribendum sub fide recipit, caueat diligenter, ne illos aut fædet aut laceret: sed iuxta sententiam Domini faciat aliis, quod sibi vult fieri, & beneuolentiæ non sit ingratus. Fratres etiam, qui libros de bibliotheca secundum regulam pro studiis accipiunt, caueant ne illos maculent vel destruant, sed cum deuotione & puritate legentes immaculatos custodiant. Si quis autem codices negligenter & sordidè tractauerit, vt sacrilegus & dissipator rerum monasterii puniatur: ita vt eius

1. Reg 2.

Hæretici libri à bibliothecæ arcendi.

Eccli. 41.

emendatio cæteris fiat in exemplum. Sed quid multis super librorum custodia immoramur sermonibus? Qui illos diligunt sine dubio colunt & seruant, etiam nobis tacentibus: quod imperitis frustra suademus, quia persuadere non possumus. Stulti enim studia contemnunt peritorum: & volumina non diligunt, nisi suis vanitatibus conformia. His igitur omissis ad nostrorum, qui libros & amant & legunt, cohortationem accedamus.

CAPVT XVI.

EXHORTATIO AD STVDIVM ET AMOREM scripturarum.

IAM nunc igitur, charissimi fratres, cohortationem nostram cum beneuolentia suscipite: & ad scribendos libros sacræ doctrinæ vos sedulo præparate. Ex his enim, quæ in commendationem scriptorum exposuimus, aduertitis, quid de tali officio sentire debeatis. Nolite ergo tantum bonum negligere: nolite à scribendi studio cessare. Scriptura enim est, quæ vos quodãmodo reddit immortales: & etiam post mortem superstites. Agant singuli, quod volunt: glorientur in officio, quod didicerunt: sola scriptura est, quæ vos etiam defunctos in memoria conseruabit. Libri enim sancti, quasi renouatores memoriæ auctorum suorum sunt. Qui autem scribere negligunt, mox, vt mortui fuerint, in obliuionem omnium tanquam non fuissent cito deueniũt: vestra autem memoria ex libris quos scribitis cum gloria transibit ad posteros. Nec dicimus, quod hac intentione debeatis scribere: cum id præter intentionem possit euenire. Absit procul à sancto opere tam stulta cupiditas: vt famam pro laboris præmio concupiscat inanem. Si autem nomina vestra codicibus à vobis scriptis volueritis imprimere, ea intentione faciendum est, vt vel ad suffragium posteros, vel ad imitationem intendatis prouocare. Tali enim intuitu codicibus vestris nominum titulos securè & licitè potestis subscribere. Vobis etiam, ô venerandi scriptores, vtilia ex intentione scribentibus post mortem accidentale meritum subuenire non immeritò creditur: quotiens ad pœnitentiam aliquis ex vestra scriptura prouocatur. Vos pauperes nihil habetis, vnde possitis eleemosynam facere: neq; possidetis aliquid, vt pro vestri memoria testamentum valeatis confirmare. Audite ergo meum consilium, ne sine testamento notabili ab hac vita decedatis. Libros & opuscula sanctorum Patrum cum diligentia scribite: & testamentum glorioſum feceritis. Nam si eleemosyna panis & aquæ exigua tam efficaciter peccatum extinguit: quid tam ingens pietas scriptorum non poterit? Si copiosè remunerabitur apud Deum, qui pauperes hic pascit morti obnoxios: quanto præmio donandi estis, qui animas pascitis immortales? Spiritualia enim dona carnalibus iure præferuntur. Viuãt manus illæ, ac felicitèr cubent: quæ nobis tot sanctorũ Patrum volumina suis laboribus conscripserũt. Beati scriptoris venerandi labores: quibus tam magnificè sustẽtatur fideliũ mater Ecclesia. Sit memoria illorum apud Altissimũ: & nomina scriptorũ in libro vitæ sine fine cõscripta pmaneant. Reddat illis Dominus laborũ suorum inæstimabile præmiũ: & ab eius cõspectu nunq̃ separentur. Bibant illic de fontibus saluatoris: qui nobis suis officiis potum propinauere salutis. Viuant, viuant: & inæternum feliciter viuant, qui nobis ad bene viuendũ tã opportuna cõsilia tradiderunt. Facite & vobis testamẽta huiuscemodi sanctitatis: quæ nulla vnquã obliuione peribunt. Libros iam scribite, dũ viuitis: & post mortem copiosum

fructum

fructum colligetis. A scribendo labor nullus vos terreat : nulla voluptas præpediat : plus vestræ saluti conducet sanctorum volumina renouando scribere : quam perituris diuitiis pauperes ditare.

Et illud quidem vobis non tam difficile, quam impossibile est. Sectentur sua studia homines mundani : ocio vacent monachi dissoluti: Abbates stolidi in equis delectẽtur : vagi ludant alii in auibus cœli, in canibus alii discurrant venatici: vos in lege Domini meditantes litteris sanctis consulite: & Ecclesiæ vestris laboribus in futurum prouidete.

Licet aurum sine modo sitiant plurimi, licet agrum agro copulent, licet ruituras domus in altum ædificent : vos nominis vestri famam in altioribus scitote consistere: quibus de mundo non expedit similia cogitare. Vos mundo altiores estis, nolite vos turpiter inferiori submittere.

Contemnite fortiter, quem sine culpa non potestis diligere. Scribite libros sanctorum , eosq; cum deuotione legendos inspicite: quia nihil vobis ad contemptum mundi adeo proficit, quam si cum amore scripturis studium impendatis. Hæc enim sacratissima scientia, lucerna pedibus nostris est : ne in via hac plena tenebris, qua gradimur, offendamus: ipsa comes nostri itineris, ne erremus. Hæc pro speculo menti fidelium opponitur : vt facies interior clarè videatur. Nam quemadum vultus nostri maculas in speculo materiali conspicimus: ita in sacra scriptura actionum nostrarum negligentias videmus. Illa enim delinquentes nos corripit : torpentes pungit: negligentes excitat: ignaros informat. Magnum & incredibile bonum nobis sancta scriptura conferre dinoscitur: si cum humili deuotione attentius legatur. Nam intellectum nostrum ad eruditionem illuminat: mentem à mundi vanitatibus elongat: & in Dei amorem reformat. Sæpe enim illius familiaritate abstracti eousq; à mundi concupiscentiis diuidimur, vt non esse in mundo nobis videamur. Et quanto in eius amore diutius consistimus, tanto minus de seculi varietate cogitamus. Vera namque lætitia quę de sola veritate, quę Deus est, vires accipit, huius mundi tam blanda quam aspera, velut stercora, contemnit. Nocet enim seruis Dei huius mundi intensius cogitata felicitas. Maior autem & salubrior lætitia in hac vita non acquiritur: quam si mens bene sibi conscia in sacris literis cum amore occupetur. Lectio enim sacra, si cum deuotione & humilitate frequentetur, mẽtem hominis inæstimabili gaudio lætificat : quæ dum à suo amatore cum pietate discutitur, cordis oculus in contemplatione cælestium dulciter soporatur. Nihil adeò monachum ab amore huius mundi separat: quam si animum suum sacris lectionibus cum desiderio omni tempore impendat. Eulogia siquidem sancti spiritus in diuinis scripturis habentur : quæ dum intenta lectione percurrimus : vim diuini amoris quam suauissimè percipimus. Non sum charitatis Dei expertus tam valens incendium, sicut amorosam scientiam sanctarum scripturarum. Ama illam, & exaltabit te coram Deo & hominibus, omniaq; bona pariter cum illa possidebis. Nam qui eam veraciter tenet, omnia possidet. Doctrix est enim disciplinæ Dei: & habet cognitionem eius amicam. Nunc ergo fratres audite me, & hanc matrem pulchræ dilectionis omni deuotione excolite: vt eius ministerio ad thronum gloriæ magni Dei perduci mereamini. In curia enim cælestis imperatoris ista mater velut regina notissima est. Intueamur ô fratres nostri ordinis monachos reuerendissimos, qui magno desiderio sanctarum scripturarum olim flagrauerunt : eorumq; sancta studia , quantum possumus, imitemur: vt ad gloriam, quam doctrina & sanctitate , Domino largiente , adepti sunt, nos quoq; venire mereamur. Nemo in excusationem sui dicat, non queo sine docente proficere : cum præceptores semper possitis inuenire. Mentis vestræ purgate horreum : & Deus triticum faciet inferri scripturarum. *Spiritus enim sanctus disciplimæ effugiet fictum : nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Mundana est ergo domus conscientię, vt digna fiat habitatio scripturarum : quia monachus, qui sacras scripturas vult vtiliter discere, à correctione morum debet inchoare. Nec oportet vos propter studium monasterium deserere: quia vnde proficiatis domi potestis inuenire. Multos enim

Sapi. 1.

S scripturæ lectio vtilis.

doctissimos monachos olim in ordine nostro claruisse cognouimus: quos tãtum in cœnobiis studuisse scimus. Beda presbyter & monachus vndecunque peritissimus septennis cœnobio traditus fuit: in quo quicquid scripturarum didicit, hausit. Cuius discipuli fuerunt inter cæteros eruditissimi. Alcuinus præceptor postea Caroli magni, Claudius, & Iohannes Scotus monachi, in omni doctrina tam diuina, quam seculari excellentes, græco & latino sermone instructi: quorum multa præclara extant opuscula. Rabanus abbas & Moguntinus Archiepiscopus penè adhuc puer Fuldẽsi monasterio traditur: qui quantum in omni scientia profecerit, eius volumina testantur. Hunc tamen Abbas suus Fuldensis studii causa in Frãciam misit ad Alcuinum Abbatem, cuius iam fecimus mentionem, sub cuius magisterio multis annis perseuerauit in cœnobio.

Beda septennis fit monachus.

Rabanus item puer

Strabus monachus Fuldensis discipulus & scriba Rabani Abbatis fuisse dicitur: qui iuuenis cœnobio datus, doctor insignis effulsit. Sic Haymo, sic Notgerus, sic Hermannus contractus, sic alii pœnè innumerabiles monachi doctores excellentes sunt habiti: qui sub regula sancti Benedicti humiliter conuersantes cœnobia pro gymnasiis habuerunt. Nec dicimus illis defuisse magistros, qui aliorum præceptores habiti sunt. Magistros omnino habuerunt: sed monachos & regularis vitæ consocios, qui eos non minus vita quàm doctrina instruebant. Nos quoque magistros forsitan inueniremus: si vellemus esse discipuli. Nisi enim humilitas & amor scripturarum mutuo sibi consentiant: monachorum studia nec expediunt ordini, nec proficiunt. Amor enim scripturarum sine humilitate regularis vitæ disciplinam destruit: humilitas sine amore ad scientiam earundem non pertingit. Qui ergò in cœnobio doctus fieri desiderat: hæc duo inuiolabiliter conseruet. Imitemur sanctos Patres diuinis scripturis cum humili amore insistentes: & quod illis gratia diuina contulit, nobis orantibus & legentibus sedulè non negabit. Quanto enim quisq; in lectione assiduus fuerit, tanto fructum ex eis vberiorem capit.

Fructus autem, quem in sacris scripturis quærimus, amor Dei & proximi est, & nostri agnitio piissimi Saluatoris.

FINIS.

Pag. 731. in fine, post verba, ex dictis sanctorum, hæc interserantur sequentia: *Patrum ista produxisse sufficiat. Omnes enim prisci & noui monachorum cuiuscunq; ordinis principes, in hanc sententiam vnanimiter conueniunt, qua peculium monacho penitus interdicunt. Hinc Dominus noster Apostolis non portare sacculum, neque peram in via præcipit: vt ex hoc successores eorum intelligant, quemadmodum sine proprio in communi viuant. Erubescat homo claustralis qui vitam apostolicam profitetur in cœnobio contra votum suum viuere, & proprium tot sanctis interdicentibus aliquatenus possidere: quando monacho peculium vsq; adeo illicitum est, vt viuus & mortuus extra*

Matt. 10.

Quantũ periculũ sit proprietatis.

IO-

IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEIMENSIS INSTITVTIO VITÆ SACERDOTALIS AD NICOLAVM PRESBYTERVM MERNICENSEM.

Argumentum singulorum capitum.

CAPVT I. De vita, moribus & doctrina clericorum ac sacerdotum.
II. De mulierum consortio à sacerdotibus fugiendo.
III. De remediis aduersus vitium luxuriæ.
IV. De frequentanda lectione diuinarum scripturarum.
V. De auaritia & cupiditate fugienda.
VI. De honesta sacerdotum conuersatione exteriori.
VII. Qualis debeat esse sacerdos in conuersatione interna.

IOANNIS TRITHEMII INSTITVTIO VITÆ SACERDOTALIS.

CAPVT I.

DE VITA, MORIBVS ET DOCTRINA CLERICORUM & sacerdotum.

PEtis à me Nicolae frater amantissime, & crebris epistolis instas, vt tibi formam in sacerdotio laudabiliter viuendi stilo commendem. Supra vires ingenii me laborare cõpellis: morsibusq; æmulorum lacerandum exponis: qui me ex hoc præsumptuosum iudicabũt, quod viam quam ipse necdum ambulare didici, tibi velim demonstrare. Et quanquam se res ita habeat: malo tamen æmulationis subire iudicium, quã charitatis in te meæ ferre detrimentum, Tanta enim dilectione te semper colui, vt negare tibi quippiã postulanti nunquam consueuerim. Cupiens itaq; satisfacere precibus tuis, normam viuendi ex scriptis sanctorum tibi commendare volui: non quod statui tuo prorsus ex omni parte sufficiat, sed p̃ qualicunq; principio ad honestam conuersationem te, si velis, inducat. Inprimis itaq; te moneo ex diffinitione nominis, statum pẽsare indictæ cõuersationis. Etenim dicimur clerici, quotquot in sortẽ Dñi sum⁹ specialiter electi. Interpretemur itaq; vocabulũ nominis, & intelligemus qualitatẽ præceptæ honestatis. κλῆρος etenim græcè sors interpretatur latinè. A κλῆρος ergò clerici, in Domini sortem dicuntur electi. si nos igitur in Dei sortem vocatos agnoscimus, cur adhuc mũdo militamus? Ad quid in terra morientium hæreditatem quærimus: qui Deum se nobis pollicentem hæreditatem expectamus? In veteri namq; testamento legimus Dominũ *Num. 8.*

Num. 18. sacerdotibus & Leuitis præcepisse: ne inter filios Israel fratres suos acciperēt hęreditatem: eo quod ipse hæreditas esset eorum. Nunc ergo si esse te clericum existimas, debes à cæteris hominibus excellentia conuersationis honestior incedere, & mundi huius perituras diuitias minimè amare. Quod si animū tuum seculi hæreditati submiseris, extra sortem Domini cū insipientibus collocaberis. Non enim dignabitur te Dominus inter electos suos recipere: si post aurum abiens mundum decreueris amare. Turpissima est in sacerdote Christi auaritia, quæ seruum Dei ministrum facit idolorum. Hæc si animum tuum semel ceperit, nunquam sui compotem amplius dimittit. Nemo enim potest duobus Dominis dissentientibus seruire. *Non potestis*, inquit, *Deo seruire & mammonæ.* Non poteris bonus esse clericus: si fueris auarus. Scio autem & longa experientia tecum conuersando didici, quoniam natura parcum te genuit: caue ne donum gratiæ ad fomenta cōuertas auaritiæ. Enimuero qui volunt diuites fieri in hoc seculo, frequenter tentationes incidunt diaboli. Oportet autem ministrum Dei segregatum esse à solicitudine mundi: quia non potest ad Deum ire mens libera, si terrenis curis fuerit implicata. Hinc coronas rasas portamus in capite: quatenus abiectis superfluitatibus libere ad Deum ascensum paremus in cogitatione. Crines namque capitis superfluitates terrenę designant actionis. Et sicut ex superfluitate humoris crines capitis proueniunt: sic ex amore pecuniæ solicitudines mundi crescunt. Cum ergo crines capitis in modum coronæ abradimus: monemur, vt ministerio Dei applicati, omnes curas mundi contemnamus. Sicut autem caput pars est eminentior corporis: ita mens vis suprema rationis: Idcirco autem coronam gestamus in capite, vt terrenis curis absoluti ad Dei cōtemplationem liberius eleuemur in mente. Vnde & nos claustrales, qui monachi dicimur, coronis amplissimis ornati, crines pauciores in capite relinquimus, vt nos actiuæ vitæ mortuos in contemplatione cœlestium vacare peramplius ostendamus. Attende nunc diffinitionem nominis: & cura condignis vitæ meritis sorte respondere superni cōditoris. Omni custodia serua cor tuum, ne te in profundum auaritiæ demergat cupiditas: ne libidinis ardor animum tuum cum peccatoribus in cænum luxuriæ detrahat: ne superbiæ fastus te ad inferos sine fine cruciandum secum trahat. Caue, ne per huius mundi curas à sorte Dei decidas: caue, ne famam boni nominis perdas: caue ne in via contemptorum Dei pergas. Ruinas multorum in circuitu sacerdotum considera: & de tuo semp periculo simili formida. Nusquā inter mortales securius viuitur: quam si periculum semper timeatur. Vnde scriptum est. *Beatus homo, qui semper est pauidus, qui autem mentis est durę, corruet in malum.* Enimuero periculum qui timet, cauet: qui negligit, incidit. Oportet ministrum Christi, sacerdotem Dei virum esse non puerum, vt sciat & intelligat, quale onus susceperit: pro cuius administratione in districto Dei iudicio sit redditurus rationem. Sit ergo prudens, sobrius, castus & quietus: sit pudicus, benignus, mansuetus, vt qui plebis indoctæ præceptor constituitur, nullum de sua conuersatione contemptum patiatur. Sacerdotis est interrogatum respondere de lege: vitia subditorum per verba sanctæ prædicationis constanter arguere, & nulla pro veritatis amore aduersa formidare. Oportet eum qui sacerdotio in populo Dei fungitur virum doctum esse in lege diuina, vt sciat in tempore noua proferre & vetera: ne inter canes mutos non valentes latrare officii sui perdat dignitatem. Tuum nunc est ô Nicolae, aliorum vitia sedula monitione arguere: & te vitiis alienum exhibere: ne si vitiosus crimina arguas, temetipsum dānandum reddas. Nemo enim in alio confidenter potest reprehendere, quod se, conscientia teste, meminerit commisisse. Oportet ergo illum esse irreprehensibilem, qui aliorum peccata sedet iudicare quia qui in se committit, quod in aliis arguit, non emendat, sed prouocat. Sed multi hodie inter sacerdotes hypocritis similes inueniuntur: qui delinquentibus in leuioribus fratribus irascuntur, & sibi nolunt à quoquam indignari. Misera humanæ fragilitatis conditio: peccatorem peccator condemnat: & disparem fert in pari crimine sententiam. Mentiar, si non multotiens proximum suum de fornicatione arguit adulter: pauca in alio vitia condemnat iudex, in multis vitiosus: & vt

Matt. 6.

Pron. 28.

Sacerdotis virtutes & officium.

Corona clerici quid indicet.

Quid rasura monachi.

Carere debet vitiis quæ arguit.

suam prauitatem occultare valeat, omnium delicta manifestat. Contra quæ à Domino dicitur. *Hypocrita, eiice primum quam gestas trabem in oculo proprio: & sic festucã videas in alieno.* Quid furem reprehendit sacrilegus: vitiosum sceleratus cur arguit? Infructuosa prorsus omnis erit correctio: quam vitæ commaculat æqualis turpitudo. Vt igitur careas hypocritarum opprobrio, caue alterius corrector in simili delinquere peccato. Nunquam fiet vtilis correctio in subditis: dum is qui præest publicis submittit colla peccatis. Enimuero ius correctionis amittitur: quando correctoris conuersatio subditorum vitiis inquinatur. Sacerdotii vilescit auctoritas: si honestatem conuersationis publica corrumpit iniquitas. Omnis igitur correctio in suo auctore sumat exordium: & sic demum secura procedat in publicum. Suspendat correptionis ad tempus sententiam: quem in crimine simili conscientia propria remordet. Corruptus iam est vt plurimũ status credentium: & est sicut populus, sic quoq; sacerdos: omnes auaritiæ student à maiore vsq; ad infimum. Væ genti peccatrici, quæ semper ad grauiora prolabitur, dum pari delicto noxios suos iudices intuetur. Ad tantã nunc miseriam deuenit auctoritas Ecclesiastica: vt sacerdotum verba iubeamur amplecti, non facta. Dicunt enim de semetipsis infelices presbyteri, inquinationis suæ testimonium perhibentes. Eruditionis nostræ verba vos ô Christi fideles attẽdite: exẽpla cauete. O verba confusione sempiterna dignissima: quæ quantum ex doctrina erudire populum Dei debuerant, tantum ex operibus peruersis scãdalizant. Indocti, rudes, iam sine discretione meriti ad sacerdotium veniunt: qui moribus suis pessimis Christi oues infeliciter occidunt. Nulla iam in ordinandis clericis vitę sanctitas requiritur: literarum eruditio nulla postulatur: conscientiæ puritas nõ attenditur. Sufficit apud eos, si currentem sortem possint cõstruere: si cuius partis orationis sit, Dominus, respõdere: si ita, &, non, intelligere. Væ nostrę tempestatis Episcopis, qui secularibus negotiis intenti ordinationes clericorum non considerant: sed curã examinandi imperitis locant: quã districtam sunt subituri sententiam, qui se totius in Ecclesia mali exhibent causã? Enimuero, cum oporteat sacerdotẽ fideliũ doctum esse & sanctum: qua temeritate imperiti ad sacerdotium veniunt: qui nec se nec alios erudire possunt? Neq; enim sine doctrina bona in clerico vita sufficit: neque doctrina sine vita populum salubriter erudit. Nam doctrina sine moribus doctorem perimit: vita sine doctrina inutilem facit. Latratu siquidem canum & baculo pastoris rabies luporum fuganda est. Pastor itaq; ecclesiasticus per vitam bonam ouibus suis exemplum iustitiæ præbeat: per salutarem doctrinam mentes auditorum pascat: ne si vnum sine altero faciat, vel se negligat, vel gregis curam infructuosè agat. Heu quid dicam de sacerdotibus nostris indoctis & vitiosis, auaris, luxuriosis & pessimis? Pudet me loqui: & silere non valeo. Prospice tibi Nicolae charissime, ne imitator eorum fias, qui contemptis codicibus scripturarum, ludis & potationibus diem totum vacant, qui se mulierum commixtionibus maculant: qui prauis suis moribus, multos in lege Dei scandalizant. Esto in populo Dei honestatis exemplar: in omnibus quantum fieri potest te irreprehensibilem exhibeas, vt omnẽ de te malæ suspicionis occasionem tollas. Oportet enim testimonium haberi etiam ab his qui foris sunt: quia prædicantis sermo facilè contemnitur, cuius vita malis suspicionibus in populo notatur. Teipsum itaque bonorum operum cultorem exhibeas: quatenus populum Dei non minus exemplo, quam sermone informare queas. Quod, vt salubriter possis perficere, consortia indisciplinatorũ cura declinare: quia vix sine reprehensione viuere sufficit, qui malorum consortia nõ fugit. Dicit enim scriptura. *Cum sancto sanctus eris: & cum peruerso peruerteris.* Et iterum. *Qui tangit picem, inquinabitur ab ea.* Vnusq; quisq; appositi sui delectatur habere consortes. Si igitur bonus es: bonorum ama cõsortium. Nam si pedem tuũ à cõuẽtu malignantiũ non prohibueris, subditorũ detractionibus omni tẽpore subiacebis. Facilè decipitur iuuenilis animus cõsortio puerorũ. Iuuenis es, & in vtrãq; partẽ flexibilis, idcirco sũma tibi diligẽtia inuigilandũ est, ne indisciplinatorum consortio deprauetis. Nihil enim sic iuuenibus nocet, quemadmodum praua exempla seniorum. Quanto verõ iunior es, tanto tibi maiori solicitudine cu-

Matt. 7.

Vita pia iungenda doctrinæ in clerico.

Societas prauæ cauenda.

Ecclesiasticorum ruditas reprehenditur.

Psal. 17.

Eccli. 13.

tan-

randum est, vt vitam tuam in sinceritate timoris Domini custodias. Scriptum est enim. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet a ea.* Quod iuuenis didiceris, in senectute practicabis

Prou. 22.

CAPVT II.

DE FVGIENDO CONSORTIO MVlierum.

DE feminarum autem familiaritate (quæ sacerdotibus Dei perniciosissima est) quid dicam: cum decreta sanctorum Patrum hanc illis districta satis prohibitione interdicant? Si tibi beatissimi Patris Hieronymi monita præscripsero, ilicò exclamabis. Domum gubernare sine ministerio famulæ non valeo: cibos mihimetipsi parare non sufficio: mundare vestes sordidas nolo. Quid, inquis, mihi præcepta Hieronymi allegas? quæ non ligant nisi volentem? Quis Hieronymum legislatorem meum constituit? Sacrosancta, inquam, Ecclesia vniuersalis dicta illius approbat: inter canones præcepta eius de hac materia lata locat, & tu contra tantam auctoritatem mutire præsumis? Sed dices. Legem hanc abrogauit consuetudo contraria: quæ pro iure ex multo tempore est habenda. Sed in entitur iniquitas sibi: & stulta consideratione in semetipsa decipitur. Consuetudo bonis moribus contraria, nunquam legem aut tollere, aut constituere potest. Et quid tam contrarium honestati sacerdotali, quam adolescentularum contubernio delectari? Periclitatur castitas, vbi inter mulierculas sacerdotum transit societas. Prima enim & fortissima clericorum tentamenta ex frequenti accessu mulierum proueniunt. Multos prostrauit stulta præsumptio: qui manibus (vt ita dixerim) instrumenta victoriæ hostibus tradiderunt. Difficillimè vitatur periculum, si occasio non vitetur. Enimuero dum femina moratur cum clerico, solaq; residet cum solo, cibos comedenti præparat, lectulumq; dormienti componit, alloquitur, arridet, fomenta libidinis administrat. Quantumlibet sancta sit femina, semper clerico est timenda. Nam sicut scintillæ de carbonibus prosiliunt: ita virus concupiscentiæ ex mulierum assidua familiaritate diffunditur. Ianua diaboli, porta inferni, via iniquitatis, scorpionisq; dira percussio, & nociuum genus fallendi viro casto familiaris est femina. Cum proximat, stimulat: cum loquitur, incendit: cum tangit, vehementer exurit. Non damnamus sexum: sed castitatis denunciamus periculum. Legimus sanctum Augustinum tantopere fugisse feminas: vt domum suam episcopalem nec sororem propriam ingredi permitteret. Nouimus & nos complures sacerdotes, qui & domum & plebem sibi commissam sine ministerio famulæ multis annis innocuè gubernarunt. Neq; enim tibi difficile erit imitari: quod alios conspicis actitasse. Caue itaq; & consortio adolescentularum ne appropies: cum etiam inter anus castè viuere difficile sit. Memento, cum quo loquaris in altari: & os diuinis ministeriis consecratum ne effundas in oscula meretricum. Turpissimum est manibus sanctæ vnctionis oleo consecratis, quibus Dei filius tenetur & immolatur, tactibus pollutis contingere mulierem. Ne dederis maculam gloriæ tuæ, & nomen tuum cunctis in opprobrium. Te cuncti in publico, te in agro rustici aratores, & vinitores quotidie fortiter lacerabunt, si cum feminis (maxime iuniores) iuuenis ipse habitare præsumpseris. Eris in prouerbium, & derisum omni populo, si iuuencularum domicilia frequenter fueris ingressus. Contra hostem tuum inuisibilem, qui latus tuum semper insidiando circumuolat, omni tempore vigila: & iuxta Nasonem, malorum

Consuetudo quæ tollit legem.

Possid. in eius vita.

lorum principiis obsta, quando adhuc infirmiora sunt tentamenta. Nã, sicut videmus, posteaq̃ clericus semel corpus suum amplexibus meretricum exhibuerit, raro vel nunq̃ ad perfectã emendationẽ redit. Omnes enim qui peruerso amore vexantur, quanto diutius in cœno luxurię iacuerint: tanto difficilius ad sanitatẽ mẽtis reuertuntur. Figit in corde humano radices vitiũ fortiter inueteratũ. O quot hodie sacerdotes in Dei Ecclesia sunt, qui in profundum luxuriæ submersi, longanimitatem Dei conteñũt: sicut scriptũ est. *Impius, cum venerit in profunda malorum, contemnit.* Multi sunt, non dubium, inter clericos libidine sordidatos: qui cum à principio suæ promotionis castè viuere proposuerunt, ex negligenti sensuum custodia decepti, nũc sine omni timore Dei quasi licenter ex consuetudine meretricibus commiscentur. Nihil peccati consuetudine deterius: qua fit vt crimina grauissima velut minima æstimentur. Fortissimum peccati vinculum est consuetũdo peccandi: quæ tempore crescit, & mora virium sumit incrementa. Optime igitur aduersus incendia carnis consuluit, qui in carmine dixit. *Principiis obsta, sero medicina paratur: dum mala per longas conualuere moras. Sed propera, nec te venturas differ in horas: qui non est hodie, cras minus aptus erit. Non tardes conuerti ad Dominum, ait scriptura: nec differas de die in diem:* quoniam quanto pœnitentiam diutius distuleris: tanto minus aptus ad pœnitendum eris. Ascende nunc mentis tuæ speculam, & vide stultorum insaniam sacerdotum: qui à vilibus concubinis dicuntur captiui, vt non quæcunque volunt illa faciant, sed quæ sibi à scortis præcipiuntur. Videres interea stolidum clericum assidere concubinæ suæ, & aperto illam ore intuentem: & si arriserit ei, ridet: si fuerit indignata, blanditur ei, donec reconcilietur in gratiam. Captiuus ducitur per fœminam infelix sacerdos: & qui alios regere debuerat, ancillæ suæ dominio superatur. O quis crederet, quantos inter hæc miser gemitus emittat: quotiens hoc durissimum archidiaboli iugum abiicere cogitet: quales in corde suo dolores portet. Interdum denique tanta contra bestiam suam displicentiam tangitur: vt eam à se repellere crastino me ditetur. Interea dat verba contumeliosa, demumque post verba venitur ad verbera & percutit & repercutitur: maledicit, & blasphematur. O stupendum spectaculum: caput sacerdotis, quod contingere non licet principi, manus meretricis, lacerant, percutiunt & contundunt. Demum post maledicta & verbera ad fletum se femina vertit: lachrymas diabolo infundente emittit, quousq; tandem ad misericordiam captiuum infelicem reuocet, sibiq; placabilem reddat. Cerneres tunc mutatum subito clericum: & lachrymis Abræ suæ adeo commotum, vt qui iniuriam susceperat, prior veniam deprecetur. Mensa dehinc apponitur: conuiuium instauratur: verbis miscentur suspiria: nouarum commercia tractantur nuptiarum. Sedet inter hæc stolidus sacerdos de patientia & mansuetudine disputans: se in amicam deliquisse suspirat: ad eius gratiam recuperandam totis viribus laborat. Quid post renouatam geratur amicitiam: tibi cogitare potius licebit, quàm mihi loqui. Non est timor Dei ante oculos sacerdotis vinculis concubinæ ligati: de pœnis inferni pauor nullus: nulla sacerdotalis cogitatio dignitatis: nulla memoria publicæ honestatis. Adeo vitium hoc incontinentiæ in clero iam præualuit, vt quasi cœperit esse licitum, quia publicum est. Miseranda generis humani conditio: qui aliorum scelera debuerant emendare, grauiora committunt. Sedent proh pudor in villis & vrbibus publicè sacerdotes concubinarum suarum commixtione diffamati, quorum tantus hodie inuenitur numerus, vt si Præsul aliquis in sola sua diœcesi tales voluerit corrigere, sola multitudine victus à proposito terreretur. Si cuiuspiam ex talibus domum ingredereris, offenderes aliquotiens sacerdotem suum infantulum fornicationis paternæ testem brachiis baiulantem: & inter legendum horas canonicas, plorantem consolari verbis & cantibus. Videres quoq; surgentem de lecto patrem infaustum, natum excipere genibus, osculisq; porrectis illum in dextro genu locatum, in sinistro breuiarium. Inter orandum ridenti infantulo arridet, ploranti blanditur, crebris tacentem verbis affatur & nutibus. Interea blanda mater occurrit, de manu patris dulce pignus codicem rapit, folia tractat, lace-

Clericus post lapsum carnis raro se corrigit

Prou. 18.

Ouid. lib. 1. de remed. amoris.

Eccli. 5.

Seruitus concubinariorum

lacerat, fluentibusque ex ore saliuis genitoris permissu commaculat. Nulla inter hæc oranti deuotio: nulla verbis adhibetur intentio: sed omnis solicitudo in cõsolatione plorantis consumitur. Cadunt verba ex ore orantis confusa: crebrisque infantuli osculis interrupta: adeo vt oratione completa vix se meminerit orasse. Interea nolam trahit ædituus, ad sacrificandum altare componitur, à populo in Ecclesia hieros expectatur. Accurrit lotis manibus in lotio pueri sacerdos: vestes sacratas, quanta potest festinatione induit: sacrificium Dei distracta mente consumit. O conscienria, vbi interim manes, vbi comtempta iaces? O tu miser, qui Dei filium pollutis manibus contrectas: quousque animam tuam vulneras, laceras, & interimis? Qua denique temeritate accedis ad altare corpore & animo pollutus? Nisi magna omnipotentis Dei miseratio ad tempus tibi parceret, te in altari angeli prouocati indignatione graui percuterent. Vbi est votum castitatis perpetuæ, quod in manus episcopi (cum te ordinaret) promisisti? Vbi est sacerdotii tui assumpti reuerentia? Peccasti: quare non agis pœnitentiam? Quousq; longanimitatem Dei contemnis? An ignoras, quod patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ: & iusti iudicii Iesu Christi. Puto quidem in futurum pœnitere cogitas: sed quã sit proxima pœnitentiæ amputatrix mors minimè pensas. *Enimuero misericors Deus qui veniam pœnitenti promisit, differenti diem crastinum non spopondit.* Clericum autem, quem femina cohabitans semel captiuum adduxerit, nunquam aut raro liberum nisi morte interueniente dimittit. Transeo quod multi concubinarum suarum dolis & maleficiis vsq; adeo plerunq; dementantur: vt se ab illarum turpissimo amore nequaquam possint excutere. Horret auditus facinora meretricum: nec pudicitiæ synceritas audire patitur, qualia per sacerdotum concubinas quãdoque perpetrantur. Ex catamenio pulmentum Dominis suis conficiunt: & dum eos ad amorem suum cupiunt allicere, in cholicam & insaniam conuertũt. Horrendis maleficiis & superstitionibus suis concupiscentiis sacerdotes implicãt donec exhaustis paulatim viribus eos penitus inutiles reddant. Beatus homo quem Deus à muliere mala & luxuriosa custodiuit. Non est iniquitas super malitia mulieris: quæ malis amoribus fruitur. Quicquid excogitat tentat: quicq; potest, audet. Nemo credit quibus studiis, viis, & adinuentionibus vtitur, vt eum, quem decipere cogitat, suis voluptatibus indissolubili vinculo prosternat. Ad vota se Domino suo coniungit: non quia diligit, sed quia cupit. Concubinarum etenim turba prædam sequitur, non sacerdotem. Quousq; diues est, omnibus abundat, latus Domini non deserit: si autem pane indigere cœperit, concubina ad alium se conuertit. Interdum verò gnatorum intuitu, sacerdos & concubina vsque adeo conglutinati sunt, vt separari ab inuicem (nisi per mortem) nulla ratione possint. Fieri etiam solet, vt præbendas suas nonnulli malint dimittere, quam concubinas. Quid primo præceptori tuo contigerit, non ignoras. Is sæuo meretricis illius amore (quam nouisti) miserrimè seductus, cum propter metum viri cohabitare ei publicè non auderet, patriam, domum, cognatos, ac quæ habebat beneficia cõtemnens, vt illa frui liberè posset, cum ea clam fugiens discessit. Et nemo, quò abierit, vsque in hodiernum diem nouit. Scio quendam ex concubinariis sacerdotem, quem cum pro suo peccato inter me & ipsum aliquando increparem, adhoc finaliter induxi, vt continentiam deinceps perpetuam in manus meas vellet promittere. Cumq; vrgerem, vt mox concubinam eiiceret, respõdebat. Non possum. Quare inquam? Si eam, inquit, abiicerem, quis infantulorum meorum curam gereret? Habebat enim ex ea iam duos pueros. Pauper, aiebat, sum: pro mercede locare illos non valeo. Matrem itaque, donec infantuli crescant, nõ eiiciã: ne reus sanguinis fiam. Castus tamẽ ero cum casta: nec vlla deinceps commixtione illi sociabor. Et quid facies, inquam, si prius quam isti creuerunt, alii in locum eorum surrexerint? Iurauit se id velle cauere, ne fieret. Non emendabis, inquio, culpam, nisi eieceris concubinam. Difficile est assueta relinquere: & à pristinis vitiis (præsente occasione) abstinere. Nemo serpentem fouebit in sinu illæsus. Abiit homo in domum suam, & domestica scelera vsq; in hunc diem

Rom. 2.

Concubinarum improbitas.

Eccl. 7. diem non deseruit. *Consideraui opera Dei: quonim quem ille despexerit, nemo potest emendare.* Adeo difficile est sacerdotem semel in fornicationem lapsum ad castitatem veram posse resurgere, vt ex omnibus vnum vix queas inuenire. Nam iuxta scripturam *Ioan. 8.* *qui facit peccatum, seruus peccati est:* & qui turpi amori semel subiicitur, vix vnquam ex toto liberatur. Facilius enim fornicatio fugitur, quam emendetur. Idcirco moneo te, & obtestor, vt consortia mulierum fugias, ne famam boni nominis perdas. Semel quippe infamatus de fornicatione presbyter, amissum nunquam recuperabit honorem. Sed & colloquia feminarum deuita: crebras in foro salutationes declina: quia per leuia verba venitur ad pessima facta. Multos.n.decepit incauta feminarũ allocutio, Omni tẽpore vigilãs esto: nec tibimetipsi vnquam confidendum duxeris, quãdiu in carne viuis. Complures enim in senectute lapsos agnouimus: qui sibi de victoria præterita securi videbantur. Nunquam etenim deest homini tẽtatio, quousq; in hac vita conuersatur. Si verò curam domesticam sine ministerio famulæ agere non valeas, vetulã de tua cognatione probam assumito: de cuius cohabitatione nulla in populo suspicio oriri possit. Veruntamẽ hoc ante omnia caue- *Matt.19.* as: ne in famulam maritatã sumas. Quod enim Deus coniunxit: homo non separet. Non caret suspicione mali cohabitatio vxoris viri alieni. Volo te, quo ad fieri potest, testimonium bonum habere ab omnibus. Reddant te aliena periculacautum: & vbi multos cecidisse conspicis, ne incautus ambulare velis. Memento quot fortissimi sapientissimique viri ab origine mundi vsq; in hunc diem per mulierum cõsortia perierunt. Adam protoplastum femina decepit, & eo supplantato nos omnes interfecit. A principio conditi orbis per mulieres filii Dei peccauerunt, & suis sceleribus cataclysmum super vniuersum mundum induxerunt. Exeuntes quoque de Ægypto filios Israhel mulieres allophylorum prostrauerunt in deserto. Quid istas recensemus, cum omnium hominum fortissimum Sampson vilis meretricula captũ suis amoribus tradiderit in mortem & opprobrium? Nemo de sua fortitudine præsumat: nemo de pristina castitate confidat: quoniam sæpe qui hodie fortiter stare cernitur, cras in profundum fornicationis cadere videtur. Sapientissimus Salomon dolos mulierum cauere non potuit: quis modo tutus erit? Cadit gladio mulierum fortis & sapiens, & nos fragiles insipientesq; de securitate præsumimus? Dicit enim qui cecidit. *Eccli. 42.* *Melior est iniquitas viri quam mulier benefaciens.* Tutius est cohabitare viro iniquo, quam feminæ bonæ.

Sacerdos vetulam pro famula assumat.

Mulieres quanta mala fecerint.

Aduersarius enim castitatis diabolus nunquam cessat casto viro insidias ponere, si materiam decipiendi poterit inuenire. Astutus cùm sit, nouit ad tempus dissimulare: donec tandem in vna hora omnem laborem & præmium transactæ continentiæ possit euertere. Ingerit se paulatim amantibus: & sub specie charitatis Christianæ dulcia de virtutibus & vitiis verba seminat, quousq; in laqueum criminis incautos trahat. Iam familiarius deinceps loqui incipiunt: secretiora sua quæq; alterutrum aperiunt: contingere se manibus paulatim assuescunt. Demum per mutuos risus futura parantur connubia: & dum ex consuetudine familiariter viuunt, in foueam diaboli subito cadunt. Postea verò, quam semel in mutuos reatus ceciderint, videntur sibi factum aliquantulum abhorrere, sed à cœpto non facilè possunt recedere. Pergunt igitur via, qua cœperant, & quanquam in principio conscientia scelus abhorreat, tamen ex cõsuetudine paulatim id leuius portat. Et primum quidem, cum quodam verecundo timore lasciuire incipiũt: sed deinceps praua consuetudine obcæcati amplius non erubescunt. Vẽter interea secreti conscius incipit tumescere, & scelus quod latuerat, in publicum propalare. Nascitur postremo infantulus: ad breue tempus pater & mater erubescunt, & statim ad consueta crimina reuertuntur. Iam verò deinceps omnis verecundia procul abiicitur: conscientiæ oculus obcæcatur: timor Dei & inferni à memoria penitus repellitur. Viuunt iam licenter in peccatis diabolico glutino coniuncti: viuunt coram hominibus diffamati: viuunt à Deo alieni. In desperationem mox crimen inueteratum vertitur: pœnitentiæ remedium deridetur:

longanimitas patientiæ Dei contemnitur. Interea sacerdos vsq; eò libidini seruus efficitur, vt sine concubina viuere non sibi posse videatur. Potest quidem emendare peccatum, sed renuit: quia se vinculis luxuriæ inuolutum delectabiliter sentit: propositum pœnitentiæ in futurum sibi pollicetur assumere: vitam suam promittit emendare. Sed tum inter tot crimina voluntatem pœnitendi procrastinat, & tempus & posse pariter amittit. Hinc fit, vt sani sacerdotes concubinarii ad remedia pœnitentiæ salutaris rarò veniant: quia vitam suam adhuc diu prolongari sperant. Intantum quippe nõnulli diabolicis dementãtur illecebris, vt nihil aliud quam carnalia cogitare valeant: nihil de futura retributione curent. Plus diligunt sceleratam concubinam, quam felicitatem æternam. Quam putas hi pœnitentiam agunt in extremis, quando non voluntate, sed necessitate vrgentur? Qui omne tempus vitæ suæ in luxuria consumpserunt, in extremis vitæ suæ articulis verã pœnitentiam rarò cõsequũtur. Nam etsi talium sera pœnitentia (Deo miserante) aliquando vera sit, non tamen sine grauissimis purgatorii tormentis ad regnum cœlorum poterint peruenire. Deniq;, si reuelationibus credendum est, maxima apud inferos clericorum multitudo inæstimabiles propter vitium incontinentiæ pœnas in æternum duraturas patitur. Vides quorsum incauta mulierum familiaritas clericum pertrahat: quem æternis cruciatibus inferni damnat. Principiis itaq; tentationum obsistendum est: quia luxuria nunquam melius vincitur, quàm si per fugam declinetur. Nam si per consuetudinem te semel inuoluerit, nunquam sine speciali gratia Dei liberũ dimittit. Si nostris adhibere verbis fidẽ dubitas, exempla seniorũ legas. Sed non est opus in libris exempla quærere: cum possis ad oculum documenta inuenire. Ecce multos hodie senes sacerdotes nouimus: quorum esse vitam incontinentem scimus. Videmus in eis ætatem senescere, & iuuentutis vitia minimè cessare. Cumq; ad vltimam senectutem veniunt, mores prauos non dimittunt: sed quales ab initio semper fuerunt, tales quoque ad mortem vadunt. Cerneres inter eos sacerdotes iam decrepitos, adeò luxuriæ venenũ imbibisse, vt cum præsenectute amplius opere lasciuire nequeant, cogitatione, verbo, ac nutibus ad consueta inardescant. De qualibus per prophetam Dominus dicit. *Si æthiops potest mutare pellem suam, & pardus varietatem suam: & vos poteritis benefacere: cum didiceritis malè.* Cessare autem in senibus feminarum potest concubitus, sed manet, vt olim desiderium actionis. Qualem te igitur senem esse desideras, talis nunc quoq; iuuenis viuas. Difficile namque est senem mores suos corrigere, & in veteri mente noua cogitare. Enimuero senectus mores habet, non accipit. Qui cum femina iuuenis lasciuit, senex insanit. *Bonum itaq; est homini cum portauerit iugum domini ab adolescentia sua*: quoniam si malus in iuuentute quis extitit, rarò in senectute bonus erit.

Luxuria vincitur fuga.

Senes incontinẽtia non deserit.

Ierem. 13.

Thren. 3.

CAPVT III.

DE REMEDIO CONTRA LVXVRIAM.

CONSVEVERE medici primùm ægrotis grauitatẽ morbi subtili dispensatione ostendere: & tunc demum remedii opem adhibere. Cognita enim grauitate ægritudinis, minus terret amaritudo potionis. Id ego tecum facturus, primum quidem periculum femineæ cohabitationis tibi multimoda demonstratione aperui: & quis sit finis huius morbi quantum licuit declaraui. Consequens igitur nunc est, vt de remedio cogitemus. Caro enim semper concupiscit aduersus spiritum: & nisi exercitio salubri refrenetur, & se & illum in profundum damnationis præcipitat.

Hinc

Remedium primum Fugatii.

Hinc probè admonet poëta dicens. *Otia si tollas, periere cupidinis arcus: contemptæque iacent: & sine luce faces.* Sancta etenim scriptura perhibet, quoniam *in desideriis est omnis otiosus.* Oportet igitur eum, qui vitium libidinis cupit extinguere, se in aliquo sancto opere iugiter exercere. Otiositas quippe inimica est animæ. Hinc beatus Hieronymus quendam admonet dicens, *Semper aliquid boni facito, vt te diabolus inueniat occupatum.* Optimum quippe remedium contra malas cogitationes, est operis sancti alicuius occupatio. Enimuero, dum animus circa aliquod bonum exercitium delectabiliter intentus est, aliunde non cogitat. Non patebit accessus diabolo: si mens fuerit occupata in aliquo exercitio. Exemplum sume in sancto Dauid, qui occupatus bellicis rebus luxuriam domuit: otiosus in domo consistens adulteriũ commisit. Dum manus vacat ab opere, mens languet in cogitatione.

Ouid. l. 1. de remamoris.

Prou. 21.

Hier. ep. 4.

2. Reg. 11.

Si ergo cupis libidinem vincere, otium fuge. Quibus autem exercitiis tempus accommodare debeas, paucis, si placet, accipito. Mane assuescas ante lucem de somno exurgere, & orationibus tam canonicis quam votiuis aliquantulum vacare. Cumq; pensum seruitutis tuæ orando deuotè compleueris, lectionibus sacris deinceps vacabis: donec te ad Missam celebrandam ex officio vocatum intelligis. Post Missam orationibus denuò vacandum est, & sacris meditationibus quam deuotissimè insistendum. Deinde manibus laborandum, domus curanda negotia, & si qua pro necessitate fuerint ordinanda, cũ Dei timore disponantur. Opus autem manuale sacerdotis est, scribere codices, à se vel ab aliis descriptos impressosuè ligare, cæterisq; honestis laboribus pro sua conditione vel necessitate insistere.

Modus cauendi otium

Deniq; sumpto cibo laudes Deo referendæ sunt, qui nos hic pascit in terris, iterumq; orandum, vt post hanc vitam sine fine pascat in cœlis. His rite completis, non ilico ad fabulas eundum est, sed sacris literis denuò vacandum. Deinde manibus operandum erit vsque ad vesperam, quæ vltra quartam horam non extendatur in opere manuali. Cum verò iam inclinato die dormiendum est, prius ad deuotissimas orationes recurratur. Quibus expletis, actuum tuorum per diem rationem constituas, & de negligenti conuersatione tua te reum coram Deo clamans, veniam & indulgentiam expostules.

Examen conscientiæ.

Nam si teipsum iudicaueris, à Deo absolueris. Et nisi in timore Domini te constanter tenueris, cito subuertetur domus conscientiæ tuæ. Quod si in aliquo delicto prœoccupatus fueris, mox ad lamentũ pœnitẽtiæ recurras: talemq; si fieri potest confessorem eligito, quẽ & scientia scripturarũ idoneum comprobet, & cõuersatio commendet. Raro enim confitentibus viam salutis in veritate aperit, q conuersatione reproba viuit. Quod si tentationes carnis inimico suggerente in animo sentire cœperis, noli eas per moram roborare: sed per orationes & sancta exercitia quantocius expellere. Lubricus est serpens libidinis: & nisi in capite non facile conteritur. Dum adhuc infirmus est aduersarius facile superatur. Nec te si viceris aliquando securũ existimes: quia non est completa victoria, vbi quotidiana geritur pugna. Quandiu ergo potes subiici, non credas te vicisse. Noli in rua fortitudine confidere: noli tibi victoriam arrogare: sed spem tuam in solius Dei adiutorio scito consistere. Nemo enim castus viribus suis. Gratia enim Dei adiuta carnem vincit bona voluntas. Oportet autem contra tentationes carnis sine intermissione orare ad Dominum, & dicere. *Confige timore tuo carnes meas: à iudiciis enim tuis timui.* Noli amare delicias huius mundi, quæ te cito euanescere facient, & ardore libidinis facile incendent. In victu tuo caueatur superfluitas: nec ciborum varietas appetitum moueat, sed fames.

Confessarius quis esse debeat.

Psal. 118.

Non apponantur incentiua libidinum: sed quæ corpus alant, non incendant. Vinum, in quo est luxuria, semper sit tibi suspectum, ne duplici ardore incendaris, potus videlicet & iuuentutis: Ignem luxuriæ fouet in gremio, qui assiduo vtitur vino. Verendorum Noë denudatio, & incestus Loth te vinum semper timere admoneant. Ebrietas enim viui hominis sepultura est, quæ sensus destruit, rationem extinguit, mentem ligat, conscientiam vulnerat, sanitatem corporis minuit, animam occidit. Scaturigo malorum ebrietas carnem ad luxuriam

Ebrietas cauenda.

excitat, peſſimis cogitationibus cor inquinat, in turpiſſima verba linguam laxat. Hieronymi ſacratiſſimi verbum eſt. *Repletus venter facilè ſpumat in libidinem.* Sit igitur vero caſto moderata refectio: ſit potus parcus & tenuis: ſit ſermo pudicus. Caueat familiaritatem mulierum: ſenſus ſuos omni cuſtodia dirigat: ne in foueam libidinis cadat. Quotiescunq; cogitatio turpis mentem pulſare cœperit, memoriã dominicæ paſſionis ſubeat, cogitatum ſuum in vulnera Ieſu Chriſti ponat. Scriptum namque eſt. *Beatus qui tenebit, & allidet paruulos ſuos ad petram. Petra autem*, inquit Apoſtolus, *erat Chriſtus.* Recordatio etenim dominicæ paſſionis omnium tentationum efficaciſſimum remedium eſt. Enimuero quem Chriſti paſſio non emollit, nulla exercitatio curabit: Mox ergo, vt carnis libido ſpiritum oppugnare cœperit, leuet manus ſuas ad cœlum cultor caſtitatis & dicat. Domine Ieſu Chriſte amator caſti conſilii, tu ſcis vires meas ad reſiſtendum exiguas, adiuua infirmitatem meam per amaram paſſionem tuam. Credo in Domino, quoniam ſi orans eum deuotione perſtiterit, victoriam aduerſus carnem facilè impetrabit. Volo autem te, frater amantiſſime, non ſolum facta, ſed & verba turpia declinare. *Corrumpunt enim mores bonos colloquia praua.* Neq; illos imitari velis, qui turpiloquiis vacantes caſtos ſe corde exiſtimant. Ex abundantia etenim cordis os loquitur. Vanus ſermo vani cordis indicium eſt. Qualis vnusquisq; apud ſe lateat prolatus ſermo probat. Sunt nonnulli, & quidem multi ſacerdotes, qui laſciuis moribus ſuis ſynceritatem conſcientiarum violant, quanquam ad actum libidinis corporaliter nõ accedant. Sedent cum feminis loquentes turpia, tactus prurientes commiſcent & oſcula: & inter hæc ſe caſtos eſſe gloriantur. Et vbi manet ſermo dominicus, *qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo?* Si viro caſto mulierem videre ad concupiſcendum non licet: quantominus impudicè contingere, oſculari, & contrectare manibus. Dicit namq; Apoſtolus. *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos, ſicut decet ſanctos.* An tibi non videtur mali ſpecies. inter homines ſedere caſtos, & iuuencularum oſculis tactibusq; inſanire? Mentiar, ſi non vidi ſacerdotes & maioris dignitatis Prælatos totum in nauibus diem obſcænis conſumere tactibus & oſculis feminarum, nullamq; dignitatis ſuæ reuerentiam habuiſſe. Internæ libidinis indicium eſt, dum verba quis turpia loqui conſueuit, & iungere tactus. Inter hæc nè caſtitas mentis illæſa manebit? Tu autem Nicolaë chariſſime, ſi dignum te Deo miniſtrum exhibere deſideras, ſi libidinis duriſſimum iugũ euadere optas. non ſolum à factis, ſed etiam à verbis turpibus, & mulierum te tactu abſtineas. Impoſſibile eſt nõ vulnerari mentem, dũ oſculo & manu laſciuiens contingis mulierem. Memento nouiſſima tua monet Sapiens, & in æternum non peccabis. Nihil enim adeò cohibet à peccato hominem, quam intenta memoria mortis.

Familiaritas mulierum.

Pſal. 136.
1. Cor. 10.

Memoria paſſionis Domini efficax remediũ contra libid.

1. Cor. 15.

Matt. 15.

Matt. 5.

1. Theſ. 5.

CAPVT IV.

DE LECTIONE ET STVDIO SCRIPTVrarum.

SCIO & expertus ſum, quod efficaciſſimum contra omnes tentationes remedium eſt ſtudium & lectio ſcripturarum, & frequens oratio. Nam talis vitiorum impugnationem extinguit. Dicit enim beatus Hieronymus. *Ama ſcientiam ſcripturarum, & carnis vitia non amabis.* Sola enim ſcriptura eſt, quæ nobis cęleſte promittit in tribulatione remediũ. Quid de ſuperna patria ſcire vel credere poterimꝰ, ſi ſcripturas nõ haberemus? Dicit namq; Apoſtolus. *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata eſt: vt per patientiam & conſolationẽ ſcripturarum ſpem habeamus.* Iccirco moneo te, vt ſtudium ſanctarum ſcripturarũ aſſumas

H. epiſt. 4

2. Tim. 3.
Rom. 15.

in

in huius peregrinationis solatium: quoniam si in lectione earum fueris assiduus: facilè mundum contemnes cum vniuersis vanitatibus eius. Nihil enim sic mentem à solicitudine vana ad superna eleuat: nihil sic carnis incendia sedat: quomodo sedulitas sacræ lectionis. Denique officio tuo studium maximè congruit, dicente Malachia. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam: & legem requirent ex ore eius, quia nuncius Domini exercituum est.* Nam sicut paulo ante diximus: oportet sacerdotem Christi doctum esse lege diuina: vt sciat & sit, vnde proferat sermonem. Qui enim suscepit animas regere, pro quibus summo Iudici Deo rationē redditurus est, necesse habet multa legere & intelligere. Enimuero, sicut dixit magnus ille Gregorius Nazianzenus, & post eum Papa Romanus, ars artium est regimen animarum. Qui autem nihil in scripturis sanctis didicit, quid alios docebit? Aut quam in prædicando sacerdos vtilitatem auditoribus suis afferre poterit, qui scripturas nescit? Væ nunc temporibus nostris, in quibus est, sicut populus, sic sacerdos. Studium scripturarum sacerdotes nostri abiiciunt: eruditionem negligunt: pro libris scripturarum aues & canes enutriunt. Viderint Episcopi, qui tales idiotas & insciosad sacerdotii dignitatem promouent: qui imperitis pastoribus curam ouium Christi commendant. Recede de consortio eorum, qui scientiam abiiciunt: qui lectionem scripturarum negligunt: qui studium contemnunt. Nihil aliud, quam mundanum sapiunt: nihil quam vanum diligunt: nihil nisi carnale intelligunt. Cito subuertent te, si in conuentū eorū frequenter transieris. Sedent in insidiis cum potatoribus in tabernis, ludis & comessationibus vacant: nō est timor Dei ante oculos eorum. Irascuntur, si quis coram eis loq de scripturis cœperit: audire lectionē dedignantur: ad fabulas autem conuertūtur. Quid tibi & illis? Nomine sacerdotes sunt: conuersatione asini. Nihil penitus de scripturis intelligunt: discere contemnunt. Romana lingua scribere vel loqui nesciunt: vix in vulgari exponere Euangelia didicerunt. Quantos errores fabulas & hæreses in ecclesia prædicanda populis enuncient: quis nisi expertus credere posset? Pro libris sibi liberos comparant: pro studio concubinas amant. Isti sunt cæci duces cæcorum: qui populum Dei ad iustitiam non erudiunt, sed potius seducunt. O quot pauperes Christiani in rure habitant, qui ob ignorantiam suorum sacerdotum quid Christianum deceat ignorant? Inter hæc nemo est qui animaduertat: nemo qui periculum animarum doleat: nemo qui remedium apponat. Omnes quæ terrena sunt sapiunt: omnes sua quærunt: omnes ad lucra currunt. Sed quid ista ad nos? Vnusquisq; suo Domino stat aut cadit. Et quamuis ad me non pertineat ista corrigere, non possum tamen non dolere, videns omne malum in Ecclesia ex ignorantia sacerdotum procedere. Quis enim non doleat illos mandata nescire, qui cōstituti sunt alios instruere? Ecce nulla in ordinandis sacerdotibus scientia quæritur: non vocati accedere permittuntur: nunquam vita ordinandorum (vt in primis oportuerat) discutitur. Propterea populus Christianus funibus peccatorum captiuus abducitur? ardor charitatis extinguitur & cōcordia fraternæ dilectionis violatur. Sacerdotes nostri mundanis cupiditatibus effluunt: corrigere vitiosos non præsumunt: quia se deliquisse in maioribus agnoscunt. Pauci etenim sunt, qui moribus sanctis in Ecclesia nunc fulgeant: pauci scientiam scripturarum amāt: pauci commissum sibi gregem verbo & exemplo debitè informant. Nec mirum, si minores vacent à studio scripturarum, cum inter Prælatos paucos inuenias, qui veterum exemplis inhæreant. Eliguntur enim, vt plurimum, non doctiores, sed ad congregandas diuitias perituras auidiores. Codices scripturarum aut nullos habent, aut paucos: qppe qui odio sciētiam persequuntur. Nihil adeò Ecclesiasticam dignitatem minuit, & contemptibilem reddit, sicut ignorantia Prælatorū. Cum olim Episcopi, Abbates, ac cæteri Prælati & sacerdotes animum scripturis intenderunt: non tā facilis criminibus & peccatis aditus patebat. Amor etenim ac scientia scripturarum mundum docent cōtemnere, vitia fugere, virtutes sacratissimas amare. Quamdiu populus Israheliticus permansit in lege Domini, nulla præualuit contra eos potestas inimici. At postquam legis scientiam abiecit, multis aduersitatibus subditus fuit. Dicit enim

Mal. 2.

* *Naz. in apolog.*

Greg. I. p. past. c. 1.

Rom. 14.

Baruch.3. scriptura. *Quoniam non habuerunt sapientiam: pertierunt, propter suã insipientiam.* Hodie quoq; sacerdotes Ecclesiarumq; rectores in magno numero sunt, sed pauci eorum scientiam legis & scripturarum aduertunt. Et quia sicut Dominus per Malac.2. prophetam loquitur, *sacerdotes notitiam legis abiecerunt: propterea contemptibiles in populo facti sunt.* Clamant quidem in tribulatione ad Dominum, sed non exaudit eos: quoniam qui auertit aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Non ergo mirentur sacerdotes, quod eos contemnunt laici: quoniam ipsi spernunt mandata Christi. Timeo autem vehementer, in breui contra clerum grauiora futura. Sed de his hactenus. Tu verò non quid alii faciant, sed quid tibi sit faciendum considera. Multi enim ad sacerdotium in Ecclesia Dei vocati sunt, pauci verò electi. Sum mopere igitur curandum nobis est, vt qui in sortem Domini asciscimur, etiam eligamur. Quid prodest hîc sacerdotio breuissimo tempore fungi, si separari contingat à conspectu Dei? Nihil ergo melius quam in cœlestibus desiderium figere: sacræ lectionis studio insistere: præsentia pro Dei amore spernere: futura cogitare. Hinc Petrus in aurora dicit. *Nil homini melius, quam si diuina legendo, figat ibi mentem, quo sibi vita venit.* Legendis itaque scripturis continuum studium impendendum est: quia lectio alit mentem & fomenta ministrat virtutibus. Vt ergo precium temporis non amittas, sacras legito scripturas, scribe libros, deuotis orationibus insta, suis temporibus etiam manibus labora. Non erubescas discere, quod ignoras: quia tunc alios poteris vtiliter instituere, si à doctioribus semper petas informari. Non te pudeat nomen subire discipuli: si pertingere cupias ad honorem magisterii. Spiritus etenim sanctus, qui docet hominem scientiam, humilitatis amator est. Quando sedes ad mensam, vt cibũ capias, prius sacris literis insonandum memineris: quatenus dum caro pascitur, mens suo alimento minimè defraudetur. In Toletano quippe Concilio ita legitur. *Pro reuerentia Dei & sacerdotum id vniuersa constituit synodus: vt quia solent crebro mensis otiosæ fabulæ interponi: in omni sacerdotali conuiuio lectio diuinarum scripturarum misceatur. Per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur.* Verbum enim Dei esca spiritus est: quia *non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Maximam antiqui Patres & sacerdotes diligentiam scripturis sanctis impenderunt, vt & mentem salubriter pascerent, & posteritati ad eruditionem vtilia prouiderent. Istorum vestigiis inhæreamus, vt digni coram Deo ministri inueniri mereamur.

C.Tol.4. c.71.Dist. 44.c.Pro reuerentia. In mensa sacerd. lectio sacra.

Matt.4.

CAPVT V.

DE AVARITIA ET CVPIDITATE FVgienda.

QVAMQVAM in principio sermonis nostri contra auaritiam & cupiditatem disputauerimus: certa nihilominus ratione ducimur, vt etiam in hoc loco de hac ipsa re iterum eloquamur. Nunquam enim satis contra hoc vitium agitur, nisi cum funditus extirpatur. Sciens autem saluator noster, quam difficile sit, diuitem intrare in regnum Dei, sequentibus se dixit. Luc. 14. *Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Hinc psalmista nos admonet dicens. *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Et Apostolus dicit. *Habentes victum & amictum: his contenti simus.* Quid amplius quærimus, q ministri Dei sumus? Turpis est in sacerdote Dei cupiditas: turpis auaritia & auri continua fames damnabilis. Tu ergo frater amantissime, si cupis in libertate spiritus viuere, noli pecunias peritúras quærere: diuitias noli amare. *Iacta cogitatum tuum in Domino & ipse te enutriet*: ipse esurientem te pascet: ipse custo-

Psal. 61.

1. Tim. 6.

Psal. 54.

custodiet. Nec volo, vt prouidentiam domesticam penitus abiicias: sed ne per auaritiam excedas. *Radix omnium malorum cupiditas est:* quæ hominem non sinit Deo in libertate spiritus viuere, sed mentem semper torquet curis amaris, nec permittit eum aliunde, quã de diuitiis cogitare. Mediocritas autem res tutissima est: quæ nec egestate premitur, nec abundantia in superbiam eleuatur. Videmus inter sacerdotes Dei cultores idolorũ, q̃ pecuniis congregãdis semp inuigilant: q̃ auaritiæ studẽt: qui de æterna vita nihil aut parum cogitant. Viuũt tanq̃ nati sint ad quæstũ: pietatẽ in pauperes longè abiiciũt: nihil aliud quam aurum quærere & inuenire concupiscunt. Videres inter illos quosdã auaros & miseros diuites: quibus rerum temporaliũ copia & abundantia maxima est: sed facultas vtendi acquisitis deest. Omnibus diebus, quib⁹ versãtur in terra, miserè viuunt: comedere & bibere pro necessitate corporis nõ præsumũt: augere ad aceruũ pecuniæ semper aliquid cõcupiscunt. lucris inuigilant: de animarũ salute nihil penitus curant. Plus dolent de amisso denario: q̃ si decem ex sibi cõmissis animæ perirent. Sed mirũ non est, si alienam negligat, qui propriã dãnat. Quisq; enim cor suũ auaritiæ & cupiditati semel submiserit, nunq̃ aut rarò liber erit. Semp ad maiora lucra pecuniarum æstuat: ad augmentũ auri semp anhelat, tãtoq; crescit habendi desideriũ, quanto contigerit creuisse nummũ. Iam deinceps vnũ beneficium quãtumlibet pingue non sufficit: pro impetrandis etiam aliis sacerdos auarus discurrit: per fas nefasq; nanciscí laborat, quod improbè concupiscit. Currit interea ad sedem Apostolicam, petitionis suæ narrat causam: quę si cum veritate discutitur, falsa protinus inuenitur. Præbẽdas deinde vnus homo multas impetrat: curam ouium mercenariis locat: lanam & lac de ouibus recipit: sed gregem pascere contẽnit. Vę inquit, propheta pastoribus, qui pascunt semetipsos. Putant se à noxa liberos, qui per dispensationẽ sũmi Pontificis multa beneficia obtinẽt: sed quid requiratur ad iustã impetrationẽ non pẽsant. Tu autem ista & noli transgredi terminos antiquos, quos posuerunt patres tui, sed pone concupiscentiæ modũ, ne cadas in peccatum. Vno beneficio, quod tibi pro mediocritate tui status sufficit, te volo esse cõtentum: ne si plura sine iusta necessitate susceperis, grauius coram Deo inde iudiceris. Noli multitudinem secus agentium in exemplum assumere: noli per latam viam peccantiũ incedere: si ad vitam voles peruenire. *Qui altari deseruit de altario viuat.* qui autem pascere oues negligit: lanam & lac ab eis, qua temeritate requirit? Instituta sunt Ecclesiastica beneficia pro sustentatione eorum, qui ea deseruiunt: non ad auaritiam illorum, qui sua quærũt. Qui onus portat & curam, dignus est recipere sustentationem. Qui autem fugit onus solicitudinis, non sine culpa percipit emolumentum lactis. Si ergo Christi oues pascere renuis, lanam & lac ab eis minimè quæsieris. Non enim propter pastorem oues, sed propter oues pastor cõstitutus est. Neq; cura animarum appetẽda est, vt habeantur alimenta: sed alimenta potius requirenda sunt, vt debita ouibus adhibeatur cura. Sed à multis nũc ordo peruertitur, q̃ prælaturas & beneficia idcirco appetunt, vt in arca pecunias habeant: non vt animas pro Dei amore pascant. O pastor & idolum: quam miserè decipis temetipsum? Curas tantum vt comedas: qui vt curare animas posses comedere debueras. Cupiditas radix malorum omnium est: mater transgressionis, magistra nocendi, auriga malitiæ, inuentrix doli, seditionis origo, fouea scandali, promotrix mendacii. Sacrilegia committit & furta: prædas agit & incendia: bella gerit & homicidia. Denique sola cupiditas est, quæ Simoniacè homines emere & vendere docuit: iniquè petit & recipit: iniustè negotiatur, dolis innititur: mendacio & periurio fouetur. Ipsa est, quæ fidem frangit: dissoluit pactum: testimonium corrũpit & violat iuramentum. Charitatem quoq; inter Deum & hominem extinguit cupiditas: fraternam dilectionem interrũpit: concordiam turbat, infatuat consiliũ, æquitatis peruertit iudiciũ, destruit vnitatem. Si ergo te dignum Deo ministrũ exhibere desideras, hanc omniũ malorũ radicem de corde quantocius euellas. Breuis est omnis terrenarum opum possessio: breuis vitæ mortalis actio: instans quotidie ad mortem humani generis processio. Cur ergo moraris pro Dei amore contemnere: quæ morte interceptus cogeris in breui vel inuitus relinquere? *Non enim*

1. Tim. 6.

1. Cor. 9.

Cupiditas fons malorum.

Heb.13. *bemus hic manentem ciuitatem, sed futuram*
Matt. 6. *inquirimus. Vbi thesaurus tuus est, ibi & cor tuum erit.* Noli perituras mundi diuitias quærere: noli cor tuum auaritiæ vinculis obligare. Decet enim sacerdotem Christi esse discipulum: mitem, & misericordem, qui aliena non cupiat, sed in pauperes sua largiter distribuat.

CAPVT VI.

DE HONESTA CONVERSATIONE SACERdotum exteriori.

CONSIDERA nunc, qualem conuersationem tuam debeas instituere, qualemq; te oporteat viuere, vt omni potenti Deo, cuius minister es, in toto corde valeas placere. Quantum verò ad internam conuersationem pertinet: oportet vt mundus & purus in conscientia fulgeas, qui coram Domino ministras. Dicit enim ad sacerdotes propheta Domi-
Isa.52. ni. *Sanctificamini, qui fertis vasa Domini.*
Isa.1. Et Dominus dicit. *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite peruerse agere, discite benefacere, dicit Dominus omnipotens.* Quantum verò ad exteriorem hominem pertinet: Apostolus Episcopum instruens
1.Tim.3. dicit. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, pudicum, benignum, ornatum moribus, hospitalem, docibilem.* Quicquid autem Episcopo in hoc loco præcipitur, etiam cæteris Prælatis & Presbyteris mãdatur. Et primum quidem, cum dicit, eum oportere esse irreprehensibilem: ab omnibus vitiis & diffamationibus populi pronunciat immunem. Vita quippe sacerdotis populo in exemplum proponitur: quæ lucernę comparatur: vt quemadmodum lux lucet in tenebris, ita conuersatio Presbyteri fulgeat in turbis.
Matt.5. Dicit enim in Euangelio Dominus. *Sic lux vestra coram hominibus luceat: vt videant opera vestra bona: & glorificent patrem vestrũ qui est in cælis.* Tunc autem sacerdos dignè Deo ambulat: quando vitam suam bonis & sanctis operibus quotidie exornat: & membra sua quæ sunt super terram pro Christi amore mortificat. Seruus namq; Domini est: hocq; potissimum ab eo exigitur, vt voluntatem Dei verbis & factis operetur. Nemo autem voluntatem Dei perficit: nisi qui vitiis expulsis cor suum habitaculum virtutum facit. Caue, ne sponsam Christi Ecclesiam per vitæ turpitudinem macules: caue, ne per malum exemplũ aliquem scandalizes: quia quotquot tuo vitio in peccatum duxeris, pro tot in supplicio cruciaberis. Rarus videaris in publico: in domo assuesce consistere: & lectionibus vacare. Esto mente & corpore quietus: noli per vicos & vicinorum domos discurrere: noli fabulis rusticorum interesse. Minuit enim præsentia famam: & parit in populo nimia sacerdotis familiaritas contemptum. Rarus autem egressus in publicum, magnam tibi in plebe reuerentiam maturitatis exhibet. Ita viue, vt tuo exemplo ædificentur multi. In medio seniorum pauca loquaris: quia loquacitas sæpe reprehenditur: vbi taciturnitas laudatur. Enimuero inter senes iuuenem audire decet, non loqui. Non appetas in sacerdotum collegio videri sapiens, ne coram eis velut insipiens confundaris. Non sis verbosus & arrogans: responde cum humilitate & beneuolentia interrogatus: & ne fueris more rabularum, dum loqueris, in voce clamosus. Risum excussum non diligas: & ab omni leuitate inhonesta te semper & vbiq; conserues. Inutiles sermones & vana verba deuita: sciens de omni verbo otioso, quod loquutus fueris, Deo te rationem fore redditurum. Sit sermo tuus moderatus & parcus: longè desit omne mendacium: & ne frustra fiat iuramentum. Noli tabernas cum rusticis ingredi: quia id tuæ non

Sacerdos non debet familia-

Vis esse subditis. Dist. 44. c. non oportet c. nulli. c. clerici.

non licet honestati. Valde namq; incongruum est, vt is qui peccatores debet arguere, per suam præsentiam peccatis se patronum velit exhibere. A sanctis enim Patribus ingressus tabernarum sacerdotibus interdicitur, nisi in itinere constituantur. Ignominiosum est sacerdotem Dei cum rusticis tabernam ingredi: & os quod Deo consecratum est, impuris loquutionibus fœdari. Facilè prædicantis sermo contẽnitur: si inter rusticos familiariter effundatur. Incipient te ex consuetudine familiaritatis cõtemnere, & quasi ex suis vnum æstimare.

Nulla enim reuerentia maioribus impenditur: si inter subditos eorum vita angustetur. Oportet eum qui præsidet quadam reuerentia maturitatis omnes excellere: & nimiam subditorum familiaritatem sapienter declinare. Enimuero auctoritatis præeminentia frangitur, dum subiectorum actibus indiscretè commi-

Detractio

scetur. Nulli detrahas: nec aduersus aliquem scandalum sumas. Turpe est sacerdoti linguã suã detractione polluere: quæ in altari constituta est pro omnibus orare. Neque aurem præbeas detractoribus: quia detractor & libens auditor pari condemnatione digni sunt. Alter enim diabolum portat in lingua, alter in aure.

Discat qui huiusmodi est, non facilè detrahere: cum te viderit inuitum audire. Non sis citatus in lingua: & in consortio detractorum ne steteris: quia omnipotẽti Deo odibiles sunt. Sepi aures tuas spinis, ne audias verba detractorum. Nullum ex ore tuo mendacium prodeat: sermo turpis ex te non procedat: sed esto custos linguæ tuæ: ne offendas in sermone. Non sis acediosus & piger: neque somno & inertiæ deditus: sed in feruore sancti spiritus iugiter accensus. Frugalitatem hospitalitatis non negligas: pauperibus & peregrinis qua potes sedulitate misericorditer occurras: sciens hoc sacerdotis esse proprium, vt curam gerat egenorum. Aurum habeto, non vt seruies, sed vt in eleemosynam pauperum eroges. Laudent te pauperum esurientium viscera: nõ diuitum ructuantium conuiuia. Sit mensa tua cum pauperibus egenis: quia in talibus Christus suscipitur, & curia cœlestis honoratur. Conuiuia diuitum superborum, maximè potentium, deuita: in quibus de animarum salute nihil agitur: de spirituali conuersatione nihil penitus tractatur. Vestitus tuus sit honestus, non pretiosus. In faciendis eleemosynis noli ab hominibus gloriam quærere: sed à solo Deo laudem & mercedem expectare. Esto pater pauperum, & tutor orphanorum. Inconsolatus à te pauper nullus abscedat. Non sis per cursor, neq; rixosus in populo: neminem iniuriosè lædas: sed omnibus quantum præuales benefacito, etiam inimicis. Ne peccatores vnquam lactaueris: sed increpa tanquam auctoritatem à Deo consequutus. Non sis percussor conscientiarum plebis tibi commissæ: neq; verbum Dei indiscretè proferas, sed cum moderamine pietatis. Pœnitentibus esto misericors: & calamum quassatum noli conterere: sciens, quod infirmorum curam susceperis, non fortium. Melius est enim pœnitentem cum pietate ad purgatorium mittere: quam austeritate confessoris desperãtem ad infernum destinare. Horas tuas canonicas cum reuerentia & deuotione constitutis ab Ecclesia temporibus orare non negligas. Horas quoq; beatæ Mariæ semper virginis, Vigilias defunctorum, cum ceteris ex ordine sacerdotali debitis legere nõ omittas. Domus tuæ curam habe cum timore Dei: familiam si habueris, modestiam & honestatem seruare verbo persuade & exemplo. Enimuero sacerdotis opinionem lædit in plebe: quando de domesticis eius malè loquitur populus. Sermo tuus testimonio roboretur scripturarum: quia quicqd præter scripturas sanctas præcipitur, eadem facilitate contẽnitur, qua probatur. Nolo te imitari eos, qui sine eruditione in Ecclesia prædicant: qui fabulas & somniorũ phantasmata crebrò allegant: & mysteria diuinarum scripturarum ignorant. Rabulæ garruliq; sacerdotes, sine ratione loquentes populũ non ædificant: sed vanis sermonibus ac fabulis Æsopianis in admirationẽ sui trahere laborant. Stulta enim & damnabilis abusio est, omissis scripturis & Euangelio populũ Christianũ Æsopi fabulas docere, & gesta cõficta Romanorũ. Nec mireris, si populus imperitus ista libentius audit quàm scripturas: cum hoc legas prædixisse Apostolum. *Erit*, inquit, *tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt: sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus: & à veritate* 2. Tim. 4.

qui-

quidem auditum auertent : ad fabulas autem conuertentur. Hinc Hieronymus ait. *Volucre verba & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est.* Attrita frons interpretatur sæpe quod nescit: & cum aliis suaserit: sibi quoq; vsurpat scientiã quam non habet. Nihil tam facile quam vilem plebeculam & indoctam concionem linguæ volubilitate decipere: quæ quicquid non intelligit, plus admiratur. Tu autem loquere, quæ decent sanam doctrinam : & imperitorum applausum noli quærere, si locum inter doctos cupis inuenire. Curam animarum imprudenter noli concupiscere: nisi prius & te & alios secundum ecclesiasticam sanctionem iustè didiceris gubernare. Magisterium etenim populi multis periculis subiicitur : & quotidianis angustiis tribulatur. Oportet enim rectorem animarum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum: sed hospitalem, benignũ, sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem: vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Oportet eum, qui rector animarum constitutus est, non minus exemplo docere, quam sermone. Accusare quidem auaritiam & latro potest : emendare verò non nisi qui facit, quod decet. Delicatus magister est, qui pleno ventre de ieiunio disputat. Prius ergo vita requirenda est quam doctrina: quia plenius opere docetur, quam sermone. Excellentissimum namq; docendi genus est, demonstratio exempli. Et Dominus quidem Iesus prius fecit, postea docuit: Maxima enim auctoritate in docendo vtitur, cuius sermo attestatione operis comprobatur. Facilè à subditis sermo rectoris percipitur, si morum honestate fulciatur. Qui autem bene docens male viuit, proprii se oris sententia perimit, & à mala institutione subiectos non conuertit. Simul attende, quam periculosa sit cura animarum maximè his temporibus: quando vbiq; abundat iniquitas & charitas multorum refriguit. Dies enim mali sunt, & homines ad iustitiam tardi: totusq; mundus in maligno positus : & rara fides in terra. Inter hæc verbum Dei à populo despicitur : Christianæ religionis institutio negligitur: auctoritas sacerdotalis contemnitur. Vita laicalis multis peccatis & sceleribus obnoxia: pœnitentiæ remedia negligit: dolis & fraudibus intendit : monita sacerdotum contemnit. Et nisi rector animarum populo sibi commisso scelera eorum, & debitas peccatoribus pœnas solicitè annunciauerit, coram Deo etiã sanguinis eorum reus erit. Et post hæc adducet Deus cuncta in iudicium : vbi pastor animarum pro singulis rationem reddere cogitur: & si negligens in hoc mundo extitit, grauius damnatur. Tutius ergo est curam & regimen animarum humiliter fugere, quam arroganter vsurpare. Si enim vnusquisque in illo tremendo iudicio rationem de sua vita reddere vix sufficit : quomodo pro tot millibus sibi commissis respondebit ? O quam bene viuit, qui sibi viuit: Bonum iucundumq; videtur apud homines, Episcopum, Abbatem, Pastorem, vel quemlibet Prælatum, in hoc seculo viuere: sed quam terribilis sit exitus negligentis quis sufficiet cogitare ? Etenim *iudicium durissimum fiet in eos qui præsunt : & potentes potenter tormenta patientur.* Bene transit, qui simpliciter viuit, cui nihil terreni honoris committitur, cui animarum cura nulla cõmendatur. Cura etenim pastoralis nunquam est sine periculo, quamdiu viuitur in hoc mundo. Omnium quoq; periculorum maximum est: cum separata per mortem à corpore anima summo pastori Deo pastor terrenus ad rationem ponenda fuerit præsentandus. Hic iam articulus vltimæ damnationis imminet: vbi ratio villicationis malè dispensatè exigitur, & sanguis ouium multarum de vnius pastoris manu requiritur. Quid tunc pastor imperitus respondere ad obiecta poterit : qui in cura ouium negligens fuit? Obmutescat necesse est : quia quod respondeat, non habet. Si ergo frater ad curam animarum te idoneum existimas: si Ecclesiam Mernicensem regere paras : scito te pro his adducendum in iudicium, & pro vitæ merito gloriam susceperum vel tormentum. Sed crede mihi, securus moritur, qui omissis aliorum curis sibi soli in Dei timore conuersatur. Cui enim multum committitur, etiam multum ab eo exigetur. Sacerdos

H. ep. ad Nepot.

Cura animarum non facile suscipienda.

Exemplo docere optimum. Act. 1.

Pastor reddet rationem pro subditis.

Sap. 6.

dos maximè curam habens animarũ Dei preco est, vt populo volũtatem omnipotẽtis nunciet, & peccãtes in lege Domini per increpationis verba curet. Oportet ergo, vt doctus & constãtissimus sit: ne aut per ignorantiam defluat, aut per inconstantiã odia peruersorũ pertimescat. Turpe est. n. propter metũ populi tacere sermones Dei. Modico vino sacerdoti vtendum est: ne si potationibus vacat opprobrium in populo fiat. Vinolentos enim sacerdotes & Apostolus damnat: & ab accessu altaris vetus lex prohibet. In Agathensi quoq; concilio ita legitur. *Ante omnia à clericis vitetur ebrietas: quæ omniũ vitiorum fomes ac nutrix est. Itaq; eum, quẽ ebriũ fuisse constiterit, vt ordo patitur, aut triginta dierum spacio à communione submoueatur, aut corporali subdatur supplicio.* Luxuriosa enim res est vinum, & cõtumeliosa ebrietas: omnis q; miscetur his, non erit sapiens. Qui absq; vino ardet ardore adolescentiæ, & inflammatur calore sanguinis, & valido est corpore, vinum vt venenum fugiat, ne multiplici incendio suffocatus in cænum luxuriæ cadat.

cap. 41. Dist. 36. c Ante.

Prou. 20.

Stomachus vino æstuans libidinẽ cõcitat, sẽsum hebetat, caput & totum corpus debilitat. Prouerbio quoq; dicitur. *Pinguis venter gignit sensum tenuem.* Cum ergo ad conuiuia sacerdotum vocatus accedis: non obliuiscaris honestatis clericalis: sed modestum & continentem te in omnibus exhibeas: & caue ne aut linguam aut aures habeas prurientes, id est, ne aut ipse detrahas, aut detrahentibus auditum accõmodes. Scito, quia cuncta quæ de aliis loqueris in temetipsum retorquenda sunt: & in his ipsis fortè deprehẽdendus eris, quæ in aliis arguebas. Sed forsitan dices. Referentibus iniuriam facere non possum: quia in vanũ nititur, quisquis omnium obstruere labia meditatur. Quid ergo aliorum detractio ad me? Nunquid ego prohibere homines possum, ne loquantur? Sed quemadmodum superius diximus, ita te coram detractore exhibeas, vt discat nulli detrahere, cum te viderit non libenter quæ loquitur audire. *Cum detractoribus, ait* Salomon, *ne commiscearis: quoniã repente veniet peraditio eorum.* Et ruinã vtriusq; quis nouit? Tam illius videlicet, qui detrahit, quàm eius qui aurem accõmodat detrahenti. Esto moribus & conuersatione maturus: verbis rarus & prouidus: silentio & taciturnitate discretus. In perscrutandis mysteriis scripturarũ sedulus esto: etsi quid dubietatis tibi legenti occurrerit, ad interpretationes seniorũ noueris referendum. Habes in vicino antiquissimæ vrbis Treuerorũ gymnasiũ, in quo copia doctorum est: ad quos in quæstionum ambiguitate poteris habere recursum. Neq; aurũ tibi charius sit, quam scientia: quia sapientię fructus æternus est: vsus verò diuitiarum breuis & momẽtaneus. Nemo sit, qui salutare studiũ prohibeat: non mater, non frater, nõ cognatus, nõ soror: tu fac opus Euangelistæ, disce quod doceas, ne pastor & idolum existas. Vnus es & secundum non habes: cui ergo diuitias thesaurizares? Viue temperate: nuptias, & conuiuia immoderata ne visites: quia & mentem virtutibus exuũt, & bursam nummis vacuam reddunt. Compara tibi de oblatis eleemosynis diuinæ scripturæ codices: quarum assidua lectione doctus, populum commissum dignè possis instruere & temetipsum per contẽplationẽ ad cœlestia eleuare. Ama scientiam scripturarum, & coram Deo & hominibus exaltabit te. Noli consentire voluptatibus carnis: impetum furoris reprime: & mortis ne vnquam obliuiscaris.

Quid coram detractore agendum

Prou. 24.

Treueris copia Doctorum.

CAPVT VII.

QVALIS DEBEAT ESSE SACERDOS IN conuersatione interna.

VONIAM verò non sufficit ministro Christi honestam coram hominibus conuersationem ducere: nisi coram Deo ab omni scelere mũdus studeat apparere: exhortor te vt cor tuum in timore omnipoten-

tentis dirigas: & nullas vnquam contra Deum cogitationes admittas. Oportet enim sacerdotem Dei sanctum esse mente & corpore, & mundum in cogitatione. Hinc Dominus dicit. *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum:* Dominus Deus vester, qui sanctifico vos. Et Petrus archiapostolus dicit. *Vos genus electum, regale sacerdotium: gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumē suum.* Primum in corde tuo locum charitas obtineat: quæ plenitudo legis est, & consummatio prophetarum. Omnium enim virtutum maxima est charitas, quæ in dilectione Dei & proximi consistit.

Leuit. 11.

1. Pet. 2.

Deus autem ex toto corde propter se diligendus est, & proximus propter Deū. Nemo autem veraciter Deum diligit, si in fide proximum odit. Christus enim Deus & homo est. Totum ergo Christum non diligit, qui hominem odit. Nullum opus bonum Deus accipit, nisi quod flamma charitatis in ara cordis accendit. Charitas enim virtutum omnium obtinet principatum. Hanc humilitas sequitur: quæ virtutum custos memoratur. Huius tanta est eminentia virtutis, vt omnis alia cito pereat, nisi humilitatis fundamento roboretur. Dicit enim sanctus Papa Gregorius. *Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi puluerem in ventum portat.* Vnde enim ferre aliquid cernitur, inde grauius cæcatur. Maximum ergo sacerdotis ornamentum charitas est: & pretiosissimum in veste illius margaritū humilitas. Tu quoq; frater has geminas in te virtutes exprime: & fructuosius in Ecclesia Dei prædicator eris. Quicquid dixeris, facile persuadebis auditoribus: si charitatem & humilitatem habeas in corde, sedulóq; demonstres in opere. Locum non habeat in corde tuo maledicta ambitio: quæ adeò mentem, quam semel inuaserit, excæcat: vt Dei salutisq; propriæ obliuionē inducat. Esto Christianus amator hominum: & hostis vitiorum. Serua mandata Dei: & ecclesiasticas sanctiones noli negligere. Honora omnes homines propter Deum: & neminem vnquam duxeris contemnendum. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Sol non occidat super iracundiam tuam. Diuitum adulationes fugito: & peccatores, ne aliquando palpaueris. Abnega temetipsum desideriis tuis: vt discipulus Christi efficiaris. Castiga corpus tuum, iuxta Apostolum, in seruitutem redigens: delicias sperne: castum ama ieiunium. Pius esto in pauperes: esurientem ciba. nudum vesti: infirmum visita: captiuum libera: consolare tristem: sepeli mortuum. Mundum noli diligere: diuitias noli quærere: post vanitatem noli currere. Nemo enim militans Deo negotiis secularibus se implicat. Nemini feceris iniuriam: sed discе patienter ferre illatam exemplo Domini tui, qui pendens in cruce pro persequutoribus suis exorauit, vt non perirent. Pacem cum omnibus hominibus habeas, concordiam & vnanimitatem duntaxat cum deuotis. Non sis superbus & arrogans: non somnolentus & piger: non vinolentus & multum edax: non obloquutor, & temerariè quemquā iudicans. Custodi actus tuus omni hora: & memoria futurorum in cogitatione tua semper versetur. Dicit enim scriptura. *Fili, memorare nouissima tua: & in æternum non peccabis.* Semper itaq; moriturum te cogita: diem iudicii time: inferni tormenta expauesce. Si hæc feceris, omnes tentationes carnis facilè superabis. Sperne voluptates mundi: vt ad supernę felicitatis gaudia valeas introire gaudens. Noli decipere animam tuam: nemo potest hic gaudere cum mundo, & postea regnare cum Christo. *Per multas etenim tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Spretis itaq; præsentibus: omni desiderio ad æterna gaudia festinemus. *Omni custodia serua cor tuum: quoniam ex ipso vita procedit.* Si aliquo delicto præoccupatus fueris, non tardes pœnitentiæ remedia quærere: & per veram contritionem te in confessione expurgare. Contende per angustam viam ad vitam ingredi: hoc est carnis desideria non perficere, mundum odire: spiritu viuere. Ad militandum Deo contra vitia carnis vocatus es: noli ante victoriam quiescere: noli à pugna desistere: quia nemo coronabitur, nisi victor. In hac autem vita non est certa victoria: sed continua pugna. *Qui perseuerauerit vsq; in finē saluus erit.* In fine suo comprobabitur vir. *Militia est vita hominis super terram.* Miles enim summi regis es: non licet tibi agonem illius deserere. Bonus miles regem suum quocunq; ierit sequitur. Vbi ergo est rex tuus?

1. Cor. 9.

Eccli. 7.

Act. 14.

Prou. 4.

Matt. 10.

Iob. 7.

Humilitas virtutum custos.

G. in 3. psal. pœnit.

In

In cœlo. Cur illum non sequeris? Quid facis in terra, si miles es regis supernicœlestis? Quare Dominum tuum non se-
Ioan.12. queris? Ipse enim dicit. *Qui mihi ministrat, me sequatur: & vbi sum ego, illic & minister meus erit. Sequatur*, inquit, non gressibus pedum, sed passibus affectionum. A-
2.Tim.2. postolus quoq; dicit. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, vt ei placeat, cui se probauit.* Sicut ergò, qui militant regi terreno omnibus iussis eius obediũt, & quocunq; mittuntur parati & prompti sunt, nulla se vxoris vel liberorum gratia excusantes: ita militem Christi mandatis eius in omnibus oportet obedire: & in nullo penitus se excusare. Tu ergo, qui coronam immarcessibilem victoriæ expectas, labora, sicut bonus miles Iesu Christi: nulla terrena solicitudinis cura te aggraue: nulla carneæ voluptatis mẽtem illecebra tangat. Nihil enim Christi milite felicius: cui promittuntur regna cœlorum: nihil laborosius, qui quotidie de vita periclitatur: nihil fortius, qui vincit diabolum: nihil imbecillius, qui à carne superatur. Non te domus auocet: non parentela impediat: non caro constringat. Volo te sine solicitudine esse: vt liberè cogites, quæ Dei sunt. Nudus & expeditus ad cœlum vola: quia nudum te mater genuit: nudum terra suscipiet. Ama quod non perdas: contemne quod tenere non præuales: quære quo in æternum feliciter gaudeas. Ita viue: vt mori non timeas. Bona conscientia mortem non metuit: quia per illam se ad æterna cælestis patriæ gaudia venturam esse cognoscit. Habes nunc, amantissime frater, quod à me postulasti: habes aliqualem bonæ conuersationis formulam, cui imprimaris: habes sanctę exhortationis normam, ad quã sedulò possis habere recursum. Feci quod potui: non quantum volui. De reliquo viue secundum Euangelium & constitutiones sanctorum Patrũ: in quibus omnis perfectionis Christianæ forma conspicitur.

Vale memor nostri. Ex Spanhem Kalendis Apr. An. M. CCCC. LXXXVI.

FINIS.

I. TR. de vanitate & miseria.

IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEMENSIS LIBER DE VANITATE ET MISERIA HVMANÆ VITÆ.

Argumenta capitum Libri.

CAPVT I. Exhortatio ad animam peccatoris, ne differat vitæ emendationem.

II. Quod omnia mundana vanitati sint obnoxia.

III. Quod hæc vita sit quædam peregrinatio à patria cælesti.

IV. Qualis sit assumenda vitæ institutio.

V. Quod multa & varia nos à pœnitentiæ fructu retrahant.

VI. De multiplici humanæ conditionis miseria.

VII. Quod in omni statu, sexu, ætate, & conditione sint miseriæ.

VIII. De præsentis vitæ breuitate, & necessitudine mortis.

IX. De mortis amaritudine & iudicii districtione.

X. Quod mortis & iudicii consideratione, mundus, caro, & omnes huius vitæ voluptates contemnendæ sint.

IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEMENSIS DE VANITATE ET MISERIA HVMANÆ VITÆ LIBER.

CAPVT I.

EXHORTATIO AD ANIMAM PECCATORIS, ne differat vitæ emendationem.

CVM nihil sit vita præsens supernæ felicitati comparata, ad quã sedulò suspiramus: non satis admirari sufficio dementiam tuam anima mea: quoniam incolatum tuum, quem fiere prolongatum debueras, veluti patriam delectabiliter portas. Res quidem admiratione dignissima: sed ad insipientiam tibi: quando neglectis æternæ vitæ dapibus huius mundi stercora amplexaris. O te rudem & miseram: quæ paternæ bonitatis oblita, caduca sectaris & vacua, immemor æternorum. Vanum quæris in peregrinatione solatium: quæ cælestè vocaris ad regnum. Sed erras, ô anima mea:

mea: non est in hac vita patria: sed via, per quam itur ad gaudia. Sanctus enim
Heb.13. Apostolus dicit. *Non habemus hîc manentem ciuitatem in terris: sed futuram quærimus in cœlis.* Ciuitas autem cœlestis, nullum admittit nisi amantem. Si amas, quare non festinas? Nescit moram ardor charitatis. In hac vita positi sumus ad negotiandum per sancta exercitia impensas ad vitam æternam: vbi qui defecerit in semine, non gaudebit in messe. Vbi amor: ibi possessio. Ama igitur quod non potes amittere: quære, quod sine fine liceat possidere. Ecce mundus transit & concupiscentia eius: nullumq; reuertendi spacium amplius relinquitur. Nunc itaq; ne cum fluente pereas tibi summopere curandum est: quoniã si mũdum transeuntem amas, currere ad interitum cum ipso paras. Conuertere iam nunc in requiem tuam anima misera: reuertere ad ducem pubertatis tuæ filia desolata: confuge ad creatorem tuum ouis errabunda. Quid est quod in terra inimicorum es? Inueterasti in terra aliena: coinquinata es cum mortuis: deputata es cum descendentibus ad infernum. Quare hoc? Quoniam dereliquisti fontem sapientiæ: recessisti à Deo tuo per inobedientiæ deuia: primam fidem baptismatis irritam fecisti. Nam si in via Dei ambulasses: si carnis passionibus vitiosis restitisses, habitasses vtiq; in pace super terram. Sed disce, vbi sit prudentia, vbi sit virtus, vbi sit intellectus, vt scias simul vbi sit longiturnitas vitæ & victus, vbi sit lumen oculorum & pax. Sed qui cecidit, adiiciat vt resurgat. Quid ergò moraris? Cur necessariam vitæ differs emendam?
Eccli.5. Dicit enim scriptnra. *Non tardes conuerti ad Dominum: nec differas de die in diem*: quoniam qui ad emendatioris vitæ instituta sumenda hodie non est dispositus, cras minùs aptus erit. Cur ergò dubium cras expectat hodierna salus?

Fac bona ne pigeat, lucris inuigila salutaribus: mors cito tibi finis erit. Nunc itaq; anima misera, quid aliud tibi faciendum indicitur, nisi vt lachrymis indulgeas, vitam transactam defleas, reliquum vitæ deinceps corrigas. O misera vitæ humanæ conditio: quæ non dolet quantum se nescit: sed magis tanquam secura gaudet, vnde se nescit. O semper nociua securitas animæ: quæ virtutes negligit, vitia nutrit, salutare pœnitẽtiæ tempus turpiter consumit. Quousq; tandem dormitas anima? quousq; dissimulas? Tota in peccatis consenuisti: & de securitate sanctorum audes confidere? Qui sunt fructus tui arbor infructuosa? quæ opera bona? quæ profecto es stirps digna incendio? Sterilis es: fructus tui sunt pungentes spinæ peccatorum: quæ vtinam ita pungerent, vt compungerent: ita amarescerent, vt euanescerent. O lignum aridum & bonis fructibus vacuum? ad quid etiam terram occupas? Arbor es infructuosa ô anima mea: quam summus paterfamilias Deus in agro suo diu infæcundam sustinuit: stercoribus pinguedinis cœlestis irrigauit, & multis donis gratuitis insigniuit. Caue itaque ne in finem sterilis appareas: ne pœnitendi propositum differas: ne tempus acceptabile perdas. Enimuero iudex omnium, qui te ad pœnitentiam patienter modo tolerat, grauius, si negligas, damnat. Cogita quemadmodum illi possis occurrere, qui rationem totius vitæ tuę venit exigere. Quid in illa die respondebis ô anima: quæ tot peccatis modo es polluta. Quid, inquam, respondebis? Latere non poteris: vbi in conspectum vocaris cuncta scientis. Apparere autem formidabile, nisi bonis: qui in hac vita pro Dei amore mala patienter suscipiunt: qui supernæ felicitatis gaudia diligunt: qui hunc mundum viriliter contemnunt. Ibi aperta sunt omnia: ibi cogitationes cordium patent: ibi latere malorum nulla crimina possunt. Multa ibi peccata subito quasi ex insidiis proruent: quæ modo aut nulla aut parua æstimantur. Felix anima, quæ hũc diem sedula meditatione prẽuenit: quę nunc in carne manens, ad sancta exercitia se conuertit: & domum conscientiæ suæ mundam pro viribus solicitè custodit. Apparere ante conspectum interni iudicis nemo fiducialiter sufficit, qui se mundum ab hoc seculo nequam non custodit. Omnis enim, qui se offendisse Dominum suum & iudicẽ meminit, venire ad eius iudicium pertimescit. Quanto enim se reum nouit in crimine, tanto plus recusat apparere. Frustra tamen fugere à conspectu iudicis nititur, cuius præsentia omnia implentur.

Et reuera tunc malis apparere coram summo iudice erit intolerabile : latere autem nulli possibile. Ait enim sanctus Apostolus. *Omnes stabimus ante tribunal Christi : vt mercedem operis sui vnusquisq; recipiat.* Ibi iustus in magna fiducia stabit coram Domino, probatæ fidei suæ accipiens remunerationem : quippe qui in hac vita peregrinum se mundo exhibuit: qui carnis vitia in carne positus fortiter domuit, & toto mētis desiderio ad cœlestia suspirauit. Qui autem nunc in carne positi hanc vitam vt patriam diligunt: qui mundi vanos honores ambiunt: qui diuitias perituras auide sitiunt : qui se peccatorum cœno immergunt: fracti à sua fiducia stabunt ibi turpiter. O quis sapiens & intelliget hæc ? quis prudens & metuet ista ? vt intelligens futura pericula timeat, timens per solicitudinem euadat ? Quamdiu autem in hac vita mortali viuimus : in via cælestis patriæ sumus: in qua stare nobis per desidiam nunquam conceditur, sed proficisci de virtute in virtutem, quasi ad patriam anhelando præcipitur. In hac via qui non proficit, deficit: qui non currit, retrocedit. Stare autem nullus poterit, quamdiu in hoc mundo viuit. Ire autem nostrum in virtutibus proficere est: retrocedere, in bono opere torpescere, Tunc verò ad patriam nostram cælestem ritè tendimus: cum mandatis Dei & Ecclesiæ catholicæ syncera deuotione obedimus. Quisquis ergò ad cœlestem patriam venire desiderat: nullas in via moras vel solatia distractionis quærat. Minus enim patriam suam amare conuincitur: quisquis pulchritudine exilii delectatur. Ad cælestem itaq; patriam venire non poterit: qui huius mundi voluptates non contemnit. Volentibus igitur in via Dei proficere, primum omnium contemptus voluptatum indicitur : sine quo Christi charitas nunquam acquiritur. Ipse namque dixit. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum sibi: & tollat crucem suam & sequatur me.* Christus Dominus noster, via, veritas, & vita, hæc præcepit, hæc docuit, hæc fecit. Ad vitam æternam Christus via est: sicut ipse dicit. *Ego sum via, veritas & vita : ego sum ostium: quoniam nemo venit ad patrem nisi per me.* Quid aliud quæris ô anima misera : quid amplius requiris? Christus Iesus Dei filius & homo tibi normam viuendi tradidit: qui contemptum mundi verbo docuit, & demonstrauit exemplo. Ecce te summus arbiter Deus ad mundi contemptum vocat: & adhuc dissimulas ? Cur mundum sponte pro Dei amore non deseris : quem mox es relictura per interitum carnis ? Nihil sub sole permanet in potestate hominis: sed omnia tanquam fumus euanescent.

Rom. 14.

Matt. 16.

Ioan. 14. Ioan. 10.

CAPVT II.

QVOD OMNIA MVNDANA VANITATI sint obnoxia.

Eccl. 1.

VANITAS *vanitatum*, dixit concionator ille quondam sapientissimus, *vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Quid omnia ? Quæ vanitas vanitatum? Omnia, quæ tēpore & vicissitudine labūtur & pereunt. Mundus transit & concupiscentia eius: & nos omnes morimur : & quasi aquæ in terram delapsæ amplius non reuertimur. Quicquid ergò corrumpitur, rectè vanitas vanitatum nominatur. Omnia autem quæ in mundo generantur corruptioni obnoxia sunt: & ergò vana sunt omnia, & vanitas vanitatum. In hebræo habetur habal habalim: quod pręter Septuaginta omnes similiter græcè transtulerunt, ἀτμὸν ἀτμῶν: quod nos possumus vaporem fumi & aurani tenuem, quæ citò soluitur appellare. Et quid tam tenue vt homo, qui hodie viuit, & cras non comparet ? Si homo non vanitas, vbi sunt omnes progenitores nostri ? Vbi sunt viri quondam famosi in generationibus suis, qui sibi populos multos

חבל חבלים

Hieron. in c. 1. Eccles.

multos & regna subiecerunt? Vbi est senex annorum Mathusalem? Vbi potentissimus tyrannorum Nemroth? Vbi fortissimus Sampson? Vbi Absalon pulcherrimus? Vbi sapientissimus Salomon? Vbi Cræsus auro ditissimus?

Vbi Alexander magnus domitor orbis? Vbi Plato archiphilosophus? Vbi Homerus poëtarum maximus? vbi reliqua cohors philosophorum? Omnes ante multos annos mortui sunt, & in sua vanitate perierunt. Quid prodest illis nunc omnis antehabita potestas, qd honores, quid diuitiæ, quid volans fama per orbem? Ecce iam in puluere dormiunt: & tanquam non fuerint de memoria hominum perierunt. Vana sunt itaq; omnia, quæ in mundo cernuntur: vanus homo: 2. Cor. 4. vanæ diuitiæ: vani honores. *Quæ enim videntur temporalia sunt: quæ autem non videntur æterna.* Dicit namque sanctus Apostolus. *Vanitati creatura subiecta est, &* Rom. 8. *ingemiscit & parturit: & præstolatur reuelationem filiorum Dei.* Tamdiu omnia vana sunt: donec veniat quod perfectum est. Omnia itaq; vanitati obnoxia sunt, quæ cœli ambitu continentur super terrã. Nihil temporale permanet: nihil terrenum perseuerat: nihil mortale diuturnum. Quid si magnus sis princeps & multis annis viuas in terra? Mortis enim iudicium, etiamsi ad tempus differas, euadere non poteris. Veniet prope vnà dies ex insidiis irruens subito: quæ omnem spem tuam auferat simul & vitam. Hodie princeps, hodie dominus, hodie potens in terra, & cras mortuus, sub terra cadauer putridum absconderis. Ecce imperator heri potens, hodie ad sepulchrum defertur mortuus: & qui auro induebatur & purpura, nudus pœne ad foueam vermibus esca proiicitur. Heri populis imperabat & gentibus: hodie vitam amisit & imperium, nunquam ad illud amplius reuersurus. Heri cum transiret, genua curuabantur omnium: hodie mortuus portatur ad foueam, & capitis operimentum nemo dignatur attingere. Heri ad imperium eius torquebantur homines: hodie mortuus torquetur apud inferos, & non est qui liberet eum. Heri cum loqueretur omnium aures cum silentio intendebant: hodie magna voce clamat in tormentis, & nemo compatitur. Heri tanquam non morituri conuiuiis effluebat regalibus: hodie præ ardore ignium siti æstuat, nec est qui potum sitienti tradat. Heri sedens pro tribunali auro renitens & gemmulis in admirationem sui trahebat populos: hodie vilissimo circumamictus linteo, horrendis scatet vermibus. Heri dulcibus delectabatur melodiis cantantium: hodie constitutus apud inferos ludibrium factus est dæmonum. Heri crassum nitidumque corpus balneis fouebatur temperatissimis: hodie apud inferos pice torquetur & sulphure, sicut scriptum est. *Date ei in tormentis,* Apoc. 18. *quantum in deliciis fuit.* Et iterum. *Potentes*, inquit, *potenter tormenta patientur.* Sap. 6. Quid tunc proderunt miseræ animæ temporis transacti honores, quid diuitiæ, quid potestates? Ibi impii cessauerunt à tumultu: ibi honor terrenæ potestatis contemnitur: ibi diuitiarum magnitudo despicitur. Quid ergò superbis inflata potestas? quid tumes auri cupido insatiabilis? Quicquid honoris vel diuitiarum in mundo possides, cito & forsitan hodie amittes. Cumque ad inferos per Acherontã transieris, nihil omnino tecum ex hoc mundo portabis, nisi hoc solum, quod boni maliue in corpore gesseris. Transit mundus & concupiscentia eius: breuis transit omnis terrena potestas: nec diuturnum aliquid sub sole permanet. Quid si magnus sit homo super terram: quid si potens, si doctus, si fortis, si pulcher, si dives? Omnium vita breuissima est: nec est distinctio personarum vel dignitatum: quicquid mortale moritur. Dicit namq; vir sapiens. *Nemo est qui sem-* Eccl. 9. *per viuat*: & habeat huius rei experientiam. Constitutum est omnibus hominibus semel mori: nec euadere mortem possumus, licet eam per multos annos differamus. Omnia quæ de terra sunt in terram reuertũtur: spiritus carne solutus ad iudicis tribunal rapitur: vbi p morum qualitate præmiatur. Quousq; nunc igitur dormitas ô homo? Quandiu patientiam lõganimitatis Dei dissimulas? Quare vitam tuam in melius non emendas? Ecce moriũtur quotidie ante oculos tuos homines: decedũt repente pueri & senes: cadũt in foueã docti & insipeintes: & tu veluti securus nihil de tua morte cogitas? Ecce mũdus ruit, pereunt homines, ciui-

tates subuertuntur & vrbes: nihil diu permanet in humanis: & adhuc dura mens tua non conteritur? Cito veniet interitus tuus: prope est mors: finis appropinquat.

Quid moraris? Quid expectas? Quid tardas? Quare non agis pœnitentiam miser, dum sanus & fortis es? Ecce mundus transit, & sequeris: decipit & eum diligis: mentitur & confidis. Quid putas fiet tibi? Cum pereunte peris: cum labente laberis: cum decipiente deciperis. Væ amatoribus mundi. Stulti sunt, miseri sunt, infelices sunt. Enimuero, dum tenere mundum cupiunt, cœlum & terram pariter amittunt. Diuitias & honores seculi anxiè quærunt: & peruenire ad cælestia regna confidunt. Sed contrarium est, quod loquitur in Euangelio Dominus. *Nemo potest*, inquit, *duobus dominis seruire*. Qui sunt duo Domini? Deus & mundus. Nam Deum qui diligit, mundum contemnit. Et qui amat mundum, negligit Deum. *Non potestis*, inquit, *Deo seruire & mammonæ*: id est diuitiis. Vita præsens non manet, sed transit: non durat, sed euanescit: non stat, sed perit. Via itaq; est ad patriam: per quam non reuersuri amplius momentis singulis transimus. Insipiens ergò viator est, qui viarũ spectaculis intentus, tam excellentis patriæ obliuiscitur: qui neglectis æternis temporalia & vana sectatur: qui mundũ iam iamq; labentem amplectitur. Nihil enim rebus mundi fugacius: nihil humana vita fragilius: nihil terrena potestate breuius. Beatus itaq; homo, qui mundum nouit contemnere: qui voluptates carnis didicit superare: qui diuitias huius perituri sæculi potest non amare. Omnia enim quæ terrena sunt hominem solum in morte derelinquunt: ita vt qui diues multa possederat, nihil pœnitus secum ferat. Hinc Sapiens clamat dicens. *Quid homini supereſt in omni labore suo, quo laborat sub sole?* Ecce quam multi hodie in mundi istius labore desudant: congregandis diuitiis die noctuq; inuigilãt: erudiunt liberos, in altum cõstruunt ædificia: & in medio opere subita morte pereunt: & nihil pœnitus secum ferunt: sed nudi reuertuntur in terram, vnde sumpti sunt. *Generatio vadit & generatio venit: terra autem in seculum stat.* Aliis morientibus nascuntur alii: & dum generationi succedit generatio, nihil manet stabile in mundo. Quid hac vanius vanitate? terra manet, quæ hominum causa facta est: & ipse homo terræ Dominus in puluerem repente dissoluitur. Non est memoria primis, qui nos præcesserunt: & sicut præterita apud nos abscondit obliuio: sic ea, quæ vel nunc fiunt vel futura sunt, posteritas ignorabit: & cuncta silentio præteribunt, & quasi non fuerint, abscondentur. Vana sunt igitur omnia: & non solum vana, sed & vanitas vanitatum. Vanus est mundus: quoniam eos, quos amatores tolerat, morientes minimè saluat. Vani sunt omnes honores seculi: quia quos magnos coram hominibus faciunt, repente solos & ignobiles in morte derelinquunt. Vanæ diuitiæ: quia possessores suos à morte non liberant, sed de abusu grauius damnant. Vana est omnis potestas terrena: quoniã eos, quos in sublimitate posuit, in puncto deserens ad inferos transmittit. Vana est sanguinis alti nobilitas: quoniam quos glorioſos coram hominibus facit, moriẽtes escam vermibus concedit. Vana est parentelæ ampla familia: quoniam qui nobilitate generis viuus ab aliis secernitur, mortuus bestiis comparatur. Vana est cognatio carnis: quia interrumpere non potest sententiam mortis. Vanum est dulce maritale coniugium: quoniam quos viuos diligit, mortuos confestim derelinquit. Vana est liberorum multis impensis laboriosa educatio: quoniam parentem, quem viuum sequitur, mortuum detestatur. Vanum est quicquid in mundo precioſum cernitur: quoniam cito valde amittitur. Cum ergò vana sint omnia: profecto vanus euanescere desiderat, quisquis vanitatem amat. Hinc nos beatus Iohannes admonet dicens. *Filioli, nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt: quoniam si quis mundum amat: non est charitas patris in eo. Omne enim quod est in mundo, concupiscentia carnis est & concupiscentia oculorum & superbia vitæ.* Fugiendus ergò est mundus, quoniam malè suos amatores remunerat, quos in æternum damnat.

Matt. 6.

Eccl. 3.

Eccl. 1.

1. Ioan. 2.

CAp

CAPVT III.

QVOD HÆC VITA SIT QVÆDAM PEREGRINATIO à patria nostra cœlesti, in qua negotiandum omnibus est.

SANCTVS Apostolus dicit. *Quandiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino* Et beatus Iob ait. *Militia est vita hominis super terram.* Si ergo peregrini sumus, quare ad patriam non festinamus?

Si milites: quare non militamus? Ecce in hac vita positi peregrinos nos esse cognoscimus: & tamen finiri nostrum exilium non oramus: sed patriæ cœlestis obliti, peregrinationis carcerem diligimus. Qui malè militat, finem belli formidat. Sic omnis homo, qui diuitiis & honoribus mũdi effluit, mori pertimescit. Nam, si militiam suam se bene consummasse cognosceret, ad præmiũ festinaret. Quoniam verò multa se commisisse mala meminit, idcirco exire de corpore & apparere summo iudici valde pertimescit. Et quare te miser in occursum saluatoris tui non præparas? Quare non agis pœnitentiam, dum sanus es? Securè moritur, qui bene viuit. Cognosce te peregrinum esse super terram, & talem conuersationem tuam instituas, qualem te inueniri morientem optas. Ad quid sanctum differs propositum de die in diem? Cur hodie non incipis, quod in crastinum proponis? Multos decepit spes vitæ longioris: qa dũ viuere diutius in mundo cupiunt, tempus pœnitẽdi turpiter amittunt. Sępe namq; homo iusto Dei iudicio, dum voluntatem conuersionis procrastinat: morte interceptus & velle & posse pariter amittit. Deus enim omnipotens, qui veniam pœnitenti tribuit, nulli differenti diem crastinum spopondit. Hinc nos admonet scriptura dicens. *Hodie si vocem eius audieritis: nolite obdurare corda vestra.* *Psal. 94.* Semper hodie clamat, hodie nos Deus semper admonet, & crastinum expectamus Veniet dies nostræ vltima mortis: quando pœnitentię tempus prolongari orabimus, nec consequemur. Iam sani & fortes pœnitere negligimus: aduenientę mortis hora magnã vitæ nostræ emendationem promittimus: nec reddere iam deinceps aliquid valemus. Cur iam non facimus: quod tunc nos fecisse volemus? In fine præmia laboris expectanda sunt: non denuo subeũda certamina. Enimuero, sicut diximus, vita præsens nihil aliud quam peregrinatio, & quidam transitus ad patriam est: in qua stare diu non possumus: sed progredi semper necessario debemus. Quælibet hora temporis partem vitę nostræ minuit: & momentis singulis de peregrinatione aliquid abscindit. Qui autem expeditus ire ad patriam supernam desiderat, omnem à se mundi solicitudinem deponat. Via enim cœlestis patriæ angusta est: nõ recipit oneratum diuitiis: tumentem honoribus despicit: lubricum vitiis non admittit. *Facilius est* (inquit Dominus) *camelũ transire per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.* *Matt. 19.* *Inuehitur in auaros.* Idcirco diuitiæ si affluãt, nolite cor apponere: nolite illas auarè possidere: nolite anxiè custodire. *Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas.* *Psal. 36.* Hinc sanctus Apostolus nos admonet dicens. *Habentes victum & tegumentum his cõtenti simus.* *1. Tim. 6.* Qui enim volunt diuites fieri in hoc mundo: frequenter in tentationes cadunt diaboli. Quid vobis aurum & argentum ô diuites mũdi? Quousq; aurũ sititis, & quæritis? Quid facit in cistulis pecunia? Cui thesaurizatis? Vobis an filiis? Non vobis: q nihil diu in hoc mũdo possidetis. Ergo filiis vestris pecuniam quæritis: quos auaritiæ vestræ sectatores constituistis. Quid autem qui liberos non habetis? Cui thesaurizatis? Non vobis sed aliis: non vestris, sed extraneis. In peregrinatione huius vitæ positi amore aliorum pondere diuitiarum onerati inceditis: &

dum locupletare filios quæritis, à via veritatis ſtolidi erratis. Adueniente autem mortis hora, ſolicitudo mundi vſq; adeo vos occupat, vt cogitare aliquid de cæleſtibus non permittat. Breuiſſimum tempus ægritudinis veſtræ in temporalibus diſponendis totum conſumitis: & de ſalute animæ parum cogitatis. Rerum temporaliũ teſtamentum conditis: & animæ vulnera non curatis. Funeris pompam exquiſitè diſponitis: & quo itura ſit anima mox egreſſura non prouidetis. Teſtamentum ſolenniter componitis: & vtrum ad exequutionem perueniat ignoratis. Sæpe enim auarus teſtator teſtamentarios accipit infideles. Nec immeritò. Nam qui ſibi ipſi infidelis extitit, alium fidelem quem exſpectabit? Ecce diues & auarus, qui viuus in eleemoſynã aut nihil aut parum contribuit, moriens teſtamentum condit, pauperibus, monaſteriis, & Eccleſiis donaria multa elargiri præcipit, & plus aliis quam ſibi credit. Teſtatore autem iam mortuo, quid plærunq; ſequatur non ignoramus. Iam teſtamentale ſcriptum familia cognationis intercipit: iam ſe terrena poteſtas cum violentia opponit: nunc manus exequutorum meliora quæq; diripiunt: & facere quod teſtator præcepit contemnũt. Si aureum vel argenteum nummum teſtamentarii infideles antiquum rarumq; apud illum inuenerint: ſi pulchrum codicem vel aliud quodcunq; delectabile conſpexerint, aut latenter auferunt, aut ſi furari nequeunt, fraudulenter & ſubdolè à ſociis emunt. Hoc teſtamentarii boni non faciunt, ſed infideles. Contingit autem auaris fieri fraudem ſæpe poſt obitum: vt qui viuentes facere eleemoſynam noluerant: etiam poſt mortem iuſto Dei iudicio à ſuis negligantur. Putat ſe diues & auarus diu viuere in ſeculo, & dũminui ſumptus in via metuit, & vitam & ſumptus pariter amittit. Ciuem mundi ſe exiſtimat: & ad cæleſtem patriam minimè feſtinat. Sed in puncto rapitur, & cruciandus perpetuò ad inferos deſtinatur. Quid illi tunc proderunt vanæ mundi diuitiæ, quas nunc habet cæleſtis impedimenta viæ? *Aurum & argentum eorũ* (inquit propheta) *non poterit liberare eos in die furoris Domini.* O immunde mũde, quemadmodũ remuneras amatores tuos, quos æternis ignibus transmittis cruciandos. Exaltas plerunq; eos, qui te diligunt: & dum in bonis temporalibus confidunt, repente ad inferos ſine pœnitentia deſcendunt. Omnis potentatus breuis vita: & non eſt ſtabilis in mũdo diuitiarũ poſſeſſio. Breuis eſt enim vita mortalis: breuior terrena poteſtas: in vtraq; proſperitas breuiſſima. Cognoſce igitur cõditionem tuam ô homo: cognoſce vitam: cognoſce interitum. Conditio tua mortalis eſt: vita breuis: certus interitus. Sic viue, vt mori nõ timeas. Bona cõſcientia mortem non metuit: per quam venire ad cæleſtem patriam ſe credit. Si diues & potens es, cogita pauperem & imbecillem te mox eſſe futurum: quoniam qui princeps magnus eſt hodiè, eras putridum cadauer eſſe poteſt. Non te decipiat mũdi vana proſperitas: non ſeducat auri cupiditas: non eleuet breuis in honore poteſtas. Fac bona, dum viuis, ne pigeat: honora Dominũ de tua ſubſtantia: quia poſt mortem non erit amplius in tua poteſtate. Plus aliis, quam tibi noli confidere: & quod poſt mortẽ fieri deſideras, viuus impendas. Stultum eſt aliis in morte diſtribuendum committere, quod tu iam viuus potes ordinare. Non eſt tutum differri bonũ: quod negligi poteſt. Cognoſce te peregrinum in mundo: & plus quã pro viatico neceſſariũ eſt, noli appetere. Operare bonum ad omnes dum potes: labora vt bonus miles Ieſu Chriſti, quia militia tua finietur breui. Quicquid in via huius peregrinationis operatus fueris, in fine recipies. Quodcunq; igitur poteſt manus tua inſtãter operare, qa poſt mortem non eſt operatio, ſed bonorum malorumq; operum remuneratio. Fuge deſideria carnis quæ militant aduerſus animam: fuge acediam: fuge vanitatem. Modicum iam & breuiſſimo tempore laborabis: & pro mercede vitam recipies ſempiternam. Ecce mors properat: diu viuere non poteris: cito morieris. Omnia verò, quæ magno labore per multos annos congregaſti vna hora perditurus es. Nihil tecum feres ex omnibus: non aurũ, non argentum, non honores, nõ poteſtates. Omnia enim, quæ terrena ſunt, te in puncto derelinquẽt: ſola conſcientia cũ ſuis ornamẽtis te ſequetur. Nihil morienti proderunt diuitiæ: nihil ambitio mundi: nihil auctoritas vanitatis: ſed ſola bona opera animam non deſerunt deſolatam.

De fraudibus teſtamentariorũ.

CA-

CAPVT IV.

QVALIS VITÆ SIT ASSVMENDA INSTITVTIO.

PRÆSENTIS vitæ breuitas nos admonet, ne tempus pœnitẽtiæ conceſſum inutiliter expẽdamus. Enimuero meat irreuocabile tempus: & dies, quæ ſine fructu boni operis expenditur, rationi obnoxia cenſetur. Iam enim tempus acceptabile eſt: in quo bonum ſine intermiſſione operari præcipimur: pro quo præmia æterna conſequamur. Nociua eſt & prorſus damnabilis iactura temporis: quando in modico laborantes requiem promereri poſſumus æternam. Omnis itaq; homo ſalutis ſuæ ſtudioſus ſumopere caueat, ne tempus ſibi conceſſum inutiliter perdat. *Tempus bene impendendũ* Nunc enim tempus laborandi eſt: poſt mortem nemo laborare iam poterit, quãdo omnis actio meritoria ceſſabit. Vnuſquiſq; ergò vitæ inſtitutionem ſuo ſtatui conuenientem nunc eligat: in qua tempus acceptabile non amittat. Quicunq; autem propoſitum ſanctæ conuerſationis aſſumere decreuerit: conſilium ſapientis diligenter conſideret dicentis. *Eccli. 2.* *Fili accedens ad ſeruitutem Dei ſta in timore: & præpara animam tuam ad tentationem.* Nemo enim perſeuerare in bono propoſito ſufficit, qui patientiam ſolicitè non cuſtodit. *Eccli. 27.* Vnde & alibi dicit. *Niſi te conſtanter tenueris in timore Dei: cito ſubuertetur domus:* id eſt, conſcientia tua. Scriptum eſt enim de homine: quoniam *nunquam in eodem ſtatu permanet.* *Iob. 14.* Iam emendationis vitæ propoſitum ſpiritu feruente arripit: & poſt modicum iterum tepeſcens in negligentias priſtinas denuò cadit. Iam vſq; ad lachrymas feruet deuotio: & poſt horã torpor frigidus mentẽ totaliter occupat. Quãdo feruor ſpiritus adeſt magna proponimus: quando ſuccedit tentatio, boni propoſiti ſtatim obliuiſcimur. Sed nunq; fuit firmũ emendationis propoſitũ, quod tam facilè potuit amitti. Stultus enim vt luna mutatur: ſed vir ſapiens in ſancto propoſito ſtabilis permanet. Sunt multi qui tpe pacis & tranquillitatis deuotionẽ magnã exhibẽt: ſed mox vt tentatio aliqua oriri cœperit: omnis eorũ deuotio funditus perit. Confitentur Domino, cũ benefecerit eis: cũ autẽ ſuper eos aduerſitas aliqua irruerit, non ſolũ deuotionẽ priſtinã abiiciũt, ſed q; grauius eſt, ad murmurandũ contra Deum inardeſcunt. Et ſunt nonnulli, qui ſub tribulatione aliqua conſtituti per ſedulas orationes ad Deũ cõfugiunt: ſed mox vt tribulationis aura trãſierit, omnis à memoria eorũ deuotio recedit. Et ſunt nonnulli, qui nec proſperis elati, nec depreſſi aduerſis, ſtabiles in timore Dei permanent: qui in ſecundis timorem, in contrariis ſeruant patientiã. Hi ſoli rectè coram Deo ambulant: qui in omnibus gratias agentes, domus conſcientiæ ſuæ in timore ſemper ædificant. De qualibus vir ſapiens dicit. *Beatus homo qui ſemper eſt pauidus: qui autem mentis eſt duræ, corruet in malum.* *Prou. 28.* Quicunq; igitur in ſancta conuerſatione proficere deſiderat: quicunq; venire ad æterna gaudia feſtinat, à timore Domini & cuſtodia ſui nõ recedat. Enimuero ſi timorem & ſolicitudinem ſpiritualis vitæ ad momẽtum abiecerit: ſi torporem mẽti ſuæ admiſerit, in ſancto propoſito non diu permanebit. Nulla enim negligentia adeo parua eſt, quæ non creſcat, ſi eõtemnatur. Oportet itaq; ſalutis propriæ amatorem loricam patientiæ induere: & omnes negligentias (quantum poſſibile eſt homini) cauere: ne dum ſe profeciſſe confidenter exiſtimat, paulatim per incuriam tepeſcat. Cùm autem perſeuerare in eodem ſtatu homo diu nõ valeat: etiam quotidie, ſi lapſus fuerit, reſurgat. *Quotidiè reſurgendum.* Ad boni ſanctiq; propoſiti habitum non poteſt homo pertingere: niſi affectum ſtudeat quotidie renouare. Non multis datum eſt in ſolem irreuerberatis oculis poſſe intuitum figere: ſed his tantum hoc munus à Deo conceditur: quorum conuerſatio per aquilam deſignatur. *Viri perfecti.* Hi ſunt viri ſancti atq; perfecti: qui Deum ſuper omnia diligentes, nihil terrenum ambiũt, nihil carnale cõcupiſcunt. Hi tales mentis ſuæ oculos à radiis veri ſolis nunquam retrahunt, niſi cum neceſſitati corporis condeſcendunt. Obtutus in ſolem verè ſplendiferum dirigunt: quoniam mentis ſuæ oculos ſine intermiſſione ad cœleſtia ſuſtollunt. Nos verò infirmi homunciones paruis auiculis comparan-

randi, qui oculos nostros in solem more aquilæ non possumus defigere: curemus saltem illos frequenter eleuare, vt quotiens visum mentis per aliquam necessitatem corporis à cælestium speculatione reflectimus, totiens ad eorum contemplationem resurgamus. Nemo enim repente fit summus: sed certis gradibus ad sublimia perfectionis ascenditur. Maxima verò spiritualis vitæ difficultas incipientibus obiicitur: quæ à proficientibus paulatim superatur, à perfectis omnino repellitur. Nemo autem proficere vnquam potuit, qui non prius ordine debito incepit. Et multi quidem emendationem prauæ conuersationis incipiunt: qui tamen ad perfectum non attingunt: quoniã peccata, quæ hodie videntur deplangere, cras denuò non verentur perpetrare. Sed debile pœnitendi propositum, quod totiens per nouum infringitur peccatum. Vult surgere piger et non vult: & sæpe dum velle suum differre non metuit, & tempus & posse pariter amittit. Gyrat se in lectulo prauæ consuetudinis: quam infringere dum negligit, sibimetipsi quandam peccandi necessitatem facit. *Omnis enim qui facit peccatum, seruus peccati efficitur.* Enimuero, qui per gratiam Dei stare, si voluisset, ante casum poterat, surgere post ruinam iam facilè non permittitur. Consuetudo namq; peccati lapsum deprimit: quem surgere sine speciali Dei gratia non permittit. O quot hodie inueniuntur peccatores auari, adulteri, fornicatores, immundi, & his similes: qui praua & diuturna consuetudine captiui iugum diaboli proponunt euadere, & tamen de seruitute tyrannica se nequeunt liberare. Dum enim consuetudini malæ non resistitur, quædam necessitas generatur. Oportet autem emendationis vitæ propositum cũ magna fortitudine assumere: quoniã si patientia continua defuerit, voluntas hominis cito vacillabit. Vnusquisque ergo in suo statu proficere cupiens, mentem induat veluti petram durissimam: non vt consiliis sanioribus recalcitret, sed malis suggestionibus forti animo resistat. Securitas enim periculo proxima est.

Qui verè proficiãt. *Joan. 8.* *Consuetudo praua quantum obsit.*

CAPVT V.

QVOD MVLTA ET VARIA NOS A SANCTO proposito retrahant, & à pœnitentiæ fructu impediant.

DENIQVE quantos laqueos, quantas foueas, quantaq; impedimenta pœnitentibus diabolus soleat obiicere, nemo est, qui ad plenum sufficiat cogitare. Mille artibus agit & dolis: vt eum quem perspexerit, pœnitentiæ remedia quærere, à proposito valeat reuocare. Et quidem pro varietate status, sexus, ætatis, & conditionis hominum, diuersis nocendi modis vtitur: & quod per se non potest efficere, per homines malos variis adinuentionibus nititur adimplere. Sæpe autem pœnitentem vsq; ad mortem persequitur: & quem peccatorem in malis viuere tranquillum patitur, conuersum infinitis tribulationibus obruere conatur. Iam contra virum sancti propositi vxorem improbam concitat: iam amicos & cognatos ad iracundiam inflammat: vt eum quem pœnitentem imitari debuerant, velut delirum & insanum persequi & blasphemare non pertimescant. Si verò nec isto modo proficere se posse perspexerit, ad grauiora se conuertit. Caros quondam viros, dilectosq; socios & amicos conuertit in odium: vt qui peccanti olim delectabiliter adhæserant, procul à pœnitente recedant. Manus deinde crudelitatis suæ hostis pœnitentiæ in substãtiam mittit temporalem: domorum viri pœnitentis procurat incendia: honores aufert, diuitias variis modis diripit: animos contra eum iudicum incendit: lites instruit

Sathanæ nequitia cõtra pœnitentes.

instruit, occasiones quærit. Iam potestas terrena innocentem opprimit: res tẽporales quasi malefactoris in fiscum trahit: quetum viuere non concedit. Inter hæc animus viri elongantis se à mundo vehemẽter plerunq; concutitur: se desolatum à Deo suspicatur, & nisi fortitudinem patientiãq; contra omnia quæ aduersari possunt induerit, mox à sancto proposito emendationis vitæ cadit. Quod si fortiter in his omnibus pœnitẽtię pugil amatorq; pugnauerit, certamen grauius vt plurimũ accedit. Enimuero cum diabolus in ablatione tẽporalium rerũ se victũ cõsiderat, vim suam in carnẽ pœnitentis laxat. Varias Deo permittẽte calamitates homini applicat: vt eum à bono ꝓposito per impatientiam auertat. Iam vxor infidelis latenter intromittit adulterũ: iam probra & maledicta in virum profert: nunc rem perire domesticam per illius incuriã clamitat: nunc delirum & fatuum appellat. Quid, inquiens, totam diem otio inerti consumis? Quid tam diu facis in Ecclesia? * Quid tibi & monachis? Quousq; tuam sustinebo hypocrisim? Quid in camera murmuras? Si monachum viuere voluerās: cur monasteriũ nõ intrasti? Heu mihi tantum malum cur accidit? Virum procuratorem rerũ mearum te habere speraueram: & tu non solum domesticã curam negligis: sed & miseram me contemnis. Hinc contra pœnitentẽ insurgũt discordię: hinc odia feminę oriũtur. hinc calamitatis internæ sũma cõtexitur. Nemo credit nisi expertus, quanta inter disparis ꝓpositi coniugatus reperiatur miseria.

Vxoris querela vn marituũ

Semper enim, qui secundum spiritum viuere desiderat, intimos suos aduersarios portat. Quod si omnis quoq; tribulatio extrinseca defuerit: nec sic diabolus q̃escit, sed ad bella interiora se conuertit. Multa & varia pœnitenti suggerit: difficultatem perseuerantiæ proponit: fragilitatem humanæ conditionis subtiliter ostendit. Cõsequenter interna cogitatio dicit. Quousq; hunc pœnitentię rigorem portabo? Si sit iuuenis dicet. Cur ante tẽpus insane te crucias? Num regnum Dei per afflictionem carnis plus quam cæteri obtinebis? Iuuenis es, non diu sufferre poteris istũ pœnitentiæ laborem. Quin potius lætare iuuenis in adolescentia tua: & cum ad senectutẽ peruueneris, tunc pœnitentiæ remedia subibis. Senibus verò dicit. Quare teipsum perimis senex inueterate dierum? Cur ætati non parcis senectutis: & quare infirmum corpusculum indiscretè macerando interficis? Non exigit Deus rapinam in holocaustum. Sed age discretius: rationabile sit obsequium tuum: ne tibi reputetur in peccatum. Deus misericors est: bonã voluntatem tuam pro pœnitentiæ opere acceptabit. Multa deniq; in hunc modum pœnitenti homini diabolus suggerit: multa caro similia opponit: mundus quoq; multa quæ sanctum propositum infringere debeant ostendit. Sed fortis & sapiens omnia ista despicit: omnes suggestiones diaboli cõtemnit: omnes colligationes mundi perseuerantia disrumpit. Nunquam pœnitẽtibus in carne desunt certamina: nunq̃ fugientibus mundum desunt impedimẽta: quoniam qui ab vno non tangitur, ab alio grauius pulsatur. Vnusquisq; crucem suam in semetipso sentit & baiulat: vnusquisq; pondus tentationum suarum portat: quoniam quandiu in hoc mundo viuitur, liber esse à tentationibus nemo permittitur. Et in his omnibus patientia necessaria est: sine qua possidere animam suam nemo potest. Nec intendas suggestionibus inimici ô homo: nõ acquiescas fraudulentis sermonibus carnis, si venire desideras ad gaudia lucis. Dũ iuuenis es & fortis, pœnitẽtiæ remedia nõ negligas: quoniã si fieri senex valeas, penitus ignoras.

Tentationes varię.

Pœnitentia seni & iuueni non respuenda.

Mors senibus in aperto imminet: iuuenibus in insidiis latet. Senex namq; viuere in mũdo diu non potest: & iuuenis cito mori potest. Quod si senex es: nequaq̃ pœnitentiã abhorreas. Curre quãtumcunq; poteris: quoniã diu esse in hac vita non valebis. Quanto plures ætatis annos in mũdo te vixisse intelligis: tanto maioribus inuolutũ culpis criminũ recognoscis. Cur igitur pœnitentiã agere dissimulas: qui te iã prope moriturũ nõ ignoras? Diu ad pœnitentiam misericordia Dei te pertulit: diu emẽdationẽ tuã summus arbiter expectauit: tempus ad satisfaciendum pro peccatis copiosum indulsit. Tu autem secundum duritiam tuam & cor impœnitens longanimitatem patientię Dei despicis: reseruatũ te, vt pœnitere as, non recognoscis: delicta iuuentutis tuæ non dimittis. Tempore iuuentutis sine fructu spiritualis operis vixisti: semel inui-

Dilatio etius periculosa.

inuiſceratum vitium continuaſti, & pœnitentiam, quam agere iuuenis debueras, nec ſenior factus incipere laboras. Vitia adoleſcentiæ tuæ non deſeris: auaritiam, detractionem, temerarium de proximo iudicium non pertimeſcis: & dum agere mala non metuis, ſine pœnitentia ad inferos deſcendis. Ecce mors amputatrix pœnitentiæ iam properat: ecce vitæ tuæ finis appropinquat: & adhuc agere pœnitentiam diſſimulas, donec & vitam & tempus pariter amittas. Quare ô ſenex pœnitentiam de die in diem differre non metuis, qui de craſtino non præſumis. Super mortis foueam quotidie ambulas, & contritionem aſſumere pro peccatis tardas? Iam ſero ingemiſcis, ſed dolenda non deſeris. Dicis enim ſenio grauatus & vitiis. Heu me miſerum, cur dies iuuentutis meæ tam inutiliter expendi? Ad quid emendationis vitæ ſemitas diſtuli? Quare iuuenis & fortis ſanctæ conuerſationis habitum non indui? Putabam infelix aptius pœnitentiæ ſenium: & quod mihi in iuuentute videbatur difficile, in ſenio facile ſperabam eſſe futurũ. Sed decepit me inſipientia mea, & turpiter deceptus ſum. Iam per experientiam didici, quod ſenectus non recipit mores, ſed habet. Quæcunq; iuuenis animus ſemel imbiberit, vſq; in ſepulchrum ſenex retinebit. Agere pœnitentiam iam ſenex volo, ſed nequeo: quia preſſus ſub mala conſuetudine ingemiſco. Quicquid boni præter morem incipio, non valeo perficere: quoniam graue eſt in veteri mente noua cogitare. Virtutum operatio, quæ mihi in iuuentute (ſi voluiſſem) ſatis videbatur facilis, iam ſeni apparet impoſſibilis. Væ mihi: quoniam in me verificatum eſt illud viri ſapientis: *adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.* Senectus enim multis incommodis inuoluitur: à quibus niſi per mortem non liberatur. Igitur, ô iuuenes, quibus ætas eſt apta perferendi labores: diſcite virtutibus & ſanctis operibus inſiſtere: aſſueſcite carnis deſideria ſuperare: quoniam qui ſtudium emendationis vitæ iuuenis negligit, ſenex abhorrebit. Qualis quiſq; ſenex inueniri deſiderat, talis adoleſcẽs viuat. Qui enim in iuuentute ſua bonis moribus inuigilat vſq; ad ſenium facilè bonus perſeuerat. Quicquid.n. in adoleſcẽtia ſeu iuuentute apprehẽditur, fortiꝰ tenetur. Sed in quacunq; ætate ad pœnitentiam ſe homo cõtulerit, in omnibus patientia neceſſaria erit. Multas enim tentationes & aduerſitates experietur ambulans in lege Domini: quas prius neſciuit cum pergeret in ſemita mundi. Accedens itaq; ad ſeruitutem Dei homo cuiuſcunq; ſtatus vel conditionis fuerit: multas tentationes neceſſariò ſuſtinebit: contra quas in timore Domini cũ patiẽtia pugnabit. Enimuero regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud. Qui tentationibus carnis vim inferre negligit, non victor ſed victus abibit & à regno Dei aptus nõ erit. Sed quid multis ago ſermonibus? Non eſt homo iuſtus in terra, qui à tẽtationibus ſit alienus. Dicit enim ſcriptura. *Multæ tribulationes iuſtorũ: & de omnibus his liberabit eos Dominus.* Et alia ſcriptura. *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnũ Dei.* Sed quàm æquanimiter ferendæ ſint à nobis omnes aduerſitates præſentis vitæ, ſanctus Apoſtolus indicat dicens. *Non ſunt cõdignæ paſſiones huius temporis ad ſuperuenturam gloriã, quæ reuelabitur in nobis.* Omne enim quod in terra ſuſtinere poſſumus, breuiſſimi temporis eſt: merces verò noſtris paſſionibus & patientiæ debita in æternum manet. Si quid igitur aduerſi nobis obuenerit: ſi quid tentationis mundanę prauitatis acceſſerit, memores ſemper futuræ retributionis amplectamur patientiam: ſciẽtes hæc omnia diu non eſſe manſura.

Seni difficile pœnitere.

Prou. 22.

Hortatur adoleſcentes.

Pſal. 33.

Act. 14.

Rom. 8.

CAPVT VI.

DE MVLTIPLICI HVMANÆ CONDITIONIS miſeria.

HVMANÆ conditionis multiplices nouimus eſſe miſerias: vt ſi vita præſens eſſet æterna, nõ immeritò à ſapientibus videretur cõtemnenda. Hinc ſanctus Iob ait. *Homo natus de muliere breui viuens tempore: repletur mul-*

Iob. 14.

multis miseriis: & nunquam in eodem statu permanet. Enimuero tota vita hominis super terram miseria est: cui viuere labor, mori periculũ. Quousq; igitur miseriam tuam homo diliges? quousq; exilium tuum in hoc mũdo amabis? Ecce quot malis, quot miseriis, quot tribulationibus te mundus persequtur: & adhuc separari ab eius amore non consentis? Quotidie ad interitum te pertrahit: & fugere à labente dissimulas? Homo peregrinus est super terram: omni hora aliquid de via transeuntis corripitur? & ad finẽ itineris quotidie vrgetur. Sicut mercenarii dies hominis: singulis momentis tẽdit ad vesperam: vbi pro suo labore accipiet mercedẽ. Qui bene, fortiterq; in vinea Domini laborauerit, præmium laboris æternum recipiet. Quid igitur tardamus? Quid tota die otiosi in foro iacemus? Eamus ad vineã Domini: laboremus sicut boni milites Iesu Christi: quoniam si in huius vitæ breuitate per bona opera proficimus, fructus cœlestis patriæ ꝑpetuos recipiemus. *Qui autẽ parcè seminat, parcè & metet.* Quandiu in hac vita viuimus, miseri sumus, & variis tribulatiõib⁹ in mũdo cõcutimur. Nemo liber à miseriis: nemo à tribulationib⁹ alienus: nemo viuit sine tẽtationibus. Et sicut pœna martyrem non facit, sed causa, ita tribulatio nõ meretur, sed patientia. Habẽt in mundo tentationes iusti: habent & peccatores. Sed iustis aduersitas per patientiã in meritum æternæ fœlicitatis vertitur: peccatoribus autẽ & impiis propter impatientiam suã & reprobam vitam in peccatum reputatur. Neminẽ tribulatio facit beatum: sed amor Dei solus & patientia meritũ causant. Nam & peccatores multis vexantur miseriis in hoc mundo, q̃ tamen nudi pelluntur à merito. Cur hoc? Non est timor Dei ante oculos eorum: mala perferunt non amore Domini neq; intuitu cœlestis patriæ, sed necessitate humanæ vitæ. *Multa.n. flagella peccatoris:* sed solos in Dño sperantes misericordia circũdabit. Cũ ergò sine tribulationibus in mundo nemo possit viuere, faciamus de necessitate virtutem, vt mala quę necessario ferimus, ad amorem Dei cõuertamus. Nunq̃ propriæ conditionis miseria nos lateat, nunq̃ de memoria nostra recedat: vt dum illam in prosperitate mundi ad mentem reducimus, omnem elationẽ & vanã securitatẽ caueamus. Deniq; ex ipsa consideratione proprię vilitatis nostræ perpendimus, quid de nobisipsis sentire debeamus. In peccatis cõcipimur & nasci mur: cũ labore & dolore enutrimur, multis & cõtinuis tribulationibus pulsamur. Interea quid sperat homo mortalis? Sola mors finem miseriis dabit. Quid igitur speras ô homo? Miseriæ finem. Mortem ergò cur metuis? Nemo enim, priusquam moriatur, felix erit. Finiri miseriam huius vitæ desideras: & mortis iudicium formidas. O miseria & spiritus afflictio pessima. Viuere nobis miseria est: & mori periculũ. Horremus carcerẽ: & exire formidamus. Quid igitur agemus? Quocunq; nos vertimus, miseriam inuenimus. Ecce qui mũdo seruiunt nõ sunt sine miseria, sed multis tribulationibus & anxietatibus quotidie vexantur. Quo fine? Quo fructu? Qua mercede? Vt in mũdo cõsequantur quod cupiũt. Habet enim & diabolus martyres suos: habet mundus: habent voluptates. Enimuero, qui diabolo in peccatis carnalibus seruiunt, multas perferunt in hoc mundo miserias: quatenus per pœnas tẽporales se transituros nouerint ad æternas. Amatores quoq; huius mundi qui vanos honores ambiunt: qui perituras diuitias quærũt, qui carnis desideria perficiunt, infinitis miseriis, & anxietatibus se quotidie submittũt. Felicitatem huius vitæ sequitur inuidia: & vnusquisq; tanto maiori se periculo subiicit, quãto in potestate sublimius ascẽdit. Necesse est enim, vt quem multi timent, & ipse timeat multos. Deniq; quis diuitum solicitudines & miserias continuas explicare sufficiet? Dicit enim vir sapiens. *Saturitas diuitis non sinit eum dormire.* Vbi diuitiæ, ibi solicitudo. Isti sunt martyres mundi: quibus mors non erit miseriarum exitus, sed æternæ tribulationis introitus. De paruis anxietatibus transeunt ad maximas: de temporalibus pœnis ad æternas: de leuissimis tribulationibus ad horrendas. Impiis enim & peccatoribus mors non affert miseriæ terminum: sed æternæ calamitatis principium. Iusti aũt per accessum mortis ad finẽ perueniunt humanæ tribulationis. Vnde.n. in hoc mundo vitã & miseriam moriendo finiunt: inde sine fine feliciter viuire incipiunt. Quisquis ergò ad ęternæ vitę gaudia venire desiderat: quisquis ad illos supernorum ciuium choros anhelat: martyrẽ se Dei exhibeat,

2. Cor. 9.

Tribulatio alia iusti, alia peccatoris.

Pſal. 31. *

Demon habet suos martyres.

Eccli. 5.

Et mundus.

& mala quæq; huius mundi propter Dei amorem patienter & humiliter sufferat. Melius est per miserias huius vitæ cum patientia ad regna cœlorum ingredi, quam per impatientiam ad inferos transmitti. Quid prodest breuis consolatio mundi: quæ perit instar puncti? Quid diuitię, quid honores, q̃d vana præsumptio vitæ? Væ amatoribus mundi: væ diuitibus auaris & impiis: qui Dei amore contempto carnis voluptatibus pascuntur. Cur temetipsum decipis ô diues mundi amator? Quare animam tuam immortalem p̃ carnis desideria quotidie occidis? Ad quid in multitudine diuitiarum tuarum confidis? Rerum temporalium abũdantia neminem à morte liberat: deliciæ carnales à vermibus neminem defendũt:
Luc. 16. neq; honores mundani à fetoribus sepulchri aliquem præseruabunt. Omnia enim mundana pereunt: & neminem in morte sequuntur. Dives ille, qui purpura indutus quotidie epulabatur splendide, futuræ mortis immemor clamorem pauperis audire noluit: nunc clamat apud inferos, & nemo succurrit. Vbi nunc cellæ variis quondam repletæ liquoribus? Vbi frumentis cumulata granaria? Vbi splendida mensa? Vbi byssus & purpura? Omnia velut vmbra transierunt: & periit cum possessore temporalium rerum possessio. Quid apud inferos diuiti prodesse poterunt amissę in mundo diuitiæ? Quid prosunt honores, quid vxor pulchra, quid amantissima proles? Non purpura quenquam apud inferos defendet à frigore: non byssus ab ardore: non aurum ab egestate. Ibi dilectorum quondam in mundo cessabit affectio: ibi carnis cognatio perit: quia vnusquisq; in suo crimine iudicabitur. Nunc igitur homo recordare transacti temporis: & ex aliorum interitu te quoq; noueris esse mortalem. Vbi sunt progenitores tui? vbi pater, vbi mater, vbi frater vel soror? Vbi sunt iuuenes, cum quibus aliquando pueritiæ ludos habuisti? Vbi viri, vbi mulieres: quorum & tempora nouisti aliquando & mores? Vbi vxor, vbi liberi? Ecce mortui sunt: & periit ex hominibus memoria eorum. Quid iam prosunt illis diuitiæ? quid honores? quid carnis voluptates? Quid inquam prosunt mortuis deliciæ mundi: pro quibus iam recipiunt cruciatus inferni? Aut quid modo paupertas & tribulatio in mundo habita iustis obesse post mortem poterunt: pro quibus æternæ felicitatis gaudia recipiunt? Qui moritur, quid prodest ei quod diu vixerit? Quid si mille annis dies & sanus vixeris super terram? Mortem nulla annorum multitudine (etiamsi differas) euadere potes. Enimuero cum mortis hora aduenerit, omnem vitæ voluptatem tollit. Nihil te vixisse in illa hora æstimabis: nihilipendes omnem vitæ habitæ lætitiam: quippe qui transiturum te metuis ad pœnam. Tunc voles te mundum spreuisse, & dices. Heu me miserum: qui omnem vitam meam in peccatis tam turpiter expendi: qui mundum diligens post vanitates ambulaui: cur hanc horam periculis plenam sanus non timui? Vtinam dies meos in Dei consummassem seruitio: vtinam monachus vixissem in cœnobio: iam securus transirem de mundo. Quid mihi nũc prosunt diuitiæ? Quid iuuant honores? Quid potentia, quid nobilitas, quid vana scientia mundi? Dives eram & potens: aurum & argentum possidebam: nec finis erat substantiæ. Sed quid mihi nunc prosunt hæc omnia? Ecce iam morior: tristemq; pro vitæ meritis sum excepturus sententiam. Aurum, in quo confidebam, quid mihi prodest: cum me liberare non possit de imperio mortis? Væ mihi misero. Pœnitentiam sanus distuli: nunc in lectulo mortis iaceo: cogitare aliquid pro salute animæ iamiamq; migrantis minimè valeo. Nunc pœnitere cupio: sed nequeo. O maledictæ solicitudines mundi: ô vanæ & perituræ diuitiæ: ô carnis semper nociuæ voluptates: quẽadmodum decepistis me miserum. Vitã meam bonam ac Deo gratam esse credideram, si in fide Christiana perseuerarẽ. Sed fides vana sine operibus pietatis. Iam infinita crimina de latibulis suis prosiliunt: iam se ad memoriam multa scelera obiiciunt: de quibus sanus nullam penitus conscientiam habebam. Nunc ergo quid faciam? Ad quẽ confugiam? O quam securus ex hac vita discederem, si in via Domini religiosè & piè ambulassem. Hęc meditare ô homo dum viuis: hæc cogita, dum sanus es & qualis inueniri in mortis hora desideras, talis viuere omni tẽpore non omittas.

CA-

CAPVT VII.

QVOD IN OMNI STATV, SEXV, ÆTATE, ET conditione huius vitæ nunquam desit miseria & tentatio.

Iob.14. HOMO *natus de muliere breui viuens tempore: repletur multis miseriis: & nunquam in eodem statu permanet.* Quis homo? Omnis homo. Quis omnis homo? Miser & vita breuis. Cur miser? Quia corruptioni subiectus: nunquam in eodē statu permanet. Cur breuis vita? Quia cito moritur. Ergò omnis homo miser? Miser planè. Ergo & infantes miseri. Etiam miseri. Quare miseri? Quia homines. Si ergo miseri sunt omnes, qui felices? Nemo in hac vita. Cuiuscunq; status, sexus, conditionis vel ætatis homo fuerit, quandiu in mundo est, miser erit. Mors ergo felices facit? Non facit: sed discernit.

Quid discernit? Inter felicem & miserum. Omnes enim quandiu in mundo viuimus, miseri sumus. Cum verò de hac vita per mortem resoluimur, quasi pisces capti in littore discernimur: quorum alii boni ad vitam æternam omni deinceps miseria carituri perducimur: alii, qui mali sumus, de temporali miseria ad æternam miseriam destinamur. Miseria enim huius vitę duplici modo potest intelligi: vna quæ ex necessitate naturæ omnibus communis indicitur: alia quæ variis casibus generatur. Ex naturæ corruptæ necessitate omnes sumus miseri: omnes vicissitudine temporum vel casuum mutabiles: omnes in carne passibiles: omnes denique mortales. Ex varietate casuum & fortunę non est omnibus æqualis miseria: sed vnusquisq; in suo statu secundum animi sui qualitatē tentationibus aut vincit aut vincitur. Denique pro vitæ merito sæpius in hac peregrinatione miseria homini infligitur: vbi pœna non remuneratur, sed causa. Quicunq; enim pro iustitia in hoc mundo patitur, non miser sed beatus iudicatur. Qui autem pro suis criminibus pœnas vel persecutiones in mundo sustinet, miser & miserabilis est, & longè à beatitudine sanctorum alienus. Miserias verò huius vitæ necessarias pro Dei amore patienti & humili sufferre animo non minima pars iustitiæ est. Omnia enim, quæ nobis ex natura videntur necessaria, fieri possunt per amorem Dei meritoria. Si ergo necessitates & miserias huius vitæ pro Dei amore libenter & humiliter sufferimus, valde iustitiæ appropinquamus. Vt igitur post mortem felices effici mereamur in cœlis: miserias præsentis incolatus patienter toleremus, conuertentes instrumēta necessitudinis in arma pietatis. Quamdiu enim in hac peregrinatione viuimus, necessario miseri sumus. Par quidē omnibus sufferendi necessitas: sed multum dissimilis exitus. Qui necessitatem in virtutem pro Dei amore potest conuertere, miseria huius vitæ per mortem absolutus, æternam felicitatē merebitur obtinere. Qui autem in hac vita positus necessitates & miserias humanæ conditionis impatienter tolerat: qui scelerum facibus accensus contra Deum murmurat: mortuus nō euadit miseriam, sed commutat. Quid commutat? Miseriam. Quam miseriam? Temporalem. Quomodo cōmutat? Paruam in maximam: breuem in ęternā. Qui enim hic in peccatis suis perseuerā miseriam temporalem per mortem terminat, æternam iusto Dei iudicio condemnatus intrat. Et qui in hac vita pro Dei maximo amore tribulationes & aduersitates patienter sustinet, per mortem ab omni miseria liberatus, felix in terra viuentium sine fine regnaturus, miseria caret. Iustis enim à morte felicitatis introitus patet. Nunc ergo, quoniam quidem necessariò in hac vita miseriam variasq; tentationes

Miseria huius vitæ duplex.

nes patimur: ſtudeamus neceſſitatem hanc in virtutem vertere: vt mala quæ ferimus, pro Dei amore patienter & hilari animo toleremus. Nec quiſquã alienum ſe à miſeria huius mundi exiſtimet, quoniam tunc verè quiſq; miſer eſt, cum ſe putat eſſe felicem. Ab infantia vſq; ad ſenium nemo miſeria caret. In omni ætate miſeria eſt: quanquam ſe miſeros eſſe multi non intelligaat. Quicquid mutabilitati ſubiectum generatur & corrumpitur, vanum & miſerum rectè prædicatur. Vnus igitur homo & miſer: vana opera eius: ſed & fruſtra conturbatur. In miſeria & peccatis concipitur & naſcitur: in miſeria & dolore continuis educatur: in miſeria viuit totus & moritur. Deniq; omnis ætas, ſtatus, & cõditio ſuis miſeriis & tentationibus vexatur & vritur. Quis dignè miſerias infantiæ & pueritiæ explicare ſufficiet? Conceptus in vterò matris homo miſer eſt: & morti prius obnoxius, quam viuus procedat in lucem. In peccatis protoparentum concipitur: & ex radice corrupta iræ filius naſcitur. Deniq;, antequam viuere mundo incipiat, morti appropinquat.

Miſeria in omni ætate.

Sed de his alibi dicemus. Nulli penitus deeſt miſeria, qui peregrinantur in hac vita. Habet ſuas miſerias tenera puerorum infantia: habet iuuentus: habet & ſenium. In omni quoq; ſtatu miſeria eſt, & afflictio ſpiritus. Sũmus pontifex Vicarius Chriſti multis in hac vita tentationibus quatitur: & quanto excellentius ſuper omnes ſublimatus cernitur, tanto abundantius miſeria repletur. A ſummo enim principe mortalium vſq; ad agricolæ filium non eſt ſine miſeria homo ſuper terram. Totus enim mundus miſeria & amaritudine plenus eſt. Si religionem intraueris, miſeriam inuenies: ſi permanſeris in ſeculo, miſeriam offendes. Si doctus in omni varietate ſcripturarum euaſeris miſeriam in omnibus inuenies, quoniam *qui apponit ſcientiam, apponit & dolorem.* Si magnus, diues, & potens effulſerit: multa miſeria non carebis. Sed nec humilibus abiectiſq; deeſſe miſeria poterit: qui eo plerunq; infeliciores ſunt, quo ſe miſeros non agnoſcunt. Neceſſaria quoq; generi humano ruſticitas multis eſt ſubiecta miſeriis. Omnis itaq; ſtatus præſentis vitæ multis tentationibus & miſeriis plenus eſt. O vanitas vanitatum: quid te felicem exiſtimas? Diſplicet vnicuiq; ſtatus proprius, & placet alienus. Pauci ſuis limitibus ſunt contenti. Qui duxit in matrimonio vxorem, ſe ligatum ingemiſcit: libertatem recuperare amiſſam deſiderat, vitam monachorũ laudat. Faſtidit quod habet: & concupiſcit, quod non habet. Alius profeſſioni monaſticę aſtrictus, ordinem horret & habitum, intentionem ſuam reuocat ad mundum, propoſitum ſanctæ conuerſationis vituperat, matrimonium magna voce laudat. Sed quid multis vtor? Vnuſquiſq; alterius fortunã æſtimat meliorem. Et hoc vanitas eſt, & afflictio ſpiritus. Habent (crede mihi) omnes ſtatus humani progreſſus miſerias ſuas: & vbi maior putatur eſſe felicitas, ibi miſeria copioſior exuberat. Qui præſunt aliis, fortunam ſubditorum meliorem exiſtimant: qui verò prælatis coguntur eſſe ſubditi, ſe miſeros, & illos credunt eſſe felices. Sed omnes decipimur: qui aliquem ſtatum carere miſeria in mundo arbitramur. Vbiq; in hoc mundo miſeria: vbiq; tentatio eſt. Nemo enim ante mortem verè felix dicendus.

Eccl. 1.

Nec Papa liber à miſeria.

CAPVT VIII.

DE PRÆSENTIS VITÆ BREVITATE ET NEceſſitudine mortis.

HOMO breui viuens tempore, multis ac penè cõtinuis in hac vita miſeriis quatitur: vt per tẽtationes, quas in mũdo ſuſtinet, venire ad ęterna gaudia feſtinet. Dicit enim ſcriptura.

Actor. 14. ptura. *Quoniã per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Tempus vitæ noſtræ ſuper terram breuiſſimum eſt, & multis calamitatibus obnoxium. Qui hodie ſanus viuit & lætus, cras forſitan inter mortuos computabitur. Quid igitur ſuperbis terra & cinis? Cur te non recognoſcis eſſe mortalem? Aut ſi cognoſcis, quare nõ metuis? Diu in hac vita manere non poteris: quippe qui ſingulis horis ad mortẽ curris. Quid vanis tumes honoribus, vermibus mox eſca futurus? Quid te diuitem exiſtimas, quem pauperrimum breui futurum non ignoras? Quid inflaris de ſcientia mundi, qui omnes ſẽſus poſt paululum perditurus es? Quid gloriaris de pulchritudine, qui viliſſimum cadauer & putridum ſtercus poſt modicum eris? O cæca ſemper humanæ cõditionis ſtultitia. Cur te miſerum non recognoſcis ô homo mortalis? Diuitem te & felicem exiſtimas? & quam proxima ſit mors tua minimè pẽſas. In foribus eſt: ad interitũ tuũ iã feſtina properat. Quid de poteſtate terrena præſumis? Omnis enim potẽratus breuis. Epiſcopus es? cito morieris: & alius in locum tuum exurget. Vbi ſunt anteceſſores tui? Vbi proximus ante te? Mortui ſunt: & tu in locum eorum ſurrexiſti.

Manere in cathedra mortalium diu non poteris: ſed eos quos præmiſiſti mox ſequeris. Abbas & prior monachorum es? non diu manebis. Veniet mors, & iam properat: prioratum tuum donabit alteri: te verò ſummo iudici præſentabit diſcutiẽdum. Quid tibi tunc proderit breuis, ſed iam tũc amiſſa poteſtas? Quid epiſcopalis dignitas? quid reuerentia paſtoralis iuuare poterit? Enimuero pro tibi commiſſis ouibus ſummo paſtori Deo tunc præſentandus es: & de omnibus illi rationem redditurus. In illa die cognoſces culpæ paſtoris incumbere: ſi quid minùs vtilitatis paſtor æternus Deus in ouibus ſuis potuerit inuenire. Cui enim multum committitur: multum ab eo requiretur. Quot homines modo ſub cura & regimine tuo recipis: pro tot ouibus in extremo iudicio reſpondebis. Enimuero non ſolum pro anima tua rationem Deo redditurus es: ſed omnium tibi ſubditorũ rector poſitus pro ſingulorum animabus Deo reſpondebis. O ſi illum diem ante oculos mentis tuæ nunc poneres: ô ſi nouiſſima tua prẽuideres: mundum cum vanis honoribus facilè contemneres. Ecce mors properat: ecce finis appropinquat: ecce conſummatio regiminis tui feſtinat. Si ergo ſapis, ſi animæ tuæ periculum metuis: memorare peccata præterita: & recordatio mortis nunquam ab intimis recedat: Dicit enim vir ſapiens. *Memorare nouiſſima tua: & in æternum non peccabis.* Nihil ſic hominem à vanitatibus mundi reuocat: nihil ſic deſideria carnis mortificat, ſicut frequens & intenta meditatio mortis. *Facile contemnit mundum, qui ſemper ſe cogitat moriturum.* Hinc Salomon motus ex conſideratione certiſſimæ mortis ait. *Riſum reputaui errorem, & gaudio dixi. Quid fruſtra deciperis?* Idcirco *melius eſt ire ad domum luctus: quam ad domum conuiuii.* In illa enim homo de fine ſuo redditur ſolicitus: in iſta verò nihil de morte cogitatur. Quid ſi homo multis annis vixerit ſuper terram? Quid ſi dies: ſi potens, ſi nobilis fuerit? Mors auctoritatem terrenæ poteſtatis non metuit: diuitias non attendit: nobilitatem generis non paueſcit. Pari in omnes fertur vindicta: rapere omnes ſine perſonarum acceptione didicit: parcere nulli nouit. Omnes morimur: omnes ad tribunal Chriſti pro meritis diſcutiendi pertrahimur: manere diu in hoc mundo nulli conceditur. Nemo igitur ſemetipſum decipiat: nemo de mundi honoribus præſumat: nemo in multitudine diuitiarum cõfidat. Ad bene moriendum per bonam vitam vnuſquiſque ſe præparet: nemo de longitudine vitæ in in certum ſperet: quoniam quanto quiſq; diutius in mũdo vixerit, tãto minùs ad moriendum voluntarius erit. Quare hoc? Enimuero, dum prolongatur vita, in multis creſcit & culpa. Sæpe enim, qui ad moriendum iuuenis paratus & voluntarius cernitur, ſenex imparatus & longioris vitæ cupidiſſimus inuenitur. Cum vita creſcit appetitus viuendi, & quanto ad mortẽ homo properat, tanto amplius vitam amat. Minus enim mortem iuuenis metuit: quoniam deliquiſſe in paucis ſe cognoſcit. Dum vero ad ſenium ætas hominis extenditur, multis vitiis & peccatis deturpatur, & mortem tanto anxius metuit, quanto ſe in multis deliquiſſe recognoſcit. Prona eſt ad peccatum humana infirmitas: & quæ tempus vitæ ſibi conceſſum in bonis operibus

Eccli. 7.

Hieron. ad Pauli-num.

Eccli. 2.

Eccl. 7.

Paſtor pro ouibus rationem reddet.

debuerat expendere, carnis voluptatibus cernitur vt plurimum indulgere. Vitam prolongari homo sibi expostulat: & dum pœnitentiam de præteritis agere tardat, imparatus mori formidat. Viuere diu miser in mundo desiderat: & quanto diutius in hac vita manere permittitur, tãto minùs emendasse mores inuenitur. Esse senex desiderat, dici recusat. Venire ad senium per multos annos petit: & cum venerit, exire de corpore pertimescit. O miserrima humanæ infirmitatis conditio. Quid frustra deciperis homo mortalis? Quousq; te moriturum non recognoscis? Malè viuis, & idcirco mori pertimescis. Delicta iuuentutis tuæ per pœnitentiam noluisti abstergere: peccatis peccata non timuisti addere: & ideo ante iudicem internum refugis comparere.

Senes rarò vitam emendant.

Sed frustra metuis, frustra pertimescis, euadere mortem non poteris. Tempus ad pœnitendum tibi prorogari expostulas: & quantumcunq; prolongatum acceperis, vitam non emendas. Quid tibi longissima vita proficit, quæ in peccatis tota senescit? Quid multi anni à bonis operibus vacui? O rara in senibus emendatio vitæ. Semper veteribus noua coniungit vitia: semper in deterius proficit: semp ad mortẽ senectus dubia tẽdit. Animum enim, quẽ in adolescentia semel induit, omnibus diebus, quibus conuersatur super terram non dimittit. Valde enim difficilè est assuera relinquere, & in veteri mente noua cogitare.

Quæ iuuenis didicit, senex retinebit. Propositum emendationis vitæ qui differendo negligit, turpiter amittit. Ecce dum sani sumus pœnitẽtiam salutarẽ differimus: emendationem vitæ nostræ de die in diem procrastinamus: & dum viuere diutius in mundo cupimus, mortis hora præoccupati sine pœnitentia ab hac vita discedimus. Emẽdationis propositũ in mẽte quotidie voluimus, eras incipere cogitamus: sed dũ vim nobis contra mala cõsuetudinẽ inferre negligimus, semp in peccatis perseueramus. Nemo. n. surgere de praua consuetudine poterit, nisi qui sibi vim contra desideria carnis facit. Hinc de Pharaone in Exodo dicitur. *Induratum est cor Pharaonis: non vult dimittere populum meũ, nisi in manu forti & brachio extẽto.* Quis per Pharaonem nisi diabolus accipitur: qui peccatores induratos tenere in sua seruitute perhibetur. Ipse enim omnium iniquorum caput, quem in luto praue cõsuetudinis suo imperio semel subdiderit, ad pœnitentię remedia confugere, nisi in manu valida, non permittit. Quæ manus valida? quod brachium extentum? Audi. Manus valida gratiam Dei omnipotentis exprimit: sine cuius auxilio ad pœnitentiã nemo resurgit. Enimuero, qui sua spõte in peccati foueam semel ceciderit: surgere sine speciali gratia Dei non valebit. Stare ante ruinam nemo potest, nisi omnipotentis gratia eum seruando præueniat: surgeré post ruinam nemo potest, nisi misericordis Dei clementia eũ iuuãdo erigat. Quid ergò liberum arbitrium? Quid brachium extentum? Audi. Libertas arbitrii ad omne opus bonũ necessaria est: per quam Dei gratia in nobis operatur & velle & perficere pro bona volũtate. Sicut artifex opus suum per instrumentum aptum operatur & perficit: sic gratia Dei per liberum arbitriũ bonũ opus in hominibus disponit & facit. Et sicut liberum arbitriũ sine gratia Dei nihil proficit: ita gratia Dei ad operandum bonum in nobis nostrũ arbitrium requirit. Hinc sanctus Apostolus scribens Corinthiis dicit. *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Ergo gratia Dei aliquãdo in vacuũ recipitur. Planè in vacuũ. Quomodo hoc? Audi. Quisquis pœnitentiam sanus agere negligit: quisquis bonum operari dum potest spernit, in vacuum Dei gratiam accepit. Idcirco dicitur. *Non dimittet populum meum nisi in manu valida & brachio extento*: id est in gratia Dei & libero hominis arbitrio. Extende brachiũ; gratia Dei in promptu est. Extẽde: ne & gratiam simul & tempus pœnitentiæ amittas. Quid moraris? Quid tardas? Quid fluctuas? Quid vanis cogitationibus ęstuas? Regnũ Dei vim patitur. Quousq; dissimulas? Quousq; Dei gratiam in vacuum recipis? Cur manum validam ad liberationem tui non ponderas? Quare brachium voluntatis tuæ ad gratiam Dei vltro se offerentem non extendis? Quare vocanti Deo non occurris? Quid negligis? Nulla sine labore virtus: nulla contra malam consuetudinem sine maximo sudore certamina. Ad cœleste regnum non venitur per desideria carnis, sed spiritus. Carnis autẽ desideria nemo potest extinguere: nisi qui gratia Dei adiutus vim sibi nouerit inferre. Quam vim? Audi à Dño. *Qui vult*, inqt, *venire post me, abneget semetipsum*

Consuetudo praua ægrè mutatur.

Exo. 7.

Gratia per liberum arbitrium operatur.

2. Cor. 6.

Exo. 7.

Matt. 16.

ipsum sibi, & tollat crucem suam, & sequatur me. Hic latet vis: hic neruus victoriæ consistit. Si victa carne ad regnum cœlorum venire desideras, voluntatem propriam pro Dei amore contemnas. Ambula secundum spiritum: & carnis desideria superabis. Veruntamen in omnibus his crucem tuam ferre quotidie non negligas: si venire post Dominum salubriter optas. Quam crucem? Quotidianæ tentationis. Quo nam modo ferenda est? Per patientiam. Ipse enim Dominus dicit imitatoribus suis. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Et sanctus Apostolus. *Patientia*, inquit, *vobis necessaria est.* Nunc itaq; arbitrii tui extende brachium, si cupis tenebrosam euadere Ægyptum. Quid formidas? Quid hæsitas? Quid dubitas? Quare non hodie incipis pœnitentiam, qui te breui moriturum non ignoras? Ecce iam properat amputatrix pœnitentiæ mors: quæ & vitam tuam & diu dilatum pœnitendi propositum pariter extinguet. *Luc. 21.* *Heb. 10.*

CAPVT IX.

DE MORTIS AMARITVDINE ET IVDICII districtione.

OMNIVM terribilium terribilissimum est mors: quæ cum maximis doloribus animam rapit de corpore: quæ in puluerem carnem redigit: & spiritum pro meritis iudicandum ad tribunal Dei transmittit. Mors quidē omnibus certa: sed solis peccatoribus metuēda. Iustus enim quacūq; morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Non sic impii non sic, quibus mors vitæ præsentis dat terminum, & æternæ calamitatis initium. Væ peccatoribus obduratis: quia dum pœnitentiam agere negligunt, ad inferos cruciandi sine fine descendunt. Quid iam constitutis in tormentis gehennæ terrenæ prosunt diuitiæ? Quid breui tempore in mundo habiti honores? Quid spurcissimæ carnis voluptates? Quid gloria mundi? quid regni maiestas? Transierunt omnia, & sicut fumus euanuerunt. Iacent in tormentis miseri, inæternum sine fine cruciandi. Vbi sunt voluptates carnis, quas amauerunt? Vbi spes vitæ longioris? Vbi per tot annos dilatum pœnitendi propositum? Voluptas in pœnam sine fine duraturam mutata est: spes in confusionem: voluntas in opprobrium. Iam quasi nihil confessio periit à mortuo: pœnitentiæ propositum euanuit: operandi tempus exspirauit. Beatus homo, qui semper est pauidus: qui mortis amaritudinem quotidie præueniendo cogitat: qui se per pœnitentiam in occursum Dei parat. Nihil enim sic mentem ad compunctionem incitat: nihil sic desideria carnis mortificat: nihil sic pœnitentiam accelerat, sicut frequens & intenta meditatio mortis. Sic Ezechias rex Iuda, nuncio mortis accepto, conuersus ad parietem fleuit: & dilationem vitæ lachrymis impetrauit. Sic Niniuitæ audita comminatione dominica de vrbis subuersione timuerunt: compunctiq; salubriter in cilicio & puluere pœnitentiam agere festinarunt: & veniam à Domino cum salute ciuitatis acceperunt. Sic Achab rex Israel accepta sententia mortis dimisso capite in terram humiliatus est: qui prius elatus & superbus Heliæ sermones contemserat. Nemo adeò ferus & superbus est: qui non mansuescat ad intentā memoriam mortis. Idcirco memor esto semper exitus tui: & nō obliuiscaris extremi iudicii, si vanas cupis peruincere libidines mundi. Enimuero, qui mortem sibi è vicino imminere cogitat, nihil in mundo caducum amat. Memoria siquidem mortis sedula mundum despicit: carnis incendia spernit: diuitias contemnit. Facilè namq; animus ad contemptum terrenorum inducitur, si de vicina morte solicitè meditetur. Deniq; si pericula mortis diligenter attendimus, mirum, si à lachrymis contineamus. Tanto enim acrius in perniciem nostram diabolus in mortis hora perstrepit: quanto posthac omnem vincendi materiam intercipi cognoscit. *4. Reg. 20.* *Ionæ. 3.* *3. Reg. 21.*

Scit enim inuidus humanę salutis persequutor præmium à fine laboris dependere: & ideo conatur in mortis articulo fortius obsistere, ne homo in sancto proposito possit permanere. Et ideo multos inter sanctos mortem valde timuisse legimus: eo quod salutis summam in fine consistere non dubitarent. Quid nos miseri peccatores in illa hora sumus facturi, vbi tremunt sancti & perfecti? Quid facient tabulæ, vbi magnæ domus quassantur columnæ? Si mortem iustus metuit: impius & peccator quomodo stabunt? Væ nobis. Pœnitentiæ tempus malè expendimus: & tanquam securi ad mortem properamus? Decipitur, qui mortem sine pœnitentia præstolatur. Qui malè viuit: nunquam sine pœnitentia bene moritur? Pendente in cruce Domino salutis insidiator affuisse legitur: & qui nullum in eo peccatum vnquam inuenire potuit, suum quæsiturus in morte aliquid accessit. Quis modo non timeat, si callidi hostis versutiam pensat? Morienti quondam sanctissimo præsuli Turonorum Martino diabolus affuit, & suum in eo aliquid quæsiuit. Cui sanctus. Quid hic stas cruenta bestia? Quem expectas? Discede: nihil in me funeste reperies. Ad hæc diabolus indignans respondisse fertur. Morienti filio Dei in cruce affui, & tibi appropiare non debeo? Nemo vnquam mortuus est: cui morienti non fuerim præsens. Hinc sancti viri cum de omnibus semper diuina iudicia pertimescant, tunc tamen vehementer metuunt, cum ad soluendum humanæ conditionis debitum adueniente districto iudice propinquare se cernunt: & fit tanto timor acrior, quanto & retributio æterna vicinior. Quid nos miseri vermiculi agere morituri poterimus: qui sanctorum merita non habemus? Timeamus ergo mortem nobis certissimò venturam: ne paueamus præsentem. Nihil enim morte certius: nihil in humanis durius: nihil horribilius. Et cum de ventura morte omnes simus certissimi: nescimus tamen qua hora veniat: vel in quo statu nos prosternat. Hinc in Euangelio Dominus nos admonet dicens. *Vigilate: quia nescitis diem neq; horam.* Et inducens super hoc similitudinem ait. *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptiis: vt cum venerit & pulsauerit, confestim aperiant ei. Beatus ille seruus: quem cum venerit Dominus eius & pulsauerit ad ianuam, inuenerit vigilantem.* Quis Dominus? Iudex æternus Iesus Christus. Quis seruus? Homo Christianus. Quando venit Dominus? Dum moritur Christianus. Quando pulsat? Cum per ægritudinem quempiam ad mortem vocat. Quis est qui veniente Domino vigilat? Qui domum conscientiæ suæ in amore & timore Dei mũdam seruat. Quæ est ianua? Conscientia. Quando pulsanti aperit seruus? Cum per bona opera ad mortem est paratus. Qua mercede seruus vigilans & aperiẽs Domino remuneratur? Super omnia bona constituitur. Quo fine? Vt cum omnibus sanctis feliciter gaudeat sine fine. Quis hoc promittit? Saluator mundi, qui vigilare nos præcipit. Quo loco? In sancto Euangelio. Quis bene vigilat? Qui se moriturum intenta cogitatione ab omni macula vitiorum purgat. Quis est modus se expurgandi? Amor & exercitium pœnitendi. *In multis enim offendimus omnes*: Et nisi per pœnitentiam nos quotidie reformemus, malè dispositi ad mortem tendimus. Væ mihi: qui vigiliam meam malè custodiui. Quid nunc deinceps faciam? Audi dominum te vocantem, & vsq; in alteram vigiliam expectantem. Neglexisti primam: obserua vel secundam. Quæ est prima vigilia? Pueritia: Quid si hanc neglexerit seruus? Ad secundam vigilet præparatus. Quæ est secunda vigilia? Adolescentia vel iuuentus. Quid si & istam neglexerit seruus? Tertiam obseruet solicitus. Quæ est tertia? Senectus. Quid si & istam neglexerit homo? Inter virgines & fatuas computabitur. Quas fatuas? Illas nimirum, quæ inerti otio languentes, sponso cælesti extinctis lampadibus occurrerunt. Enimuero peccatores, qui in summo carnaliũ voluptatum dormiunt, Domino se præparare in occursum per sancta exercitia contemnunt: & ideo per mortem compulsi extinctis lampadibus ad inferos descendunt. Quibus & introitum regni cœlorum petentibus à Domino dicitur. *Amen dico vobis, nescio vos.* Vigilemus itaq; fratres, dum prodest: præparemus nos in occursum domini antequam veniat: ne cum fatuis virginibus à regno nos excludat. *Sint lumbi nostri præcincti*

Sancti timuere mortem.

* lutis insidiator affuisse legitur: & qui nullum in eo peccatum vnquam inuenire

* quondam sanctissimo præsuli Turonorum Martino diabolus affuit, & suum in

Sulpit. in eius vita.

Dæmonem etiã sanctos in morte tẽtat.

Matt. 25

Luc. 22.

Iac. 2.

Matt. 25.

Luc. 12.

cincti & lucernæ ardentes: quatenus carnem restringamus à voluptatibus: & intus coram Deo, foriſq; coram hominibus reluceamus operibus. Fidelis ſerui vigilantis paradigma ſedulo reuocemus ad memoriam: & vigiliam noſtram quotidie ſolicitè obſeruemus. Seruus Domini fidelis ſtans ſuper cuſtodiam ſuam de aduentu illius ſedulò cogitat: ſeq; per lucernam ſanctæ operationis in occurſum eius parat: & omni hora, donec veniat, ad ianuam expectat. Omnem aliam ſolicitudinem à ſe procul abiicit: ſuę tantũ vigiliæ ſollerter intendit: vanos puerorum circa ſe ludos forti animo cõtẽnit. Quod ſi interea, dũ exſpectat vel modicè victus ſopore inclinans ad parietem dormierit: continuò imaginando Domini aduentũ, excuſſo fortiter ſomno, ad vigiliam reſurgit: ne forte pulſauerit Dominus vel leniter pertimeſcit. Moram autem faciente Dño, nequaquam ſeruus fidelis & prudẽs cuſtodiã ſuam negligit: à bono exercitio minimè deſiſtit: ſed quanto ille diutius venire tardauerit, tanto amplius vigil bonus pertimeſcit. Cumq; tandem poſt longam moram Dominũ ſuum venire procul aſpexerit: neqd ingrediens domum, quod eum offendere poſſit inueniat, valde pertimeſcit: confidentiam tamen boni cuſtodis non amittit. Venienti autẽ Domino cum hilaritate occurrit: & nihilomius aduentum eius metuit, quem ſe offendiſſe non cognoſcit. Vnde vir ſapiens. *Neſcit homo, vtrum amore vel odio dignus ſit: ſed omnia in futurum ſeruantur incerta.* Seruus tamen fidelis pulſanti Domino per mortem occurrere paratus, quanquam ſe inutilem nouerit, nequaq̃ de clementia Domini diffidit: ſed inter ſpem metumq; poſitus ſe miſericordiæ illius fiducialiter committit. Scriptum eſt enim. *Sperat iuſtus in morte ſua.* Et licet vnuſquiſq; plus timere in ſua vita debeat quam confidere: tamen cum hora mortis aduenerit, maior de miſericordia Dei fiducia aſſumenda eſt: ne forte per nimiam puſillanimitatem à diabolo circumuentus homo in baratrum deſperationis præcipitetur. Multis enim & variis modis humanæ ſalutis inimicus diabolus morientibus parat inſidias: & tunc acriore ſæuit inuidia, quando pro æterno triumpho vltima geritur pugna. Sed mortem fruſtra timemus, quam euadere non poſſumus. Hinc vir ſapiens admonet dicens. *Noli metuere iudicium mortis.* Ac ſi patenter dicat. Noli timere quod non potes euadere: neq; periculum timendo augeas, ne in deſperationem cadas. Quid enim? Ergo mors non eſt timenda? Malis & reprobis timenda eſt: quibus aditum facit ad infernum. Bonis autem & fidelibus ita timenda eſt, quatenus à peccato cohibeat, non vt conſtantiam frangat. Omnibus tamen bona & vtilis eſt diſcreta meditatio mortis: cuius memoria bonos & iuſtos in ſancto propoſito conſeruat: impioſq; & peccatores ad pœnitentiam reuocat. Sanctis enim & iuſtis mors ad vitam æternam aditus eſt: beato dicente Apoſtolo. *Mihi viuere Chriſtus eſt: & mori lucrũ.* Quare lucrũ? Quia trãſitus mihi per mortem paratur ad gaudium: per quam de labore vado ad requiem: de abiectione ad gloriam: de paupertate ad diuitias incomparabiles: de timore ad ſecuritatem: de mundo ad cœlum: de morte ad vitam æternam.

Quis dicatur rectè vigilare.

Eccli. 9.

Pro. 14.

Eccli. 41.

Phil. 1.

Sed hæc confidentia ſolis cõuenit perfectis: quibus mundus iſte crucifixus eſt, & ipſi mundo. Infelix ego Tritemius, quis me liberabit de corpore mortis huius. Tædium præſentis vitæ ſuſtineo: & mori pertimeſco. Cupio diſſolui & eſſe cũ Chriſto: ſed apparere ante internum iudicem timeo: quem multis peccatis me offendiſſe recognoſco. Incolatum meum ægrè tolero: in quo me nõ profeciſſe cerno: & ideo cum ſancto Apoſtolo ingemiſco. Ait enim. *Scio,* quia *non habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonũ. Nam velle adiacet mihi: perficere autem non inuenio. Non enim quod volo bonũ hoc facio: ſed quod nolo malum.* Si hoc de ſe ſanctus Apoſtolus dicere potuit, quid nos miſeri faciemus? Væ nobis: quibus interdum nec velle adiacet, nec perficere. O ſi diſtrictũ interni iudicis examẽ nunq̃ ab oculis mẽtis noſtrę fugeret: ô ſi nouiſſimorũ memoria nunq̃ à noſtris cogitationibus recederet: mũdus facilè nobis vileſceret: & pœnitentię amaritudo placeret. Quam diſtrictè omnipotens Deus peccata hominum iudicet, multorum exemplis demonſtratur. Nullũ enim peccatũ adeò paruũ eſt, pro quo non ſit pœna deputanda grauis, ſi in hac vita per pœnitentiã nõ fuerit expurgatũ. Quid de ſanctis Dei legatur Seuerino Coloniẽſi archiepiſcopo, & Paſcaſio Romanę Eccleſię diacono ſedulo cogitemus: qui ambo

Rom. 7.

mira-

Sancti in Purgatorio cruciati.

miraculis coruscantes, post mortem in pœnis purgatorii visi sunt: alter, quod reipublicæ negotiis occupatus negligentius aliquando persoluisset horas canonicas: alter quod in electione Symmachi Papæ ab aliorum voluntate (quamuis bono zelo) dissensisset. Quid nos miseri facturi sumus, si purgatorii pœnas viri sanctissimi & miraculis clari euadere non potuerunt? Quid, inquam, faciemus nos iniusti, si in pœnis purgatorii post mortem cruciantur sancti? Quemadmodum euadere pœnas impius poterit, si sanctus non potuit? Timeamus ergo fratres: timendo caueamus, ne per negligentiam incidamus. Agamus pœnitentiam omni tempore: quia in hac vita solum pœnitentia fructuosa est: quando possumus non solum pœnas euadere, sed & gloriam promereri.

CAPVT X.

QVOD MORTIS ET IVDICII CONSIDERATIONE mundus, caro, & omnes voluptates huius vitæ contemnendæ sunt.

Eccli. 28. ADMONET nos diuina scriptura dicens. *In omnibus memẽto nouissimorum tuorum.* Et ad gentem peccatricem Moyses *Deut. 32.* ait. *Gens absq; consilio est & sine prudentia: vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent.* Quæ nouissima? Illa videlicet, quæ vitam sequuntur præsentem. Quæ sunt illa? Iudicium & mors. Enimuero, quã vtilis sit homini memoria mortis, vir sapiens denunciat dicens. *Fili, memorare nouissima tua: & in æternum non peccabis.* Ecce mors properat: districtum Dei iudicium appropinquat. Quousq; igitur miser dissimulas? Quousq; dormitas? Quamdiu pœnitentiam differes? Viuere diu in hoc mundo non poteris: ad iudicium Dei cito rapieris: vbi tristem pro vitæ negligentia es recepturus sententiam. Nunc igitur, dum viuis & sanus es, age pœnitentiam: emenda in melius vitam: expurga conscientiam. *Quodcunq; potest manus tua facere bonum instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Nunc tempus pœnitentiæ est: nunc dies laboris: in quibus peccata possumus per sancta exercitia redimere: & pro paruis operibus cœleste regnũ obtinere. Mundus transit, & concupiscentia eius: moriuntur homines: & tanquam non fuerint, à memoria nostra rapiuntur. Quid in auro confidis ô diue? Quid de potentia gloriaris? Quare te breui moriturum non cogitas? Pone supercilium, vanam confidentiam proiice, mors honores non metuit, diuitias non attendit, ætatem non discernit. Vna est omnibus, nemini parcit, neminem reueretur. Sicut seruus, ita & dominus: agricolæ principem comparat, sceptra ligonibus æquat. Iudicium omnibus æquum præstat: iustam profert sententiam: nullius accipit personam. Voluntatem hominis non requirit: necessitatem omnibus indicit. Vtrum ad moriendum paratus sit homo, necne non ponderat: rapere illum, pro quo venerit, festinat: verba promittentis quantumlibet magna non considerat. Omnibus diebus, quibus homo viuit super terram ad mortem properat: & quasi clausis oculis cæcus ad foueam festinat. Nulla ætas de morte secura est: nullum tempus tutum: locus nullus sub cœlo immunis. Ætas hominem moriturum non excusat: tempus non liberat: locus non preseruat. Cum ergo in omni ætate, loco & tempore morti simus obnoxii, eam continuè parati expectemus: quos momentis singulis obseruat. Dubius incertus, & varius humanæ conditionis, interitus sedulò nos admonet: quatenus de nostra morte solicitiores nusquam inaniter præsumamns. Dicit enim scriptura.

Eccl. 7.

Eccl. 9.

Beatus

Prou. 28. *Beatus homo qui semper est pauidus: qui autem mentis est duræ: corruet in malum.* Enimuero, qui mortis aduentum metuit, ab omni negligentia, quantum permittit humana fragilitas, se custodit: paratus inuenire omnino concupiscit. Quis est, qui mortem salubriter timet? Qui timendo bene viuit. Mortem impii timent & metuunt: * sed timentes malè viuunt. Nihil prodest metus, vbi non est profectus. Nam diuites huius mundi mortis imperium valde metuunt: quoniam terrenis cupiditatibus implicati discedere ab hoc seculo pertimescunt: quippe qui extra mundum nihil amauerunt. Qui malè sibi conscius est, iudicis aduentum expauescit. Enimuero, qui malè agit, odit lucem: metuens iudicii correptionem. Sed quid prodest? Ad mortem nos vrget necessitas: nec potest obsistere humana voluntas. Post mortem instat iudicium: vbi testis accusabit conscientia, iustitia iudicabit. Ergò dum viuimus in carne mortem prudenter timeamus: timendo nos præparemus, quoniam euadere non possumus. Agamus pœnitentiam de peccatis præteritis: caueamus à futuris: & sic deinceps studeamus viuere, vt mori non timeamus. Bona conscientia semper gaudium habet: quippe quæ spem suam in adiutorio altissimi collocat, cuius mandata humilis obseruat. Sed longè à peccatoribus salus: qui honores terrenos ambiunt, qui auaritiam colunt, qui voluptates carnis omni tempore quærunt. Merito hi tales mortem timent, qui bonæ conscientiæ testimonium nõ habent. Nam, sicut mors bonis est introitus de paupertate ad regnum: ita reprobis aditus est ad infernum. Beatus homo, qui interea semper est pauidus: qui vanitates mundi non diligit: qui perituras diuitias spernit: qui carnis desideria fugit: qui præcepta Dei humili deuotione custodit. Qui talis est, mortem expectat securus: de sola Dei gratia fiduciam habens. Nemo enim sanctus viribus suis: sed Deus omnia operatur in omnibus, qui sua clementia vitam nobis concedat æternam.

FINIS.

10. TRITH. DE ruina ord. man.

IO-

IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEIMENSIS LIBER LVGVBRIS DE STATV ET RVINA MONASTICI ORDINIS.

Argumenta singulorum capitum.

CAPVT I. Deplorat ruinam sui Ordinis, & Abbates hortatur ad reformationem.

II. De primitiuo statu Benedictini Ordinis.

III. De flebili eiusdem statu præsenti.

IV. Agit contra eos qui se ab ordine transferunt, vel dudum etiam cum summi Pontificis facultate in canonicos mutati transtulerunt.

V. Quemadmodum his dimembrationibus monachorum apostatantium occurrendum sit.

VI. Agit contra eos, qui bona monasteriorum inutiliter consumunt, & ordini vel in modico subuenire contemnunt.

VII. Quemadmodum Abbates inobedientes cogendi sint ad subueniendum Ordini.

VIII. De celebrando Capitulo prouinciali.

IX. Quam necessaria sit diligens reformatio in nostra prouincia.

X. Quod Visitatores ad reformationem ordinis debeant esse soliciti.

XI. Quam periculosum sit regimen animarum.

IOAN. TRITH. EPISTOLA.

VENERABILI & amantissimo patri Domino Blasio, Abbati Hirszaugiensis cœnobii frater Ioannes vocatus Abbas in Spanhem, salutem & caritatem. Tametsi vires ingenii mei procul excedat petitio tua fratrumq; tuorum (dilectissime pater) malui tamen arduum subire onus, quàm tuæ caritati propositum non satisfacere. Amor enim Dei, zelus ordinis & feruor disciplinæ dignum te faciunt, vt nihil tibi pro honore Dei postulanti debeam denegare. Rogasti me præsentem verbis, absentem crebris epistolis, & quodammodo compulisti auctoritate præsidentiæ, quatenus de calamitate ordinis nostri aliquid tibi scriberem: quo patres adunandos capitulariter apud te ad compatiendum ei prouocares. Sancta petitio, sed grandis obediendi difficultas. Lacerabor inuidorum dentibus scio: qui me vel præsumptuosum

sum iudicabunt, vel nimium. Sed obturatis auribus probra eorum securus transibo: modo sanctis & eruditis viris placeat onus, quod porto: Nihil me scripsisse memini, quod æmuli iustè valeant lacerare: sed vera, sed manifesta, & quæ oculis pateant omnium. quæ si scribi nolunt, doleant etiam facta. Solus in hac editione lepor non adest dicendi: de quo reprehendi apud religiosos non timeo. Quid enim? Ergò ne veritas despicitur: quia facundiæ ornatu non vestitur? Absit: Melior est enim sermo planus & verus: quam ornatus & falsus: Sed hæc nihil ad propositum. Hoc ergò syntagma examini tuo subiicio: vt si dignum iudicaueris, legatur fratribus: siue autem indignum, oculos fugiat dominorum. Vale. Anno Domini M. CCCC. XCIII. vndecima Kal. Maii.

IOANNIS TRITHEMII LIBER PENTHICVS DE RVINA MONASTICI ORDINIS.

CAPVT I.

CVM ordinis nostri pristinum decorem ad mentem reuoco: eius quam modo patitur deformitati vehementer condoleo: ita vt lacrimas mihi emittere magis libeat, quam penthicum formare sermonem. Quis enim ruinam eius non defleat, si vetustam illius gloriam pensat? O si ad memoriam aliquando reuocemus, huius sacratissimi ordinis aurea quondam secula: quando velut paradisi fluuius doctrina & sanctitate totam per orbem irrigauit ecclesiam: quam nihil sit præsens eius status, facilè perpenderemus. Obseruantia siquidem nostra (quam regularem vocamus) veterum institutis comparata, inuenitur non solum minor, sed in multis quoque remissior.

Thren.4. *Quomodo obscuratum est aurum: immutatus est color optimus?* Splendor sanctitatis eximiæ, rutilans olim, terrenorum cupiditate obfuscatus est: cessit honestatis norma illecebris voluptatum. Ideirco producant oculi mei lacrimas per diem & noctem: & non taceant. Quoniam contritione magna contrita est religio populi mei: plaga pessima vehemẽter. Si egressus fuero ad agros, ecce otiosi & vani: si introiero cœnobia, ecce attenuati voluptatibus. Multos enim professores regulæ Benedicti patris inuenio: paucos ad eius traditionem ambulare cerno. *Multiplicasti*

Isa.9. *ait propheta, domino gentem: non magnificasti lætitiam*: quia dum sancta monachorũ exercitia in multis deficiunt: veram lætitiam, quæ de virtute nascitur, praua corda non admittunt. Vtinam euigilemus vel sero tandem, post tot perditionem animarum: quæ iugo regularis obseruantiæ contempto in abyssum damnationis descenderunt. Vtinam Benedicti legislatoris nostri metuamus sententiam: qui totiens ad rationem Deo reddendam Abbatis duri ferit insaniam. Ad vos nunc igitur (ô reuerendissimi Patres) meus sermo dirigendus est: qui auctoritate Apostolica ordinis capitula celebratis: qui compellendi ad disciplinam rebelles potestatem accipitis: qui ordinis nostri zelum secundum scientiam habetis. Vos itaque alloquor: vobis, vt ordini prope labenti succurratis persuadere iuxta vires conabor: quod vt faciatis, quàm studiosè exhortor. Attendite (ô Patres) religionis nostræ statum miserabilem: & quantum sufficitis calamitati eius succurrite, si eum cupitis in finem perdurare. Non latet vos multorum improbitas: qui vt ordinis disciplinã possint effugere, ab eo se laborant dimembrare. Horum temeritati fortiter obuiandum est: ne paucorum impunita malitia multis audaciam præbeat delinquendi. Et paucorum nequitia semper crescit dilata. Quamuis vnius malo publica fama corrumpi non debeat: tamen vulgus imperitum.

ritum ex paucorum delicto omnes vituperat. Malos igitur, qui sua deformitate famam bonorum obnubilant, superiores qui non puniunt confortant. Ad vos itaque Patres pertinet monachos deformatos pro posse corrigere : vestri officii est ordinem in suo vigore conservare. Et quia stultus sermone non corripitur: quid Hierofantes noster contra incorrigibiles quasi monosticè posuit: generaliter in istos referatur. Exsurgite nunc, Patres, quia tempus est: armate vos zelo disciplinæ regularis: hæreditatem diui Patris Benedicti oro defendite: elatos pellite, rebelles corripite, duros arguite, pro conseruatione nostri ordinis fortiter pugnate. Armate vos armatura Dei & amore ordinis: non tam vestris laboribus, quam Christi auxilio pugnaturi. Illius gratia vobis præstabit auxilium: si in puritate cordis ad eum sedulas preces effundatis.

Cur ergo dissimulatis? Cur partem sancti Benedicti non defenditis? Quamdiu contra ordinem sanctum iniquorum studia prævalebunt? Verè Patres, verè necessitas magna ordinis nostri citatum expostulat remedium. Conuersationes Abbatum & monachorum irregularium intendite: & quam iniquè contra disciplinam ordinis calcitrent ponderate. Præter habitum, & hunc ipsum in multis dissolutum nihil honestatis vel religionis ostendunt. Sed hæc suis deputata locis reseruantes, ad intenta properemus.

CAPVT II.

DE SANCTISSIMO STATV ORDINIS NOstri primitiuo.

EXactvrvs ne sim omnibus rem gratam, si priorem ordinis nostri statum paucis commendem : aliquantulum dubito: quippe qui veterum laudibus monachis nostri temporis parum iudicor detulisse. Sunt enim qui se vel optimos arbitrentur monachos: vel optimis illis, qui nos præcesserunt patribus, audeant comparare. Vtcunq; autem se metiantur, non mihi succenseant, si veterum obseruantiæ nostram non audeam adæquare. Nam si recto lumine vitam eorum contemplemur, optimum è nobis habitum vix bono illius temporis monacho poterimus comparare. Sancta quippe illorum conuersatio virtutibus coruſca, signis approbata, omniumq; eruditione scripturarum illustris gratiam apud Deum promeruit & homines. Audientes enim vocē dominicam, *si quis post me venire vult abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me,* contempto seculo ad cœnobia conuolarunt : subdentesq; colla iugo regulæ, obedientiæ normam humiliter susceperunt, Deum ex toto corde diligentes, nihil in hac vita mundanum quæsierunt : sed caducis omnibus spretis, atq; in camino paupertatis probati, ad cœleste regnum feliciter peruenerunt. Erant viri maturi, zelosi, atq; doctissimi: fide firmi, spe robusti, gemina caritate fulgidi, mente puri, deuotione præcipui omniumq; virtutum honestate decori.

Luc. 9.

Nulla illis cura terrenorum: nulla inerat illecebra voluptatum: sed totis viribus ad Deum conuersi, mundum cum suis vanitatibus deuicerunt. Vnde reges & principes huius seculi, viri deuoti & Deo chari, propter conuersationē monachorum sanctissimam ordinis amatores facti sunt: eumq; donis & largitionibus magnificè exaltarūt. Gaudebant suis tēporibus sancta monachorum studia dilatari: & in extremas mundi regiones cum gloria extendi. Sancti etenim monachi, quāto plus Deum amabant, tanto etiam amplius ab hominibus amabantur. Et quanto minus terrena ambiebant: tanto in necessariis corporis Deo prouidente amplius

plius abundabant. Amantibus enim Deum, omnis mundus diuitiarum est. O quam decora facies iuuentutis tuæ sancta religio Benedicti: quam pulcher aspectus, quam ornata omnium virtutum splendore maiestas. Quis te digne pensiculare sufficeret? Tu viam trium dierum populo Dei de seruitute Pharaonis in deserto liberato exhibes: dum à mũdi tenebris ereptos per tria substantialia religionis vota homines ad desertum cœnobiticæ conuersationis pro Dei amore venire persuades. Beati professores tui, qui de huius seculi Ægypto recedentes, per hanc viam trium dierum ad æternæ promissionis terram totis desideriis anhelant. Hic est sanctæ religionis triplex funiculus, qui facilè non rumpitur: qui obedientiæ, castimoniæ, & paupertatis fulgore decoratur: qui suos amatores ad cœlestem patriam reuocat: qui cultores suos summo imperatori Christo Iesu lætos repræsentat. Nam etsi ad regularẽ obseruantiam multa sint necessaria: ausim tamen dicere, quicunque hæc tria illibata custodierit, vt funiculus triplex securus in ordine consistit. Omnia enim statuta ordinis pro conseruatione istorum substantialium facta sunt. Hoc monachi sancti antiquitus sollerter intuentes, viam hanc trium substantialium studiosissimè obseruabant: per contemptum omnium mundanorum spiritu pauperes, per castitatem mentis & corporis continentes, per humilem subiectionem obedientes: & in omni virtute locupletes. Doctrina & sanctitate clarissimi effulserunt: & tam verbo quam exemplo multos ab iniquitate ad iustitiam conuerterunt.

Tria substantialia vota religiosorum.

Vnde proficientibus meritis ad ecclesiarum gubernacula multi eorum promoti sunt: qui quanto altius positi fuerant, tanto virtutibus innotuerunt clariores. Quæ autem ecclesia sacerdotem non expeteret de ordine Benedicti? Quæ gens nomini Christiano deuota Doctorem non cuperet ex collegio monachorum? Multis enim annis in ordine sancti patris Benedicti, viri in omni doctrina & sanctitate præstantissimi claruerunt: sicut omnes pœne testantur, qui veterum conscripserunt historias. Et reuera (vt absque inuidia loquar) facilè præcellit omnes ordines sancta religio Benedicti, si dignitatem, si latum in orbe dominium, si viros doctrina & sanctitate insignes, si deniq; multitudinem eorum velis attendere. Protulit enim hæc veneranda plantatio summos Pontifices decem & octo, Cardinales plusquam ducentos, Archipræsules mille sexcentos, Episcopos ter mille quingentos. Si quis autem hanc illustrium præsulum summam velut nimiam vocat in dubium: Chronicas & gesta reuoluat veterum, & paucos designatos comperiet ex pluribus. Nemo autem ordinis pristinum decorem metiendum de præsenti existimet: cum nostri ad illum non sit æqua comparatio: quando nostris temporibus monachi, nec scientia scripturarum, nec morum sanctitate (vt olim) claresçunt. Inuenies forsitan etiam nunc deuotos monachos, licet paucos, sed simplices. sed idiotas, sed omni disciplina bonarum artium expertes. Sed ad regimen animarum hoc tempore deuotio non sufficit: si scripturarum scientia desit. Si autem monachi nostri, nec deuoti fuerint, nec eruditi, ad regimen ecclesiarum meritò censentur indigni. Multi denique subiecti bene ambulant: qui si ad gubernationem aliorum fuerint sublimati: nunquam in tranquillitate prioris vitæ subsisterent. Et, vt breuiter dicam, quod sentio: nec monachis ecclesiæ, nec ecclesiis monachi hoc tempore digni sunt. Causa autem prudenti non est abscondita: quæ in lucem post hac suo tempore erit proferenda. Iam si libet præsentem ordinis nostri statum, qualis sit, paucis inquiramus.

***

Excellentia ordinis S. Benedicti.

CAPVT III.

DE ORDINIS NOSTRI FLEBILI STATV præsenti.

DEFECERVNT præ lacrymis oculi mei: conturbata sunt viscera mea: effusum est in terra iecur meum super conditione ordinis mei, cum deficeret in eo paruulus humilis: cum abiectus sine honore manibus pateat inimici. Lugentem me nemo despiciat: dolorē meū nemo incusetː honores non quęro terrenos: dignitates non ambio ecclesiasticas, sed doctrinam & sanctitatem ab ordine meo defeciſſe ingemisco. Quid nobis cum vanis honoribus, qui vitam quæritamus in cœlis? Heu cecidit corona capitis nostri, deuotio monastica tepuit, caritas refriguit, honestas regularis disciplinæ vtplurimum defecit. Vbi est nunc in ordine nostro sacratissimis illa doctissimisq; vitis opulenta quondam deuotio: vbi in omni varietate scripturarum veneranda eruditio: vbi Abbatum erga curam dominici gregis solicitudo? Multa cœnobia secundum regulam sancti Benedicti fundata conspicimus: in quibus præter nomen & habitum nullum regularis disciplinæ vestigium videmus. Super hoc ô Patres lamentum assumite: ruinam sacratissimi ordinis nostri deplorate: si fortè conuerratur Deus ad veniam, & relinquat post se benedictionem. Et vos prævaricatores, qui causa istorum estis fletuum, redite vel serò tandem ad cor: redite, & Benedicti legislatoris vestri indignationem metuite. Attendite desolationem ordinis, quam malo vestro inducitis: timete omnipotentis iram, quam vestris sceleribus prouocatis, Væ nobis. Vrbs religionis nostræ ab inimicis in circuitu nostro destruitur: disciplinæ domus in nihilum redigũtur: & nemo inuenitur qui resistat, nemo qui se murum pro domo Dei opponat. Omnes quæ nostra sunt quærimus: omnes communem necessitatem ordinis dissimulamus, donec & nos paulatim deficiemus. Hæreditas nostra versa est ad alienos: domus nostræ ad extraneos. Cœnobia, quæ ad monachorum habitacula consecrata sunt: iam stabula fiunt clericorum, & militum fortalitia pugnantiũ. O quid dicam? Pudet me effari, quod homines sine conscientia in claustris monachorum non pudet perpetrare: qui secretum religiosorum turbant, domos orationis in habitacula negotiatorum commutant. Compatior tuis calamitatibus, ô Benedicti veneranda religio: te in direptionem omni transeunti expositam ingemisco. Non est, qui consoletur te ex omnibus caris tuis: quia qui tibi possent succurrere, nolunt: qui volunt subuenire tibi, non possunt. O quam pulchra venustate quondam in Ecclesia Dei floruisti: quando viros omni sanctitate & scientia insignes genuisti: & velut iunior fortis & constans omnem à te inhonestam conuersationem solebas depellere. Nunc autem veluti senectute & longa dierum oppressione fatigata defecisti: & virtus iuuentutis tuæ ablata est: eo quod nõ sit amplius in te pulchritudo tua. Vbi est nunc zelus tuus? Vbi est decor vultus tui? vbi honor? vbi lata quondam in orbe vniuerso potestas? Vbi sunt filii tui in circuitu mensæ tuæ, viri eruditi atq; sanctissimi. Vbi est Deo & angelis venerabile studium literarum: cuius feruor te olim super omnes ordines fecit sublimem? Omnia defecerunt: & tu ad nihilum pœnè redacta es: pulchritudinem iuuentutis tuæ amisisti, & fortitudo adolescentiæ tuæ dissipata est. Cui comparabo te, vel cui assimilabo te filia segregata? cui adæquabo te, & consolabor, mater monachorum? Magna est velut mare contritio

rritio tua: quis medebitur tui? O, si hanc quam modo experiris, ruinam cauisses: quam felicē te dicerent omnes nationes. Sed dixisti in abundantia tua: non mouebor in æternum. Inopem te copia fecit: & temporalium abundantia rerum te omni ornatu tuo spoliauit. Filios genuisti, proteruos, inobedientes, sanctis institutis rebelles: qui sub chlamyde honestatis tuæ latentes te omni decore tuo nudauerunt. Heu mater & virgo, inueteraſti in terra aliena, deputata es cum mortuis, non est species decoris tui. Exsurge nunc Benedicte monachorum sacratissime princeps:: & vide ordinem tuum, quem instituisti, & hæreditatem tuam, quam plantasti.

Aspice monachos, tuæ professionis oblitos, terrenis immersos, voluptati deditos, omni scaturigine vitiorum plenos. Tu olim eis optima viuendi præcepta dedisti, tu à secularium negotiorum curis alienos esse præcepisti, tu corda eorum ad solius Dei amorem extendi iussisti. Surge, inquam, ô beatissime Pater, & vide desolationem ordinis tui: quoniam à suis filiis intus confunditur, & foris ab hostibus dissipatur. Contemnunt instituta pietatis tuæ monachi, rapiunt cœnobia ordinis tui homines alieni. Non est, qui honorem nominis tui defendat, non est qui ordinis tui sacratissimi decorem tueatur. Suscitare & tu, ô magne papa Gregori, qui loca monachorum Deo sacrata in vsus secularium transferri sub anathemate prohibuisti, & vide monachos de cœnobiis expulsos, & clericos mundanos intrusos. Tu quondam omnium ecclesiarum princeps maximam honestati monasticæ curam adhibere solebas, ingenti solicitudine cauens, ne quid in ordine sacro contra regulam Benedicti præsumeretur. Intuere nunc monachorum conuersationes, ô reuerendissime Præsul, omni honestate nudas, omni turpitudine plenas.

S. Gregorius vetat cœnobia in vsus secularium transferri 17. q. 4. c. Quæsti. Et 19. q. c. quæ semel.

Vide, quomodo cœnobia ordinis tui Deo dicata in manus traduntur clericorum, & quæ olim angelicis choris poterant comparari modo prostibula fiunt meretricum. Suscitare imperatorum gloriosissime, & Christianæ fidei defensor, inuicte Germanorum decus Karole, & vide monachorum calamitatem, qui ordinem Benedicti patris quondam glorioſum reddidisti, & per vniuersum pœnè mundum tuo studio dilatasti.

Carolus Magnus promouit ordinem S. Benedicti.

Vide nunc quæ olim fundasti cœnobia, omnia in direptionem inimicorum exposita. Qui quondam ordinem monasticum, vt castra Dei, veneratus es, iam velut contemptum, ab omnibus nudatum bonis, ô princeps sancte, compatere. Tu Abbates & monachos olim tepescentes cum ingenti cura ad obseruantiam regularis disciplinæ consueuisti reducere, et iam reformatos ingenti solicitudine ab omni molestia tuorum vel quorumlibet defensare. Exsurge & tu Berno Cluniacensis antistes cœnobii cum successoribus tuis, qui ordinem sanctum collabentem antiquitus magnificè restauraſti: & ad pristinum decorem in toto orbe reduxisti. Surge inquam nunc & vide, quemadmodum, monachorum abundet iniquitas: furor dominetur, exuberet scelus, vniuersos pœnè faciat insanire voluptas. Decor tuæ reformationis ablatus est, disciplina corruit, honestas fugit, zelus sanctæ conuersationis periit, humilitas expirauit. Suscitare Hirsaugiensis cœnobii Abba Wilhelme reuerendissime pater, qui Cluniacensem instaurationem post lapsum in Alemania reformasti, qui monasticæ conuersationi copiosa instituta prouidisti, qui tuis precibus infirmorum artus solidasti, qui nationem Germanicam doctrina & sanctitate velut sydus fulgentissimum illuminasti. Surgite & vos, ô præstantissimi Patres diuersarum reformationum auctores, & videte labores vestros iam perisse, constitutiones neglectas, exhortationes spretas, protestationes solicituidins contemptas. Vos ordinem monasticum vita & doctrina reddidistis glorioſum, Deo dilectum, angelis venerandum, vobis sanctum, hominibus reuerendum. Vbi nunc ista merita?

Berno abbas Cluniacensis ordinis reforma. or

Wilhelmus Hirsaug. Abbas reformator.

Vbi nunc istæ operationes sanctorum? Heu mater veneranda religio: ad quantam calamitatem deueniſti. Qui te olim glorificabant. modo despiciunt: qui honorabant, modo contemnunt. Dereliquisti mandata legislatoris tui, studium scripturarum abiecisti, propterea cōtemptibilis facta es. Filios quos genuisti fecerunt hoc malum tibi.

Mox enim, vt monachi cœperunt terrena sapere, lectiones sacras negligere,

interna postponere: color tuus optimus in fœdum mutatus est. Sed quid? Qui cadit, frequenter apponit resurgere: tu autem semel lapsa, nunquam in toto surrexisti. Quid Cluniacensis, quid Specuensis, quid Italiensis, quid Castellensis, quid Mellicensis, quid nouissimè Burszfeldensis, & si quæ aliæ præter eas reformationes fuerint, quid ad totum ordinem facere potuerunt vniuerso diffusum in orbe? Nam etsi Cluniacensis in omnibus mundi prouinciis lumen suæ honestatis effuderit: tamen multa cœnobia in diuersis regnis in pristina deformitate dereliquit. Ex eo enim tempore, quo religio nostra primo cecidit, nulla vnquam generalis reformatio fuit. O quam facilis descensus Auerni: quam prompta voluntas delinquendi: quam maxima post lapsum resurgendi ad rectitudinem difficultas. O mnes, vt ita dicam, ceciderũt: pauci à deformitate sua surrexerunt, multi in suis voluptatibus computrescunt. Doleo super te, ô flos monastici decoris, doleo, & vehementer quidem: etsi aliter tibi succurrere non valeo, lachrimas & calidas & amarissimas pro tua contritione fundo. Sed & vos, ô colendissimi patres, qui honorem ordinis nostri diligitis: qui contritionem Ioseph nostri mystici doletis: qui ad æternam hæreditatem venire cupitis: attendite statum nostræ religionis, desolationem eius inspicite: de remedio cogitate. Ecce rapiuntur in circuitu de manibus sancti Benedicti opulenta cœnobia: ecce claustra monachorum clericorum fiunt habitacula, & de malis studiis monachi ad pessima transferuntur. Erras, o prudentia mundi: potestas seculi deciperis: nunquam ex malo monacho bonum canonicum poteris instituere. Sed & vos præuaricatores attendite: apostatæ ordinis auscultate. Quæ vos dementia impellit: vt cœnobia quæ non extruxistis sancto Benedicto destruatis? An putatis vos à damnatione liberos, si abiecto monachico schemate, clerici peccetis? Saluabitne vos in districto examine peccandi præsumpta licentia? Forsitan in alieno habitu dæmonibus eritis incogniti? Videbimus si Deus translationem vestram appobet: cum in illo tremendo iudicio transgressionis vestræ rationem reddere fueritis exacti. Timeo autem, ne modo sine ordine viuentes inter eos locum recipiatis, vbi nullus ordo, sed perpetuus horror inhabitat. Nam, quam aliam sit mansionem recepturus de malo monacho canonicus peior effectus, non satis intelligo.

Reformationes ordinis varia.

Queritur cœnobia mutari in Ecclesias clericorum.

O insensati, ac vobisipsis inimici: quis docebit vos fugere à ventura ira? Quis causam vestram iniquam contra sanctum Benedictum in illo tremendo examine defensare vel poterit vel audebit? Quem temeritatis vestræ aduocatum habebitis? Sanctus Benedictus princeps monachorum stabit in testimonium contra vos: accusabit vos, & condemnabit, quis excusabit vos? Non tibi blandiaris voti regularis contemptor inique: conscientiam tuam ne palpes: si Benedictum habueris aduersarium, nullum sanctorum inuenies amicum. Nam qui vnũ cœlestis patriæ ciuium offenderit, omnes offendit. Vbi enim summa & felix tranquillitas, ibi erit & animorum indiuisibilis vnitas. Quis ergò te liberare poterit de manu Domini, si steterint aduersum te omnes sancti?

Vnum sanctũ in cœlo offendens offendit omnes

Inuoca eos, qui te modò decipiunt: qui ordinis à te habitum tollunt, qui te blandis sermonibus abducunt: qui apostasiæ tuæ cooperatores existunt: vt te ab instante tribulatione defendant. Quod si iustus vix saluabitur: apostata & ordinis sancti destructor, vbi parebunt? Non liberabit impium in illa die iustitia sancti: neque sibi miser, alteri feret auxilium. Quin potius eos, quos tantæ collaboratores præsumptionis nunc muneribus & donis tibi conciliasti, tunc infœlicitatis tuæ testes habebis & socios. Nullus defensor prauæ actionis ibi erit: nullus iniquitatis aduocatus: quoniam vbi nuda erunt omnia, ibi ad damnationem vnicuique satis erit accusatrix conscientia. Ibi stabit exercitus sanctorum aduersum eos, qui monachorum habitacula iniquè prophanarunt: qui ordinem diuorum patrũ impiè destruxerunt. Sed auctores harum rerũ, quos mihi iustè videor dixisse iniquos factum suum ita excusare nituntur dicẽtes.

tes. Monachorum improba conuersatio ad extremam paupertatem cœnobia impellens corrigi & emendari non potest, nisi in alium statum transferatur, propter multas quas sibi fingunt rationes, quas etiam in sequentibus Deo largiente monstrabimus inanes. Aiunt deniq; Malos monachos per translationem corrigere, non solum peccato caret, sed & iustitiæ & pietatis pars magna est. Sed vbi possunt hæc discerni? Quemadmodum, quæ dicitis, verba docebitis? Malos monachos ad bonitatem conuertere laudabile & sanctum est: sed canonicos facere, non est emendare monachos, sed deprauare. Nunquam erit bonus canonicus, monachus malus: bonus autem non exuet ordinem suum, sed diliget, colet, amabit. Nolo iam contendere verbis, nolo nimius esse aut vehemens: translationis huius effectum nolo depingere, quem paulatim in lucem non dubito venire. Si monachos malos voluistis canonicos facere: quare bonos in locum eorum non reposuistis? Non est sine voti transgressione commutatio, quæ in deterius præsumpta mutatur. Væ vobis desertores, qui vt vestris voluptatibus satisfiat, ordinem contemnitis, votum negatis, æquitatis normam confunditis. *Omnes stabimus ad tribunal* Christi, ait Apostolus: *vt accipiat vnusquisq; prout gessit in corpore suo.* Quid ibi destructores monasteriorum accepturi sunt, qui omnipotentis honori non deferunt, qui violant pactum, qui sanctorum euacuant voluntates, qui decreta iuris despiciunt? Si bonum est fundare cœnobia: malum est (nemo dubitet) ea destruere. Actio contraria, mercedem non nisi contrariã accipiet. Deniq;, si hominis demortui vltimam voluntatem in legatis, quamuis homini factis, nemo audet infringere, cur amatores mundi Deo & sanctis oblata sibi præsumunt vsurpare? Si reus est criminis qui testamentum hominis violat: qua pœna dignus est, qui fundationes cœnobiorum à sanctis Episcopis & Principibus factas in vsus alienos iniquè commutat? Enimuero reges, principes, & præsules ceteriq; fideles, qui ad Dei honorẽ cœnobia fundauerunt, hęc summopere voluisse comprobantur, vt fundationes huius instituti effectum inuiolabilem sortirentur. Si canonicos habere voluissent in cœnobiis, monachos non posuissent. Sed cœca hominum ambitio tanta inualuit: vt nihil minus, quam futura cogitet: nihil plus quam caduca amet. O misera humanæ fragilitatis conditio: ô damnabilis semper mandatorum Dei obliuio. Consensere iura peccatis, & cœpit esse licitum, quod publicum est. Flagrant vbique delicta: & passim multiformi genere peccandi per improbas mentes nocens virus dolos operatur & fraudes. Hic ordinem confundit, ille pœnitus destruit: hic voluntatem sanctorum subducit, ille falsas dimembrationis allegationes conscribit. Hic arcentur cœnobiis monachi: illic bonis ordinis donantur alieni. Inimicus iustorum insimulat: calumniator impugnat, testis mendax infamat. Esse iam inter nocentes innoxium, crimen est.

Rom. 14.

Quis illic honestatis amor, quæ posset esse mentibus integritas, vbi propositum ordinis deseritur? vbi Deo facta votatio reuocatur? Quis maneat illic rerũ pudor, q̃ virtus posset subsistere, vbi ius violatur diuinum, vbi nullus de legibus metus est, de iudice pauor nullus? Quid potest inhumanius, quid crudelius dici, quam ius sibi velle vsurpare diuinum, fas confundere, infringere votum, debitum Deo subtrahere cultum? O dies illa tremenda cunctisq; horrenda mortalibus: quã diu tolerans hæc mala monachorum vindicabitur ira Dei, qua debitam sentient apostatæ pœnam, qua temeritatis suæ sancti ordinis aduersarii luent vindictam. Quid vobis tunc proderit voti Deo facti negatio? quid ordinis extinctio sacrati? quid breuis turpiter empta in carne voluptas? Cum cœperit dominus suos recensere cultores, præmiis monachos veros donare promissis, bonos disiungere malis, veraces diuidere falsis: quem vos locum accepturi eritis, quem habituri successum, qui sanctum religionis propositum abnegatis, qui votum frangitis, qui ordinem spernitis, qui fidem violatis. Vtinam huius vitæ breuitatem pensaretis: vtinam futuræ retributionis examen timeretis, vt salutaribus compuncti doctrinis, domini vocem per pœnitentiã attẽderetis dicentis, *Nolo mortẽ morientis:* Ezech. 18

Eccli. 2. *sed vt reuertatur & viuat.* Et per Prophetam. *Reuertamini ad Dominum Deum vestrũ, quoniã misericors & pius est: patiens & multæ miserationis.* qui sententiam reuocet, si vos lacrymis culpam velitis abluere. Vos autem iudicium Dei non timetis: clementiam spernitis: patientiam longanimitatis illius contemnitis. Idcirco in quemlibet vestrum dicit Apostolus.

Rom. 2. *Ignoras, quod patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam, & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicii Dei: qui reddet vnicuiq; iuxta opera sua.* Iustum iudicium Dei dixit esse, quia serum est: quia diu inultum differtur: vt vobis ad vitam longa Dei patientia consulatur. Vos autem quemadmodum pœnitentiam agetis, qui culpam non agnoscitis? Dolebitis, sed sero: quando iam locus non erit pœnitentiæ, sed retributio vindictæ. Tunc ergo referetur pœna impio & peccatori: quando iam non potest pœnitentia prodesse peccati. O quam rei tunc remanebũt, quam miseri, quam infelices, qui propter breuissimam huius temporis voluptatem Dei ordinisq; sui desertores & contra Deum rebelles voluntatem fecerunt diaboli, vt eos necesse sit cum ipso inextinguibili igne torqueri. Vtinã hæc cordibus hæreant eorum. vtinam ista cogitarent, qui ordinem suum deserunt, qui votum infringunt, qui & Deo & sanctis eius tam audacter mentiuntur. Sed frustra nitimur, verba nostra nunquam accipiunt, qui Dei & Ecclesiæ & sancti Benedicti sermones contemnunt. Idcirco hæc causa ordinis non verbis, sed rebus gerenda est. Armemur itaque Patres viribus totis, & paremur ad agonem mente incorrupta, virtute deuota, constantia firma, contra eos qui ordinem nostrum delere cupiunt: qui monachum exuunt, qui cœnobia auferunt, qui regulam deserunt, qui suis visitatoribus rebelles existunt. Armemur obsecro Patres cœlo disciplinæ regularis, honore ordinis, nullis laboribus, nullis parcentes expensis, ne pernicioſa pestis nostro silentio fata totum succesſiuè ordinem inficiat. Nunquam ordini nostro tanta necessitas incubuit: nunquam tot malis inuolutus fuit. Ecce monachi habitum exuunt, in habitacula clericorum cœnobia transferuntur: & dum commodis vacamus priuatis, dum labores fugimus, dum expensis parcimus, dum auaritiæ nostræ consulimus, ordo perit, religio transit, Dei cultus euanescit. Multa iam cœnobia malitia temporum (ne dicam ignauia nostra) ab ordine translata sunt: & nisi aliter vigilemus, maiora damna nobis inferenda temeritas prauorum minatur. Nimirum, vbi stultorum audacia non statim reprimitur: occasio præsumendi cæteris similia præbetur. Quid dicam de monachis, quos adhuc solo habitu & tonsura in ordine habemus? Et ne membra præferamus capiti: quid Abbatibus deformatis hoc tempore infelicius? Nihil minus, quam regulam curant: nihil studiosius sectantur, quam libidinem, auaritiam, voluptatem, superbiam, & mundi vanitatem. Sic capite infecto omnia membra corporis corrumpuntur.

Iam in cœnobiis, vbi regula despicitur, vbi disciplina non seruatur, quid aliud, quàm quædam scaturigo omnium vitiorum conspicitur? Nulla obedientia, nulla paupertas, nulla castitas apud illos virtutis amore tenetur: inter quos viuere sine crimine, crimen est. Hi sunt homines corrupti, monachi peruersi, doli artifices, fraudis auctores, iniquitatis ministri, sceleris amici, disciplinam fugiunt, obseruantiam contemnunt, ordinem destruunt, vnitatem confundunt. Et reuera, Patres, nisi his malis cita prouideatis remedia, in breui ordinem videbitis & dolebitis imminutum. Sed forte dicitis. Nunquam defuit vigilantia, diligentia nostra nunquam cessauit: semper nos malorum temeritati oppositimus: dimembrationes monasteriorum semper impedire conati sumus, & nihil vnquam profecimus. Quid nostri labores, quid studia, quid expensæ graues proficiunt: dum se principes Ecclesiarumq; rectores tam potenter opponunt? Scio patres, vera quæ dicitis, scio facta, scio continuata. Sed obsecro, ne verba mea in malam partem velitis accipere: si obectionibus istis ausim respondere. Vigilantia vestra in causis ordinis nota mihi est, labores perspicui, expensarum magnitudo probata, continuatio in his semper adhi-

adhibita. Sed velim vos reminiſci, ô patres, duorum Horatii verſuum, quibus dicit. *Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines: quos vltra citraq; nequit conſiſtere rectum.* Aduerſarios multos habemus & diuerſos: non eſt vno contra omnes pugnandũ modo: ſed diuerſo, ſed vario, ſed diſcreto. Monachi ſumus profeſſores humilitatis, pugna nobis orationibus, precibus, ſupplicationibusq; inchoanda eſt: non feritate irritandus Iupiter altus: non præceps in Deos producenda ſententia. Precibus numina placantur, non minis. Sed de hoc ſatis. Credo enim vos Patres, quid velim, intelligere. Neq; hæc paſſim elucidanda ſunt omnibus: ſed his tantum, qui zelũ ordinis habent, & exequẽdi poteſtatem.

Horat. lib. 1. ſerm ſat. 1.

CAPVT IV.

CONTRA EOS QVI SE AB ORDINE TRANSferunt vel iam dudum tranſtulerunt.

IVSTENE ſatis mouear aduerſum illos, qui ſe ab ordine noſtro dimembrare conãtur, nec ſatis ſcio, nec, ſi ſciam facile auſim dicere: quippe quos omnipotentis patientia tamdiu tolerat, tam tardè flagellat. Sed cum finem illorum intueor, qui ſe iamdudum ab ordine dimembrarunt, conſidero hanc longanimitatem patientiæ Dei diſtricta ſatis animaduerſione vindictam. Nam, ſicut ex eorum relatione accepimus, qui plures illorum nouerunt, pauci ex eis, qui monachum exuerunt, bona morte deceſſerunt. Quinpotius ſine pœnitentiæ ſignis, ſine ſacramẽtis eccleſiaſticis ex hac vita ſubitaneè vocati, manifeſtum ſuæ infelicitatis dedere iudiciũ. Quid ergo dicemus ad hæc? Lętabimur ne in perditione morientium Abſit. Dominus eſt, qui peccatores vt cõuertantur diu hic tolerat: ipſe eſt qui non conuerſos durius damnat. Nos autẽ cum propheta ſententiam eius metuimus dicentes. *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tũ. Iuſtue autem quacunq; morte præoccupatus fuerit: in refrigerio erit.* De impiis autem ꝓpheta dicit. *Mors peccatorum peſſima.* Nos autem prauorum interitum ad mentem idcirco reducimus, vt vel timore cæteros ab incœpto malo reuocem⁹. Sed quẽadmodum verba noſtra ſuſcipient: qui ſuperos inferosq; derident? Niſi verbis adiiciantur opera, nihil apud maleuolas mentes proficiunt hortamenta. Adhuc populus duræ ceruicis in deſerto murmurat: adhuc gens impia legislatorem ſuum blaſphemat: adhuc impꝓba natio in Ægyptũ redire deliberat. Timent, ne moriãtur in ſolitudine qui hoc ſolum timere debuerant, ne extra ſolicitudinem morerentur. O dura mens hominum: ô libertas pernicioſa monachorũ quouſq; ſæuit crudelitas tua? quæ nec illis placere nouit, quos auctores habet & amicos? Qui ſibi nequam eſt, cui bonus erit? O monachorũ inauditum ſcelus: ô crimẽ immane: Deũ irridere, promiſſum illi negare, fidem frangere, debitam ſeruitutem ſubtrahere. Quid hac impietate crudelius? quid ſacrilegio ſceleratius? O monache peruerſe, ô apoſtata inique, ô periure ſceleratiſſime. quouſq; Dei benignitatem oppones? quãdiu omnipotentis pietatem derides? Monachus es: monachus quoq; iudicaberis, etiamſi pellem cum habitu depoſueris. Cur ab ordine ſancto diſcedis? Cur Deo mentiris? Crede mihi, non dabit omnipotens honorem ſuum alteri: non remittet tibi in æternum: quod ſolenniter ſemel accepit oblatum. Antequam Deo promitteres, liber eras, & tui arbitrii: poſtquam autem promiſiſti, Dei eſſe cœpiſti, iam tibi non licet dimittere, quod iuris Dei eſt. Vox tua ligauit te Deo: aut monachus ſaluaberis, aut aliter nõ ſaluaberis. Ecce ante oculos tuos eſt via vitæ, & via mortis: elige quam volueris. Si ſeruas Deo fidẽ, ſi promiſſum impleſ, præmiũ habebis: ſi negas, pœnã ꝓ contemptu recipies. Hinc Paulus te admo-

Pſal. 118.

Sap. 4. Pſal. 33.

Votis emiſſis non ſui iuris eſt, ſed Dei.

mo-

Gal. 6. monens dicit. *Fratres nolite errare, Deus non irridetur. Quæcunq; enim seminauerit homo, hæc & metet.* Quid te accepturum præsumis: qui seminas in carne? Ait enim *Qui seminant in carne, de carne & metent.* Fructus autem carnis partem non habet in hæreditate sanctorum. Quid ergo teipsum decipis? qd frustra in vanitate cõfidis? Cur terminos antiquos quos posuerunt patres sancti transgrederis? Votum, quod Deo solenniter feeisti, negas: & portionem cum electis Dei velut iustus expectas? Non est pars impio cum filiis Dei. Ecce hæreditatem Domini dissipas: extraneos de bonis sancti patris Benedicti ditas: promissum negas: & vt licenter delinquas, falsa pro veris ingeminas. Si bonus es monachus, noli propositum tuum deserere: noli monasterii secreta declinare. Si autem malus es monachus: nunquam bonus canonicus eris. Qui autem bonus non est, malus est: qui autem malus est, non est vt esse debet, & ideo iniustus est. Iniusti autem partem non habent in regno Dei. Et parum refert, vbi sis, dum vbiq; malus, vbiq; iniustus, vbiq; infelix torquearis. Nisi forte duplici velis damnationi esse obnoxius: vt dum es monachus malus, & canonicus iniquus, vtrobiq; reus, vtrobiq; mendax, mercedem vtriusq; expostules. Nec mihi dispensationem Romani põtificis obiicias: quam nisi Deus approbet te minimè excusabit.

Summus Pontifex est Vicarius Christi.

Non omnia Deo placent, quæ per summum Pontificem in terra geruntur. Iam si exclamans mihi succẽseas, quasi facta Vicarii Christi diiudicem: respondeo. Summum pontificem, vt vicarium Christi verum amplector, colo & veneror, cuius facta nequaquam reprehendo, sed hominem esse scio: qui vt homo, & falli potest & fallere. Nec mirum.

Potest errare, vt homo, in iis quæ facti sunt.

In tanta quippe solicitudine omnium ecclesiarum, in tanta occupatione negotiorum, dum pro veris falsa narrantur, mens in multis distracta facilè decipitur. Tu autem sancti ordinis apostata, qui de bulla dispensationis secu-
* rum te existimas: vide ne post mortem (vt vulgo dicitur) illiterato dæmoni occurras, qui litteras nesciat, qui appellationi non deferat, qui allegationes immunitatis tuæ contemnat. Crede mihi, non est astutia quæ possit fallere Deum. O miser, ô felix, ô insensate apostata, quid sancto Benedicto respondebis de ꝓfessione, quam spernis, quid omnipotenti Deo de voto, quod contemnis? Quem in illo tremendo iudicio causæ tuæ procuratorem poteris constituere, vbi nihil poterit latere?

Omnia ibi nuda, omnia erunt aperta: vbi locus pœnitentiæ salutaris iam non relinquitur: vbi excusandi spacium omnibus negatur. Quid proderit ibi hic temere præsumpta dispensatio: quam nec probare licebit testimonio, nec iure defendere. Tunc videbis, ô monache peruerse, tunc intelliges quid *roboris in se contineat fraudulenter impetrata licentia*, cum vindictam æterni iudicis senseris in pœna.

Dispensatio Papæ, per fraudẽ extorta non est secura.

Quid mihi dispensationem allegas, quid licentiam peccandi prædicas? Putane summi Pontificis auctoritate iram Dei te posse effugere? Audeo dicere, nihil tibi proderit dispensatio Papæ, si fraude, si dolo, si mendacio, si iniustè fuerit impetrata.

Dispensatio, vt iusta sit, 4. requirun tur.

Non est bonum, non est iustum, quod malis artibus acquiritur. Ad dispensationem, vt iusta sit, quatuor requiruntur, sine qbus dispensatio te minimè saluabit. Quæ sunt illa? Necessitas, videlicet congruitas, vtilitas, & honestas. Sed tu monache periure, qui sola voluntate duceris, qui Deum & ordinem contemnis, necessitatem fingis, congruentiam falsam ostendis, vtilitatem mentiris, honestatem fraude componis. Sit necessitas euidens & manifesta, congruentia vera, vtilitas non priuata, sed publica, honestas non ficta sed propria, alioquin dispẽsatio erit iniusta. Nihil, quo summo Pontifici in hac dispensatione succenseam profero, nihil in factis illius reprehendo, quem falsis narrationibus monachorum circumuentum non ignoro. Vos estis rei, vos dolosi, vos iniquitate notandi ô peruersi monachi, apostatæ scelerati, qui mendacio, dolo & fraude petitis, quod iustis obtinere precibus desperatis.

Quæ vos necessitas vrget ordinem deserere, & in secularis vitæ statum transire? Quæ congruentia suadet id infringere, quod semel Deo promissum nulli licet reuocare? Quæ vtilitas habitum monachium

chicum deponere, ordinem deserere, propositum negare, cœnobium transferre, votum coram omnibus sanctis Deo factum non solum frãgere, sed & penitus abiicere? Aut quæ honestas est, monachum Deo dicatum ad seculum redire? fidem frangere? periurium committere, sacrilegium perpetrare? O præuaricatores & impii, quomodo tam nefandam præsumptionem vnquam poteritis excusare? Nullum ex his quatuor translationi vestræ consonat, nullum ex eis dispensationem vestram confirmat. Quæ enim necessitas ad hanc temeritatem vos potuit impellere, quam coram Vicario Christi potuistis causam huius dimembrationis allegare? Paupertatem & ruinam cœnobiorum. Sed hanc potuissetis cito instaurare, si secundum regulam sancti Benedicti viueretis.

Ad obiecta respõdet.

Vos enim qui iniquis moribus pauperes facti estis: conuersatione sancta rursum ditaremini. Videte in circuitu vestro monasteria ad obseruantiam regularem reducta: quomodo post extremam paupertatem, Domino largiente ad diuitias pristinas denuo proficiunt. Et quidem satis iustè. Promisit enim nobis *Matt. 6.* in Euangelio Dominus. *Primum* inquiens, *quærite regnum Dei & iustitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis.* Vos autem Dei amorem postponitis, cultum eius negligitis, ludis, comessationibus, ebrietatibus, & ingluuiæ vacatis, & opus Domini non respicitis, nihil de obseruantia regulari curatis: idcirco neglectis spiritualibus, iusto Dei iudicio etiam temporalia vobis defecerunt. Falsa est ergò necessitas, quam fingitis, & insufficiens dispensatio quam allegatis. Sed forte dicitis. Nos filii rusticorum non sumus, sed nobilium, nobiles, delicati & * infirmi: obseruantiam sutorum, agricolarum, opilionumq; seruare non possumus: ieiunia, abstinentiæ, vigiliæ, disciplinæ, ac cætera, quæ habent exercitia nobis importabilia sunt quæ imitari, nec possumus, nec debemus. Quid ergo? Nunquid monachus non es, quia nobilis, quia delicatus, quia tener, quia debilis? Non est, quo te possis contra sanctum Benedictum defendere: qui omni statui, omni gradui, omni ætati in regula copiosè prouidit: qui delicatis & infirmis maxima discretione succurrit. Vosnè soli estis ex nobilibus teneris & delicatis ordinem professi monasticum? Multi nobilissimi iuuenes, imperatorum, regum, ducum ac principium filii, in ordine nostro sanctitate & doctrina sub regulari obseruantia diuersis temporibus claruerunt: qui vobis nobiliores, delicatiores & teneriores disciplinam cœnobiticam inuiolabiliter conseruantes stabunt aduersum vos in testimonium facile amantibus Deum probaturi, quod velut importabile diabolo pleni abiicitis. Nec iubeo te obseruantiam (quam sutorum contemnis) imitari sed regulam, quam promisisti, quam vouisti, quam seruare Deo pollicitus es. Si quid tibi in nostra conuersatione displicet, regulam habes: ad eius præcepta vitam tuam institue. Nemo à te plus exigit: nemo plus requirit. Exercitia monachorum, quæ in obseruatoribus regulæ damnas, ipsa docet, ipsa iubet, ipsa præcipit: quæ si nolueris imitari propria te oris tui sententia peremisti. Conuersionem quippe morum secundum regulam sancti Benedicti suis professoribus indicit, ieiunia, abstinentiam, vigilias, disciplinas, obedientiam, patientiam, humilitatem, paupertatem, ceteraq; exercitia monasticæ disciplinæ, quæ dura & grauia iudicas tam propria sunt regulæ, vt sine his nemo monachus dici mereatur. Dic mihi oro transgressor voti & ordinis tui, dic mihi. Vis etiam beatè viuere? Speras etiam ad vitam æternam te posse venire? Respondebis.

In ordine S. Benedicti multi Principũ filii vixere.

Excusatio nobilium monachorum repellitur

Stulta est ista, quam facis interrogatio. Quis non velit beatè viuere? Quis ad vitam æternam non speret venire? Igitur & beatè viuere cupio, & ad patriam cœlestem venire me posse confido. Si ergò ita est, si beatam vitam te accepturum confidis: cur viam quæ ducit ad illam deseris, spernis, contemnis? Erras miser, infelix deciperis, ad regnum non venitur, nisi per humilitatem: ad requiem, nisi per laborem, per abstinentiam, per obedientiam, paupertatem. Ait enim scriptura. *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Tu autem infelix apostata, qui ordinem reiicis. humilitatem spernis, obediẽtiam renuis, paupertatem odis, patientiam contemnis, qua temeritate tàm alta præsumis?

Act. 14.

Si

Si os, *quod mentitur occidit animam* nisi pœnitentiam egeris, non est tibi pars in regno Christi & Dei: qui non homini sed Deo mentiris, qui violas pactum, qui fidem negas, qui votum religionis Deo factum retractas. Non saluabit te (audeo dicere) dispensatio Romani pontificis: quam fraude postulas, mendacio narras, importunis supplicationibus extorques. Quatuor enim quæ dispensationem debitam facere diximus, in tuis fraudibus minimè concurrisse videmus, Nam illa, quam ab ordine sancto facis translatio, nec vtilis est, nec necessaria: & idcirco incongrua & inhonesta. In ea enim pro necessitate voluntas, pro vtilitate voluptas, pro congruentia carnalitas, pro honestate supponitur impietas. Hæccine est debita dispensationis tuæ occasio? Habeto tibi fraude impetratas literunculas: habeto instrumenta abnegationis & apostasiæ, bonum est mihi sub regula pientissimi patris Benedicti quiescere: in qua, si quid ex fragilitate deliquero, me pium aduocatum apud districtum iudicem habere confido: cuius ordinem diligo, veneror, & ea qua possum sedulitate custodio. Tu autem quem sis habiturus patronum nescio, qui ordinem abiicis, omnes sanctos offendis, Deoq; publicè mentiris. Nam qui post professionem ordinis aliter viuit, quam promisit, hunc regula, vt * irrisorem Dei omnipotentis damnandum fore ostendit. Sic enim habet. Idcirco si aliter fecerit, sciat se damnandum ab eo, quem irridet. Audite hæc filii Belial, ordinis desertores attendite, & si vllus sensus in vobis est, horrete. *Sciat se*, inquit, *monachus peruersus damnandum ab eo quem irridet.* Reg. c. 58. Quæ maior derisio, quod crimen sceleratius quam promissam Deo fidem negare? votum postponere? illi mentiri? illi famulatum subtrahere? illi sua diripere? Miror (& vehementer quidem) si vnquam vel ad horam tam scelerati apostatæ præ confusione conscientiæ & remorsu synderesis veram possint habere lætitiam. Sed vt fatear simpliciter, quod sentio, nullis suasionibus induci possum, vt credam eos aliquando sine grauissimo conscientiæ suæ tormento deinceps esse victuros. Probabili enim experimento cognouimus, quod monachi, de quibus loquimur, post ordinis translationem efficiuntur quasi furiosi, in omne opus turpe procliues, desperati, sine caritate Dei, sine deuotione, sine affectu, sine pietate, sine conscientia, sine honestate, sæui, turbati, vecordes & obstinati: adeo vt de Deo, de regno eius, de purgatorio, de inferno, de morte, de pœnitentia, de virtute, de conuersione nihil curent, nihil aduertant, nihil audire velint, impleaturq; in eis illud sapientis. *Impius cum venerit in profundum malorum contemnit.* Prou. 18. Et illud. *Semper præsumit sæua perturbata conscientia.* Sap. 17. Vnde tales apostatæ, quasi diuturno carcere liberati, audacter in omne vitium se præcipitant: & tempus breuitatis scelerum magnitudine compensant. Offenduntur, si quis de amore Dei, de studio scripturarum, de honestate vitæ, coram eis loqui voluerit. Nec mirum, si Dei sermones audire non possint: cui post tam nefandam apostasiam infideles existunt. Oderunt corripientem in porta: salutis verba non admittunt: pœnitentiæ sermonem contemnunt. Idcirco dicit sapiens. *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit.* Eccl. 7. Si Deus aliquem hominem vnquam contemnere potuit, illi vel primi sunt, qui post votum infideles ei existunt. Vnde propterea despecti à Deo, ad pœnitentiam rarò confugiunt. Idcirco damnandos se nouerint ab eo quem irridet. Duplici enim sacrilegio rei sunt, quia se Deo, & cœnobia sancto Benedicto iniustè auferunt. Et quicunq; his dimembrationibus occasionem, fauorem, consilium, auxiliumq; præstitit, damnum hoc irrecuperabile ordini & sancto Benedicto fecit. Dicit enim regula iuris. *Qui occasionem damni dat: damnum dedisse videtur.* Sancto igitur legislatori monachorum hi tales obnoxii, & ad restitutionem astricti viderint, quemadmodum in extremo iudicio Deo & sanctis eius respondeant: quorum bona temporalia sibi vel aliis iniustè vsurpant. Væ autem illis, qui aliena iniustè tollunt: quæ nec hac vita, nec in futura vnquam reddere possunt. Væ etiam vobis monachis apostatis & abnegatis: qui ius confunditis, æquitatem despicitis, fidem & pactum violatis. Væ etiam vobis Abbatibus, qui monachorũ vestrorum mala studia non corrigitis, qui eorum apostasiæ consentitis, qui & ipsi cum illis ab ordine apostatatis O Abba pastor & idolum: qui ex ouibus lupos, ex monachis seculares facis, quid respon-

respondebis summo pastori cum rationem villicationis tuæ reddere compulsus fueris? Quid sancto Benedicto oues suas à te reposcenti dicturus es? Monachos à te requiret, non canonicos. Quid illi tunc respondebis?

Monachinè sunt canonici? Cum venerit dies illa cunctis timenda mortalibus, qua iustus iudex vnicuique reddet secundum opera sua, legislator monachorum Benedictus non dubites, te grauiter accusabit? aduersum te producet testes omnes monachos veros ordinis sui, qui vnanimiter clamabunt ad iudicem. Iuste iudex Iesu Christe, quia omnia nosti, attende huius apostatæ vesaniam, scelus, sacrilegium, crudelitatem: qui ordinem sanctum destruxit, monachos ad seculum reuocauit, fidem fregit, votum tibi factum & nobis inaudita præsumptione violauit. O miser quid facies? tam grauiter accusatus: Quem sanctorum inuocabis: qui omnes tibi aduersarios fecisti? Quo fugies à facie furoris Domini? Ad quem cõfugies?

Non erit locus fugiendi: sed ante tribunal Christi stabis duram accepturus sententiam: nisi hic per pœnitentiam & lacrimas faciem Domini prœuenire curaueris. Excusationi denegabitur locus cũ accusatus fueris in iudicio cuncta scientis. Quicquid enim dicere volueris, nihil erit: quia foris accusatus, intus conscientiæ testimonio damnandus iudicaberis. Ea quæ diuini iuris sunt rapis, qui custos eorum positus fueras, idcirco Dominum audies dicentem. Redde quod debes. Hoc est. Redde monachos quos tuæ fidei commisi: redde cœnobium quod gubernandum accepisti: redde fidem, redde votum, redde sanctitatem, redde lucrum, redde meritum, redde honorem.

Redde quod debes. Ego te pastorem ouium mearum constitui, vt eas in sancta religione conseruares, doceres, institueres, emendares, corrigeres delinquentes. Tu autem odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum: si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Voluptatibus carnis intentus oues meas non custodisti, idcirco redde quod debes. Monachi, postquam de seculo ad religionem venerunt, mei iuris facti sunt & non licet ad eis seculũ vlterius reuerti. Tu autem minister ouium mearum constitutus es, non Dominus: nec licebat tibi aliquid iuris quouis modo alienare, vsurpare, vel diripere. Custos mearum rerum eras, non patronus: quæsita seruare, dispersa requirere fideliter debueras. Tu verô mei oblitus hæreditatem meam dissipasti, oues dispersisti, immò ex ouibus beluas, ex seruis inimicos, ex fœderatis infideles fecisti. Nunc ergo redde quod debes. Ego monachos tibi commisi, quos in sancto proposito debueras conseruare, iacentes erigere, infirmos curare, deficientes instaurare, torpẽtes caritare accẽdere, negligentes excutere, peccantes arguere, inobedientes corripere, dissolutos restringere, peruersos à malis studiis eorum coercere. Sed nihil eorum, quæ tuo incumbebant officio curasti: auaritiæ, luxuriæ, ingluuiæq; deditus, monachos non solum ad seculum redire permisisti, sed etiam, curæ pastoralis penitus oblitus, dux & consors apostasiæ eorum factus es.

Iam itaque redde, quod debes: restitue quod fidei tuæ, ne dicam perfidiæ, commisi. Sed quia reddere non poteris: in carcerem tenebrosum & opertum mortis caligine proiicieris: inde non exiturus donec reddas debitum, quod nunquam redditurus es. Ibi non solum pro tuis factis pœnam recipies: sed etiam pro omnium peccatis, quos tuo regimini commissos corrigere neglexisti. Sic enim sanctus Benedictus dicit in regula. *Nouerit abbas culpæ pastoris incumbere: si quid minus vtilitatis paterfamilias in ouibus suis poterit inuenire.* Cap. 2. Igitur ô Abba qui cunq; es, si sapis, si intelligis, si deniq; futurum iudicium credis, si tormenta inferni euadere cupis, noli acquiescere monachorum prauis desideriis, dimembrationibus noli consentire sceleratis. Quid prodest tibi in hac vita breuissima voluptas, pro qua pœnas æternas cogeris recipere? Noli oro te, noli sancto Benedicto tantam irrogare iniuriam: noli cœnobia illi auferre, quæ nec tu, nec omnes parentes tui exstruxistis.

Sufficiat tibi, quia Abbas es, quia de pa-

trimonio eius viuis: noli ordinem deserere: noli suggestionibus dabolicis consentire: noli monachos tuos seculares facere: noli monasterium tibi commissum in manus alienorum resignare. Cognosce te hominem morti obnoxium, breuis vitæ super terram: noli tam pernitiosam rem facere: noli hoc scelus committere: noli tam inæstimabile sacrilegium perpetrare.

Permane in ordine sancto, & propositum tuum noli deserere, si ad vitam æternam desideras peruenire. Ait namq; dominus. *Qui mittit manum suam ad aratrum & respicit retro, non est aptus regno Dei.* Luc. 9. Ecce misisti manum tuam ad stiuam: ecce cum Loth de Sodoma egressus es: si respexeris retro, si propositum tuum corruperis, si ad seculum reuersus fueris, non es aptus regno Dei, & illud nequaquam mereberis accipere. Si autem in uocatione tua perseueraueris, si voluntatem bonam custodieris, si caritatem Dei in corde habueris, crede mihi, etiam si in aliquibus negligenter vixeris, pium ad Deum intercessorem inuenies sanctum Benedictum, ob cuius amorem ordinem, cum potuisses, noluisti deserere. Memento obsecro fœderis domini, quod ordinem ingressus cum illo pepegisti: & noli esse infidelis tuo redemptori: noli votum infringere: noli tam scelerato periurio pactum violare. Considera pactum: conditionem attende: & caue ne Deo mendax existas. Antequam illi promitteres, liber eras: postquam autem promisisti, non amplius liber, sed seruus Dei factus es. Non licet tibi deinceps hanc seruitutem spontaneè assumptam deserere: non licet tibi, nec alicui post professionem ad seculum redire. Quia si propositum tuum corruperis, si votum negaueris, si ad seculum reuersus fueris, non habebit te in illo gradu Deus, in quo prius habuisset, antequam intrares cœnobium. Nam ante religionis ingressum, eras quasi de familia domini, de subditis illius & agricultoribus. Eras, inquam, creatura Dei, eras famulus, eras seruus: sed non eras amicus. ministerialis, intimus, secretarius. At postquam monachus factus es, fidelitatem Domino promisisti, vt ei iugiter adhæreres, vt vbi dominus est, illic sis & tu minister eius. Elegit te in amicum, & vt ita dixerim, cu-

stodem corporis sui, vt in conspectu eius illi semper ministres, eiusq; in omnibus perficias voluntatem. Hoc enim promisisti. Si ergò recesseris ab eo, cui te vouisti, infidelis & voti contemptor inuentus fueris, non te habebit de familia sua, vt prius, antequam monachus fieres: sed certe fugitiuum, infidelem, præuaricatorem, periurum & mendacem. Monachus enim qui votum suum negat, Christum negat.

Votum violans Christum negat. 20. q. 3. c. propositum.

Dicit enim beatus Hieronymus: *Ego qui videor esse monachus, si propositum meum corrupero, Christum negaui.* Vos autem præuaricatores, qui ordine sacro contempto de monachis facti estis canonici: vos, inquam, propositum vestrum non solum corrupistis, sed quod scelerasius est, prorsus destruxistis. Nunc ergo, aut vos Christum negastis, aut falsum est, quod dicit Hieronymus. Sed quia falsum esse non potest, quod vir tantus edocuit: restat vos Christi negatores esse, periuros & infideles. Vtinam vel serò tandem pœnitentiæ remedia subiretis: qui in tantis periculis constituti estis. Si Christum negauit, qui monachicum propositum violat, qui totum ordinem, omnes sanctos, deumq; debito fraudat, quid meretur? Si semper ardebit, qui possessiones hominum iniustè occupat: qua pœna dignus est, qui bona Dei & sanctis dicata sibi vsurpat? Si iuxta traditionem ecclesiasticam mortaliter peccat, qui domum vel agrum alterius iniustè ad vsum suum vendicat: quanto crimine reus est, qui domum & possessiones Dei & sanctorum in mansiones secularium commutat? Et, si ad restitutionem indebitè ablatorum homo homini constringitur: quanto magis Deo & sancto Benedicto cœnobia auferentes ad restitutionem tenentur? Si peccatum non dimittitur, nisi ablatum restituatur: quando à reatu absolui poterunt, qui habitationes seruorum Dei in vsus conuertunt alienos? Cœnobia enim semel ablata nunquam ad ordinem reducentur: Væ illis, q hoc sibi testamentũ condere nõ timuerũt: quod nulla vlla satisfactione poterunt reuocare. O monache, ô Abba, qui votum vestrũ Deo solemniter factum reuocatis, qui habitum sanctæ religionis abiicitis, qui cœnobia sancto Benedicto consecrata in manus clericorum transfertis: quid accusati coram omni-

Obiectio. omnipotenti Deo respondebitis? Forsitandicetis. Votum in melius commutauimus. Cui hoc persuadebitis? Certè nec Deo, nec hominibus sanis: quippe q̃ voti differentiam non ignorant. Canonicum viuere bonum & sanctum est: si ad eum statum à Deo fuerit vocatus. Sin autem ad monasticæ perfectionis gradum vocatus fuerit, nunquam ei licebit ad canonicatum descendere. Nemo enim dubitat monachis inferiores esse canonicos. Dic mihi quisquis es, qui monachorum prauitati cooperator existis, qui eos ab ordine transfers, qui contra Deum & sanctum Benedictum causas iniquas defendis, qui apostasiæ eorum fautor & patronus haberis? Dic ergo. Quid tibi videtur? Licitumne est monachis in ordine sancto professis habitum exuere, & canonicos seculares fieri? Si licitum est, cur dispensationem Romani pontificis tantis expensis, laboribus, fatigationibus importunisq; precibus impetras? Licita enim, dispensatione non indigent. Sin autem illicitum est, quis licitum faciet? Dispensatio? Vehementer dubito. Vtrum Papa in hac re dispensare possit, vel non possit. non est meum discutere, quem constat plenitudinem potestatis habere. Absit ergo à me, vt auctoritati summi pontificis vel in minimo derogem. Vicarius enim Christi est, nec licet homini aliquid de illo iudicare. Ergone tu securus es, si faciat ille quod posse videtur? Crede mihi non es securus: quia causam translationis tuæ falsam narrasti: Vicarium Christi fraudulenter deceipisti, quia & narratio mendax, & supplicatio (ne dicam extorsio) fuit importuna. Deniq; bulla translationis tuæ diligenter & cautè conscripta te non absoluit ab ordine nec votum aufert, nec religionem tollit, nec monachium schema deponere consentit. Putas, quod summus Pontifex tuis peccatis conscientiam suam velit inuoluere? Legito bullam attentè, considera verba, intentionem dispensantis nota: & quod etiam post dispensationem monachus sis coram Deo & ecclesia inuenies. Ego enim huius translationis bullam, & vidi, & legi: in qua Papa consentit, vt præbendas & beneficia monachi habeant: & nihilominus præcipit, vt sancto Benedicto, quod voluerint, reddant. Habitum canonicatus illis concedit: sed monachicum schema minimè tollit. Ecce quam securus es, qui limites indulti transgrederis, qui pro veris falsa fingis, qui Vicario Christi mentiris, qui bullas non minus extorques, quam impetras. In his quæ sunt de iure positiuo, dispensatio licitum facit, quod alioquin non licuit, si causa rationabilis id exposcat. Votum autem Deo factum in lege diuina reddere iuberis: à quo Papa sine necessitate te nunquam intendit absoluere. Sed oro dic mihi, quæ est causa translationis tuæ?

Dubitat an papa possit è monacho facere canonicum.

Papa vicarius Christi est, plenitudinem potestatis habens.

A uoto Deo facto papa non absoluit sine necessitate.

Causæ translationis falsæ.

Respondebis forsitan, quod omnes sic translati respondere solent. Causæ multæ sunt: quæ ad hanc rem me necessariò impulerunt. Quæ ergò sunt? Paupertas cœnobii, incursus vastantium, exactio principum, malum regimen Abbatum. Hæ sunt causæ translationis nostræ. Sed facilè rumpitur rete araneārum sanguine fictum: si quid grauitatis fuerit impositum. Vos autem apostatæ pro veris falsa narratis: & sub figmento paupertatis Vicarium Christi, imò vosmetipsos decipitis. Vtinam paupertas vera esset, quam allegatis: vtinam de terrena substantia, vt mendaciter fingitis, minus haberetis. Quid paupertatem allegatis: qui diuitias maximas possidetis? Quis nesciat statum cœnobii sancti Albani in temporalibus ante translationem fuisse abundantissimum. Quid dicam de Elvvangen, insigni quondam cœnobio, cuius diuitiæ principi potuissent sufficere?

Paupertatem non esse causã.

S. Albani cœnobium Moguntiæ.

Nunquid monasterium sancti Burchardi propter paupertatem transferri potuit, quod multis diuitiis semper abũdauit? Nunquid propter paupertatem cœnobium Cambergense ab ordine dimembrari debuit, quod in hodiernum diem omnia monasteria illius prouinciæ diuitiis excedit? Quid dicam de Selz quid Clingenmunster cœnobiis quantum ad mediocritatem pertinet abundantissimis? Nunquid in eorum translatione paupertas veraciter potuit allegari? O præuaricatores ordinis vestri, & voti transgressores: creditis mendacia verba posse latere? Nõ sunt nobis fallaciæ vestrę absconditæ: nec diuitias, quas negatis, ignoramus. Si pauperes essetis, quẽadmodum

Eluuangen.

S. Burchardi Herbipoli.

Camberg in Franconia.

Selz in diœces Argẽt. Clingenmunster.

dum fingitis: non alii duo, alii tria, alii quatuor millia florenorum & nonnulli amplius pro translatione vestra possetis exponere. Cur ergò paupertatem allegatis, qui pauperes non estis? Cur dicitis vos nihil habere, vnde possitis monachi viuere, qui tantas pecuniarum summas vtcanonici sitis, potestis exponere? Denique, si paupertas cœnobiorum vos opprimit: quare reformationem non assumitis? Cur priuatas contra regulam possessiones ad communem vsum non redigitis? Dum enim vnusquisque marsupium suum diligit, status communitatis cadit. Si autem secundum regulam, quam professi estis sine proprio viueretis: Domino prouidente omnibus abundaretis diuitiis. Sed vos neglectis spiritualibus voluptati carnis operam impenditis: propterea ad egestatem temporalium rerum deueniſtis.

Hæc dixerim in eos, qui propter contemptum spiritualium, etiam temporalium inopiam patiuntur. Illi verò, qui se ab ordine transtulerunt si pauperes fuissent, in eo perseueraſſent. Multis enim expensis, sumptibus, & propinis opus est: quas pauperes nunquam potuissent exponere. Mentiuntur ergò qui paupertatem in causam translationis assumunt. Quod ergò guerras, bella, & vastationes inimicorum in patrocinium dimembrationis suæ allegant: quam sit friuolum, vanum, & insufficiens nemo prudens qui nesciat. Omnia enim quæ narrant, non minus canonicis quam monachis possunt esse infesta. Qui autem regimen Abbatum vocant in causam, eorum culpæ non immeritò ascribitur: quorum electione malus Rector cœnobio præficitur. Nec immeritò. Quales monachi, talis Abbas monachorum. Mali enim monachi bono Abbate indigni censentur? Deniq; si Abbas malus est, quomodo erit Præpositus bonus?

2 Incursiones militum.

3. Abbatum negligentia.

Alia vobis fuerant ab expertis quærenda remedia: quibus in ordine sine querela proficeretis. Sed occasionem quærit, qui vult ab amico recedere: causas fingit innumeras, qui se ab ordine cupit dimembrare. Iam debitis narrat oneratum cœnobium: iam hostilitatis mentitur incommodum: iam graue fingit dominium: iam ignauiam inculpat Prælatorum. Omnia quærit, omnia fingit, omnia assumit: vt vel ordinem totum vituperet, vel locum pro regulari obseruantia inhabilem demonstret.

Si transferatur inquit (beatissime pater) tale cœnobium in ecclesiam secularem, maximè cultus inde augeretur diuinus, faciet principes Romanæ ecclesiæ semper obnoxios, pacem in circuitu populis, & Christiani nominis maximum parabit honorem. O lingua dolosa, ô labium mendax, ô concinnator doli, ô fraudis inuentor, ô minister iniquitatis: quam falsa pro veris, quam mala pro bonis, quam sacrilega narras pro sanctis. Reges & principes monasteria ædificare consueuerunt, non etiã destruere: quos mendaciter patronos tuæ perfidiæ non debueras allegare. Nam si laudem Dei quærunt, nunquam cœnobia transferri ab ordine sancto consentiunt.

4. Exactiones principũ.

Sin autem vtilitates suas velint attendere, plus de cœnobiis, quam de collegiatis ecclesiis se norunt lucri accipere. Vnde igitur tibi tam inaudita præsumptio, vt coram Vicario Christi rem gratam mentiaris principibus: quam constat illis esse contrariam? Sic agis, sic Vicarium Christi decipis magister mali, machinator doli, inuentor mendacii, auctor sceleris, iniquitatis artifex: qui fraude vinis, qui te impietate munis, qui religionem oppugnas, qui lucris inhias, qui voluptate pasceris, cui de scelere totum, de amore Dei nihil constat. Absit à fidelibus principibus, vt monasteria sancto Benedicto auferant: quæ deuoti quondam eorum progenitores illi construxernnt.

Væ tibi monache peruerse, qui ordini tantam præsumis inferre contumeliam, vt cœnobia destruas, quæ nec tu, nec parentes tui extruxistis. Væ tibi etiam qui malis rebus patrocinium contra Deum & sanctos eius præstas: qui te peccatis alienis inuoluis, qui linguam vendis, qui pro vili precio indignationem Dei, & omnium sanctorum incurris. Væ tibi, inquam, monachorum reproborum aduocate, qui Deo facis iniuriam, q̃ sanctos eius opere scelerato derides, qui iuæquitatis abnegas, q̃ monachos ad seculũ redire verbis & factis cohortaris. O quid respondebis omnipotenti Deo, quãdo omnium à te ratio tuorũ operũ exigetur?

quan-

quando à sancto Benedicto velut ordinis sui destructor accusaberis? Quid tunc accusationem sanctorum obiicies? Quid respondebis? Quomodo te excusabis? Quis orationem ad iudicem districtum pro liberatione tui habiturus est? Quem aduocatum tunc habere poteris? qui modo contra Deum prauorum aduocatus es? Vtinam saperes & intelligeres, vtinam nouissima prouideres, alienis peccatis te minimè inuolueres. Sed auaritiæ facibus inflammatus, lucra huius vitæ tantummodo cogitas; de futuris calamitatibus nihil omnino te sapere manifestas. Idcircò, sicut aues capiuntur laqueo, sic in peccatis tuis, & eorum, quos ab ordine apostatare fecisti, cum non æstimas, capieris. O quam duram sententiam excipient, quorum consilio monachi suum ordinem contempserunt. Magnam in supplicatione vtilitatem mentitus es: qui hoc solum intendis, vt honestatem ordinis turpiter euacuare possis. Siccine Dei cultus augetur? Hæccine est pax illa in circuitu promissa hominibus? Malos monachos nunquam bonos canonicos, facies. Qui autem malos facit, quid meretur, nisi mercedem malorum? Mali sunt monachi, qui ordine contempto ad seculum reuertuntur. Nisi enim mali & peccatores essent, ordinem sanctum nequaquam desererent. Nemo enim odit bonum, nisi malus: nemo recedit à sancto proposito, quod vouit, nisi peruersus. Qui autem peruersis patronum se præbet in causis malis, se participem constituit peccatis alienis. Canonicum esse in ecclesia Dei bonum & sanctum est: sed monachum pro amore Dei esse, maioris perfectionis. Canonicus ad monachos transire tanquam ad altiorem gradum permittitur: sed ad canonicos descendere monachus prohibetur. Nec dispensatio faciet licitum, quæ falsis narrationibus fuerit impetrata. Si adsit in supplicatione necessitas, in intentione supplicantis integritas, in vsu dispensationis honestas: audacter dico, q; Papa cũ monacho possit dispẽsare, vt fiat canonicus, sic tamen vt ab eo, quo Deo nosciturobligatus, sine necessitate nõ absoluatur. Certus sum etenim, quod summus pontifex neminẽ sine euidenti vtilitate, communi, & necessitate manifesta ab aliqua ap;pbata religione intendit absoluere. Aduocati autem apostatarũ causas falsas narrant ;p veris, necessitatem fingunt, vtilitatẽ mentiuntur, honestatem prætendunt, quã fugiunt. Radix & causa totius mali huius in sola voluptate & odio disciplinæ fundata est. Quãdo autem causa narrationis falsa est, dispensatio non liberat, sed damnat impetrantẽ. Sũmus pontifex auditis narrationibus supplicantiũ cautè respondere cõsueuit: si ita est, inquiẽs, vt narratur, fiat q; petitur: eo modo & forma qua sequtur. Respondet cautè, indulget secretè, & sub certis limitibus dispensat. Sed monachi effrænati, mox vt bullas acceperint, sub cõstitutis in ea nõ manẽt limitibus sed modũ dispensationis transgrediũtur: non q;d impetrauerint, sed q;d impetrare voluerint, attendẽtes. O miseri, ô insensati, ô infelices, quare vosmetipsos decipitis? Cur animas vestras voluntariè perditis? Non absoluit vos dispensantis intentio ab eo, q; sancto Benedicto ;pmisistis. Vos autem plus vsurpatis vobis quam Papa concessit: immo totum assumitis sine licentia, quod obtinere illicitè concupistis. Verũ est, quod dé quibusdam è nobis dixit quidã adhuc supstes, cũ ex commissione Apostolica illis habitũ exuisset monasticũ. Etsi, inqt, deposuerim eis habitũ, tñ iuxta tenorem bullæ adhuc corã Deo monachi sunt. Infelices apostatę, qs liberabit vos de manu Dei viuentis? Quis ab incusatione sancti Benedicti vos poterit defẽdere? Quid ;pderit vobis, q; canonici facti estis ex monachis, si in extremo iudicio Dei vos cũ reprobis deputari cõtingat? Enimuero, nisi translationẽ vestrã omnipotẽs arbiter approbet, nisi sanctus Benedictus princeps monachorũ cõsentiat, nulla vos dispensatio excusat. Translatio vestra debitum finem non respicit, & idcirco inexcusabilis erit. Conscientias vestras interrogate, & qua intentione ab ordine recesseritis, perpendite. Si amore Dei, si desiderio patrię cœlestis, si propter salutem animarum, si ob profectum virtutum, & statum vitæ sanctioris habitum exuistis, approbabit Deus factum, quod feciſtis. Sed omnibus his intentio vestra fuit contraria: idcirco translatio ab ordine merito censetur à voluntate Dei aliena. Nam, vt sine lege viueretis, abiecistis habitum: sine obedientia, sine humilita-

Monachi in perfectiore gradu sunt canonicis.

Nota. Papa potest dispensare cum monacho, vt fiat canonicus, si necessitas sit.

Qua ratione dispensare soleat Papa.

Male informatũ Papam vrget.

te, sine paupertate viuere prima fuit intentio vestra. Non est timor Dei ante oculos vestros: de animarum salute nihil cogitatis? de vita æterna nihil sapitis: in sola voluptate carnis ambulare concupiscitis. Omnes causæ & rationes, quas in supplicatione narrastis, confictæ & falsæ sunt: quomodo dispensatio legitima erit? Quomodo excusabit vos summi pontificis auctoritas, quam mendacio, fraude, dolo, & importunis precibus circumuenire non timuistis? Quid de vobis sentiendum sit, mores vestri inspecti declarabunt. Ait enim de lupis rapacibus in euangelio Dominus. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Nunquam veraciter apud vos mens in Deo læta conspicitur: nunquam secura conscientia esse potest: sed semper de reatu suo anxia, semper turbulenta: quippe qui ad desperationem incentorem habetis diabolum, cuius instinctu ab ordine recessistis. Hinc est, quod de amore Dei animarumq; salute nihil estis solliciti: sed terrenis vanitatibus & desideriis carnalibus intenti nihil minus quam vitam æternam cogitatis. Quo spiritu facta sit in vobis ista translatio, conuersatio vestra ostendit. Nam, *qui spiritu Dei aguntur: carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Vos autem non sic.

Matt. 7.

Gal. 6.

Mox enim, vt habitum religionis abiecistis, quasi boues lasciuientes à iugo subiectionis absoluti, in omnem turpitudinem quasi licenter vos mergitis: omnē honestatem abiicitis: cum vitiis pactum, cum virtutibus geritis bellum. Non est caritas Dei in cordibus vestris: misericordiam & pietatem contemnitis: diligitis vanitatem, & vanifacti estis. Mali estis bonis omnibus, peiores monachis, pessimi vobis. Non est translatio facta in melius, quæ aditum vitiis reserauit. Amor Dei & odium fratris in eodem pectore non morantur.

Omnis apostata est perfidus quantor sui ordinis

Vos autem transgressores voti, ordinis desertores, honestatis inimici, aduersarii pietatis, si Deum diligitis, si boni estis, si religionem amatis, cur monachos oditis? Oditis autem eos maximè, qui in ordine perseuerant, vnde excidistis: quoniam quos in sua vocatione nunc fortiter stare conspicitis, eorum contra vos in iudicio testimonia formidatis. Stabunt ergò in districto examine contra vos, laturi testimonium monachi omnes in sancta conuersatione perseuerantes: qui vniuersas narrationes & causas apostasiæ vestræ hic iam fraudulentis palliatas sermonibus, falsas, inanes suis operibus demonstrabunt. Odio habetis ordinis vestri monachos, quia reuera, quales vos esse cognoscitis, tales alios esse iudicatis. & bonum quod in vobis nō aspicitis, etiam aliis inuidetis.

Non miramur cordis vestri aduersum monachos insaniam: cum eam iniuriam & contumeliam cogitamus, quam Deo & sancto legislatori vestro intulistis. Qui enim Deum non diligit, qui votum illi solenniter factum infringit, qui habitum religionis abiicit, mirādum non est. si monachos seruos eius odit. *Omnis namq; apostata ordinis sui aduersarius & contemptor est.* Sed oro, sed hortor, sed suadeo, omnes, qui ordinem vestrum deseruistis, derelinquite furorem, mitigare rabiem, quiescite sæuire in monachos: ne quos odio nunc persequimini, in iudicio contra vos testes habeatis & iudices. Agite pœnitentiam super hac impietate vestra, dum tempus habetis, mors ne festina vos rapiat imparatos. Nolite obsecro cornua malignitatis contra sanctum Benedictum erigere: nolite vestris translationibus ordinem eius venerandum velle destruere: nolite pœnitentiæ opportunitatem contemnere, si ad vitam æternam cupitis peruenire. Vos nullum sancto Benedicto construxistis cœnobium: oro & exhortor, ne ab aliis illi condita in vsus secularium transferatis. Mementote, quam breuis sit vita præsens, quam certa mors, quā districtus iudex, & nolite ceruicibus vestris tā graue sacrilegii onus imponere, quod nulla vnquam satisfactione dignè poteritis restituere. Nolite sanctum Benedictum vobis concitare aduersarium: si amicitiam aliorum sanctorum cupitis inuenire.

Vno enim offenso, cæterorum nullus amicus erit. Considerate finem illorum, qui se dudum ab ordine sancto transtulerūt, & de vestro similiter metuite. Vbi sunt Abbates & monachi, qui olim ab ordine recesserunt: & monasteria sancti patris Bene-

Benedicti in manus secularium tradiderunt? Omnes autem mortui sunt, aut breui morientur. Vos etiam, qui adhuc viuitis, qui præcedentium exemplo ab ordine recessistis: cum non putatis, ad illos ibitis, quorum imitatores estis. Vtinam alterius periculo vestrum timeretis: & dum tempus est, pœnitentiam ex toto corde assumeretis. Audiui à multis, quanta mẽtis amaritudine in mortis articulo plerique ordinis transgressores constricti fuerint, qui de monachis canonici facti fuerunt, vel etiam qui huiusmodi translationum auctores extiterunt. De nullo enim peccato se adeò dolere dicebant, quam de illo, quod se in translationem ordinis consensum dedisse nouerant, vel auxilium. Si bona est monasteriorum ab ordine translatio, quare factam morituri doluerunt? Sin autem mala est, quare vos eam facitis & assumitis? Meminerint omnes, qui cœnobia monachorum occupant, quam duro notentur anathemate à beato Papa Gregorio, qui res monasteriorum Deo consecratas in alienos vsus conuertere nõ verentur. Sit eis in exemplum Thiergaudus Treuerorum quondam Archiepiscopus, qui cum cœnobium sancti Andreæ in mansionem ab Adriano Papa in vrbe Roma suscepisset, ab eodem Apostolo & sancto Gregorio in visu tertiò monitus, nè habitacula monachorum diutius occuparet, cum inde recedere iussus dissimularet, cum omnibus suis dura morte interiit. Si cœnobia monachorum occupantes coram Deo securi sint, eorum conscientiæ relinquimus. Homo, qui hominis alterius bona sine voluntate ipsius possidet, ad restitutionem tenetur: qui bona sancti alicuius contra eius voluntatem occupat, quid mereatur ipse consideret. Longo iam satis sermone in transgressores ordinis nostri vsi sumus: ad ea quæ restant nunc veniamus.

Auctores translationis male perierunt.

Greg. 7. regist. 6. 33.

17. q. 4. c. quest.

Thiergaudus Archiep. Treuir.

CAPVT V.

QVEMADMODVM HIS DIMEMBRATIONIBVS monachorum apostatantium obuiandum sit.

QVamquam & animus, & ipsa necessitas contra destructores ordinis nostri copiam offerant inuehendi: tamen cum præsentes non sint, qui exhortationibus ad pœnitentiam reuocentur, satis in eos dictum existimo.

Insensati sunt enim, quicunq; ordinis sui honorem tam nefariè opprimunt: quibus non verbis tantum, sed operibus censeo resistendum. Nam qui Deum non timent, nostris cohortationibus minimè acquiescent. Eia nunc, reuerendissimi Patres, qui ad decorem ordinis nostri capitulariter conuenistis, qui pro instauratione eius laboratis, ad mentem reducite pristinum illius statum, & in quantam sit deuolutus calamitatem hoc tempore considerate. Ecce de manibus sancti Benedicti cœnobia rapiuntur: ordo noster ab inimicis Dei in circuitu destruitur: ad seculum monachi reuertuntur: religionem nostram lacerant impij: bonis nostris donantur alieni. Quid loquar de bellis intestinis? quid referam de malis ciuilibus? Mirum non est (Patres attendite) si foris confundimur: qui à nostris intus laceramur.

Abbates nostri contra disciplinam calcitrant: vnitatem ordinis lacerant: statuta capitulorum negligunt: visitationes spernunt: censuras vestras (ô Patres) contemnunt. Hos, nisi quantocyus ad obseruantiam regularem studeatis reducere, non diu sub ordine poteritis retinere.

Quid ergò dissimulatis? Quousq; dormitis? Quando euigilabitis? Quando

pro hæreditate sancti Benedicti pugnabitis? O patres, patres, armate vos zelo Dei, ordinis & disciplinæ, quia tempus est: pugnate pro legitimis vestris: iura sanctitatis defendite: contra translationes ordinis viriliter state. Ecce iam ab ordine nostro in sola prouincia Maguntina sex monasteria nostris temporibus translata sunt: & nisi aliter vigilemus, grauiora damna indies patiemur. Sic nobis dissimulantibus (ne dicam torpentibus) ordo paulatim minuitur: quousque tandem ex toto dissipetur. Cur tantis periculis non obuiamus? An pereuntibus cæteris, nos de securitate sapienter confidimus? Nonne veraciter dixit poëta. *Tunc tua res agitur paries cum proximus ardet?* Illis heri, nobis simile cras imminebit periculum. Vnusquisque vestrum (non dubito) monasterium suum diligit: & nullatenus consentiret ab ordine illud transferri, adeò vt non solũ præsentem, sed etiam futuram eius felicitatem in annos æternos cupiat dilatari. Quare ergò non defenditis communiter, quod singulariter timetis amittere? Vereor Patres, ne in hac dissimulatione pessima nostra tenacitas arguatur. Diligimus nummum, & amittimus cœnobium. Metuimus paucas expensas, & perdimus translatas mansiones. Pecuniam modicam non volumus exponere, & abundantissima cœnobia patimur ab ordine ad cæteros transire.

In Mogũtina diœcesi 6. monast. trãslata.

Horat. l. 1. epist.

Vtilitati communi priuata commoda præponimus, & honorem ordinis cõseruare non curamus. Multa dicimus, multa pro vtili defensione ordinis concludimus, sed exponere denarios omnes formidamus. O zelus debilis, quem tenacitas inutilem facit. Si pecuniam pro fratribus nostris non tribuimus, quando vitam exponemus? Si pro conuersatione ordinis expensas pauculas non conferimus, quando corpora tribuemus? Qui in modico tenax est, quando liberalis in magno erit? Ad vos nunc loquar, patres: qui ordini subuenire in tantis periculis constituto dissimulatis.

Beatus Benedictus ex pauperibus vos diuites fecit: iam à vobis eleemosynam petit, & (prohpudor) non accipit. Ecce, quam multi reperiuntur è nobis (quod venia dixerim) qui substantiam leuibus partiuntur personis, auibus, canibusq; conuiuia parant: parentes & cognatos suos de bonis monasterii ditãt, reliqua in vanis voluptuosisq; comessationibus dilapidant. Pauci sunt, qui desolationem ordinis nostri doleant, pauciores de remedio cogitant, pauciissimi auxilia subministrant. Siccine ordo sacer Benedicti quondam inter omnes excellentissimus ab hostium incursione defenditur? Euigilate, patres, quando vigilantia prodest, ne sero vos dormitasse pœniteat. Intueamini ordinum aliorum professores, quàm solicitè, quam zelosè, quam constanter iura, priuilegia, cœnobia religionis suæ defendant, non parcentes expensis, neq; laboribus, neq; contributionibus, vt ordines suos in vigore conseruent. Nunquid illis inferiores estis? Nunquid mendicantibus pauperiores? Si numerum cœnobiorum ordinis considerare libeat, plures sumus: si substantiam rerum temporalium, ditiores: si vim & auctoritatem, indubiè præstantiores. Quid nobis deficit, (præter zelum & constantiam) quod illis adsit? Cur ergo hæsitamus? Cur inerti ocio languescimus? Quare pro defensione ordinis nostri non vigilamus?

Nescitis (ô patres) quoniam vigilantibus iura subueniunt? Non est bona patientia, qua Dei honor negligitur, cultus illi debitus minuitur, integritas ordinis sancti violatur. Quid dicam? Doletis iam translata cœnobia, & tamen non assumitis seruare transferenda. Anteponitis priuata communibus: idcirco zelus vester parum fructificat. Vnusquisque nostrum, vt video, se tutum existimat, si ardente domo proximi, suus non ilico paries incalescat. Sed ô fatuitas: sed ô merito vituperanda stultitia. Qui tot inuolutus periculis de securitate sua modo erigitur, post paululum lapsus se plangere cogetur.

Nos ergò Patres, si domus nostras ab incendio illæsas seruare cupimus, igni cum aqua, dum longè distat, occurramus. Nam, si flamma vsq; ad vicina transire permittitur, de remedio nimis tardè cogitatur. Hinc poëta dicit. *Principiis obsta, sero medicina paratur: dum mala per longas conualuere moras.* Pericula dissimulata

Ouid. lib. 1. de rem. amoris.

ex

ex tempore roborantur: & quod in principio curam facilem recipit, paulatim incurabile efficitur vulnus. Simul attendite, ne modo neglectus error in immensum successu temporis crescat, quando nullus inuenitur, qui se pro ordine constanter opponat.

Quod si dixeriris dimembrationis auctoribus litem semper fuisse oppositam, eosq; nihilominus prœualuisse, illud Virgilianum respondeo: quoniam tarde venere bubulci. Post firmamentum literarum: lata non facilè reuocatur sententia. Nam si Pilatus, quod semel scripsit, immutare non voluit: quomodo summus pontifex Vicarius Christi semel decretum reuocabit? Facilius impeditur sententia, quam reuocetur. Ius autem suum qui negligit, aduersario concedit. Vigilandum est omnibus in causa, quæ omnes tangit: quia quod ab vno eripitur, omnibus ablatum iudicatur. Quotienscunq; monasterium ab ordine nostro rapitur: hæreditas nostra communis in parte dissipatur. Si quis domum vel agrum tuum occupare tentauerit, coram iudice mox illum accusas, inhibitionem mox postulas, & donec vincas aduersarium, à lite non cessas. Cur ergò nos omnes non facimus in causis ordinis publicis, quod quilibet facit in priuatis? Nunquid impossibile erit multis, quod facit vnus? Nisi forsitan, vbi multitudo ibi sit & confusio, vt quod diuersis committitur, negligentius conseruetur. Libenter enim amplectimur, quod sibi proximus esse quilibet iubetur.

Sed dum contracto vndique corpore quasi ericius in nobis nostra reuoluentes curam ordinis abiicimus, capti tandem venatorum insidiis de remedio fugæ sero cogitamus.

Vos iam igitur, Patres reuerendi, ea quâ decet beneuolentia moneo: qua possum attentione requiro, ordini vestro prope labenti succurrite, & his dimembrationibus quantocyus obuiate.

Nolite pecuniam necessitatibus tantis præponere: nolite denarios, plusquam ordinem amare. Turpis est diuitiarum custodia: qua non iuuatur in necessitate res publica.

Quid proderit vobis auri insatiabilis cupido si ordinis vestri tam sancti, tam venerandi, tam glorioſi prœualeat desolatio? Si antecessores nostri non maiori cura, quam vos vigilassent pro ordine, dudum in multis cœnobiis nomen religionis nostræ defecisset.

Imitemur ergò eorum constantiam, quorum suscepimus hæreditatem. Si Deum diligimus, si honorem ordinis amamus, si conseruare illum cupimus, de remedio in tempore cogitemus. Conferamus ad conseruationem ordinis pauca, vt mereamur multa recipere: expendamus partem, vt possimus totum conseruare: offeramus vilia, vt pretiosa valeamus acquirere: demus terrena, vt cœlestia queamus possidere.

Impendamus pecuniam, impendamus & orationem quoniam illa homo, hac Deus placatur.

Quicquid habemus ad ius sancti patris nostri Benedicti pertinet: cui pro conseruatione ordinis, dum aliquid impendimus, non nostra damus, sed sua illi reddimus.

Enimuero non solum pro animabus nobis commissis illi sumus obnoxii: sed etiam pro substantia monasterii ad rationem obligati.

Nunquam autem tutior de censu ratio redditur, quam si pecunia in causis domini opportune exponatur. Si autem pecunias in necessitatem domini parcitur: de infidelitate famuli suspicio generatur.

In exordio huius capituli titulum de modo resistendi dimembrationibus prauorum præscripsimus: quem ne intactum præteriisse videamur, breuiter explicemus.

Et quamuis ad me non pertineat ista tractatio? tamen cum sim eiusdem ordinis vestri alumnus & amator capituli, nõ erit vt reor vobis onerosa auisatio discipuli. Vestrum est, ô Patres, verum à falso discernere: mihi sufficiat, quod sentio, explanasse. Modus autem obuiandi his monachorum præsumptionibus, facilè discitur, si ab exemplo in praxim conuertatur. Videte ordines cereros, & ex eorum diligentia, quid vobis faciendum sit, agnoscetis. De suis procuratores in vrbe Romana constituunt, qui malorum principiis viriliter obsistunt:

Modus cauendæ dimembrationes.

sistunt: & nihil contra ordinem suum conualescere permittunt.

Et vos, Patres, nisi simile feceritis, grauia damna in posterum sentietis. Si ergò fieri potest, si placet, eligatur aliquis ex ordine vir zelosus, deuotus, doctus, & expertus: qui non minus fauore, quam zelo pugnet: qui publicis commoda sua non præferat: qui labores non fugiat: qui contra commissionem sibi faciendam nihil sua temeritate attentet: qui procurator ordinis constitutus in vrbe pro eodem semper solicitè inuigilet. Credo, si talis haberetur, multa pericula ordinis præueniret. Maxima enim prouidentia est, si procurator in vrbe falsa & ficta denunciare coram Papa potuerit: quæ perueršī monachi pro dimembratione sua, vt vera, mentiuntur. Et hoc non magnæ difficultatis opus est. Omnes enim causæ, quas allegant formidine & mendacio plenæ sunt. Vicarius autem Christi (qui magis importunitate, quã fauore translationes monachorum concedit) cum allegationes eorum diligentia procuratoris nostri repulsas perspexerit, gaudebit se occasionem inuenisse negandi, quod inuitus concedit. Nam & ipse iudicium Domini sui pertimescit. Si ergò vigilaremus, defensorem ordinis nostri illum haberemus & aduocatum. Sola negligentia nostra arguitur, sola parcitas damnatur.

CAPVT VI.

CONTRA EOS QVI BONA MONASTERIORUM inutiliter consumunt, & ordini vel in modico subuenire contemnunt.

SED libet iam impetum verborum in eos vertere, qui ordini sancto in tantis necessitatibus nec in modico dignãtur subuenire. Isti sunt Abbates mundani, inutiles, voluptatibus dediti: qui (vt verbis Mantuani vtar) *Neglecto superum cultu, spretoq; tonantis imperio, Baccho indulgent, Veneriq; ministrãt. Sacra ferunt auro, nũmis altaria condunt: auro vina libant, auro laquearia fulgent. Scorta tegunt gemmis, canibus conuiuia ponunt: exuuiis inopum culti, ditesq; rapinis: successu elati, superos, Acherontaq; rident.* Nulla eis de animarum salute cura est, amor Dei nullus, nulla reuerẽtia Sanctorum, exercitatio nulla virtutum. Hi sunt Abbates Capitulo vestro rebelles, qui statuta negligunt, sanctiones spernunt, regulam contemnunt. Ex abiectis magnificati sunt: sed honorantem se ordinem impiè cõtempserunt. Sanctus Benedictus te, ô Abba ingrate, sublimauit, diuitem te fecit, monachũ suscepit, fratrum suorũ pastorẽ constituit. Quare ergò non recognoscis munificentiam legislatoris tui? Quare vicem non rependis beneficiis eius? Quid habes, quod de regula eius non accepisti? Quis tibi commissum dotauit cœnobium? Nonnè deuotio principum, & eleemosynæ fideliũ populorũ? Cur ergo beneficiis tantis ingratus es? Ecce nihil minus, q̃ obseruantiam regularẽ cogitas, disciplinã respuis, Deum spernis, eius præcepta contemnis, & de securitate præsumis. Ecce in auibus cœli contra regulam ludis: ecce in canibus immunditiæ contra legem clericorum venaris: ecce in voluptatibus carnis contra honestatem delectaris: ecce, quod turpissimum est, contempto castitatis iuramento cum meretricibus & lenonibus substantiam sancti Benedicti consumis: Triginta vel quadraginta nummos auri in balneo non times exponere: & sancto Benedicto vel vnum renuis offerre. Mentior, si non noui Abbates qui plus quam quinquaginta florenos in thermis consumpserunt: è quibus nonnulli primi sunt, qui subsidiis Capituli resistunt. Alii etiam ex his, qui Obseruantiales dici volunt, secreti & quietis impatientes, diu in cœnobio non valentes consistere omnẽ

Mant. l. 2 de calam. temp.

Abusus Abbatũ quorundam.

a sti

æstimant occasionem idoneam, qua possint cum magnis expensis hincinde transmigrare. Quid dicam de structuris & curiosis & superfluis, quæ non minus reprehensioni quam expensis obnoxiæ sunt?

Picturis ornantur parietes: auro pinnacula fulgent: monimentis fenestræ notantur: clamant ad ianuam pauperes: ordo sacer angustiatus petit auxilium, & nullus dignatur subuenire. O Abba minister voluptatis, cultor vanitatis, pietatis inimice, qui substantiam monasterii turpiter effundis, qui auro vina libas, qui ordini tuo subsidium negas, quemadmodum sancto Benedicto rationem villicationis tuæ redditurus es? Si diues epulo in inferno sepultus est, quia Lazaro de suo propter Deum auxilium non contulit: quo sepelietur Abbas, qui aliena suo Domino negauit? Si semper ardebit, qui de suo non fecit eleemosynam: quid meretur Abbas, qui fecerit rapinam? Quid habes ô Abba, quod non accepisti?

Luc. 16.

Omnia enim quæ possides, ad ius sancti Benedicti pertinent: Morale autem est omnibus, vt qui viuit iustitiæ subsidio, nulli, quod iustum est, audeat denegare. Diffinitio iustitiæ est, reddere vnicuique, quod sibi iure debetur. Nos autem in cœnobio constituti nihil habemus proprium, sed sub bona fide possidemus alienum. Alienum autem restitutioni censetur obnoxium. Omnia enim, quæ ad monachorum sustentationem principes ac fideles populi cœnobiis contulerunt, sancto Benedicto tradidisse memorantur. Si ergo substantiam eius dissipaueris, si quod suum est illi reddere contempseris, duplici damnationi subiacebis: quippe qui de infidelitate sacrilegus, de negata fide iudicaberis criminosus.

Omnia bona cœnobii ad ius S. Benedicti pertinent.

Redde igitur vnicuiq; quod suum est: & tibi ne vsurpaueris, quod tuum non est. Da legislatori tuo, quod iure postulat: da ordini eius auxilium, quo subsistat. Quare non impendis religioni tuæ debita subsidia? Quare non reddis illi partem, qui tibi contulit totum? Cur illi negas modicum, à quo multum recepisti? Nunquid cœnobii tui paupertatem allegare poteris, qui tam multa turpiter consumis? Pudet me dicere, quod facere Abbates multi non verentur: qui voluptatibus carnis nõ tam submersi quam furiosi, nihil honestatis monasticæ custodiunt, nihil turpitudinis mundanæ omittunt. Omnia sibi licere existimant: qui non quid deceat, sed quid libeat explorant. Ecce ille monasticam abhorrens quietem, vagis discursibus in mundo quærit solatium: iste secreti regularis impatiens, pomposus procedit in publicum: alter disciplinam honestatis vituperans, tota die leuibus personis conuiua ebriosus assidet: hic mansuetudinem sanctorum contemnens, se litigantium causis immiscet, ad tabulam ludens alius residet: alius ad tympanum stolidus saltat. Quid non præsumunt Abbates ambitiosi?

Quid voluptatis transeunt intentatum? Cænanti famulorum curuantur genua: transeunti ecclesiarum sternuntur tapetia: progredientem in publicum seruorum ingens sequitur copia. Inuenies (non mentior) Abbatem inter eos etiam qui reformationis nomine gloriantur, cuius tanta sit ambitio, vt episcopo non velit dici inferior: qui ad mensam cum tanto apparatu residet, vt cuilibet principi copia vasorum, cibi potusq; varietas, ac ministrantium multitudo possit sufficere. Denique, si procedenti per ciuitatem huic veneris obuiam, tanta famulorum multitudine vallatum cerneres, vt non Abbatem sed Archiepiscopum transire putares.

Si pauperes se non fingerent, sed essent, in tanta solennitate vanitatis minimè effluerent. Certus enim sum, quod prædam sequitur ista turba non hominem.

De pauperibus prædam inuenire quis optet? O Abba pastor fugitiue, dispensator bonorum Domini tui ingrate & infidelis: qui substantiam monasterii tam inutiliter expendis: qui voluptuosè & turpiter viuis: quis in extremo examine auxiliabitur tui? Quem rationis reddendæ procuratorem constitues? Ecce bona sancti Benedicti

dicti in voluptate consumis: parentibus tuis inde subuenis: turpibus hominibus munera largiris: adulatoribus tuis dona diuidis: ingluuiæ & ebrietati, die noctuq; inseruis. Tu pinguissima terræ comedis optimaq; vina bibis: monachi pauperes in egestate viuunt: fratres humiles panem doloris edunt: oues tibi cõmissæ vilibus pascuntur. O pastor vane, qui gregẽ dominicum negligis: qui necessitates fratrum tuorum contemnis: memento cui rationem redditurus sis: reminiscere quã horrendum sit incidere in manus Dei viuentis, qui personam hominis non respicit: qui vnicuiq; iuxta opera sua mercedem rependit. Sed audi consilium meum & age pœnitentiam: & peccata tua eleemosynis redime, immo debiti redditione absolue: quatenus apud internum iudicem misericordiam merearis inuenire. Depone supercilia, fastum abiice, vanitatem derelinque. Esto Abbas fratrum tuorum secundum regulam, esto pastor solicitudine, pater caritate. Pasce illos verbo, pasce exemplo, pasce alimento, quorum si vnum omiseris, pastor inutilis eris. Nam sine spiritualibus ad æternam salutem temporalia nihil faciunt: sine auxilio temporalium spiritualia in hac vita diu non subsistunt.

Abbas qualis esse debet.

Si ergò bonus vis esse pastor, vtriusq; pastionis curam spiritualis videlicet & corporalis tibi noueris esse impositam. Debiti dixeram redditione peccata tua soluenda. Cuius debiti? Illius videlicet, quo sancto Benedicto censeris obligatus. Quid est illud? Id totum quod habes. Ab eo enim habes, quod monachus es: ab eo quod Abbas: ab eo quod locuples. Nunc itaq; is, à quo hæc omnia habes ad ianuam tuam pulsat: pro necessitate ordinis sui auxilium postulat, minima de maximis quæ tibi commisit recipere desiderat. Cur bona sua illi denegas: cur tibi credita dum exigeris non ilico resignas? Scriptura diuina præcipiens dicit. *Si videris nudum operi eum: & carnem tuam ne despexeris* Ecce nudus ordo tuus, ecce lacera clamat religio tua, eleemosynam petit, suum repetit, auxilium quærit. Si vlla in te sunt viscera pietatis: si vlla præcordia dulcedinis, si vlla tui ordinis dilectio, si amor Dei vllus, carnem tuam ne despicias, tantam necessitudinem publicam ne contemnas. Honora eum, qui te prius honorauit: da illi eleemosynam, qui te sublimauit: largire modicum illi, qui te in multis diuitem fecit. Quantumcunq; illi dederis, non minuitur tibi quicquam: si bonam tantummodo adhibeas voluntatem. Modicum dabis, & multũ recipies: terrena largiter tribues, & cœlestia sperabis. *Isa. 58.*

Nec te lateat, quoniam (vt vulgo dicitur) quicquid honori subtrahit, turpidini reseruatur. Dicit enim sententiator iuris. *Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus.* Non caret reatu criminis, qui auaritiam præponit ordini pietatis. Sed quid frustra nitimur? Non habet locum in cordibus prauis sermo pietatis. Qui verba Dei despiciunt: quid mirum si nostra contemnunt? Multa licet eloquar, multa dicam, egregia suadeam: verbis ad contribuendum ordini rebelles nunquam inclinauero. Enimuero, nisi auctoritas vestra ô domini pręsidentes interueniat, monentis sermo inuanum laborat. Ad officium igitur vestrum pertinet rebelles flectere: vobis committitur inobedientes humiliare: nostrum est vestris sanctionibus humiliter obtemperare. Si ergo cupitis ordinem nostrum à prauorum incursu defendere: curate inprimis Abbates rebelles ad obedientiam reuocare: quia nisi ordinis instauretur vnanimitas, facilè prævalebit aduersariorum impietas. Ait namq; in Euangelio Dominus. *Omne regnum in seipso diuisum desolabitur, & domus supra domum cadit.* Sola diuisio confundit ordinem. *Matt. 12.*

CAPVT VII.

QVEMADMODVM SINT COGENDI AD subueniendum ordini abbates inobedientes & rebelles.

SI desit iudicibus auctoritas coërcendi rebelles, frustra legislatio fiet. Semper enim nitimur in vetitũ: & nisi coacti præceptis reluctamur. Nam vbi non est metus potestatis, conditio iuris cito contemnitur. Conseruatio ergo legis, timor est potestatis. Vbi autem remissio potestatis dissimulat, vigor iuris vacillat. Constitutio enim, quantumlibet sancta vel necessaria, in obliuionem cito rapitur: si desit auctoritas, qua contemptus puniatur. Tolle potestatem, & aliud non erit respublica, quam plena seditionis confusio. Rustica enim feritas ratione non ducitur: mansuetudine non sedatur. Inter nostrates quoque (Deus emendet) multi sunt Abbates & monachi, rusticis grossiores, bestiis immitiores: qui ad obseruantiam mandatorum Dei & regulæ mansuetudine non flectuntur: exhortationibus quantumlibet sanctis nunquam persuadentur. His, si auctoritas præsidentium non obuiauerit: nulla vnquam obedientia Capituli ducentur.

Ob eam causam summi Pontifices huius sacratissimi prouincialis Capituli fundatores multa nobis opportuna statuerunt remedia: quibus ad subuentionem ordinis subiectos Capitulo Abbates possimus compellere. Habemus auctoritatem: de potestate hæsitamus. Et quid valet auctoritas sine potestate? Si vultis, ornatissimi patres, vt apertius dicam, quid potestate auctoritatis figurare voluerim: dabitis veniam, si pusillanimitatem vestrã (ne dicam negligentiam) notauero.

Abbatiæ 127. sub Capitulo Prouinciali fuere.

Ecce centum viginti septem Abbatias sub nostro Capitulo prouinciali constitutas agnouimus: sed non ab omnibus subsidia contributionis debitè accepimus. Quare hoc? Auctoritatem exigendi recepimus, sed potestatem non exercemus.

Sponte oblata recipimus: inobedientes cogere formidamus. Certus sum etenim, quod multi Abbates nostræ prouinciæ ad subuentionem ordinis nihil contribuunt: immo si requirantur, quasi ex præscriptione contradicunt. Quid est quod facimus? Quare tamdiu dissimulamus? Sponte currenti adhibemus calcaria: iacenti immo recalcitranti, nec verbera quidem apponimus. Hinc statutorum nostrorum contemptus nascitur: auctoritas Capituli despicitur: hæreditas ordinis vndique vastatur. In vos hæc ferenda sunt, ô Patres, qui rebelles in principio domare negligitis. Considerate, quid paritura sit tandem ista dissimulatio: &, si ordinem vestrum diligitis, de remedio quantocyus cogitate. Debile corpus est & dissolutioni proxmum: quod solatio membrorum suorum destituitur. Ecce de centum vigintiseptem Abbatibus quam paucos cernitis in præsenti Capitulo, qui omnes interesse debuerant ex statuto. Vbi sunt reliqui? Vbi omnium procuratores absentium? Pauci ad necessitatem ordinis contribuerunt: statuta ordinis seruant pauciores: ad Capitulũ paucissimi conuenerũt. Vbi sunt litteræ excusatoriæ illorum, qui procuratores non miserunt? Vbi expensæ duplices rebellium? Quis absentium & rebellium pœnam dupli in multis annis vnquam compulsus est soluere? Quid prosunt nobis statuta, quid iura, quid priuilegia summorum pontificum iuuant, si in tempore necessitatis non practicantur? Ecce Benedictus papa duodecimus nobis opportunè in omnibus prouidit: dum aduersum contumaces & rebelles censurarum frena imponenda

Puniendi qui ad Capitulã non veniunt, nec cõtribuũt

promulgauit. Quid ergo moramur? Quare contra inobedientes concessa nobis remedia non practicamus? Verè, Patres, non est laudabilis ista, quam facimus, dissimulatio nostra. Paucorum enim dissimulata rebellio, multis reluctandi erit occasio. Si autem per disciplinam paucitas ad obedientiam compellitur, audacia multitudinis timore coërcetur. *Omne regnum in seipso diuisum desolabitur:* & omnis religio à seipsa dissentiens paulatim dissipatur. Non est venusta species ordinis: vbi tumultuatur confusio vnitatis. Prima enim in omni republica desolationis via est: inobedientia subditorum. Si ergo (patres venerandi) Capitulum prouinciale continuare cupitis: si dimembrationibus monachorum obuiare vultis: si denique ordinem vestrum ab inimicorum moribus defendere optatis, curate in primis ad obedientiam reuocare contumaces: ne quod foris per industriam acquiritis, intus per diuisionem subditorum amittatis. Quod quidem in primis suauissimis exhortationibus tentandum est: quas si obdurata ceruice contempserint, durioribus sunt increpationibus feriendi. Si verò nec blanda curauerint, nec aspera, iam contra eos censura promulgetur ecclesiastica. Stulti enim cohortationibus non emendantur, sed elati fiunt: In his tamẽ modus habẽdus est, & necessaria discretio, sine quibus nulla vnquam mitigatur rebellio.

Satius est enim oues habere debiles, quam nullas. Sed quis tam idoneus, vt discretionem vbiq; custodiat? Difficile est modum omnibus adhibere factis. Oportet autem eum, qui animas infirmas curare vult, & seuerum esse & pium: & velut ex vtroq; quodam medio temperatum: vt nec seueritas sit nimia nec pietas remissa. Nam alterum frãgit, alterum resoluit. Modus autem coërcendi, rebelles & contumaces ille pulcherrimus est, quem longa experientia seniorum commendat.

CAPVT VIII.

DE CELEBRANDO CAPITVLO PROVINCIALI.

CONVENIENTIBVS nobis in vnum præstantissimi Patres quid celebratio Capituli prouincialis requirat, sollerter indagemus. Maxima enim vis stabilitatis nostrę in ipso ponitur, si rite celebretur.

Capituli prouincialis vtilitas.

Nam vnicum ordinis nostri fortalitium est: sine quo tota confunderetur religio nostra, sicut apparet in eis, qui in multis annis nulla celebrauerunt capitula. Capitulum enim est conseruatio ordinis, incrementum disciplinæ regularis, adunatio vnitatis. In eo namq; moribus datur integritas, mentibus augetur puritas, vitæ regularis instauratur æqualitas. Sed ad illud quid requiritur, vt ritè celebretur?

Quid requirat.

Audi quid celebratio eius sincera expostulet. Requirit ergo zelum, requirit scientiam, requirit pietatem. Sine his tribus nihil valet celebratio Capituli. Nam si desit zelus, quis corripiet delinquentes? Si desit sciẽtia, quem fructum eusebia pariet nimia? Rursum si desit pietas, nec zelus amorem recipit, nec scientia disciplinam.

Ad omnia enim pietas valet. Zelus acuit, scientia dirigit, fructum pietas producit. Sine zelo scientia manet frigida: sine pietate infructuosa. Item zelus sine scientia erit nimius & indiscretus: sine pietate odiosus. Sed pietas ad omnia valet: quamuis sine zelo & scientia ad animarum regimen non sufficiat. placet enim cunctis: solis proficit semota humilibus.

Summa igitur celebrandi Capituli in dispositione præsidentium consistit: quæ viros zelosos, doctos, & mãsuetos requi-

quirit. Nam si remissi, si imperiti, si crudeles & impii fuerint: quomodo tunc ad pietatem alios reformabunt? Si is qui sedet crimina vindicaturus, ea admittit: quos sui similes emendabit? Ad vos itaque Patres, hæc culpa referēda est: si Abbates deformatos & vitiosos ad præsidentiam elegeritis. Maxima igitur solicitudine curate, vt tales ad præsidendum Capitulo deputetis, quos irreprehensibilis vita commendet, zelus sanctæ religionis exacuet, eruditio scientiæ salutaris distemperet. Oportet enim præsidentem aliorum virum esse moribus integrum, conuersatione maturum, zelo feruidum, scientia scripturarum instructum, mansuetudine decorum. Hic talis nobis, ô Patres, merito præferendus est: cuius vita exemplum, doctrina virtutis præbeat incrementum. Si tales fuerint præsidentes Capituli, ad obedientiam facilè reducentur eidem subiecti. Erunt enim ad præsidendum idonei, qui verbo possint instruere dociles, exemplo rudes, auctoritate contumaces. His etenim modis ritè celebrabitur Capitulum: animæ quoque ædificabuntur subditorum. Cætera, quæ præsidentes reddant idoneos, hac vice mihi non licet describere: quoniam quales esse oporteat, neminem ex eis credo ignorare. Ad vos igitur, ô Patres, denuo conuertor, qui pro celebrando Capitulo in hunc locum conueniſtis: vos alloquor, vos exhortor, vt intentionem vestram ad instaurationem ordinis dirigatis, & quare sit institutum Capitulum solicitamente cogitetis. Vultis nosse, quare sint instituta Capitula? Decreta summorum Pontificum requirite: & causam institutionis eorum cognoscetis. Verum, ne aut pigritia, aut occupatio intellectum huius rei præpediat: causam erectionis Capituli breuiter explicabo. Causa ergo prouincialis Capituli, conseruatio est regularis instituti. Videntes enim Romani pontifices & generalium Conciliorum præsidentes ordinem nostrum sine remedio speciali in obseruantia non diu posse subsistere, per Capitulum prouinciale statuerunt illi succurrere: in quo per solertiam præsidentium omnes ad regulam instituerētur viuere, & nullus posset ab incœpta reformatione deuiare. In Capitulo enim Abbatum sunt emendanda vitia, virtutum facienda hortamenta, vt mali inueniant: vnde timeant: boni audiant, vnde meliores fiant. Idcirco leguntur ad ædificationem varia, vt bonis mentibus semper assint incrementa. Ibi Abbas de regimine suo instruitur: ibi de periculo curæ pastoralis auisatur: ibi quid faciat præcipitur: quid vitet, amore Dei, prohibetur. Denique sic nobis conuenientibus ad Capitulum multa proueniunt vtilia: quæ si animarum salutem quæramus, valde sunt necessaria.

Causa institutionis Capitulorum.

Nam, vt cætera præteream, mutuà in caritate notitia ibidem concipitur: quæ quantum ad amorem regularis obseruantiæ conducat, experientia demonstratur. Ibi ex notitia caritas fraterna & conseruatur & augetur: quæ alioquin cito tepesceret, si fomentum agnitionis mutuæ non haberet. Hic ad vniformitatem facilis patet accessus; vbi moribus honestis ex collatione Patrum mutua paratur incendium: ex conuictu, sanctitatis præbetur exemplum. Hæc sunt castra Dei, ô Patres, ordinisq; nostri propugnacula: quibus omnia aduersariorum nostrorum ad nihilum redigantur ingenia. Sed non omnium vna sinceritas: nec morum in vobis apparet æqualitas.

Vnde potuit in vno ordine tanta oboriri morum disparitas, vbi capitularis aspicitur vnitas? Quis diuisit inter vos & regulam sancti Benedicti ô Patres, concreto crine comati? Cur ad vniformitatem non aspicitis, qui vnitatis conuentum celebratis? Si ordinem sanctum, quem profitemini diligitis, cur vniformitatem in illo non amatis? Quid vobis criniti capitis vmbra? Quem fert putatis ornatum cirrosi verticis culmen?

Arguit eos ob conformitatem dissimilitudinem.

Credite mihi patres: dedecus non honor censetur in monacho crinibus obducta facies. O quam pulchra foret ista conuentio: si in vnam regularis obseruantiæ disciplinam, vt debuerat, conueniret. Quid dicam? Laudo conuentum: sed deformitatem in suis reprehendo. Nam propter confusionem ordinis præsentia vilescit vnitatis. Exterior habitus indicat, quod vitam multorum interior amictus reprehendat. Verè,

Patres, offendit non mediocriter prouinciale Capitulũ morũ causam habituumq; ista disparitas: quod ob eam noscitur institutum, vt præ omnibus vitæ seruaretur æqualitas. Exterior enim discordia interioris discordiæ indicium est. Vt ergo in obseruantia regularis disciplinæ simus vnanimes, studeamus habitu & tonsura in primis esse conformes.

CAPVT IX.

QVAM NECESSARIA FORET DILIGENS REformatio monasteriorum in nostra prouincia.

QVAM necessaria sit diligens reformatio monasteriorum in nostra prouincia, vosipsi, ô Patres, cognoscitis: qui statum monachorum huius temporis non ignoratis. Notum vobis noui, quantis laboribus, expensis, & sudoribus Patres ordinem nostrum olim reformarint: de quibus monimenta & pauca & debilia nostra ætate inuenimus. Inter omnes autem reformationes ordinis nostri in nostra prouincia tres præcæteris nouissimè claruerunt: videlicet Castellensis à castello: Mellicensis à Mellico: Burszfeldensis à Burszfeldia sortita nomẽ: quæ omnes, sicut in principio feruebant, ita paulatim tepescentes fini appropinquant.

Tres reformationes ordinis præcipuæ.

Nam primæ duæ, quasi confectæ senio, in paruum numerum cõtractæ sunt: vltima verò, quæ & posterior est, quia adhuc iunior, etiam videtur esse constantior. Quæ & ipsa nihilominus iam in quibusdam membris suis videtur tepescere, & ad laxitatem vitæ prioris rursum declinare. Sic olim reformatio Cluniacensis toto nota in orbe, dum in longum latumque se transtulit, quasi viribus ex dilatatione amissis paulatim defecit. Prouerbio namque dicitur. *Omne quod vetrascit, prope interitum est.* Reformatio enim quantumcunque celebris vel sancta fuerit, nisi per solertiam prælatorum sæpe renouetur, paulatim euanescit. Quanto enim crescit ex tempore, tanto minuitur in feruore. Decedentibus namque his, qui ordinis zelum in opere demonstrarunt, qui reformationis sanctum feruorem negligentes in pristinas deformitates relapsi sunt. Et, vt viciniora tangamus, vbi est illa reformatio, quam Nicolaus Chusensis Cardinalis atque Legatus incredibili zelo inchoauit? Vbi sunt illa iuramenta terribilia omnium Abbatum nostræ prouinciæ: quibus se ad obseruantiam regularem in manus eiusdem Cardinalis ante aram sancti Stephani Herbipoli obligarunt?

Hebr.

Nicolaus de Cusa reformauit ordinẽ

Vbi est promissa obseruantia regularis? Ecce Patres centum vigintiseptem Abbatias sub vestro habetis capitulo: de quibus ex tribus iam dictis obseruantiis vix septuaginta sub reformatione permanserunt. Sunt tamen non dubito, qui se putant optimè reformatos, sed conuersatio negat. Vtinam attenderẽt Abbates comminationem sancti legislatoris nostri sæpius iteratam: quam regimen animarũ exactissimæ rationi dicit obnoxium. Vtinã creditas sibi oues ad pascua vitæ cœlestis compellerent: ne ipsi cum ouibus inæternum perirent. Videte conuersationem tam Abbatum quam monachorum sine lege honestatis monasticæ in circuitu fumantẽ: de qua cognita mihi loqui pudor est, audite vobis ô Patres colendissimi, horror.

Tria enim vota religionis (quæ ob sui excellentiam substantialia dicuntur) non minus curant, quã si obseruare nunquam promisissent. Omnia confundunt, omnia temerant, omnia præsumũt. Si ad diuinũ cultum respiciamus, tam confusè, tam inordinatè, tã dissolutè illud perficiunt, vt nec verba sensum, nec debitum melodia resonet tonum.

Omnis

Omnis enim eruditionis bonarum artium expertes sunt: ita vt eorum, quæ canunt, nihil pœnitus intelligant. Vnde fit, vt sine affectu, sine deuotione, sine sapore internæ dulcedinis horas non tam persoluant, quam confundant canonicas.

In eorum manibus codex diuinæ scripturæ nunquam aspicitur: sermonis ædificatorii ratio nunquam assumitur: de morum institutione nunquam ratio habetur. Dies obscenis rumoribus tota consumitur: ludis & comessationibus omne tempus mancipatur: nulla vnquam de reformatione mentio habetur. Sæuit inuicem discordantium rabies, & inter cappas, pace rupta, cœnobium lege contempta litibus iungit insanum. Hasta illic, & gladius, & arcus præsto sunt: vt non cœnobium credas sed bellantium, quod cernis, defensorium. Testes suæ proprietatis, contra statuta, contra iura, contra regulam, domus separatas singuli inhabitant: in quibus non monachorum studia, sed clericorum exercent. Deum nec timent, nec amant, de futura vita nihil cogitant: quippe qui causas animæ postponunt voluptatibus carnis. Regulam monachorum non legunt, statuta non aduertunt, Patrum decreta contemnunt. Votum paupertatis spernunt: castitatis nesciunt: obedientiæ vilipendunt: Et vtinam, quia casti esse renuunt, continentes saltem esse dignarentur. Fumant stercora vitiorũ in circuitu: & quod omnes norunt, nos soli qui emendare iubemur, ignoramus. Quid multis vtar?

Tam plura, tam magna, tam varia, contra regulam sancti Benedicti committunt illicita, vt facilius existimem à nouo monachum instituere, quam istorum posse vitam emendare. Nil enim monasticæ honestatis inuiolatum apud illos perseuerat: sed omnia neglecta, omnia spreta, omnia contempta, & lacera iacent. Ira, rixæ, dissensiones, inuidiæ, detractiones, maledicta, iuramenta, opprobria, hisq; similia, non iudicantur apud illos esse peccata: quia cœpit esse licitum, quod publicum est. Vitiis locus patet atque criminibus: virtus sola non meretur accessum. Rident, si quis de pœnitentia coram eis cœperit habere sermonem: & sicut Mantuanus ait, *superos, Acherontaq; spernunt:* nullus de supplicio metus, de iudice timor nullus est. Cerneres apud eos, quasi in scaturigine omnium vitiorum, abundare superbiam, auaritiam, libidinem, ingluuiem, acediam, iram, odium, omnẽq; voluptatem carnis: quam, si possunt apprehendere, gaudent: si non possunt, tamen sedulò concupiscunt.

Computruerunt iumenta in stercore suo: & veluti ratione amissa ad pœnitentiam non volunt reuocari. O, bone Deus, ad quantam calamitatem deductus est ordo quondam excelsus: qui omnibus potuit merito præferri ordinibus? O, sancte pater Benedicte, qui olim tam solicitus fuisti pro religione tua, cur nos in finem deseris?

Cur ad hæreditatem tuam non respicis? Quare ordini tuo iamiamq; labenti non succurris? Nunquid curam illius abiecisti? Aut filios tuos abominata est anima tua? Succurre, subueni, fer auxilium: quia nunquam fuit religio tua tam grauibus circumdata malis. Ecce à mundi amatoribus foris destruitur: ecce à monachis peruersis intus laceratur: vt quid maioris sit criminis nemo facilè possit discernere: cœnobia in manus secularium clericorum transferri, an sub manibus tam sceleratorum monachorum diutius haberi. Heu pater sancte, quid dicam?

Tu Abbates quondam instituens circa monachos infirmos præcepisti esse solicitos: iam pastoribus nulla de ouibus cura est, de animarum salute diligentia nulla: omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Ecce filii tui pater, zelum habentes succurrere cupiunt: sed nihil proficiunt, malorum temeritate præpediti. Quis inter hæc verò subueniat? Episcopus? Sed sua curat, sua quærit, nostra despicit. Princeps? Sed fauorem vendit: disciplinam respuit, tẽporalia quærit. Nemo est qui doleat super contritione ordinis tui: nemo qui subueniat: nemo qui auxilium impendat. Omnes, qui possunt eum instaurare, negligunt, alii qui zelum disciplinæ habere videntur, subuenire conantur, sed nequeunt. O Abbates Abbates, qui omnium malorum in cœnobiis vestris estis occasio: qui vanitatibus dediti monachos de-

linquentes non statim corripitis, quam duram damnationis sententiam accipietis? Vobis (credite mihi) vobis imputabitur monachorum vestrorum damnatio: qui rectores eorum positi mores instituere neglexistis. Væ vobis. Melius esset, si Abbates nunquam fuissetis. Vos auaritiæ & libidini vacantes opus Domini negligitis, curam animarum despicitis, de obseruantiæ semita nihil cogitatis. Qui vitia monachorum debetis corrigere, vitia committitis: & ne arguantur vestra, dissimulatis aliena. Cernitis, ô Patres ornatissimi, quis sit ordinis vestri status, qui Abbates, qui monachi: quoniam qui corrigant improbos, desunt: soli apud illos, qui corrigantur, occurrunt. Quid ergò moram facitis? Quare de reformatione talium non cogitatis? Cur monachorum iniqua studia non coercetis? Nos confundit illorum diffamatio: nos scandalisant illorum exempla: quoniam, quo numero sunt plures, eo creduntur à nescientibus actione potiores. Exurgite, Patres, quoniam dies & breues & mali sunt: reformate pro viribus ordinem deformatum: erigite deiectum: instaurate collapsum. Nisi enim cito apposueritis remedium, graue sentietis in breui detrimentum. Monachi namq; dissoluti & regularis disciplinæ inimici ad peiora semper aspirant: & ne in ordine saluentur, illum deserere laborant.

Habetis pro reformatione inchoanda iuris auxilia: habetis regulam, habetis statuta, hoc solum à vobis requiritur, vt illa practicetis. Si ergo diligitis ordinem vestrum, immo quia diligitis, nolite negligere, nolite tardare, quia maxima vrget necessitas, cum peruersorũ monachorũ vbiq; præsumat impietas. Ecce diuites mundi bona cœnobiorum violenter rapiunt: ecce possessionis ordinis amaritiæ cultores inuadunt: ecce Abbatias sancti Benedicti in commendas clerici seculares accipiunt: quæ omnia non fierent, si in obseruantia regulari Abbates & monachi perseuerassent. Nobis ergò imputemus, quod patimur: qui malorum temeritatibus non à principio reluctamur. Nobis, inquam, hæc culpa iustè ascribitur: qui nostris commodis intenti ordinis damna velut aliena non curamus. Exsurgamus oro, Patres, exsurgamus vel serò tandem post tot damna, tot pericula, tot animarum perditionem: & faciamus quod in nobis est, Dei misericordiam de reliquo postulantes, vt nostrum defectum suppleat, zelum dirigat, conatus sanctos perficiat. Et si totum ordinem ad vnitatem bonæ conuersationis non valemus reducere: studeamus eos saltem, qui in nostra prouincia sunt monachos pro posse reformare. Quod si non potest omnimoda conformitas haberi in omnibus: in tribus saltem reformentur substantialibus; sine quibus vita monachorum nihil aliud censenda est, quam animæ infidelis turpe prostibulum, Reformatio autem ab Abbatibus incipienda est: & in monachos deinceps continuanda. Nisi enim pastor ad sinceritatem reductus fuerit, ouium sanitas diu non durabit. Vulgo namq; dicitur. *Dum caput ægrotat, cætera membra dolent.* A capite igitur omnis ornatus corporis inchoandus est. Sunt quidam Abbates deformati, qui ad reformationem monachos suos velint compellere: sed ipsi obseruantiæ regulari nec in minimo volunt subiacere, odio habentes in se bonum, quod in aliis diligunt, & quod subditis prohibent, per se facere non erubescunt. Talibus, ô Patres, nolite confidere: ipsi sunt enim, qui nos confundunt, visitationes spernunt, decreta Capitulorum contemnunt. Faciat nos experientia cautos: quos zelus aliquando sine scientia fecit pœnitentes.

Reformatio maximè faciẽda in tribus vtiq; substantialibus.

CAPVT X.

QVOD VISITATORES AD REFORMATIONEM ordinis nostri debeant esse soliciti.

VIs autem reformationis maxima penes industriam Visitatorum posita est. Idcirco dicitur in constitutionibus Patrum, vt ad visitationis officium viri deputentur idonei: qui verbo & exemplo ad honestatem conuersationis visitandos efficaciter possint instruere. Oportet enim Visitatorem doctum esse lege diuina: oportet sanctũ & irreprehensibilem esse vita, vt verbo dociles, exemplo instruat pertinaces.

Nam vnum sine altero in rectore animarum non sufficit. Si enim idiota fuerit quomodo alios informabit? Si conuersatio bonæ actionis exemplum visitandis non præbuerit, quomodo ad reformationem eos coarctabit? Audiet sanè obiectum prouerbii, quo dicitur: Medice, cura teipsum. Nec immerito. Enimuerò qua præsumptione duceris ô visitator pollloge: vt reformare alios tentes, qui adhuc in deformitate propria iaces?

Sordibus vitiorum pollutus es, & alios mundare poteris? Crede mihi non dabit spiritus sanctus virtutem sermonibus tuis, qui gratia eius per contrariam vitam offendis. Caret efficacia sermo in corde auditoris: quem vituperat conuersatio prædicantis. Quid dicam? Mentior, nisi cõtumaces cõtumax sæpe increpat: turpis turpem infamat: & euasisse se conscium credit: quasi conscientia satis non sit. Sunt, inquam, inter eos qui vitia arguunt vitiosi: in publico accusatores, in occulto rei; in semetipsos censores, pariter & nocentes. Damnant foris, quod intus operantur: admittunt libenter: quod iam admiserint criminantur. Audacia prorsus conuitiosis fauens: & impudentia congruens impudicis. Sæpe cupidum increpat auarus: impudicum luxuriosus: elatum superbus: turpem criminosus. Quid Patres, quid putatis? possuntne inter ipsos visitatores huiusmodi inueniri deceptores? Non audeo dicere: experior tamen. Multi multa dicunt: pauci quod loquuntur, factis ostendunt.

Se suosq; reformare non præualent & alios ad obseruantiã coarctare nituntur. Magna dicunt, minima faciunt. Stulta præsumptio, quæ propriis neglectis, rapitur ad aliena. Qui sibi non sufficit: cui abundabit? Qui se suosq; ad emendationem vitæ non potest perducere: quando alios poterit emendare? Hæc dixerim in eos, qui tales sunt: qui damnant in aliis, quod in se contemnunt emendare.

Cæterum zelosis bonis idoneisque visitatoribus, quales plures nouerim, non velim ad iniuriam quicquam esse dictum. Vos autem, præstantissimi Patres, qui visitatores habetis eligere: curate ad id officium meliores deputare, si monachos ad obseruantiam regularẽ cupitis perducere. Summa enim regularis disciplinæ apud visitatores est, quæ continuata crescit, neglecta deficit. Nempe si visitatores officium sunm diligenter impleuerint, cœnobia reformata in obseruantia regulari conseruabũt, & deformata ad meliorem statum facilè reducent. Sin autem negligentes fuerint, etiam quæ ab aliis bene inchoata sunt cito destruent. Nihil enim sic vnitatem confundit, nihil sic pacem perturbat, nihil sic lædit caritatem, sicut ignorantia visitatorum, quæ non ratione, sed voluntate indiscreta feruescit. Experientia nos plerunque edocuit, quantas turbationes, dissensiones, iras, rixas, obloquutiones & odia suscitauerint in congregationibus monachorum visitatores imperiti:

quibus de imperio totum, de scientia & caritate nihil constat, Sed de hoc satis dixerim: ne accusare videar eos, quos honore prosequi propter officii dignitatem iubemur.

CAPVT XI.

QVAM PERICVLOSVM SIT REGIMEN ANIMARUM.

SI consideraremus, quam periculosa res sit regimen animarum, quam graue onus curæ pastoralis, quam districto examini obnoxium: mirum, si vnquam in hac vita cor nostrum de securitate præsumeret. Dicit enim Scriptura, *quoniam iudicium durissimum fiet in eos qui præsunt.* Nam, sicut beatus Benedictus protestatur in regula, pro animabus omnium monachorum sibi commissorum Abbas Deo redditurus est rationem. Idcirco dicit. *Ordinatus Abbas cogitet semper quale onus susceperit: & cui redditurus est rationem villicationis suæ.* Onus certè & graue & periculosum pro animabus multorum rationem reddere: cum vix vnusquisq; pro semetipso valeat respondere. O quid respondebunt summo pastori Abbates terrenis dediti? qui animas fratrum suorum malo exemplo perimunt: & nec verbo, nec opere pascunt: Quid dicam de quibusdam nostri ordinis Abbatibus, qui regulam sancti Benedicti, quam profitentur, nec legunt? Mentior si non noui Abbates sub nostro Capitulo constitutos, qui tantis ignorantiæ tenebris inuoluti sunt, vt minimam sententiam ex regula non intelligant. Diuinas scripturas, nec sciunt, nec diligunt: vanitatibus mundi submersi euanescunt: desideriis carnis non spiritus inseruiunt. Oportet Abbatem iuxta præceptum legislatoris nostri doctum esse lege diuina: vt sciat vnde proferat noua & vetera: castum, sobrium, misericordem, & cetera. Quid isti dicent, quid docebunt, quid exhortabuntur, qui nihil de Scripturis sanctis, de regulari disciplina nihil intelligunt? O bone Deus, ad quantam miseriam ordo noster deuenit: qui olim doctissimis sanctissimisq; viris plenus fuit. Vbi est nunc amor obseruantiæ regularis? vbi scripturarum? studium vbi conuersatio sanctitatis? Omnia simul perierunt: & vix in paucis pristinæ honestatis inuenimus vestigia. Abbates nostri (exceptis paucis) aut auaritiæ dediti, aut vanitatibus mundi abstracti, nihil minus, quam de scientia scripturarum cogitant, quamuis se doctos multi arbitrentur. Sed ex operibus eorum cognoscitur eruditionis ingenium. Iam doctus creditur auarus, iam religiosus dicitur, qui agrum agro copulat, qui lucris terrenis inuigilat, qui congregandis diuitiis appetitum laxat. Sed credite mihi, Patres, quoniam vera dicturus sum, diuitiæ temporales non faciunt stabilem in ordine disciplinam. O quam terribilem sunt subituri sententiam Abbates, qui regulam negligunt, qui monachos suos verbo & exemplo sanctitatis non præcedunt, qui spiritualia exercitia vilipendunt, qui terrenis lucris incumbunt, qui disciplinam monasticæ honestatis contemnunt. Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent, & onus tanti regiminis aut solicitè gubernarent, aut si non possent, humiliter deponerent. Felix qui solicitus stat super custodiam suam: qui voluntatem domini facit semper: qui sine fictione ad puritatem regulæ conuersatur.

Sap. 6.

Cap. 2. reg. & 64.

Sed ad præsens hæc, quæ de statu & reformatione ordinis nostri diximus, vt credo, sufficiunt: quorum lectio cum termino Capituli finem quoque sortiatur. Ceterum omnia, & singula, quæ vel in hoc tractatu, vel in aliis scripsi, vel scripse-

Scripta omnia subiicit Trithem. iudicio Romanæ Ecclesiæ & Papæ.

ro, examini sacrosanctæ Ecclesiæ Romane subiicio: cuius fidem, doctrinam & diffinitionem, quo ad vixero seruare, docere, credere, ac defendere semper & vbiq; volo. Si quid autem (quod absit) aliter à me dictum fuerit, quam illa tenet, docet, & credit, iam per præsentes simpliciter reuoco, & pro non dictis haberi volo. Summum Pontificem vicarium Christi fidei meæ atq; doctrinę iudicem & moderatorem hac mea protestatione in omnibus esse volo, & sentio.

Lectus fuit præsens tractatus in Capitulo prouinciali ordinis sancti Benedicti prouinciæ Maguntinæ in Hirszau celebrato ad mensam anno domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio dominica Iubilate, & diebus sequentibus vsq; ad finem. Omnibus autem Abbatibus mihi adunatis volentibus, & consentientibus, statutum fuit, vt imprimeretur, & in futurus Capitulis prouincialibus ad mensam semper publicè legeretur, vt patet in statutis.

EX CHRONICO SPANHEMENSI AD annum 1493.

ANNO Ioannis Trithemii Abbatis nostri decimo, celebratum fuit 28. Ordinis nostri prouinciale Capitulum, ad Dominicam Iubilate, in monasterio sanctorum Petri & Pauli in Hirsaugia Spirensis diœcesis, in quo præsederunt Ioannes Trithemius Abbas monasterii nostri, Conradus Abbas in VVibelingen, Bartholomæus Abbas S. Crucis in VVerdea, & Andreas montis monachorum prope Bambergam, & multa fuerunt decreta. In eodem Capitulo publicè ad mensam Prælatorum & Doctorum, qui ex Tubingensi Vniuersitate cum aliis conuenerant videre Capitulum & Patres, per triduum, mane & serò, lectus fuerat opportunè libellus Penthicus, id est, lugubris, de Ordinis nostri ruina, quem præfatus Abbas noster Ioannes Trithemius eodem anno ad petitionem Blasij Abbatis Hirsaugiensis & fratrum eiusdem monasterij ediderat. Quem tum Patres ad finem cum intentione maxima lectum, omnes vnanimiter statuerunt (sicut in recessu eiusdem Capituli continetur) perpetuis temporibus ad mensam Prælatorum in ipso Capitulo pro tempore celebrando legendum.

FINIS.

IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEMENSIS ORATIONES, VEL DECLAMATIONES IN ANNVO CONVENTV ABBATVM ORDINIS D. BENEDICTI REFORMATIONIS BVRSfeldensis habitæ.

Orationum Argumenta.

CAPVT I. De fuga seculi, & laudibus vitæ religiosæ.
II. De ruina ordinis S. Benedicti, & reformationis Bursfeldensis laudibus.
III. De ruina status Ecclesiastici & monastici, & quæ olim Ordinem Benedictinum reddiderint gloriosum.
IV. De cura pastorali, vel de officio boni Abbatis.
V. De duodecim excidiis obseruantiæ regularis in Ordine monastico.
VI. De operatione diuini amoris.
VII. De vera conuersione mentis ad DEVM.
VIII. De laudibus RVPERTI Abbatis Tuitiensis.

ORATIO PRIMA, vel COLLATIO FACTA IN CAPITVLO ANNALI IN MONTE SPECIOSO D. IACOBI MOGVNTIÆ CELEBRATO Anno Domini 1490.

EVGITE saluate animas vestras, & eritis quasi myricæ in deserto. Hieremiæ 48. Quanquam venerandi Patres, imperitiam & insufficientiam meam excusare oportuerit, hoc quoq; apud me statuerim, tanquam necessarium, persuasum mihi tamen est ab iis, quos non audire nefas ista transire, ne excusationibus immorando tempus sine fructu transiret, videreréq; consuetudini magis fauisse quam necessitati. Præsidentis enim imperium non excusatione sed obedientia impletur. Excuset me igitur apud pias aures precor obediendi necessitas, quem verba excusare non possunt. Veruntamen

tamen assumpti ratio thematis ante omnia cognoscenda est. Cum enim omnia suis debeant temporibus conuenire: nihilq; sit tam cognatum Philosophiæ quã locis, temporibus, atq; psonis ac negotiis aptare sermonẽ: videor fortè qbusdã psonis atq; negotiis incõuenientem sermonẽ affetre. Fateor me, etsi vili ratione, supatũ nec illud q; ingeritur, me contigit nescisse. Fateor, inquam, hanc vim adhibendam eloquentiæ, vt orator temporum, personarum, negotiorumq; moderator existat: Nec personas, aut negotia ignoro: qui ad vtriusq; causam accessi. Quid loquar? quid dicam? si personis ac negotiis deseruio, præsumptionis, vel temeritatis notam incurro: Os meum ad inuectiua aperire non audeo: ad directiua non valeo: primum enim personas, secundum negotium respicit. Quis autem ego, vel quæ ingenii mei perspicacitas, vt aut Patres doceam: aut Capituli negotia sermone perstringam? Declinanda mihi persuasio, quæ plus periculi habet, quam honestatis. Nolo sic conuenire tempori, vt derogem honestati. Considerandum mihi est, non quid valeam, sed quid debeam. Quod expedit iuuat: quod licet sæpe nocet. Cum igitur patres doctiores & seniores non debeã præsumere docere, nec meliores me velle arguere, ne inuoluar periculis, Apostolicam iussionem amplector, qua dicitur: *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt Patrem.* Et hic nulla quidem increpatione aut inuectione opus est: Sed magis exhortatione. Hac itaq; ratione, vt mihi videtur omnibus debitum in communi Monachis thema præsumpsi: quod neq; prælatis suspectũ, neq; subditis fiat iniuriosum. Hoc autem docentis officium, vt auditoris intellectum illuminet, istud exhortanti est propriũ, vt auscultantis affectum inflammet. Primũ ad doctos: secundum spectat ad deuotos. Quamuis autem ego, neq; primũ valeam, neq; secundum: tamen quia istud illo est vtilius pro nostra intentione, de DEI adiutorio, & obedientiæ merito cõfisus, exhortationem pro ingenii mei capacitate declarandam aggredior. Tria igitur nobis ex thematis propositione considerãda sunt. Primum est mundi contemptus, secundum religionis ingressus, Tertium religionis progressus. Primum ibi, *fugite*: secundum ibi, *saluate animas vestras*. Tertium, *& eritis quasi myritæ in deserto*. Tria itaq; sermonis secundum prædicta membra distinguentur. In primo, quare contemnendus sit mundus: in secundo, quare appetendus sit religionis ingressus: in tertio, quonam sit dirigendus religionis processus, pro paruitatis meæ sensu conabor astruere. Sed desperans de ingenii mei viribus ad diuinum implorandum auxilium, tremulus licet, censeo recurrendum. Affectu igitur salubriter humiliato, accedamus ad gratiæ DEI Genitricem Virginem Mariam, deprecantes vt ipsa pro nobis intercedere dignetur, vt concepta mihi dignè donetur effari: omnibus nobis in cõmuni sic operibus respõdere ꝓbè paratis, quatenus post hãc peregrinationẽ in æterna patria simul cum omnibus sanctis lætemur. Quę vt impetremus, angelica eã salutatione honoremus, dicẽtes, *Aue Maria*. Audistis, Venerabiles Patres, thematis qualemcumq; diuisionem: restat nunc vt ipsius quoq; diuisionis declarationes audiatis. In cuius progressu iuris, aut Philosophorum curiosas allegationes omisi: q̃ licet plures reqrantur ex consuetudine, noui tamen vestras paternitates illas non amare: magis quippe ostentationi seruire videntur quam vtilitati. Vbi de veritate nulla habet hæsitatio, authoritatis testimonia superfluè allegantur: Manifesta enim ꝓbatione nõ indigẽt. In dubiis autẽ veritatis attestatio necessaria est Canonũ, ac iuris nũc celebris in sermonibus est allegatio, & quo plus allegãtur, eo seruantur minus. Sed horũ nõ sum ego iudex: ad nostra potius transeamus. Quantũ igitur ad principale, primum hortatur nos vox diuina in verbo thematis fugere saluti nostræ cõtraria, mundũ videlicet carnẽ, atq; peccatum. De fuga mundi scriptũ Ieremiæ 50. *Fugite de medio Babylonis*. Quid enim ꝓ Babylonẽ intelligendũ est, quã interpretatur cõfusio, nisi mundus iste totus in maligno positus, qui æternæ mortis opprobrio suos amatores confundit? Hic nobis fugiendus est, quia saluti nostræ cõtrarius. Nec referatur culpa creaturæ ad creatorẽ, quasi auctor sit mali, qui mundi creator est. Nostra est vitiosa in crimine voluntas, quæ bonis etiã vtitur malè. Cũcta emẽ q̃ Deus creauit, testante scriptura, bona sunt valde, nec à bono DEO malũ aq; oritur. Bona sunt omnia. bonus est etiã mundus. Sed mundi hic obiicit stultus amator

Partitio collationis.

1. Pars.

Mundus fugiendus

Gen. 1.

amator. Si bonus, inquit, est mundus, cur fugiendus? quis fugit bonum, nisi malus? Quod igitur persuades bonum, non debes inducere fugiendum. Bonus, inquam, est mundus, quem DEVS condidit bonum, sed non omne, quod secundũ se dicitur bonum, semper amplectendum. Qui enim bono malè vtitur, quid prodest si bonum est, quo malè delectatur? Homo fragilis bono malè vtitur mundo, idcirco fugiendus mundus, ne licet bonus, malè vtentibus sit mali occasio. Bono malè vteris mundo, dum auaritiæ studes, dum luxuriæ faues, vtiisq; cæteris. Quid ex hoc nisi tua incusanda voluntas? non mundo crimen abusus, sed tuæ imponitur voluntati. Libenter careo bono, cuius vsus ex mea fragilitate in abusum vertitur. Libenter fugio bonum, quo fragilis bene vti non valeo. Est mihi in fuga subsidium, in abusu ex voluntate supplicium. Difficile est etiam bono semper benè vti. Vidisti in seculo bonos, vidisti & malos. Sed numerus præponderat alteri vnus. Et *Eccli. 1.* *stultorum infinitus est numerus.* Stultus autem omnis mundi amator. Quid enim stultius, quam æternum bonum commutare pro temporali? Non mundi contemno habitatores, sed amatores perituros *1. Ioan. 2.* affirmo. Ait enim scriptura. *Qui amat hunc mundum, non est caritas patris in eo.* In quo autem non est caritas Patris, nec erit salutis refugium. Mundum inhabitant omnes, multi diligunt, pauci non amant. Et de numero paucorum nos *Matth. 7.* esse volumus. *Angusta est via, quæ ducit ad* *Mat. 20.* *vitam, & pauci ambulant per eam.* Item, *mul-* *Luc. 12.* *ti sunt vocati, pauci verò electi.* Itemq; *Pusillus est grex, cui complacuit Patri dare regnum.* Viam angustam ambulant pauci, pauci quoq; electi. Multi autem ambulant per latam viam voluptatum ad perditionem. Iam è duobus vnum elige, quod volueris. aut fuge cum paucis, aut si non fugeris, damnaberis cum multis. Nec existimes, dum de fuga mundi loquor, ad religionis te continuò quasi necessarium, quamuis indubiè vtilem, vocari ingressum. Habet & in seculo DEVS suos fideles, pauci tamen sunt aliorum respectu. Nec tibi blandiaris de ea, quam non habes, fortitudine: scito, quoniam priuilegium paucorum non facit legem * communem. In seculo non seculariter viuere paucorum admodum est. Quis iactare se audeat habere hanc gratiam? Quid facient fragiles, dum fugiunt fortes? Habet mundus plura fomenta mali: quæ melius vitamus fugiendo, quam commorando. Cautum est fugere, periculosum inhabitare. fugiamus igitur, ne pereamus. Multa enim mundi mala nos fugere cohortari videntur. Et vt cognoscamus causas, quare fugiendum sit, sex breuiter rationes consigno. Prima ratio est, quia vanus est mundus. 2. quia impurus. 3. quia viscosus. 4. quia iniquitate plenus. 5. quia doloribus anxietatum lamentabilis. 6. quia periculosus. Primò fugiendum mundum suadeo, & *1. Causa.* suadere conabor, quia vanus est ex instabilitate consistentiæ, dicente scriptura. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Si o- *Eccl. 1.* mnia vanitas, vanitas est mundus. Vanus igitur mundus, vanus amor mundi, vanissimi mundi amatores. Dicit enim *1. Ioan. 2.* scriptura. *Mundus transit & concupiscentia eius.* Nunquam mentes amatorum suorum mundus etiam transitoriis satiat bonis. *Semper auarus eget.* pecuniæ semper ardore æstuat dives. lucra semper *Horat. lib. 1. epist.* quærit iniquus. excellendi amore semper fertur elatus. furia libidinis semper insanit luxuriosus. exquisitas nouas epulas semper affectat gulosus. Hæc amatorum mundi desideria nunquam satiantur, nunquam replẽtur. quanto plus percipiunt, tanto æstuant amplius. Quem auaritia semel inuaserit, nunquam abire dimittit. Quo auri congeries maior, eo congerendi appetitus ardentior. Videas diuitem aureorum centum, aut mille; si an sufficiat quæras, non verba, sed facta requiras. Centenis eget aureis, vel millenis, qui dudum totidem operuit humo. Si deniq; ducentos habuerit iam vltra non quiescit, sed etiam alios centum requirit. Quo plus habet, eo amplius desiderat. Semper igitur auarus eget, nec auri satiabitur appetitu. Sic etiam libidinis ardore succẽsus, quo plus ignem se credit extinguere, eo magis accendit. Fera pessima libido, cuius semel obruerit mentem, raro libertati dimittit. Dant huius verbi indicium, quos nouimus exempla plurimorum. Omne vitium consuetudine roboratur. Quis auarus dives, aut luxuriosus iniquo desiderio potitus vnquam dixit, sufficit.

Cur fugiendus mũdus.

Quanto

Quanto plus consequitur quod concupiuit, tanto concupiscit amplius, quod consequatur. Vanus igitur mundus, qui desideria suorum amatorum satiare non potest. Quid igitur vanè in vanitate vanus gloriatur amator, quando nec illud retinere potest, quod habet, nec requiescere illo habito, quod concupiscitur? An tibi vanus non videtur, qui decipitur? planè decipitur, qui mundi amore tenetur. Sit mihi exempli causa sermo ad diuitem. Attende ô diues, auare considera, mundi amator ausculta. Quid in diuitiis gloriaris, quid tumes honoribus? Nihil horum, quæ habes, tuum est, nihil verum in quo confidis. Vanitas est, illusio dementis. Somnias te diuitem esse. Verum non est, quod cernis, deliras, mente captus es, deficis ratione, phrenesi ageris. Audi scripturam de diuitibus huius mundi dicentem. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Dormierunt, inquit. Iam dormiunt mundi amatores. mentis suæ oculos claudunt, ad æterna bona desideranda inualidi, ad futura metuenda insensibiles, in lecto voluptatum suarum operti, somno tenentur horribili. Dormiunt, præsentis temporis est. cum autem dormierunt, euigilabunt. Quando euigilabunt? mors suscitabit eos: quæ nulli remota est. Cum venerit mane & vespere dies vltimus tuus, ô mundi amator tunc euigilabis: te somno delusum tunc sero cognosces inani, diceturq; tibi.

Psal. 75.

Respice nunc manus operum tuorum, & nihil inuenies eorum, quæ seculo viuens habere somniasti. Tunc implebitur quod dictum est. Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Interueniente mortis hora, quæ imminet vniuersis cuncta relinquemus inuiti. Et quid nobis tunc proderunt omnia, quæ nunc magno complectimur amore? Quid auri copia, quid ambitio cæca, quid mũdi breuis voluptas? Transeunt hæc omnia, suos statim & subito amatores relinquent. Et tamen pro his omnibus homo in iudicium ducetur Contemnendus igitur mundus per fugæ effectum, qui amatores suos decipit per consensum. Nihil enim durabile in mundo, nihil stabile, nihil permanet, Vnde HILDEBERTVS Cenomanensis Episcopus. *Cuncta sub ancipiti pendent mortalia casu, & spondent propria mobilitate fugam.* Fugiamus ergò dum licet, ne mortis constricti imperio, non nos mundum, sed ipse nos mundus relinquere comprobetur.

Relinquamus iam, ex virtute præmiandi, quem post modicum ex necessitate relinquere compellemur puniendi.

2. Causa.

SECVNDO contemnendus est mundus, quia impurus, peccatorum videlicet fœditate repletus. Hic lacus miseriæ, & lutum fecis, in quo se mundi amatores, vt porci, semper voluunt, semper commaculant, semper inquinant. Quanta sit mundi hoc maximè tempore impuritas multorum vita miserabiliter ostendit. Videmus ad oculum abũdare iniquitatem, refrigescere caritatem multorum. Non est fides, non est concordia, iniquitas dominatur vbiq;. Iustitiæ viam pauci gradiuntur. Difficile est cum mũdanis amatoribus sine culpa versari Hinc CYPRIANVS in epistola ad Donatum dicit. *Est iam inter nocentes innoxium crimen est. Malos, quisquis non imitatur, offendit. Consentire iura peccatis, & cœpit esse licitum, quod publicum est.* Mala societas plurimorum iam decipit plures. Fugiendus est igitur mundus propter impuritatem peccantitium, quia sicut idem Cyprianus ait, *periculosum est ambulare, vbi vides alium cecidisse.* Vnde hortatur nos B. AMBROSIVS in epistola 4. ad Irenæum dicens. *Fugienda est talium societas: etsi aliqua generis copulentur necessitudine.* Noxiæ enim conuersationes cum insipientibus, & inficiunt sobriam mentem, & decolorant, quia sicut adhærens sancto sanctus eris, ita cum peruerso peruersus eris: frequenter enim accidit, vt quis contra propositum suum intemperantem audiens, cum velit ipse continentiæ disciplinam tenere, fuco insipientiæ coloretur. Quantos inueniri putamus hoc præsertim tempore periculoso, qui, vt de cæteris taceam, castitatis se proposito, vel etiam voto, aut iuramento, quod amplius est, constrictos mundi fauore & societate deceptos ingemiscunt? Noui ego plures in seculo miserabiliter lapsos, & q; grauius est post lapsum iacere, qui se fortiter stare arbitrabantur. Et qui stat,

S. Cypriani. lib. 2. ep. 2.

B. Ambros.

videat ne cadat. Nihil tutius in pericu-
3. Causa. lo fuga. Tertiò fugiendus est mundus, quia viscosus: cuius viscositas ad instar picis sibi suos conglutinat amatores. Est in mundi dulcedine viscositas ista, quæ incautos tanquam pisces hamo decipit. Quis enim mundi dulcedine semel gustata, à compedibus eius se sine speciali gratia poterit exeutere? Quem non cæca voluptas mundi paulatim reddat adeò viscosum, vt etiam aliquando contra propositum hæreat? Huius rei proferatur exemplum.

Videmus nonnullos etiam ex iis, qui docti nominantur, in seculo commorari, seculi deseruire negotiis, quibus interdum Dei miseratio sanctæ religionis propositum instillat: qui tamen antequam propositi sui exequantur institutum, licet tempus copiosum prorogetur, eisdem, id est, in seculo seculares moriuntur. Vnde hoc? Seculo dediti eius viscositate colligantur, vt quanto diutius in mundo viuunt, tantò difficilius ab eius amore separentur.

Mora mutat propositum, & bonæ voluntatis dilatio frustrat effectum. Nec sufficit voluntas, cum id iam posses implere quod differs. Scriptum est e-
Eccli. 5. nim. *Non differas conuerti de die in diem.* Mundo es implicatus? mundus quod suum est non facilè dimittit. Et rex
Exo. 14. Ægypti Pharao Dei populum exire volentem, diu retinuit inuitum: exeuntem etiam persequebatur exercitum. Et nos, quando Ægyptum, hunc videlicet mundum Christum imitaturi proponimus relinquere, & viam trium dierum, obedientiæ scilicet, castitatis & paupertatis per desertum religionis incipimus abire, rex tenebrarum Ægypti diabolus cum omni exercitu suo, ne recedamus obsistit, viarum aditus omnes obseruat, mille impediendi machinis oblectatur, ne facultas sit egrediendi. Quis inter tot resistentium pericula posset abire, nisi Domino vocante Moyses plaga terram percutiat Ægypti? Quis denique fugam deliberantis bella peccatoris non miraretur, si posset cognoscere? Non enim quieseit diabolus. Iam parentis senis miserandam obtendit inopiam, iam sodalium & cognatorum amicam proponit concordiam, nunc mũdi dulcem ostendit ornatum, nunc studii vani depingit amorem, modo negligentium exempla monachorum incusat, modo districtionem Ordinis importabilem tibi affirmat, nunc blandis conatur, vt decipiat; nunc duris instat, vt terreat. Tot denique sunt eius machinamenta & doli, vt nisi festinanter egrediaris via tibi turbæ vitiorum improbitate præcluſa non pateat. Dat mora periculis robur, & lentis sæpe conatibus parantur insidiæ.

Ab Elia vocatus Elisæus boues solici- 3. Reg. 19.
tudinum conscidit in frusta, & osculo sibi pacis adiunctus secutus. Apostoli Matt. 4.
quoque à Domino vocati, mox sine dilatione sequuntur. Quid igitur timide miles toties renuis venire vocatus? cur dubium expectat crastinum hodierna salus? Mora feruorem extinguit, raroq; sincera tarda conuersio. Iusto Dei iudicio, dum velle differtur, amittitur etiam posse. Nec se monachus æstimet euasisse totaliter: quia nisi mundum affectu relinquamus, nihil corporalis fuga proderit.

QVARTÒ fugiendus est mundus, 4. Causa.
quia iniquitate plenus est. Iam enim, Matt. 24.
vt supra dixi., abundat iniquitas, & refriguit caritas multorum. Totum pœnè mundum repleuit malitia, cum nulla sit pax, nulla securitas, nulla salus. Et vt de multis vel pauca perstringam, vbi est pro domo Dei zelus commendabilis animarum? vbi iusta opera Christianorum? vbi denique deuotio populorum? vbi reuerentia sacerdotum? Videmus populum auersum à clero, nullam sacerdotibus exhibere reuerentiam: nec sacratis quidem locis Deo insita custoditur immunitas. Impletur, quod dudum prædictum fuit a Domino. *Et erit,* Isa. 24.
sicut populus, sic sacerdos. Sed de his iam loqui me vetat honestas. Quod enim mundus iniquitate plenus sit, non verbis tantum, sed ipsa quoque rerum magistra docemur experientia. Ait enim CYPRIANVS. *Cerne itinera latronibus clausa, maria* B. Cyprian. l. 2. epist. ep. 4
obsessa prædonibus, cruenta horrore castrorum bella vbiq; diuisa. madet orbis mutuo sanguine & homicidium cũ admittunt singuli, crimẽ est: virtus vocatur, cum publicè geritur. Impunitatem sceleris acquirit non innocentiæ ratio, sed sæuitiæ magnitudo. Vidēs diabolus finē mũdi iam proximum, solito amplius sæuit, metuensq; sibi in breui nocendi facultatem adi-

adimi, damnationis suæ retia latius vbique expandit. Nos sumus secundum scripturam, in quos fines sæculi deuenerunt, quorum finis proximus, cursus idcirco dubius, exitus periculosus. Fugiamus ergò dum possumus, quia periculum in mora est. Quintò fugiendus est mundus, quia dolore & anxietate plenus est. Nullius est hominis in hac vita sine anxietate conuersatio. Magnis laboribus, magnisq; periculis mundi agitur incolatus. Diuites torquentur solicitudine, pauperes premuntur egestate. Potentes etiam, & honore sublimes acerrimis aduersitatum suspicionibus aguntur. Multos habet timere etiam, quem timent multi. Et quid opus est me singula perstringere? Quanta sit in re familiari solicitudo, in animarum cura perturbatio, nouimus omnes, quos vtriusque rei officium concernit. Deniq; dolor iste peramplius abundant in seculo: cuius testes sunt omnes etiam, qui mundi negotia pertractant.

1. Cor. 10.

5. Causa.

6. Causa.

SEXTÒ fugiendus est mundus, quia periculosus. Multa enim sunt mundi huius pericula, sicut scriptum est in psalmo. *Hoc mare magnum & spatiosum nauibus, illic reptilia, quorum non est numerus: animalia pusilla cum magnis.* Periculosus est status mundi propter tria, quæ sunt; malorum occasiones, malorum conuersationes, & malorum consuetudines. Sed quoniam tempus transiit, & duo adhuc membra restant principalia, his diutius immorari non possum. Satis sit igitur me tantum de mundi contemptu dixisse. Et hoc quantum ad primum.

Psal. 103

NVNC itaque ad secundum principale dirigamur, quod in hoc verbo thematis, *Saluate animas vestras*, exprimitur, Est autem de ingressu & eminentia religionis. Et quidem satis eminens nostra mihi videtur religio, in qua possumus animas nostras cum Dei auxilio facilius saluare. De hoc religionis statu saluator noster in Euangelio clamat: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucē suam, & sequatur me.* Quæris, vtrum possis implere hoc quod iubetur in seculo. Potes, sed difficilius forte, & periculosius. Nullibi enim his temporibus homo Domini consilium melius & securius, quàm in religione implet. In seculo. n. occasiones multæ sunt trahentes ad peccatum, quas à se religio excludit: sicut sunt, conuersationes turpes, societates malæ, consuetudines prauæ, peccandi libertas, & multa talia, quæ istius temporis non est enumerare per singula. Conuenienter ideò, vt mihi videtur, quamuis non sufficienter, postquam de mundi contemptu primum principale deduxi, de religionis ingressu & eminentia secundum debeo connectere. Ad hoc enim prima dirigebatur oratio, vt mundo contempto saluti nostræ per fugam consulentes religionis feruoremus amore. Religio siquidem fugientium mundum refugium est. Hinc B. BERNARDVS hortatur animam fidelem dicens. *Fuge igitur, & confuge ò anima ad vrbem refugij, hoc est, ad vitam religiosam, vbi possis de præteritis agere pœnitentiam, in præsenti obtinere gratiam, & de futuro feliciter expectare gloriam.* Hæc arca Noë IESV Christi, qui nobis veraciter requiem dabit à laboribus nostris. In hanc arcam securitatis à diluuio mundanæ iniquitatis columba simplex reuertitur, quando homines Deo in simplicitate cordis sui seruire cupientes cōtemptis mundanis rebus ordinē monasticum ardenti feruore profitentur. Columba extra arcam, vbi quiesceret pes eius, non reperit, quia simplex homo & rectus, vt Iob, in seculi actibus nō requiem, sed laborem & anxietatē semp inuenit. Reuertatur igitur ad hanc arcam securitatis, in qua pax & concordia super omnes solicitudines huius mūdi. Dicit. n. PETRVS Blesensis in epistola. 13. *Ama quæso clausturū, & abscinde ab animo tuo desideriū exeundi. nā iuxta sententiam cordis mei si paradisus in vita præsenti est, vel in claustro est, vel in scholis. Quicquid enim extra hæc duo est, plenū est anxietate, inquietudine, amaritudine, formidine, solicitudine & dolore.* Hæc arca diuini fœderis, in qua manna cœlestis dulcedinis reconditur, in qua virga Aaron sanctæ regularis disciplinæ per sanctimonię puritatem florens germinat. In hac arca tabulę mandatorum Dei habentur, vbi non solū præcepta Dominica, sed etiā cōsilia euangelica ardenti feruore custodiuntur. Verè ciuitas refugii, ad q̄ cōfugiant, quos reatus sanguinis fusi, id est, peccati macula respersit. Non est tutior & securior via ad cœlestem patriam redeundi, quàm vita sacra monastica. Hac .n. via sine impedimento secularium negotiorum gradiun-

S. Bernar.

Gen. 8.

Iob. 1.

P. Blesesis ep. 13. ad nouitiū.

II. Pars.

Religiosæ vitæ Laus.

Matt. 16.

diuntur electi, & cõpendio, vt ita dicam ad promissa sibi præmia festinant. Hic est mõs altus Thabor, qui interpretatur, aduẽtus luminis, vel accessio luminis, in quo scilicet Iesus, puris mentibus transfiguratus se ostendit contemplandum. Mons Thabor, accessio luminis statum pulchre insinuat religionis. Ibi enim purgatis p̃ sãctę disciplinę obseruantiã affectibus lumẽ quoq; infunditur sacræ scripturæ intellectus. Nec vnquam Ecclesiastica scriptura melius discitur, quam vbi per purgationẽ affectus gratia Dei illustrante intellectus illuminatur. Cuius enim affectus à peccatorum sordibus purgatus est, eius quoque intellectus in diuinis scripturis copiosius illustratur. Nunquam ad veram sapientiam pertingit homo vitiorum affectibus pollutus. Ait.n. B. DIONYSIVS in libro de Hierarchia Ecclesiastica cap. 2. *Primus ad diuina motus dilectio est. Porrò sacræ dilectionis ad diuina mandata facienda principalis omnino progressus est secretissima illa, & ineffabilis prorsus operatio, qua diuinus in nobis status efficitur.* Si enim diuinus hic status diuina natiuitas est, nunquam ille aliquid sciet ex iis quæ à Deo sunt tradita, neq; operabitur, qui neq; diuinum hunc statum cõsecutus est. Scientia enim nisi caritate refulgeat vera nõ est, & mẽtis tumor potius quam scientia dicenda. Obseruatio mandatorum Dei vera scientia est. Vnde in psalmis scriptum est. *Testimonium Domini fidele, sapiẽtiam præstans paruulis.* Et iterũ. *Declaratio* sermonum tuorũ illuminat & intellectũ dat paruulis. Et hæc vbi facilius, quam in religione seruantur? Ibi enim in oratione & lacrymis compunctionis purgatur affectus, lectione, meditatione & exhortatione sedula illustratur intellectus. Dicit enim DIONYSIVS rursus in libro de diuinis nominibus cap. 4. *Ante omnem actum, & in Theologia maximè ab oratione inchoandum nobis est.* Cum autem religiosi in oratione frequentius compungantur, primum, quod inchoandum est pro intellectus illuminatione plus secularibus perficiunt. Quicunque igitur ad sacræ scripturæ veram scientiam pertingere cupit, à purgatione affectus primo incipiat. Hoc autem facilius in religione, quam in seculo agitur. Et vt fidem verbis astruant exempla Ordinis nostri celebres viri, doctrina fulgentes & moribus aliqui vocentur in testem. Et quidem Beda venerabilis presbyter & monachus toto orbe notus mihi primus occurrit. Is enim, sicut ipse per se testamento suo testatur septennis monasterio fuit à parentibus oblatus, qui omne tempus vitæ suæ in meditandis scripturis sacris expendit. Qualis hic fuerit, quantæ doctrinæ & auctoritatis testantur volumina ab eo edita: testatur & sancta mater Ecclesia, quæ eius scripta legendo inter præcipuos eũ Doctores connumerat. Huius enim tantæ doctrinæ fuit opinio, vt summus Pontifex Romanus SERGIVS ad Concilium Romæ celebrãdum ex Anglia speciali mandato faceret eũ euocari. Vnde sibi tanta excellẽtia doctrinæ, q̃ monasterio septennis oblatus, & in eo perseuerans vsque ad mortem nullas Philosophorum scolas in nationibus externis quæsiuit? Ex schola spiritus sancti, vbi primò discẽdis moribus impẽditur studium, diuinis postea scripturis. Beatus quoq; BONIFACIVS huius sanctæ Magun tinensis Ecclesiæ primus Archiepiscopus, puer q̃nq; annorũ mõasterio fuit oblatus. Qui quãtæ doctrinæ fuerit nõ verbis nõstris, sed suis demonstratur operibus. Extant eius opuscula quædã, & epistolæ, quę viri excellens testantur ingenium. Et nẽ his diutius immorando à cæteris prosequendis impediar, plures huiusmodi viros singulariter memorandos omitto. Fuerunt.n. multi nostri Ordinis sanctissimi viri, qui ab ineunte sui ætate temporis monasteriis traditi mirabili effulsere doctrina. Quorum si nomina sigillatim, eorum tantum, quorum scripta ego videre potui, vellem exprimere, sexagenarium pœnè numerum excederent. Taceo de aliorum Ordinum sanctissimis viris, quorũ doctrina vniuersa fulget Ecclesia. Sancta enim religio Ecclesiæ fœcundissima proles, innumeros quotidie Deo generat spirituales filios. Hic igitur mõs Thabor, in quo veri luminis aduẽtus, in quem dominus Iesus tres discipulos, obedientiæ videlicet, castitatis, & paupertatis trãsfigurãdus coram ipsis, seorsim assumsit: in quo cœlesti gustata dulcedine Simon PETRVS, monachus obediens, præ gaudio exultans dicit. *Bonum est nos hic esse.* Super quibus verbis dicit BERNARDVS. Bonum est nos hic esse, in religione scilicet, quia hic *homo viuit purius, cadit rarius, resurgit velocius, incedit cautius, quiescit securius, irre-*

Matt. 17.

Dionys. Areop.

Psal. 118.

Dionys. Areop.

Beda. Vide Trith. l. 3. de viris illust. c. 155.

S. Bonifacius Archiep. Mogunt.

Matt. 17.

Bernard.

In religione viuit homo purius.

irroratur copiosius, purgatur citius, moritur confidentius, præmiatur glorioſius. Primo homo in religione *viuit purius*: propter multa ſpiritualia exercitia, quæ ad hoc ſunt inſtituta, vt monachus in omni puritate animæ proficiat. Tria etiam vota ſubſtantialia magnam religioſis, ſi cum feruenti amore exequantur meritorum putitatem accumulant. Hic enim in pluribus exercitiis purgamur, quæ in ſeculo rara vel nulla ſunt. Et monachis frequens omnino ſanctarum ſcripturarum ſedula meditatio, confeſſio quotidiana, iugis pœnitentia, quæ omnia ad mentis puritatem proficiunt.

Cadit rarius.

Secundò *cadit rarius*, quia multis caret occaſionibus malis, quas vix in ſeculo homines vitare poſſunt. Conſuetudines etiam ſeculi prauas hic homo non patitur, nec malorum ſocietate deprauatur. Habet inſuper ad firmitatem propoſiti ſancti plura ſuffragia, ſacramenta

Surgit velocius.

videlicet, lectionem, exhortationes, orationes & his ſimilia. Tertio *ſurgit velocius*. Licet enim homo etiam in religione peccatis offendat, ordinis tamen diſtrictio in caſu diu iacere non ſinit. Mox vt peccauerit frater, aliorum exhortatione corripitur, & ad priſtinũ propoſiti ſtatum reuocatur.

Incedit cautius.

Quarto *incedit cautius*. Sola enim vexatio intellectum dabit auditui, facitq; correptionis pœna ſolicitum, quem inſolentia, ſi deſit correctio, faceret diſſolutum. Diſciplina regularis, fratrumq; zelo diſciplinæ caritatiua proclamatio

Quieſcit ſecurius.

monachum cautius compellunt incedere. Quinto *quieſcit ſecurius* religioſus à ſeculi negotiis, liber in ſpiritus tranquillitate ſi voluerit, Domino poterit ſeruire, quia cura rei familiaris non diſtenditur nec occurrentium actuum ſecularium diuerſitate variatur. Alius curam ipſius habet, qui ſingula quoq; vitæ neceſſaria diſponit. Tutius eſt ſub vmbra curæ alterius quieſcere, quam aliis ſolicitudinis vmbraculum extendere. Sed non omnibus omnia placent, & plures diuitiarum ſuarum copias non conſiderant. Qui po-

Irroratur copioſius.

teſt capere, capiat. Sexto *irroratur copioſius*. Tota monaſticæ diſciplinæ inſtitutio hominem conatur aptare & diſponere ad Dei gratiam percipiendam, quæ etiam in religione dignè ambulantibus copioſius infunditur. Hoc præcedentium Patrum monemur exemplis, quos monaſtica cõuerſatio cunctis virtutibus adornatos omnibus reddidit inſignes. Septimo *purgatur citius*. Religionis ſtatus pœnitentiæ gradum ſupremum includit, quia homo in ea ſeipſum Deo offerens excellentiſſimũ holocauſti genus impendit. Vnde religionis ingreſſus quaſi ſecundũ baptiſma iudicatur à Patribus: quia, vt communiter omnes de hac materia ſcribentes Doctores ſentiunt, à præteritis culpis homo religionẽ ingrediẽs vniuerſis purgatur. Vita etiã religioſa purgatio eſt. Octauo *moritur confidentius*, quia qui Chriſto viuens fideliter famulatur, ad Dominum ſuum quaſi per mortis exitum, à quo diligitur, confidentius egreditur. Securè moritur qui timorem Domini ſemper præ oculis ponens nunquam ſecurus vixit. Gaudeat religioſus fidelis dum moritur, quia ad laboris ſui indeficiens prẽmium per mortis dolores vocatur. Nunquam malè moritur, qui bene vixit. Impoſſibile eſt illum perire, quem ſub ſancta obedientia perſeuerantem Deo ſemper accepta commendat bona voluntas. Nono & vltimo, *præmiatur glorioſius* triplici ratione, videlicet, ratione præceptorum, conſiliorum, & votorum. Religioſus Dei præcepta in monaſterio facilius poteſt implere, quam ſecularibus implicitus negotiis aliquis in ſeculo cæteris paribus. Et de obſeruantia conſiliorum maius eſt meritum, quia præcepta ſeparant nos ab illicitis, ſed conſilia etiam à conceſſis. Ratione votorũ præmiatur etiam copioſiùs, quia quod ex voto facimus bonum maioris eſt meriti, quam ſi illud ſine voto faceremus ſecundum omnes Doctores. Bonum igitur eſt nos hic eſſe, vbi tantis prærogatiuis beneficiorum donamur. Fugiamus itaq; ſeculũ, carnem, atq; peccatũ, & ſaluemus in hac ſchola virtutum animas noſtras, in qua tantis bonis præ cæteris honoramur. Demus gloriam Deo, & non ſimus ingrati, qui nos ad hanc dilectam ſibi philoſophiam vocare dignatus eſt. Quãtum ad tertium principale & vltimum, quod in his verbis. *Et eritis quaſi myricæ in deſerto*, exprimitur, quinq; nobis myricæ ꝓprietatis myſticè contuendæ ꝓponuntur. Myrica arbor humilis, amara, medicinalis, ſemp viridis, in locis creſcens deſertis. In his qnq; myricæ ꝓprietatibus monachorũ conuerſatio oſtẽditur. Dum de

Purgatur citius.

Moritur confidentius.

Præmiatur glorioſius.

III Pars.

monachis moralis mihi sermo est, Abbatum personas non censeo segregandas. non. n. tollit Abbatia monachũ, sed retinet quod est, & assumit quod dicitur. Ad myricam redeamus. Has ergò quinq; myricæ proprietates monachus omnis curet in se iugiter habere. Primo sit humilis, qa myrica arbor humilis. Secundo sit spirituali & laudabili amaritudine pauidus, quia amara. Tertio sit per bonorum operum exemplaritatem proximis medicinalis, quia myrica medicinalis. Quarto sit per sanctarum virtutũ fœcunditatem florigerus, quia semper viridis myrica. Quinto, sit in loco stabilis, solitarius & q̃etus, quia in locis myrica crescit desertis. Primo, inquam sit monachus humilis, quia myrica arbor humilis est. Non extẽdit in altum ramos, sed exiguos deponit ad terram. Et religiosi conuersatio monachi magna sit quidem in operatione, sed parua & humilis apud se in æstimatione. Qui enim superbus est, monachus non est, quia qui Christum non imitatur humilem, Deo mentitur per tonsuram. Nulla enim in ornatu monastico gemma pretiosior obedientia & humilitate. Ait nãque ISIDORVS lib. 3 de summo bono. *Summa virtus monachi est humilitas, & summum vitium eius superbia. Tunc autem se quisque monachum iudicet, quando se minimum existimauerit, etiam cum maiora virtutum opera gesserit.* Et BASILIVS in regula. *Humilitas hæc est, vt omnes homines æstimemus nobis superiores.* Idem in exhortatorio suo ad monachos. *Fili, præ omnibus humilitati stude quod est omni virtute sublimius, vt ad perfectionis fastigium possis conscendere, cum iustæ institutiones non nisi per humilitatem impleantur, & multorum temporum labores sine ipsa in nihilum deputentur.* Nullum enim ex opere monachus habebit præmium, si humilitatis & obedientiæ non custodierit fundamentum. Nihil gratius Deo, & hominibus acceptius in seruo Dei humilitate. Qui ergò monachũ se profitetur ex nomine, si non vult mendax inueniri obediens sit, & vilis ex humilitate: Nam secundum B. CÆSARIVM Arelatensem in homil. 9. ad monachos, *quibuslibet bonis operibus monachus fuerit præditus, si humilitatem & obedientiam non habuerit, in altum euolare non poterit.* Hæc autem virtus humilitatis ex Dei amore orta per operum exercitia in monacho cognoscitur, & per illatas iniurias, an vera sit, liquido probatur. Doctrina enim viri per patientiam dignoscitur. Imitetur secundo religiosus myricæ in bono susceptam amaritudinem, vt sibi mundus, & ipse mundo factus amarus timorem Domini nũquam à se repellat. Sit salubriter amarus, dicens cum Ieremia propheta. *Non sedi in concilio ludentium, solus sedebam, quoniam amaritudine replesti me.* Nunquam det securitatem animæ suæ, quia *beatus homo, qui semper est pauidus.* Omni solicitudine prouideat sibi, ne à sancto proposito, quod semel assumpsit, per torporem resiliat. Si quando se tepidum sentit & frigidum, mox per orationem, aut lectionem ad spiria sanctæ compunctionis se studeat reformare. Qui enim in monasterio cupit proficere, omni die tanquam à nouo incipiens bonam voluntatem non omittat reformare. Impossibile est enim quenq̃ in religione posse proficere, si bonũ propositum suum & nouitiũ feruorẽ neglexerit, per aliqua orationis exercitia, aut alia spiritualia remedia, vel lectionis quotidie innouare. Quæ loquor, in propatulo sunt, & experimur omni die. Vnde tantus in nobis cogitationum inutilium tumultus oritur? Vnde deniq; tepidus proficiendi feruor, nisi ex hoc boni propositi quotidiani negligentia reformandi? Dum enim quasi Ephraim vitula docta trituram monastica exercitia ex consuetudine implemus, quasi ex feruore, quasi de longo itinere lassi tepidi residemus, & in longum prospicientes, ex tædio, quo tendebamus, obliuiscimur. Si ergo monachi propositum operibus volumus implere, oportet nos sæpius, quò pergamus, attendere. Tertiò myricam imitemur semper virentem, vt in sancto proposito & bona voluntate renouati de die in diem omnium virtutem flores, id est, quos nobis beatissimus BENEDICTVS legifer noster in capitulo de instrumentis bonorum operum compẽdio tradit, quantum possumus, in nostris animabus studeamus in odorem suauitatis offerre. Mens enim monachi virtutum laudabiles flores, vt apis argumentosa in conscientiæ suæ alueario dietim reponit. O quam felix anima, quæ spiritualium florum lucidas operationes in se sine defectu amoris studet recondere.

Monachus comparatur myrica.

I.

Humilitas religioso congruit.

Isidor. 6.20.

Basil. c. 41

Cæsarius.

II.

Ier. 15.

Prou. 28.

Bonum propositũ quotidie innouandum.

Osee 10.

III.

Cap. 4. 58 gulæ.

QVAR-

IV. QVARTO, sit myricæ mysticus imitator per exemplum bonorum operum proximis medicinalis, sicut Dominus in Euangelio præcipit dicens. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.* Caueat sibi, ne fiat cœteris in scandalum, aut in lapidem offensionis. Non turbet concordiam fratrum, lites in congregatione non suscitet. Sit sibi primo, post etiam aliis norma viuendi; quoniam sicut malus de exemplo peruerso pœnam, sic bonus de bono vitæ exemplo consequitur gloriam. Quinto, myricæ claustralis zelator insignis quietam solitudinem inhabitet, stabilitatem corporis & morum inconcussa firmitate cõsetuet. Gaudeat se mundi oneribus nudum, & nihil mundialium rerum habere desideret. Amet solitudinem quietissimam cellæ, nec vagis discursibus delectetur, sed sedeat solitarius, & taceat, & per mentis continuum in DEO amorem eleuet se supra se. Has nunc myricæ proprietates breuiter quidem expositas, vnusquisq; iuxta datam sibi cœlitus intelligendi gratiam, latius, vt libet, intueatur, dum vacat. Ego enim præ angustia temporis nec ista quidem sine tædio, vt vereor, aliquorum expressi. Claudendus igitur sermo, & DEVS orandus sedula deuotione, vt donet nobis sic contempto mundo in sancta religione conuersari, quatenus ab eius gratia nullatenus excidamus. Cui laus & gloria per æterna sæcula,

Matth. 5.

V.

AMEN.

ORA-

ORATIO SECVNDA,

vel

COLLATIO FACTA

IN CAPITVLO ANNALI ERPHORDIÆ IN MONTE D. PETRI, ANNO DOMINI M. CCCC. XCII.

7. Kalẽd. Septẽb.

VIDENS *IESVS ciuitatem fleuit super illam, dicens. Quia si cognouisses & tu.* &c. Luc. 19. Venerabiles ac religiosi Patres, quamuis mihi verecundum sit coram vestris Paternitatibus in diuinis scripturis eruditis exordiri sermonem, qui sum homo impeditioris linguæ, & exigui intellectus, minusq; scripturarum vbertate suffultus: tamen sub potestate constitutus hac vice obedire compellor, & facere, quod abhorret, si foret libera voluntas.

Vnde, rogo, excusatum me habeant P. V. si quid minus, vel aliter dixero, quam par sit æquitati, quia nimia breuitas temporis verbum produxerit impolitum. Non enim dabatur opportunitas mihi colligendi tanto condigna Senatui, qui veniens de hesterno itinere in sermocinatoris absentis locum extiti deputatus: vnde vix pauca, quæ audituri estis, potui adducere. Antequam verò ad thematis verba procedamus, cum non simus sufficientes ex nobis, diuinum auxilium implorandum est, sine quo nemo vtiliter loquitur, nemo fructuosè auditur. Quod vt mereamur assequi, sanctam DEI genitricem MARIAM Virginem cũfiducia adeamus, dulcisonam illam salutationem angelicam proferentes. AVE MARIA.

VIDENS IESVS ciuitatem, fleuit. &c. Reuerendi Patres non sum æstimandus declamatorio more voluisse procedere, & idcircò thema sumpsisse, qui vobis loquor in lege diuina peritis, quibus pauca sufficiunt, cum ex minimis possitis magna cogitare. Non volo sub thematis angustia consistere, qui nostro ex variis congrua proposito intendo congregare. DET mihi thema loquendi materiam & initium; nec sit aliquod vberioris profectus impedimentum. Veteres, quos colo, Patres pro posse imitabor, qui exquisitas curiositates in suis detestabantur sermonibus. Et ideò non curabo allegationibus scripturarum, iuris, aut Philosophiæ secularis immorari; sciens talia sacrato huic displicere Collegio. Neq; enim dubia, incertaue dicturus sum, quibus necessaria sit attestatio scripturarum. Sed ad propositum redeamus. Cum dicat B. GREGORIVS Papa, quod *omnis Christi actio nostra sit instructio*, nihil nos prohibet, si lachrymas Domini IESV ad intentum nostrum voluerimus deducere, quibus congruit scripturas moraliter masticare. Litteræ factum præteriit, sed manet intentio, quam exhibitio præsignauit. Ne autem ambagibus verborum videar loquendi intento quæsisse diffugium, veterum more de plano procedam, illis sermonum relinquens dissidium, qui vulgo declamant in Ecclesia: non

Gregorius. 1. dial. c. 9.

non enim declamantis, sed monentis me fateor subisse officium. *VIDENS igitur IESVS ciuitatem, fleuit, &c.* O Patres venerandi, si ex æquo lingua faueret desiderio, lacrymas potius elicerem, quam ponerem disciplinam. Quis non videat quam rectissimè hæc verba pro ordine sanctissimi Patris nostri BENEDICTI valeant ad nostrã intentionẽ assumi, cuius sacra religio instar Hierosolymæ ciuitatis quondam florens & opulenta iam suas in præuisa deplãgit miserias. Vbi est illa quõ dã sacratissimis doctissimisq; viris opulẽta deuotio, quæ mundũ vicit, carnẽ domuit, hostem prostrauit iniquum? vbi est zelus animarum, qui caritatem docuit, instituit mores, seruauit disciplinam? Ecce quot mille cœnobia sub regula & ordine Benedicti Patris instituta conspicimus, in quibus omnem honestatem religionis corruisse dolemus? Nemo d cat. ad me quid ista pertinent: nobis aliena non licet iudicare. Certè multum ad me pertinere fateor: Si partem meæ institutionis periisse etiam in aliis contigerit. Si aliud prohibeor, lachrymas pro destitutione mei ordinis emittere non confundor. Videmus desolationem vrbis nostræ obseruantiæ regularis, captiuitates & mortes animarum intuemur, &, cur doleamus, inquirimur? Ruit pars murorum maxima, dum in multis religio periit, deuotio tepuit, caritas exspirauit. Surge nunc, ô legifer sancte, princeps monachorum BENEDICTE attende: plantatio, quam tuo ministerio plantauit diuinitas, ad nihilum pœne redacta est. Tu quondam in terris prophetiæ spiritu illustratus vnius cœnobii Cassinensis desolationem fleuisti, qui vix animabus impetratis locum destruendum prædicebas. Ergo, si tantus eras, vt eras, non immeritò ad posteritatis tuæ Ordinem dicere potuisti. *Quia si cognouisses & tu.* O sanctissime Pater, vel serò tandem exurge in adiutorium cultoribus tuis. Te nunc alloquor mœrore confectam, BENEDICTI Patris sacrata religio, tuis ærumnis compatiens, ad effusionem lacrymarum te excitare conabor. Vbi est decor vultus tui, vbi honor, vbi lata in orbe potestas? euanuit flos, rami quoq; inutiles sanctam, vberemq; confudere radicem.

Deplorat ruinam Ordinis Benedictini.

Eras olim diues in omnibus, quamdiu te regis æterni sponsam moribus ornasti sacratis, qui pastores detestatur adulteros, fœdatamq; stupris sponsam repudiat. O si cognouisses tunc, quam modò experiris ruinam, fleuisses & tu, posterorum deformitati compatiens: quando florens in vigore totam per orbem illuminabas Ecclesiam. Inopem te copia fecit, & temporalium abundantia rerum, mentium deuotionem extinxit, dum filios genuisti, qui te matrem sanctam ausu temerario contempserunt. *Causarum.*

Vigebat olim in te filiorum sincera deuotio, caritas geminata feruebat: at postquam subintrauit ambitio te omni decore temerata spoliauit: mox enim, vt cœpit moribus præferri generatio carnis, color disciplinæ optimus in tetrum est mutatus. Cecidit corona capitis nostri, vetus ordo viuendi amatus DEO periit, & loco sponsi desiderabilis fœdus adulter suscipitur. Sed qui cecidit, adiicit vt resurgat: vires quandoq; resumit depositas, post fugam dimicaturus fortius ad pugnam anhelus reuertitur. Tu autem semel cecidisti, nunquam ad pristinum decorem generaliter in toto conata resurgere. Corruisti, inquam, tota, & cum magna difficultate vix in parte modica curasti resurgere, dum reformata minori fulges in numero, cæteris adhuc multis in desolatione manentibus. O quam vera sententia, quoniam *facilis descensus Auerni. Sed reuocare gradum superasq; ad auras, hic labor, hic opus est. euadere* &c. Casus à bono facilis est, sed cu difficultate magna de malo resurgitur. Videmus ad oculũ, & cum lachrymis deflere compellimur, quod multi à regulari institutione facilè defecerunt, qui cum maximis laboribus vix ad vestigium pristinæ conuersationis reducuntur. *Virgil.*

Ecce quot reformationes in ordine nostro viguerunt, & tamen dura mens hominum BENEDICTI normam, quã profitetur, etiam custodire reformidat. Floruit inter præcipuas olim Specuensis, floruit Cluniacensis cum multis aliis, à quibus meum hac vice reor subtrahendũ iudicium. Venit alia tem- *Reformationes ordinis varia.*

tempore posterior, sed vtilitate prior ordinis sancta BVRSFELDENSIS nuncupatæ reformatio, cuius laus est in opere: ad quam pro honore conseruandam de remotis terrarum spatiis ô Patres venerandi conueniemus. Hanc, oro, amplectamur, vt sanctã & veram, vt regulæ BENEDICTI Patris consonam: quam nemo diligit, nisi bonus, nemo odit, nisi peruersus: in qua ad puritatem regulæ securè viuitur, quam DEVS plantat & rigat, quæ mundum spernit, Deum diligit, fraternitatem custodit. Hæc est, quæ diuinum officium diu neglectum recuperat, obedientiam docet, abdicationem proprietatis suis indicit cultoribus, amat castitatem. Hæc est schola humilitatis, doctrix sapientiæ, virtutis exemplum, norma disciplinæ. Hæc est, quæ monasticam vitam illustratam commendat diuinitus, mores instruit, amat pacem, concordiam diligit, conseruat vnitatem. Hæc est, quæ vitia fugat, carnem castigat, ieiunium seruat, abstinentiam colit, pauperes sustentat, miseros pro posse consolatur. O sancta congregatio, in qua caritas imperat, subiectio humilis obtemperat, obedientia pugnat, castitas miris odoribus fragrat, oratio vigilat, perseuerantia sancta triumphat. Felix, qui cultor tui verus existit, qui tuæ institutionis præcepta custodit, qui carnem macerat, vitia domat, virtutes amplectitur, discretionem non deserit, ordinat caritatem. O sancta monachorum vnio, quæ dum spiritualia reformas temporalia dudum in multis amissa, Domino largiente, recipere meruisti. Tu enim ad vltimam paupertatem deducta, cœnobia pristinis fecisti refulgere honoribus. Ecce monachi regulari obseruantiæ contrarii in multa plerunq; angustia viuunt, intus spiritualibus, foris temporalibus etiam destituuntur solatiis. Sed cum causa martyrem faciat, non pœna, quicquid huiusmodi homines patiuntur aduersi virtutis mercedere vacuatur. Non enim propter DEVM aduersa sustinent, sed ob voluntatis insolentissimæ libertatem. Sed transeant hæc, nostris iam minus opportuna sermonibus. Tuas, si liceat, denuò laudes, ô sacra vnio, canam. Ad tui quippe honorem hos Patres venerandos, & fratres intueor conuenisse: nec blandus, sed verus laudator existam. Tu Deum famulatu continuò laudas: tu spiritualia præfers caducis. Tu ad sinceritatem regulæ iuxta vires humanas ambulas, tu vanas mundi pompas deuota contemnis, iustitiam diligis, amplecteris vnitatem.

Bursfeldensis laudatur.

Et, quia Domino in simplicitate cordis tui famularis, idcirco benedixit tibi de rore cœli, & de pinguedine terræ: vt quãto in obseruantia regulari maiori feruet desiderio, tanto in necessariis corporis abundantius ab eo cumuleris. Sed caue, ô mater veneranda, tuis nunquam destituenda cultoribus, ne saturitas panis & otium tibi præbeant materiam delinquendi. Aspice pristinas reformationes, antiquorum metire exordia, & te quoq; periculis, si negligas, formidã obnoxiam. Te lucernis fulgentibus similem existimo; quibus si desit oleum cito extinguuntur. Multæ reformationes, vt dixi, olim viguerunt: quarum hodie in multis nullum patet vestigium. Feruor deuotionis ex tempore consumitur, nisi fomentis prouidentiæ quotidiè renouetur. De tua autem perseuarentia, quid dicam ô vinea Domini Sabaoth electa? peribisne cum tempore more cæterarum? quamdiu credam subsistes? Non sum propheta, & nulla mihi de futuris relucet agnitio. Sed cum ex præteritis futura plærunq; metiamur: liceat mihi paululum spei meæ anchoram in altum eleuare. Annis fermè sexaginta hæc sancta reformatio iam viguit, adeò fortis in pluribus, sicut ab initio feruebat in paucis: quanquam infirmos nobiscum semper habeamus, quibus industria fortiorum comprobatur. Non omnia volumus omnes, nec est dilectio singulorum communis. Quid ergò? Vnius, vel paucorum malo nunquam publica fama corrumpitur. Duo sunt, quæ magna spe huius reformationis perseuerantiam pollicentur. Videlicet, Annale Capitulum, quod modo celebramus, & officium visitationis. Vnum istorum si tollatur, cito reformatio peribit. Si opponas, quod veteres cum visitationibus celebrarint Capitula, & nihilominus defecerunt: ne labyrintho me iam putes obnoxium, cum singularum reformationum atq; Capitulorum non ignoretur diuersitas. Bene quidem incœperunt, ad tempus Capitula celebrabant, sed defuit illi

Antiquitas Bursfeld. reformationis

Quibus rebus conseruari queat.

illis conseruatrix virtutum perseuerantia. Nec aranearum telis Bursfeldensium vnionem æstimes comparandam, quæ tot fortissimis basibus meritorum solidatur: sed, quemadmodum dixi, si auferatur annale Capitulum, si visitationes
* monasteriorum fuerint intermissæ reformatio Bursfeldensium, vt ceteræ, expirabit. Quia, quod duo oculi faciunt in capite, hoc sunt hæc duo in nostra reformatione. Si oculos de capite videntis eruas: hominem cæcum reddis, atque deformem. Capitulum & visitationem si deponas, reformationem ad nihilum redegisti.

Igitur, ô Patres, veterum instituta seruate, hæc duo nolite deponere, si reformationem sanctam inuiolabilem cupitis perdurare. Sed vereor, ne post discessum reuerendissimorum Patrum, qui zelum habent disciplinæ, & reformationem hucusque manutenuerunt, iuuentus noua quærat consilia, statuta negligat, reformationem contemnat. Timeo, quia surgent multi pseudomonachi: quales etiam nunc in Ordine surrexerunt, qui reformationem sanctam habebunt exosam, nomen originale detestabuntur, confundent vnitatem. Hi sunt quos despectos reformatio fecit excelsos, leuatos de stercore posuit in sublimi, ditauit pauperes, miseros fecit gloriosos. Væ tibi, qui tantorum beneficiorum immemor, matrem sanctam te glorificantem nefanda præsumptione contemnis. Dic mihi, quisquis tandem es bonarum inuide rerum: dic mihi, quid est, quod te in BVRSFELDENSIVM reformatione offendit? genus an species, nomen an virtus? Si genus, audi scripturam. *Vos genus electum.* Cuius electum. Vtique DEI omnipotentis. Quod ergò DEVS elegit, qua temeritate condemnas? Ipsius enim genus sumus, cuius sequimur voluntatem.

Sed forsitan pro sanguinis genere inisti certamen, qui reris ingenuos esse contemptos? Si legem monachorum attendas, nulli nos fateberis fecisse iniuriam. Omnibus sine differentia generis aut personarum regula patet: contra quam nihil vnquam nos statuisse probabis. Dico tamen, quod sentio.
* Habet interdum generis nobilitas elationem amicam, quam BENEDICTI Patris regula detestatur: præfert enim illa non genus, sed mores. Esto humilis, obediens, mansuetus, morumq; lenitate decorus, & generis discretio iure commendabitur. Si species displicet, Dominum audi testantem. *Species agri mecum est.* *Psal. 49.* In odore huius agri virtutum vnguenta miris sunt insignita ornatibus. Sed fugit aranea venenata bonos odores. Sed quid religiosum decet prauorum moribus nitere contrariis? Nos malis displicere gaudemus. Si nomen Bursfeldense offendit, stultus es, qui rerum maiestate omissa de nominis vocabulo altercaris. *Nomen Bursfeldense defenditur.* Denique insto vlterius, cur nomen tantopere Bursfeldense detesteris. putasne virtutes in nomine consistere, aut vitia? Si humile nomen offendit, non lædit, nisi superbum. Sed elatum humiles non aduertunt. Si verò nec virtutes in nomine haberi consentis, nec vitia, Bursfeldensibus sine causa indignaris. Virtus autem non displicet, nisi peruersis; qua si offenderis te nudum omni virtute penitus ostendis. Vita enim non displicet, nisi contraria. Tu ergò qui vitam fratrum huius sanctæ reformationis vituperas, profecto tuis moribus testaris esse contrariam. Cum autem sub vmbra non lateat, inuidus iudicaberis testimonio euidenti, qui monachorum exercitia sancta corrodis, ieiunia impugnas, disciplinam vituperas, simplicitatem iudicas, condemnas vnitatem. Sed veri monachi non curant verba detractorum: quibus propositum est malis displicere: qui conscientiæ testimonio confisi in Domino tantum nouere gloriandum. quanquam suo exemplo neminem velint abire scandalizatum.

Sed veritas iusta peruertentium scandalo præferenda est. Quiescit sub vmbra Apostolici culminis hæc vnio reformata, & ideò non metuit odia detractorum. *Papa protector est reformat. Bursfeld.* Quod si callidus æmulator, quemadmodum consueuit, causetur, etiam in reformatione esse peruersos, nouerit crimen paucorum non diffundendum in omnes, quia bonorum virtus ex conuictu malorum non corrumpitur, sed probatur. Nulla congregatio tam sancta extitit, quæ malorum societatem non sit experta. Claudat igitur os suum, qui magna super se loquitur, & bonos non sper-

spernat propter odium infirmorum: magis autem commutet voluntatem in melius, & studeat imitari, quos nisi de sancta conuersatione non potest reprehendere. Sed ista sufficiant aduersus odia detractorum: quæ non sine causa dicta sunt, & intelligentibus patent. Quod si alicui ad iniuriam dicta videātur, oro, ne mihi succenseat, qui neminem offendere instituí: sed hanc, quam vna vobiscum profiteor, Patres, quantum cum DEO valeo defendere vnitatem. Neq; enim de præsentibus talem quenquam æstimo, cum ad honorem Ordinis omnes conueniſſe nō dubitem: sed propter absentes etiam præsentibus loquor. Cæterum, Venerandi Patres, intuentes ea, quæ paucis expressi superius, consideremus, quam iustè sit Ordinis nostri gemenda desolatio; qui olim floruit in Ecclesia velut cedrus Libani, & modo aruit tanquam myrica deserti. Vnde cauendum est, & magna solicitudine cogitandum, ne hanc quoq; reformationem qualemcunq; nostra negligentia confundamus. Curet vnusquisq; nostrum in suo monasterio successoribus bona præsignare vestigia: vt cum nos ex præcedentibus, atq; alii ex nobis proficiunt, hæc sancta reformatio in vigore semper perseueret.

Et si ordinem ad pristinum decorem non possumus reducere ex integro, quia latus est, curemus saltem in parte vel vnius prouinciæ ad veterum instituta ambulare. DVO autem sunt, quæ Ordinem nostrum glorioſum ab initio reddiderunt: quæ si & nos imitari studuerimus, in eo fructum magnum faciemus. Quæ sunt illa? Sanctitatis meritum, & scientia scripturarum. Hæc vbi neglecta sunt, mox Ordinem ad ima deduxerunt. Nihil enim Principes terræ in ordine nostro venerabantur antiquitus, nisi vitæ meritum, & scientiæ doctrinam. quibus neglectis, Ordo deuenit in contemptum. Si ergò ad pristinum honorem ordinem cupimus reducere, oportet vt his duobus inuigilemus. Neq; enim possibile est vnionem & reformationem saluam diu posse consistere, si Abbates, & fratres scientiam scripturarum repulerint, & morum honestatem. Alta ædificia, vel luculenta prædia non faciunt stabilem in ordine disciplinam. Nam diuitiæ sunt fomenta vanitatis, quæ si affluant, nolite cor apponere, quia possidentes monachos spoliant honestate. Ecce quot Abbates, quot Rectores, quot monachi se temporalibus immergentes ab omni prorsus sanctitate & doctrina nudi sunt, quibus nihil sapit, nisi terrenum, nihil placet nisi caducum. Confundunt ordinem desideria voluptatum. Quid dicam? Abbas, vel monachus, qui se temporalibus immergit, qui lectiones & studium scripturarum negligit, qui exercitia interiora postponit, nisi de speciali omnipotentis Dei gratia præseruetur, impossibile est eum fornacem Babylonis, aut fumum nō incidere camini ardentis. Arbor autē, qualis sit, ex fructibus, quos producit, agnoscitur. Cor homini inquietum amoris nunquam est sine affectu speciali, cui fortius insistat: qui, si bonus fuerit, fructus pietatis operatur. Semper circa aliquid specialiter in pectore viget amor. Vnus diuitiis congregandis inhiat, alius structurarū & ædificiorū ornatibus gaudet, alter in equis delectatur, alter in prædiis. Vnusquisq; cæteris sua præfert, quæ amat, & bene se velle æstimat, dum hæc ad religionis augmentum figurat. Sed non est hæc vera via saluti, si negligantur illa, ad quæ ista fuerant ordinanda: securè sanctitas amatur vitæ: feliciter scientia diligitur scripturarum. Qui his intendit, facilè omnia superabit aduersa. Abbas igitur, qui curam suscipit animarum, pro quibus Deo redditurus est rationem, non debet se curis temporalibus immergere, sed commodare: vt quotiens libuerit, sine difficultate se sibi valeat vendicare. Vetat enim regula, ne maiorem de caducis, quam de spiritualibus curam habeat. In vtroq; autem Abbas iubetur proficere, sanctitate videlicet, & doctrina: quia vnum sine altero non sufficit in Prælato. Vita bona sibi proficit; doctrina scripturarum subiectis. Quicunq; ergò Ordinis sui amator est, quicunq; arbor fructuosa censeri desiderat, his duobus diligenter inuigilet. imitetur eos, quos doctos sanctosq; in Ordine floruisse non ignorat. Oro, Patres, intueamur Ordinis nostri pristinum decorem, quanti in eo sancti, quanti claruerint eruditi, qui nobis laborarunt & sibi, dum hac duplici virtute insignes fuerunt. Studeamus eos imitari pro posse, quos colimus; si ad gloriam

Ordinem Benedictinum duo fecere olim glorioſum

Matt. 7.

Abbatis munus quod.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

gloriam, quam sunt adepti, venire desideramus. Nemo sibi blandiatur, nemo se putet esse securum: quia etsi misericors est Pater Deus, tamen indubiè iustus est Dominus, qui culpæ Pastoris solet adscribere, si quid minus vtilitatis in ouibus suis potuerit inuenire. *Hebr. 10.* Cogitemus, quam horribile sit incidere manus Dei viuentis, qui personam hominis non respicit, sed tantum pro causis iudicat meritorum. Intueamur veteres, qui in hoc sacratissimo Ordine Domino in sinceritate seruierunt, & ex profectu talium nos quoq; sumamus proficiendi exemplum. Contempserunt mundum, cœlestia inquirebant, & Dominus, quem amabant, pro eis erat solicitus, prouidens in omnibus copiosè, quæ illis necessaria fuerant, quemadmodum in Euangelio ante promiserat. *Matt. 6.* *Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Ordo nimirum congruus, vt spiritualia temporalibus præferantur: quia sicut apud Grammaticos à potiori & digniori consueuit fieri denominatio: ita prior habenda est animæ, quam corporis solicitudo. Vbi autem spiritualia temporalibus posthabentur, vtraque citò deficiunt. * Peperit olim religio diuitias, donec insolens filia matrem suffocauit. *1. Tim. 6.* Nam, *qui volunt diuites fieri incidunt intentationes diaboli.* Ditauit ordinem sacrum cultus Dei sincera deuotio: quem monachorum cæca ambitio bonis omnibus denudauit. Mox enim, vt se negotiis secularibus immerserunt, lectiones scripturarum neglexerunt, mutari cœpit color disciplinæ optimus, deuotio tota expiranit. Spiritualibus autem neglectis, iusto Dei iudicio etiam temporalia defecerunt. Huius autem causa defectus negligentia conuincitur Prælatorum. Rudes enim & inexperti, ac sine scientia litterarũ ad regimen animarum positi, cum non haberent, vbi cor suum delectabiliter figerent, ad amorem seculi conuersi ordinis disciplinam miseri destruxerunt. Saluo priuilegio paucorum, quod non facit legem communem, monachus, vel Abbas, absq; amore & studio scripturarum ad internæ dulcedinis gustum rarò, aut nunquam potest pertingere. In hoc mari magno, vbi sunt reptilia tentationum, quorum non est numerus, pro nauicula est nobis

Scientia scripturarum necessaria monacho.

scientia scripturarum. Hanc qui abiicit mergi vult in aquis vehementibus. Homo, qui Deum non diligit, qui scientiam scripruraturum contemnit, quid potest aliud diligere, quam mundum? Nunquam amator sui Deum potest diligere. Et omne opus, cuius radix caritate non figitur, citò dissipatur. Scientia vero scripturarum ad amorem Dei nos excitat, obseruantiam regularem conseruat, castitatem roborat, virtutes ministrat, caritatem fouet, deuotionem auget, humilitatem docet, colligit vnitatem. Qui amat Deum, ordinis sui præcepta custodit, quia Dei amor mandata non negligit. Qui amat scientiam scripturarum, à bona voluntate non deficit, quia earum dulcibus stimulis ad sanctæ compunctionis studia quotidie reuocatur. Homo autem rudis, & absque desiderio pietatis curis inexplicabilibus submergit animã suam voluptatibus carnis deseruiens terrena sapit, elatus incedit, disciplinam negligit, violat puritatem. Ad nos igitur ipsos reuertentes Patres Venerandi, ibi cordis nostri figamus desiderium, ad cuius amorem ordinis subiuimus institutum. Intueor plures è vobis, Patres, ætate iuuenes, ingenio dociles, animo capaces: quos exhortor, vt sanctitati morum inseruiant, sacras scripturas discant, illis incumbant, & carnis vitia, promitto, facilè superabunt. Verè, qui amat scientiam scripturarum carnis vitia non amabit. *Ergò, dum vires, animiq; sinunt tolerate labores. Nam veniet tacito curua senecta pede.* Ecce, opportune iam arridենt omnia, tantum, si adsit studendi voluntas. Iam ære modico doctus quis esse potest. Erat olim librorum magna penuria, dum preciis maximis & sumptibus parabantur. At nunc in omni varietate facultatum ingens copia voluminum per imprimendi artem in lucem dietim producitur, quibus doctrina salutaris magnificè dilatatur. Cur inerti langueſcimus otio? an putamus virtutes sine opere, scientiamq; scripturarum sine labore infundi? Veteres inspiciamus Patres quàm deuoti fuerint in orationibus, quã seduli in lectionibus sacris, quos sine labore ad tam ardua non credo prouectos. Sed habet labor ipse solatium, quẽ amor sancti spiritus inflammat. Nouerant enim sancti, q; nulla sine labore apprehenditur

Typographiæ vtilitas.

virtus. Amabant Deũ, & sanctas scripturas ex corde didicerunt, quibus muniti aduersus omnes inimicos fortiter dimicarunt. Nihil enim in hac vita dulcius sentitur, nihil auidius sumitur, nihil deniq; iucundius possidetur, nihil mentem ita à voluptatibus carnis separat, quam studium, & amorosa scientia scripturarum. Quia *nil homini melius, quàm si diuina legendo, figat ibi mentem, quo sibi vita venit.* Monachus autem, qui scripturas sanctas intelligere desiderat, à morum emendatione debet incipere. Frustra enim studium litteris impenditur, si cordis habitaculum intus negligatur. Nec dicas, quod multi docti reperiantur vitiosi. Stoicorum sententia est, verè doctum non esse criminosum. Est talibus sine caritate scientia quæ inflat. Monachorum autem philosophia altior est, quæ intellectum discentis erudiens, amantis affectum non solet negligere. Hinc quidam è nostris consulit amatoribus veræ sapientiæ dicens. *Tranquillam, & vacuam curis sapientia mentem imbuit, & placidi pectoris hospes erit.* Scripturas sacras diligunt, qui nouerunt: quia hæc scientia præcipuè inimicum non habet, nisi ignorantem. Et quidem sua studia singuli prædicant, qui autem sacris scripturis affectualiter incumbit, merito præfertur vniuersis. Sed maneant hæc, suis, si iaceat, continuanda temporibus. Nunc ergò Patres venerandi, onera nostris ceruicibus imposita metuentes, studeamus animas nobis commissas sanctitate & doctrina ita pascere, vt ad eos, de quibus loquimur, cum ipsis ouibus post hanc vitam in æternum mansuri possimus peruenire: quod nobis ille præstare dignetur, qui sua clementia vniuersos condidit sanctos. Dominus noster IESVS CHRISTVS, qui viuit cum Deo Patre & sancto spiritu in vnitate glorifica gubernans ac moderans secula cuncta. AMEN.

FINIS.

ORATIO TERTIA
vel
COLLATIO DE REPVBLICA ECCLESIÆ ET MONACHORVM ORDINIS DIVI PATRIS BENEDICTI, HABITA COLONIÆ IN CAPITVLO ANnali, prima die Mensis Septembris. Anno Domini Millesimo, quadringentesimo, nonagesimo tertio.

INSTITVENTI mihi (Patres in Christo reuerendi) pro obedientiæ merito apud vestras paternitates iuxta laudabilem cõsuetudinem habere sermonem: posteaquam diu, multumq; tacitus mecum deliberaui, quam essem allaturus materiam, quæ ad pietatem ordinis animos vestros efficacius prouocaret: à nõnullis venerabilibus vestri senatus viris fuit tandem persuasum: quatenus de nostra republica altissimi dono perorarem: pro cuius amore, defensione, &or-

& ornatu, de remotis terrarum locis in hanc concionem conueniſtis. Sanctum eſt & ſalubre (fateor) de republica veſtra (ó Patres) & ſancta & religioſa loqui: ſed docto, ſed erudito, ſed ſancto viro, & ad perſuadendum idoneo: qualem me neſcio: quippe qui ſum ingenio pauper, merito nudus, ſermone incultus. Quemadmodum ergo loqui de præſtantiſſima r. p. auſim præſumere: qui ad inueniendum tardus, ad loquendum impolitus, ad perſuadendum ſum frigidus? Alius igitur Patres, alius vobis orator fuerat inquirendus: cui ad loquendum vires miniſtraret ingenium, ad docendum eruditio intellectum, ad perſuadendum conueniret non minus doctrina quam meritum. Sed quid fruſtra nitor, qui obedire compellor? Quamuis igitur longè vires ingenii mei onus excedat impoſitum: deomnipotentis tamen miſeratione & obedientiæ ſuffragio confiſus, non tam liberè, quam hilariter opus aggrediar iniunctum. Nec mihi Plato neceſſarius erit in decem, nec Ariſtoteles in octo, neque Tullius in ſex de republica voluminibus: cui dominus noſter Ieſus Chriſtus copioſam de hac re materiam in hodierno Euãgelio pro noſtra intentione præbuit differendi, cum diceret. *Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho: qui incidit in latrones* &c. Quæ parabola licet de perditione totius humani generis principaliter ſit intelligenda: nihil tamen nos prohibet etiam ad noſtram rempublicam (ſalua fide) interpretandam. Status enim reipublicæ nedum noſtræ, ſed omnium religioſorum, immò totius Eccleſiæ militantis ab Ieruſalem in Iericho deſcendit: quia à primæua ſui inſtitutione vtplurimum defecit. Iericho enim, luna, vel defectio eius, interpretatur. Ab Ieruſalem ergò in Iericho deſcendit, quisquis à iuſtitia deficiens ad vitiorum ſcaturiginem accedit. Sed antequam ad thematis noſtri declarationem accedamus vlterius, cum in omnibus actionibus, maximè theoricis ab oratione ſit inchoandum: ne fruſtra conemur, diuinũ nobis auxiliũ implorandum eſt, ſine quo nihil proficit ſermo loquentis: nihil fructificat intentio auditoris. Pro nanciſcẽda igitur gratia dicendi, pro conſequẽdo fructu audiendi, ſacroſanctã Dei genitricem intemeratam virginem Mariam deuota mente, ſyncera intentione, curuatis in terram genibus, adorando ſalutemus dicentes. *Aue Maria.*

Luc. 10.

Maximè optarem (reuerendi Patres pro gloria omnipotentis Dei, eam vim dicendi mihi collatam à ſuperis, qua ad veſtram ædificationem, cõpunctionem, & pietatem, ſumptum ex Euangelio præſentis Dominicæ thema, iuxta ſtatum rei noſtræ publicæ q̃ aptiſſimè poſſem deducere. Nam, ſicut homo ille ab Ieruſalẽ deſcendẽs in Iericho, à latronibus impoſitis plagis deſpoliatus, & ſemiuiuus derelictus eſt: ſic reſpub. Eccleſiæ vniuerſalis, ſic omniũ pœnè religionũ & ordinũ ſtatus, ſic etiã veſtra reſpub. (ô Patres) impoſitis vbiq; plagis ſceletũ, vulneribus criminũ, pũcturis vitiorũ ſpoliata & ſemideſtructa iacet. Et vt incipiamus à r. p. generali, quę reſpicit fideles omnes Chriſtianos, qui p fidem catholicam vnum cẽſentur: vbi eſt ſtatus eius priſtini decoris? vbi fides, vbi amor Dei, vbi dilectio fraternitatis? Ecce videmus in r. p. Chriſtianorũ vbiq; abũdare auaritiam, libidinẽ, ſuperbiã, diſcordiã, iram, inuidiã, cæteraſq; animi peſtes: quæ ſæua crudelitate more latronum ſtatum Eccleſiæ grauiſſimis plagis lacerant, ſpoliant, denudãt, & enecant: adeò vt ſemiuiuus derelictus non ſit ei ſpecies vel decor antiquæ venuſtatis. Quid ages ô ſãcta mater Eccleſia? quẽ vulnerũ tuorũ medicũ inuocabis? Sacerdotẽ? Sed te viſa præterit, anxietatem tuã ſpernit. dolores deſpicit, vulnera contemnit. Leuitã? Sed mali ſacerdotis miniſter malus honorẽ tuũ non diligit, curam abiicit, ſanitatem vulnerum odit. Samaritanum? Sed longè es à Samaria: nec facilè quẽ quæris poteris inuenire. Quid ergo facies? Quemadmodum ad priſtinã ſanitatẽ reuerti poteris? Non eſt, qui doleat ſuper contritione tua: non eſt qui vinum & oleum infundat vulneribus tuis: non eſt qui ſtabulario fideli curã tui committat. Ecce, qui crimina ſedent iudicare, committunt: & ne arguantur ſua, libenter diſſimulant aliena. Iuſtitia pro vili precio argenti venditur: & ſtatuti defenſione virtus æſtimatur. Sæuit inuicem diſcordantium Chriſtianorũ rabies: & paee rupta inter ciues iurgia concitantur. Conſueuerunt olim reges & principes conſtruere & dotare monaſteria & Eccleſias: ſed modo (paucis exceptis) conuerſi in latrones, res Eccleſiaſticas violenter rapiũt: ſacerdotes Dei ſper-

Deplorat ſtatum Eccleſiaſticum.

nunt: mandata præsulum Christi contemnunt. Amor Dei à cordibus hominum recessit, reuerentia sacerdotũ abiit: honor sacramentorũ Ecclesiæ (prohdolor) expirauit: & factus est sicut populus, sic sacerdos: quia dum vitia iudicaturus efficitur vitiosus, sententia eius merito habetur contemptibilis. Factus est, inquã, sicut populus sic sacerdos: quia sicut in plebe, ita & in sacerdotibus auaritia regnat, libido furit, superbia insanit, ira sæuit, immunditia tam mentis, quã corporis eos contemptibiles reddit. O sacerdotes, sacerdotes, qui vestris peccatis atq; scelerib⁹ Ecclesiasticam rempublicam confunditis: q̃ auaritiæ & luxuriæ vacatis: q̃ cultũ Dei negligitis, q̃ eleemosynas fidelium turpiter consumitis: q̃ durã estis subituri damnationis sententiã: qui populũ quẽ verbo veritatis, & sanctitatis exẽplo erudire debuist is præceditis ad culpã. Væ vobis ministri voluptatis: quam proxima est subuersio vestra? Non est timor Dei ante oculos vestros: nullus de legibus metus: de interno iudice pauor nullus. Conuersatio vestra damnabilis occasionẽ laicis præbuit delinquendi: dum propter malam vitam bene docere non audetis. Quomodo auaritiã arguet sacerdos auarus? Mentior, si non noui sacerdotes, rusticorum filios, tantis auaritiæ facibus accensos, vt alii decem, alii viginti, nonnulli triginta beneficia Ecclesiastica tam curata, quam non curata possideant: qui tamen gregem sibi cõmissum, nec pascunt, nec visitant. O quid respondebitis summo pastori vos mercenarii, vos sacerdotes auari, vos ouiũ Christi desertores iniqui: qui non solum de ouibus lanam rapitis, sed etiam (quod nefandum est) gregem dominicũ dissipatis. Nulla vobis cura de ouibus est: qui lanam & lac recipitis: & custodiam earum mercenariis infidelibus collocatis. Vos auari, vos immundi, vos elati pastores, sanguinem pauperum comeditis: pluralitate beneficiorum vestrorũ pauperes sacerdotes vobis doctrina & sanctitate meliores spoliatis. Ecce substantiam patrimonii Christi turpiter consumitis: ecce voluptatibus carnis die noctuq; vacatis: & sacerdotibus egenis doctis & sanctis nec in minimo subuenitis. Idcirco desæuiet in vos ira iusti iudicis Iesu Christi, qui sanguinem ouium suarũ de manibus vestris requiret. Non miror odium laicorum in clericos: qui suis moribus nullũ merentur amorem: quoniam sicut per prophetã dicit dominus, propter scelera sua facti sunt cõtemptibiles in plebe sacerdotes. Meritò patimur (ô sacerdotes) meritò patimur opprobria populi: qui spernimus præcepta Dei. Ait enim sapientia patris. *Qui contemnunt me erunt ignobiles.* Et vtinam soli despicerentur sacerdotes mali: & non fieret etiã iniuria veris & sanctis ministerialibus Christi. Vtinam indoctũ vulgus paucorũ crimen non diffunderet in omnes: & quod mali in Ecclesiastica republica destruũt, boni sacerdotes vtcunq; instaurarẽt. Nũc autẽ isti apud imperitos damnantur cum impiis: & propter odium malis debitum, etiam bonis cõsuetus honor subtrahitur. Talis modo est tua respublica ô sancta mater Ecclesia: vt in sacerdotibus tuis atq; iudicibus, qui corrigãt improbos, desint: soli apud illos qui corrigantur occurrant. Væ pastoribus, qui pascũt semetipsos, qui oues domini negligũt, qui terrenis lucris inseruiunt, qui sua non Iesu Christi inquirunt. Heu mater & virgo, sponsa Christi Ecclesia, ad quantam miseriam deueneristi? Tu quondam inter procellas persecutionum dilatata creuisti: colla superborum humiliasti: tyrannorum sęuitiam calcasti: reges & principes huius seculi tuo imperio subiugasti: nunc à filiis tuis laceraris, contemneris, & ad nihilum pœnè redigeris. O quot sanctos, quot martyres, quot virgines, quot deniq; confessores olim in tribulatione tua Christo cũ gaudio trãsmisisti: sed nunc in pace amaritudo tua facta est amarissima. Eras quondam in tribulatione pro fide Christi amaritudine plena: sed pro filiorũ sanctorum innumera multitudine iucunda, læta, constans, hilaris, & à Domino consolata: nũc autẽ in pace tua propter bonorum filiorum paucitatẽ amaritudine amarissima repleta es. Nec mirum. Pastores tui (paucis demptis) canes muti non valentes latrare, ouium ac filiorum tuorum ducatũ precio emunt, sanguine innoxio acquirunt, gladio, hasta & lancea violenter inuadunt: non amore Christi, non honore tui: sed propter auaritiam superbiam, elationẽ, & insatiabilẽ dominandi libidinẽ. Ad p̃laturas nõ vocati vneiũt: nõ electi accedũt: indigni se fraudulẽter ingerunt: & sub Ecclesiasticæ libertatis nomine, quasi bene

Isa. 24.

Malach. 2.

1. Reg. 2

Innuitur in plura loc. beneficior.

Matt. 7. bene fecerint, nequiter se defendunt. Hi sunt lupi rapaces, qui veniunt in vestimētis ouium, Dominici gregis dissipatores & inimici: qui Ecclesiasticas dignitates indignè ambiunt: prælaturas auro & sanguine emunt: per fas nefasq; principatum populi acquirunt. Hi sunt duces cæci, custodes mali, serui peruersi, iudices iniqui, qui rempublicam Ecclesiæ destruunt, qui oues Christi peruersa conuersatione occidunt, qui laicis occasionem persequendi Ecclesiam tribuunt, qui diabolo audaciam sæuiendi in gregem Domini concedunt. Hi sunt vulpes, quæ demoliuntur vineam Domini, sanctam videlicet Ecclesiam: quoniam dum speculatores positi super custodiam suam stare soliciti negligunt, aduersariis nocendi potestatem offerunt. Hinc sequitur in populo plaga scelerum, & interitus animorum. Propter ducem iniquum, exterminatur sæpe exercitus. Quales iam sacerdotes ad Deum esse cōspicimus, tales etiam ad eos laicos videmus. Contemptus Dei contemptu populi modo satis iustè in sacerdotibus ecclesiæ corripitur: & negligentia ministrorum eius temporalium direptione per laicos vindicatur. Credite mihi, venerandi sacerdotes, Deus in vos nihil permittit sine causa: Ecclesiam suam proculdubio à diripientium incursione defenderet, nisi ad vindictam conuersatio nostra eum prouocaret. Nobis ergo imputemus quod patimur: nobis ascribamus, quod à laicis bonis temporalibus spoliamur. Nam omnipotens Deus olim propter sanctitatem sacerdotum, per bonos Principes temporalibus rebus magnificè dotauit Ecclesiam: nunc propter scelera ministrorum eius per malos iterum spoliat eam. Quid multa dicam? Vos quid patiatur Ecclesia his temporibus, ad oculum videtis: quoniam qui conferant ei aliquid amplius desunt: soli qui rapiant quondam ab aliis collata occurrunt. Nemo iam Ecclesias construit: cœnobia nemo iam erigit: quoniam vbi in sacerdotibus cupiditas abundare conspicitur, honor & cultus consuetus à laicis denegatur. Ad hunc finem Ecclesiæ respublica deuoluta est: vt qui spoliant eam, arbitrentur se obsequium præstare Deo: Aiunt enim. Ecce sacerdotes & monachi peccatores obtinuerunt diuitias: ecce cultu Dei contempto cum meretricibus consumunt eas: nulla eis de honestate cura, de sanctitate vitæ solicitudo nulla est. Quid ergo moramur? Quid hæsitamus? Cur non inuadimus eorum bona temporalia: vt tam scelerata humilietur superbia? Venite aduersemur Episcopis & sacerdotibus Domini: diripiamus decimas: redditus auferamus & pensiones: spoliemus domus, pecora abigamus, nullusq; sit, q manus possit effugere nostras Sic dicunt satellites mūdi, sic faciunt: nullumq; rapinæ genus, quod sacerdotibus noceat, omittunt. Sæuit vbiq; crudelitas satellitum diaboli in sacerdotes Domini: & quos honore ac reuerentia prosequi debuerant, propter delicta paucorum odio & rapina persequuntur. Vbi nunc seruatur priuilegium immunitatis clericorum, quando propter diffidationes innumeras, nullus securus, nullus quoquam egreditur tutus? Verè Patres non est mirandum, si à Domino in necessitate derelinquimur: qui malis moribus mandatis eius reluctamur. Sola peccata nos contemptibiles apud Deum & homines reddiderunt. Status itaque Ecclesiasticæ reipublicæ ab Ierusalem descendit in Iericho defectionis: quoniam à sua institutione sancta deficiens latrones incidit, dum diabolo suggerente quasi in quandam scaturiginem vitiorum ruit. Hæc longe prius denunciauit in Euangelio Dominus: *Quoniam* (inquit) *abundabit iniquitas: refrigescet caritas multorum.* Abundat iniquitas, non minus in plebe, quam in clero: dum ira sæuit, libido furit, superbia insanit, discordia pacis fœdera rumpit. Omnia sceleribus plena sunt, & nec cœnobiis crimina arcentur. Vbi est iam multitudinis credentium cor vnum, & anima vna? Vbi est feruor fidei Christianæ? vbi morum integritas, vbi puritas actionum? Vbi est zelus disciplinæ, vbi mandatorum Dei custodia, vbi amor cœlestium mansionum? O Christiani Christiani: vbi est nunc inter vos fraternæ dilectionis concordia, vbi fides, vbi pietas, vbi virtus, vbi synceritas cordium? O sancta respublica, vbi nunc est species decoris tui? qua quandam ornata, velut sidus clarissimum super omnia regna terrarum fulsisti? Vbi est honor tuus? vbi metus, vbi reuerentia potestatis? Descendit ornatus tuus ab Ierusalem in

Exemplū sacerdotū sequitur populus.

Cur à principibus nunc Ecclesia spolientur

Sola peccata nos reddunt contemptibiles apud Deum & homines.

Matt. 24

Act. 4.

Iericho, à visione pacis abiit, sanctitatem pristinam deseruit, ab amore supernæ caritatis refriguit, à disciplina recessit, virtutes spreuit, legis obseruantiã contempsit. Ecce incidisti in latrones criminũ, in gladios scelerum, in sagittas vitiorũ. Ecce spoliata & pœnè nuda ac semiuiua relicta es: dum virtutibus pristinis interius, & bonis temporalibus foris spoliaris. O vos sacerdotes, vos Leuitæ, vos Ecclesiarum prælati, & dominici gregis custodes, qui desolationem & ruinam vestræ reipublicæ videtis & dissimulatis: quemadmodũ stabitis ante tribunal iusti iudicis Iesu Christi, qui animas omniũ vobis commissorũ exactissima ratione requiret. Vobis omnipotens arbiter curam ouium suarum commisit: sanguinem earũ (non dubitetis) de manibus vestris exquiret. Væ vobis. Ad arguendum vitia positi vitia committitis: & vestris iniquis moribus animas subditorum interficitis. O quid respondebitis summo pastori in extremo iudicio, cum oues suas de manibus vestris cœperit exquirere? Ecce propter peccata vestra corruit populus, & respublica destruitur, thesaurus Ecclesiæ dissipatur, prædicatio spernitur, indulgentiarum largitio contemnitur. Sed quid multis vtar? A planta pedis vsq; ad verticem capitis non est sanitas in r. p. nostra. *Omnes* (vt ait propheta) *auaritiæ student à maiore vsq; ad minorem: omnes quæ sua sunt quærunt: non quæ Iesu Christi. Propter hoc ductus est populus domini in captiuitatem*: Imperium Constantinopolitanum ab infidelibus captũ, ciuitates destructæ, Ecclesiæ incensæ, monasteria diruta, Christiani à paruulo vsq; ad seniorem aut dura morte perempti, aut duriori crudelitate in seruitutem venundati. Asia pœnè tota Christianam fidem deseruit, Africa à Christianismo recessit: in sola Europa fides catholica (licet infirma) remansit. Heu, quam angustus est status Ecclesiasticus: qui cum maximo honore quondam in omnem terram fuerat diffusus. Super hoc lamentum assumite, ô pontifices, sacerdotes, prælati, ac Christianæ reipublicę rectores: & dum periculum aliorum deplangitis, de vestro timeatis. Vereor enim, & vehementer timeo, ne diu dissimulata iniquitas grauior tandem animaduersione veniat punienda. Si enim omnipotens Deus non pepercit terræ sanctificatæ in qua carne vestitus humana conuersatus est, nostræ quomodo parcet? Propior est nostra desolatio quam credimus, vicinior interitus quam formidamus. De securitate insipienter præsumimus, qui tot terras & regna Christianorum ab infidelibus capta videmus. Sed iam de republica generali satis dixerim: ne hora breuior nos propria relinquere compellat. Est & alia r. p. laicorum, quæ dicitur temporalis: quæ & ipsa, licet in multis satis admodum videatur iam misera, tamen cum ad nos non pertineat, à nostris etiam sermonibus hac vice fiat aliena. Iam nunc tandem (Patres reuerendi) post longum communis r. p. sermonem (quem à senioribus meis persuasus) vt licuit habui: ad nostram rempublicã, quæ nos magis concernit, accedamus. Res igitur publica, de qua loqui instituimus, ordo noster sacratissimus est: qui ruinam Ecclesiasticæ r. p. sequitur: cui etiam vicina satis similitudine comparatur. Nam, sicut illa nostris pœnè temporibus imperium, regna, & prouincias perdidit: ita & nostra recenti memoria cœnobia & multa & abundantissima in his regionibus amisit. Sed antequam præsentem statum eius incipiamus describere, libet, qualis fuerit quondam, aliquantulum declarare. Et quamuis id aliquotiens in præteritis collationibus fecerim, non tamen reor fore superfluum, si repetamus sæpius, quod benè fuerat dictum. Nunquam enim præsentem statum reipublicæ melius intelligimus: quam si præteritum illi ex aduerso comparemus. Agitur enim cum nostra r. p. quemadmodum iam diximus actum in Ecclesiastica.

Ierem. 6. Phil.

Isa. 5.

Christianæ fidei quam angusti iam limites.

Deplorat status Reipub. monastica.

Quantum à prima institutione sua ex tempore abiit, quasi tot passibus ab Ierusalem in Iericho descendit. Fuit aliquando ordo nostræ reipublicæ super omnes ordines cæteros merito exaltatus: quando enutriuit viros maturos, zelosos, atq; doctissimos, fide firmos, spe robustos, gemina caritate fulgidos, mente puros, deuotione præcipuos, omniumq; virtutum honestate decoros: quibus nulla cura terrenorum, nulla inerat illecebra voluptatum, sed tota mente ad DEVM conuersi, mundum cum vanitatibus suis contempserunt. Ex his propter doctrinam eximiam & inæstimabilem sanctitatem

Describitur Ordo S. Benedicti antiquus.

ctitatem ad Episcopalis dignitatis apicē pœnè innumerabiles, diuersis temporibus leguntur assumpti: qui quanto in sublimiori loco positi fuerant, tanto virtutibus & sanctitate clarius relucebant. Quæ autem Ecclesia sacerdotem non expeteret de ordine venerabilis Benedicti? Quæ gens Christiano nomini deuota, doctorē non cuperet ex ordine monachorū? Hæc dixerim, non ad inanem gloriam nostræ reipub. præsentis, sed magis ad vtilē confusionem. Nam, sicut vita sanctorum imitantibus ad gloriam ponitur: ita pigris & desidiosis ad iudicium reciratur. Hinc maximè timeo: ne dum sanctissimum ordinis nostri pristinum statum laudauero, præsentem vituperare (quamuis cum veritate) cogar, plusquam multorum patientia ferat. Sed irascantur (licet) apud semetipsos scioli: in furorē agantur de falsa iustitia elati: ego nostræ tempestatis ordinem veterum sanctitati nequaquam ausim comparare. Floruit. n. (vt dicere cœperam) ordo noster olim sanctissimis viris, qui ad puritatē regulæ cōuersantes innumeris claruere miraculis. In carne siqdem positi, carnis vitia superarunt: dum contemptis voluptatibus mundi, Deū ex toto corde dilexerunt. Erant in amore Dei semper ardentes: in oratione deuoti atq; continui: in meditatione profundi, in contemplatione sublimes, in morum sanctitate vniformes. In eorum cōuersatione relucebat sanctitas, in actione puritas, in sermone veritas. in cogitatione mentis integritas. Erant viri deuoti atq; sanctissimi, per mūdanorum contēptum spiritu pauperes, per parsimoniam continentes, per humilem subiectionē obedientes, & in omni virtute locupletes: Fūdati super firmam petram erant in prosperis humiles, in aduersis constantes. de quibus aptissimè intelligitur illud Apostoli Pauli. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus. In solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cauernis terræ.* Integritas vitæ monachorum tunc exaltari meruit, quando verbo & exemplo ab iniquitate multos ad iustitiam conuertit. Talibus autem monachis iam indignus est mundus, qui amorem Dei spernit, veritatem abiicit, scientiam scripturarum contemnit. Floruit doctrina & sanctitate cum nostra republica etiā Ecclesia: dū ad regimen animarū nō recepit nisi doctos, non admisit nisi deuotos. Ad regimen quippe Dominici gregis deuotio non sufficit, si scientia scripturarum desit. Iā autem monachi & Abbates nostri, nec deuoti sunt nec eruditi: idcirco ad gubernationem ecclesiarum censentur indigni. Quid si dixerim rēpublicam Ecclesiæ doctis & sanctis rectoribus hac tempestate indignam? Puto enim, quod nemo sit, qui iure ob id mihi succenseat. Dicit enim de summo rectore Deo scriptura. *Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi.* Rari sunt Ecclesiarum prælati nostris temporibus docti simul & deuoti. Quare? Quia non à spiritu sancto, sed ab hominibus eliguntur. Et ita est. Sed de hoc satis: ad nostra, quæ restant, pergamus. Sæpe me (Patres reuerendi) olim dixisse memini, quod ordinem nostrum duo principaliter glorioſum reddiderunt, doctrina videlicet scripturarum, & sanctitas conuersationis. De sanctitate breuiter fecimus mentionem: restat nunc vt de eruditione scripturarum pauca dicamus. Et vt ab exordio nostræ reipublicæ inchoemus, à principio ordinis nostri vsq; ad tempora Henrici regis quarti (sicut ex catalogo veterum reperi) multi doctissimi viri in eo claruerunt. Nam adhuc sancto Benedicto in carne viuente, multi nobilissimi atq; eruditissimi iuuenes eius regulæ colla submiserunt: qui non solum in scripturis diuinis, sed etiam in secularibus litteris peritissimi habebantur. Equibus Marcus poëta insignis, monachus sub sancto patre factus, tantum profecit in disciplina regulari, vt præ multis familiarissimus apud eum habitus, vitam illius iam mortui claro & eleganti metro descripserit. Sic clarissimus ille senator Cassiodorus, vir vndecunq; doctissimus, senatoria dignitate contempta, pro Dei amore in vno cœnobiorum sancti patris monachus & tandem Abbas factus est. Sed quid faciam? Deficiet me dies, si omnes q adhuc legislatore nostro viuente, ordinem eius mirabili doctrina & sanctitate illustrarūt, propriis voluero recensere nominibus. Succedente verò tempore: monachis summum erat studium scripturarum & in omni scientia etiam secular amor inæstimabilis discendi. Nam, qui docti ad conuersationem venerant, iunioribus fratribus præcepta studendi ministrabant. Vnde factum est, vt in omni scriptura doctissimi fierent: quia moribus &

Heb. 11.

In Episcopo requiritur deuotio & scientia.

Iob. 34.

Duo ordinem S. Benedicti facere glorioſum.

Marcus poeta.

Cassiodorus. Benedictinus.

conseruatione puri atq; deuoti persistebant. Studium enim secularium literarū monacho carnali & nondū mortificato periculosum & mortiferum est. Oportet ergò monachum volentem scripturas vtiliter discere: ab humilitate & emendatione vitæ inchoare.

Sic faciebant monachi nostri antiquitus, qui studium literis, culturam indefessam adhibebant virtutibus. Talis fuit Beda presbyter & monachus in Anglia: talis Alcunus discipulus eius Leuita: tales Bonifacius martir & Rabanus Maguntini Archiepiscopi: tales mōachi veraciter docti vniuersi. Quid referam de cæteris Ecclesię Catholicæ columnis? Gregorius Papa magnus, Leander Hispalensis Gregorius Turonensis, Iohannes Gerundensis, Cæsarius Arelatensis, Hincmarus Remensis, Haymo Halberstatensis, Adhelmus occidentalium Saxonum, Ratbodus Traiectensis, Amalarius Treuerensis, Anlegisus Senonensis, Remigius Altisiodorensis, Ratherius Leodiensis, Adelboldus Traiectens, Notgerus Leodiensis, Burckardus Wormacensis, Guimundus Auersanus, Alphānus Salernitanus, Petrus damiani, Hostiensis, Lāfrancus & Anshelmus Cantuariēses episcopi & Archipræsules. q pœnè innumerabiles libros ediderunt, non minus sanctitate, q̄ eruditione scripturarum in ordine nostro diuersis temporibus claruerunt. Taceo de Abbatibus & monachis nostri ordinis quondam doctissimis, Eugipio, Columbano, Eutropio, Paulo Longobardo, Reginone Prumiensi, Paschasio Corbeiensi, Smaragdo, Hermāno cōtracto, Ruperto Lympurgensi. Wilhelmo Hirsſaugiēsi, Rupto Tuitiēsi, Abbatibus: qui omnes docti atq; sanctissimi post multorum editionem librorum etiam miraculis in vita claruerunt. Longum est, si velim eorum vel sola nomina transcurrere: qui in ordine nostro & doctrina & sanctitate mirabiles effulserunt. Magna feruebat in eis deuotio: regularis disciplinæ inæstimabilis zelus: qui nunquam sinebat esse otiosos. Semper in eorum studiis amor vigebat diuinus: qui de lectione sancta conceptus ad orationem vocabat vigilantes. Nam qui se in diuinis scripturis amplius exercitauerant, vacantibus à Dei seruitio horis earundem expositionibus intendebant: conficiebant libros, variosq; tractatus, quibus fratrum suorum studia ad amorem Dei prouocabant. Cæteri fratres non vacabant otio: sed operi manuū iuxta regulam post orationes deuotè insistebant. Scribebant idonei libros pro bibliothecæ ornatu: & ex schedis ab aliis edita ad mundum comportabant. Alii scriptos codices artificiosè ligabant: corrigebant alii: alii rubro minio distinguebant. Gestiebant omnes sancti laboris esse participes. Iuniores autem fratres scholasticis instituebantur disciplinis: alii in Grammatica, alii in rhetorica, alii in philosophia, alii in arithmetica, alii in dialectica. atq; in aliis disciplinis alii: vnusquisq; secundum vim naturæ suæ & ingenii. Fundati autem iam in primitiuis scientiis, ad scripturas theoricas vocabantur. Nullus in monasteriis dabatur ocio locus: singulis suis laboribus & studiis cum maximo feruore insistentibus. Mittebant, quæ cudissent opuscula Imperatoribus, regibus, principibus, & Ecclesiarum cathedralium prælatis: quorum fauore & auctoritate secutius ad nostram ædificationem in lucem prodierunt. Sic Alcuinus Carolo magno: sic Rabanus Lodovvico: sic Berno Augiensis Ariboni Maguntino. & Piligrino huius sanctæ Coloniēsis Ecclesiæ archiepiscopis, innumera opuscula dedicarunt. Sed & Rupertus Tuitiensis venerabilis Abbas ad Fridericum huius ciuitatis Coloniēsis Archipræsulem, incredibili studio scripturarum feruentem, excellentissima volumina composuit. Trāseo reliquos, quorum infinitus pœnè est numerus: qui præclara ad principes opuscula ediderunt. Sed vbi est nunc tale studium monachorum? Vbi amor ad diuinas scripturas Abbatum? Prohpudor. Iam magnus & vtilis in ordine dicitur, non qui scientiam scripturarum colit & diligit, sed qui colligendis perituris diuitiis sordescit. O patres, ó fratres, non sic quondam res nostra publica floruit: non sic ordo noster antiquitus creuit. Sed respondere solent Abbates mundo dediti: excusant se à studio monachi vanitatis amici. Nos in simplicitate nostra manere libenter volumus: qui etiam doctos per abrupta vitiorum in perditionem ire videmus. Nō requretur à nobis in extremo iudicio profunda scientia: sed bona vita. O stulti & insipientes, qui ignauiam ve-

Beda, item Alcuinus S. Bonifacius. Rabanus S. Gregorius I. Greg. Turon. Hincmarus. Haymo. Burchardus. Petrus Damianus. Anselmus.

Opera monachorum quæ

Monachi qualibus ædificarint libros suos

Excusationes monachorū huius ætatis.

vestram non absconditis: sed ad maiorem confusionem vestram inimicos diuinarum scripturarum vos palam ostenditis, Bene dicitur in prouerbio: quoniam *scientia non habet inimicum nisi ignorantem.* Vos amatores mundi, vos sectatores vanitatis: qui studium scripturarum à vobis insipienter abiicitis, cur illud in aliis non amatis? An ignoratis, quoniam *omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad increpandum?* Quid monachos vestros docebitis, qui scripturas ignoratis? Quomodo delinquentes poteritis vtiliter arguere: qui testimonia scripturarum nescitis adhibere? Manete ergò in simplicitate vestra non recta: manete in humilitate asinina: nolite intelligere vt bene agatis: nolite regulam sancti Benedicti attendere: nolite à stultitia vestra recedere. Scitis etiam, quid legislator noster dicat in regula? Scio quod scitis. *Oportet*, inquit, *Abbatem doctum esse lege diuina: vt sciat, & sit, vnde proferat sermonem.* Canis mutus, prælatus indoctus. Vas vacuum, anima non diligens scripturas Dei. O vos Abbates idiotæ & scientiæ salutaris inimici, qui diem obscœnis rumoribus consumitis, qui vinum in saturitate bibitis, qui terrenis lucris intenditis, qui ad tabulam stolidi luditis, quid respondebitis omnipotenti Deo, & legislatori vestro Benedicto? cum curam ouium suarum à vobis requirent?

2. Tim. 3.

Inuehitur in contemptores studii scripturarum.

Cap. 64. Reg.

Vos enim estis, qui in deformitate vitæ prioris iacentes, rem nostram publicam confunditis, disciplinam spernitis, ordinem dissipatis. O religio sancta. ô mater veneranda. ô monachorum respublica quondam honorata, ad quantam miseriam deuenisti? Vbi est nunc ornatus pristini decoris tui? vbi sanctitas vitæ, vbi salutare studium scripturarum? Vbi Abbates docti & sancti? vbi monachi in obseruantia regulari deuoti? Ecce plus-
* quam decemmillia cœnobia sub ordine retines: è quibus vix mille ad aliqualem regulæ obseruãtiam credimus conseruata. Abbates enim tui contempta disciplina regulari, neglecta cura animarum vanitatibus mundi sunt dediti, diuitiis terrenis intenti, voluptatibus carnis submersi, sicut quidam egregius verificator adhuc superstes, ait. Nostri Abbates & Ecclesiarũ prælati. *Neglecto superum cultu, spretoq; tonantis imperio Baccho indulgent, Veneriq; ministrant. Sacra ferunt auro, nummis altaria condunt. Auro vina libant, auro laquearia fulgent. Scorta tegunt gemmis, canibus conuiuia ponunt. Exuuiis inopum culti, diteq; rapinis. Successu elati, superos, Acherontaq; rident.* Nulla eis de animarum salute cura est: amor Dei nullus, nulla reuerentia sanctorum, exercitatio nulla virtutum. Vtinam patres obseruantia nostra tales Abbates non habeat: vtinam tales rectores nostra respublica nesciat. Sed timeo (immo si dici fas est, scio) quod inter nostros etiam tales inueniuntur: qui nomine reformati, re autem vera deformati sunt. Sunt, inquam Abbates de nomine reformationis gloriantes, ambitiosi, vani, superbi, voluptatibus carnis dediti, qui secreti impatientes, omnem occasiouem idoneã existimãt, qua hinc inde cum maximis expensis valeant trãsmigrare. Ecce ille disciplinam regularem contemnens tota die leuibus personis conuiua ebriosus assidet: iste mansuetudinem sanctorum paruipendens se causis litigantium immiscet: ad tabulam ludens ille residet: iste stolidus ad tympanum saltat. Quid dicam de structuris & curiosis & superfluis? quæ non minus reprehensioni, quàm expensis obnoxiæ sunt? Picturis vanis ornantur parietes, monimentis stultitiæ fenestræ notantur: in altũ erigũtur muri: auro fulgent pinnacula tecti. De cæteris pestibus quorundam Abbatum, libidine, esu carnium, balneorũ abusu, ludis, venationibusq; loqui me verecundia nõ sinit. Vtinam abscindantur, q̃ suis pessimis moribus obseruantiã nostrã confundunt. Ecce Patres reuerendi, quis sit rei nostræ publicæ status, breuiter audiuimus: restat nũc, vt de remedio eius cogitemus. Ab Ierusalem enim descendens in Iericho à pristina pulchritudine defecit: latrones incidit quia à tempore Henrici quarti plusquam quinq; millia monasteria de ordine amisit. Non loquor apocripha: nec refero incerta: sed quę ex scriptis veterũ inueni manifesta. Latrones ergò, qui rem nostrã publicam spoliarunt, primo sunt dęmones, q̃ monachorũ animas vulneribus vitiorum interficiunt: secũdo homines auari, q̃ cœnobia ordinis nostri sibi diripiũt. Nuda ergò & lacera iacet nostra respublica: dum intus à suis, foris ab extraneis cernitur spoliata.

Remedia opportuna curãdi defectus.

*

Sa-

Sacerdos & Leuita, visa desolatione eius prætereunt: quoniam nostris despectis, omnes quæ sua sunt quærunt. Samaritanus autem noster Dominus Christus videns desolationem ordinis nostri, misericordia motus, sæpe alligauit vulnera eius: dum diuersis temporibus, ad obseruantiam regularem eum renouauit. Altera die proferens duos denarios, dilectionem Dei videlicet & proximi, vel certè incrementum spiritualium & temporalium bonorum, aut intellectum & actionem dedit stabulario fideli, dicens. Curam illius habe &c. Stabularius fidelis fuit Carolus magnus imperator, qui ordinē nostrum collapsum in Alemannia primus reformauit. Stabularius fuit Berno Cluniacensis abbas, sub cuius reformatione mille quingenta cœnobia fuerunt. Stabularii fuerunt Richardus Fuldensis. Wilhelmus Hirsaugiensis, & alter quidam Hirsfeldensis, Abbates. qui singuli diuersis temporibus ordinem ex parte in Alemannia reformarunt. Stabularii fuerunt auctores reformationis Italiensis sanctæ Iustinæ: quæ vsq; in hodiernum diem perseuerans, multis à summis Pontificibus est honorata priuilegiis. Stabularius Sigismundus imperator cum adiutoribus suis: qui Mellicensem in Austria reformationem inchoauit. Stabularii etiã fideles, qui Castellensi reformationi exordia præstiterunt. Stabularii fidelissimi postremo fuerunt Iohannes Rode sancti Mathiæ Treuerensis, & Iohannes Hagen Bursfeldensis, clarissimi Abbates: qui nostræ reformationis Bursfeldensis fundamenta posuerunt. Stabularii fuerunt cæteri Pontifices, Principes & Abbates multi: quorum nomina causa breuitatis omittimus: qui in diuersis prouinciis, locis atque temporibus, ordinem nostrum pro sua facultate reformarunt. Stabularii & vos, ô Patres reuerendi, qui pro conseruatione nostræ reipublicæ singuli conueniistis: qui reformationem ordinis diui patris Benedicti diligitis: qui obseruantiam regularem colitis, qui vnionem Bursfeldensium amatis. Vos, inquam, stabularii estis (curate vt fideles inueniamini) quibus verus Samaritanus ordinem commisit ægrotum: à vobis exigitur, vt vulneribus eius vinum sanctarum scripturarum, & oleum deuotionis infundatis. Nam, sicut superius diximus, his duobus ordo noster quondam gloriosus effulsit. Si ergò rempublicam reformare, vel etiam in reformatione conseruare cupitis, studium literis, & sanctitati vitę impendatis. Nullus vestrum dicat, quid mihi necesse est studendo multa percurrere, cum ad beneviuendom pauca possint sufficere? Credite mihi Patres, Abbati ad bene viuendum non pauca scire sufficit si enim pauca sufficerent, frustra sancti Patres tot volumina pro morum institutione conscripsissent. Oportet enim Abbatem doctum esse lege diuina. Quod si etiam studium litterarum nihil aliud conferret, ad extirpationem vitiorum tamen vtile est: beato Hieronymo dicente. *Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis.* Nihil sic mundum contemnit, nihil carnem & libidinem sic domat, nihil sic amorem Dei accendit, sicut ardens studiū & amor Scripturarū. Nemo ergò à sancto studio se excusat: nemo præceptorum defectum vocet in culpam: omnia vincit amor: caritas omnia potest: humilitas omnia suffert. Si desit præceptor (ô fratres) sanctos Patres in eorum voluminibus tibi legito præcipientes. Nec volo ad scholas monachum quenquam discurrere: quoniam in cœnobio, quę scire iubetur, optimè poterit perdiscere. Prouerbio namque dicitur. Non requirit amor verus discendi Athenas: quia domi sufficiens Minerua diligentibus consistit. Sed caueamus ne nobis magistri fiamus erroris. Studium quippe solitarium, nisi amore Christi ardeat, frequenter parit errorem. Adhibeamus ergò compunctionis oleum, & vtilis erit eruditio scripturarū. Intueamur rem nostram publicam Patres: & quantum nobis possibile est pro illius instauratione laboremus. Vnusquisq; nostrum semetipsum secundum regulam sancti Benedicti reformare studeat: vitia fugiat, voluptates spernat, diuitias non diligat, mundum contemnat. Simus abbates fratrum nostrorum secundum regulam: pastores solicitudine: patres caritate. Pascamus verbo: pascamus exemplo: pascamus alimento. Si quis vnum istorum omiserit, pastor invtilis erit. Idcirco vos pastores mementote, cui sitis rationem reddituri: & sic state super custodiam vestram solicitè, quatenus pro commissis vobis ouibus summo pastori securè possitis respondere. Ornate vestris moribus rempubli-

cam

Vide Trith. l. 1. de viris illustr. ord. Bened.

Reformator ordinis S. Bened. 1.

Carolus Magnus.

S. Berno Cluniac. Abbas Richardus Fuld. Abbas.

Reformatio noua S. Iustinæ in Italia.

Sigism. Imperator.

Ioan. Rode Treuir

Hieron. ep. 4. ad Rusticum

eã, ornate scientia salutari, ornate pietate, ornate amore, vt cum in hac breui miseria bene ministraueritis, optimum gradum in æterna felicitate acquiratis: quem nobis summus pastor Iesus Christus concedat, qui sine fine viuit & regnat. Amen.

***

FINIS.

ORATIO QVARTA, DE CVRA PASTORALI HABITA IN CAPITVLO GENERALI IN SELGENSTAT PRIMA DIE MENSIS MAII. ANNO DOMINI M. CCCC. XCVI.

ACCEDENTI mihi hoc stadium dicendi, præstantissimi Patres nihil tam opportunum, & vestro senatui dignum occurrit, quam si de animarum cura loquamur, Vos enim Christi ouium estis pastores: qui non solum vosmetipsos à vitiis & sceleribus custodire iubemini, sed etiam peccata subditorum iuxta regulam monasticam solicitè amputare. Ad hoc Dei prouidentia vos monachorum gubernatores constituit: vt animas eorum mundas, sanas, & integras ad cæli palatium reducatis. Enimuero quantumlibet sancta monachorum sit congregatio, sine vigilantia pastorum sana diu non potest consistere, nec temporalium rerum ordinatio permanere. Libertas claustralibus pernicioßissima obseruantiam regularis disciplinæ de monasterio eiicit: substantiam temporalem turpiter consumit: virtutes de corde monachi penitus eliminat: habitaculum vitiis parat. Da libertatem infirmo monacho, & monachus non erit. Multi sub Abbatis imperio constituti omnipotenti Deo quietè seruiunt: quibus, si agendi libertas à rectore permittitur, mox in turbationes varias mentis infirmitas concitatur. Sola enim malè præsumpta libertas est: quæ regularem obseruantiam in deformitatem pessimam commutauit. Et quidem inter claustrales reprobos pro mala libertate summa contentio geritur: quæ si monachis à rectore semel permissa fuerit, iam deinceps reuocabilis non erit. Oportet ergò monachorum quosdam esse rectores: quatenus dum præsumptioni auctoritas corrigendi opponitur, peccãdi audacia conteratur. Nam si continua prælatorum solicitudo infirmis monachis defuerit, omnis religionis obseruantia perit. Maxima igitur solicitudine curandum est: vt is qui rector aliorum constituitur, sapientia simul & religione decoretur. Nam, sicut ruina populi sunt sacerdotes mali: ita certissima monachorum destructio, est rudium & malorum Abbatum indiscreta promotio. Omnium enim actionum,

num difficillima & periculosissima est animarum custodia: quæ non pueris, non rudibus, non carnalibus. sed viris prudentibus, & spiritualibus est cõmitenda. Neq; enim parua res est animas retgere, monachos affectione & voluntate porro diuersos in vnitate monastica conseruare, omniũ quoq; infirmitates patiẽter tolerare, & à nemine supportari, prudẽtibus æquè & imprudentibus succurrere: & q; difficillimum est, omniũ se moribus sine offensione penitus conformare. Rursus omnium subditorum tentationes pastorali solicitudine in propriam, vt ita dixerim, transferre personam: singulisque conuenienter adhibere remedia: scire opportunè delinquentes arguere: nosse etiã quandoq; prudenter dissimulare: nõ rudium, non carnalium, non puerorũ est opus, sed prudentium, sed deuotorum, sed virorum in multis expertorum. Si verò rudi, carnali, & inexperto regimen animarum committitur, cito disciplina monastica dissipatur: quia dum vitia vitiosus arguit, non emendat infirmos, sed exemplo malo potius occidit. Admonendi sunt igitur animarum pastores, vt periculum suum considerantes solicitè caueant: oues sibi commissas triplici pabulo paseant: vt eos quos verbo sanctæ prædicationis ædificant, etiam bonis moribus præcedant: & quibus auctoritate regiminis præsident, vitæ quoq; necessaria subministrent. Sed antea quam cœptum ad pastores animarum sermonem protrahamus, laudabilem & prorsus necessariã antiquitatis consuetudinem innouemus: & qui non sumus sufficientes ex nobis aliquid boni dicere, virtutem bene loquendi à summo Deo precibus curemus impetrare.

Regere alios difficile.

Si quis vestrum, Patres, miratur, quod præter consuetudinem eorum, qui ante me in Capitulis generalibus perorarunt, planam, lucidam, & vacuam allegationibus orationem sum habiturus, is morem hunc veterum, & meam intentionem animaduertat: & non solum non mirabitur, sed etiam iustissima ratione factum intelliget, quod antea mirabatur. Vestigiis antiquitatis non sine causa inhæreo: qui sanctos Patres & doctissimos quosq; viros genere dicendi scribendiq; vsos non ignoro. Quid enim prodest in rebus manifestis testimonia scripturarum adducere: & allegationibus superfluis orationem lacerare? Placet itaque mihi processus veterum, qui sanas, integras & continuas orationes ediderunt: qui suo potius quam alieno spiritu perorarunt: quorum dum exemplis inhæreo, nullas imperitorum detractiones pertimesco. Ad scholas orandi modus huius temporis pertinet: non ad cœtum prælatorũ: Iste autem orandi modus ad persuadendum est aptior: quem allegatio non impedit: quem curiositas non corrumpit. Allegatio enim orationem intercipit, sensum sententiasq; confundit, & fructum auditi sermonis tollit. Et quidem scripturas coram doctis viris allegare superuacuum est, coram indoctis vitiosum. Illi enim non cupiunt: & isti non intelligunt.

De animarum itaq; cura dicturus, vetustatis traditionem pro viribus obseruabo, vt oratio, quæ propter ingenii paupertatem in se non satis est tinnula, nequaquam allegationibus fiat scabiosa. Non enim ad docendum Pastores accessi, sed ad monendum: quoniam qui me longè doctiores sunt, non doctrinam ab imperito, sed exhortationem potius requirunt. Itaq; vos animarum pastores admoneo, vt si omnipotentem Deum diligitis, eius oues vobis commissas ad vitæ pascua dirigatis. Huius sanctæ solicitudinis norma vnicuiq; in sacro Euangelio Pastori committitur, vbi Apostolorum principi totius Ecclesiæ regimen trina interrogatione commendatur. Simplex amoris confessio in pastore animarum non sufficit: à quo summus pastor pastionem triplicem requirit. Si tertio, vtrum diligas Dominum interrogatus, verum amorem confessus fueris, etiam tertio curam ouium susci pere iuberis. Ac si tibi Dominus dicat. O Abba si me diligis, oues meas triplici pabulo suscipe pascendas. Pasce verbo, pasce exemplo, pasce alimento. Hæc tria pastori claustralium omnino sunt necessaria: quorum si vnum defuerit, pastor inutilis erit. Et quidem de his tribus pascendi conditionibus, tota series orationis est continuanda. Pasce verbo.

Ioan. 21.

Abbas pascere triplicitet debet suos

Primo verbo.

Quisquis itaq; in pastorem animarum assumptus es: quisquis vice Christi monachis in cœnobio præsides, sedulo conditionem dignitatis tuæ considera & quan-

& quanto subiiciaris periculo pensa. Sẽper cogita officium tuum pastorale districtæ rationi obnoxium: & scito, quod pro singulis animabus tibi commissis te summo iudici non post multos dies oporteat respondere. Enimuerò, quot animæ sub tuo magisterio, vel ex negligentia, vel ex ignorantia tua perierint: pro tot districto examini obnoxius & ipse iudicaberis dãnandus. Speculatorem dedit te summus arbiter Deus seruis suis claustralibus: quatenus in eminentiori doctrinæ & & conuersationis sanctissimæ specula positus, omnium subiectorum tuorum mores considerans, singulis futura pericula, quasi ex alto clamans, denuncies: peccãtes à malè cœptis auctoritate pastoralis officii cohibeas: & mala quæ sequuntur reprobos mores sine intermissione subditis ostendas.

Clama fortiter, ô pastor, ô Abba, ne cesses: denuncia monachis tuis futura tormenta peccantium: quoniam si quispiam te dormitante perierit, à te sanguinem pereuntis Deus omnipotens requiret. Clama itaq; fortiter, quia necessarium est: clama incessanter: clama viriliter. De tuo periculo agitur: subditorum damnatio tibi imputatur: & ob id à clamore tuo nullo vnquam tempore deficias: si damnationis sententiam formidas. Maxima tibi, ô pastor, vigilantia & solicitudine opus est: ne hostis animarum quempiam te dormitante circumueniens interimat: ne infirmos quosq; æternæ damnationis laqueo capiat: ne fortes animo subdolè frangat.

Vigila semper super custodiam gregis tibi commissi: ne lupus te negligente oues infirmas possit inuadere: quos tu sub periculo capitis tui positus es custodire. Ideirco iuxta sanctissimi legislatoris nostri sententiam, oportet te doctum esse lege diuina: vt scias quem opportune debeas proferre sermonem: ne, aut tacenda imperitè proferas, aut à proferendis pernicioſe conticescas. Hoc tibi primæ commissionis pastoralis officii consideratio præcipit: quæ vt sanctæ admonitionis verbo pascas, tibi subiectorum animas discernit. Cognosce te infirmorum curam suscepisse, non fortium: pastorem exhibeas, non lupum: medicum animarum, non tyrannum. Imitare solicitudine artem naturæ: vt quemadmodum variis vnguentis medici vtuntur corporum, ita & tu diuersis remediis morbos cures animorum. Ille quidem vnguentis ad bonam valetudinem reducitur: iste fortiori remedio curatur: & medicina quæ illi est vtilis, isti fieret mortalis. Sed medicus doctus & expertus congrua singulis morbis nouit adhibere remedia: quem tu pastor & medicus animarum, iuxta sancti Apostoli vocem, imitari studeas dicentis. *Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina.* 2. Tim. 4. Hæc est norma solicitudinis sanctę pastoralis: hęc est institutio monasticæ honestatis: vt rector qui medicus animarum constituitur, huic formæ imprimatur. Igitur, ô præsul monachorum, hanc formam regiminis tui considera: & secundum eius institutionem commissos tibi monachos guberna. Prædica subditis tuis, quæ sit regularis vitæ institutio: doce quis sit sanctæ conuersationis modus: præmia virtutum bonis annuntia: quæ maneant tormenta reprobis clama. Insta opportunè bonis & beneuolis, quæ sancta sunt prædicans: importunè salutis verbum negligentibus inculcans. Peccantes infirmos argue: fortiores & intelligentes obsecra: contumaces & rebelles durius obiurga. Veruntamen his omnibus patientiam & doctrinam adhibe salutarem: quoniam correctio sine patientia ægrotantis animum exulcerat: sine doctrina salutari minimè curat. Hinc vir sapiens prudentem animorum medicum breui describens compendio dixit. *Doctrina viri per patientiam dignoscitur.* Tu ergò, qui pastor non lupus animarum esse desideras, patientia simulet doctrina decoratus, non peccantibus, sed peccatis irascendum scias. Cum ergò delinquentes quosq; fratres infirmos pro negligẽtiis corripis, noli irasci, noli perturbari, noli frementibus buccis extolli: ne plus animi tui commotionem vindicasse videaris, quam iram Dei. Cum mansuetudine bonos & dirigibiles corripe, odio habens vitia, non fratres. Contumaces vero & rebelles, beneuolis admonitionibus tenta: qui, si te monentem audire contempserint, iam durius nõ verbis modo, sed & pœnis regularibus sunt increpandi. Semper autẽ promptior sis ad suadendum, quam ad arguendũ: quoniam a- Prou. 19.

nimus claustralis ad semitam rectitudinis sanctis exhortationibus sæpe reducitur: qui seuera increpatione multotiens induratur. Attende nominis tui qualitatem: conditionem assumpti regiminis considera: quid te maximè deceat sæpe recogita. Abbas diceris, pater monachorum: qui vices Christi agere in cœnobio comprobaris. Itaque patrem te agnosce subditorum tuorum, non Dominum: pastorem ouium Christi, non patronum. Et ideo rector monachorum constitutus recognosce te monachum: & duplici professione ad obseruantiam regulæ obligatum. Cura nomẽ maioris factis adimplere: vt monachi tui, qui Abbatem te nuncupant, operibus edocti veraciter patrem agnoscant. Mansuesce rogatus: immò roga prior offensus. Considera te esse pastorem infirmarum ouium Christi: quicquid ad curam earum potest conducere, amore Dei non metuas subire. Sanitas animarũ tibi commissarum totum te capiat: quam si operari contempseris, damnationi grauissimæ subiacebis.

1. Reg. 2. Memento quid Heli sacerdoti acciderit: qui delinquentes filios non correxit.

Pro eorum peccato damnatus est: quoniam quos sacerdotali auctoritate corrigere debuit, pernicioſa compassione incorrectos dereliquit. Sic & tu Abba, etiamsi nulla in te peccata commiseris, pro subditorum culpis neglectis dãnationi subiacebis: quoniam qui custos animarum positus, ire in perditionem animas ipsas non prohibes, iure damnandus es ab eo quem irrides.

Quanta eruditio & doctrina scripturarum in te relucere debeat, sanctus Pater Benedictus in regula clamat. *Oportet*, inquit, *Abbatem doctum esse lege diuina: vt sciat in tempore noua proferre & vetera.* Imitetur necesse est medicum arte doctissimum: qui morbis non solum conueniens nouerit adhibere remedium: sed etiam causas, pericula & exitus cuiuslibet ægritudinis sagaciter indagare. Multæ quidem corporibus humanis quotidie superueniunt ægritudines: quas medicus eruditus & expertus facilè potest repellere. indoctus & non expertus potius augere. Sed infirmitates animarum & numero sunt plures, & arte potiores: quia quot cogitationibus malis interius delectabiliter mens tangitur: quasi tot morbis latẽtibus anima vulneratur. Sin autem cogitatio peruersa in verbum vel in actum foras processerit, iam latens morbus in tumorem exurgit: qui nisi prudenter & sine mora curatus fuerit, paulatim auctus in perniciem totius corporis conualescit. Ad hos animi morbos remedium ex arte compositum variis modis requiritur: diuturna experientia necessaria iudicatur: quoniam quisquis ad curandum ægrotũ imperitus accesserit, quantum in se est, nõ sanat, sed occidit. Et quis tam idoneus, vt latentes animi morbos claustralium discernere possit? Aut quis, etiamsi discreuerit, ad curandum inuenitur dispositus? Multi multos sine morborum discretione occiderunt ægrotos. Maxima igitur eruditio, doctrina, discretio, & experientia ad pastorem animarum requiritur: vt nouerit singulis morbis congrua adhibere remedia: ne inexperientia scientiam destruat: ne ignorantia remedia confundat. Assit interim artis discretio: donec sine periculo experientia discatur. In arte quidem medicinæ multi sunt docti, sed pauci experti. Et inter pastores animarum doctos plerosque & in multis eruditos inuenire possumus: sed peritos & in hac arte expertos paucos inuenimus. Et nihil ita nocet infirmis animis: sicut inexperta scientia pastoris. Nam inter morbum & morbum, qui nescit discernere sæpe ad grauiora pericula infirmum solet prouocare. Variis enim modis claustralium ægritudines curantur. Iam auctoritate scripturarum prudens animarũ medicus vtitur: nunc persuadere infirmo, quæ ad sanitatem pertinent, rationibus conatur; iam exempla & paradigmata veterum ingerit: nunc morbi causas & radices in corde fixas subtiliter exponit. Enimuero, quot genera ægritudinis inuenerit, tot remediorum genera opponit. Iã infirmum docet, quemadmodũ à morbo liberari debeat: nunc putridum membrũ, ne totum corpus inficiat, per ferrum duræ increpationis secat: iam vino asperæ correptionis conceptam saniem vulneris eiicit: nunc mellifluæ adhortationis oleo ad sanitatem tenellum debilem reducit. Hæc & his similia posse agere ad medicum doctissimum pertinet: quem & eruditio subditis venerabilem reddat, & experientia gratiosum. Quid in his facere poterunt rudes & indocti, vbi se insuffi-

Cap. 64.

cien-

cientes etiam fatentur doctissimi? Tremit viso morbo medicus expertus: quid faciet imperitus? Sed ô tempora, ô mores: hodie ad curam animarum accedunt rudes & imperiti: infirmorum medici constituuntur infirmi: qui dum alios curare sine scientia cupiunt, & se & illos pariter occidũt. O Pastores, ô Abbates huius temporis, qui nihil de scripturis sanctis intelligunt: qui artẽ curandi animas nesciunt: qui doceri ab aliis contemnunt. Se Dominos fratrũ suorũ exhibent, non Patres: interfectores animarũ non pastores: qui dum propter ignorantiã discernere morbi qualitatẽ nesciunt, nõ remedia, sed venena mortifera opponunt. Sanctæ exhortationis verbũ impendere subditis nesciunt: consolari tentatos erubescunt: semper præcipere, rogare nunquã didicerunt. Nihil de morum institutione ouibus sibi commissis prædicant: de futuris gaudiis bonorũ nihil annunciant: de salute animarum nihil pœnitus curant. Culpas delinquentiũ aut pernitiosè dissimulant: aut indiscretè & sine charitate emendant. Alii, cum austeritate subditis imperant: qui dum moderamen discretionis adhibere nesciunt, ad impatientiã & rebellionem pusillanimes impellunt. Alii ex imperitia timidi & inertes nihil subditis ad salutem præcipiunt: quos ire per reprobos mores in interitum permittunt. Alii zelum habentes disciplinæ, tantis ignorantiæ tenebris inuoluti sunt: vt quemadmodum zelum ipsum exercere debeant ad salutem animarũ pœnitus nesciant: qui dum emendare mores delinquentium cupiunt, per indiscretam correptionem disciplinæ obseruantiam corrumpunt. Alii differentias cõplexionum nescientes omnes vno exhortationis genere aggredi statuunt: qui dum aptare personis sermonem negligunt, aut nihil, aut parum vtilitatis ferunt. Alii, dum animos subditorum quibuslibet displicentiis commotos reducere ad pacẽ gestiunt: per imprudentiam commotiores reddunt. Alii bonos & deuotos monachos habentes, dum eis paternum affectum ex ignorantia & elatione subtrahunt, paulatim in grauissimam auersionem sui compellunt. Alii rudes & imperiti se semper in externis occupant: qui dum alios ad interiora conantur reducere, sæpe contemptum pro reuerentia coguntur reportare. Deniq; sunt nonnulli claustralium pastores etiam huic Capitulo vestro de iure subiecti, adeo rudes, indocti, & imperiti, vt de scripturis sanctis loqui coram subditis suis nihil omnino valeant: proferre vel vnum sermonem latinum erubescant. Quomodo tales oues sibi commissas sermone pascunt, qui de verbis domini nihil intelligunt? Væ pastoribus imperitis: canibus mutis, prælatis otiosis. Et vbi manet illa sententia sanctissimi Patris nostri Benedicti: duplicem doctrinam in Abbate quærentis? Facile Abbas à subditis cõtemnitur, qui nulla scientiæ doctrina illustratur. Quicquid fecerit, quicquid dixerit, infirmi despiciunt: qui dum rectorem indoctum & imperitum esse considerant, eius dictis fidem & confidentiam negant. Dum loquitur, rident: dum imperat, spernunt: dum minatur, contemnitur. Simia in solio, Abbas, seu præpositus imperitus in claustro. Ad illam pueri lapides lutumq; proiiciunt: in istum subditi verba contumeliæ & irrisionis quotidie emittunt. Nomen pastoris portat sine opere, qui oues pascere negligit dominico sermone. Sed sicut bona conuersatio pastoris subditis sine doctrina non sufficit: ita cura regiminis bonam vitam cum scientia requirit. Abbas enim, qui bene docens malè viuit, se primum sibi reddit inutilem, deinde contemptibilem subiectis. Eruditio, quam conuersatio reproba commaculat, suum auctorem durius damnat: & sermo prædicantis in cordibus auditorum raro fructificat: quem laudabilis & concordans vita non commendat. Idcirco pastori animarum secundo, *pasce oues meas*, dominica voce dicitur: vt non solum verbo, sed & exemplo bono decoretur.

Inuectio in Abbates rudes.

Cap. 2. Reg.

Pasce exemplo. Hic tibi ô Abba consideranda est, qualem te oporteat coram subditis tuis viuere: vt sermonem tuum sancta conuersatio approbet: vita scientiam confirmet. Oportet enim pastorem animarum irreprehensibilem esse, sicut sanctus docet Apostolus: quoniam cuius vita in exemplum aliis præponitur, necesse est, vt rectis moribus adornetur. Nam si conuersatio Abbatis vitiosa fuerit, eius auctoritas coram subditis vilescit.

2. *Abbas pascere debet exemplo.*

1. Tim. 3.

Nec vnquam in alio confidenter po-

Abbatis mores quales.

test arguere: quod in semetipso conscientia teste, se meminerit commisisse. Ad curam itaq; pastoralem vir bonus & irreprehensibilis eligendus est: qui doctrina & sanctitate aliis præmineat: qui cœteros zelo rectitudinis excellat: qui fortitudine sit præstantior: qui charitate locupletior. Sit consilio maturus: sit conuersatione deuotus: sit benignitatis amator præcipuus. Sit Abbas castitate & innocentia purus: sit obseruantia regulari strenuus: sit scientia profundus: sit zelo discretus: sit vigilantia cautus. Sit pastor monachorum sermone succinctus: sit operatione sancta diffusus: sit imperio temperatus. In omni actione sua maturum se & prudentem semper exhibeat: leuitatem omnem & indecentiam vitet: multiloquium immoderatumq; risum suæ dignitati non congruere sciat. Quisquis igitur curam pastoralis officii suscepisti, pascere oues tibi commissas verbo & exemplo non negligas: quorum si alterum omiseris, aut pro tuis aut pro subditorum culpis, æternæ damnationis periculo subiacebis. Inprimis itaque dominum Deum tanquam fidelis seruus semper in oculis habeas: te totum ad illius voluntatem componas: nihil eorum quæ tibi præcepit negligendum ducas.

Semper cogita, quam graue onus suscepisti: quam difficilis conditionis militiam professus es: pro qua te summo iudici necessarium est reddere rationem. Idcirco non præponas spiritualibus temporalia: non æternis caduca: non mansuris peritura. Temetipsum solicitè circumspicias: nunquam tibi securitatem indulgeas: de tuo statu vel merito nunquam præsumas: ne ibi incipias deficere, vbi te credebas profecisse. Esto in sanctis exercitiis feruidus: in oratione deuota continuus: vt regimen pastorale, quod tuis viribus gubernare non sufficis, Dei miseratio regere ad sui glotiam dignetur.

Lectionibus quoque sacris frequenter assuescas incumbere: quatenus meus, quæ variis occupationibus in diuersa distrahitur, in vnum sanctæ lectionis studio reuocetur. Nihil enim post orationes tibi sacra lectione vtilius: quæ vanas & turpes cogitationes destruit, sancta desideria ingerit: carnis vitia, iuxta dictum diui Hieronymi, occidit. Heu quid dicam, non de paucis, sed de multis claustralium prælatis? qui nec orationibus possunt insistere, neque lectionibus vel modicè vacare. Semper exterioribus negotiis implicati spiritualia negligunt, carnis solatia quærunt, diu in cœnobio nequeunt consistere, frequenter ad vrbes themasq; videntur anhelare. His monasterium carcer est: silentium pœna, omnis deuotio prorsus contraria. Omnis istorũ actio, aut negligentiis plena inuenitur, aut vitiis. Ex his, alii subditos & non se ad obseruantiam monasticam studiosè dirigunt: alii disciplinam regularem, & in se, & in subdisis contemnunt. De quibus copiosa quidem mihi esset loquendi materia: sed huius temporis hora non patitur. Et quid dicit de manco pastore sanctus monachorum Hierarches? *Omnia*, inquit, *quæ Abbas monachis suis dixerit esse contraria, in suis actibus indicet non agenda.* Abbas malè viuens & bene docens omniũ hominum stultissimus est: quoniam alios vocat ad cælum, & ipse voluntariè & scienter descendit, ad infernum. Qui autem malè viuit, & bene non docet, pastor vna cum ouibus morbidus ad inferni tormenta currit. Qui vero bene viuens sibi commissos docere negligit, subditorum se culpis damnandum inuoluit. Hinc ad Ezechielem dominus ait. *Si me dicente ad impium, morieris, & tu ei non annunciaueris: ipse quidem in impietate sua morietur: sanguinem vero eius de manu tua requiram.* O terribilis, ô pastoribus semper metuenda sententia: qui etiamsi proprio peccato careant, tamen pro culpis subditorum emendatis graue iudicium damnationis portant. Væ pastoribus negligentibus: quoniam pœnas sibi apud inferos inestimabiles culpis & suis parant, & alienis. Cæci sumus, qui aliis sine maximo timore præsidemus. Et ô quam multi Abbates pro monachorum suorum peccatis apud inferos sine fine ardebunt: qui non Abbates saluari potuissent. Ad regimen animarum bona vita pastoris non sufficit: si correctio subditorum & doctrina Apostolica desit. Tolle omnes excusationes, ô Abba monachorũ, nemo te præsidere claustralibus cõpellit, inuitũ, si tibi cõstat, ad regimẽ te penitus nõ esse idoneũ. Nũc ergò, qm̃ ad curã animarũ semel accessisti: alte-

Hieron. ep. ad Dasum.

Abbas malus describitur.

Cap. 2. Reg.

Ezech. 3.

alterum è duobus te oportet assumere: si æternæ damnationis periculum cupis declinare. Aut monachos tibi commissos studeas ad obseruantiam regulæ sancti Benedicti reducere: aut si hoc facere omnino nequiueris, Abbatiam voluntariè dimitte. Sarius est cum Loth consortium peccatorum fugere: quam cum eis, quos emendare non potes, incendio perire. Et ego dico quod sentio. Melius est tibi non Abbatem mori, quam eorum pastorem viuere, quos secundum regulam non sufficis gubernare. Nulla te fraus blandientis fortunæ decipiat: aut cum ouibus tibi commissis saluaberis, aut te negligente sine eis non saluaberis. *Et quidem potentes potenter tormenta patientur: & iudicium durissimum fiet in eos qui præsunt.* Idcirco si periculum æternæ damnationis desideras euadere: pasce oues tibi cõmissas verbo: pasce & exemplo.

Gen 19.

Sap. 6.

Tertio, pasce alimento. Ad pastores claustralium pertinet subditos non solum verbo sanctæ exhortationis alere: non solum bonæ conuersationis exemplo præcedere: sed etiam de necessariis corpori secundum regulam prouidere. Hæc prouisio monachis non in pecuniis, neq; in annalibus distributionibus facienda est, sed in quotidiana rerum necessariarum elargitione. Hic pastor teipsum considera: & quemadmodum oues Dominicas pascere debeas solicitè pensa.

3. Abbas pascere debet suos alimento.

Ezech. 34 Væ, inquit summus arbiter, *pastoribus qui semetipsos pascunt: oues autem Domini pascere contemnunt.* Quid putatis Patres, suntnè inter claustrales Pastores semetipsos potius, quam oues Domini pascentes? Timeo non paucos esse, sed plurimos inter Abbates, qui ouibus neglectis, spretis & contemptis, semetipsos pascunt, sua commoda non animarum lucra quærunt: se non patres monachorum, sed Dominos agnoscunt. Cur temetipsum, ô pastor & idolum perimis: qui aliorum rector positus non rectè viuis? Ecce monachos tuos verbis & plagis ad obseruantiam regularem conaris impellere: & tu sine regula viuens tibi existimas omnia licere. Bona quæ dicis, non facis: mala quæ prohibes, committis. Ieiunare vis fratres tuos secundum regulam: & tu quotidianis conuiuiis excitas gulam. Alios iubes intra septa monasterii consistere, & tu semper in exterioribus vis ambulare. Iam hospites tuæ dementiæ socios ad mensam euocas: cum quibus ieiunium quasi licenter frangas. Dicis. Solus non possum comedere: & tamen in Refectorio cum fratribus renuis pmanere. Dicis te propter reuerentiam hospitum comedere: cum constet te, vt comederes, illos aduocasse. Nunc te infirmum simulas: iam te non posse comedere clamas: qui tamen in occulto cibum prohibitum à regula manducas. Ad thermas sumptuose properas: socios & socias vocas, & qui fratribus tuis minima importunè denegas, in vsus prophanos expendere multa non formidas. Bonus & affabilis es omnibus: solis fratribus tuis durum te, & inexorabilem ostendis. Alienos diligis: proprios contemnis. Qui monachos pauperes facere multa præcipis: aut nihil aut parum secundum regulam facis. Necessaria fratribus tuis alimẽta subtrahis: vilia & insipida largiris. Tu optimo vino stomachum tuum satias: fratribus quod deterius est subministras. Alios omni tempore in cella tentas concludere: omnes præcipis lectionibus & orationibus vacare: & tu nunquam potes in secreto consistere, sed vagabundus semper discurrens, carnis solatia desideras habere. Et quid multis? Rector claustralium positus, secularitèr viuis: regularium præpositus, irreligiosè conuersaris: Abbas monachorum constitutus, aut nihil, aut parum pastorali officio dignum ostendis. Alios ad cœlum cupis extollere: & teipsum non metuis ad infernum destinare. Religiosus dici, non esse desideras: honorem & laudes hominum amas: de futuris periculis nihil omnino cogitas. Te gaudes Abbatem: patrem non agnoscis: lætaris te esse prælatum, pastorem non ostendis. Sed tandem quid te consecutum existimas: qui alios saluare cupiens temetipsum condemnas? Restat, vt cum impiis locum sortiaris in inferno: qui opera impiorum committis in claustro. Væ tibi pastor, qui culpas delinquentium non corripis: qui animas malè dissimulando perdis: qui te alienis sceleribus inuoluis. Enimuero, qui monachos tuos malè cõuersari cernis & taces: certa teipsum sententia condemnas. Nec mihi animi pusillanimitatem obiicias: quæ etsi monacho sit quandoq; tolerabilis, tamen in Abbate penitus iudicatur inutilis. Aut

Inuehitur in eos qui non audẽt corrigere subditos.

ergo pusillanimitatem animi vince: aut ne pereas pro culpis aliorum, onus quod portare non sufficis, humiliter depone. An ignoras quoniam regnum Dei vim patitur? Si tibi contra vitiosos naturæ motus vim facere neglexeris, quo modo Dei regnum consequeris? Debilis est zelus, quem habes pro salute animarum, & idcirco cura infirmior. Dicam tamē quod rectè dicendum existimo. Quare culpas subditorum dissimulas? Certe turbari metuis: viuere in tranquillitate non bona concupiscis: & præterea corrigere delinquentes pertimescis. Sed non est hęc sancti norma regiminis: non est hoc decens officium pastoris. Oportet enim rectorem infirmorum claustralium sæpe non inutiliter turbari: si voluerit mores prauorum ad semitam rectitudinis reducere. Quid pacem inter vitia quæris? *Non est pax impiis* dicit Dominus. Melius est peccantes turbari ad pœnitentiam: quam vitiis concordātes mitti ad gehennam. Sed metuis, ne dura increpatione provocati occultè fugiant: & de cœnobio cum scandalo recedant. Discretionem non improbo: sed negligentiam accuso. Non enim cum peccantibus discretè, sed timide dissimulas.

Isa. 48.

Enimuero, si monachus omnino rebellis & incorrigibilis fuerit: si alios malo exemplo corrumpere tentauerit, non compassionem meretur; sed carcerem: non indulgentiam, sed vindictam. Si autem fugerit, quid ad te? Sanctum pro te habes Apostolum. Impius *si discedit discedat.* Tolerabilius est enim si pereat vnus, quam vnitas. Nam cum sanctus Benedictus incorrigibilem monachū expelli de monasterio etiam inuitum præceperit: nihil tibi metuendum si sponte sine tua culpa discedit. Cauendum tamen, ne iustam occasionem fugiendi dederis: alioquin ad restitutionem perditi obligaris.

1. Cor. 7.

cap. 28. reg.

Obserua modum corrigendi in regula traditum: & nullum de fugientibus contrahes peccatum.

Nam & sanctissimi Patres claustralium rectores fugitiuos olim complures habuerunt & apostatas: quorum malitia nec bonis nocuit, nec innocentibus fuga scandalosa fuit. Hinc sanctus Ioannes Apostolus de quibusdam similibus ait. *Exierunt à nobis? sed non erant ex nobis.* Oportet in religionibus fugitiuos & apostatas esse: vt bonorum perseuerantia cōprobetur. Tu autem, ó pastor, officium tuum diligenter considera: in omnibus traditionem regulæ obserua: & si quis tuorū à te sine tua culpa discesserit: illi non tibi summus arbiter imputabit. Quid enim si malus & impius discedat? Monachus enim si bonus est, de monasterio cōtra votum suum non fugiet: si verò recesserit, bonus veraciter non fuit. Melius est vnum peruersum & incorrigibilem sua sponte aufugere: quam eius prauo exemplo multitudinem perire. Tu autem, qui culpas subditorū tuorum pernicioſè dissimulas: qui turbare conuentum malignantium formidas: etiamsi ad regulam tibi innocenter vixeris, pro peccatis tibi commissorum pereuntium sine dubio peribis. Et quid refert: vtrum proprio merito pereas, an alieno? Aut ergò curam animarum secundum normam tibi à sanctis Patribus præscriptam dirige: aut si vtiliter præesse non potes, regimen dimitte. Exigitur enim à te non solum, vt ipse bene viuas: sed etiam, vt tibi commissos ad bene viuendum verbo & exemplo instituas. Nunc ergo Pastores periculum vestrum metuite: oues vobis commissas secundum regulam gubernate. Pascite illas verbo: pascite exemplo: pascite almēto: vt cum bene ministraueritis, remunerandi ad cœli gaudia pertingatis. Dixi.

1. Ioan. 2.

FINIS.

ORA-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ORATIO QVINTA,

DE DVODECIM EXCIDIIS OBSERANTIÆ REGVLARIS, HABITA IN CAPITVLO ANNALI IN MONASTERIO REINHARTZbornensi in Hercinia sylua. V. Kal. Septemb. Anno Domini M. CCCC. XCVI.

COGITANTI mihi ad hoc stadium dicendi vocato, præstantissimi Patres, quid dicerem vestro conuentui dignum, meoque officio congruum, tandem venit in mentem, vt qui Ordinis nostri ruinam antehac iteratis vicibus deplangens penthico descripsi eloquio, nunc originem, causasque deformitatis illius breui sermone aperirem. Id enim non minus necessarium, quam vtile futurum existimo: quia, dum causas morbi veraciter agnoscimus, facilius de remedio cogitamus.

Nam, etsi reformatio nostra hæc nouissima hodie Domino miserante apud multos sana & integra ad regulam videatur consistere; poterit tamen à rectitudine sua breui temporis spatio deuiare: & quæ post omnes in ordine obseruantias venit nouissima, vt omnes, etiam aliquando est desitura. Neq; enim meliores sumus Patribus illis antiquis, atq; sanctissimis, qui varias ad vnius Dei cultum religiones instituerunt: quorum etsi regulas ac statuta membranis inscripta legimus, pristinum tamen feruorem erga disciplinam monasticam hodie non videmus. Feruor deuotionis qui tempore cœpit, cum tempore quoq; expirauit. Quicquid enim in tempore agitur, mutabilitati obnoxium tenetur. In actibus nempe humanis nihil diu permanet.

Nam, vt nostra tractemus, vbi nunc est laudabilis, & admiranda illa deuotio monachorum, quæ quondam ordinem nostrum, velut cæli palatium, cunctis hominibus venerabilem fecit? vbi est studium illud admirabile litterarum, quod vniuersis monachis nostris olim tam familiare fuit? Cecidit corona capitis nostri, deuotio monachorum periit, studium scripturarum ambitio dissipauit.

Væ nobis, quia peccatis nostris id demerentibus, fermè ad nihilum redacti sumus. Vbi sunt omnes illæ præcedentium Patrum in Ordine nostro laudatissimæ quondam reformationes? Vbi est CAROLI Imperatoris Magni, quam primus in Germania & Gallia fecit, Ordinis nostri tam celebris instauratio? Vbi inter omnes famosissima Cluniacensis, tam lata & veneranda quondam reformatio? Vbi Cassinensis cœnobii cum sibi adhærentibus totiens iterata instauratio? Vbi Fuldensis? vbi Hirzfeldensis? Vbi Treuirensis? Vbi Coloniensis? Vbi Hirsaugiensis? vbi Castellensis? & si quæ aliæ fuerunt in Germania Ordinis nostri

Quæritur omnes reformationes ordinis S. Benedicti defecisse.

quondam reformationes, vbi sunt? Omnes à prima institutione sui defecerũt, & vel in toto, vel maiori parte ad nihilum redactæ sunt. Nos ergò, Patres, quẽadmodum de perseuerantia reformationis nostræ præsumimus, qui tot celeberrimas ante nos in ordine corruisse videmus? Si conseruare obseruantiam multitudo in Ordine potuisset staret hodie Cluniacensis inconuulsa reformatio, quæ suis quondam legibus mille quingẽta monachorum cœnobia fertur subdidisse. Rursus, si paucitas reformatorum aliquid perseuerantiæ & stabilitati conduceret, cæteræ pœne omnes nunquam cecidissent: quæ numero monasteriorum Cluniacensi fuerunt indubiè pauciores.

Idem timendum de vltima Bursfeldensi.

Quomodo ergò in obseruantia regulari permanebit paucitas, si multitudo defecit? aut quando stare in disciplina multi poterunt, si etiam pauci numero corruerunt? Nos enim, Bursfeldenses appellati, neque Cluniacensibus numero pares, neque alicui cæterarum reformationum sumus pauciores. Quod ergò & multis & paucis accidisse cernimus, nobis futurum quoque timeamus. Sed opus non est euidentiam huius rei in aliena anxiè quærere, quam sine labore in reformatione propria possumus inuenire. Ecce obseruantia nostra, quam à loco suæ originis meritò Bursfeldensem appellamus, needum annis octoginta viguit: quæ tamen hodie à prima institutione, vtplurimum, in certis monasteriis defecit. Quid ergò putatis, ô Patres, obseruantia nostra passura est vetula, si iuuenis tanta nunc suffert contraria? *Cuncta sub ancipiti pendent mortalia casu. Et spondent propria mobilitate fugam.* Qui nunc reformati ad semitam regularis institutionis rectè ambulant, à tramite obseruantiæ per decursum temporis declinant: & monasteria, quæ hodie bene in vtroque statu dispositа cernimus, intra paucos annos casura formidamus. Hæc se ita habere manifesta ratione cognoscimus, si transacti temporis negotia ad memoriam reuocemus. Ecce quot monasteria, quot conuentus, quot domos religiosorum in vtroque statu hodie miserabiliter deformata cernimus: quæ adhuc intra paucos annos fuisse bene reformata scimus? Denique tot ac tanti diuersorum Ordinũ religiosi nostris pœne temporibus ab obseruantia regulari defecerunt, & quotidie deficiunt, vt reformationes recentiores iam antiquissimæ & abolitę prorsus videantur.

Causas itaque huius mali dicturus, insufficientiam meam penitus considero, & ob id loqui de arduis paruus ego pertimesco; nisi orationes vestræ mihi ex more subueniant, asperum iter dicendi aggredi minutissimæ vires ingenii reformidant. Conuersi nunc igitur pro impetranda gratia ad cœli Dominam, altissimiq; filii parentem, quæ potens est dare, quicquid postulatur in fide, dicamus, AVE MARIA.

SI obseruantiam Ordinis vel nostri vel cuiuslibet alterius, vineam Domini exercituum dixero, à nominis debita impositione non aberrabo: quoniam, quæcunque in scripturis sanctis sub typo matris Ecclesiæ de vinea legimus, ad religionis sacræ cuiuslibet obseruantiam non incongruè adaptamus. Sed cum tam multa & varia proposito nostro conuenientia nobis ager scripturarum à Deo benedictus offerat, vt inopem me copia reddat: producenda mihi sunt pauca: ne oratio nimium extensa, vobis, ô Patres, fiat onerosa. Sed de hac vinea in figura quid dicit prophera? *Vineam*, inquit, *de Ægypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantasti eam.* Vt ergo nostra curemus, Vinea ex Ægypto traducta, religio sit, ad obseruantiam disciplinæ reformata. Itaq; vineam Dominus de Ægypto rectè transtulisse dicitur, quoties eius ope diu deformata religio quælibet reformatur. Gentes verò, vineam vt plantet, eiicit: quando monachos reprobos & contemptores regulæ de cœnobio expellit, & alios, qui obseruatores sint disciplinæ introducit. Hoc fieri nostris diebus iam cernimus, qui reformari ordines multos quotidie videmus. De monasteriis eiiciuntur reprobi: & in in locum eorum ponuntur reformati. Eiecisti, inquit, gentes, id est, monachos nomine tantum, qui gentiles moribus imitantur potius, quam Christi Apostolos. Et hæc vinea palmites suos vsque ad mare extendisse dicitur: quoniam longè lateq; per orbem terrarum diuersa iam cœnobia omnium pœne Ordinum reformantur. Denique hoc etiam de nostra reformatione non immeritò dicimus, quam modo vsque ad

Psal. 73.

mare

mare diffusam sub obedientia huius Capituli possidemus. Sed quid sequitur? *Vt quid,* ait, *destruxisti maceriam eius: & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam? Exterminauit eam per de sylua, & singularis ferus depastus est eam.* Quænam est maceria? qui prætergredientes viam? qui vindemiant hanc vineam? Deniq; quis aper de sylua, & quis ferus iste singularis? Attendat charitas vestra, Patres, quoniam vestra res agitur: de vestro periculo tractatur. Maceria huius vineæ cura est Pastoralis, quæ, dum permittente Deo in religione destruitur, obseruantia regularis disciplinæ vndiq; irruentibus vitiis penitus dissipatur. Tunc enim prætergredientes viam religionis vineam vindemiant & lacerant, quando Rectores animarum per negligentiam destructi vitia subditorum non emendant. *Ibid.*

Aper verò de sylua voluptas carnis intelligitur, per quam disciplina regularis funditus dissipatur, virtutes omnes de monasterio pelluntur, aditus vitiis, & inauditis sceleribus reseratur. Nam sicut aper in luto fœtido delectabiliter voluitur: sic claustrales luxuriæ, & voluptatibus dediti ad scaturiginem omnium vitiorum prolabuntur.

Singularis autem ferus, qui vineam religionis deuorat, est claustralibus vt plurimum amica & familiaris auaritia. Hæc fera pessima cupiditas multis hodie est amica claustralibus, & rerum temporalium abundantia nunc plures fecit auaros, quam deuotos: adeò vt religio, quæ ad cultum omnipotentis Dei specialiter instituta dignoscitur, ad quæstum conuersa videatur. Hinc ira Dei sæuit in monachos: qui vt diuites esse possent, paupertatem, quam detestantur, Domino promiserunt.

Radix omnium malorum cupiditas mentem hominis claustralis, quam semel inuaserit, omni puritate deuotionis nudam & exspoliatam reddit. Vos, igitur, ô Patres, qui ad custodiam huius vineæ positi estis hanc pernicioſissimam feram penitus occidite, si vultis obseruantiam vestram integram & sanam permanere.

Enimuero, *qui volunt diuites fieri, in varias tentationes incidunt diabolo.* Maceriam quoque in circuitu vineæ necessariam instruite, prætergredientes viam hostes animarum repellite, vulpes aliasquè feras vineam deuastantes sine mora occidite, sacra id vobis mandane scriptura. *1. Tim. 6.*

Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas. Nam vinea nostra iam floruit: & ideo maiori solicitudine est custodienda. Itaque capite vulpes, dum paruulæ sunt, ne crescat cum annis astutia nocendi: quoniam omne vitium, quod paruum in principio despicitur, sola consuetudine roboratur. Vultis autem scire, quæ sint istæ vulpes paruulæ, vineam obseruantiæ regularis vastantes? Duodecim ego vulpes facta inquisitione repperi: quæ etsi nonnullis propter familiarem conuictum videantur paruulæ, astutia tamen & arte nocendi cum maximè valeant, non mediocriter sunt timendæ. Hæ causæ sunt & principia destructionis omnis obseruantiæ regularis: quibus iuxta possibilitatem expulsis vigor sacri Ordinis stabilis permanebit. *Cant. 2.* *Causæ variæ ruinæ regularis obseruantiæ.*

PRIMA itaque vulpes, siue causa ruinæ obseruantiæ regularis, est indiscreta susceptio inutilium personarum. Ista calamitas, sicut in ordine est prima ita quoque ad destructionem omnis disciplinæ fortissima. Cum enim inutilis quisque ad ordinem recipitur, vigor conuersationis monasticæ dissipatur: quoniam is, qui cum aliis in stadio quotidiani certaminis currere debuerat, longè retrò persistens, claudas & debilis vacillat. Sed quid dicit Scriptura? *Prouerbium est. Cæcus & claudus non intrabunt in templum.* Vos autem cæcos & claudos in templum admittitis, quoties rudes, imperitosquè & vitiis carnis deditos ad Ordinem recipitis. Cæcus est enim sine scripturarum illustratione superbus, qui aut nihil, aut parum eorum, quæ legit, intelligit: qui vel ob ingenii tarditatem, vel malitiam voluntatis discere ea, quæ ad monachum requiruntur non sufficit: qui ad extetna semper anhelans conuersationem interioris hominis excolere contemnit. Cæcus, inquam, est qui acumine intellectus destituitur qui ad obseruantiam disciplinæ regularis idoneus nõ habetur, q regularibus institutis moribus suis apparet contrarius, q in *I. Causa.* *2. Reg. 5.*

con-

consequendis litterarum fructibus non est studiosus. Quotiescunq; talis ad religionem intromittitur, vulpes aut serpens ingremio fouetur. Enimuero vita monachi sine litteris, aut est valde deuota, aut omnino turpissima. Cum enim scripturas non diligat, quo exercitio totum vitæ suæ tempus in cella manens vtiliter expendat? Aut quid boni solus in cella sedens operabitur, qui fontem totius boni scripturas post Deum aspernatur? Rudis enim, & sine affectione boni cum sit, legere in sanctis scripturis aliquid despicit: discere ab alio spernit: scribere etiam iussus contemnit. Nam cum nihil in se habeat monastici exercitii, quo delectetut interius, foras discurrere vel mente, vel corpore incipit, solatium in rebus transitoriis quærit: &, dum quietus in cella non potest consistere, totam congregationem suis malis moribus tentat perturbare. Cæcus enim cum sit, baculo instabilitatis foras eiicitur, fabulis & detractionibus occupatur: qui si à Priore vel modicè correptus fuerit, continuò in furiam elatus dicit. Da mihi ad aliud monasterium licentiam, quia manere diutius in hoc cœnobio nequeo, in quo tot iniurias quotidie porto. Denique, quis murmurationes, oblocutiones, detractiones, & temeraria iudicia, cæterasq; animi pestes monachorum, lectiones & litteras bonas non amantium dignè pensiculare sufficiat? Necessum est enim, vt mens quæ internis solatiis destituitur, ad exteriora conuertatur. Sed dicunt mihi cæci rectores claustralium, duces cæcorum. Quid monachis tantopere commendas inane studium scripturarum, quod eos non humiles reddit, sed contumaces & superbos? Nos in monachis nostris non scientiam requirimus, sed humilitatem. O stulti & insipientes, qui Ordinem sanctum subuertitis, dum litteris dare operam monachos prohibetis. Ergonè monachi vestri, cum sint rudes & indocti, non possunt esse superbi? Si ignorantia scripturarum facit humiles, vos veraciter humillimi debebitis appellari. Sed erratis: nã & habet ignorantia plures superbos, quàm humiles. Nemo enim tam rudis, nemo tam imperitus, cui non pars stultitiæ & superbiæ maior contigerit. Omnis superbus ignorans est. Multa Ordinis nostri cœnobia perlustraui, varias monachorum passiones & displicentias reperi: quas non à doctis, neque à studiosis, sed ab imperitis & litterarum contemptoribus semper & motas, & continuatas offendi. Et vnusquisq; nostrum plures habet monachos imperitos & rudes, spiritu superbiæ turgentes, quam in scientia scripturarum studiosos. Stultum est ergò monachis studium litterarum propter humilitatem interdicere: cum & eos, qui sine eruditione sunt, videamus peramplius superbire. Nam scientia scripturarum plures humiles fecit, quam superbos: ignorantia autem non humilitatem, sed superbiam semper habet amicam. Vos autem, qui cæcos, id est, rudes & imperitos ad ordinem libenter assumitis, iuxta vulgare prouerbium vobis similes amatis. Doctus amat doctos, & imperito rudis coniungitur. Facilius est apud vos scientiam scripturarum contemnere, quam didicisse. Non sic apud antiquos religio nostra sanctissima floruit: quæ non spernendo, sed discendo & amando scripturas super omnes ordines exaltata fuit. Vos autem pristinum obseruantiæ decorem extinguitis, qui monachos vestros imitari sanctissimos Patres amatores salutaris scientiæ prohibetis. Et ecce quibus studium litterarum interdicitis, otio, fabulis, & vagis discursibus intendere videtis. Enimuero, si lectiones, & scientiam scripturarum diligerent, non discursibus, non fabulis, non contentionibus, sed quieti, scripturis & lectionibus vacarent. Sed cum nihil sit, quod eos delectet interius ad solatia carnis per desidiam mentis foras egrediuntur, & omnem obseruantiam regularis disciplinæ verbo & opere fugiunt & detestantur. Claudus verò ẽplum ingreditur, quando consuetudine carnalium vitiorum curuatus ingredi ordinem sanctum permittitur. Enimuero dum ad monasterium longa consuetudine vitiosus quisque recipitur, vita & conuersatio innocentum perturbatur: qui dum nouitium consueta mala viderint resumere, plerunque similia incipiunt actitare, & sæpe is, qui bonæ conuersationis exemplo aliorum ad pœnitentiam prouocari debuerat, consuetudine vitiorum oppressus infirmiores quoq; in cœnobio scandalizat. Facilius autem in exemplum

facta

facta malorũ trahimus, quam bonorum. Vos itaq; Patres, qui ordinem nostrum in obseruantia regulari permanere cupitis, cæcos & claudos ab ingressu templi repellite: psonas non quaslibet, sed quantum fieri potest, idoneas eligite: rudes, carnales, ac duræ ceruicis ab religionis introitu arcete. Citius enim bonos monachos hi tales consueuerunt subuertere, quàm in eorum consortium transire. Ad militiam hanc spiritualem homines eruditi, constantes animo, fortes, & qui facilè ducis acquiescant imperio assumendi sunt: non rudes, nõ indocti, nõ muliebres animo, non opinione pertinaces. Enimuero, si quis contra hostem pugnaturus exercitum suum debilibus, timidis, imperitisquè militibus instaurandum existimat, non victoriam de bello, sed confusionem & damnum potius reportat. Nec dico, quod ad solam eruditionem suscipiendorũ debeatis attendere: cum ad nostrã obseruantiam ex doctioribus paucos videamus propter carnium abstinentiam venire: sed suadeo, consulo, oro, quatenus eos iuuenes, quos ingenio florentes ad Ordinem suscipitis, exemplo veterum litteris, & bonarum artium studiis imbui faciatis. Sola enim scientia & delectatio scripturarum monachos facit in cella quietos & tranquillos consistere.

Vbi verò studium scripturarum deseritur, iam quietis impatiens monachi animus foras per inania vagatur, incipitq; solatium in exterioribus quærere, quippe q̃ nullum in interioribus suis potuit inuenire. Vnde veraciter dixit ille beatus: *Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis.* O sacrum studium, ô sancta exercitatio scripturarum; quã bonos, quam doctos, quã sanctos olim in Ordine monachos solebas producere! quos sua eruditione & scriptis totum Christianũ orbẽ hodie videmus illustrasse. Sed ô rerũ sanctarũ pernicioſa mutatio. Nunc te monachi nostri perdita præsumptione despiciunt, te Abbates vt plurimũ contẽnunt: vt inter omnes Prælatos claustraliũ litteris pauci sint dediti: auaritiæ verò & voluptatibus complures nũc reperiantur intenti. Propterea contẽptibiles facti sumus in populo, q̃a fontẽ sc ẽriæ salutaris, quem maiores nostri foderunt, contẽpsimus, & ad mundi negotia digressi sumus. Enimuerò, dũ Carnales, rudes, & nequaq̃ idoneos ad Ordinem suscipimus, magnã obseruantiæ regulari contumeliam irrogamus. Et nihil tam graue meo quidẽ iudicio, quam imperitę multitudini pręesse claustralium: quę more vulgari spreto cõsilio senioris omnia per tumultum aggreditur: licere sibi, quæcunq; placent, arbitratur, contra suum Rectorem facili occasione murmurat, & furoribus agitata nec Deũ, nec homines curat. Itaq;, si vultis ordinem in obseruantia regulari consistere, personas inutiles & contrarias ab eius ingressu arcete: quoniam, sicut vulpes florentem, teneramq; demoliuntur vineam, ita rudes, superbi, carnales, & animo contumaces vitam suis moribus confundunt monasticam. Melius est enim monachos paucos habere & bonos, quã plures à regulari conuersatione moribus alienos.

2. Causa.

Secvnda vulpes sacræ monasticæ obseruantię grauissimum inducit excidium: quæ est indebita & negligens prima institutio nouitiorum. Quis huius bestiæ dolos, fraudes & mala denumeret? Nam cum totius monasticæ obseruantiæ integritas in optima nouitiorum institutione prima consistat; quis non videat, quãta mala, quos morbos, quot clades religioni negligẽtia eius importat? Quisquis enim in prima nouitiatus sui institutione neglectus fuerit, rarò bonus & perfectus monachus erit.

A via enim suæ institutionis difficulter poterit recedere. Scriptum namque est. *Adolescens iuxta viã suam, etiam cum senu. verit, non recedet ab ea.* Prov. 22. Maxima enim vis obseruantiæ regularis in prima nouitiorum institutione consistit. Sed rarus est in Ordine, qui ad regulæ puritatem nouitios, aut velit, aut possit instituere. Magni enim laboris & industriæ opus est, venientem de mundana conuersatione ad nouitatem vitæ regularis inducere, &, vt ita dixerim, in veteri homine nouum habitum formare. Vnde consideratio tanti laboris multos à sancto magisterio retrahit; qui, dum raros ad omnia dirigibiles inueniunt, tantum onus docendi subire pertimescunt. Deniq; frequenter ad magisterium nouitiorum assumitur, qui nũquam benè institutus ad regulę sinceritatẽ inuenitur: qui alios docere conatur, q̃ ipse nunquam didicit, quasi cæcũ ducẽs, cum ipso cæcus in foueam erroris cadit.

Otem-

O tempora, ô mores: quibus inter clauſtrales abũdare monachos cernimus, ſed è viginti vix vnum, qui docere alios ſemiram obſeruantiæ ſit idoneus, inuenimus. Vbique nunc, qui nouitios benè inſtituant, deſunt: ſoli qui inſtruantur, occurrunt. Enimuero, qui bene inſtitutus non eſt, quemadmodum vtiliter alium docebit? Nam cum ſuprema regularis obſeruantiæ fortitudo in prima nouitiorum inſtitutione conſiſtat: non pueris, non rudibus, non imperitis, non diſſolutis & carnalibus, ſed ſenibus, maturis, doctis, expertis & deuotis eſt committenda. Sed quando tales inueniemus? Viros moribus & ſcientia ſenes quærimus, qui ſenes fatuos plures habemus. Neque enim ſenioribus ſemper ineſt prudentia: cum & ſenectus habeat fatuos ſuos. Siue ergo ſenem moribus puerum & ſtultum, ſiue iuuenem rudem & expertum ad inſtitutionem nouitiorum deputaueris, quid aliud facis, quàm cæco cæcum ducendum cõmittis? Si verò præceptorem idoneum nouitiis præpoſueris, bonos monachos & obſeruantiæ regularis amatores facis. Optimum ergo monachum ex omnibus vnum ad hoc magiſterium deputabis, quẽ ſcientia ſcripturarum nouitiis venerabilem reddat, quem ſanctæ conuerſationis integritas commendet. Talis ſit rector nouitiorum, qui zelum animarum habeat, qui vulneribus tentationum ſanandis idoneus exiſtat, qui vinum increpationis prudenter & opportunè ſciat infundere, qui oleum conſolationis tempore congruo nouerit adhibere. Sit conuerſatione maturus, conſilio cautus, eloquio ſuccinctus, moribus bonis ſit ſtabilis, interno exercitio firmus, ad conuerſationem nouitiorum debita circumſpectione curioſus. Nouitios ipſos, ſicut animam ſuam, in ſancta ſolicitudine cuſtodiat: nihil, quod ad bonam inſtitutionem eorum pertinet omittat, bona, quæ docet opere imitabilia oſtendat. Dum animi ſunt dociles, mores ad regulam dirigat, & quales monachos habere futuros deſiderat, tales in principio nouitios componat. Nouitius enim, q̃ in exordio conuerſionis ſuę negligitur, nunquam ad obſeruantiam diſciplinæ deinceps reuertetur, & laxitatem illam, in qua ſemel conualuit, quamdiu vixerit, non emendabit. Quiſquis verò in nouitiatu præceptis regulæ & ſeniorũ contrarius, vel inobediens fuerit, quod bonus monachus futurus nõ ſit, iam manifeſtè oſtendit: qui, ne ſua improbitate obſeruantiam deſtruat, quantocyus de cœnobio expellatur. Nunquam enim ex malo nouitio bonum monachum habiturus es. Maximam itaq; cladem Religioni affert negligens inſtitutio nouitiorũ, quæ nullo vnquam tempore ſatis poterit præcaueri. Sed de hac calamitate non opus eſt multa differere: quam vnuſquiſq; noſtrum longa experientia potuit didiciſſe.

TERTIA vulpes, quæ obſeruantiæ regularis integritatem deſtruit, eſt puerorum, & de proximo, ſeu vicino ſuſceptio. Et ô quam multas turbationes, lites, & ſeditiones talium admiſſio plerunque in religione ſuſcitat: quoniam quicquid eis in monaſterio diſplicet, parentum vel cognatorum auxilio cupiunt emendari. Sæpe quoque viſitantur à proximis, conſolationes & varias & pernicioſas recipiunt à cognatis: & quanto his peramplius ſunt dediti, tanto ab interna conuerſatione ſpiritus fiunt alieni. Deniq; hos delinquentes non ſemper, quemadmodum oportuerat paſtor animarum præſumit corrigere: dum parentum & amicorum è vicino degentium cogitur inſolentias timere. Nam etiamſi enormiter peccando in carcerem ſint detrudendi, ad amicorum vel minas, vel precum inſtantias eos nequaquam audet includere: quos ſi incluſerit compellitur quantocyus relaxare. Quicquid verò ſecreti in monaſterio agitur, per tales parentibus & extraneis nunciatur. Præterea vrgentibus amicis ſæpe vocantur ad patriam: quibus, ſi optatum conceditur, grauiſſimis periculis exponuntur. Si verò negatum fuerit iam diſplicentias & odia contra Rectorem quis ſermo explicabit? In odium paſtoris concitant principes: falſos ad accuſandum ſubordinant fratres: vt deponatur ab officio Prior efficiunt: ſubſtitui ſuos vel natos, vel agnatos fauore Principum, aut ſenatus, concupiſcunt. Præterea hi tales precibus amicorum vallati licentiam viſendi parentes ſæpius impetrant: cognatos & vicinos ad conuiuium vocãt: poculis & verbis caro incenditur, ſtipula in ignem proiecta concrematur. Dehinc conuerſatio monachorum detractionibus impii traditoris lacerãda in medium

3. Cauſa.

dedu-

deducitur, vita pastoris corã rusticis condẽnatur: & quicquid infirmitatis in cœnobio geritur, per hunc monachum inconspectu omniũ reuelatur. Postea munuscula regularibus penitus interdicta occultè à parentibus suscipit: quæ reuersus ad monasteriũ contra regulam abscõdit. Deniq; frequenter hi tales parentum fauoribus abducti efficiũtur instabiles, & contra prælatos suos contumaces. Et ob id pecunias sibi ab amicis comparant; licentiam abeundi de monasterito importunè postulant: quam sæpe, dum cõsequi nequeunt, clam voti regularis immemores sine licenria recedũt. Vos ergò Patres, si consilium meum admittitis, è vicino ad monachatũ neminem suscipietis: nisi & eius, & parentum suorum integritatem & quietam conditionem satis probatam habeatis. Enimuerò, vbi parẽtes improbi & contentiosi filiis in religione existentibus habitatione sunt proximi, sæpe cœnobiis facili occasione reperiuntur infesti. Aut ergò taliũ filios ad ordinẽ in vici no nolite suscipere, aut, si eos admiseritis, licentiã visendi parentes nolite crebrius indulgere. Nihil enim plus nocet infirmis claustralibus, quã frequens visitatio amicorum. Etiamsi pater ad mortem ægrotus filium suum fragilem ad se de cœnobio venire postulauerit, noli concedere, si monachum saluum desideras permanere. Nam etsi dimissus patri morituro compatitur; necessariò tamẽ cum fœminis & Abris domesticis conuersatur: quas, dum frequẽter alloquitur, quorsum tandem peruenire posset, cogitetur.

Alii autem de prope oriundi quandoque partialitates grauissimas in cœnobiis suscitant: contra alterius nationis, aut prouinciæ fratres, quamuis bonos & deuotos, nequiter clamant, & eos, quos propter singularem deuotionem honorare debuerant, sine causa in contumeliam vocant. Nonnunquam verò ad Præsules discurrunt & Principes: alienigenas mendaciter accusant, tanquam patriæ traditores: quos, dũ eliminare de monasterio cupiunt, disciplinæ regularis obseruantiam corrumpunt. Alia quoq;, & multa, & horrenda in destructionẽ monasticæ conuersationis per parentes & amicos plærunque efficiunt: de quibus me diutius loqui, & verecundia prohibet & breuitas temporis. Neque enim ista facerent, si de remotioribus prouinciis oriundi essent.

IV. Causa

QVARTA Vulpes, quæ regularis obseruantiæ inducit excidium, est ingredientium suscipientiumquè ad Ordinem non recta intentio, & propositi sancti in aliis tam cita obliuio. Quicquid autem intentione vana incipitur, bono fine rarò consummatur. Quod verò ad religionem multi veniant intentione non recta experiẽtia quotidiana didicimus. Alium ad religionem venire compellit inopia: qui si foris haberet, vnde viueret, ordinẽ non intrasset. Alium verò introducit pigritia, qui si panem suum in sudore vultus sui, sicut scriptum est, vellet comedere, nullatenus ad monasterium veniret. Aliũ ad ordinem trahit ambitio: qui cum se in mundo despectum cõsiderat, venire ad honores per religionem sperat. Alium, vt ingrediatur, membrorum cogit infirmitas, qui, si sanus esset, integreq; valeret in corpore habitũ religionis non assumeret. Omnium istorum non est sincera intentio: quippe qui Dei honorem non quærunt, sed proprium commodum assequi concupiscunt. Enimuero, nisi taliter ingredientium ad rectum finem commutetur intentio, nec ipsi sanctæ religionis præmio digni sunt, nec obseruantię regulari debitam vnquam poterunt adhibere custodiam. Quisquis enim in religione non Dei honorem, animæq; salutem, sed corporis sui duntaxat commodum intẽdit, obseruantiã disciplinæ regularis destruit, & semetipsum grauissimæ damnationi submittit. Nam cum cum religionẽ intrantis nõ est recta intentio, quẽadmodum cõuersatio bona erit? Cum .n. introitus malus sit, exitus rarò bonus erit. Examinanda est igitur diligentissime religionem assumentis intentio: causæ mouẽtes propositum sagaciter exquirendæ sunt, quatenus nemini ad bonum nisi bene cõcedatur accessus. Nec negamus pauperibus introitum, sed integritatẽ ꝓpositi in singulis exquirimus. Scimus .n. pauperes ad obseruantiam disciplinæ vt plurimũ aptiores, q̃ diuites: quoniã istis propter inopiam rerum solet esse amica submissio: & illis ex abundantia nõnunq̃ familiaris elatio. Libenter ergo pauperes admittimus, quos humiles, & intẽtione sancta dispositos inuenim⁹. Sed nec diuites excludimus, quos spiritu pauperes agnoscim⁹.

Denique quantum ad fuſcipientes pertinet, ſæpe inter clauſtrales multi multas abuſiones committunt. Aliquando pecunias à fuſcipiẽdis exigunt: aliquando pacta interponunt: interdum ad præſtandũ conuiuium lautiſſimũ, cõſuetudine peſſima pro lege vtentes, à nouitio requirunt. Quid hac abuſione perniciofius? quæ in ſchola Chriſti diſcipulum facit Simonis magi. Sed vos præuaricatores, q̃ pecunias, dona, iocalia, ſiue conuiuia ab his, quos ſuſcipitis ad religionem exigitis, cuius diſcipuli eſtis? Chriſti, an Simonis magi? Si Chriſti, quære doctrinam Chriſti non ſeruatis? *Gratis*, inquit, *accepiſtis, gratis date*. Vos autem dicitis, gratis non accepimus, idcircò gratis non dabimus. Hanc conſuetudinem dandi ex pacto conuiuia hoc loco inuenimus: tali modo & conditione omnes ſuſcepti ſumus: &, niſi hac conditione, neminem ſuſcipimus. Ergo, ſi gratis non accepiſtis, Chriſti diſcipuli non eſtis. Chriſtus enim gratis dare conſueuit, non vendere. Vos autem, qui ſpirituale donum emiſtis, & venditis, cuius diſcipuli eſtis? Ego vos illius diſcipulos crediderim, qui donum ſpiritus ſancti pecunia æſtimauerat comparandum. Sed forſan dicitis. Prandium, ſeu iocalia de conſuetudine poſſumus à diuitibus exigere, quoniam id Simonia credimus carere. Sed iura ſententiam ferunt contrariam, & quicquam exigere rerum temporalium cum pacto dicunt eſſe Simoniam. Hoc idem Doctores Eccleſiaſtici ſentiunt: hoc ſummorum Pontificum ſanctiones & decreta pandunt. Et quid dicit in conſtitutione ſua VRBANVS Papa, quæ hoc habet exordium. *Ne in vinea Domini*. Audite quid dicat. *Vniuerſis & ſingulis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decãis & magiſtris Abbatiſſis, Prioriſſis, aliiſq; Prælatis, quocunq; nomine nuncupantur, eorũq; officialibus, quorumcunq; Eccleſiarum monaſteriorũ, domorũ & locorũ ſub excommunicationis ſcientia interdicit, ne à volentibus ingredi religionem, ante vel poſt receptionem paſtus, prandia, ſine cœnas, pecunias, ſiue iocalia, aut quaslibet res alias ad Eccleſiaſticum ſeu quemuis pium vſum deputata, ſiue deputanda, directè vel indirectè petere vel exigere quoquo modo præſumãt, ſed eos potius cũ omnimoda puritate in victu & veſtitu cũ aliis caritatiuè pertractandos recipiant*. Ecce quàm ſecuri eſtis, qui ab ingredientibus cœnas, ſiue prandia, aut quælibet alia dona exigitis. Nemo nobis conſuetudinem obiiciat, quoniam peccatum non minuit, ſed potius aggrauat. Quod enim gratis dari præcipitur, venditum nulla conſuetudine excuſatur. Hoc perniciofum ſcelus, quantum obſeruantiæ regulari noceat, nemo iurisperitus, & puritatis amator ignorat. Enimuerò per hoc religio monaſtica coram ſeculariibus in opprobrium & ſcandalum exponitur, multorum animæ periclitantur, ab ingreſſu ordinis pauperes arcentur, numerus perſonarum DEO ſeruientium minuitur, proprietatis occaſio monachis præbetur. Nemo mihi obiiciat nõ eſſe peccatum, q̃ tam à iure, q̃ à ſummis Pontificib9 diſtricta ſatis animaduerſione cõſtat eſſe prohibitum. Et de hoc ſatis. Nec minus offendit regularis obſeruãtiæ integritatem monaſtici propoſiti tam temerata obliuio, quæ ordini tot clades ingerit, quot exercitii ſpiritualis ſtudia omittit. Et hæc calamitas clauſtralibus hodie nimis importuna eſt: qui mox vt breui tempore in religione conuerſati fuerint, quaſi longa peregrinatione defatigati obliuiſcuntur, quò tendebant. Iam deinceps feruor deuotionis in talibus extinguitur, regularis diſciplinæ cuſtodia negligitur, obſeruantia diſſipatur.

Matt. 10.

Act. 8.

Vrban. 4. c. ſane. in extrau. 6. decr.

Feruor enim ſancti propoſiti cito nimis amittitur, niſi quotidiano exercitio renouetur. Quiſquis autem hoc quotidianę tanquam nouum inſtitutionis exercitium negligit, citò à deuotionis ſpiritu tepeſcit. Cũ verò monachus in tepiditatis foueã ſemel ceciderit, ad priſtinum feruorẽ difficulter redit. Et q̃d ait ſcriptura? *Scio*, inq̃t, *opera tua, quia nec frigidus es, nec calidus. Vtinã frigidus eſſes aut calidus: ſed quia tepidus es, incipiã te euomere ex ore meo*. Calidus eſt, qui feruore diuini amoris æſtuat, & qui ſanctum propoſitum opere & veritate conſeruat. Sed ignis amoris in calido nunquam extinguitur, quoniam fomento ſpiritualis exercitii nutritur. Frigidus verò dicitur, qui vitiis & ſceleribus extinctus nullo feruore ſpiritus ad Dei amorẽ eleuatur. Tepidus autem eſt, qui ſceleribus & vitiis maioribus non inuoluitur: & tamen ſine feruore Dei amoris otioſus inter alios conuerſatur. Rara eſt iſtorum ad DEVM ſincera conuerſio: quia dum ſe maioribus peccatis non eſſe inuolutos conſiderãt, quaſi bene cõuerſentur, nulla

Apoc. 3.

pœni-

pœnitentiæ remedia curant. Citius ad verã pœnitentiam frigidus conuertitur, quã à cõsueta negligentia tepidus emẽdetur. sed ô claustrales, non satis est nob.s abstinentia à magnis peccatis atque scelericus, nisi etiam minima cauentes bonis operibus cum feruore spiritus & quotidiana innouatione propositi ad DEVM insistamus. Scitis enim: quoniam regni cælestis hæreditas tepidis nequaquam conceditur, quæ vim pati perhibetur.

V. Cant. 2 QVINTVM obseruantiæ claustralis destructorium est, studii regularis omissio. Quid est regulare studium, nisi iuxta præceptum regulæ lectionibus insistere scripturarũ? Sed nostri Abbates & monachi hoc salubre studium litterarum abiiciũt, otio, & vanitatibus intendunt, pro studio scripturarum auaritiã, pro libris voluptates carnis amplectuntur. Ex his nonnulli rebus temporalibus immersi omnem lectionem scripturarum omni tempore penitus negligẽtes despiciunt. Alii voluptatibus dediti ad thermas & cõuiuia discurrunt! nonnulli, quod dementia plenũ est, monachis suis legendi studium interdicunt. Non mentior, Patres, non mentior: quippe, qui tales nõ paucos nouerim, qui nobilia suorum ingenia opprimant, qui legere monachos nihil præter humilia permittunt. O stulti & insani, quare studium regulare contra regulã prohibetis? Vos enim, cum sitis omnium litterarum bonarumq; artiũ ignari, monachis vestris ingenio valentibus studium earum interdicitis: iuuenũ generosos animos ad vilia exercitia coarctatis: quos dũ litteris vacare non permittitis, otio & vitiis perituros commendatis. Forsitan timetis, ne si doctiores euaserint, vos in eorũ comparatione imperiti rudesq; iudicemini, aut certè doctrina illorũ correctio fiat vestrorum scelerum? Enimuerò, si veri obseruatores monasticæ conuersationis essetis, non tãtopere monachos doctos potuissetis cõtemnere. Nunc autem cum sitis erga disciplinam regularem negligentes, & vitiis ac sceleribus dediti, monachos simplices, rudes & imperitos libenter admittitis, quorum redargutiones nullas timeatis. Pernicioſæ libertatis cupidi amatores effecti sub titulo humilitatis ignorantiam inducitis, q monachos indoctos meliores æstimatis. Et quamuis non sit ouium pastorem reprehendere: licet tamen subditis Prælatum à via veritatis aberrantem humiliter admonere: quoniam etsi bona sit obedientia, nunq̃ tamen est veritati præferenda. Vos autẽ rudes & imperitos monachos habere quæritis: quos & ignorantia timidos faciat, & loqui pusillanimitas nõ permittat. Si verò humilitatem ex recta intentione quæritis insipienter nihilominus agitis, q, monachis studium litterarum prohibetis. Neq;. n. omnibus datum est cõtemplationi & orationi semper insistere, aut meditationibus continuè vacare. Igitur monachi secũdum regulam cellis inclusi, quo exercitio tempus vtiliter poterunt expendere, quibus interdicitis studio & litteris operã dare? Necesse est eũ, vt cogitationibus vanis & inutilibus defluant, vel certe fabulis intẽti foras sedulo discurrant. Nonne longè melius esset monachũ in cella studiosum & quietum persistere, quam lectione despecta, ocio & detractionibus vacare? Sed nec altis ingeniis innata libertas denegãda est: quoniã cum lectio discentibus interdicitur, tædiũ infirmis generatur. Vos autem, qui excelsa ingenia monachorum sub humilitatis vmbra supprimitis, coarctare vestros ad infima soletis: dum præter quatuor nouissima, & his similia nihil monachis legendum existimatis. Enimuerò, si monachus secularem quempiam auctorem legere cœperit: si carmen vel quodlibet aliud edere tentauerit, quasi iam fidem Christi abnegauerit, exclamatis. Quid iste delirus insanit? num & ipse vult esse poëta? crimẽ est apud nos legisse poëtam, carmen legisse scelus, sacrilegium nouisse Prudentium. Sed dicite mihi qui hoc nomen, Poëta, tãtopere contemnitis, si quid sit poëta scitis? scio quod ignoratis. Quid autem si Deum vocari poetam etiam apud Christianos monstrauero. Ecce sanctissimi Patres, qui græcis litteris fidei symbolum in Nicæna synodo scripserunt? sic dixisse leguntur.

Credimus in vnum Deum patrem, * ποιητην
omnipotentem poëtam cœli & terræ.
Nunc ergò, si malum est esse poetam quare hoc nomen Deo ascribitur? Sed erratis. Poeta honestissimum vocabulum est. Nam ποιητὴς græcè, factor interpretatur latinè. Non ergò omnis poeta mendax, sicut rudes & imperiti fingitis. Fuerunt enim multi sanctissimi viri poetæ, sicut Prudentius, qui pro fide nostra

carmine varia scripsit. Sedulius, Arator, Iuuēcus, Prosper, Auitus, Beda, Rabanus, Adhelmus, & alii complures, quorum apud nos incertus est numerus. O Patres Patres. non sic olim fecerunt in Ordine nostro Abbates, qui se monachos in omni facultate gaudebant habere doctissimos. sic Marcus poëta familiaris discipulus sancti patris nostri Benedicti adhuc in carne viuentis heroico carmine vitam & miracula descripsit. Alios quoque nostri Ordinis monachos, & multos & sanctos hoc loco possem adducere, qui in omni arte litteraria doctissimi claruerunt, philosophi magni, oratores præcipui, astronomi, poëtæ, musici & mathematici præstantissimi. Hos imitari Patres atque doctores monachis laudabile est, & omni virtute laborandum. Neque secularium scriptorum volumina monachis interdicenda sunt: sine quorum ministerio & lectione sacræ scripturæ, sanctorumquè Patrum opuscula nemo facilè intelligit. Eos autem poëtas, qui turpia sectantes libidinem concitant, non monachi tantum, sed etiam Christiani quiquè legere prohibentur. Multi enim ad instructionem nostram bene scripsere Poëtæ. Nam & sanctus Apostolus Epimenidem, Aratum & Menandrum græcorum allegat poëtas; quod etiam multi sanctorum Patrum sine offensione in exemplum traxerunt. In omnibus tamen, quæ agimus, necessarium est, vt intentionem nostram ad debitum finem dirigamus. Dicit enim de intentione Saluator noster in Euangelio. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit.* Monachis igitur secularium libros recta intentione legentibus B. Augustini sententia patrocinium præstat, quæ benè à Philosophis dicta in nostrum vsum tanquam ab iniustis possessoribus vendicāda confirmat. Sed nostri Abbates, & cæteri claustralium rectores, qui monachis studium litterarum interdicunt, mihi veteres doctissimos monachos in exemplum proponenti ita obiiciunt. Si, inquiūt, monachi nostri veteribus illis essent eruditione & sanctitate similes, si in humilitate regulari æquales nequaquā eis studia litterarū interdiceremus. Ad quos ego. Vt monachi vestri fiāt docti, primum necessarium est existant discipuli. Nemo enim facile sine doctore doctus efficitur. Vos autem potius centum auri nummos in balneis & vagis discursibus inutiliter cōsumitis, quam ad conducendum eruditum præceptorem monachis vestris quatuordecim expendatis. Deniq;, si non placet eis præceptorem conducere: permittite saltem vnumquemq; in cella seorsim litteris vacare. Et si monachus studio deditus carmine vel prosa cœperit aliquid quamuis pueriliter componere, noli prohibere, si eum vis quandoque doctum & eruditum euadere. Nemo enim repente fit summus. Amor & exercitium studium perficiunt litterarum.

Matt. 7.

Lib. 2. de doct. Christ. c. 39.

Neque enim doctissimi nostri Ordinis veteres illi monachi vnquam profeciissent ad summa, si minora studia eis fuissent interdicta. Multo tempore ingenium legendo & scribendo exercitandum est in secreto, vt tandem in publicum egredi possit sine periculo. Diu volandi vsum in nido exercent auiculæ, vt natura consuetudine roborata, nulla temeritatis incurrat pericula. Nemo enim doctus & eruditus nascitur: sed omnis scientia literarum vsu & labore acquiritur. Vos itaque Patres, si Ordinem collapsum ad pristinum decorem optatis resurgere, nolite monachis studium bonarum artium inhibere: sed potius eos: qui litteras videntur spernere ad amorem scripturarum verbo & exemplo inducere laborate. Sola .n. scientia scripturarum est, quæ monachos facit in cella quietos consistere: quam, si claustralibus interdicitis, vagos, inquietos, & vanitatis sectatores fieri compellitis. Nam etsi melius sit orationibus deuotis & contemplationibus sanctis omni tēpore insistere: tamen qui ad hoc sint idonei paucos valde possumus inuenire: quoniam exercitium contemplationis non omnibus cōuenit, sicut Dominus per Moysen dicit. *Bestia, quæ tetigerit montem, lapidibus obruatur.* Per bestiam hominem carnalem, & adhuc animalibus passionibus subiectū intelligimus: quem ad montem contemplationis sine periculo non posse ascendere scimus; sancto hoc perhibente Apostolo. *Animalis*, inquit, *homo non percipit ea, quæ sūt spiritus Dei. Stultitia .n. est illi: & non intelligit ea quia spiritaliter examinatur.* Multo igitur tēpore mens studio & lectione scripturarū exercēda est, ne si rudis & passiōib9 carnis agitata sine ductu diuinæ doctri-

Exo. 19. Hebr. 12.

1. Cor. 2.

doctrinæ altum contemplationis montem ascendere tentauerit, ibi incidat fieri periculum, vbi se spiritualis exercitii crediderat inuenisse profectum. Cum ergò vita monastica ad sanctæ cõtemplationis verticem sedulò iubeatur contẽdere: necessarium est monachis adhuc carnalibus prius multo tempore orationibus, & lectionibus scripturarum operam dare: quoniam quisquis rudis & vitiorum passionibus occæcatus sine lumine scripturarum densissimam diuinæ cõtemplationis caliginem ingredi præsumpserit, durissimis lapidibus errorum obrutus non sine grauissimo periculo suæ fidei redibit. Et ob id summus diuinorum contemplator Dionysius Timotheum de mystica Theologia docens prohibet, ne hanc cõtemplandi secretam scientiam ad aures rudium venire permittat. Et in Symbolicis de carnalibus hominibus idem Hierarches ait: Etenim multi animo infirmi & imperfecti grauem absurditatem contrahunt, quando occultæ sapientiæ Patres, per aliqua occtula & euidentia ænigmata elucidant diuinam, & mysticam & inaccessibilem immundis veritatem. Cum ergo scientia scripturarum sinceritati fidei & morum institutioni omninò sit necessaria: quisquis eam monacho interdixerit, & Deo, & Christianæ fidei grauem iniuriã facit. Et hæc de regularis studii omissione iam dicta sufficiant, suis locis & temporibus latius producenda.

VI. Causa SEXTA Vulpes, quæ vineam regularis obseruantię destruit, est monachorum de cœnobio frequens egressus. Quantum istud malum Ordini noceat, nemo vestrũ, ô Patres, ignorat. Enimuero, dum monachus de cœnobio crebrio egredi permittitur, interior deuotio, si quã habuit, dissipatur. Quoniã, sicut pisces extra aquam electus cito moritur: ita monachus extra claustrum multis occasionibus impulsus facilè ad vanitates mũdi reuocatur. Quãto .n. crebrius de monasterio egreditur, tanto minus in interioribus delectatur Quam pernicioſus sit monachis frequẽs de cœnobio discursus, sanctus Pater noster Benedictus optimè nouerat, qui in regula dicebat. *Monasterium, si fieri potest, ita constituatur, vt omnia necessaria intra septa habeantur; ne sit monachis necessitas euagandi foras, quia non expedit animabus eorum.* Vix in cœnobio cõsistentes, earum rerum, quas non videmus tentationes valemus excludere, quid fieret, si nos contingeret & videre & audire? Multos in peccati foueam mundialis præcipitauit occasio, multos præsentia mulierum decepit: non paucos in barathrum apostasiæ instabilitas cordis prostrauit. Et hæc pestis monachos rudes & litterarum contemptores exire de cœnobio frequentius impellere cernitur qui nullo exercitio in cella delectantur. Deniq; inter Abbates nostros vagos cõplures nouimus: q, vt sine suspicione monachorum suorum vagari ad libitum valeant, nunquam euagandi licentiam petentibus negant. Discurrunt sine regula extra cœnobium monachi: mente & corpore efficiuntur vagi: cumq; per consuetudinem in hoc vitio roborati fuerint, iã deinceps regularis disciplinæ iugum despiciunt, Abbatis præceptã cõtumaciter spernunt, statuta Patrum elata præsumptione contemnunt. Ecce, quot vnus ego Abbates nostræ obseruantiæ noui, qui monachos suos sine causa exire de cœnobio non solum prohibent, sed etiã non rogati vltro licentiam indulgent: ad longam distantiam omnes simul piscatum ire præcipiunt: nudos, & ab inuicem separatos discurrere pmittunt. Ad nobilium castra in vicino commorantium properant: verbis & factis secularia tractant: varias & nociuas vanitates aspiciũt: cum mulieribus comedunt & bibunt: suspectæ familiaritatis exordia ponunt. Ad cœnobia monialium, aliquando vnus: nonnunquam duo simul in proximo exeunt: sermones carnales cum carnalibus varios serunt; à spiritualibus admonitionibus incipiunt, & suggerẽte diabolo paulatim in foueam libidinis cadunt. Alter alterius orationibus commendari se flagitat, in memoriam dilectionis mutuæ alter ab altero munuscula reportat: quę quoties posteà conspicit, non sine gemitibus alter videre alterum cupit. Huius periculi exempla infinita possem adducere: nisi me breuitas temporis ad alia compelleret festinare. Curate igitur, Patres; curate monachos vestros in cœnobio stabiles recludere, si regularem introductam obseruãtiam desideratis integrã permanere. Cito peribit religio, si monachorum fuerit intermissa religatio. Monachus enim solitarius vel cultor monasterii dicitur, qui in publico sine noxa vel detrimẽto sui proposi-

Cap. 66.

positi non facilè videtur. Et propheta ait.
Psal. 54. *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Culpa enim nunquam melius vincitur quam vbi occasio tentationis euitatur.

VII. Causa. SEPTIMA clades, quæ obseruantiam regularem funditus destruit, est nimia cupiditas & solicitudo diuitiarum. Hæc maledicta vulpecula multis claustralibus amica Ordinem sanctum ab initio destruxit, deuotionem monachorũ suffocauit: quia, sicut religionis feruor primum abundantiam rerum temporaliũ cœnobiis contulit, sic tandem opulentia custodiam obseruantiæ penitus dissipauit. sed ecce post cõtemptas turpiter in his locis diuitias Ordo noster in certis monasteriis Bursfeldinæ confœderationis refloruit: obseruantiam, quam opulentia dudum expulerat, paupertas reuocauit: & cœnobia, quæ monachorum deformitas rebus necessariis olim spoliauerat, nunc fauẽte Domino regularis obseruantiæ custodia reformat. Crescẽtibus autẽ diuitiis, crescit & affectus habendi. Cernimus iã inter obseruantiales auaros: & q̃ viuere in paupertate Domino promiserant, per fasq; nefasq; diuitias vsurpãt. Et quid ait Pater ille Benedictus in regula? *Ante omnia*, in-
Reg. cap. 2 quit, *ne Abbas salutem animarum sibi commissarũ dissimulans, aut paruipendens plus gerat solicitudinem de rebus transitoriis atq; caducis.* Quid ad hæc dicitis ô vos claustralium auari rectores? Nunquid aurũ custodiendũ vobis Dei filius pastor summus cõmisit? Animas cõmisit, quas proprio sanguine redemit, oues custodiendas tradidit, vos gregis sui pastores cõstituit. Vos autẽ maiorẽ solicitudinẽ geritis p̃ rebus transitoriis, q̃ pro immortalibus animabus vobis cõmissis. Si frater absorptus tristitia pereat, nihil aduertitis: si verò bos aut asinus infirmari cœperit, remediũ cõtinuò paratis. Omni tẽpore cõportandis diuitiis rebus exterioribus vos immergitis, de custodia disciplinæ non curatis: vos rarò monachis vestris in cœnobio cõiungitis: semp ad exteriora properatis: orationes regulares negligentissimè legitis: ad altare rarò accedit is: diuina mysteria sine aliqua deuotione celebratis. Et q̃d multis vtor? Pastores animarũ positi curã earũ negligitis, tentationes infirmorum despicitis, consolationes tristitia laborãtibus nullas exhibetis. Sũma vestra solicitudo est, pecunias colligere, agrũ agro copulare. Et cui tantas diuitias congeritis, qui pauptatem Deo promisistis? Cui thesaurizatis? Ecce vobis decedentibus in locum vestrũ surgent alii, qui priusquam diuitias vestras nouerint vtiliter expendere, continget nihil penitus remanere. Mediocritas rerum optima est: quoniam cum diuitiis non diu pmanebit religio. Dum enim per nimiam, vel solicitudinem, vel affluentiam diuitiarum mens foris extẽditur, intus regularis obseruantiæ integritas dissipatur. Hanc ergo, Patres, vulpem occidite, si vineam cupitis illæsam conseruare.

VIII. Causa. OCTAVVM religionis excidiũ est inutiliũ promotio Prælatorum. Enimuerò, dũ rudis, imperitus, aut vitiosus quisq; rector animarũ cõstituitur, disciplina obseruantiæ regularis in deformitatẽ pessimã reuocatur, quia, sicut cæcus in specula positus futura pericula non conspicit: ita Prælatus inutilis, aut sceleribus deditus nulla subditorũ vitia curabit. Frequenter autem claustrales rectorem moribus suis conuenientẽ instituũt, qui necessaria corporis eis copiosè prouideat, qui districtionem obseruantiæ regularis negligat, qui correctiones delinquentiũ timidè intermittat. Si quempiã zelũ Dei habentem, amatoremq; disciplinæ monasticæ inuenerint, velut tyrannũ fugiẽtes dicũt. Quid nobis & isti? *volumus hunc regnare super nos.* *Luc. 19.* Durus est enim, nullius infirmitati cõpatitur. Vt ergo voluptatibus suis satisfaciãt, remissiores quosq;, & natura pusillanimes ad regimen vocant. Nonnunq̃ verò laxitatũ & remissionum cupidi, senẽ aliquem corpore debilem, animo inertẽ & negligentẽ sibi in Abbatẽ præficiunt: quẽ rarius ad interiora cõuentus posse venire sciũt: vt dũ Rectoris censurã non metuũt, sine cõtradictione cuius quã malè cõuersantes sua desideria cõsequãtur. Alii amatores leuitatis, ac regularis disciplinæ impatiẽtes iuuenẽ annis, vel nup cõuersum, & ob id minus expertum in pastorem eligunt: quem regere potius, quã regi ab eo concupiscunt. Nihil sic nocet obseruantiæ regulari, nihil sic confundit disciplinã monasticam, sicut promotio rudium & inutilium Prælatorum. Cum. n. omnium artiũ difficillima sit regimen animarũ; nõ rudes, non imperiti, non vitiosi, sed eruditi, sed experti, sed deuoti ad hoc officium penitus sunt vocandi. In omnibus rebus discretio est necessaria, sed in gubernãdis hominibus maximè adhibẽda, ne aut zelus

lus rectitudinis sit nimius, aut pernicioſa compaſſione remiſſus. Monachi autem qui ex intentione rectorem inutilem eligunt, illum ad ſua vota cõpellere quærũt. Statim à principio, vt Abbas aliquis iuuenis & inexpertus ad regimen animarũ eligitur, per monachos ſuos libertatis malæ amatores variis modis tẽtatur: quoniã eum, quem nouitium & rudem aſpiciunt, flectere & ſuo ſubmittere imperio cõcupiſcunt. Quẽ, ſi fortè inflexibilem perpẽderint, aut loco tandẽ cedere, aut ſuũ cogentur reuereri Abbatem. Sin autem puerilem, timidum & puſillanimem inuenerint, ſtatim captiuũ ſuis voluntatibus ſubiiciunt, nec vnq̃ liberũ deinceps permittũt. Nihil audebit aggredi ſine eorum conſenſu: non dare, non accipere; nõ deſtituere officiales quoslibet, nõ promouere: non punire delinquentes, non prauos eorũ mores vnico ſaltem verbo corripere. Tot⁹ ordo regiminis peruertitur, omnis diſciplinæ obſeruantia diſſipatur: Abbas non regit, ſed regitur. Sedet in cathedra regiminis preco mutus, in alto ſpeculator cæcus, ſcelera ſuorum, quę augeri quotidie conſpicit, redarguere non præſumit. Sub tali rectore monachi ſine formidine correctionis diſciplinam abiiciunt, peculii venenũ paulatim admittũt, ieiunia regulæ nulla cuſtodiũt, obediẽtiã ſpernunt, clauſtra monaſterii exeuntes die ac nocte per vicos & plateas diſcurrunt. Omnis apud iſtos reformatio perit, priſtina deformitas redit, temporaliũ rerum ſubſtantia vna cum regulari obſeruantia penitus deficit. Deinde negligens rector iſte fata ſubiens moritur: ex monachis illis, qui omnes deſtructi ſunt, alius in Abbatem eligitur: deformitas vitæ dudũ introducta quotidie augetur. Iã deinceps omnis obſeruantia regularis diſciplinæ à monachis deſpicitur, regula non curatur, conſtitutio Patrum cõtemnitur. Omnia iſta mala ex inutilium Prælatorum inſtitutione proueniunt, qui rudes, imperiti & negligentes ad tantum magiſterium accedunt. Credo, iam Patres intelligitis, quẽ admodũ hanc perniciosiſſimam vulpẽ cauere debeatis. Curate igitur, & ſumma diligentia ſatagite, vt is, qui ad regimẽ monachorum eligitur, ſciẽtia & moribus ſanctis illuſtretur. Quòd ſi operam veſtrã huic tã neceſſario negotio ſubtraxeritis, obſeruantiã noſtrã breui tempore deſtructam omninò cognoſcetis. Oportet enim paſtorem animarum irreprehenſibilem eſſe, ſicut ſãctus docet Apoſtolus: quoniã cuius vita in exemplum aliis proponitur, neceſſe eſt vt præ cæteris ſanctis moribus adornetur. Nam ſi conuerſatio Rectoris vitioſa fuerit, eius in ſubditis auctoritas vileſcit. Ad curã itaq; paſtoralẽ vir bonus & irreprehenſibilis eligendus eſt, qui doctrina & eruditione monachos docere nouerit; cuius vitã virtutibus ornatã nemo reprehendere poſſit. Sed quando, vel vbi tales ad regimen animarũ tã idoneos inuenire poterimus? Rara eſt in monachis ſanctitatis cõtentio, rara eruditionis litterarũ ſolicitudo: & propterea paucorũ ad regimen animarum diſpoſitio conueniens inuenitur. Et huius pernicioſæ vulpis nocẽdi vis à prima & ſecũda fortitudinẽ accipit: quia dũ perſonas inutiles ad ordinem ſuſcipientes negligenter nouitios inſtituimus, idoneos ad animarum regimen paucos inuenimus. Hanc itaq; vulpẽ vineam noſtram penitus deſtruentẽ nunq̃ exterminare poteritis, niſi & illas occidatis. Et qdem inter omnes alias iſta potentior & crudelior eſt: quia culpæ paſtoris ſemper adſcribitur, quicquid in ouibus lacerũ inuenitur. Enimuerò, ſicut boni clauſtraliũ rectores regularis obſeruantiæ integritatem cuſtodiunt: ita mali & reprobi omnem honeſtatem totius diſciplinæ monaſticæ, & negligẽdo, & malè viuendo penitus extinguunt. Cũ ergò totius religionis optimus ſtatus in Prælatorũ vigilantia poſitus ſit, ſummopere curãdum eſt, ne ad hoc officium tam arduum rudibus & inutilibus acceſſus pateat, quod ſolos idoneos expectat.

1. Tim. 3.

NON A beſtia vineam regularis obſeruantiæ deuaſtans, eſt debitæ correctionis omiſſio. Homines enim fragiles cũ ſimus in multis quotidie offendimus: & ſi nobis correctionis diligentia ſubtrahitur, delinquendi audacia generatur. Ad hoc rectores conſtituuntur in Eccleſia, vt ſubiectos ſibi homines in ſancta pace cuſtodiant, peccantes, & pacem turbantes communem ſecundum ſanctiones canonicas arguant, ignorantes viam Dei caritatiue inſtruant, iacentes infirmos erigant, iam bene currentes ſemper ad meliora promoueant. Quicunque Prælatus in Eccleſia Dei vnum iſtorum omiſerit, non paſtorem Dominici gre-

IX. Cauſa.

gis, sed potius idolum se ostendit. Et ô quam multi hodie inueniuntur pastores animarum positi, qui mores subditorum malos & reprobos emendare negligunt, corrigere delinquentes ex quadam pusillanimitate non præsumunt: quia cũ sint timidi & inertes, animi turbationes metuunt, & sic se cum subditis perdunt. Ex his nonnulli sceleribus dediti culpas delinquentium subditorum silentio transeunt: qui cum se reos in similibus vel maioribus aspiciunt, arguere alios, ne redarguantur ab illis, pertimescunt. Alii pusillanimes plus timent subditos, quam ab illis timeantur: qui si quempiam traditiones Patrum etiam enormiter transgredientem viderint, pernitiosè dissimulant, & quod grauius est, scelera quandoque suorum excusant. Sunt etiam inter Prælatos claustralium, qui disciplinam regularem in semetipsis diligenter custodiunt: quam tamen in subditis ex infirmitate animi non attendunt. Sibi sufficere ad salutem existimant, si irreprehensibiliter viuant; delinquentium culpas non emendant; de salute sibi commissorum, aut nihil, aut parũ curant. Sed hi tales grauiter errant, in Deum grauissimè peccant: quoniam sancta conuersatio in rectore non sufficit, si correctionis delinquentium continua diligentia desit. Nam, vbi pastor studium correctionis deserit, subditis peccandi licentiam concedit. Totius enim obseruantiæ regularis custodia in quotidianæ correctionis instantia consistit: quæ si diutius intermittitur, difficilius reparatur. Sunt nonnulli claustralium desidiosi pastores, qui ad examen culparum rarius properant, emendari per suos vicarios omnia putant: & quam inordinate monachi conuersentur in interioribus, ignorant. Ex his nonnulli tandem consideratione publicæ honestatis compuncti subire correctionis onus statuunt, ad locum examinis crebrius accedunt, delinquentes subditos iuxta traditiones Patrum audacter corripiunt. Sed monachi præsumpta licentia peccandi iam assueti contra nouam diligentiam pastoris grauiter plerumq; murmurant: in eius oppositum prauas consuetudines allegant, quatenus zelum rectitudinis, quem commotum in vitiosos mores considerant, importunis narrationibus à propositio frangant. Quisquis igitur in pastorem animarum electus, disciplinæ regularis obseruantiam continuare desiderat, correctionis studium nunquam intermittat: quod si semel negligere cœperit, difficulter ad primam institutionem reformabit. Nihil enim tam difficile, quam monachos mala consuetudine deprauatos ad obedientiam posse reuocare. Sed ô quam multi sunt hodie claustralium rectores, qui disciplinam monasticam, nec apud semetipsos custodiunt, nec eam in subditis requirunt. Nomen pastoris obtinent sine opere: claustrales sunt sine religione: monachi sine veritate. Subditis ad vota permittunt, quæcunq; desiderant: prauos mores delinquentium non emendant, aliorum peccata libenter dissimulant: quippe qui grauioribus inuoluti redargui à subditis reformidant. Quid ô pastores infelices, immo non pastores, sed lupi rapaces, quid summo pastori respondebitis, qui oues illius vobis commissas non custoditis? Qui vitia corrigere monachorum positi estis, vitia grauiora cõmittitis: & qui subditos vestros verbo & exemplo deberetis eleuare ad cælum, malèc onuersando eos præceditis ad infernum.

Quomodo ergò tandem apparebitis in conspectu districti iudicis, q oues, quas suo pretioso sanguine redemit, tam nequiter trucidatis? Animas monachorum, quas vobis commisit saluandas, prauo exemplo, & culpas delinquentium dissimulando interficitis, & ipsum ouile, quantum in vobis est, dissipantes, in speluncam latronum turpiter commutastis. Igitur, ô Patres, quicunque in vobis timent Dominum, lamentum assumite, desolationem hæreditatis iustorum, deplorate: quoniam, etsi nomine multos iam claustrales in mundo conspicimus, paucos tamen, qui ad puritatem conuersantur monasticam, hodie videmus. Omnes, quæ sua sunt, quærunt: pauci ad lucrandas animas subditorum attendunt: correctionis studium pastores vt plurimum intermittunt. Serpunt vbiq; scelera: rectores subditis committunt similia: qui corrigant vitia desunt: soli qui corrigantur occurrunt. Abbates & rectores claustralium vitiis & sceleribus dediti peccata subditorum dissimulant: de salute animarum, aut modicum, aut penitus nihil curant.

curant. Auaritiam sectantur pro fœnore: temporalia versant in cogitatione: actione immemores voti reuertũtur ad seculũ: contemptis spiritualibus amatores & cultores se exhibent vanitatum. O sancta regularis disciplinæ conseruatrix, morum correctio, quomodo apud omnes homines hodie contempta iaces? Omnibus necessaria cum sis, ad paucos tibi patet accessus: quoniam complures inueniuntur iudices, sed rari sunt sine crimine iudicantes. Cum monachis delinquentibus Abbates dissimulant: peccantes prælatos subditi palpant: & dum reus à reo defenditur, nullus emendatur. Superior inferiori correctionis diligentiam subtrahit: delinquentem monachum Abbas emendare contemnit: Abbatem, quamuis enormiter peccantem auctoritas Capituli non corripit: Pontifex Capitulum non attendit: & sic dum nulla in subditis exercetur correctio, totius regiminis ordo confunditur. Vos itaq; patres correctionis studium subditis vestris secundum regulam semper impendite; prauos mores & in vobis & in illis emendate: quoniam si hæc sedulitas intermissa fuerit, totius obseruantiæ integritas quantocyus expirabit. Sola enim correctionis diligentia est: quæ conseruat in ordine disciplinam,

X. Causa. DECIMA vulpes, quæ obseruantiæ regulari graue adducit naufragium, est negligens & inconsulta visitatio monachorum. Huius quidem officii sancta & prorsus necessaria institutio, si personis idoneis commissa fuerit, ordinem in obseruantia disciplinæ conseruabit. Dum verò inexpertis & desidiosis committitur, concordia vnitatis monasticæ dissipatur. Qualis autem debeat esse Visitator monachorum, statuta vestra, ô Patres, indicant: quæ hoc officium committi rudibus & imperitis vetant, Oportet enim Visitatorem doctum esse in lege diuina, vt nouerit inter bonum & malum prudenter discernere, & singulis quibusq; morbis congruentem medicinam adhibere. Sit in sancta conuersatione præcipuus: sit zelo rectitudinis omni tempore inflammatus: sit consilio cautus: sit eloquio maturus: sit iudicio discretus. Sit mansuetus, non crudelis: misericors, non seuerus, bonis per humilitatem se socium exhibeat: proteruis & inobedientibus zelum rectitudinis ostendat. Reformationem à se primum, & suis incipiat, & sic demum ad reformandum alios procedat.

Nam qui monachos suos ad obseruantiam disciplinæ compellere negligit, alios quando reformabit? Sed ecce, Patres, ad officium Visitationis, quod viri prudentissimi subire metuunt: hodie rudes & inexperti per vos electi accedunt: quibus cum emendandi alios potestatem committitis, quid aliud, quàm infirmum ægroto commendatis? Enimuerò corrigere & emendare vitia Prælatorum non est puerile officium: & ideò non iuuenibus imperitis, sed senibus maturis, & longa experientia doctis fuerat commendandum. Monachi, vt plurimum, hodie visitatores suos despiciunt, statuta & exhortationes eorum contemnunt: quia, dum eos vel rudes, vel adhuc vitiis deditos proprios subditos emendare non posse considerant, illis derisis in suis vanitatibus perseuerant.

Et hunc monachorum contemptum imperitia, ne dicam, stultitia visitatorum nonnunquam meritò patitur: quoniam qui pacem & concordiam inter pastorem & oues reformare debuerant, per suam imprudentiam pacis fœdera perturbant. Iam subditos in odium Prælatorum concitant: nunc Abbates ad displicentiam monachorum inflammãt: & dum vtrobiq; discordiam seminant, sanctum officium in actum diabolicum nequiter commutant.

Quid facitis ô cæci duces, imò interfectores cæcorum? cur æquitatis officium in ministerium vertitis impietatis? Semper maiores turbationes post visitationem relinquitis, quam antea inuenistis. Quare hoc? Rudes & imperiti, sed & superbi cum sitis necessitates pauperum monachorum spernitis: audire conditiones personarum, & intelligere despicitis: emendare vitia non curatis. Corrigendi auctoritatẽ à Capitulo suscipitis; modũ non habetis: quoniã culpas delinquentium aut indiscretè percutitis, aut penitus negligendo pertransitis. Impera- *2. Tim. 4.* re semp, & ex auctoritate præcipere sole- *2. Cor. 5.* tis pauperibus: obsecrare autẽ, iuxta sententiã Apostoli, nunquã didicistis. Variis modis monachos ad dicendũ infirmiora

per-

perſonarum compellitis: ſed audita pœnes vos occulta ſeruare contemnitis, dum reuertentes ad propria omnia veſtris palam reſeratis. Quod ſi hoc crimen negare volueritis, tot ego teſtes poſſum in accuſationem veſtri producere, quot monaſteria vos contigit viſitaſſe. Cernitis, optimi Patres, quem tandem ſit allatura finem quorundam imperitorum Abbatum præſumptio, quorum viſitationes religionem non ædificant, ſed deſtruunt, pacem & caritatem non augent: ſed confundunt. Hinc confidentia inter monachos viſitatoribus plærunq; ſubtrahitur, fides denegatur: quia, dum ipſi viſitatores culpas delinquentium in aures exterorũ licenter efferunt, quam infideles ſint, palam omnibus oſtendunt. Curioſitas ſola eos vitam & mores aliorum facit inquirere, & ideò nequeunt tacere. Culpas viſitandorum exquirant, vt ſciant, non etiam vt corrigant: quaſi hoc ſit debitæ viſitationis officium, negligentias aliorũ ſecretas omnibus facere publicas, & de remedio nullo pœnitus prouidere. Sic monachis dicẽdi audacia intercluditur: contra Viſitatores grauis indignatio Prælatorum clauſtralium generatur: quia dum infidelitatem eorum conſpiciunt, eis credere decetero contemnunt. Alii verò negligentes & deſidioſi viſitationis officium ſine zelo rectitudinis negligenter perficiunt, quicquid eis dicitur, contemnunt: delinquentes, ſi poſſunt iuſtificant: recedere infecto negotio feſtinant. Nulla eis cura eſt diſciplinæ regularis, zelus rectitudinis nullus, nulla pœnitus diligentia correctionis apud eos aſpicitur. Quicquid enim correctione dignum apud alios inueniunt, peramplius in propriis ſubditis incorrectum dimiſerunt. O Patres, Patres, qui rudes, inertes, & imperitos ad officium viſitandi eligitis, quid tandem futurũ in Ordine ſperatis? Cernite & noſtrũ, & plerosq; alios in circuitu ordines, quemadmodum ab obſeruantia regulari deficiunt, traditiones ſanctorum Patrum contemnunt: quia dum viſitatores infirmos & vitiis deditos cogũtur ſuſcipere, nullam de ſua ægritudine conſolationem poterunt inuenire. Deridentur hodie paſtores à ſubditis: à monachis officium viſitationis non ſine cauſa deſpicitur; quoniã, qui vitia aliorum zelo rectitudinis iubentur corrigere, maioribus culpis cernuntur vt plurimum ſubiacere. Et hæc omnia viſitatorum quotidiana, vt ita dixerim, vitia, non modo noſtrã religionem cõmaculant: ſed & alios plerosq; ordines nõ minore calamitate huius vulpis inſidiæ perturbant. Vos igitur, ô Patres, veſtra curantes ad officium viſitationis optimos quosq; viros ex vobis eligite, quos zelus diſciplinæ vtiles faciat, experientia diſcretos & cautos exhibeat, ſancta conuerſatio venerabiles oſtendat. Niſi enim ad hanc curam meliores aſſumpſeritis, graue detrimentum regularis obſeruantiæ in breui ſentietis. Non omnium eſt zelus diſciplinæ, nec viſitatoribus quibuslibet ſemper ineſt emendatrix vitiorum diſcretio. Enimuerò ſicut remiſſa correptio infirmos diſſoluit, ita indiſcreta proclamatio fortiſſimos frangit. Sed hæc vobis diſcernenda relinquimus, qui & ſcientiam & zelũ Ordinis habetis.

XI. VNDECIMA peſtis, quæ regularem obſeruantiam noſtram tandem pœnitus deſolabit, eſt reformationis noſtræ nimia & inconſiderata extenſio. Quid vobis hæc multiplicatio tandem paritura ſit, facilè aduertitis, ſi reformationum præcedentium interitum conſideretis. Nam, ſicut extenuatur à ſua fortitudine ferrũ, dum nimium extenditur, ſic obſeruantia veſtra, Patres, nimium dilatata tabeſcit, & paulatim confunditur. Dum enim ſtare in ſuo vigore vnitas ſancta non poterit, quam multitudo nimia confundit. Multiplicatis gentem, ſed non magnificatis lætitiam: quia, dum ad congregationem veſtram quoslibet indifferenter admittitis, numerum ſine merito augetis. Non ſic oportebat agere. Patres; multa & matura deliberatione opus eſt; priusquã ad Capitulũ veſtrum nouiter aliquis reformatus debeat admitti. Non ſatis eſt, ſi quiſpiã reformationi ſe veſtræ velit ſubiicere: oportet etiam conditiones hominum & patriæ mores conſiderare: quoniam nõ omnis terra fructificat, ſed ſterilis quandoq; multa perſeuerat. Credo vos, quid velim, intelligere. Neq; enim iam dudum aſſumptos ad vnionem veſtram verbis intendo pereutere: quanquam nouerim non omnium mores noſtræ obſeruantiæ conuenire. Dico tamen in genere, quod me verecundia prohibet in ſpecie proferre. Non omnes prouinciæ terrarum noſtræ obſeruantiæ conueniunt: *Iſa. 9.*

non

denſes dicuntur, ad regulam viuunt, Habet vnaquæque gens mores ſuos, nec omnium eſt, inter barbaros non barbarè viuere. Ecce complures ſub congregationis veſtræ titulo hodie reformatos cernimus: nec tamen omnes viuere ad obſeruantiæ puritatem ſcimus. Enimuerò nonnulli, & loco & conuerſatione longè diſtant à Burſfeldia, qui de illius obſeruantia gloriantur. Carnibus publicè veſcuntur in itinere: nec dubium, quin ſæpius in monaſteriis occultè. Si ab Epiſcopo vel Principe fuerint euocati ad prandium, carnes coram illis quaſi licenter deuorant, & quos ædificare abſtinendo debuerant, comedendo ſcandalizant. Deniq; committunt & alia grauiora, & quæ apud nos habentur ſcelera maxima, illis in conſuetudinem ſumpta, minima videntur. Non ſic olim agebatur cum reformatione veſtra, Patres, cum numero eſſetis pauciores: quando ad regulæ puritatem viuebant omnes, quando decreta ſanctorum Patrum ſeruabant vniuerſi. Si obſeruantia noſtra regularis in breui temporis ſpacio tantum deficere potuit, quid putamus tandem de nobis erit? Dicam, quod ſentio, & quod verum mihi videtur non tacebo. Reformatio noſtra in ſupremo gradu proficiendi fuit; iam quoque apud multos in parte cecidit, & à feruore ſuo priſtino, vt plurimum, defecit. Quod ſi quis illud Agamemnonis in Calchantem apud Homerum mibi obiecerit, *Vates malorum nunquam mihi vtile dixiſti*, ad poſteritatem prouoco, ſententiam illi ferendam committo, quam viſuram intra pauca luſtra calamitatem religionis maiorem non dubito. Sic olim Cluniacenſis omnium Ordinis noſtri famoſiſſima reformatio nimia ſui dilatione periit, & magna ex parte iam defecit. Nam etſi in Gallia ſub eius vocabulo adhuc plura cœnobia manere conſpicimus: defeciſſe tamen à prima inſtitutione pœne omnia videmus. Nobis, ô Patres, aliquando contingent ſimilia, qui paucitate non videmur eſſe contenti: ſed congregationem reformationis noſtræ quãuis Principum mandatis compulſi nimium dilatemus. Sufficiant vobis illa, quæ dudum admiſiſtis, cœnobia, non quæratis amplius admittenda, ne tandem amittatis etiam acquiſita. Non vos terreant præcepta Principum: promiſſa non moueant Epiſcoporum: probate ſpiritus, ſi ex DEO ſint, ne vobis contingant denuo, quæ nuper contigerunt. Non omnium, qui reformationem noſtram exquirunt, eſt ſincera & Deo probata intentio: multi, quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ IESV Chriſti. Vindictæ genus aliquoties eſt, reformationem aſſumere, dum ſe vel Abbas in monachis vindicare nititur, vel Princeps, aut Epiſcopus infenſum ſibi Abbatem hac occaſione pellere de cœnobio meditatur. Sed de omnibus his non opus eſt multa dicere: quæ vos quotidianis periculis edocti ſine ambiguitate notiſſima tenetis. Quantum ergò fieri poteſt, vosmetipſos contrahite, in paucis contenti humiliter ambulate, quoniam congregatio reformationis noſtræ non diu poterit ſubſiſtere, ſi eam contigerit nimium dilatari.

Hom. Ilia. ad. a.

DVODECIMA vulpes, quæ regularis obſeruantiæ integritatem corrumpit, & deſtruit, eſt malitia temporum, & ſemper hominum cæca prorſus ambitio. Et hanc peſtem, niſi orationibus continuis ad Deum, nemo poteſt auertere. Ecce nunc omnes ordines rebus temporalibus ſuffulti in ruinam poſiti ſunt, & in ſignum contradictionis in populo, quando iam monaſteriis nemo aliquid amplius conferre cernitur, ſed collata dudum ab aliis in rapinam tranſeuntium conſpicimus nunc penitus eſſe expoſita. Nemo iam antiquæ religionis monaſteria conſtruit, nemo cœnobia monachorum gratis defendit, publicè in rapinam ſubſtantia monachorũ exponitur, monaſteria ad deuorandũ lupis committuntur. Abierunt tẽpora conſtruendi, deſtruendi tempus, quod eſt conſtructum, reuertitur. Pietas ſacratiſſimorũ Principũ abiit, amor monaſticę diſciplinę receſſit, Chriſtianæ religionis obſeruantia defecit. Ecce quot monaſteria noſtri Ordinis iã ſub vno ſydere perdidimus, qui Chriſtiani inter Chriſtianos habitamus. Nihil in tuto eſt poſitum, omnia inſidiis patent, nõ eſt, qui velit conferre auxiliũ. Sapientes tacent, quoniam dies mali ſunt: veritas obnoxia periculo, prh pudor, palam proſcribitur. O bone IESV ad quantam

XII. Caulſa.

calamitatem & miseriam Ecclesiæ status deducitur, quoniam à planta pedis vsq; ad verticem capitis non est sanitas in filiis hominum. Omnibus ergo in Christo piè viuere volentibus patientia & fortitudine opus est: quoniam etsi tentationes huius temporis sint arduæ, magnis tamen præmiis sunt remunerandæ. Et nos, optimi Patres, prudentia non minus necessaria, quam vtilis est, vt in his malis diebus nostram cum patientia operemur salutem: in quibus nihil melius, quam fugere & latere, sicut scriptum est. *Bonum est viro, cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua: sedebit solitarius & tacebit, quia leuabit se super se.* O quam bonum est homini Deum timenti sedere in solitudine vitæ claustralis & tacere; nullamq; de rebus mundanis solicitudinem gerere, sed super custodiam suam vigilando nulla præsentis temporis aduersa metuere, & animum sedulò ad futura præmia eleuare. Væ autem prælatis claustralium mundanis atq; carnalibus: qui semetipsos malè viuendo negligunt, qui animas monachorum sibi commissas non pascunt, qui obseruantiæ nostræ omnia mala, quæ prædiximus, inducunt. Videte conuersationes inutiliũ personarum, quemadmodum omnem obseruantiam destruunt: videte monachos malè institutos, quomodo disciplinam omnem penitus contemnunt. Ecce nunc studium regulare quondã celeberrimum monachis intermittitur, per Simoniam puritas religionis apud complures maculatur, vagandi monachis foras sine causa licentia conceditur, in auaritiam pietas commutatur, ad regimen animarum vocantur inutiles, non emendantur secundum regulam delinquentes, Prælatos etiam enormiter peccantes nemo corrigit, res monachorum DEO semel consecratas humana cupiditas inuadit. Hæ sunt vulpes nostram deuastantes vineam, quas, nisi capere, & prorsus interimere pro viribus curaueritis, grauiora damna in Ordine breui sentietis. Ego vobis ô Patres, quantum licuit, morbi causas curaui ostendere; vestrum iam est de remedio prouidere, & obseruantiam religionis nostræ, & in vobis, & in aliis custodire.

Thren. 3.

FINIS.

ORATIO SEXTA,

DE OPERATIONE DIVINI AMORIS HABITA

ERPHORDIÆ IN CAPITVLO ANNALI. VI. KALENDAS SEPTEMBRIS, ANNO Domini M. CCCC. XCVII.

Si mihi sine obedientię iniuria liceret (præstantissimi Patres) hoc dicendi officium subterfugere: conarer me coram vobis, & multis verbis, & variis modis excusare: nec tam arduum loquendi munus inter doctos virosimperitus assumerem, si illud sine peccato declinare potuissem. Docere enim longè doctiores nec possum nec debeo: dicere de interna conuersatione spiritus apud deuotissimos homines, carnalis erubesco.

besco. Cum verò sim homo sub potestate constitutus, mandatum vestrum compellor assumere: & non quid possim, sed quid debeam potius cogitare. Me loqui auctoritas vestra præcipit: sed mea infirmitas mihi silentium indicit. Vincat tamen oportet maiorum auctoritas: quatenus obedientis roboretur infirmitas. Confido enim & Deo & sanctis orationibus vestris: quoniam vires, quas mihi mea imperitia dicturo subtrahit, humilis obedientia ministrabit. Vos itaq; Patres mihi precibus vestris apud misericordem Deum succurrite: eius clementiam pro donis gratiæ impetrandis humiliter postulate: conuersiq; ex more ad reuerẽdissimam pietatis arcam, Dei genitricẽ, *Aue Maria*, mecum dicite. *Aue Maria*.

Cum mihi hactenus amantissimi patres de morum institutione ad hunc cœtum Synodalem frequens fuerit tractatus: congruum tandem & non minus honestum quã vtile visum est, de amore Dei breuiter aliquid dicere: ad quẽ se omnis institutio regularis velut ad suum finem vltimũ debet ordinare. Quicquid enim boni, quicquid sancti, quicquid iusti à nobis in sancta conuersatione agitur: totum ad amorem diuinum, tanquam ad centrum suum quietissimum merito refertur. Hoc inflammati desiderio mundum reliquimus: hac spe monasticam solitudinem ingressi sumus: quatenus liberi & absoluti ab omnibus curis seculi, sine impedimento rerum temporalium, contemplationi vacemus amoris Dei. O vos felices, qui contemptis transitoriis omnibus, oculos mentis vestræ in hunc finem iugiter erigitis: qui vobismetipsis vniti omnẽ multitudinem animum ab illo summo vno rerum omnium principio distrahentem, fugitis: qui Deo incommutabili & penitus ineffabili bono per internum amorẽ dulciter adhæretis. Nã etsi nondũ suauitatẽ illam supernæ felicitatis perfectè in via constituti potestis suscipere: datur tamen vobis per incendium amoris de illa quædam arcana & ineffabilia mentaliter gustare. Enimuerò summum illud incõmutabile bonum, q; Deum appellamus, cum sit simplex & vnum rerum omnium principium, animi nostri simplicitatem naturali bonitate diligit: multitudinẽ sibi oppositã refugit: vnum vnitas requirit. Nam quanto se animus p potentias suas in plura diuiserit: tanto longius ab vnitate sui principii recedit, nec potest se per affectum ad vnitatis amorem sustollere, nisi prius se apud se in vnitate sua nouerit cõtinere. Summum namq; bonum Deus est vnum: cui animus noster in semetipso diuisus adhærere per dulcedinem amoris nequaquam permittitur: nisi sibimetipsi in se & suæ potentiæ effectibus prius vniatur. Amor verus & integer non potest esse diuisus: neq; affectio ipsa vocabulum amoris meretur accipere, quæ se amplius quam vni simul & semel nititur mancipare. Deus enim aut solus diligitur: aut non solus perfecte non amatur. Si Deum veraciter diligis: præter ipsum omnia cõtemnis. Si aliquid pręter ipsum in amoris domicilium admiseris, integritatem diuini amoris frangis. Quemadmodum enim iuuencula viro despõsata si alium quempiam amauerit, sponsum suum non veraciter amare conuincitur: ita & anima, si quippiam præter Deum suum amare cæperit, velut adultera condemnatur. Denique, sicut visus noster duo distantia à se inuicem obiecta simul & semel videndo nõ clare potest discernere: ita nec oculus mentis creatorem suum, & res creatas ab ipso distrahentes simul poterit per amoris intuitũ videre. Creator à creatura sua rationali solus vult diligi: cum socio non poterit amari. Cum enim se pręcipit ex toto corde, tota virtute, & omnibus viribus diligi: nullũ locum amori cuiusquam alterius vult concedi. Nam dum ex toto corde poluit: nihil penitus mancipãdum alteri reliquit. Vnde & p sapientem alibi dicit. *Fili præbe mihi cor tuum*. O bone Deus quid tibi & cordi meo? Quare cor meum à me postulas, qui nullum ex me commodum reportas? Tu enim semper es quod esse potes: nec tibi amor meus aliquid potest adiungere, nec auersio mentis aliquid auferre. Sed tamen perstas, pulsas & dicis. *Fili præbe mihi cor tuũ*: quoniã *vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit*. Ego thesaurus sum animæ: ego dilectio, ego amor, ego finis, ego principium. Fili da mihi cor tuum: quoniam omne desiderium, quod in me solo non figitur, mutabilitati & æternis miseriis obnoxium habetur.

Deus solus diligendus.

Matt. 22

Prou. 23.

Matt. 6.

Da mihi cor tuũ: quatenus illud amor meus totum possideat: alium præter me nullum penitus admittat. Ecce sto ad ostium cordis tui, & pulso: quare mihi non

aperis? Sponsus sum tuus, ô fidelis anima qui te in manu valida de tyrannica potestate eripui: mihiq; proprio sanguine in amicam copulaui. Ego flos campi & lilium conuallium: qui vt te mihi sponsam electam potuissem assumere, mortem volui subire. Tu enim per transgressionem parentum tuorum polluta cum adulteris portionem tuam posuisti: me ducem pubertatis tuæ contempsisti: impium virginitatis tuæ corruptorem diabolum exactorem durissimum habuisti. Ego verò misertus tui, velut gigas ad currendum viam, carne præcinctus humana, in medium me contuli: bellum contra tyrannum pugnaturus assumpsi: sanguinem pro te meum simul & animam effudi: hostem moriens in crucis patibulo superaui. Ego tuo nimio victus amore, vt longius aberrantem te ad patriæ cælestis amœnitatem reducerem, carnem ex virgine humanam indui: visibilis & passibilis in terra hominibus apparui: multis laboribus pro salute tua me subdidi: tenerum corpus meum durissimè flagellandum dedi, spinis coronari, conspui, alapis cedi, contumeliis & irrisionibus volui affici: crucem meam in humeris meis semimortuus portaui, manibus & pedibus ad lignum terribiliter affixus steti. O quis angustiam innocentissimi cordis mei, quam pro te sustinui in illa hora posset eloqui? quando plenus vulneribus medius inter duos latrones crucifixus tot insultantis populi voces horribiles audiui? Et licet dolor cordis mei me inæstimabiliter affligeret: omnia tamen pro tuo amore libenter sustinui: quatenus te de potestate antiqui hostis eriperem, mihiq; in sponsam perpetuo copularem.

Ecce charissima mea, quali te precio redemi: qui pro te mori morte turpissima non dubitaui. Quid, ô dulcis amica, quid amatori tuo retribuis: quidnè rependis? Aurum & argentum non postulat: pretiosos lapides non curat: fidem & charitatem a te pro his omnibus exigit: amoris tui domicilium concupiscit. Da igitur saluatori tuo cordis tui habitaculum: qui tibi in suo sacratissimo sanguine aperuit cælum. Aperi illi castum mentis tuæ thalamum: vt tibi conferat dulcissimi amoris sui secretum. Vacuus enim Dominus Iesus nusquam progreditur: quem ineffabilia gratiæ suæ dona comitantur. Et quamuis multa & varia sint, quæ secũ affert Iesus rex cæli munuscula, omnia tamen sunt valde precioſa: ex quibus vnum est preciosissimũ, solo humano corde ab eo comparandum. Quid est illud? Ipse idem est, qui in sancto Euangelio dixit. *Ignem veni mittere in terram: & quid volo nisi vt ardeat?* Maximum & præcipuum donum Iesu est amor: qui quidem sanctis & fugientibus seculi vanitates infunditur: peccatoribus & carnaliter sapientibus denegatur. Hoc secretissimum donum diuini amoris nemo intelligit: qui illud prius in occulto non accepit. Enimuero Iesus speciosus forma præ filiis hominum semper præsto est se amantibus: occurrit, suam passionem intentè meditantibus simplices & rectos animo diligit: curiosos mundi amatores in amoris sui dulcedinẽ non admittit. *Luc. 12.*

Felices ergò illos merito dixerim, qui contemptis mundi negotiis & curis, latere in cœnobiis apud se in tranquillitate puri & simplicis animi desiderant: q; præter solum Deum nihil in hoc mundo penitus amant: qui vanos honores & fallacem mundi prosperitatem despiciunt: q; radicati in diuino amore nulla huius temporis aduersa pertimescunt. Dei etenim amor nihil præter ipsum Deum in hac vita diligit: nihil pertimescit. Amanti Deus ad omnia sufficit: extra ipsũ nihil animus requirit. Anima quæ dominum Iesum super omnia veraciter diligit, libenter apud semetipsam in secreto solitaria consistit. Interne dulcedinis amator cum suo amãtissimo Domino in secreto verba ardentis amoris loquitur: solus cum solo manere delectatur. Sedet in secreto solitarius, non ociosus: quoniam amor qui ad se omnes vires animi colligit: ociosum esse amantem nullatenus permittit. Veraciter enim dixit maior inter magnos ille Dei amator Gregorius.

Amor Dei nunquam est ociosus. Operatur enim magna: & Deum non amantibus prorsus incredibilia. Et quid operatur in homine mortali: amor immortalis? Magna inquam, & carnalibus non proferenda hominibus, amor Dei cordi humano operatur infusus: quam operationẽ nullus percipit non expertus. Heu mihi, quoniam si solis expertis in amore Dei loqui de hac operatione competit: mea mihi tepi- *Amor Dei quã mira operetur. Greg. hõ. 30. in Euang.*

tepiditas silentium imponit. Sed quia semel cœpi, loquar de amoris operatione, non quæ in memetipso expertus didici: sed potius quæ ab expertis & deuotis hominibus accepi. Veruntamen secretiora quæque diuini amoris non sunt proferenda in publicum: cum ea solus ille possit intelligere, quem amoris illustratio ipsa longo fecit exercitio peritum. Incognita ergo mihi mystica spectacula debito honorans silentio, nota passim omnibus prosequar: vt qui penitiora illa non possum assequi, saltem manifestiora studeam pro viribus imitari.

Et primo contritionem perfectam. 1. Pet. 4.

Et primo quidem Dei amor, cum fuerit in homine, contritionem operatur mirabilem: & pœnitentiam pro peccatis mirabiliter efficacem. Dicit enim amator Iesu Petrus archiapostolus. *Caritas operit multitudinẽ peccatorum.* Amor Dei est ignis consumens, quem Iesus amantissimus animarum sponsus misit in terram: sancto

Rom. 5.

protestante Apostolo. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctũ qui datus est nobis.* Quemadmodũ ignis iste materialis humiditatem sibi cõsumit oppositam si copiosior incendio fuerit: sic amor Dei quanto in corde hominis amplius creuerit, tanto citius peccati paleam cõsumit. Amor, peccatorũ certa remissio est: quoniã, sicut auersio animi à Deo peccatum mortiferum efficit: ita conuersio mentis ad Deum veniam concedit. Nam quid aliud facit in homine remissio sceleris: nisi quod animum reformat ad incendium amoris? Quotiescunque enim pœnitenti per Dei misericordiam culpa remittitur: violatus amor inter Deum & animam reformatur. Cum ergo diuinus amor homini conceditur, sine dubio peccata remittũtur. Amor si quidem Dei & peccatum, sibi penitus sunt oppositа: quoniam, sicut nihil & aliquid simul esse nequeunt, sic peccatum & amor in vno corde simul esse minimè possunt. Si. n. peccatũ affuerit, confestim amor recedit. Peccatum namq; diuini amoris priuatio est. Quod

Amor Dei non potest esse cum peccato mortali.

si amor ipse Dei in anima hominis stabilis permanserit, peccatum non admittit. Quotidiana verò illa & venialia quæ etiã amantibus Deum molesta sunt: delicta potius, quam peccata dixerim æstimanda. Amor enim Dei & mortale peccatum simul stare nequeunt: quoniam sicut ignis lignum & paleas deuorat: sic amor Dei omne peccatum sibi contrarium de corde amantis exterminat. Sed huius rei exemplum de sacro euangelio proferamus. Accessit ad Iesum mulier peccatrix quondam auersa: sed accedendo mirabiliter amatrix facta accessit, fleuit, pedes dilecti lachrymis lauit, tersit capillis, osculabatur, magnis æstuando susperiis. Dic mihi ô sancta peccatrix, vnde tibi incessit ista mutatio? vt omnem tam subito femineæ honestatis verecundiam deponeres? Non vocata accedis: conuiuantibus maioribus natu peccatricem despectam te ingeris: lachrymas inter epulas fundis: pedes viri sanctissimi non iussa manibus contingis & osculis. Vbi est verecundia muliebris? vbi consideratio propriæ honestatis? Sed amor verecundiam nescit: reuerentiam non attendit: quoniam sicut magnes ferrum attrahit, ita me amor Iesu ad suos pedes sanctissimos vocauit. Ignis enim diuini amoris, qui meo pectori mirabiliter intus donatus fuerat: me omni verecundia contempta exterius trahebat. Consideraui quem offenderam: & ideo de humana confusione non curabam. Quis, ô patres huius sanctę mulieris amorem verbis posset exprimere? aut quanto intus arserit desiderio compunctionis cogitare? Tanto enim diuini amoris incendio flagrabat interius: vt nec reuerẽtiam hospitum expauesceret: nec temeritatem Pharisęi contemnentis formidaret. O vis diuini amoris fortissima: quam facilè mẽtem à terrenis eleuas, quam tuo incendio dulciter inflãmas. Vbi tu pectus hominis, incendis mora ad purgationem affectus nõ requiritur: te docẽte subito intellectus sine alterius magisterio illustratur. Tu peccatores, mox vt cœperis, iustificas, tepidas mẽtes subito in admirabilẽ deuotionẽ excitas, tuisq; possessoribus ineffabilia internę dulcedinis dona pręstas. Tu pectus huius mulieris mirabili tãgens incẽdio peccatricem in amatricem, commutasti: & mansionẽ q̃ tibi semel in ea paraueras sine fine semp inhabitas. Et q̃ dixit de illla Iesus q̃ p te iustificat impios: *Remittuntur ei*, inquit, *peccata multa: quoniã dilexit multum. Ergo cui multum dimittitur, multum debet diligere*: & qui multum diligit, multã potest à Domino veniam obtinere. Amor enim Dei, consummatio est pœnitentiæ, Siquidem conuersus ad mulierem Iesus,

Luc. 7.

dixit ei. *Remittuntur tibi peccata: fides tua te saluam fecit: vade in pace.* Nulla hic pœnitẽtiæ satisfactio iniungitur: qa verus Dei amor ad omnẽ satisfactionem sufficit: qppe qui amando abundantius satisfacit. Mẽs .n. diuino amore succensa, non potest de peccatis præteritis nimis esse anxia: quoniam solicitudo pœnitentię, q̃ inchoantibus parat remedium, perfectè amantibus faceret impedimentum. Doler se quidem amatrix Dei conscientia offendisse amantem: sed iam pro cõmissis pœnã, aut vindictam non metuit: qa se totam ad voluntatem suo amatori dedit. Non ergo poterit esse anxia, si cum dilecto per amorem veraciter fuerit concordata. Veruntamen in secreto contemplationis thalamo pœnitẽtiæ officium amãti congruens non negligit: lachrymas ꝑ peccatis ex amore fundit: ꝑstrata in terram dilectum alloquitur: ineffabili modo veniã precatur. O quot lachrymas, quot gemitus, quot suspiria, mens diuino amore succensa in occulto consueuit producere? cum se totiẽs amantissimum Iesum peccando meminerit offendisse? lacet ad pedes sui amatoris ꝑ amorem illuminata: flens largiter orat detestando cõmissa, O, inquit, dulcissime amator hoĩm, cur me tã diu à te per abrupta vitiorum errantẽ toleraſti? quare me non citius reuocare voluisti? Cumq; desideriũ amoris in affectũ excreuerit, animus in suo amatore conq. escit: vbi cũ dulciter soporatus fuerit, cõditiones transactę miseriæ per illustrationem supersplendentis luminis cognoscit. Nec erit amplius difficile cõscientiæ trãquillitatem acquirere: vbi animus præter Deũ nihil in hoc mũdo cõsenserit amare. Oratio enim quæ Deo in simplici puritate amoris porrigitur: ad indulgentiã peccatorũ impetrandã efficacissima ꝑbatur. Nam vbi Deus ex toto corde in veritate diligitur: nullũ peccatum ad mortẽ amãti imputatur. Secundo amor Dei oẽs passiones bestiales in homine mortificat: carnẽ spiritui subiicit: & motus carnalis cõcupiscentię restringit. Quẽadmodũ ignis carnium hũores extrahens eas coquit & exsiccat: ita diuinus amor oẽs affectiones carnales spiritui subdẽs coquit atq; mortificat. Nam veri amoris dulcor omnẽ saporẽ dulcedinis corporalis incõparabiliter exsuperat: motus affectionũ illicitos sedat: concordiam inter corpus & spiritũ reformat. Enimuero qui Deum veraciter amat: desideria carnis non perficit: cõcupiscentiã inordinatã odit: suo amatori soli Deo sp purus & quietus assistit. Ea enim diuini amoris ꝓprietas est, vt cor q̃ semel veraciter suo igne inuisibili accẽderit, nõ amplius permittat desiderijs carnalibus implicari. Agit tamen amor ipse p vices, quatenus anima discat suã infirmitatẽ cognoscere. & non in sua virtute, sed in Dei misericordia fiduciam habere. Nã & sanctus Apostolus diuini amoris prudentissimus hospes, aliã legẽ repugnantẽ amori in mẽbris suis repperit, à qua absolui concupiscit. Vnde & dicit. *Infelix ego hõ: qs me liberabit de corpore mortis huius?* De sua igitur desperans virtute ad gratiã Dei cõuertitur: & liberari se posse per Dñm Iesũ gloriatur. Igitur, inquit, ego ipse mẽte seruio legi Dei: carne aũt legi peccati. Quid est hoc Apostole sancte? Tune seruis adhuc legi peccati, qui cõmoraris in secreto amoris Dei: *Scio*, inquit, *quia nõ habitat in mẽ, hoc est in carne mea, bonum: nam velle adiacet mihi, perficere aũt bonum non inuenio.* Et hoc ipsum Dñs noster Iesus Christus in Euangelio verum comprobat dicens. *Spiritus q̃dem promptus est, caro autem infirma.* Spiritus amori sui conditoris iugiter inhærere desiderat, sed carnis infirmitas reclamat. Sed audiamus, quid nobis sanctꝰ Apostolus consequenter præcipiat, qui sub lege carnis liber spiritu gemebat. *Ergo*, inquit, *fratres debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus: si .n. secundum carnem vixeritis, moriemini, Si autem spũ facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Et de semetipso in alio loco dicit. *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Hæc est diuini amoris admiranda operatio: quoniã & spiritui carnem subiicit, & legem carnis non infringit. Nam si amor legem sibi contrariã penitus tolleret, non homini expediret. Oportet .n. carni motus inesse contrarios amori spũs: quatenꝰ & victoriameritũ, & virtus habeat exercitium: Et ideo amor sanctorũ mentibus ad horã plerunq; subtrahit: vt exercitium probetur. Consumit autem amor Dei subito amorem seculi: & cor quod mystico incendio arserit, nihil carnalis amoris concupiscit. Subito mutat desiderium: & in alias operationes dirigit affectum. Quid dicam de te, ô sanctum & ineffabile penitus incendiũ? Tu subito ex piscatoribus fecisti Apostolos: tu imperitos in viros sublimasti docti-

2. *Amor Dei mortificat passiones.*

Rom. 7.

Matt. 26

Rom. 8.

1. Cor. 9.

doctissimos: tu hospites tuos docuisti mundi diuitias & honores contemnere: & nulla tormenta malignantium formidare. O vis sancta diuini amoris: quam cito carnalis concupiscentiæ impetus extinguitur, si mens tuo incendio cõcrematur. Tu persecutorẽ fidem Iesu Christi subito fecisti defendere: quam sine te prius terribiliter solebat impugnare. Mox enim, vt te operantẽ intus sentire potuit, carni & sanguini nõ amplius acqeuit: nec curauit amicos quondam dilectos reuisere, postquam dulcedinis tuæ nucleum meruit degustare. Tanta eum interni amoris suauitate inebriasti, vt semetipsum deinceps præ magnitudine dulcoris vix caperet: inimicos crucis Christi libera voce confunderet: nulla huius mũdi subire aduersa pro amore Iesu amplius formidaret. O quot animas subito rapuisti de periculo huius seculi? quot peccatores sine impedimento introduxisti ad gaudia paradisi? Tu sanctos Dei angelos in adhærẽdo suo principio fecisti stabiles, tu ab origine mundi consignasti innocentes, tu elegisti patriarchas, tu ordinasti prophetas. Deniq; tu sanctos Dei discipulos mũdum fecisti contemnere, tu mirabiliter cõfortasti martyres, purificasti confessores, virginibus sanctis viuendi normam præscripsisti. Et quid multis vtar verbis? Nemo sine te vnquam Deo placuit: nemo tuo roboratus auxilio summo & incommutabili bono vnq̃ displicuit. Per te fides concipit meritum: per te religio suscipit incrementum: per te rubigo peccati consumitur: per te solam omnis electus sanctificatur.

Amor Dei quid fecerit in B. Paulo.

Gal. 1.

Sicut magnus ignis pauculas immissas sibi cõsumit aquas: sic vis ingens diuini amoris carnales restringit in homine passiones. Quisquis .n. Dei amorẽ in corde suo veraciter conceperit: tãtis desideriis: tantisq; ad Deum affectibus æstuabit, vt durãte amoris exercitio, nullas carnis affectiones inordinatas sentiat: nihil prẽter Deum concupiscat. Et mirabilis planè affectionum mutatio: quoniam qui prius passiones carnis suæ vix per multos labores domare potuit, nunc diuino amore succensus eas in silentio cõtemplationis superauit. Sed hoc experiri non omnibus cõceditur, quia paucis reseruatur. Multi enim suis sensibus inditas conceptiones diuinum putant esse amorem: & quanto se altius per imaginationem erigunt, tanto plerunque grauius cadunt. Dicit namque scriptura. *Bestia quæ tetigerit montem lapidibus obruatur.* Si montem sanctum diuini amoris sine periculo cupis ascendere, oportebit te affectiones bestiales enecare: quia animus cum ipso vnico rerum principio tunc vnum per amorem efficitur, quando exutus omnem affectionis multitudinem solus eleuatur: atque super omnem imaginationem, rationem, & intelligentiam sublevatus, ab omnibus quæ dici aut cogitari possunt so nudatum conspicit, liber per affectum ad amoris domicilium ascendit. Nec oportet verum amatorem falsi amoris cõditiones hoc loco instruere: cum verus Dei amor tot secum certissima indicia sui afferat, vt dubitare se habentem non permittat. Et licet homo nesciat, *vtrum amore vel odio dignus sit:* dico tamen confidenter: quoniam, cui Deus omnipotens interni amoris sui dulcedinem dignatur infundere, poterit multa nobis incognita scire.

Hebr. 12.

Eccl. 9.

Tertio amor Dei habentem se facit omnia contemnere, & nihil in hoc mundo penitus amare. Ad honores & dignitates non afficitur: nullis diuitiis, aut gaudiis mundi delectatur: Dominum Iesum semper cogitat: venire ad eius dulcissimos amplexus quantocyus anhelat. Amarum sibi est, quicquid delectabile in mundo cernitur: in nullo alio, quam in suo amatore delectatur. Collectus enim & sibimetipsi vnitus animus, & se & omnia despicit: quatenus sine impedimento multitudinis se ad vnum illud ineffabile principium per amorem extendere possit. O dulcedo miranda diuini amoris, quam potens est tuum incendium, quam suaue vinculum, quam felix experimentum. Qui te habet, omnia habet: qui te nõ habet nihil habet. Sed nemo te, ô dulcis amor, potest acquirere, qui præter te aliquid in hoc mundo voluerit amare. Tu enim cor humanum aut solus inhabitas: aut non solus ingredi recusas. Idcirco, quisquis consortium tui habere in semetipso desiderat, oportet vt prẽter te omnia contemnat: qm̃ quanto præter te aliquid amare voluerit, tanto à se tuum amorem dulcissimum repellit. Anima non potest esse sine amore: aut enim Deum amat, & vere beata est: aut transitoriis rebus innititur,

3. Amor Dei facit vt omnia terrena contemnantur.

titur, & semper misera est. Simul autem diligere Deum & mundum nemo potest: quoniam si alterum diligit, alterum necessario contemnit. Sed multum est inter amorem Dei, & desiderium præsentis seculi. Amor enim Dei facit hominem semper in conscientia purum, in corde lætum, in conuersatione honestum, in actione præcipuum, in mente tranquillum. Nihil concupiscit, sua sibi conditio sufficit, sine ambitione conquiescit. Amor autem mundi possessorem suum in conscientia multis sceleribus polluit, anxium semper & tristem facit, in conuersatione reddit turbidum, in actione pigrum, in mente turbulentum. Finis diuini amoris est sempiterna felicitas: finis autem mundanæ dilectionis est sine fine mansura calamitas.

Amor Dei semper gaudium habet: amor mundi infinitis est plenus miseriis. Amor Dei vanos mundi honores non diligit, præesse aliis non concupiscit, subesse potius aliis propter Deum desiderat, dimittere honores etiam habitos non recusat. Quicunq; enim Dei amorem veracirer concipit, omnia & prospera & aduersa æqualiter contemnit. In honore aliquo es constitutus ô homo, Abbas es, præpositus es, prior monachorum es. Si te interrogauero, vtrum ex toto corde diligas Deum, quid respondebis? Quicquid mihi foris responderis, ad conscientiam tuam intus prouocabo. Si veraciter amas Deum: dic mihi, qua intentione sis pastor monachorum? Dices vtiq;, ni fallor, pro honore Dei quem diligo, pondus regiminis monachorum porto. Aut ergo Deum amas ô Abba; aut eum non amas. Si amas Deum, veraciter paratus eris omni tempore pro eius amore ad cõsilium bonorum virorum officio regiminis cedere, & alteri æquanimiter subesse. Si vero Deum tuum veraciter non amas, indignè locum regiminis occupas. Verus enim Dei amator conscientiam suã omni tempore sic ordinat: vt ab eius amore per affectum alterius vel rei, vel officii, non recedat. Vnde rector animarum, qui dominum suum ex toto corde diligit, omni tempore resignatus illi in suis orationibus dicit. Domine Iesu, qui nihil ignoras tu scis, quod nulli præesse desidero: tu nosti, quoniam subesse alteri non recuso. Nam, etsi non sum ad vices tuas gerendas idoneus: cupio tamen tuæ sanctissimæ voluntati semper esse subiectus: sumq; paratus amore tui & oues tuas pro viribus pascere, & officiũ pastoralis curæ tanquã insufficiens humiliter resignare. Me voluntati tuæ subiicio: me seruorum tuorum iudicio committo. Si me iusserint illi Abbatiam deserere, propter tuum amorem volo sine fictione obedire, Si verò præceperint mihi oues tuas commissas diutius pascere, volo pro solo honore tui sanctissimi nominis imperium subire. Nunc itaq; ô pastor monachorũ temetipsum diligenter considera: & vide si mens tua sit omnipotenti Deo tali modo in omnibus resignata. Si eam sic dispositam inueneris: vicinus es incendio dulcissimi amoris. Quod si voluntas tua inofficio fuerit delectata regiminis: plus in te esse amoris proprii quam diuini manifestissimè ostendis. Amor enim Dei nihil in hoc mundo præter Deum diligit, nihil concupiscit, sed omnes honores despicit, diuitias spernit, simul omnia contemnit.

Abbas non diligit Deũ, qui paratus non est officio cedere.

Quarto, Dei amor mirandam in suo hospite compunctionem & deuotionem generat: quoniam cor, quod suo dulcissimo ardore succenderit, quasi extra hominem rapit. Amor enim ipse diuinus naturam ignis quodam modo imitari dicitur: quia sicut ille flammas incendii semp sursum naturaliter dirigit: ita & iste semper ad cælestia conscendit. Quis sit interior status hominis Deum amantis, quæ compunctio, quanta deuotio, quot dulcissima suspiria cordis, nemo potest intelligere, nisi qui suauitatem ipsam interni amoris per experientiã meruit degustare. Amor à terrenis mentẽ eleuat, cælestia reserat, secreta manifestat. O sancti amoris incẽdium: quam dulcis est præsentia tuæ beatissimæ operationis: quoniam mentem quam semel inuaseris, ociosam non dimittis. Semper in amore dulcissimi saluatoris æstuat: semper ad regem gloriæ suauiter clamat: desideriũ in amplexus sponsi mysticos dirigit: prę magnitudine amoris lachrymas fundit. Quotiens dominũ suum crucifixum cogitat, præ nimio cõpassionis affectu amarissimè plorat. Per omnia loca passionis illum comitata plorans circuit: fluentem de corpore eius sanguinem in spiritu bibit: pendentem in cruce Iesum amplectitur: vulnera morientis cum lachrymis osculatur. Hæc sunt, ô fidelis anima, prima diuini amoris præludia: hæc studii spiritualis præclara exer-

IV. Amor Dei causa deuotionis.

exercitia, vt passionem amatoris tui sæpe ad memoriam reuoces, vt te illi gratias agens humiliter inclines. Tristem animam Iesu vsque ad mortem aspice, patienti amatori tuo ex affectu compatere, gratias vulneribus amarissimis age. His sanctis exercitiis amor diuinus acquiritur: his studiis deuotio generatur: quoniam, quisquis animam suam in passione dulcissimi Iesu sapienter exercere didicit, ad diuini amoris domicilium & cito & facile ascendit. Hoc sanctus Dei amator Ignatius optime nouerat, qui ex compunctionis vehementia dicebat. *Amor meus crucifixus est.* O bone Iesu, quam dulcis est amor tuus: quoniam suauiter animam penetrat: te videns in spiritu amplecti animus exoptat: ad te venire quantocyus, si iusseris, festinat. Enimuero patres, qui Iesum amat, sui ipsius obliuiscitur: nihil aliud, quam dulcissimam illius præsentiam meditatur. Nihil est in mundo quod Iesum amanti præter Iesum placeat: nihil vsquam reperitur, quod animus concupiscat. O quot suspiriis amore vulnerata mens angitur: quam vberrimis lachrymis in secreto facies irrigatur: quia quotiens faciem Iesu in cœlo præsidentis cogitat, totiens se in terris desolatam plorat. Sæpe interea tentat mẽs amore languida de suo amantissimo Iesu aliquid coram hominibus dicere: in eius amorem conatur etiam alios prouocare: sed mox vt nomen Iesu dulcissimum proferre cœperit, præ magnitudine amoris obmutescit. Amor enim Iesu nullis verbis exprimitur: nullis litteris explicatur. In secreto de singulis animam instruit: efficacissimum orandi modum tradit: intellectum amantis ad petendum illuminat: nihil per amorem oranti negat. In secreto diuini amoris deuotio mentis in Deum exuberat: cordis intima compũctio regnat: fons dulcium lachrymarum sine læsione capitis ortum amantis circumfluit: murus perseuerantiæ amoris thalamum custodit. Verus amator Iesu semper in sua meditatione fructuosè compungitur: compunctus præ amoris dulcedine lachrymatur: corpore inter homines viuere cernitur: mente in cœlestibus commoratur. Amantis Deum oratio cœlos penetrat: quicquid petierit à Iesu facilè impetrat: se totam in sinum dulcissimi amatoris laxat. Non est sine ardente compunctione in corde hominis verus amor diuinus. O quã dulces, quam suaues, quam diuinos in psalmodia, & cæteris orationum lectionibus mens ardens in diuino amore sensus concipit? quam profundas & mysticas scripturarum sentẽtias cognoscit? quas dum verbis exprimere nititur, magnitudine superatur. Quid agat verus & internus Dei amator circa diuinum penitus sacrificiũ corporis & sanguinis Iesu Christi, quam sit deuotus, quam compunctus, quam in amore liquefactus, neque ipse alicui potest dicere, neq; si dixerit, inexpertus tolerare. Nam diuini amoris dulcedo liquefacit animam: & sæpe à sensibus carnis reddit eleuatam. Quinto diuinus amor se habentis intellectum mirabili magisterio illuminat: quia dum affectus per amorem ab omni inquinamento purgatus fuerit, se lumen diuinæ illustrationis animo mirabiliter infundit. Amor enim Dei mentẽ à vitiis & concupiscentiis carnalibus purificat: spiritui sancto mansionem in corde amantis parat: animam in his, quæ ad cognitionem summæ veritatis pertinent illuminat: scientiam confirmat. Amor Iesu plenitudo sciẽtiæ est: quoniam per ipsum amantibus sapientia infunditur, quæ non amantibus negatur. Quantumcunq; discendo profeceris, si Deum non diligis, nihil intelligis. Vana enim & penitus infructuosa scientia est, quæ ad suum finem debitum non dirigitur: in quo solo desiderii sacietas habetur. Nec putes amorẽ, de quo loquimur, esse vulgarẽ: quoniã multi sunt, qui se Deũ existimant veraciter diligere: cũ tamen constet paucos ad veri amoris dulcedinẽ puenire. Verus enim Dei amor nihil cõmune recipit: nullum cuiusq; alterius præter in se amoris consortiũ admittit. Vulgarem verò amorẽ dixerim illum, cuius vocabulum vulgares passim intelligunt: in quo suis gradibus contenti viuunt. Vnus est Deus: vno quidem amoris incendio à suis amatoribus diligitur: sed non æqualiter ab omnibus amatur. Qui plus acceperit, plus diligit: qui plus diligit, plus accipit.

epist. ad Rom. De amore Iesu.

5. Amor Dei illuminat.

Illuminatur ergo anima iuxta mẽsurã amoris: quoniam quãto plus ad Deũ per affectum inflãmatum accesserit, tanto illud lumen super intellectum splendidum melius cognoscit. Intellectus enim ipse primum illustratus iuxta gradum suæ capacitatis, ad amandum illud summũ ineffa-

bile bonum ampliusq; amandum, affectum mirabiliter prouocat: seq; comitem desiderio parat: sed cum affectus ad inuestigandum illud super omnem positionem existens rerum principium excitatus fuerit, iam deinceps consortium intellectus non admittit: quia dum ipse omni & positione & priuatione abiecta nudus caliginem diuini silentii ingreditur, iste ratione, imaginatione, intelligentiaq; oneratus subsequi prohibetur. Cũq; affectus ipse iam per amorem ad secretum illud diuinæ contemplationis insensibiliter, & sine intellectu solus & nudus, atq; seipsum nescius, admissus fuerit, ibi dulciter conquiescit. Vbi putas interea manet intellectus? Sine actu in inferioribus habitat: prius doctor, iam discipulus expectat: quæ circa affectum aguntur, non intelligit: quoniam & se & illum insensibiliter amisit. In hoc secretissimo mentis silentio, anima per amorem super omnem rationem, & imaginationem, & intelligentiam, radium diuinæ illustrationis suscipit: quẽ nec ipse intellectus intelligit, nec affectus comprehendit. Felix ergò, qui verum Dei amorem ab ipso amoris largitore suscipere meruit: qui sedere solitarius, seq; eleuare super se didicit: quoniã si in exercitio diuini amoris prudenter pseuerauerit, illustratus in anima mirabiliter & ineffabiliter gaudebit. Non promittimus per amorem vanam scientiam seculi. Sæpe tamen legimus etiam huius mundi scientiam Dei amatoribus infusam diuinitus: quatenus dum & ista & illa conceditur, secularis prudentia per diuinam cõfundatur. Veruntamen manus domini non est abbreuiata: sed quicquid amanti ad salutem necessarium & vtile fuerit, diuina bonitas postulanti non negabit. Vnctio enim Dei bona docebit amantem.

VI. Amor Dei mentem ad cælestia eleuat. Ioan. 12.

SEXTO diuinus amor mentem ad cælestia eleuat: quẽadmodum in sacro euangelio Dominus clamat. Qui *mihi ministrat, me sequatur.* Et iterum dicit. *Volo pater vt vbi sum ego, illic sint & ministri mei.* Minister Iesu optimus est, qui eum super omnia diligit: qui in eius domicilio per amorem iugiter quiescit. Tribus autem modis mentem amor eleuat, & in excessum quendam vocat. Quotiens enim cunq; in magnam deuotionem desiderium rapitur, supra semetipsam mens inflammata eleuatur: in qua eleuatione tantis plerunq; radiis intimi amoris accenditur, vt penitus liquefacta instar ceræ à statu suo pristino resoluatur. Amor namq; diuinus mentem à semetipsa facit excedere: & in secretum inæstimabilis contemplationis euolare.

Secundo per admirationem mens extra semetipsam ducitur: & in supremum illum diuinæ caliginis verticem eleuatur. Amor enim desiderium fruendi excitat: affectus vt fruatur per amorem pulsat: subito se amanti lumen cælicum ingerit: & mentem præ magnitudine suæ pulchritudinis in admirationem vertit. Quemadmodum enim fulgur intuentium oculos coruscatione sua reuerberat: sic lux illa super omnem intellectũ diuina mentem, cui illabitur, subito in stuporem & admirabilem excessum mutat: quæ quanto per considerationem suæ vtilitatis in profundum deiicitur, tanto celerius per lucis ineffabilis desiderium super semetipsam rapta eleuatur. Tertio mens in excessum per magnitudinem dulcedinis rapitur, quando nimia suauitate diuini amoris inebriatur. His modis amor Dei mentem à terrenis ad cælestia consueuit erigere, si eam inuenerit per desiderium purè, feruenter, & dulciter ardere.

Ardens amator Iesu Christi sine intermissione mentem suam ad eum, quem diligit, eleuat: variis modis affectiones suas in eum reformat: quicquid agit, quicquid facit, semper Iesum Christum residentem in throno non manufacto cogitat: eius in suo pectore memoriam iugiter portat. Nunc eum in humana substantia mirabiliter glorificatum mentis intuitu conspicit: ad eius se pedes in spiritu humiliter prosternit: preces cum lachrymis porrigit: In sinu Iesu liquefactus conquiescit. Iam verò humanitatem dilecti pertransiens, in admirandam diuinitatis eius speculationem mens totam se dirigit: in qua tam secretis, tam admirandis, tamq; penitus diuinis fulgoribus mysticis fruitur, vt extra se facta non esse in corpore videatur.

Quid hæc mentis in amoris abyssо constitutæ per contemplationis profundum operetur eleuatio, hi soli intelligunt, qui hoc donum de misericordia domini susceperunt.

SE-

VII. Dei amor contemnit mortem.

SEPTIMO diuini amoris suauitas mortem facit contemnere: & supernæ felicitatis patriam continuis suspiriis desiderare. Quid dico contemnere? & *Cant. 8.* non potius optare? *Fortior est morte dilectio.* Anima enim quæ dulcissimum Iesum veraciter diligit, venire ad eum per mortem quantocyus concupiscit: carcerem sui corpusculi, in quo detinetur, captiua exire desiderat, & ideo dissolutionem eius non formidat. Semper ad suum dilectum suspirando se eleuat: exire de corpore quantocyus exoptat: in orationibus quotidie cum propheta ad domi- *Psal. 119.* num plorat. *Heu mihi, quoniam incolatus meus prolongatus est: habitaui cum habitatoribus Cedar: multum incola fuit anima mea.* O quando veniam & apparebo ante faciem domini mei? Quando videbo eum facie ad faciem: cuius in ænigmate dulcedinem gustaui totiens per amorem? Cum *Phil. 1.* Apostolo quoq; veracitet dicit. *Cupio dissolui & esse cum Christo*: quoniam ipse cordis mei solus est desiderium: qui mihi per sanctissimi sanguinis sui effusionem semetipsum promisit in præmium. Interea transit in mundo verus Dei amator tanto feruore, tantoq; desiderio eleuatus in Deum, vt nihil penitus sit, quod eum libeat, nihil quod præter Iesum concupiscat. Corde semper eleuatus in cælum Iesum cogitat: præ amoris magnitudine dulciter plorat: quicquid dulce, quicquid iucundum in hoc mundo conspicit, totũ sibi diuini amoris sapor in nauseam vertit. Enimuero tam validus est diuini amoris feruor, vt anima, quam suo dulcissimo calore semel veraciter accenderit, nullis desideriis mundanis amplius succumbere possit. Mortem omnium terribilium in nostra cognitione terribilissimum non metuit, sed etiam vehementer concupiscit. Sed quid frustra conor internum veri amatoris Iesu feruorẽ & desiderium verbis exprimere? cũ nec ipse, qui amãdo patitur, suũ affectũ possit explicare? Tantis enim, sursum actionibus, tantis desideriorum ardoribus, tantisq; spiritualis incendii flammis verus Dei amator in occulto suæ mentis vritur, vt nisi omnipotens Deus exortum temperaret incendium, homo præ amoris magnitudine moreretur. Inaudita & prorsus incredibilia sunt ista carnalibus: qui variis desideriis mundani amoris obcæcati spiritualia percipere nequeunt: ad diuinum quoq; amorem veraciter non assurgunt. Dicit enim sanctus Apostolus. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi: nec potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem iudicat omnia: & ipse à nemine iudicatur.* Amor enim Iesu non datur carnalibus: quoniam qui vitiis & concupiscentiis carnalibus æstuant, diuino se amore prorsus indignos præstant. Sed dimittamus eos, qui carnaliter sapiunt: & reuertamur ad illos, qui spiritualiter in amore Dei viuunt. Amor Dei facit hominem mortem contemnere, & ad supernæ felicitatis gaudia magnis & continuis suspiriis anhelare. Sanctos martyres Iesu Christi producamus in medium: & erunt huius sententiæ firmamentum. Tanta enim vis diuini amoris, tantus feruor, tanta eleuatio mentis in Deum eos accenderat, vt pro amore Iesu nulla pœnarum genera metuerent, nulla mortis supplicia timerent. In amore Iesu absorpti fuerant: propterea de suorum corporum interitu non curabant. Amor enim Iesu omnes passiones corporis incomparabiliter sua virtute exsuperat: quippe qui se subiicere mille mortibus non reculat. O quam immania tormenta, quam horrenda præcipitia, quam terribiles ignes, quam immanissimos cruciatus & dolores sancti martyres in suis corporibus pertulerunt propter amorem Iesu Christi? quæ omnia, etsi carni infirmæ apparerent grauia, tamen spiritui præ amoris immensi magnitudine leuia videbantur. Nihil enim tam arduum, nihil tam durum, quod amor Dei non faciat esse iucundum. Nam qui Iesum ex toto super omnia diligit, nulla huius mundi aduersa, nulla mortis supplicia pertimescit. Et quod sancti martyres olim Deo per amorem morientes sacro tradiderunt officio, hoc veri amatores Iesu etiam nunc porrigunt desiderio. Anima siquidem diuino amore succensa corporis sui carcerem egredi multis gemitibus & suspiriis desiderat: venire ad eum quem diligit intimis affectionibus festinat: sed quanto per dilationem diutius hic manendo affligi- gitur, tanto per desiderium in amore amplius dilatatur. Sæpe etiam feruens amator Iesu tantis desideriis ad Iesum erigitur: vt sibi non posse amplius *1. Cor. 2.*

viue-

viuere videatur, latensq; in occulto preces amatorias dilecto porrigit, præ amoris magnitudine vocem cum lachrymis emittit. O mediator Dei & hominum amantissime Iesu, cur me in hoc carcere constitutum non eruis? quare me tamdiu in hac miseria exulem dimittis? Meritum augere temporis dilatione non cupio: præmium non expecto: tu mihi ô dulcissime amator solus ad fruitionem sufficis, qui spiritum te amantem non contemnis, Tu mihi sis præmium: qui amoris tui incendium mihi creaturæ tuæ immeritæ tradidisti. O bone Iesu amor spem erigit: fiduciam impendit. Veruntamen sanctissima voluntas tua in me semper compleatur: quoniam etsi venire ad te vehementer desidero, manere tamen in carne, quamdiu tu volueris, non recuso. His quidem modis, & multis secretioribus exercitiis amor ad cælestia mentem eleuat: per quæ se non ociosum, sed multa in homine miranda operantem manifestat.

VIII. Amor Dei facit nos familiares beatis.

OCTAVO diuinus amor hospitis sui animam cælestis patriæ ciuibus adhuc in carne constitutam notam & familiarem efficit: quoniam quisquis à rege diligitur, hunc tota curia veneratur. Rex autem noster cœlestis diligentē se diligit, quemadmodum sacro in Euangelio dicit. *Qui habet mandata mea & seruat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum: & manifestabo ei meipsum.* Amator ergo Iesu ab ipso diligitur: à sanctis illis spiritibus qui sunt in patria honoratur: & licet homo secundum suum intellectum hanc familiaritatem angelorum in carne non semper possit intelligere, mens tamen ipsa potest miranda insensibiliter sentire. O cum quanta charitate & reuerentia super omnem intellectum humanum spiritus amatoris Iesu de carne solutus à supernis ciuibus excipitur: quantis laudibus homini penitus ineffabilibus honoratur: quoniam ingrediente illo, quem imperator singulariter diligit, læta ciuium vniuersitas occurrit. Egredientem namque de carne spiritum amantis Iesum ciues supernæ felicitatis, veluti conciuem suum notum atque charissimum læti suscipiunt: quem adhuc in carne positum totiens eleuatum per amorem ad se in cælum cognouerunt. Amor enim Dei viam animæ ad conspectum summi imperatoris expeditam præparat: ciues cælestis patriæ in occursum migrantis vocat: appropiare non finit dæmonia, omnia tollit impedimenta. Spiritus hominis Iesum super omnia diligentis tot habet in cœlo familiares amicos, quot in amore Dei habuerit consortes. Ibi angelici spiritus in charitate Dei altissima confirmati hominis animam Iesum amantis ardentissimè diligunt: conciuem suum familiarem recognoscunt: manentem in carne custodiunt: egredienti lætissimè occurrunt. Ibi patriarcharum ordo amatorem Dei mirando fauore prosequitur: animam diuinæ maiestatis aduenire amatricem inęstimabili gaudio lætatur. Ibi sancti futurorum prescii vates animam læti suscipiunt: quæ illum totis viribus amat, quem saluatorem futurum ipsi prædixerunt. Ibi Christum primi ex amore secuti occurrunt Apostoli: cum inæstimabili gaudio suscipientes spiritum amatoris Dei. Ibi sancti martyres candidis induti stolis adueniunt: animam diuino amore feruentem ad pedes altissimi perducunt. Ibi sanctissimæ aderunt virgines: deuoti astabunt confessores: conciuem suum pridem, per amoris eleuationem notissimum. cum incredibili exultatione suscipient: coronandum immortali decore ad thronum gloriæ perducent.

Ioan. 14.

Complures sanctos in hac vita legimus angelorum habuisse consortium: sæpe illos morientibus venisse in occursum. quoniam vbi amorem regis sui IESV Christi dulci feruore habitare conspiciunt, quasi ad eius domicilium crebrius accedunt. Cor enim amantis se Iesus inhabitat: thronum sibi in eo parat: omnes in circuitu malarum affectionum insidias eliminat: pacem in suo regno & concordiam firmat. Sanctorum quoq; angelorum inuisibilis nō deest exercitus: quia dignum est, vt suo imperatori frequens impendant seruitium, cuius super se diligunt principatum. Anima ergo diuini amoris incendio flagrans supernis illis spiritibus familiariter est cognita: sanctis omnibus singulariter amata: & in eorum consortium sine impedimento feliciter transitura.

Nono diuinus amor inæstimabilem *IX. Amor* inter

Dei facit nos adhærere Deo.

inter Deum & animam vnionis adhæsionem efficit: dum spiritus amantis, non per naturam, sed per gratiam in abyssum diuinæ contemplationis resoluitur, & à se deficiens in diuinitatis participiũ mirabiliter transmutatur. Hæc vnionis adhæsio spiritum humanum nequaquam adnihilat: nec eum ad aliam essentiam mutat: sed manẽs quod est, supra se rapitur: &, actu suo primo essentiali manente, secundi exercitio priuatur. Ingrediens enim nouam diuinæ contemplationis caliginem, & se, & omnia quæ creata sunt, vel creari possunt, longe post se deserit: supra omnem imaginationem, rationem, vel intelligentiam ascendit: vbi cum ab omni actione entis creati vel creabilis defecerit, in solo Deo se exercitans insensibiliter conquiescit. Oportet namque mentem amantis Deum ad hanc experimentalem cognitionem per affectum assurgere: & deserta omni creatura ad creatorem ponentem tenebras latibulum suum per caliginem intrare. Et primo quidem mens ipsa omnem operationem sensitiuam deserit: deinde super intellectum ignotè affectualiter ascendit: postea deficiens etiam à se, diuinam caliginem ingreditur, in qua per extaticum amorem quiescens soporatur. Deum autem videre facie ad faciem sicuti est nulli animæ quantumlibet sanctæ conceditur, quamdiu in carnis carcere continetur. Dicit enim ad Moysen Deus. *Non videbit me homo & viuet.* Et discipulus ille quem diligebat IESVS: in quadam Epistola dicit. *Deum nemo vidit vnquam.* Sanctus quoque diuinorum contemplator Paulus ait. *Deum nullus hominum vidit: sed nec videre potest.* Vera enim & immediata Dei perceptio amanti in hac vita promittitur: in futura exhibetur. Amor autem verus mentem in diuinam illam caliginem erigens eam non penitus satiat: nec Dei visionem manifestat: sed eam per internam suauitatem diuinæ dulcedinis ineffabiliter recreat, & gustum supernæ felicitatis viatori perceptibilem modis secretissimis inspirat.

* *Exo. 33.* *1. Ioan. 4.* *1. Tim. 6.*

X. Amor Dei animam in cælo ornat donis.

Decimo amor Dei habentem se veraciter animam in cœlesti patria incomparabili dono remunerat: & prærogatiuis insignibus honorat. Quisquis enim Dominum Iesum ex toto corde super omnia in hac vita perfeueranter diligit, quisquis tãcti amoris exercitia in feruore spiritus custodit, decedens à corpore, spiritus occurrentibus sanctis angelis, in sinũ amantissimi Iesu mox ducitur, & immortali gloria honoratur. Amor namq; omnes virtutes in fide exuperat: quia nullum opus bonum habebit meritum, nisi in amore Dei fuerit radicatum. Anima, quanto in Dei amore fuerit ardẽtior, tanto erit in gloria maior. Reuera oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quantam suis amatoribus dulcedinem internæ suauitatis dominus Iesus in hac vita prægustandam conferat: quantamq; inæstimabilem illis æternæ felicitatis gloriam reponat. Cogimur de inuisibilibus loquentes imitari pictores: nec possumus supernæ felicitatis conditionem & statum vtcunq; balbutientes exprimere: nisi per verba & similitudines nobis sensibiliter notas, quæ spiritualibus rebus vel gaudiis nullatenus possunt comparari. Fingunt enim illi Deum & angelos corporali schemate compositos: loquimur nos de existentibus supra sensum humanumq; intellectum sermones sensui nostro congruentes: cum tamen Deus & angeli corpus non habeant: nec spiritualia similitudines corporalium aut sensibilium admittant. Enimuerò illa cœlestis patriæ quanta & qualia sint gaudia, nec humana ratio potest capere, nec vllus sermo explicare. Verus internus Dei amator, qui diuini amoris exercitio prudẽter insistit, multa & suauissima dulcedinis supernæ prægustando percipit: & quamuis ad satietatem summæ veritatis in hac vita nõ possit pertingere, magna tamen, & ceteris non sic amantibus, abscõdita permittitur gustare. O quã lætè, quam iucundè quamq; feliciter anima dominum Iesum feruenter amantis de corpore egreditur: quam glorisẽ in cælo sublimatur: quã ineffabili gaudio sine fine perfũditur! Egredientẽ mox dominus ipse Iesus amatorijs brachiis susc ipit: in eius amplexu dulciter se totũ effundit: ppetua charitate se amãtẽ cõplectitur: in ea quasi in domo ppria in ęternũ cõmoratur. O quantus iubilus, quãta exultatio, quãta lætitia animæ Iesũ amãtis infunditur, vbi ad suũ principium munda & puriſſima per ipsum reuocatur. Ibi desiderium amoris inęstimabili beati-

*

tudi-

tudine perficitur: ibi spiritus ineffabili dulcedine satiatur: ibi, quod semper concupiuit, mens accipit: ibi amatrix Dei anima in sinu dilecti sine fine conquiescit. O quam incomparabili gaudio mens sancta replebitur: vbi supernis spiritibus læta coniungetur: vbi diem festum sine fine peraget: vbi in thalamo dulcissimi Iesu in æternum requiescet. Ibi nulla erit tristitia: ibi nulla miseria: quoniã vbi ad Deum omnium est vera dilectio, ibi summa erit in omnibus beatitudo. Ibi est vera securitas: ibi sempiterna felicitas: ibi summa mentis tranquillitas: ibi in æternum permansura iucunditas. O verè felix & intimis suspiriis semper optanda satietas: ô sanctum & nunquam tradendum obliuioni conuiuium: vbi nec satietas ipsa parit fastidium: nec desiderium frustrabit appetitum. Hæc cælestis patriæ sempiterna felicitas: hæc supernæ felicitatis immensa iucunditas: nobis, ô Patres, per Dominum nostrum Iesum Christum promittitur: nobis cum omnibus sanctis donanda reseruatur. Festinemus ergo charissimi fratres, festinemus ad illam ineffabilem gloriam per interni amoris feruorem ascendere: in qua cum dulcissimo redemptore nostro in æternum felices possimus permanere. Quid nobis & curis seculi? Quid nobis & gaudiis mundi? Omnia præter amorem Iesu transeunt: omnia præter charitatem Dei euanescunt. Nihil in hoc mundo diuturnum cernitur: nihil in actibus humanis stabile videtur. Abiiciamus ergò à nobis omnem solicitudinem seculi: fugiamus inquinamenta mundi: nulla nos rerum mundialium cupiditas teneat: nulla nos carnis concupiscentia seducat. Cogitemus semper ô patres, quoniam anchoram propositi nostri in eminentiorem regionem locauimus, qui contemplatiuæ vitæ singulariter addicti sumus. Contemptis itaq; omnibus negotiis mundi, studeamus diuini amoris exercitiis feruenter insistere, crucifixum amorem nostrum Iesum omni tempore cogitare: vt dum illum super omnia viuentes in carne diligimus, post mortem in sua maiestate illum sine fine læti videamus.

Dixi.

FINIS.

ORA-

ORATIO SEPTIMA,

DE VERA CONVERSIONE MENTIS AD DEVM

HABITA IN CAPITVLO ANNALI ERPHORDIÆ APVD S. PETRVM, ANNO DOmini 1500. penult. die mensis Augusti.

GERNANDVS NASO.

Et placet, & legitur, quicquid TRITHEMIVS Abbas
Eruit ex adytis Græcia docta tuis.
Dii tantum seruate virum, quia dogma salutis
Ornat, & ad Christum quod sit origo refert.

PRÆFATIO.

IOANNES TRITHEMIVS Abbas Spanhemensis Ioanni Engellender Iurisconsulto, Oratoriq; facundissimo salutem. Litteras tuas suauissimas, priscam præseferentes eloquentiæ maiestatem & decorem Mutiano nostro perferente accepi, quibus me & voluptate incredibili & honesta quadam contumelia affecisti. quæ enim voluptas maior contingere potuisset, quàm amari abs te viro vndecunq; longè doctissimo integerrimoq;, cuius eruditionem, sapientiam, & facundiam, reges & principes mirantur, colunt & obseruant, vsq; adeo vt felicem doctiores quiq; Reuerendissimum illum Coloniæ Agrippinæ Antistitem prædicent, quod præfectum te eorum, qui à Secretis sunt, dignissimum sit consequutus, aut quæ mihi contumelia cordi plus esse debuit, quàm me scire laudibus tuis procul inferiorem, eumq; esse minime quem deceptus amore nostri Trithemium prædicasti? Sed tuæ in me charitati, ac beneuolentiæ gratias ago immortales; qui me cupientem quidem licet, non audentem pulsare fores amicitiæ tuæ præuenire dignatus es, hominem nequaquam meritum hactenus apud te, qui ne vacuas ad te sinerem has literulas abeuntes, adiunxi orationem de conuersione mentis ad Deum, quam nuper Erphordiæ in conuentu Patrum habui, lima sapientiæ tuæ castigandam, ipsamq; mendis purgatam tibi dico, dedo, & inscribo, meq; iam deinceps tuo patrocinio susceptum, cum hæc minima, tibi non displicuisse certior factus fuero, maiora tentaturum in re litteraria repromitto. Mutianus ipse Rufus, quo mediatore amor in me tuus mihi innotuit, naturæ rerum & antiquitatis celeberrimus interpres, qui iam cum Homero cæterisq; Græcis auctoribus (quorum apud me copia est) me prælegente colluctatur, cuiusq; monimenta Attica propediem videbis, impertit te salute plurima, seq; tibi commendat. Vale ex Spanheim Anno M. D. Mens. Nouembris die vicesima.

ORATIO.

De vera conuersione mentis ad suum principium.

MAXIME vellem, Patres reuerendi, ac sum nopere optarem, vt mens mea cum diuini numinis esset consecuta splendorem, quo unicum institutionis nostræ scopon, veram, liberam, & ab infimis absolutam, animi conuersionem, ad ipsum essentiæ suæ principium, Deum optimum Maximum conuenna, propria, & apta facerem oratione manifestum. Credo enim nihil à me in hac Synodo sancta, hoc maximè tempore (quo proh pudor omnes penè malis affectionibus occęcati à cognitione & amore summi incommutabilis principii turpiter aberramus) aut honestius, aut vtilius posse dici quam de mentis conuersione ad Deum cum id omne quod sacratissimis legibus maiorumque institutis voluntariè ꝓ Deo mancipati, in hac vita mortali agimus, nihil aliud nobis quam reditum & commeatum animi ad centrum beatitudinis suę, quod Deus est, debeat persuadere. Scimus autem, quod anima per amorẽ ad suum principium dulciter & libere conuersa, cum separatur à corpore ad ipsum Deum tanquam ad centrum quieris suæ immobile, læta conuertitur, in ipso felix ac sine fine beata permanens, nullis deinceps perturbationibus vrgetur.

Nihil ergo Patres his, qui Deum amant, dulcius in hac vita vnquam contingere potest, quam de vera mentis conuersione ad suum principium, vel loqui continuè vel audire; quo ipsa semper maiorem in modum, & ad infimorum contemptum, & ad amorem supernorum prouocatur.

Et ego Patres, quamquam nullius sum eruditionis inter vos, nulliusque meriti apud Deũ censendus, ni hilamen, ad hanc dicendi prouinciam delegatus, magis conari soleo, quam ea pro vitibus in medium afferre, quę vos mundi contemptores reddant, & animos vestros in Dei amore perampliùs ardere faciant. Vnde quemadmodum vosipsi iudices mei testimonium mihi perhibetis, nitorem coruscantis eloquentiæ orationibus à me habitis nunquam adhibui: interruptrices sententiarum, quas introductiones Scripturarum locales nonnulli appellant, vsque ad inuidiam omisi: ne vel simplicioribus sensum necessariæ admonitionis politiore tractatu occulerem, vel memoriam nimia locorum assumptione perturbarem. *Cur loca script. vel Patrum non alleget.*

Mentes enim auditorum meorum ad internam compunctionem diuinumque amorem commouere semper plus optaui, quam vel in mei admirationem, vel in amorem scientiæ secularis. Verum illud me non parum à proposito meo abducere solet, quæ in publico seniorum consessu, quos & mores sanctissimi Reuerendos, & eruditio scripturarum omniuariam copiosa, veluti castrorum acies mihi terribiles merito reddere debent, mihi sit dicendum, homini peccatori, & imperito, cui non iniuria vitio dari à plerisq; solet, quod manus cum gymnosophistis in cathedra, ton rapsodon varia pulchritudine renitentibus, nõ conserui, quibus vires tribuuntur à paribus Herculi fortissimo excutere clauam, Romanosque vento velociores posse exercere tyrones.

De his maximè rebus, quæ procul à sensibus abstractæ, illis duntaxat vtcunque sunt accessibiles, quos malis passionibus carnis exutos, diuinus ille radius per ascensum interni amoris, supra intellectum ad mystica diuinorum spectacula introduxit. Quocirca vobis interim, qui mihi hoc dicendi onus

non

non sufficienti portare imposuistis, nominis mei rationē committo: cui vestra auctoritas pro Apollinis oraculo sp fuit, qui tantū vobis, quantū facere possum, & antehac exhibuisse me memini, & in futurum pollicebor, me totum, & si q̄, post abdicationem omnium adhuc meam dicere voluntatem, vestris mandatis, ac summi vniuersorum conditoris, in omni vita cupio esse dicatum. At nunc Patres de conuersione mentis pauca dicturi, summi & incommutabilis boni excellentissimam bonitatem humiliter inuocemus: qua sola ad se sua nos misericordia & pietate conuertere potest, cum non sit volentis neque currentis sed
Rom. 9. miserentis Dei, cuius gratia præsto est amantibus, & dicamus: *Veni sancte spiritus.*

Num quid sit lumen audisti? Materiale mihi lumen quid sit, si nosti, ostende: quatenus per illud ad spirituale lumen, quod in omnibus quæsiui, mihi paretur ascensus. Auditus tibi respondebit dicens: aëreus sum ego, contentus esto, si sonos tibi aëreos nunciem: Non audiui lumen, si autem de ipso aliquid vsquam audiui, non fuit ipsum lumen Odoratus dicet: Ego quidem non sum adeo lucidus: vaporeus sum, à me discе vapores! quid aliena quæris à me? Si lumen non est vapor: nihil ad me. Gustus autem requisitus de lumine, respondebit.

Versor inter liquores, si lumen quod quæris liquor non est vel dulcis, vel amarus, vel certe commixtus, non ad me pertinet eius iudicium: Respondebit tactus, noli à me extorquere, quod nequeo comprehendere, corpulentus sum, corpulenta nuncio, ab aliis quære, nescio quid sit lumen. Conuertere tandem postremo ad oculos lucentes, per lumen eos contestare, quo præ cæteris, imò quo solo delectantur, indicent rationi quid sit lumen, respondebit subito visus.

Splendidus ego sum spiritus, & splēdor sum spiritalis, qui requisitus propria officia libenter exponam. Lumen est spiritalis quædam & subita & latissima à corporibus naturæ eorum sine detrimento proprio emanatio, nitoris videlicet cuiusdam à transpicuis, coloris autem ab horum oppositis, quantitatis, figuræ, motusque ab omnibus. Con- *Lumen quid sit.*
grega nunc in vnum genus omne colorum quid erit hoc vniuersum, nisi lux quædam omnicolor, siue lumen, factum in solidiore, obscurionreque materia terræ iam opacum? Segrega terram illi permixtam, quid erit reliquum, nisi qualitas quædam, imò claritas actusque perspicui sicut color est actus opaci. Color quidem est lux opaca, lux autem color clarus, imò perspicui corporis colorumque flos quidam vigorque, quasi vnicolor actu, virtuteque omnicolor.

Quid est hoc, quod tibi visus de lumine nunciauit? Hoc ne est lumen, quod dixit? nihil vnq̄ obscurius audiui definiri. Quonam pacto fieri potest, vt nihil sit obscurius lumine, quo nihil est clarius, quando per illud clarent, declarantur omnia? Vide quid sensus ad incomprehensibile lumen, quando neque id- *
psum in quo est & mouetur lumen materiale rectè comprehendere potest. Quocirca traditionem sensuum cæcam despicientes, ascendamus hinc ad sublimem mentis speculam: si forte ipsa mens quid sit lumen nobis insinuare queat, quod in tenebris lucere perhibetur.

O mens quæ rectè cuncta metiris! *Deus est lumen.*
dicito mihi nunquid forte lumen, quod in tenebris lucet, est ipse Deus: quo etiam nihil clarius est nihilque obscurius. Nihil clarius, quam Deum esse, esseque ad summum potentem sapientem & bonum. Hoc enim auribus nostris quæcunque ab eo sunt facta proclamant vt nemo sit surdior illo, qui tantum rerum omnium sonitum strepitumque non audit. Nihil contra obscurius, quam quid sit Deus, vt nihil sit tenebriosius illo, qui sibi opinatur hoc esse clarissimum.

At mens tamen lumine Catholicæ fidei illustrata, quam per scientiam intellectus ad cognitionem supernorum erexit respondebit: Deus est Pater lu- *Iacob. 1.*
minum, apud quem non est transmutatio, per quam extinguatur vel minuatur, neque vicissitudinis obumbratio, per quā vel vicissim subeat noctem, vel aliquem patiatur defectum. Rursus dicet, Deum

esse lucem, in qua tenebræ non sunt vllę; formam in qua nihil est informe. Sed ista quid ad eum, qui super omnia est, omnēque positionem in infinitum longè transcendit; qui ea quæ sunt, ex nihilo fecit, increatus, æternus, immobilis, incomprehensibilis semper existens; nihil eorum est quæ fecit, qui omnia fecit. Ergo mens supernorum auida linque sensus, transgredere rationem, te quoque ipsam in affectum cordis subducens transcendito, et si non aliis, tibi saltem summi & incommutabilis boni gustum amando comparare non pigriteris. Omnes imagines similitudinesque vniuersas post te relinquens: quatenus à te ipsa atque ab omnibus libere & absolutè ac purè excedendo ad super substantialē diuinę caliginis radium, sublatis omnibus, & absoluta ex omnibus nuda & sola possis euolare.

Intellectum interea tuum captiuum ducito, Imo sepultum sine, affectum quantum potes amando dilatare curato, quoniam Deum nequaquam intelligendo potes comprehendere, quando super omnem intellectum procul eminet; ad quem tamen amando tibi patet accessus, si munda fueris, si libera, si mitis, si tranquilla, si ab omnibus absoluta, tibiq; metipsi rectè vnita.

Non decipiaris gustu velim: quoniam quicquid videris, quicquid apprehenderis, quicquid dixeris, non est Deus, & quod ille est, ru fragili induta cotpusculo, neq; scire, neq; intelligere, neq; si omnibus mundi linguis donata esses, edicere vllatenus potes. Enitere tamen cum sobrietate prudenti nō aliter quam purificata, prorsus ab affectiōibus carnis, nulliusq; amans in hoc mundo nisi solius Dei, passionibus actualiter exuta, placida & tranquilla, sine omni perturbatione q-eta.

Summi boni radius in te suam bonitatem transfudit, qua Deus ipse monstratur tibi lux esse inuisibilis, infinita, incōprehensibilis, veritas veritatis, cuiusq;, rerumq; omnium causa, cuius splendor, imo potius vmbra est lux ista visibilis atque finita causa visibilium. Cuius natura est, vt cæteris alia quæque declaret. Deo autem inuisibli luci cuncta per se verè clarèque conspicua sunt, qui illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil, quod factum est. Sed noli ratio confidere sensibus, quando omnium rerum Principium lumenque indeficiens mystica sollicitudine inuestigare pergis. Obtusi enim sunt omnes corporis sensus, nihilque de summa Veritate percipiunt. Visus tibi non satis nunciauit de lumine, cæteri nullo modo, remotum à sensibus procul omne spirituale.

Conscende sublimem illam mentis speculam ratio veritatis amica, sensibus omnino sopitis, quę cum sit lumen quoddā intellectuale intelligentiaq; luminosa. Imo ab inuisibili lumine quadam participatione illuminata: cuius obiectū est ipsum intelligibile lumen, ipsa te manu ducere potest ad verticem diuinæ caliginis, in qua Veritas summa lucem habitat inaccessibilem. Quid enim ad inuisibilia visus, quando sensualis lux est, quæ tantum sensibilem accipit, datque splendorem? Ad mentem conuertere ipsamque ab omni prorsus iniquitate purgatam, quam te ratio esse docebit lucem quandam rationalem rationemque lucentem ab ipso inuisibili lumine, quod lucet in tenebris illuminatam.

Et ratio nostra lumen est.

Postquam vero rationem lucis tāquam originem tuam ratiocinando tanta auiditate perquiris, quæ cum sit super omnem rationem, nullam omnino positionem eorum quę sunt, aut eorum quę non sunt admittens, te, viribusq; tuis cūctis posthabitis alti⁹ etiam supra mētem conscendas necesse est, per affectū liberū & absolutū ex omnibus ab omniq; vel amoris carnalis vel odii cuiuscunq; implicatione purgatum, ad supremum illum diuinæ inspirationis radium, quatenus in Veritate summa, quę & ipsa certitudo sūma est, claritasq; omnino in cōprehēsibilis, reperias Veritatem lucis, & claritatem superinæstimabilem: cuius idem claritas atq; veritas, omnem longe incomparabiliter transcendit & humanum & Angelicum intellectum, cuius immensa bonitatis veritatisq; exuberantia sine detrimento sui mentes se veraciter quęrentium illuminat, ipsamq; inuisibili igne sui amoris potenter dulciterq; sursum agit animam, quando omnibus inuenerit passio-

Ioan. 1.

sionibus malis & carnalibus esse purgatam. Verum quum corpus quod corrumpitur aggrauet animam, deprimatq; terrena inhabitatio sensum multa cogitantem: ad tam sublimem diuinorum contemplationem haud tam repente prosiliendum est, sed gradatim ascendendum mens admonet, purgato videlicet primũ interiore affectu, ac deinde congruis exercitiis per interualla seruatis: ne caligari contingat ac splendore nimio prorsus occęcari. Animus autem noster, quem iure præstantiori genere velim appellari, non solum per amorem sibi diuinitus insitum, verum etiam per rationem ad supernã pulchritudinem prouocatur: quando videlicet argumentatur ex notis sensui corpoream pulchritudinem, tamquam in deformitate, distantia, mobilitateq; positam, necessario imperfectam esse, ideoq; ab incorporea proficisci, ad quam animus ipse tanquam ad pulchritudinis suæ principium, in quo solo beatum se nouit fieri posse, auida inquisitione, veluti à pulchritudine quæ splendor est, in multis quasi stellis cupiens ascendere ad simplicem ipsius boni lucem, velut solis, quæ quamuis species nulla sit, est tamen ipsa pulchritudinis pulchritudo, cuius cum bonitas & pulchritudo sit infinita, infinitum appropinquantibus accendit amorem. Quanquam verò summum & incommutabile bonum supra omnem positionem & ablationem longe existens, nulla sit comparatione aut similitudine cuiquam mortalium penetrabile, quippe cum finiti ad infinitum, creaturæ ad creatorẽ, hominisq; ad Deum ꝓportio penitus sit nulla, plures tamẽ in scripturis sanctis de se comparationes similitudinesq; admittit, propter intellectus nostri tarditatem, cum nihil eorum sit omnino, quæ nostra licentia præsumpta de ipso dicuntur; non solum his nostri sunt vsi principes & prophetæ, in mysticis de summo rerum omnium principio comparationibus & similitudinibus: Sed etiam gentilium sapientiores quiq; Philosophi, qui vnum esse Deum intelligere potuerunt, quæ nõ alia quam mentis deuotione colendum inuisibilem inuisibiliter statuerunt. Ea quibus Empedocles vnus, volens quadam similitudine imaginabili Deum hominibus infinitum persuadere & immensum, prorsusq; incomprehensibilem, Sphæram finxit, cuius cẽtrum sit vbiq; circumferentia nusquam, cuius cum machinam imbecilli menti proponit cælum terramq; reddit angustam, ipsiusq; imaginis magnitudine inclusam, stupidam simul ac pauore concussam diuinum humiliter adorare numen. Et alter quidam cum idipsum demonstrare mathematica ratione tẽtaret, ex linea recta infinitæ longitudinis circulum, quo nec maior nec minor dari possit lineæ ipsius rectitudine seruata, imaginandam proposuit, quam etsi mens ipsa in se formare prorsus abhorreat, vt impossibilem cogitatu, ex ipsa tamen necessario consurgere circulum, quo nec maior nec minor linea manente dari potest suapte natura intelligit. Ob id in scripturis quoq; sanctis comparationes & similitudines de Deo variæ ponuntur, quæ causę mysticæ & secretæ paucis & quidẽ solis mundis cordibus notæ sapientiæ obuoluũtur, ne ab immundis facilè diuinorum mysteriorum caperẽtur arcana, quæ solis puris sanctitatis amatoribus, qui omnem puerilem phãtasiam in sacris speculationibus destruentes omnino, sufficientes sunt mentis transcendere cacumen, adsummæq; bonitatis simplicissimam pulchritudinem sine aliqua vel imaginatione vel compositione peruenire, sunt reuelanda. Quam ob causam duplicem Theologiam sanctus Dionysius Præsul & martyr Christi confirmat, Alteram quidem secretam & mysticam, significatiuam, ac vere perfectiuam per amorem purificatam supra mentem & intellectum dulciter agentem, quæ paucis est peruia, paucioribus amica, his duntaxat qui carnem suam crucifigentes cum vitiis & concupiscentiis, omnemq; tumultuantis seculi strepitum pro Dei amore calcantes, ipsam Theologiam, non verbis sed operibus profitentur. Alteram verò notiorem apparentem receptiuãq; per litteras & scripta hominum ad homines, philosophicam quam hodie apud multos celebrem satis haberi, licet minus potentem quam prior sit, animam ad diuinum prouocare amorem videmus. Ad primam nobis à secunda transitus quotidiano labore parandus est, in qua saluantur animæ solæ.

Theologia duplex. Prophetica.

Gentiles Deum infinitũ esse cognouerũt.

Oportet enim à creata pulchritudine mundi, quam Prophetica intuetur Theologia, ad ineffabilem pulchritudinem ſummi boni, quam Theologia myſtica conſiderat inquirendo ſtudioſius & amando peruenire: vbi mens omnium quæ in mundo ſunt oblita, & ex omnibus abſoluta, ſurſum per incendium puriſſimi amoris acta, diuini luminis pulchritudinem affectu dulciter vigente incipiat admirari: Hæc eſt Theologia veſtra, clauſtrales, hoc ſtudium diuini amoris ſingulare, nobis præ cæteris ſingulariter indicitur, ad quod omnia ſtudia veſtra principaliter ſunt ordinanda. Sed heu pudet memorari ſtudia clauſtralium, qui Theologiam ſanctam in battologiam pernicioſam verterunt, qui otium ſectantur, & fabulas, quorũ Deus venter eſt, quibus in hac vita dulcius nihil, quam comedere & bibere, & carnis voluptatibus contra regularem inſtitutionem ſaginari.

Inuehitur in negligentes monachos

Hæc à maioribus diſcunt minores, quando Abbates cæterique animarum paſtores, Deum obliti, ac propriæ ſalutis immemores, ſub pietatis vmbra, ſuperbiam auaritiamque ſequuntur ſtudioſiſſime, omne tempus tranſitoriis rebus & curis impendentes, ſeſe quaſi pro recreatione poſt ingentes labores ad varias corporis voluptates miſerè conuertunt.

Væ vobis, & iterum væ, qui terrenis vel curis vel voluptatibus immerſi, ad amorem ſummi boni non aſſurgitis, qui vltimum ſcopum Monaſticæ inſtitutionis non conſideratis, qui cor auerſum habentes à ſummo principio ſolo nomine eſtis monachi & Chriſtiani. Dico, vobis niſi cõuerſi fueritis ad pœnitentiã, non habebitis partem cum amatoribus in regno Dei.

Miranda immo ſtupenda inſania veſtra, quæ vſque adeo vos occæcando prævaluit: vt cum Deo rebelles & contrarii ſemper viuatis, regnum nihilominus cælorum tanquam iuſti ab eo tam audenter expectetis. Et quomodo fieri poteſt, vt anima coniuncta corpori, illique nimia compaſſione ſubiecta, quæ diuini in ſe amoris radium non admittit, ſeparata tandem ad Deum læta euadat, quę exiens non amauit? O miſeri & infelices quam turpiter vosmetipſos decipitis, qui ſolatia veſtra aliunde, quam à Deo quæritis. Impoſſibile eſt animam emigrantem à corpore ad ſuum principium, quod Deus eſt, lætam felicemque poſſe peruenire, quæ Deum ipſum conſtituta in corpore ſuper omnia non amauit. *

Amor enim purus liber à cæteris & abſolutus, inter Deum & animam facit vnionem, qui dum in omni vita ab homine negligitur, nunquam aut raro in mortis articulo poſſe comprehendi credendus eſt. Ergo viuite mortales, dum viuitis diuino mancipati amore, finem vitæ ſemper attẽdentes, qui quanto nobis minus eſt cognitus, tanto amplius metuendus. Age nunc anima perſcrutare vbinam ille ſit, qui omnem mundum cum tanta pulchritudine creauit, qui tam excellentem nobis contulit vitam, qui amantibus ſe lucidas æternasq; manſiones in cœlo promiſit: ipſam in omnibus & variis ſpeciebus pulchritudinem cernis coruſcantem, in qua pulchrũ eſt conſiſtere, pulchrius tamen & magis neceſſarium animum in pulchro iam exiſtentem, vnde nam hæc ſint, & vnde pulchra fiant inveſtigare. Oportet ſanè ipſum pulchrorum omnium auctorem eorum nullum penitus eſſe, alioquin pars quædam eorum erit quæ fecit, quod ratio non admittit. Eſt ergo Principium ipſe Deus ſuper omnia, qui omnia fecit, quem nullus intellectus comprehendere poteſt, quia ſupra omnem intellectum eſt qui omnem intellectum creauit, qui in ſpiritu & veritate colitur, amore puriſſimi affectus inuiſibilis cernitur, qui ſemper incommutabilis permanens, non ſe, ſed nos ad imaginem pietatis, noſtra facit affectione mutari. Qui cum omnia fecerit omniaque poſſit rerũ omnium ineffabile principium, non eſt circumſcriptibile, ſed immenſum, incõprehenſibile, omnia includens, omnia implens, omnia continens. Et quia immenſum eſt, magnitudinem nullã habet. cum magnitudo ſolum in rebus locum habeat externis.

Dei attributa.

Deus, vt dicatur magnus.

Iam verò oportet ipſum magnitudinis auctorem, non eſſe participem magnitudinis, qui cum magnus dicitur, non eſt quantitas vlla, ſed magnitudo illius-

lius est, nihil illo esse potentius, nihilque sublimius, cui non sit neque in cœlo neque in terra quod valeat comparari. Præterea, quod dicimus ipsum Deum per omnia secula seculorum, perque vniuersum vbique regnare: neque significat in eo mensuram, neque vastam rursus immensitatem: alioquin quonam pacto reliqua metiretur; neque figuram aut formam in eo vllam fingere licet: quippe cum illa incomprehenbilis diuinitas & pulchritudinis immensa maiestas omne quod fingi, cogitari comprehendi aut dici potest, infinitis comparationibus procul & in immensum excedat, nihilque sit eorum quæ mortalis homo vnquam intellexit vel intelligere potuit; de qua recte exclamauerit Propheta Esaias: *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israël Saluator* qui ponis tenebras latibulum tuum, & lucem habitas inaccessibilem, à cuius sapienria stultus factus est omnis homo. O pulchritudo diuinæ Maiestatis immensa, solo affectu amanti gustabilis, super omnia mẽti desiderabilis, cuius neq; figuram neque formã accipere possumus vllam, summopere nobis desideranda & amanda, cuius immensus est amor, quem cognoscere & amare æterna beatitudo est. Neque enim hic finitus est amor: quando neque amatum ipsum quidem est finitum, sed eius amor est infinitus æterna fœlicitate semp præmiãdus. Quapropter & pulchritudo eius super omnem pulchritudinem amabilis: omnem nimirum pulchritudinem creauit, cuius & Principium & finis cum sit non illius est patticeps, quam sine cõparatione in immensum, sua pulchritudine, bonitate, veritate, & ęternitate supra omnem positionem existens transcendit.

Dei pulchritudo

Isa. 45.

At nunc te cõsiderare vlterius oportebit, quemadmodũ mens ipsa se suo debeat conformare principio: quanam ad illud post lenocinia voluptatum inquisitione reuertendum, quæ necessitas, quæue vtilitas reuertentibns imposita, & postremo, quis modus purgandi affectum ab infimis & carnalibus passionibus, summum & incommutabile bonum appetentem, quatenus liber & absolutus à concupiscentiis, rationi & rectitudini mentis aduersis, sursum amoris induat commeatum.

Gen. 1.

Animus enim ipse noster ad Imaginem Dei scriptura testante, factus, semper quidem insito sibi naturali amore prouocatus, ad fontem suæ pulchritudinis appetit habere recursum suoq; vniri principio, quod ratio optimum persuasit amandum, quod speciem omnem supereminens amandi natura vnicum beatitudinis ipsius consistit obiectum, cui q; cunq; in speciem referens monstraueris nõ satis est, cum in hoc ipso aliud q̃ddam semper q; formauerit ipsũ expetat. Docet nãq; ratio omne q; formã habet ipsamq; formã speciemq; aliquid esse mensuratũ, & ob id neq; vniuersum esse, neque per se sufficiens, neq; suapte natura pulchrum, magis autem esse permixtum, nõ purum non simplex & ab alio factum. Oportet igitur hæc esse pulchra, sed mensurata. ipsum verò summnm bonum, quod reuera pulchrum vel potius superpulchrũ, nullius mẽsuræ limite circumscribitur. Certe nec esse formatum, item nec esse speciem, nec aliquid eorum, quæ nobis aut alicubi in mũdo, sunt nota participãs. Quod igitur primo est amabile, primumq; existit omnem prsus speciem supereminet, pulchriq; intelligibilis illic super omnem intellectum pulchritudo, decorq; extat ipsa bonitas summa: ab omnibus quę sunt, & quæ non sunt, liberum, absolutum semper existens, rerum omnium viuens principium animi rationalis, summum & incommutabile bonum, semper vbique præsens. Quod cum primum illuxerit animo iam sereno & ab infirmis purificato, mirificum accendit amorem, quando videlicet formas omnes inrentionesque, non solum imaginabiles, sed etiam intellectuales mente transcendens exuerit, tunc per amorem infiniti boni seipsum despiciens, & omnia quæ vel dici vel cogitari possunt, gaudio lætatur ineffabili; Quod quidem non solum post vitam præsentem, verum etiam in hac vita consequi animus quandoque potest vt purgatus ab infimis sibiquemetipsi libere redditus & vnitus, per amoris desiderium ita sursum feratur manente propria essentia effectuosè in Deum, quo penitus oblitus omnium, quæ in mundo sunt, sed & seipsum nescíens gaudio perfundatur inenarrabili. Nouerunt hæc, qui sunt experti, quorum Virtutes illis, si rempus admitteret, in faciem obiicere possem: qui cum sint car-

nales & vitiis dediti, velamen super cor habentes expansum, mysticam Theologiam sanctorum & vitam contemplatiuam, nihil veritatis habere somniantes, in opinione hominis indocti, vt ipsi dicere solent pro qualitate affectionum confingi arbitrantur: De quibus dixit S. Apo-
1. Cor. 3. stolus. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, stultitia est enim illi, & non potest intelligere quia spiritualiter examinatur.* Et Sanctus Iudas Apostolus. *Hi sunt inquit qui segregant semetipsos, animales spiritum non habentes*, Infelices illi, qui terrenis curis & voluptatibus carnis semetipsos immergunt, qui vanam huius mundi scientiam venantur, cum honoribus falsis: quorum sicut mens semper infimis occupata, nunquam se à sensibilibus nouit excutere: ita ad diuini amoris dulcedinem assurgit. Erratis ô mortales, & vehementer quidem erratis qui aut vanis studiis intenti, aut curis mundi demersi, aut carnis voluptatibus seu passionibus malis oppressi: vos Deum vel cognoscere vel amare putatis. Fieri namq; nõ potest, vt mens quę aliud quod uis amat circa quod occupatur, summum & incommutabile bonum quod Deus est, pure amare queat, aut illi per desiderium aliquãdo copulari: sed oportet neq; boni neq; mali aliud quidquam in promptu habere: vt libera & absoluta ab omnibus quandoq; cupiat sola solum. Non enim fieri inter Deum & mentem vnio potest, nisi cum abiectis omnibus, quæ vel maculare affectum vel intellectum confundere solent, ipsa mens pura purissimo, munda mundissimo, vna vni, solaq; soli per amorem coniungitur.

Nemo Deum amat nisi amore carnali exutus.

Accede nunc homo ad cor altum, & post tantam culturam animi tui qua studio literarum variisq; traditionibus magistrorum à iuuentute vsq; in senectam, & senium pro modica scientia laborasti, mitte tandem diuinæ dulcedinis semen inagrum cordis tui, vt fructum aliquando sanctissimi capias amoris, sine quo ad fruitionem incommutabilis boni nemo perueniet. Pulchra sunt quidem studia literarum, receptiuæ operam dare Theologiæ iucundum; Iuris, astronomiæ, Poësis, musicæ, Rhetoricæ, Arithmeticæ, cæterarum habere scientiam delectabile quidem est: non tamen in eis ita senescendum, non immorandum, non omne tempus vitæ consumendum, sed ab his potius ad summam pulchritudinem per scalam amoris ascendendum, in qua vera beatitudo animi omnem creatam pulchritudinem in infinitum transcendit. Alioquin agrum mentis per quotidianum studium literarum quasi arando laborioſe colere ô viri docti quid prodest, si aut diuino semine ieiunus non feritur, aut fructus interni amoris inter spinas diuitiarum & vepres voluptatum tenuis suffocatur. Si prouerbio credimus, immo si oculos habentes apertos, quæ nos docet experientia videmus, rarior est inter doctos vitæ synceritas: qui quanto sunt per scientiam acquisitam intellectu clariores, tanto sunt fœdiores affectu, in quorum persona S. Augustinus audita conuersatione diui Antonii, iusto dolore motus exclamauit. *Surgunt indocti & cælum rapiunt, & nos cum doctrinis carni seruientes & sanguini, descendimus ad infernum.* Conuertimini ad cor viri sapientes, curas linquite vanas, purgate animos ab omni affectione carnali, odium pellite simul ac amorem, mentes vestras ab omnibus, quę diuinum possunt impedire suauem influxum mundate, quatenus Deum amare veraciter possitis: ad cuius fruitionem superamabilem, animus post vitam præsentem nequaquam admitti potest, qui illum in carne positus super omnia non amauit. Qua propter vt gradatim ad veram conuersionem menti paretur ascensus, cum nemo repente fiat summus, scalam septenis gradibus distinctam, paucis verbis erigimus, per quam mens ipsa in cognitionem summi boni vtcunq; ascendens, diuini amoris modo sanctis exercitiis perseueret instans, mereatur nanciscì dulcedinem.

7. gradibus ad cognitionem summi boni ascenditur.

PRIMVS itaq; gradus, est purgatio ipsius animi ab omni videlicet affectione corruptibilium rerum, actionumq; & cupiditatum, vt sit mundus, quietus, tranquillus, absolutus à curis, vacuus à desideriis malis, liber ab omni amore carnali, sibiq; metipsi innata pulchritudine pro viribus vnitus. Animæ namq; pulchritudo naturalis à summa pulchritudine formata, corporis assumpti commixtione fœdatur: quemadmodum & auro accidit turpitudo, si glebis terreis offunda-

I.

tur;

tur: quas si quis excusserit purum subito restat aurum: idque iam pulchrum, cum ab alienis fuerit segregatum, sua videlicet ad pulchritudinem puritate contentum.

Eadem ratione anima ab his cupiditatibus segregata, quas nimio corporis commercio in se concepit, à cæterisque perturbationibus liberata, deletis iam maculis, quas corporea familiaritas lõga consuetudine inusserat, atque ita sola sibi relicta proculdubio turpitudinem omnẽ abaliena natura prius imbibitam, expurgauit: amissaque pulchritudine rursus inuenta iam primum diuinæ cognitionis ipsumq; magis difficilem gradum ascendit.

Quapropter scripturarum oracula rectè quidem vaticinantur, animam non purgatam in præsenti vita à peccatis in carne contractis, post mortem apud inferos in cœno iacentem cruciari. Impurum namq; ob prauitatem suam cœno est amicum, quemadmodum sues corpore sordidi, cœno & sordibus delectantur.

Quidnam aliud vera temperantia est, qua sola maximè decoratur religio Monastica, quam corporeis voluptatibus non indulgere, sed eas tanquam impurissimos animi morbos procul effugere? Fortitudo vero, nihil metuere eorũ, quæ transitoria sunt, neque ipsam quidem mortem, quæ non est, nisi quædam animæ à corpore seperatio, quam non metuit animus, qui solus esse desiderat, suoque in æternum principio feliciter vniri. Præterea, quid aliud magnanimitas, quam rerum mortalium pro diuino amore contemptus? Et prudentia quidem intelligentia est inferiora declinans, animumq; erigens ad superna. His anima instituta doctrinis, iamque à sordibus vitiorũ purgata, ratio & pulchritudo sibi vnita euadit: quæ nullis deinceps voluptatibus carnis summo principio aduersis cõcedat, in pulchritudinem intellectumq; mirifice redacta, diuini splendoris radio proficit illustrata.

II. * SECVNDVS gradus est cognitio diuinorum operum, quorum cum pulchritudinem mens in multis & diuersis speciebus admirando considerat, fieri non potest, vt non sursum aliquando ad tantæ pulchritudinis auctorem cum desiderio amoris sese attollat vnde & Sanctus Apostolus dicit ad Romanos: *in visibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspici.* Rom. 1. Omnis enim pulchritudo mundi à summa pulchritudine formata est, ad cuius cognitionem nos sua varietate inuitat, vsq; adeo, vt nihil illo sit stultius, quem tanta pulchrorum varietas, ad contemplationem summæ pulchritudinis non accendit. Ipsa quoque series scripturarum, quid aliud nobis insinuat, quam summum illud incommutabile bonum Deum, in principio creasse cœlum & terram, & omnia, quæ ipsius cœli ambitu continentur, per ipsum facta miracula, ac stupenda, quorum non est numerus, quæ nos suo clamore nisi lapidibus simus duriores, ad cognitionem summæ veritatis quasi manibus compellunt?

III. Tertius gradus est contemplatio ordinis, quo opera inferiora reducuntur ad superiora gradatim. Cum enim mundus supercœlestis arque etiam cœlestis sit ordinatissimus, necessario ordinatus est etiam sublunaris: in quo cum inferiora homine sint ordinata, ergo multo magis humana. Singula igitur hominibus contingentia iustè diuinitus dispensantur, quãquam nos eorum lateat causa. Summa namque prouidentia tam pulchro tamq; manifesto mundum ordine gubernat, vt bonitatis, sapientiæ, ac omnipotentiæ suę non sit euidentius indicium aliunde nobis inquirendum, quam in eo, quod ipsa nobis vniuersi machina ordinata proclamat. *

IIII. Quartus Gradus est comparatio quædam proportionalis ex ordine inferiorum operum ad diuinum ordinem sese conferens. Nam sicut omnis pulchritudinis auctorem pulchritudinem oportet esse infinitam, in se penitus sufficientem nullius indiguam: ita cunctis supereminens ineffabile bonum quo placidissima voluntate sua ordinante vniuersum vario decore vestiuit, miro & incomprehẽsibili ordine in sua maiestate semper consistit.

V. Quintus gradus autem est negatio, per quam cũcta, quæ concipis, separes à summo rerum omnium principio: quemadmodum Sanctus Dionysius in Theologicis mysticis docuit, & nos in priore parte huius orationis nostrę locuti sumus.

Sum-

Summa enim & incomprehensibilis illa Maiestas omnium rerum causa cum sit super omnem positionem eorum, quæ nos aut quisquam alius in mundo scire, intelligere, vel dicere potest, omnem imaginem, similitudinem, formam aut speciem abhorret, & ob id propius ad eam negatione quam affirmatione mens nostra consurgit.

VI. Sextvs gradus est supplex ad Deum oratio, vt ipse intellectualis mundi pater te reddat mundum, intellectualem actu. Ad hæc memoranda sunt abs te beneficia, & dona gratuita, quę tibi omnipotens Dei bonitas larga non merenti concessit, maximè autem beneficium redemptionis, quod vel solum sufficiens est mentem emollire ad ingentem compunctionem, vsu & familiaritate intentè memoratum.

VII. Septimvs & vltimus huius scalæ gradus est, vt cum ipse iam intellectualis mundus summi boni dono euaseris, vlterius amore ipsius boni, concitus ex statu intellectuali transformeris in bonum superius intellectu, vbi sedes quieta sanctæ contemplationis, animam sanctam suo per amorem vnit principio, ipsa quidem in sua essentia manente, abstracta autem ab hominibus alienis fit vnum per gratiam cum Deo per naturam, hîc inparte, post mortẽ in toto.

Ascendendum itaq; nobis, ô Patres, ad ipsum summum bonum, quod anima omnis appetit, in quo solo æternam beatitudinem consequutura est, si conuersa adipsum per amorem discedit à corpore. Ingrediatur ergò atq; progrediatur quicunq; potest in intima, extra relinquens intuitum oculorum neq; solita spectacula seu suum vlterius à tergo respiciens. Oportet enim summam pulchritudinem in monte contemplationis intuentem nihil penitus corporeæ pulchritudinis vltra spectare: sed cognoscentem corporea hæc esse imagines, vestigiaq; & vmbras, ad illud omnino confugere, cuius hæc sunt opera & simulachra. Creata enim pulchritudo non tenere mentem, sed ad increatam gradatim traducere debebit: alioquin cũ Vlysse proclamandum. Abeamus hinc amici in patriam dulcem confugientes. Patria verò nostra ibi est vnde venimus, sicut & sanctus Apostolus dicit, *non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus*, ad quam non pedibus est fugiẽndum, neque rursus equos ad vehendum, neq; naues ad nauigandum propterea parare debemus. Imo verò hæc cuncta dimittere, neq; prospicere quidem, sed visu corporis clauso, alterum pro eo visum mentis interiorem assumere atq; suscitare, quem habent quidem omnes: vtuntur verò perpauci. Neq; tamen ad insolitum diuinæ claritatis lumen temere prorumpendum, cum intimus ille oculus subito experrectus haud valde lucida potest aspicere. Assuefaciendus igitur animus diuinis spectaculis inferendus, primo quidem studia pulchra considerare, deinde opera pulchra, opera inquam, non quæ fiunt ab artibus, sed quæ à viris probis aguntur, quorum exemplo ad amorem virtutis prouocatus imitatorfias illorum inspectæ bonitatis. Animum quoq; tuum experire, qualis sit, reuoca te in teipsum atq; contemplare: At si nondum te cognosces pulchrum & ab omni sœditate corporeæ familiaritatis purgatum, statuarium imitabere, qui vbi statuam optat pulchram, partim quidem abscindit, partim quoq; dirigit, & expoliturus abradit, partim leuigat & abstergit, donec faciem in statua exprimat speciosam: ita & tu, tolle superuacua: obliqua dirige, obscura purgando colliustra, neq; desinas circa statuã tuam elaborare, quousq; diuinæ virtutis fulgor tibi subrutilet, cernasq; firmiter in maiestate pura sanctaq; temperantiam sedentem. Cum verò mundus euaseris, atq; purus iam habitaueris ipse tecum, nihil videlicet habens impedimenti, quo minus sic vnus efficiaris, neq; rursus habens aliud quicquam intus tecum admixtum, sed totus ipse liber, abstractus, & absolutus ab omnibus passionibus carnis, & affectionibus malis, visus ipse tuus interior iam recte ordinatus & purificatus mentem ad contemplationem incircumscriptibilis luminis vtcumque sustollere potest.

Heb. 14.

At verò, si forte oculus mentis, qui est ipse affectus, vel sordibus infectus, nec dum purgatus, vel ignauia debilis in spectaculum lucidissimum intendatur caligabit protinus nihilq; discernet. Mentis enim oculus, alter intellectus, alter affectus dicitur, qui nisi mundati am-

bo legitimè fuerint accedentē ad ſpeculationem diuinorū cæcū potius reddent ac inſanum, quam diuini luminis participem. Nam quicunq; adhuc paſſionibus carnis deditus, necdum verò mortificatus animo, ſecundum regulam Monaſticam ad contemplationem incircumſcriptibilis pulchritudinis temerarius acceſſerit: reuerberatus mox ab immenſo lumine cæcus abibit, magniſque erroribus plenus. Dicit enim ſanctus Propheta Dauid: *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet me Dominus.* Et vir ſapiens ad propoſitum concludens ait: *In maleuolam animam non introibit Sapientia: nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Iam vobis & profeſſioni veſtræ attendite, ô clauſtrales, qui in partem vitæ contemplatiuæ vocati, & ob id curis omnibus abſoluti, fideliumque manducatis eleemoſynas, ne vobis intermittendi ſtudium ſanctum præberetur occaſio, ſi de neceſſariis, corpori ſolicitudinem agereris. Quid facitis? vbi indicta vobis dulciſſima contemplationis tranquillitas? Heu heu, omnes ad vitam contemplatiuam ſumus vocati, & dulcedinem contemplationis penè omnes ignoramus. Rariſſimus eſt hodie monachus & multo rarior Abbas, qui exemplo ſanctorum Patrū vitæ contemplatiuæ det operam, imò, ſi dici fas eſt, pauci quid ſit contemplatio hoc tempore nouerunt. Propterea ô Monachi, cum nō ſitis, quod eſſe ſecundum inſtitutionem veſtram deberetis: mali eſtis. Omnis enim qui non eſt, quod eſſe debet, malè eſt; mali autem retributio infernus. Rectè autem dicitur bonum pulchrumq; animæ in eo conſiſtere, vt Deo ſit ſimilis quadā pulchritudine puritatis & amoris abſtracta ab omnibus, quæ ipſam efficere turpem ſolent, quando non niſi inter ſimilia fieri vnio poteſt. Quiſquis ad eam animi puritatem acceſſerit, vt ſapere incipiat ea quæ dicimus, facilè deinceps acres quoslibet affectus, carnalesq; ſiue terrenos amores contemnet, proculque abiiciet omnia, quæ prius pulchra videbantur. Maximum hîc extremumq; nobis propoſitum eſt certamen, cuius gratia prorſus elaborandum, ne fortè relinquamur optimæ huius contemplationis expertes; quam quiſquis aſſequitur in præſenti vita, ad futuram euadit felici viſione beatus; contra verò, qui non conſequitur, eſt infelix. Non enim miſer eſt, qui diuitiis, pecuniis, vaſis aureis argenteisq; & honoribus caret: neq; qui poſſeſſiones ſplēdidas, pulchros equos, nobilem vxorem, liberos ingenuos & formoſa corpora non conſequitur: neq; qui à potētia, Abbatia, prælatura, principatu, regnoq; excidit; neq; is, qui aut morbis, aut inopia & cōtumelia in hoc mundo afficitur, quæ cuncta breui ſunt tranſitura, ſed qui ſummi boni caret poſſeſſione: ꝑ qua certe omnia regna imperiaq; terrę totius & maris, atque cæli oportet abiicere: ſi relictis his omnibus atq; ſpretis ad tanti boni ſpeculationem nobis concedatur ingreſſus.

Sap. 1.

Pſal. 65.

*

FINIS.

ORA-

ORATIO OCTAVA,

IN LAVDEM RVPERTI QVONDAM TVITIENSIS ABBATIS AD INSTANTIAM DOMINI GERLACI BREITBACH ABBATIS Tuitienſis conſcripta.

MAXIME optarem, religioſiſſimi fratres, eam mihi dicendi vim collatam à ſuis eris, qua RVPERTI veſtri clariſſimi quondam huius cœnobii Tuitienſis Abbatis præclara merita, ornatiſſimos mores, cumulatiſſimasq; virtutes condignis laudibus poſſem effari. Talis enim, ac tantus vir erat is, vt cuius meritis, nedum mea, ſed cuiusuis oratoris eloquentia longè inferior iudicetur. Nam ſi vitæ ſanctitatem inquiras, homo religioſiſſimus erat: ſi ſcientiam, vndecunq; doctiſſimus: ſi mores, omni honeſtate inſignis. Claris enim parentibus ortus, fide clariori effulſit, dum pro Dei amore ſeculum contemnens, ſe monaſticis cum magno feruore ſubmiſit inſtitutis, malens pro Deo cum legislatore noſtro BENEDICTO laboribus fatigari, quam ſeculi huius fauoribus inaniter extolli. Potuit enim transgredi, & non eſt transgreſſus, & facere mala, & non fecit: ſed ſemetipſum humilians ſecutus eſt Dominum, contemnens pompam ſeculi ad cæleſtia regna, vt confidimus, feliciter peruenit. In monaſterio autem conſtitutus ſe omnibus inferiorem æſtimauit, qui ſanctis Patribus compar extitit. fuit enim intuentibus exemplar honeſti, forma viuendi, regula pietatis. Electus autem in Abbatem Tuitienſis monaſterii, qualem ſe præbuerit ſubditis, quam piũ, quam ſolicitum, quamq;, vbi oportebat, ſeuerum, quis explicabit? Erat enim inceſſu grauis, voce ſublimis, ore facundus, vultu placidus, in motu vel actu corporis honeſtus. Quantum verò ad interiorem hominem pertinebat, erat fide firmus, ſpe certus, gemina caritate repletus, ſapientia clarus, fortitudine robuſtus. Erat ei honeſtas in actione, ſobrietas in conſuetudine, humilitas in proſperitate, patiens in aduerſitate conſtantia. Erat paſtor ouium Chriſti peridoneus, qui ſe omnibus opportunè nouerat exhibere rectorem. manſuetis erat affabilis, ſuperbis terribilis, deuotis per humilitatem ſocius, diſſolutis per auctoritatem metuendus. Ad ſe autem erat in oratione deuotus, in meditatione profundus, in lectione ſtudioſus, in contemplatione diuinorum præcipuus. Nemo illum vnquã reperit otioſum, cui indeficiens erat ſtudium ſcripturarum. Semper legit, ſemper ſcripſit, ſemper orauit, vt velut alter Origenes ſiue HIERONYMVS hunc viuendi ſibi ordinem conſtituerit, vt orationem lectio ſuſciperet, & oratio lectionem terminaret. Tam verò aſſiduus extitit, vt nullum tempus, ſiue diurnum ſiue noctunum fuerit, quod tum vigiliis, tum lucubrationibus ignauum aut feriatum ſibi præterire paſſus ſit: ſibi interdiu cibum & ſomnum, reliquaq; corpori neceſſaria ſubtrahens, vt ſtudio commodius inſiſteret ſcripturarum. Probant hoc accurata, quæ conſcripſit opuſcula, in quibus

Ruperti genus.

Eiusdem virtutes.

Vigiliæ in ſtudio litterarũ.

quibus omnino de scientiæ doctrina collaudatur. Magna sub eo disciplina religionis in Tuitiensi monasterio viguit, deuotio maxima fratrum arsit, studium scientiæ salutaris floruit, caritas geminata in eis radiauit. Sub sancto & docto pastore ouium securè triumphauit integritas.

Solebat fratres suos incredibili feruore ad studium scripturarum accendere, ab eis propositas sibi quæstiones enodare, ad proponendas crebrius libenter excitare. Sciebat enim vir sapiens duplex in hoc latere commodum, quando illis scitè respondendo & se doctum, & illos redderet studiosos. Vnde in quotidiano & familiari eius colloquio sermo turpis, inutilisuè nunquam solebat audiri: detractio nunquam admisceri: sed erat sermo eius de animæ salute, de religionis profectu, de sanctarum maiestate scripturarum iucundissimus ei erat conuictus sapientię quæ in sanctis litteris continetur, quam sine fictione didicit, & absq; inuidia desiderātibus communicauit. Cum aūt esset adhuc minus eruditus, tam in secularibus litteris, quam in scripturis diuinis, orādo continuè & legendo petiuit à Dño cum Salomone donū sapientiæ, nec ab oratione incæpta destitit, donec spiritu sancto p visionem inspirante copiosissimè vltra omnes contemporaneos suos, quod optauerat, accepit. Erat autem beatę MARIÆ semp virginis ardētissimus amator, cuius intercessione tantum sapientiæ munus obtinuisse creditur. Ad cuius laudem postea, ne ingratus fieret beneficio, Cantica canticorum septem libris expositi, ita ad eius honorem vniuersa referens, vt eius intuitu specialiter conscripta videantur. Ego autem alium neminem hoc expositionis genere in Cantica reperi desudasse. Et reuera mirandum, & planè commendabile opus, quod sine exemplo in tantū laudis virgineæ genitricis Dei altitudinis fastigium profecit. Qualis autem in disciplina regularis obseruantiæ RVPERTVS noster fuerit, liber, quem super regulam S. BENEDICTI composuit, lectus indicabit. Neq; enim aliter vixit, quam in expositione legis nostræ viuendum monachis fore intimauit. Erat sermonis sācti factor deuotus, & doctor fructuosus. Quantum verò in diuinis scripturis legendo profecerit, tredecim libri, quos de victoria verbi Dei ad CVNONEM Sigebergensem Abbatem edidit, liquidè ostendunt, in qbus totam scripturam percurrens, dum victoriam verbi diuini subtiliter aperit, nostræ salutis rationem in ea consistere declarauit. Scripsit etiam super vetus testamentū de sancta Trinitate prænotatum opus egregium: quod si legere volueris, quid in sanctis Scripturis potuerit, facile videbis. Nam, vt iam diximus, per diuinam pietatem illustratus tantum in exponēdis scripturis valuit, vt in omnium admiratione maxima habitus Doctor suo tempore doctorū sit publicè probatus. Hoc FREDERICVS Colonienſis Archiepiscopus pluries in eo expertus magna caritate virum colebat: vnde sedulo ad expositionē scripturarum illum hortabatur. Et merito qdem in omni honore & reuerentia habēdus est, quem spiritus sanctus in agnitionem scripturarū instruere dignatur. Deniq; non solum in diuinis scripturis Hierophantes noster illuminari meruit, verūetiam in secularibus litteris adeò eruditus comprobatus est, vt quicquid ipse nō cognouerit, alius facile ignorauit. Quam dulcis, quamquè ornatus ac disertus fuerit eloquio, libri, quos pene scripsit innumerabiles, requisiti fatentur.

Postulat a Deo scientiam scripturarum.

Archiepiscopo Colonienſi carus.

Sermone disertus.

Ingenii autem vires & profunditatem scientiæ facilè comprobabis, si in lectione eorum, quæ scripsit, aliquantulum fueris commoratus. Amoris enim diuini, quæ interius ardebat vis, verba quoque exterius ardentia formabat, quia dum ex abundantia cordis feru en os loquitur vltra consuetudinem hominis sermo in altum eleuatur. Caritas quippe DEI, quæ in pectore docentis feruebat, nullum exire verbum otiosum vel inutile cadere permittebat. Erant itaque verba eius ardentia plena rationis & vtilitatis, matura & quadam auctoritatis maiestate veneranda. Erat interdum iucundus, dissolutus nunquam, quia maxima in eius moribus honestas videbatur.

* * *Eandem B. Mariæ precibus consecutus.*

In regulam S. Benedicti scripsit.

Idoneus valde erat ad persuadendum vt etiam Hortensius in eius comparatione deficeret, quippe qui multorum animos fratrum suis exhortationibus mellifluis in vnitate pacis conseruauit. Intuebātur eum fratres sui, vt angelum cōuersantem, in quo totius religionis speculum & norma relucebat. In omnibus enim se

eis imitabilem exhibuit, qui curam se omnium nouerat suscepisse, puritatē cordis in tantum amauit & coluit, vt etiam illas negligentias cogitationum minimas velut magnas deploraret. Omnis negligentia sibi culpa videbatur, qui ad mentis puritatem aspirabat. Vnde vt peccati maculas deuotus abstergeret, orationibus sedulis penè cum lachrymis instabat. Dulcis erat illi somnus mysticus operanti, qui in floribus paradisi commoratus fructus suauissimos in oratione carpebat. O sancta viri deuotio, qui nunquam sinebat se esse otiosum. Nam vt lectioni sacræ quietius posset insistere, curam rei familiaris abhorruit, amauit secretum, tumultus hominum vitauit, sollicitudinem verò temporalium, sine quibus spiritualia non possunt subsistere, idoneis fratribus commisit, ipse orationi & studio vacauit. Cura enim temporalium, & amor scripturarum in vno pectore habitare non poterant. *Tranquillam & vacuam curis sapientia mentem imbuit, & placidi pectoris hospes erit.* Ipse verò erat homo placidus & mansuetus, nec cito mobilis ad iram, sed corde mitis, qui bene furorem nouerat superare. Sedebat solitarius, & leuabat se supra se, dum mundum fugiens in campo scripturarum multa ac varia syntagmata composuit.

Nunquã otiosus.

De cuius opusculis, quantum ad nostram memoriam peruenit, iam in secundo libro de illustribus viris nostri Ordinis fecimus mentionem. Erat enim, vt diximus, homo vndecunque doctissimus, ingenio subtilis, scientia clarus, eloquio dulcis, & ornato lepore decorus, qui nescios docuit, errantes correxit, confudit hæreticos, superbos prostrauit. Amator virtutum erat ardentissimus, & hostis vitiorum; in suis enim moribus dedit intelligi, quid in cæteris amaret. Detestabatur superbiam, auaritiam calcauit, luxuriam vicit, iram domuit, odium fugauit, inuidiam expulit, gulam prostrauit. In paradiso scripturarum fixit desiderium cordis, & ideò nullus potuit in eo vitiis patere accessus. Nam frequentia eius ieiunia, crebræ carnis macerationes, iuges orationes, vigiliarumquè instantia vitiorum in eo vires extinxerunt. Non est virtus, quam Ruperti conuersatio nesciret. Caritas enim DEI in eo diffusa ardebat, fides floruit, spes erecta vigebat, prudentia sancta claruit, temperantia discreta triumphauit. Erat corde humilis, eloquio dulcis, affectu pius, opere strenuus, disciplina zelosus, corpore castus, animo quietus, oratione continuus, studio feruidus, prudentia cautus, deuotione præcipuus, zelo discretus. Et quid opus est multa me percurrere: dies me profecto deficeret, si singulas virtutes eius enumerare velim.

Elogia eius.

Excedunt enim eius merita oris mei facundiam: & styli vires facile superant. Vnde, quamuis inter diuos Patres non sit relatus ab Ecclesia; credimus tamen cum sanctis eum in cælesti beatitudine festinare. Nec multum de hac negligentia solicitamur, quia non in hac vita sanctitatis præmia, sed in futura nouimus esse donanda. Festa autem sanctorum nō faciunt sanctos, sed probant. Et honores iustis impensi nihil illis conferentes ad vtilitatem viuentium referuntur. Sed quis dubitauerit, innumerabiles eū Christo regnare sanctos, quorum apud viuentes nulla festa celebrantur? Sufficit illis æterna iam possessa felicitas, quibus negligentia nostra nihil minuit impensus honor, nihil augebit. Ergo si vita religiosa sanctos constituit, RVPERTVS Tuitiensis Abbas iure sanctus censendus est, quem doctrina illustrem, conuersatio venerabilem fecit. Insigne sanctitatis est, si is qui honore colitur sancti spiritus testimonio iustus comprobetur. Sicut olim apud Syros beatus Leuita & monachus EPHRÆM spiritu sancto per visionē doctor ardens constituitur: Sic RVPERTVS presbyter noster & Abbas eadem facultate illustratur. Æqua virtus præmium æquale meretur. Nec dicimus scientiam scripturarum ad sanctitatem sufficere, quam boni & mali possunt habere communē, sed de illa virtute caritatis loquimur, quę sola inter bonos & malos discernit. Hæc Rupertum terris venerabilem, & cælis reddidit glorioſum. Merito ergo sanctus creditur, q̄ gemina caritate refertus, & Deū pura mẽte coluit, & ꝓximū tanq̄ semetipsum amauit. Non enim sibi solum laborauit, quod multi faciunt, sed omnibus exq̄rentibus veritatem. Sibi etiam sanctus laborat, dū orationi & cōtēplationi intentus ꝓximū erudire & informare recusat.

Non est canonizatus.

S. Ephræm.

Ru-

Rupertus autem noster omnibus prouidit, dum & sibi per orationem, & aliis per doctrinam intendit. Et ideo duplici honore dignus habendus est, qui bene præesse curauit: fratres etiam suos huius Tuitiensis cœnobii ad regularem obseruantiam viuere adeò diligenter instituit, vt etiam post eius decessum annis multis laudabilis vita monachorum inibi permanserit. Sed tempore succedente deuotio monachorum rursum tepuit, & mundialis pompa sanctam obseruãtiam penitus destruxit. In qua deformitate per plures annos multi miserabiliter perierunt: donec tu tandem GERLACE pater venerande surrexisti, teq; murum opponens pro domo Dei antiqua RVPERTI viri clarissimi tui antecessoris vestigia suscitasti, & in hoc loco pervigili cura introduxisti ordinis reformationem. Vnde, qua possum sedulitate te tuosq; exhortor fratres, vt obseruantiam introductam laudabiliter continuetis, ab eo laborum vestrorum recepturi præmium, qui bonis operibus donat incrementum. Intueamini RVPERTVM vestrum, de quo loquimur: & quantum possibile est ad eius imitationem festinate: qui talis, tantusq; extitit, vt sua vita omnibus præbeat exempla virtutum. Quid enim illi deesset virtutis, qui ita vixit, vt ne curiosis quidem oculis daretur occasio detrahendi. Summa prudentia, summa religio, summa pietas in eo relucebat, ita vt cunctis in exemplum viuendi positus videretur. O venerabilem virum, cuius tota conuersatio doctrina erat, cuius mores ad pietatem non minus, quam verba faciebant. Constituit eum Dominus super familiã suam traditisq; talẽtis ad vsuram sanctam pręcepit esse solicitum, qui curam suorum gerens feliciter pecuniam Domini sui mysticam ad lucra magna exposuit, dum affectu purgatus donũ quoq; intellectus quod accepit, ad vtilitatem multorum dilatauit. Caritas enim Dei, quam gerebat in pectore, eum ad opera pietatis semper excitabat. Amor quippe Dei nunquam est otiosus: operatur enim magna, quia dum interius ardet in mẽte, foris illuminat in operatione. Vnde Rupertus nunq; fuit otiosus ab opere, quia interius ardebat ex amore. Magnus amor magnum ꝓduxit incendium, qui totis desideriis salutem sitiuit animarum. Sciebat enim vir prudens, q; super omnia sacrificia zelus animarum in cõspectu Dei placeret. Multos ergo erudiuit ad iustitiam, & ab iniquitate plurimos auertit. Iam autem in cælestibus gaudens recipit mercedem laborum suorum. ad cuius gloriam si peruenire cupimus, eius oportet vestigia sequamur.

Amor Dei nunquam otiosus.

FINIS.

IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEMENSIS EPISTOLARVM LIBER VNVS.

Epistolarum argumentum.

I. *Sacerdotem nouitium instruit de officio, & virtutibus pii sacerdotis.*

II. *Arguit monachum causa adeundæ eremi temerè cœnobio egressum.*

III. *Moniales hortatur ad sectandam caritatem, humilitatem, & in tentationibus perferendis patientiam.*

IIII. *Documenta optima sacerdoti tradit de vita piè traducenda, de cauenda familiaritate mulierum, de studio S. scripturæ & S. Patrum, de fugienda ebrietate, tabernis, detractione, otio & ignauia.*

V. *Acriter obiurgat sacerdotem, qui plura beneficia Ecclesiastica iniustè per dispensationem summi Pontificis obtinuerat.*

VI. *Caussam monachi fugitiui censet ad communem Abbatum conuentum referendam.*

VII. *Hortatur monachum lapsum, vt resipiscat, & cœnobii reformati disciplinæ se subijciat.*

VIII. *Eiusdem argumenti ad eundem.*

IX. *Sacerdotem hortatur, ne, quo placeat hominibus, negligentius officio suo faciat satis, à tabernis & ebrietate absterret, & ad studium scripturarum inflammat.*

X. *Eundem inflammat, vt ne propositum ingrediendi religionem monasticam differat in senectutem.*

XI. *Iterum eundem monet, ne procrastinet ingressum cœnobij, vt in quo studium sacrarum litterarum, veræq; pietatis maximè vigeat.*

XII. *Conqueritur se nimiis curis opprimi, & suffragia precum Guardiani Minorum apud Crucinacum efflagitat.*

XIII. *Præscribit cuidam modum proficiendi in studio diuinarum scripturarum.*

XIV. *Fusè exponit, cur angusta dicatur via ad vitam æternam, lata verò ad perditionem. deinde rationibus aliquot ostendit, non ideò religionis monast. propositum deserendum, quod in ea aliqui inueniantur desides & mali.*

XV. Tres

XV. *Tres quæstiones dissoluit. 1. An secretum confessionis patefieri possit? 2. quando festa solennia inchoëntur, vel terminentur? 3. an sato aliquid sit tribuendum.*

XVI. *Respondet querelæ de monacho fugitiuo.*

XVII. *Dure increpat monachum ob pernicioſum quoddam mendacium.*

XVIII. *Expostulat cum quodam de non missis ad se litteris.*

XIX. *Hortatur Magistrum quendam ad studium S. scripturæ.*

XX. *Docet in confessione quales pœnitentiæ sint à sacerdote iniungẽdæ.*

XXI. *Exponit quinàm auctores scripserint de misericordia Dei, excellentia caritatis, S. Eucharistia, & laudibus B. virginis.*

XXII. *Declarat, in quo vera amicitia monachorum consistat.*

XXIII. *Docet timorem seruilem esse bonum & vtilem, ignemq; inferni potius videri corporeum, quam incorporeum.*

XXIV. *Franciscanum quendam amicitiæ fœdera secum inire cupientem arguit, quod falsis laudibus interspergat conuitia.*

XXV. *Obedientiam religiosorum prædicat, & veram amicitiam docet non dissolui locorum distantia.*

XXVI. *Enchiridion Statutorum Congregationis Bursfeldensis Ordinis S. Benedicti typis exprimendum mittit Noribergam.*

XXVII. *De eodem argumento.*

XXVIII. *Petit ab Episcopo Spirensi reformati monasterii protectionem contra quosdam rebelles.*

XXVIIII. *Petit ab Episcopo Argentinensi facultatem visitandi ordinis sui cœnobia.*

XXX. *Ostendit non monachorum modo, sed etiam omnium iustorum proprium esse multa aduersa pati.*

XXXI. *Priorem S. Mathiæ apud Treuiros vehementer laudat, & causas desertæ Spanhemensis Abbatiæ, & assumptæ Herbipolitanæ commemorat.*

XXXII. *Congratulatur cuidam de assumpto officio Prioris, & laudes sacræ scripturæ perstringit.*

XXXIII. *Declarat sibi probari maximè sententiam de immaculata Conceptione beatissimæ virginis Mariæ.*

XXXIV. *Queritur tam paucos in monasteriis esse litteratos, eosq; cum veteribus monachis confert.*

XXXV. *Commendat cuidam studium litterarum sacrarum.*

IOANNIS TRITHEMII EPISTOLARVM AB ANNO M. CCCC. LXXXVI. VSQ. AD XCI. scriptarum liber vnus.

PROLOGVS.

EPISTOLAS quasdam inculto licet sermone diuersis temporibus direxi, atque personis: quas in vnum comportare rogatus secundum tempus editionis earundem, quantum possibile fuit, in hoc volumen collegi. Inserui, & alia quædam opuscula, de variis ad eos, qui petebant, materiis conscripta.

EPISTOLA I.

AD NOVVM QVENDAM PRESBYTERVM.

FRATER IOANNES vocatus Abbas Spanhemensis Nicolao carissimo quondam consodali, nunc autem compresbytero, in Domino salutem. Nuptias te spirituales cunctis venerandas mortalibus significas in proximo fauente Deo celebraturum, ad quas me pro tuo honore vocasti. Gratus beneuolentiæ tantæ erga me (nuncius fuit) quæ memoriam pristinæ dilectionis nostræ mutuæ in Christo stabilem demonstrat. Vera enim amicitia est, quæ nulla vnquã fortunæ incõstãtia violatur, & illa vel maxime sola, quæ Christi glutino connectitur. Inuitatus ergo castas ad nuptias, in quibus corpore & animo dicaberis Deo, veniendi quidem voluntas mihi est, sed negotiorũ occupationibus in re familiari detentus, negatur facultas. Fratrẽ tamen portitorẽ præsentiũ, ne viderer ingratus, misi ad te, qui ferat quæ mando, referatq; mandata abs te. Ipse enim vices meas supplebit, vt pro me suo aduentu conviuas tuos amicos in Christi honore lætificet. Et ne tibi spiritualis oblatio mea desit, paucis te sermonibus de sacerdotii dignitate monere decreui. Accedens itaque ad seruitutem Dei, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Militiæ te Christi singulariter mancipare intendis per susceptæ sacerdotii ministerium: in qua magna puritate mentis opus est, ac solicitudine continua Renouare igitur spiritu mentis tuæ, & induere nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in omni sanctitate & puritate cordis, ne tibi fiat oratio tua in peccatum. Attende sacerdotii dignitatem, excellentiam considera. O te felicem, si gradum condignis moribus vita exornet. Magnum decus, maximus honor sacerdotum, sed malorum horrendus interitus. Qualem putas Christi sacerdotem esse debere? An communis ei Christianorum cõuersatio sufficiet? Non sufficit. Qui enim prior est ordine, sit etiam perfectior conuersatione. Gradus altior, ornatum altiorem requirit. Et qui alios præcellit dignitate honoris, condecens est, vt præcedat eosdem perfectione virtutis. Semper igitur esto solicitus in ministerio, quod

Eccli. 2.

Sacerdotis quæ esse debeãt virtutes.

quod assumpsisti, & time casum, qui optas ascensum. Quanto enim altior gradus, tãto, si ruas, erit periculosior casus. Quid sacerdotem scire oportet, sedulo perscrutare, quoniã qui ignorat, ignorabitur. Et ignorantia in populo tolerabilis, in sacerdote reprehensibilis, atq; damnabilis sæpe iudicatur. Oportet enim sacerdotem doctum esse lege diuina, vt populum regere possit, ac docere. Nam & Dominus per prophetam Malachiam de sacerdotis officio loquitur, dicens. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius quia angelus Domini exercituũ est.* Erubescãt ergo sacerdotes verbis impudicis Deo sacrata labia polluentes: erubescant ad fabulas cõuersi, legem Christi iudicis ignorantes, qui ministerii sui honorem negligũt, à via veritatis deuii, & ignorantiæ suæ pessimæ tenebris obcæcati lumen veritatis non requirunt. Ad tales Dominus per eundẽ prophetã loquitur. *Vos aut recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege.* A via recedit, qui aliter viuit, quã debuit: de via recedit, qui Christi mãdata non seruauit. Hinc ipse ait. *Ego sũ via, veritas & vita.* Qui recedit à via, id est, à Christo, verus Christianus non est. Qui autẽ verus Christianus nõ est, viuus mortuus est, & à vita vera recessit. Hic finis mali sacerdotis, qui à via veritatis recessit. Oportet ergo solicitum te esse, & erga ministerii tui curam studiosum, vt scias quid iubearis, & opere perficias, quod præciperis. Duo enim necessaria sunt sacerdotibus Christi, vita scilicet & doctrina. Tibi autem vita, populo necessaria est doctrina. Sit ergo vita sacerdotis irreprehensibilis sine crimine: sit scientia doctrinalis sine errore. Ex his itaq; pensare poteris, quid in sacerdotio tuo studere iubearis. Hoc. n. prę omnibus tibi curandum est, vt moribus sanctis cõprobes verba salutaria, quæ doces. Nam vita bona sine doctrina non excusabit rectorem, qui curam suscipiens animarum pabulum illis verbi salutaris in tritici mystici mensura distribuere iubetur.

1. Cor. 14.

Mal. 2.

Ibid.

Ioan. 14.

Sacerdoti duo necessaria.

Et quamuis populo sufficere possit, si bene instruantur à presbytero, tamen ipsi non sufficit sacerdoti, si ea, quæ docet, non etiam demonstret exemplo. Pro vtriusq; enim rei, vitæ scilicet & doctrinæ administratione Deo redditurus est rationẽ, & vtrobiq; periculum, si aut vita mala, aut doctrina fuerit otiosa. Considera nunc igitur, & diligentissima inuestigatione perquire, qualis sacerdotio conueniat vita, quam mundum & sanctum te oporteat esse, quam purum in mente, sapientem in sermone, strenuũ in opere. Altari astans Dei filium & virginis immolaturus, quam deuotè, quamquè reuerenter te habere oporteat, sacrificii excellentia declarat. Agitur enim ibi Dominicæ passionis memoria, corporisq; IESV CHRISTI, & sanguinis sacratissima oblatio veraciter immolatur. Et reuera sacerdotum admiranda potestas, qui cunctis tremendum mortalibus Dominum suis manibus contrectant. Vide ergo, ne os quod cum Deo loquens Dei filium osculatur, & sumit in altari, prauis aut inutilibus verbis inquinetur.

Sacrificium missæ

Manibus etiam illis, quibus hoc immolas sacramentum, non parua erit adhibenda munditia, ne tactibus polluatur immundis, vel operibus inquinetur illicitis. Omnia quæ facis, & in altari maximè, tanq; Deo spectãte operari cogita: ipse etiam suo tempore mercedem tibi operum tuorum indubiè reddet. Caue, ne stultorũ velis imitari vitia sacerdotum, quibus vera sacerdotii dignitas incognita est, qui moribus suis pessimis multos scandalizãt in lege. De qualibus Dominus per prophetam dicit, quod iam allegatum fuit. *Vos recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege.* Et statim subiũgit, *Propter quod & ego dedi vos cõtẽptibiles, & humiles omnibus populis, sicut nõ seruastis vias meas.* Quamuis hoc quondam de sacerdotibus Iudæorum fuerit dictum, nostris nihilominus quibusdã & multis conuenit sacerdotibus, quorum miseranda conuersatio populi iusto Dei iudicio meretur contemptũ. Horum te faciãt velim exẽpla cautum: vitio enim alterius sapiẽs corrigit suum. Ab iniustorum igitur conuersatione te facito alienũ, quoniã incautus quisq; facile decipitur exẽplo. Sanctorum inhære vestigiis, quorũ vita laudabilis gestorum fortiũ posteris reliquit incitamenta virtutũ. Vide hos imitare, qui quod sermone docuerũt, faciendum prius ostenderunt exemplo. Ne des igitur maculã gloriæ tuæ, non cõfundat vita doctrinam, nec sacerdotii decus conuersatio praua deturpet. Discę, q̃ doceas, & semper à teipso prius quam ab alio incipias. Ridiculosa res est se neglecto in mores aliorum librare state-

Malac. 2

ram. Sanctis ergò scripturis frequenter studium impendas : ipsæ docebunt te, quemadmodum tuos primò debeas, deinde aliorum curare languores. Opto te in Christo valere, & mei reminisci ad DEVM in orationibus. Data manu sua 8. Idus April. Anno Domini M. CCCC. LXXXVI.

EPISTOLA II.

AD ADOLESCENTEM QVENDAM, QVI ORdinem deseruerat in nouitiatu, reuersus ad sæculum.

PETIS, vt habeamus te excusatum, quia clam fugisti, promissionis tuæ in necessitatis articulo Deo factæ oblitus. A Dei portando iugo, quod suaue est, nullus excusatur mortalium. vnde nec tu. & ego quomodo te habeam excusatum ? Si Deus accusat, quis excusabit? Promisisti Deo in Ordine te seruiturum, tentasti, succubuisti, recessisti, mentitus es. Nisi ergò resipiscas, & iuxta voti tui qualitatem Ordinem ingrediaris promissum, à Deo pollicitationis spretor accusatus, à nemine poteris excusari. Nec mihi tuum putes iniuriosum discessum, quoniam nulla professionis obedientia mihi fuisti subiectus. Tua res agitur, de tuo discepatur periculo. Tu, cur fugeris, vide: nihil enim ad me pertinet.

1. Tim. 5. Doleo tamen pro te, quoniam primam fidem irritam fecisti. Et quis te fascinauit, ô puer, ab incæpto retrahere pedem? De cuius tibi consilio hoc malum contigit? cur autem recessisti occultè ? Quænam causa instabilitatis tuæ? Metuebasnè separari à patre quem diligis ? Sed expecta paululum, & diuideris, etsi inuitus. Aut enim ille ad mortem tanquam senior præcedet te, aut tanquam iuuenis infirmior anticipaberis ab illa. Sed dicis. Non propter amorem exiui paternum, sed promissum institutione perfectiori volo reddere. Ad eremum pergo. Qualis ista dementia, eremum petere, & regulam nescire claustralem. Non est tibi pars in eremo, qui nullis institutionum primordiis te regere didicisti. Stulta præsumptio, materia despecta pulchram velle depingere formam. Vita cænobialis proponitur omnibus, solitaria solis conuenit perfectis, illis videlicet, qui longa monasticæ disciplinæ consuetudine in bona conuersatione roborati vitia solo brachio nouerunt deuincere. Tu autem, qui talis non es, quomodo præsumis solitariam velle viuere ? Sed expectans expectabo modicum, & te tibi melius videbo expertum. Si vitæ cœnobialis rigorem formidasti, quomodo eremum petere ausus es ? Nunquam in eremo perfectus erit, qui in cœnobio desidiosè conuersatur. Redi ergo vel serò aliquando ad cor, memorq; esto, vnde excideris, & age pœnitentiam, & primum propositum, quod abiecisti, resume: quia quod vouisti Deo reddere oportet. Melius erat tibi non vouere, quam nunc retrorsum abeuntem promissa non reddere. In tua voluntate fuit, quod volebas facere. vouisti, redde, quod debes. Si non reddideris, iam peccasti, qui poteras antea sine peccato non vouisse. Vouete ergò & reddite Domino vota vestra, ait ille prophetarum eximius Dauid, omnes, qui in circuitu eius affertis munera. Facit enim promissio debitum, quod voluntas deliberauerat vouendum. Nunc itaq; quid feceris, considera, & priusquam tibi aditus præcludatur reuertendi his dictis vel paucis obsculta. Misimus tibi vestes tuas, & res quas fugiens dimiseras. Vale, & sanis duntaxat acquiesce consiliis Data 12. Kal. Augusti, Anno M. CCCC. LXXXVII.

Eccli. 5.

EPI-

EPISTOLA III.

AD QVASDAM MONIALES.

CRebris me precibus pulsatis filiæ in Christo, atque sorores, vt exhortationis ex me sermonem aliquem recipiatis. Et quid sibi vult ista suggestio? puto tentandum censetis, an fratrum regimen, quod suscepi, licet inuitus, scientia paruitatis meæ sufficiat. Scio vos omnes pro me fore solicitas, nec erga me tanto ingratum affectui conuenit existere. Noui etiam pia desideria vestra in Domino, quibus ad meliora charismata quotidie anhelatis. Hac igitur de vobis fiducia sumpta, quamuis rudis adhuc & imperitus sermone supplicationibus vestris acquieui. Modicam ergò epistolam hanc pro caritatis affectu misi ad vos, in qua nō docentis, sed monentis potius assumpsi officium. Non enim vobis mea informatione opus est. Habetis vobiscum venerabilem senem, qui ab initio congregationem vestram in Christi caritate fundatā optimis disciplinis instruxit. Hunc pulsate precibus, qui longa doctus experientia de singulis vos in regulari conuersatione necessariis plenius informabit. Ille vos in Christo parturiuit, & habitationis vestræ locum à solo fundauit, plantauit vos, Deo auxiliante vineam electam, & turrim caritatis in vobis erexit, humilitatisq; torcular in sapientiæ radice patientia locauit. Commendat eis caritatē. Ipsum auscultate docentem, qui opere docet quotidie atque sermone. Verus enim Christi imitator est, nec pro sua iam ætate vobis timendus. Ipse in vobis ordinauit, quam commendat sponsa, caritatem, intantum, vt odor virtutum vestrarum longè lateq; dispersus cunctis vos audientibus reddat venerandas. Verificatur in vobis illud Dauidici carminis elogium quo fraternæ caritatis vnitatem commēdans aiebat. *Ecce quam bonū, & quam iucundum habitare fratres in vnum.* Psal. 132. In vnum habitant, qui vno animo atque proposito Dei se famulatui manciparunt. qui hoc vnum à Domino necessarium declaratum sedula deuotione inquirunt. Huius vnitatis fundamentum est caritas, paries fortitudinis patientia, omni marmore pretiosius pauimentum humilitas, & regio quolibet ornatu formosius decus structuram sanctam interius exornans obedientia. His tectum perseuerantiæ si apponas, erit completa ædificatio ex viuis lapidibus in templum Domino. Luc. 10 Est etiam in ista domo vnitatis vestræ Deo acceptabilis, angelisq; spectabilis ornatus, pura mentis corporisq; sancta virginitas, quam multæ vestrum dono Dei Christo virgini sponso casta mente obtulistis seruandam. Et virginitatem Nūc ergo attendite, quod thesaurum hunc in vasis portatis fictilibus, & state super custodiam vestram, ne hostis inuidi fraude ruatis.

Circuit enim ille, quærens, quem deuoret: cui semper in fide vigilando resistendum est. 1. P. 5. Mille artibus instat, vt incautos quosque decipiat. Prou. 28 Beatus ergo homo, qui semper est pauidus, qui voce excitatus dominica semper vigilat, & Domini sui cum fide atque timore præstolatur aduentum. Et vos *vigilate*, dicit Dominus, *quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit.* Mat. 25 Intueamini dignitatem vestram Sponsæ virgines Christi, quas corporis integritas, & puritas mentis cognatas efficit angelorum. Cauete solicitè, ne integritatem carnis maculet imputitas mentis. Nihil autem prodest mente corrupta virginitas carnis, nec Deo placent muri foris dealbati, & intus per mentis fœtorem impuritate respersi. Vt ergo castitatis vestræ merito per DEI misérationem præmia promissa possitis recipere, virginales sedulè mores in mente & corpore formate. Si autem mores conuersionis fuerint professioni virginitatis contrarii, non virtutis præmium, sed transgressionis dignū percipietis in futura retributi-

one

Et humilitatem. one supplicium. Et præ omnibus inter virtutes ceteras, quas non excludimus, decoret virginitatem humilitas, quia sine humilitate nulla Deo placebit virginitas. Hinc beatissima Dei genitrix virgo Maria omnibus virginibus præbens humilitatis exemplum, postquam ab archangelo salutata partu se didicit honestandam diuino, non de virginitate, qua cunctos præcellebat, sed de humilitatis virtute coronata dicebat. *Luc. 1.* *Respexit Deus humilitatem ancillæ suæ.* Sciebat enim prudentissima virgo, quia nihil sic DEO ceteras commendat virtutes, quam si humilitate condiantur. *Humile coniugiũ gratius Deo super ba humilitate.* Frustra ergo se gloriatur virginem, quæ superbiæ fastu inflata de sua mente expulit humilitatem. Audeo dicere, quoniam plus DEO placet in fide Christi humile coniugium, quàm malè superba virginitas. Exemplo igitur virginis matris quanto magis in virginitatis amore proficitis, tantò amplius in humilitatis custodia solicitæ sitis. Deus enim, qui diligit humilem maritatam, virginem sine dubio detestatur superbam. Sine humilitate non est sincera virginitas. Virginitatis ornatus in humilitate resplendet. O quam felix, quamq; feliciter remuneranda per Deum humilis virginitas. Gaudent in cælis animæ sanctarum virginum speciali *Apoc. 14.* præmiorum decore fulgentes: ipsæ enim sequuntur agnum quocunq; ierit, nouum promentes canticum, quod soli sciunt spiritus nulla carnis cõtagione corrupti. Fortes igitur estote, spesq; vestras in illum præmiorum intuitum erigite, vbi tàm glorioſè præstolamini coronandæ. Spes mercedis æternæ carnis in vobis concupiscentias mortificet, animosq; confortet carne pulsatos, & conferat in tentationibus vincendi amorem. *Nemo* *2. Tim. 2.* *autem coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* Et licet tentationum impetus durus in principio, & insufferibilis infirmis mentibus appareat, sustinentibus tamen forti & patienti animo paulatim infirmior atque portabilis redditur. Est autem versuti hostis ista conditio, vt impetu magis *Dæmonis imbecillitas & frans.* conetur, quam viribus. Quod si quempiam suis iniquis suggestionibus in primis motibus fortiter senserit obluctari, confestim abscedit confusus, nec aperta se fronte fortissimo militi amplius audebit ingerere. Sicq; superatus conuertitur ad insidias, & quem vi superare nequiuit, dolo multiplici aggreditur: & quia suggerendo mala palã victus est in insidiis latitans sub falsa specie boni alicuius mentem victoris fortissimi denuò impugnat: & sæpe, qui atrociter pugnando in aperto tentationum certamine victor extitit, post victoriam incautus ab insidiatore circumuentus miserabiliter succumbit. Huius rei exemplum in libro Machabæ- *1. Mach.* orum legimus. Ionathas ille vir fortis *12.* in armis & strenuus, qui semper hostem vicit in bello, Tryphonis tandem capitur insidiis: deceptus enim sub specie bona hostis consilio incautus dimisso exercitu, in quo vincere solebat, ingreditur Ptolemaidam, clausis Ptolemenses portis Ionatham cæteris interfectis solũ capiunt, ac tandem interimunt: & qui cunctis formidinem suæ fortitudinis olim incusserat, iam sub falsa specie boni deceptus gemebat. Sic plerunq; decipitur, qui nullis impugnationibus aduersarii vincebatur. Non minori circumspectione opus est tempore pacis, quam fortitudine in certamine hostis. Nec hostis noster versutus, vtrum dolo decipiat, vel viribus, magnopere curat. Si ergo subuersionis timetis periculum, sit vobis Ionathæ miseranda deceptio in exemplum. Docet enim historiale factum, morale faciendum. Obseruanda sunt tentationis primordia, quoniam serpens lubricus capitis contricione facilius superatur. Omnis enim cogitatio mala diuturnis successibus roboratur, & qui negligit principia, finem dolore mixtum attingit. Dat *Peccata leuia esse cauenda.* mora periculis robur, & qui negligit minim, apaulatim damna experitur maiora. Nullum enim peccatum tam paruum est, quod non crescat neglectum. Beatus *Psal. 136.* ergo, qui cogitatus suos paruulos allidit ad petram, id est, ad Christum. Mox ergo mala cogitatione surgente manus leuentur in cælũ, & Dei sedulis precibus inuocetur auxilium. Non enim possumus nostris viribus hostis antiqui superare insidias. Nec in potestate nostra sunt cogitationum tumultus, quamuis nostrum sit illas spernere vel recipere. Diabolus quidem malas cogitationes potest nobis *Tentatio statim sup primenda.* suggerere, sed vt consentiamus ei nequaquam potest impellere voluntatem. Sola igitur cogitatio, quæ placet, polluit mentem. Omne siquidem peccatum volunta-

trarium est. Cogitationes ergo vanas somno similes pellamus ab animo, ne suæ seruituti nostram vetustiores subiiciant voluntatem. Refert enim mala cogitatio plantæ similitudinem, quæ quanto diutius finitur crescere, tanto conualescit vehementius: si autem elidatur in semine, confestim deficit à propagatione. Optimum verò contra malas cogitationes remedium est, amor perseuerans bonarum. Si enim bonas cogitationes diligitis, à malis vos diuina clementia statim, ne prævaleant, liberabit. Ortus ergò bonarum, malarum cogitationum interitus est. Ad cogitationis itaq; ortū respicite, & quid in fine paritura sit, prævidete. Torporem verò & negligentiam depellat, quem cogitationum vtilium atq; bonarum fructus delectat. Nihil enim cogitationibus malis, sicut negligentia, incrementa ministrat. Et quid ipsa pariat, si libet, aduertamus. Animus, quem torpor & acedia reddiderit sui ipsius negligentem, cum non habeat, quo consistat apud se, vagas rerum imagines ex obiecto visibilium motus instabilitate rimatur, paritq; negligentia torporem, bonorumque nauseam cogitatuum: & vbi bonæ cogitationes non sunt, malis conualescendi robur locus omnino vacuus administrat. Surgunt itaq; cogitationes turpes, & malè pulsatur vt consentiat incauta voluntas; quæ dum seipsam regulare non meminit, ad mali obiecti complacentiam indilatè prorumpit. Cum autem incipit malè placere quod cogitat, iam sui oblita iuris per consensum quod patitur laudat. Mox captiua in præcipitium horrendum ducitur, dum tempus, modum, & locum, quo malè placita queat perficere insaniens exploratur. Quod si operis malè agendi desit facultas, ream tamen apud districtum iudicem tenet optata peruersitas. Deus enim hominis voluntatem remunerat in opere. Si autem voluntati peruersè perficiendi cupitum data fuerit facultas grauiori reatui obnoxia, quæ hoc elegit malum apud iudicem Deum, pœnæ duriori subdetur. sufficit enim ad damnationem mala voluntas. q; si opus peruersum sequatur, grauius punietur cum voluntate peracta iniquitas. Sed quid iniquo completo desiderio miserabilis agit peccator? quiescetne de reliquo voce audita, quæ loquitur, *Peccasti, quiesce.* Audi quid agat. malè cogitauit à principio, malè delectatus est, consensit deterius, pessimè impleuit. Iam nunc facti memoria denuò per delectationem pulsat consensum, vt illo habito rursum præcipitet in opus miseram voluntatem. Hoc quoque toties agitur, donec in radice per consuetudinem vitium roboretur: & dum consuetudini non resistitur, quasi quædam peccandi necessitas ex frequentatione facti in homine generatur. Post hoc homo peccator infelix ad profundum malorum veniens contemnit, & de sua emendatione diffisus extremū salutis obstaculum desperationis incurrit. Ecce, quid modica pariat neglecta cogitatio, quæ ad tam horrendam præcipitationis foueā, infelicē voluntatē deducit. Benè igitur monuit, qui dixit. *Principijs obsta, sero medicina paratur. Dum mala per longas inualuere moras.* Beatus ille, qui cogitatus suos adhuc paruulos allidit ad Christum, qui cogitationum malarum obstat principiis, nec finit conualescere semen nequam, de quo non dubitat omnem prodire nequitiam. Vos autem electæ sponsæ æterni regis, quæ per castitatis amorē & votum iam Christi thalamum adornatis, professionis vestræ tenorem seruate, fidelem sponso exhibentes famulatum, & illi soli fidem promissam inconcussè tenētes sic agite, vt peregrinatione peracta cum sanctis virginibus ad nuptias agni mereamini sine fine introduci gaudentes. Glorioſi enim laboris vestri copiosa præmia, si tamen perseueraueritis, in retributione iustorum debentur. De patientia quoq; in tentationibus quibuslibet exhibenda, monere vos paucis statueram, sed epistolaris angustia sermonem abbreuiatum requirit. Ne tamen hanc ipsam vobis iuxta vocem Apostoli necessariam videar silentio transisse, quæ dico pauca pro multis accipite. Cum ergò militia sit vita nostra super terram, & multis inuoluta laboribus ob eius, qui hæc nos pati voluit, amorem, patientiæ clypeo armati, dignis eum, quoniam pro nobis maiora pertulit ipse gratiarū actionibus iugiter honoremus. Illi sit nostra bona voluntas, semper subiecta, vt nihil suæ rectissimæ voluntati velimus contrarium. Sic enim nos docuit

Negligentia prauarū cogitationum fons.

Gen. 4. iuxta 70.

Horat. l. 1. epist.

Hortatur ad patiē- tiam.

Iob. 7. 4

Matt. 6.

docuit orare, vt eius in nobis fiat voluntas super terram, quemadmodum & in cælo. Ad nostram quippe vtilitatem nobis tentationes obueniunt, si tamen certantes per patientiam vincere statuamus. Hinc nos scriptura hortatur diuina dicens. *Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis, scientes, quod probatio fidei vestræ patientiam operatur.* Ad cognitionem quoq; hominis ipsius tentatio concurrit, vt in eo non superbiat sanctitas, dum per continuas tentationes pulsatur infirmitas. *Tentationes vtiles.* Quid valeat homo tempore pacis non intelligit, importunitate verò tentationum probatus mox de sua infirmitate suspectus inge miscit. Hinc sapiens interrogat dicens- *Eccli. 34.* *Qui non est tentatus, qualia scit?* Doctrina enim viri per patientiam dignoscitur. Nemo autem propriè dicitur patiens, qui nihil habeat, quod patiatur aduersi. ac si diceret. Qui tentatus non est, scire non potest, cuius fortitudinis existat. Pulsetur contrariis, & statim, vtrum sapiens sit, an stultus, sibi ipsi innotescit. Quanto enim in vera scientia quis perfectus est, tanto in aduersis & patientior erit. Nemo patiens, nisi doctus: nec impatientem doctum crediderim, nisi forte calumnia mihi struatur in termino, vt patiens dicatur, qui patitur. Fero patientem dici eum, qui patitur, siue sapiens sit ille, siue stultus, sed virtus non est illa patientiæ sanctæ, quæ animum gerit actioni passiuæ contrarium. Omnis autem virtus à voluntate actoris recipit qualitatem. Hinc *Matt. 7.* etenim Dominus ait. *Si oculus tuus simplex est, totum corpus tuum lucidum erit.* Oculus iste moralis est intentio cuiuslibet operantis, corpus autem opus operatum. Cum ergo aliquid facimus, quod videtur esse de genere bonorum, si rectam erigimus ad Deũ nostrã intentionẽ redditur lucidum opus nostrum, ac placidũ Deo, virtutisq; merito, ac nomine decoratur. ✝ Patiuntur fures supplicium, & quia non est Deo subiecta voluntas patiendo impatientes dicuntur. Non est virtus pati, nisi sit voluntas resignata patiendi. Cũ ergo imprudentes nequeant suis dominari passionibus, nec voluntatem in aduersis Deo submittant, patientiæ merito vacui cuncta patiuntur inuiti. Eum itaque æstimauerim doctum, qui sapienter patitur quod viderit patiendum. Nouit enim passionibus suis Dei filium imitari, quem prius oportuit pati ludibrium crucis, & sic intrare in gloriam suam. Et *omnes qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patiuntur.* *2. Tim. 3.* Legit etiam & credidit, quoniam *non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* *Rom. 8.* Audit etiam & intelligit, quoniam, *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* *Act. 14.* Horum omnium intuitu doctus patitur tentationem. Cum autem sciat hanc esse viam, nec vsquam aliam perueniendi ad Deum, quasi libens, & ex voluntate suscipit, quod indocti velut noxium refugiunt. Doctum ergò se indicat, qui tentationum pondera resignato animo patienter portat: qui autem murmurat in aduersis, se indoctum fore demonstrat. Si ergò qualis sis, volueris experiri, prosperitate despecta, tentationum subi certamina. Fornax probat aurum, & homines iustos tentatio tribulationis. Qualis *enim vnusquisq; apud se lateat*, GREGORIO teste, *illata contumelia probat.* *Greg. l. 1. dial. c. 5.* Suscipiamus ergò cum gratiarum actione tentationum certamina, quibus ad nostram cognitionem proficimus, contra omnes sæuientis impetus mundi clypeo sanctæ patientiæ armemur, respicientes in eum, qui pugnantibus in fide assistit, suisq; amatoribus vincendi formam præscripsit. Ipse enim patientiæ, quam imitemur, normam ostendit, qui crucis opprobrium nobis comparando salutem subire non recusauit; fortes nos etiam effici voluit, qui suis fidelibus spei tribuens fiduciam dixit. *Confidite, ego vici mundum.* *Ioan. 16.* Et iterum. *nolite timere eos, qui corpus occidunt, & post hoc non habent, quod faciunt.* *Matt. 10.* Vicit caput, ne membra infirmiora vincerentur. Fidamus ergò certantes regis nostri IESV Christi patientia suffulti, cuius benignitas nos supra posse non finit tentari. Vos igitur virgines sanctæ, quas rex sibi cælestis elegit in sponsas, corroboramini in virtute spiritus sancti, scientes, quoniam nulla sine tentatione victoria, nec sine congressione certamina. consistit in arduo virtus, & magno labore venitur ad regnum. Ait enim scriptura diuina. *Regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud.* *Matt. 11.* Vis magna, reluctare cupidini: vis magna, viriliter impera voluntati. Magnam sibi infert violentiam, quisquis car-

carnis propriæ vicerit voluptatem. Sic martyres sancti peruenerunt ad palmam: sic confessores lucidi violenter adepti sunt gloriam. Sic virginum vicit carnis pruriginem sancta integritas: sic viduarum sancta floruit castitas; sic electorum omnium strauit hostem veneranda communitas. Manet vera paulo ante producta sententia: quoniam *per multas tribulationes oportet nos venire ad regnum Dei.* De talibus sibi vim facientibus Apostolus ait. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cauernis terræ.* Sed nos miseri quid agemus, quibus veniendi ad regnum inest affectio, sed vim nobis cum sanctis inferendi deest fortitudo? Quid faciemus, inquam, magna desiderantes præmia, sed laborum fugientes certamina. Nemo enim sine labore magno fructuosè conatur ad ardua. Vt ergo sit vtilis nostra pro regno Dei affectio, rescindatur ab animo conandi lassitudo: spes enim præmi considerata solatur laborem, & finis beati cupiditas recreat laborantẽ Scientes igitur labori nostro tam copiosam deberi mercedem, animis sursum erectis in cælum per mentis continuum ascensum carnis nostræ subleuemus infirmitatem. Ad consolationem etiam nostram accedat breuitas temporis, in qua grauitas finietur nostri laboris. Non enim est diuturna tribulatio, quæ de morte recipit consolationem. Tentationes ergo nobis ad virtutum exercitia vtiles sunt, quæ & mala purgant præterita, & præmia nobis cumulant æterna. *Quem enim diligit DEVS, corripit: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Qui ergò vult esse in sorte filiorum, prius fiat de numero sub DEI verbere gaudentium. Oderunt stulti corripientem in porta, & infelices despiciunt salutis suæ remedia. Scimus autem, quoniam *diligentibus DEVM omnia cooperantur in bonum*: qui & in secundis gratiam, & in aduersis patientia amplectuntur. Eia ergò desponsatæ Christo virgines sacræ muneri DEI semper offerte honorem, qui nulli denegat graciam postulanti: nulli etiam post lapsum claudit misericordiæ sinum ad gratiæ cumulum redire cupienti. Et si qua inter vos gratiam seruauit illæsam, vicem deuota semper rependat: quæ autem perdidit, sedulè recuperare non omittat. Euasit longius, quam statueram, oratio: quæ ne negligentibus pariat fastidium, hoc fine claudatur. Ecce carissimæ in Christo sorores, feci quod potui, & si non vestro desiderio satis, iustitiæ tamen. In Domino vos igitur semper exopto valere, memores nostri. Data 7. Idus Iulii, Anno M. CCCC. LXXXV.

Act. 14.

Hebr. 11.

Hebr. 12.

Rom. 8.

EPISTOLA IV.

AD NICOLAVM PRESBYTERVM MERNIcensem de conuersatione & vita sacerdotali.

FRater Ioannes vocatus Abbas in Spanhem Nicolao suo salutem. Petis à me, & iteratis epistolis instas, vt formam in sacerdotio laudabiliter viuendi stilo tibi commendem. Supra vires me fateor laborare compellis, dentibusq; mordentium æmulorum lacerandum exponis: cum normam vitæ ponere aliis, solis concedatur perfectis. Ego autem videns paupertatem meam, tibi non audeo iter ostendere, quod ipse nondum valui ambulare. Hinc me præsumptuosum multi iudicabunt, & fastui arrogantiæ imputabunt, quod sola caritas tentare suggessit. Non enim quicquam tibi potui negare, qui tanto mihi semper amore extitisti coniunctus. Sentiat quisq; quid velit, dicat quod placet, ego iudicio aliorum malo subiici, quam deserere caritatem. Suffert omnia caritas, patientiam quoq; hilaris amplectitur in aduersis. Iam nunc igitur sermonis faciendi sumamus exordium. A definitione nominis re-

1. Cor. 13.

rum ordo locandus. Dicimur Clerici, quicunque in sortem Domini specialiter sumus electi. Interpretemur ergò singularitatem nominis, & cognoscemus liquidè qualitatem præceptæ conuersationis. Κλῆρος enim græcè, sors appellatur latine. inde Clerici in sortem Dei dicuntur electi. Si ergo Domini sortem cognoscimꝰ, sortis eius præcepta custodiamus. Deniq; in veteri testamento Dominum sacerdotibus legimus præcepisse, ne inter filios Israhel fratres suos acciperent hæreditatem, eo quod ipse hæreditas esset eorum: Ergò si clericum te æstimas, debes à cęteris hominibus excellentia conuersationis segregatus incedere, nec seculi huius hæreditatem cum mundanis cultoribus amare. Quod si cupidine mundi à dignitatis tuæ statu inflecteris, restat vt extra sortem Domini insipiens colloceris. Nō enim dignabitur te Dominus inter electos recipere, si post aurum abiens mundi studueris fauoribus inseruire. Ait enim ipse. *Nemo potest duobus Dominis seruire. Non potestis Deo seruire & mammonæ.* Et ego dico. Nemo potest esse clericus Domini, & amator auri & argenti. Qui enim voluerint diuites fieri in hoc mūdo, incident in tentationes diaboli. Oportet autem sacerdotem Christi segregatum esse à solicitudinibus mundi, quia non potest mens ad DEVM esse libera, si terrenorum negotiorum occupationibus fuerit implicita. In cuius rei signum coronas rasas gestamus in capite, vt sursum erectis cordibus ascensum absque obstaculo facimus in cogitatione. Crines enim capitis, superfluitates designant terrenæ actionis: de superfluitate nam que humoris crines proueniunt carnis.

Num. 18.

Matt. 6.

1. Tim. 6

Tonsura clericorū & monachorum quid signi ficet.

Cum ergò has corporis superfluitates in modum coronæ præscindimus in capite, docemur per ista mysticè occupationes terrenas depellere mente. Nam sicut suprema pars corporis caput est, ita est mens pars eminentior rationis. Idcirco autem coronam radimus superius in capite, vt cogitationes ascensum ad Deum liberum obtineant à mente. Vnde & negotiosi clausirales coronas paucis retentis crinibus habent ampliores, quoniam ipsi in contemplatione supernorū terrenas à se occupationes funditus reiecerunt. Nunc ergò attende tui definitionem nominis, & operibus condignè sorti respondere conere superni electoris. Caue, ne per mundi curas decidas à sorte Dei: quoniam qui cum peccatoribus in cæno luxuriæ voluitur, nihil ei prodest, quod dignitatis vocabulo insignitur. Cōsidera nunc etiam, qualem te iuxta Apostoli præceptum conueniat esse. ait enim. *Oportet episcopū irreprehensibilem esse, sobrium, pudicum, benignum, ornatū, hospitalem, docibilem, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, nō vinolentum,* & cætera. quæ vniuersa comprehendit, cum irreprehensibilem ponit. Nec te excuses ab opere, quoniam non es Episcopus in dignitate. Quod enim hic præcipitur Episcopo. & sacerdoti præcipitur. Oportet ergo te in hac monitione imitari Episcopum, qui sicut & ille dominici corporis, & verbi DEI suscepisti officium. Sacerdotis enim est, interrogatum respondere de lege, docere inscios, promouere bonos, corroborare infirmos, corripere inquietos. Qui autem vitia aliorum debet arguere, caueat se vitiorum turpitudine inquinare. non enim fidenter poterit in alio reprehendere, quod se cōscientia accusante meminerit commisisse. Oportet ergo eum esse irreprehensibilem, cui ex officio incumbit corripere delinquentē. Sed multi iam facti sunt velut hypocritæ, q fratribus valde indignantur peccantibus, & cum ipsi in grauioribus plerunq; delinquant, nolunt tamē sibi à quoquam indignari. Irascitur peccator peccatori, & dispar fertur impari crimine sententia. Furem sępe damnat sacrilegus, & reprehendit sacerdos in populo, quod ipse agere non veretur in publico. Aliquando proximum suum de fornicatione iudicat is, qui adulterium commisit, condemnat in paucis ipse in multis offendens: & dum alterius facta districtè iudicat, ipse se de hypocritarum numero fore demonstrat: contra quem à Domino dicitur. *Hypocrita, eiice primo trabem de oculo tuo, & sic festucā poteris in oculo fratris tui videre.* Vt ergò sis absque opprobrio, caueas corrector aliorum in simili notari peccato. Nunquam debita fiet correctio in subditis, si is qui præest submiserit publicis colla peccatis. Semper quippe notari vulgato timebit opprobrio. *Medice cura teipsum.* Et quid dicam amplius?

1. Tim. 3.

Sacerdotis munus

Matt. 7.

Au-

Auctoritas viluit sacerdotum, in quibus cessere iura peccatis. Ius enim correctionis amittitur, quando corrigentis opinio subditorum vitiis inquinatur. Suspendit correctionis sententiam, quem in simili crimine conscientia remordet. Væ genti peccatrici, quæ idcirco semper ad grauiora prolabitur, quoniam correctoris sui vitam in pari delicto noxiam gratulatur. Ad tantam quippe miseriam deuenit auctoritas Ecclesiastica, vt dicta non facta populus Christianus iubeatur inspicere. Aiunt enim plærique de semetipsis inquinationis suæ publicum testimonium perhibentes. Prædicationis nostræ verba fideles attendite, cauete imitari exempla. Hæc plena confusionis verba iam ipse à pluribus audiui. Tu autem in Christo dilectissime frater, qui hæc idcirco postulasti me scribere tibi, vt à talibus vitã tuam custodires immunẽ; considera nunc, qualem te oporteat esse, & verba quæ loqueris facienda populo, ipse prior factibilia fore doce exemplo. Non enim sufficit tibi verborum tantum locutio, nisi sermonem bonum melior vita commendet. Oportet autem Ecclesiasticum ministrum moribus & sciẽtia esse spectabilem. Nam doctrina sine moribus occidit doctorem: vita sine sermone negligit gregem. Sed & populorum diuersitas requirit vtrumq; : capacibus videlicet verba, duris verò & improbis docentis exempla, vt vbi verba non capiuntur, prouocentur exemplis. *Validiora tamen sunt exempla, & efficacius opere docetur, quam sermone.* Sacerdoti turpissimum est, si verbis suis bonis mores agat contrarios. Non enim in baculo solo pastor oues suas defendit, à lupis, sed canum quoq; latratus adiungit. Hoc pastor quoq; spiritualis imitetur exemplũ, vt quomodo ille baculo, & canum latratu à grege abigit lupos carnales, ita & ipse baculo vitæ, & latratu sermonis deterreat à Dominico grege dæmones, lupos animarum rapaces. Teipsum igitur conserua in opere, & sic demum alios ædificabis in sermone. Quod vt salubriter valeas pficere, fuge mores & actus indisciplinatorum, quia non potest sine reprehensione viuere, qui peruersorum consortia noluerit declinare. Sicut autem cum sancto eris sanctificatus, ita cum peruerso eris peruersus. Ait enim scriptura. *Qui tangit picem inquinabitur ab ea.* Vnusquisque enim delectatur sui propositi habere consortem. Si ergo bonus es, bonorum frequenta consortium. Quod si conuentus indisciplinatorum, frequenti prætuleris accessu, extorrem bonorum ostendimus. facile enim iuuenilis animus peruersorum multitudine decipitur. Idcirco summa diligentia cõsortia eorundem deuita. De feminarum autem familiaritate declinãda quid dicam? Si beatissimi HIERONYMI tibi præscribam monita, reclamabis continuò, & dices. Illa me præcepta non ligant, quę contraria dudum consuetudo destruxit. Nolo singularis videri, nec gratiam aliorum contemnere. Sed nunquam bonis contraria consuetudo moribus legem tollere potest. Nonnè vsus malus abusus est? Quid consuetudinem dictis S. Patrum allegas cõtrariam? An quia multitudo clericorum feminarum familiaritate iam vtitur, præterea castitatis periculum non suscitatur? Quod sancti Patres vicerunt per fugam, vos non sentietis per cohabitationem. Periclitatur castitas, vbi in clerico cœperit contra leges stulta prę ualere voluntas. Cum enim secundum eundem B. HIERONYMVM, prima tentamenta clericorum sint feminarũ frequẽtes accessus, qua præsumptione se putant sequentia vincere, qui priora cõtempserint? O quã multos prostrauit stulta præsumptio: qui manibus, vt ita dicam, propriis victoriæ instrumenta hosti porrexerint. Sed forsitan dices. Domum sine famula nequeo gubernare. Illa cibos præparat comedenti, illa lectos cõponit dormienti, agitq; domus custodiam, dum me aliorsum trahit subditorum pia necessitas. Hoc est, quod iam supra præmonui, quoniam nemo potest clericus esse, & mundi negotiis insistere. Nec putes tibi præcepta dari sine exemplo. Legimus enim de B. AVGVSTINO Episcopo, quod tanta custodia seruauerit hoc mandatũ, vt nec sororem suam, nec aliquam mulierem domũ suam sit passus ingredi. Noui & ego quosdam sacerdotes in ciuitatibus & villis plebi prælatos, qui plus quam triginta iam annos sine fœminarum cohabitatione populum & domos proprias rexerunt. Cur ergo tibi fingis difficile, q; faciunt alii? mulierum enim consortia pernicioſa sunt clericis: quia sicut scintillæ de carbonibus dissiliunt, ita & de mulierum familiaritate & colloquio virus con-

Sacerdos non verbis tantũ sed factis docere debet.

S. Leo. serm. de S. Laurẽt.

Psal. 17.

Eccli. 13.

Fœminæ declinandæ sacerdoti.

Epist. 2. & 4.

Possid. in eius vita.

Mulierũ periculosa cohabitatio.

cupiſcentiæ diffunditur, ianua diaboli, porta inferni, via iniquitatis, ſcorpionisquè dira percuſſio.

Et nociuum genus eſt, familiaris caſto viro fœmina. Cum proximat, ſtimulat; cum loquitur, incendit: & dum tangit, vehementer exurit. Non damnamus ſexum, ſed metuentes denunciamus fragilitati ſæuũ imminere periculum. Caue igitur, ſi ſapis, & noli proximare; vbi plures atque notabiles viros conſpicis cecidiſſe. Memento, cum quo loquaris in altari, & os ſanctũ Deoq; cõſecratũ, noli effundere mulieri. Te cũcti in publico, te in agro ruſtici aratores ac vinitores quotidie fortiter lacerabunt, ſi cum femiuis maximè adoleſcentulis iuuenis ipſe habitare præſumpſeris. Eris in prouerbium omnibus, & in deriſum vniuerſis, ſi iuuencularum domicilia repertus fueris frequentare. Frequenter enim iuuenum habetur ſuſpecta inter iuuenculas conuerſatio: quia quo minor experientia eſt, eo minus timetur periculum. Quod ſi more plurimorum ſine famulæ miniſterio domum tuam regere non vales, conceditur tibi, vt de genere tuo vetulam vel talẽ quampiã boni teſtimonii prouectæq; habeas ætatis, de cuius cohabitatione nõ infameris.

Et dictum ſecundum indulgentiam noueris. Sed & colloquia mulierum effuſa deuita. quia de verbis interdum earum ſtimulantur etiam fortes viri in conſcientiis timorati. Non negligas nominis tui honorem, nec macules famæ tuæ puritatem, ſemel enim à ſuis vicinis infamatus ſacerdos difficulter recuperat honorẽ amiſſum. Nec te, quãdiu carne mortali circundaris credas ſecurum, quia hominis vita ſuper terram ſp tentatio eſt, & caſui proxima. Vidi quoſdam in ſenio ſuo in fornicationẽ prolapſos, qui ſibi de victoria præteriti temporis confidẽtes in futurum videbantur ſecuri. Bene ergo & ſapienter dicit ſcriptura. *Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus, qui autem mentis eſt duræ, corruet in malum. Qui autẽ perſeuerauerit vſq; in finem hic ſaluus erit.* Eſto igitur vigilans in omnibus, & in hoc maximè, ne ſuſpicionis malæ notam incurras. Quicquid verò ꝓbabiliter de te fingi poteſt, ne fingatur, ante caueto. Contra hoſtem tuum inuiſibilem, qui tibi inſidiatur ſemper, vbique

Prou. 28.

Matt. 10.

orationum deuotarum arma ſedulè hortor aſſumas. In nullo enim citius vincetur, quam ſi manus puras ſine intermiſſione ad Deum in oratione eleuemus. *Oratio autem humiliantis ſe penetrat nubes*, & Dei nobis impetrat aduerſus hoſtes auxilium. Hæc eſt, quæ mediante, imò præcedente, ac ſubſequente gratia Dei nos in bono propoſito conſeruat. Dum illa negligitur, mens noſtra quantocyus ad infima curuatur. Non enim ſine cauſa Apoſtolus orare nos iubet ſine intermiſſione. Dum enim intermittitur oratio, aduerſario noſtro accreſcit impia fortitudo. Vt autem ſcias, quæ ſint interni exercitia profectus, his paululum præbe aurem.

Eccl. 35.

1. Theſſ. 5.

Lectio ſacra mentem prouocat, meditatio compungit, oratio quærit, contemplatio inuenit. Si ergò ſemper in bona voluntate manere, & proficere concupiſcis, in his quatuor exercitiis mentem tuam collocabis. Lectio autem ſacra, quam vtilis & neceſſaria ſit omni homini ſacerdoti maximè ſanctorum Patrum commendatione intelligis. Ait enim Apoſtolus Paulus. *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum.* Dicit etiam beatiſſimus Doctor & ſacræ ſcripturæ feruens amator Hieronymus, *Ama ſcientiam ſcripturarum, & carnis vitia non amabis.* Tu igitur, ſi nominis tui dignitatem operibus ipſis adornare deſideras, amator oportet ſacræ ſcripturæ fias. In legendis ergo libris diuinis ſtudium ſedulũ impende, vt teipſum primũ, ac deinde populum tuo regimini commiſſum docere vtiliter, ac regere valeas. Fac, quod idem hortatur Hieronymus. *Semper* inquiens, *aliquid boni facito, vt te diabolus inueniat occupatum.* Lege diuinas ſcripturas ſcribe libros, orationibus inſta deuotis, vel manibus operare aliquid, quod tuo congruat ſtatui, quatenus & anima lectione ſaturetur, & corporis neceſſaria habeantur. Nemo poteſt docere vtiliter, quod ipſe non prius didicerit.

S. Scriptura lectio commẽdatur.

2. Tim. 3.

Hier. ep. 4.

Ibid.

Non erubeſcas diſcere quod neſcis, etiam à minori, quoniam humile ac docibile ingeniũ doctrinarũ excellẽtiſſimarum vberes fructus apportat. Veraciter docet, qui ſemp paratus eſt diſcere. Non ergo te pudeat nomen diſcipuli, ſi honorem deſi-

deres

deres magistri; Spiritus enim scientiæ & sapientiæ Dei, quæ sola est vera, mentium humilium inhabitator est. Igitur, si quempiam in diuinis scripturis doctum, studiosumquè repereris, te socium eius atque discipulum, volo, efficias. multum enim proficiet tibi huiuscemodi viri conuersatio, qui & suo studio incendet tuum, & in dubiis emergentibus te faciet certiorem. Non ergo recuses discipulatum humilem, si peruenire cupis ad magisterii dignitatem: ab infimis quippe ascensus incipitur, vt successiuè ad superiora ducatur. Nemo enim repente fit summus.

Mensæ lectio.

Quando sedes ad mensam vt capias cibum, prius aliquid legas, quod ædificat mentem. quoniam in Toletano Cōcilio tertio sic legimus decretū. dist. 44. *Pro reuerentia Dei & sacerdotum id vniuersa constituit Synodus, vt quia solent crebro mensis otiosæ fabulæ interponi, in omni sacerdotali conuiuio lectio diuinarum scripturarum misceatur: per hoc enim animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ de necessitate prohibentur.* Verbum enim DEI esca spiritus est: quia *non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit ab* ore Dei.

Matt. 4.

Denique de ORIGENE legitur, nunquam cibum sumpsisse, nunquam isse cubitum, nisi prius vnus è fratribus sacris litteris personasset. Hoc diebus noctibusque agebat, vt & lectio orationem & oratio lectionem exciperet. S. quoque Hieronymus sacræ scripturę studiosissimus amator nullum sine studio patiebatur tempus abire, præter necessaria corporis, sine quibus caro non potest subsistere. Semper legit, scripsit, vel orauit, sicut illi testati sunt, qui eum in carne viderunt. Cum enim Treuiris esset in Synodo, ne sine litteris vel modicū vitæ spatium transigeret, suis manibus librum B. HILARII de Synodis, & alia quædam vir studiosus descripsit. Idem quoque in epistola prima ad Paulinū, quę libro Geneseos, ac toti Bibliæ more vulgato præponitur, de studio sacræ scripturæ multa mirificè persecutus est. Quid autē de B. AVGVSTINO episcopo referam? qui tantos libros vel solus edidit, quantos vix in omni vita tua legere sufficias. Vidi autem ego iam plusquam sexcentos quinquaginta ipsius tractatus, & libros, quos nondum ex integro legere potui.

Hieron. ep. 8. ad Marcell.

Hier. ep. 6. ad Eloquent.

Et quid me opus est immorari pluribus? cum studium antiquorum Patrum libri ab illis editi nobis imitandum perlucidè declarent. Hæc quoque in Chronicis, & in gestis præcedentium temporum inuenimus descripta. Vt verò semper studendi, legendiq; occasionem habeas præsentem, sanctorum Patrum scripta diligentissimè inquiras, inuentaquè manu propria, vt præuales, describe. Ex multis etiam de vtilioribus eorundem scriptis velut vnum manuale conficies, quod semper tecum in itinere positus feras, vt singulis quodammodo horarum momentis in mentis thesaurum aliquid ingeras seruandum. Hoc à multis iam vidi seruari. Semper enim asino pigro punctura opus est.

S. Patrū lectio commendatur.

Idcirco etiam S. Augustinus opus edidit manuale, vt quoties eum torpor apprehenderet ignauiæ, mox ad lectionē, quam semper habebat secum, compunctus feruoris spiritum mereretur accipere. Sensualitas enim nostra, quæ non sinit nos in spiritualibus diu consistere, nisi stimulo compungatur, cito mentem sobriam subuertet. Consulo igitur de manifestis mihi dando cōsilium, quatenus manuale aliquod in quo plus ædificeris tecū, vbicunque vadis, semper, quando vacat feras, in illo lecturus. Quietus esto. disce cum Iacob in tabernaculo innocenter consistere, vagos cum Esau reprobato excursus & venationes deuita, quia non decet Christi sacerdotem talibus oblectari. In domo tua sede quietus, & diuinarum scripturarum fragrantia poma de paradisi fluminibus carpe nascentia. Rarus egressus magnam tibi apud homines maturitatis reuerentiam præbebit.

Quæ conuersatio sacerdotis esse debeat.

Quando procedis in publicum, te gaudeant vidisse vniuersi, qui verbis & exemplis tuis cupiunt informari. Honora personam senis, & cora cano capite surge quia in senibus temporis experientia est, & iuuentutis pericula, quæ ipsi euaserunt, te superare docebunt. In medio seniorum pauca loquaris, quia loquacitas in adolescentis ore omni reuerentia denudabit eum. Non appetas in conspectu sacerdotum videri sapiens, ne forte insipiens ab omnibus confundaris. Non sis verbosus & arrogans. responde humiliter interrogatus, si nosti, vel ori tuo digitum impone si-

lentii. Risum excussum non amaueris, quia stultus in risu exaltat vocem suam. Sit sermo tuus moderatus, & parcus, consentiens rationi, quoniã in die iudicii de omni verbo otioso Deo erit ratio reddenda. In verbis suis agnoscitur vir, & animi testis sermo est. Noli amare delicias huius mundi, quæ cito euanescere te facient, sed ad veras paradisi delicias deuotus aspira. In victu tuo caueatur superfluitas: nec ciborum varietas moueat appetitum, sed fames.

Matth. 12.

Ebrietas cauenda.

Non apponantur incendia libidinum, sed quæ famem possint extinguere. Vinum, in quo luxuria est, semp habeto suspectum, ne dupliciꝫ ætatis videlicet & potus calore incendaris. Ignem fouet in gremio, qui assiduo vtitur vino. Reddant te aliorum pericula cautum, quos in vini ebrietate conspicis cecidisse. Noë denudatio verendorum. & Loth incestus ex ebrietate te cautum semper instituant, ac timidum. Est viui hominis sepultura ebrietas: quæ destruit sensus, rationem extinguit, mentem ligat, animam occidit, conscientiam exulcerat, corporis euacuat sanitatem. Vorago cunctorum vitiorum ebrietas, ad rixas mentem, ad verba turpia linguã, carnẽ incitat in libidinem. Caue igitur tibi ab illa, si cupis, q, diceris esse, Christianus sacerdos. Sit cib⁹ moderatus & potus, si conseruare desideras corporis & animæ sanitatem. Deniq; sumpto cibo laudes Deo referantur, qui nos hic pascit in terris, vt in cæli quoq; mensa tandem nos sua benignitate cibare dignetur. His rite completis non tibi ad fabulas ęstimes abeundum, sed in sacris litteris, vel orationibus paulisper excubes, denique manibus aliquid opereris, quod iuuet. Sẽper enim tibi necessaria est quotidiana studii sancti exercitatio. Nullum ergo tempus otiosum patiaris transire. Est enim animæ inimica otiositas: in desideriis quippe est omnis otiosus. Semper ergò aliquid boni facito, ne otiosus diabolo te vincendi arma ministres. Iam lege, iam ora, iam aliquid manibus operare, vt semper in bono exercitio reperiaris. Opus autem manuale sacerdotum est, scribere libros, rubricare, ligare, corrigere, vel certe aliquid simile, quod prosit, perficere.

Gen. 9. & 19.

Opus manuũ laudatur.

Eccli. 33.

Tabernæ adeundæ non sunt.

Ante omnia caue tibi ab otio, quoniam, vt dicitur in ptouerbio. *Otia dant vitia.* De hoc etiam te cẽseo monendum, ne tabernas cum rusticis, nisi in itinere constitutus, ingrediaris. Incongruum enim est, vt is, qui aliorum iudex constituitur, locum frequentes, in quo sæpe, quos corrigit, delinquunt. A sanctis quoq; Patribus indictum est sacerdotibus, ne tabernas ingrediantur. Conuictus enim assiduus parit cõtemptum, raritas auget rebus admirationẽ. Cito namq; tuus sermo contemnitur, si cum rusticis tabernas ingrediens ex nimia familiaritate vsus loquendi communis attendatur. Crede mihi, nec tibi, nec illis expedit nimia familiaritas, quia solet generare contemptum. Incipient enim te ex consuetudine conuersationis suæ quasi vnum æstimare ex eis: vt nec verbis quidem sacris deinceps, quæ protuleris, fidem accommodent. Quod si cum tui similibus interdum causaris fore lætandum non abnuo, sic tamen vt domo contentus tua, non ingrediaris tabernas.

Ori tuo custodiam pone, ne verbum malum de ipso procedat. Nulli detrahas, nec aduersus fratrem tuum scandalum sumas. Quid ad te de alieni Domini seruo, immò conseruo: suo Domino stat aut cadit. Tu noli detrahere, si non à summo iudice Deo temerarius volueris iudicari. Ipse enim prohibuit detractionem, qui nos vetuit iudicare. *Nolite*, inquit, *iudicare, vt non iudicemini: qua enim mensura mensi fueritis, eadem remetietur & vobis.* Turpe est sacerdoti linguam suam detractionibus vitæ alienæ polluere, qui tenetur apud altissimum ex officio pro vita omnium orare. Ea quæ nescis quo animo fiant, in partem interpretare meliorẽ Quod tibi non vis fieri, nulli feceris ipse. Sepi aures tuas spinis, ne audias verba, quæ nõ decet sacerdotem Christi audire. Non præbeas aurem loquẽti verba detractoria, quia detractor, & libens auditor ambo diabolũ portant, ille in lingua, iste in aure. Discat alius non facile detrahere, cum te viderit nolle audire. Non sis citatus in lingua tua, & detractorum inuida fuge consortia. Nullum ex ore tuo mẽdacium prodeat, non turpiloquium, nec sermo carens vtilitate, quia vanus sermo vani cordis indicium est, & qualis vnusquisq; latet in occulto, talis & locutio eius procedit in publico. nam ex abundantia cordis os loquitur.

Rom. 14.

Matt. 7.

Detractio cauenda.

Matt. 12.

Non

Non sis accediosus & piger, sed feruore sancti spiritus accensus, vt in Dei sẽper ardeas amore. Horas canonicas ab Ecclesia dudum institutas diligenter debitis modis ac temporibus non omittas persoluere, quoniam ad eas ex præcepto eiusdem Ecclesiæ obligaris. In sacerdotali etiam officio diligens esto, vt bene ministrans bonum gradum acquiras.

Cor tuum semper erigatur ad DEVM, vt more aquilæ volantis in altum mentis tuę oculis sine conscientiæ reuerberatione in solem verum iustitiæ fixis nulla tentatione ab eius amore separeris. Non habeat locum in animo tuo maledicta ambitio, nec vllis honoribus velis sublimari terrenis, sed veri honoris æmulatione animo feraris in cælum. Curam quoque animarum ne velis appetere: quia regimen populi animum requirit exercitatum in multis. Oportet enim rectorem in lege diuina esse doctum, sermone facundum, in opere potentem, solicitum in cura. Es quis se talem affirmare præsumat? Quisquis autem animas regendas suscepit, præparet se ad reddendam Domino rationem. Considera igitur teipsum, & vitam tuam sic ordina, vt de suscepto sacerdotali officio à Domino merearis audire. *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Matt. 25. Ecce carissime, quod potui feci, pro quantulacunq; exhortatione hæc tuæ caritati descripsi, non vt in his totam vitæ tuæ regulam æstimes collocatam, sed ex paucis multa cognoscas. Lege interim ista, & dũ temporis angustia permiserit, incœptum complebo sermonem. Opto te in Christo valere, memorem nostri. Data prima die mensis Maii, anno Domini millesimo quatringentesimo octogesimo sexto sua manu.

EPISTOLA V.

AD QVENDAM SACERDOTEM EX PERSONA alterius de pluralitate beneficiorum.

IN Euangelio Dominus dicit. *Si videris fratrem tuum errantem, corripe illum inter te & ipsum solum.* Matt. 18. Hinc nuper occasione sumpta sermo ad te meus iste dirigitur. Cum enim mihi sis sanguinis vicinitate coniunctus non possum te pati errare, si tamen verba velis audire nepotis. Relatione percepi veridica vnum te homuncionem plura iam beneficia obtinere Ecclesiastica, quorum vnum tibi ad victum & amictũ necessaria sufficientissimè præberet.

Et, quod his grauius est, sine re habes nomen pastoris, grege neglecto te pascis, non oues. Sed audi, quid per Ezechielem Dominus dicat. *Væ*, inquit, *pastoribus, qui pascebant semetipsos Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem Domini non pascebatis. Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum.* Ezech. 34. O quam *horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Si Dominicũ gregem pascitis, aduentum Domini secure cernetis. Sed audio contrarium. In Dusseldorp pſides canonicus, & oues tuas in Molheym mercenario locasti. Sed dicis. Summi dispensatione Pontificis me credo securum. Contra summum Pontificem os meum ponere non debeo, dicẽte scriptura. *Dijs non detrahas.* tu videris, an rectè narraueris. Sicut dispensatio rationabiliter impetrata à culpa liberat: ita si absque iusta necessitate habeatur, damnat. Heb. 10. Exo. 22.

Quæ causa dispensationis tuæ? An vtilitas personæ, sed talis non es. an necessitas indigentiæ? sed mentitur iniquitas sibi. Quid ergo in tui excusationem allegas? Quia enim populum, cuius curam non propter curam, sed emolumentum per dispensationem impetrasti, non respicis, vtilitatis causam non intendis. Rursus, quia canonicus *Dispensatio in plural. benef. quando iusta.*

es, & tam de patrimonio tuo quam de canonia sufficientissimè prouisus es, necessitatem inopiæ non potes obtendere. Propter istas enim duas causas dispensatio ad pluralitatē suffragatur: si aut necessitas subsit, aut maior sequatur in Ecclesia Dei vtilitas. Tu autem sine causa dispensationem petisti, qui necessitate non premeris, nec vtilitate dilataris. Non enim tantæ sapientiæ es, vt duo beneficia vtiliter curare prævaleas. Causas debitas non attendisti, sed inordinatum affectum. Cupiditas insanire te fecit, vt non pro necessitate, sed ad voluptatem impetrares, quod non licebat. *Semper auarus eget*, cui non sufficit, quantumcunq; consequatur. *Horat. l. 1. epist.* Hoc quoq; tibi misero contigit, qui duobus beneficiis habitis, eece iam tertium impetrare contendis, vt dum sine causa rationabili dispensaris, non sine causa damneris. Sed noui conditionem tuam, quā duo simul vitia principaliora, superbia, scilicet, & auaritia supplantāt. Esse te cæteris elatio non finit inferiorem, quæ nomen pastoris mercenario stulto imponit. Carnalis parentum affectus, quo te mundo potius, quam Deo cupiunt placere, horum tibi est occasio malorum. Auaritiæ autem facibus incensus pecuniarum incredibili vexaris ardore. Hæ sunt causæ impetratæ dispensationis. Decipiuntur in tuo facto plures. me notitia tui fraudulentis circumuallationibus nō finit adhibere fidem. Noui enim statum, & conuersationem tuam à pluribus annis, & iam quidem venisti ad annos perfectionis tuæ, in quibus iuuentutis errores emendare debueras, non nouos committere. Non enim es puer, quamuis pueriliter agas. Medium vitæ tuæ iter transisti, & via deficiente absq; intermissione viaticum paras? Res planè stultissima, vt quo morti vicinior, eò pecuniis colligendis auarior. Quid tibi aliorum facta pessima trahis in exemplum? an multitudo peccantium grauitatem criminis minuet? Nunquid propterea sine peccato plura poteris obtinere beneficia, quia multi hoc faciunt? Tolle in his malis excusationis vmbraculum, quia nihil refert, vtrum multi sint, vel pauci, qui in eodem sibi malo consentiant, quia nec multitudo refrigerium, nec paucitas misericordiam consequetur in pœnis. *Qui altari deseruit, de altario viuat.* *1. Cor. 9.* Qui autem in ouium cura non laborat, lanam & lac de ouibus non requirat. Dotata sunt beneficia Ecclesiastica propter sustentatione in seruientium, non sunt beneficia propter dotationem instituta lasciuientium. Qui portat onus & curam, dignum est etiam, vt habeat sustentationem. Qui autem fugit solicitudinem oneris, qua fronte emolumentum petat honoris? Si ergò oues Christi non pascis, lanam & lac ab eis ne quæsieris. Non enim oues propter pastorem, sed pastor propter oues constituitur. Nec cura ouium appetenda est, vt habeantur alimenta, sed appetenda necessaria, vt ouibus valeat cura impendi. Tu verò peruertis ordinem, qui idcirco pastoralem Ecclesiam postulasti, vt haberes pecuniam in arca, non vt oues Christi eius amore pasceres in doctrina. *O pastor, & idolum*, ait Scriptura, quam misere decipis temetipsum. *Zach. 11.* Euangelizas vt comedas: non comedis, vt euangelizes. Quid mihi dispensationem opponis? Multa nobis licent, sed non omnia expediunt. De aliis Dominus iudicabit, ego te cupio viam ingredi meliorem. Vnusquisq; de suis operibus reddet Deo rationem. Nisi enim te singulariter diligerem, posuissem digitum super os meum, nec verba in incertum emitterem. Confido autem in Domino, quoniam amatoris & proximi tui consilium non despicies, & quidem gratum habeo, quod consilia timentium Dominum audisti, & tertium resignasti beneficium. Ex hoc spem emendationis tuæ concipiens, exhortor te in visceribus IESV Christi: memor esto, quàm breuis sit vita præsens, quàm mors certa, & iudex districtus, qui nullū peccatum transire sinet inultum. Absterge animū tuum ab omni inquinamento terrenæ cupiditatis, ne morte præoccupatus tempus emendationis quæras, & non possis inuenire. Iam, dum potes, facito, quod tunc non feciſſe dolebis. Aut pastorem IESVM imitare bonum, qui posuit animam suam pro ouibus suis, aut si imitari nolueris, nomen pastoris, inaniter non vsurpes. Si diligis Christum, pasce oues eius, quarum curā susceptisti. Quod si pascere nolueris, rogo ne locum infructuosè veri occupes pastoris. Cede, vt vinea locetur alteri, qui in fecunditate sciētiæ Dei fructum valeat afferre salutis.

Vt

Vt quid etiam terram occupas. Sufficiat tibi, quia canonicus es, & terrena substantia satis abundas. quid requiris superflua? nihil auaro sufficiet. Cupiditas radix omnium malorum, mater transgressionis: magistra nocendi, auriga malitiæ, seditionis origo, fouea scandalorum. Mentem, quam semel inuaserit, amplius liberam non dimittit. Sacrilegia cõmittit & furta. rapinas exercet & prædas, bella gerit & homicidia, Simoniacè emit & vendit, iniquè petit & recipit, iniustè negotiatur, instat dolis, & fraudibus innititur, dissoluit pactum, fidem frangit, violat iuramentũ, testimonium corrumpit, peruertit iudicium, caritatem extinguit, rumpit amicitiam, concordiam turbat, infatuat consilium, destruit vnitatem. omnium enim radix malorum nil generat, nisi malum. Si ergo sacerdotalis officii dignitatem operibus ipsis compensare volueris, malorũ radicem omnium fuge cupiditatem. Dicitur enim *seruitus idolorum*. Et. *nemo potest Deo seruire & mammonæ*. Dignitas sacerdotum secum non patitur mundi diuitias. *Qui enim volunt diuites fieri in hoc mundo, incidunt in tentationes diaboli*. Semper quippe diuitias comitatur angustia mentit. Nõ est seruus maior Domino suo, nec Deo sanctior sacerdos. Si enim Christus Dominus & Deus tuus contempsit diuitias, restat vt serui & sacerdotes sui similiter faciamus. Ipse enim ait. *Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. Iam nunc attende conditionem. Nisi renunciaueris quæ possides, nõ potes Christi esse discipulus. Qui non est Christi discipulus, cuius est? nunquid per alicuius præter Christi magisterium ad regnum cœlorũ peruenitur? nequaquam. Ipse quippe ait. *Ego sum via, veritas, & vita*. Et iterum. *Ego sum ostium*. Si quis aliunde ascendit, fur est & latro. Et illud. *Non vocetis vobis magistrum in terris. Vnus est enim magister vester in cælis*, qui est Christus. Et de sacerdotibus suis atq; discipulis specialiter dicitur. *Qui mihi ministrat, me sequatur*. Quid ergò dicemus ad hæc? Si sumus ministri & sacerdotes Christi, quare non sequimur magistrum nostrũ? Qui *se dicit manere in Christo, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare*. Sacerdotes autem, qui in ministerium Domini electi sunt, ipsum Dominum imitari iubentur. Vnde scriptum est, *Sancti estote: quoniam ego sanctus sum*, Dominus Deus vester. *Nemo autem Deo militans implicat se negotiis secularibus*, nemo pauperem Christum sequitur diuitiis intentus, nemo diligens terrena cælestibus potest obtemperare mandatis. Si enim terrena sapimus, cælestia profecto non amamus. Quæ autem non diligimus, nequaquam inuestigare fructuose solemus. Memor esto carissime, quam nihil sit omnis terrenarum opum possessio, quæ tam cito transire conspicitur, vt vmbræ latenti comparetur. Simile cogita, quam difficile diuites in Dei regnum intrare perhibeat Dominus, quanto facilior per acus foramen cameli transitio? Cito cogeris omnia dimittere, quæ studio feruenti, sed infelici modo cogitas congregare. Noli te rerum tuarum seruum constituere sed Dominum. noli velle fieri diues, ne in tentationem incidas diaboli. Qui amat pecuniam, Dei seruus non est. Omnipotens DEVS te illuminare dignetur, vt mundi vanitates discas despicere, & cælestes optare thesauros. Multa fuerunt scribenda tibi, & in longum extendenda oratio: sed ne onerosa fieret prolixitas, breuiorẽ compegi epistolam. Expecto autem de his fieri certior, vt in aliis mittendis fiam alacrior, si videro te sanis auscultasse consiliis, ansam mihi maiora scribendi præbebis. Opto te in Christi amore proficere & sine reprehensione in ipsius electione ministrare. Data quinta die mensis Maii, Anno Domini M. CCCC. LXXXVI.

1. Tim. 6. Cupiditas malorum.
Eph. 5. Math. 6.
1. Tim. 6.
Luc. 14.
Ioan. 14. Ioan. 10.
Matt. 23
Ioan. 12.
1. Ioan. 2.
Leuit. 11.
2. Tim. 2.
Matt. 19.

EPISTOLA VI.

AD QVENDAM ABBATEM, DE FRATRE MONACHO FUGITIUO HIC QUONDAM PROFESSO.

VENERALI in Christo Patri Domino N. monasterii Brouvvilerensis Abbati, Frater Ioannes vocatus Abbas Spanhemensis in Domino salutem, & fraternæ dilectionis affectũ. Vtinam Pater

ter venerãde, nulla mihi foret clementior saltem ad te causa scribẽdi, ne aut frustra scriberem, aut cũ ingenti dolore. Tacere proposui, sed litteris tuis, vt rescribam, videris compellere, qui ouis errabundæ dif fugiũ ceruicibus meis conaris imponere. Vim pater sancte mihi inferre nõ metuis: iniuriam facere non desistis. Quid ad me pertinet is qui fugit? Tu videris, quemadmodum illum errare permittis. Erat mihi regulari professione subiectus: erat bonæ conuersationis, quantum mihi constare poterat: & disciplinæ monasticę zelosus amator. Quomodo autem peruersus sit, ad te tuosq; refertur. Miseram illum ad patriam, Aquis, vt nosti. per te transiit, apud te fuit hospitatus & exceptus humaniter. Nescio cuius alloquio captus ex tuis, nunquam posthac cessauit instare, donec ad te mitteretur professurus, atque mansurus ibidem. Consideraui promissionibus tuorum captum iuuenem, nec ad stabilitatem vnquam reducendum. Misi ergo ad te litteras fratris manifestando propositum, & tuum requirendo consensum. Rescripsisti, consensisti, fratrem ad professionem recepisti, qui tunc professus, postea, qua causa tu melius nosti, aufugit. Cur ergo mihi nunc onus imponere voluisti, vt tuum negares professum. Terminum sibi in licentiatorio constitui, infra quem profiteretur, sed quia sub termino præfixo eandem noluisti recipere, per litteras terminum petiit prorogare. Consensi petitionibus, mihique placere nuncio respondi. Et huius prolongationis testis adfuit Abbas Schonaugiensis qui & præsentauit fratris epistolam. Si idcirco professus non est, quoniam post terminum receptus, vos pœna plectendi estis, qui contra meam sententiam eum recepistis. Sed non est hæc admittenda querela, quoniã fuit prolõgata licentia. Sed audio fratrẽ ipsum obedientiam quam fecerat reclamasse, quasi ideo sit nulla, quia post terminum primum extitit facta. His consona scribitis, his per verbum nuncium conformia mandatis. In hoc facto planè ostenditur, quia tui aut tuorum occasione frater vagatur. Dum enim reclamat obedientiam, factam sibi reclamat iniuriam. Si autem has fratrum reclamationes deberemus accipere, quãtos putas sub obedientia possemus habere? Tentarent indubiè similia plures, quibus omnis videretur opportuna occasio si qua monasterii via regulas stabilitatis valerent infringere. Non potest monachus semel emissam reclamare obedientiam sed cui se sponte submisit, eius deinceps voluntate constringitur. Quod verò Doctorum mihi decisiones ingeris, puto, si pars mea fuerit audita primis argumentis noua præferentur contraria. Sed, ne verba in vano multiplicem ad dictamen Patrum, nobis æstimo standũ, vt quod illi decreuerunt, ratum ambo collaudemus. Neq; enim decet, vt illis omissis ad iudicia transeamus exterorũ. Si ad culpã meã ista retulerint, si me fratrem errantẽ quęrere mandauerint: si mihi professum decreuerint, non contradicam, sed eorum iudicio me omnimodè subiiciam. Nõ dubito, quin & tua paternitas, si oportuerit, idem faciat. Cessa igitur Pater venerabilis, cessa & noli mihi diuinũ intentare iudicium. noli sancti Patris nostri Benedicti timidæ menti tam leuiter obtẽdere iram. Non sunt tam facilè terribilia emittenda tonitrua. Deus ipse nouit, qs ei fugæ causam tribuerit, quia bonus fuit nobis. Tibi qualiter factus sit malus, nihil mea interest. Oremus tamen interim pro fratre infirmo, vt det illi Deus sensum, & cor, & resipiscat à stultitia sua. Ad futurum capitulum vita comite de his à Patribus erit expetenda sententia. Opto caritatem tuam in Domino semper valere memorẽ nostri.

EPISTOLA VII.

AD MONACHVM LAPSVM, CORRIPIENS Eum, & vt de reformatione ad reformationem transeat exhortans.

FRater Ioannes vocatus Abbas in Spanhem, Ioanni monacho de Blydenstat salutem, & redire ad cor. Diu te aberrantem, & per deuia peccatorum incedentem, soleo admonere, vt futurorum cautus

tus periculorum mala prospiceres, & de reliquo vitam in melius commutares. Sed non sequitur in te correctionis effectus. induratum est cor tuum, & miserabili consuetudinis nequam seruitute depressum. Et qui dormit, non adiiciet vt resurgat? an quia cecidisti, pudet etiam surgere, & non pudeat semper iacere? Memor esto voti tui, quod DEO & sanctis eius fecisti, memor & promissionis mihi factæ: quoniam si venero iterum, & talem te inuenero, durissimæ subiiciam correptioni. Nolo tuis promissionibus amplius intendere, nolo conscientiam meam tuis delictis onerare. Visitationis meæ officium non parcet amplius, sed faciam, vt secundum decreta canonica Patrũ emenderis inuitus. An idcircò induratur iuxta Pharaonem cor tuum, quia non statim percuteris, sed differris ad pœnam. Diu & ille dilatus est, & decem plagas spacio perpessus dierum, vt vel in minimis disceret pericula vitare maiora Sed meritis suis prauis induratum est cor eius, donec maris vnda absorberetur, qui mores in correctione paterna emendare, populumque Dei liberum dimittere noluerat.

Rom. 2. An ignoras, quoniam patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuã & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicii Dei. Quomodo audebis apparere ante conspectum Dei & sanctorum angelorum in die illa tremenda, vbi virtutes cœlorum mouebuntur, vbi rationem redditurus erit de vita sua omnis homo? Quid tunc dicturus es, aut iudici quid respondebis? Iam manifesta sunt opera tua, & nimium coram hominibus confunderis. Qualis autem, putas, tunc peccatoribus erit confusio, quando & intima cordium coram sanctis Dei omnibus nuda erunt, quando peccata publicè malorum patebunt vniuersis, quando gehenna ministros in æternum recipiet cruciandos? Dicit enim S. scriptura. *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Biẽnium effluxit, quo, vt te emendares admonui: Sed vt interim didici, parum ꝓfeci: quoniam & ante peccasti, & sine verecundia culpam reatui addidisti. Qualis sit miseranda conuersatio tua, nouimus omnes, quoniam multis in scandalum tenditur, & tibi in damnationis, nisi resipiscas, periculũ prorogatur. Erubesce miser, & verecundare: qui non solum cecidisti à sancto proposito, sed & pluribus iã annis infeliciter obduratus perseueras in peccato. Vbi regularis tua professio? vbi castitas sacerdotalis? vbi est denique monachalis cõuersationis promissio? Considera vel serò tandem vbi iaceas prostratus, & noli patientia Dei abuti: quoniam qui te, vt conuertaris iam diu expectat, nõ conuersum cito durius damnat. Quanto enim expectantis longanimitas erga te fuerit clementior; tanto, si non emendaueris, erit iudicantis districtio seuerior. Omnipotens Deus qui reuertentem peccatorem in pœnitentia misericorditer suscipit, ꝓseuerantem in delictis suis seuerius iudicabit. Hic misericordiam & patientiam prorogat: illic iudicii censuram contra peccatores districtus librat. Iam tempus est miserendi eius, tunc erit tempus exercendi iudicium, & vnicuique secundum opera sua reddendi præmium. Nunc tẽpus acceptabile nobis ad pœnitentiam tribuitur: tunc verò non erit spacium peccata per lacrymas diluere, sed pœnam ꝓ his debitam sine dilatione subire. Scio mentis tuæ propositum, quoniam vitæ melioris vias te velle dicis arripere. Sed quando? quid si mortis imperio fueris præuentus? Ecce iam decem annis in luto fecis iacuisti. non dubito, quin semper emendam proposueris, sed nihilominus veteribus noua quotidie cumulasti peccata.

Hortatur ne prorogęt pœnitentiam.

Non est verum propositum, quod emendationis per tot annos frustrauit effectum. Audi Nasonem de morborum carnalium remedio consulentem. *Sed propera, nec te venturas differ in horas. Qui non est hodie, cras minus aptus erit.* Nihil in hoc negotio mora periculosius: quia sæpe dum velle negligitur, posse auferitur. Mora enim mutat propositum, & remissis conatibus multæ parantur insidiæ. Hinc nos diuina hortatur scriptura dicẽs. *Non tardes conuerti ad Dominũ, & ne differas de die in diẽ. Subito enim veniet ira eius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Et iterum. *Conuertere ad Dominum, & relinque peccata tua: precare ante faciem Domini, & minue offendicula. Reuertere ad Dominum, & auertere ab iniustitia tua, & nimis odito execrationem.* *Eccli. 5.* *Eccli. 17*

Et

Luc. 15. Et nunc quoniam cum filio prodigo in regionem longinquam recedens à Patre abisti, dies tuos & annos cum porcis impurè consumpsisti, cũ meretricibus substantiam tuam, ingenium, sensum & voluntatem expendisti, reuertere aliquando ad teipsum; attende quam longè à Domino recesseris, & pœnitens ex toto corde redi ad Patrem. Attende, quanti in domo Patris cœlestis serui abundant panibus, tu autem fame peris, & ingenti cruciaris inter dæmonum porcos opprobrio. Cur temetipsum despicis? cur sanum consilium non attendis? peccasti, non adiicias iterum. errasti, vel nunc deinceps ad viam veritatis reuertere. Audi *Isa. 30.* Isaiam prophetam, qui dicit. *Quando conuersus ingemueris, tunc saluus eris*, & scies vbi fueris. Conuertere itaq; & ingemisce, ac de residuo corrige vitam, vt saluus fias, & tunc scies, vbi fueris: qui quamdiu mens tua in cæno luxuriæ & voluptatis voluitur, à cognitione sui status ligata obcæcatur. Mens etenim humana, si peccatis per consensum semel substernitur, à diabolo in vinculis consuetudinis captiua tenetur, quia dum peccandi mora paulatim in vsum ducitur, quasi quædam necessitas generatur. Fitq; in homine tali miseranda prorsus digressio: quia dum mala voluntas in vsum peccandi labitur, mens in suo reatu, quasi secura, profundè soporatur, vt ꝙa cõsuetudini prauæ resistere negligit, à status sui cognitione longius recedit. Sed cum diuina miserante clementia de malæ consuetudinis sopore mens excitata euigilat, mox in quã damnabili vita fuerit illuminata pensat. Et tu in consuetudine peccandi sepultus es, & in quo sis statu minimè consideras. Euigila tandem, & redi ad cor, & tunc scies, vbi fueris. Iam enim à temetipso longè digressus es, & de calice Babylonis bibisti ad ebrietatem, atq; in mediis *Gen. 19.* periculis pergis malè securus. In Sodomis habitas. nisi fugeris ad montem, cum Sodomitis peribis. Malum tuum non consideras, quamdiu in voluptatis consuetu- *Ephes. 5.* dine dormitas. Sed *surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Te namq;, vt conuertaris, Dominus patienter expectat, qui hucusq; duritiam cordis tui sustinendo dissimulat. Non enim delectatur omnipotens in perditione peccantium, sicut per Ezechielem protestatur dicens. *Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat.* Et alius propheta. *Conuertimini ad me,* inquit, *ex toto corde vestro, in ieiunio, & lacrymis, & planctu.* Et Ieremias dicit. *Nunquid qui cadit non resurgit, & qui auersus est, non reuertetur?* idcirco, quoniam tempus copiosum DEO miserante consecutus es, vita deinceps corrige, & age pœnitentiam: ne si conuerti diutius tardaueris via pœnitentiæ per mortis tibi occursum claudatur. Quare cum Cain profugo longè recedis à facie Domini, & in terra moraris Naith? Ad quid mare fluctuans inhabitas, in quo saluari non poteris? Audi, quid in psalmo sanctus propheta dicat. *Cum sancto,* inquit, *sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris.* Tu vero frater, quoniam inter homines mundanos habitas, eorundem imitaris exempla, & conuersatione monachum negas, quem habitu & tonsura fallaciter demonstras. Nunc ergò, si vt pollicitus es, vitam tuam in melius emendare desideras, locum irreformatum, & plenum periculis oportet derelinquas. Vbi enim castitatis & paupertatis vota negliguntur, in cœnobio absq; periculo salutis non viuitur. Ecce enim proprietarii estis omnes, & trium substantialiũ votorum, vt plurimum, trangressores. Periit à vobis totius religionis vestigium, & habitu solum à sæculi cultoribus differtis. Non mihi super habendo proprio Abbatis licentiam opponas, quoniam obedientia, castitas, atq; paupertas monacho per regulam, & sanctorũ Patrum sanctiones adeò declarantur necessaria, vt sine his monachus nec dici mereatur. Quid licentiam Abbatis obtendis, cum nec summus Pontifex Romanus cũ monacho, vt ꝓprium habeat, dispẽsare præsumat. Num Abbas est supra Papam, vt quod ille se non posse apertissimè dicat, iste audere præsumat? Non ęstimet se Abbas magistrum regulę, sed discipulum. Nihil tibi super hac transgressione regulæ & iuris Abbatis licentia proderit: quoniam, qui illicitè dispensat, se cum dispensato ex temeritatis ausu damnat. Non licet monacho quicquam habere propriũ, non licet ei possidere aurum & argentum: quoniã si pecuniam quæsierit, fidem primam irritam fecerit. Multa sũt irreformatorũ pericula monachorum, de quibus mihi nunc non in-

Quam periculosa consuetudo peccandi.

Deut. 32.

Ezech. 33.

Ioel. 2.

Ier. 8.

Gen. 4.

Psal. 17.

Monachus non potest esse proprietarius.

incumbit dicendum per singula. Quamuis autem neminem sanctificet locus, tamen sanctorum conuersatio exemplaris ad vitam excitare meliorem plurimos consueuit. Suadeo tibi & exhortor, vt si emendatioris vitæ vias ingredi peroptas, monasterium deformatissimum quantocyus deseras, locum in quo regularis obseruantia vigeat inibi mansurus inquiras. Adero pro mea facultate sancto desiderio tuo, vt locum & receptores beneuolos inuenias, vbi decreueris esse pulsandum. Tunc scies, vbi fueris, quando de laqueo mortis liberatus, in nouitate vitæ ambulaueris. Ibi te fratres multi cum gaudio in caritate iuuabunt, ibi in via Domini ambulabis. Tunc quoq; scies & gustabis dulcedinem monasticæ disciplinæ. Curigitur tardas? quid times? quid trepidas? Ingredere in domum disciplinæ Domini, & noli timere. Ante omnia morbum cura inueteratum, quem nisi emendaueris, nunquam consequeris salutem. Quemadmodum prædixi, iterum prædico: quia si denuò me fallere præsumpseris, duram regularis districtionis censuram experieris. Vbi enim paterna monentis dulcedo spernitur, necesse est, vt seuera corrigentis animaduersio sentiatur. Sed velis obsecro statum tuum attendere, vt vitam in melius aliquando valeas emendare. Scio te in diuinis scripturis expertum, & ideo sermonem reor breuiandum. ne dum voluntatem nimis conor erigere, tædium videar generare. Vale in Domino, & sanis acquiesce consiliis. Caritas enim Dni me ad tui cohortationem excitauit, per quam te obtestor, ne salutis tuæ immemor existas. Iterum vale.

Hortatur vt monasterium reformatum ingrediatur.

EPISTOLA VIII.

AD EVNDEM.

FRATER Ioannes vocatus Abbas in Spanhem Ioanni de Blydenstatt monacho presbytero Salutem. Dici non potest Ioannes dulcissime frater, quantum tua miserabili depressione conturber, quantumue doleam tibi. Testantur hoc litteræ olim tibi per me missæ, testantur & sermones ad te habiti: & quod his omnibus amplius est, mea mihi testatur conscientia, quomodo te percupiam in visceribus IESV Christi. Et vt notus tibi fiat, quem gero ad te mentis meæ affectus, decreui etiam hac vice scribendum ad te, si forte aspicias, & animam tuam, dum tempus est lucrifacias. Dic igitur, obsecro, dic animæ tuæ vagæ & instabili, quod sanctus ille in psalmo dicebat. *Reuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus bene fecit tibi.* Animæ in hac peregrinatione requies est bonæ conscientiæ testimonium. Ad hanc tibi redeundum est per pœnitentiæ remedium, quia Dominus bene fecit tibi prorogando temporis spacium, sed & emendationis opportunæ monstrando refugium. Ad hanc requiem anima reuertitur, quãdo inueterata mala, per penitentiam purgata mens in bonis de reliquo actibus exercebit. Ecce nunc tempus acceptabile & dies salutis, in quibus ad peccatorum conuersionẽ elementia Dei omnipotẽtis misericordiæ sinũ expãdit, quos reuertẽtes ad se, nõ modo preteritis laxat offensis, verum & perennis vitæ remunerat bonis. Nunc dies salutis prorogantur in terra hominibus, vt emendatis vitiorum deformitatibus munus Deo sinceritatis cordium offeramus. Væ tantam salutem negligenti. Væ in sordibus peccatorum perseueranti. Iam tempus est in vinea Domini cum hilaritate magna laborandi. iam opportunitas exquirit dictum bonorum operum semina spargendi. nunc hora est nos de somno torporis & prauæ consuetudinis surgere, & in bono mentis nostræ ad Deũ proposito vigilare, nunc tempus est nos in disciplinis regularibus exercendi, & per sanctarum exercitia virtutum ad cælestia semper animo suspirandi. Væ nobis si tãtam salutis nostræ operandi opportunitatẽ neglexerimus. *Horribile est incidere in manus Dei viuentis.* Ad te autem sermo nunc meus dirigitur, qui in vitiorũ cæno dormitas, qui prauæ consuetudinis onere deprimeris. Quousq; infelix animã tuam

Psal. 114.

Hortatur ne procrastinet cõuersionem.

Hebr. 10.

incuruas dæmonibus? quamdiu ſpe vana deciperis. Ecce tibi ſecundas iam mitto litteras, qui nullum de primis fructum dediſti. Ecce iam iterum ſurdis auribus exhortationis effundo ſermonem contra illud Sapientis conſilium. Qui verbum vetat fieri, vbi non videris auditum. Tu vero aures habes, & non audis, audis & non intelligis, intelligis & non facis. Auribus quidem corporis noſtro ſermone delectaris, ſed quia interius ſurdus es, auditum neceſſarium ad ſalutem animę perdidiſti. Aperi oculos tuos & vide, in quantis te malis proieceris. Reſipiſce vel nunc tandem, & de iniquitatibus tuis age pœnitudinem. Conſidera Dei ſuper te venturum iudicium, in quo de omnibus tuis ſeuerum fiet examen. Scio, quod geris in mente certamen; quoniam & velle te ſentis, nec perficis: ſurgere conaris, & nihilo minus in lapſu gemis. Scio, quoniam in conſcientia turbaris, quoniam ſicut ſcriptum eſt, *ſemper præſumit ſæua perturbata cõſcientia.* O quam inquieta eſt peccatis onerata conſcientia. Nunquam eſt ſecura, nunquam tranquilla, ad omnia timet, & omnia metuit, nihil tutum, nihil æſtimat ſibi ſecurum. torquetur memoria ſui reatus, ad ſuſpiciones inexplicabiles aliorum concitatur alloquiis. Heu quid dicam? in foueam turpitudinis cecidiſti, nec manum leuanti dignaris extendere. Tu es, qui per temetipſum cecidiſti, ſed per teipſum nequaquam vales reſurgere. Ille autem, qui de ſtercore eleuat pauperem, te quoq; ſi velis, paratus eſt de conſuetudine mala eripere. Sine ipſius auxilio nemo ſurgit à peccato. Deſiderium mihi ineſt, te exhortandi: ſed præ nimia confuſione, quid dicam prius, quidue poſterius, non ſatis poſſum diſcernere. Vnde incipiam loqui homini miſerabiliter lapſo? quomodo exordiar? quod erit mei ad te ſermonis initium? Neſcio plane, bona quæ perdidiſti commemorem, an defleam, quæ pateris & patieris mala. Meminiſſe in exordio par ſit, quis aliquando fueris, quis factus ſis. Eras nempe olim incola paradiſi, dum in medio monachorum, vt ſtella, luxiſti, dũ vt roſa videbaris floreſcere. Eras innocens & impollutus, quando ſanctum habitum induiſti, & omnes, qui te noſſe poterant de te magni futurũ aliquid præſumebant. Te Dño vouiſti, vt ei ſeruires in æternum, & mundũ bonorũ cæleſtiũ amore contemneres. Animam tuam ſibi in perſonam rex cæleſtis aſſumpſerat, & in te templum præparauerat ſibi, vt ipſe in te, & tu in illo ſine fine maneres. Abnegaſti temetipſum tibi, vt ſub iugo monaſticæ diſciplinæ ires poſt Chriſtum, qui ſuis amicis & ſeruis bona præparauit æterna. Sed abiſti retrorſum, ſed cecidiſti, ſed primam fidem violaſti, ſed corrupiſti caſtitatem. Non eſt hoc mutatio dexteræ excelſi, ſed retro poſt ſatanam auerſio. Quomodo cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris? qui in paradiſi Dei deliciis fuiſti, cui omnis lapis pretioſus operimentum, & mirabilis virtutum in tua paradiſo plantatio. Quomodo cecidiſti, non adiiciens vt tandem reſurgas? Ecce qualis factus es, de Dei ſeruo mancipium Satanæ, de ſponſa Chriſti ſcortum execrabile dæmonum, de habitaculo ſpiritus ſancti tugurium infandum diaboli, de templo Dei fanum immunditiæ, & ſpelunca latronum. Væ tibi miſero, qui propter breuiſſimi temporis luxum bona vitæ perdidiſti perennis. Perdidiſti planè, niſi per pœnitentiæ lacrymas perdita ſedulo reſtaures. Vbi eſt nunc omnis hactenus habita delectatio turpis? Quid ad cautelam tibi futurorum præbet tranſacta libido? Nunquid immaniſſimum ignem praui adimpletio deſiderii vel modo extinxit? Nonne cum adeptus fueris prauæ concupiſcentiæ effectum, libidinis feruor ſumit augmentum? Oleũ ſtultus infundit igni, quem putat extinguere. Obſecro te, corrige de reliquo vitam, qui tot malorũ dolendam cepiſti experientiam. Ad futura ſis velim præteritorum comparatione iam cautior, ne ſi lubens indulſeris tẽpori, mala ſuper te indurata conſuetudo robur accipiat inuincibile. Leua tandem aliquando mentis oculos, & inſpice faciem, quam ipſe tibi feciſti, & conſidera, quo proiectus es & ingemiſce, ſi forſan exaudire dignetur gemitum pauperis, qui non deſpicit cor contritum, & animum ſubleuat humiliatum. Leua, inquam, oculos tuos, & vide, quã benignus eſt Dominus, qui te tam patienter, vt conuertaris, expectat. Noli obdurare cor tuum. hodie ſi vocem eius audieris, noli contemnere: quoniã qui clementer nunc peccatores ſuſtinet, diſtrictè quandoq; cõtemptores pa-

Eccli. 32.

Sap. 17.

Iſa. 14.

Exemplo aliorum hortatur ad conuerſionem.

patientiæ iudicabit. Nec mihi carnis fragilitatem, patiar, opponas: quoniam, quod faciunt multi, tibi, si velis, non erit impossibile. Vide, quot millia sanctorum bini sexus carnis naturam superauerunt: qui & ipsi, dum viuerent, infirmitate circumdati gemebant. *Sap. 9.* *Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Dux noster & legifer sacer Benedictus cũ sui caterua ordinis innumerabili mundum vicit & carnem, nobisq; spem victoriæ monstrauit tenendã. Numquod illis diuina gratia contulit orantibus, nobis inuocata negabit? Erant homines illi passione nobis similes, & tamen diuina gratia præuenti virtutibus se subdentes vitiorum venena calcarunt. Nemo sanctus meritis suis, nemo castus, qui non sit misericordia Dei præuentus. Sicut illos diuina clementia fecit inuincibiles, ita libera bona voluntas fecit constantes. *Gratia Dei omnibus parata.* Ne dicas, si Dei gratia castitatem conseruat, erit illa mihi donec detur exspectanda. *1. Tim. 2.* Deus enim, qui secundum scripturam *vult omnes homines saluos fieri*, omnibus est gratiam dare paratus petentibus. & *2. Cor. 6.* nullis inuitis. Inde nos hortatur Apostolus Paulus, vt circumspecti gratiam Dei non recipiamus in vacuum. Gratia non saluat nisi volentem, nec deserit, nisi spernentem. *Prou. 8.* Ait enim. *Ego diligentes me diligo*, hoc est, inueniendã me quærentibus præsto. Mouet illa voluntatem, vt quærat, dat fortitudinem vt valeat, & nihil est boni, quod nõ ducat ab illa originem. Sed iam nunc obiicies, quod stulti homines liberum tollentes arbitrium sæpe loquuntur. Ergo, si gratia Dei mouet voluntatem ad bonum, vt velit, sequiturq; motam, vt possit, quid me de malè factis arguis, cuius gratia necdum voluntatem mouit. Attende frater & diligenter considera, quoniam vbi gratia Dei per contemptum repellitur, suis homo demeritis induratur: vt dũ quod in se est, facere negligit, quod *Nostrum est cooperari gratiæ.* Deus facit gratiam largiendo nequaquam sentit. Peccata enim diuiserunt inter nos & Dominum, vt quia nostram, vt Dei gratiæ capaces simus, diligentiam non facimus, eius promptã clementiam circa nos minimè videmus. Sane me velim intelligas, ne, si, quod non sentio, senseris, in pernicioſum errorem ruas. Et quidem non fuerat huius temporis ista *Isa. 59.* differere, cũ negotiis debeat sermo loquẽtis, non accidentiis deseruire. Ad cœpta igitur redeamus. Vbi itaq; tot sanctorum millia hostem carnis & sanguinis concitatorem cernis prosternere, de victoria simili non licet desperare. Orandum verò semper est, & iugi cura vigilandum, ne otio torpentes nos aduersarius inueniat. quia nihil tantum luxuriam concitat, quam si mens ab oratione, & manus ab opere bono desistat. Otiositas enim inimica est animæ, & in desideriis est omnis otiosus. idcirco fuge otiũ, occasiones peccandi declina, & de cetero lamentum tibi pœnitentiæ assume, quo & defleas commissa, & iterum nõ committas deflenda. Cogita sedulo, quam grauiter Deum offenderis, quam miserabiliter animam tuam dæmonibus prostitueris. Memor esto etiam nouissimorum tuorũ, mortis quam euitare non vales: iudicii, quod subire cogeris; & inferni, quem tuis peccatis meruisti. Cura faciem Domini lacrymis prẽuenire, vt iudicis iram in districto iudicio possis effugere. Ergo dum tempus est, tuam operare salutem: ne forte, cum non putaueris, Dominus veniat, & pulset ad ianuam corporis te vocans ad mortem, qui diu pulsauit ad ianuam cordis, & noluisti attendere. Toties autẽ Dominus ad ianuam tui cordis pulsat, quoties emendationis propositũ tibi subministrat. Tu autem pulsanti respondere dissimulas, quamdiu non pœnitens in reãtu perseueras. Aperi ergo ianuam cordis, & vel nunc suscipe hospitem salutis. Si verò, quod absit, tantam gratiæ opportunitatem neglexeris, cum fatuis virginibus extra portam æternæ mansionis iustorum infelix sine fine manebis. Sed scio te nostras exhortationes in caritate suscipere, & ideo nolui te calamitati deesse: sed perscripsi duas iam ad te litteras, quibus mentis meæ affectũ erga te sincerum agnoscas. Festina venire cito, vt de tua inter nos opportunè liberatione loquamur. Reperiemus enim Deo largiente viam, qua de terra Ægypti ereptus ad promissam à Deo nõbis hæreditarem pertingas. Opto te in Domino valere, & ab omni mentis languore sanari. Data manu sua 3. Non. Februar. Anno Domini M. CCCC. L XXXVIII.

EPISTOLA. IX.

AD NICOLAVM PRESBYTERVM MERNICENsem super priori epistola, quam sibi rogauerat scribi.

FRATER Ioannes vocatus Abbas in Spanhem Nicolao Presbytero salutem. Optaueram te quidem Deo in sacerdotio dignè cõuersari, vt illi dũtaxat placere curares, cui te probasti ministrum. Huius rei gratia formam tibi viuendi cõpendiosam vt sæpe rogaueras, descripsi, quã de S. Patrum floscvlis extractam in modum libelli ordinaui. Quanquam autem gratum tuæ caritati non dubitem opusculum, sum tamen in litteris tuis, quas die 20. Iulii dederas, admodum turbatus, & factus pusillanimis. Formam enim præscriptam, vt optimam collaudas, quam tamen vt durã subire formidas. Dicis enim contra regulam te societati aliorum in multis oportere condescendere, ne aut parcum te iudicẽt, aut singularem. Vnde hæc stulta cauillatio? Quid mihi aliorum defectus in tui excusationem conaris opponere? Si conuersationem sodalium imitari volueras, cur à me normam singularis vitæ postulabas? Timidæ mentis indicium est de conuersatione melioris proposito nolle notari. Sed audi prophetam in psalmo loquentem. *Confusi sunt, qui hominibus placent, quoniam Deus spreuit eos.* Apostolus quoq; ait. *Si adhuc hominibus placerem, Dei amicus non essem.* Et in Euangelio Dominus. *Beati eritis, cum vos oderint homines.* Et quoniam persecutio beatum facit neminem, sed causa, bene subiungit, *propter filium hominis.* Non enim beatus est, q propter scelera sua odio habetur: Sed ille verè beatus, quem odiunt homines carnales propter vitam spiritualem, quoniam moribus eorum videtur contrarius. Sic Dominum odio habuerunt Iudæi, quoniam dolebant eius se conuersatione à populo vilipendi. semper enim malis est onerosa vita iustorum, quia quem suis actibus sentiunt contrarium, persequuntur tanquam inimicum. Impios enim qsquis non imitatur offendit, & odium suum excitat inter reprobos vita singularis. Sed iustis nihil noui accidit, si ab impiis odio habeantur, cum legamus à mũdi exordio sanctos viros odio semp laborasse iniquorum. Vnde Abel iustus odio fratris occiditur, Iacob à facie fratris Esau peregrinatur, in Ægyptum Ioseph inuidia fratrum vẽditur, occiduntur prophetæ & fugantur, Apostoli virgis cædũtur & persequũtur, & omnes, qui volũt in Christo piè viuere persecutionem patiuntur. Tu ergò delicatus es miles, si te & iustum fieri, & hominibus posse placere carnalibus existimas. Si te Domini profiteris ministrum, si Christi putas discipulum, noli timere odia iniquorum, sciẽs Dominum tuum suos præmonuisse discipulos. Ait enim. *Si mundus vos odit, scitote quoniam priorem me vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: Sed quia de mundo nõ estis, quoniam ego elegi vos de mũdo, propterea odit vos mundus.* Mundi nomine homines intelliguntur mundani, q̃bus carnalia placent, displicent æterna. His tu placere appetis, dum, ne te habeãt odio cum ipsis in ima descendis. Non q̃rit DEI famulus hominibus placere, qui displicent Deo, sed eos veneratur tantũmodo, qui diligunt Dominum. Nunc ergo considera, quoniam malis displicere laudabile est: cum Domino placere non valeas, nisi ab eius aduersariis odio habearis. *Odio enim sunt Domino impius & impietas eius.* Quos autem Dominus odit, tu illis placere desideras. Caue ab hac infidelitate maxima. Nam si Domini seruus es, Domino cura soli placere, & hominum carnalium, Deoq; displicentium opprobria ne metuas. Quod si adhuc hominibus mundanis placere desideras, minus Domino placere te manifestas. *Nemo enim potest duobus Dominis seruire.* nemo potest DEO & hominibus malis placere. In formula, quã petisti, scripseram tibi, ne tabernas secularium & rusticorum ingredereris cũ rusticis, quoniã id in Sacerdotibus Domini val-

Psal. 52. *Gal. 1.* *Matt. 5.* *Malis probi semper exosi.* *Gen. 4.* *Gen. 27.* *Gen. 37.* *Act. 5.* *2. Tim. 3.* *Ioan. 15.* *Sap. 14.* *Matt. 6.*

valde reprehenditur. Tu autem multitudine transgredientium statuta Patrum negligenda existimas, qui te prauorum societate excusas. Sed ne paruam existimares monentis sententiam, audi, quid super his sanxerint Patres. In canone dist. 44. Sic legimus. Non *oportet clericos seruientes à presbyteris vsque ad diacones, & deinceps ordinis Ecclesiastici omnes vsque ad ministros, aut lectores, aut exorcistas, aut ostiarios, aut psalmistas, aut etiam eos, qui in proposito continentiæ sunt, tabernas intrare.* Item ex 6. Synodo. *Nulli clericorum licet tabernam, aut ergasterium habere. Si enim huiusmodi tabernam ingredi prohibetur, quanto magis aliis ministrare in ea non debet. Si quis verò tale quid fecerit, aut cesset, aut deponatur.* Sequitur in capitulo. *Clerici edendi vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi. Valde namque est sacerdotibus fugienda crapula & ebrietas, quæ omnem virtutem animi obnubilat.* Qui tabernas rusticorum pro vino ingreditur clericus, Patrũ sanctiones præuaricatur. Turpe autem in sacerdote histrionum conuiuium, in quo libido prouocatur per vini calorem, & animi sinceritas deprauatur per loquentiũ impuritatẽ. Caue igitur, & ne tabernas cum rusticis velis ingredi, ne aliorum te impuritatibus contingat maculari. Fuge hominum indisciplinatorum consortia, q̃ multũ habent periculi, nihil honestatis. separare igitur à contagione pestifera, vt ministrum te probes inconfusibilem. Quanto longius fueris à puersis, tãto minus tẽties aduersa. Minus enim voluptatibus accenditur, qui non est, vbi voluptatum copia habetur. Honestis tamen interdum poteris recreari conuiuiis & bonorum consacerdotum abluctari solatiis. Sed in his omnibus erit solicitè adhibenda discretio, ne aut conuiuiorũ nimietas pauperiem, aut omnimoda districtio auaritiã exhibeat. Vsum enim conuiuiorũ ex caritate agendorum nõ tollo, sed abusum, quo & rei familiaris euacuatur substãtia, & animi rectitudo amittitur. Sunt enim plures, etiam inter ministros Ecclesiæ, qui rusticorũ tabernas quotidie intrãtes totũ diem consumunt in potibus & turpiloquiis: noctem quoque factis obscænis commaculant, & hos deuita. talibus noli velle placere, quos constat DEO displicuisse. Sit prandii tibi moderata refectio, sit parcitas vini, sit norma discreta verborum. Si amas virtutẽ continentiæ, vinum semper habeto suspectum. Dicit enim scriptura. *Luxuriosa res est vinum, & cõtumeliosa ebrietas. qui miscetur his, non erit sapiens.* Iudicium namq; rationis euertit ebrietas, & hominem in extremas frequẽtata perducit miserias. Qui sapiens fuerit, custodit animam suam ab illa, stultus autem delectatus in vino capitur duplici egestate. Substantiam enim suam expendit prodigè, & mentis statum incuruat viuendo luxuriosè. Tu autem serue DEI ab his animam tuam conserua, vt sapientiã verã cõsequaris. Ideirco sicut olim te monui, iterum exhortor, vt studio sacrę lectionis semper insistas: per hoc enim & carnis vitia poteris domare, & bonas mẽti virtutes inserere. Nihil enim in Christi sacerdote pulchrius refulget, quam vita religiosa, & veræ sapientię doctrina. Per vitam bonam se Domino facit commendabilem; per sapientiæ doctrinam populis vtiliter locupletem. Hæc ornamenta sacerdotum, hæ Christi ministrorum diuitiæ. Ad hanc veram sanctamq; sapientiam non veniunt, q̃ terrenis affectibus implicati falsę sapientiæ vmbrã sectãtur. Sũt autem nonnulli, qui accepta scripturarũ scientia, non ad gloriam Dei, sed ad laudẽ suã vtuntur, q̃ de intelligẽtia litterarũ elati insuperbiam ibi delinquũt grauiter, vbi peccata debuerant emendasse. Sed hi veram scripturarum scientiam nondum adepti sunt. Scientia enim talium inflat, caritas autem seruorum Dei ædificat. Tu ergò frater veram sapiẽtiam inquire, quæ in scriptura latet abscondita, & à sinceris mentibus reperitur quæsita. Vt autem scires, qualiter studio sacræ lectionis debeas fructuosius insistere, mitto tibi de hac materia Tractatum, ob quorundam amicorum petitiones à me nuper editum; in quo compendiosè multa de sacrarum litterarum inuestigatione perscripsi. Credo & tibi gratum fore Opusculum, quem amor sacræ lectionis vehementer incendit. Sit ergo studii feruor in desiderio, sit vsus frequens in exercitio, sed non desit in singulis mater virtutum discretio. Nam, si aut feruor fuerit tepidus, aut vsus indiscretus, ad scientiam veram sacræ lectionis non erit accessus. Primum enim à quærendo mentem præpedit; secundum, ne inueniat, vtiliter dispergit. Sed hæc suis erunt differenda tem-

Tabernæ sacerdoti vetita.

Conuiuia nõ omnia vetita.

Prou. 20.

Trith. de inuestigat script.

temporibus, ne prolixitas sermonis formã epistolarem excedat. Cæterum audio te famulam cuiusdam mariti viuentis in tua domo habere, q̃ legitimo derelicto viro hinc inde perhibetur discurrere. Non est hoc bonũ de sacerdote Christi testimonium, vt quod DEVS coniunxit, ipse inconsultè separare præsumat. Male facis, ô Nicolae, iniuste facis viro suam præcipiens vxorem, & delinquendi tribuens illi facultatem. Forsitan incontinens erit, & cum suam coniugem non habeat in adulterium, aut turpitudinem prolabitur. *Matt.19.* Noli obsecro, noli separare, quos coniunxit Dominus, sed expelle mulierem, quamuis vetulam, & suo marito dimitte. Noli peccatis communicare pereũtium, omnemque scandali materiam è domo tua procul repelle. Noli peccantibus occasionem tribuere, si Domino Deo desideras, vt oportet, ministrare. De animarum cura, quam assumsisti, si audisses meum consilium, non tantum onus subiuisses, atque periculum. Sed quia & in hoc amori consanguineorum plus quã oportebat placere volueras, restat nunc solicitè cures, ne amicorum affectus carnalium à diuino te disiungant amore, Caue, ne honoribus vanis mores boni mutentur, ne gradus honoris fiat tibi in præcipitium damnationis. Vide, ne in superbiam erigaris, ne feraris in iactantiam, & te cæteris meliorem existimaueris, quem vides superiorem. Insta curæ animarum solicitè: & scito, quoniam ars artium est regimen animarum. Verè, si pericula intelligeres regiminis, nomen abhorreres pastoris. Nunc autem inexpertum te cura cepit blanda solicitudinis, docebit cum anxietate quid appetas ingens sarcina laboris. Sed de his non est modo dicendum per singula. Rursum, vt prius cœperam, sinceritatem tuam admoneo, vt DEO studeas semper seruire solicitè, & à vanis hominum societatibus te longè facias alienum. *Corrumpunt enim bonos mores colloquia mala.* & commaculant sobriam mentem hominum peruersorum cõuiuia. Opto dilectionem tuam in Domino semper esse felicem, meiq; in orationibus quotidianis ad DEVM memorem. DATA manu mea anno Domini. M.cccc. LXXXVI.

Greg.p.1. pastor.c.1.

1. Cor. 15.

EPISTOLA X.

AD EVNDEM, DE CONTEMPTV MVNDI.

FRATER IOANNES, vocatus Abbas Spanhemensis dulcissimo fratri Nicolao presbytero in Domino IESV salutem. Litteras tuas pridie Kalendas Septembris accepi, quibus lectis non mediocriter fui gauisus. Significas enim te curam animarum proposuisse relinquere, & saluti propriæ vigilantius prouidere. Sed turbat, quod additur. quoniam inquis, post aliquot annos. Quid est, post aliquot annos? Quãdo venient, quos censes præmittere, anni? Timeo, ne frustra lætatus sim, quoniam mora mutat propositum, & infirmatur voluntas, quæ differtur. quo contra scriptum est. *Ne tardes conuerti ad Dominum, nec differas de die in diem. Sed propera, nec te venturos differ in annos. Qui non est hodie, cras minus aptus erit.* Non est verum propositum, quod morę subit periculum. Qui enim spiritus sancti amore tangitur, nullam inter voluntatem & effectum dilationis moram sustinendam arbitratur. Mox namq; vt gratia donauit benefaciendi propositum, feruenter arripit volũtas bona exequendi institutum.

Morã in proposito persoluẽdo ostendit periculosam. Eccli.5.

Nescit enim tarda molimina spiritus sancti gratia: Sed pectus, quod ad conuersionem imbuit, nulla mora quietũ amplius pmittit. Multis autem nocuit propositi sancti dilatio, quoniam dum voluntas differtur ab opere, feruor frigescit in mẽte. Igitur, si vera sunt, quæ scribis, moras periculosas abrumpe, ac salutis tuæ semitas sine dilatione ingredere. Nam si voluntatem in annos venturos distuleris, indubiè san-

Amb. in c. primũ. Luce.

sanctum propositum amittis. Voluntas enim, vt diximus, quæ differtur amittitur, & conatus magni mora interueniente franguntur. Nihil mora periculosius, quæ & mentem à proposito, & amorem fugat, & euacuat à desiderio. Multos decepit spes vitę longioris, quibus mora fuit in desiderio, & mors finis in proposito. *Spes etiam, quæ differtur, affligit animã*: quia tamdiu pro tua salute expecto solicitus, donec opere compleas, quod polliceris epistola.

Prou. 13.

Nescio tamen, qua via salutem tuã operari decreueris. Si ad sanctæ religionis arcam conuolare volueris, iter tutum ad patriam elegisti; si autem in seculari conuersatione curis solutus apud te consistere malueris viuendi normam bene difficilem statuisti. Claustralis autem vita tutior est, in qua de mundo minus constat metuendum. Multa enim sunt vitæ secularis pericula, quæ fugiendo melius cauentur. Ibi enim occasiones infinitæ peccandi, ibi societas mala prauorum, ibi frequens transgressio, & rara pœnitudo; ibi benefaciendi nõ parua difficultas, ibi cadendi maxima facilitas. In monasterio autẽ malorũ minor occasio, vbi singulorũ conuersationes diligenter Prælatorum circumuallat solicitudo. Ad hanc theoriam te voco, si obaudias: si quo minus, voco tamen. Si vanitatem huius mundi volueris contemnere, nullibi melius, quã in monasterio hoc poteris adimplere. Sed vereor, ne seculi curis implicatus, ad nouitatem conuersationis formides accedere, eum in mundi huius mala dulcedine non desinis suspirare. Gemebat etiã sub Ægyptica seruitute populus Dei, qui tamen Ægyptum nõ poterat egredi, donec omnipotens DEVS hunc in manu valida festinanter iuberet ab Ægyptiis quodammodo expelli. Vnde scriptum est. *Lætata est Ægyptus in profectione eorum, quia incubuit timor eorum super eos.* Ægyptus tenebræ, vel angustia tribulationis interpretatur, per quam præsens seculum non incongruè accipitur de, quo scriptum est. *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ non comprehenderunt eã.* In Ægypto itaq; populus Dei seruitute deprimitur, quando homines à bonæ voluntatis proposito per vitiorum tenebras, & curas varias retrahũtur. Nec facilè inde possunt egredi, quia dũ mens semel mundi curis seruiẽdo substernitur, difficulter ab eius vinculo ad serenitatis pura eleuatur. Raro enim ad religionis amorem peruolat, quẽ cæca mundi mora delectat. Quanto namq; inhabitatio mũdi diuturnior, tanto & fuga difficilior. Crescit cũ ætate viri duritia mentis, & annorum cursu roboratur opinio sensus. Habet senium mores, non accipit, & suos conatus cũctorũ institutis solet præferre senectus. Ait enim sapiens in Prouerbiis. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Te iuuenem cum gaudio, si petas, monachorũ susciperet collectio, sancta, quæ senem suis inueteratum moribus tanquã in melius inconuertibilẽ procul depelleret. Mens enim iuuenum mollis vt cera, ad quæuis sancta religionis instituta flexibilis: senum verò est incorrigibilis opinio, Senectus ratò cõuertitur, & mores longa cõsuetudine roborati vix vnquam mutantur. Igitur, dũ iuuenis es, si conuerteris, conuertere: ne si propositũ longius differas, posse cũ voluntate amittas. Sæpe contingit posse aliquem amittere, dum in venturas non metuit horas vel differre. Dum ergo potes, fac cito, quod faciendum proponis, & da gloriam Deo per effectum operis, qui te dormientem excitare dignatus est per sanctæ propositum voluntatis. Ipse enim donauit prior, vt velis: donabit etiam petenti consequẽter vt possis. Noli autẽ tardare, si vis, quod si tardaueris, te non veraciter voluisse ostendis. vbi enim voluntas vera est, ad cõuersionem nulla interponitur dilatio. Sic Apostoli ad vnam vocantis Domini vocẽ, cunctis postpositis, sequũtur saluatorem. sed matris mihi senectam pro excusationis mora miserandam forte opponis: cuius te curam habiturũ, donec vixeris, oportere contendis. Si mortem parentis expectas, vide, ne priusquam illa, frustratus proposito ex hac luce decedas. Mors enim senibus, in dorso est, iuuenibus in insidiis. Genuit te illa, homo hominẽ, mortalis mortalem: & sicut illi mors certa manet, hora verò incerta, ita & ibi. Sed habet illa maritum, habet filios & filias, qui curam gerant ipsius, quid igitur te frustra excusas? Quæ ministerio aliorum defenditur, te liberum, si velis, Deo seruire permittit. Deniq; si Christum imitari desideras: nõ erit tibi in parentum amore quiescen-

Claustralis vita tuta.

Psal. 104.

Iuuenes aptiores senibus ad vitam monasticam. Prou. 22.

Matt. 4.

Mors senis in dorso, iuueni in insidiis.

Luc.14. escendum. Ipse quippe ait. Qui *venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, non potest meus esse discipulus.* Et, *qui amat patrem, aut matrē plusquā me, non est me dignus.* DEVS enim præferendus est omni creaturæ, nec parentum carnalium mensura diligendus. Nihil tuis deest parentibus, vt magnopere cura tua sit illis necessaria. Tuam ergò salutem operari non negligas, dum potes, & sanus es. Memento, quam sit breuis vitæ huis conuersatio, quam certa mortis expectatio, quam districta iudicantis omnia futuro in examine animaduersio, vitæ præsentis instabilitatem considera, mortis aduentum formida, & fuge velociter pericula mundi, ne peccatis alienis oppressus, & tuis in medio nationis prauæ intereas. Fac cit o quod scripsisti: & si mentis propositum veraciter exprimis, moram diu non patiaris. Dele, quod malè addidisti, post aliquot annos, & orans dic cum Helizæo ad Dominum. *Osculer oro te patrem meum, & matrem meam, & sic sequar te.* Non sit in con uersione mora dilationis, nisi vt osculo monitionis patrem salutes & matrem, resq; tuas dispergas exemplo Helizæi in pauperes, vt boues solicitudinum in frusta concidas, & sic mox Dominum sequaris Christum & patrem. Opto te in Domino semper valere memorem nostri. Data manu sua, año Domini M. CCCC. LXXXVI. 4. Non. Septemb. 3.Reg.19.

EPISTOLA XI.

AD EVNDEM.

FRATER Ioannes vocatus Abbas Spanhemensis Nicolao presbytero Mernicensi salutem. Si vales, bene est, ego enim munere Christi valeo. Cum tibi nunciorum copia, qui mihi litteras deferant tuas, non desit, cur tanto nil scripseris tempore admiror vehementer. Audio tamen, quod scire magnopere optaueram, te sanum & tuos, & de his omnibus me facito certiorem. Cæterum spem nobis de te vberiorem contulit, quam vltimo scripsisti, responsio: in qua te meis adhortationibus bene testaris inclinatum. Magno enim desiderio tuam conuersionem expecto, vt te, quem in studio vanitatis olim carissimum præ cæteris habui socium, in vera quoq; philosophia experiar adiutorem. Si te, quod æstima, litterarum studia delectant, non minus hæc discres in monasterio, quam in scholis didicisses. Maior hic verę philosophiæ scientiæq; vbertas, vbi non iam scientia vana inflat, sed veræ sapientiæ completio charitas ædificat. In hac schola ab humilitate incipitur, vt per virtutum incrementa ad sapientiæ summam, quæ in caritate consistit, perueniatur. Hic emendandis & instituendis salubriter moribus summum studium impenditur, hic ad Dei amorem studentium philosophia conuertitur. Hic forma bene viuendi in libris sanctæ voluntatis conscribitur, & ante mentis oculos sanctorum Patrum exempla zelosis discipulis imitanda proponuntur. Hic deniq; ingens viget diuinarum litterarum studium, vbi tot lectionibus quotidie aures erudiuntur audientium, vt vix in scholis plura quisquam legere sufficiat. Ad hanc scholam, si animo discendi prompto aduenieris, in virum perfectum, & verè doctissimum euolabis. Hic enim orationibus sanctis mens purgata & munda efficitur: hic diuinarum scripturarum lectionibus auditoris animus ad cælestium amorem accenditur: hic suauissimæ cōtemplationis gustu cor sapientis philosophi in omnipotentis Dei pia bonitate soporatur. Hic primo per sancta exercitia affectus purgantur discentium: ac sic demum intellectus mirabiliter illustrātur purgatorum. Quid hac schola pulchrius? Quid hac philosophia delectabilius? Quis æstimare sufficiat, quanta sit huius doctrinæ suauitas, vbi discitur tanta scripturarum sacrarum

rum immensitas? Veni ergò & noli tardare, ne mora voluntatem adnihilet. Infirmatur enim omne dilatum propositum. Cupio te in Christo valere, memoriam nostri. Salutem tuæ genitrici ex mea parte non pigriteris dicere. DATA manu sua 10. Kalend Nouemb. Anno Domini 1487.

EPISTOLA XII.

AD GVARDIANVM FRATRVM MINORVM sancti Wolffgangi in Crutzennaco.

FRATER IOANNES vocatus Abbas Spanhemensis. Venerabili Patri Guardiano fratrum Minorum S. Francisci conuentus Crutzēnacensis Rachesis speciosæ amplexibus iugiter inhærere beatis. Munus paruum, magnæ tamen dilectionis indicium petentibus vobis transmitto, quo in Domino cum vestro Prouinciali vtamini gaudentes, nostri quoq; memores in orationibus esse precor dignemini. Magnis enim quatior solicitudinum curis, quas vobis maiori ex parte crediderim deesse. Peccatis autem meis exigentibus iustè hæc patior, quamuis infirmiori voluntate. Et quidem alterius Philosophiæ mihi inesset desiderium, si instinctum id scirem mutare diuinum. Sed quia decens est, nostrā diuino nutui subiici voluntatem, seruorum Dei nobis veniūt imploranda suffragia, per quæ nostrorum peccatorum remedia consequamur. Vos igitur obsecro, vos nobis orationum vestrarum manus porrigite, vt sæuientem contra nos aduersarium possimus superare Sed quia sanctum vestrum amorem, quo nos diligitis, perspicuum habeo, & ideò non puto necessariū extenso sermone, vt pro nobis oretis, vos commonemus. Vltro enim facitis, quod petendum erat, & plus facitis, quam desiderare audebamus. Fratrem Bernardum, dum vacat, aliquantulum ad nos quæso dirigite: erit enim nobis ad animarum ædificationem eius aduentus perutilis. Opto vos in Christo semper valere memores nostri. Data manu sua 13. Calend. Augusti, anno Domini 1487.

EPISTOLA XIII.

AD NICOLAVM MERNICENSEM PRESBYTERVM.

FRATER IOANNES vocatus Abbas Spanhemensis Nicolao suo salutem. Quæris per epistolam, quibus te studiis mancipare oporteat, vt & curæ commissæ salubriter impendas vigilantiam, & veram in studio consequaris libertatem. Et quidem super his in longum posset extendi narratio, si me non prohiberet curæ pastoralis solicitudo. Breuiter itaque pauca suscipe de multis, donec vacanti in futurum tempore, quod iam non valeo, Domino largiente, latius perscribam. Igitur si ad studiū scripturę sacræ fructuose cupis accedere, modum in libello, quē tibi olim destinaueram, non negligas obseruare. Studium autem quo te exercē dum existimo, sacræ scripturæ est iugis inuestigatio. Libri autem ad hanc intelligēdam, isti videntur necessarii inprimis: Nicolaus de Lira ordinis Minorum totā scripturam sacram ad litteram per modum postillatoris sufficienter exposuit: quod opus tanquam ædificii spiritualis fundamentum pro intellectu litterali cæteris est anteponendum, ab his maximè, qui litteralis intelligentiæ adhuc sunt expertes. Hūc pro modico ære impressum poteris cōparare. Extat insuper Hugonis Cardinalis de Ordine Prædicatorū in totā Bibliā egregium opus, in quo non solū literam excellenter exposuit, sed etiam excellentius moralem intelligentiam de-

Nicol. de Lira.

Hugo Cardin.

mon-

monstrauit. Rabanus Maurus Moguntinus sextus post Bonifacium Archiepiscopus nostri Ordinis vir in scripturis diuinis studiosissimus, & valde peritus, in omnes diuinæ scripturæ libros commentarios edidit, in quibus magnitudinem ingenii sui profundam ostendit. B. quoque Augustinus duodecim libros scripsit in Genesin ad litteram, qui studentibus valde necessarii sunt. Sed quid me opus est singulos describere, quorum non poteris libros ad tuum vsum faciliter inuenire? Misi autem tibi scriptorum sanctorum catalogum: in quo, quid scripserint singuli; potes agnoscere. Et hæc tibi modo sufficiant. Cæterum, si vt scribis ad studium scripturæ sacræ animum tuum dare volueris, tria imprimis necessaria sunt tibi. Primum est amor. Secundum est exercitium & vsus. Tertium est solitudo corporis, & tranquillitas mentis. Vt igitur ad notitiam saluatoris, qui in scripturis latet, vtiliter valeas pertingere, oportet te à tumultu huius sæculi, non tantum animum, sed & corpus separare. Fugienda autem sunt consortia indisciplinatorum, qui semper in desideriis voluptatum versantur, & de sapientia vera nil cogitant. Et quidem istorum multus est numerus, qui per viam amplam in perditionem gradiuntur. Numerus autem sapientum verè paucus est, quoniam per vitam arctam pauci ambulare cõsentiunt Sed qui cum paucis arduam viam pergere noluerit ad vitam, cum multis proculdubio vadit in perditionem.

Tria studioso S. scripturæ necessaria.

Tu verò multorum fuge consortia, & de paucorum numero te itineris facito sodalem. *Beatus enim vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilẽtiæ nõ sedit. Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.* Qui minoratur actu huius trãsitoriæ solicitudinis, sapientiam percipiet diuini splendoris. Abstrahe igitur mẽtem tuam ab omni solicitudine tumultuosi temporis, vt animo tranquillo diuinis valeas occupari scripturis. Ait enim quidam ex patribus sanctis. *Tranquillam & vacuam curis sapientia mentem Imbuit, & placidi pectoris hospes erit.* Sapientia namque diuina pectoris amat secretum, mentisq; libenter humanæ sibi vendicat serenum, fugit curas huius mundi superfluas, & cordis puritatem amplectitur. Non habitat cum homine iracundo, auarum hominem non sequitur, spernit inuidum, cor detestatur elatum. Mites diligit, amat pacificos, & puras conscientias toto desiderio, ac lætabunda complectitur. Cum homine virtuoso sapientia DEI inhabitat, obedit sapienti animo, & pectus placabile possidet. Igitur, si ad veram sapientiam peruenire desideres, si diuinas scripturas profundè intelligere concupiscas, ab emendatione vitiorum & virtutum exercitio tibi censeo inchoandum.

Psal. 1.

Opto te in Domnio valere,
memorem nostri.

EPISTOLA XIV.

AD EVNDEM, DE IMITATIONE CHRISTI, & eminentia religionis.

FRATER Ioannes, Vocatus Abbas in Spanhem, Nicolao dilecto compresbytero Mernicensis Ecclesiæ Rectori salutem. Litteris me denuo pulsas, & ad rescribendum compellis, dum & querelas porrigis, & salubrem exhortationis repetis sermonem. Inprimis quidem durum me iudicas, pro eo quod scripserim tibi quondam ad mortem eundum cum multis, si cum paucis ire nolueris ad vitam. Durus est, inquis, hic sermo, vt maior populorum numer⁹ periturus dicatur. Durus fateor, sed omninò tamẽ verus. Quid ad me, si durus credatur dominicus sermo. Non enim ego, qui loquor tibi, hunc adinueni sermonem, sed Dominus in Euangelio sic eundem commemorat, dicens.

Matt.7. cens. *Angusta est porta, quæ ducit ad vitam & pauci ingrediuntur per eam. Lata est autem via, quæ ducit in perditionem, & multi ambu-*
Matt.20. *lant per eam.* Et iterum. *Multi sunt vocati,*
Luc.12. *pauci verò electi.* Ad discipulos autem. *pusillus est grex, cui cõplacuit patri vestro dare regnũ.* Hæc sunt testimonia veritatis, qbus contradicere nullus fidelium potest. Ta-
Ioan.6. les & illi fuerunt, qui dicebant. *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Abierunt ergo quidam ex eis, & iam non amplius ibant cũ Iesu.* Caue & tu, ne durum æstimes sermonem Domini, & incipias abire cum illis retrorsum. Verè pusillus est grex ad vitam æternam euntium, quia pauci per viam arctam ad excelsa virtutum contendunt ascendere. Via enim angusta est,
Quæ sit via angusta. vitiis & concupiscentiis carnalibus fortiter resistere, mundi sæuientis nulla aduersa formidare, vitæ præsentis blandimenta desiderio æternorum contemnere, & cunctis vitiosis affectibus constanti proposito reluctari. Arcta est via in tribulationibus habere constantiam, in illatis contumeliis patientiam, in penuria tolerantiam, in abundantia continentiam, in conuictu æquitatem. Angusta est via, vim sibi inferre, carnis appetitum restringere, inimicos diligere, odientes amare, malefacientibus benefacere, iniuriam non vlcisci, iram expellere, superare voluptatem. O frater, angusta est via, calcare auaritiam, pecuniam non amare, diuitias non quærere, non ambire dignitates. Arduũ est iter, in voluntate seruare rectitudinẽ, puritatẽ in corde, in ore iustitiam, in moribus disciplinam. Et, vt ad monachorum vitam transeamus: Arcta est via mundi vniuersa despicere, voluntariam paupertatem subire, propriam voluntatem deserere, alterius imperio se totum subiugare. Mi frater angusta est porta, magna facere, & de se humilia sentire.

Arduum est iter, nulla terrenarum rerum pulchra concupiscere, nulla timere contraria. Ecce via angusta, ecce iter arduum, ecce semita, quæ ducit ad vitam.
Quæ sit via lata Audi nunc viam perditionis & mortis, & vtriusq; viatores considera. Spatiosa est via mortis, quoniam à multis dietim atteritur. Lata vita est, carnis voluptates & cõcupiscentias adimplere, mundi aduersa fugere, blanda præsentis vitæ quærere, & carnalibus desideriis abũdare. In spacioso itinere ambulat, qui paruis tribulationibus frangitur, qui nullam in iniuriis patientiam amplectitur, qui rerũ terrenarum defectu mente prosternitur, qui in abundantia resoluitur, q; deprauatur in publica conuersatione. Viam latam ingredi; est auaritiã colere, pecuniam amare, diuitias quærere, libidinem incendere, gulam cõmittere, luxuriam perficere, inuidiam ferre, iram seruare, odium habere, gestare rancorem. Per hanc viam ambulant omnes carnalibus vitiis dediti, honoribus tumidi, moribus corrupti. Per hanc viam transeunt superbi auari, luxuriosi, iracũdi increduli, immundi, acedioſi, gulosi cæterisq; vitiorum sordibus inquinati. O frater, hæc est spacioſa via perditionis, mundum diligere, dominica mandata negligere, proximum quemuis inimicum odire: iniuriãtibus vicem rependere, calumniã proximo facere, detrahere, alios temerè iudicare, superioribus nolle obedire; æquales iniustè offendere, cõtẽnere iuniores. Hæc est via mortis, mentem immundis cogitationibus respergere, sermones vanos, inutiles & nociuos proferre, operibus prauis insistere, culpas defendere, pœnitentiã omittere, fœdare puritatẽ. Hoc iter spatiosum inferni, caritatem deserere, obedientiam cõtemnere, humilitatem spernere, patientiam abiicere, concordiam fratrum violare, disciplinam bonã dimittere, turbare vnitatem. Hæc via impiorum, iniquitatem diligere, sermones correptionis paruipẽdere, homines bonos odire, prauos amare, nulli benefacere, despicere vniuersos. Habes viarum differentias, ac singularum qualitates. tu iam discerne, in qua sint plures viatores. Audi tamẽ. Nonne plures sunt mũdi amatores, q; Dei? nonne multi quærũt, quæ sua sunt; pauci quæ Iesu Christi? Nõne *omnes*, vt verbis prophetæ vtar, *auaritiæ studeant, à maiore vsque ad maximum?* Ierem.8. nunquid non plures superbi, quam humiles? proterui, quam obedientes? *Et erunt*, inquit Apostolus, *homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, sceleſti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* 2. Tim. 3. Et horum, quam maximus est numerus. Pusillus autem

est

est grex, qui per arduum iter virtutum graditur, quia regnum cælorum vim patitur, & pauci rapiũt illud. Duę enim sunt viæ. ardua ad vitam, & spatiosa, quæ ducit ad mortem. Per angustam viam pauci ambulant. hi soli, videlicet, qui carnalibus reluctando, voluptatibus vim sibi nouerunt inferre, qui cunctis præferunt Dei amorem, qui mundum fugiunt, atq; peccatum, & omni studio mẽtis sinceritatem custodiunt. Per latam viam multi ambulant, omnes videlicet voluptatum amatores carnalium, qui de amore Dei parum aduertunt, qui mũdana diligunt, & cordis negligunt puritatem. Nunc igitur considera, & in qua istarum ambules via diligenter pensa. Si enim cum primis per virtutum iter arduum ire cõtempseris, cum secundis per viam latam impiorum te ambulare ostendis. Non est via tertia, vt duabus omissis per eam te ambulare possis contendere, quia via iustorum ad vitam, & impiorum vergit ad mortem. Eligamus ergò viam Domini, quæ licet videatur ardua in principio, progressu tamẽ valde ampliatur. Vincat iram patientia, luxuriam abstinentia, inuidiam caritas superet. Feruor sancti propositi mẽtis depellat torporem, amor Dei inrendat affectum, & arduum iter erit spaciosum Sed quoniam hęc videntur difficilia multis à paucis seruantur. Saluandorum ergò minor est numerus. Multi enim sunt vocati per fidem, pauci verò electi per verã caritatem. Sed melius est ingredi cæleste regnũ cum paucis, quàm cum multis intrare gehennam. Non minuit pereuntium multitudo miseriam, nec leuiat damnationis societas ibi dolorem, fallit in inferno, quod vulgatur prouerbium. *Solatium est miseris socium habere in pœnis*: quia, vt diximus, copia pereuntium non tollit pęnam, sed auget. Quò enim damnatorum societas fuerit numerosior, eò infelicitatis sententia tristior. Inextinguibili odio cruciabitur illa miserorum societas, si tamen societas debet dici, vbi concordia nulla vnquam poterit inueniri. Perpetua torquentur inuidia, & quantũ eorundem creuerit numerus, tantum incurabiliter augetur & morbus.

Inferni pœnas non minuit sociorum turba.

Porro saluandorum paucitas æternæ fælicitatis gaudium non minuit, sed auget. quia dum se de multis pereuntibus pauci vident saluatos, magis de liberatione sua exultant, & erunt suo saluatori gratiores, qui multis in profundum gehennæ submersis eorum culpa sua gratia paucos eos liberauit. Non mireris, quod dixi, aut cum paucis saluandum, aut cum multis te fore damnandum: quia si angustam viam pergere nolueris, regnum cum paucis ingredi non valebis. Sed audi de via vitæ abbreuiatum sermonem, vt valeas imitari eum: à quo benedictum accepisti. In Euangelio Dominus ait. *E- sum via, veritas, & vita.* Et iterum. *Ego sum ostium. Per me si quis intrauerit, pascua inueniet. Et nemo venit ad patrem nisi per me.* Ecce IESVS est via ad vitam. Iesus est ostium ad ouile sanctorum. IESVS est iter veniendi ad Patrem. Si non vis errare, ipse via est. Si non vis falli: ipse est veritas; si non vis mori, ipse est vita æterna. Cognitio Saluatoris vita est. Quomodo autem in hac vita sit ambulandum B. Ioannes breui sermone exprimit, dicẽs. *Qui se dicit in Christo manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.* Ipse Dominus ait. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ perpetuæ.* Hæc igitur est ardua via ad vitam æternam Dominum IESVM imitari. Cui est ardua? homini passionibus & concupiscentiis carnalibus crasso, qui per iter angustum trãsire non valet, Homini autem bonæ voluntatis, non est IESVS via angusta, sed lata, dicente propheta Domino. *Latum mandatum tuum nimis.* Et in Euangelio Dominus. *Iugum meum suaue est, & sarcina mea leuis.* Vnde sponsa in Canticis, viarum DEI pulchritudine delectata dicit. *In odore vnguentorum tuorum currimus. Omnes viæ tuæ veritas: beati, qui ambulant in eis. In quo enim corrigit adolescentulus viam suam, nisi in custodiendo sermones tuos? Vniuersæ viæ tuæ misericordia & veritas, requirentibus testamentum tuum, & testimonia tua.* Et reuera *pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati, qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum.*

Arcta via est Christum imitari. *Ioan. 14.* *Ioan. 10.* *Aug.* *Ioan. 2.* *Ioan. 8.* *Psal. 118.* *Matt. 11.* *Psal. 118.*

O quàm bona erat illi via Domini, qui dicebat. *In via testimoniorum tuorũ delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis.* Et item. *Viã mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Viam veritatis elegi, iudicia tua non sum oblitus.* Iesus est via veritatis & vitę. Veritas est vita, Deus de Deo, homo de homine,

sed

sed virgine. Si vis venire ad vitam æternam per IESVM, erit tibi eundum, eius sequendo vestigia. Non est alia via, per quam nos oportet redire ad patriam nisi in vita & conuersatione IESV Christi. *Ioan.14.* Qui enim aliunde intrare nititur, in foueam æternæ damnationis suapte sponte præcipitatur. Nemo quippe venit ad patrem, nisi per IESVM eius vnicum filium. ipse via est in hoc mari magno, sine impedimento, per quam transeunt liberati. Viæ eius viæ pulcræ, & omnes semitæ eius pacificæ. O Domine IESV viam iustificationum tuarum instrue me, & exercebor in mirabilibus tuis. Non enim tantum dormitauit, sed etiam dormitat anima mea præ tædio, & in viis tuis pulchris ambulare cum iucunditate non præualet, sed tepida vix repit. Confirma me in verbis tuis, & dirige in conspectu meo viam tuam, vt non confundar in æternum. Viam iniquitatis amoue à me, & de lege tua miserere mei, vt in semitis iudiciorum tuorum sustineam te, & nomen tuum, & præcordiale tuum iugiter habeam in desiderio animæ. Deduc me in semita mandatorum tuorum, quia ipsam volui. Via bona, via sancta, via certa, via pulchra, via iucunda, via insuper amænissima est, via saluatoris, per quem nobis paradisi aditus, quem culpa clauserat protoparentum adeuntibus reseratur. Nemo cognouit huius viæ pulchritudinem, qui non ambulat in illa per amorem. Huius viæ scientia practica est. non enim, qui operantur iniquitatem, in viis eius ambulauerunt. Hæc via iustorum recta est; hic callis iusti ad ambulandũ. Vis scire, quid sit hanc viam pergere? ipsam viam audi dicentem. Via loquitur, via vocat, via ad *Matt.11.* ambulandum nos prouocat, dicens. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* O mitis, ô humilis, ô via, ô veritas. quid est hoc, mitis sum & humilis corde? Quid est quod loqueris ô sanctissima? Ego, inquit, sum via humilis, non capio superbos. Ego sum via angusta, non capio per seculi fluxum incrassatos, quoniam ego superbis resisto, humilibus autem do gratiam. *Omnis enim qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.* Ergo via veniendi ad veram viam, humilitas est. Sed, ô Domine IESV, dic nobis, quid est. *mitis sum & humilis corde*? ne tanti sermonis vilescat minus intellecta proprietas. Mitis sum, omnium patienter tolerando iniurias, humilis corde sum nulli faciendo iniuriam. Mitis sum per patientiam, humilis sum per subiectionem. Vos ergò filii hominum: vos, qui vallem lacrymarum vitæ præsentis inhabitatis, discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. discite à me, non mundum fabricare, non miracula facere, non suscitare mortuos, sed quia mitis sum, & humilis corde. Discite à me non potentiam, sed humilitatem, non imperium, sed obedientiæ subiectionem. Via enim ad patriam vobis proponitur humilitas. iter regni est mititas, dicente me alibi. *Beati mites, quoniã ipsi* *Matt.5.* *possidebunt terram*, id est, carnem hic subiugabunt spiritui, & posthæc recuperabunt mansionem paradisi. Igitur si ad vitam æternam optamus pertingere, oportet nos Christi vestigia imitari, Christum autem sequi, & humilitatem & mititatem cordis discere, voluntatem suam Dei beneplacito conformare, caritatem & pacem diligere, & Christi se exemplo, quantum præualet, in omnibus imitabilem se exhibere. Tu igitur, ô Nicolae frater, non æstimes te nisi Christi imitatione beandum: quoniam, vt diximus, ipse solus est via, per quam veniamus ad Patrem. Non autem ignoras, quam pauci Christum puro corde sequantur: quoniã electorum etiam paucus est numerus cõparatione eorum qui pereunt. Vis imitari Christum? ipsum audi suis imitatoribus quam custodiant legem proponere. Qui *vult venire post me, abneget semet-* *Matt.16.* *ipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Ista lex militiæ spiritualis, hæc militandi conditio. Si Christum vis sequi ad regnum, abnega temetipsum tibi, hoc est, propriam defere voluntatem. Tolle crucem tuam, id est, quotidianis reluctare affectibus. Sequere Christum, hoc est, præcedentem imitare præceptorem. Esto humilis, mitis, obediens, pacificus, bonorum sectator operum, & sic imitaberis Christum. Minister es Christi, sacerdos es Christi, tuum sequere Dominum, tuum imitare magistrum. Ipse enim ait. *Qui mihi ministrauerit, me sequatur, & vbi* *ego sum, illic & minister meus erit.* Si minister *Ioan.12.* Christi es, Christum sequere: Si autem imitari renueris, Christi minister non es, & cum Christo non eris. Cuidam de ingressu regni cœlestis interroganti re-

Matt.19. spondit Dominus. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, & da pauperibus, & veni, sequere me, & habebis thesaurum magnum in cælis.* Quo audito iuuenis abiit tristis: erat enim multas habens possessiones. Et conuersus ad discipulos Dominus ait. *Quod difficile est diuitem intrare in regnum cælorum.* Beati autem pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Si mũdum non potes contemnere, noli vel amare: quoniam, qui mundum diligit, non est caritas patris in eo. Timeo autem, ne hũc adolescentem sequaris diuitem, qui audito verbo de contemptu mundi, tristis abiit, malens cum diuitiis suis in sæculo male mori, quam cum Christo in Euangelio bene viuere. Nam & tu surda, vt ita dicam, hæc aure omnia pertranſis, qui mũdi compeditus amore melioris vitæ semitam subire horrescis. Scripseram ad te iam pridem plures exhortationum epistolas, in quibus magnis conatibus ad mundi contemptum te paulatim nitebar inducere. Suscepisti quidem cum gaudio destinatum sermonem, adeò vt etiã verba quędã mihi in laudem rescripseris, quę sine verecundia legere non poteram. Ad religionem te vocare statueram, nec cõtradixisti, te fieri monachum optaui, & blandè consensisti: eram quasi iam certus de tua vocatione, tametsi verebar, ꝙ accidit.

Matt. 5. 1. Ioan. 2. Obiurgat sacerdotẽ ob desertũ propositum vitæ religiosæ.

Quid enim? Nonne hæc dicebam à principio, si conuerteris, conuertere. nonne clamabam, noli tardare, noli expectare diutius? Nunquid non scripseram tibi. Mora mutat propositum, & voluntas, quæ differtur, amittitur? Ecce, quod timebam, accidit. ecce quod vitabam prævaluit. Nunc igitur clamans dicam cum Apostolo Paulo *O insensate.* Galata, q, interpretatur, transmigrans, siue translatus, *quis te fascinauit non obedire veritati,* qui gratiam Dei in vacuam recepisti, & sanctum abiecisti propositum? Nunc verum experior, quod sępe audieram. Rara est moribus inueteratis sincera conuersio. *Nam adolescens ambulans iuxta viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Difficile ad monasterium conuertitur, quem blandiens seculi fortuna semel tenuerit in sua potestate.

Gal.3. Prou.22.

Heu quomodo nunc in te obscuratum est aurum diuinæ caritatis, quo quõdam voluntate splendebas; quomodo mutatus est color optimus regularis feruoris, quo aliquando extrinsecus videbaris incensus. Sed quamuis minueris spem de tua conuersione conceptam, non tamẽ omninò tulisti. Habeo enim adhuc de voluntate in melius commutanda fiduciam, & ergo indignationis vela deponam. Ad excusationes autem, quas prætendere videris, breuiter tibi duxi respondendum, ne si eas silentio tegerem, te bene sentire putares. Inter multas igitur non tam pueriles, quàm stultas occasiones, quibus te ab ingressu religionis asseris retrahi, vnam in calce tanquam principalem, & magni ponderis posuisti, quam de nudatã sermone cunctis ostendam legentibus, vt animi tui pusillanimitatem & ipse cognoscas, & illi. Dicis enim hanc potissimam fore causam, quæ religionem intrare dissuadeat, quoniam & illa multos habet infirmos & desides. Quam fortis ista defensio, quam insolubilis allegatio? præsumptuosa audacia, paucorum culpas deferre in omnes. Si habet religio infirmos, si habet defectuosos, ergò non habet & firmos, & sanctos. An ideirco nullos est habere putanda bonos, quia quosdam retinet malos? Non sunt propter paucorum delicta spernendi vniuersi, quia nunquam vnius malo publica fama corrumpitur, nunquam paucorum malitia bonitas totius communitatis deprauatur. An ignoras veterum exempla scripturarum, quoniam ab initio mundi semper bonis mixti leguntur & mali?

Non ideo religionem nasci. suscipienda non est, quod habeat aliquos desides.

Et, vt vel pauca commemorem de multis, nonne de prima conditione angelorum dicitur. Ecce, *qui seruiunt ei nõ sunt stabiles & in angelis suis inuenit prauitatem.* Si ergò & inter angelos bonos & sanctos quidam reperti sunt mali & improbi, cur miraris, si & inter homines carnis fragilitate circundatos in claustris aliqui reperiãtur infirmi? Ad hominum exempla transeamus. Adam primus omnium parens habuit duos filios, sed vnus nequam fuit, atq; peruersus & fratrem necauit innocentem.

Iob. 4. Gen.3.

Noë tres legitur habuisse natos, quorum vnus, licet fuerit peruersus, cum bonis tamen continebatur in arca. Sanctus quoque, ac Deo dilectus Abraham duos filios genuit, vnum de ancilla, alterum de libera, sic bonus assumitur, ille reproba-

Gen.7. Gen 16. & 21. Gal. 4.

tur

Rom. 9. tur iniquus. Isaac quoq; tantum duos habuit filios, Iacob, videlicet, & Esau, sed Dominus Iacob simplicẽ, & innocentem
Mal. 1. diligere se phibet, Esau improbũ odiuit. Sic enim legimus in propheta. *Iacob dilexi,*
Gen. 3?. *Esau verò odio habui.* Sed & Israel ipse patriarcha duodecim filios habuit, quorum vnus, & ipse primogenitus genitoris sui thorum impudenter maculauit. Dauid etiam patriarcha regius, & secundum cor Domini electus inter multos filios vnum
2. Reg. 15. reprobum Absalõ habuit persecutorem, & patris animæ nequiter insidiãtem. Sed
Mat. 11. veteribus omissis ad exempla noui testamenti transeamus. Dominus ac redẽptor noster in primordio prædicationis duo-
Matt. 26. decim elegit Apostolos, quorum vnus in tantum fuit reprobus, vt Dñm vniuersorum traderet atq; magistrum. Septem e-
Act. 6. rant in principio florentis Ecclesię diaconi, quorum sex boni fuerunt, septimus abiit retrorsum, suique nominis notum
Nicolaita. cunctis profitebatur errorem. Quod si velim per singulos historiarum campos discurrere, tot profecto huius rei reperiam exempla, quæ vel sola epistolarem an-
Bonis semper mixti mali. gustiam excederent. In omni congregatione frequenter bonis mixti fuerunt etiam mali. Si monachorum ideirco refugis consortia, quoniam infirmi sunt multi & reprobi, cur non eadem ratione secularium hominum conuictum refugis, vbi multò plures sunt mali, quam in cœnobiis? An idcircò tædebit esse hominem, qa, multi inter homines sunt reprobi? Noli paucorum crimine totam diffamare vnitatem. Nunquam enim bonorum opinio, malorum prauitate corrumpitur. Quam diu in hac vita viuitur, semper bonis mali mixti habentur. Nã & euangelica hoc de-
Matt. 13. mõstrat parabola, vbi sagenę missę in mare prẽsentis temporis Ecclesia cõparatur, quæ pisces ex omni genere congregat, & pducit ad littus. Sed interim, quo in hoc mari magno viuimus, in sagena Domini sumus absconditi: Cum. a. sagena ad finẽ littoris ducitur, discretionis examen diligenter adhibetur. Vnde & dicitur *Quia cum impleta esset, educentes, & secus littus sedẽtes elegerunt bonos in vasa sua, malos & reprobos foras miserunt.* Itẽ, si ideircò in sagena monasticæ disciplinæ contineri metuis, quia bonos simul capit & malos, quomodo in sancta Ecclesia viuis, quæ plures suscipit peruersos? Impossibile est in præsenti conuersatione malos semper discernere à bonis. cum autem finis vitæ venerit, vel sæculi, tunc exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mit- *Tria sunt hominum loca.*
tent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & stridor dentium. Nam, vt S. Patres nobis vtiliter descripserunt, tria sunt hominum loca, supremus, videlicet, medius, & infimus. In supremo loco, id est in cælo soli boni sunt: in medio boni & mali: in infimo tantum mali, & nusquam boni: Supremus autem locus & infimus ex medio supplentur. Hominũ enim hui⁹ mũdi: alii eleuantur in cælum, alii trahuntur ad infernum. Similes quippe similibus iunguntur, id est, boni bonis & mali malis, iusti homines iustis angelis, & transgressores homines transgressoribus angelis; serui Dei Deo, & serui diaboli diabolo. Malos etiam sustinet ad exercitationẽ bonorum, vt cum iustorum innocentia per exercitum prauorum tangitur, mentium si quæ sit scoria purgetur. Valde namq; bonis proficit ad meritum, quod malorum importunitate pulsantur. Aut enim vt diximus, malitia peruersorum culpas sanctorum per ignem aduersitatis abluit, aut per virtutem patientiæ auget meritum, aut certe per constantiam bonorum proximis æmulãdo innocentiæ præbet exemplũ. Nã quos virtus interior claros efficit pulsata foris contumeliis patientia exhibet clariores. Si autem bonis desit exercitatio malorum, quis virtutis
Greg. 1. dial. c. 5. latentis capiet experimentum? *Qualis enim vnusquisque interius lateat, illata contumelia probat.* Quod si desit probationis exercitium, nullum patientiæ dabitur exẽplum. Expedit aũt bonis & iustis malos tolerare in hac vita, vt per eorũ exercitationem, clariores fiant in patria. Tu ergo quis es, vt nolis pati in monasterio, quod nec emendare potes in sæculo? Volo aũt à bonis te boni capere exemplum, non à malis displicentiã bonorum. Si Deus malos tam patienter tolerat, cur non feras & tu? Bonus non est, q malos tolerare recusat. Habem⁹ in religione quos imitemur bonos: habemus, p quos excitemur, malos: quorum primi sunt fouendi, secundi tolerandi. Suscipit autem religio infirmos, vt curet, non vt inficiat valentes. Suscipit etiam bonos, non vt mali fiant consortio infirmorũ, sed meliores prẽcedẽtiũ exemplo proficiant. Tu aũt, quo proprio

ſpiritu duceris, monaſterium require, vbi omnes ſint perfecti, omnes ſancti, omnes impaſſibiles, nullus infirmus, nullus imperfectus, nullus peccabilis, & cum inuenire non potueris diſce doctrinis obedire ſanctorum, diſce propter paucos non con[illegible]nere omnes, diſce tuam ſimul infirmitatem fateri. Quid dicam? Cogor effari, quod ſentio. quod clauſum hucusq; tenui denudare compellor. Non eſt ſincera tui animi relatio, qui monachus bonus fieri deſpicis propter conſortia infirmorum. Dicam, quod cœperam, quia iſta, quam prætendis, excuſatio te arrogantem indicat aut ſubdolum, niſi de ſimplicitate tantundem velis notari. Nam ſi, vt olim ſcripſiſti, monachus fieri volueras, cur te nunc tam proteruè excuſas, vt animi mutationem aliter non poſſis defendere, niſi bonos propter malorũ vitam contemnas? Si omnes tanquam infirmos conuerſatione tua indignos æſtimas, morbo incredibili elationis laboras. Si autem per hæc calliditatis argumenta promiſſionem cupis elidere fraudulentum te non dubitarem nominare. Confido autem de ſinceritate priſtina, quod non ſit tàm pernicioſè in reprobum ſenſum mutata. Ecce habes ſuper tuis petitionibus qualecunq; reſponſum, quibus ad reſcribendum me præpararem rogaueras. Poſtremò, caritatem tuam exhortor, vt ordinem religionis propter culpas paucorum non velis totum contemnere, ſed malorum potius non iudicatis infirmitatibus ordinem propter bonorum exempla ſincera mentis affectione amare. Mihi crede, quoniam multos habet religio bonos, quorum ſi velis exempla ſubſequi nulla prauorum admixtione poteris corrumpi. Nam etſi multi ſint imperfecti, poterunt tamen in religione ſalubrius conuerſari. Magna enim religionis præeminentia eſt, quam nulla peruerſorum prauitas, de bonorum ſinceritate poterit excutere. Nam in religione, ſicut, nos docet experiẽtia, & Patrum ſanctorum ſcripta clarè demonſtrant, homo purius viuit, quam in ſæculo, in qua etiam cadit rarius, ſurgit velocius, incedit cautius, quieſcit ſecurius, irroratur copioſius, purgatur citius, moritur ſanctius, glorioſius poſt mortem in æterna requie præmiabitur. Quæ omnia exemplis declaranda forent, & rationibus, niſi me ſolicitudo præoccuparet in allis, & finem epiſtolæ prolixitas iam ſuaderet imponere. Tu ergo, qui viges intellectu ex his vel paucis maiora penſare iam poteris, & ſingulorum, quæ diximus, rationes ſubtiliter diſcutere. Mihi enim vix otium tantillum conceditur, vt hæc tibi raptando potius, quam dictando potuerim digere. Si quid igitur minus, quam debui, cõpoſitè dixerim, occupationibus multis cenſeo imputandũ. Dum enim mens ſcribentis per ſolicitudinem ad diuerſa rapitur, minus ad probanda ſingula diſpoſita inuenitur. Otpote in Domino bene valere memorem noſtri. Tuos ac noſtros ſaluta velim progenitores, atq; amicos.

EPISTOLA XV.

AD EVNDEM, DE TRIBVS QVÆSTIONIBVS, quas rogauerat ſibi deſcribi.

FRATER Ioannes vocatus Abbas in Spanhem Nicolao ſuo, presbytero Mernicenſi ſalutem. Litteras tuas quinto Ianuarii ſuſcepi, quæ priſtinæ ſpei pene obnubilatę reddidere ſerenum. Ecce iam lætior, q̃ ante reſcribo, quia de mearũ fructu litterarũ ampli' nõ dubito. Agis enim de informatione gratiã, & de reliquo emẽdare promittis errorẽ. Errorem dico, non fidei, quem in te nullum ſcio, ſed morum: non hæreſis, ſed voluntatis. Proteſtaris apertè ad monachos, tibi magnum ineſſe amorem, ipſorumq; conuerſationis te futurum conſocium. Ita fiat oro, hoc propoſitũ ſanctum nulla vnquam deturbet occaſio

casio. Sed quæ misi scripta dudum, te faciant sæpius relecta solicitum, ne insidiante diabolo dilatio rursus corrumpat affectum. Quod si propter causas necessarias, vt scribis, diutius expectare oporteat, voluntas nihilominus firma perseueret, donec laqueus conteratur, & liberetur captiuus. sed de his omnibus te memini sufficiēter præmonitum. Tres mihi quęstiones proposuisti, iquas tibi instanter petis resoluam. Et licet, sim aliis occupatus, vt vix respondere valeam, tamen cum mihi carus sis te non rescribendo contristare nolui, sed breuiter ad singulas pro possibilitate mea respondi. Primo itaque interrogas, vtrum confessionem, vel illud quod sub sigillo confessionis alicui committitur, liceat vnquam reuelare, & si sic, in quibus casibus. Secunda quæstio fuit, quando sint inchoanda festa celebria, & quando terminanda.

Tertia de fato, an aliquid, & vtrum excuset peccatum, & quid super his opinionibus rusticorum sit respondēdum,

Secretum confessionis an reuelari queat.

Ad primam igitur quæstionem iuxta determinationes S. Patrum, & canonum taliter tibi duximus respondēdum: quod cum sigillum confessionis sit de essentia sacramenti, nullo modo liceat hoc sigillum infringere, ne contingat sacramentum violare. Nam de ratione sacramenti est, quod sit signum efficax. Est enim sacramentum sensibile efficiens quod figurat, sed sacramentum istud significat & figurat, quod ipse DEVS audit peccatum, & quod constituitur forum secretum, in quo mori debet peccatū, & sepeliri: quoniam dicente in propheta Domino, post pœnitētiam omniū peccatorum fit obliuio. Cum ergò significatio sacramēti confessionis sit significatio occultæ deletionis peccati ad fori, ideircò & rationem eius pertinet, vt nulllo modo reueletur. Triplici aūt ratione confessio celāda est, videlicet ratione naturæ & caritatis, vt q, tibi non vis fieri, alteri non facias. Quis enim nostrum æquanimiter ferret secretum suæ confessionis deferri in aures aliorū? Cum ergo vis tuā cōfessionem silentio contegi, dignum & iustum est, vt tu aliis facias similiter. Ius etiā naturæ ad hoc te hortari videtur, vt dicta sub fide in secreto diligentius conseruare memineris. Ratione etiam fidelitatis tacitè promissæ secretatio tibi auditæ confessionis indicitur, ne data fides violetur. Notum enim est omnibus confitentes sub conditione secreti confessorē accedere. Qui ergò secretum violat, datam promissionis fidem negat. Deniq; ratione magnæ vtilitatis ad secretum confessionis astringimur, vt per hoc populum ad confessionē confidenter exhortemur. Quis vnquam sacerdotibus sua confiteri peccata audeat, si ea in aliorum aures propalanda crederet? Auctoritas etiam iuris ad confessionis secretū nos alligat, quæ reuelantibus tam duram pœnam intentat: quos vltra peccatū mortale, quod committitur, in arctum detrudi monasterium iubet. Sex autem casus à Patribus designati sunt, in quibus confessio valeat propalari, sub certis tamen limitibus. Primò, propter consilium, ita tamen vt personæ confitētis nullum exprimatur indicium. Cum ergò sacerdoti super aliquo peccato confitentis opus est consilio, viris peritis & timoratis casum dicat, celet personam cōfessam. Secundus casus est, quando quis dicit in confessione malum aliquod se vel le facere, tunc hominem in periculo constitutū potest cautius auisare. Nam sicut de futuris non est pęnitentia, ita nec confessio. In his tamen cautus sit, vt si velit denunciare periculum, nisi oporteat, non personam traducat. Melius est prudenter tacere, quam loqui inconsultè.

Sex casibus secretum detegi potest.

Tertius casus est, quando confitentis peccatum per aliam viam extra forum secreti nouit confessor, vt quia vidit vel aliorum relatione audiuit. Sed in hoc casu magna cautela necessaria est, ne sacramentum violetur. Nunquam ergò huiusmodi reuelet sacerdos, nisi coactus vtilitate magna vel iuramento, cautus maximè, ne vllam de confessione faciat mentionem. Est tamen confitens de priori notitia in talibus, si oporteat, auisādus. Quartus casus est, in quo sacerdoti licet corporis proprii declinare periculum. Exempli gratia. Tres nefariæ operationis ministri secum in nemore pergentem condixerunt interficere, quorū vnus compunctus eidem presbytero confitetur interitum: vnde mox retro cedens presbyter cauet interitum. Et licet cæteri possint consilium suum per confessionem socii detectum intelligere, non est tamen hoc confessionē reuelasse,

Ezech. 18.

sed notum declinasse periculum. Sunt tamen, & in hoc casu multæ cautelæ necessariæ, quas non est huius temporis per singulas enarrare. Quintus casus est, dum ea reuelantur, quæ nec ad peccatum pertinent, nec ad circumstantiam peccati. vt si quis in confessione de fœcunditate suæ patriæ nesciente presbytero aliquid diceret, vel vrbis suæ pulchritudinẽ laudaret, nisi sigillum interueniret secreti, quia tunc huiusmodi omnia sub secreti conditione seruanda erunt. Sextũ casum ponunt aliqui, de licẽtia confitentis, quẽ tamen non omnes admittunt, cum ambo, confessor, atq; confitens ministri, vel instrumenta sint sacraměti, non Domini, nec sint supra sacramentum, vt dispẽsare valeant, sed subter, vt seruent. In omnibus igitur sint cauti sacerdotes, & omnia sine scandalo fiant, prouidentes bona nõ solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.

Quæ cadant sub sigillum secreti.

De sigillo autem confessionis & secreti sciendum, quod omne sigillum confessionis est sigillum secreti, sed non è conuerso, vt patet volenti considerare. Ad vtrumq; autem debiti restrictio fit, vt neutrum reueletur, quoniam in primo sacramentum: in secundo contemneretur & frangeretur fides. Cadit autem sub sigillo confessionis quicquid ad confessionem pertinet sacramentalem, vt sunt peccata & circumstantiæ peccatorum, & omnia illa, per quæ deprehẽdi potest peccatum siue peccator. Vnde secundum Doctores quicquid perse, vel per accidens, directè vel indirectè posset verecundiam vel cõfusionem, vel malam suspicionem, vel aliquod aliud nocumentum generare pœnitenti ex peccato confesso, cadit sub isto sigillo. Vnde locus & tempus, & similia, ex quibus potest deueniri in notitiam peccati confessi, non simpliciter, sed sub relatione ad personam, quæ ipsum est confessa, cadit sub isto sigillo. Et durat etiam post mortem pœnitentis, quia nunquam expirat ista prohibitio. De sigillo autem secreti, quamuis de fide requirat silentiũ, potest tamen multoties prodire in publicum, si debitæ seruentur cautelæ, de quibus non est modo dicendum per singula. Agit autem prudentius, qui talia recipere non patitur, quæ multoties in scãdalum deducuntur. Breuiter tamen in duobus casibus non tenet sigillum secreti. Primus, quando veritas id exigit, puta, quia vergit in periculum aliorum. Secundus, quando obedientia cogit ad reuelãdum: quia contra ista duo, nec promissio valet, nec iuramentum. His duobus casibus exceptis, non licet sigillum reuelare secreti. Oportet tamen nihilominus magnam adhibere prudentiam, ne faciliter data fides violetur. Lege super his scripta Doctorũ, & bene de singulis informaberis. Ad secundã autem Quęstionẽ breuiter dico, quod in festis inchoandis consuetudo patrię venit obseruanda; vt si pro consuetudine incipiant festum de sero, cessent ab opere seruili vsque in aliud sero. Si de mane, vt communiter fit, vsq; in aliud mane continuetur: & sic puto seruandum; ita tamen, vt 24. horis ad minus duret ipsa festiuitas. Quoad chorũ autem & diuinum officium, à vesperis incipit festum. Et hæc pro illa quæstione reor sufficere. Ad tertiam verò, vbi quæris de fato & genesi, vtrum ex natura homo vnus inclinetur ad furtum, alius ad homicidium, & sic de reliquis, tibi non responderem, si non specialiter diligerem. Quid tibi de fato gentilium, qui Christianus es, & Christianorum sacerdos? Quicunque putat fatum esse aliquid, quicunque dies obseruat & menses, quicunque genesin credit dominari in hominibus, non Christianus, sed paganus est: quoniam & superstitionibus inseruit, gratiam Dei negat, & liberum tollit arbitrium. Fatum enim nihil est, & nullum ad peccandum constellatio prouocat, minus compellit. Furem facit praua hominis voluntas, in prauitatis errore mala consuetudo perseuerantem facit, dum ei consuetudini non resistitur, quasi furandi quædam necessitas generatur. Sed sane me velim intelligas, dum fatum nihil esse dico, & in ea me scito significatione fatum hic accipere, secundum quam Mathematici loquuntur. Hoc etenim fatum & Dei prouidentiam tollere videtur, & hominum voluntatem, & de hoc tu facis quæstionem. Quæris enim, vtrum fatum, id est, positio siderũ sit aliquid in natiuitatibus vel conceptionibus hominum, & vtrum de necessitate qs malus sit. Hoc totum sancta spernit Catholica fides, & damnat, sicut in decretis legimus, *26. q. 7. non obseruetis*. Et de his lege B. AVGVSTINVM in quinto libro de ciuitate Dei, qui sufficienter tibi dabit in-

Quando festa celebria inchoanda, & terminanda.

An fato aliquid tribuendum.

informationem. Caue autem, ne putes constellationes in hominibus aliquid posse efficere, sed voluntatem hominis causam scito peccati, quoniã omne peccatum voluntarium est: quod verò non fuerit voluntarium, nec erit peccatum. Neminem quippe ad malum natura cõpellit, sed propria voluntas. Hæc tantundem breuiter dictata tibi hac vice sufficiant, cum me talibus occupationes diutius immorari non permittant. Opto te in Christo semper valere memorem nostri. Nostros velim salutes amicos.

EPISTOLA XVI.

AD QVENDAM PRIOREM DE TERTIA REgula S. Francisci super querelis.

FRater Ioannes vocatus Abbas in Spanhem venerabili Patri Domino Petro de Suchtelen Priori ad solitudinem Brulensem Treuerensis diœcesis salutẽ. Literas tuæ dilectionis, venerande Pater, suscepi, de quibus admodum turbari poteram. Detulerunt enim super innocenti querelam, dum me fratrum tuorum æstimas abductorem. Protestor meam innocentiam, qui hãc tibi nec intuli, nec vellem inferre turbationem. Non credas verbis apostatæ velim, qui solam fugit disciplinam, & suæ semper, vt scripsisti, deteriora religioni mentitur. Ad nos, quomodo venerit, tibi paucis ostendam. Ipse igitur frater Wilhelmꝰ cum suo germano ambo eiusdem Ordinis tui causa hospitandi per noctem venerunt ad nos: quos cum ea caritate suscepi, qua me ad honorem hospitum noueram obligari. Cæna facta, lotisque ex more pedibus, ambo magnis precibus instare cœperunt, vt ad Ordinem nostrum reciperentur. Petiui litteras, licentiatorium requisiui: qui cum se sine litteris dicerent obtinere licẽtiam, grauiter cœpi dubitare. Tandem cum se monasterium suum sine Præsidentis auctoritate fateri exisse vrgerentur, rẽ, vt erat, deduxere in lucem. Perstiterunt nihilominus pro susceptione supplicantes. Consideratis igitur circumstantiis rerum, deliberaui eos apud me tenere paululum, donec Priori significarem eorum exitum, vel peterent ipsi per litteras licentiam. Ad probam deniq; susceptι (pro nostri libertate ordinis) diebus paucis bene conuersabatur Wilhelmus, moxq;, vt oportebat, correptus efficitur instabilis, & ambo discurrũt disciplinam fugientes. Nunc autem, quoniam se huc dicit reuersurum, poterit quidem libertate communi omnibus locum inuisere, sed nunquam inhabitare. Nouimus cuncti eius miseriam, & detestamur hominis temeritatem. Nullas ad me super eius receptione credas peruenisse epistolas, & si venirent, solius esset laboris perditio. Incorrigibilem non quiescam suscipere. Si septem ordines, vt significas, in monasteriis decem tentauit, nec in vndecimo facile credam posse voluntate consistere. Non se mentiatur obtinuisse, quod fugit. De turbatione autem in tuo facta conuentu eius improbitate condoleo, & cuncta eum mentiri demõstro, cum litteram ad tuum conuentum nullam scripserim, nec scriptã ab aliquo tuorum vidi. Noli timere bone pater, noli metuere, nõ est mihi tam parua ad te, tuosq; reuerentia fratres, vt locum velim destituere personis. Nam pœne ab infantia locum dilexi propter fratres, & fratres propter sanctitatem veneratus sum. Nullum tibi cogitaui subtrahere, nullum id audiui petentem. Totum infelix ille mẽtitur, totum finxit, vt vel sic pro correctione debita tibi, quam in eum dicis extendisse reddat iratus vindictam. Ecce veritatem, q̃ scire optaueras, nudam habes & apertam. Sed & frater, quem misisti, te de cæteris plenius informabit. Ad ipsum aũt turbatorem pacis aliam ordinaui epistolam, quam in mendacii confusionem sibi coram omnibus facias recitari, vt discat inter fratres non amplius mentiri. Opto te cum fratribus tuis omnibus in Christo valere beatos. Data manu sua, anno Domini M. CCCC. LXXXIX. VII. Idus Ianuarii.

EPISTOLA XVII.

AD FRATREM WILHELMVM, DE QVO SVPRA fit mentio, increpatoria.

FRater Ioannes Abbas in Spanhem Wilhelmo de tertio S. Franciſci ordine ſacerdoti, ad viam redire ſalutis. Quod in Poëta ſcriptum legimus, in te videmus completum. *Morbida facta pecus totum corrumpit ouile.* Et quod ſequitur ſententiæ congruit Catonis. *Ne maculet alias eſt ſeparanda grege.* Tu morbida facta pecus, tu pacis diſturbator, non tibi ſolum inutilis, ſed & aliis factus es oneroſus. Quæ neceſſitas te coegit mentiri, vt diceres ad ſimpliciter gradientes verba falſa in dolo, vt confunderes vnitatem? Oſtende, ſi quas habeas litteras ad te meas, quibus vel tibi reditum, vel ceteris ſpoponderim noſtri aditum Ordinis. Scio me nihil vnquam ſcripſiſſe ad te præter has litteras tantum. Quare mentiri non timuiſti? An ignorabas, quoniam *os, quod mentitur, occidit animam*? &, quoniam *diſperdet Dominus omnes, qui loquuntur mendacium.* Tu autem non ſolum non timuiſti mendacium incurrere, ſed quod grauius eſt, voluiſti etiam fratrum concordiam perturbare. Scandalizaſti puſillos, fortes commouiſti. Sed quid iſta miramur, cum grauiora no timueris agere. Qui magna negligit, minora non aduertit. Mendacium rarò ſolet dimittere, qui voti ſui contemptor monaſterium & ordinem conuincitur deſeruiſſe. Omnis enim apoſtata mendax, & fugitiuus omnis fraudulentus. Qui odit diſciplinam infelix eſt, & qui aſpernatur correptionem dementi infirmior. Sufficiat tibi miſeria tua, noli etiã alios ſubuertere. Audio te grandem inter fratres concitaſſe diſcordiam, & eouſq; profeciſſe fraudibus, vt iuuenes quosdam ad inſtabilitatem impuleris tanquam per litteram à nobis miſſam de tua receptione & eorum ſuſceptione certificatus. Sed mentitur iniquitas ſibi, & incidit in foueam quam fecit, quoniam denudata ſunt conſilia Achitophel, atq; deſtructa. Memorare frater, quam graue ſit ſcandalizare puſillos; quam damnabile violare caritatem, quàm criminoſum vnitatem confundere. Redi ergò aliquando ad cor, & Dei patientiam noli corde indurato contemnere. Cogita infirmitatem, quàm pateris, & te ſupportantes in caritate, tu quoq; ſupporta humiliter, vt decet ſubiectum. Sed & vitæ præſentis breuitatem intuere, & animæ ſalutem, quando vacat, operare. Credo te pro tua ſtultitia debitas ſoluiſſe iam pœnas. de reliquo corrige mores.

Sap. 1.
Pſal. 5.

EPISTOLA XVIII.

AD DOMINVM BARTHOLOMÆVM PASTOREM Eccleſiæ Trittenhemenſis ſalutatoria.

FRater Ioannes vocatus Abbas Spanhemenſis honorabili Domino Bartholomæo Eccleſiæ Trittenhemenſis Paſtoris vigilantiſſimo ſalutem. Litteras binas iam miſeram, nec de ſcriptis vllum adhuc videre potui reſcriptũ, nec ſcire cauſam, cur nihil reſcripſeris. Admiror planè, quod amicitiæ non rependeris vicem, nec litteris totidem reſcripſiſti viciſſitudinem. Vſus etenim litterarum ad hoc cognoſcitur inſtitutus, vt abſentiam amicorum faciat eſſe præſentem. Scio tamen, quod me ſentis amicum: nec de tua ſalute me dubites eſſe ſolicitũ. Et quidem pro me ſolicitus prior ipſe fuiſti,

isti, qui meam litterarum exordio robora rasti infantiam. Gratias ago, semperquè gratus ero beneficio. Nunc ergò me de salute tua, tuorumq; velim certum reddas, vt de bonis Domini in Christo lætemur. Vale, & diligẽtem te ama, quod & facis. Anno Domini M. Cccc. Lxxxvii. 4. Iduum Febr. Et sua manu.

EPISTOLA XIX.

AD MAGISTRVM HENRICVM OPPIDI BINgensis P. de studio sacræ scripturæ.

FRATER Ioannes vocatus Abbas in Spanhem venerabili magistro Henrico Kesse P. Bingensi diuinas fructuose scrutari scripturas. Congaudeo tibi honorande magister, quoniam vtriusq; gradus officium cõdignis moribus adornas: cum & pro sacerdotio curam, & pro magisterio ministras ouibus pabuli spiritualibus doctrinam. Sic perseuerando bene curres, sic militando feliciter aliquando requiescs. Audio de te, & lætatus sum, quam diligens sis in studio, & zelosus in Dei verbo, quam in moribus exemplaris, quamque in disciplina compositus. Sed transeant ista, suis in lucem deducenda temporibus, ne dum laudibus virtutum copio insistere, adulationi videar deseruire. Itaq; studiorum ruorum me quæso habeto participem, quibus vtiliter insudando ad vitam valeamus peruenire perpetuam. Nihil nobis in hac vita plus expedire censeo, quam affectum purgare à vitiis, & bonis intellectũ exornare doctrinis. Ad hoc enim omne studium Christianorum impenditur, vt mens à vitiis purgata virtutum floribus adornetur, vt doctor sibi prosit per vitæ meritum, & auditores ad caritatem Dei excitet per verbum. Hęc est enim hominis beatitudo secundum prophetam, vt in lege Domini sit meditatio eius die ac nocte. Et in Euã-

Psal. 1.

gelio Dñs. *Hæc est, inqt, vita æterna, vt cognoscant te solum Deũ & quẽ misisti Iesum Christũ.* Notitia saluatoris in scripturis reperitur diuinis: quas q; ignorare cõuincitur, Christum non amasse comprobatur. Cor etenim amantis notitiam semper quærit amati: si autem quærere neglexerit, profecto non amauit. Amor namq; Dei scripturas indesinenter scrutatur diuinus, in quibus augeat conceptum amorem, & dilecti sui notitiam inueniat ampliorem. Diligimus ergò sacras scripturas, nõ quia varię, sed qa ab vno Deo salubriter hominibus datę ignem faciunt feruere amoris, & ad cælestia mentem sursum erigunt ab infimis. Quid hoc exercitio salubrius? q d vtilius studio? Hic docemur, quæ sit Dei voluntas, beneplacens atq; perfecta, cui nostram in omnibus oporteat subiici voluntatem. Sacra nos instruit lectio scripturarum, quomodo possimus de mentis agro vitiorum tribulos per ignem amoris comburere, & bonas virtutum herbas in nostri horto cordis complantare. Hæc nos docet mundi vanitates animo constanti despicere, & ad cælestia mentis oculos eleuare. Per hanc instruimur carnis lasciuiam fugere, & totis præcordiis animæ puritatem conseruare. Hæc est vel sola post Deum, imo per ipsam Dominus, quę nos mundi gaudia facit contemnere, & nulla eius aduersa formidare. Hæc, si vt oporter discatur, non solum intellectum illuminat, sed etiam abundantius purgat affectum. Hæc est vera philosophia Christianorum, vbi primo emendandis moribus impenditur studium, postea scripturis. Impossibile est enim diuinas quempiam vtiliter scire posse scripturas, qui adhuc vitiorũ impuritati subiicitur. Oportet autem accedentem ad montem contemplationis animo esse purgatum, alioquin Deum non poterit intueri transeũtem. Ad salutẽ tibi non proficiet intellectus illustratio, si affectus peccatorũ sordibus inquinetur. Talis .n. scientia inflat, quæ tamen vera non est scientia, eũ moribus sit diuinæ scripturæ cõtraria. Caritas autem ædificat, quia mentis aciem per intentionem debitam purgat. Vt igitur in diuinis scripturis fructuosum sit studium, flãma caritatis incẽdat studentis affectũ,

Ioan. 17.

S. Scripturæ laudes.

quo-

quoniam si amor Dei defuerit, labor omnis ad salutem veram non pertingit. Purgemus ergò mentis nostræ oculum, vt studii sit intentio recta, & pro solius DEI honore animarumq; salute sincera & congrua. Vacemus interim lectionibus sacris, dum possumus, vt Domini dulcedine gustata, quantum donatum nobis fuerit in terris, æternam postmodum felicitatem percipiamus in cælis. Ecce rescripsi, quia petisti & desiderium potius aperui, quam impleui. Opto te in Christo bene valere memorē nostri honorande magister Anno Dñi M.CCCC.LXXVII.

EPISTOLA XX.

AD QVENDAM SACERDODEM DE QVODAM casu in foro pœnitentiali.

FRATER Ioannes vocatus Abbas Spanhemensis Domino P. presbytero salutem. Interrogas me, quam debeas pœnitentiam imponere iis, qui de negligentia filiū perdiderunt in igne, &, quod est deterius, duodecim annis in hoc reatu scienter communicantes perdurarūt, nunquam nisi hac vice confessi. Debueras à sapientioribus, quam ego sum, ista requirere, qui in talibus experti de singulis plenius te potuissent informare. Quia tamen à me flagitas cōsiliū, hoc tibi faciendum suadeo, quod in simili casu, si essem vt tu, facerem & ipse. Mitte pœnitentes huiusmodi, si potest fieri ad Episcopum, aut eius pœnitentiarium, vt tu interim cautius agas. Quod si ad Episcopum ire renuerit, ad fratres minores mittantur, qui & experientiam habent, & auctoritatem. Si verò nec ad illos ire consenserint, cum habeas hoc tempore auctoritatem Pontificis, fac quod bonus pastor, ne oues lupi dentibus exponas rapacis desperatas. Quod autem de modo pœnitentiæ interrogas, nō est meū tibi dare mensurā qa cū pœnitentiæ qualitas in discretione sit posita Confessoris, poteris eis iuxta modum culparum & personarum dispositionem talem satisfactionem iniungere, qualem confitentium tibi contritio videtur postulare. Pœnitentiæ namq; hoc tempore arbitrariæ sunt, quemadmodum 26.q. 7.c. tempora, cū sequentibus plenè describitur. Caue autem, ne desperatos à te in damnationem ire facias, si aut indiscretus fueris, aut nimia seueritate austerus. Sic enim habet canon prælegatus. c. alligant. circa finem. Deinde etsi erramus, modicam pœnitentiam imponentes, nonne est melius propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatē? Vbi enim pater familiâs largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus, vt quid sacerdos eius vult austerus apparere? Oportet autem districtionem & mansuetudinem ab inuicem non separare, sed sic vnum temperare ex altero, vt nec sine misericordia districtio sæuiat, nec misericordia sine vigore disciplinę euanescat, vt habes liqdè 45. dist. sunt namq; & in sequentibus. Vera iustitia compassionem habet: falsa verò dedignationem: quamuis & iusti soleant rectè peccatoribus indignari. Sed indignetur vir sanctus & iustus peccantibus, sed pœnitentibus misereatur, indulgeat veniam deprecanti. Nequaquam tamen sunt tam grauia delicta sine pœna dimittenda, sed vnicuiq; secundum sacerdotis discretionem erit imponenda satisfactio, ne impunitas sceleris culpam reiteret erroris. Tuū igitur erit hominibus illis moderari pœnitentiam, qui contritionis habes discernere qualitatem. Nemo etiam obligatur ad impossibile, cū feceris, quod pertinet ad te, animā tuam liberasti. Pœnitentes etiā, supra quod possunt, restringendi non sunt, ne dum nimis cupias mūdare æruginem, vasa fragilia confringantur. His à me quæsitis esto quietus, nil mihi amplius de terminare conceditur. Aliorum

Quales pœnitētiæ iniungendæ in confessione.

orum si placet, sapientum require consilia. Causa enim necessitatis tibi breuiter ista rescripsi, cum de casu nonnihil ad nos credam pertingere. Opto te in Domino bene valere memorem nostri. Anno Domini M.cccc.Lxxxv. Id. Martii.

EPISTOLA XXI.

AD FRATREM BERNARDVM PRÆDICATOREM conuentus Crutzennacensis.

FRATER Ioannes vocatus Abbas Spanhemensis F. Bernardo de Slierbach ordinis Minorum, & conuẽtus Crutzẽnacensis Prędicatori salutem. De indicibili Dei misericordia, de caritatis excellentia, deq; gloria regni cælestis, & venerabilis Eucharistię sacramenti p̃eminentia, quos debeas legere libros, requiris, vt mẽtis torporem excutias, & populo DEI salutis verbũ vtiliter valeas ministrare. A me tanquam plurima legẽti dicis petendum cõsilium, quasi non sit, qui me studiosa librorum perscrutatione excedat; cum tanta sit hoc tempore multitudo voluminũ, vt otiũ summũ; q; mihi denegat assumpti officii ratio, ad lectionẽ vel paucorum videatur perneccssarium. Fateor tamen me legisse plurima, de qbus modo non licet rememorari per singula. Sed ne videar preces amatoris mei, ac tãti amatoris cõtemnere, ad singula per ordinem breuiter volo respondere. Si de indicibili misericordia Dei cupis aliqd legere libros B. Augustini de prędestinatione & perseuerantia sanctorum cura inuenire, in quibus tanta est doctrinæ magnitudo excellentis, vt nusq̃ me profundiora de Dei misericordia meminerim legisse. Ibi enim, quomodo non sit volentis, neq; currentis, sed miserentis Dei plane indicat, cum saluari neminẽ absq; misericordia, damnari nullũ sine iustitia manifestat. Et de hac ipsa materia in Enchiridio suo ad Laurentium facit plærunq; mentionẽ. IOANNES quoq; eremita CASSIANVS, licet à pleris q; de arbitrii libertate notatus nihilominus in Collationibus Patrũ hac plura de re scripsit vtilia. Sanctus etiam PROSPER Episcop⁹ de libero arbitrio hominis, & de Dei misericordia amplectenda scripsit syntagmata. BERNARDVS quoque sanctus Clareuallensis Abbas de gratia Dei, hominisq; libero arbitrio pulchrum & eximium edidit opus. HVGO de S. Victore in libro, qui de Arra animæ prænotatur, multa de Dei misericordia pulchra inseruit. Sed & B. ANSELMVS Cantuariensis Archiepiscopus de hac eadem re plurima scripsit: qui sic misericordiam Dei commendat, vt tamen liberum hominis arbitrium sine iniuria perseueret. Scripserunt & alii multi de ista materia, quorum iam non est facile memorari per singula. Si quos recẽsui legeris, credo, tibi fatebere satisfactum. Cautus tamẽ sis, velim, ne secreta scripturarum in aures vulgi rudis & indocti proferas, ne dum cupis doctrinam effundere, auditoribus infirmis materiam fundas erroris. Oportet enim prædicatorem Dei prudentem esse atq; solicitũ, vt sciat, quem, ad quos, quando, & qualiter debeat proferre sermonem, ne per imprudentiam aut tacenda proferat, aut per ignauiam silentio p̃ferenda tegat. Non omnibus omnia prosunt, nec similia cunctis conueniunt. Et de his quidem dominicũ habemus exemplum, quando saluator noster in parabolis turbis, apertè autem de regno Dei loquebatur discipulis. Vnde & ait. *Vobis datum est, nosse mysterium regni cælorum, cæteris autem in parabolis vt audientes non intelligãt, & videntes cæci fiant.* Apostolus etiam, qui sapientiam loquitur inter perfectos, lac potum dedit infirmis, nõ escam. Sed plenè de his te non dubito informatum. Ad ordinẽ redeamus. De caritatis aũt excellentia multi scripserunt, inter quos pauci dũtaxat occurrũt. Enchiridion B. Augusti ni prędictum de fide, spe, & caritate intitulatur, in quo plura de caritatis eiusdem laude reperiuntur. Idem PROSPER in libris de vita contemplatiua multa de caritate

S. Augustinus multa de misericordia Dei scripsit.

Et Cassianus.

Prosper.

Bernardus.

Anselmus

Matt. 13.

1. Cor. 3.

Auctores qui de caritate scripserunt.

ritate loquitur, & de aliis bonarum virtutibus mentiũ, quæ non immeritò ad eandem caritatẽ referuntur. S. BERNARDVS de gradibus caritatis pulcherrimum edidit opusculũ. Idem in epistola ad fratres Carthusienses de monte Dei, multa & excellentia de caritate documenta figurat. HVGO de S. Victore specialem de caritate condidit libellũ, in quo varia laudũ eius declamat præconia. Richardus de S. Victore quinq; libros de Contemplatione profundissimè scripsit, in quibus de laudibus caritatis miranda cõposuit. Extat Hugonis eiusdem de institutione nouitiorũ alius tractatus, in quo pulchra de caritatis excellentia habentur. Hos cũ habueris legas, & caritatis ardentissimus amator fies. De gloria regni cælorũ quos tibi potero libros ostendere, quæ librorum omnium copiã noscitur superare? Ne tamẽ omninò videar tacere, loquar de quibus nõ audeo iudicare. Inprimis B. pater AVGVSTINVS in libris suis, & præsertim in Soliloquiis, & in Meditationibus plura de cælesti Hierusalẽ suspirando loquitur, q̃ ad excitandum torpentis desideriũ pulcherrimè aptantur. In Manuali etiã suo non pauca de hac ipsa materia depingit vtilia. Sed quia prædicator es verbi Dei, & nõ solum pro tua deuotione, sed etiam ꝓ eruditione populi oportet te esse solicitũ, ne prædicta causeris vulgo minus congruere, curabo tibi & alia pro populi capacitate paucula demonstrare. Lege igitur vltimum eiusdem Augustini librum de ciuitate Dei, lege librũ alium eiusdem de Dei visione ad Iulianum, & inuenies non paruæ documenta vtilitatis. Extant apud nos opuscula quædam doctissimi viri Nicolai de Cusa Cardinalis, quæ ad diuinorum speculatiuam scientiã valde creduntur vtilia. Habes BERNARDINI tui sermones, in quibus circa finẽ Paschatis de ista materia plura habentur insignia. Hunc lege, dum vacat, donec non habitos valeas inuenire. De sacramentis corporis & sanguinis Domini multi scripserunt, è quibus audi vel paucos, quoniam omnes inuenire non poteris. Et quidem inter vetustiores AMBROSIVS obtinet principatum, qui de singulis normam fidei lucidè præmonstrauit, Sed & Ratbertus PASCHASIVS Abbas Corbeiensis egregium de hoc sacramento edidit librũ. Alius etiã Gvimũdus nomine, monachus S. Leufredi contra Berengarium de eodẽ sacramento pulcherrimè scripsit. ALBERTVS cognomento Magnus ordinis Prędicatorũ de hoc venerabili sacramẽto in sermones pulchrè distinctum composuit notabilem Tractatũ. Idem Albertus super officio Missæ vtiliter scripsit & copiosè. INNOCENTIVS Papa dupliciter scripsit in eandẽ materiã Sed & HILDEBERTVS Turonensis Episcopus de eadem re composuit metricum opus, ꝙ totum officium Missę cõtinere videtur expositum. MAXIMVS quoq; Taurinensis Episcopus de sacramẽto altaris non spernendę auctoritatis edidit opusculũ. Bernardus insuper Parentinus ordinis Prædicatorum, & Vincẽtius Gruner in eãdem sunt commentati materiam. Nouissimè verò diebus nostris GABRIEL BIEL notabilẽ Lecturam in idem Missæ & Canonis officium composuit, q̃ in vniuersitate Tubingensi ordinariè legit. Hanc si habueris, non eris magnopere de reliquis solicitus. Videtur de prænominatis voluminibus extracta, licet noua plura nõ dubitemus p auctorem apposita. Postremò de laudibus intemeratæ Virginis MARIÆ quid legas, denuò quæris. A me cur ista bone frater voluisti, tanq̃ sint rara, petere? cum in omnibus penè libris sanctorum de huiusce modi materia multa possis inuenire. Nihil nouum, nihil possum tibi patefacere non notum, sed nec demonstrare iam cognitum. Cõmemorabo autem quædam sanctorum nomina, qui de laudibus beatissimæ Dei genetricis copiosè scripserunt: tuum sit decetero præsignata inuestigare volumina. non enim apud nos vniuersa habentur. Scripserunt igitur quos ego inuenire potui in laudem B. Virginis præmemoratæ Bonitus Auernorum Episcopus. ANSELMVS Cantuarienſis. ALBERTVS magnus, qui super Euangelio *Missus est angelus*, egregium opus composuit. Nec homilias Bernardi in idem Euangelũ ignoras. Rupertus quoque Tuitiensis nostri ordinis olim venerabilis Abbas in laudem B. MARIÆ Virgis Cantica canticorum ornatissimo processu exposuit, cui in hac materia nondũ vidi similem: omnia enim ad eius excellentiæ dignitatem conduxit, nec aliquid ab eius laudibus aptabile intactum reliquit. Extat etiam liber vnus de vinea Domini Sabaoth intitulatus, quem in laudem beatis-

Qui de gloria regni cælorum.

Hildebertus.

Gabriel Biel.

Qui de laudibus B. Virg.

Qui de S. Eucharistia.

atissimæ Virginis composuit nostris diebus venerandæ memoriæ Abbas Rinckaugiensis CONRADVS, qui de membris eius singulis multiplicia resonat præconia laudum. Hunc tamen codicem paucis æstimo notum, quia in publicum ire non potuit ante mortem auctoris, qui anno Domini 1486. naturæ debitum soluit.

Repperi & alium in laudem sanctæ Dei genitricis valde commendosum libellũ, quem quidam Episcopus edidit, cuius memoriæ nomen iam non occurit. Procedit autem ordine alphabetico de singulis fere dictionibus speciales proferens laudes. Huius operis ita incipit prologus. Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Exordium verò libri hoc habet. Abstinentia multiplex fuit in MARIA virgine, &c. Hoc opus valde necessarium est prædicatoribus & vtile, qui de B. virgine ad populum laudabiliter cupiunt prædicare. Vidi alium librum, cuius auctor nescitur, qui corona B. MARIÆ inscribitur, opus prolixum, & valde iucundum legentibus. Spargitur de hoc volumen impressum quoddam eius Epitomi, quod cum tertiam vix partem contineat se fraude impressoris originale mentitur.

Tempus planè deficeret, si omnium Doctorum conarer scripta in huius præcelsæ virginis laude in lucem duntaxat scita producere. Sufficiat igitur, vel tanta designasse opuscula, quæ in eius laudem noscuntur inscripta. Misi tibi horum quædam, quæ retuli, sicut petisti: quos si velis describere libens expecto, sin autem, remitte perlectos. Alia quoq; videbis quam plurima, si nobis tuam dilectionis exhibere præsentiam. Optote in Christo valere memorem nostri, Anno Domini 1489. 15. Kalend. Nouemb.

EPISTOLA XXII.

AD EVNDEM, DE VERA AMICITIA MONACHORUM.

FRATER IOANNES vocatus Abbas in Spanhem dilectissimo fratri Bernardo Prædicatori eximio salutem, & munus amicitiæ immortalis. Quantum sit bonum amicitia inter Christianos, & monachos præsertim, ne nostra omittamus, quamuis non possim edicere, compellor tamen scriptis tuis dulcissimis aliquantulum somniare. Quod duplex sit amicitia te credo non latere, qui tanta instantia, vt in amicitiam receipereris, dulciter voluisti prouocare. Nam amicitia naturalis inter consanguineos est, quæ licet non possit facile deficere, putant tamen nonnulli amicitiam propriè non esse.

Sed hæc illis discutienda committimus, qui de singulis quærunt rationem. Amicitia verò acquisita duplex est. vera & ficta. Fictæ amicitiæ iura nescimus, qui non nisi veritatis amici esse concupiscimus.

Vera enim amicitia est, quæ de ratione veritatis nascitur & in fidei Catholicæ vnitate solidatur. Amicitia ergò nostra Christi amore connectitur, & bonarum virtutum studiis in fide roboratur. Nihil est hominibus à DEO collatum, quod in hac peregrinatione Christianorum amicitiæ veniat præferendum.

Quanquam autem omnis Christianæ amicitiæ iura debeamus in vnitate fidei cognoscere, non tamen prohibemur in eadem fide quosdam specialius ama-

re. Hæc tamen erit adhibenda consideratio, ne in singularis amicitiæ intentione appareat tortitudo. Christianorum causa amicitiæ sit Christus. Veteres enim rerum similitudinem amicitię causam dixerunt. Nos igitur fratres hanc vim constituamus amicitiæ, vt propositum sanctũ in nobis sit idem, quatenus ad hoc totis feramur instantiis, vt sic vnus diligatur ab altero, ne in moribus corrumpatur rectitudo. Diligamus opere & veritate: quia tunc erit vera dilectio, si in mente puritas, & in opere fulgeat veritas. Monachorum amicitia est amor disciplinæ, & sincera regularis vitæ institutio. Amicitiã vis colere? serua pietatẽ, & veros experieris amicos. Nũq̃ est diuturna falsa amicitia. Vera amicitia est, virtutes colere, vitia exstirpare. Non q̃ multos, sed q̃ veros amicos habeas considera. De amicitia inter Philosophos CICERO pulchrum composuit opusculum, quę nobis de iniusto licebit vẽdicare vernaculo. Sed & SENECA in suis sparsim epistolis plæraq; scripsit de amicitię notitia congrua. Inter nostros verò PETRVS Blesensis de amicitia Christiana tractatum ornato descripsit eloquio. Sed horum nobis nunc lectio non est necessaria, nisi pro inchoatæ amicitiæ consolidanda firmitate. Nunc igitur, quoniam petis inter amicos te censeam, cum sit mihi animi tui non incomperta sinceritas, obuius te lætis excipio manibus, dignum nedum mei, verum & quorumlibet maiorum amicum. Hanc autẽm amicitiam non ex varietate munerum, sed ex paritate in Christi amore affectuum nõ dubitemus perpetuitatis suscipere incremẽtũ. Accede iã frater amice accede, primordii dilectionis conspice vires. Deus amoris nostri principium & finis. veri so nobis in æterna patria mercedem donet amoris. Interim, quia perfectè gustare non possumus dulcedinem amoris, demus operam litteris sanctis, donec veniat quod perfectum est, & euacuetur imperfectio nostra. Sanctis ergò incumbe scripturis, quod & facis. ego autem studiis meis multas cogor interponere curas. Ad hoc verò studiorum nostrorum omnis consurgat intentio, vt in Dei amore semper augeri cupiamus. Quod te facere & facturum non dubito. Sit etiam mutua tibi ad amicum solicitudo. Decetero caritatem tuam rogo, vt fastum, quem erga me gerere comprobaris deponas, & confratrẽ me pauperum Christi vocita, non Dominum. Monachus sum, non possum talia sustinere falsa fastigia, ne forte data videatur occasio blandimentis. Nec te, qui minor diceris, & euangelicus prædicator verbis decet vti adulationis, qui in Apostolis neminem per viam salutare pmitteris. Affectu me & voluntate tuorum non dubites esse confratrem. Opto te in Christo bene agere, memorem nostri. Anno 1489. quarto Iduum Martii.

Petrus Blesensis.

Matt. 10.

EPISTOLA XXIII.

AD EVNDEM DE TIMORE SERVILI, ET igne inferni.

FRATER Ioannes vocatus Abbas Spanhemensis dilectissimo fratri Bernardo Prędicatori salutem. Sermo, quem nuper inter nos præsentibus etiam fratribus de scripturis diuinis habebam⁹ & tibi scribendi, & mihi rescribendi occasionem dedisse videtur. Erat autem de timore seruili, & qualitate ignis inferni. Mirari te dicis, quod timorem seruilem commendauerim tanquam vtilem, cum omnibus constet, quod sine caritate, quę foras mittit timorem, nemo fiat beatus. Scio quidem, quod solus timor iste seruilis non meretur vitam æternam, licet pœnam euitet peccatis infligendam. Nam sine caritate Deo nullus erit acceptus. Timor autem seruilis quoddam medium, vel instrumentum est, quo infirmi ad amorem DEI paulatim proficiant. Nemo enim repente fit summus, sed ad magna successiuè fit accessus. Hoc idem B. Au-

1. Ioan. 4.

GV-

GVSTINVS in psalmo 149. loquitur dicens. *Ferrea sunt vincula quamdiu timent, ament, & aurea erunt.* Et rursum post pauca. *Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem: & tamen, nisi timore incipiat homo Deum colere, non perueniet ad amorem.* Gradus enim quidem proficiendi nobis positi sunt, vt si post peccata pœnitendo ad amorem repente venire non possumus, per timorem pœnarum à malis retracti paulatim in melius proficiamus. Nam dum mens per timorem compungitur quasi quibusdam gradibus pedetẽtim ad altiora subleuatur. Hoc sancti nobis Patres vtiliter in scriptis suis demõstrarunt, dum toties pœnas & tormenta peccatis debita auditoribus suis ad memoriam reducunt. Cohibet enim timor à peccato animum, licet caritas nondum resperserit affectum. Quãuis ergò timor iste sine caritate non sufficiat ad salutem, aptat tamen & disponit hominẽ successiuè ad caritatem. Tu autem malum putas hoc medium, sine quo pauci veniunt ad amorẽ? Absit ab hoc anima tua frater. absit etiã à me. *Felix antẽ necessitas, quæ ad meliora compellit.* Qui non amat, mortuus est: qui autem ex timore compungitur, ad vitam à morte redire comprobatur. Pauci absq; medio timoris ad amorem perueniunt. Sed priuilegium paucorum non facit legem communem, & quod paucis conceditur, non est ab omnibus præsumendum. Amor enim Dei paucos à peccato facit desistere, quos consuetudo in malis solet detinere. Sed postquam timore superueniente mens ad detestationem peccati inducitur, si continuet, ad amorem successu temporis eleuatur. Hæc tibi auctoritatibus Patrum sic esse ostenderem, si de animi tui sinceritate dubitarem. Sed noui mentis tuæ puritatem, noui etiam firmitatem fidei: quoniam ista magis vt excitares ingenium, quam vt affectum exprimeres perscripsisti. Cæterum de qualitate ignis inferni altior tunc nobis fuerat disputatio, vtrum corporeus sit, an incorporeus.

Legi de hac materia plurima, quę magis opinionem faciunt, quam certitudinem. Scribunt plures hunc esse corporeum, inter quos hi modo tãtum, quos designaui, occurrunt. AVGVSTINVS lib. 21. de ciuitate Dei cap. 10. hoc docuit. quem imitatus Magister in 4. sent. dist. 44. allegauit. Sanctus quoq; Gregorius 15. libro Moral. cap. 50 idem sentire videtur. In quarto etiam dialogorũ libro simile loquitur. Bonauentura quoque tuus in septima parte sui Breuiloquii fatetur ignem inferni esse corporeum, exceptis innumeris aliis, qui memoriæ iam minimè occurrunt. Contra tales tãtosq; sentire Patres desipere est, & ppriæ opinionis imitari præcipitiũ. Opinioni tamen ista, sicut dixi, non certitudini deseruiunt. Ait enim Augustinus, & in quarto sic allegatur per Magistrum. *Ignis æternus cuiusmodi sit, & in qua mundi vel rerum parte futurus, hominem scire arbitror neminem, nisi forte cui spiritus diuinus ostendit.* Deniq;, si fides adhibenda sit reuelationibus, vnã inseramus è pluribus, quæ ignem inferni vult esse incorporeum. HILDEGARDIS sãctimonialis fœmina apud Bingis oppidum Abbatissa, interrogata de hac ipsa materia per quendam monachum, fatetur ignem gehennæ fore incorporeum, sicut epistola eiusdem continet ad præfatum directa monachum. Sed ne somniis leuiter credere videamur, mulierculârum de reuelationibus interim sileamus. *S. Hildegardis.*

Ego enim, vt verum fatear, nec huiusmodi scriptis fidem leuiter adhibeo, nec temerè rursum contradico. Sit ergo quicquid sit, tantis nemo Doctoribus audeat obuiare. Sic autem viuamus, dũ viuimus, vt ignis, de quo loquimur, qualitatem euadamus. Curiosa magis, quam vtilis est ista inquisitio, quoniam quod sine peccato nescitur, non est cum periculo discendum. Ego enim in huiusmodi argumentis malo intellectui alieno cedere, quam cõtentionibus deseruire. Opto te in Christo semper valere memorem nostri. Anno Domini 1489.

EPISTOLA XXIV.

AD FRATREM FRANCISCVM WILET ORDInis Minorum Prædicatorem in Pfortzen.

FRATER Ioannes vocatus Abbas Spanhemensis religioso fratri Francisco sanctum imitari Franciscum. Litteris me tuis respondere peroptas, & quod diu non scripserim inculpas. Moram fateor, non excuso dilationem, causas tamen significo. Nihil responsione dignum in tuis epistolis repperi, qui sententias sermonibus imperitis obruisti. Mel absinthio misces, laudibus falsis interponis conuitia, & dum vtriq; laxas habenam, neutrum me putas accipere. Bene quidem. Ego enim, qui profiteor monachum, nec laudibus vanis demulceor, nec conuiciis iniustis vllatenus perturbor; quid velis intelligo, & quid intendas non ignoro. Me operum tuorum constituis iudicem, & causaris detractorem. Qualis ipse es, talem me fore iudicas. Aliorum reprehensor quandoq; se reprehendi conqueritur. Sed quid mihi obtendis querelam? Nullum adhuc tuorum legi operum præter id, quod de nouitiorum scrupulositate scripsisti, & paucas epistolas, in quibus, si vt putas limam reprehensionis apponerem, multa quam vilia scripseris, facilè demonstrarem.

Sed absit à me tanta præsumptio, vt tibi facerem, quod mihi fieri recusarem. Quamdiu enim contra fidem sanctam & bonos mores non scribitur, operum defectus vitium q; toleratut. Mox autem vt scriptor fidei Catholicæ, aut moribus tendit iniuriam, omnes constanter insurgant contra huiusmodi pernicioſam prauitatem. Nunc autem in tuis scriptis nil tale reperi. Quod si vrges, vt totum effundam, quod sentio, palam loquar. Stylum orationum tuarum aliqualitet reprehendo. Cum enim sis monachus vsitato iam vocabulo, & sacram coneris scripturam euoluere, defectus sententiarũ poëtico stylo contendis palliare. Sed vtriusq; confundis industriam, dum nec poëta es, nec Theologorum intelligis qualitatem. Si amicitiæ fœdera inire nobiscum veraciter desideras, ista caritatis auisamenta precor non spernas. Petis enim scriptis iteratis, vt tibi nobiscum sint amicitiæ sanctę iura communia, vt nostrarum vicissitudine litterarum in Domino iucunderis, atq; in campo sacrarum litterarum vtiliter laborando exultes. Veritatis igitur ac caritatis sinceræ fundamenta ponamus & nos, vt decet, humilibus scriptis ad amorem Dei accendamus, non laceremus inuectionibus. Si Franciscum tuum sanctissimum iuxta habitus tui insignia imitari decreueris, elatam prorsus ceruicem & in te, & in aliis semper horrebis. DEVS enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Dicamus, quod ait quidam. Hoc scio, quod nescio, nodum volumus plurima scire videri, nihil veraciter scire contingat. Hæc tibi frater carissime breuiter respondendo rescripsi, habiturus te, si humiliter accipias, amicum beneuolum, vel pacificum iratum. Tu enim toties, vt rescribam prouocas, iam si irascaris, decetero quiesces. Iudica de his singulis non aliter, quam oportet: quoniam verus amicus cupio inueniri, qui nulli nouerit adulari. Opto te in Christo bene valere memorem nostri. Anno Domini M. c c c c. nonagesimo, decimo Kalend. Augusti.

***

EPI.

EPISTOLA XXV.

AD FRATREM BERNARDVM SLIERBACH Prædicatorem dum receſſit.

FRATER Ioannes vocatus Abbas in Spanhem dilectiſſimo fratri Bernardo Prædicatori ſalutem. Sicut amicorum cordialis præſentia, ita & diligentibus diſceſſio grauis. Vellem, ſi cum Deo poſſem ad tam remota locate minime dirigendum. Sed quoniã obedientia cunctis eſt præferenda amicitiis, non debemus de corporali noſtra ſeparatione tantopere conturbari. Nam ſi vim amicitiæ veram agnouimus, nulla diſtantia locorum corda Chriſti amore ſemel coniuncta poterit ſeparare. Semper in amicorum pectore viget amor. Semper corda corporibus cenſentur præferenda. Manet amicorum integra dilectio, quam non commodum rei temporalis, ſed Chriſti fides generauit.

Nuſquam nobis cauſa veri amoris deerit, qui Deum ſemper & vbique confitemur amatoribus eſſe præſentem. Ad nos igitur ſpectat amicitię, diſiunctis licet corporibus, vbiq; ſeruare cõſtantiam, quibus omnipotens Deus fœderis in omni ſe loco præſtitit cauſam. Deus enim noſtri extat cauſa amoris, quem quia præſentem ſemper habemus, quantumlibet diſiungamur ab inuicem corpore, preſentes nobis mente ſumus & ſpiritu. Corporalis enim amicorum præſentia parum ad amoris veritatem videtur conferre, ſi tamen amicitia ipſa ſolum in glutino Chriſti ſe cognoſcat exiſtere. Debilis eſt amor qui de præſentia ſolum pendet amati. Ad meritum igitur ſanctæ obedientiæ reſpicientes, cariſſime frater, reſignatam Deo atq; Prælatis acceptabilem induamus voluntatem. Chriſti amator & aſſecla non ſuam, ſed DEI cunctis præferat voluntatem. Vadat quo ſe obedientia vocat, vt qui ſe regulæ ſtatutis voluntariè ſubiecit, non amplius ad ſuã, quam dimiſit voluntatem, conetur reſpicere. Sed eſt, cur tibi hac de cauſa ſuccenſeam, quoniam obedientiam, quam venientem debueras humiliter ſuſcipere, imprudenter voluiſti propter tuum commodum prouocare. Si quid igitur in hac nouitate aduerſi tuleris, tuis erit affectionibus tribuendum, qui obedientiam non tam agere, quàm præuenire maluiſti. Sed tuis condolendum amicis, quibus pro beneficio diſſidium, pro amore reddidiſti contẽptum. Quãtæ preces eorundem ne peteres diſceſſum, quas omnium tuorum velut nihilum præteriſtiſ iam doles & gemis, iam pœnites & lacrymaris. Dicis enim affectus amicorum te non æſtimaſſe tantos, quos talium ſi ſciſſes nunquam procuraſſe diffugium. Stulte eſt malo ſuo amicorum probare conſtantiam: quia ſæpe, dum paucis non creditur, multorum amicitia violatur. Os tuum fecit tibi hoc. iraſcor quidem tibi, ſed non aduerſum te. Luet, qui fecit dilectoribus ſuis iniuriam. Opto te in Chriſto valere memorẽ & noſtri, & amicitiæ noſtrę. Hæc legas pro amicorum memoria, vel pauca, dum vacat. Vale iterum, iterum vale, amicorum amiciſſime frater.

Anno Domini M. cccc. 16.
Kalend Septemb.

EPISTOLA XXVI.

AD DOMINVM ABBATEM S. EGIDII IN NVrenberga de abbreuiatione ſtatutorum,

VENERABILI in Chriſto Patri Domino Ioanni Abbati monaſterii S. Egidii in Nuremberga, Frater Ioannes vocatus Abbas in Spanhem hominis vtriuſq; ſoſpitatem. Litteras veſtras de dato Sabbathi ante Lætare tarde ſuſcepi. Vnde nec mittere, quę poſtulabat abſens tũc potui, nec reſpondere ad ſcripta. Eramus enim in reformatione cuiuſdã monaſterii occupati, adeo vt ad nundinas, quemadmodnm propoſui, penitus neqrem occurrere. Nunc igitur venerabilis Pater, tarditatem meam conarer defendere, ſi vos de meis occupationibus audiſſem dubitare. Feci tandẽ q, potui, receſſus que omnium Capitulorũ ad mandatum Dominorũ Præſidentium in breue quoddam Enchiridion coarctaui. Formam quoq;, vt poſtulaſtis, viſitationis incepi, et Dei auxilio ad finem vſq; perduxi, quam Dominorum Præſidentium examini diſcutiendam ſubieci. De ſeruando Capitulo Prouinciali modum quendam cõcepi, quem veſtræ quoq; cum prædictis omnibus reuerentiæ deſtinaui. Bullam etiam Baſileenſis Concilii cum quibuſdam aliis ex Decretalibus, & Benedictina, nobis opportuna collegi, & ſuis in locis abbreuiata diſpoſui. Cum ergo paternitas veſtra hæc ipſa ſuſceperit, examinet; & ſic demum, ſi placuerit, iuxta commiſſionem Patrum tradat imprimenda. Quod ſi aliqua minus conſideratè repererit is poſita, veſtro ſint ſubiecta dictamini corrigenda Quod ſi omnino alteranda iudicaueritis, mihi obſecro quantocyus intimetis. Modus enim procedendi nõ abſq; cauſa talis eligitur, vbi ſequentium ordo leu gatur. Conſilii autem mei eſt, vt forma viſitandi atq; ſeruandi Capitulum non imprimatur, quia quod paucis conuenit, in aures non eſt omnium propalandum. Miſi etiam chartulas mihi quondam conceſſas cum ſermonibus duobus Domini Sebaldi veſtri anteceſſoris, quos ad Capitulum Prouinciale Maguntinum per Priorẽ S. Stephani transmiſiſtis. Ceterũ, q, poſtulatis denuò de ſcriptoribus Eccleſiaſticis opus grande incœpi, ſed nimiis occupationibus preſſus pficere hucusq; nõ potui. Spero tamen in hac me, ſi vixero, æſtate completurum. Continebit autem plurium quam ſexcentorum Doctorum nomina ſcripta & tempora. Interim itaque patienter ſuſtineatis, quia citius perficere non potero. In Chriſto vos ſemper opto valere memorem noſtri, Anno Domini. M. c c c c x c i. Kalend. Iunii. Et ſua manu.

Liber de ſcriptoribus Eccleſiaſt.

EPISTOLA XXVII.

AD DOMINOS PRÆSIDENTES CAPITVLI Prouincialis, de opere abbreuiaturæ Capitulorum Prouincialium.

REVERENDIS in Chriſto Patribus, Dominis Præſidentibus Capituli Prouincialis per prouinciam Magũtinenſem, & diœceſin Bambergenſem Ordinis S. BENEDICTI, frater Ioannes vocatus Abbas in Spãhem eiuſdem ordinis diœceſis Maguntinæ, debitæ atque ſinceræ obedi-

-tio

tionis affectu. Recessus Capitulorũ Prouincialium à tempore Constantiensis Concilii celebratorum iuxta mandatum Paternitatum vestrarum, ea qua potui diligẽtia in Manuale vnũ abbreuiaui, ac rubricis per singula capitula & paragraphos distinxi: in quibus licet nonnulla pluries sint posita, tamen sincerè vtentibus patebunt vtilia. Sæpe nãq; replicatur, q̃ maiori auctoritate præcipitur. Statui aũt in his omnibus necessitati statutorũ ita intendere, ne matrem tædii prolixitatem contingeret præualere. Præcepistis insuper, vt ex Decretalib⁹ & cõstitutionibus summorum Pontificum illa colligerem q̃ nostro conuenirent proposito, ac vtilitati consulerent. Feci, quod potui, & ex eisdẽ Constitutionibus, videlicet Decretalium Benedictinarum, Martini V. Nicolai Cusę Cardinalis atq; Legati, & Cõciliorũ, Cõstantiensis & Basileensis nobis quæq; vtiliora extraxi, & in vnum cũ ceteris cõpendium coarctaui. Suscipiant igitur Paternitates vestræ obeditionis opusculũ, quod vt perficere potuissem vestrum Præsidentię mandauit imperiũ. Si quid emẽdandum occurrerit, limã auctoritatis vestrę meo arbitrio libens subibit. In ceteris breuior litterarum connexus oris officio viua supplebitur. Opto vos in Christo semp ad Ordinis valere honorem. Anno Domini M.CD.XCI. mensis Maii vltima.

EPISTOLA XXVII.

AD LVDOVICVM EPISCOPVM SPIRENSEM de monasterio in Odenheym.

REverendissimo in Christo Patri ac Domino, D. Lvdovico Ecclesiæ Spirensis Episcopo Fratres, Ioãnes in Spãhem, & Gerardus in Tinctauia monasteriorum vocati Abbates, ac visitatores, qcquid reuerentiæ poterimus, & honoris. Cum Patern. T monasteriũ in Odẽheym nouiter reformatum iuxta officiũ nobis auctoritate Apostolica iniũctum visitaremus, inuenimus Abbatem cum fratribus vniuersis animo non mediocriter cõsternatos. Dolet se nãq; loco depulsum, quẽ diu occupauerat diabolus, & stridens dẽtibus, in nouam à Deo plantationem, ipsã non sinit esse quietã. Faciunt aduersus eã deformati monachi, quod possunt, territando quod nequeunt reformatos ferre, minantur. Quales sint, & cuiusmodi vita ipsorũ ab exordio semp exstiterit, optimè nouit paternitas vestra. Incœptum igitur magnis laboribus reformationis negotiũ Deo adiuuante manutenendũ est, ne diabolo expulso reuertendi pateat sæuienti accessus. Nam si aduersus reformationis huius bonum zabuli nequitiam pręualere permittitur, omnis labor impẽsus inutilis & perditus indubiè iudicatur. Vagantur circa monasterium cõtra prohibitionem vestram sępe peruersi monachi, & qcquid in Abbatis & fratrum bonorum periculũ possunt, sedulè machinãtur. Inter omnes autẽ assertus quondam plebanus de noua domo sæuit crudelius, habẽs in auxilium peruersitatis suæ fratrem suum vestræ Spirensis Ecclesiæ Canonicum, hominem talem, qualem ipsi iam scitis. Hic mortem Abbati, & fratribus nostris crudelia minatur sub horribilibus tormenta iuramẽtis. Vnde territi, tã Abbas, quã fratres, nos vnanimiter rogauerunt, quatenus rãquam visitatores, maximè cum reformationi primæ interfuerim ego Abbas Spanhemẽsis litteris vestris aduocatus, & nunciis, Paternitatẽ V. solicitaremus de ꝓuidendo remedio: ne si diutius differatur auxiliũ nobis cedat in Ordinis graue detrimentum. Rogamus itaq; P. V. R. quẽadmodum pręscripsimus, vt fratribus destitutis gratiosè dignetur succurrere, & monachos puersos de locis viciniorib⁹ eliminare. Quamdiu. n. morantur in proximo, fratres in Odenheym non poterunt esse securi. Vtatur igitur Dominatio vestra iã nunc auctoritate vestra ꝓtectoria, & operibus adhibeat remedia, cũ apertè cognoscat non proficere verba.

Intelligimus etiam occasione tam sancti negotii aduersum vos quosdam emersisse iam æmulos, & nonnullos in tantam prorupisse insaniam; vt diffidati conentur impugnare Ecclesiam. Deum oramus, vt pro sua voluntate dimicanti vobis largiatur constantiam, qui boni operis contulit voluntatem. Non dubitet P. V. R. quoniam si DEO placet, reformationis factæ negotium, vt in finem perueniat optatum, nullum poterit interuenire periculum. Optamus P. V. R. in Domino semper valere constantem. Datum Anno Domini 1491. mensis Maii die quinto.

EPISTOLA XXIX.

AD RVPERTVM EPISCOPVM ARGENTINENSEM, qui nolebat Visitatores admittere.

QVICET P. R. per Capituli nostri Præsidentes ad certa monasteria vestræ Argentinensis diœcesis visitatores simus deputati; non volebamus tamen iniunctum nobis complere officium, nisi prius de admissione vestrum pulsaremus consensum. Quanquam enim auctoritate Apostolica nobis Capitulum Prouinciale pondus visitationis iniunxerit, nihilominus astuta quorundã monachorum improbitas visitatores suos hucusq; in vestra diœcesi admittere recusauit. Allegant quidam in contrarium, quod confidimus esse fictum; à P. V. R. se dicunt esse prohibitos, ne visitatores debeant admittere, vt in deformitatibus suis quasi sub protectore diutius valeant permanere. Non enim iuris vestri præstantiam; sed operum suorum tuentur curuitatem. Scimus P. Reuerendiss. & Illustriss. Princeps, scimus zelum, quem geritis pro Christi ouibus commendandum, & non dubitamus, quoniam se monachi defendunt improbè præter vestri consensus arbitrium. Ne igitur monachorum actibus prauis Pater tam reuerendus atq; insignis consentire probetur, rogamus in Domino IESV, & exhortamur, quatenus nobis cum vestro beneplacito iniunctum liceat implere officium, ne laboribus duris & expensis aduersum rebelles monachos, nobisq; obsistentes aliud cogamur subire remedium. Omnes enim aliarum diœcesium Maguntinæ prouinciæ monachi suos Visitatores admittunt. In sola diœcesi vestra nobis denegatur accessus. Et hæc sine vestro consensu non dubitamus præsumpta. Iuris autem sui dominatio vestra nullum vereatur præiudicium, quia nihil arduum, nihil intendimus compellere nouum. Non ignoramus Episcopalia iura nostris visitationibus fore liberrima. Cogit enim nos obedientia statutis obedire Apostolicis, & Abbates, monachosq; nostro Capitulo subiectos, quantum possumus, ad detestationem exhortari vitiorum & amorem virtutum. Super his igitur exequendis, quæ Dño DEO placere confidimus V. P. consensum imploramus. Optamus Dominationem vestram semper in Christo valere felicem. Ex Hirzavv. Anno Domini M. CDXCI. Mensis Maii die 14.

EPI-

EPISTOLA XXX.

AD FRATRES QVOSDAM IN TRIBVLATIONIBVS constitutos cohortans ad patientiam.

FRater Ioannes Abbas in Spanhē dilectis in Christo fratribus monasterii VV. Salutem, & in tribulationibus spe futurorum cōstantiam. Dici non potest, carissimi fratres, quantum vestris calamitatibus compatiar, quantumq; sæuientis in vos maligni spiritus machinatione cōturber. Testater planè operibus ipsis compassionis affectum, si voluntati æquiualens arrideret facultas. Nunc autem, quia cōpassione nil amplius possum impēdere, solicitudinem, quam gero pro vobis litterulis istis in bonum volui demonstrare. Nuper enim, cum visitaremus vestrum ex more conuentum, vos à Patribus querebamini desolatos nullisq; consolationib⁹ ab aliquo releuatos. Rogastis igitur me, vt vobis aliquādo opportunitate concessa epistolam consolationis dirigerem, & ad constantiam ferendarum tribulationum solidarem. Ad quod licet me sciam nequaquam idoneum, ne tamē saltem negarē, quod posse me credidi, breuem consolationis epistolam hac vice direxi. In cuius exordio vos omnes primo duxi monendos, vt Apostolici sermonis velitis esse memores: quoniam quotquot in Christo pie viuere cupiunt, persecutionem patiantur oportet. Monachorum est, in hoc mundo nihil amare, omnia cōtemnere, & omnium contemtibus Dei amore subiacere. Tunc se monachum quisque iudicet, cum omnia sibi in hoc mundo resignato animo cognouerit esse contraria. Mundus enim non diligit nisi suos, & odit, quos non diligit. Monachus autem, cum non sit mundi amator, sed contemptor, non putet se debere à mundo diligi, quem ipse odit, sed contemni & persequi. Nolite igitur in tribulationibus istis, vt infirmi, deficere, scientes quod tunc veri monachi eritis, si propter DEI nomen vos præsens oderit mundus. Sit vobis consolationis materia innocentis conscientiæ serenitas, quæ tantum lætatur libertate sua interna, quantum à mūdi amore fuerit aliena. Quærit hostis antiquus quē deuoret, sed vos mordere non prævalet, quos in Dei fundatos amore non ignorat. Orationibus sedulis instandum est: quoniam diabolum plus nostra perturbat oratio, quam noceat nobis quælibet eius insidians fortitudo. Multæ quidē tribulationes iustorū, sed de omnibus his liberabit eos Dñs. Sit mens serui Dei à mundi fauoribus libera, & nulla mouebūt aduersa. Nostro incumbit proposito nihil amare terrenū, nihil desiderare caducum. Qui verò in mundo nihil amat, hunc nulla tentatio contristat. Pudeat monachum Christianū Philosophis infirmiorem esse gentilium: qui mundum tāto feruore sprenerūt, vt nullis vnq; labefactarētur aduersis. Et illi quidē contēpserunt mundum, vt mundo viderentur sapientes: nos mundum spernimus, vt viuamus in sēpiternū felices. Quod ergo illis natura cōtulit, nobis gratia negabit? Absit. Non.n. est abbreuiata manus Domini, vt nō possit saluare. Semper iuuat gratia naturam, si voluntas bona diligat æquitatem. Curabāt summopere satagentes philosophi, vt a mundi curis fierent alieni. Qui auri massam in maris profundum deposuit, à mundi cupiditate liber euasit. Vitam, si libet, philosophorum reuolute, quātæ fuerint in tribulationibus constantiæ pensate. Nihil in mundo habebāt, & ideò nihil verebantur amittere. Sed quid de mundi sapientibus loquor, cum sancti Apostoli, & nostrę religionis institutores sapientia philosophos viceriint omnes? In quorum persona omnium Apostolorum Princeps ad Dominum dicebat exultans. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Horum tanta in aduersitate constantia, vt irent gaudē-

Monachorū virtus in quo sita sit

Iusto nulla aduersa nocerō queunt.

Matt. 19.

tes

tes à conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati. De his, eorumq; ſimilibus Paulus refert Apoſtolus. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, anguſtiati, afflicti &c. quibus dignus non erat mundus.* Nec ſanctos monachorum patriarchas, Paulum, Antonium, Benedictum, cæterosq; in monaſteriis & ſolitudine morantes tribulationibus caruiſſe putemus, cum tota hominis vita ſit tentatio ſuper terram. Clamat igitur nobis propheta Iſaias dicens. *Vos, qui ablactati eſtis à lacte, qui abſtracti ab vbere, tribulationem ſuper tribulationem expectate, ſpem ſuper ſpem, adhuc puſillum propter malitiam labiorum, propter linguam malignam.* Ablactatis nobis, qui ad ætatem virilem peruenimus, qui armis obedientiæ induti fortiſſima certamina monaſticæ diſciplinæ intrauimus, tribulationem ſuper tribulationem conuenit excipere, vt ſpem cæleſtis repromiſſionis mereamur inuenire. Cum Apoſtolo igitur Paulo per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorẽ IESVM. qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta, atq; in dextera Dei ſedet, qui nobis compatientibus conregnare largiri dignetur. Paucis contentos præſentibus opto in Chriſto valere. Anno Domini 1491. 6. Kalend. Maii.

Iob. 7.
Iſa. 29.
Heb. 12.

EPISTOLA. XXXI.

AD REVERENDVM PATREM ET D. ANTONium Abbatem monaſterii S. Matthiæ Apoſtoli extra muros Treuerenſes ordinis S. Benedicti, De obitu venerabilis P. Iohannis Bracht Prioris eiusdem monaſterii. & de ſtatus ſui mutatione.

FRATER Ioannes Trithemius Abbas monaſterii S. Iacobi in ſuburbano Herbipolenſi, quondam Spanhemenſis, Reuerendo in Chriſto Patri Domino Antonio, Abbati inſignis monaſterii S. Matthiæ apud Treuiros, Patri & amico chariſſimo S. D. P. Veteris amicitiæ caritas me impellit, vt tuæ ſcribam reuerendæ Paternitati, quam non mediocriter ex morte venerabilis memoriæ viri Ioannis Bracht, Prioris quondam integerrimi crediderim eſſe turbatam. neq; ſine cauſa. Fuit enim homo innocentis vitæ, zelum habens rectitudinis & æquitatis, monaſticæ diſciplinę amator, Dei cultor integerrimus, pietatis fidelis & prudens, qui vnicuiq; debitum nouit exhibere honorem. Erat fraternæ caritatis conſeruator & cuſtos ſuper omnes, quos nouerim, ſtudioſus, qui te paſtorem ſuum in maxima, vt par erat, reuerentia habebat, ſubditorumq; tuorum obedientiam, honorem & amorem tuæ paternitati diligentiſſimè ſemper inclinauit. O quam tuto viuit, quam dormit ſecurè Abbas, qui talem à DEO meruit habere Priorem. Qualem ſi habuiſſet pauper ille Trithemius, non prævaluiſſet aduerſus eum inuidia æmulorum, quæ neminem plus læſit, quam ſuos auctores. Ego conſcientiæ teſtimonio, quod DEVM fallere non poteſt, contentus iuxta illud Ouidianum, *Conſcia mens recti famæ mendacia ſpernit*, inuidis locum dedi: nec mea intereſt, quod ſubiungitur. *Sed nos in vitium credula turba ſumus.* Omnipotens DEVS, qui nihil ignorat, ipſe nouit, quam temeratam iniurioſamq; contumeliam ſuſceperim ab æmulis meis: q̃ cum ſummo iudici Deo diſcernendam commiſerim, nolo eam litteris vindicare mordacibus. Redire autem ad monaſterium Spanhemenſe poſt iniurias tantas, non ſolum ab exteris, verum etiam à propriis monachis meis ſuſceptas, qua mente potuiſſem, cum

Ouid. 4. faſt.

cum nulla iam deinceps mihi ad eos fides, nulla confidentia, nulla securitas esse potuisset, quemadmodum & Homerus Achillem introducit dixisse ad Hectorẽ. *Homer. Iliad. 10.*

Ὡς οὐκ ἔστι λέουσι καὶ ἀνδράσιν ὅρκια πιστὰ
οὐδὲ λύκοι τε καὶ ἄρνες ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσιν
ἀλλὰ κακὰ φρονέουσι διαμπερὲς ἀλλήλοισιν,
Ὡς οὐκ ἔστ' ἐμὲ, καὶ σε φιλησέμεναι,

Sicut non est leonibus & vrsis cõcordia firma: neq; lupi & oues vnanimes esse queunt, sed mala vtrinq; meditãtur adinuicẽ, sic non erit me & te alterutrũ amari amplius. Tutius ergo mihi visum homines nimium ingratos suo dimittere consilio, quàm cum eis discordia & suspicioſa inquietudine conuersari. Nec enim sine exemplo præcedentium Patrum hæc feci. Nã & sanctissimus Pater noster Benedictus improborum Abbatia monachorum dimissa cõmigrauit ad eremum. Rabanus quoque Maurus, Abbas Fuldensis improbitate suorum prouocatus monachorum relictis illis cum monasterio suo ipse ad Ludouicum Imperatorem Pium se contulit, & elapso biẽnio post mortem Otgarii Moguntinorum Archiepiscopi in eius locum successit. Benno primus ex monacho Corbeiensis cœnobii Abbas monasterii Gossec, quod nunc est sub vnione Capituli annalis in diœcesi Noueburgensis ciuitatis fratrum suorum iniuria commotus, & mihi per omnia similia passus Abbatiam deseruit, postea Misnensis Ecclesiæ Præsul ordinatus, viuus & mortuus vsq; in præsentem diem stupendis miraculis coruscauit. Orthmarus Abbas S. Galli, quæ & quanta passus fuerit à monachis suis liber vitæ & miraculorum eius clarius manifestat. Nonnè & Rhegino Abbas quondam Prumiensis, vir certè doctissimus, qui multa scripsit præclara ingenii sui Opuscula ad Rathbodum Archiepiscopum Treuirorum, Adalberonem quoq; Episcopum Metẽsem, & plærosq; alios, nonne inquam & ipse malitia monachorũ suorum Abbatiam resignauit, sicut in vltimo Chronicorum suorum libro conqueritur? Radbertus etiam Corbeiensis Abbas vir multæ eruditionis, & magnæ suo tempore opinionis & famæ, qui & ipse multa scripsit, Abbatiam iniuria suorum prouocatus dimisit, & ad monasterium S. Bercharii, vt in epistola testatur quadam, transmigrauit. Sed frustra conor singulos recensere Ordinis nostri quondam Abbates, q̃ monachorum suorum iniuriis & contumeliis agitati sua cœnobia reliquerunt, quorum tantus est numerus, vt comprehendi epistolarum angustia minimè queat. Horum ego exemplo Patrũ, qui & ipse à meis grauissimas, & quas non merui contumelias accepi, præter spem, vt tua nouit paternitas, rebelles ingratosq; monachos spontanea voluntate dimisi non sine deliberatione multa, eamq; Abbatiã, in qua nunc dego, pauperculam, sed quietam, meisq; studiis conuenientem, cum mihi à Domino reuerendissimo Herbipolensiũ Præsule offerretur, accepi, malens inter paucos habere pacem, quam cum multis fugem Deo & saluti aduersam contentionem. Diuini prouidentiam consilii, vt Christianus & monachus fidelis libens ꝑ viribus sequi in omnibus statui, & postea quam suæ placuit incommutabili voluntati, vt seruum pauperem & indignum æmulorum tentaret iniuriis, me totum suæ commisi ineffabili maiestati. Scio enim, & certus sum, quod patientiam timentium se non despiciet in finem, dabitq; cum tentatione prouentum, vt possimus sustinere. Confido etiam, quod iniuriarum confictæ & ementitæ suo tempore venient in lucem causæ, vt sciãt homines, quã iniustè me fuerint æmuli persecuti. Si quo minus, veniet vna dies, qua iudicabit abscondita cordium Deus, vbi vnusquisq; operum suorum mercedẽ accipiet. Ibi nihil operabitur inuidia, ibi veritas omnia producet in lucem, cum hic sustinuisse pro Deo patiẽter iniurias ibi declarabitur glorioſũ, sancto dicente Chrysostomo. *Quicquid a quolibet homine passi fuerimus iniustè, aut remissionẽ pro eo accipiemus omnium peccatorum, aut si tanta delicta in nobis non fuerint, clarioribus honorabimur coronis.* Et quis nouit consilium Dei, vt iniurias illatas sibi possit veraciter credere malas forsitan, imò sperandum, sicut Poëta dicit. *Vtilis interdum est ipsis iniuria passis.*

S. Benedictus.

Rabanus.

S. Benno.

S. Othmarus.

Rhegino.

Radbertus.

Abbatia S. Iacobi Herbipol.

No-

Nouit Dominus, qui sunt eius: quos vtiq; post multas tribulationes oportet intrare in regnũ beatitudinis æternæ. Dominus est, qui humiliat & exaltat. Ipse est, qui vitam moderatur, atq; fortunam, quod sibi placuit, permisit super me. Qui etsi hac parte iniuriam ab hominibus patiar, in multis me tamen contra Dei pietatẽ deliquisse non inficior, cuius nutui omnis creatura subiecta est, cuius miseratione subsistunt vniuersa. Ipsi gloria, laus & honor in sæcula sempiterna, qui me sua benignitate de mari magno inutilium occupationum, quibus in Sphanem per annos ferme quatuor & viginti miseriã expertus magnam iactatus fuerã, eripuit, & tãdem licet per dura & aspera iniuriarum & aduersitatum in portum tranquillitatis reuocauit. Viuo hic mihi, & studio scripturarum ea sorte contentus, quã mihi Dominus IESVS ordinauit. Et vt reuerenda paternitas tua, sicuti eam optare crediderim, rerum mearum non sit ignara, propter eos, qui mendacia circumferre solita vanitate consueuerunt, sciat, quod monasterium & Abbatiam S. Iacobi quondam Scotorum in suburbano Herbipolensi anno præterito, videlicet. M. D. VI. acceptam die mensis Octobris quinta decima, rego. vbi nunc Deo largiente, quamdiu voluerit ipse, viuo in pace tranquillus. Fratres habeo paucos de cœnobio S. Stephani assumptos, ea videlicet ratione, vt crescentibus cum tempore monasterii rebus numerus etiam augeatur monachorum. Est enim exile cœnobium, & à Scotis quondam depauperatum, sed iam aliquantulum per Dominum nostrum Reuerendissimum, qui loco multum afficitur, instaurarũ: ita, quod ære non grauamur alieno, & sine inopia conuersamur, præbendam habentes in maiori Ecclesia ex prima fundatione Canonicalem, qua non mediocriter sustentamur. Vnde non magna premor temporalium cura, propterea quod præter vini culturam, nulla sit nobis, vel agrorum, vel familiæ tumultuosæ voracitas. Ego verò, quantum ad me pertinet, laudes refero Creatori, q; sua miseratione ita mihi prouidit, quod nullatenus me vellem in Spanhem remansisse. Detractiones & maledicta æmulorũ, quos cũ Cynonotis in Spãhem dimisi, nihil deinceps me mouebũt, quorum sola terra suo tempore ora retũdet. Quid enim aliud contra me, nisi mẽdacia spargunt, & hoc inlocis, quibus me nouerunt procul absentem? Parcat illis omnipotens DEVS, qui me in Marchia Brandenburgensi anno priori ad preces ipsius Principis existẽtem consensu Principis mei Palatini sciebant Spanhemenses, & interrogati à cõpluribus, vbi essem, quo mihi fugæ turpis inurerent notam, se nescire mendaciter respondebant. Rumorem in vulgo disseminabant, quo me alii malè periisse, alii mancipatum vinculis, alii passim aliud in omni prouincia Treuirorum diffamarent. Nouẽ in Marchia mensibus cum Principe terræ permansi, scribens ea quæ ad Chronici pertinebant editionem pro ipsius desiderio. A quo tandem digrediens copiosè remuneratus ad Principem meum fui Budorim reuersus. Nusquam mihi malè successit, nisi in medio meorum, & ab iisdem iniuriatus fui. Et forsitan post proximum Pascha denuo sum iturus in March ã ad complẽdum inchoata, quoniam & Princeps memoratus id postulauit, & Præsul noster consensit. Quid tum dicturi sunt æmuli, si ad eorum notitiam peruenerit? Nunquid non aliquando innocẽtiæ parcent? Ecce pater reuerende, quo me nolentem iniuria rapit. parce ineptiæ. prolixitati precor indulge. Quis diuinare poterit, quantas à Trithemio tuo posthac litteras recepturus sis. Fuerat mihi tua paternitate sub defuncto Pontifice Treuirorum pollicente, olim nescio quæ fiducia reuersionis in patriã, quo ipsam Chronicis & scriptis reddidissem clariorem, sed nunc defuncto Præsule, prçualenteq; inuidia diaboli experior Christi sententiam non posse variari, quia *nemo propheta acceptus in patria sua*. Exteros ornare pro modulo scriptis enixus sum, qui nulli regno, neq; prouinciæ, neq; loco plus debueram, volueramq;, quam patriæ meæ antiquissimæ Mosellanæ, quæ dominam se quondam gloriabatur & caput omnium EVROPÆ nationum. Ita Deo placet, ita vt fiat sum cõtentus. nã fortibus omne solum patria est. Facerẽ nihilominus pro honore Treuirorum, quod possem, nisi longa intercapedine locorum disiungeremur. Vadant ergò sine viribus venti, & nos interea sic viuamus, vt patriam consequamur æternam. Non lateat T. R. P. velim, quod fratrem Gerardũ Baldrium

Olim inculta à Scotis.

Matt. 13.

Pri-

Priorem Lympurgensem ad me de lacu vocaui. Subest rationabilis causa propter Lympurg exustum, cuius Abbati adhuc manet obedientia professus. Nec arbitretur T. P. vel illũ instabilitatis vitio motũ vel me leuitate præbuisse cõsensum: quoniam & ille vir est per omnia integer & bonus, & mihi semper monachorum odiosa fuit vagatio. Quod non verbis tantum, sed rebus quoque possum docere. Quatuor enim hodie supersunt Principes, quorum me quilibet honestissimo stipendio ad dies vitę proposito sibi cupit habere præsentem, quod sicut integritati monasticę tranquillitatis videtur contrarium: ita est & meæ voluntati aduersum, curiis, videlicet, secularium interesse Principum, & pace relicta claustrali actionum tumultibus interesse mundanarum. Elegi enim pauper habitare in domo Domini magis, quam in tabernaculis commorari potentum. Quo autem non dubitet P. T. R. neq; de me, neq; de fratre memorato; ambo enim viuere ad normam D. BENEDICTI cupimus, & quantum dederit Christus vsq; ad mortem in sanctitatis p-posito permanere. A quo nulla huius mũdi aduersitas, vt confido, Trithemium reuocabit, etiamsi vsq; ad Indos æmulorum causante inuidia contingeret trãsmigrate. Vbiq; est Christus. vbiq; gentium in ipso fideliter permanens est in sua patria Christianus. Tuæ autem R. P. gratias habeo immortales, quoniam tribulationibus meis compatiens in vltimo Capitulo Moguntino publicè mihi dixisse laudatus es; si veniret ad me Treuerim Abbas Trithemius, esset mihi carissimus, locum apud me habiturus optimum. Hæc verba Pater tua fuisse dicuntur, quorum nunq; obliuiscetur Trithemius. Amen dico tibi, non inueni tantam caritatem in vnione tota Bursfeldensium. Ero gratus, si potero vnquam, & si nihil possum amplius, nomen tuum litteris meis in astra feram, posteritat q; reddam immortale. Esset mihi, cohabitare tibi, suauissimum, quem virum noui optimum & sapientem, & doctis maximè fauorabilem. In cuius monasterio & quies, & tranquillitas ad magna lucubranda iuuissent ingenium. Vale Pater & amice Trithemio semper venerande, Deum pro me orans. Ex Herbipoli 16. die mensis Nouemb. anno Christianorum. M. D. VI.

Trithemii præsentia expetita Principibus. 4.

Expetit⁹ à Trenerẽ si Abbate

EPISTOLA XXXII.

AD P. EBERHARDVM CAMPIS, CVI CONgratulatur, quod in locum Prioris defuncti sit suffectus. laudat studium S. Scripturarum, &c.

PRATER Ioannes Trithemius Abbas S. Iacobi Herbipolẽsis, quondam Spanhemensis, venerabili, religiosissimoq; Patri D. Eberhardo Campis, Priori S. Matthiæ prope Treuerim, amico suo specialissimo sinceram in Domino caritatem. Audiẽs, Eberharde amãtissime, in locum vita defuncti Prioris te esse suffectum, vehemẽter sum gauisus, quoniam bono bonus, integer integro, & doctus succesisti studioso. Vnde precibus oro altissimum, vt te in sua voluntate dirigat, gratiam in præsenti conferens necessariam, & vitam post fata sempiternam. Abbatem habes prudentẽ, discretũ, & humanissimũ, quẽ te summo post Deũ oporteat honore venerari. Vicarius. n. Christi est & vir talis, q; meritò sit honorandus, q; manũ te suã, vt nosti, dexteram constituit, & in comministrum suũ super dominicas oues sublimauit. Reqrit itaq; tui necessitas officii, vt Abbatem tuũ Christi puri venereris honore & amore: fratres quoq; vt suũ non contristent murmurando pastorem, verbis cohortari & exemplo. Et quia virum te scio diuinarum scripturarum studiosum & doctum, peramplius tibi congaudeo, quod in eo factus es loco Prior, in quo & librorum copia est maxima, & omnia quæ optare possit, studioso ad manũ sint opportuna. Ipse deniq; Dominus tuus Abbas virorũ

nostræ vnionis omnium certè optimus, q̃ viros studiosos & eruditos magno semper veneratur affectu non solum à studio sancto neminem suorum prohibet, quod multi nostrorum faciunt Abbates, sed animat potius ad scientiam salutarem: & quantò profecerint amplius, tanto magis in eorum profectibus lætatur. O ter quaterq; felices monachi, qui talem habere, & cognoscere meruere pastorẽ. Tuam itaque fraternitatem mihi verè carissimam, qua possum sedulitate rogo, vt q̃ locum ingenio tuo inueneris per omnia conuenientem, studium nunquam intermittas scripturarum. Scio enim probè S. dixisse Hieronymum *Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis.* Et quidam alius in carmine dixit. Nil homini melius, quam si diuina legendo, Figat ibi mentem, quo sibi vita venit. Iterumq; Hieronymus *Nostræ*, inquit, *diuitiæ sunt in lege Domini meditari die ac nocte. pulsare ianuam. & seculi fructus, præeunte Domino, calcare.* Qui l enim eruditione melius, quid suauius disciplina? quid dulcius Domino? sit autem nobis conuiuium Christus. Quid enim potest esse vita sine scientia scripturarum, per quam ipse Christus agnoscitur? Qui cibi, quæ mella sunt dulciora, q̃ Dei scire prudentiam qui nunquã solus? *Discamus ergò in terris, quorum scientia nobiscum perseueret* in cælis. Habet enim scientia scripturarum, quicquid optare possumus ad eruditionem vtilitatis animæ. Est ibi pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honestas. Gaudia lætitię dulcissima, vita perennis. Gloria, laus, requies, amor & concordia dulcis. Quid putas, amice, vt de me interea loquar, accidisset in transacta persecutione Trithemio, si studium scripturarum à principio non amasset? Vbi credis, hodie esset, deserentibus eum cunctis in tribulatione amicis? prævaluit inuidia æmulorum aduersum innocentem, quod ille nouit, qui nihil ignorat, q̃ mihi data est occasio deserendi voluntariè ingratos. Dimisi Abbatiã propter iniurias mihi illatas factam nimis exosam. Nemo me compulit, sed nec impellere quis potuit. Istam assumpsi, in qua nunc viuo mihi à præsule oblatam fratrum consensu quietam atq; tranquillam, in qua mihi vaco & studio scripturarum. Non dẽsunt Principes, qui mihi copiosè prouiderent ad vitam, si vellem extra monasterium conuersari. Studio scripturarum causam præbente cum sereniſſimo Principe Marchione Brandenburgensi nouem anno priore mensibus fui, qui me & tunc libenter retinuisset ad vitam, hodieq; recipere: à quo auro, argentoq;, lapidibusquè pretiosis & vestibus gratioſè remuneratus regressus sum. Experior nunc, quod scientia scripturarum non solum tutam facit animam, sed & corpori omnia necessaria copioſè procurat. Vnde me non pœnitet litteris operam nauasse bonis: quanquã propterea multis ab æmulis iniurias susceperim. Omnipotens Deus, q̃ nouit abscondita cordium, ipse reddet vnicuiq; iuxta opera sua, qui est benedictus in secula, quoniam hanc iniquam æmulorum contumeliam, quam mihi nõ merenti fecerũt, mihi ad animæ simul & corporis profectum conuertit. Multo enim melius hic mihi est, quam in Spanhem fuerit vnquam: vsq; adeò, vt mihi summè placeat hæc mutatio, nec vellem illic mãsisse. Maledicentia prauorum hominum quam mihi æmuli mei nimis iniurioſè suscitarunt, quia prohibere nequeo, Domino commisi, conscientię testimonio confisus propriæ. Mentiantur illi, quantum volunt. ego in Domino confido, qui cum tempore omnia dabit in lucem. Rogo te, amice, vt Deum ores pro me, sciens te vicem à me recepturum possibilẽ. Vellem, quod Opusculum tuum de Conceptione in lucẽ ederes, mihiq; trãsmitteres imprimendum. Habeo enim hic peritum in arte Chalcographum ad manum, qui propediem lucubrationis meæ aliqua publicabit synthemata. Scripsi annq; transacto Nepiachum rerum mearum, librum vnũ, De laudibus sancti Ioseph Christi nutritii librum vnum. Epistolarum familiarium mearum ad diuersos, libros duos. tum ad vnum Principem Polygraphiæ libros sex. & quædam alia, quæ suo tempore in lucem venient. Christus Iesus te custodiat. Vale mei memor in bonum, vt soles. Ex Herbipoli 16. die mensis Nouemb. anno Christianorum M. D. VII.

Hier. ep. 4. ad Rustic.

Hier. ep 103. ad Paulin.

Marchio Brandeburgicus Trithemio addictus.

Libri à Trithemio scripti.

EPI.

EPISTOLA XXXIII.

DE CONCEPTIONE IMMACVLATÆ VIRGINIS matris Domini nostri IESV CHRISTI.

IOANNES TRITHEMIVS Abbas Spanhemensis Lectori salutem. Cum nuper ad amicorum instantiam scribere aliqd de laudib⁹ sanctissimæ matris ANNÆ statuissem, Patres quidã de ordine fratrum Mariæ semper Virginis de mõte Carmeli rogabant, ne defensionẽ purissimæ conceptionis Mariæ Virginis omitterem. Itaque precibus eorum, & alioquin iusta ratione persuasus septimum eiusdem operis capitulum de conceptione Dei parentis & Virginis prænotaui. quod, ne quisquam aliter quam mea habet intentio, suscipiat, lectorem puraui admonendum. Noui enim, nec me fugit quã multi sanctissimi atq; doctissimi viri olim DEI genetricem subiacuisse originali maculæ scripserint, qui longè ante Basileense Cõcilium claruerunt. Horum ego sententiam tempori concedens penitus intactam pertranseo, nihilq; omnino contra eos dicere, vel scribere intendo. Enimuerò, si quid à me durius dictum cernitur, non in opinantes aliter quam nos, sed in pertinaces duntaxat referatur; qui sine eruditione garrientes alterius opinionis assertores appellare hæreticos non verentur. Et hoc verba mea insinuant, quæ præsens tempus, non præteritum notant. Quod enim dico. Quid stolidi latrant? quid imperiti murmurant? præsentis temporis est non præteriti: & hodie pertinaces arguit, non antiquitus aliter opinantes. Interrogans verò. Quis eruditus vnquam contrarium scripserit? non de antiquis Patribus infero, sed de his, qui post determinationem Concilii præfati aliter opinantur, intendo. Itaq; solam pertinaciã quorundam imperitorum huius temporis, nõ opinionem eruditorum quorumcunque aliter sentientiũ arguo: quippe qui SIXTI IV. Pontificis maximi declarationem non ignoro. Mihi autẽ visum est à sancta Romana Ecclesia nullatenus abhorrere purissimæ conceptionis fidem, quam illa credit & veneratur; quod hodie multis documenti ostenditur. s Deniq; cum Doctoribus Gymnasiorum, Parisiẽsis, Colonien sis, Heydelbergensis, Erfordensis, Viennensis, Lipsensis, Tubingensis, Ingolstadiensis, Basileensis, Moguntinensis, aliorumq; multorum, & omnibus pene ordinibus Christiáque fidelibus per vniuersum orbem Christianum diffusis conceptionem Dei genetricis & Virginis MARIÆ puram venerari non timeo: pertinaciã tamen non admitto, sed Romanæ Ecclesiæ obedire in omnib⁹, vt matri reuerẽdissimę omniũ Ecclesiarũ volo. Hæc prę fati capituli mei pura & sincera intentio est, in quo nulli sobriè & sine ptinacia opinãri derogatum existimo. Lector vale ex Spanheym. Anno. M.cccc.xciiii.

EPISTOLA XXXIIII.

AD IOANNEM PIEMONTANVM PRIOREM Lacensem.

IOANNES Trithemius Abbas monasterii S. Iacobi Herbipolensis Ioanni Piemõtano suo Priori Lacẽsi, amico & fratri optimo salutẽ, & perpetuã in Domino charitatem. Quod tibi rarius scripsi amãtissime Pater,

nec tui est factum obliuione, nec mea negligentia prætermissum. magnæ sunt occupationes in re litteraria meæ: & qui litteras certo perferant nobis rarius occurrunt. Addo, quod tibi occupato non minus subuerebatur esse molestus. Sed parce mihi quæso in his quæ præterierũt. quoties dabitur opportunitas insalutatũ te amplius non transibo. Nam vt verum fatear, tuo studio vehementissimè delector, & plus quam dicere queam te diligo semper & dilexi. Imprimis igitur obseruandissimæ charitati tuæ gratias habeo ingentes, agoq; quantas & debeo & possum, sed enim relaturum pro viribus me omni tempore polliceor prõ tua in me dilectione, beneuolentia & caritate; qppe qui non solum verbis, sed quod amplioris est pietatis signum, etiam scriptis elegantissimis atq; libellis Trithemium tui amãtissimum ab iniuriis melantianorũ nunquam vendicare desistis. Nãetsi Trithemium supra quam meruit laudibus prosequaris, mutus tamen vel ingratus apparere non debeo, propterea q; laudator amicus es integerrimus, & ego, vt mihi videtur, non minus supra demeritum contumelias expertus sum ęmulorum. Quid tibi retribuam castissime laudator meus, aut in quo vigilias & labores tuos compẽsare potero? Ecce me tibi ad votum semp spontanea voluntate polliceor. Si quid tibi in me cõducere potest, sum tuus: tua vt vis vtere portione. Deinceps, vt litteris respondeam tuis, te scire volo, quod isto ãño toto sũ occupatus, in editione Chronicorum, sine historiarũ monasterii Hirsaugiensis. Opus est magnum, & per annos ferme septingentos à fundatione prima vsq; in hæc tempora continuandũ. Etenim primam editionem mancam olim dimissam, iterũ à principio promissione remunerationis accepta nup inchoaui, eritq; necesse continuare in finẽ. Hinc fit, q; commẽtarios in regulam, sicut propo suerã, aggredi animo tuo haud potero. Exhortationũ ad monachos in Spãhem olim duos compleui libros homilias plures continentes, qui quidem ad plenum sunt editi, sed nec in lucẽ diuulgati. Si potero, copiam eorum ad te suo tempore mittam, cum rescripti fuerint. Ad τὴν πρόεσιν σοῦ τῶν γραμματέων τῶν ἐκκλησιαστικῶν plures quidem me inuenire posse crediderim, si mihi tempus non esset inquirẽdi ademptum. Curabo tamẽ quamprimum nuncium ad te habuero certum, vt tuo te desiderio sentias non frustratum. Titulos συνθημάτων σοῦ καὶ τῶ φιλτάτω Ιακώβου animo suscepi gratissimo, & nihil plus cupio abs te, quã ipsas lucubrationes vestras habere omnes, & legere, & communicare amicis. Crede mihi precor, quoniam non solũ me delectat eruditio vestra, sed multos in Francia nostra mecum, qui synthemata vestra legere quam maximè concupiscunt. Perge quæso viam lætus, tuq; Iacobus q; tu⁹, immo & meus, & studio sanctarum insiste scripturarum, quarum eruditio vos & in hac vita posteritati memorabiles, & in æterna felicitate sine dubio faciet locupletes. Non frangat vos inuidia blateronum, nec reuocet animos vestros à cœpto pietatis studio vel ignorãtia, vel detractio petronum, qui spiritu contempto sapientiæ cælestis in carnis corruptione ambulant, & nihil de scientia scripturarum Dei curant. Vtinam alter vestrum mecum esset ad tempus, quo plenioręcę linguæ hauriret notitiam. Video enim, q; necessariis adhuc præceptoribus huius disciplinæ plurimum indigetis: q̃ libẽs communicarem id totum quantulumcunq; est, quod didici. Desunt mihi necessarii ad multa scriptores idonei. Quo fit, vt amicitiæ legibus necdum satisfacere queam, qbus me & astrictum & voluntarium confiteor vobis communicandi omnia, quæ vel scripsi vnquam, vel scripturus sum. Curabo tamen, quamprimum mihi licuerit, vos aliquarum lucubrationum mearũ efficere participes. Age & tu precor curato, quatenus si non omnia saltem plura operum tuorum consequi possim. Vale, & ora pro me ad Dominum Deum. Ex cænobio meo Herbipolensi 21. die mensis Octobris, anno Christianorum M.D.IX.

Chronicon Hirsaug. completur.

EPI

EPISTOLA XXXV.

AD F. WOLFGANGVM TREFLER AVGVSTANum monachum Benedictinum in monte S. Iacobi iuxta Moguntiam degentem.

IOANNES Trithemius Abbas Sancti IACOBI PEAPOLITANVS optimo fratri Lupābulo Treflerio Augustēsi cœnobitæ Moguntino salutem & charitatem. Multa sunt ingenia clausträlium, quibus vigorem natura contulit magnum discendi, quicquid scibile hominibus occurrit. Cur ergò tam pauci ne dicam pauciſſimi noſtra in religione hodie ſunt monachi, quibus aut ſtudium litterārum placeat, aut doctos euadere cōtingat? Verecundor nimium, & in ipſo cordis mei ſecreto vehementer contriſtor, quoties inter monachos noſtræ tempeſtatis, & illos, qui nos ante ſexcentos annos in vna religione præceſſerunt, facio comparationem. Illi fuerunt in obſeruātia regularis diſciplinæ feruentiſſimi, nos deſides, pigri & acedioſi, illi doctiſſimi, nos penitus ignari.

Illi orationibus continuè vacabant, & ſtudio ſcripturarū, nos otio vacamus, & illecebris voluptatum. Illi propter vitę integritatem, & omnimodam eruditionem, regibus, Epiſcopis atq; Principibus erant gratiſſimi: nos verò propter ignauiam noſtram ſumus etiam ruſticis deſpecti. Illi propter ſanctitatis meritum, & cęleſtis fructū doctrinæ ditabantur à Chriſti fidelibus, nos propter vanitatem & ignorātiam noſtram ſpoliamur, irridemur, & contemnimur ab vniuerſis. Vnde proueniant iſta, ſi neſcis, Monachus cauſam præſtat & Abbas. *Schlim Schlem quærit ſibi ſimilem.* Satis dixi, Plura tibi ſcribere volui vt papyrus lineata teſtatur, ſed cauſis obrutus multis non potui. Parce, Bauariæ Ducum Chronicon Melancius penes me maneat iuſſit. Reſcriptum verò ad te citius remittam. Interea ἀνέχου καὶ ἀπέχου. Et vale. quia pluribus non potui hac vice. Ex meo cœnobio, quinta Maii. Anno Chriſtianorum. M. c c c c c xiiii.

EPISTOLA XXXVI.

AD IACOBVM SYBERTI MONACHVM Lacenſem.

IOANNES Trithemius Abbas monaſterii S. Iacobi in ſuburbio Peapolitano, fratri cariſſimo Iacobo Syberti de monaſterio monogalliæ Lacenſi monacho ſalutem & caritatem. Frater Gerardus Boldvvin Prior Lympurgenſis, homo integer, & tui amantiſſimus nobis litteras tuas eruditione plenas ſexta die menſis Nouembris tranſacti proximè tradidit, in quibus & animi erga nos tui affectum cognouimus integrum, & ingenium mentis docile ad omnem ſciētiam ſcripturarum. Quod nos amas, non ſumus ingrati: ſed

vicē tibi amoris, qua possumus dignatione rependimus, & opportunitate cōcessa pro viribus indubitāter referemus. Quod verò ingenium litteris commodasti, & laudamus vehementer, & mirum in modum congaudemus. Perge frater, quo cępisti, hortamur, & mentem cæleſtibus accommoda disciplinis: sitq; desiderium tuum omni tempore in contemplatione scripturarum, quibus ad mentem cognitionem diuinitatis veraciter queas erigere, & præsentis exilii tenebras feliciter superare. Magnus est thesaurus ingenium docile, cui nullæ huius mundi diuitiæ poterunt comparari: quoniam ipso & nos cognoscimus, & diuinæ sapientiæ participamus. Prorsus ergo iniquum est nobiliora ingenia studiis dehonestari vilioribus, & eos, quos ardua & grauiora præstolantur officia, voluptatis & vanitatis occupationibus agitari. Iterū ergo, atq; iterū te frater hortamur, vt animum studio totū accommodes scripturarum, sciasquè certissimè, quod fructum tibi dabit eruditio sancta copiosum. Menandri versiculorum nūquam obliuiscare, dicentis.

Καλὸν δὲ γέροντι μανθάνειν σφόδρα.
Τιμὴ πέφηκε πᾶσι παιδεία βροτοῖς.
Ο γράμματ' εἰδὼς, κἀγὰ περισσὸν νοῦν ἔχει.
Ο σοφὸς ἐν ἑαυτῷ περιφερεῖ τὴν οὐσιαν.
Αναφέρεσον κτῆμ' ἐστὶ παιδεία βροτοῖς
Καλλίστατον ἐστι κτῆμα παιδεία βροτοῖς.
Απαντες ἡ παίδευσις ἡμέρους ποιεῖ.

Pulchrum est, inquit, etiam seni discere vehemēter. Honor enim est omnibus eruditio mortalibus. Qui litteras nouit, etiam egregiam mentem habet. Sapiens in seipso circumfert substantiam suam omnem. Inseparabilis enim possessio est eruditio hominibus. Pulcherrima igitur possessio est eruditio mortalibus. Omnes quippe eruditio mansuetos facit. Nam, vt tibi loquar in aurem, non iactantiæ causa meæ, sed ratione institutionis tuæ, quid precor mihi contigisset in ea persecutione, quam aduersum me annis prioribus æmuli suscitarunt, si studio imbutus vel parum non fuissem litterarum? Conspirauerunt in me Cynonoti, vna cū ipsidis quibusdam clauſtralibus meis inuisa contra nos mendacia confingentes cum odiorum longe alia fuerit causa, quā scrutatori mentium Deo iam dudum commisimus. Arbitrabantur nos homines spatici vnius cœnobioli mansioni ad dictos extra Spanhem viuere non posse cum nobis in Christo vbiq; terrarum sit patria, & nos metu iuraturos in eorum verba sperabant.

Quos studio litterarum adiuti pulchra cogitatione tandem exbalistauimus, Abbatiam Spanhemensem dimittentes cum ingratis hominibus suis, non metu æmulorum, sed contemptu, viam nobis ad meliorem studio parante litterarum. Denique, si verum tibi fateamur, vrges magnæ nobis à plærisque principibus dietim offeruntur dignitates, quas amore litterarum omnes refutamus. Magis enim placet nobis quies monastica, quam curiales tumultus negotiorum. Sed multis immorari similibus, ratio nos vetat humilitatis. Te solū rogamus cœpto pergas itinere studiorum: quoniam epistola tua manifestat te ingenio prævalentem; cui nūc breuiter ex ordine duximus respondendum. Ea quæ dudum in regulam diui Principis nostri scripsimus, cum aliis in Spanheim remanserunt. Cogitamus autem, quoniam isthic multi postulant aliam in eandem facere lucubrationem, quæ priorem venustate dictionis aliquantulum excedat, Dominicæ passionis exercitium quamprimum in lucem ediderimus, ad te dabimus perferendum. Scripsi autem in hac Abbatia mea subiecta.

Epistolarum familiarium libros duos. De laudibus diui Ioseph Christi nutritoris, librum vnum. Rosarium quoque officium, & varias orationes. Hodæporicum meum, libros duos. Intelligentiarum libros duos. Polygraphiæ ad Maximilianum regem Romanorum libros octo, opus arcanum, & mirandæ inuentionis, cui simile fuit nusquam. Sub incude iacet opus

dum

duodecim librorum, de Demonibus prænotatum contra omnes ab Ecclesia prohibitas artes, Chronicon, quod olim de Bauariæ Ducibus edidi in manus Palatini Comitis eodem tempore exemplari non retento consignaui. Si quid litterarum ad me dare placet, præsentium lator referet, qui & statum tibi meum latius declarabit. Vale orans pro me. Ex Herbipoli sexto Martii die.

Anno Christianorum
M. D. VIII.

Mea manu raptiss. Io. Trit.

FINIS.

IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEMENSIS LIBER DE VISITATIONE MONACHORVM.

Hoc est,

EPITOME, *seu abbreuiatura recessuum Capitularium Patrum Ordinis D. Benedicti prouinciam Moguntinam & diœcesin Bambergensem à tempore Consilii Constantiensis vsq; ad annum Dominicæ incarnationis M. CCCC. XCIII. celebratorum: nec non modus visitandi monasteria vtriusq; sexus vna cum summario priuilegiorum prouinciæ & diœcesis ac Ordinis præfatorum.*

PRÆFATIO.

DE VISITATIONE MONACHORVM.

CAPVT I.

FRATRES *tuos visitabis si rectè agant.* 1. Regum. 17. In his verbis breuiter innuitur: qualis monasteriorũ visitatio esse debeat. Debet enim ipsa visitatio esse charitatiua, non odiosa. 10. *q.* 2. *cauendum.* Et hoc in illo verbo notatur: *fratres tuos.* Visitator enim vt dignum visitationis suæ fructum faciat, fraternè se & charitatiuè visitandis exhibeat: sciatq; se fratrem visitandorum non Dominum: odio habeat vitia: diligat fratres. 86. *dist. odio:* 23. *q.* 4. *duo.* Et in regula sancti patris Benedicti c. 2. *qualis de. e. ab.* Nam vt visitatio sit fructuosa, charitatiua existat necesse est: charitas enim proprium donũ catholicæ vnitatis & pacis est. 1. *q.* 1. *multæ autem.* Et vbi charitas non est, non potest esse iustitia. 24. *q.* 1. *vbi.* Oportet ergò visitationem fieri ex charitate, sine odio &

crudelitate. *10. q. 3. cauendum.* Secundo, visitatio debet esse examinatoria, visitatoria de vita videlicet & moribus visitandorum. *10. q. 1. episcopum, extra, de statu mo. cap.* Et hoc innuitur in verbo, *visitabis:* quod est, examinabis.

Tertio, visitatio sit discretè deliberatiua: & hoc innuitur cum dicitur, *si rectè agant:* sed de his suis locis opportunè dicetur. Sit ergò visitatio talis, qualis à sanctis Patribus est instituta: & multum fructum afferet. Nam si debitè fiat, ordinis est reformatio, disciplinæ conseruatio, pacis & concordiæ restauratio, & totius honestatis ac pulchritudinis consummatio. Ipsa enim collapsa erigit, dispersa congregat, dissoluta reformat, cõfracta redintegrat, vaga reducit, diuulsa componit, quæ sancta & iusta sunt, opportunè custodit. Ipsa inter caput & membra Abbatem & fratres vnitatem & pacem reformat: & inferiora superioribus reconciliat. Visitatio si zelosè, charitatiuè & discretè fiat, capitulis debitam obedientiam à subiectis exhiberi compellit. Cesset ipsa, & disciplina religionis velociter expirabit. Deniq; si ipsa negligatur, cito Prouinciale Capitulum à suis filiis contemptum patietur. Ipsa est enim, quæ conseruat obedientiam bonorum: & proteruiam contumacium humiliat. Facit enim timere delinquentes: & proficientes charitatis sinu amplectitur. Pauci sunt, qui ex amore obediant: multos timor seruilis à malis coërcet. Et felix necessitas, quæ ad meliora compellit. Nam sicut seta introducit filum sic timor initialis charitatem. *De pœ. dis. 2. §. hæc quæ, ante fi.* Et væ ibi est vbi periit timoratus de terra. *Micheæ 7. 16. q. 7. Et hæc diximus,* post me. Cum itaq; visitatio ad hoc sit instituta, vt animarum per eã lucra quærãtur. *10. q. 3. cauendum:* omnibus visitatoribus solicitè pensandum est, quid ab ipsis requiratur. Et ne à veterum statutis exorbitent, eorum semper formas & exempla studeant imitari. Huius rei gratia præsens visitandi formula de Patrum constitutionibus traducta in hunc, qui sequitur modum comparata est: vt noui visitatores ante oculos debitum ordinẽ sui officii aspicientes, diuersos periculososq; caueãt errores.

CAPVT II.

QVIS HABEAT DEPVTARE MONACHORVM visitatores.

VISITATORES monachorum nostrorum per præfidentes prouincialis Capituli deputandi sunt. vt extra. *de sta. mo. c. in singulis.* Vbi sic dicitur. *Ordinẽtur etiam in eodem capitulo religiosæ ac circumspectæ personæ, quæ singulas abbatias eiusdem regni, seu prouinciæ non solum monachorum, sed etiam monialium secundum formam sibi prosixam vice nostra studeant visitare.* &c. Et in constitutionibus Benedicti 12. c. 2. sic dicitur. *Prouideant etiam qui abbates, quæ & quot, ac quotiens ecclesias cathedrales monachales, monasteria, ac alia loca eiusdem ordinis, seu religionis, debeant vsq; ad ipsum prouinciale capitulum visitare.* Longa etiam consuetudo, quæ cum non sit contraria constitutionibus, pro lege tenẽda est. *11. dis. in his.* Vnde patet, quod autoritas præsidentium habet deputare visitatores, si quando tamen necesse videretur & vtile, possunt consilium capituli eligendis visitatoribus adhibere.

CA-

CAPVT III.

QVALES DEBEANT ESSE VISITATORES.

PORRO Visitatores, vt alios fructuosè visitare possint, eligantur viri eiusdem ordinis religiosi, zelum Dei & animarum secundùm scientiam habentes, vt extra. *de sta. mo. in singulis.* Et in com. *Bene. 12. c. 3.* dicitur. *Visitatores sint idonei, soliciti, & discreti circa visitationis eorum officium exequendum: & cuncta obseruent, quæ in præfata eiusdem concilii, & alia dicti Honorii prædecessoris nostri constitutionibus statuta existere dinoscuntur.* Hæc ibi. Diligentes quoq; esse oportet. *de sta. mo. attendentes. In Cle: de cen. c. romana li. 6.* In cõ. Domini Nicolai de Chu. Cardinalis Legati, quæ incipit. *Cum pridem*, sic dicitur. *In primis itaq; volumus, & sub obtestatione districti examinis extremi iudicii vobis visitatoribus, scilicet, iniungimus: quatenus omni tempore & præcipuè visitationis vestræ, in omni conuersatione, vita, moribus, & disciplina, tam religiosè sanctè, & honestè vos gerere & habere studeatis, vt cæteris per vos visitandis, non tam verbo, quam exemplo totius perfectionis formam præbeatis: procedentes visitationis tempore in habitu decenti, familia, & equitaturis, congrua & honesta, non superflua: vestrum quilibet capellano, & famulo contentus sit cum tribus equis: moderata vobis sufficiat refectio sine murmure.* hæc ille. Oportet autem eos esse mansuetos, non crudeles. *10. q. 3. cauendum.* Ad hoc officium eligendi sunt viri maturi, & in multis experti: non neophyti, magistri antequam discipuli. *16. q. 1. si clericatus: 61. dis. miserum.* Nec tamen dico iuuenes maturos non præferendos senibus dissolutis: cum sapientiæ merito, non ætate dicantur presbyteri, id est, seniores. *84. di. porro:* sed moribus cani in visitatores deputentur, Quæ autem sit ista canicies Iob 28. dicitur. *Ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia.* 26. q. 2. *qui sine.* Et prælati propter honorem etiam senes dicuntur. *21. dis. cleros, post me.* Sit visitator bonis per humilitatem socius: proteruis autem & contemnentibus disciplinam suæ autoritatis seueritatem exhibeat: quia regimini derogatur, si prælati ad subditos nimia humilitas ostenditur. *86. di. quando.* Et hæc tamen seueritas benignitate est temperanda. *45. di. disciplina.* Et *c. sunt.* Deputentur itaque ex Patribus (si fieri potest) semper meliores ad hoc officium: qui sciant & possint necessitatibus & causis consulere singulorum: qui in suis primo faciant, quod conantur in alienis. Sic enim in c. 6. prouinciali patres nostri dixerunt. c. 5. Visitatores à sacro prouinciali capitulo ordinati primo, & ante omnia se & sua monasteria sibiq; subiectos visitent ac reforment: ne cum ad aliorum reformationem oculos dirigunt, infirmi submurmurent, & dicant. *medice cura teipsum. Lucæ 4.* Primo igitur à semetipsis incipiant: deinde monasteria alia sibi commissa, tam monachorum, quam monialium, ea qua possunt diligentia, visitent atq; reforment. Ad hoc facit, *de cen. romana lib. 6.* Et *3. q. 7. Iudicet.* & duobus capitulis sequentibus. *25. dis. primum 61. dis. in sacerdotibus 83. dis. Nemo recte monitoris personam suscipit, nisi qui actibus suis erreta condemnat: & amorem innocentiæ conuersatione demonstrat.* Hæc ibi. Studeant ergò se visitatores primo visitare, & sic ad aliorum correctionem procedere. Scriptum est enim Iob. 5. *Visitans speciem tuam non peccabis.* Qui enim seipsum negligit, alium emendare non potest: dicente domino Lucæ 6. Si cecus cecum ducat, ambo in foueam cadunt.

CAPVT IIII.

VT VISITATORES ZELVM DEI ET ANIMARUM habeant.

OPORTET deniq; ipsos visitatores secundũ scientiã esse zelosos erga visitãdorũ salutem, vt non negligenter & transeunter officium suum agant: ne cum seruo pigro damnationis sententia tanque inutiles iudicentur. Et zelum habeant pro regulari disciplina, & patrum constitutionibus: scientes se proculdubio ab omnium bonorum largitore pro suis laboribus copiosè remunerandos. Sic agant visitationis sibi commissę officium, ac si omnium, quos visitãt, ad eos cura solum pertineret. Ipse tamẽ eorũ zelus discretus sit: ne si (quod absit) indiscretè, peccantes corrigant, ipsi grauius delictũ incurrant. 24. q. 3. *non in perpetuum.* Et vbi aliqua correctione digna inuenerint, non amore vindictæ, nec ex odio, sed zelo iustitiæ corrigant. 23. q. 4. §. *vltimo.* Et iusti quidem ac sancti peccatoribus non odio, sed zelo disciplinæ indignantur. 45. *dist. vera iustitia.* Nec sint remissi, vbi culpa meruit disciplinam: quia, si culpas delinquentium impunè dimittant, grauiter peccant. 11. q. 3. *si is.* 23. q. 5. *qui vitiis.* Et prælatus, qui crimina non corrigit, non prælatus, sed canis dicitur impudicus. 83. *dist. nemo.* Facientis culpam habet, qui cum possit corrigere, negligit emendare. 86. *dist. culpam:* 83. *dist. error.* Et malos non corrigere, sed fouere, est eos occidere. 23. q. 5. *qui vitis:* 45. *dist. sed illud.* Et charitas non est, sed languor, si mali mores non corriguntur, 23, *non putes,* Et tamen ipsa correctio non debet esse indiscreta, sed iuxta beatum Gregorium in mora, iuste iudicans stateram in manu gestans, in vtroq; penso iustitiam & misericordiam portet. 45. *dist. omnis.* Asperitas enim nimiæ increpationis, nec correctionem recipit, nec salutem. Ibidem. *Cum beatus.* Et c. *disciplina.* Ne igitur zelus indiscretus censeatur, & misericordia, & mansuetudine sit temperatus.

CAPVT V.

VT VISITATORES IN INQVISITIONIBVS sint discreti.

SINT etiam illi, qui in visitatores deputantur, sapienter discreti, diuinis scripturis imbuti, huiusq; negotii, vel in se vel in aliis experti: ne non credenda credant temere, aut impudenter credenda dissimulent. Vtrum que enim malum est. Nam, *qui cito credit leuis est corde. Ecclesia.* 19. Et mala de aliis non cito debemus credere. 86. *dist. si quid.* Et mala de proximo prius sunt probanda, quam credenda. 2. q. 1. *Deus.* Et 3. q. 8. *Iudicet.* 11. q. 3. *in cũctis &c. quamuis.* Scriptum quippe est Ecclesia. 19. *Non omni verbo credas.* 11. q. 4. *non solum.* per guid. At verò nulli credere velle, impudentis hominis est. Et quidem innocẽs semper bene credit, & bene iudicat de aliis. Prouerb. 14. 22 q. 4. *innocens.* Sint itaq; visitatores discreti & prudentes: vt zelum deponentium vitam, & meritum consi-

de-

derantes, scire possint quibus credere debeant. Testes enim ex fide, dignitate, & morum grauitate pensandi sunt. 4. q. 3. §. *Item in testibus.* Et ibidem, per totum. Quantum ergo fieri potest, visitatores deponentium intentiones, motus, & causas diligenter examinare debent: ne forte non ex iusta ratione moueantur. Deniq; patres nostri de hac re ita statuerunt. *Visitatores conuenit esse religionis præcipuè zelatores, moribus maturos & discretos, nec non circa explendum actũ visitationis suæ multum solicitos & circumspectos.* Et subditur post pauca. *Visitatores verò non facilè credant omni spiritui.* 1. Ioannes. 4. nec aliquem ex sola suspitione, aut vnius testis depositione, condẽnent. Manifesta verò accusatione non indigent. 2. q. 1. *quæ Lotarius.* §. *in manifestis.* Et c. sequenti. Eum quoq; non charitatis amatorem, sed fraudulentum iudico, qui causa diffamationis vel vindictæ occultum fratris crimen reuelat. 5. q. 5. *qui ambulat.* 6. q. 1 *summa.* Crimen non solum mortale delictum, sed etiam omne veniale intelligi potest. 25. *di. vnum orarium.* §. *nunc autem.*

In grauibus autem negotiis & famam concernentibus, diligens inquisitio fiat: sed ante iustam probationem, nisi in manifestis, nullus iudicetur vel condemnetur. 30. q. 5. *nullum ante veram.* Et c. *fe.* Et in talibus duo aut tria sunt adducenda testimonia. 2. q. 5. c. 1. & c. *placuit.* Cauti sint igitur visitatores in talibus secretis iudicandis ad vitandum scandalũ, nisi conuictus quis fuerit, aut sponte confessus 2. q. 1. *nos verò quenquam.* & c. *fe. nomẽ presbyteri* & c. *fe* Quod si in probatione accusator defecerit, pœna debet puniri talionis. *extra. de calum.* c. 1. 2. q 3. *calumniator.* & c. *fe* q. 8. *qui crimen:* 3. q. 10. *eos.* & c. *fe.* Cauendum quoq; est, ne ea quæ correcta & punita sunt, denuo retractentur. *extra. de accu. c. de his* & 2. q. 1. *prohibentur.* 23. q. 4. *si illic.* Sic etiam Patres sancti constituerunt. Caueat autem quisq;, ne incipiat ea retractare, quæ fuerant ante digne correcta & emendata: ne quis suggerat incomperta, ne nouis suspicionibus turbet animos fratrum aut patrũ suorum. Insuper, si quæ secreta reuelata ipsis visitatoribus fuerint, caueant ea deducere in publicum. 2. q. 1. *si peccauerit:* 6. q. 2 *episcopus si clerico. c. placuit.* Et de occultis non est nimis curiosè inquirendum. *extra. de accu. qualiter. ij.* De manifestis tamen, vt supra dixi, non est accusationis clamor necessarius. *eo. ti. c. euidentia.* Si quando senserint aliqua non debitè proposita, faciant vt prudentes: &, quantum salua veritate fieri potest, non facilè credant, etsi credẽdum est: ea tamen, quæ quo animo fiant nescitur, in meliorem partem interpretentur: quia potius debemus præsumere bonum, quam malum. *de regu. iuris. c. estote.* Et in talibus deponentis intentio potius est pensanda: quam verba. Nam si quis vera ex mala intentione proponat, opus bonum intentio malum facit. 23. q 5. *cum minister.* Sint visitaotres cauti & præcipuè discreti in examinandis excessibus prælatorum: qui cum aliorum habeant peccata corrigere, frequẽter odium multorum incurrunt: & insidias patiuntur. *extra. de accu. c. qualiter. ij.* In omnibus sic sp agãt, vt charitatis & veritatis formã nõ amittant. Correctio enim debet pro vniuscuiusque gradu, arq; salua pace Ecclesiæ fieri. 23. q. 4. *ecce,* & c. *quisquis. ca quidam. c. cum quisque. c. ipsa pietas. c. quid faciet. circa me.* Item correctio debet fieri animo medendi non sæuiendi. 86. *dis. odio.* 23. q. 4. *ita plane, circa me.* Et non ex odio sed ex charitate. *extra. de accusa. c. qualiter ij.* 24. q. 3. *corripiantur.* Et plus habeat mansuetudinis interdum quam rigoris. 45. *dis. qui sincera.* & c. *licet:* quia leniter castigatus reuerentiam exhibet castiganti. *c. cum beatus Paulus,* 12. q. 2. *fraternitas.* 24. q. 3. *corripiantur.* hæc & alia discretionis (matris virtutum) testimonia, visitatores, vt digne & iustè procedant, non debent omittere.

C Ao

CAPVT VI.

FORMA IVRAMENTI, QVOD VISITATORES olim solebant exhibere Præsidentibus.

SOLEBANT olim præsidentes nedum in Moguntia, sed & in aliis ꝑuinciis à Visitatoribus exigere iuramentum super officio suo diligenter implendo: quod tamẽ nostris temporibus non fit, nec vtile fore iudico, aut necessariũ: quia quem ꝑpriæ conscientiæ, vt diligentiam faciat, stimulus non agitat, vix aut rarò imperio compellitur alieno. Formam tamen iuramenti his inserere volui, vt cum iuramentum legitur, quid faciendum sit, consideretur. Sequitur itaq; forma talis iuramẽti, quam in antiquis libris repperi.

Ego frater N. abbas talis monasterii à reuerendis in Christo Patribus Dominis præsidẽtibus capituli prouincialis nuper in monasterio N. celebrati, in visitatorem N. diœcesis, quo ad nostri ordinis monasteria deputatus, iuro per hæc sancta Dei euangelia: quod officium visitationis mihi iniunctũ fideliter & diligenter ꝑ meis viribus exercebo secundum regulam sancti Benedicti & sanctorum Patrum decreta, amore, odio, fauore, ac quocunq; alio inordinato affectu postpositis: sic me Deus adiuuet, & hæc sancta euangelia. Hoc iuramentum dabant absentes: præsentes verò in capitulo Dominis præsidentibus iurabant. Sed neutrum videtur modo necessarium.

CAPVT VII.

DE POTESTATE ET AVTORITATE VISItatorum.

AVTORITATEM Visitatores habent à sede Apostolica: vt *extra, de sta. mo. c. in singulis*, vbi dicitur. *Ordinentur etiam in eodem capitulo religiosæ ac circumspectæ personæ, quæ singulas abbatias eiusdem regni seu prouinciæ non solũ monachorũ, sed etiam monialium secundum formam sibi præfixam vice nostra studeant visitare.* Vice nostra, inqt, vt dum visitatorum pensatur autoritas, nullus visitandorũ audeat rebellare. Hæc eorum autoritas plenius no. per Abba. *super e. c. 2. c. vlt. de sta. mo.* Est tamẽ limitata eorum potestas, vt *e. c. in singulis*: quia rectorẽ loci non possunt ab officio suo deponere sinè speciali mandato. Quod si viderint eum omnino amouendum, denuncient Episcopo proprio, vt illum amouere procuret: quod si non fecerit, visitatores hoc referant ad Apostolicæ sedis examen. Exempti autem immediatè Domino Papæ sunt denunciandi. Visitatores etiam monachos per Abbatem loci faciant corrigi, vt ibidem. *c. ea q.* Quos autem contumaces & rebelles inuenerint, iuxta modum culpæ vice Domini Papæ regulari censura percellat absque personarum delectu: non parcendo rebellibus ob suam pertinaciam vel potentiam amicorum, quin ouem morbidam eiiciant ab ouili, ne inficiat sanas oues. Nec à correctione est appellandum. *de offi. ordi. c. licet.* Et de appellatione ad nostram. Et c. *reprehensibilis. & c. cum speciali.* Hoc intellige, nisi cor-

corrigens modum excederet. *23. q. 4. qui peccat.*

Visitatores ergo (iuxta decretum Honorii tertii in *c. ea q̃*) si monachos inuenerint delinquentes, mandent abbatibus locorum, vt corrigant eos: vt in prædicta constitutione his verbis dicitur. *Si verò abbates in corrigendis iuxta visitatorum mandatum & regularia instituta, in seipsis seu monachis inuenti fuerint negligentes: proclamentur & corripiantur: & ita puniantur publicè in capitulo generali, quod pœna ipsorum sit aliis in exemplum.* Et nota, secundum quod ibidem dicitur, visitatio huiusmodi de plano debet fieri, & sine strepitu iudiciorum. *de accu. olim.* quia regulares de facili amouẽtur à suis administrationibus. *de Simo. c. per tuas.* & ideo non est ordo iudiciarius vsq; quaque seruandus in huiusmodi inquisitionibus regularium, *de accu. c. qualiter. ij. & quando in fi.* Et visitatores de statu monasteriorum & obseruantiis regularibus diligenter inquirant: & tam in spiritualibus quam in temporalibus corrigant, & reforment, quæ viderint corrigenda.

Sed quæritur? Vtrum Episcopus loci possit visitare monasteria suæ diœcesis. Respondetur, quod sic: vt. *c. in singulis. §. porro.* Potest eos visitare, sed non debet secum intromittere seculares, vt no. Hosti. *e. ti. in glo.* Visitatio enim, quam faciunt visitatores, non tollit Episcopo iurisdictionem suam, vt in *e. c. no. in singlis.* Consuetudo tamen aliud habet: quia Episcopi etiam vices suas plerunque committunt abbatibus.

Item de visitatorum autoritate Patres in capitulis prouincialibus etiam plura statuerunt. Vnde. c. 1. dicitur. *Visitatores statuta facere possunt pœnas grauiores infligentes constitutione. Ne in agro.* contra monachos inordinatos seu professionis suæ immemores &c. Item c. 6 *§ decretum,* dicitur sic. *Vbi non inuenerint, disciplinas pro reformatione valentes & cerimonias secundum sanctiones canonicas & statuta capituli prouincialis instituant: quas visitati sine aliqua contradictione teneantur obseruare.* Si visitatoribus necessarium visum fuerit, possunt visitandos per corporale iuramentum de dicenda veritate obligare, vt in con. Domini N. Chusle. ca. 3. & de his suo loco dicendum In. c. 15. præcipitur omnibus visitandis, vt visitatores suos cum omni reuerentia & humilitate suscipiant & charitatiuè tractent, eorumquè monita & ordinationes diligenter attendant & obseruent. Habent etiam ipsi visitatores autoritatem maiores pœnas, quam in constitutionibus expressæ sunt, infligendi: & rebelles per censuram ecclesiasticam ad obedientiam suorum mandatorum cogendi.

CAPVT VIII.

DE IMPEDIENTIBVS VISITATIONEM.

SED contingunt aliquando circa visitationes monasteriorum multa impedimenta. Aliquando enim monachi ipsi & abbates has malitiosè impediunt pse: aliquando per Episcopos ordinarios: nonnunquam per Principes: & frequenter per consanguineos, amicos, & fautores suos: quid in his sit faciendum si contingant, ex Patrum statutis manifestare conabor. In c. 15. quod in Selgenstat secũdo fuit celebratum, statutum legimus.

Ne tam salubre visitationis officium quouis quæsito ingenio vel colore impediatur, omnes & singulos Abbates, præpositos, Priores, & Professos, suos visitatores recusantes vel contradicentes, ac ipsos rebelles inobedientes ac visitationis officium nutu, verbo, facto, vel scripto impedientes, aut ab eorum amicis nobilibus vel ignobilibus, seu quibuscunq; sub ordinantes impediri, siue ordinantes, procurantes, vel quouis ingenio per se, vel per alium, aut alios directè vel indirectè facientes, vel attentantes, quominus visitatores suum huiusmodi officium liberè & quietè exercere valeant, excommunicationis sententiam ipso facto incurrere volumus: quam etiam excommunicationis sententiam ipsi visitatores cõtra

eosdem publicare & executioni debitè demandare teneãtur. Quod si visitatores prædicta exequi non potuerint in 21. ca. Nurembergæ quarto celebrato sic statutum est: vt ipsi visitatores inobedientes & contumaces vni præsidentium viciniori denuncient, qui contra eos opportunis iuris remediis autoritate Apostolica procedat. Et c. 23. statutum est hoc quod sequitur, *Districtè quoq; inhibemus, ne quis de cetero per se vel per alios quocunq; modo disponat cum diœcesanis principibus, aut aliis Dominis temporalibus quibuscunque, quominus visitatores admittantur: nec prætendat vllo modo ipsos visitatores non admittendos sine ordinariorum loci licentia, qui non indigent autoritate apostolica directi sub pœna 30. florenorum rhenensium, capitulo irremissibiliter, quotiens aliquis abbatum & aliorum rectorum contrarium fecerit soluendorum.* Verum hæc pœna videtur rectoribus monasteriorum infligẽda, non sublata prædicta, quin per ecclesiasticam censuram ad obedientiam sint compellendi.

CAPVT IX.

SI EPISCOPVS VOLVERIT NOBISCVM VISItare, vtrum sit admittendus.

SOLET interdum euenire, quod Episcopi ordinarii locorum nobiscum visitare monasteria volunt: qui an sint sic admittendi, vel non, sæpe dubitatur.

Ad hanc scrupulositatem decidẽdam considerari oportet: quod motus Episcoporum ad visitandum monasteria cum visitatoribus ordinis, duas, ex quibus oritur, habet rationes. Aut hoc faciunt zelo disciplinæ: aut machinatione malitiæ. Si prima ratione, si notus est zelus eorum, & tanta fuerit necessitas monasterii visitandi, possunt admitti: sed non nisi in propria persona: quia seculares visitationi, nisi valde necesse sit, omnino non debent interesse, vt supra dictum est. Et ipsi Episcopi, non de iure, sed de beneplacito sic admitterentur. Ipsi enim alio tempore, si vellent, possent visitare: & monasteria cogerentur eos admittere secundum omnes Iuristas. Si autem malitiosè ad impediendam visitationem se ingererent: non esset cum eis visitandum, propter multiplices rationes, quas hic non est opus enumiterare. Et quid in hac ambiguate sentiendum sit (vt breuiter scirí possit) placuit inferere huic notabili, quod dicit Ber. super *c. in singulis*, in glo. lineali. superverbo, *vice nostra.*

CAPVT X.

VERBA BER. SVPER. C. IN SINGVLIS IN glo. an visitatio abbatum deroget iurisdictioni Episcoporum.

VICE nostra tanquam delegati autoritate huius constitutionis de offi. ordi. irrefragabili. Nunquid per hoc fit præiudicium Episcopo loci? Vi-

Videtur quod non: per hoc quod dicit in principio. *saluo iure.* &c. Vnde satis potest dici, quod isti tũc demum corrigent, cum episcopus est negligens: quia alias nulla visitatio vel correctio necessaria est, imo grauarentur monasteria ex eorum accessu, & aliorum iurisdictionem vsurparent, cum sua iurisdictio Episcopo nõ seruatur. Vnde ordo Episcoporum confunditur. *11.q.1. peruenit.* Videtur enim, quod si esset episcopus negligens, q̃ primo debeat admoneri. *ar. de offi. ordi. quanto. & 9.q.3. nunc verò.* Sed verius videtur, quod sine aliqua admonitione possint visitare: & qa melius sciant hoc quam Episcopi: nec Episcopo fit prejudicium, quia si inueniant aliquem amouendum, denunciant Episcopo, vt illum amoueat: & ita saluo iure episcopi hoc officium exercent. Tamen si Episcopus vellet visitare locum, ipsi præponerentur Episcopo: quia videretur quod episcopus hoc faceret malitiosè causa impediendi eos. Monasteria non exempta sine aliqua distinctione visitabunt. inf. c. proxi. Immo non obstante visitatione Episcoporum, ipsi exercent officium suum vt dicitur inferius *eo.c.* §. *Porro.*

Hæc Bern. in glo. super. c. dicto. & super verbo. *visitatores.* Hic patet, inquit, quod visitatores isti possunt visitare, etiam si Episcopi non fuerint negligentes.

CAPVT II.

QVAMDIV DVRARE DEBEAT VISITATIO, & quoties fieri.

TEMPVS visitandi à præsidentibus ipsis visitatoribus præfigendum est: vt in consti. Bene. 12. c. 2. dicitur. Inuenimus tamen in antiquioribus Patrum statutis præceptum, vt infra annum à tempore celebrati capituli visitationis suæ impleant visitationis officium. Episcoporum autem est singulis annis visitare. 10. *q. 1. relata. & c. decreuimus.* De tempore visitationis in c. 7. Bambergæ celebrato sic statutum est. *Visitatores infra annum officium visitationis eis inũctum fideliter compleant.* Hæc ibi. Et quotiens debet fieri visitatio? Videtur quod omni anno. vt *extra. de sta. mo. attendentes, in Cle.* Super quo Fran. de zabar. facit quæstionem hanc in forma.

Quæro, inquit, in eo quod dicit visitationem faciendam singulis annis, an sufficit quod fiat in fine primi anni & in principio secundi? glo. an. sufficiat remittit ad no. e. ti. in singulis; vbi concluditur quod non: quia sic posset deferri in casu. c. in singulis. vsq; ad sex annos in præiudicium monasterii: nec sufficeret iuri volenti q̃ fieret de triẽnio in triennĩ. Hoc idem Steph. qa visitatio fit propter commissa corrigenda non propter committenda. Si ergo prima fuit sufficiens, secunda non habebit, quod corrigat. Idem Pau. quia si in fine primi anni, & in principio secundi hoc fieret, non esset annus inter primam & secundam sed biennium. Vnde videtur, quod debeant æqualiter distare. ar. de consang. quod dilectio: vt putat Pau. Hoc præcisè verum, quo ad c. in singulis: quia littera ibi dicit, quod de triennio in triennium. Hæc Fran. Zabar. in dicto c. Ex his videtur dicendum, quod visitatio debet correspondere capitulo: vt quotiens capitulum, totiens etiam celebretur visitatio. Hoc etiam in consuetudine habemus, vt regulariter de triennio in triennium visitemus. Hoc autem *c. attendentes.* moniales videtur tantum concernere: quas Episcopi non minus visitare iubentur.

An visitatio possit iterari? Respondendum quod sic, si causa subest rationabilis. De hoc in c. XVII. Nurenbergę tertio celebrato Patres sic decreuerunt. *Statuimus, vt visitatores postquam monasterium aliliquod semel visitauerint, & procurationem ab eodẽ receperint: si pro vberiori disciplinæ regula-*

ris obseruantiæ iudicauerint expedire, iterato & totiens quotiens eis visum fuerit vtile, autoritate capituli visitationis officium possunt exercere: qui etiam vt veri visitatores sine tamen exactione procurationis sunt recipiendi. Hoc idem dicit Fran. de zabarel in dicto c. *attendentes.* 10. q. quod totiens sit visitandum quotiens opus fuerit. Ex his omnibus concludo, quod visitatio in primo anno debet impleri à tempore celebrati capituli, & totiens potest iterari, quotiens opus fuerit: sed non debet nisi in triennio recipi procuratio.

CAPVT XII.

QVOMODO VISITATORES SINT RECIPIENDI, & tractandi in monasteriis

CVM ergo visitatores ad aliquod monasterium visitationis causa accesserint, cum debita reuerentia & honore suscipiantur, & ducantur ad orationem, si non sint vicini, & frequenter suscepti: lauenturq; eorum pedes & charitatiuè tractentur. In locis conuentualibus cedat Abbas domus, & cognoscat eos sibi superiores: & qui nouit se aliis præpositum, non molestè ferat si alios sibi habeat prælatos. 2. q. 6. *qui scit.* Ipse tamen Abbas more suo det legentibus benedictionē in omni loco, non visitatores. Hoc enim in plurib⁹ capitulis statutum est, vt cum omni honore & reuerentia visitatores suscipiantur & charitatiuè (vt decet) in omnibus tractentur.

CAPVT XIII.

CVM QVOT EQVIS VISITATORES DEbeant venire.

IN duobus primis capitulis fuit statutum, quod nullus visitatorum vltra duodecim equitaturas secum adducere auderet sub pœna in eisdem contenta: licebat ergo visitatoribus & etiam ad capitulum venientibus. 12. equitaturas adducere secum tempore illo. Deinde in tertio capitulo, quod fuit celebratum in Fulda, statutum erat, ne vltra sex visitator secum duceret equitaturas. Sed Nicolaus Chus. Cardinalis Legatus in forma sua visitandi. (quam visitatoribus tradidit) præcipit vnumquemq; visitatorem capellano, & famulo, cum tribus equis debere esse contentum. Mandatur nihilominus in eisdem constit. domini Nico. Car ipsis visitatoribus, vt decenter se habeant, & famulos honestos, ne sint visitandis onerosi. In ca. 15. in Selgenstat secundo celebrato tale habetur stat. *Ipsi quoq; visitatores honestam familiam & comitiuam habeant: & quius eorum quaterno numero sit contentus, nisi rationabilis causa plures exposcat.*

CAPVT XIIII.

QVAMDIV DEBEANT VISITATORES IN VNO monasterio remanere.

NE ergo visitatores visitandis fiant expensis onerosi, quantocyus poterunt, se studeant expedire: & sicut patres statuerunt, vltra tres aut quatuor dies in vno loco à se visitato moram non faciant absque euidenti necessitate. Si autem talia occurrerint, quę latioris temporis moras expostulent, taliter se studeant expedire, vt non se, sed Deum & visitandorum pacem in omnibus quærere comprobentur. Auisent autem visitatores seruos suos, vt honeste, aut sine murmuratione se gerant in omnibus.

CAPVT XV.

VISITANDI RES ET EQVOS VISITATORVM diligenter custodire tenentur.

CVM soleant interdum apud eos maximè, qui oderunt corripientem in porta, subordinātibus maleuolis, vel nequā insidiantibus fraudes & doli contingere cōtra ipsos visitatores: ne malitiosi de sua improbitate commodum reportarent, Patres in ca. v. in Herbipoli primo celebrato sic statuerunt. *Decreuit & statuit hoc sacrum capitulum quod cum visitatores visitandi gratia ad monasterium aliquod venerint, abbas & conuentus monasterii illius equos & res visitatorum summa diligentia custodiri faciant. Quod si aliquid de bonis, aut rebus ipsorū perdi vel subtrahi contingeret, ante omnia abbas & conuentus illius cœnobii sine contradictione aliqua valorem bonorum, aut rerū perditarum ipsis visitatoribus soluant indilatè. Et nihilominus talis negligentia in capitulo ad arbitrtū præsidentium puniatur.* Hoc etiam in aliis capitulis sæpe statutum postea fuit.

CAPVT XVI.

DE POENA VISITATORVM NEGLIGENTIVM visitare tempore debito.

CVM sanctę religionis & obseruantiæ regularis incrementum ex crebris & diligenter factis visitationibus non modicè oriatur: ne tam salubre Patrum institutum ex negligentium visitatorum torpore annihilaretur (quoniam vbi gubernaculum disciplinæ contemnitur, restat, vt religio naufragetur. *de sta. mo. attendentes in Cle*) patres in omnibus fere capitulis hactenus celebratis visitatoribus pœnas, si officium suum negligerent, indixerunt. Et primo quidem in con. Bñ. xii c. 3. de visitatoribus, sic dicitur. *Quod si visitatores ipsi officium suum exequi neglexerint: eos pœnas incurrere volumus ipso facto,*

quas incurrunt hi, qui non veniunt ad capitulum prouinciale præpeditionem canonicam non habentes. Et in c. 4. & 5. & quibusdam aliis sic statutum est. *Decreuit insuper hoc sacrum capitulum, vt deputati ad visitandum, si neglexerint tempus statutum illis scilicet infra annum: soluant pœnam, sicut qui negligunt venire ad capitulum, videlicet. xxx. florenos rhenenses. salua moderatione & iusta æstimatione ad arbitriũ Præsidentium in capitulo prouinciali.* Et in c. 19. Bambergę secũdo celebrato statutũ est, vt omnes visitatores, qui suas visitationes prout eis iniunctũ fuerit, non adimpleuerint: propter quodlibet monasterium non visitatum, teneantur pro pœna tres florenos capitulo persoluere, præsertim de monasteriis virorum, nisi causam se excusantem legitimam habuerint. Hoc idem in c. xx. & in c. xxi. statutũ similiter fuit. Prȩter hæc tamen, Præsidẽtes, si quando eis necessarium videtur, alias quoq; pœnas infligere possunt. De his etiam constit. Honorii tertii. *extra. de sta. mo. c.* eaq; sic loquitur.

Sequentes autem visitatores perquirant priorum visitatorum vestigia diligenter: & eorum negligentias & excessus referant sequenti capitulo generali, vt iuxta culpam publicè debitam pœnam reportent.

CAPVT XVII.

QVOD SI CONTIGERIT VISITATORES IN via sui officii spoliari.

DENIQVE si (quod absit) visitatores huiusmodi dum vadũt suum adimplere officium, contigerit spoliari in via, seu damnificari: capitulũ prouinciale de huiusmodi damno satisfaciet vt dignũ est, sicut statutum fuit in quinto c. in Herbipoli celebrato.

CAPVT XVIII.

CVM VISITATORES PRIMVM AD ALIQVOD monasterium visitandum venerint, quomodo inchoent.

TEGITVR visitatores cum ad visitandum aliquod monasteriũ accesserint, si fieri potest, eodẽ ipso conuocent Abbatem & conuentum, monachos, & conuersos professos ad locum capitularem, aut altero mane hora, qua statuerint opportunum: quibus congregatis accedãt & ipsi. Et cum sederint omnes, vnus visitatorum dicat. Benedicite.

QVIBVS RESPONDENTIBVS, *DOMINVS*, HÆC vel similia subiungat.

VENERABILIS Pater & in Christo Religiosi fratres dilecti. Si vltimi capituli. N. celebrati recessum legistis, intellexistis vtiq; nos (licet insufficientes) vobis deputatos in visitatores: quod si nõ legistis recessum, nihilominus parati sumus nobis iniũctum adimplere officiũ. Igitur hac de causa aduenimus, vt præceptis capituli secundum possibilitatem nostram obedientes vos visitemus.

Et

ET ADDAT.

SCIRE etiam vos non dubitamus, quod in visitationis ordine tria sint principaliter agenda.

Inprimis ipsi visitatores debent se visitandis exhibere in loco capitulari: suamq; autoritatem visitandi insinuare: orationem iuxta morem ordinis, & exhortationem secundum temporis & personarum qualitatem præmittere *de statu mo. attendens in Cle. & in consti. c. prouin. & in cõ. Nic. car.*

Secundo debet fieri diligens visitando rum examinatio: & morum statusq; vtriusq; inquisitio, *10. q. 1. episcopum. & q. 3. cauendum. de sta. mo. c. eaq;.*

Tertio finalis conclusio, & reorum debita correptio. *c. in singulis.*

Cum ergo & in minimis & in maximis diuinum sit semper implorandum auxilium (& vt beatus Dionysius quarto ca. de diuinis nominibus ait, in spiritualibus rebus maxime ab oratione sit inchoandum) dignum est nos quoq; talis documenti seruare mandata: & morem ordinis laudabilem non præterire. *Oremus* ergo.

ET SVRGENTES LEGANT ALTERNATIM psalmum.

AD te leuaui oculos meos: qui habitas in cælis. Ecce sicut oculi seruorum: in manibus Dominorum suorum. Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Miserere nostri Domine, miserere nostri: quia multum repleti sumus despectione. Quia multum repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus, & despectio superbis. Gloria patri. Sicut erat. Kyriel. Christeel. Kyriel. Pater noster.

SECVNDVM TEMPVS FLECTANT GENVA Visitatorum vnus.

ET ne nos inducas in tenta. Saluos fac seruos tuos. Mitte eis Domine auxilium de sancto. Esto nobis Domine turris fortitudinis. Domine Deus virtutum conuerte nos. Domine exaudi orationem. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

OREMVS.

PRÆTENDE Domine fidelibus tuis dexteram cælestis auxilii: vt te toto corde perquirant: & quæ digne postulant consequi mereantur.

Actiones nostras quæsumus domine aspirando præueni & adiuuando prosequere: vt cuncta nostra operatio a te semper incipiat, & per te cepta finiatur.

DEVS qui corda fidelium sancti spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere: & de eius semper consolatione gaudere per Christum Dominum nostrum.

CAPVT XIX.

POST HÆC VISITATOR FACIAT EXHORtationem.

ET nota, quod non ab examinatione aut correptione debet inchoari visitatio, sed ab exhortatione. vt *de sta. mo. attendentes.* in cle. vt etiam no. Fran. Zabar, super eo. *c. 18. q. 2. visitandi. &c.* se-

mel. Hoc etiam in capituli statutis taliter habetur. *Deinde vnus visitatorum faciat ad visitandos vnam exhortatoriam collationem, de disciplina, de charitate fraterna, de pace, de profectu spirituali, de perseuerantia, & de aliis virtutibus secundum exigentiam personarum aut temporis.*

CAPVT XX.

QVALITER DEPONENDA SINT NECESSARIA.

EXHORTATIONE finita, visitator admoneat consequenter visitandos: quomodo & qualiter se in depositionibus debeant habere: & sic dicat per ordinem.

Dilecti fratres, etsi sæpius visitati ipsius formam visitationis non ignoretis: propter eos tamen, qui visitationi rarius interfuerunt, modum & formam breuiter, qualiter in depositionibus vos debeatis habere, perstringam. Inprimis exhortamur vos omnes & singulos: vt sicut visitatio ad hoc est instituta, vt vitia eradicentur, virtutes inserantur: ita & vnusquisq; in proclamandis intentionem suam ad debitum referat finem. Item vnusquisq; ex charitate deponat, si quæ viderit necessario emendanda: & nõ ex odio (quod absit) neq; ex auersione: quia hoc graue esset peccatum. Item vnusquisq; debitum modum & honestũ in huiusmodi depositionibus studeat obseruare. Item nullus ea retractet, quæ dignè sunt punita. Item nullus illa parua, quæ quotidie emendantur magnipendens quasi ad confusionem maiorem nobis reseruata deponat: nisi talia essent quę correctione digna viderentur. Item vnusqsq; vestrum Dei zelũ & animarum habeat præ oculis: & nihil eorum celet, quæ in lucem sunt proferenda. Et in hunc modum auisatione facta deputetur eis locus ad examinandum aptus: ad quem fratres secundum ordinem accedant à Priore incipientes vsq; ad nouissimum in sactis constitutum.

CAPVT XXI.

DE IVRAMENTO EXIGENDO VEL NON exigendo ab ipsis visitandis.

SED vtrum visitandi sint astringendi ad dicendum per iuramentum, & respondendum de interrogatis veritatem, merito quæritur. Ad quod sciendum, sicut in antiquis statutis aliarum etiam prouinciarum ordinis repperi, vbi videbatur necesse, iuramentum exigebatur à visitandis. Quod mihi etiam nunc satis videtur rationabile: maximè si monachi conspirauerint vel pactum fecerint, aut malitiosè veritatem occultauerint. Et hoc statutum, quod sentio, arbitror roborandum.

Nicolaus Cus. Cardinalis Legatus ad visitatores prouinciæ Moguntinæ & diœcesis Bambergensis inter cetera sic scribit. *Sed quia apud plerosq; parum proficiunt exhortationis eloquia, si non accesserit etiam coercens pœnalis censura: igitur in monasteriis, siue locis, quæ pro tempore visitaueritis post salubris exhortationis actum, recepto ab vniuersis de dicenda in eorum examine veritate corporali iuramento, iuxta commissionis per alias litte-*

litteras vobis traditæ tenorem procedatis. Item in capituli statutis repperi contrarium. Nam in capitulo sexto Erfordiæ celebrato sic statutum legitur. *Placuit etiam patribus, vt sine exactione iuramenti proposito primo verbo Dei ipsi visitatores actum suum compleant.* Hoc idem in capitulo sequenti Bambergæ celebrato statutum fuit. Similiter & in quibusdam aliis. Quid igitur? Si iuramentum exigitur contra patrum statuta, in obedientiæ culpa perpetratur: si exigendum non est, vt quid sedis Apostolicę Legatus Cardinalis & doctor magnificus exigi præcepit? Nunquid exigi potest & non exigi? Plane sic æstimo. Vbi necesse fuerit & vtile, exigi potest: leuiter tamen exigi non debet. Vt autem forma talis iuramenti habeatur ad manum, sicut etiam reperi in antiquioribus constitutionibus patrum hic inferere curaui: vt si quando necessaria fuerit, non opus sit longa quæstione.

CAPVT. XXII.

FORMA IVRAMENTI ET MODVS IVRANDI posita manu super textum euangelii hinc infra titulati.

EGO *frater N. iuro per hæc sancta Dei euangelia: quod de omnibus super quibus fuero per vos aliquem vestrum interrogatus generaliter vel specialiter, veritatem dicere volo: & etiam omnia quæ scio vestra reformatione indigere, & quæ sunt necessaria pro reformatione præsentis monasterii secundum nesc. meum vobis fideliter manifestabo: sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei euangelia.*

HÆC DICENS IMPONAT MANVS SVPER Euangelium secundum Lucam.

IN illo tempore, Loquente Iesu ad turbas quædam mulier extollens vocem dixit ei. Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. At ille dixit. Quin immo: beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud Amen.

CAPVT XXIII.

DE EXAMINATIONE.

AD examinationem & inquisitionem visitatoribus paratis & ad locum assignatum sedẽtibus, habeatur magna de huiusmodi inquisitionibus diligentia in singulis necessariis inquirendis. Et si quid depositum fuerit correctione dignum, signetur in schedula per vnum de visitatoribus: quæ etiam diligenter custodiatur, ne in alicuius vnquam manus perueniat. Et de conspirationibus pactis & iuramẽtis primo inquirant, ne forte Abbas contra visitationem aliquid tale præsumpserit. Et si qua inuenerint, relaxent, vt *extra. d. accu. c. olim.*

DE GENERALIBVS POSSVNT INFRA SCRIpta vel saltem aliqua inquiri.

PRIMO interrogent de generalibus, prout eis visum fuerit.

Si abbas extorsit iuramentum à monachis de tacenda veritate, vel aliter prohibuit ne aliqua referant?

Itẽ vtrũ omnes sint ꝓfessi, & quomodo?

Item vtrum Symoniacè aliqui sint recepti. Et si sic, quid bonis Symoniacis factum sit?

Item an seruent veram obedientiam Abbati, & suis Prępositis secundum regulam sancti Benedicti?

Item an sint proprietarii aliqui, vel omnes.

Item

Item an sint fornicatores aliqui & qui?

Item an sint casti, vt decet religiosos.

Item an comedant sani carnes, an omnes aut aliqui vbi, & quando, & quotiens?

Item an seruent in quatuor locis prohibitis silentium? & si nocturnis temporibus idem faciant, an non.

Item an seruent ieiunia ecclesiæ & regulæ, sicut tenentur?

Item an lectio semper mensæ adsit edentium?

Item si simul comedant omnes in vno refectorio?

Item an simul omnes in vno loco dormiant, & si regulariter vestiti & præcincti?

Item an vestibus, aut linteaminibus lineis vtantur?

Item an dormiant in plumis aut mattis?

Item de habitu & tonsura potest videri & interrogari?

Item vtrum habitum monachalem continuè portent?

Item vtrum etiam habeant labores manuales dum cessant à diuinis, ne torpescant ocio, contra regulam?

Item si discurrant extra septa monasterii sine licentia superiorum?

Item interrogetur de statu temporalium, qualis sit & quo modo singula expendantur?

Hęc, & his similia in generali poterunt inquiri, secundum quod discretis visitatoribus visum fuerit expedire.

INQVISITIONES DE OFFICIO DIVINO ETiam sic, vel similiter fiant.

In primis quo tempore surgant ad matutinas?

Item si cantent matutinas, & ceteras horas omnes, an aliquas?

Item quo tempore surgant ad primas?

Item quo tempore ceteras peragant horas?

Item si tractim & religiosè horas persoluant, vt decet?

Item quotiens capitulum culparum seruetur in hebdomada?

Item quomodo culpæ ibidem examinentur?

Item si omnes diligenter occurrant ad opus Dei?

Item si vestes sacratæ & ornamenta ecclesiastica, libri, calices, & alia munde tractentur?

Item quot Missæ dictim celebrentur?

Item si omni die summam Missam cantent?

Item quotiens fratres celebrent in hebdomada?

Item si ante Missam semper confiteantur?

Item si subsacerdotes suo tempore cõmunicent, & confiteantur?

Item si regula legitur eis & exponitur iuxta statuta Patrum.

Et cetera multa in hunc modum.

INTERROGATIONES CIRCA ABBATES PRÆpositos, siue Priores si monasteriorum supremi rectores existant.

DE Abbatibus, & eorum conuersatione inquirenda maior est adhibenda diligentia: cum ipsorum frequẽter merito status monasteriorum in vtrã que partem ducatur. Et multa quidem inquirenda occurrunt, sed paucis & maioribus signatis, cetera visitatores ipsi scrutentur.

In primis ergo interrogetur, an etiam zelum Dei animarum habeat, sicut pastorem decet.

Item si chorum & diuina ac conuentualia loca diligenter visitet?

Item si capitulo culparum per se præsidet, & quotiens?

Item si delinquentes sine personarum acceptione corrigat?

Item si se fratribus exemplarem in omnibus bonis imitabilem exhibet?

Item si frequenter & absque rationabili causa de monasterio foras vagatur?

Item si superfluas equitaturas secum ducat.

Item si familiares suspectos aut monasterio nociuos habeat.

Item si familiaritates aliquas suspectas cum mulieribus habeat.

Item si de incontinentia aliqualiter

sit

sit notatus?

Item si mulieres ad monasterium intromittit & quales?

Item si bona temporalia diligenter conseruet?

Item si nimium sit temporalium curis intentus?

Item si fratribus necessaria secundum regulam procuret?

Item si monasterium cum debitis grauet?

Item si immobilia bona monasterii alienat?

Item si consilio conuentus in agendis secundum regulam vtatur, vel non?

Item an monasteria subiecta habeat: vtrum illa visitet?

Item si recessus capituli in conuentu fecit publicari?

Item si chartam vltimę visitationis obseruauit?

Item si regulam debitè in omnibus obseruat, sicut decet?

Et multa his similia poterũt secundum quòd opus fuerit inquiri, quæ hic omnia exprimere tędiosum foret.

ITEM INTERROGATIONES DE CETERIS officialibus & fratribus.

Item de ceteris autem officialibus interrogationes iuxta exigentiam formandę sunt, videlicet.

Vtrum habeatur Prior: quis, qualis, quantus?

Item si sit continuè in Conuentu?

Item si est pro Conuentu in procurandis necessariis?

Item si est zelosus disciplinę secundum statuta Patrum?

Item si fratribus dat bonę conuersationis exemplum?

Item si delinquentes secundum regulam cõrigit?

Item si cetera regularia statuta diligẽter faciat obseruari?

Item si diligens sit in officio sibi commisso?

De cellerario quis sit & qualis?

Si officium diligenter implet?

Si diuina & conuentualia debitè visitet dum aliàs vacat?

Si fratribus necessaria diligenter disponat secundum regulam?

Si sit humilis, bonus, exemplaris coram extraneis?

Quotiens faciat de legatis & expõsitis Abbati computationem?

Item si abbatis præceptis reuerenter obedit in omnibus?

Item an prodigus sit & dilapidator rerum monasterii?

An nimis anxius sit circa temporalia?

Item si regulam obseruat diligenter in ieiuniis, vigiliis, &c.

De ceteris aũt fratribus visitatores, secundum quod eis visum fuerit opportunum, inquirere possunt de charitate mutua, de pace, obedientia, de continentia, de peculio, &c.

Vbi verò Abbas in corrigendo diligens est, minor de simplicibus fratribus fiet inquisitio.

Nouissimè, postquam omnes fuerint examinati, examinetur & ipse Abbas, si aliquid forte voluerit dicere. Et proponãtur sibi maiores articuli de ipso per fratres depositi: auiseturq; serioſius vt emendet. Quod si tale quid fuerit, quod sine correctione non debeat transire, & ipse negauerit, deponentium melius erunt examinanda testimonia, donec veritas lucidius pateſcat. Caueantur tamen tumultus & scandala.

CAPVT XXIV.

DE VLTIMA PROCLAMATIONE SINGVLORUM in capitulo.

FINITO iuxta morem examine, cum visitatoribus visum fuerit opportunum, conuocentur omnes ad locum capitularem ad continuandum actum visitationis: quibus sedentibus vnus visitatorum dicat Benedicite.

Et

ET RESPONSO, *DOMINVS*, SVBIVNGAT.

CHARISSIMI fratres, restat nunc, vt scitis, vltima executio nostræ visitationis: quam ad perficiendum Deo auxiliante conuenimus: exhortamurq; charitates vestras, vt auisationes nostras, quas in charitate facimus, ipsi quoq; charitatiuè susciptatis: quoniam hoc solum intendimus, quod nostræ & vestræ saluti conueniat, perficere.

ET POTEST SVBIVNGERE GENERALIA DEposita vel visa pro auisatione & emendatione.

DEINDE ad mattam vocentur conuersi nouitii subsacerdotes, id est, nondum in sacris constituti, vnus post alū, aut bini & bini, vel certe aliqui, de quibus tale fuerit depositum, pro quo merito debeant proclamari.

Veniens autem vocatus ad mattam, inclinet modicè: & visitator dicat sibi culpas suas: qui mox in terram prostratus iaceat, donec iussus fuerit surgere.

Expeditis non capitularibus & egressis, vocetur primo ad mattam Abbas: deinde Prior, & ceteri secundum ordinem.

Abbate autem stante in iudicio coram visitatoribus, ceteri omnes fratres obreuerentiam debent stare discooperti: donec ipse iterum sedere iussus fuerit. Et nota quod Abbatis culpæ hic breuiter sunt dicendæ & minores, ne infirmis detur contemptus occasio. In priuato vero vel coram paucis de senioribus dicantur sibi omnia, quæ necessaria sunt, magna cum paruis &c.

Pœnitentiæ autem imponentur ad arbitrium visitatorum cum discretione, more quotidianæ proclamationis. Quod si aliquis inibi grauius venerit puniendus, faciant hoc visitatores per Abbatem fieri. *vt extra de sta. mo. ea quæ.*

CAPVT XXV.

DE FINALI EXHORTATIONE FACIENDA.

POSTQVAM omnes, qui sunt proclamandi, fuerint proclamati, & singulis iniuncta pœnitentia: faciat visitator breuem exhortationem de obseruantia regulari increpando generales fratrum negligentias: & declaret, quomodo talia sint regulæ contraria & animæ nociua &c. Ceteraq; in hunc modum prout eis visum fuerit expedire. Huic autem exhortationi poterunt & alii professi monachi & conuersi non capitulares, qui exierant, reuocati interesse, nisi aliud obsistat.

CAPVT XXVI.

DE ABSOLVTIONE CONSVETA.

ISTIS iuxta morem finitis, humilient se omnes ad absolutionem flectentes genua. & dicant Confiteor. Concludendo, Orate pro me.

Visi-

VISITATOR STANDO DICAT.

MIsereatur vestri omnipotens Deus per interceſſionem beatæ Mariæ & omnium Sanctorũ & dimittat vobis omnia peccara veſtra, & perducat ad vitam æternam Amen.

Autoritate Dei omnipotentis, & clauium eccleſiaſticarum in hac parte ordini noſtro conceſſarum, à cenſuris eccleſiaſticis vos abſoluimus: & communioni eccleſiæ atque participationi vos reſtituimus: & vobiſcum diſpenſamus atque ad executionem agendorum rehabilitamus. In nomine patris & filii & ſpiritus ſancti Amen.

ET INIVNGATVR SINGVLIS ALIQVIS PSALmus dicendus conuerſis Dominica oratio, bis aut ter.

HIs peractis poterunt viſitatores ſuã coram viſitatis excuſare inſufficientiam, & ſe orationibus eorũdem commendare, prout frequenter fieri ſolet ſub his vel ſimilibus verbis.

Dilectiſſimi fratres rogamus c. v. vt ea quæ diximus vel fecimus hic omnibus, vel etiam in priuato ſingulis charitatiuè ſuſcipiatis, nec aliud de nobis æſtimetis, quam omnia nos in charitate feciſſe. Mihi etiam quęſo parcite ſuper dictis p me: & ſi quenquam verbis offendi, aut ſi non dixi, vt debui, vel aliter quam debui, imperitiæ meæ deputate, non voluntati &c. talia. *Et ſubiungat ſi tempus eſt.* Adiutorium noſtrum in nomine Domini. Qui fecit cœlum & terram.

CAPVT. XXVII.

DE CHARTA VISITATIONIS FACIENDA.

SECVNDVM ſtatuta patrum peracta viſitatione ordinandus erit ſtatus monachorum viſitatorum in charta: in qua ſunt neceſſarii articuli inſerendi, in quibus ſe ſinguli debeant emendare: primo de Abbate. deinde de priore, cellerario, ceteriſq; officialibus: ac poſtremo de omnibus in generali. Et præcipiatur etiam ſub pœnis & cenſuris, ſi opus ſit, in parte, vel in toto ſuper obſeruatione inſertorũ. In fine autem chartæ præcipiatur, quotiens in anno debeat legi in conuentu, & inſeratur ſtatus monaſteriorum in perſonarum numero, & in prouentuum vel etiam debitorũ quantitate. Sigilletur charta duobus ſigillis ipſorum viſitatorum ad teſtimonium ſingulorum. Et notandum: quod Abbas tenetur viſitatoribus ſuis de omnibus prouentibus facere computationem ſecundum ſtatuta patrum. vt c. 1. &. 2. & in pluribus aliis fuit conſtitutũ.

Viſitatores copiam de charta tranſcribant per ſe vel monachos viſitatos, non per ſecularem, qui monachorum defectus non debet ſcire. Et hanc copiam ſecum deferant ad capitulum deſtinaturi. Caueant diligenter viſitatores, ne ſchedulas depoſitatorum Abbati conſignent, ne detur occaſio malignandi quantumcunq; zeloſus ſit: ſed ſecum ferant ad reuelandum Dominis præſidentibus vel certè, ſi non indigent, comburant eas igni.

CAPVT XXVIII

QVID PRO EXPENSIS VIARVM A VISITAtis debeat recipi.

QVILIBET Abbas & conuẽtus viſitati tenentur ſuis viſitatoribus pro viatico, cum viſitauerint (iuxta patrum decreta) tres florenos rhenenſes abſque vlla contradictione ſoluere. vt in c. 11. & tribus imme. ſeq. Vnde

ibidem sic dicitur. *Decreuit vniuersa communitas Patrum: quod quilibet Abbas visitatus teneatur visitatoribus pro viatico tres florenos rhenenses. soluere: nisi ipsi visitatores propter bonum respectum moderatius agere voluerint.* Hæc ibi. Videant autem visitatores, vt sic necessaria exigant, ne auaritiam sub specie indigentiæ abscondant. Procuratio enim huiusmodi non debet esse grauis, sed modesta. *10. q. 3. cauendũ de & c. se.* Si autem non visitant, nihil debent exigere. *10. q. 1 relata.*

CAPVT XXIX.

NE VISITATORES VEL FAMILIARES EORVM aliquod munus, aut pecuniam quomodo libet oblatam à visitatis accipere audeant.

ET quia munera dantẽ & accipientem faciunt deuiare à iustitia. *11. q. 3 paup. & c. qui rector.* Districte inhibetur omnibus visitatoribus: ne à visitatis aliq; munus accipiant, aut pecuniam quomodo libet à quoquam oblatam per se, vel per suos familiares. vt in con. Bened. 12. *c. de visitatoribus* dicitur, vbi sic habetur. *Visitatores & familiares eorum nullam pecuniam huiusmodi occasione, seu quolibet alio modo recipiant: nec ipsi vel quisquã suorũ aliquod munus quodcunq; sit vel qualitercunq; offeratur præsumat recipere: vt non videantur, quæ sua sunt quærere: sed quæ Iesu Christi. Vnde statuimus & ordinamus; vt vniuersi & singuli visitatores huiusmodi vel familiares ipsorum, qui præter expensas eis duntaxat in victualibus exhibendas eis exigere vel recipere pecuniam etiam à volente seu ipsi, vel quisquam ipsorum suorum familiarium similiter munera recipere quoquo modo præsumpserint: duplum eius, quod receperint, ecclesiæ vel monasterio, seu alteri loco ipsius ordinis, vel religionis eiusdem, a qua vel quo id receptum fuerit, infra mensem reddere teneantur: alioquin extunc visitatores huiusmodi duplum ipsum eis vltra huiusmodi tempus restituere differentes ab officio & beneficio nouerint se suspensos. quousq; huiusmodi grauatis ecclesiis, vel monasteriis, aut locis de huiusmodi duplo plenariam satisfactionem impendant, nulla eis in hoc dantium remissione liberalitate, vel gratia, valituris. Et nihilominus, si expedierit, ipsi visitatores sic suspensi per præsidentes ad restitutionem præfati dupli autoritate apostolica per censuram ecclesiasticam, & per alia opportuna remedia remoto appellationis obice compellantur.* Hæc ibi. Inhibeant ergo visitatores suis capellanis & familiaribus, ne aliquid à quoquam visitandorum tempore visitationis accipiant, præter expensas consuetas sub pœna cerca: quod si non fecerint, & illi quicquam receperint, non erunt à reatu præuaricationis immunes.

CAPVT XXX.

VT VISITATI SVIS VISITATORIBVS DE SALVO conductu prouideant.

SI opus fuerit, Abbates & conuentus visitati suis visitatoribus propriis expensis de saluo conductu prouideant de vno monasterio visitato in aliud ad visitatorum placitum visitandum, sicut in multis capitulis prouincialibus est constitutum.

Ca-

CAPVT XXXI.

NE VISITATORES SECRETA VISITATORVM alicui reuelent.

CAVEANTAŭt visitatores, ne depoſita eis, vel etiã per ſe reperta in viſitationibus alicui reuelare præſumant, maximè ſeculatibus: nec q̃dem fratribus ſuis, nec familiaribus q̃buſcũq; Nã quod ſibi q̃ſq; fieri nõ vult, neq; alteri faciat. Fraudulẽtus eſt. n., qui arcana reuelat. 5 *q. 5 q̃ ambulat.* Et in con. Bñ. Papæ. 12. c. 3. dicitur. *Et quia procedit de virtute prudentiæ, ſi via ſcandalis præcludatur, inhibemus viſitatoribus memoratis, ne illos ſeu ipſorum nomina, qui eis aliqua ſecreta in viſitationibus reuelauerint, p̃ſumant aliis reuelare: niſi tunc demum, cum propter reuelata huiuſmodi ad alicuius punitionem vel pœnã fuerit procedendum. Aliter autem huiuſmodi reuelantes puniantur plus vel minus, prout facti qualitas exiget ſecundum arbitrium præſidentium.* Hæc ibi.

Hanc formulam viſitationis breuem ex ſcriptis & ſtatutis Patrum pro mea, & mihi ſimilium directione cum opus fuerit, prout potui ego frater Ioannes Abbas in Spanhem Moguntinenſis diœceſis deſcriptam, Dominis præſidentibus prouincialis capituli examinandam corrigendamquè humiliter offero: quam ſi approbauerint in viſitationibus obſeruandam non priuabor mei fructu laboris: ſi verò reprobauerint, patiẽter humiliterq; me ſubiiciendo donabor mercede humilitatis Anno Domini. 1490.

CAPVT XXXII.

EX CONSTITVTIONIBVS BENEDICTI DVODECIMI de viſitatoribus.

PORRO viſitatores, qui ſecũdum prædictam conſtitutionẽ ipſi⁹ generalis concilii fuerint in huiuſmodi prouincialibus capitulis deputati, ſint idonei, ſoliciti, & diſcreti circa viſitationis eorum officium exequendum: & cuncta obſeruent, quę in præfata eiuſdem concilii & alia dicti Honorii prædeceſſoris noſtri conſtitutionibus ſtatuta exiſtere dinoſcuntur.

Quòd ſi viſitatores ipſi exequi omiſerint negligenter: eas pœnas incurrere volum⁹ ipſo facto, quas incurrunt hi, qui nõ veniunt ad capitulum prouinciale, præpeditionem canonicam non habentes.

Et quia cupimus, vt huiuſmodi præfatorum viſitatorum officium cum omni ſinceritate procedat: interdicimus, quod nullus viſitatoris ſibi deputati eodem anno valeat eſſe viſitator.

Prædicti autem viſitatores vel familiares eorum in eccleſia cathedrali monachali, vel monaſterio, vel alio loco ipſius ordinis ſeu religionis, ad quæ viſitationis cauſa duxerint declinandum, vltra duos dies nequaquam remaneant, niſi euidens neceſſitas, vel magna vtilitas eccleſiæ vel monaſterii, ſeu loci huiuſmodi per eos viſitatorum, ampliorem inibi moram eorum, vel familiarium exigeret eorundem Sed tunc id efficiant de eccleſiæ, vel monaſterii, ſeu loci præfatorum conſilio ſe-

niorum. Nec visitatores, vel familiares eorum eisdem ecclesiis & monasteriis, & locis visitatis onerosi & graues existant: non sumptuosas epulas quærant: sed cum gratiarum actione recipiant, quod illis honestè & competenter fuerit ministratum.

Dicti quoque visitatores, & familiares ipsorum nullam pecuniam huiusmodi occasione, seu quolibet aliomodo recipiant: nec ipsi, vel quisque suorum aliã quod munus quodcunque sit, vel qualitercunque offeratur, præsumant requirere: vt non quæ sua sunt videantur quærere, sed quæ Christi. Vnde statuimus & ordinamus: vt vniuersi & singuli visitatores huiusmodi, vel familiares eorum præter expensas eis duntaxat in victualibus exhibendas, exigere vel recipere pecuniam etiam à volente, seu ipsi, vel quisquã suorum familiarium similiter munera recipere quoquo modo præsumpserint, duplum eius quod receperint, ecclesiæ vel monasterio, seu alteri loco ipsius ordinis, vel religionis eiusdem, à qua vel quo id receptum fuerit, infra mensem reddere teneantur: alioquin extunc visitatores huiusmodi duplum ipsum eius vltra huiusmodi tempus restituere differentes, ab officio & beneficio nouerint se suspensos, quousq; huiusmodi grauatis ecclesiis, vel monasteriis, aut locis de huiusmodi duplo plenariam satisfactionem impendant, nulla eis in hoc dantium remissione liberalitate, vel gratia valituris. Et nihilominus, si expedierit, ipsi visitatores sic suspensi per præsidentes dictis capitulis & eorum quemlibet, ad restitutionem præfati dupli auctoritate Apostolica per censuram ecclesiasticam, & alia opportuna remedia, remoto appellationis obice cõpellãtur. Et quia procedit de virtute prudentiæ, si via scandalis præcludatur: inhibemus visitatoribus memoratis, ne illos seu eorum nomina, qui eis aliqua secreta in visitationibus reuelarint præsumant aliis reuelare: nisi tunc demum cum propter reuelata huiusmodi, ad alicuius punitionem vel pœnam fuerit procedendum. Aliter autem huiusmodi reuelantes puniãtur plus vel minus, prout facti qualitas exiget, secundum arbitrium præsidentium eorundem.

SEQVVNTVR EX DECRETIS DIVERSÆ RVbricæ de statu monachorum: quas aliquando in visitationibus ad manum habere prodest.

Monachorum conuersatio ab omnibus debet esse discreta secundum etymologiam nominis, quæ dicitur singularis. 16. q. 1. c. 1.

Monachi in populari frequentia esse non debẽt: nam ideo singulares dicuntur, quia debent vitare multitudinem hominum. *16. q. 1. si cupis.*

Monachus secundum etymologiam nominis, solitariam vitam ducat: sit claustro suo contentus: quia sicut pisces sine aqua caret vita, ita sine monasterio monachus: sedeat itaque solitarius & taceat, quia mundo mortuus est, Deo autem viuit. Agnoscat nomen suum: μόνος enim græcè, latinè est vnus: ἄχος græcè, latine est tristis. Vnde monachus dicitur, id est vnus & tristis. Sedeat ergo tristis & officio suo vacet. *16. q. 1. placuit communi.*

Monacho, excepta infirmitate, carnem nec gustandi nec sumendi est concessa licentia. Quod si quis contra regulam præsumpserint, sex mensium spacio retrusioni & pœnitentiæ subiaceat. *de con. dist. 5. carnem.*

Monachi debent abbatibus suis omni obedientia & deuotione subiacere. *18. q. 2. Abbates.*

Monachus spe Abbatiæ nullus fieri debet. *16. q. 7 per laicos. vide tamen pulchram in glo. ibidem distinctionem.*

Monachus testamentum facere non potest. *19. q. 3. quia.*

Monachus quis factus, omnia quæ habuit monasterio sunt conferenda: nec vlli ea denuo tradere potest. *19. q. 3. perlatum.*

Monacho non licet vota vouere sine consensu Abbatis, si autem vouerit, frangendum erit. *20. q. 4. monacho.*

Monachum sine Abbatis sui licentia nullus suscipiat, aut ordinet. *20. q. 4. monachum.*

Mo-

Monachus nunquam debet vacare: quia in desideriis est omnis ociosus: sed semper aut orationibus, aut lectionibus vel manuali exercitio, quod suo statui congruit, insistere.

Amet scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabit.

Corpus & animus tendant ad Dominum. Vigilet sensus, nec vagis cogitationibus patens, faciat aliqd operis, vt semp diabolus inueniat eum occupatum: & cetera multa pulchra. *Hieronymus ad Rusticum, de conse. di. 5. nunquam.*

Monachi, neq; commatres sibi facere, neq; cum feminis familiaritatem habere possunt. *18. q. 2. peruenit ad nos.*

Monachis cum monialibus habitare non licet, neq; cum eis conuiuari. *18. q. 2. diffinimus & duobus c. sequen.*

Monachis non licet pro suo libitu Abbates expellere, aut alios ordinare. *18. q. 2. nullam.*

Monachorum cœnobia mulieres intrare prohibentur. 18. *q. 2. c. peruenit ad nos.*

Monacho non licet proprium possidere. *12. q. non dicatis. & c. quia tua:* sed omnia debent eis esse communia. *c. scimus.*

Monachi incontinentes duræ pœnitentiæ ergastulis retrudantur. *27. q. 1. impudicas.*

Monacho sine licentia sui prælati non licet aliquid accipere. *12. q. 1. non dicatis.*

Monachorum congregatio quantum cunq; sancta videatur sine malorum permixtione rarò inuenitur. *47. di. quantumlibet* Et est dictum Augustini ad Vincentium Donatistam: vbi etiam ait. *Sicut difficile sum expertus meliores, quam qui in monasterio profecerunt: ita non sum deteriores expertus, quam qui in monasterio defecerunt. Hinc arbitror dictum in Apocalypsi vltimo. Iustus iustificetur adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Hæc ibi.

Monachus in religione delicate viuere quærens, qui in seculo pauper erat, detestandus est. *12. q. 2 gloria.*

Monachus non docentis, sed plangentis habet officium, qui vel se vel mundum lugeat, & Domini pauidus præstoletur aduentum. *16. q. 1. monachus.*

Monachi in religione deficientes sunt pessimi: & proficientes sunt optimi. *47. dist. quantumlibet.*

Monachi veri & religiosi boni præ cæteris sunt honorandi. *16. q. 1. qui vere.*

Monachi non sunt precio recipiendi in monasterium: nec peculium permittantur habere. *de sta. mo. c. monachi.*

Monachus habens proprium à communione altaris remoueatur: & si talis in extremis repertus fuerit, inter fratres non recipiat sepulturam *ibidem. & c. super quodam. & c. cum ad mo.*

Monachi in oratorio, dormitorio, refectorio & in ambitu continuum silentium seruare tenentur. *eo. c. cum ad mo.*

Monachi sani carnibus non vescantur. *ibidem. §. in refectorio.*

EX SVMMA FRATRIS ANGELI, DE RELIGIOSIS.

VTrum religiosi teneantur esse perfecti. Respondetur, quod non, nisi ea perfectione ad quam se obligauerunt, sed tenentur ad perfectionem tẽdere secundum Tho. secunda secundæ. q. 186. cui contrariatur perfectionis contẽptus. Vnde non sunt mendaces, quamuis gerant ab extra statum perfectionis: quia illum non assumunt quasi profitentes se esse perfectos, sed quasi profitentes se ad perfectionem tendere. Vnde bene essent mendaces, si ab intentione perfectionis animum reuocarent, secundum Asten. li. 6. ti. 47.

DE OBEDIENTIA EX DECRETIS COLLECTA.

OBedientia sola fidei meritum possidet, & victimis iure præponitur: qa per victimas aliena caro, per obedientiam verò propria voluntas mactatur. *8. q. 1. sciendum.*

Obedientia in scriptis debet promitti: q; de consuetudine & præcepto regulæ sancti Benedicti est. Item, qui se scit aliqbus esse præpositum, non molestè ferat aliquem sibi esse prælatum; sed obedientiam, quam exigit, etiam ipse rependat. *23. di. quanquam.*

Obedientia est, per quam donum summi muneris consequimur; inobedientes verò reprobi sunt. *93. di. qui suis.*

Obedire multotiens non expedit præceptis. 11. *q 3. semper.* malum est non obedire præceptis: cum Dominus iubet ea quæ sunt contraria Deo, tunc enim obediendum non est. *Et c. se. & c. Iulianus. c. si is.*

Obediendum est superioribus festinanter. *93. di. si inimicus.*

Obediendum est Deo principaliter. *8. dist. quæ contra 11. q. 3. imperatores.*

Obedire debet monachus suo Abbati magis, quam Episcopo in his quæ spectãt ad regulam. *18. q. 2 quam sit. §. nullus, & c. abbates. 9 q. 3. conquestus.*

Obediendum est præceptis maiorum, etiam si ipsi aliter agant, nisi in fide erraverint. *2 q. 7. sacerdotes.*

Nunquam per obedientiam malum fieri debet, sed bonum aliquando potest propter obedientiam omitti: quid agitur. *11. q. 3. quid ergo.*

ITEM EX DECRETIS COLLECTA DE CORrectione peccantium.

CORrectio debet fieri ex charitate secundum diuersitatem culparum. * *24. q 3. corripiantur.*

Correctio debet fieri animo medendi, non sæuiendi. 86. *di. odio. 23. q. 4. ita plane, circa me.*

Correctio debet mixta esse cum benignitate & asperitate. *45. dist. disciplina. 12. q. 2. fraternitas. 45. dist. omnis.*

Quia nimia asperitas increpationis, nec correctionem recipit nec salutem. *45. di. cum beatus.*

Multa de his supra in formula visitationis sparsim habentur.

Apud Deum maledicitur: qui peccantibus consentit. *11. q. 3.*

Qui consentit peccantibus & defendit alium delinquentem, maledictus erit apud Deum & apud homines: & corripietur increpatione seueriſſima. Hinc etiam quidam sanctissimus pater ait. Si quis peccantem defendit, acrius quam ille qui peccauit, coërceatur. *Hæc ibi dicta Isidori. & c. ita corporis, & duobus sequentibus.*

Qui non resistit erroribus consentit: *83. di. error cui* non resistitur approbatur: & veritas cum minimè defensatur, opprimitur. Negligere quippe, cum possis, perturbare peruersos, nihil est aliud quàm fouere: neq; caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. *Est dictum Inno. Et c. se. pius Papa.*

Quid enim prodest illi suo errore non pollui, qui consensum præstat erranti? *Et ca. se. Gregorius dicit.*

Consentire videtur erranti, qui ad resecanda quæ corrigi debẽt, non occurrit.

Negligentiæ rectorum, imputantur culpæ inferiorum. *86. di.*

Inferiorum culpæ ordinum, ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides negligentesq; rectores: qui multam sæpè nutriunt pestilentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere medicinam.

Homines diligendi, peccata odio habenda, *capitulo seq.* *

Odio habeantur peccata, non homines. Corripiantur tumidi, tolerentur infirmi: & quod seuerius castigare necesse est, non sæuientis plectatur animo, sed medentis.

Homini est miserendum, peccatori irascendum. 23. q. 4. *Duo* ista nomina cum dicimus homo peccator, non vtique frustra dicuntur: quia peccator est, corripe: quia homo, miserere: nec omnino liberabis hominem, nisi cum persecutus fueris peccatorem. *Hæc Augustinus super Psalterium.*

FINIS.

MO-

MODVS ET FORMA CELEBRANDI CAPITVLVM PROVINCIALE PATRVM ORDINIS SANCTI BENEDICTI MOGVNTINÆ prouinciæ.

QVONIAM in celebrandis capitulis prouincialibus multę solent occupationes Dominis præsidentibus obuiare: ne tritis & expertis decedentibus vel absentibus, minus expertos & in huiusmodi capitulis celebrandis non vsitatos, propter ipsas plurimas distrahi contingat occupationes præsentem formam (quam in eis ipsis capitulis, quibus sæpius interfui, dum celebrarentur, vidi & audiui) ad sequentium notitiam scriptis destinare curaui: in qua, licet non habeantur omnia, quæ in capitulis sunt agenda, plura tamen & magis necessaria reperiẽtur. Hoc enim & præsentibus reor prodesse disciplinæ exercitio & futuris, præcedentium intuitu exemplo.

VT PRÆSIDENTES VISITATORES ET THESAURARII diem capituli præueniant.

PRÆSIDENTES igitur, præteriti, & futuri, vna cum visitatoribus aut thesaurariis diem statutum celebrandi capituli, cæteris aliquot diebus præueniant, interim etiam expensis capituli sustentandi, ad tractandum & se mutuo auisandum in his, quæ occurrerint agenda, sicut ordinatum est in 15. capitulo Anno Domini. 1454. in Selgenstat secundo celebrato.

In Sabbato præcedente diem capituli fiat vna citatio absentium. & eorum qui nondum satisfecerunt de impositione contributionis. Hanc citationem promotor ordinis de mandato dominorum præsidentium per notarium capituli in valuis monasterii faciat affigi sub vesperis aut completorio. Et in aliis duabus ecclesiis similiter faciat, si opus fuerit. Sub hac forma potest fieri citatio.

De mandato reuerendorum ac venerabilium dominorum patrum præsidentium, nigrorum monachorum ordinis sancti Benedicti prouinciæ Moguntinæ, ac diœcesis Bambergensis, citantur hic omnes & singuli Abbates, præpositi & priores ordinis prouinciæ ac diœcesis prædictarum, capitulo celebrando ad Dominicam Iubilate proxime futuram in monasterio sancti N. interesse debentes: vt compareant per se, aut suos legitimos procuratores, tali die, hora sexta mane, in dicto monasterio, coram præfatis dominis præsidentibus ad docendum se mandatis paruisse visitatorum, ac de impositа contributione satisfeciſſe realiter & cum effectu: ac ad audiendũ alia circa præmissa declarati & pronunciari. Quod si infra præfixum terminum non comparuerint, extunc per ipsos dominos præsidentes contra ipsos contumaces, prout ordo dictauerit æquitatis, iuxta tenorem priuilegiorum sæpedicti ordinis procedetur: ipsorum citatorum absentia non obstante. In quorum omnium testimonium sigilla duorum præsidentium sunt impressa. Datum Anno &c. die tali &c.

HVIC CITATIONI SE NOTARIVS IVXTA morem subscribat,& executionem sub vesperis aut completorio faciat.

EActvrvs in crastinum sermonem in Sabbatho dominis præsidentibus eundem exhibeat in scriptis examinandũ, & corrigendum,si opus fuerit, ne scandalum oriatur.

Præsidentes præteriti futuris præsidentibus ante diem capituli delegatis expositis plenam faciant rationem: quam ipsi inscriptis Patribus legant,si opus est. Et ideo in quartam feriam vtrig; capitulum præuenire iubentur. vt in c. 17. statutum fuit Nurenbergæ Anno domini 1459.

Dominico die fiat signum ad tertiam maturius, iuxta ordinationem præsidentium: & Abbas ad Missam cantandam ordinatus se cum ministris induat: & sub introitu chorum (vt moris est) intret. Et ante presbyterium cum ministris *Confiteor* legat: cantetur quoq; Missa de spiritu sancto solenniter, cui Patres omnes interesse habent.

Finita vero Missa, sit in chori capite præparatum analogium. Fiatq; collatio ad Patres alioq; interesse volentes,de religione, de disciplina,& humilitate,de virtutibus & perseuerantia. Sermocinator tamen, priusquam incipiat sermonem, ab vno præsidentium, qui est principalis benedictionem petat: si præsens sit. *Sermone finito locum ingrediatur capitularem. & sedeant singuli. primo Abbates,deinde Præpositi & priores, ac procuratores absentium iuxta locationem promotoris. Stans autem promotor audientibus omnibus dicat.*

IN Dei nomine Amen. De mandato venerabilium dominorum præsidentium moneo, & requiro omnes & singulos hic præsentes,ad quos non spectat huic sacro prouinciali capitulo nostro interesse, sub excõmunicationis & suspensionis pœna, vt à loco isto capitulari exeant& recedãt. *Notarius vna cum testibus remaneat. qui tamen & ipsi poterunt iuberi exire: dum secreta tractantur, quæ postmodum,si in recessu sunt scribenda,etiam Notario recitabuntur. Deinde legãtur more solito ex martyrologio & subiungatur Pretiosa per Priorem conuentus, petita tamen prius benedictione à præsidente dicendo.* Domine,iube benedicere. *Et præsidens,qui facit verbum, respondeat.* In viam mandatorum suorum, dirigat nos omnipotens & misericors Dominus. *Et respondeant omnes.* Amen. *Et pro lectione regulari legatur de secundo capitulo regulæ,qualis debeat esse Abbas,quantum de tempore permittitur.*

QVALIS DEBEAT ESSE ABBAS. CAPITVlum regulæ 2.

ABbas, qui præesse dignus est monasterio, semper meminisse debet,quod dicitur, & nomen maioris factis implere: Christi enim agere vices in monasterio creditur, quando ipsius prænomine vocatur dicente Apostolo. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Ideoq; Abbas nihil extra præceptum domini (quod absit) aut docere debet, aut constituere, vel iubere: sed iussio eius, aut doctrina fermento diuinæ iustitiæ in discipulorum mentibus conspergatur. *Iste §. plerumq; exordialiter solet legi.*

Memor semper Abbas, quia doctrinæ suæ vel discipulorum obedientiæ vtrarumq; rerum in tremendo Dei iudicio facienda discussio est. Sciatq; Abbas culpæ pastoris incumbere, quicquid in ouibus Paterfamilias vtilitatis minus poterit inuenire. Tantundem iterum erit liber, vt si inquieto vel inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia adhibita, & morbidis eorũ actibus vniuersa fuerit cura exhibita. Pastor earum in iudicio Dei absolutus dicat cum propheta Domino. *Iustitiam tuam non abscondi in corde meo. Veritatem tuam & salutare tuum dixi, ipsi autem contẽnentes spreuerunt me.* Et tunc demum inobedientibus curæ suæ ouibus pœna sit prævalens ipsa mors.

Ergo cum aliquis suscipit nomen Abbatis, duplici debet doctrina suis præesse disci-

discipulis: id est omnia bona & sancta factis amplius, quam verbo ostendat: vt capacibus discipulis mandata Domini verbis proponat; duris verò & simpliciorib⁹, factis suis diuina præcepta demonstret. Omnia verò, quæ discipulis docuerit esse contraria in suis factis indicet non agenda: ne aliis prædicans ipse reprobus inueniatur: ne quando illi dicat Deus peccanti. *Quare tu enarras iustitias meas & assumis testamentum meum per os tuum. Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos post te.* Et qui in fratris tui oculo festucam videbas, in tuo trabem non vidisti. Psal. 49.

Non ab eo persona in monasteriis discernatur, non vnus plusquam alius ametur: nisi quem in bonis actibus aut obedientia inuenerit meliorem. Non præponatur ingenuus ex seruitio conuertenti, nisi alia rationabilis causa existat. Quod si ita iustitia dictante Abbati visum fuerit, & de cuiuslibet ordine id faciat. Sin alias, propria teneant loca: quia siue liber, siue seruus, omnes in Christo vnum sumus; & sub vno Domino æqualem seruitutis militiam baiulamus: quia non est personarum acceptio apud Deum. Solummodo in hac parte apud ipsum discernimur: si meliores ab aliis in operibus bonis & humiles inueniamur. Ergo æqualis sit ab eo omnibus charitas: vna præbeatur ab eo omnibus secundum merita disciplina.

In doctrina namque sua Abbas apostolicam debet illã semper sententiã seruare: in qua dicit. *Argue obsecra, increpa*: id est miscens temporibus tempora terroribus blandimenta. Durum magistri, pium patris ostẽdat affectum: id est indisciplinatos & inquietos debet durius arguere: obedientes & mites ac patientes vt in melius proficiant, obsecrare: negligentes aũt & cõtẽnentes, vt increpet & corripiat, admonemus. Neq; dissimulet peccata delinquentium: sed mox, vt cęperint oriri, radicitus ea, nẽ præualeant amputet, memor periculi Heli sacerdotis de Sylo. Et honestiores quidem & intelligibiles animos prima vel secunda admonitione verbis corripiat: improbos autem & duros, ac superbos, vel inobedientes verberum, vel corporis castigatione in ipso initio peccati coërceat, sciens scriptum. *Stultus verbis non corripitur.* Et iterum. *Percute filium tuum virga, & liberabis animam eius à morte.* 2. Tim. 4. 1. Reg. 4. Prou. 15. Pron. 23.

Meminisse debet semper abbas quod est, meminisse quod dicitur: & scire, quia cui plus committitur, plus eo ab exigitur: sciatquè quam difficilem & arduam rem suscepit, regere animas & multorum seruire moribus. Et alium quidem blandimentis, alium verò increpationibus, alium suasionibus, & secundũ vniuscuiusque qualitatem vel intelligentiam, ita se cũctis conformet & aptet: vt nõ solum detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verum in augmentatione boni gregis gaudeat.

Ante omnia, ne dissimulans aut paruipendens salutem animarum sibi commissarum non plus gerat solicitudinem de rebus transitoriis terrenis atque caducis: sed semper cogitet, quia animas suscepit regendas, de quibus rationem redditurus est. Et ne forte causetur de minori substantia, meminerit scriptum. *Primum quærite regnum Dei & iustitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis.* Et iterum. *Nihil deest timentibus Deum.* Sciatque quia qui suscipit animas regendas, præparet se ad rationem reddendam: & quantum sub cura sua fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo, quia in die iudicii ipsorum omnium animarum redditurus est Deo rationem, sine dubio addita, & suæ animæ. Et ita semper timens futuram discussionem: pastor de creditis sibi ouibus cum de alienis ratiociniis cauet, redditur de suis solicitus. Matt. 6. Tob. 4.

His finitis, aut quantum placuerit præsidentibus lectis, statim ex libro monasterii recitentur nomina defunctorum, si qua occurrant. Deinde de schedulis allatis per Patres nomina fratrum ordinis ab vltimo capitulo celebrato defunctorum recitentur per eundem martyrologii lectorem. Quibus finitis subiungat præsidens. Animæ fratrum & benefactorum ordinis nostri requiescant in pace. *Et dicto per alios* Amen. *Legatur vt moris est.* De profundis. *vsque ad finem. Concludendo cum* Requiem æternam. *Et dicto à singulis sub silentio.* Pater noster, *Officialis subiungat.* Et ne nos, & cetera, q̃ in Agẽdis capituli quo-

quotidiani habentur. *His completis vnus Præsidentium Abbati domus iniungat, vt post vesperas, vigilias pro ipsis defunctis agãt fratres in choro. Et ordinet de patribus vnum, qui in crastinum summam Missam solenniter de eisdem defunctis cantet. Post hæc promotor ordinis legat c. in singulis ex Decretalibus sic.*

INNOCENT. III. IN CONCILIO GEnerali.

IN singulis regnis siue prouinciis fiat de triennio in triennium saluo iure diœcesanorum pontificum, commune capitulum Abbatum, atq; priorum Abbates proprios non habentium, qui non consueuerunt tale capitulum celebrare: ad quod vniuersi conueniant præpeditionem canonicam non habentes apud vnum de monasteriis ad hoc aptum: hoc adhibito moderamine, vt nullus eorum plus quam sex euectiones, & septem personas adducat. Aduocent autem in huius nouitatis primordiis duos Cistercienſis ordinis vicinos Abbates, ad præstandum sibi consilium & auxilium opportunum: cũ sint in huiusmodi capitulis celebrãdis ex longa consuetudine plenius informati: qui absq; contradictione duos sibi de ipsis associent, quos viderint expedire. At ipsi quatuor præsint capitulo vniuerso, ita quod ex hoc nullus eorum sibi autoritatem prælationis assumat, vnde cũ expedierit prouida possit deliberatione mutari. Huiusmodi vero Capitulum aliquot certis diebus continuè iuxta morem Cister. ordi. celebretur: in quo diligens habeatur tractatus de reformatione ordinis & obseruantia regulari. Et quod statutum fuerit illis quatuor approbantibus inuiolabiliter obseruetur, omni excusatione & contradictione & appellatione remotis: prouiso nihilominus, vbi sequenti termino debeat Capitulum celebrari. Et qui conuenerint, vitam ducant communem, & faciant proportionabiliter simul omnes communes expensas: ita quod si non omnes potuerint in eadem, saltem plures simul in diuersis domibus commorentur. Ordinentur etiam in eodem Capitulo religiosæ ac circumspectæ personæ, quæ singulas Abbatias eiusdem regni seu prouinciæ, non solum monachorum, sed etiam monialium secundum formam sibi præfixam, vice nostra studeant visitare, corrigentes & reformantes, quæ correctionis & reformationis officio viderint indigere: ita quod si rectorem loci cognouerint ab administratione pœnitus amouendum, denuncient Episcopo proprio, vt illum amouere procuret. Quod si non fecerit, visitatores hoc referant ad Apostolicæ sedis examen. *Quæ in isto Capitulo sequuntur, non solent consequenter legi. Continuabitur sequens Capitulum.* Honorius tertius Abbatibus & monachis in Lombardia & Marchia Teruisina constitutis.

EA, quæ pro religionis honestate &c. Porro cũ visitatores secundum statutum generalis Concilii ordinati à generali Abbatum Capitulo processerint ad visitationis officium exequendum, de statu monachorum & obseruantiis regularibus diligenter inquirant: & tam in spiritualibus quam in temporalibus corrigant, & reforment, quæ viderint corrigenda: ita tamen, quod monachos delinquentes per Abbatem loci corrigi faciant, eisq; iniungi pœnitentiam salutarem iuxta beati Benedicti regulam & apostolica instituta: non secundum normam prauæ consuetudinis, quæ quasi pro lege in quibusdam ecclesiis inoleuit. Ipsi etiam visitatores monachos, quos contumaces inuenerint, & rebelles iuxta modum culpæ vice nostra regulari censura percellant, absq; personarum delectu: non parcendo rebellibus ob suam pertinaciam per potentiam amicorum, quin ouem morbidam eiiciant, ne inficiat sanas oues. Si verò Abbates in corrigendis iuxta visitatorum mandatum & regularia instituta in seipsis, seu monachis inuenti fuerint negligentes, proclamentur & corripiantur: & ita puniantur publicè in Capitulo generali, quod pœna ipsorum sit aliis in exemplum. Quod si Abbas non exemptus fuerit à visitatoribus nimis negligens & remissus inuentus, id loci diœcesano denuncient sine mora: & per illum detur ei fidelis & prouidus coad-

coadiutor vsq; ad Capitulum generale. Si autem dilapidator inuentus fuerit, vel alias merito amouendus, per diæcesanum, postquam hoc sibi à visitatoribus denunciatum fuerit, amoueatur absq; iudiciorum strepitu à regimine Abbatiæ: ac monasterio prouideatur interim administrator idoneus: qui temporalium curam gerat, donec ipsi monasterio fuerit de Abbate prouisum. Quod si forsan episcopus hęc adimplere noluerit, vel neglexerit, visitatores vel præsidentes Capitulo generali defectum episcopi Apostolicæ sedi non differant intimare. Hæc eadem circa exemptos Abbates fieri præcipimus per visitatores vel præsidentes Capitulo generali depositione ipsorum sedi Apostolicæ reseruata: ita vt Abbate, qui amouendus videbitur interim per visitatores vel in Capitulo præsidentes ab administratione suspenso, administrator idoneus monasterio deputetur. Illorum autem excessus & alia quæ visa fuerint inti manda Capitulo, præsidentes nobis denuncient per fideles nuncios & prudentes: quibus de communi contributione Abbatum iuxta cuiuslibet facultatem sufficienter ministrentur expensæ.

Sequentes autem visitatores perquirant visitatorum priorum vestigia diligenter: & eorum negligentias & excessus referant sequenti Capitulo generali: vt iuxta culpam publicè debitam pœnam portent.

Idem & de Abbatibus præsidentibus generali Capitulo præcipimus obseruari. *Et post pauca.* Hæc autem omnia etiam in monasteriis, quæ non habent Abbates proprios sed priores, necnon in monasteriis monialium, quo ad articulos Abbatissis & monialibus congruentes, præcipimus obseruari.

CAPVT II.

DEINDE, SI PRÆSIDENTES IVSSERINT, LEgantur etiam sequentia. Ex consti. Bened. papæ 12. de Capitulis prouincialibus.

STATVIMVS etiam & ordinamus: quod in ordine seu religione dictorum monachorum nigrorũ in singulis prouinciis per nos inferius deputatis, fiat in loco ad hoc deputando de triennio in triennium saluo iure diæcesanorum pontificum, commune seu prouinciale Capitulum Abbatum & priorum Abbates proprios non habentium, aliorumq; priorum Ecclesiarum cathedralium ipsius ordinis seu religionis, vel aliorum maiorum in ipsis Ecclesiis post antistites eorum existentium, quocunq; nomine nuncupentur, ceterorumq; prælatorũ Abbates proprios (vt præfertur) non habentium, exemptorum & non exemptorum ordinis, seu religionis eiusdem. Ad quod quidem Capitulum iusto impedimento cessante, prædicti Abbates, priores, & prælati alii conueniant vniuersi: & circa id ad reformationem ordinis, seu religionis huiusmodi & obseruantiam regularem adimplere studeant quæ in constitutione huiusmodi explicatur.

Qui vero ad ipsum Capitulum personaliter venire nequiuerint? ad allegandam iusti impedimenti causam commonachum suum eiusdem ecclesiæ seu monasterii, si commodè fieri valeat, alioquin alium idoneum cum sufficienti mandato causam excusationis sufficientem & claram & etiam potestatem in animas eorũ iurandi verã esse huiusmodi causam exprimente, ad dictum Capitulum transmittere teneantur: reseruato præsidentiũ huiusmodi prouincialiũ Capitulorũ arbitrio, quorũ potestas de vno prouinciali Capitulo ad aliud habeat perdurare: vt pro eorum arbitrio decernere valeant, an causa excusationis vel excusationum cum diuersæ allegatæ fuerint, sufficientes vel insufficientes existant: & quod cuiquam non sit licitum ab eorum decre-

decreto ſuper hoc friuolè appellare, vel quouis modo alio reclamare.

Non venientes autem legitimo impedimento ceſſante, vel excuſatorem & Procuratorem commonachum ſuum, vel alium idoneum cum ſufficienti mandato ad illud (vt præmittitur) non mittentes, teneantur duplum eius, quod expenſuri fuiſſent ad prædictum Capitulum veniendo, & in eo morando ac redeundo ab ipſo, iuxta eorundem præſidentium arbitrium, ſeu maioris partis eorum exiſtimandum, in termino per ipſos præſidentes ſtatuendo exoluere, in vtilitatem ipſius prouincialis Capituli conuertendum: quodq; poſſint ipſi præſidentes illos ad duplum huiuſmodi exoluendum per cenſuram eccleſiaſticam autoritate apoſtolica coërcere eorumq; ſuper hoc faciendum proceſſum & ferendas ſententias publicare, ſeu publicari facere, in locis ordinis ſeu religionis eiuſdem. Et, quod circa ipſum duplum in totum vel in partem nulli valeat gratia fieri vel remiſſio indulgeri. Et nihilominus contra non venientes præfatos maximè, ſi malitioſè ſubtrahant ſe, vel vt correctionem euitent, ſiue vt neſciatur ſtatus Eccleſiæ vel monaſterii eorundem, alias prout dictis præſidentibus ſeu maiori parti eorum viſum fuerit procedatur, eorum abſentia non obſtante.

Circa præſidentes namq; ac viſitatores in eiſdem capitulis deputandos, & alia omnia in eis exequenda, illa ſeruentur, quæ in dicti generalis Concilii, & fere. Honorii papæ tertii prædeceſſoris noſtri conſtitutionibus expreſſius continentur: ſeruatis tamen ſtatutis, ordinationibus, & adiectionibus noſtris ſuprascriptis, quemadmodum modificatur & perſtringitur in eiſdem.

Et quia prælatorum & monachorum ipſius ordinis ſeu religionis regularis eſt inſtitutio & obſeruantia ſalutaris, decernimus priores eccleſiarum cathedralium ordinis, ſeu religionis eiusdē, aut maiores in ipſis eccleſiis poſt eorū antiſtites exiſtētes ac poſt ipſos antiſtites regularē curā monachorum habentes, quocunq; nomine cenſeantur, ad conueniendum in ipſis capitulis prouincialibus ſub modis & pœnis ſuperius deſignatis: necnō eosdem priores ſeu maiores & Capitula cunctoſq; monachos earundem eccleſiarum, ſeu monaſteriorum etiamſi ipſis eccleſiis vel monaſteriis ſeu extra ea, vbicunq; prioratus officia vel adminiſtrationes habuerint, ſeu moram traxerint, tā exemptos, quam non exemptos, etiamſi ipſi non exempti aliquibus exemptis antiſtibus ſint ſubiecti, fore ſub dictorum Capitulorum prouincialium diſtrictionibus, correctionibus, & ordinationibus incluſos, & etiam comprehenſos: & ad illas ſub pœnis, quas dicti pręſidentes eis duxerint imponendas, per ipſos præſidentes ac etiam quoſcunq; dictarum eccleſiarum monachos præfatos, beneficia monachalia ad eaſdē eccleſias pertinentia obtinentes, ad contribuendum in expenſis, moderatis & rationabilibus, quas dicti priores ſeu maiores fecerint ad ipſa Capitula veniendo, & in eis ſtādo, ac de illis redeūdo, per priores ſeu maiores prædictos auctoritate apoſtolica per cenſuram eccleſiaſticam & alia remedia opportuna, ſublato appellationis obſtaculo compellendos.

Quodq; quiuis ordinarii locorum exempti, & non exempti, nullum prædictis vel ſingulis impedimentum apponant, vel apponi permittant: ſed legitimis temporibus requiſiti, & omnia & ſingula faciant executioni mandari & inuiolabiliter obſeruari.

Præcauere ſiquidem intendentes, ne impedimentum accidens conuentioni alicuius prouincialis Capituli obeſſe valeat: intelligimus & volumus, quod ſi contigerit eccleſias cathedrales monachales prioribus, vel aliis, poſt ipſarum antiſtites exiſtentibus in eis maioribus (vt præfertur) vel monaſteria, ſeu loca ordinis, ſeu religionis eiuſdem ſuis vacare aut carere paſtoribus, qui aſtricti eſſent ad conueniendum in prouinciali Capitulo antedicto, tempore videlicet, quo imminebit ipſum prouinciale Capitulum celebrandum. teneantur Capitula eccleſiarum & conuentus monaſteriorum aliorumq; locorum conuentualium prædictorum perſonam ſufficientem de gremio eccleſiarum monaſteriorum & locorum eorundem, ſi commodè fieri poſſit, vel aliunde idoneam transmittere ad dictum Capitulum, pro faciendis & implendis omnibus, quæ facere poſſent Abbates, priores, ſeu maiores in ipſis eccleſiis cathedralibus, ſeu alii eisdem locis conuen-

conuentualibus præsidentes præfati, si venissent ad idem capitulum, & in eo personaliter interessent.

Quod autem præmittitur de prouinciali capitulo de triennio in trienniũ celebrando, ad cuiuslibet hæsitationis scrupulum amputãdum, ad sanum referri volumus intellectum: secundum, vt cum vno anno prouinciale capitulum fuerit celebratum, alio futuro proximo anno ab illo valeat abstineri. & fiat omnino anno tertio subsequenti.

Sanè, quia superuacuũ foret edere sanctiones, si prętermitteretur earum executio, & non esset, qui tueretur easdem, ordinamus & volumus, vt dictum commune seu prouinciale capitulum apud vnum de monasteriis eiusdem ordinis seu religionis ad hoc aptum, si in eadem existat prouincia, debeat celebrari: alioquin celebretur in loco alio congruo & securo: de quo ac de die primi capituli huiusmodi celebrandi & aliis opportunè faciendis circa idem prouidebunt illi, qui super hoc per sedem Apostolicam fuerint deputati prima vice.

Et, vt super eodem capitulo, & per illud extunc in posterum & perpetuo rationabilis ordinatio habeatur, statuimus, quod in dicto capitulo primitus celebrãdo, & semper in anteà successiuè præsidẽtes singulis capitulis celebrandis, seu maior pars eorum prouideant & ordinare procurent, per quem in sequenti capitulo sermo fieri missaq; celebrari debeat, & eligãt locum pro celebrando alia vice proxima prędicto capitulo. & qui præsidentes esse debeant in eodem. Et sic extunc fiat in prouincialibus capitulis successiuis.

Prouideant etiam, qui abbates, quæ, & quot, ac quotiens ecclesias cathedrales monachales, monasteria & alia loca eiusdẽ ordinis seu religionis debeant vsq; ad ipsum sequens prouinciale capitulum visitare.

CAPVT V.

SI DOMINIS PRÆSIDENTIBVS VISVM FVERIT necessarium, poterit & sequens capitulum ex eisdem constitutionibus Bened. 12. de subuentionibus & collectis legi. Item ex Benedictina.

QVM in sæpedicta constitutione Concilii generalis inter cetera sit expressum, quod hi qui conuenerint in triennali capitulo vitam ducant communem, & simul omnes expensas proportionabiliter faciant: nos attẽdentes q; præter expensas huiusmodi expensæ aliæ nedũ pro prouinciali, sed etiam annali Capitulis prędictis necessariè requirantur: statuimus & ordinamus, quod in eisdem capitulis cuiusquam contradictione vel absentia non obstãte, pro libertatibus, necessitatibus, vtilitatib' expensis communibus & aliis consuetis (cum onus diuisum in partes leuius supportetur) autoritate Apostolica fiant, imponantur, & indicantur collectæ subuentiones, seu contributiones: secundum arbitrium præsidentium seu diffinitorum, qui ad huiusmodi capitulum prouinciale vel abbatis seu alterius præsidentis ipsi annali capitulo & diffinitorum, quo ad annale capitulum antedictum.

Vt autem in cõseruatione collectarum, subuentionum, seu contributionum huiusmodi cautela securitatis fideliter habeatur: volumus & ordinamus, vt collectę quæ fient in capitulo prouinciali per tres probos & fideles abbates, seu alios prælatos ipsius ordinis seu religionis illius prouinciæ, in qua idem capitulum fuerit celebratũ, in aliquo securo monasterio seu alio loco congruẽti. quæ vero fient in singularibus ecclesiis, monasteriis, vel aliis locis eiusdem ordinis, seu religionis per tres probos & fideles monachos cuiuslibet ecclesię vel monasterii, seu loci, in qua vel in quo (vt præfertur) fient: quorum v-

num ponet Abbas, vel alius prelatus ipsius loci, alium vero prior vel priores, & administratores seu officiati, & tertium capitulum Ecclesiæ seu conuentus monasterii, seu loci huiusmodi, in vna arca ferrata tribus diuersificatis seris & clauibus fideliter collectæ diligenter custodiantur: & ad vsum duntaxat eorum, pro quibus factæ fuerint, & ad nullos vsus alios conuertantur: pro quibus fideliter seruandis & complendis præstent dicti tres Abbates in præsidentium & præfati monachi in Abbatis & Capituli, necnon conuentus Ecclesiæ vel monasterii, seu prælati alterius loci principalis, vbi dictum annale Capitulum extiterit celebratum præsentia, corporaliter iuramentum. Nec fieri valeat alia contributio: quamdiu aliquid, quod sufficiat de prima contributione contigerit supersesse.

Habeantq; prædicti præsidentes, & eorum quilibet, qui ad huiusmodi prouincilia Capitula, necnon Abbates, priores ac maiores, seu alii iam dicti potestatem auctoritate Apostolica supradicta, exigendi, colligendi & leuandi collectiones, subuentiones & contributiones huiusmodi, ab omnibus & singulis Abbatibus subiectis, si quos habuerint vel habeant, & prioribus prælatis administratoribus, officiatis, & beneficiatis quibuscunque, qui erunt ipsi annali Capitulo seu Ecclesię vel monasterio aut loco alio principali subiecti: & compellendi omnes & singulos antedictos eadem auctoritate p censuram Ecclesiasticam appellatione remota, & alia iuris & ipsius ordinis, seu religionis remedia, ad soluendum integrè collectas, subuentiones, & contributiones præfatas, prout in huiusmodi prouinciali & annali Capitulis fuerit ordinatum, super hoc terminis assignatis, ac publicandi & exequendi liberè prædicta, & processus ac sententias in Ecclesiis cathedralibus, ac monasteriis, & aliis locis eiusdem ordinis seu religionis, quando & quotiens eis visum fuerit expedire: nec non absoluendi à dictis sententiis, congrua tamen satisfactione præmissa: & relaxandi & tollendi omnes processus & sententias suspensionis & interdicti, & cum eis super irregularitate, si quam sic ligati (prophanando diuina, vel alias se illis immiscendo, non tamen in contemptum clauium) incurrerint, dispensandi.

His per ordinis promotorem lectis, poterunt & alia ex constitutionibus præteritorum Capitulorum ad placitum Dominorum præsidentium legi: quibus omnibus expletis vnus præsidentium incipiendo Capitulum prouinciale dicat. Benedicite. *Respondeatur* Dominus. *Et iterum subiungat.* Loquamur nunc de ordine.

Ecce, Patres venerandi, ex sacris canonibus & summorum pontificum constitutionibus audistis huius sacri prouincialis Capituli (ad quod nos celebrandum Deus in vnum congregauit) auctoritatem: qua suffulti hoc ipsum prouinciale Capitulum inchoamus. In nomine Patris & filii & spiritus sancti Amen. *Deinde subiungat.*

Protestamur itaq; primo: quod hunc locum aliaq; huius monasterii loca nobis necessaria ad huiusmodi nostrum capitulum celebrandum habere volumus deputata, & deputamus pro loco Capitulari. Et hanc protestationem totiens volumus habere repetitam, quoties in eisdem locis vel eorum aliquo Capitulariter congregati, aliquid ordinauerimus, statuerimus, vel tractauerimus.

Deinde idem præsidens accipiat à notario promissionem manualem de secretandis actis Capituli & non reuelandis in publicum. Et promotor dicat.

Protestamur insuper, vt si sit hic aliquis excommunicatus suspensus seu interdictus, quod eo præsente huiusmodi Capitulum celebrare non intendimus: ideoq; si quis talem se nouerit, de hoc loco Capitulari exeat: nec interesse nisi absolutus præsumat.

Et ad notarium conuersus promotor idem adiungat.

Et vos, Domine scriba, debita cum instantia requiro: quatenus hunc actum & sequentes cũ diligentia notetis, & apud acta Capituli signetis, adhibitis ad hæc testibus fide dignis.

Confestim notarius requirat testes, quorum duo vel tres omnibus actibus sint præsidentes, præterquam in vltima proclamatione Patrum. Item promotor ordinis omnibus audiẽtibus dicat.

Autoritate dominorum præsidentium mãdatur omnibus & singulis, iam hic præsentibus, & quacunq; hora aduenientibus in virtute sanctæ obedientiæ, ne quis aliquo modo reuelet secreta huius Capituli prouincialis personæ alicui seculari, & nostro Capitulo

sæpedicto non subiectæ, in detrimentum, opprobrium, seu grauamẽ ordinis & professorum eiusdem. Eadem quoq; autoritate mandatur omnibus & singulis, ne aliquis loqui præsumat in locis capitularibus atque tractatibus Dominis præsidentibus seu officialibus capituli deputatis ac deputandis: nisi petita & obtenta licentia, & hoc stando atque discooperto capite, cum humilitate, reuerentia, & subiectione, vel si libet præsentet in scriptis. Item eadem autoritate præcipitur omnibus & singulis huic capitulo interesse debentibus, ne aliquis à loco capituli recedat sine licentia, sed vsque ad finem eiusdem perseueret sub pœna contumaciæ & non venientium ad capitulum. *Deinde legatur registrum monasteriorum per promotorem vel notarium, & absentes per vnum eorum penna notentur, vt moris est. Quibus notatis promotor absentium contumaciam accuset sub his verbis aut similibus dicens.*

Reuerendi patres, Domini præsidentes, ego contumaciam accuso absentium prælatorum, qui huic sacro prouinciali capitulo de iure interesse tenentur: & peto monitionem decerni in valuis monasterii huius exequendam contra eosdem contumaces, ac contra rebelles visitatoribus, vt compareant ad docendum se paruisse mandatis capituli, seque realiter præsentasse eidem: alioquin ad videndum se declarari pœnas Benedictinæ incidisse, *Cui vnus præsidentium respondeat.*

Nos præsidentes gratiosius agere volentes, & neminem cito condemnare, absentes expectabimus vsque in diem sequentem, &, si opus fuerit diutius: vt etiam procuratoria absentium interim examinentur, si absentia eorum merito debeat excusari, ipsiquè procuratores debeant reputari præsentes. Insuper monitionem contra rebelles decernimus. *Post hæc, si vacat, eligantur diffinitores ex abbatibus, qui præsidentibus in agendis capituli consilium dare possint & auxilium. Item deputentur tres aut quatuor ex eisdem abbatibus, qui procuratoria absentium post prandium, aut certo tempore examinent deputato loco, ad quem procuratores conueniant. Hoc tamen præuiso, vt si aliqua procuratoria habeantur ambigua, ad Dominorum præsidentium deferantur examen. forma autem sufficientis procuratorii in actis capituli habetur expressa. Deinde præsidens visitatores præmonere poterit, vt certo tempore vel hora, quam determinauerint, visitationum suarum rationes & summas Dominis præsidentibus parati sint exhibere, secundum constitutiones præcedentium patrum. Et si hora fuerit tarda, nihilq; iam arduum restet, licentientur ad mensam, dicente vno præsidentium his vel similibus verbis.*

Venerabiles Patres, cum hora iam tardior transierit, tempusquè prandendi sit, ne fatigatos vos diutius à refectione retardemus: his nunc volumus imponere actionibus finem: ideòque ad mensam vnusquisq; se secundum promotoris ordinationem cum disciplina disponat: in silẽtio & cum gratiarum actione, quæ sibi fuerint apposita mãducet. *Promotor ordinis in refectorio Patres locabit secundum vniuscuiusque prælationis tempus, quantum fieri potest. Et primo quidem abbates sedeant, deinde priores & præpositi, exinde absentium procuratores, postea fratres alii simplices.* Iste tamen ordo sedendi raro potest sic ordinari propter multitudinem sedentium, & singulorum incognitas ætates. *Et præsidentes, si quid amplius voluerit admonere, faciant, maxime si sint aliqui tonsura ceteris dissimiles, quatenus se post prandium debitè radi procurent. Deinde præsidens concludat.* Adiutorium nostrum in nomine Domini. *Ceteri respondeant.* Qui fecit cælum & terram. *Et sic vadant. Admoneantur autem omnes, antequam dimittantur, vt ad signum campanæ, primum vel secundum, omnes sint iterũ in loco capitulari præsentes & imponatur, tardè occurrentibus, si præsidentibus videatur, aliqua pœna.*

Post prandium.

Ad pulsum conuenientibus Patribus in vnum, faciant orationem consuetam præsidente inchoante, qui ante omnem capitularem fieri debet actum, vt sequitur, flexis genibus.

Veni sancte spiritus reple tuorum corda fidelium: & tui amoris in eis ignem accende, q̃ per diuersitatem &c. allel. allel. Kyrieeleison. Christeeleison. Kyrieeleison. Pater noster. *vnus præsidentiũ subiungẽs dicat.* Et ne nos inducas in tentationem. *Respondeant ceteri.* Sed libera nos. *Præs.* Saluos fac seruos tuos. *Respon.* Deus meus sperantes in te, *Præs.* Mitte eis Domine auxilium de sancto. *Respon.* Et de Syon tuere eos. *Præs.* Esto nobis Domine turris fortitudinis. *Respon.* A facie inimici. *Præs.* Domine Deus virtutum conuerte nos. *Respon.* Et ostende faciem tuam & salui e-

erimus. *Præſi.* Domine exaudi orationem meam. *Reſpon.* Et clamor meus ad te veniat. *Præſi.* Dominus vobiſcum. *Oremus.*

Prętende Domine fidelibus tuis dexteram cæleſtis auxilii: vt te toto corde perquirant: & quæ dignè poſtulant, conſequi mereantur.

Actiones noſtras quæſumus Domine aſpirando præueni, & adiuuando proſequere: vt cuncta noſtra operatio à te ſemper incipiat & per te incœpta finiatur.

DEVS qui corda fidelium ſancti ſpiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere: & de eius ſemper conſolatione gaudere. Per Chriſtum Dominum noſtrum Amen.

Hæc à præſidente, qui facit verbum, dicentur, ceteris reſpondentibus. Poſt hæc dicat præſidens idem Benedicite. *Reſpondeant alii* Dominus. *Et ſubiungat.*

Si quis ex vobis reuerendi Patres aliquid pro communi bono Capituli ordinis & perſonarum eiuſdem voluerit proponere: confidenter cum timore Domini, reuerentia, & humilitate exponat: & cum omni patientia audientiam exhibebimus.

Quod ſi aliquid neceſſarium fuerit propoſitum, habeant præſidentes cum diffinitoribus deliberationem maturam, quid in ſingulis faciendum ſit. Solent etiam præſidentes aliquando Patres omnes per ordinem interrogare ſecundum exigentiam cauſarum occurrentium.

Si aliqui Patres haberent querelas contra quoſcunq; proponere, quibus per nos poſſet obuiari, humiliter & abſq; perturbatione proponant, & ſimili modo patienter audiemus eoſdem. *Et ſubiungat conſequenter.* Item, ſi ſunt aliqui fratres ex parte ſuorum conuentuum miſſi cum literis teſtimonialibus, ad proponendum aliquid contra quoſcunque, exhibeant litteras & doceant cauſas: patienter etiam & beneuolè ipſos audiemus.

Poſt hæc, ſi qua ſunt tractanda, capitulariter tractentur: & ordinetur aliquis è patribus, qui in craſtinum Miſſam pro fratribus cantet. Deinde poteſt breuis fieri exhortatio ad Patres, quomodo ſe habere debeant in hoſpitiis, & in omni loco, hunc, vel ſimilem habens modum.

Venerabiles Patres, quemadmodum ex regula ſancti Benedicti, ſecundum quam viuere tenemur, cum hodie legeretur, audiſtis: qui fratribus Abbas proponitur, doctrina ſancta eos debet inſtruere, & præcedere bonorum operũ exemplo: quia niſi vtrumq; exhibeat diſcipulis formidoloſam pro culdubio ſententiam in diſtricto iudicii Dei examine ſuſcipiet. Chriſti namq; vices in monaſterio agere creditur: Chriſtum ergo ſequatur oportet. Ipſe enim ait. *Qui mihi miniſtrat me ſequatur.* Sicut Chriſtus verbo & exemplo ſuos pauit diſcipulos: ita & nos, qui ipſius miniſtri ſumus, ouibus noſtris per doctrinam ſanctarum informationum, miniſtremus alimenta: & per bonorum operum exempla infirmioribus exhibeamus incitamenta virtutum. Omnibus enim vtilis eſt doctrina paſtoris: ſed infirmis & rudibus plus conferunt exempla virtutis. Validiora nempe ſunt exempla, quã verba, & melius opere docere quam ſermone. Hæc idcirco dicimus, vt bonis moribus præfulgentes, videntibus nos, bonum in omnibus præbeamus exemplum. Et vt compendioſè ad ſummam perueniam: exhortamur p. v. quatenus in omni loco & tempore, maximè autem in hoſpitiis bonum operemini, neminem ſcandalizantes: quia tam facilis ad peiora infirmorum ſuſpectio, vt vnius vel paucorum ſcandalo plurium fama deprauetur, quæ tamen multorum laudibus vix paucorum nouit reformare infamiam.

Si amplius nil reſtat, ad hoſpitia ſua Patres dimittantur, aniſatis primo, vt die ſequenti ad Miſſam defunctorum omnes conueniant. Et notarius cooperante ordinis promotore monitionem contra abſentes ſcribat per modum citationis ex ſuperabundanti cras affigendam valuis monaſterij. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. Qui fecit cælum & terram. *Et his dictis exeant ſinguli ad hoſpitia ſua exceptis manere debentibus.*

Secunda feria die ſequenti hora ſtatuta conueniant vniuerſi, & Miſſæ defunctorum interſint, & qui voluerint, celebrent. Miſſa finita conueniant ad locum capitularem, & legatur iterum. Veni ſancte ſpiritus. *cum orationibus ſupradictis. Et præſidens dicat.* Benedicite. *Reſpondeant* Dominus. *Deinde, ſi quid heri fuerit incæptum continuetur. Et præſidentes committant notario, vt ſcribat proceſſus capitulares. Poſt hæc hora conuenienti præſidentes in aliquẽ locum ſecretiorẽ ſecedãt, & audiant*

audiant visitatores singillatim de peracto sibi iniuncto officio, & statibus monasteriorum, quæ visitauerunt tam in spiritualibus, quam in temporalibus. & si alicubi non fuerint admissi, & exhibeant copias chartarum, quas in visitatis à se monasteriiis reliquerunt. Quod si aliqui visitatores non essent præsentes, aut per scripta, aut per suos procuratores huiusmodi faciant Patribus relationem. Si qui abbates per suos visitateres coram præsidentibus in aliquo fuerint notabiliter accusati; vocentur si præsidentibus videatur vtile, & admoneantur, vt se in delatis decetero emendent. Item si Domini præsidentes per se non potuerunt audire, deputent tres vel quatuor patres, qui audiant & recipiant rationem ab ipsis thesaurariis de receptis & distributis, in scriptisq; redactam ad Capituli arcam reponendam transmittant. Deinde cum fuerit opportunum promotor iterum accuset contumaciam absentium, & petat eos condemnari in expensis iuxta constitutiones ordinis sub hac forma verborum.

Reuerendi Patres, hodie ex superabundanti affigi feci aliam citationem ad valuas monasterii contra abbates, & alios absentes, qui huic prouinciali capitulo tenentur interesse, vt adhuc coram v. p. cõparerent: alioqui ad certas pœnas se scirent obligatos: quorum nullus comparuit, nec comparet. Ideoq;, ne de sua inobedientia commodum reportent, & fiat eorum pœna ceteris in exemplum, requiro vos Dominos præsidentes reuerendos, & peto: quatenus iuxta vim & formam constitutionum Benedict. 12. contra eosdem absentes tanqnam contumaces, inobedientes & rebelles, secundum ordinem iuris procedere dignemini: & eos condemnare in expensis iuxta præfati Benedicti nominatas constitutiones.

TVNC VNVS PRÆSIDENTIVM COMMVNIcato ad hoc aliorum consilio contra eosdem hoc modo procedat sedendo sub hac forma.

IN nomine Domini, per hãc nostram sententiam, quam in loco præsidentiæ residentes de iuris peritorum consilio & assensu, in his scriptis pronunciamus, decernimus & declaramus, Dominos N. &. N. contumcaiter absentes ob eorum contumaciam in tanta summa pecuniæ, quam in veniendo stando in capitulo ac redeũdo fuissent exposituri, si venissent, in duplo condemnandos iuxta constitutionem Domini Benedicti Papæ 12. quos condemnamus sic in his scriptis, & ad soluendum compellendos denunciamus per censuras ecclesiasticas, & compellimus eosdem. Quarum pecuniarum taxam ad. 11. florenos rhenenses irremissibiliter thesaurariis nostris soluendos, infra hinc & N. sub excommunicationis pœna, quam ipso termino elapso incurrãt in his scriptis, nisi satisfecerint realiter, & cum effectu ante præfixum diem taxauimus. Ex his verbis sumatur debita forma ad processum.

Vel si Domini præsidentes mitius agere voluerint, tunc vltima clausula in istam vel similem mutetur. Quarum summarum vel quotarum pecunię taxationem nobis vel visitatoribus nostris reseruamus. *Possunt tamen præsidentes eos primo citare ad audiendam taxam fieri, quod non videtur necessarium, cum Benedictina simpliciter committat Dominis præsidentibus. Deinde promotor ordinis accuset rebelles & dicat.*

Reuerendi Patres, secundo loco contumaciam accuso a. b. c. Abbatum non cõparentium, neq; per se, neq; per legitimos procuratores, licet sufficienter expectatorum, neq; docentium se paruisse conclusæ reformationi, & destitisse à sua contumacia & rebellione: & peto eos reputari, prout sunt, contumaces, & in eorum contumaciam peto eosdem declarari incidisse excommunicationis sententiam contentam in processibus transactorum capitulorum prouincialium: & decerni deluper litteras opportunas cum vlterioribus pœnis, censuris, & sententiis, & vsq; ad inuocationẽ auxilii brachii secularis. *Tunc idem præsidens subiungat.* Reputamus prędictos absentes, prout sunt contumaces. *Et subiungat hanc sententiam.*

Christi nomine inuocato, solum Deũ præ oculis habentes per hanc nostrã sententiam, quam in hoc loco præsidentiæ residentes de iuris peritorum consilio & assensu ferimus in his scriptis pronunciamus, decernimus, & declaramus: Dños a. b. c. abbates & a. b. c. conuentuales contumaciter absentes, propter eorum contu-

maciã & apertam rebellionẽ, quæ damnabiliter recusarunt in capitulis nostris susci pere & effectualiter intrare cõclusã, sanctã & debitam obseruantiam regularem, nec ab huiusmodi sua rebellione desistentes comparuerunt, neq; legitimas aut rationabiles causas, cur ad hoc minimè tenerentur, allegare curarunt, excommunicationis sententiam iuxta continentiã processuũ nostrorum in præteritis capitulis *vel in vltimo celebrato in N. capitulo* incidisse. eosq; vt tales publicè denunciandos fore & denunciari mandamus. litteras nostras desuper necessarias etiam sub aliis censuris & sententiis vsq; ad inuocationem auxilii brachii secularis inclusiue decernentes per præsentes. *Notandum, q̃ Domini præsidentes contra absentes, contumaces etiam si placeat, aliter procedere possunt: vt scilicet in recessu ponant, quatenus se infra certum tempus cum eis componant, aut cum visitatoribus, aut aliis quibus dederint autoritatem, dato termino p̃ canonica monitione. Quod si neglexerint, p̃fixo termino elapso sint ipso facto excommunicati, à nemine quam ab ipsis præsidentibus, vel visitatoribus absoluendi. Quod si ita factum fuerit, tunc studeant processum huiusmodi ad eorum certam deducere notitiam. Postquam sententia lata fuerit, citentur denuo absentes ad audiendum & videndum taxari expensas in crastinum sub hac vel simili forma & affigatur sub vesperis.*

De mandato reuerendorum ac venerabilium patrum Dominorum præsidentium nigrorum monachorũ ordinis sancti Benedicti prouinciæ Moguntinæ ac diœcesis Bambergensis citantur omnes & singuli Abbates, præpositi, priores ceteriq; interesse debentes, & se putantes prouinciæ & diœcesis eorundem: vt feria quarta post Dominicam Iubilate, hora sexta mane compareant per se aut suos procuratores legitimos in monasterio. N. coram præfatis Dominis præsidentibus ad videndum & audiendum fieri taxationem omnium, & singulorum expensarum; in quibus p̃ præfatos Dominos præsidentes iuxta constitutionem Domini Benedicti Papæ. 12. ob eorum multiplicem contumaciam, aliisq; de causis in termino exprimendis, sentẽtialiter condemnati existunt: ceteraque circa præmissa opportuna declarari & p̃nũciari: litteraq; & processus desuper necessarios decerni & concedi cum intimatione solita. Qui siue comparuerint, siue nõ, nihilominus per ipsos Dominos præsidẽtes in præmissis, prout ordo dictauerit rationis, indubiè procedetur: ipsorum citatorum absentia non obstante. In quorum testimonium sigilla duorum præsidentium præsentibus sunt subimpressa. Datũ Anno Domini. &c. *Notarii se subscribant. Hæc citatio, vt prædictum est, sub vesperis aut completorio valuis monasterii vel Ecclesiæ affigatur.*

POST PRANDIVM SECVNDA FERIA.

Si suprascripta ante prandium possunt expediri, bene. Sin autẽ, compleantur tempore vacante prout Dominis præsidentibus visum fuerit opportunum. Item legatur vltimi capituli recessus: & si quę commissiones aliquibus factæ sunt, examinentur eorum executiõnes. Deinde si nihil restat, patres dimittãtur ad sua hospitia in crastinum hora sexta ad pulsum reuersuri.

TERTIA DIE.

Die tertia mane fiat pulsus, & cantetur Missa de beata virgine Maria solenniter, per vnum de Patribus præcedenti sero ad eã ordinatũ cui omnes alii intersint. Qua finita eant ad capitulum, & fiat consueta oratio. Veni sancte spiritus. *vt sup. Et vnus præsidentium dicat* Benedicite *Et responso.* Dominus. *cõtinuetur, si qd heri fuit omissum. Item vertatur postmodum intentio ad ordinem. & si quid aliquid à nouo est statuendum, inferatur hoc die recessui. Item, si qua responsa sunt danda vel scribenda principibus, aut aliis, de consilio patrum fiant & expediantur.* Ordinentur aliqui, si thesaurarii nõ fuerint præsentes, qui expensas videlicet 3 florẽ. Rhenens. à quolibet Abbate leuent hoc die signantes leuata in schedula: ne quis forte (quod absit) se dedisse simulet, quod non dederit. *Item deputentur aliqui in adiutorium notario, qui sciant ordinare recessum, vt de sero post prandium sit completus.* Item si ordinis postulat necessitas, imponatur omnibus monasteriis proportionabilis contributio: & inferatur causa & forma recessus, quam omnes sub pœnis soluere teneantur exprimendis in eodem iuxta constitutiones Bened. Papæ 12.

Et

Et notandum, quod Domini præsidentes cum diffinitoribus possunt imponere contributionem aliis iuxta Benedictinam sine ipsorum consensu: nec tamen ipsi ab huiusmodi contributione liberi sunt. Quia quod aliis imponunt, ipsi primo ferre debent. Quod eorum sit contributionem imponere in eisdem constitutionib⁹ aperte monstratur his verbis Capitulo quinto.

Statuimus & ordinamus, quod in eisdem Capitulis cuiusquã contradictione vel absentia non obstante, pro libertatibus, necessitatibus, vtilitatibus, expensis communibus, & aliis consuetis (cum onus diuisum in partes leuius supportetur) autoritate apostolica fiant, imponantur, indicantur collectæ subuentiones, seu contributiones, secundum arbitrium præsidentium seu diffinitorũ, quo ad huiusmodi Capitulum prouinciale. *Interim etiam si visum fuerit dominis præsidentibus, taxantur expensæ Capituli communes cum parte domus, vt fieri solet. Post prandium.*

Peracto prandio, ad signum campanæ mox conueniant vniuersi, & legatur ante. Veni sancte spiritus. *cum orationibus vt sup. dictoq; per præsidentem* Benedicite. *Et responso* Dominus. *continuetur Capitulum. Deinde præsidentibus mandantibus legatur recessus. qui iam debet esse completus. in cuius fine contineatur locus & dies futuri capituli, & cætera, quæ de more fieri debent. Et notandum, quod non debent, nisi duo anni inter celebratum & celebrandum Capitulum effluere iuxta constitutionem Benedictinã, cuius verba ista sunt de hoc.* Quod autem præmittitur de prouinciali capitulo de triennio in triennium celebrando ad cuiuslibet hæsitationis scrupulum amputandum, ad sanum referri volumus intellectum: scilicet, vt cum vno anno prouinciale capitulum fuerit celebratum, alio proximo futuro anno ab illo valeat abstineri, & fiat omnino anno tertio subsequenti. *Hoc tamen aduertendum quod Domini præsidentes, si opus fuerit, anticipare possunt terminum, sic & prolongare. Expletis omnibus, exeunte notario & testibus, proclament se patres coram præsidentibus, sex aut septem simul a iunioribus incipiendo vsque ad ipsos præsidentes inclusiuè, & accipiant pœnitentias salutares sibi iniunctas. Deinde legant omnes simul excepto vno præsidente.*

Confiteor Deo, beatæ Mariç, omnibus sanctis & tibi pater: quia peccaui nimis mea culpa per superbiã, cogitatione, locutione, opere & omissione. precor te ora pro me. *Et præsidens ille legat absolutionem, vt sequitur.*

Misereatur vestri omnipotẽs Deus pinterceſſionẽ beatæ Mariæ, & omnium sanctorum: & dimittat vobis omnia peccata vestra & perducat ad vitam æternam. Amen.

Autoritate Dei omnipotentis & clauium ecclesiasticarum, in hac parte ordini nostro concessarum, à censuris ecclesiasticis vos absoluimus: & communioni ecclesiæ atque participationi sacramentorum vos restituimus, & vobiscum dispensamus: atque ad executionẽ agendorum rehabilitamus in nomine patris, & filii, & spiritus sancti. Amen.

Et iniuncto psalmo aliquo pro satisfactione, surgant vniuersi. & idem præsidens prouolutus ad genua coram aliis præsidentibus legat Confiteor Deo. *vnus præsidentium legat super eum absolutionem vt sup. cum psal.*

Et nota, quod hæc absolutio est iurisdictionis: nec debet in ea poni illa clausula, quam plerique putabant apponendam, *& à peccatis vestris.* Absolutio enim sacramentalis, quam confessio specialis peccatorum debet præcedere, hanc clausulam habet. Similiter sciendum quod hæc absolutio tantum valet, quantum sonat: videlicet à cẽsuris absoluens si quas incidissent in statutis ordinis & capituli neglectis. Et sicut absolutio sacramentalis absoluit à culpa, sic iurisdictionis à temporali & spirituali pœna.

His peractis, singulis finis imponatur. Sciendum tamen est, quod si aliqua vtilitas vel necessitas immineat, possunt Domini præsidentes capitulum diutius prolongare, donec omnia bene, matureq; determinentur. In fine vnus de præsidentibus, si tempus patitur, breuem Patribus exhortationẽ de his vel similibus impendat.

Venerabiles patres, quoniã nunc. Deo fauẽte, hoc prouinciale capitulũ nostrum celebrauimus: ne abinuicem discedentes, eorum quæ audiuimus propter multitudinẽ obliuiscamur: breuẽ, q̃ facio, admonitionẽ, patiẽter auscultate. Exhortamur in primis, quatenus vnusquisq; vestrũ sedulò meminerit, quod regula dicit,

Sciat Abbas culpæ pastoris incumbere, quicquid pater familias in ouibus suis vtilitatis minus potuerit inuenire. &c. Et subiungat exhortando, prout dominus dederit, de munda religione seruanda. De professione fideliter exequenda, de pace & charitate ac beneuolentia ad omnes &c. Postremo, vt cum honestate debitis solutis ex hospitiis recedant, sui cum scitu hospitis, non occultè, sed palam &c. Et, vt huius Capituli statuta singulis suis subditis Abbates publicent: & faciant duas conuentualiter cantari Missas, vnam pro viuis, aliam pro defunctis nostri ordinis, fratribus. aliasq; iniunctas orationes cõpleri: receessumq; in suis monasteriis in necessariis fratribus publicè legi. *His completis, detur à præsidente benedictio ambulantibus vt moris est, omnibus mediocriter inclinantibus.* Saluos fac seruos tuos. Deus meus sperantes in te. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Adesto Domine supplicationibus nostris: & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone: vt inter omnes vię & vitæ huius varietates, tuo semper protegantur auxilio, per Christum Dominum nostrum. *His perfectis, singuli vadant ad sua exceptis præsidentibus & officialibus, si qui aliqua haberent ordinare, computare, vel soluere.* Hæc de modo & ordine Capitulum prouinciale celebrandi tantum conscripsi: in quo licet non omnia contineantur agenda, multa tamen habentur pro talibus hic opportuna. Singula quoq; dominorum præsidentium examen subire non recusant.

BVLLA CONCILII BASILEENSIS SVPER REformatione ordinis sancti Benedicti per prouinciam Moguntinam.

SAcrosancta generalis Synodus Basileensis in spiritu sancto legitimè congregata vniuersalem Ecclesiam repræsentans, dilectis Ecclesiæ filiis vniuersis & singulis prę̃sidentibus, & visitatoribus pro futuris Capitulis prouincialibus nigrorum monachorum vbilibet deputatis & in futurum deputandis. Salutem & omnipotentis Dei benedictionem.

Inter curas multiplices, quibus occurrentium rerum & negociorum vniuersalis Ecclesiæ varietatibus distrahimur, illa potissimũ mentes nostras incitat & inducit, per quã regulares ordines & loca iugo sanctimoniæ dedita in spiritualibus reflorcant: vnde efficaces ad id solicitudines libenter impendimus, vt ordines & loca ipsa, quæ deformitatis opprobrium attigerunt, ad semitas debitæ reformationis reducantur: & continuum dirigente Domino in eisdem spiritualibus & etiam temporalibus suscipiant incrementum.

Sanè dilectorum Ecclesiæ filiorum religiosorum ordinis nigrorum nationis germaniæ nobis nuper exhibita petitio continebat: quod licet dudum Patres super reformatione ipsius ordinis certos inclusissent salubres articulos, nonnulli tamen ex suppositis ordinis & nationis huiusmodi cum visitatores seu reformatores prouinciales ad eos accedunt iuxta ipsorum formam articulorum se reformari non permittunt: occasionem summentes, quod huiusmodi articuli à nobis non processerunt, quodq;, si reformationem aliquam ordinaremus, illam reciperent.

Quare pro parte religiosorum nationis huiusmodi nobis fuit humiliter supplicatum, vt reformationem in omnibus monasteriis, in quibus maior non viget obseruantia regularis, nationis & ordinis iuxta articulorum prædictorum continentiam atq; formam fieri mandare dignaremur.

Nos igitur, quorum principaliter interest, quique ad hoc in vnum diuina sumus prouidentia congregati, vt salutaris reformatio ecclesiæ Dei in capite & in membris constanter fiat, vt perseueret: attendẽtes articulos huiusmodi iuri scripto & regulæ beati Benedicti conformes fore, ipsosq; nedum in prædicta, sed etiã in omnibus & singulis aliis nationibus monasteriis atq; locis dicti ordinis, quo ad reformationem huiusmodi locum habere & obseruari debere, necnon sup prę missis opportunè prouidere volentes, discre-

scretioni vestræ per hæc scripta mandamus, quatenus vos & vestrum singuli prout ad cuiuslibet spectat, & pro tempore spectabit officium, quotiens vestris (quas quo ad hoc oneramus) conscientiis videbitur expedire, in omnibus monasteriis & locis sæpedicti ordinis, in quibus maior non viget obseruantia regularis, visitationis & reformationis officiũ fideliter & solicitè exercere, secundum dictorum articulorum (quorum tenores inferius de verbo ad verbum annotari fecimus) continentiam atque formam, autoritate vniuersalis Ecclesiæ curetis.

Nos enim, vt ex visitationis & reformationis huiusmodi studio fructus sequãtur optati: omnes & singulos monasteriorum & locorum, quæ vos visitare contigerit, Abbates & alios præsidentes, & personas cuiuscunq; status, gradus, ordinis, & conditionis existant, iuxta excessuum per eos pro tempore perpetratorum qualitatem & exigentiam, sanctionesq; canonicas ac regularia dicti ordinis instituta, prout animarũ saluti ac monasteriorum & locorum ipsorum statui & indemnitatibus congruere prospexeritis corrigẽdi, pæniscq; debitis percellendi, necnon Abbates alioscq; præsidentes & personas huiusmodi, ac eorum quemlibet, si id humiliter petierint, ab omnibus & singulis excommunicationum, suspensionum & interdicti sententiis, censuris & pœnis, quibus pro tempore ligati repientur, vel quas in eos per executionem huiusmodi officii quomodolibet forsan cõtigerit ꝓmulgari in forma ecclesiæ consueta, iniunctis inde eis ꝓ modo culpæ pœnitẽtia salutari, & aliis quę de iure fuerint iniungenda: absoluendi, nec non articulos prædictos publicandi & insinuãdi, illoscq; ab omnibus subditis recipi & obseruari faciẽdi, ac oña alia & singula in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria vel opportuna disponẽdi, ordinandi, statuendi, & exequendi. cõtradictores quoq; & rebelles per cẽsuram ecclesiasticam ac alia iuris remedia (inuocato ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii secularis) compescẽdi plenam & liberam vobis & vestrum singulis autoritate vniuersalis ecclesiæ concedimus tenore præsentium facultatem: non obstantibus cõstitutionibus Apostolicis, statutis ac consuetudinibus monasteriorum & locorum & ordinis prædictorum iuramento, cõfirmatione Apostolica, vel alia quauis firmitate roboratis ceteriscq; contrariis quibuscunq;. Seu si monasteriis, locis & ordini Abbatibus ceteriscq; prẽsidentibus & personis, vel quibusuis aliis communiter vel diuisim à sede Apostolica sit indultum, quod aliquos præter & contra eis concessa priuilegia seu indulta ad visitãdum, vel aliàs admittere minimè teneantur, & ad id compelli, vel excommunicari, seu ip si aut monasteria & loca huiusmodi interdici vel suspendi non possint, per litteras non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. & quibuslibet etiam Apostolicis priuilegiis, exemptionibus & indulgentiis, generalibus vel specialibus quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta vestræ iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, quæ quo ad hoc ipsis non volumus aliquatenus suffragari.

DE ABSOLVTIONE.

VOlumus autem, quòd quilibet ex præsidentibus & personis eisdem, quem ab huiusmodi sententiis, censuris & pœnis, seu ipsarum aliqua absoluendum duxeritis, singulis, quibus propterea satisfactio forsan fuerit impendenda, illam infra competentem peremptorium per vos statuendum terminum impedimento cessante canonico impendere debeant & teneantur. Alioqn eo lapso termino in sententias, censuras, & pœnas pristinas relabantur eo ipso. Tenor verò articulorum prædictorum prout processerunt, sequitur & est talis.

ARTICVLI PRO REFORMATIONE

QVIA disciplina regularis & religionis sanctitudo penè tota corruit, & miserabiliter collapsa est in graue scandalum totius ordinis nigrorũ monachorum, ac dedecus, opprobrium, & contemptum omnium eiusdem ordinis professorum, sed & quod magis horrendum est, in lethale damnum salutis animarum. Etenim ablatus est prohdolor à religione omnis decor eius: & quæ dudum gloriari poterat in Domino, dicens: nigra sum habitus vilitate, sed formosa morum & conuersationis sanctitate, nunc prohdolor, sancta quondam rusticitas monachalis in lasciuiam & petulantiam conuersa est: vt neq; re, neq; specietenus vlla iam superesse videatur pristinæ sanctitatis imago.

Proinde nos Abbates & ceteri religiosi dicti ordinis in sacro Basileensi concilio congregati, tantis & tam enormibus scandalis, summis desideriis, summoq; studio prouidere volentes, ad eiusdem ordinis reformationem, ne grauiorem (quod absit) deinceps patiatur ruinam, conuenimus & congregati sumus in vnum, prædictæ reformationi quotidianis laboribus deuotè & salubriter intendentes, quædam initia religionis & fundamenta explicauimus, vt ab istis incipiendo deformata monasteria ad frugem monasticæ professionis proficere valeant: atq; ex abundanti cautela à regula beatissimi Benedicti patris nostri & felicis recordationis Domini Benedicti Papæ 12. constitutionibus excerpsimus, quæ censuimus in omnibus monasteriis & locis dicti ordinis, in quibus maior non viget obseruantia regularis debere obseruari.

Non tamen propter hoc intendimus, sicut nec possumus ceteris, quę in præfata regula continentur, etiamsi per nos nunc non explicentur aut constitutionibus laudabilibus Patrum & obseruantiis maioribus quo minus ad ipsa religiosi dicti ordinis teneantur vt prius, quouis modo derogare.

De opere diuino. Articulus 1.

Et primo, sicut prædicta regula sancti Benedicti de seruitio diuino multum solicitè curauit, nos ipsam insequentes ordinamus, quod diuinum officium diurnum pariter & nocturnum, deuotè, tractim, pausatim, non transcurrendo, non syncopando, horis competentibus, prout in regula beatissimi patris nostri continetur, celebretur. Et quod mox, cum auditum fuerit signum, relictis omnibus quæ fuerint in manibus summa cum festinatione occurrant: cum grauitate tamen, ne scurrilitas inueniat fomitem: ita quod nihil operi Dei præponatur.

Et ne excusari prætextu ignorantiæ non auditi signi valeant, volumus quod tractus matutinarum (qui in media nocte vel circa incipiendus est) primæ & vesperarum adminus vltra quartam partem horæ perduret.

Qui vero ad præfatum officium non non venerit, irremissibiliter, prout continetur in regula puniatur.

De confessione & celebratione missarum. Articulus 2.

Volumus & ordinamus etiam, quod Abbates & ceteri ordinis prædicti confiteantur, celebrent & communicent: prout in constitutionibus Benedicti Papæ 12. de Missarum celebratione continetur.

Et quod illi, qui secundum iuris & Benedictinarum sanctiones in sacris aut presbyteratus ordine constituti esse debent, infra annum omnes ad ipsos promoueantur: & contra negligentes procedant visitatores. prout de iure possunt.

De capitulo quotidiano culparum. Articulus 3.

Volumus insuper & ordinamus, quod qualibet die in locis, vbi sunt sex monachi & aliis, vbi consuetum est, post primã si tantum vna missa dicatur: si verò duæ post primodictam, vel alia hora consueta teneatur Capitulum quotidianum, in quo de disciplina regulari post martyrologium, & lecturam regulæ (quæ vulgariter per præsidentem ipsi Capitulo, seu per alium, cui ipse iusserit, exponatur) antequam ad alia procedatur, negligentium seu delinquentium culpæ & excessus puniantur.

De libris & ornamentis Ecclesiæ. Articulus 4.

Volumus, quod quilibet Abbas, aut præ-

præsidens cum ad suum monasterium deuenerit, prouideat ilico infra mensem de mundis & bonis, vase, & loco, vbi sacra eucharistia reponatur: necnon libri, cum ceteris ornamentis diuinum officium & monasterium concernentibus, cum diligenti custodia reseruentur.

De forma & honestate vestimentorum atq; tonsura. Articulus 5.

Cum per decentiam habitus extrinseci dicti ordinis professi atque nouitii debeant morum honestatem atque religionis ostendere: statuimus & ordinamus, quod omnes deferant tonsuras largas & latas: ita quod circulus ipsarum spacium seu grossitudinem duorum digitorum transuersalium non excedat. Seq; decenter habeant in vestibus, habitibus, & calceamentis iuxta Cle. *ne in agro*, & constitutionem præfati Benedicti Papæ 12. *de forma & honestate vestimentorũ:* vt videlicet portent tunicas & vestes habitui superiori proximas nigri vel bruni coloris iuxta morem apud eos seruari solitum: rotundas & talares non fissas, nec alia deformitate notandas, largas manicas habentes vsq; ad pugnũ protensas, nullo modo botonatas seu nodatas: non tamen adeo largas, vt latitudo ipsarum supra pugnum cum pollice erecto valeat extendi: nec circa os cubiti, sicut habet abusus quorundam vltra protendatur, quam quod brachium possit faciliter verti & infraduci.

Almuciis de pellibus loco capuciorum sint contenti. Caputiis tamen honestis in locis, in quibus soliti sunt ipsa portare, fissis super humeros longitudine quatuor digitorum transuersalium ad minus vti de licentia Abbatis possunt.

In vestibus sendatum pro foderaturis vel minuta varia seu alia preciosa non portent: sed tantum agniculorum seu agnellorum pellibus pro dictis foderaturis, aut saltem pannis aliis non preciosis vtantur.

Nec foderaturæ supra collũ, vel in fimbriis vestium, seu manicarum appareant aliquo modo.

De habitu itinerantium. Articu. 6.

Præterea cum ipsos extra monasterium continget proficisci, floccum vel cucullam, aut cappam portẽt, & subtus cappam, si eam portauerint, cucullam aut scapulare habeant.

De habitu nouitiorum & conuersorum. Articulus 7.

Nouitii vero cuculla intus monasterium & extra aperta ad vtrumque latus vtantur. Conuersi autem scapulari cum caputio sibi connexo clauso intus & extra monasterium vtantur.

De longitudine & latitudine vestimentorum. Articulus. 8.

Verum, quia prædictis habitibus quidam magis amplis & longis, alii vero minus, quam deceat vtuntur, ea propter lõgitudinem latitudinemq; prædictorum duximus præsentibus inserenda. quæ volumus communiter obseruari. Et primo à caputio flocci incipientes. Ordinamus, quod ipsius latitudo non attingat os cubiti, grossitudine duorum digitorum transuersalium: nec valeat esse strictius, seu ita breue, quin vsque ad medium cubiti & ossis superioris prope spatulam protendatur: retro vero ad minus protendatur vsque ad corrigiam, nec vltra ipsam quatuor digitis extendatur.

Longitudo autem manicarum per cubitum vnum vltra manum & non plus protendatur: ac latitudo alium cubitum cum dimidio non excedat. floccus tamen inferius sit adeò latus, quod passus infra ipsum faciliter fieri possint.

Et ea quæ dicta sunt de flocco, intelligi volumus de cucullæ manicis, cum nullas habeant, semotis. Intra vero monasterium in locis, in quibus fuerint duodecim monachi, omnes flocco vel magnis cucullis vtantur. In aliis vero locis vbi non fuerit tanta congregattio, cucullis vtantur non floccis, excepto præsidẽte monasterii & secundo post ipsum, quos floccum omnino portare volumus. In operibus tamen, & diuino officio subtus albam, equitando subtus cappam scapulare latitudinis adminus dimidii cubiti portare valeant.

Et stiuallas seu botos vel sotolares corrigiatos altos, ita quod latitudo spacium quatuor digitorum comprehendat de tibia super cauillam portent.

Quòd

Quod si in aliquo præmissorum fuerint negligentes, seu infra tres menses postquam ad sua monasteria venerint nõ portauerint habitus (vt præfertur) vltra pœnas à iure inflictas, per eorum superiores in eorum religione, vel superiorem, si non habeãt, per visitatores Capituli prouincialis eos taliter volumus puniri, quod ceteris cedat in exemplum.

Vt monachi in refectorio communiter viuant sine carnis esu. Articu. 9.

Item, quod fratres communiter viuant & comedant in refectorio: in quo nullus omnino carne vescatur. Et diligentes sint visitatores, vt constitutionem Benedicti de esu & abstinentia carnium faciant inuiolabiliter obseruari.

De lectione mensali. Arti. 10.

Mensę quoq; fratrum sancta lectio non desit: & qui lecturus fuerit tota hebdomada, dominica ingrediatur post benedictionem, prout in regula Capitulo. 38. de hebdomadario lectore.

Quomodo dormiant monachi. Arti. 11.

Singuli per singulos lectos vestiti dormiant in eodem loco, si fieri poterit, vel saltem deni aut viceni: non autem per cameras, maximè, si non fuerint cancellatæ competenter. ita quod apertè & clarè possint videri in eis lectisternia pro modo conuersationis secundum dispositionem Abbatis: & culcitris de plumis non vtantur.

Si vero cameræ in dormitorio reperiantur, præcipimus per visitatores, aut eorum mandatum destrui eas, vel competenter cancellari.

De silentio in quatuor locis Arti. 12.

Silentium in oratorio, dormitorio, refectorio, & in clausstro obseruetur.

Et post completorium nulli liceat quicquam loqui, nisi prout in regula continetur. Et ante dictum completorium legatur collectio Patrum, seu aliud ædificans.

De portario monasterii. Arti. 13.

Ad portam cuiuslibet monasterii, vnus portarius seu ianitor prouidus & discretus deputetur, ne sine Abbatis vel alterius præsidentis licentia de eodem alicui egrediendi libertas concedatur. Quod si quisquam sine huiusmodi licentia exiuerit, pœnis condignis & debitis subiicitur, vt habetur in constitutionibus Benedicti 12. de licentia extra monasterium exeundi ordinatis.

Attentus insuper sit, quod mulieres intrare monasterium nullo modo permittat.

Ne aliquis de ordine mendicantium ad ordinem nostrum suscipiatur. Arti. 14.

Præterea, quoniam audiuimus, quod quidam Abbates & alii præsidentes in monasteriis, mendicantes religiosos receperint in monachos, sine superiorum ipsorum licentia, ac postmodum (quod deterius est) ipsos in animarum suarum detrimentum & scandalum religionis vagari permittunt: prohibemus, ne talia decetero præsumant, & illos quos iam receperint, nisi de auctoritate sedis Apostolicæ & mandato vel sufficienti licentia, quantocyus poterunt & alios extra monasterium vagantes, vel saltem infra annum teneantur ad monasterium reuocare. alioquin à visitatoribus Capituli prouincialis grauibus pœnis mulctentur.

De monialibus. Artic. 15.

Ea vero, quæ dicta sunt de monasteriis virorum volumus in monasteriis monialium quo ad articulos sibi competentes similiter obseruari. Volentes nihilominus & ordinantes, quod sub debita & perpetua clausura teneantur, prout in constitution. Bonifacii, quæ incipit. *periculoso de sta. mo.* continetur: & per istud Concilium sacrum Basileense obseruari mandatur, præcipientes in virtute sanctæ obedientiæ visitatoribus Capituli, quod super hoc diligentiam apponant.

De magistro nouitiorum. Arti. 16.

Item ordinamus, quod Abbates & alii præsidentes in suis monasteriis magistros idoneos & sufficientes habeant, qui suos nouitios in primitiuis scientiis introducant: & deinde introductos competenter secundum formam statutorum præfati Benedicti 12. ad generalia studia transmittant, pensionem eis assignando.

De numero monachorum. Artic. 17.

Volumus & ordinamus, quod in omni monasterio, vbi sufficiunt facultates & redditus, teneatur numerus monachorum institutus à fundatione: vel si non sufficiant, teneantur tot, quot commodè sustentari poterunt. Ita quod prætextu cuius-

cuiuscunque priuilegii, pacti, transactionis aut consuetudinis, qui dicitur corruptela, non excusetur quisquam, præsertim illam corruptelam reprobantes, qua dicunt se aliqui nullum nisi nobilem recipere posse. Nam etsi nobiles in receptione, ceteris paribus præferantur, tamen & alii ob hoc non excluduntur: nec debent excludi.

Ne bona monasteriorum partiantur, sed omnibus in communi prouideatur. Arti. 18.

Cum omnia bona monasterii sint pro sustentatione monachorum, & aliis necessitatibus supportãdis ordinata, de quibus iuxta exigentiam omnium singulis debet prouideri, vt habetur in regula ca. 33. absurdissimum est, quod abbates & officiarii de prouentibus monasterii ad superfluitatem eructent, & pauperes monachi claustrales in vestitu vel in victu, aut aliis necessitatibus, & præsertim in infirmitate corporis egeant: sic quod sæpe ad parentum subsidia redire coguntur. Volumus & ordinamus, quod non obstantibus participationibus onerum abbatis & officiariorum inter se, omnia necessaria monachis tribuantur de bonis monasterii vniuersaliter. Et ad hoc faciendum fiat resolutio vsq; ad prouentus quorumcunque officiariorum, & abbatis similiter. Nec partitio illa, nec quæcunque alia consuetudo ipsi abbati vel quibuscunque officiariis possit in oppositum suffragari. Super quo volumus præcipuè visitatores capituli intendere.

De locis non tradendis ad firmam Arti. 19.

Loca ordinis non tradãtur ad firmam, nisi cum obseruatione Benedictinæ de locis non tradendis ad firmam: quam volumus firmiter obseruari, tam respectu personarum, quibus traduntur, quam etiam aliarum circumstantiarum.

De mutuis. Articulus 20.

Volumus etiam, quod cum imminebunt fienda mutua, similiter prouideatur constitutio præfati Benedicti Papæ 12. de mutuis & venditionibus: quam similiter obseruari sub pœnis ibidem adiectis, & aliis infligendis per præfatos visitatores capituli strictissimè præcipimus.

De inuentariis monasteriorum. Articulus. 21.

Vt autem manifestius videantur & cognoscantur dissipatores bonorum monasterii aut restauratores, volumus, quod in assumptione cuiuslibet abbatis vel alterius præsidentis, fiant inuentaria, prout in constitutionibus præfati Benedicti Papæ 12. de inuentariis continetur.

De monachis proprietariis. Articulus 22.

Contra vitium proprietatis seruetur, quod 33. c. habetur super hoc eodem titulo, Domni Bened. Papæ 12. & iuxta formam iuris communis.

De resignatione officialium. Arti. 13.

Volumus, quod omnia beneficia vel officia, quæ sunt deputata ad supportationem onerũ, tam in victu, quam in vestitu monachorum, si ad mandatum abbatis soluere, vel ministrare religiosis ea quæ debent termoniti recusauerint, possit dictus Abbas, & debeat cum consilio trium vel quatuor seniorum monasterii eos à dictis officiis, seu beneficiis remouere: & loco eorum alios stabilire, quacunque appellatione semota: constitutione Benedicti Papæ 12. in ceteris in suo rigore manente.

Qualiter monachus ad aliud monasterium mittatur. Arti. 24.

Inhibemus, ne abbates leuiter dent licentiam suis monachis transeundi ad aliud monasterium, nisi vtilitatis, seu honestatis euidens causa appareat: quo in casu transeat monachus ille cum suis vestimentis, & necessariis, & expensis duntaxat, reprobantes omnino compositionem bonorum, quoniam propter illa sæpe inclinantur ad dandam licentiam.

De pluralitate beneficiorum monasterii. Articulus 25.

Volumus & districtè mandamus, quod nullus monachus teneat beneficia duorũ vel plurium monachorum: quoniam vnum illorum frustratur bonis sui monasterii, quod est damnabile.

De spoliis beneficiorum.

Volumus & ordinamus, quod dum aliquis prior, officiarius, aut alius administrator moritur, abbates recipiendo bona illius habeant seruare constitutionem præfati Benedicti Papæ 12. & in capitulo annali sui monasterii faciant relatio-

onem : scilicet, quid vel quantum receperint, & in quo statu prioratum illum inuenerint, qualiter munitum, aut fulcitum bonis pro successore dimiserint. Et de his se informent visitatores prouincialis capituli. Quod si repererint illũ Abbatem spoliasse prędatũ prioratum bonis, & vtensilibus necessariis, eum ad restitutionem compellant, & diligenter inuestigent, si illa bona necessaria illi cui contulerit prioratum vendendo, prauitatem simoniacam incurrerit: & debitis pœnis culpabiles secundum qualitatem excessuum puniant, aut per capitulum puniri faciant.

De prælatorum residentia in monasteriis. Arti. 27.

Eo, quod Abbates teneantur præcipuè ad monstrandum exemplum bonæ vitæ suis monachis, ac eorum præsentia in sustinentia ordinis multum sit subditis consolatoria, volumus & mandamus, quod visitatores capituli habeant compellere Abbates, aut alios præsidentes, vt suam residentiam ordinariam, & mansionem solitam infra septa monasterii faciant: nec moram faciant in castris remotis, nisi rarò & interdum causa modicæ recreationis duntaxat, vel alicuius vtilitatis publicæ consequendæ.

Vt abbates & monasteriorum præsidentes in solennitatibus celebrent ibidem. Arti 28.

Volumus etiam, quod dicti Abbates in solennitatibus præcipuis, & aliis secundum morem & consuetudinem hactenus in dictis monasteriis laudabiliter obseruatam ibidem celebrent.

Ne monachi cum parentibus habitent. Arti. 29.

Inhibemus, ne Abbates permittant suos religiosos mansionem longam facere & domicilium cum suis parentibus, aut aliis laicis: nec talium seruitiis implicari. immo si non posset vnus prior cũ vno religioso admin⁹ viuere honeste, & competenter in suo prioratu, reducatur ad monasterium secundum constitutionem Benedicti Papæ 12. & Concilii Viennensis, quæ incipit. *ne in agro.*

De monachis beneficiatis ad studia generalia mittendis. Arti. 30.

Si autem ad studium aliqui priores, aut beneficiati ire voluerint, caueatur summopere, ne sub specie & vmbra studii velint vagari in ciuitatibus. Quamobrem, dum videbuntur inutiles & studium negligentes, remittantur ad claustrum, vel ad suum beneficium, si vt, dictum est, ibi viuere possint. Et de hoc solicitudinem diligentem habeat facere prior generalis monachorũ in studio: quem priorem volumus diligẽter visitari & corrigi per capitulum prouinciale, infra cuius metas tale studium fuerit.

De capitulo culparum monachorum studentium. Arti. 31.

Volumus, quod Prior monachorum studentium dicti ordinis de 15. in 15. dies habeat tenere suum capitulum. & ibi corrigere & punire secundum formam regulæ quoscunque monachos studẽtes, dum exorbitauerint scandalosè in vita seu vestitu, ac desuper debeat inquirere diligẽter, & inuestigatores probos de ipso ordine in eodem studio ponere.

Secundum formam consti. Domini Bened. Papæ 12. non continuetur aliquis prior generalis in studio nisi per annum. Et volumus, atque statuimus, quod idem prior sit Baccalaurius format⁹ in Theologia vel Licentiatus in Decretis, aut homo profectæ & probatæ religionis. Qui prior etiam habeat autoritatem puniendi contumaces & rebelles per incarcerationem corporum, cum assensu tamen quatuor vel quinq; notabilium religiosorum existentium in studio eligendorum per religiosos dicti ordinis ibidem studentes: & vltra cum prædictorum consensu dum viderit aliquos incorrigibiles, & nimium scandalosos, possit illos ad claustrum, vel prioratum suum remittere.

Item volumus & ordinamus, quod omnes religiosi venientes ad studium, dicto priori infra quinque dies se præsentent. habeatque omnes conscriptos in libro vno: nec dimittant studium, nisi prius notificata dicto priori causa sui regressus. Qui prior, si viderit causam iniustam ex parte abbatis, tunc curet diligenter intimare visitatoribus prouincialis capituli, vt super hoc prouideant.

Ne monachi peregrinentur. Articulus. 32.

Inhibemus quoque ne Abbates permittãt suos monachos prætextu alicuius deuo-

deuotionis ad aliquem sanctum, aut indulgentiarum acquirendarum in aliquo loco exire de locis suis maximè extra limites suæ diœcesis, nisi forte ad visitandas aliquas regiones, quarum exemplo ædificari possint, aut eas ædificare; sed hoc raro, & cum magna cautela. Nullusq; prior, aut beneficiatus per quinque dies moretur extra suam diœcesim, nisi obtenta licentia à suo Abbate, alioqn per visitatores capituli prouincialis culpabiles acerrimè puniantur.

De aggrauatione pœnarum. Arti.33.

Præfati visitatores habeant potestatem reaggrauandi statuta & infligendi pœnas grauiores consti. *ne in agro.* contra quoscunque religiosos sic inordinatos, seu professionis suæ immemores, quod venaticas aues secundum morem nobilium secularium non verentur gestare supra pugnum, vel per suos familiares ante se deferri faciunt.

Ne victualia dentur in pecuniis. Arti.34.

Inhibemus, ne victualia vestimenta ac alia necessaria monachis in pecunia seu redditibus vllo modo ministrentur, constitutione quacunque aut ordinatione non obstante. Et in hoc seruetur constitutio præfati Bened. Papæ 12.

Volumus etiam, quod prædicta vestimenta & victualia temporibus ordinatis in Benedictina religiosis decenter ministrentur.

De incontinentiæ vitio. Arti,35.

Visitatores quoque capituli exactam diligentiam faciant inquirendo, si in aliquo sint aliqui notati de incontinentia. & vbi repererint sic esse, & præsertim superiores, aut incontinentiam aliorum coniuuantes, omni studio curent illud vitium expurgare cum punitione debita.

Et si hoc propter fauores forsitan personarum facere nequiuerint, capitulo referant prouinciali. Inquirant dicti visitatores, si Abbates sint nimium carnales in distribuendo officia & beneficia sui monasterii: ita quod plus habeant oculum ad promotionē suorum consanguineorum: & propter illos monasterium patiatur ruinam, aut detrimentum in spiritualibus, & damnificetur in temporalibus: & culpabiles durissime reprehendāt, atq; capitulo prouinciali referant.

Inquirant etiam, si abbas in elatione cordis monachos suos pertractet, & non in fraternitate, quasi non sit vnus ex illis: & si non permittat eos quicquam loqui etiam charitatiuè pro bono monasterii & morum: si ipsemet sit suo furore euertens domum suam: & quoscunque culpabiles repererint, curent diligenter corrigere, vel ipsos capitulo prouinciali denunciare.

De obligatione harum constitutionum ad pœnam. Articulus.36.

Per hæc non intelligimus, quod prædicta magis obligent ad culpam quam ante obligabant, sed tantum ad pœnam.

De constitutionibus summorum pontificum. Articulus.37.

Volumus etiam, quod declarationes Romanorum pontificum circa præfatas Benedictinas editæ locum habeant in præmissis.

Vt visitatores in omnibus sint diligentes. Arti.38.

In omnibus præmissis articulis committitur visitationi visitatorum, vt soliciti sint ad lucrum animarum, & secundū dispositionem personarum pariter & locorum in omnibus prudenter agant.

Ne seculares super necessitatibus deputentur monasterii. Arti.39.

Seculares non deputentur supra officiales vel monachos ad recipiendum & colligendum bona monasterii & distribuendum, nisi quantū sint subiecti & seruitores ipsorum officialium monasteriorum, & eis teneantur reddere computū de receptis & distributis. Datum Basileæ. decimo Kalend. Martii Anno à natiuitate Domini. 1439.

Explicit bulla Concilii Basileensis pro reformatione ordinis capitulo transmissa.

INCIPIT CONSTITVTIO DOMINI NICOLAI de Chusa tituli sancti Petri ad vincula presbyteri Cardinalis Legati de visitatione.

NICOLAVS miseratione diuina tituli sancti Petri ad vincula sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter Cardinalis Apostolicæ sedis per Alemanniã legatus. visitatoribus prouinciæ Moguntinæ. &c.

De vita & moribus visitatorum, maximè dum visitant.

Cum pridem & infra. In primis itaque volumus & sub obtestatione promissionis nobis factæ districti examinis extremi iudicii vobis iniungimus: quatenus omni tempore & præcipuè visitationis vestræ in omni conuersatione, vita, moribus & disciplina, tam religiosè, sanctè & honestè vos gerere & habere studeatis, vt ceteris per vos visitandis, nõ tam verbo, quam exemplo totius perfectionis formam præbeatis: procedentes visitationis tempore in habitu decenti, familia, & equitaturis, congrua & honesta, non superflua, ita vt vestrum quilibet capellano & & famulo contentus sit cum tribus equis.

Moderata vobis sufficiat refectio sine murmure. Carnium esus (saluo infirmitatis casu iuxta regulæ permissionem) seu etiam cuiusuis oblati muneris etiam non suspecti susceptio vobis non liceat vllo modo.

Forma visitationis & modus procedendi.

Cum mansuetudine censuram disciplinæ seruatæ, crimina & excessus corrigentes absque vlla personarum acceptione: charitatis & benignitatis omnibus impendere studeatis officia. Discordantes ad concordiam reuocare curate, exhortantes sedulo prælatos ad solicitudinem ac vigilantiam circa commissas animas: & vt recogitent, quanto oporteat eos esse perfectiores aliis, quibus perfectionis viam se docturos spoponderunt: quam graue immineat ipsis periculum, qui in districto extremi iudicii examine pro suis & singulis eis commissis omnibus rationem exactam reddere tenebuntur: & vt vniuersi tam prælati, quam subditi professionis suæ solenniter in persona prælati Domino Deo, qui non fallitur, factæ. & votorum, quæ distinxerunt labia sua, sine quibus est impossibile eos saluari, quomodo ea persoluant: item quam suaue est iugum Domini & leue onus omnibus bonæ voluntatis.

Sed, quia apud plerosque parum proficiunt exhortationis colloquia, si non accesserit etiã coërcionis censura: igitur in monasteriis, siue locis, quæ pro tempore visitaueritis, salubris exhortationis collatione solita præmissa ad explendum visitationis actũ recepto ab vniuersis, de dicenda in eorũ examine veritate corporali iuramento, iuxta commissionis p alias litteras nostras vobis traditæ tenorem procedatis: etiam per coërcionem censurarum & pœnarum inibi expressarum, statuendo, ordinando, & exequendo quæ pro obseruantia & disciplina regulari introducenda & continuanda inibi fuerint opportuna.

Hoc potissimum satagite, vt monasteriorum, quæ visitaueritis prælati huiusmodi vestræ visitationis ministerio taliter instituantur & imbuantur, vt habitu & tonsura decentibus, honestate vitæ, morum grauitate, verbo doctrinæ & sanctitatis exemplo, suis subditis laudabiliter & fructuosè præsint: excessus subditorum iuxta canonica & regularia instituta corrigant.

Omnes monachos suos fugitiuos & absentes, his duntaxat absentibus exceptis, qui parochialium annexarum Ecclesiarum curis alligantur, quantocyus prævalẽt, termino eis ad hoc per nos præfixo competenti ad monasterium suum reuocent, victuros inibi sub disciplina & obseruantia regulari.

Obedientes sint monachi suis Abbatibus, Prioribus & præpositis; quinimo & sibi inuicem in charitate fraterna.

Ne monachi proprium habeant.

Non

Non permittatur quisquam damnabili vti proprietate rerum, seu bonorũ qualitercunque acquisitorum, sed omnia ad communem redigantur vsum.

De incontinentiæ vitio.

Contra incontinentes, tam prælatos quam subditos grauioris procedat districtio censuræ: ita vt nedum publica incontinentiæ vitia digna vltione puniantur, vel coërceantur, verumetiam omnis tollatur è medio materia, vel occasio, vnde possit incontinentiæ suspicio exoriri.

De tribus substantialibus religionis obseruandis.

Tria præcipuè substantialia religionis integerrimè ab omnibus obseruentur: ita vt nulli cuiquam aduersus ea dispensatio aut contraria consuetudo suffragetur.

Vt monachi silentium custodiant in his locis.

Silentium in oratorio, dormitorio, refectorio, & in claustro, aliis locis, & temporibus consuetis obseruetur.

Quomodo reficiant monachi.

Simul reficiantur fratres sub mensali lectione vsq; ad finem refectionis continuanda. Carnium esus sit vniuersis omni tempore & loco (casu à regula permisso dũtaxat excepto) strictissimè interdictus.

Quomodo dormiant fratres.

Omnes simul in vno dormitorio (quantum possibilitas permittit) dormiant, cincti funibus siue cingulis sup mattas siue matracias, vel saga, linteaminibus & camisiis lineis minimè vtentes. Monachi priuatis non dormiant in locis.

De clausura monasteriorum.

Circa ipsorum monasteriorum clausuram debitam cura adhibeatur solicita: nec alicui religioso certis officialibus exceptis fas sit terminos emunitatis claustri sui absque speciali egredi licentia superioris. Ieiunia omnes obseruent tam ab Ecclesia quam à regula instituta.

De diuino officio.

Monachi diuinũ officium diurnũ pariter & nocturnum reuerenter (vt decet) & distincte congruis persoluant horis. Quo expleto lectionibus, aut operibus manuum iuxta temporis & negociorum exigentiam ac regulæ beati Benedicti directionem insudent.

Codices distribuantur fratribus tempore deputato.

Visitentur lecti fratrum aliquoties propter opus peculiare.

De capitulo quotidiano culparum celebrando.

Capitulum culparum quotidie celebretur: in quo præmissis martyrilogii & regulæ lectionibus procedatur ad regulæ expositionem & culparum examen & correctionem.

De celebratione Missarum, confessione, & communione monachorum.

Abbas celebret, seu audiat Missam singulis diebꝰ. Monachi presbyteri in monasteriis residentes ad minus semel in hebdomada, ad celebrandum se disponant. Subsacerdotes ad minus semel in hebdomada confiteantur: & Dominica prima cuiusl bet mensis communicent.

Vt prouideantur fratres infirmi & hospites.

Monachis de cibo, potu, vestibus, & aliis necessariis iuxta determinationem regulæ congruè prouideatur. Loca etiam accommoda in monasteriis ipsis deputata sint, tam pro infirmis quam superuenientibus hospitibus pro tempore: quibus adhibeatur cura & humanitas iuxta eiusdem regulæ dispositionem. Ducantur ad orationem hospites, legaturq; eis lectio sacra ad ædificationem, & lauentur pedes eorum.

Ne debitis monasteria grauentur.

Summa prouidentia curetur, ne importabilibus monasteria prægrauentur oneribus debitorum: ne bona eorum distrahantur seu alienentur inutiliter & sine causa: alienata si quæ sint, solicitè recuperentur.

De conseruatione rerum ac priuilegiorum.

Abbates, præsidentes, seu rectores iura monasteriorum suorum diligenter tueantur & custodiant. Fructus, reditus, & prouentus eorundem monasteriorum in omnes vsus conuertantur, & vtilitates. Libri, vestes, cruces, calices, aliaq; vasa & ornamenta thesauri, priuilegia, iura & litteræ atq; sigilla communia conuentus sub clausuris & locis tutis custodiantur.

Rectores monasteriorum visitatoribus suis computationem facere singulis annis iubentur.

Monasteriorum quoque prælati, seu rectores, de statu temporalium suorum, visitatores suos, per quos visitati fuerint plenè certificent. Sed & ipsi prælati atque singuli officiales eorum de administrationibus suis legalem faciant annis singulis conuenientibus rationem.

Abbates equitaturis superfluis, canibus, & auibus venaticis non vtantur.

Abbates ab equitaturis superfluis & indecentibus, canibus auibusquè venaticis aliisquè animalibus & bestiis (quibus interior homo fœdatur) prorsus abstineant, tam ipsi quam religiosi ac familia eorum.

Monachis infra septa monasterii arma habere non licet, nec compatres fieri.

Nullus religiosorum infra septa monasterii arma habere, aut compaternitatem vel commaternitatem contrahere quoquo modo præsumat.

De monialibus & earundem clausura.

Præmissa nihilominus in quantum abbatissas & moniales concernere possunt, extendi volumus ad easdem: & earum sub vestræ visitationis limitibus consistentia monasteria perpetua. iuxta decre. *periculoso. li. 6.* per vos autoritate Apostolica firmanda clausura.

De his qui de irreformatis monasteriis ad reformationem transire voluerint.

Vobis insuper visitatoribus ac præsidentibus capituli prouincialis, & vestrum cuilibet, vtriusque sexus personas, quæ hoc desiderant, de nondum reformatis monasteriis ad monasteria reformara eiusdem vestri ordinis etiam prælatorum suorum petita, licet non obtenta, licentia, transferendi tenore præsentium concedimus facultatem.

Nicolaus miseratione diuina sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli sancti Petri advincula Cardinalis Legatus. Vniuersis Christi fidelibus per prouinciam Moguntinam. &c.

De clausuris monialium.

Quoniam multorum &c. inf. Districtè præcipimus & mandamus, quod nullus hominum cuiuscunque status, dignitatis & præeminentiæ, etiamsi exemptus fuerit sub pœna excõmunicationis latæ sententiæ, quam ferimus in his scriptis, nisi secundum iuris communis dispositionem ab ordinario, vel cui id incumbit, licentiam habuerit, & aliàs in casibus à iure permissis, deinceps & post executionem præsentis nostri mãdati aliquod monasterium monialium ciuitatis & prouinciæ Mogũtinæ quouis modo intrare præsumat. Quod si quis contrarium facere attentauerit, volumus tunc, vt ille eo ipso absq; vlteriori declaratione ab omnibus pro excommunicato in diuinis & extra vitetur: & vbicunq; fuerit, quamdiu moram traxerit, ibidem seruetur strictissimũ interdictum.

Item moniales sub excommunicationis pœna monasteria sua egredi prohibentur.

Sub simili excommunicationis pœna latæ sententiæ & interdicti, præcipimus omnibus & singulis monialibus monasteriorum prædictorum: quatenus post notitiam præsentium nequaquam etiam data licẽtia per abbatissam, & prioriss am, seu aliam quamcunq;, nisi prout ius commune permittit exire monasterium suum audeant, seu aliqua earum audeat: quinimo contrarium facientem excommunicatam & locum, vbicunque fuerit, interdictum absq; vlteriori declaratione esse volumus.

Mandantes sub simili pœna latæ sententiæ capellanis & presbyteris omnibus de hoc certam notitiam habentibus, vt monialem illam excommunicatã & locũ illum, vbi fuerit, interdictũ publicent.

FINIS.

CONSTITVTIONES PROVINCIALIVM CAPITULORUM ordinis sancti Benedicti per prouinciam Moguntinam, & diœcesim Bambergensem. Præfatio.

QVONIAM volenti singula nostri ordinis scire statuta, quę & qualia per anteceſſores nostros deuotissimos Patres, in prouincialibus sint edita Capitulis laboriosum foret omnia acta & receſſus eorundem ob longitu-

gitudinem percurrere: ne tamen pium sciendi desiderium tantus labor præpediret, cum sit etiam tædio plenum maiora recessuum prædictorum volumina secum quemlibet ferre in celebrandis iuxta morem Capitulis, eadem statuta in vnum abbreuiata comportare aggredior. Et hic huius ordo laboris: summorum Pontificum sanctiones, generaliū quoq; decreta Conciliorum pro huiusmodi celebrandi: Capitulis facta prætermittam: vt eò facilius, quid in reliquis agendum vel sentiendum sit statutis, agnoscatur. Deinde singulorum Capitulorum prouincialium à tempore Constantiens. concilii per nostram prouinciam celebratorum tempora, loca atq; statuta, qua potero breuitate ac diligentia perstringam: Satisq; hunc posteris credo profuturum laborem, si his tamen adere statuenda decreuerint. Qui, si nulli (quod magis vereor) placuerit, ignosci mihi nihilominus precor: qui non proprie, sed Patrum idq; cupientium ac postulantium vtinam satisfacerem voluntati.

Inno. 3. in concilio generali. *Vt de triennio in triennium prouinciale Capitulum seruetur.*

In singulis regnis siue prouinciis fiat de triennio in triennium saluo iure diœcesanorum pontificum, commune Capitulum Abbatum atq; priorum, Abbates proprios non habentium, qui non consueuerunt tale Capitulum celebrare: ad quod vniuersi conueniant præpeditionem canonicam non habentes apud vnum de monasteriis ad hoc aptum: hoc adhibito moderamine, vt nullus eorum plusquam sex euectiones, & octo personas adducat. Aduocent autem in huiusmodi nouitatis primordiis duos Cistercienſis ordinis vicinos Abbates, ad præstandum sibi consilium & auxilium opportunum: cum sint in huiusmodi capitulis celebrandis ex longa consuetudine plenius informati: qui absq; contradictione duos sibi de ipsis associēt, quos viderint expedire: at ipsi quatuor præsint Capitulo vniuerso. ita quod ex hoc nullus eorum sibi auctoritatem prælationis assumat: vnde, cum expedierit, prouida possit deliberatione mutari. Huiusmodi vero Capitulum aliquot certis diebus continuè iuxta morem Cisterciensis ordinis celebretur: in quo diligens habeatur tractatus de reformatione ordinis & obseruantia regulari. Et quod statutum fuerit illis quatuor approbantibus, inuiolabiliter obseruetur, omni excusatione & contradictione & appellatione remotis: prouiso nihilominus, vbi sequenti termino debeat Capitulum celebrari. Et qui conuenerint, vitam ducant communem: & faciant proportionabiliter simul omnes communes expensas: ita quod, si non omnes poterunt in eadem, saltem plures simul in diuersis domibus commorentur. Ordinentur etiam in eodem Capitulo religiosæ ac circumspectæ personæ: quæ singulas Abbatias eiusdem regni seu prouinciæ non solum monachorum, sed etiam monialium secundum formam sibi præfixam vice nostra studeant visitare: corrigentes & reformātes, quæ correctionis & reformationis officio viderint indigere: ita quod si rectorem loci cognouerint ab administratione penitus amouendum: denuncient Episcopo proprio, vt illum amouere procuret: quod si non fecerit, visitatores hoc referant ad Apostolicæ sedis examen. Hoc ipsum regulares canonicos secundum ordinem suum volumus & præcipimus obseruari. Si vero in hac nouitate quicquam difficultatis emerserit, quod per prædictas personas nequeat expediri, ad Apostolicæ sedis iudicium absq; scandalo referatur: cæteris irrefragabiliter obseruatis, quæ concordi fuerint deliberatione prouisa.

Porrò diœcesani Episcopi monasteria sibi subiecta ita studeant reformare, vt cū ad ea prædicti visitatores accesserint, plus in illis inueniant, quod commendatione, quam quod correctione sit dignum: attentissimè præcauentes, ne per eos dicta monasteria in debitis oneribus aggrauentur: quia sic volumus superiorum iura obseruari, vt inferiorum nolimus iniurias sustinere.

Ad hoc districtè præcipimus, tam diœcesanis episcopis, quam personis, quæ præerunt Capitulis celebrandis: vt per censuram Ecclesiasticam appellatione remota compescant aduocatos, patronos, vicedominos, rectores, & cōsules, magnates, & milites,

milites, seu quoslibet alios, ne monasteria præsumant offendere in personis, aut rebus. Et si forsitan offenderint, eos ad satisfactionem compellere non omittant: vt liberius & quietius Deo valeant famulari.

Clemens v. in Con. Viennensi. de sta. mo. ne in agro. in Cle. §. vlti. Ad idem fa. tex. in Cle. Frequens de exces. præla. in fi.

Constitutiones eædem confirmantur.

Ea, quæ felicis re. Innocen. Papa quartus prædecessor noster circa statũ monachorum ipsorum, pro vberiori cultu obseruantiæ regularis, quo ad vsum camisiarum, abdicationem proprietatis, silentium, & esum carnium, ac de eorum Capitulis de triennio in triennium celebrandis, & etiam quo ad quælibet alia statuit quæ omnia innouamus & approbamus: expresse volumus & statuimus firmiter obseruari. Bened. 12. in constitutionibus suis.

De pœna eorum, qui non veniunt ad capitulum prouinciale.

Statuimus & ordinamus: quod in ordine seu religione dictorum monachorũ nigrorum. *vt sup.*

Martinus Papa quintus Abbatibus prouinciæ Moguntinæ & diœcesis Bambergens. *Si contingat vnum è præsidentibus abesse vel suum nolle acceptare officium, ceteri alium cum consilio Patrum eligant.*

Honestis supplicum votis, & inf. Vestris supplicationibus inclinati, vt in celebratione Capitulorum prouincialium vestri ordinis, si aliquando contingat aliquem, seu aliquos ex præsidentibus in eisdem Capitulis eorum officium acceptare non velle, seu illis non posse commodè interesse, alii præsidentes de maioris partis Capitulum tunc facientium assensu, si verò nullus præsidentiũ præsens fuerit, ceteri pro celebratione Capituli conuenientes, alios idoneos in præsidentes his vicibus duntaxat deputare valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus.

Vt etiam præsidentes prædicti locum pro Capitulo huiusmodi celebrando electum &, postmodum ex certis causis incõmodo submissum commutare, & alium priori magis vicinum, cum prorogatione præfiniti celebrandi Capituli temporis prout expedierit eligere valeant, eadem auctoritate indulgemus.

Benedictus 12. in constitutionibus suis.

De subuentionibus & collectis in Capitulis imponendis.

Cum in sæpedicta constitutione Concilii generalis inter cetera sit expressum &c. *vt sup.*

Idem in eisdem constitutionibus. *Venientes ad ipsa capitula honestos famulos secum habeant, & capitulorum huiusmodi turbationes, vel impedimentum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ per se vel alios caueant concitare, vel facere.*

Ceterum statuimus, vt omnes & singuli ad eadem capitula venientes non ducant, vel duci faciant, seu permittant euectiones, seu familiares in numero superfluos, seu quomodolibet excessiuos: sed numero euectionum & familiarium statui eorum cuiuslibet congruo, eos volumus & præcipimus esse contentos.

Ipsi autem familiares, & alii, quos ducent, vel duci facient, seu tenebunt, sint humiles & honesti: de quibus aliquatenus præsumi nequeat, quod alicui Abbati, priori, administratori, officiato monacho, vel cuicunque alteri cum eis, seu aliàs ad ipsa Capitula venienti, aut in eis moranti, vel de illis redeunti, aut Ecclesiis, monasteriis, prioratibus, vel aliis eorum locis inferant per se, aut alios seculares, vel regulares, vel quoslibet alios in personis, vel rebus iniuriam vel offensam: vel quod in aliquo de dictis Capitulis, aut in Ecclesia vel monasterio, seu loco, vbi celebrabuntur, scandalum suscitare vel turbationem facere, seu discordiam, vel contentionem mouere præsumant.

Quod si quis ad inferendam iniuriam, vel offensam huiusmodi, vt turbetur, vel impediatur quodcũq; de dictis Capitulis, sciẽter & ex proposito tales duxerit, vel alios tenuerit, seu ad hoc disposuerit, aut cõuocauerit vel conuocari fecerit, & turbatio, vel impedimentũ huiusmodi, seu aliq ex eis fuerint subsecuta, & qui consentiens extiterit in prædictis, vel aliquo eorundem, aut dans scienter, & ex proposito auxilium, consilium, vel fauorem, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat: à qua duntaxat, si sit Abbas, vel monachus ipsius ordinis per præsidentes capituli prouincialis seu eorum aliquem, quan-

quantum ad ea, quæ ipsum Capitulum prouinciale concernent. quantum vero ad illa de prædictis, quæ annale Capitulum, vel Ecclesiam seu monasterium, aut alium locum, vbi celebrabitur annale capitulum antedictum, seu personas, & bona eorum, vel alia concernerent: per Abbatem, vel alium huiusmodi, annali Capitulo præsidentem autoritate Apostolica: seculares vero, & alii religiosi à sententiis huiusmodi per locorum ordinarios, tunc demum cum satisfactionem impenderint congruentem, & non ante, possint absolui: nisi commissa huiusmodi fuerint, propter quæ sedes Apostolica essent merito consulenda.

Et si mors vel membri mutilatio, seu debilitatio alicuius perpetua, occasione prædictorum factæ fuerint, talis nedum ad administrationem, vel officium, seu beneficium aliquod in ordine seu religione huiusmodi, vel ab illis obtinenda existat inhabilis: sed & obtentis in eis, vel ab ipsis, sit eo ipso priuatus: quæ aliis & non sibi per illum, ad quem collatio, aut quæuis alia dispositio pertinebit, libere conferantur, vel aliàs de illis canonicè ordinetur. Eandem quoq; sententiam excommunicationis ipso facto incurrat quilibet, cuiuscunq; sit præeminentiæ, dignitatis, status vel conditionis, qui per se vel per alium malitiosè impediuerit, vel impediri fecerit scienter & ex proposito, quominus prædicta Capitula liberè valeant celebrari: quiq; præsumpserit euntes ad illa, vel in eis morantes, seu de ipsis redeuntes, capere vel capi facere, seu captos detinere, aut impedire. vel eis, aut eorum familiaribus in personis vel rebus, damna, iniurias, vel offensas occasione huiusmodi, vt videlicet turbetur, vel impediatur celebratio cuiusque ipsorum Capitulorum inferre: nec non quicunque ipsius ordinis seu religionis, qui prætextu visitationis malitiosè & ex propositò prædicta, vel eorum aliquod per se vel alium commiserit in personas Abbatum, priorum, aut aliorum maiorum prædictorum proprios subiectos visitantium, vel in personas visitatorum in prouincialibus capitulis vel p Abbates alios, seu prę latos principalium, vel propriorum monachorum deputandorum vel familiarium eorundem, aut in bonis eorum: & quicunq; prædicti ordinis, qui in visitationibus huiusmodi, vel correctionibus, seu executionibus processus eorum malitiosè impediuerint, vel eis procaciter & proteruè se opposuerint, aut prædicta facientibus consenserint per se vel alium, preces, minas, literas, auxilia potentium secularium, vel laicorum, vel quæcunq; alia impedimenta malitiosè procurando: & impedi enses eundem ordinem, seu religionem ipsam in contributionibus legitimè faciendis.

Præsidentes autẽ prouincialibus & annalibus Capitulis prælibatis, & eorum quilibet, dum simpliciter & de plano eis constiterit aliquem ex prædictis præfatam excommunicationis sententiam incurrisse: ipsum p omnia eiusdem ordinis, seu religionis loca vicina, de quibus eis videbitur, tamdiu solenniter publicent, & faciãt ab aliis auctoritate Apostolica publicari, eis super hoc non parentes per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compellendo, donec congruam satisfactionem impenderint, & per ipsos præsidentes duntaxat, vel per duos eorum ad minus auctoritate prædicta fuerit absolutus.

Ex Concilio Constantiensi. *Quando & quare Capitulum prouinciale fuerit reerectum, & quo tempore.*

Vetus tradit auctoritas, & experientia manifestat, quod parum est iura condere, quantumcunq; celebria, nisi ea debitæ executioni demandentur. olim diuersis temporibus tam generale concilium, quam Honorius ac etiam Benedictus 12. felicis recordationis Romani Pontifices super prouincialibus Capitulis in ipsa religione & ordine de triennio in triennium celebrandis, & de generalibus ipsorum Capitulis tenendis annis singulis, statuta salubria multa maturitate digesta leguntur edidisse: quæ quidem Capitula prouincialia, necnon generalia in religionibus quamplurimis raro à longis temporibus executioni mandata feruntur: ex quorum omissione multa in spiritualibus & temporalibus incommoda, & ferè irrecuperabilia detrimenta religioni huiusmodi prouenerunt.

Cum itaq; ex huiusmodi Capitulorum celebratione deprauatorũ correctio morum

morum reformatio, plurium malorum vitatio, & multiplicis boni promotio, non dubium soleant euenire. nos qui reformationem huiusmodi sacræ religionis & ordinis (cuius sanctitatē & venerationem ostendunt documenta Patrum) in viscer ibus gerimus charitatis, proposuimus, quæ circa hoc omissa sunt restaurare: atq; specialiter nouos dictarum constitutionum executores in partibus, vbi veteres secundum illarum tenores non reperiuntur, ordinare, antequam sacrum dissoluatur Concilium. & pro nūc in prouincia Moguntina, in qua de præsenti degimus inchoantes, volumus & ordinamus, quod prouinciale Capitulum Abbatum & priorum seu præpositorum Abbates proprios non habentium in dicta prouincia Moguntina & diœcesi Bambergensi, ipsi prouinciæ in prætactis constitutiouibus Benedicti 12. coadunata consistentium celebretur, in hac Constantiensi ciuitate seu in eius suburbiis, videlicet in monasterio Petridomus dicti ordinis sancti Benedicti vltra pontem huius ciuitatis, vbi sacrum generale residet Concilium: in quo quidem Concilio plures diuersarum regionum huiusmodi ordinis Abbates & Patres existunt, qui in prædictis Capitulis prouincialibus prouinciæ Moguntinæ in his consilium & auxilium opportunum præstare ipsosquo dirigere valebunt, cum sint in huiusmodi Capitulis celebrandis ex longa consuetudine plenius informati.

In eadem bulla præfati concilij fuerunt citati omnes Abbates, & prælati totius prouinciæ Moguntinæ & diœcesis Bambergensis huius ordinis, vt pridie Kalendas Martij Anni Domini 1417. in ciuitate Constantiensi in monasterio Petridomus personaliter comparerent ad celebrandum huiusmodi prouinciale Capitulum: quod etiam taliter factum fuit. Et ab hoc tempore in præfata prouincia Capitulum de triennio in triennium iuxta summorum pontificum constitutiones hucusq; celebratum est.

CAPITVLVM PROVINCIALE PRIMVM IN Constantia celebratum fuit Anno Domini 1417.

ANno Domini Millesimoquadringentesimo decimo septimo, die vltima Februarii indictione decima, Apostolica sede vacante tertio anno concilii Constantiens. celebratum fuit primum Capitulum prouinciale nostri ordinis Moguntinæ prouinciæ & diœcesis Bambergensis, Cōstantiæ in monasterio Petri domus: in quo præsederunt venerabiles Patres Ludvvicus Trenorchiens. cœnobii Cabilonensis diœcesis. Thomas Eboracensis cœnobii huius & diœcesis, Sifridus Elvvangensis Augusten. diœcesis, & Iohannes sancti Georgii Constant. diœcesis. Monasteriorum Abbates.

De statutis in eodem Capitulo editis.

In isto Capitulo prouinciali multi Patres præsentes fuerunt citati per concilium generale Constantiense: & qui per se interesse non poterant per suos procuratores mandata destinabant, Et qui in eodem Capitulo plura pro regulari obseruantia statuta edita fuerunt, quæ in singulas rubricas distinctas præsentibus inserui.

Cum qua reuerentia & disciplina opus Dei agendum sit.

Ad ordinis reformationem mentis nostræ oculos dirigentes ordinamus: quod diurnum pariter & nocturnum officium deuotè, tractim, pausatim, non transcurrendo, non syncopando, & horis competentibus, prout in regula sanctissimi Patris nostri Benedicti continetur, celebretur. Ad quod mox, cum auditum fuerit signum, relictis omnibus, quæ fuerint in manibus summa cum festinatione concurrant: cum grauitate tamen, ne scurrilitas inueniat fomitem: ita quod nihil operi Dei præponatur.

Et, ne excusari prætextu ignorantiæ non auditi signi valeant, volumus quod tractus matutinarum (quem in media nocte incipi volumus) primæ & vesperarum ad minus vltra quartam Partem horæ perduret.

Qui vero ad præfatum diuinum officium

Qui vero ad præfatum diuinum officium non venerit, irremissibiliter, prout continetur in regula, puniatur.

Volumus etiam quod Abbates, & ceteri ordinis præfati celebrent, confiteantur & communicent, prout in con. Bened. 12. de missarum celebratione continetur.

De capitulo culparum.

Volumus insuper, & ordinamus, quod qualibet die in locis, vbi sunt sex monachi & aliis, vbi consuetum est post primam, si tantum vna missa dicatur, si verò duæ post primodictam, vel alia hora consueta teneatur Capitulum quotidianum. In quo de disciplina regulari post martyrilogii & lecturam regulæ (quæ vulgariter per præsidentem ipsi Capitulo, vel alium, quem ipse iusserit exponatur) antequam ad alia procedatur, & negligentium seu delinquentium culpæ & excessus puniantur.

Ornamenta ad diuinum cultum spectantia munda sint.

Volumus, quod quilibet, cum ad monasterium suum venerit, de mundis ac firmis vase ac loco, inibi, vbi eucharistia reponatur, infra mensem prouideat. Ac libri cum ceteris ornamentis diuinum officium monasterii concernentes cum diligenti custodia reseruentur.

De forma & honestate vestimentorum ac tonsuræ.

Quia per decentiam habitus extrin seci dicti ordinis professi & nouitii debent morum honestatem ostendere, statuimus & ordinamus, quod omnes tonsuras deferant largas & latas: ita quod circulus ipsarum spacium seu grossitudinem duorum digitorum transuersalium non excedat: seq; decenter habeant in vestibus, habitibus, & calceamentis iuxta Clementinam. *ne in agrò.* & constitutionem Benedicti 12. *de for. & ho.ve.* vt scilicet portent tunicas, & vestes habitui superiori proximas nigri bruni, aut albi coloris, iuxta morem apud eos seruari solitum rotundas & talares non fissas, nec alia deformitate notandas, largas manicas habentes vsq; ad pugnum protensas, nullo modo botonatas, seu nodatas: non tamen adeo largas, quod latitudo ipsarum supra pugnũ cum pollice erecto valeat extendi. Nec circa os cubiti, sicut habet abusus quorũdam vltra ptotendatur, quam quod brachium posset faciliter verti & introduci.

Almutiis de pellibus loco caputiorum sint contenti. Caputiis tamen honestis in locis, quibus soliti sunt ipsa portare, fissos super humeros longitudine quatuor digitorum transuersalium ad minus vti de licentia Abbatis possunt.

In vestibus sendatum pro foderaturis, vel minuta varia, seu alia preciosa non portent: sed tantum agniculorum seu agnellorũ pellibus pro dictis foderaturis, aut saltem pannis aliis non preciosis vtantur. Non foderaturæ supra collum, vel in fimbriis vestium seu manicarum appareant aliquo modo.

De habitu itinerantium.

Præterea cum ipsos extra monasterii contingit proficisci, floccum, cucullam, aut cappam portent, & subtus cappam, si eam portauerint, cucullam aut scapulare.

De habitu nouitiorum.

Nouicii vero cuculla intus monasterium & extra aperta ad vtrumq; latus. Et conuersi scapulari cum caputio sibi connexo clauso intus & extra monasterium vtantur.

De longitudine vestimentorum. & de vsu floccorum.

De caputio flocci ordinamus, quod ipsius latitudo non attingat os cubiti grossitudine duorum digitorum transuersaliũ, nec valeat esse strictius, seu ita breue, quin vsq; ad medium cubiti & ossis superioris prope spatulam protendatur. Dictum vero Caputium retro ad minus protendatur vsq; ad corrigiam, nec vltra ipsam ad quatuor digitos valeat extendi. Longitudo verò manicarum per cubitum vnum vltra manum & non plus extendatur. Et latitudo alium cubitum cũ dimidio non excedat. Inferius tamen sit adeò latus, quod passus infra ipsum facili ter fieri possint. Et ea, qua dicta sunt de flocco, intelligi volumus de cuculla, manicis (cum nullas habeat) semotis.

Intra verò monasterium in locis, in qbus fuerint duodecim monachi, omnes flocco vtantur: in aliis verò, vbi non fuerit tanta congregatio, cucullis vti possunt: quas si portauerint nullus flocco vtatur præsidente in monasterio & primo post ipsum (quos omnino floccum portare volumus) duntaxat exceptis.

In

In operibus tamen, & diuino officio subtus albam & equitando subtus cappam scapulare (quod latitudinis dimidii cubiti ad minus spacium volumus comprehendere) tantum portare valeant.

Item camisiis lineis aut canabeis non vtantur: sed vel stamineam, seu vestem laneam loco dictarum camisiarum portent.

Et stiuallas seu botas vel sotulares corrigiatos altos, ita quod latitudo spaciū quatuor digitorum comprehendat de tibia super cauillam portent.

Monachi communiter viuentes abesu carnium sani abstineant.

Fratres cōmuniter viuant, & comedant in refectorio: in quo nullus omnino carne vescatur.

Et diligentes sint visitatores, vt constitutionem Benedicti Papæ 12. de esu & abstinentia carnium faciant inuiolabiliter obseruari.

Mensæ fratrum edentium sacra lectio deesse non debet.

Mensæ quoq; fratrum edentium sacra lectio non desit: & qui lecturus fuerit tota hebdomada dominica cum benedictione ingrediatur prout in regula c. 38. continetur.

In vno dormitorio cellis cancellatis dormiant omnes.

Singuli per singulos lectos vestiti dormiant in eodem loco (si fieri potest) vel saltem deni, aut viceni.

Non autem per cameras maximè si non fuerint, competenter cancellatæ: ita quod apertè & clare possint videri in eis lectisternia pro modo conuersionis secundum dispositionem Abbatis. Et habentes culcitras de plumis, non vtantur ipsis.

Si vero cameræ in dormitorio reperiantur, præcipimus per visitatores seu eorum mandatum destrui, vel saltem competenter cancellari.

Quibus locis & temporibus silentium seruari præcipiatur secundum regulam.

Volumus insuper, vt silentium in oratorio, dormitorio, refectorio, & claustro omni tempore obseruetur: nec post completorium liceat alicui quicquā loqui, nisi prout in regula continetur. *De collatione.*

Ante vero dictum completorium legatur collatio Patrum, aut aliud ædificās.

De portario monasterii.

Ad portam cuiuslibet monasterii vnus portarius: seu ianitor prouidus & discretus deputetur: ne absq; licentia Abbatis aut alterius præsidentis in monasterio de eodem egrediendi libertas concedatur. Quod si quisquam sine huiusmodi licentia exiuerit, pœnis subiiciatur constitutionis Benedicti 12. de licentia exeundi extra monasterium sine causa rationabili non danda.

Attentus etiam sit portarius, vt mulieres nullo modo intrare permittat.

Vt magister nouitiorum sufficiens in monasterio habeatur.

Ordinamus, quod Abbates ponant in suis monasteriis magistros sufficientes, q̄ suos nouitios in primitiuis scientiis introducant: & introductos transmittant ad generalia studia, pensionem eis assignantes secundum formam statutorum sæpedicti Benedicti Papæ duodecimi.

Inuentarium fiat in assumptione cuiuslibet Abbatis monasterii.

Fiant etiam inuentaria in assumptione cuiuslibet Abbatis prout in Benedictina continetur.

Et vt status prædictorum monasteriorum valeant cognosci, præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis infligenda per visitatores, quatenus quilibet Abbas statum sui monasterii antiquum & modernum teneatur distinctè visitatoribus tradere in scriptis.

De traditionibus ac locationibus ad firmam. Et de venditionibus ac mutuationibus.

Loca prædicti ordinis non tradantur ad firmam, nisi prius visa Benedictina de locis non tradendis ad firmam, quam volumus firmiter obseruari.

Volumus etiam, dum imminebunt fienda mutua, similiter prouideatur constitutio de mutuis & venditionibus, quæ etiam similiter obseruetur.

Tot in monasteriis monachi teneantur, quot commodè sustententur.

Volumus & ordinamus, quod numerus monachorum antiquitus institutus, si ad hoc sufficiant facultates, vel si non, tot, quot commodè contentari poterunt, teneantur. Ne prætextu priuilegii seu consuetudinis: quæ potius dicenda

est

est corruptela, quibus dicunt, se nullum nisi nobilem recipere debere, defendere se valeant aliquo modo, maximè si non habeantur nobiles, qui recipiantur aut volentes intrare monasteria prædicta: si tamen recipiantur, ceteris paribus prę ferantur.

Non sunt monachis necessaria in pecunia ministranda.

Victualia & alia necessaria monachis ministranda, nullo modo in pecunia seu redditibus ministrentur constitutione seu ordinatione quibuscunque non obstantibus. Et in hoc obseruentur constitutio præfati Benedicti. *c. ne. vic. in pe. mi.*

Volumus autem quod præfatis religiosis dicta victualia & vestimenta temporibus ordinatis in Benedictina *de cen. & red. soluen. c. 21.* ministrentur.

De monialibus.

Ea quæ dicta sunt de monasteriis virorum, volumus in monasteriis quoq; monialium quo ad articulos sibi competentes similiter obseruari: volentes nihilominus, & ordinantes, quod sub perpetua teneantur clausura, prout in constitutione Bonifacii, quæ incipit. *periculoso. de sta. mo. li. 6.* continetur: in virtute sanctæ obedientiæ præcipientes visitatoribus, vt super hoc diligentiam exactam faciant & apponant.

Visitatores & venientes ad capitulum prouinciale vltra 12. equitaturas non habeant.

Volumus præterea, quod nullus visitatorum vltra. 12. equitaturas ducere secum audeat: quod idem de venientibus ad capitulum volumus obseruari. Qui si contrarium fecerint, vltra tantum, quantum exposuerint, teneantur soluere reponendum in communi arca ad vtilitatem capituli præfati infra mensem: quod si non fecerint, ad duplum per præsidentes arbitrandum in proximo capitulo condemnentur, nulla eis remissione super hoc profutura.

De præsidentium deputatione si quempiam contigerit ipsorum ante celebrandum capitulum decedere.

Nomina præsidentium pro futuro capitulo celebrando electorum ideo reticemus, vt si aliquem vel aliquos ipsorum diem claudere contingeret extremum, successor in dignitate abbatiæ pariter succedat in præsidentia. Quod idē volumus de sermocinatore & Missam celebrare debente, singulisq; visitatoribus totius prouinciæ & diœcesis prædictarum intelligi.

Ne mendicantes ad nostrum ordinem sine autoritate apostolica, aut licentia sufficienti recipiantur.

Ad nostram peruenit audientiam, quod quidam abbatum seu aliorum in monasteriis dicti ordinis præsidentium mendicantes in monachos etiam sine superiorum suorum licentia receperunt & incorporant, & quod deterius est ipsos postmodum vagari permittant in animarum suarum detrimentum, & in scandalum plurimorum: prohibemus ne talia de cetero præsumant: & quos iam receperunt de autoritate Apostolica vel licentia sufficienti teneantur quantotyus poterunt, & alios extra monasteria vagantes, vel saltem infra annum in monasterium reuocare: alioquin sententiam suspensionis, si diligentiam in hoc non fecerint incurrant.

Vt hæc statuta omnibus prouinciali capitulo subiectis publicentur, ac bis in anno vna cum constitutionibus Bened. Papæ. 12. publicè legantur.

Vt autem prædicta per omnia loca ordinis prouinciæ dioceſis prædictarū melius possint obseruari, ordinamus, quod infra annū, aut ante futurum capitulum saltem per mensem quilibet Abbas generale capitulum, si quos subiectos extra suum monasterium habeat, facere & finire teneatur, in quo statuta prędicta publicentur. Quæ volumus nihilominus bis in anno, in capitulo quotidiano (ne quis causam ignorātiæ prætendere valeat) distinctè legi vna cū cōstitutione Bndicti.

CAPITVLVM SECVNDVM IN MOGVNTIA Apud Augustinenses fuit celebratum Anno Domini. 1418.

ANNO Domini 1418. Indictione. 11. prima die mensis septembris pōtificatus Domini Martini Papæ quinti, celebratum fuit secundum capitulum prouinciale Moguntiæ in monasterio fratrum here-

mitarum sancti Augustini: quoniam ad sanctum Albanum, quo præterito Anno fuerat positum, propter transiationē ab ordine, quæ tunc agebatur, non poterat celebrari. In quo præsederunt venerabiles Patres Domini Abbates, Fuldensis, Campidunensis, sancti Vdalrici Augustensis & in Reynartzborn,

De statutis in eo editis.

In isto secundo Capitulo prouinciali pauca de nouo statuta fuerunt approbata, & de verbo ad verbum replicata: quæ non est hic opus iterum ponere, cum superius semel sint posita: faciam tamen breuiter mentionem post ea, quæ superius non sunt signata vel statuta. Noua enim præcedere iudico in hoc loco.

De spoliis beneficiorum.

Ordinamus præterea, quod Abbates & alii, quibus de consuetudine statuto seu priuilegio competit recipere spolia beneficiorū sibi subiectorum recipientes illa, constit. Bened. 12. obseruent. Quod si in hoc excesserint grauiter per visitatores etiam præter pœnas in ipsa contentas, quas infligere valeant, puniantur.

De statutis præteriti huius Capituli hic reiteratis.

Deniq; , sicut præfatus sum , omnia statuta in præterito Capitulo edita de verbo ad verbum hic fuerunt renouata & replicata, videlicet.

Qua disciplina diuinū officium peragendum sit, & vt suis temporibus monachi confiteantur, celebrent, & communicent.

Item, vt Capitulum culparum quotidie seruetur.

Item vt sacræ reliquiæ , & ornamenta ac vasa ad diuinum cultum spectantia munda conseruentur.

De forma & honestate vestimentorum, & de habitu itinerantium atq; nouitiorum.

De communitate vitæ monachorum, & vt in refectorio simul comedant, quibus sacra lectio nunquam desit edentibus.

Quomodo dormiant monachi, vt singuli in singulis lectis, vt supra.

De silentio in quatuor locis regularibus seruando.

Item de portario.

De collatione ante completorium.

De Magistro nouitiorum sufficienti in quolibet monasterio habendo.

Et de locis ordinis non tradendis ad firmam.

Item de inuentariis faciendis in noui Abbatis assumptione cuiuslibet monasterii.

Et vt debitus monachorum numerus in quolibet monasterio teneatur.

Ne monachis victualia ministrentur in pecuniis.

De monialibus quo ad articulos ipsas concernentes.

Item ne visitatores ad Capitulum venientes vltra 12. equitaturas secum ducant.

Ne mendicantes ad nostrum ordinem sine auctoritate Apostolica aut licentia sufficienti recipiantur.

Et vt præsentis Capituli statuta publicentur & legantur per omnem modum supra expressum.

Ceteraque omnia supra statuta huic recessui de verbo ad verbum inserta fuerunt.

Qualiter prælati suos subiectos corrigant.

Postremo hortamur, & obseruamus in viscеribus Iesu Christi sub obtestatione eius districti extremiq; iudicii, vniuersos & singulos Abbates, præpositos, decanos, priores conuentuales & claustrales dicti ordinis quatenus singuli suos subditos & monasteria sic corrigant, emendent, ac reforment, moresq; componant in disciplina regulari, vt cum visitatores ad eorum monasteria causa visitandi venerint, potius inueniant, quod eos ædificet, quā quod dignum correctione existat.

CA-

CAPITVLVM PROVINCIALE CELEBRATVM fuit in Fulda herbipolensis diœcesis. Anno 1420.

ANno Domini 1420. Indictione 13. anno tertio pontificatus Domini Martini Papæ quinti, quinta die mensis Maii celebratum fuit tertium capitulum prouinciale in monasterio sancti Bonifacii in Fulda. In quo præsederunt venerabiles Patres: Lambertus montis monachorum prope Bambergam, Fredericus Hirsaugiensis, Henricus sancti Godhardi Hildesheymensis monasteriorum Abbates.

De statutis eius.

In isto capitulo etiam multa eorum, quæ in primo capitulo Constantiæ celebrato edita fuerant statuta de verbo ad verbum, vt supra habentur, replicata & inserta sunt. In quo ordinatum est, quod visitatores non debent vltra sex equitaturas habere, nisi necessitas aliud exposcat: & quicquid vltra habuerint cedere debet ad vtilitatem capituli.

De disciplina orandi.

Ad ordinis reformationem & inf. Ordinamus atque statuimus, quod diurnum simul ac nocturnum officium deuotè, tractim, pausatim, non transcurrendo, non syncopando, nec alter alium præueueniendo & horis competentibus, prout in regula beatissimi Patris nostri Benedicti continetur, celebretur. Ad quod mox, cum auditum fuerit signum, relictis omnibus, quæ fuerint in manibus summa cum festinatione vniuersi concurrant: cum grauitate tamen, ne scurrilitas fomitem inueniat.

Et ne prætextu ignorantiæ: &c. vt sup. in primo capitulo habetur. Ita quod operi Dei nihil præponatur, quia maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.

De institutione monachorum.

Ne autem quisquam propter defectum personarum ab huiusmodi diuinis officiis celebrandis valeat se excusare, volumus vt in singulis monasteriis tot monachi teneantur & recipiantur, quot commodè de ipsorum bonis atque prouentibus poterunt sine penuria sustentari.

Ne monachi precio recipiantur seu simoniacè.

Prohibemus districtissimè, ne aliquis decetero ad ipsam religionem transire volens aliquam pecuniam pro receptione sua spondeat, neque per se neque per alios, vel aliàs se quid daturum: nisi ea quæ per parentes libera voluntate sine aliquo pacto cum puero offeruntur ad altare. Et taliter recepti, anno probationis elapso, spondeant viuere secundum regulam sancti Benedicti, & eam adimplere ac seruare secundum quod sonat votum professionis & promissionis.

De celebratione missarum.

De celebratione verò missarum & accessu ad altare, sed & de his, qui in subsacerdotio sunt constituti seruetur Benedictina.

De capitulo quotidiano culparum.

Insuper volumus, vt iuxta constitutionem Benedicti Papæ 12. seruetur capitulum quotidianum, in quo agatur de disciplina & correctione regulari: ibidemque omnia expleantur, quemadmodum præfatus Benedictus Papa constituit.

Vt loca conuentualia reformentur collapsa.

Volumus etiam, & districtissimè in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, vt in monasteriis, in quibus forsitan refectoria infirmariæ seu dormitoria fuerint collapsa, vel aliàs destructa, reformentur: negligentes vero, ad quos talis reformatio spectat, per visitatores grauiter puniantur.

Ne mulieribus ingressus pateat monasteriorum monachorum.

Interdicimus omnino ingressum monasteriorum ac claustrorum femineo sexui: præcipientes, quod omnes ianuæ eorundem monasteriorum dicti ordinis claudãtur, prout visitatores disposuerint.

Idem de eodem.

Statuimus vt in monasteriis vel infra septa eorundem in domibus, in quibus

Monachi habitant, mulieres, etiamsi matres, aut sorores existant, nullus tenere præsumat. Contrarium facientes iuxta culpam debitè puniantur,

Ne mendicantes ad ordinem nostrum recipiantur, iamq; recepti, qui vagantur, ad sua monasteria reuocentur.

Prohibemus, ne mendicantes deceteroad ordinem nostrum recipiantur, sed iam recepti ad claustra sua reuocentur: & secundum regulam ac ordinis nostri statuta edoceantur & reformentur.

De priore claustrali.

Volumus & in virtute sanctæ obedientiæ districtè mandamus: vt instituatur in quolibet monasterio Prior prouidus & discretus, prout in congregatione monasterii aptior poterit inueniri: sitq; talis, qui potens sit in opere & vtilis in sermone: qui curam claustri & regimen in spiritualibus exercere valeat: qui articulos omnes præmissos, inquantum eum concernit, diligenter obseruet, & ab omnibus obseruari faciat: ac circa disciplinã chori, dormitorii, refectorii, ac alias, vt prius descripta sunt, curam vigilem & fidelem in spiritualibus habeat: & si in aliquo difficultas orta fuerit, referat ad Abbatem, qui ista discutiat & iudicet.

De balneis.

Quia vero balneorum vsus quandoq; monachis est necessarius: volumus, vt quilibet Abbas, vel cui competit ex officio in suo monasterio stubam balnearia faciat & ædificet: quatenus monachis via euagandi præcludatur.

De conspirationibus, ludis taxillorum, ac proditionibus secretorum capituli.

Prohibemus insuper omnes conspirationes contra Abbates, necnon priuatas personas, infamationesq; fratrum ac omnem proditionem secreti Capituli aut concilii: omnem quoq; ludum alearum, taxillorum, scachorum, aliosq; ludos & inordinationes, quocunq; nomine censeantur.

Ne monachi compatres fiant.

Statuimus insuper prohibentes iuxta pristina decreta sanctorum patrum, ne monachi compatres fiant, vt *de con. di. 4. non licet Abbati. & c. se 16. q. 1. placuit communi.*

Vt diuini cultus ornamenta & libri mundè seruentur.

Decretum insuper est, hoc sacro approbante Capitulo & statutum, vt Ecclesiæ, oratoria, altaria, vasa corporalia, vestimenta, & alia ornamenta Ecclesiastica, munda & nitida conseruentur. Et vt de breuiariis, Missalibus aliisq; libris, vestimentis, calicibus ac ornamentis quibuslibet necessariis diuino cultui omnino prouideatur.

De qualitate vestimentorum.

Ea quæ scripta ac diffinita sunt de qualitate ac quantitate habitus, vestimentorum, & calceamentorum in Capitulis Constantiæ & Moguntiæ celebratis ab omnibus volum⁹ inuiolabiliter obseruari.

Vt monachi communiter viuant, in vno dormiant loco.

Volumus, quod fratres communiter viuant secundum regulam: simulq; comedant in vno refectorio, in quo nullus omnino carne vescatur.

Infirmariam teneant iuxta regulam & dispositionem Abbatis.

Omnes quoq; domunculæ priuatæ ad iussionem Abbatis destruantur, vel pro vtilitate monasterii ad aliqua officia deputentur.

Dormiant aut, omnes in dormitorio vno, in cameris cancellatis singuli per singulos lectos secundum dispositionem Abbatis.

De cæteris statutis præcedentium capitulorum in isto capitulo replicatis.

Præterea constitutiones, & statuta in præteritis Capitulis decreta, in isto de verbo ad verbum præcisè fuerunt replicata, sicuti supra habentur, videlicet de diuino officio, de pulsu matutinarum, primarum & vesperarum.

Item, vt monasteria & loca conuentualia reformentur, quæ fuerint collapsa & destructa.

Et vt senex prouidus ad cuiuslibet cœnobii portam ponatur.

Item, vt Abbates & ceteri monasteriorum officiales visitatoribus de legatis & expositis plenam & fidelem computationem faciant.

Vt quoq; silentium in quatuor suis locis conuentualibus strictissimè seruetur.

Et vt de mutuis locationibus, spoliis, feudis ad studia mittẽdis, de cõseruatione quoq; eucharistiæ & reliqarũ Benedictina seruet. Et vt qlibet abbas oĩa pñtis capituli

statuta

ſtatuta ſuis ſubditis publicet & faciat obſeruari. Et cetera, quæ ſupra in primo capitulo habentur.

De monialibus.

Ea quæ dicta ſunt de monaſteriis virorum, volumus in monaſteriis quoque monialium, quo ad articulos ſibi competentes intelligi, quas etiam ſub clauſura præcipimus manere perpetua.

De obſeruatione mandatorum.

Hæc autē omnia mandata noſtra præſcripta, volumus, ordinamus, ac mandamus inuiolabiliter ab omnibus noſtro capitulo ſubiectis, prout vnumquemq; concernit obſeruari. Nec per hoc reſtringimus ſtatuta ordinis noſtri, aut præcedentium capitulorum, ſed omnino volumus illa ſimiliter ſine aliqua contradictione ab omnibus ſtudioſē firmiterq; impleri & obſeruari.

Prouideant igitur viſitatores, vt hæc omnia & ſingula ſupra memorata diligenter obſeruentur, ſicut tenentur in die mortis ſuæ, & extremi iudicii reddere rationem.

CAPITVLVM PROVINCIALE QVARTVM IN Selgenſtat fuit celebratum Anno Domini. 1422.

ANNO Domini 1422. Indictione 15. die tertia menſis Maii Anno quinto Martini Papæ quinti celebratum fuit quartum prouinciale capitulum in monaſterio ſanctorum Marcellini & Petri martyrum in Selgenſtadt. In quo præſederunt venerabiles Patres Albertus Hirsfeldenſis. Georgius Caſtellenſis & Theodericus Amerbacenſis monaſteriorum Abbates.

De ſtatutis huius capituli.

Priuſquā ea quæ in hoc ſacro capitulo fuerunt edita ſtatuta recenſeam, placet illa præmittere breuiter, quæ in præteritis capitulis decreta hic de verbo ad verbum receſſui fuerunt inſerta. Ad hoc enim valet totiens inſerta ſtatutorum replicatio, vt quanto in pluribus aliquid fuerit decretum capitulis, tanto maioris exiſtat autoritatis.

In primis replicauit hæc ſacra collectio Patrum ſtatutum primi capituli de præſidentibus defunctis, quod ſuccedens alicui in Abbatia etiam in præſidentia ſuccedat.

Item, quod viſitatores vltra ſex equitaturas ſecum non ducant ſub pœna ſuperius contenta.

Item de diuino officio.

Item de pulſu matutinarum primæ & veſperarū ad ſpacium quartalis vnius horæ fiendo vt ſup. c. 1. 2.

Et vt capitulum culparum quotidie ſeruetur, vt ibidem.

Item, vt fratres communiter viuant, & comedant in vno refectorio, in quo nullus carnibus veſcatur.

Vt omnes dormiant in vno dormitorio ſerato, cameris cancellatis in ſingulis lectulis.

Priuatæ domunculæ deſtruantur: loca quoq; conuentualia, quæ fuerint collapſa, reformentur.

Item, ne monachis victualia in pecunia miniſtrentur.

Et de portario prouido ſene.

Item, ne monachi precio recipiantur.

Ne virorum clauſtrum mulieres ingrediantur.

Et, vt Abbates & ſinguli officiales ſuis viſitatoribus computationem faciant.

Et ſilentium ſuis temporibus ſeruetur ab omnibus & locis. Et de monialibus, vt ſupra. Et cetera, quæ ſuperioribus capitulis ſunt edita etiam hic tanquam nouiter fuerunt ſtatuta.

De Priore clauſtrali, qualis debeat eſſe.

Decreuit hoc ſacrum capitulum, vt prior prouidus atque diſcretus conſtituatur in quolibet monaſterio, prout in congregatione poterit aptior inueniri, q̄ potens ſit in opere & ſermone, & diligens circa diſciplinam regularem, atq; articulos ordinis eum aut fratres concernentes obſeruet. Quod ſi trāſgreſſor prædictorū repertus fuerit, aut in aliquo reprehēſibilis, moneatur ſemel & iterū: ſi non emendauerit, p̄ abbatem ab officio deponatur prioratus, & ali⁹, qui aptus eſt, in locū eius ſurroget. Quod non ſolum de priore, ſed & de omnibus monaſterii officialibus debet intelligi.

Domini præsidentes, visitatores, thesaurarii diem capituli præueniant.

Statuimus insuper & ordinamus, vt præsidentes tam præteriti, quam futuri capituli, diem statutum vna cum thesaurariis ac visitatoribus decetero præueniant: ita vt thesaurarii sint ibi sabbato penultimo ante Dominicam celebrandi capituli: præsidentes verò sint ibi secunda feria Dominicam ipsam præcedente, & visitatores tertia feria sequente, vt præsidentibus de suis visitationibus opportunè faciant relationem.

Idcirco etiam ipsi præsidentes & thesaurarii diem celebrandi capituli, vt dictū est, iubentur præuenire, vt se mutuo de singulis informent: atque de legatis & expositis nouis præsidentibus ac capitulo reddant rationem. Istud statutum in superioribus capitulis etiam editum fuerat, in primo videlicet & sequentibus.

De visitatoribus.

Decernimus insuper, & ordinamus vt visitatores in capitulo deputati statim post capitulum celebratum, si commodè fieri potest, aut quanto citius actum suæ visitationis solum Deum præ oculis habentes incipiant & perficiant

Volumus etiam, vt ipsi visitatores deputati ac deputandi in diœcesibus, in quibus visitare habent, monialium quoque monasteria visitare non omittant.

De pœna visitatorum debito tempore visitare negligentium.

Visitatores, si infra tempus sibi constitutum, scilicet infra annum visitare neglexerint, soluant pœnam, sicut hi, qui ad capitulum nec per se nec per idoneos procuratores veniunt, videlicet 30. florenos rhenenses, salua moderatione & iusta æstimatione ad arbitrium præsidentium in capitulo prouinciali.

De procurationibus visitatorum.

Præcipientes quoque volumus, vt quilibet Abbas & cõuentus suis visitatoribus cum ad eos visitandi gratia accesserint, infra tres dies de summa trium florenorum rhenensium satisfaciant.

De confessionibus monachorum.

Inhibemus & interdicimus omnibus nostro capitulo subiectis, monachis conuersis & fratribus, quod nullus decetero alicui intra vel extra monasterium sine licentia sui superioris audeat confiteri.

De missarum celebratione.

De celebrationibus verò seruentur illa, quæ in constitutionibus Bened. Papæ 12. & in præcedentium capitulorum statutis continentur.

Monachi compatres non fiant.

Inhibemus etiam monachis, ne compatres fiant, omnem quoq; ludum & inhonesta exercitia eis perpetuo interdicimus.

De habitu, vestimentis ac calceamentis, de inuentariis ac computationibus faciendis visitatoribus.

Volumus & ordinamus, vt de habitu vestimentis, calceamentis quoque, inuẽtariis & computationibus fiendis, illa inuiolabiliter obseruentur, quæ in superioribus capitulis de his inueniuntur statuta, vt sup. in c. 1. & 2.

De habitu itinerantium.

De habitu autem equitantium, seu ambulantium, decreuimus in hunc modum ordinandum, videlicet, vt superior habitus sit mantellum pendens ad medietatem surarum quolibet ex latere vno foramine incisum, & subter illud scapulare, quod excedat mantellum ad longitudinem trium digitorum transuersalium, cuius appendicium appareat deforis propter metum excommunicationis latæ in tales, qui habitum sine causa rationabili occultant seu transformant.

De custodia priuilegiorum.

Priuilegia monasteriorum & ceteta clenodia, reliquiæ atque thesauri, sub fideli custodia, & firma clausura præcipimus conseruari.

De conspiratione & infamatione.

Prohibemus quoque districtè, omnem conspirationem cõtra Abbates ceteroſq; prælatos, & rectores, necnon priuatas personas ac infamationem Abbatum & fratrum, omnemque secreti capituli proditionem, mandantes transgressores taliter per suos superiores corrigi, vt ceteri metum capiant.

Ne mendicantes ad ordinem nostrum deinceps recipiantur.

Prohibemus etiam in virtute sanctæ obedientiæ prælatis omnibus nostro capitulo subiectis, ne decetero mẽdicantes ad nostrum ordinem recipiantur. Illi autem, qui

qui iam recepti hincinde vagantur quantocyus ad sua monasteria reuocentur.

De defunctis fratribus.

Quoniam sola misericordia comes est defunctorum, statuimus & ordinamus, quod singuli Abbates, vel ipsorum procuratores breues nominum defunctorum fratrum & dierum obitus eorundem, qui infra capitulum celebratum & celebrandum decesserunt decetero in singulis capitulis apportent & presentent, quatenus orationes & suffragia pro ipsis fiant. Et est forma breuium: quia talis sacerdos, aut leuita, &c. obiit tali die in illo loco, &c.

De monialibus.

Ea quæ dicta sunt de monasteriis virorum volumus, etiam in monasteriis monialium, quo ad articulos sibi competentes inuiolabiliter obseruari.

De capitulo generali & publicatione statutorum præsentis capituli.

Statutum etiam de publicatione processuum ac statutorum huius capituli, sæpius supra positum, & de generali capitulo seruando infra annum hic iterum ponitur, & renouatur per omnia, vt sup. c. 1. in fine ibi legatur.

Conclusio.

Alia quoque plura hic fuerunt statuta ordinata, atq; tractata, quæ partim superius habentur, partim tanquam minus necessaria transiui: omnia autem in codice recessuum habentur.

QVINTVM CAPITVLVM PROVINCIALE CELEBRATUM EST APUD SANCTUM STEPHANUM IN HERBIPOLI. ANNO DOMINI 1424.

ANno Domini 1424. Indictione secunda 14. die mensis Maii, quæ fuit dominica Iubilate anno 7. Pontificatus Domini Martini Papæ quinti celebratum fuit quintum capitulum prouinciale in monasterio sancti Stephani Herbipolis: In quo præsederunt venerabiles Patres Balduinus in Luneburg, Theodericus in Northeym, Appello in Suiisheym, Helfricus sancti Ioannis in Rinkauia monasteriorum Abbates.

De statutis veteribus.

In hoc capitulo fuerunt approbata & recessui inserta pœne omnia statuta præcedentium capitulorum de verbo ad verbum, paucis tamen adiectis, quorum nonnulla hic breuiter signare propter autoritatem maiorem curaui.

In primis ordinationes de diuino officio, de pulsu, de capitulo culparum quotidie seruando, de creatione monachorum, ne monachi precio recipiantur, De celebratione missarum, De communi vita omnium fratrum, Ne victualia in pecuniis dentur, De dormitorio, De silentio, De collapsis locis reformandis, De computatione facienda visitatoribus, De sene portario, De stuba balnearia, De prioris prouidi institutione, De honestate vestimentorum, De conspirationibus, De ludis, De mendicantibus non recipiendis ad ordinem, De publicatione statutorum, De monialibus, De visitatoribus, vt vltra sex equitaturas secum non ducant. De pœna visitatorum infra annum visitare negligentium. Et plura alia, quę supra ponuntur, & in codice recessuum capitulari um habentur. Nunc huius capituli singularia statuta subiiciamus.

Visitandi bona & equos visitatorum diligenter custodire tenentur.

Porro, cum visitatores visitandi gratia ad monasterium aliquod venerint, Abbas & conuentus monasterii illius equos, res & bona visitatorum summa diligentia faciant custodiri. Quod si quippiam de ipsorum rebus, bonis, aut equis perdi aut subtrahi contigerit, ante omnia loci ipsius Abbas & conuentus sine contradictione aliqua valorem bonorum, aut rerum perditarum ipsis visitatoribus soluant indilatè: & nihilominus pro tali negligentia in capitulo ad arbitrium præsidentium puniantur.

Si contigerit visitatores in via sui officii spoliari.

Si vero (quod absit) visitatores in via dum vadunt ad visitandum spoliati seu damnificati in aliquo fuerint, ca-

pitulum prouinciale eis de tali damno, vt dictum est, satisfaciat.

De saluo conductu visitatorum.

Decretum insuper est, vt quilibet Abbas visitandus visitatoribus secundum suum posse vsque ad aliud monasterium visitandum de saluo conductu prouideat, si à visitatoribus fuerit requisitus.

Ne quisquam plurium quam trium Procurator fiat.

Inhibemus etiam, ne plurium quam trium aliquis procurator existat. Si quis vero plurium procurator esse præsumpserit, non debent admitti procuratoria ipsa.

Si conuentus aliquis voluerit ad Capitulum mittere litteras.

Placuit omnibus in Capitulo residentibus, vt si quis conuentus, aut monasteria prouinciæ nostræ, ad ipsum prouinciale Capitulum venire necesse habuerint, pro quacunq; causa, eligant de se vnum vel duos idoneos & fideles, & non plures, qui proponant causam suæ legationis diligenter. Quod si contrarium præsumpserint, sic exeuntes per suos superiores tanquam inobedientes puniantur.

De arca & arcæ custodibus.

Decretum insuper est, quod arca pro communi vtilitate Capituli seruetur Nurnbergæ in monasterio sancti Egidii ordinis sancti Benedicti. Et exinde designati thesaurarii.

De breui mortuorum.

Statuimus insuper, vt singuli Abbates, aut procuratores ipsorum, dum ad Capitulum prouinciale veniunt, omni futuro tempore celebrandum, breues continentes nomina defunctorum fratrum suorum monasteriorum, qui infra celebratum & celebrandum Capitulum obierint, secum apportent, quatenus orationibus Patrum commendentur.

Concluditur hoc quintum Capitulum.

Alia quoq; multa in præsenti Capitulo fuerunt statuta replicata, quæ non sunt hic expressa per singula, quoniam superius eisdem habentur semel verbis, & tædiosum foret totiens eadem scribendo repetere.

CAPITVLVM SEXTVM PROVINCIALE CELEBRATUM FUIT AD SANCTUM PETRUM IN ERFORDIA ANNO DOMINI 1426.

ANNO Domini 1426. Indictione quarta: Anno nono pontificatus Martini Papæ quinti 21. die Mensis Aprilis, quæ fuit dominica Iubilate, celebratum est sextum Capitulum prouinciale in monasterio sancti Petri in Erfordia. In quo præsederunt venerabiles Patres Domini Abbates Iohannes in Vrauvve. Henricus sancti Egidii in Brunztvvik Georgius S. Egidii in Nurnberga. Et Nicolaus in in Bretzenhausen.

Veterum in primis laudantur statuta.

De communi consensu omniũ in primis approbamus, ratificamus, & innouamus omnia & singula statuta in præteritis edita Capitulis, eaq; tanquam hic inserta volumus expressè habere roborata.

Sententiæ excommunicationis ac censuræ tollantur hic.

Placuit autem Dominis præsidentibus, & omnibus in Capitulo residentibus, sententias excõmunicationis ac censuras in præteritis Capitulis fulminatas, ne laqueum generarent animabus tollere & relaxare. Vnde & dixerunt. Pœnas & sententias excommunicationis, suspensionis, & interdicti à præsidentibus in præteritis Capitulis latas, ne laqueum pariant animabus, in Dei nomine tollimus, & relaxamus, ac reuocamus, & constrictos seu ligatos eisdem, quantum in nobis est, Apostolica auctoritate in Dei nomine absoluimus per præsentes: statutis tamen omnibus saluis & in suo robore permanentibus.

De procuratoribus quoq; absentium moderatur constitutio.

Insuper moderamus, & mitigamus statutum

tutum quinti Capituli: quo cauetur, ne quis plurium quam trium possit esse procurator, decernentes, quod aliquis religiosus alias idoneus valeat esse procurator quatuor, aut etiam quinque Abbatum in necessitatibus magnis.

Visitatores se suosq; prius reforment, & sic demum alios visitent.

Visitatores à sacro prouinciali Capitulo ordinati, primo & ante omnia se & sua monasteria, sibiq; subiectos visitent, atque reforment, ne cum ad aliorum reformationem oculos dirigunt, infirmi quique submurmurent & dicant, medice cura teipsum. Primo igitur à semetipsis incipiant, & sic monasteria sibi commissa tam monachorum, quam monalium fiducialiter visitent atq; reforment.

De relatione visitatorum ad præsidentes.

Decretum insuper est, vt visitatores peracto visitationis suæ officio, in Capitulo Dominis præsidentibus de statu omnium monasteriorum à se visitatorum, tam de spiritualibus, quam de temporalibus fidelem faciant relationem.

Non est à visitandis extorquendum iuramentum de veritate dicenda.

Placuit nobis etiam, vt sine exactione iuramenti, proposito primo verbo Dei, ipsi visitatores actũ suum incipiant & perficiant, iuxta formam illis in sacris canonibus præfixam.

Item de forma visitationis.

Volumus etiam & ordinamus, vt visitatores omnia & singula monasteria vtriusq; sexus visitanda, per ipsos effectualiter, quantum præualent, reforment, ante quam à loco visirando recedant secundum regulam beatissimi Patris nostri Benedicti, præsertim in tribus substantialibus, quæ sunt obedientia, continentia paupertas, sine quibus nulla subsistit religio.

Et, vbi non inuenerint disciplinas & ceremonias valentes, nouas secundum sanctiones canonicas & statuta Patrum, ac Capitulorum instituant: quas visitati sine aliqua contradictione teneantur obseruare.

De tribus substantialibus.

Mandamus omnibus & singulis prælatis nostræ prouinciæ, & capitulo subiectis, vt quilibet eorum statim post insinuationẽ præsentium in suo monasterio se & suos monachos secundum regulã sancti Benedicti & canonicas sanctiones, ac statuta Capituli prouincialis ordinis, maxime in tribus substantialibus, obedientia, continentia, & paupertate, in esu & abstinentia carnium, in cultu diuino, ceteriſq; monasticis disciplinis (quantum præualet) studeat corrigere & reformare: expauescens illam terribilem, sed veridicam beati Patris nostri sententiam. *Sciatq; Abbas culpæ pastoris incumbere quicquid in omnibus paterfamilias vtilitatis minus potuerit inuenire.*

CAPITVLVM PROVINCIALE SEPTIMVM CElebratum fuit in monte monachorum prope Bambergam Anno Domini 1429.

ANno Domini 1429. Indictione 7. Anno 12. pontificatus Domini Martini Papæ quinti, decima die mensis Aprilis quę fuit dominica Misericordia Domini, celebratum fuit septimum prouinciale Capitulum nostrum in monasterio sancti Michaelis montis monachorum prope Bambergam. In quo præsederunt venerabiles patres Domini Abbates, Georgius in Castello sancti Petri Erfordensis, Henricus sancti Egidii Nurenbergensis. Hugo in Alperspach.

De statutis veterum approbatis.

Veterum statuta in primis approbamus & innouamus: volumusq; ea omnia prout rite & legitimè sunt edita, à nostro Capitulo subiectis inuiolabiliter obseruari.

Vt conuenientes ad capitulum prouinciale communiter viuant per illud triduum.

Decreuit insup sacrũ Capitulũ, vt cõueniẽtes ad celebrãdũ prouinciale Capitulũ futuris tẽporibus iuxta cõstitutionẽ

feli-

felicis recordationis. Inno. Papæ 3. *extra, de sta. mo. c. in singulis.* vitam ducant communem, & in simul reficiantur per illud triduum. Et ministrari debent duo fercula duntaxat de piscibus, vnum de ouis vel de frixis, & duo bona pulmentaria, adiuncto caseo, ac fructibus aliquibus, si quos ant haberi.

De Dominorum præsidentium autoritate

Statuimus quoq; & ordinamus vniuersis consentientibus patribus: vt quilibet præsidentium habeat plenam potestatem, & auctoritatem in solidum faciendi executionem, & procedendi iuxta tenorem Benedictinarum contra omnes & singulos vtriusq; sexus homines, qui se visitantibus opponunt, aut non admittunt, vel impediunt, aut alio quouis modo cõtrariantur, & eos qui monasteria offendunt in personis aut rebus quouis modo. Et, vt compellant visitatores ad exigendum pro Capitulo iuxta Benedictinam à monasteriis visitatis contributionem, aut pœnas contumaciæ ab Abbatibus, qui ad Capitulum venire neglexerint.

De tempore visitationis implendæ.

Visitatores infra annum officium visitationis eis iniunctum fideliter complerant, & quantocius poterunt Dominis præsidentibus relationem inde faciant.

Rebelles visitatoribus denuncientur vni præsidentium.

Decretum quoque est, vt si quæ personæ restiterint visitatoribus, denuncientur præsidenti viciniori, vt procedat contra tales rebelles, & etiam contra visitatoribus non obtemperantes, auctoritate Apostolica per censuram Ecclesiasticam iuxta modum culparum & rebellionis.

De quibusdam statutis in præcedenti Capitulo positis, quæ in isto de verbo ad verbum fuerint replicata.

In proximo Capitulo præcedenti fuerunt aliqua edita statuta, quæ in isto etiam præcisè fuerunt replicata, & de verbo ad verbum recessui inserta, videlicet. Vt visitatores, se suosq; primo studeant reformare. Item, vt proposito verbo Dei sine exactione iuramenti procedant.

Et de plena reformatione per ipsos introducenda.

Item mandatum prælatis de reformatione sui suorumq; factum, quæ omnia in præcedenti capitulo habentur.

CAPITVLVM OCTAVVM PROVINCIALE CElebratum fuit apud sanctum Vdalricum in Augusta, Anno Domini 1432.

ANno Domini 1432. Indictione decima. Anno secundo pontificatus Domini Eugenii Papæ quarti, die 11. mensis Maii, quæ erat dominica Iubilate, celebratum fuit 8. Capitulum prouinciale in monasterio sanctorũ Vdalrici & Afræ in ciuitate Augustensi. In quo præsederunt venerabiles Patres Domini Abbates, Ortvvinus sancti Petri Erfordensis. Iohannes Insteyn Constantiensis diœcesis. Et Henricus in Amerbach Moguntinensis. In quo ordinatum est de personis ad studium mittendis.

Statuta vetera innouantur & approbantur.

In primis de communi consensu approbamus, ratificamus, & innouamus, omnia, & singula statuta in præcedentibus Capitulis edita, eaq; ab omnibus nostro subiectis Capitulo (prout vnumquẽque concernit) inuiolabiliter volumus obseruari.

Quæ statuta superius posita hic iterum fuerunt posita.

Deniq; in isto Capitulo pænè omnia statuta duorum proximè præcedentium Capitulorum eisdem verbis fuerunt replicata: & recessui inserta, quæ vt tædium vitemus, breuiter annotare sufficiat.

Et primo statutum, vt Patres conuenientes Capitulum communiter viuant in refectorio per illud triduum, & de numero ferculorum, vt sup. c. 7.

Item statutum de visitatoribus, vt se suosq;

ſuoſq; primo reforment.

Et à verbo Dei incipientes, ſine ſuramenti exactione ſuum compleant officium. vt ſupra c. 6. & c. 7.

Mandatum etiam Abbatibus factum, vt ſe & ſuos ſtudeant reformare in tribus maximè ſubſtantialibus, de abſtinentia carnium, & ceteris, quæ ſupra edita ſunt c. 6. & 7. ſimiliter hic ponuntur.

Statutũ inſuper de poteſtate Dominorum præſidentium vt ſup. c. 6. & 7. ſimiliter hic ponitur eiſdem verbis.

De tempore viſitationis.

Mandamus inſuper ipſis viſitatoribus & ſub pæna excõmunicationis ferendæ ſententiæ præcipimus, vt infra annum officium viſitationis ipſis iniunctũ fideliter & effectualiter compleant, & relationem quo citius poterunt viciniori præſidenti faciant.

Ne mendicantes recipiantur ad ordinem.

Inhibemus omnibus Abbatibus, & prelatis noſtri Capituli ſub pæna excommunicationis, ne de ordine mendicantium aliquem ad obedientiam recipiant: & vt receptos iam vagantes quantotyus ad ſua monaſteria reducant vt ſup c. 2. & c. 3. & in pluribus aliis ſepius fuit ſtatutum.

De monachis fugitiuis.

Sub eadem excommunicationis pœna præcipim⁹ omnib⁹ Abbatibus & prælatis noſtro prouinciali Capitulo ſubiectis, vt monachos ſuos fugitiuos recolligant: nec alicui decetero licentiam dent in parochiis commorandi, vel eaſdem regendi niſi ſint monaſteriis annexæ.

Quales debeant eſſe Abbates erga ſubditos.

Quoniam latratu canum & baculo paſtorum deterrenda eſt rabies luporum: præcipimus omnibus Abbatibus noſtræ ꝓuinciæ & Capitulo ſubiectis, quatenus exemplo boni paſtoris Ieſu Chriſti (cuius vices in monaſteriis gerere videntur) monachos & ſubiectos benignè foueant, ac prouide defendant, non dominantes in clero, ſed forma facti gregis. Quod ſi aliqs monachorum exceſſerit, ſecundum ſtatuta regularia eum corrigant. Nulli vltra licentiam dantes vagandi de vno monaſterio in aliud. Si vero eum corrigere non poteſt, viciniori dirigat Abbati ad corrigendum.

Nullus monachus ſine litteris commendatitiis ſui Abbatis in monaſterio recipiatur.

Inhibemus etiam, ne aliquis Abbatum aut prælatorum quemquam monachum fugitiuum ſine litteris commendatitiis ꝓprii Abbatis, vel vnius præſidentis in obedientiarium, vel etiam ad ſtandum in monaſterio ſuo recipiat.

De charta viſitationis.

Statuimus & ordinamus, vt viſitatores in omnibus monaſteriis à ſe viſitatis proceſſum id eſt chartam viſitationis dimittant viſitatis practicandum.

CAPITVLVM IX. PROVINCIALE TEMPORE Concilii in Baſilæa apud prædicatores celebratum eſt Anno Domini 1435.

ANno Domini 1435. Indictione decima Anno 5. pontificatus Domini Eugenii Papæ quarti, die 26. menſis Iunii, quæ fuit dominica poſt natiuitatẽ beati Iohannis Baptiſtæ celebratum eſt Capitulum 9. ꝓuinciale in monaſterio fratrum prædicatorum in Baſilea, eo enim tempore generale conciliũ ibidẽ celebrabatur. In quo præſederunt venerabiles Patres Domini Abbates, Ortvvinus ſancti Petri Erfordenſis, Fridericus ſancti Marci in augia maiori, Iohannes ſancti Georgii in ſtain. Et Henricus in faucibus, Moguntinæ Conſtantienſis, & Auguſtenſis diœceſiũ.

De ſtatutis veteribus.

Ceterum Capitulorum in primis ſtatuta approbamus atque laudamus, & tanquam pro hic expreſſis ab omnibus volumus obſeruari.

Statuta præcedentium Capitulorum hic replicata.

In iſto Capitulo patrum omnia pene ſtatuta in pręcedentibus tribus Capitulis edita de verbo ad verbum iterum fuerunt replicata.

In primis videlicet ſtatutũ de veniẽtiũ ad Capitulũ cõmuni vita & de numero fercu-

culorum in eodem. vt sup. c. 6. 7. & 8. præcisè habetur. Et ibi ordinatum est, quod de refectione per triduum Capituli prouincialis ipsi thesaurarii debeant prouidere.

Item de potestate Dominorum præsidētiū, vt quilibet eorum in solidum habeant auctoritatem procedendi contra rebelles.

De visitatoribus quoq; sub pœna excommunicationis compulsis, vt eorum officium fideliter infra annum compleant, & vni viciniori præsidentium quantotyus relationem faciant.

Et vt se suosq; primo visitent atq; reformẽt, & sic demum ad aliorum reformationem procedant.

Item ne mendicantes ad nostr ũdeinceps ordinem recipiantur sub pœna excommunicationis, vt sup.

Sub eadem pœna statuitur, vt sup. quatenus Abbates fugitiuos suos requirant, nec dent alicui in parochiis commorãdi vel regendi licentiam nisi vt sup. permittitur c. 7. & 8.

Item statutũ similiter de monachis fugitiuis sine commendatiis non recipiendis ad obedientiam, vt supra replicatur. Hæc omnia, quæ breuiter recensui, sicut supra habentur in forma de verbo ad verbum, iterum fuerunt tanquam à nouo edita & facta.

De contumacium pœna.

Decretum insuper est, vt præsidentes & eorum quilibet Abbates, & alios qui ad Capitulũ nõ venerint per se, nec legitimos miserint procuratores, cum sufficienti mandato ad soluendum duplum, & etiam ad soluendas contributiones per Capitulum impositas, per censuras Ecclesiasticas iuxta consti. Bened. 12. appellatione remota compellant.

De charta visitationis.

Mandamus etiam omnibus visitatoribus deputatis ac deputandis, vt in singulis monasteriis, quæ visitauerint, dimittant recessum seu chartam visitationis.

De præceptorum obseruatione.

Omnia & singula statuta, atq; mandata præscripta præcipimus ab omnibus inuiolabiliter obseruari, saluis tamen in sacro Basileensi concilio apponendis, statuendis, vel mutandis, prædicti ordinis nostri reformatione. In cuius reformationis causa in dicto sacro concilio 12. prælati præfati ordinis de dicta Moguntina prouincia ac diœcesi Bambergensi iam deputati sunt & electi.

CAPITVLVM PROVINCIALE X. IN NVRENberga est celebratum in quo bulla concilii Basileensis fuit acceptata Anno Domini 1439.

ANno Domini 1439. Indictione secunda Anno 9. pontificatus Domini Eugenii Papæ quarti 26. die mensis Aprilis, quæ fuit Dominica Iubilate, celebratum est decimum Capitulum prouinciale in Monasterio sancti Egidii Nurenbergæ eiusdem ordinis. In quo præsederunt venerabiles Patres Domini Abbates: Hartungus sancti Petri Erforden. Georgius sancti Egidii Nurenbergensis, Nicolaus sancti Blasii, & Henricus in Amerbach. In isto capitulo fuit præsentata & acceptata bulla Basileensis concilii super reformatione ordinis nostri per prouinciam Moguntinam, ac diœcesis Bambergensis, pro cuius expeditione 12. prælati in eodem concilio de ordine & prouincia prædictis fuerint deputati vt sup.

De statutis veteribus.

De cõsensu omnium Patrum in Capitulo residentium approbamus, & innouamus omnia & singula decreta & statuta in Capitulis prouincialibus hactenus celebratis edita, quæ reformationi non contrariantur.

De potestate præsidentium.

Volumus, quod quilibet præsidentium in solidum habeat plenam & omnimodam

dam potestatem faciendi executionem, ac procedendi iuxta formam & tenorem constitutionum Domini Bened. Papæ 12. & iuris dispositionem communis, contra omnes & singulos vtriusque sexus homines, qui se visitatoribus opponere præsumpserint vel ad visitandum non admiserint seu quomodolibet impediuerint, aut conclusæ reformationi contrarii inuenti fuerint, & qui offenderint ipsa monasteria in rebus vel personis.

Præsidentes monasteria regalia per se visitent coassumptis visitatoribus.

Decreuit sacrum Capitulum, vt vnusquisq; præsidentium personaliter debeat visitare exempta & regalia monasteria sibi deputata, vna cum visitatoribus eorundem monasteriorum, seu altero eorum. Similiter fiat in aliis monasteriis, vbi & quotiescunq; necessarium fuerit.

De visitatoribus, vt supra.

Statuta in superiorib⁹ quatuor capitulis edita in forma hic fuerũt iterũ posita, & recessui inserta, de visitatoribus; vt se videlicet suosq; primo visitent atq; reforment. Et vt infra annum officium suũ incipiant à verbo Dei & vicissim ori præsidenti statum eorundem monasteriorum à se visitatorum quantocyus denuncient, qui omnia superius. c. 6. 7. & seq. plenius habentur.

De bulla concilii Basileensis.

Patribus in sacro Capitulo residentibus exhibita & lecta fuit bulla plumbea Concilii Basileensis super reformatione ordinis nostri per prouinciam Moguntinam & diœcesim Bambergensem quam ob prolixitatere hic ponem nolui, seorsum autem posita est sup. lib. 1. Data, 10. Kal. Martii Anno Domini. 1439.

Bullam hanc patres vnanimiter acceptant.

Concordi & vnanimi voto nemine discrepante, & cũ matura delibratione acceptamus & quãtum in nobis est approbamus sacri generalis Basileensis concilii bullam: & super reformatione monasteriorum nostro Capitulo subiectorum, volumus quoque, & præcipimus eam in omnibus monasteriis nostris, nondum arctius reformatis obseruari, mandantes nihilominus omnibus & singulis prælatis per prouinciam præfatam ordinis nostri quatenus sibi subiectos nondum strictius reformatos secundum eorundẽ formam reformare studeant.

Vt prædictæ reformationis bulla in quolibet monasterio, insinguliſq; angariis semel in conuentu publicè legatur.

Volumus etiam & mandamus, quod præfatæ reformationis forma in quolibet monasterio de verbo ad verbum diligenter auscultat in bona & legibili littera habeatur, ac semel in qualibet angaria in Capitulo quotidiano publicè legatur: & per præsidentem, aut cui iusserit ipse in vulgari fratribus exponatur, ne prætextu ignorantiæ se quisquam valeat excusare.

Venientes ad Capitulum prouinciale viuant communiter.

Ad Capitulum venientes per illud triduum similiter reficiant in vno refectorio & ministrabuntur eis duo fercula de piscibus duntaxat, & vnum de ouis aut frixis, ac duo bona pulmentaria, adiuncto caseo & aliquibus fructibus.

CAPITVLVM PROVINCIALE XI. CELEBRATUM fuit in Nurenberga secundo Anno Domini 1441.

ANno Domini. 1441. vltima die mensis aprilis, quæ erat dominica Misericordia Domini, celebratum fuit Capitulum prouinciale vndecimum apud sanctũ Egidiũ in Nurenberga. In quo præsederunt venerabiles patres Abbates sancti Egidii ibidem, sancti Petri Erfordensis, sancti Blasii, & in Amorbach.

Bulla concilii Basileensis pro reformatione denuo acceptatur.

De cõmuni omniũ parrum præsentiũ & procuratorũ absentium assensu, suscipimus & acceptamus denuo bullam concilii Basileensis pro inchoanda reformatione, & volumus, quod quilibet Abbas

copiam ipsius in monasterio suo habeat: & vt superiores monasteriorum sibi subiectos secundum eam effectualiter studeant reformare.

Ne iam reformati strictius prætextu huius formæ, ad vitam se velint remittere laxiorem.

Nos tamen, qui hactenus in sancta religione strictioris vitæ obseruantiam inchoarunt, monemus & exhortamur in Domino Iesu, vt in benè cœptis persistant, ac de die in diem magis proficiant: nec prætextu huius normæ à suo proposito declinantes, ad laxiora sese conuertãt: quoniam huius constitutio bullæ pro initio regularis vitæ illis est edita, qui hucusque negligentiores extiterunt, donec omnipotens Deus maiora ipsis largiatur charismata.

Præcipitur etiam hic, vt præfata bulla in quolibet monasterio auscultata habeatur in bona legibiliq; litera, & in qualibet angaria semel in conuentu publicè legatur. vt sup. c. præced.

De procuratoribus visitatorum.

Placuit insuper nobis, & statuimus, vt absentium procuratores deputati respiciant, an visitatores suas visitationes adimpleuerint: & negligentes ad præsidentes viciniores deferant, qui eos per censuram Ecclesiasticam, & alias pœnas si opus fuerit ad adimplendum eorum officium compellant.

Ne quis plurium, quam trium procurator existat.

Inhibemus etiam, ne quis plurium, quam trium decetero audeat esse procurator, nisi ob euidentem necessitatem sub pœna à Dominis præsidentibus infligenda.

De viatico trium florenorum visitatoribus persoluendo.

Decreuit quoq;, vniuersa communitas patrum, quod quilibet Abbas visitatus suis visitatoribus soluat 3. florenos rhenenses pro viatico, nisi ipsi visitatores bono respectu minus recipere voluerint: super quo ipsorum conscientias oneramus.

Ne se prælati à capitulo absentent.

Inhibemus etiam serioſius sub penis in Benedictina contentis, ne prælati ad prouinciale Capitulum venire debentes se ab huiusmodi Capitulo deinceps absentare præsumant.

De computatione per antiquos præsidentes nouis facienda de leuatis & expositis.

Volumus insuper & ordinamus, vt præsidentes expirato eorum officio nouis præsidentibus de omnibus & singulis leuatis & expositis ex parte Capituli plenam & claram faciant rationem.

CAPITVLVM PROVINCIALE XII. IN ERFORdia apud sanctum Petrum secundo celebratum Anno Domini 1444.

ANno Domini 1444. 10. die mensis Maii, quæ fuit Dominica Cantate, celebratum est Capitulum prouinciale 12. in monasterio sancti Petri Erfordiæ. In quo præsederunt venerabiles Patres Domini Abbates sancti Petri ibidem, sancti Galli sancti Egidii Nurenbergensis, & sancti Stephani Herbipolensis. In quo constituti sunt procuratores, qui negligentiam visitatorum apud præsidentes accusent.

De statutis veteribus hic innouatis & replicatis.

In isto sacro Capitulo, sicut & in duobus immediatè præcedentibus bulla concilii Basileensis super reformatione fuit acceptata eisdem verbis quibus supra. Et vt in quolibet monasterio habeatur & legatur quater in anno, vt sup. c. præced.

Et ne arctioris vitæ fratres prætextu huius bullæ, ad laxiora velint descendere, sed in melius proficiscendo perseuerare, vt ibidem.

Statutum quoq; de præsidentium potestate contra rebelles & de indaganda negligentia visitatorum per procuratores, eisdem præcisè verbis hic ponitur, quibus supra in eodem. c. x. habetur. cum quibusdam aliis.

Monasteria regalia per præsidentes visitanda sunt.

Mo-

Monasteria regalia per vnum præsidentium coassumptis secum visitatoribus illius diœcesis decetero visitentur vt sup. c. 10.

De monasteris monialium visitandis.

Sed & monasteria monialium in vnaquaq; diœcesi, p visitatores illius diœcesis visitentur: & quodlibet monasterium visitatum suis visitatoribus, quando recedunt, pro viatico tres florenos rhenenses soluat.

De breuibus mortuorum.

Nomina fratrum, sororum, confratrumq; omnium monasteriorum per nostram prouinciam defunctorum infra capitulum celebratum & celebrandum ad ipsum Capitulum deinceps comportentur: quatenus debitum fraternitatis pro ipsis fiat ibidem. Hoc statutum in præcedentibus & sequentibus Capitulis sæpe replicatur.

CAPITVLVM PROVINCIALE XIII. IN MONASTERIO Petri Domus Constantiensis secundo celebratum Anno 1447.

ANno Domini 1447. die 7. mensis maii quæ fuit dominica Cantate, celebratum fuit Capitulum prouinciale 13. in monasterio Petridomus in Constantia. In quo præsederunt venerabiles Patres Domini Abbates Petridomus ibidem, sancti Egidii Nurenbergensis, sancti Stephani Herbipolensis. & sancti Gothardi Hildensheimensis.

De statutis veteribus hic innouatis & replicatis.

In primis sæpefata bulla concilii Basileensis suscipitur: & in quolibet monasterio haberi & legi, vt supra, verbis eisdem in forma iubetur.

Alia quoque plura statuta hic in recessu sunt posita, quæ tamen in præcedentibus Capitulis pluries fuerunt præfinita, videlicet de potestate Dominorum præsidentium contra rebelles. & vt vniuscuiusque visitatores diœcesis monasteria monialium visitent: & de negligentia visitatorum per procuratores præsidentibus deferenda: cum aliis pluribus, quæ plenè superius hinc inde habentur.

Vt soli reformati ad officia prouincialis Capituli deputentur.

Sicut in Euãgelio loquitur Dominus, si cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadunt, statuimus (vt quantum fieri potest) in electione præsidentium ac visitatorum hoc moderamen adhibeatur, vt reformati ad talia deputẽtur officia, quia nunquam alios bene potest instituere, qui seipsum negligit prius reformare.

De negligentia visitatorum.

Et quia experientia didicimus, quod nonnulli visitatores hactenus ordinati negligentes extiterunt, nec officium sibi iniunctum studuerunt adimplere, idcirco volumus, & mandamus omnibus visitatoribus, vt officium visitationis suæ cum omni diligentia quantocyus studeant adimplere: alioquin iuxta tenorem Benedictinæ, ipsos & eorum quemlibet pœnas incurrere volumus & declaramus ipso facto, quas incurrunt hi, qui ad Capitulum prouinciale non venerunt, præpeditionem canonicam non habentes.

Qui excusentur à capitulo.

Placuit patribus, quod nullus decetero aliquam excusationem non veniendi ad Capitulum debeat prætendere, nisi infirmitatem corpotalem, inimicitias, vel paupertatem euidentem & plane constantem. Et super iisdem duntaxat Abbatum absencium procuratoria in Capitulo admittantur.

De monachis vagis non suscipiendis.

Monachi vagi absq; litteris commendatitiis sui Abbatis non teneantur, nec recipiantur in conuentuales: neq; hospitentur in aliquo monasterio vltra triduum.

De monacho, qui manus violentas in Abbatem iniecerit.

Si quis monachus suadente diabolo in tantam proruperit audaciam, vt manus violentas in Abbatem vel alium fra-

trem iniecerit. Hic talis non acceptetur in prouincia.

De eo qui de monasterio non reformato ad reformatum transire voluerit.

Si quis intentione de monasterio non reformato ad monasterium reformatum transire voluerit, petat licentiam à suo superiore: q si negauerit, petat ab vno præsidẽtium, qui dabit illi licentiam ad tempus standi, vel etiam stabiliendi se inibi, cum consensu tamen recipientium.

De saluo conductu & viatico visitatorũ.

Quilibet Abbas, seu prælatus visitatus cum auxilio sui conuentus, conducat suos visitatores vsq; ad aliud monasterium visitandum per ipsos: quibus recedere volentibus, pro contributione, siue collecta per capitulum pro subleuandis oneribus indicta, tres florenos rhenenses dare non recusset, nisi ipsi visitatores pia ratione minus decreuerint recipiendum.

CAPITVLVM PROVINCIALE XIIII. IN HERBIpoli secundo celebratum præsente Domino Cardinali, Anno Domini 1451.

ANno Domini 1451. die 23. mensis Maii, quæ fuit dominica Cantate, celebratum fuit Capitulum prouinciale. 14. apud sanctum Stephanum in Herbipoli, præsente ac præsidente ipsi Capitulo Reuerendissimo patre Domino Nicolao de Chusa presbytero Cardinali tituli sancti Petri ad vincula atq; legato. In quo prẽsederunt venerabiles patres Domini Abbates sancti Egidii in Nurenberga, sancti Burckardi in Herbipoli, sancti Petri in Erfordia. & sancti Godehardi in hildensheim..

De antiquis statutis replicatis.

Præter illa statuta quæ Dñs Nicolaus Cardinalis Legatus præmemoratus edidit, sacrũ præsens capitulũ nonnulla statuit: pluraq; in præteritis Capitulis edita de verbo ad verbum repetiuit, videlicet.

De saluo conductu & viatico visitatorum vt sup. proximo ca.

Item vt defunctorum fratrum nomina in Capitulis denuncientur singulis. vt sup. c. 12. Et pleraque alia, quæ per ordinem inferere his videretur superflui.

De collationibus & potationibus in monasteriis non fiendis.

Ad nostram audientiam veridica relatione peruenit, quod in monasteriis nonnullis etiam reformatis ex singulari quadam prælatorum gratiosa pmissione collationes ante completorium fieri consueuerunt. quas iam fratres in certis monasteriis quotidie fieri de iure contendant eas propriaa utoritate assumentes in non modicum reformationis, puritatis, ac pacis eorũdem prẽiudicium & iacturam. cum detractionibus, leuitatibus secularium negociorum relationibus & etiam aliquando vsque ad exorbitantes contentiones, & interdum in laicorum præsentia dilatando: vnde easdem collationes decetero sine speciali eorundem prẽlatorũ gratia fieri prohibemus: de quibus etiam visitatores volumus singulariter esse admonitos

Præter ista nihil noui in hoc Capitulo fuit statutum. Dominus autem Cardinalis pro visitatoribus quasdam constitutiones edidit quarum aliquæ hic seorsum habentur.

CAPITVLVM PROVINCIALE XV. IN SELGENstat secundo celebratum fuit Anno Domini 1454.

ANno Domini 1454. die mensis Maii 12. quæ fuit Dominica Iubilate celebratum est capitulum prouinciale 15. in monasterio sanctorum Marcellini & Petri martyrum in Selgenstadt. In quo præsederunt venerabiles Patres Domini Abbates Wolfframus Hirsaugiēsis. Christianus sancti Petri in Erfordia, Vdalricus in Wiblirgen, & Bertholdus sancti Stephani in Herbipoli.

Approbantur statuta Domini Cardinalis.

Vestigiis Domini Cardinalis ac legati inhærentes omnia & singula p ipsum pro reformatione ordinis nostri in proximè præterito capitulo prouinciali in Herbipoli celebrato, statuta edita, ac ordinata, & tunc per Dominos præsidentes & totum Capitulum concorditer assumpta, sub pœnis & censuris in litteris dicti Domini Cardinalis desuper confectis, contentis, & expressis sacro approbante Capitulo districtè obseruanda omnibus præcipimus.

Vt præsidentes visitatores ac thesaurarii diem Capituli præueniant.

Volumus insuper & ordinamus, vt ad Capitula prouincialia amodo celebranda in futurum Domini præsidentes, visitatores, ac thesaurarii certis diebus præcedentibus interim etiam expensis Capituli sustentandi conueniant, ad tractandū ea quæ occurrerint, pro vtiliori & celeriori ipsius capituli celebratione & expeditione necessaria & opportuna.

Quomodo suscipiendi atq; tractandi sint visitatores.

Mandamus quoq; districtè omnibus prælatis & conuentibus, vt suis visitatoribus (si desuper fuerint requisiti) de saluo conductu apud principes patriæ, & loci illius seu dominii vsque ad aliud visitandum monasterium suis expensis pro posse & nosse prouideant. Ipsosquè visitatores cum omni reuerentia & humilitate suscipiant & tractent charitatiuè, eorumquè monita & ordinationes diligenter attendant, obseruent, & eis obediant. Res quoque ipsorum, equos, & bona alia, sub bona & fideli securitate custodiant sub pœna restitutionis ac solutionis omnium & singulorum dolosè vel fraudulenter sic amissorum.

De familia visitatorum.

Visitatores autem honestam familiam & comitiuam secum habeant: & quiuis eorum quatuor euectionibus sit contentus, nisi causa ratōabilis plures exposcat.

Impedientes visitationem excommunicationis incurrunt sententiam.

Ne tam salubre visitationis officium quouis quæsito ingenio vel colore impediatur, omnes & singulos Abbates, priores, præpositos, & monachos suos visitatores suscipere recusantes, vel cōtradicētes, ac ipsos rebelles, inobedientes, ac visitationis officium nutu, verbo, facto, vel scripto impedientes, aut ab eorum amicis nobilibus, vel ignobilibus, seu quibuscunque subordinantes, impedire, siue ordinantes, procurantes quouis ingenio per se, vel per alium, aut alios directè vel indirectè facientes, vel attentantes, quominus visitatores suum huiusmodi officium liberè ac quietè valeant exercere, excommunicationis sententiam ipso facto incurrere volumus, quam etiam sententiam excommunicationis ipsi visitatores contra eosdem publicare & executioni debitæ demandare teneantur.

Similem excommunicationis sententiam incurrere volumus omnes & singulos Abbates, præpositos, priores, conuentus, ac personas, qui huiusmodi reformationem Domini Cardinalis legati atque Capituli prius susceptam, & ad tempus continuatam à se retecerint: nisi eandem saltem infra tempus ipsis à visitatoribus suis præfigendum efficaciter reassumpserint, & continuauerint eandem.

Quæstus mendicitatis interdicitur.

Ad aures nostras certa relatione peruenit, quod vtriusq; sexus personæ nostri ordinis, non tam paupertatis coactione quã quęstus gratia discurrant huiusmodi suum quęstum per ambones denunciari procurantes, & etiam ostiatim in ordinis vilipendium mendicantes, ne id deceteto fiat vel contingat prohibemus: populumq; Dei exhortamur, ne talibus manus porrigant adiutrices, sed eosdem ad sua monasteria remittant: aut si facultates eorundem monasteriorum non suppetant, fratres idem vel personæ ordinis, nõ per se, sed per seculares huiusmodi petitiones publicari & deferre collectas procurent: & à monasteriis eiusdem ordinis vicinioribus vitę necessaria petant. Quod si post hanc nostram prohibitionem à præmissis non destiterint, poterit atq; debebit quilibet pręsidens contra eosdem tanquam inobedientes procedere iuxta excessuum qualitatem.

Ne monachis detur vagandi licentia.

Intelleximus etiam: quod nõnulli Abbates monasteriorumque prælati monachos fugitiuos, alioscq; frena disciplinæ fugientes: extorta insuper nonnunquam à suis superioribus licentia discurrentes sine probatione debita ad obedientiã recipere non verentur. dẽtq; vagandi occasionem volentibus in animarum suarum periculum & scandalum plurimorum: nos igitur morbo cupientes mederi lethali, districtè prohibemus: ne similia deinceps fiant sub pœna infamiæ & inhabilitatis: quam monitione præmissa visitatores in prælatos dantes, monachoscq; vagãdi licentiam recipientes infligant, grauioribus nihilominus (si culpa exigat) pœnis adiiciendis.

De procuratoribus absentium.

Prohibemus insuper, ne aliquis plurium Abbatum quam trium procurator existat, sub pæna suspensionis à diuinis per præsidentes pro tempore existentes infligenda: nisi causa euidens obsistat, quæ an sufficiens sit præsidentibus erit proponenda.

De antiquis statutis hic denuo replicatis.

Consequenter in hoc Capitulo statuta plurima prętеritorum capitulorum replicantur in forma, videlicet, ne se Abbates à Capitulo deinceps subtrahant, vt sup. c. 13. Et vt omnes habitum religioni decentem publicè & vbique portent vt sup. c. 1. Itemq; vt visitati suis visitatoribus pro viatico tres florenos exoluant vt c. 4. Etquædam alia, quæ superius in suis locis plenius habentur.

CAPITVLVM PROVINCIALE XVI CELEBRATUM in Erfordia tertio Anno Domini 1456.

ANno Domini 1456. dominica Iubilate, celebratum fuit 16. Capitulum apud sanctum Petrum in Erfordia. In quo præsederunt venerabiles Patres Domini Abbates, Bertholdus sancti Stephani Herbipolensis Iohannes sancti Michaelis Hildenhemensis, Vdalricus in Blaburen. Rupertus sancti Iacobi Moguntinensis.

Electio futurorum præsidentium ac visitatorum ad præsidentes pertinet.

Decernimus & declaramus ad præsidentes pro tempore, succedentiũ præsidẽtium ac visitatorum electionem, quemadmodum Benedicti Papæ 12. diffinit constitutio pertinere.

Ne secularibus liceat actibus interesse capitularibus.

Volumus, vt nullus deceteto in tractatibus & actibus Capitularibus admittatur secularis: sed cum actus aliquis publicam fuerit redigendus in formam, tunc notarii & testes honesti fideq; digni aduocentur.

De conformitate habitus & tonsuræ venientium ad Capitulum.

Volumus etiam & ordinamus, quod de-

deinceps conuenientes ad Capitulum prælati, prelatorumq; absentiũ procuratores, cõformitati morum in habitu precipuè & tonsura studeant. Et qui birretis vtuntur, non ea nudè & apertè deferant caputio cucullæ demisso(vt quidam assolent) sed ipsum cucullæ caputium superponant birreto propter conformitatem: quia & hoc humilitatis videtur esse indiciũ. Quod & in omni loco præcipuè per simplices conuentuales fratres nostri ordinis decetero volumus firmiter obseruari, præter quam in officiis diuinis.

Nomina Abbatum & procuratorum præsentium in Capitulo recessui singulatim inserantur.

Decreuimus etiam, vt decetero in recessu celebrati capituli pro tẽpore omnium nomina patrum præsentium & procuratorum absentium singillatim describantur.

De non exigendo iuramento in actu visitationis.

Visitatoris prouincialis Capituli in actu visitationis suæ, neque prælatos, neq; subditos ad occulta maximè criminalia detegenda vel publicanda nisi fraternæ charitatis seruato ordine, iuramento, aut aliàs indiscretè constringant.

Vt pposituræ & prioratus per visitatores Capituli prouincialis visitentur.

Nonnulli Abbates habentes sibi, aut suis monasteriis subiectas præposituras, prioratus, & decanatus, in eisdem visitãdis (vt didicimus) negligentes hactenus extiterunt: idcirco decernimus easdem præposituras, prioratus, & decanat' per visitatores Capituli prouincialis decetero visitandas. Abbates autem, quibus subsunt, si velint, poterunt visitationi huiusmodi simul interesse. Et visitati tales pro tẽpore mediam duntaxat exoluere teneantur collectam.

Monachi & moniales comessationibus inordinatis vacare non debent.

Innotuit nobis abusum esse apud quosdã ex ordine nostro, faciẽdi videlicet post prandium, & etiam post cœnam comessationes & potationes inordinatas & supfluas, vana & scurrilia his miscẽtes colloquia, quem quidem abusum per presens statutum tollimus & decetero fieri prohibemus: mandantes eos, qui in his reperti fuerint transgressores à visitatoribus in panis & aquæ abstinentia, aut aliàs iuxta excessus qualitatem condignè puniri.

Et quia prædictus abusus fertur à quodam alio detestabiliori prorsus abusu confoueri, quo in quibusdã monasteriis monachi sibi pro priuatis remediis & solatiis obuentiones speciales vsurpant, & eas non per cellerariũ, sed per quẽ ipsi volunt procurant dispensari: quem abusum similiter omnino volumus aboleri, & omnia in commune redigi, ac per cellerarium omnibus iuxta regulam necessaria ministrari.

De visitationibus monasteriorum monialium.

Monasteria monialium sancti nostri ordinis à visitatoribus Capituli prouincialis visitentur. Qui etiam inter cetera eorundem monasteriorum indemnitatibus cõsulendo, excludere satagãt ex eis puellas seculares: quę non conuersionis causa, sed parentum suorum rogatu in grauamẽ monasteriorum & disciplinæ iacturam inibi nutriuntur.

Cum qua cautela sint visitandæ moniales à prælatis.

Cum mulierum contagiosus sit aspectus viris spiritualibus, caueat is cui animarum cura committitur, ne vnquam videndi libidine monialium visitationem agat: sed solius necessitatis causa: qua expedita celerrimus abscedat. Neque monasterii clausuras introire præsumat, nisi magna necessitas, vel vtilitas id exposcat.

De constituendo confessore monialium.

Confessor monialium non absque vnius saltem presidentis consensu deputetur. Quod si secus quis attentare præsumpserit, siue prælatus, siue subditus, per visitatores grauissimè puniatur. Confessori autem ingressus ad clausuras monialium sit penitus interdictus.

Vt sine personarũ, seu nobilitatis respectu monachi suscipiantur.

Præterea nonnulla feruntur in nostra prouincia esse monasteria vtriusq; sexus, in quibus militares duntaxat & nobiles ad professionem recipi consueuerunt. vnde prouenit omnis dissolutio & destitutio regularis obseruantiæ, ac totalis eorundem monasteriorum in spiritualibus & temporalibus ruina. exquirant

visitatores huius consuetudinis rationem: & si priuilegia allegentur, diligenter ea examinent, vt veritate comperta huiusmodi elatus abusus possit aboleri: & indifferenter personæ (alias idoneæ) absque nobilitatis respectu deinceps ibidem secundum regulam profiteantur.

Nullus de reformato monasterio alibi sine literis sui recipiatur Abbatis.

Prohibemus, ne quisquam monachorum conuersorum, aut donatorum de monasterio reformato egressus in alio recipiatur, nisi licentiam habuerit sui Abbatis.

Monachus hospes parochiam non regat.

Nullus monachus hospes permittatur curam regere parochialem.

Incorrigibiles præsidentibus deferantur corrigendi.

Si qui monachi aut religiosi tales fuerint inuenti, qui arceri nequeant suis prælatis & visitatoribus, hi tales insinuentur præsidentibus: quatenus illi desuper prouideant.

De proclamatione Patrum in Capitulo.

Quia Patres ordinis ad hoc inter alia non immerito conuenire & in Domino congregari debent, vt Capitula prouincialia celebrent, & de variis suis negligentiis culpisq; se apud præsidentes expurgent: decernunt Domini præsidentes & statuunt, vt decetero in celebrandis Capitulis huiusmodi singuli Patres se debeant proclamare de culpis & excessibus negligentiisq; suis fideli & humili mente iuxta præsidentium arbitrium pœnitentiam suscepturi.

De supplenda negligentia visitatorum.

Si quis de visitatoribus ob legitimum impedimentum assignatum sibi officium nequiuerit adimplere, id viciniori significet præsidenti, qui locum eius supplebit, aut certe alium quempiam de prælatis, qui suppleat, ordinabit.

Vt præsidentes & visitatores diem celebrandi Capituli ad minus quatuor diebus præueniant.

Volumus, vt visitatores vna cum præsidentibus, diem inchoandi Capituli adminus quatuor dieb⁹ præuenire festinẽt: ad referendum præsidentibus per eos comperta gesta, & expedita in visitationibus suis: vt ipsi præsidenes de eorum diligentia patribus congregatis, parati sint ad corrigendum rebellium, & inobedientium excessus, seu etiam negligentiam eorundem visitatorum, si qua fuerit reperta, punire.

CAPITVLVM PROVINCIALE XVII. IN NVRENberga celebratum tertio, Anno Domini 1459.

ANno Domini 1459. dominica Misericordia Domini celebratum fuit Capitulum prouinciale 17. in monasterio sancti Egidii Nurenbergę. In quo præsederunt venerabiles Patres Domini Abbates Georgius sancti Egidii ibidem, Bertholdus sancti Egidii in Bruntzvvig. Eberhardus sancti Iacobi Moguntinensis. Henricus beatæ Mariæ in Ettenmonster.

De antiquis statutis hic replicatis.

In hoc Capitulo, sicut & in cæteris penè omnibus quædam antiqua statuta in forma fuerunt replicata. E quibus primum fuit, vt præsidentes & visitatores diem statutum inchoandi Capituli in quarta feria præueniant. Cum cæteris, quæ superius habentur. Et ibi renunciauerunt iuribus suis, quicunq; priuilegia habuerunt pro solis nobilibus suscipiendi. Vnde & de cõmuni consensu omnium tunc eadem priuilegia penitus sublata fuerunt.

De sermocinatore.

Facturus quoq; sermonem ad Patres diem præfixum aliquantulum præueniat: ipsumq; sermonem in ea forma, qua pronunciãdus est correctioni aut alterationi præsidentium tempestiuè submittat.

Si contingeret aliquem de præsidentibus deesse.

Si in præuentione huiusmodi quisquã ex præsidentibus quauis occasione defuerit,

fuerit, reliqui tractēt & disponant omnia, quę fuerint opportuna, cum facultate aduocandi vnum de Patribus presentibus, si opus fuerit, donec ille aduenìat, qui huic præuentioni debuit interesse.

De morte præsidentis.

De morte vero alicuius præsidentis, vel aliàs quomodolibet deficientis, bulla Martini Papæ quinti, quæ superi⁹ in principio huius voluminis est posita obseruetur, hac declaratione in hoc Capitulo apposita, quod autoritas priorum præsidentium duret vsque ad diem inchoandi Capituli exclusiuè, ipsoq; die nouorū incipit autoritas præsidentium.

Ne scholares cantando choris interstint monachorum.

Quoniam corruptio maturitatis in mentibus cognoscitur religiosorum societas scholarium ac secularīū clericorum in diuinis officiis, decreuerunt Domini præsidentes eosdem scholares & clericos suis parochiis dimittendos. Si verò alicubi sine notabili scandalo non possent dimitti, visitatores illorum monasteriorum auditis rationibus discernant, quousq; & qualiter debeant tolerari.

CAPITVLVM PROVINCIALE XVIII. IN HERbipoli tertia vice celebratum. Anno Domini. 1464.

ANno Domini 1464. Indictione 12. dominica Iubilate, celebratum fuit 18. Capitulum prouinciale in monasterio sancti Stephani Herbipolis. In quo præsederunt venerabiles patres Domini Abbates, Bertholdus sancti Staphani ibidem, Iohānes sancti Michaelis in Hildēsheim, Melchior sācti vdalrici in Augusta, EBerhardus montis monachorum. In quo ordinatum est, vt seriosè resistatur illis qui se de ordine ad statū secularem, siue secularium canonicorum volunt transferre, Et contra eos procuratores in curia romana disponantur.

In causis arduis & magnis vota patrum requirantur.

Volumus inprimis, & ordinamus vt in magnis ac arduis causis capituli & ordinis deinceps tempore ipsius Capituli vota singulorum patrum per ordinem scrutentur præsentium: & quilibet eorum secūdum Deum & conscientiā suam, quod melius iudicauerit, vt fuerit requisitus cum humilitate & reuerentia loquatur.

De multiplicatione constitutionum.

Attendentes quod in prioribus Capitulis multa vtilia statuta sunt, ex quibus adhuc modicus fructus prohdolor inuenitur subsecutus, propter negligentiam plurimorum, cū superfluum sit iura quantumlibet celebria condere, si debitæ non demandētur executioni: & ne multitudo statutorum augeat transgressionis materiam, nolumus iam statuere, secūdum veterum obseruantiam constitutionum singulis diligentibus, quam hactenus, præcipimus obseruare.

CAPITVLVM PROVINCIALE XIX. CELEBRAtum in monte monachorum primo, Anno Domini 1467.

ANno Domini 1467. Indictione 15. die decima nona mensis aprilis, quæ fuit dominica Iubilate, celebratum fuit Capitulum prouinciale 19. in monasterio montis monachorum Bambergen-

bergensis. In quo præfuerunt venerabiles Patres Domini Abbates, Iohannes Bursfeldensis, Melchior Augustensis. Henricus sancti Michaelis Hildenshemensis. Iohannes in Werdea.

De antiquis statutis replicatis.

Multa in hoc Capitulo antiqua statuta fuerunt denuo replicata: quæ cum habeantur in superioribus, non fuerant hic iterum inserenda. Noua duntaxat inseramus,

De successione præsidentium & visitatorum.

Placuit nobis, vt decedente aliquo ex præsidentibus aut visitatoribus, is qui in Abbatia ei succedit, in præsidentia etiã, aut visitatione absq; noua vocatione alicuius succedat tam in officio, quam in dignitate præsidentiæ.

De festo commemorationis sancti Benedicti.

Volumus insuper, vt festum translationis sanctissimi Patris nostri Benedicti iuxta prohibitiones Apostolicas decetero non seruetur: sed loco translationis festum commemorationis ipsius in horis & officiis diuinis cum cerimonialibus omnibus agatur consuetis.

Noua pœna visitatorum negligentium.

Decretum quoq; fuit, vt omnes visitatores, qui officium visitationis sibi iniunctum non impleuerint, propter quodlibet monasterium non visitatum teneantur pro pœna tres florenos rhenenses Capitulo soluere: nisi causa interueniente legitima.

De forma procuratorii.

Et quia sæpe negligentiæ in procuratoriis patrum absentium contingunt, dũ non mittuntur in debita forma, ignorantia (vt credimus) id causante: igitur ad obuiandum illis erroribus hanc formam procuratorii sufficientis hic insertam vnanimiter suscipimus & approbamus.

Forma procuratorij.

Reuerendis in Christo Patribus Dominis præsidentibus sacri capituli prouincialis prouinciæ Moguntinæ & diœcesis Bambergensis nigrorum monachorum ordinis sancti Benedicti in monasterio N. diœcesis N. dominica Iubilate proximè celebrandi. N. vocatus Abbas in N. eiusdem ordinis N. diœcesis. Obedientiam reuerentiam & honorem. Venerandi Patres & Domini. Quia secundum laudabilia patrum statuta Capitulum prouinciale venit celebrandum: ad quod, prout debeo & teneor personaliter accedere, non possum tali causa præpeditus.

Exprimatur causa.

Hinc est, quod venerabilem Patrem Dominũ. N. Abbatem in N. vel religiosum fratrem nostri professum monasterii. N. in meum indubitatum procuratorem constituo, in meliori forma cum pleno mandato vice mea in prædicto Capitulo comparendi, tractandi, votandi, concludendi, alia q; singula faciẽdi, quæ ipsemet facere possem & deberem, si personaliter interessem, cum potestate iurandi in animam meam, si opus fuerit, causam meæ absentationis allegatã superius esse veram. Insuper, si contigerit collectam pecunialem imponi per Capitulũ huiusmodi in personam meam acceptandi: quam etiam legaliter, cum requisitus fuero, soluam, promittens me sub testimonio præsentium literarum rata & grata habiturum quæcunq; in eodem Capitulo statuta fuerint & ordinata, & tam per me quam mihi subiectos pro posse obseruaturum. In quorum omniũ fidem & testimonium sigillum meum abbatiale præsentibus est subimpressum. Datum in monasterio meo prædicto.

Anno &c.

CAPITVLVM PROVINCIALE XX. IN ERFORdia quarto celebratum, Anno Domini 1470.

ANno Domini 1470. Indictione 3. die 15. mensis Maii, quæ fuit dominica Iubilate celebratum fuit 20. capitulũ prouinciale apud sanctum Petrum in Erfordia quarta vice cum protestationibus consuetis, vt non inten-

intendant Patres excommunicatos admittere: ne recedant tam ipsi quam procuratores ante finem capituli sub pœna excommunicationis, scilicet ferendæ sententiæ. In quo præsederunt venerabiles Patres Domini Abbates Guntherus Abbas ibidem, Melchior sanctorum Afræ & Vdalrici in Augusta, Sebaldus sancti Egidii in Nurenberga, Paulus sanctæ Mariæ in Elchingen. In quo ordinatum est, vt acta singula singulorum præcedentium Capitulorum in vnum sub compendio comportentur, sicut hic attentatum est in compilatione præsenti.

De statutis veteribus, quæ hic fuerunt iterum renouata.

In præsenti Capitulo multa veterum Capitulorum statuta fuerunt renouata, & recessui tanquam de nouo iterum inserta. è quibus sunt ista. In primis forma procuratorii de verbo ad verbum inseritur & confirmatur. Item, quod præsidentes vriusque Capituli cum visitatoribus in quarta feria constitutum celebrandi diem Capituli præueniant vt sup. c. 17.

Et de supplenda negligentia non præuenientis in ipsa quarta feria. vt ibidem.

Item quod nullus amplius, quam trium procurator fiat. vt sup. c. 15. Et quod visitatores negligentes pro quolibet monasterio non visitato tres florenos soluant. vt sup. c. 19. Itemque vt præposituræ & prioratus per visitatores eosdem, Abbate proprio præsente, si voluerit, visitentur: salua medietate procurationis. vt. c. 16. Idem de monialibus reformatis & non reformatis sentiendum est.

Statutum quoque dudum in c. 8. & 9. editum de fugitiuis reuocandis, nec dando generali licentiatorio cuiquam denuo renouatum est de verbo ad verbum vt sup. c. 15.

Vt procuratores absentium Capitularibus tractatibus valeant interesse.

Placuit Dominis præsidentibus & Capitulo vt monachi procuratores Patrum absentium habentes procuratoria sufficientia tractatibus capitularibus possint interesse: quemadmodum hucusque interfuerunt.

Item de procuratoribus absentium.

Procurator absentium plene debet esse informatus de visitationibus ipsum mittentium. si qui visitatores extiterunt: & de illis omnibus Dominis præsidentibus facere relationem: præsentiasque & humiliationes loco mittentium in se suscipere, & recessum Capituli infra spacium duorum mensium illis, à quibus missus est, destinare. Quod si non fecerit, & in prædictis negligēs fuerit, si Abbas est, duorū florenorum pro quolibet monasterio: si simplex monachus, suspensionum à diuinis pœnis mulctetur.

De honestate & qualitate vestimentorum.

Ordinamus etiam atque statuimus, vt Abbates & religiosi quicunque, aut quibuscunque deputati officiis fuerint, intus & foris monasterium habitum gerant decentem, siue vestem pluuialē super scapularia cum assutis cucullis & rectis birretis cum decenti etiam familia (omni curiositate semota) incedant.

Si Abbas in excusationem suarum litteras principum ad Capitulum mittere possit.

Nullus Abbas, aut prælatus litteras principum super absentia sua ad Capitulum mittendas decetero impetrare præsumat, sub pœna trium florenorum rhenensiū Capitulo absq; remissione aliqua persoluendorum.

Qualis debeat eligi in Abbatem præpositum vel priorem.

Statuerunt Domini præsidentes vna cum patribus: vt nullus deinceps eligatur, aut postuletur in Abbatem, præpositum, vel priorem, nisi in obseruantia & vita regulari ad minus per anni spacium sine fictione steterit: eamq; tenuerit & obseruauerit. Quod si secus factum fuerit, fiet de tali, quod Dominus Cardinalis legatus in talibus per suas litteras fieri mandauit.

Si debeat monachis concedi licentiatorium generale à suis prælatis.

Prohibemus districtius: ne aliquis prælatus nostræ prouinciæ seu Capituli fratribus suis ad quodcunque monasterium emittendis generale licentiatorium deinceps concedat: sed nec iam sic concessis vti permittat: immo quantocyus reuocet prudenter, quod inconsulte in animarum periculum concessit.

De indultis Apostolicis surreptitiis.

Salubriter etiam decreuimus indultis Apostolicis iam obtentis vel in futurum forsitan obtinendis extra scientiam

tiam præsidentium (maximè vergunt in iacturam obseruantiæ & disciplinæ regularis) tanquam inutilibus & surreptitiis de cetero non vtendum.

CAPITVLVM PROVINCIALE XXI. IN NVRENberga quarto celebratum Anno Domini 1473.

ANNO domini 1473. Indictione sexta in dominica misericordia domini, celebratum fuit capitulum prouinciale 21. in Nurenberga apud sanctum Egidium quarta vice. In quo præsederunt venerabiles Patres DOMINI Abbates, Theodericus Bursfeldensis Guntherus sancti Petri in Erfordia, Iohannes sancti Egidii in Nurenberga, & Iohannes sanctæ crucis in Werdea.

Quæ statuta veterum hic replicata.

In primis Domini præsidentes & Patres omnia præcedentium Capitulorum statuta, tanquam de verbo ad verbum his forent inserta, inuiolabiliter mandarunt per vniuersos Capitulo subiectos obseruari.

Fuerunt etiam nonnulla eorundem statutorum huic recessui inserta denuò, quæ in superioribus de verbo ad verbū habentur, videlicet quod præsidentes visitatores & sermocinator diem statutum capituli in quarta feria præueniant.

Item, vt vno præsidentium in hac præuentione absente, ceteri adiuncto sibi de patribus aliquo, si velint, donec ille veniat omnia faciant cum potestate plena.

Decretum quoq; de Apostolicis in dultis non impetrandis vel vtendis vt sup. proximo c,

Similiter vt nullus plurium quam triū procurator existat. Et vt procuratores visitatorum plenè de singulis sint informati sub pœna vt sup. eisq; infra duos menses recessum Capituli transmittant.

Et illud: quod Abbates & monachi decentem in omni loco habitum portent. Illud etiam, quo vetatur ne Abbas aliquis in sui excusationem ad Capitulum principum literas audeat impetrare.

Itemq;, vt prælati suos fugitiuos requirant: & nulli deinceps generale licentiatorium concedant.

Et vt visitatores præposituras, prioratus & monialium cœnobia visitent: Abbate eorum Interesse potente, si velit, vt sup.

Vt etiam visitati suis visitatoribus tres florenos rhenenses pro viaticosoluant.

Et de pœna trium florenorum pro quolibet monasterio non visitato negligentibus visitatoribus inflicta.

Item & illud: vt visitatores rebelles & inobedientes viciniori præsidenti denuncient puniendos.

Hæc & his similia, quæ in superioribus habentur de verbo ad verbum, hic iterum fuerunt replicata, sequentibus tamen de nouo, vt videbatur, adiectis.

Nouitius ante annum probationis completum ad professionem non suscipiatur.

Ad obuiandum futuris periculis regulari & iuris dispositioni pro viribus innitentes, districtè prohibemus: ne quis prælatus nouitium de cetero ante completum probationis suæ annum ad professionem recipiat.

De habitu conuersorum.

Conuersi pro cunctis grata vniformitate habitus sui capucia in anteriori parte aperta instar monachorum gerant.

CA-

CAPITVLVM PROVINCIALE XXII. IN MONte monachorum tertio celebratum fuit Anno Domini 1476.

ANno Domini 1476. Indictione nona dominica Iubilate celebratum fuit 22. Capitulum prouinciale in monasterio montis monachorum prope Bambergam tertia vice. In quo præsederunt venerabiles patres Domini Abbates, Martinus in SWartzach, Hermannus sancti Iacobi Moguntinum Henricus in Blaburen, & Iohannes sancti Egidii in Nurenberga.

Statuta preteritorum Capitulorum in primis probantur.

Ad ea, quæ in transactis Capitulis & recessibus fuerunt statuta animum dirigentes, confirmamus & approbamus omnes constitutiones & decreta eorundem: eaq; ac si de verbo ad verbum his forent inserta per expressis volumus haberi & obseruari ab omnibus.

De indultis Apostolicis surreptitiis nõ vtendis sub pæna excommunicationis.

Sub excommunicationis pæna mandamus: vt nullus præsumat vti indultis Apostolicis surreptitiæ impetratis, vergentibus in periculum animarum & obseruantiæ regularis dispendium, iam obtentis aut forsitan extra scientiam præsidentium in fututum obtinentis vt sup. etiam habetur.

Vt absentes procuratorio quatuor florenos mittant.

Volumus insuper, vt quilibet procurator, pro eo cuius procurator est sub pæna contumacię eiusdem sine contradictione quatuor florenos renenses Capitulo deinceps apporret.

De aliis statutis hic positis.

Statutum etiam de procuratoribus: vt eis, à quibus missi fuerint recessum Capituli infra duos menses post celebratum Capitulum proximè transmittant, sub pena duorum florenorũ, si Abbas. suspensionis à diuinis si monachus procurator existat: vt sup. c. 20. habetur de verbo ad verbum hic iterum extitit innouatum.

CAPITVLVM PROVINCIALE XXIII. IN NVrenberga quinto celebratum Anno Domini 1479.

ANno Domini 1479. Indictione 12. dominica Misericordia Domini, celebratum fuit 23. Capitulum prouinciale apud sanctum Egidium in Nurenberga quinta vice. In quo prę̃sederunt venerabiles patres Domini Abbates Martinus in Svvartzach. Leonardus sancti Petri in castello. Bernardus in Hirsavv, Hartmannus sancti Iacobi Moguntinum.

Quæ statuta præcedentium Capitulorum hic iterum fuerunt replicata.

In hoc sacro prouin ciali Capitulo plura stat uta fuerunt tanquam de nouo replicata: qu ę tamen prius in aliis Capitulis præcedentium temporũ (paucis exceptis) noscuntur eisdem penè verbis ordinata è quibus ista sunt.

In primis de indultis Apostolicis surreptitiis non vtendis vt sup. c. 20. in fine: hac tamen clausula, quæ sequitur adiecta.

De expedientis in curia negotiis.

Ea vero quæ in curia Romana fuerint expediẽda vel impetranda p ordine, aut monasteriis communiter vel diuisim per ordinis procuratorem in curia pro tempore existentem, vel de eius consensu expresso, prælati & monachi omnes nostræ prouinciæ & ordinis faciãt expediri.

Item statutum, vt visitati suos visitatores benevolè suscipiant & tractent: eisque pro viatico 3. florenos rhenenses soluant sub pœna tripli adiecta: ac de saluo conductu prouideant eisdem similiter fuit replicatum. Et quædam alia: quæ tamen propter pœnas, & singularia quædam nobis denuo placuit exprimere. De quibus istud est primum.

Ne monachus sine litteris commendatitiis sui Abbatis recipiatur sub pœna 30. florenis.

Prohibemus etiam districtius sub 30. floren. rhenens. pœna omnibus prælatis, & superioribus nostri ordinis & prouinciæ, ne decetero aliquē fratrē aut Monachū suis monasteriis recipiāt sine litteris cōmendatitiis ꝓprii ipsius Abbatis: sed iā aliter receptos quantocyus sub eadem dimittant pœna, totiens quotiens contrarium fecerint Capitulo sine contradictione soluenda.

Ne concedatur alicui generalis licentia sub pena 50. florenorum.

Inhibemus etiam eisdem prælatis omnibus, ne decetero concedant suis monachis & professis generale licentiatorium sine consensu pręsidentium Capitulo prouinciali: sub pœna quinquaginta florenorū rhenensium, totiens quotiens trāsgressi fuerint hanc nostram constitutionem eidem Capitulo soluendorum.

De visitationibus.

Districtè quoque inhibemus omnibus nostro Capitulo de iure vel consuetudine subiectis: ne aliquo modo disponant, neque per se, neque per alios, cum diœcesanis vel principibus aut nobilibus, quominus visitatores liberè suū officium possint adimplere. Nec obiiciant visitatores absq; ordinariorum consensu non admittendos: cum Apostolica autoritate mittantur & vice Domini Papæ visitent monasteria sibi deputata. *vt extra de sta. mo. n. in singulis §. ordinentur.* Nec aliquas visitatoribus conditiones apponant, cum quibus velint vel sine quibus nolint eos admittere sub pœna 30. florenorum.

De chartis visitationum.

Sub eadem pœna mandamus omnibus prædictis Abbatibus, præpositis, prioribus, decanis, monachibus, conuentis, vt chartas, ordinationes, & statuta eis à visitatoribus facta seu facienda diligenter custodiant, legant, conseruent, & practicent.

Ne Abbas monacho proprium indulgeat.

Cum sit monachis semper perniciosa proprietas & totius religionis euersio, ꝓhibemus strictissime omnib9 Prelatis ne alicui suorū ꝓpriū indulgeant: qa ꝙ summus se fatetur nō audere pōtifex, temerarium valde censetur ab inferiori aliquatenus præsumendū: vt clare habemus *extra de statu mo. cum ad monasterium, in fine.*

CAPITVLVM PROVINCIALE XXIIII. IN BLAburen celebratum fuit Anno Domini 1482.

ANNO Domini 1482. Indictione 15. dominica Iubilate celebratum est 24. Capitulum prouinciale in monasterio sancti Iohannis Baptistæ in Blaburen Cōstantiensis diœcœsis. In quo præsederunt venerabiles Patres Domini Abbates Georgius sancti Stephani Herbipolensis. Iohannes Wyblingen. Vdalricus montis monachorum & Iohannes sancti Egidii in Nurenberga.

Vt recessus Capitulorum prouincialium à tempore concilii Constantiensis in omnibus monasteriis habeantur, & publicè in conuentibus legantur.

Ne statuta & ordinationes Capitulorum prouincialium hactenus celebratorum his, qui ea scire tenentur fiant incognita, volumus & districtè mandamus sub pœna 20. florenorum, vt omnes & singuli Patres scribi faciant & habeant omnes recessus Capitulorum huiusmodi à tempore concilii Constantiensis vsque modo in vno volumine: quod secum tempore celebrandi Capituli cōportent: atque in suis conuentibus eosdem recessus singulis angariis publicè legi procurent.

Sed

Sed hoc ſtatutũ de legendis receſſibus ſingulis videretur nimis durum, vt mihi apparet, de abbreuiatura igitur puto intelligendum, vt infra patebit. De fugitiuis.

Et ne monachis hincinde vagandi ꝓueniret occaſio, ſi vbilibet ſuſciperentur hoſpitio, mandamus omnibus Abbatibus noſtris ſub pœna 30. florenorum rhenenſiũ, vt vbicunque monachum noſtræ prouinciæ vagantem inuenerint, ſtatim, ſi commoditas affuerit ad monaſterium, vnde exierat ſub eiuſdem expenſis cœnobii eum proprio tranſmittant Abbati: qui ipſum ſic miſſum ſolutis expenſis mitten ti ſine contradictione teneatur ſuſcipere.

Et ſub eadem pœna prohibemus omnibus noſtris prælatis, ne monachos aliquos, vel conuerſos ad eorum monaſteria declinantes, qui litteras commendatitias, ſeu credentiales vulgariter dictas nõ oſtenderint prius, nequaquam intromittant, nec hoſpitent: niſi forte illo reſpe ctu, vt captos eos ſuis mittant Abbatibus.

De viſitationibus.

Præterea, quia non modica vis regularis obſeruantiæ in viſitationibus conſiſtit, idcirco prohibemus omnibus noſtro Capitulo ſubiectis, ne viſitatores in ſuis officiis aliqualiter impedire præſumant: ſed honeſtè & reuerenter eos ſuſcipiant & tractent: atque de ſaluo conductu & viatico trium florenorum iuxta ſtatuta præcedentium Capitulorum prouideant ſub pena 20. flore.

De forma viſitationis.

Vt autem viſitatores debitum ordinem in ſuis poſſint viſitationibus obſeruare, volumus & diſtrictè mandamus ſub pena. 10. florenorum, vt officium ſuum ſecundum tenorem formæ viſitandi in bulla Domini Nicolai Chuſ. Cardinalis Legati contentæ, quam dedit viſitatoribus noſtræ prouinciæ tunc temporis curent adimplere.

Et nota, quod hæc forma in conſtitutionibus eiuſdem Cardinalis de viſitatione cõtenta, hic de verbo ad verbũ receſſui fuit inſerta. quam quia ſeorſim cum aliis poſui lib. 2. ſuperfluum iudicaui eandem denuo in preſenti volumine replicare.

CAPITVLVM PROVINCIALE XXV. IN AVguſta ſecundo celebratum Anno Domini 1485.

ANno Domini 1485. Indictione tertia, dominica Iubilate, celebratum eſt 25. Capitulum prouinciale, apud ſanctos Afram & Vdalricum in Auguſta ſecundo. In quo præſederunt venerabiles Patres Domini Abbates, Iohannes ſancti Egidii in Nurenberga, Iohannes S. Martini in Sponhem. Henricus ſanctorum Petri & Pauli in Wiſſenburg, & Paulus beatæ Mariæ in Elchingen. Ibi ſequentia fuerunt facta ſtatuta.

Ne criminoſi & incorrigibiles expellantur, ſed incarcerentur.

Quãuis beatus pater noſter Benedictus in regula monachos incorrigibiles expelli iubeat de monaſterio, nos tamen conſiderantes multorum ex hoc, ſi practicaretur, manifeſtum periculum, pro temporũ varietate duximus varianda ſtatuta: vnde prohibemus diſtrictè omnibus Abbatibus noſtris atque prælatis, ne monachos ſuos conuerſos, ſiue donatos cuiuſcunq; criminis reos de monaſterio expellere aut excludere præſumant. cum talis incorrigibilium expulſio vagandi, grauioraque ipſis committendi prebeat facultatem: ſed tales ſic enormiter delinquentes detrudantur in carceres ſecundum criminis admiſſi qualitatem diutius puniendi.

Vt duo officia in conuentibus poſt celebrata Capitula fiant.

Statuimus inſuper & ordinamus, vt in quolibet monaſterio noſtræ prouinciæ ſtatim poſt celebratum Capitulum quilibet prælatus duo officia, vnum pro viuis, aliud pro defunctis cum vigiliis congruentibus ſibi diebus conuentualiter faciat celebrari pro fratribus & benefactoribus Capituli prouincialis & ordinis.

De ſententia excommunicationis.

Volumus etiam, & ſtatuimus, quod excommunicati & excommunicandi dein-

ceps in Capitulis prouincialibus quacũque ex causa etiam pro cõtributione imposita per præsidentes non soluta in suis diœcesibus & monasteriis denuncientur: & super hoc per Capitulum excutores cõstituantur, ne se de sentẽtiis & censuris huiusmodi quomodolibet valeant excusare, siue ignorantiam prætendere donec mandatis addiscant obedire præsidentium.

Visitatores monasteriis à se visitatis chartas faciant, quas etiam celebrandi tempore Capituli præsidentibus mittant.

Mandamus insuper visitatoribus, vt chartas visitationum suarum in monasteriis à se visitatis dimittant iuxta statuta & ordinationes antiquorum: quarum copias per se aut suos procuratores ad ipsum Capitulum pro tempore mittant: in quibus Dominos præsidentes de statu eorũdem monasteriorum in temporalibus & spiritualibus atque personis luculenter informent: quatenus ipsi præsidentes cognitis defectibus, monasteriis huiusmodi quantocyus possint occurrere. Qui si monasteriorum visitatorum status & necessitas expostulauerit, statim visitatione facta visitatores copias chartarum ad præsidentes cum insinuatione opportuna transmittant.

De expensis monasteriorum ab ordine se dimembrare tentantium.

Insup volumus & ordinam⁹, vt expẽsæ, quas ꝑ monasteriis se ab ordine dimẽbra re tentantibus, Capitulũ quomodolibet contigerit subire, vel iam etiam translatis recuperandis ab huiusmodi monasteriis reductis, Capitulo soluantur iuxta facultates proprias attendendas.

De breui mortuorum.

Volumus & ordinamus, quod in singulis futuris Capitulis nomina defunctorum fratrum per Abbates seu eorum procuratores in ipso Capitulo pro tempore celebrando mittantur in schedulis, vt patrum orationibus commendentur.

CAPITVLVM PROVINCIALE XXVI. CELEbratum est apud sanctum Iacobum Moguntiæ. Anno Domini. 1487.

ANno Domini 1487. Indictione 6. dominica Iubilate celebratum est 26. Capitulum prouinciale in monasterio sancti Iacobi prope Moguntiam. In quo præsederunt venerabiles Patres Domini Abbates, Henricus in Wissenburg, Conradus in Wiblingen Berthamus sancti Gothardi in Hildenshem, & Iohannes in Selgenstadt.

De eligendis per præsidentes diffinitoribus.

Placuit nobis omnibus capitulariter congregatis, vt de cetero in singulis celebrandis Capitulis diffinitores per præsidentes ex patribus eligantur.

De ætate ad ordinis professionem in persona recipienda requisita.

Prohibemus in super omnibus Abbatibus, & nostri Capituli prælatis, ne aliquem decetero ad professionem ordinis recipiant. nisi in ætate debita constitutum, masculum videlicet in 14. femellam vero in 12. annis completè.

De ætate ordinatorum fratrum.

Prohibemus etiã eisdẽ prælatis omnibus, ne de cetero subditos suos ad ordines maiores promoueant minorẽnes contra dispositionem iuris communis, & ordinatioem summorum pontificum.

De nouitiis ad horas canonicas persoluendas obligatis.

Decernimus omnes professos atq; nouitios nostri ordinis etiam in nullo ordine sacro constitutos ad horas canonicas secundum ordinationem regulæ dicendas omni die obligatos.

C A-

CAPITVLVM PROVINCIALE XXVII. CELEbratum est in Nurenberga sexto Anno Domini 1490.

ANno Domini 1490. dominica Misericordia Domini, celebratum est 27. Capitulum prouinciale apud sanctum Egidium Nurenbergæ sexta vice. In quo præsederunt venerabiles patres Domini Abbates Georgius sancti Stephani in Herbipoli, Iohannes sancti Egidii Nurenbergensis. Henricus in Blaburen & Blasius in Hirsavv.

De his qui visitatores non admittant.

Ad aures nostras certa & graui delatione peruenit, quod nonnulli Abbates & monachi visitatores suos non solum recusarunt admittere, sed quod grauius est, etiam cum opprobrio & indignatione de suis locis ignominiosè expulerunt, in ordinis, Capituli, & canonum manifestum vilipendium: exhortamur ego omnes & singulos prælatos & professos per totam prouinciam nostram in ordine vbilibet constitutos, ne similia decetero tentare præsumant sub pœna in superioribus statutis latius expressa: quam in huiusmodi rebelles per ipsos visitatores aut præsidētes sine remissione volumus extendi. Sed visitandi omnes suis visitatoribus hilariter & reuerenter occurrant, humiliter & gaudenter suscipiant, & humaniter pertractent: quibus etiam de saluo conductu si opus fuerit, vsq; ad aliud monasterium per ipsos visitandum suis expensis prouideant.

De chartis visitationum.

Placuit Patribus, quod nisi contemptu interueniente in chartis visitationum decetero non ponantur verba præceptoria seu comminatoria, quibus animi subditorum ad virtutes ex amore trahantur: nisi, vt diximus, contemptu interueniente, vel vbi ageretur de transgressione trium votorum substantialium, aut alias cogeret euidens alicubi necessitas.

CAPITVLVM PROVINCIALE XXVIII. CELEbratum est Anno Domini 1493.

ANno Domini 1493. dominica Iubilate celebratum est. 28: prouinciale Capitulum in monasterio sanctorum angelorum Petri & Pauli Hirsaugiensi ordinis sancti Benedicti Spirēsis diœcesis. In quo præsederunt venerabiles patres Domini, Iohannes in Spanhem, Conradus in Wiblingen, Bartholomeus sanctæ crucis in Werdea, & Andreas montis monachorum prope Bambergam monasteriorum Abbates, Moguntinensis, Constantinensis. Augustensis, & Bambergensis diœcesium. In quo quidē Capitulo statuta priorum Capitulorum de nouo sunt roborata, hoc vno adiecto, quod de verbo ad verbum sequitur.

De confessione monachorum.

Volumus & ordinamus, vt vnusquisq; monachus secundum regulam sancti Benedicti professus iuxta constitutionem Clementinæ *Ne in agro. de sta. mo.* debeat & teneatur suo Abbati ad minus semel in mense de occurrentibus facere confessionem: & de reseruatis casibus Abbati totiens, quotiens se in talibus nouerit deliqsse sub pœnis in constitutionibus summorum pontificum, generalium conciliorū seu prouincialium Capitulorum contentis.

Statutum est quoq; in eodem Capitulo, vt abbreuiatura recessuum Capitulorum prouincialium postquam impressa & ad singula monasteria præsentata fuerit, extunc ad minus semel in triennio publicè legi debeat.

FINIS.

IOANNIS TRITHEMII APPENDIX DE BVLLIS PRO ORDINE S. BENEDICTI.

BVLLA prima Concilii Constantiensis pro Capitulo prouinciali celebrando. In qua narrantur mala, quæ proueniunt ex omissione huiusmodi Capitulorum: & vtilitates prouenientes ex eorundem diligenti continuatione Anno Domini millesimo quadringentesimo sedecimo.

Processus executoriales eiusdem bullæ anno quo supra.

Alia bulla eiusdem concilii de modo & forma eligendi præsidentes. Anno 1417.

Alia bulla executorialis dicti concilii contra rebelles ac inobedientes statutis & ordinationibus patrum ordinis Anno quo supra.

Alia bulla executorialis nominati concilii Anno quo sup.

Alia bulla executorialis præfati concilii Anno quo sup.

Concilium Constantiense dedit bullas executoriales contra inobedientes & rebelles Capitulo prouinciali vel præsidentibus eiusdem Anno Domini 1420.

Bulla Martini Papæ quinti: quod tempore Capituli possint in locum absentium præsidentium alii deputari & assumi: & quod præsidentes possint ex causis locum Capituli mutare cum prorogatione termini.

Concilium Basileense dedit bullas cum facultate absoluendi ab omnibus censuris & pœnis, quo ad eos, qui se regulari obseruantiæ submittunt animo & intentione huiusmodi obseruantiam continuandi. Anno Domini 1439. Et istud priuilegium est ampliſſimum, quo ad irregularitatem, infamiam & alias pœnas ac censuras: & se non extendit, nisi ad eos, qui regulari obseruantiæ se submittunt animo & intentione continuandi huiusmodi obseruantiam. Et durat vsq; ad alterius generalis Concilii vel sedis Apostolicæ reuocationem expressam.

Statutum Domini Henrici tituli sancti Eusebii sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ præsbiteri Cardinalis Anglici per vniuersam germaniã ac Hungariæ & Bohemiæ regna Apostolicæ sedis legati, quod Patres præsidentes possint compellere rebelles contemptores statutorum Capituli, & audire causas quaseunq; propterea motas. Actum Franckfordiæ 11. Kal. Decembris Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Martini Papæ 5. Anno 11.

Statutum Domini Ludovvici tituli sanctæ Cæciliæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri Cardinalis Arelatensis à sacrosancta generali synodo Basileensi in spiritusancto legitimè congregata vniuersalem Ecclesiam repræsentãte Legati delatere ad Germaniæ partes deputati: quod tempore Capituli possint celebrari diuina etiam in loco interdicto: & quod patres præsidentes ac visitatores possint absoluere personas Capitulo subiectas ab omnibus censuris & pœnis, & confirmare electiones, & munus benedictionis impendere, & moniales coronare. Et hoc statutum locum habet, quando illi ad quos confirmatio spectat tertio solenniter coram notario publico & testibus requisiti, cessante causa rationabili noluerint malitiosè, recusauerint, vel neglexerint electionem eandem gratis iuxta præ-

tatæ

fatæ ſynodi decreta confirmare, Quodq; ſi illi, ad quos id de iure ſpectabit ſimiliter requiſiti noluerint, recuſauerint, vel neglexerint Abbates ſeu Abbatiſſas benedicere, ac illis munus benedictionis impendere, moniales quoque coronare ſeu etiam iuxta ſolitum morem benedicere gratis & iuxta decreta memorata. Actum Franckfordiæ Anno Domini. 1446.

Statura pęnalia pro reformatione Abbatum & fratrum ordinis ſancti Benedicti prouinciæ Moguntinæ Domini Nicolai tituli ſancti Petri ad vincula ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ presbyteri Cardinalis Apoſtolicæ ſedis per Alemanniam legati.

Statutum eiuſdem: quod intrantes monaſteria monialium ſine licentia & contra iuris communis diſpoſitionem ſententiam excommunicationis incurrant. Actum Moguntiæ 20. menſis Nouembris. Anno Domini 1451.

Bulla Pii Papæ, quæ confirmat omnia ſtatuta dicti Domini Cardinalis Acta anno Domini 1459. pontificatus eiuſdem anno 1.

Bulla Sixti quarti, quæ etiam cõfirmat omnia priuilegia ſuorum anteceſſorum & aliorum ſub pluribus grauibus pœnis & cenſuris. Acta Anno Domini 1479. pontificatus eiuſdem anno 8.

Priuilegia ſecularium principum.

Saluus conductus Sigiſmundi Regis Romanorum viſitatoribus datus ſub pœnis. Actum Conſtantiæ Anno Domini. 1418.

Confirmatio, approbatio, & admiſſio reformationis, & viſitationis per Albertum Regem Romanorum. Actum anno. 1439.

Saluus conductus eiuſdem viſitatoribus conceſſus. Actum anno, quo ſupra.

BREVIS SVMMARIA RECAPITVLATIO SIVE epilogus omnium prædictorum. Quo ordine & modo ſinguli ad Capitulum prouinciale concurrere debent. Rubrica prima.

CVM aliquod Capitulum celebrandum fuerit, hi qui officiales pro tempore exiſtunt, vtpote præſidentes, viſitatores, theſaurarii, & faciens ibidem ſermonem iuxta ordinem 17. Capituli & certi alii, ipſum Capitulum per quatuor dies præuenire debent: vt videlicet quarta feria ibi præſentes exiſtant: & ſe tã de actis quã de agendis in officiis ſuis commodoſius informare, & tandem citius expedire queant. Hoc de præſidentibus vtriuſque Capituli intelligi debet, videlicet tam celebrati, quam celebrandi vt ſup. 20. c. De vero ſermonem faciente hoc ordinatum eſt: vt videlicet ſermo ipſius priꝰ examinetur, vt ſi opus foret, corrigeretur, & emendaretur Reliqui vero, ſiue Abbates, ſiue procuratores ſuam præſentiam ibidem repræſentare debẽt: vt cum inchoandum fuerit Capitulum nullus deprehendatur abeſſe. Nec admittenda eſt excuſatio cuiuſquam: niſi vel eius, qui infirmis fuerit, vel inimicitias Capitales habuerit, aut certe adeo pauper extiterit, vt ſine periculo commodè ſeipſum Capitulo exhibere minimè poſſit. Vnde nec aliquis p quouis abſenti ſine talibus impedimentis veris & manifeſtis vnquam debet admitti. Item non debet quiſquam ſuper abſentia ſua litteras principum ſiue nobilium impetrare ſub pœna trium florenorum. Si quis tamen ex officialibus abſens fuerit, reliqui nihilominus actum proſequi valebunt iuxta ordinationem Capituli 20. In caſu vero, quo nullus præſidentium adeſſet, ceteri pro celebratione conuenientes, alios idoneos præſidentes eadem vice ex indulto Martini Papæ quinti (cuius bulla circa actus primi Capituli habetur) poterunt deputare.

Qui præsidentes ex eodem indulto, etiam locum Capituli cum prorogatione termini ex causis possint immutare. Itē, nullus ibidem, siue officialis existat siue non, ante finem Capituli recedere inde debet sine licentia præsidentium sub pena 30 floren. vt sup. c. 3. & 4. & excommunicationis ferende sententiæ vt sup. c. 20. Nullus etiam concurrentium ad Capitulum vltra sex equitaturas debet habere: quod si quis fecerit contrarium, tantum quantum pro reliquis consumpsisse probatur in arcam pro communi vtilitate Capituli infra mēsem debet reponere vt sup. c. 3. & si nec hoc obseruauerit, in futuro proximo Capitulo sine aliqua remissione per præsidentes in duplo debet dānari. Item ibi contribuere debent singuli tres rhenenses floren. quos vel tunc vel infra triduum, quo apud eos visitatores esse contigerit, sine vlteriori dilatione p̄solueredebent sub pæna excommunicationis: quam in eos statim elapso termino visitatores iuxta 5. c. Benedictinarum, ferre serioſissimè sup. c. 11 iubentur.

Qualiter sit celebrādum Capitulum, & quomodo patres in eo se debent habere. Rubrica secunda.

Quando igitur tempus instat, vt Capitulum celebretur (quod semper per triennium constituturum est celebrari, nisi ex certa & rationabili causa per præsidentes longius prorogetur) primum Missa & sermone præmissis, & in loco Capitulari patribus in vnum similiter collectis, dictoq; Benedicite post lectionem martyrilogii & passu de regulæ textu per lectorem recitato: protestatio fienda est de non admittendis excommunicatis vt sup. c. 20. Secundo locus pro futuro Capitulo per præsidentes est denominādus & denūciandus: qui locus non nisi ex graui & rationabili causa, & hoc per præsidentes duntaxat debet immutari & potest vt sup. 1. c. Deinde iuxta ordinationem 17. Capituli & quorundam ceterorū, designandi sunt præsidentes & alii officiales futuri Capituli, ac etiam monasteriorum visitatores, is quoq; qui sermonem facturus est, & alter, q̄ Missam celebraturus: nō q̄dem sub nominibus ꝓpriis, sed sub nominibus dignitatis duntaxat. vt si quis resignaret vel moreretur, aut certè deponeretur, q̄ tunc Abbas eiusdem loci officium iniunctum exequeretur: quia licet persona mutetur, tamen semper, quę non moritūr, dignitas perseuerat. Ad extremum agendum est de his, quæ emendanda sunt in ordine quæ pro vtilitate totius ordinis de nouo forte ordinanda fuerint & instituenda, vbi primo incipiendum est ab his, qui præsentes existunt: quorum quilibet culpam suā in matta dicere debet & ad emēdam condignam se sponte offerre: quos accusare habent & proclamare visitatores ipsorum. Qui vero procuratores absentium pro illo tempore existunt, debent nedum pro se, verumetiam pro his qui eos substituerūt disciplinas & alias cōdignas pœnitentias subire: quales iuxta visitatorum delationem vel aliam qualemcunq; certā & euidentem scientiam ipsi præsidentes iustè & rationabiliter decreuerint infligēdas. Secundo tractandum est de absentibus. Et ita consequenter de reliquis negotiis ordini imminentibus. Et vltimo singula edita & tractata in quandam formam redigenda sunt: & chartæ siue recessui inferenda. Nec debet quisquam ex secularibus hominibus ipsis tractatibus interesse, aut ibidem admitti: præter notarium publicum duntaxat & testes honestos. Sed nec isti indifferenter debent admitti, immo tūc solummodo, cum iam in publicam ipse est actus formam redigendus. In qua forma etiam scribi debent nomina omnium præsentium Abbatum & procuratorum absentium. Cuius rescriptum omnes recipere debent p̄sentes. Absentibus vero illud transmittere debent procuratores eorum infra duos menses sub pæna sup. c. 20. expressa. Item in ipso Capitulo vbi magnę & arduę causæ tractantur, debent vota singulorum p̄serutari: & quilibet votum suum secundum Deū & conscientiā cum humilitate & puritate intētionis dicere ac rationem se mouentem assignare debet. Ceterum qualiter patres in conuersatione sua se ibi exhibere debent, ita ordinatū existit, vt omnes tam Abbates quam Abbatum ꝓcuratores conformitati morum p̄cipuè in habitu & tonsura debeant studere: nec quisquam decetero nudo vti birreto, sed ipsum cucullæ caputium birreto superponere vt sup. c. 16. Item per triduum, quo Capitulum continuatur, similiter omnes in vnum concurrere debent ad mensam, vt similiter sedeant & similiter reficiantur: vbi ministrari debent duo duntaxat fer-

fercula de piscibus, vnum de ouis vel frixis, & duo bona pulmentaria adiuncto caseo vel aliquibus fructibus: vt sup. c. 7. Expensas autem impendere thesaurarii debent: qui illas rursum ex contributione singulorum Abbatum colligere debent vt sup. 9. c. Item ibi etiam offerri debent per Abbates & Abbatum procuratores breues, in quibus nomina defunctorum à proximo præcedenti Capitulo cõtineantur, vt in Capitulo absoluantur, scilicet per modum orationis: & fiant orationes pro eis. Quarum breuium forma talis est. Frater N. sacerdos vel leuita obiit tali die in illo loco &c. vt sup. c. 4.

DE PRÆSIDENTIBVS. RVBRICA III.

PRÆSIDENTES, qui in futuro Capitulo præsidere habent debent iuxta ordinationem 16. Capituli (quæ tracta est ex constitutionibus Benedicti 12.) eligi per præsidentes præcedentis Capituli. Et iuxta ordinationem 13. Capituli ex reformatis duntaxat. Qui vlterius in eoipso futuro Capitulo, in quo præsidebunt eligere habent, quemadmodum & prædecessores eorum, omnes officiales Capituli videlicet præsidentes, visitatores, &c. & alia faciendi quæ in constitutionibus prę memorati Bened. 12. habentur. Habent enim in Capitulo præsidere, culpas audire, inquirere & discutere, pœnas & præsentias secundum modum culparum infligere: visitatores negligentes ad fideliter exequendum iniunctum sibi officium sub censuris Ecclesiasticis impellere: augmentũ subsidii, siue viatici, q; visitatores à monasteriis per eos visitatis debetur, vltra tres florenos in certis casibus determinare: de fratribus ad studium mittendis ordinare: & fratres, qui pia intentione de irreformato monasterio ad reformatum transire desiderant licentiare. Contra non cõparentes in Capitulo, & contra omnes reformationem & visitationes impedientes seu opponentes, aut non admittentes, siue alio quouis modo contrariantes, adhuc etiam & contra visitatoribus non obtemperantes. & contra ipsos, quæ monasteria offendunt in rebus personis &c. in solidum auctoritate Apostolica per censuras procedere habent. Monasteria etiam exempta & regalia personaliter cum visitatoribus visitare habent & debent. Item habent à Martino V. locum pro Capitulo celebrando deputatũ certis ex causis immutare etiam cũ prorogatione termini. Ipse etiam idem Papa præfatus indulget, vt si quandoq; electus in prędidentem noluerit officiũ acceptare, aut non possit cõmodè interesse, quod tunc alii præsidentes de consensu maioris partis facientium Capitulum, aut si nullus præsidentium presens adesset ceteri pro celebratione Capituli conuenientes alios idoneos in præsidentes eisdem vicibus eligere valeant & deputare.

DE ARCA ET ARCÆ CVSTODIBVS RVBRICA. IV.

ARCA communis semper esse necessaria dignoscitur ꝓpter vtilitatem Capituli: vt in eam & cõtributiones pecuniariæ. & pœnæ pro contumacia siue alias quali cunq; culpa Abbatum necnon ad cetera quæ vel per visitatores vel per thesaurarios ad necessitatem siue vtilitatẽ Capituli pertinentia recipiuntur, collocentur. Sed & hanc necessariũ est in loco tuto & apto sub custodibus fidedignis (qui thesaurarii vocantur) potestate penas ab his q; penales existunt exigendi sub censuris simul & absoluẽdi si quos forte excõmunicatos occasione prædictorum fuisse contingeret, plenã habentibus seruari: idcirco in 5. 6. monasteriũ sancti Egidii in Nurẽberga pro loco deputatum est, vbi hodie area recõdita est: & exinde designati thesaurarii, q; auctoritatẽ iã ante expressam habẽtes, etiã de prandio ꝓ triduũ in Capitulo ꝓuinciali debent prouidere vt sup. 9. c. Et ad ipsum capitulum iuxta ordinationem supra rubrica prima expressam concurrere debent.

De procuratoribus. Rubrica 5.

Procuratorum duo sunt genera, Alii generales, qui sunt totius Capituli: & his solicitare iucũbit visitatores, vt officium sibi iniunctum strenuè & fideliter exequantur: immo & per censuras eos cõpelere, si opus fuerit, & præsidentibus eorum negligentiã denunciare vt sup. c. 13. & q; busdam sequentibus. Alii speciales, qui

ꝓ

pro certis quibusdam Abbatibus ad Capitulum venire non valentibus substituuntur. De his & Abbatibus eos substituentibus sufficienter dictum est supra c. 20. & aliis quam plurimis vt. 4. 6. 11. 13. 17. &. 18. qualiter non nisi trium causas suscipiant Abbatum, causis ibidem expressis exceptis. Et quod sine luramento corporali effectualiter emisso non admittantur, & sic de aliis multis, quæ videri possent ibidem. Forma etiam procuratorii propter ignaros Recessui 19. Capituli inserta est. Et est talis. Reuerendis in Christo patribus Dominis præsidentibus sacri capituli prouincialis prouinciæ Moguntinæ & diœcesis Bambergensis nigrorum monachorum ordinis sancti Benedicti in monasterio. N. diœcesis. Dominica Iubilate proximè celebrandi. N. humilis Abbas monasterii. N. ordinis sancti Benedicti prouinciæ Moguntinæ. Quic quid poterit reuerentiæ & honoris Reuerendi Patres & Domini. Quia secundum laudabilia patrum instituta Capitulum prouinciale venit celebrandum, ad quod & deberem, & teneor personaliter accedere. Sed quia ex tali causa præpeditus adeo quod comparere personaliter commodè non valeo. Hinc est quod reuerendum Dominum Abbatem. N. in meum legatum & verum procuratorem constituo in meliori forma cum pleno mandato vice mea in dicto Capitulo prouinciali comparendi, tractandi, promittendi, concludendi, ac omnia alia faciendi, quæ ipse facere possem & deberem, si personaliter interessem cum potestate iurandi in animam meam, si opus fuerit, causam meæ absentationis allegatam fore veram. Insuper, si contigerit collectam pecuniale m imponi per Capitulum in personam meam acceptandi, quam legaliter, si requisitus fuero, soluam, promittens me litterarum præsidentium sub testimonio quæcunq; in eodem Capitulo ritè & legitimè ordinata fuerint rata & grata habiturum, & tam pro me, quam mihi commissis pro posse obseruaturum. In quorum omnium testimonium sigillum meum Abbatiale præsentibus est impressum. Datum Anno Domini &c.

DE VISITATORIBVS RVBRICA VI.

VISITATORES monasteriorum, & visitatorum visitatores per præsidentes in Capitulo Prouinciali eligi debent, c. 16. Et ex reformatis duntaxat, sup. c. 13. Qui scire obligantur singula quæ in vnoquoq; Capitulo, à primo vsq; ad vltimum acta & ordinata existunt: vt, videlicet, ipsi primum legem, quam aliis imponere cupiunt & debent, per se strictissimè seruantes efficacius tandem ab aliis exquirere, eosq; ad eandem obligare, nec non transgressores, sicut debent, digna vltione sub districtissima ratione in futuro iudicio iudici tremendo reddenda punire valeant & possint. Hi visitationes suas, postquam de Capitulo venerint infra annum sub pœna 30. floren. vt in c. 4. vel trium floren. pro quolibet monasterio visitando, vt in c. 20. immò & excommunicationis ferendæ sententiæ, vt in c. 8. nisi causa hostilitatis, infirmitatis, aut alias legitimè excusentur, vt in c. 13. incipere debent: & sub virtute sanctæ obedientiæ fideliter perficere, Deum præ oculis habentes, cui districtam rationem reddituri sunt: ita vt antequam de monasteriis exeant, quantum in eis fuerit effectualiter reforment secundum regulam S. BENEDICTI Canonicas sanctiones, & statuta Capituli Prouincialis & ordinis & præsertim in tribus substantialibus, quę sunt: obedientia, & continentia, & paupertas. Et, vbi non inuenerint disciplinas & cærimonias, instituere debent, illas disciplinas & ceremonias, quas à Capitulo sibi datas receperunt, vt supra c. 6. & exinde relationem quantocyus proximiori Præsidenti facere debent. Item in quacunq; diœcesi deputati fuerint visitare monasteria virorum, in ea etiam monialium monasteria visitare debent, sicut & alii, quibus cura illarum commissa est. Videant nihilominus, ne vnquam libidine videndi visitent eas, cum contagiosus sit aspectus illarum, sed quantocyus,

cum

cum expediti fuerint, inde recedere debent. sup. c. 16. Similiter visitare debent Pręposituras, Prioratus, & Decanatus qui quibusdam subsunt monasteriis, admissis tamẽ Abbatibus, qbus pos sunt, si voluerint interesse. Et visitati in talibus locis mediam soluant collectam. Ipsum verò actum visitationis iuxta formã illis à Capitulo prouinciali, & Præsidentibus præfixam sine actione iuramenti proposito primo Verbo Dei debent complere, sup. c. 6. Nec aliquem ad occulta detegenda facinora & publicanda, nisi fraternæ correctionis ordine seruato, iuramento, aut alias indiscretè astringere debẽt. Possunt etiam iterato visitare, monasterium per eos prius visitatum, si viderint expedire: nec tamen iterato, & totiens, exigere procurationem. Item possunt infligere pœnas, & debent, secundum exigentiam culparũ; & prius, vel p Capitulum prouinciale, vel alias quomodolibet infl ctas exigere, & hoc tam corporales, quam pecuniarias. Pecuniam autem, quam recipiũt, siue contributariam, siue pænalem arcæ custodibus debent transmittere, vt per illos in arcam reponatur. Item pro contumacia, siue rebellione & inobedientia possunt sententiam excommunicationis ferre, & à prius illata absoluere condigna satisfactione præmissa. Itẽ rebelles & resistentes, si quos inuenerint, quos per se corrigere non valent, viciniori Præsidenti debent denunciare, vt ille contra tales autoritate Apostolica per censuram Ecclesiasticam iuxta modum culparum ꝓcedat. Nã etiã ipso facto excommunicati sunt omnes, qui quouis modo vel visitatiõnẽ, fieri impediũt, vel inchoatam reformationem relinquunt: nisi infra tempus à visitatoribus statuendum iterum reinchoare contendant. Item pro :essum exhibere debent cuilibet monasterio per eos visitato. Ad hæc itaq; ipsi visitatores ob ligãtur sub obediẽtia, & pænis supra notatis. Qui, si negligẽtes fuerint, siue in multis siue in paucis, à Prędsidentibus & ꝓcuratoribus Capituli p cẽsurã Ecclesiasticã, vel aliam pænam compelli debẽt, vt officium sibi iniunctum non negligant. Veruntamen, ne laborem sine mercede facere, & contra Apostolicam traditionem suis stipendiis militare compellantur, ordinatum est, vt eis quodlibet monasterium per eos visitatum tres Rhenẽses florenos tribuere debeat pro viatico: cõmissumq; est cõscientiis eorum ipsos eosdem florenos ex bono respectu vel moderare, vel etiam augere. Item, vt monasteria visitata equos, & alia bona eorum summa diligẽtia custodiant: & si, quod absit, aliquid de bonis eorum perdi, aut subtrahi contigerit, ante omnia Abbas & conuentus talis monasterii sine contradictione valorem bonorum, aut rerum perditarum soluere debeant indilatè: & nihilominus propter negligentiam puniri pœna per Præsidentes moderanda. Et idem Abbas saluũ etiã conductum debet præstare Visitatoribus ad aliud monasterium visitandum. Et, si ipsi visitatores spoliati fuerint, aut damnificati, tũc huiusmodi damna per Capitulum debent resarcire. ne tamen quenquam indiscretè grauare videantur, nunquam debent sub pœna sup. c. 3. & 4 expressa vltra sex equitaturas habere, neq; in actu visitationis, neq; veniendo ad Capitulum.

DE ACTV VISITATIONIS. RVBRICA VII.

IN actu visitationis oculos cõsiderationis Patrum visitantium ad quatuor principaliter est dirigendus. Primo videlicet ad loca monasteriorum, tanquam ad magis visibilia. Secundo ad personas intra loca monasteriorum habitantes. Tertio, ad personarum conuersationem & disciplinam. Quarto & vltimo, ad ipsum cultum diuinum. Horum primum si diligenter consideretur, statim ostendit, quid circa secundum verisimiliter sit sentiendum, & rursum secundum, quid circa tertium, & ita consequenter.

DE LOCIS MONASTERIORVM RVBRIca 8.

2. Cor. 15. APOSTOLVS ait. *Non enim prius, quod spirituale est, sed quod animale.* Primò igitur, vt dictum est, de exterioribus, hoc est, de locis tanq̃ de corporalibus considerandũ est. Sunt autem loca sub triplici differẽtia

Quæ-

Quædam enim sunt necessaria, vt oratorium, ambitus, refectorium, dormitorium, infirmitorium, balneum, promptuarium, cellarium, locus pro hospitibus, cum domo Abbatis, coquina, & cella portarii cum loco Capitulari. Horum locorum si aliquis defuerit infra annum extrui debet in virtute sanctæ obedientiæ, vel reformari, si collapsus fuerit, & debent negligentes realiter per visitatores puniri, vt sup. c. 3. Quædam verò loca sunt de benè esse, vt hortus, pistorium, molendinum, officina pro ligatione librorum, & similia. Alia autem sunt superflua, & regulari normæ nociua & contraria: vt sunt, extrauagantia diuerticula sequestrata, & suspicioſa quarundam domorum habitacula: quæ vel funditus destrui debent, vel in alium meliorem vsum monasterii conuerti sub eadem obedientia, qua supra.

ORATORIVM, quod est primum inter necessaria loca debet esse ornatum luminaribus, altaribus, & ornamentis nitidis, mundis, & honestis. Chorus sedilibus, pulpitis, & libris cantualibus. Sacristia calicibus, corporalibus, libris Missalibus, & clenodiis. Sacris quoq; vestibus & ornamentis diuinum officium, & ministeria concernentibus, vt dicitur c. 1. vbi etiam hæc adduntur. Volumus, inquam, vt de mundis honestis & firmis vase ac loco, in & vbi Eucharistia reponatur, infra mensem prouideatur. Et idem de Baptisterio ibidem, & in sequentibus statutum habetur. Libri cum cæteris ornamentis sub diligenti custodia custodiantur. Hæc de clenodiis, & cunctis monasterii litteris, priuilegiis atq; sigillis, & quædam sequentia capitula similiter volunt intelligi & seruari. Hæc igitur singula circa Oratorium debent visitatores diligenter aduertere, & super hæc considerare, quis recipiat redditus, oblationes, &c. oratorium & sacristiam respicientes: item qualiter an Simoniacè, vel non: item, qua fide: an conferibat & inde rationem reddat, vel an sub aliqua specie vitii proprietatis possideat, & sic de aliis. Et ita de cæteris officialibus similiter ordinatum, vt de Abbate, Cellerario, &c. an omni anno rationem faciant, & qualiter? Præcipitur enim in supradicto tertio Capitulo, & etiam primo in virtute sanctæ obedientiæ & sub excommunicationis pœna infligenda per visitatores, quatenus quilibet Abbas statum sui monasterii antiquum & modernum distinctè visitatoribus in scriptis contradat, & omnes officiales de perceptis & distributis fidelem ipsis rationem exhibeant. Item, vt inuentaria fiant, loca ad firmam non tradantur, nisi iuxta constitutionem Benedictinam, quæ etiam seruari debet in spoliis recipiendis de beneficiis, & in mutis, & venditionibus fiendis. Et transgressores grauiter puniri debent etiam vltra pœnas in constitutionibus prædictis contentas. Hæc circa Oratorium. De reliquis locis infra patebit circa disciplinam personarum.

DE PERSONIS, QVÆ INTRA MONASTERIA Morantur. Rubrica 9.

PERSONÆ, quæ intra monasteria morantur, si non sint professæ debent esse nedum necessariæ & vtiles, verũ etiã honestæ, & sine suspicione. Vnde omnes superfluæ in honeste, & suspicioſæ à finibus monasteriorũ longius sunt eliminandæ. Quæ vero professæ iam actu, vel cito professuræ sunt, tam secundum quantitatem numeri, quam secundum conditionis qualitatem diligentissimè sunt considerandæ. Nam debet vbiq; numerus monachorum olim institutus, si facultas sufficit, ad integrum conseruari; vel saltem tanti adminus, quanti sustentari commodè possunt, vt sup. c. 1. & quibusdam sequentibus; per quos diuinus cultus pfectè & laudabiliter possit persolui. ex quibus sufficientes & necessarii officiales instituantur iuxta dispositionem regulæ, Abbas videlicet, Prior, Decani, Cellerarius, portarius, infirmarius, & ita de reliquis.

liquis. Et specialiter aliqui idonei, qui iuuenes sufficienter instruant in primitiuis scientiis secundum formam statutorum BENEDICTI XII. vt sup. c. 1. & 3. Et aliqui ex reformatis aliunde adduci, si ipsum monasterium prius non sit bene reformatum. Item debēt recipi non solum nobiles, nec solum Scoti, sed iuxta regulam tam ille, quam aliter, tam ingenuus, quam ex seruitio conuersus, tam pauper omnino nihil habens, quam diues, potens & multum abundans sup. c. eodem, & consequenter in multis aliis, vt 16. & 17. NEC aliquid exigi debet ab eis, nec quisquam eorum aliquid pro sui receptione promittere, siue per se, siue per alios, nec alias quid se daturum, nisi ea, quæ sine pacto ipse per se, vel parentes libera voluntate ad altare, vel alias, monasterio, siue Deo offerre velit, siue voluerit. Et taliter recepti anno probationis elapso professionem faciant, & stabilitatem promittant secundum regulam, sup. c. 3. Sine qua etiam probatione nullus in obedientiarium recipi debet, neq; de seculo recenter veniens neq; de alio monasterio cum litteris, vel sine litteris occurrens, vt sup. c. 8. 13. & 15. &c.

NON debent etiam recipi deceteto fratres sine suorum superiorum licentia, nec vagari permitti, si qui hactenus forent recepti etiam auctoritate sedis Apostolicæ, vel aliâs sufficienti licentia: sed quantocyus reuocari, infra duos videlicet menses. & secundum statuta Ordinis nostri informari sub pœna ex communicationis & suspensionis sup. cap. 1. & 3. vel etiam ad propria monasteria remitti, si sine sufficienti licētia & auctoritate essent recepti sub eadem pœna, sup. c. 8. Nec recipi debent fugitiui monachi, aut vagi sine commendatitiis litteris suorum Abbatum, vel Præsidentis vicinioris. Neque etiam hospitari, nisi ad triduum sup. c. 8. & 12, sub simili pœna. Item recipi etiam non debent, neq; in prouincia commorari permitti, si qui vel in monachum, vel in Abbatem violentas manus iniecerint, vel iniecissent sup. c. 12. sub eadem pœna. ITEM adhuc circa personas considerandum est, si sint omnes præsentes, si aliqui infirmi, vel in carcere, si aliqui fugitiui, & non reuocati, vel cum generalibus emissi, quod deceterò fieri non debet: si aliqui in Prioratibus, vel Præposituris, si aliqui in studio, vel alio in monasterio irreformato etiam cum speciali mandato. Non. n. debet quis mitti de reformato ad non reformatum, nisi causa reformationis. In his omnibus, similiter & in sequentibus, sicut etiam in præcedentibus, Visitatores exactam diligentiam iuxta mandatum Præsidentium in virtute sanctæ obedientiæ, sup. c. 1. debent & exhibere & facere.

DE DISCIPLINA PERSONARVM INTRA MONASTERIA commorantium Rubrica 10.

DISCIPLINA monachorum tam iuxta regulam, quam etiam Patrum statuta pensanda est, & considerandā in multis. Primo tamen circa exteriora hominis, videlicet, circa tonsuram & vestitum. & per quem fratribus vestimenta ministrentur, an per communem vestiarium, an per amicos, vel ex aliquo proprio habeantur? Et an æqualiter singuli, vel differenter, absq; infirmitate, vel alia rationabili causa prouideantur? Item vestes sint, secundum Patrum statuta, necessariæ tantum videlicet & religiosæ tā in materia, quam in forma.

SECVNDO, circa victum & ieiunium Si omnes in refectorio, præter infirmos, absque esu carnium reficiantur? Si lector mensę & ministri habeātur, qui iuxta regulam die Dominico cum benedictio-

ne ingrediantur? Non enim debet admitti, vt singuli, vel aliqui ex singulis speciales habeant iuuenes; vel famulos pro ministris, sicut in quibusdam monasteriis compertum est fieri. Nec sibi quisquam aliquid per se, per labores, per amicos, vel alios quoscunq; debet subordinare, aut aliquid etiam non subordinatum, sed sponte oblatum absq; licentia percipere, sed omnia à Patre monasterii sperare. Et si aliquibus quandoque esus carnium ex causa conceditur, non debet hoc nisi certis diebus, & in infirmitorio duntaxat fieri, vbi nullus laicorum debet admitti. In via autem, siue extra monasterium nullus sanus, sicut nec intra monasterium carnibus vesci debet. Item si de superfluo eleemosyna fiat? Et ministri lotiones suas sabbatho in mandato faciant? ITEM circa ieiunium. Si ieiunium tàm Ecclesiasticum, quam regulare rite seruetur? Quando, & quomodo, atq; cum quibus dispensetur super bina refectione? Quando etiam oleo vtantur & quando ouis, vel butyro? qualiter in aduentu, qualiter in quadragesima?

TERTIO circa quietem nocturnam & silentium. Si, videlicet, simul omnes in vno dormitorio dormiant cincti & vestiti? si singuli in lectis singulis, vel duo in vno, quod fieri non debet? si permixtim seniores cum iunioribus? Si dormitorium claudatur, & quando? Si Prior claues habeat ad omnes cellas? Si dormiant in laneis? Si cellæ sint sufficienter cancellatæ, sicut debent sub pœna excommunicationis latæ sententiæ? Si visitentur frequenter lecti propter opus peculiare? Si silentium seruetur in dormitorio, oratorio, ambitu, refectorio post Completorium, & ante Capitulum, aliisq; temporibus & locis, modo & forma, prout de hoc in regula habetur.

QVARTO, circa substantialia. Si sint obedientes? Si proprietarii vndecunq; aliquid possidentes ex oblationibus, Missis, laboribus, officiis, vel aliis quibuscunq;? Si sit fama incõtinentiæ de aliquo?

QVINTO circa rasuram & balneum. Quando, & qualiter, & cum qua disciplina habeantur. Et circa infirmos, qualiter prouideantur? An habeant infirmarium & Cellerarium solicitos, & Deum timentes? Similiter, & reliqui in conuentu, qualiter videlicet & ipsi sint prouisi? Si habeant suo tempore solatia opportuna? Et iuuenes si instruantur per sufficientes magistros in moribus & cærimoniis, item & in primitiuis scientiis? & per quos, an per monachos, vel seculares? & an aliqui sint in studio?

SEXTO, qualiter se habeant circa se inuicem, si humiliter, & caritatiuè. Et, si reconciliationem post commotionem exortam secundum regulam requirant.

SEPTIMO, qualiter circa alienos & extraneos. Si forte nimis familiares ipsis existant: vel propter eos, aut etiam propinquos amicos, siue parentes monasterium frequenter exire contingat. Item, si è diuerso accedẽtes ad se hospites cum omni humanitate suscipiant ad hospitium, & ad mensam cum mandato, lotione pedum, & lectione legis diuinæ.

OCTAVO, qualiter se habeant, monasterium egrediendo. an videlicet cum licentia? & cuius licentia? an cum socio & quali? cum quot equis & famulis, & qualibus? Si cum benedictione tam egrediẽdo quã ingrediendo? Si etiã cum habitu decenti, & libris horarũ, & sic de aliis, de quibus sup. c. 1. & infra, sequenti rubrica.

NONO circa singulas personas singularis est consideratio, & interrogatio facienda. Primo circa ABBATEM. Si ante electionem reformatus fuerit, vel ad minus per annũ in reformatione steterit? Si postea reformationem continuauerit? Si Capitulo interfuerit, & contributionem soluerit? Si computationem singulis annis faciat? Et statum monasterii sui prioribus Visitatoribus scriptis tradiderit? & in eis cunctis eorum ordinationibus obtemperauerit? Si bona monasterii alienauerit, impignorauerit, vel amicis tradiderit? Qualiter beneficia cõferat? Qualiter officia ordinet, an cum consilio an secundũ propriũ sentire? Si habeat Prioratus, Præposituras, vel Ecclesias monasterio annexas? quomodo illas conferat, & quibus? Item, si singulis annis computum ab eis recipiat, & Capitulum teneat? Si chorum frequentet, vel venationibus intendat? & sic de aliis, quæ superius in diuersis locis de Abbate notata habentur, & adhuc infra in quibusdam rubricis tangentur. Et ita etiam agendum est consequenter cum Priore, Cellerario, custode, vestiario, & reliquis officialibus, cũ vnoquoq; secundum exi-

exigentiam sui officii. Item cum portario sit si senex & maturus concurrens cum aliis ad refectorium, dormitorium, &c. Item, si permittantur mulieres ingredi vel intus habitare? Si fratres frequenter egrediantur? & sic de aliis. De quibus omnibus clarius in recessibus primi & tertii, & adhuc etiam aliorum Capitulorum habetur. Et in modo visitandi, nec non & in bulla Domini Nicolai Legati sæpius memorati, cuius puncta infra in rubrica vltima habentur.

DECIMO circa Capitulum quotidianum, si illud quotidie practicetur cum expositione regulæ, & culparum correctione.

DE DECENTIA HABITVS EXTRINSECI RVbrica. 11.

ORDINAMVS & statuimus, vt omnes tonsuras deferant largas & latas, ita quod circulus ipsarum spaciũ duorum digitorum transuersalium non excedat: seq; decentur habeant in vestibus, habitu & calceamentis iuxta Clem. *ne in agro*, & Constitutionem præfati Benedicti Papæ. *De forma & honestate vestimentorum.* vt scilicet, portent tunicas & vestes habitui superiori proximas nigri bruni, aut albi coloris iuxtà morem apud eos seruati cõsuetum, rotondas talaras, non fissas, nec alia deformitate notandas, largas manicas habentes vsque ad pugnum protensas, nullo modo botonatas, seu nodatas, non tamen adeo largas, quod latitudo ipsarum suprà pugnum pollice erecto valeat extendi. Nec circa os cubiti, sicut habet abusus quorundam, vltra protendantur, quam quod brachium faciliter possit verti, & infra induci. ALMVCIIS de pellibus loco capuciorum sint contenti. Caputiis tamen, honestis in locis, quibus soliti sunt ipsa portare, fissis super humeros longitudine quatuor digitorum transuersalium ad minus vti de licentia Abbatis possunt. IN vestibus sendatum pro foderaturis vel minuta varia, seu alia pretiosa non portent: Sed tantum agniculorum vel agnellorum pellibus pro dictis foderaturis, aut saltem pannis aliis non pretiosis vtãtur. nec foderaturæ supra collum, vel in finibus vestium, seu manicarum appareant aliquo modo. Præterea, cum ipsos extra monasterium continget proficisci floccum, cucullam aut cappam portent: & subtus cappam, si eam portauerint, cucullam, aut scapulare. NOVITII verò cuculla intus monasterium & extra aperta ad vtrumque latus: & Conuersi scapulari cum caputio sibi connexo intus & extra monasterium vtantur. Verum, quia aliqui habitibus prædictis magis & amplis & longis; alii verò minus vtuntur, eapropter latitudinem longitudinemq; prædictorum duximus præsentibus inserendam, quam volumus obseruari. Et primo incipiendo à Caputio flocci, ordinamus, quod ipsius latitudo non attingat os cubiti grossitudine duorum digitorum transuersalium: nec valeat esse strictius, seu ita breue, quin vsq; ad medium cubiti, & ossis superioris prope scapulam protendatur.

Dictum verò caputium retrò ad minus prędatur vsq; ad corrigiã, nec vltra ipsam vsque ad quatuor digitos valeat extendi. Longitudo vero manicarum per cubitum vnum vltra manum protendatur: & latitudo alium cubitum cum dimidio nõ excedat. Inferius tamen sit adeò latus, quod passus infra ipsum faciliter fieri possint. Et ea, quæ dicta sunt de flocco, intelligi volumus etiã de cuculla, manicis, cum nullas habeat, semotis. Intra verò monasterium in locis vbi fuerint duodecim monachi, omnes vtantur flocco: in aliis verò, vbi non fuerit tanta congregatio, cucullis vti possunt, quas si portauerint nullus flocco vtatur, Præsidente monasterii, & primo post ipsum (quos omnino floccum portare volumus) duntaxat exceptis. In operibus tamen scilicet in diuino officio subtus albam, & equitando subtus cappam scapulare (quod

latitudinis dimidii cubiti ad minus ſpacium volumus comprehendere) tantum portare valeant. Camiſiis lineis,& canopeis non vtantur, ſed vel ſtamineam, vel veſtem laneam loco prędictarum camiſiarum portent. Et ſtiuolos ſeu botos, aut ſotulares corrigiatos altos, ita quod altitudo ſpacium quatuor digitorum comprehendat de tibia ſuper cauillam portēt. Qui ſi in aliquo prædictorum fuerint negligentes, ſeu infra tres menſes, poſtquam ad ſua monaſteria deuenerint, vt præfertur, vltra pœnas à iure inflictas per eorum ſuperiorem in religione, vel,ſi ſuperiorem non habeant, per Viſitatores præfatos taliter puniri volumus, quod ceteris cedat in exemplum.

DE CVLTV DIVINO RVBRICA XII.

OFficivm in cultu diuino tam diurnum, quam nocturnum horis competentibus iuxta regulam deuotè,tractim,pauſatim, non tranſcurrendo, aut ſyncopando debet celebrari. Huic operi nihil debet præponi, ſed mox ſigno audito relictis omnibus, q̃ fuerint in manibus, ſumma cum feſtinatione omnes debent occurrere cum grauitate,tamen ne ſeurrilitas fomitem inueniat,ſupra, c. 1.2.3. Propter hoc etiam ſignū ad matutinas, quod media nocte fieri debet,ſup.c. 1. & ad primas ſimiliter, & ad veſperas protrahi debet ad minus ad quartale vnius horæ, vbi ſup.& in pluribus Capitulis ſequentibus. Et ne propter defectum perſonarum aliqui ſe poſſent excuſare,quo minus perfectè cultum ipſum perficiant, ordinatum eſt ſupra c: 3. quod debeant vbiq; tot monachi teneri,& recipi,quot poſſunt commodè de bonis monaſterii ſuſtentari, & negligentes grauiſſimè in his debent puniri. Debent etiam Abbates, & ceteri celebrare,confiteri, & communicare, prout in Conſtitut. Benedicti XII. de Miſſarum celebratione continetur. Et ad ordines infra annum promoueri omnes, qui ſecundum iura, & Benedictinas ſanctiones in eis conſtituti eſſe debent, ſup. c.1.& in ſequentibus. Hoc conſiderandū etiam eſt Viſitatoribus, ſi ſint aliquæ Eccleſię monaſterio annexę,& Miſſæ aliquę intus vel extra monaſterium expediendæ, quot ſint? qualiter fundatæ & ſuſceptæ? & qualiter expediantur, & per quos? Similiter etiam de anniuerſariis, & aliis fundationibus, ſiue votiuis actionibus idem agendum. Et vltimò de lectionibus & laboribus manualibus,ac etiam meditationibus, ſi illis regulariter inſiſtatur.

DE MONATERIIS MONIALIVM RVBRICA 23.

EA, quæ dicta ſunt de monaſteriis virorum, etiam in monaſteriis monialium,quo ad articulos eis competentes debēt ſeruari,ſupra c.1.& 2. Nec debent ibi permitti puellæ ſeculares, quæ non conuerſionis gratia ibidem exiſtunt, ſupra, c.16. Sub clauſura perpetua eſſe debent, ſup.c. 1.prout in Conſtit. Bonifacii,quæ incipit, *Periculoſo*. de ſtatu monach.lib. 6. continetur. Has viſitatores, & alii,quibus cura earum commiſſa eſt, nunquam libidine videndi viſitare debent, ſicut ſupra tactum eſt in rubrica de viſitatoribus: nec clauſuras earum ingredi, niſi magna neceſſitas, aut vtilitas id expoſcat,ſup.c.16. Confeſſori etiam earundem omnino interdicitur ingreſſus huiuſmodi eodem cap. Nec aliquis debet earum deputari Confeſſor abſq; vnius ſaltem Præſidentis conſenſu

DE MODO ET FORMA REFORMANDI *Monasteria iuxta tenorem bullæ Domini NICOLAI de CVSA Romanæ Ecclesiæ tituli ad Vincula S. Petri Cardinalis, ac per Germaniam de latere Legati.*

RVBRICA XIV.

IN primis, vt Prælati visitandorum monasteriorum taliter instruantur, vt habitu & tonsura decentibus, honestate vitæ, morum grauitate, verbo doctrinæ, & sanctitatis exemplo suis laudabiliter & fructuosè præsint subditis. Excessus singulorum iuxta regulam ac statuta Ordinis sine omni dissimulatione corrigant & emendent. Omnes suos fugitiuos fratres & monachos absentes reuocent, termino eis per Visitatores ad hoc constituendo, exceptis his qui præsunt parochiis annexis. Et non permittatur quisquam vti damnabili proprietate, sed omnia in commune redigantur. Contra incontinentes, tam Prælatos, quàm subditos grauior procedat districtio disciplinæ & censuræ: ita vt nedum publicè incontinentiæ vitia condignè puniantur, verumetiam omnis tollatur de medio occasio, vnde possit incontinentiæ suscipio oriri.

TRIA substantialia regulæ præcipuè ab omnibus integerrimè custodiantur, ita vt nulli vnquam aduersus ea dispensatio, aut contraria consuetudo suffragetur. Silentiũ in oratorio, refectorio, & in claustro, &c. seruetur. Simul reficiãtur fratres sub mensali lectione, quæ vsque in finem mensæ continuetur. Esus carnium sit vniuersis sanis omni loco & tempore strictissimè interdictus. Omnes simul in dormitorio, quantum possibilitas permittit, dormiant cincti cingulis, seu funibus super mattas matracias, siue saga. Lineis camisiis, & linteaminibus minimè vtantur. CIRCA monasteriorum clausurã debita custodia adhibeatur, ne mulieribus etiam non suspectis pateat introitus ad septa monasterii. Nec alicui religioso, exceptis officialibus fas sit septa sui monasterii absque speciali licentia superioris sui egredi. IEIVNIA omnes sani obseruent, tam à regula, quam ab Ecclesia instituta. Diuinum officium, diurnum pariter & nocturnum decenter & distinctè, vt decet, congruis persoluant horis: quo completo lectionibus, vel operibus manum iuxta temporis & negotiorum exigentiam, & regulæ præfatæ directionem insudent. Codices ministrentur fratribus tempore determinato. Visitentur quoque fratrum lecti propter peculiare opus. Capitulum culparum quotidie seruetur: in quo præmissis Martyrologii ac regulæ lectionibus procedatur, si opus fuerit, ad regulæ expositionem, & culparum examen ac correctionem. Prouideatur etiam, ne fratres constitutis temporibus confiteri, communicare, & celebrare negligant. Monachis de cibo & potu iuxta regulæ dispositionem diligenter prouideatur. Loca etiam accommoda in monasteriis ipsis deputata sint, tam pro infirmis fratribus, quam pro aduenientibus hospitibus pro tempore: quibus omnis adhibeatur cura & humanitas iuxta dispositionem regulæ supradictæ. Ducantur ad orationem hospites, lectio eis legatur ad ædificationem, & eorum lauentur pedes. Summa præcaueatur diligentia, ne importabilibus prægrauentur monasteria oneribus debitorum: & ne eorum bona distrahantur, aut alienentur contra BENEDICTI XII, & alias Apostolicas sanctiones ac iuramenta per Abbates in eorum confirmatione, ac benedictione præstita. alienata, si qua sint, solicitè recuperentur. Abbates, Præpositi, Priores siue Rectores iura ipsorum monasteriorum diligenter tueantur & custodiant. Fructus, redditus, & prouentus, eorum in communes monasteriorum vtili-

tates conuertant. Et singulis annis faciant suis conuentibus legalem rationem de temporalium bonorum statu. Abequitaturis superfluis, & indecentibus canibus, auibusq; venaticis abstineant. Nec religiosi quiq; infra monasterii septa arma habere, nec compaternitatem contrahere præsumant quouis modo. Hæc & alia à sanctis Patribus, & institutionibus canonicis, & institutionibus canonicis ac regularibus tradita prout temporis qualitas, ac personarum conditio exposcit, & salubre visitatoribus videtur in monasteriis & locis à regulari obseruantia collapsis pro sanctæ reformationis introductione instituenda renouent. Et executioni debitæ studeant demandare, facientes omnia & singula per censuram Ecclesiasticam auctoritate nostra, quam per præsentes eis committimus firmiter obseruari.

FINIS.

IOANNIS TRITHEMII ABBATIS S. IACOBI ORDINIS D. BENEDICTI APVD HERBIPOLIM DE MIRACVLIS BEATISS. MARIÆ SEMPER Virginis in Ecclesia noua prope DITTELBACH in arena nuper in eius honorem constructa factis

LIBRI DVO.

Argumenta Capitum Libri I.

CAP. I. *Probat Trithemius, nec se, nec alios scriptores iure argui posse, quod noua miracula scriptis consignent.*

II. *Ratio suscepti laboris exprimitur, & veritas dicendorum testimonio confirmatur.*

III. *Quando, & quomodo peregrinatio in Dittelbach inchoata fuerit.*

IV. *Quis, quomodo, & quando huic peregrinationi causam dederit.*

V. *Defundatione prima Ecclesiæ in Dittelbach.*

VI. *Quemadmodum hæc peregrinatio initio contradictioni multorum fuerit exposita.*

VII. *Quomodo iste cōcursus fidelium ex diuina præordinatione sumpserit initiū.*

VIII *Quam multa bona ex similibus peregrinationibus proueniant.*

IX. *Quam iustum sit, nobisq; proficuum D. Virginem multis in locis venerari.*

X. *Quod B. Virgo Maria sint omni laude dignissima.*

XI. *Quod eadem sit humani generis mediatrix atq; patrona.*

XII. *Quod eadem vt pientissima mater sit à nobis inuocanda.*

XIII. *Quod eleemosynæ huic Ecclesiæ oblatæ non aliter, quam in manifestam eius vtilitatem expendantur.*

XIV. *Quod fideles ad hanc peregrinationem continuandam exhortandi sint.*

IOANNIS TRITHEMII ABBATIS AD SENATVM OPPIDI DIETELBACENSIS EPISTOLA.

IOANNES TRITHEMIVS ABBAS *MONASTERIJ S. IACOBI Herbipolensis, ordinis D. Patris Benedicti Senatui oppidi Dietelpach salutem & prosperitatem.*

SATISFECI sanctis postulationibus vestris, prout vires ingenij mei permiserunt, viri circumspecti & prouidi, ipsumq; pium laborem, quem mihi pro reuerentia & honore semper castissimæ Dei genitricis & virginis MARIAE nuper iniunxistis, ad finem perduxi optatum. Verum, ne pium & sanctum opus in distinctione sua confunderet, materiam duobus libellis iudicaui distinguendam. In quorum primo rationem atq; principium noui concursus fidelium ad memoriam eiusdem sanctissimæ DEI parentis in arena prope oppidum vestrum DIETELBACH, quanta potui breuitate disposui. In secundo miraculo quædam ad inuocationem reginæ cælestis in eodem loco facta, sicut mihi oblata fuerunt, fideli narratione collocaui. Et quidem pauca commendaui ex pluribus, vt cara posteritas vestra scire posset, quo modo vel tempore iam noua in arena S. Dei genitricis Ecclesia, & initium cœperit, & ex pia deuotione auorum fuerint consecuta profectum. Ad cuius rei notitiam venturis quolibet tempore consequendam, vt mihi videtur, ista sufficient: nisi superflua cupientes improuide necessaria velint contemnere. Cæterum non me latet noua huius temporis miracula quibusdam creditu difficilia: quibus ego satisfacere per singula, nec possum, nec debeo, qui scriptorem me signorum exhibui, non iudicem. Experimur tamen, quod sæpius deuotio simplicium virtutem diuinitus promeruit: qualem curiosa prudentium eruditio minimè gustauit. In omnibus verò quæ scripsi, iudicium virorum sapientum, & Deum timentium non superfugio, sed me simul, & cuncta opuscula mea determinationi eorum humiliter submitto. Vnde rogo, si quid ist hic in reprehensores miraculorum, vel huius noui concursus dictum videbitur, nemo temeritati subiiciat: nec se læsum propterea à me credat. Ego enim, quod mihi visum fuit conueniens, aperui: lædere vel contemnere neminem cogitaui. Vos ergo viri prudentes, ac beatissimæ genitricis DEI semper Virginis MARIAE deuotissimi cultores, laborem hunc meum benigno mentis intuitu suscipite placita meditatione perlegite, & ad posteritatis vestræ notitiam diligenter custodite. Veniet enim tempus, non dubito, quando hæc vestra solicitudo sanctissima, & laudem receptura est apud posteros & mercedem à DEO in cælis: cuius intactæ genitricis memoriam tanto studio nunc in tempore honoratis. Dicit namq; scriptura, quoniam bonorum laborum gloriosus est fructus: *Sap. 3.* *& qui DEI matrem fideliter honorant, vitam consequentur æternam. Omnipotens DEVS vos diu conseruet incolumes. SCRIPTA Elitteræ sexta die mensis Octobris Anno Christianorum millesimo, quingentesimo, vndecimo.*

IOANNIS TRITHEMII ABBATIS DE MIRACVLIS B. MARIÆ VIRGINIS IN ECCLESIA NOVA PROPE DIETELBACH NVPER FACTIS.

LIBER PRIMVS.

PROBAT INITIO HVIVS LIBRI TRITHEMIVS, NEque se, neq; alios scriptores iure reprehendi posse, quod noua miracula sanctorum scriptis consignent.

CAPVT I.

SCRIPTVRVS auxiliante Domino nostro IESV CHRISTO nouæ principium Ecclesiæ, quam fidelium sancta deuotio nuper in arena prope oppidum DIETELBACH in honorem atque memoriam beatissimæ DEI genitricis semper intactæ Virginis MARIÆ constituxit, simul & beneficia sanitatum, quæ omnipotens DEVS ad inuocationem nominis ac patrocinii eiusdem parentis suæ sanctissimæ semper Virginis in eodem loco fidelibus hactenus præstitit, manum sciens in ignem porrigo: & me voluntariæ, vt ita dixerim, contradictioni lacerantium expono. Multos etenim futuros non dubito, qui signis atq; miraculis nouis fidem non cito contribuant, sed ea potius veluti somniorum deliramenta contemnant. Horum mihi videtur non satis pia consideratio: qui, dum sequi contendunt scripturarum doctrinam solidam, necessariam & vtilem simplicibus nonnunquam auferunt credulitatem. Sed quid si nouis contradicant miraculis contemptores Christianæ simplicitatis? Egone propterea non scribam omnipotentis DEI beneficia? quæ non possum ignorare manifesta? Absit à me, vt qualibet occasione seductus, manus meas à DEI laudibus retraham, & manifesta eius miracula, quæ mortalibus in beneficium meis præstitit temporibus abscondam. Et quamuis non sum laudator per omnia idoneus: cupio tamen, & DEO & eius intactæ genitrici semper esse deuotus. Quapropter nec obloquentium detractiones in hac parte vllatenus metuo, nec temeraria hominum superborum iudicia pertimesco. Scribam igitur confidenter, quæ mihi à fide dignis sunt oblata fideliter. Si quis huic nostræ compilctioni fidem adhibere contempserit, non mihi, sed omnipotenti DEO, & castissimæ eius genitrici pro sua temeritate respondebit. Non enim scribo fabulas, nec somniorum deliramenta confingo: quippe qui optimè nouerim DEVM nostris nequaquam delectari mendaciis: qui, cum sit essentialiter veritas vnica, omniumq; bonorum causa simul atque principium mendacium sibi maximè detestatur aduersum. Nulla mihi causa est fingendi miracula, qui nec fauores in hac

hac editione sequor mortalium, nec lucrum postulo aliquod terrenum. Dei me amor impulit, vt hæc scriberem, & mentis propriæ deuotio incitauit. Nã vt mea mihi persuasit intentio, non est bonum opera Dei abscondere, & manifesta eius beneficia, quæ fidelibus præstitit, occultare. Nec me fugit sapientis viri sententia dicentis. *Qui cito credit, leuis est corde.* Miraculis etenim nouis cito non crederem nisi me Saluatoris nostri promissio induceret, dicẽtis. *Amen amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ecce, quam aperta pollicitatio Domini, & quam placidissima ad petendum inuitatio Dei. Qui nos iubet petere, promptum se offert ad præstandum. Hac nos prouocati fiducia Dei misericordiam in cunctis necessitatibus nostris inuocare consueuimus: & non solum mentis, sed etiam corporis sanitatem postulamus. Tunc enim præcipua deuotione Dei auxilium petimus, quando corpore decumbentes infirmi sumus. Deus autem in spiritu humilitatis & deuotionis fideliter orantes cum exaudit, ab infirmitatibus misericorditer liberat, & sanitatis beneficium quasi per miraculum præstat. Considerẽt iam nunc miraculorum temerarii iudices, quam præcipitem iniustamq; sequantur sententiam, quoties miracula sanitatum, quæ scribimus, falsa aut conficta existimant, aut dæmonum operationi potius, quam Deo præstant. Ecce omnipotens Deus, vt beneficia in eius nomine petamus, nos admonet: qui, nisi petita voluisset concedere, nequaquam monuisset postulare. Concedit postulantibus quotidie sanitatis beneficium & vos temerarii iudices negatis miraculum. Audite precor, & intelligite, & quantam Deo faciatis iniuriam pensate. Deus, vt in omni tribulatione nostra ipsius implorem. mus auxilium, nos admonet: quod in multis scripturæ locis probatum sufficienter nemo vestrum poterit improbare.

Eccli. 19.

Ioan. 16.

I argum. cur miraculis licet nouis credendum.

Aut ergo postulantes nos in fide exaudire vult DEVS, aut non vult, sed contemnit orantes. Si nos exaudierit infirmos, beneficium sanitatis proculdubio iam præstitit: & grande miraculum fecit. Verè namque miraculum grande est, quoties creatura mortalis à creatore immortali sanitatis beneficium orationibus impetrat. Et hoc miraculum fieri non solum in præfato loco Dittelpach quotidiè fermè cernimus: Sed in priuato, atque in diuersis Ecclesiis per orbem Christanum sanari fideles orationibus audimus.

Nisi enim omnipotens DEVS beneficia præstare voluisset in fide orantibus, frustra nos incitasset ad orandum. Scriptum est enim. *Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.* Et iterum. *Qui petit, accipit: qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur,* Nonne veritas dicit *Omnia possibilia sunt credenti?* Quare si nos contemnit Deus, & non exaudit orantes, iam frustra petimus, cum nihil impetrare possimus ab eo, qui non exaudit orantes, sed spernit, atque contemnit. Sed cum hoc sentire de Deo sit impium, manum vos dare veritati necesse est, vt confiteamini, firmiter credentes, quod omnipotens & misericors Deus orationes pauperum & humilium in fide profusas non despicit: sed postulãtibus multimoda beneficia non solum mẽtis, verumetiam corporis impendit. Impiorum facta perpendite, & ne sitis ad iudicandum temerarii, præcauete. Cum Dominus noster IESVS Christus olim in Iudæa docens plura faceret miracula, simplex populus & dicta & facta eius summo prosequebatur fauore, Doctorem veritatis acclamans & salutis. Scribæ autem & Pharisæi, quoniam in oculis suis erant sapientes, semper illius calumniabantur doctrinam: & miracula, quæ negare non poterant, dæmoniorum Principi Beelzebub contribuebant. Magna superborum temeritas, quæ miracula & beneficia Dei manifesta proteruè aut negat, aut dæmonibus assignat. Deus est, qui miracula facit, non dæmones. Christus beneficia sanitatum præstat mortalibus, non diabolus Et quid dicit omnipotens Deus. Honorem, inquit, *meum alteri non dabo.* Dei autem honor est deuotas exaudire preces humilium, & postulantibus in fide, beneficia concedere sanitatum. Dicit enim scriptura. *Dominus mortificat & viuificat: deducit ad infeors, & reducit.* Et fidelis Osee Propheta sic loquitur. *Venite, & reuertamur ad Dominũ, quia ipse cepit, & sanabit nos: percutiet & curabit nos.* Hunc suum honorem Deus nõ dabit diabolo: & sanitatis posse conferre beneficiũ nõ concedet

Matt. 7.

Luc. 11.

Marc. 9.

II. argum.

Matt. 12.

Isa. 42.

1. Reg. 2.

Osc. 6.

det inimico. Vos autem præsumptuosi ac temerarii iudices, qui sanitatum beneficia mortalibus ad inuocationem sanctorum diuinitus concessa, vel negatis facta, vel iudicatis dæmonibus adscribenda, nõ fidelium imitatores, sed Pharisæorum & scribarum estis, sequaces; quoniam honorem soli DEO debitum, suppositioni attribuitis dæmoniorum. Nimium de vobis præsumitis: quia dum videri cupitis docti atq; viriles, contra diuinam ordinationem vos ostenditis nimium pertinaces. Internæ compunctionis gratiam, vt mihi videtur, & confidentis in Deum orationis fructum hactenus non meruistis accipere: propterea contingit vos de beneficiis Dei, quæ sæpius conferuntur humilibus, frequenter dubitare. *DEVS* namq; *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Propterea dicit scriptura. *Beatus homo, qui semper est pauidus: qui verò mentis est duræ, corruet in malum.* Noli esse temerarius, nec dicas in corde tuo nulla his temporibus fieri miracula: cum manus Domini ad sanandum nequaquam sit abbreuiata. Quin potius fideliter crede verbis Domini saluatoris in sancto Euangelio dicentis. *Omnia quæcunq; orantes petitis, credite, quia accipietis, & euenient vobis.* Huius pollicitationis firmitate præsuppositа, non miror, si ad inuocationes sanctorum, & maximè beatissimæ Dei genitricis miracula fiunt sanitatum: sed potius admiror, si quis contradicat huic positioni doctus intelligentia scripturarum. Oratio namq; puri cordis & animi simplicis cum humilitate fidei, ac firma confidentia fusa ad Deum non potest esse otiosa, Impetrat enim, quicquid petierit, si formata nec hæsitans in fide constans permanserit. Hinc est, quod homines idiotæ, ac simplicis animi plerunq; citius exaudiantur in suis orationibus à Domino, faciliusq; impetrant postulata, quam viri litterarum scientia multum eruditi. Cuius rei causa est, quod inter orandum non sunt curiosi, nec orationum finales diiudicant partes: sed credunt firmiter, & nullatenus dubitant impetraturos se omnia, quæ voto mediante postulant. Omnipotens etenim DEVS curiosum oratorem despicit, quippe, qui fidem & affectum orantis non sermones exaudit. Nullus ergò supercilium assumat in nos, cum legerit, ea quæ DEI scripsimus sanitatum beneficia: neq; putauerit, me composuisse miracula falsa, aut vetularum annotasse somnia. Enimuero quicunq; nouit expertus vim atq; virtutem orationis ad Deum formatæ, amplius de miraculis sanitatum non dubitabit. Homines autem isti simplices, quibus omnipotens Deus ad inuocationem suæ sanctissimæ genitricis in sæpedicto loco sanitatum multimoda contulit beneficia, orantes fortiter crediderunt, nec dubitarunt se impetraturos, quod pro releuatione suarum necessitatum postularunt. Oportet enim volentes aliquid à Deo impetrare, non hæsitare animo inter orandum: ipso saluatore nostro dicente in sancto Euangelio. *Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicunq; dixerit huic monti. Tollere & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia quodcunq; dixerit, fiat, fiet ei.* Et sanctus Christi Apostolus Iacobus in sua epistola dixit. *Postulet autem in fide nihil hæsitans. Qui enim hæsitat similis est fluctui maris qui à vento mouetur, & circumfertur. Non ergò æstimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino.* Maxima igitur potest fidelis ad Deum oratio, cui nihil est impossibile ad impetrandum, si ferueat.

Iac. 4.

Prou. 28.

Marc. 11.

Cur idiotæ citius

exaudiantur in precibus quam docti.

Marc. 11.

Iac. 1.

CAPVT II.

RATIO SVSCEPTI LABORIS EXPRIMITVR, & veritas dicendorum fideli testimonio confirmatur.

NEMO Christi fidelium dubitat, miracula sanitatum, quæ fiunt ad inuocationem meritorum ac patrocinii beatissimæ ac semp intemeratæ Virginis MARIÆ ad Dei gloriam esse referenda: quoniam quicquid meritis

meritis Sanctorum accipimus, ab illo procedere, qui omnes condidit Sanctos, merito prædicamus. Cum igitur anno Dominicæ natiuitatis decimo supra quingentesimum atq; millesimum veniſſem pro quodam negotio ad supradictum oppidum Dittelbach, nouam in arena capellam vna cum venerabili Abbate S. Stephani Conrado, & Caſparo Pfiſter maioris Eccleſiæ Herbipolenſis præbendato Vicario, Reuerendiſſimiq; Præſulis Domini LAVRENTII de Bibera Francorum Ducis & Antiſtitis fiſci procuratore cauſa deuotionis adii: & omnia quæ vel agebantur, vel habebantur quàm diligentiſſimè perluſtraui. Inter multa verò, quæ reperi ad memoriam ſanctæ Dei genitricis, tam in auro & argento, quam cera & veſtiario ſuppellectili oblata manibus fidelium, ſchedas vidi papyreas in gyro parietum plures certis oblationibus imaginariis de cera, vt fieri ſolet, affixas: in quibus homines diuerſa beneficia ſanitatum conſcripſerant, quæ meritis ſuperinnocentiſſimæ Dei parentis Mariæ, ibidem fuerant conſecuti. Et quia non eſt bonum abſcondere tanta beneficia Dei, conſilium dedi Magiſtris fabricæ, qui erant ex ſenatu duo ſeniores, quatenus omnia miracula per ſchedulas in teutonica lingua ſparſim ſcripta vnum facerent codicem latino comportari ſermone, pro ædificatione, videlicet, non ſolum præſentium, ſed etiam ad memoriam poſterorum.

Dittelbacenſes cõmendant Trith. miraculorũ deſcriptionem.

Res ad commune Senatus defertur conſilium; & placuit cunctis, vt ſeries primi concurſus ad locum ſæpius dictum in vnum volumen conſcriberetur latinè vna cũ teſtimonio ſignorũ. Sed cum ſcriptor deeſſet, qui huiuſce onus laboris dignaretur ſuſcipere, tandem complacuit omnibus negotium hoc mihi commendare, Vnde rogatus totius nomine conſilii, quatenus hunc paruũ ſcribendi laborem pro Dei honore ſubirem, contradicere non potui: quamuis me non ſatis idoneũ ſcriptorem laudum B. Mariæ virginis agnoui. Quis enim ſum ego, qui laudes reginæ cælorum ore polluto præſumam depromere, & tantæ maieſtatis mirifica dona mortalibus præſtita ſtyli officio demandare? Sed rurſum, quis ego, qui tanta beneficia Dei meis temporibus oſtenſa velim abſcondere, & non potius viſa & audita diuinæ pietatis opera pro ædificatione plurimorum litteris commendare? Ad honorem igitur omnipotentis Dei, ad reuerentiam glorioſiſſimæ Virginis Mariæ Dei genitricis, ad complacentiam ſenatus, populiq; in Dittelbach, & ad communem ędificationem fidelium tam præſentium, quam futurorum, opus mihi demandatum in nomine IESV Chriſti libenter aggredior: in quo non ſolum beneficia ſanitatum meritis caſtiſſimæ atq; ſanctiſſimæ Virginis Mariæ fidelibus impenſa, quorum ad me peruenit notitia decreui conſcribere: ſed etiam quædam alia, quæ mihi pro confirmatione huius ſanctæ peregrinationis videbantur neceſſaria litterarum teſtimonio poſteris volui commendare. Vnde pium lectorem, qua poſſum inſtantia rogo, quatenus liuore ſemoto cauſas meritorum ſimul & ſignorum, de quibus fit narratio, diligenter examinet: nec ante cognitionem cauſæ temerarium ſe iudicem intromittat. Non me vera ſcribentem pudebit defendere veritatem: nec ero in eorum conſilio, qui temeritatis plurimum, ſed nihil aut parum humilitatis conſecuti exercitia deuotionis pauperum contemnunt. Huius tamen ratione proloquii nullus me arbitretur quicquam non ſolidum, aut confictum à me producturum in medium, quia non patrator ſum miraculorũ Dei, nec iudex, ſed rogatus, vt dictum eſt, ſcriptoris præſumpſi officium: & Dei beneficia ſcribo latinè faciens opuſculum, quod mihi vulgariter fuerat in ſchedulis præſentatum. Quamobrem coram omnipotente Deo, qui ſolus eſt veritas, *Promittit ſe non ſcripturum niſi vera.* proteſtor atq; confiteor, nihil falſitatis, aut fictionis humanæ me inſeruiſſe operi; ſed ea duntaxat ſcriptis commendaui miracula, quæ vel ipſe vidi expertus, vel ab aliis, qui interfuerant, accepi. Scio enim quod beatiſſima Dei genitrix ſemper virgo Maria, quæ veritatem peperit, laudes mendacio & falſitate conſtructas non requirit. Deum timeo, eiusq; intemeratam genitricem fideliter diligo: de qua nihil niſi verum, ſanctum & probatum ſcribere, aut volo, aut debeo. Illos verò, qui mihi ſigna & miracula obtulere ſcribenda, tales eſſe confido, quod Deum mendacio laudare non voluerint.

CA-

CAPVT III.

QVANDO, ET QVEMADMODVM HÆC PEregrinatio ad imaginem B. Virginis MARIÆ in arena prope Dittelbach inchoata fuerit.

ANNO Domini M. D. V. Indict. Romanorum VIII. Sub Maximiliano Germanorum Rege ad imperium electo, Laurentio de Bibera Herbipolensis Ecclesiæ Pontificatum simul & Ducatum Francorum Orientalium pacificè ac prudentissimè moderante, concursus sanctæ peregrinationis ad memoriam beatissimę Dei genitricis & Virginis MARIÆ in arena prope DIETELBACH tali occasione sumpsit exordium. ERAT in eodem loco, vbi nunc est Ecclesia & altare versus Aquilonem constructum imago parua. B. MARIÆ semper Virginis, iconem filii depositi de cruce, vt moris est, in sinu tenentis: quam vespertinam appellant, & hodie supra memoratum altare collocata: coram qua ciues dicti oppidi, qui omnes penè sunt vinitores, euntes & redeuntes ad labores suos, alter plus minusq; altero inter eundum Deo preces fundere consueuerunt, quoniam iuxta viam posita fuerat. Quis autem, vel quando imaginem illuc posuerit, nescio: Sed hoc vnum seniorum relatione audiui opinionem futuri concursus & miraculorum à multis retrò annis in expectatione quorundam extitisse fidelium. Sunt deniq; nonnulli prouectioris ætatis homines, qui dicant se à maioribus accepisse suis, quod in eodem loco imaginis, vbi nunc est Ecclesia, simulatq; concursus longè ante, quam id, quod nunc dicendum est, eueniret, tinnitus & strepitus campanarum visus sit quibusdam aliquoties insonuisse: quem non omnes, sed præordinati à Deo audientes ex aére non sine stupore nepotibus nunciauerunt. Qui quidem sonitus diuini cultus frequentiã, quem nos inchoatum iam laudabiliter cernimus, & indies confidimus augeri, sine dubio præsignabat. Sed huic assertioni sonitus campanarum fidem tardius apponerem, si non similia facta in plerisq; locis aliis cognouissem. In vita S. Ermenoldi Abbatis simile per omnia factũ legimus, in eo videlicet capite, in quo Pruueniẽrsis monasterii prope Ratisponam fundatio per sanctum Ottonem Babenbergensis Ecclesiæ Pontificem introducta recitatur. Vnde mirum non est, si etiam in isto loco, de quo loquimur, ante nos quædam futurorum sint visa præsagia, quibus diuina benignitas exhibenda mortalibus præsignauit miracula. Et quamuis illi, qui talia dudum videre & audire meruerunt, eorũ significationem nequaquam intelligerent: cælitus tamen præmissa sunt, vt præsignatio facti suo tempore veritatem confirmaret. Eo verò tempore, quo hæc sancta fideliũ peregrinatio ad memoriam intemeratæ Dei genitricis MARIÆ prope DIETELBACH sumpsit exordium, nemo præsagiorum, de quibus dictum est, rationem habuit: sed cæca mentium obliuio per negligentiam omninò sepeleuit. Verum, postea quam fieri concursus ad locum cæpit, singuli super hac nouitate, quid à suis audiuissent progenitoribus, proferebant in medium: & tunc primò cœperunt intelligere præsagiorum mysterium, quod nullus antea intelligere potuit præsignatum.

Imago B. Virg. vespertina in Dittelbach.

Præsagium secuti concursus.

CAPVT IV.

QVIS, QVOMODO, ET QVANDO HVIVS PEregrinationis primam causam dederit atque principium.

ANNO Dominicæ natiuitatis M.D.IV. Indictione Romanorum VII. in festo S. IACOBI maioris Apostoli celebrata est dedicatio parochialis Ecclesiæ in quadam villa Babenbergensis diœcesis, quam rusticorum non parua multitudo ex proximioribus viculis conuenit: qui prandio peracto iam vino æstuantes mox in seditionem conuersi sunt, & mutuis sese vulneribus grauiter confixerunt. Inter quos vnus, Nicolaus Lẽmerer nomine incola villæ Melchẽdorff memoratæ diœcesis vsq; ad mortẽ cæsus ac vulneratus extitit, qui reportatus ad sua multis diebus grauiter infirmus iacuit, & non vna, sed pluribus etiam aliis calamitatibus, vt fieri solet, oppressus fuit. Epilepsiæ namq; morbo, quem S. Valentini Martyris appellant, post vulnerum impositionem tam grauiter correptus est, vt per annum totum in lectulo suo decubuerit: cui vehementia doloris omne membrorum officium penitus denegauit. Manum ad os suum extẽdere nõ potuit, sine loquela mutus toto illo tempore permansit. Tanta enim miseria repletus fuit, vt spem vitæ illius amicorum nullus habuerit. Sed miseratio Dei omnipotentis, quando voluit, tali modo miserũ sanauit. Anno tandem reuoluto, cum æger magnis cruciaretur doloribus, quadam die parumper ad mẽtem rediit, & diuinum, omniumq; sanctorum, sicut infirmantium est consuetudo, auxilium deuotus inuocauit. Iacuerat enim maiore infirmitatis tempore mutus, &, vt plurimum, mente captus. Eadem igitur nocte, qua die præcedente aliquantulum ad se reuersus preces ad Dominum fuderat, visionem dormiens in somnis habuit, cuius hæc sententia fuit. Astare sibi quidam visus est, qui compatientis affectu motus diceret. Si te peregrinaturũ ad imaginem Dominæ nostræ sanctæ Mariæ, quam aliquando in arena vidisti prope Dittelbach cum vna candela cerea fideli deuotione promiseris, totius sanitatem corporis tui consequeris. Nouerat autem & locum & imaginem ęgrotus: vtpote qui multis ante diebus apud Dittelbach in vinetis pro denario diurno laborauerat: & sæpe coram ipsa venerabili & sancta icone transierat. Accepta hac in somnis consolatione, miserabilis ille infirmus præ gaudio euigilauit, & cępit memoriam sanctæ imaginis ad mentem reducere, quam multoties ante meminerat conspexisse. Voto se igitur astrinxit illuc iturum, sicut præmonitus fuerat: & mox releuatum se sentiens primo in vocem laudis prorupit, ac de lecto sine vllius adminiculo hominis descendit. Mira diuinæ pietatis operatio, quæ hominem cunctis viribus corporis per integrum annum miserabiliter destitutum, vsu quoque rationis, si mul & loquela priuatum, pristinæ sanitati tam subitò restituit, & mirantibus cunctis ad pristinam sanitatem misericorditer atq; mirabiliter reuocauit. Cuius miraculi tot sunt testes, quot in villa habitatores. Sanus autem diuino munere factus, homo prædictus omnipotenti Deo, & eius intemeratæ genitrici nequaquam ingratus extitit, sed peregrinationem, quam deuotè promiserat, fideliter impleuit. Anno siquidem Dominicæ natiuitatis 1505. indictione Romanorum octaua tam perfectè sanatus venit cum promissa candela deuotus ad sanctam imaginem, & gratias agens Deo & eius innocentissimæ genitrici, cuius se meritis sanatum nouerat, suam impleuit peregrinationem. Flexis namque in terram genibus omnipotenti Deo pre-

Per visum monetur ire in Dittelbach.

Sanatur voto facto

Æger Dei & sanctorum inuocat auxilium.

Votum soluit oblato cereo.

ces obtulit, & laudes suæ genitrici decantauit. Verum, cum nescíret, quo candelam deponeret, quam secum attulerat, mente cœpit esse dubius, & non parua solicitudine anxiatus dimittere illam circa imaginem timuit, reportare ad sua iniustum reputauit. Stabat enim nudus sub aëre truncus, & imago in eo sine vmbraculo tecti, quemadmodum iuxta vias poni consueuit signum redemptoris nostri crucifixi. Cumq; super hac re animo hæsitans sederet iuxta imaginem, ex itinere fatigatus obdormiuit. Et ecce ad eum visio rediit, & quid agere cum candela deberet, placidè indicauit. Surge, inquit, & vade in oppidum, quod prope cernis, Ditelbach; vbi senatum iam omnem in prætorio congregatũ inuenies, cui & omnem peregrinationis tuæ causam aperies, & candelam, quam attulisti in signum veritatis trades. Nec te moueat, si dictis tuis quidam ex eis non adhibeant fidem: neq; propterea veritatem dicere metuas, si te vel irriserint, vel cõtempserint. Dei enim res agitur, cui nemo resistere potest. Vnde sciens scito, quod omnipotens Deus per merita suæ castissimæ matris plura in hoc loco miracula facturus est: quorum attestatione fides suo tempore firmabitur sermonum tuorum. Qui consurgens oppidũ Ditelbach ingressus est, & sua cum candela in senatus conspectum est admissus. Erant autẽ omnes eadem hora in prætorio congregati, sicuti eũ visio docuerat. Qui cum historiam infelicitatis, simul & curationis suæ recitasset corã senioribus oppidi, quidam riserunt, alii hominis simplicitatem contemnẽtes verba eius deliramentis similia reputarunt. At ille constãter in sua narratione perseuerans affirmabat commissorum sibi veritatem, offerẽs se omnia vicinorum suorũ testimonio probaturum, qui eum de incurabili ęgritudine subitò moraculosè viderant esse sanatũ. Vnde quidam ex consilio rem altius pensiculãtes, & à progenitoribus audita quædam præsagia in memoriam reuocãtes reliquorum leuitatem & risum in expectationem admirabilem conuerterũt. Si ex Deo est, inquiunt, huius nouitatis principium, nemo dubitet vestrum quin pręsignatum consequetur progressum. Si verò humanæ adinuentionis excogitatio fuerit, non diu poterit permanere. Expectemus ergò paululum, & tempus dabit experimentum. Peregrinus iniuncto sibi diuinitus officio perfunctus lætus ad sua reuertitur: & candela, quam Senatui præsentauerat in prætorio cõmuni vsq; in prę sentem diem pro testimonio seruatur. Ex illo die miraculum hoc per viciniam multis innotuit, & magnus concursus fidelium ad sæpe dictam imagniem quotidie fieri cœpit. Cuius miraculi fama paulatim se ad aures hominum etiam remotius cœpit diffundere, & magnum cõcursum populi quotidie augere. Multa sunt posthæc in eodẽ loco ad inuocationẽ B. MARIÆ semper Virginis facta miracula: quorum non omnium, sed eorum duntaxat, quæ ad nostram cum probatione venere notitiam Domino auxiliante inferius mentionem faciemus.

Visio monetur ire ad senatum.

Senatus miraculum non contemnendum putat.

CAPVT V.

DE FVNDATIONE PRIMÆ CAPELLÆ, SIVE Ecclesię B. MARIÆ semper Virginis in arena.

NEscit tarda molimina diuinæ miserationis gratia, sed opus quod in salutem fidelium suorum futurũ instituit, sine difficultate cito ad bonum ac salutarem effectum perducit. Nihil enim Deo est impossibile, nihil omnipotẽti difficile, nihil sũmo intellectui cadit in deliberatione. Omne siqdẽ opus, q; voluntas diuina incipit, impedimẽta malitię nulla penitus admittit. *Dei autem perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia.* Postea igitur quam fide-

Deut. 32.

fidelium suorum sanctum fieri concursum ad imaginem suæ castissimæ genitricis in memorato arenę loco prębuit, semper deinceps miraculis ibidem factis maiora coniunxit. Vnde factum est, quod concursus quotidie auctus plura in honorem S. MARIÆ ad locum contulit: & vnusquisq; accedens suæ deuotionis affectum ad nostram Dominam aliquo munere ostendit. Alius ceram pro Dei matris reuerentia obtulit, alius pecuniam, aut vestem in cordis simplicitate præsentauit. Nemo in conspectu maiestatis diuinæ, quæ operabatur magnalia, vacuus apparuit, sed vnusquisq;, prout potuit, in matris Dei honorem aliquam oblationem condonauit. Vnde viri consulatus, in quorum marchia locus est positus considerantes opus Dei voluntate inchoatum quotidiano concursu, atq; miraculis augeri, primo circa imaginem fecerunt paruũ tugurĩũ, quo res à fidelibus oblatæ seruarentur à pluuiis & iniutia tempestatum. Verũ, dum peregrinantiũ concursus quotidie cresceret, & semper miracula sanitatum augerentur, maiores oppidi sæpius nominati, viri Christianæ religioni deuoti atque fideles, diuinæ ordinationi metuentes resistere, de nouæ constructione Basilicæ tandem cœperunt consultare. Sed Ecclesiam de nouo sine consensu Ordinarii nõ porteant erigere, propterea necesse fuit ad illum negotium referre. Dominus autem reuerendissimus LAVRENTIVS de Bibera Herbipolensis Ecclesiæ Pręsul & Dux Francorum Orientalium sapientissimus (cuius vitæ annos omnipotens Deus ad pacem nostram cõmunem, & plures faciat, & felices) ad preces seniorum ex Dittelbach pia & honestissima consideratione motus consensum præbuit: & vt nouam capellam in loco sanctę imaginis erigerent, indulsit. Noua itaq; capella in arena ex oblationibus fidelium anno Dominicæ natiuitatis sexto supra quingentesimum atq; millesimum ligneo tabulatu construitur, & cum tribus altaribus in honorem beatissimæ semper Virginis solenni apparatu sequẽti anno consecratur. Hæc est prima huius sanctæ peregrinationis Ecclesia, quam hodie simplicem & modicam cernimus, de cuius ampliore ornatu cum tempore speramus. Omnium siquidem rerum parua sunt & modicæ virtutis principia: quæ tamen paulatim cum tempore sumunt incrementa. Sic fieri cum præsenti basilica Virginis MARIÆ confidimus: ad quam continuari peregrinationem fidelium inchoatam videmus.

Varia dona in Dittelbach cœpta offerri.

Tugurium circa statuam erigitur.

Deinde Sacellum cum 3 altaribus.

CAPVT VI.

QVEMADMODVM HÆC SANCTA FIDELIVM peregrinatio contradictioni quorundam hominum in principio sui multipliciter fuerit exposita.

QVONIAM quidem in huiusmodi nouitatibus multi sæpe contingant errores, cum aut leuitas incautos protrahit ad credendum his, quæ sine ratione vidẽtur proposita, aut humana cupiditas p fraudes lucra cõsequi nititur terrena. Idcirco non contigit absq; ratione viros sapientes & eruditos in scripturis diuinis plures huic contradicere peregrinationi, & de veritate miraculorum haud mediocriter dubitare. nec immerito. Dicit enim scriptura. *Probate spiritus, si ex Deo sint.* Humana verò curiositas ad noua nimis credula sæpe decipit, nisi vel ratione, vel imperio cohibeatur. Sed *nitimur in vetitum semper, cupimusq; negata*, & neglectis, ne dicam contemptis monasteriis & Ecclesiis antiquitus cõstructis, facile nimis ad nouos mouemur concursus. Plebs enim rusticana his maximè nouitatibus gaudet: quæ tanto plerunque facilius decipitur, quantò minus erudita ad credendũ sine rationis necessariæ discretione citius incitatur. Hinc nos docuit experientia multoties temporibus nostris peregrinationes ad

1. Ioan. 4.

Ouid. 3 de amor. eleg. 4.

certa loca sub memoria diuersorum sanctorum dolis & fraudibus inchoatus: in quibus falsa & ementita confingebantur miracula, cum nulla penitus essent facta. Talis olim fuit concursus ad Niclashausen, cuius adhuc est recens memoria: qui dolo inchoatus & fraude, quem merebatur finem turpitudinis accepit. Talis etiã fuit nouitas illa, q̃ stulta hominũ rusticorũ temeritas ante paucos annos in monte prope Hyphoen contra verã & sanctã peregrinationẽ adBytcklingẽ excogitauit fingẽs multa varię cõpositionis mẽdacia quorũ pudet reuocare memoriã. Notum est omnibus in circuitu manẽtibus, quod nonnulli homines dolosi atq; mendaces imaginem Beatæ Mariæ semper Virginis lapsam prædicabant de cælo, multaq; ad inuocationem eius facta in eodem loco mentiebantur miracula. Fit subito concursus hominum, ligneum circa iconem fabricantur tugurium: conuenit, mansitquè diebus ac noctibus continuè circa tabernaculum magna multitudo peregrinantium. His caupones & coci vendebant victui necessaria, noctibus simul atq; diebus in nemore celebrabantur conuiuia, & quæ in domibus fieri metu non poterant, ibi licenter committebantur stupra, fornicationes & adulteria. Sed quod falso & malo inchoatur principio, diu pmanere non potuit: idcirco mendax ille concursus cito dissipatus fuit. Cum iuuenis essem ad litteras positus in ciuitate illa vetustissima Treuirorum simílem vidi ad quandam B. Mariæ semper Virginis in ipsa vrbe concursum: vbi multa & varia narrabantur facta miracula, quæ omnia fuerunt falsa, cõficta, & emẽtita. Erat aũt & ipsa imago B. Virginis vespertina ex limo terræ decocta, non magna, caput habẽs interius cauatum, & superius paruum in vertice foramen. Stabat in muro iuxta viam plateæ mendicantium publicã. Homo autem quidam dolosus, nomẽ cupiẽs nãcisci, & notum in oppido & gloriosum, ægritudinẽ finxit, portatusq; ad imaginẽ cum voto muneris, sanitatem, quam nunquam amiserat, se recepisse mendaciter ostendit. Imago deinceps lacrymas emittere visa est, quæ quoties terſæ fuissent, toties iterum fluebãt. Prius enim, q̃ se simularet infirmum, secreto caput imaginis oleo nucum impleuerat, & lacrymas arte fundebat. Tantus subitò concursus non solum ciuium, sed exterorũ quoq; hominum factus est, vt platearum amplitudo non sufficeret occurrentium capere multitudinem. Iconem vidi lachrymantem, & si res tunc meo stetisset arbitrio, lachrymas veras absq; mali suspicione iurassem. Durauit concursus ille dolo structus mensibus ferme quatuor, & noctibus simul atq; diebus ad spectaculum magna hominum multitudo confluxit. Plura interea loco inferebantur donaria, & nullus accessit, qui non obtulerit aliqd. Dolus tãdem sapiẽtũ industria detegitur, & oleum infusum imagini reperitur, & sic negotiũ, quod mẽdacio cœpit, manifestata veritas celeriter destruxit. Ante paucos annos in Westrasia, haud procul ab oppido S. Wendelini Treuerensis diœcesis simile contigit: vbi magnus hominum concursus ad quendam fontem, quem S. ANNA cuidam mulieri pro signo suæ apparitionis ostendisse ferebatur, miraculosè confluxit. Sed huius commenti falsitas citius manifestata extitit, & propterea statim à principio exstincta fuit. Dicit enim in sancto Euangelio Dominus *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur.* Si vellem omnes humanæ adinuẽtionis falsas, confictas & ementitas peregrinationes, siue stationes, quas meo tempore in diuersis Germaniæ & Galliæ prouinciis noui exortas, simul & extinctas cum falsis miraculis suis in medium producere, breuis operis propositũ compelleret violare. Quis enumeret dolos & fraudes hominum impiorum, qui vel æstimationis, vel terreni lucri causa, q̃qd excogitant, audent: decipiunt simplices, prudentumq; ingenia fallentes diuina simul & humana prophanare non metuunt. Ex his quidam, vt assequantur quod cupiunt, falsa mẽtiuntur signorum miracula. alii se visione noctibus conspexisse angelos, nõnulli pretio conductos homines petrones quasi nũcios quosdã signorũ mittũt per circuitũ, quorum industria simplices incitantur ad cõcursum. Quosdã lucri causa factos hominũ seductores per imaginũ concauitates nomine diuorum orantibus responsa dedisse nouimus: alios barbam extendisse crucifixo apud Moguntiacum olim conspeximus: totq; dolos & fraudes in huiusmodi nouitatibus commisisse plurimos, vt de similibus non immerito dubitemus. Cum ergo hæc peregrinatio ad S. MARIAM prope Dittelbach initium sumeret, eius

Vide Trith. in Chron. Sponhem. ann. 1470.

Peregrinatio ad ficta miracula.

Trithem. studuit Treuiris

Miracula fabu

Iosum statua B. Virg. Treuiris.

Aliud in- xta S. Vẽ delini oppidum.

Matt. 15.

Alia alibi.

eius veritas pæne latebat omnes,& propterea multos contigit esse dubitantes. Quod ratione & consilio factum non abnuimus, quippe q plures deceptos in similibus non ignoramus. At vero, postquã veritas rei multis ac variis sufficienter extitit declarata miraculis, dubietatis nebulã à cordibus mortaliũ lux certitudinis expulit & infidẽ hęsitatio mentiũ transiuit. Nã, vbi diuinæ miserationis apta mortalibus præstantur beneficia, de veritate sancti concursus mens non debet esse ambigua. Hic autem ad inuocationem S. MARIÆ tot miracula diuinitus ostensa cognouimus. quare amplius dubitare de veritate non debemus.

CAPVT VII.

QVOMODO ISTE CONCVRSVS FIDELIVM ex diuina præordinatione sumpserit initium.

Matt.7. QVEMADMODVM arbor ex fructibus suis cognoscitur, ita diuinæ inspirationis munera ex effectibus declarantur. *Arbor enim bona*, sacro attestante Euangelio, *fructus producit bonos, & mala similiter malos.* Quotiescunq; igitur ad memoriam alicuius sancti populorum fit nouus cõcursus veritas rei facili experientia capitur: quoniam si à Deo sumpsit principium, nihil ex eo sequetur, nisi sanctum, honestum,& omne bonum. Omnipotens siquidem Deus suis instinctibus manifestum connectit indicium, & salutarem semper præstat effectum. Nã, vbi spiritussanctus populum ad memoriam diuorũ incitat, certa sanctitatis suæ opera demonstrat. Manifesta enim sunt opera spiritussancti, quorum exhibitione facilè cognoscitur, quo instinctu fiat noua peregrinatio, quoties inchoatur. Crescit namq; deuotio populi fidelis ad Dominum, manet reuerẽtia debita & consueta ad clerum, nihil cõtra iurisdictionem Ecclesiasticam præsumitur, nulla inter conuenientes turpitudinis commercia perpetrantur. Pura & facta sunt peregrinantium colloquia, vera cælitus exhibentur miracula, fraudes non committuntur nec recitantur mendacia. In hac peregrinatione honor Dei solus quæritur, diuini cultus ministerium augetur, mens Christiana diuini amoris incrementum sumit, ad pœnitentiam impius se conuertit. Nemo isthic temporale commodum aut lucrum cogitat, nemo fidelium oblationibus sibi quicquam vsurpat: sed omnes peccatorum suorum precantur veniam, & omnia, quæ offeruntur, ad Ecclesiæ cupiunt conuertere vtilitatem. Non ita fit in conuenticulis, quæ humana suscitauit industria, in quibus omnia diuinis institutionibus aguntur cõtraria. Enimuero, sicut arbor mala non potest facere bonos fructus: ita ex peregrinationibus falsis nunquam, aut raro sequitur bonus effectus. Frequenter enim malè terminari cernimus, quæ principio malo fuerũt inchoata. In falsis hominum conuenticulis falsa prædicantur miracula: inter peregrinandum fornicationes committuntur & adulteria: populus à reuerentia cleri per varias inductiones ministrorum diaboli retrahitur: errores contra Deum & Ecclesiam Catholicam varii seminantur. In hac autem peregrinatione, de qua nobis est præsens tractatus apud sanctum MARIAM in Ditelbach, nihil perperam agitur, errores nulli prædicantur, vera Deus mortalibus miracula sanitatum præstare non desinit, & gratiam deuotè supplicantibus concedit. Sancta isthuc deuotio populi fidelis in Deum suum quotidianum incrementum suscipit: cultus quoq; diuinæ seruitutis crescit: quoniam dies non transit in orbem aliquã, quo Missarum sancta non celebrẽtur mysteria. Diuinæ pietatis hic munera cælitus ostensa venerantur à populo: debita reuerẽtia exhibetur clero: nulla sunt suspectæ operationis conuenticula, sed omnipotentis laudantur præconia manifesta. Vbi ergo tot signa diuinæ operationis

Indicia sanctæ peregrinationis.

Peregrinatio in Ditelbach cursit probanda.

Missæ sacrificium quotidianum.

in vnum conueniſſe cernimus, quod ex Deo ſit hæc ſancta peregrinatio nullatenus dubitamus. Quicquid enim conſuetum apparere in Dei vocatione ad ſimilia diximus, hic abunde & præceſſiſſe, & ſubſecutum in multis teſtificationibus videmus. Vnde pia conſideratione moti ſæpedictam peregrinationem fidelium ad S. MARIAM in arena prope Dittelbach, à Deo ſumpſiſſe principium confidimus: per cuius miſericordiam ſelicem eius progreſſum, & humiliter petimus, & indubie ſperamus. Nam ſicuti ex qualitate fructuum bonorum eius principium ſanctum & ſubnixum veritati cognoſcimus. ita finem ſubſecuturum minimè dubitamus. Omnia enim ad ſalutem ſuorum fidelium prouidit circumſpiciens cuncta diuinitas, quæ mortalibus ſuæ bonitatis munera in tempore neceſſaria diſtribuit: operaturq; mirabilia magna, quoties corda credentium igne ſui amoris accendit.

Cur quidam non exaudiãtur in ſua petitione.

Propterea non omnibus, qui poſtulant ſanari, miraculoſè conceditur, ſed illis duntaxat, qui fide conſtantius ad ſperandum incitantur. Donum Dei eſt beneficium ſanitatis, quod eo facilius impetrat, quo minus in ſua confidentia vacillat. Hæc propterea dixerim, ne quis memoriam hanc S. Mariæ ob id ſuſpectam habeat, ſi non ſemper impetrat ab ea, quod optat. Quin potius, quod orantes non exaudimur, nobis imputandum nouerimus, quoniam aut malè petimus, aut peruerſe viuendo mali ſumus. Dicit enim ſanctus propheta. *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* *Pſal. 65.* Et alio in loco ſcriptura dicit. *Qui auertit aurem ſuam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* *Prou. 28.* Vt autem Deo & B. Virgini orationes noſtræ placeant plura ſunt neceſſara.

I. Primo oportet, quod oratio ſit humilitati innixa, quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Vnde ſapiens Eccleſiaſtici 35. ait. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrat*, & Iudith. 9. *Humilium & manſuetorum ſemper placuit tibi deprecatio.* Hinc Dauid ait. *Reſpexit Dominus in orationem humilium, & non ſpreuit precem eorum.* *Pſal. 101.* Secundo, vt Deo oratio fiat acceptabilis, requiritur vt ſit cum fide perfecta. Nam vt dicit Apoſtolus ad Hebræos 11. *ſine fide impoſſibile eſt placere. Deo.* ſed oratio illius, qui Deo non placet, ſcilicet, propter defectum fidei, ſed magis diſplicet, non exauditur à Domino. Vnde ait Gregorius. *Cunctis liquet, quia cum is qui diſplicet ad intercedendum mittitur, irati animus proculdubio ad deteriora prouocatur.* *Greg. 1 p. paſtor c. 11.* Scriptum quippe eſt. *Victimæ impiorum abominabiles ſunt Deo, vota iuſtorum placabilia.* *Prou. 15.* Inde fide enim ſaluantur animæ iuſtorum, & ideo quidquid extra fidem fit, peccatum eſt. Tertio autem oportet, vt oratio fiat cum firma ſpe impetrandi. Vnde Iſidorus. *tantus*, inquit, *eſſe debet erga Deum orantis affectus, vt non deſperet precis effectum.* *Iſid. 3. de ſum. b. c. 7* Inaniter enim oramus, ſi ſpei fiduciam non habemus. *Petat ergo* vnuſquiſq;, vt Apoſtolus ait, *in fide nihil hæſitans.* Nam qui dubitat ſimilis eſt vndæ maris, quæ vento fertur atq; diſpergitur. Vnde vt nobis Deus fiduciam daret petendi, Patrem ſe appellari voluit magis, quam Dominum, quia paternitas ſpem, dominatio metum generat. *III.* Quarto, vt oratio ſit Deo accepta oportet, quod mens orantis ſit munda ab omni iniquitate peccati, videlicet, mortalis. Vnde Pſalmiſta ait. *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet me Dominus.* *Pſal. 65.* Hinc etiam dicit Iſidorus, *nihil proficit oratio ſi denuo committitur, vnde iterum venia poſtuletur.* *Iſidor. ib.* Ille enim precis deſideratum effectum ſine dubio percipit, qui quod orando poſtulat delinquendo non iterat. Oportet ergo eum à peccato mortali eſſe mundum, qui vult à Deo ſuam exaudiri preeem quia ſcriptum eſt. *Scimus quoniam Deus peccatores non exaudit.* *Ioan. 9.*

IV. Quinto, quatenus oratio ſit efficax & DEO acceptabilis, requiritur quod fiat cum magna deuotione & intentione mẽtis ad DEVM, quia fruſtra ore oramus, ſi non & corde precemur. Hinc Iſidorus ait, *Bonum eſt corde ſemper orare: bonum & ſono vocis DEVM ſpiritualibus hymnis glorificare.* *Iſid. Ibid.* Nihil eſt ſola voce canere ſine cordis intentione, ſicut ait Apoſtolus. *Cantantes in cordibus veſtris.* *Ep. 5.* Vnde & alibi. *Pſallam ſpiritu. Pſallam & mente.* *1. Cor. 14.* Hinc etiam Propheta orat dicens. *Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine.* *Pſal. 118.* quia corde non voce Deum laudare debemus. *92. diſtinct. Cantantes*

V.

Sic ergo ad orandum ſtemus, vt mens noſtra concordet voci noſtræ.

CAPVT VIII.

QVAM MVLTA BONA EX SIMILIBVS PEREgrinationibus proueniant.

SI quis hanc sanctam Dei genitricis memoriam temeraria loquacitate impugnare voluerit, iudex non satis prouidus existit. Multa enim sunt hic veritatis indicia, per quorum cognitionem puritas negotii satis est omnibus manifesta. Non est cautum iudicare ante causæ cognitionem sufficientem: nec ritè fert iudex sententiam, qui propositorum nescierit veritatem. Ita mihi videntur non satis prouidè agere, si qui hunc fidelium cursum ad S. MARIAM circa Dittelbach, aut malum, aut vanum, aut superstitiosum indistinctè arguunt, in quo tamen nihil falsitatis, aut malitiæ hactenus inuenerunt. Omnia enim, quæ in hac ipsa nouitate vsq; in præsentem diem acta sunt, quantum ego scire possum, pro solius Dei honore ac reuerentia intactæ genitricis semper Virginis MARIÆ sunt facta cum summa honestate religionis Christianæ, cum integritate iustitiæ, & Ecclesiasticæ obseruantia disciplinæ. Cum ergo nihil actum sit isthic, nisi bonum: nihilq; tractetur, nisi honestum, nullus debet animus hæsitare fidelium à Deo huius concursus inchoatum esse miraculum. Nam etsi omnipotens Deus per suam ineffabilem sapientiam ex malis nostris eliciat bona, nobis tamen non sunt facienda mala, vt inde bona proueniant, sed in semitis iustitiæ ac veritatis ambulare præcipimur omnes, quotquot ad Dei venire conspectum conamur. Dicimus ergo confidenter, quod omnino verũ credimus, quoniã ista peregrinatio ad S. Mariam in loco sæpius memorato non aliunde, quam ex diuina prouidentia sumpsit exordium, ex cuius progressu & continuatione laudabili diuinus cultus non modicum quotidie accipit incrementum. Creuit in eo loco, vbi nunc est Ecclesia, paucos ante annos vinum ꝙ lætificat cor hominis: sed cõmutatione facta in melius, iam ibidem Dei vox laudis resonat, & sancti spiritus gratia fidelium mẽtes in amorem creatoris omnium dulciter inflammat. Vinea materialis diuina ordinatione commutata est in spirituale ædificium, de quo sumit nõ paruum fidelis concio profectum. Bonum, quod in aliis pluribus locis ex simili concursu fidelium subsecutum cernimus, non parum nos inducit, vt præsens Deo placere negotium confidamus. Quam insignes Ecclesiæ in diuersis Germaniæ prouinciis simul ac monasteria diuersarum religionum ex similibus fidelium peregrinationibus & antiqs & nostris fuerint cõstructæ tẽporibus, nemo historiarum vel mediocriter peritus poterit ignorare. Harum commemorationem facientes, ne quem ignorantia faciat insolentem, illas primò in ordine ponimus, quas in hac eadem Wirtzeburgensi diœcesi constitutas esse consideramus. ANNO Dominicæ natiuitatis millesimo atq; viceſimo concursus fidelium magnus ad memoriã B. MARIÆ semper Virginis Dei genitricis in villa Tynbach factus est: ad quam omnes in vicino commorantes referebant ostẽsa miracula sanitatum, quæ per negligentiam hodie sepulta sunt, quoniam scripta non fuerunt. Ecclesia tamen eo tempore constructa ex oblatione fidelium etiam cessante concursu manet in testimonium rei gestæ vsq; in præsentem diem.

Miracula in Dittelbach ex diuina prouidentia inchoata sunt.

Vsque seculo Trithemii concursus ad imag. miraculosas. In Tynpach.

CIRCA annos quoq; Dominicæ natiuitatis mille quadringentos quinquaginta concursus cœpit fidelium ad memoriam S. Mariæ in Bircklingen, vbi narrantur infinita miracula diuinitus ostensa, quæ fieri nõ cessant vsq; in præsentem diem. Multa credentium deuotio ad eum locum temporis successu contulit, quorum impensis insigne illud cœnobium, quod ibidem cernitur, canonicorum S. Augustini ad honorem Dei magnificè constructum fuit.

In Bircklingen.

ANNO Domini Mcccc. XLII, indict. Romanorum V. concursus ad memoriam eiusdẽ sanctæ Dei genirricis in vrticis prope Heylpronnam iuxta Neccarum sumpsit exordium, vbi ex collatione

Iuxta Heylpron

fidelium insigne cœnobium postea constructum cernitur ordinis fratrum Carmelitarum. Stupenda in eo loco sunt facta miracula, quæ partim à fratribus sunt litteris commendata: nec cessant vsq; in hunc diem.

Vormatiæ. ANNO Domini M. CC. cœpit concursus populi ad memoriam sanctæ DEI genitricis in suburbio ciuitatis Wormatiensis, quæ vsq; in præsentem diem infinitis pænè coruscauit miraculis. Ad honorem verò omnipotentis & eius intactæ genitricis Emricho de Badēberg maioris Ecclesiæ Præpositus primo cappellam ex oblationibus fidelium sub honore S. MARIÆ ibidem constituit, in qua præbendarios sacerdotes duodecim collocauit. Qui postea Episcopus factus plura superaddidit, & Ecclesiam simul cū præbendis Domino ministrantium ampliauit. Cœpit hæc magni profectus Ecclesiæ institutio ex solo concursu populorum, & creuit cum tempore, vt hodie cernitur.

In Clusa Eberhard. ITEM circa Domini natiuit. annum M. CCCC. XXXVIII. concursus fidelium ad memoriam S. MARIÆ in Clusa Eberhardi Treuirensis diœcesis, haud procul à loco natiuitatis meæ TRITTENHEYM, accepit initium: in quo loco magna sunt facta, & hodie fiunt miracula sanitatum. Vnde multa fideles ad honorem Dominæ nostræ contulerunt bona, ex quibus insigne monasterium constructum est, quod canonici regulares inhabitant.

In Thonigstein. ANNO etiam Domini M. CCCC. LXIV. similis populi concursus factus est ad memoriam S. MARIÆ in loco, qui dicitur Petra Antonii, vulgo Thonigstein prope Andernach Treuirensis diœcesis, ex quorum collatione insignis conuentus fratrum Carmelitarum institutus cernitur,

In Oetingen. AD memoriam S. MARIAE prope Oetingen Saltzburgensis diœcesis in Bauaria & sollemnis & antiqua fidelium peregrinatio est: vbi & multa fiunt miracula, & ex elemosynarum collatione fidelium insignis fundata constat Ecclesia, in qua DEO laudes quotidie decantantur.

S. Maria in quercu. IN diœcesi Nemetensi haud procul ab oppido Phorcensi, quod Marchionum de Baden est proprium magnus nostra ætate cæpit, hodieq; continuatur concursus fidelium ad memoriam Dominæ nostræ in quercu, vulgariter zu der Eich: vbi plura constat ostensa miracula, quorum seriem in volumine vno ibi vidimus conscriptam. Ex collatione quoq; fidelium Ecclesia ibidem insignis constructa est.

In Misnia. IN Marchionatu quoq; Misnensium duæ sunt Ecclesiæ nouiter simul ceptæ atq; constructæ de largitione credentiū: ad quas fit hodie magnus concursus, & plura narrantur sanitatū miracula ad memoriam Dominæ nostæ S. Mariæ in vtraque facta. Ambæ peregrinantium Ecclesiæ ad quercū nominatę sunt, quarum altera est, prope Wissenfelß / altera prope Friburgum.

In Appēthal. Ex simili concursu populi ad memoriam S. Mariæ in Appenthal Wormatiensis diœcesis, qui cœpit ante quindecim annos, & continuatur vsq; in præsentem diem constructa cernitur pulchra Ecclesia, in qua multa sanitatum fiunt miracula.

In Grimmenthal. ITEM in Grimmenthal huius Wirtzburgensis diœcesis ante paucos annos magnus cœpit fieri concursus, qui continuatur vsq; in præsentem diem: vbi & noua sub honore B. Mariæ semper Virginis est constructa Ecclesia: & multa narrantur ad eius inuocationem facta miracula.

Ex simili deuotione atq; concursu fidelium ad memoriam S. Mariæ plures in diuersis Germaniæ locis insignes Ecclesiæ constructæ sunt: in quibus diuersis temporibus miracula plura contigerunt: de quibus nominatim loqui, & mihi foret difficile, & lectoribus omnino tædiosum. Eas tamen Ecclesias, quæ ad honorem Beatissimæ Dei genitricis semper virginis Mariæ constructæ sint ex simili concursu fidelium cum exhibitione miraculorum in Wirtzburgensi diœcesi, quantum ad notitiæ meæ capacitatem pertinet, omittere non debeo: quamuis forsitan hodie defecerunt signa, & populi cessauerint peregrinationes.

Concursus in Herbipolensi diœcesi facti.

In Hechperg. CONCVRSVS fuit in memoria hominum magnus ad S. MARIAM in villa Hæchperg prope Herbipolim: vbi & plura feruntur sanitatum miracula: & ex collatione fidelium pulchra exstat constructa Ecclesia: licet hodie simul & signa cessauerint, & peregrinatio populi.

In Lutenbach. IN Luterbach circa Tuberam haud procul ab oppido Rætingen magna fuit ante

ante paucos annos peregrinatio fidelis populi ad memoriam Dominæ nostræ S. Mariæ: vbi ex collatione peregrinorum pulchra cernitur fundata Ecclesia & multa narrantur diuinitus ostensa miracula.

In Hassfurt. SIMILIS olim fuit concursus credentium ad memoriam S. Mariæ in oppido Hassfurt: in quo & miracula dicuntur plurima facta.

Kirchperg. ALIA etiam ante paucos annos peregrinatio fuit non parua fidelium ad memoriam S. Mariæ in loco, qui dicitur, zum Kirchberg iuxta villam Volbach: in quo & Ecclesia pulchra ex eleemosynis concurrentium erecta cernitur, & miracula plura contigisse narrantur.

Fundelberg. FVIT & alius olim populi concursus ad memoriam intemeratæ DEI genitricis semper Virginis MARIÆ in loco, qui dicitur Fundelberg, Ecclesiam habens pulchrè constructam de fidelium eleemosynis, & magnis ornatam miraculis.

In Quyberg. PEREGRINATIO item alia fuit sub honore & memoria S. MARIAE in loco, qui nominatur Quyberg non procul à Bibera, vbi quondam plura dicebãtur contigisse miracula, & concursum, quæ nunc est, manifestat Ecclesia.

His sex basilicis, cum supradictas addideris, videlicet Tymbach, Heylpron Bircklingen, Grymmental, & Dittelbach, vndecim inuenies loca in sola Herbipolensi diœcesi, ducatuque Francorum Orientalium, in quibus ad memoriam S. MARIAE hodie sunt, vel ante fuerunt miraculosæ peregrinationes fidelium, & exhibitio sanitatum: quanquam & aliæ nõ nullæ fuerunt antiquitus, quarũ mihi nomina hac vice non occurrunt. Multa enim cum tempore miranda & fiunt, & in oblivionem perueniunt.

Loca peregrinat. 11. in sola diœcesi Herbipol.

PRAESCRIPTARVM autem peregrinationum rationem propterea in medium protuli, vt earũ consideratio vtilitatis atque profectus Ecclesia huic nouæ plantationi ad S. Mariã in arena, ppe Dittelbach veritatis testimoniũ perhiberet Etenim, si tantas ab olim peregrinationes ad memoriam dominæ nostræ S. Mariæ, non solum in Ducatu Francorum, sed in diuersis mundi regionibus sancta mater tolerauit Ecclesia, hodieq; tolerat & collaudat pænè innumerabiles in toto Christianorum orbe: quis sanæ mentis homo hanc vnicam, de qua nobis sermo est, audeat reprehendere? in qua nihil superstitiosæ nouitatis, nihil statutis Ecclesiæ contrarium, aut bonis aduersum moribus poterit inuenire? Nimis temerarium est, bonum opus in tempore præsenti reprehẽdere, cuius simile cognoueris laudabiliter præcessisse. Nam si bonum fuit antiquitus Ecclesias plures in diuersis mundi prouinciis ad memoriam & honorem sanctissimæ Dei genitricis construere: malũ non erit etiam hanc ipsam pari deuotione ad eius memoriam ex eleemosynis inchoatam fidelium feliciter consummare. Cessent nunc igitur æmuli huius peregrinationis tàm sancto negotio detrahere: & caueant CHRISTI populum simplicem à sua deuotione laudabili reuocare. Beatissima Dei genitrix semper virgo MARIA in hoc loco nostris temporibus à simplici populo Christiano venerari, honorari, & inuocari voluit, quod multis & variis sanitatum miraculis demonstrauit. Omnipotens namque Deus, qui, scriptura testante, *omnes homines vult saluos fieri*, præsto semper est omnibus, & sua ineffabili pietate salutis remedia vbiq; præstat vniuersis. Ab initio enim datæ legis vnum locum genti suæ constituit, in quo vario se ritu coli & venerari præcepit. Non gentem propter locum constituit, sed locum propter gentem elegit: in quo gratiæ futuræ mysteria collocauit. Reuelata autẽ per incarnati Verbi mysterium gratia, legis impleta est figura & ideò non iam in vno loco diuina celebrantur officia, sed in multis Deo nostro sacri cultus exhibemus obsequia. Cum esset in Iudæa solum notus Deus, vnum erat genti templum, vnum præcessit in eremo tabernaculum. At nunc postquam in omnem terram se Dei effudit notitia, tẽplum Iudæorum diuina prouidentia in Ecclesiam Christi translatum est: quem non in vno, sed in multis locis adorantes colimus & veneramur. Et hoc est, quod ipse Dominus in sancto Euangelio mulieri Samaritanæ prænunciauit, dicẽs. *Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neq; in mõte hoc, neq; in Hierosolymis adorabitis patrẽ.* Et paulo post. *Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate.* Cum ergò non solũ Domino Deo nostro, sed etiam sanctis eius multas in diuersis locis cõstituim⁹ Ecclesias, cur non à digniore incipientes beatis-

1. Tim. 2.

Cur plures Ecclesiæ dicantur Deiparæ Virgini.

Ioan. 4.

tissimæ Dei genitrici virgini semper Mariæ, cum sit nobis mediatrix & patrona ad filium, plures basilicas, in quibus nomen eius veneretur, fabricemus?

CAPVT IX.

QVAM DIGNVM ET IVSTVM SIT, NOBISque valde proficuum B. Virginem in pluribus locis venerari.

DIGNVM mihi videtur, iustum quoq; & humano generi valde proficuum, quod beatissima Dei genitrix semper Virgo Maria, non in vno, neq; in paucis, sed in pluribus locis à nobis debeat venerari. Cuius sententiæ meæ plures possem adferre causas in medium, simul & rationes. Verum, ne prolixitate nimia, tædium generetur legenti, quantum fieri potest, in hoc negotio operam dabo breuitati.

Ratio I. cur colenda sit B. Virgo in multis locis.

Prima igitur causa, siue ratio, qua me confiteor induci, vt bonum iudicem Dei matrem in multis locis venerari, ista est. Videmus Dei populum simplicem, & sine litteris Christo fidelem salutis consequendæ fiduciam non vltimam in meritis Dei locasse parentis; cuius interuentu ad filium, non solum peccatorum veniam, sed etiam vitam se consequi posse sperant æternam. Deniq; in tanta fidelium æstimatione sancta Christi genitrix meritò habetur, ac veneratur MARIA, vt omnis fidelium populus eam in suis necessitatibus inuocet, vt patronam: precibus pulset, vt aduocatam: oblationibus honoret, atq; muneribus, quam diligit, vt vnicam potentissimamq; inter filium & supplicantes sibi mediatricem. Quæ cum ita sint, cui non videatur dignum atque conueniens, vt plures in qualibet prouincia sub honore tantæ maiestatis habeantur Ecclesiæ, in quibus fideles Deo populi suam reginæ cæli deuotionem propensius valeant exhibere? Nec mirandum est, si populus simplex ad illas beatissimæ Virginis Mariæ basilicas libentius atq; deuotius confluat: in quibus manifestiora Dei sanitatum beneficia se suscepturum sperat. Si clericus hæc reprehendit in simplici populo; cur non magis reprehensibilia emendat in seipso? Certe, si distributiones pecuniarum, quas præsentias ab interessendo vocant in Ecclesiis Collegiatis non fierent, pauciores sæpe clerici ad Ecclesiam conuenirent. Bonum est ergo sanctos ad memoriam S. Mariæ fieri, ac prædicari concursus populi; in quibus ipsa beneficiorum exhibitione veracium ostenderit, se velle à populo inuocari. Nam quoties fideles Christi ad tales Ecclesias cum deuotione accedentes infirmitatum suarum sanitatem accipiunt, magnum etiam sine dubio interni hominis profectum assequuntur. Nullus ergo sit præceps ad contemnendum huius peregrinationis sanctæ concursum, in quo nihil vidit, vel audiuit fieri Ecclesiæ statutis contrarium.

SECVNDAM verò sententiæ meæ rationem istam fore profiteor. Cum & populus Christi credat, & consuetudo Ecclesia tolerante, immò confirmante teneat peregrinationes ad loca sanctorum esse bonas & salutares, atq; pro delictis pœnitentium non vltimo loco satisfactorias, & ob id sæpius iniungantur à presbyteris confitentibus, quis non iudicet bonum atq; conueniens, vt plures in prouincia sint Ecclesiæ sub honore Dei genitricis Mariæ consecratæ specialiter: ad quas fœminæ, senes, delicati atq; infirmi pro sua in Dei matrem deuotione queant habere concursum? Non enim conuenit omnibus, neq; expedit remotius extra prouinciam ad loca peregrinari sanctorum propter multa, quæ sequerentur incommoda. *II. Ratio.*

TERTIA verò causa, quam potuissem annexuisse iam dictæ ista est. Multi *III. Ratio.*

sunt

sunt pauperes ciues, atq; villani Christo deuoti, qui & se & suos, vxorem videlicet & liberos ex manuũ suarum quotidiano labore nutriunt, nihilq; habent aliud, nisi quod diurno impendio acquirunt: qui nihilominus vel ex necessitate aliqua, vel deuotione sancta plerunque ad peregrinandum mouentur, cupientes se & Christo fideles & suæ matri exhibere seruitores. Hos longius proficisci non permittit inopia, & mendicare prohibet verecundia. Ne autemà matris Dei retrahantur obsequio, pro eorum salute bonum est, si memoria sanctissimæ Dei genitricis habeatur in vicino.

IV. QVARTA ratio est ista. Multa sunt, quæ bono inchoantur principio, sed mora interueniente sæpius in bono ipso remissius agũtur, & bene cepta malè terminantur. Dixi & iterum dico, non expedit omnibus ad loca peregrinati remota. Sæpius enim cognouimus longè peregrinantium alios latronum occisos insidiis, alios bonis spoliatos omnibus, quosdam variis subactos periculis, nonnullos peccatum incidisse fornicationis. Pro multis igitur conuenit memoriam S. MARIÆ non remotam esse, sed in proximo, ad quam veniant sine periculo.

V. QVINTAM mihi rationem votiua obtulit consideratio, qua preces & munera Domino & eius castissimæ genitrici à fidelibus offerenda pensiculo fieri gratiora voto. Nam etsi liberum bonæ actionis opus benefactum Deo sit acceptum; illud tamen diuinæ maiestati magis gratũ fore creditur: quod voti sancti atq; fidelis interpositione commendatur. Alioquin clausstralium inutilis esset confidentia, qua propter voti obseruantiam præmia se receptutos sperant à Domino maiora. Cum ergo pauperes sint multi, sicut diximus, atq; infirmi, spem & confidentiam in sanctissimam Dei genitricem certã habẽtes, & magnã: dignũ fuerit meo iudicio & eorũ deuotioni confidere, vt basilicas habeãt eiusdẽ Virginis in vicino, in quibus votorũ suorũ tantæ patronæ confidentius seruitutem exhibere queant. nã loca vicina multi possunt attingere: cum pauci ad remotiora sine dispendio valeãt suorum peruenire.

Votorum vtilitas.

VI. SEXTAM his rationem conuenienter possum adiungere, quamuis ad tempus magis, quam ad religionem videatur pertinere. Ex quo populus simplex & rusticanus ad limina sanctorũ & maximè ad peregrinationes B. MARIÆ semper virginis quasi furore quodã incitatus pro sua cõsueuit deuotione discurrere, in tantum, q; nec sacerdotũ aliquando prohibitionibus obtemperat, nec indiscretã expẽsarum profusionẽ pensat, satius fore iudicamus has peregrinationes in ꝓximo fieri q̃ homines ad remotiora euagari. Per hoc enim & pauperes retinentur ꝓ suis negotiis vtiliter disponendis in ꝓpriis, & pecunia patriæ sine causa non infertur alienis. Et hæc me cõsideratio rationabiliter mouet. Videmus etenim populũ Dei plerũque ad remotiora loca sanctorũ cũ dispendio rerum simul & corporũ peregrinari, quibus magna periculorum & expensarũ præstatur occasio, quoties sine iusta necessitate, seu manifesta vtilitate taliter vagari permittũtur. Multa quippe pecunia variis modis de patria extrahitur, multa inutiliter aliorsum transfertur: & nemo in his magis confunditur, nisi qui minus erudit ur. Qui maioribus inuoluuntur criminibus, iustè quãdoq; ad remotiora sanctorum loca pro expiatione sui sceleris destinandi sunt, quatenus pœnã laboremq; peregrinando sentiant, qui mundã in pace & q̃ete conscientiã seruare cõtemnebãt.

VII. SEPTIMAM rationem inducentem me ad cõmendationẽ huius cursus prope Dittelbach ex illa cõsideratione pietatis accipio, q; sanctissimã Dei genitricem nostris in hoc necessitatibus consulturã scio. Enimuerò cũ ipsa sit misericordiæ mater, & arca pietatis, plures in diuersis locis peregrinationes fieri ad sui memoriã voluit, vt nulli fideliũ eius patrocinii implorãdi copia desit. Vt autẽ cunctis eã deuotè inuocantibus de impetrando sit plena fiducia, materna pietate, vt ita dicã, efficiens, multa & varia sanitatũ demonstrauit miracula. Quoties enim virtus miraculosa Dei nobis ostenditur, ꝓpterea fit, vt mens in amore creatoris per cõpunctionis spiritũ fortius incendatur. Vnde nobis in Dominũ nostrũ Iesum Christũ fideliter credentibus ad confirmandum fidẽ non sunt his temporibus necessaria miracula, quæ tamẽ simplicioribus ad excitandũ deuotionis affectum valde iudicantur vtilia. Nã quotiescunq; aliquis infirmus ad memoriam S. MARIÆ, vel hic, vel alibi orans miraculosè sanitatem recipit,

omnis

omnis multitudo astantis populi mox compuncta in Dei laudibus exardescit. Fieri enim non potest, quoties precantes, pauperem exaudiri à Domino cernimus, quin animis compuncti etiam nostras Deo preces cum maiore confidentia offeramus. Causa igitur huius sancti concursus fuerit non vltima, quod beatiss. Dei genitrix semper Virgo MARIA nostris dignanter infirmitatibus consuluit, vt dum signa & miracula ad eius memoriam facta cernimus, cum maiore deuotione in cunctis necessitatibus nostris ad eius patrocinium recurramus. Ipsa enim supra omnes cælicolas exaltata nostro nõ eget obsequio: quippe quæ tibi sufficiens in æternum beata regnat cum Christo: nostris tamen infirmitatibus volens benigna conferre sanitatis remedium, suis meritis apud Deum potens ad sui memoriam venerandam populi fidelis excitat concursum. Enimuerò, quantæ ad nos sit pietatis, miserationis & clementiæ hæc ter sancta, quaterq; beatissima Dei genitrix semper intacta Virgo MARIA mortalium nullus explicare sufficit, nullus intellectus humanus capit. Quisquis verò eius beneficia in suis vnquam necessitatibus expertus est, eorumq; dico veritatem intelligit, & ab eius veneratione nunquam recedit.

Incred. bilis B. Virginis amor in nos.

VIII. OCTAVA ratio ex prouidentia diuinæ maiestatis considerata sumitur, quæ nunquam desinit dona suæ pietatis mortalibus ostendere; per quæ credentes à malo & conuersi ad bonum eius tandem miseratione ad æternæ felicitatis gaudia valeant peruenire. Ecce, quid non facit nobis boni omnipotens Deus, vt omnem auferat humanæ excusationis facultatem; creauit nos, cum non essemus, per suam incomprehensibilem potentiam: redemit nos, cum periissemus, per vnigeniti sui humanati amarissimam passionem, fouet, conseruat & custodit nos cum non mereamur, per suam ineffabilem pietatem. Nullum omnino intermisit medium, per quod nobis occasio dari potest ad salutis emolumentum. Vnde postquam omnia, quæ ad fidei rationem pertinent, nobis per vnigenitum suum exhibuit, suffragia etiam sanctorum suorum nobis in adiutorium concessit. Sed cum sanctissima Dei genitrix semper virg. Maria inter omnes sanctos Dei sit excellentissima, ipsa nobis præ cunctis est merito inuocanda. Ne verò sit necessarium, longius à patria recedere, voluit diuina miseratio in singulis penè prouinciis Ecclesias plures ad memoriam matris suæ venerandam ordinare, vt dum facultas adeundi locum pietatis omnibus conceditur, nullus ab obsequio illius excusetur. Et ne peregrinatio hæc inutilis putaretur, aut vana pro inductione piæ deuotionis in populum, voluit ipsa diuina maiestas, vt homines tantam patronam fiducialiter inuocantes, non solum mentis, sed etiam corporis optatum consequerentur solatium. Nam, vt concurrentium maior in matrem Dei feruet deuotio, sanitatem recipit confidentium ægritudo, quatenus dum signum supernæ dignationis apertè foris monstratum cernitur, mentes conspectantium in amore Dei roborentur. Sanctum est igitur, iustum & verè dignum peregrinationes in prouincia plures ad beatissimæ Dei genitricis memoriam instituì, per quas & populi sancta deuotio incrementum suscipit, & cultus Dei crescit.

CAPVT X.

QVOD BEATISSIMA DEI GENITRIX SEMper virgo MARIA sit omni laude verè dignissima.

NEMINEM esse fidelium Christianorum existimo, qui Dei sanctissimam genitricem semper intactam Virginem Mariam non credat omni laude dignissimã, quam summus opifex Dei filius ante mundi

mundi constitutionem sibi præordinauit in matrem, de qua sine corruptione virgineæ puritatis pro nobis nostram assumeret humanitatem. Ipsa est enim salutis nostræ reparatrix semper castissima, quã omnipotens Deus mundam, sanctam, & innocentem condidit, & speciali priuilegio puritatis ab omni peccato, tam originali, quam actuali semper præseruauit. Vnde Maria rectissimè fons & cisterna salutis dicitur, per cuius partum virgineum salus mundi restauratur. Maria plenitudo cælestis est gratiæ, inuentrix clemẽtiæ, reparatrix naturæ. Maria sanctissimis est honorata muneribus, cui nec in cælo, nec in terra creatura reperitur æqualis. Maria est Iesse virga nobilissima, quæ florem salutis proferens semper manet intacta. Maria gemma est pudicitiæ, & verè arca salutis æternæ. Maria nubes serena est diuinę pinguedinis, & gazophylacium totius puritatis. Maria totius mundi est domina, & cælestis patriæ regina. Maria terror est dęmonum, potentissimaq; imperatrix angelorum. Maria est altissimi mater & ancilla Domini, quæ nunquam subiacuit maculæ cuiuscunque peccati. Maria est omnium virtutum consummatione perfectissima, & propterea cunctis laudibus tàm hominum, quam angelorum semper deuotissimè honoranda. Maria castitatis vnicũ est lilium, & totius perfectionis fundamentum. Maria innocentiæ & simplicitatis est speculum, & summæ diuinitatis architriclinium. Maria nobis Christianis est mons ac turris fortitudinis contra omnes insidias diabolicæ prauitatis. Maria est semita iustitiæ pulcherrima, & arca supernæ dulcedinis aurea. Maria est matutini aurora luminis, & contemplatiuæ mentis iubar perpetuæ claritatis. Maria sol est salutaris scientiæ, & splendor cælestis disciplinæ. Maria Luna est temperantiæ, & stella rutilantissima cælicæ doctrinæ. Maria templum est Dei pulcherrimum & cælestium hortus deliciarum. Maria domus est castimoniæ & aula dulcedinis æternæ. Maria tabernaculum sempiterni est fœderis, & sanctę mater consolationis. Maria supernis angelorum choris est celsior, & omnibus in cælo beatissimis post Deum spiritibus ter quaterq; iure beatior. Maria verè benedicta in mulieribus, cunctis virginibus sanctis norma & speculum est angelicæ puritatis. Maria in curia regni cælorum potẽs est super omnes sanctos Dei glorioſissima, & propterea creatori omnium in cunctis postulationibus suis pro nobis semper accepta. Maria semper intacta Virgo de spiritu sancto sine pollutione concepit filium & pariens inuiolata castis lactauit vberibus DEVM. Maria nullo vnquam peccati subiacuit cõtagio, sed purissima semper arsit in amore diuino. Maria virgo cælestis pluuiæ gratia est semper infusa dulciter, & modo potens in cælo regnat cum filio perenniter. Maria Christum peperit saluatorem humani generis, per cuius mortem innocentissimam nobis ianua est reserata salutis. Propterea in æternum benedicta est, & cunctis dignissima laudibus: cuius apud DEVM sanctitatis tanta sunt merita, vt omnem humanæ rationis procul excedant æstimationem.

Elogia D. Virginis.

Hinc PETRVS TRECENSIS presbyter in carmine dixit. *Petrus Trecensis.*

Si fieri posset, quod arenæ, puluis & Vndæ
Vndarum guttæ, rosa, gemmæ, lilia, flammæ.
Æthera, cælicolæ, nix, grando, sexus vterq;,
Ventorum, pennæ volucrum, pecudum genus omne
Syluarum rami, frondes, auium quoque pennæ,
Ros, gramen, stellæ, pisces, angues, & aristæ.
Et lapides, montes, conualles, terra dracones
Linguæ cuncta forent, minimè depingere possent,
Quæ sis vel quanta, Virgo regina MARIA
Quæ tua sit pietas, nec littera capit, nec ætas.

HVIVS INNOCENTISSIMÆ AC OMNI LAV-
de dignissimæ virginis MARIÆ præeminentiam Christianus ille poëta SEDVLIVS in carmine Paschali considerans sic eam salutauit.

SALVE sancta parens enixa puerpera regem,
Qui cælum terramq; tenet per secula, cuius
Numen, & æterno complectens omnia gyro
Imperium sine fine manet, quæ ventre beato
Gaudia matris habens cum virginitatis honore
Nec primam similem visa est, nec habere sequentem,
Sola sine exemplo placuisti fœmina Christo.

QVIS mortalium tantæ Virginis laudes enarrare sufficeret, quæ sine commercio virilis consortii DEVM pura nobis peperit, & virgo post partum semper inuiolata permansit. Ipsa nobis vitam restituit, quam Eua mater prima mortalium extinxit. Maria nobis fontem salutis æternæ protulit, quem protoparentũ culpa per insipientiam obstruxit. Maria nobis in omnibus necessitatibus nostris aduocata est verè promptissima, si puro mentis desiderio per nos fuerit inuocata. Maria omni laude semper extat dignissima, quam & angelici ciues omnes venerantur in cælis, vt reginam omnium potentissimam, & dæmones timent, vt suæ tyrannidis vnicam destructricem. Ipsa etenim est mater Dei verè sanctissima, quæ caput serpentis contriuit antiqui, & graue iugum à nobis abstulit seductoris primi. Vnde cum sit in regno cælorum potens, & per omnes creaturas, tam angelos, quam homines excellentissima, merito semper nobis est deuotissimè inuocanda. Maria enim ianua cæli ac porta salutis humanæ rectissimè dicitur, per quam nobis, si fuerimus in eius obsequio sedulè deuoti, pœnitentibus indulgentia miserationis Christi impetratur. Nam ipsa causam pœnitentis inuocata humiliter agit apud filium, quẽ virgo Deum peperit & hominem. Christus autem filius pro nobis aduocatus agit ad Patrem: qui cum sit mediator inter Deum & homines, impossibile est illum pro sua reuerentia non exaudiri. Dominus autem IESVS Christus Dei vnigenitus filius ad Patrem pro nobis præstat accessum: mater vero pro nobis accedit ad filium, orat pœnitens humilis veniam, se mater Dei pro supplicante exhibet aduocatam. Hinc est ille versiculus, quem non frustra canit Ecclesia in sacrificio altaris ad Dei parentem, sic orans. *Audi nos, nam te filius nihil negans honorat.* Quod autem beatissima virgo Maria pro nobis aduocata intercedat ad filium, Ecclesia in sequenti versiculo confirmans ad Christum sic orat. *Salua nos IESV, pro quibus mater Virgo te orat.* Itaq; si Virgo Maria pro nobis orat ad filium, quemadmodum Ecclesiæ traditione informati firmiter credimus, nihil prohibet, si aduocatam nostram, seu inter filium & nos mediatricem esse dicamus. MARIA sanctissima Dei genitrix deuotis pulsata precibus indubitanter pro nobis interpellat ad filium: cuius tanta sunt merita sanctitatis, vt quicquid postulauerit ab eo, nullam penitus sustineat repulsam. Filius enim pro nobis orantem in cælis matrem libenter suscipit, & pater filium placidissimè in omnibus exaudit. MARIAM ergo castissimam Dei genitricem, quam omni laude verè dignissimam credimus, semper quanta possumus reuerentia & deuotione honoremus. Deo namq; omnipotenti gratum obsequium fore creditur, quicquid laudis, reuerentiæ vel honoris eius genitrici exhibetur.

Maria nostra summa aduocata

Et mediatrix nostra.

CA-

CAPVT XI.

QVOD BEATISSIMA DEI GENITRIX VIRGO semper MARIA sit humani generis mediatrix atq; patrona.

OMNIVM sanctorum MARIA post filium principatum in regno cælorum pro meritis suis obtinere creditur, quam spirius sancti gratia cunctis virtutibus ornatissimam reddidit, & ab omni peccato, tam actuali, quam originali puram semper & innocentissimã præseruauit. Et licet inter Christianorum fidelium innumerabilem multitudinem, reperiantur nõnulli, quamuis pauciſſimi qui beatissimam Dei matrem hodie contendant macula originalis culpæ pollutam: ego tamen cum sancta Romana Ecclesia, & vniuersitate Parisiensium fideliter sentiens, indubitanter credo MARIAM omni laude semper fore dignissimam, eamq; non solum ab omni peccato actuali, sed etiam ab originali macula esse præseruatam. Sed omnipotens Dei filius Patri & spiritui sancto per omnia coæqualis, qui homo nasci ex ea voluit, eam procul dubio ab æterno in genitricem præparauit. Enimuerò, qui eam in sua æternitate consistens incommutabilis ante omne tempus in matrem voluit eligere, nascituram in tempore ab omni etiam macula originalis culpæ potuit præseruare. Præseruauit autem, & voluit, quia potuit, & sic decuit, vt pia deuotione creditur, ne more nostro in peccatis nasceretur. Omnium siquidem mortalium virgo Maria semper post filiũ sanctissima, & veraciter innocentissima extitit, & sine peccato, tã originali, quam actuali etiam minimo, perpetuò immunis mansit. Gratia namq; plena Dei filium inuiolata mundo peperit, & omni tempore, quem virgo concepit, super omnia dilexit. Deniq; ipso Domino nostro IESV Christo patiente pro nobis, cum discipuli omnes iam penè defecissent in fide, beatissima Dei genitrix Virgo, licet compassionis gladio inæstimabiliter vulnerata nunquam hæsitauit in animo, sed IESVM, quem se Virginẽ peperisse nouerat, Deũ esse verum, & posse à mortuis resurgere nullatenus dubitabat. Nec erat homo in mundo, neq; futurus est, qui diuinitatem Christi profundius MARIA intelligeret, firmius in illum crederet, seu amplius, ardentiusue Dei filiũ amaret. Vnde nunc merito super omnes angelorum choros exaltata residet in excelsis, non solum pro meritis ad æternam beatitudinem in Deo sibi sufficiens, sed etiam pro nobis intercedere potẽs. Enimuerò, sicut MARIA post filium sanctior inter omnes sanctos iustissima ratione creditur, ita & potentior apud Deum merito habetur. Aduocatam nobis vnigenitus Dei matrem suam esse voluit: cuius interuentu plura quotidie mortalibus beneficia concedit. Ipsa etenim mater est pietatis, & regina misericordiæ, cuius apud Deum tanta sanctitatis rutilant merita, vt subuenire cunctis eam inuocantibus sufficiens sit, & voluntaria. Neminẽ spernit, neminem despicit, neminem contemnit, sed omnibus auxilium eius deuotè inuocãtibus misericorditer succurrit. Nã vnigenitus matrem suam procul dubio semp honorat & diligit, eamq; pro nobis orantem placidè exaudit. Per matrẽ orationes nostræ confidenter emittuntur ad filium, per quem supplicantes humiliter accessum habemus ad DEVM. In sancto namq; Euangelio sic ipse nobis promisit filius: *Quicquid patrem rogaueritis in nomine meo, dabit vobis.* Veriſſima est hæc sancta promissio Christi, & nunquã fallit, si consideretur mẽte fideli. Verũ, vt ne frustra porrigamus orationes ad Deũ intelligamus

B. Virgo immunis à peccato orig.

B. Virgo nunquã in fide vacillauit.

Ioann. 16.

hunc breuem theoricum aphorismũ. Firmiter credere, sinceriter viuere, & confidenter orare facit omnia posse Quicunq; tali conditione dispositus ad orationem accesserit, quicquid postulauerit, facilè impetrabit. Cum oras deuotè cum impetrandi fiducia, nõ erit oratio tua infructuosa. Qui autem inter orandum de impetrando hæsitauerit, sicut beatus dicit in epistola Iacobus, nihil impetrabit. Quod si nos conscientia nostra de malè commissis redarguit, sæpe fiduciam impetrandi tollit. Nemo enim confidenter à Domino Deo postulat gratiam, qui contra illum commissam non emendauerit culpam. Quotiescunq; igitur in aliqua necessitate cõstituti de nostris meritis apud DEVM diffidimus, in spiritu humilitatis & contritionis orationes nostras per intactam Dei genitricem ipsi Domino porrigamus. Ipsa enim Christianorum aduocata est in regno cælorum pientissima: ipsa nobis vnica & potens ad filium mediatrix est, simul & patrona. Confidite omnes Christiani fideles, & firmiter credite, quoniã non despicit orantem pro nobis matrem suã Dei filius: nec preces contemnere poterit vnquam tantæ sanctitatis omnipotens Deus. Nam qui nos patrẽ & matrem in terris honorare præcepit, matrem suam omnium sanctorum castissimam in cęlis non contemnit. Ipsa quoq; sanctissima Virgo MARIA, cum sit regina misericodiæ, fons quoq; & scaturigo pietatis vota clamantium ad se cum deuotione libenter suscipit, & confidẽter inuocantibus eam efficaciter succurrit. Mater enim Dei est in cælo potens super omnia, quæ nullum pœnitentem, ad eamq; confugientem vnquam deseruit, sed cunctis cultoribus suis confidentibus auxilium impendit.

Iac. 1.

CAPVT XII.

QVOD BEATISSIMA DEI GENITRIX MARIA, vt pientissima mater à nobis semper sit inuocanda.

SANCTA Dei genitrix sẽper Virgo MARIA in cęlo iam potens, quanto est filio suo, Regi vniuersorum, Domino nostro IESV Christo meritorum dignitate proximior, tanto nobis creditur ad subueniendum in cunctis necessitatibus efficacior. Etenim principatum MARIA post filium super omnes choros angelorum iure in cælestibus obtinet, quæ digna fuit Deum Virgo concipere, & natum pro nobis Virgo hominem lactare. Vnde nobis merito sanctissima Dei genitrix. MARIA est venerabilis, quam & reginam angelorum credimus esse præcellentissimam, & supra omnes beatorum spirituũ ordines in cælo sublimatam. Maria lux est regni cælorum splendidissima, & Imperatrix sanctorum cunctis virtutum ornamentis coronata. Nam, sicut dies illuminatur à Sole in præsenti seculo: sic tota curia Sanctorum illustratur eius beatitudine in cælo. Quapropter omnes ciues cæleste patriæ MARIAM vt matrem sui regis excellentissimam venerantur, & laudibus dignam, prædicant, ipsam, vt dominam cæli & terræ veneratione ineffabili honorant. Ipsa enim summæ diuinitatis est vnicum ac speciosissimum sacrarium, & ideò, quicquid pro nobis postulauerit, sancta Trinitas benignissimo fauore consentiens, in omnib⁹ occurrit. Maria post Deum vnica spes mundi pulcherrima ratione creditur, qa secundum eius arbitrium, & in hoc sæculo, & in futuro merces copiosa seruientibus ei retribuetur. Maria sũmæ Trinitatis est reclinatoriũ & supereminẽs angelis omniũ iustorũ obtinet principatũ. Deniq; regi cælorum, vt more loquamur nostro, proxima residere creditur, & suo merito plus omnibus ab eodẽ in cęlis honoratur. Maria verè in supremo beatitudinis throno

Elogia B. Mariæ Virg.

glorioſiſſima poſt filium reſidet, cuius æterna felicitas perfecta ſemper manens nunq̃ in aliquo deficiet. Ad cuius patrocinium omnes continenter debemus accedere, quia potens eſt nobis, quicquid petierimus, impetrare. Si te iuſtum eſſe confidis, omnipotenti Deo ſemper gratias te conuenit agere, & Mariam, quem ipſum iuſtitiæ ſolem Virgo peperit, ampliori deuotione collaudare. Nemo enim ſanctus viribus ſuis, nemo iuſtus, niſi cui donauerit Deus. MARIA verò Dei genitrix ſemper intacta norma eſt iuſtitiæ atque totius ſanctitatis ſpeculum: quam ſi quis non veneratur & diligit, ſe ab omni iuſtitia procul manifeſtat alienum. Mariam igitur venerare humiliter, ſi iuſtus es: quam ſi non diligis, nec veneraris, vt Dei matrem & exemplar iuſtitiæ, certe iuſtus non es. Quod ſi te peccatorem agnoſcis, MARIAM peramplius honorare ac venerari tibi noueris neceſſarium, per quam conſequeris veniam peccatorum. Ipſa enim, ſicut diximus, mater eſt pietatis & regina miſericordiæ, cuius precibus & meritis omnipotens DEVS facilem pœnitentibus veniam indulget malè commiſſorum. Omnes ergo ſimul in vnum diues & pauper, iuſtus & peccator, magnus & paruus, iuuenis & ſenex MARIAM ſedula deuotione honoremus, quoniã ipſa poſt filium vnica ſpes noſtra eſt, & anchora rerum: per cuius merita ſimul & preces omnis peccator verè pœnitens à peccatis abſoluitur; iuſtus verò in ſua iuſtitia roboratur: infirmus verò corporis ſanitatem eius interuentu conſequitur, & pauper de inopia releuatur: Quicquid mortalibus aduerſi contigerit, citò diſſoluitur, ſi Mariæ præſidium humili deuotione inuocetur. Cedunt morbi, & corporum quælibet ægritudines MARIÆ precibus; & quoties eius deuotè implorantur ſubſidia, nulla poterit ſubſiſtere calamitas tribulationis. Fauorabilis ſemper & præſto eſt cunctis inuocantibus, neminemq; deuotè & confidenter orantem vnquam deſpexit. Non ſcribimus friuola, nec pollicemur incerta, ſed veriſſima ſunt, quæ de Maria promittimus, & maiora quàm exprimere calamo valemus. Quemadmodũ ſol in commune lucet omnibus, ita Maria cæli domina ſubuenire cupit vniuerſis. ad quam omnis, qui confidenter aſpicit, conſolationem ſine dubio quam poſtulat habebit. Quod ſi quis forſitan obiiciens reſponderit, ſe pluries tribulatum inuocaſſe Mariam, & nullam ſenſiſſe conſolationem, memor ſit eorum, quæ breuiter diximus in præcedente capitulo: quoniam firmiter credere, ſinceriter viuere, & confidenter orare facit omnia poſſe. Si oraſti, & non impetraſti, certus ſum, quod ad minus in vno iſtorum peccaſti. Hic enim funiculus eſt triplex, qui citò non rumpitur, & ſine quo nemo de facili exauditur. Quod vero multi orant, & pauci exaudiuntur, nihil aliud eſt in cauſa niſi quod plures hunc funiculum, aut neſciunt, aut non aſſumunt. propterea diximus confidentiam impetrandi omnino in oratione fore neceſſariam, quoniam ipſa eſt, quæ mentem orantis in altum erigit, & patiens cum agente ſimul coniungit. Quanto enim quiſq; mente purus atque deuotus confidentius orauerit, tanto facilius etiam ardua impetrabit. Hinc eſt, quod homines ruſticani & ſimplices frequenter mirãda conſequuntur beneficia, quoniam grauitatem petitionum ſuarum curioſè non diſcutiunt, ſed in magna ſimplicitate orantes confidenter accedunt. Vidimus enim ſæpius per orationes ſimplicium conſtantes ſanitatum ſubitò fieri miracula, quæ apud homines doctos & curioſos omnino ſunt impoſſibilia. Noui mulierem viduam ſimplicem, & Chriſto deuotam, quæ me vidente ſquinantiam dolorem dentium, & maleficio læſa hominum membra ſola oratione Dominica ſubitò curauit. Verum oportet hanc ipſam orandi confidẽtiam eſſe humilem, & ſummopere cauere, ne tranſeat in præſumptionem. Deus etenim ſuperbos deſpicit, humiles autem cum fiducia orantes libenter exaudit. Vos igitur fideles præſentem Eccleſiam beatæ Mariæ ſemper virginis in arena viſitantes confidenter accedite, humiliter orate, & ſcitote, quoniam ſi cum plena fiducia preces ad eam profunditis, omnia licitè poſtulata recipietis. Animent vos, quæ iſthic ad memoriam eius cernitis perpetrata, ſanitatum miracula, & non dubitetis de tãtæ patronæ miſericordia: quoniam quæ tam multis clementer ſuccurrere potuit, etiam veſtris neceſſitatibus inuocata ſuffragium præſtabit. Benigna eſt enim, & ſupra omnem æſtimationem clemens, atque piiſſima, & pro noſtris infirmitatibus

Maria neminem aſperit.

Tria ad impetrandum neceſſaria.

Cur ſimplices facilius exaudiantur.

ad Deum oratrix gratiosa. Vnde nemo de Mariæ potestate dubiter, nemo de clementia eius vacillet, quippe quam nobis omnipotens DEVS patronam & aduocatam esse voluit, & omnia quæ illa pro nobis postulauerit, Dominus promptissimè concedit. De MARIÆ potentia nullus fidelium hæsitet, quoniam DEVS, qui eam super omnes choros angelorum exaltare pro meritis voluit, etiam omnibus esse potentiorem sanctis in cælo & in terra, proculdubio donauit. Omnes igitur Christi fideles ad hanc eius memoriam confidenter accedite, preces ad eam deuotas effundite, nouam in eius nomine constructam Ecclesiam muneribus cumulate.

CAPVT XIII.

QVOD ELEEMOSYNÆ HVIC ECCLESIÆ OBlatæ non aliter quam in eius vtilitatem expendantur manifestam.

NEMO fidelium Christianorum ad memoriam S. Mariæ huc peregrinantium manus suas, quasi de profectu dubius, à pia subuentione huius nouæ plantationis subtrahat, nemo suas eleemosynas huic loco datas in vsum cõuerti alienum credat. Quicquid enim pro reuerẽtia beatissimæ Virginis Mariæ ad hanc nouam à fidelibus donatur Ecclesiam, in eius vtilitatem expenditur manifestam. In vnum summa cum diligentia totum per duos fabricæ magistros colligitur, & in vsum huius Ecclesiæ solius conseruatur. Nihil sibi reuerendissimus de cunctis oblationibus vsurpat Episcopus, nihil vel accipit, vel cupit exinde Consulatus, nihil ad conuiuium seniorum de pecuniis S. Mariæ penitus expenditur, nulla inde clericis Saturnalia præparantur. Quicquid enim fidelium deuotio ad istam contulerit Ecclesiam pro ampliatione diuini cultus & consummatione structuræ, quam cernitis, totum exponitur, & in vsus alios nihil penitus transfertur. Magistri fabricæ qui singulis annis duo per Consulatum oppidi Dittelbach instituuntur, viri prudentes, probi atq; fideles pro amore & reuerentia beatissimæ Dei genitricis MARIAE gratis seruiũt, nullam aliam, quam diuinam remunerationem à Domino prestolantes. Non isthic agitur hominum causa, sed intemeratæ matris Dei, nec humana quæritur vtilitas, sed honor Domini nostri Iesu Christi. Sunt pleraq; in Germaniæ regno loca, in quibus magnos cõstat fieri concursus fidelium ad sanctæ matris Dei memoriã, vbi tamen nomina commendat vetustas præclara, quamuis de oblationibus multa in vsus exponãtur humanos. Nam apud pleroſq; fidelium eleemosynæ partiuntur trifariam, quarum vnam accipit partem, aut præsul Ecclesiæ, aut Præpositus, alteram terræ Princeps, aut alius quispiam accipit. In vsum Ecclesiæ vix tertia cedit. Non ita fit isthic in arena prope Dittelbach ad S. Mariæ venerandam memoriam, sed omnia quæcunq; donata fuerint in solius Ecclesiæ manifestam expendũtur vtilitatem. Huic assertioni plures testimonium perhibent, qui mecum anno dominicæ natiuitatis decimo supra quingentesimum atq; millesimum computationi prouentuum capellæ omnium vice Reuerendiss. Præsulis nri personaliter in prætorio Dittelbach publico interfuerunt. Quocirca nullus vestrum, ô peregrini fideles, de sinceritate curatorum huius Ecclesiæ dubitet: quoniam sicut experientia nos edocuit, viri sunt boni & Deum timentes, quos & prudẽtia iustos, & amor Dei sanctæ MARIAE facit esse fideles. Quapropter probè intelligunt iuxta sacri canonis decretum: quoniam quicquid semel Deo oblatum fuerit, in vsus humanos non est amplius transferendum. Vindex enim est DEVS, & matris suæ iniurias non dissimulabit. Enimuero, si testante AVGVSTINO, *peccatũ non dimittitur, nisi restituatur ablatum*, grauiter

Donata Ecclesiæ Dittelba consti in solam eius vtilitatem cedunt.

Aug. ep. 54o

ter illi sunt puniendi, qui sacrilegium committentes in proprios vsus conuertunt res & patrimoniũ IESV Christi. Nam si grauiter peccant, qui hominem mortalem bonis suis contra iustitiam spoliant: quanto magis delinquunt illi, qui bona Deo dicata sibi violenter, aut subdolè vsurpãt? Si morte dignus est, qui hominem spoliat mortalem, æterno supplicio merito censetur obnoxius, qui Deũ rebus denudat oblatis immortalem & sempiternum. Vnc Senatus oppidi Dittelbach, in cuius ditione præsens Ecclesia S. Mariæ Virginis in arena nouiter est constructa, nihil sibi diuini iuris vsurpat, nec aliquid suis vsibus de bonis sacrosanctæ Virginis imbursat. Quod enim Deo matri offertur à fidelibus, totũ in eius cõuertit obsequium, & Christi patrimoniũ Ecclesiæ semper conseruat intactum. Hæc propterea dixerim, vt omnis nouerit posteritas, quãta puritate, sinceritate, simul & prudentia sanctum hoc Dei omnipotentis negotium à maioribus in Dittelbach fuerit inchoatum.

CAPVT XIV.

QVOD FIDELES POPVLI AD HANC SANctam peregrinationem continuandam exhortandi sint.

QVONIAM quidem bonorum laborum glorioſus est fructus & sancto dicente Apostolo, *qui seminat in benedictione de benedictionibus & metet vitam æternam*, exhortandi sunt sedulo fideles, quatenus studeant in bonis operibus vsq; ad mortem fideliter permanere. Hæc est enim via iustitiæ, quã nobis & nouum & vetus testamentũ ostendit à malo recedere, & bonis mentem studiis occupare. In veteri namque testamento sic nos ISAIAS propheta sanctus admonuit. *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruersè, discite benefacere, dicit Dominus omnipotens* Et B. DAVID in psalmo vnũquemque hortatur fidelium dicens. *Declina à malo, & fac bonum.* In nouo autem testamẽto Dominus noster IESVS Christus per semetipsum præcipit, quod per prophetas suos antea in veteri mãdauit. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus.* Quid est enim, *Sint lumbi vestri præcincti?* nisi declinate à malo, quiescite agere peruersè, Quid est, & *lucernæ ardẽtes in manibus vestris*, nisi discite benefacere? nam benefacere & à malo declinare cõsummata est iustitia. Cum autem nouas in honorem Iesu Christi, & matris eius castissimæ Virginis memoriam Ecclesias cõstruere, vel etiam antiquas vetustate collapsas ad integrum restaurare, sit opus bonum, & omnipotenti Deo sine dubio gratum & acceptum: bene facitis ô fideles peregrini, quoties hunc locum sanctum ex deuotione acceditis, & pro consummatione inchoati operis nouæ basilicæ dominæ nostræ aliquid offertis. Credite mihi, Deus verax & rectus est, qui vestras oblationes in honorẽ suæ castissimæ genitricis Mariæ ad huius consummationem fabricæ datas simul & dãdas in futurum & in hac vita remunerabit, & in sequẽti. Enimuerò, cũ sit iustus & rectus in omnibus iudiciis suis, quemadmodum peccatum nullum transit inultum, & nullum opus bonum dimittit irremuneratum. Quapropter fideles exhortandi sunt omnes, & sedulo sermone prouocandi, vt operi tam sancto manus porrigant adiutrices: quoniam sicut templũ Salomonis quondam nõ solũ gens construxit Hebræa (quãuis numero esset maxima) sed proselytorum quoq; ex gentibus indigebat auxilio: ita præsentis Ecclesiæ nouũ opus in memoriã B. Mariæ semper Virginis laudabiliter inchoatũ senatus pop̃uli Dittelbach nõ sufficit solus perficere, nisi pietas multorum fidelium suis eleemosynis, eis, vt cœperunt, dignetur subuenire. Multorum namque manibus quodlibet alleuiatur onus & quod pauci mouere nequeunt, plures leuiter portant, vbi volunt. Ita nouum opus

1. Cor. 9.

Isa. 1.

Psal. 36.

Luc. 12.

Nullum bonum manet irremuneratum.

Ecclesiæ: quod pauci quidem incipiunt, necesse est, vt plurimorum auxilio cõsummetur. Cernitis, quantum bonum effecerint oblationes multorum in diuersis locis huius Peapolitanæ diœcesis nostris pœne temporibus, in quibus & multorum collatione ad memoriam sanctissimę Dei genitricis, aut religiosorum cœnobia constructa sunt aut insignes Ecclesiæ, vbi nomen Domini quotidie benedicitur, & Missarũ officia non minus pro viuis, quã defunctis celebrantur. Certe nisi fidelium ad memoriam Dominæ nostræ concurrentium oblationes & eleemosynæ præstitissent auxilium, nullum ædificium basilicarum, quæ in octauo Capitulo supra commemorauimus, aut ineeptum fuisset, aut consummatum. Nam, sicut ex multis granis tritici, quamuis parua sint, magnus panis conficitur, ita de fidelium oblationibus, licet à singulis parum conferatur magnæ ad Dei honorem Ecclesiæ sæpe construuntur. Propterea fideles Christi sermones meos percipite, & vos tam sancti operis facere participes festinate. Nemo vestrum dubitet, quin opus huius sanctæ peregrinationis sit Deo gratissimum: vobis autem eleemosynas ad fabricam conferentibus proficuum, & in patria cælesti perpetuo fructuosum. Multum dare à vobis non requiritur, nec magna sunt, quæ in opus Dei postulantur. Vnusquisq; vestrum conferat modicum, & offerentium numerus tandem efficiet multum. Qui non habet solidum, offerat denarium, & oblatio parua sæpius continuata faciet incrementum. Parum est, si denarium offeras, & tamen plurimum faciet incrementum. Parum est, si denarium offeras, & tamen plurimum facit, cum te plures in hoc ipso, vel præcedunt, vel sequuntur. Qui multum habet, multum in gazophylacium S. MARIÆ Virginis offerat: & qui parum habet, quantum potest, ad eius memoriam impendat. Eum vero, qui nihil habet, à participatione sancti muneris nequaquam excludimus, sed vt preces deuotas afferat, pro cunctis fidelibus, monemus. Non enim paruam, neq; Deo contemptibilem eleemosynam facit, qui preces deuotas pro sancta & vniuersali Ecclesia fundit. Vnde, quod non habes, non exigitur, & quod non potes, faciendum non iubetur. Nam Dei regnum tantum valet, quantum habes, quoniam nihil Deus mandauit impossibile. Si multum habes multum tribue: si parum, & hoc libenter ad honorem sanctissimæ Dei genitricis impende. Vidua enim illa quondam in Euangelio paupercula, quæ duo æra minuta in gazophylacium Domini obtulit, saluatore omnium iudice cunctis diuitibus prælata fuit. Quamuis enim parum fuit, quod intulit, ipsum tamen, quo in vsus proprios indiguit, dedit. Et ideo nullus inopiam suam vocet in culpam, quoniam omnipotens Deus, non quantum offeras, considerat, sed ex quanto, hoc est, animi feruore. Si multum vis & modicum potes, Deus qui iudex est iustus voluntatem tuam bonam pro tui feruoris magnitudine, remunerabit. Omnes igitur fideles Christi ad memoriam sanctissimæ parentis eius, quanta potestis alacritate mentis concurrite; quod manus potest, & deuotio suggerit, in eius obsequium tribuite: & qui pecuniam non habetis, quibus iuuetur structura incepta, preces in communi ad Dominũ pietatis effundite. Hic enim locus est, quem beatissima Dei genitrix semper Virgo MARIA eligere dignata est, in quo vobis deuotè cum recta fiducia orantibus, beneficia sanitatis decreuit impẽdere, & quicquid iustè postulaueritis à filio suo dignanter impetrare. Viuite sinceriter, credite firmiter, orate confidenter, & facile impetrabitis precum vestrarum desideratum effectum. Sermonis nostri veritatem contestantur sanitatum miracula, quæ hactenus S. MARIÆ in hoc loco fuerunt ostensa, quorum seriem scribere iam volumus, non minus ad vtilitatem præsentium, quam ad notitiam & instructionem futurorum.

Hortatur ad cõferẽda dona Ecclesiæ inchoata.

Luc. 21.

FINIS.

LI-

LIBER II.

MIRACVLA SANITATVM

CONTINENS, QVÆ AD MEMORIAM ET INVOCATIONEM B. MARIÆ SEMPER VIRGINIS FACTA sunt in arena prope Dittelbach.

PRÆFATIO.

POSTEAQVAM auxiliante Domino nostro IESV Christo præmisimus, quæ nobis pro confirmatione huius sanctæ peregrinationis Dominæ nostræ in arena prope Dittelbach necessario & vtiliter videbantur præmittenda: restat nunc, vt sanctum opus diuinitus inchoatum miraculorum attestatione, quemadmodum in præcedente libello sumus polliciti, demonstremus. Nam etsi fidelium iste concursus ad prædictam S. MARIAE memoriam sit nouus, & propterea quorundam à principio contradictioni expositus: neminem tamen hodie viuere in humanis existimo, qui tot miraculis visis non credat illum ex ordinatione diuinæ prouidentiæ incepisse. Enimuerò tam multa & manifesta sunt isthic diuinitus ostensa miracula sanitatum, & adhuc quotidie fiunt ad inuocationem Beatissimæ Virginis MARIAE, vt merito de infidelitate haberetur suspectus, quisquis ore temerario contradicere præsumpserit. Vnde nos tam ad ædificationem præsentium, quam ad memoriam posterorum sicut sumus polliciti, ex multis & pene infinitis miraculis ad memoriam Dominæ nostræ factis in præsenti loco pauca per ordinem consignare decreuimus, in quo secundum tempus ostensæ virtutis breuiter procedemus. Nam omnia commendare litteris, quæ ad inuocationem S. MARIAE isthic ostensa sunt miracula, mihi non fuit possibile, propterea quod & plura iam dudum obliuio, & tædium pareret nimia multitudo.

Et sicuti protestatus sum in superioribus, ita protestor iam iterum, quod scienter nihil scripturus sum, nisi verum: quoniam DEVS cum sit veritas mendacium odit, & hominem mendacem grauiter punit.

MIRACVLVM I.

DE RVSTICO, QVI PEREGRINANTIBVS AD hunc locum insultabat, punito, & iterum sanato.

ANNO Dominicæ natiuitatis quinto supra quingentesimum atque millesimum posteaquam miraculum illud primum, cuius in capite libri præcedentis quarto fecimus mentionem per circuitum populis

pulis innotuit, multi confestim ad imaginem S. MARIÆ de vicinis locis conuenire de suis locis cœperunt. Contigit autem die quadam tres mulieres de vna villa simul ad eam proficisci memoriam. Quæ cum prope vicum Summerach nuncupatum iter facerēt, vidit eas homo quidam ex eadem villa natus, vocabulo Ioannes Hoffman laborans in vineto, iuxta viam prætereuntes, dixitq; ad illas. Quo pergitis vos bonæ mulieres tam festināter ambulantes? Cui illæ respodentes dixerunt. Ad dominam nostram properamus in arena iuxta Dittelbach miracula facientē. Ha, fatuæ, inquit ille? nimiumq; leues ad credendum, quo pergitis? vultisnè incipere peregrinationem nouam? His cum cachinno dictis contemptæ mulieres iter suum cum deuotione continuant. Sed mox vindicta percussit irrisorem, & didicit in pœna homo temerarius, quam malum sit, os contra diuinam laxare prouidentiam. Nam diuina vltione percussus, vt bos, clamare cœpit, iam viribus simul & mēte penitus fermè destitutus, & à semetipso deficiens, sicut homo ratione priuātus. Verum mox, vt sensit diuinam in se fieri vltionem, relictis omnibus, sicut steterat in labore suo, nudus capite & pedibus sola camisia indutus post ipsas mulieres currere cœpit, & huc prior ad sanctam imaginem venit. Vbi flexis genibus, vt potuit, orans ad dominā nostrā temeritatis suæ veniam petiit, & cū restitutione sensuum impetrauit. Huius miraculi testes multi fuerunt, qui laborantes in vinetis prope imaginem gestæ rei ordinem, tam ex ipso patiēte, quàm ex mulieribus, quas irriserat, didicerunt. Cuius miraculi terrore correpti omnes in circuitu vicini, Deum in suis virtutibus glorificauerunt: & nemo deinceps contradicere tam sancto negotio temerè præsumpsit. Concursum etiā populorum ad imaginē beatissimæ Dei genitricis ex illo tempore quotidie auctus est: & plura eodem anno isthic sunt facta miracula: de quibus nihil scribimus, propterea quod litteris tunc non fuerant commendata.

MIRACVLVM II.

DE PVERO, QVEM LVPVS RAPVIT, ET INtactum ad inuocationem sanctissimę matris Domini dimisit.

IN villa Bibergavve fuit homo ruricola, nomine Richardus Schiller, qui habebat inter alios puerulum annorum fermè quinq;. Is anno Domin. Natiuitatis M. D. VI. mensis Iulii XXIII. quæ fuit in festo sancti martyris Christi Apollinaris villam egressus puerili simplicitate cum falce, vt viderat ab aliis, gramina gestiebat euellere. Et ecce lupus inter sepes latitās cum puerulum in agro conspiceret solum ex insidiis prorumpens famelicus illum rapuit, & cum præda ad remotiora currere cœpit. Res patri nunciata innotuit confestim, quia domus agello ꝓxima fuit. Qui domicilium egressus lupum cum puero currentem à longe conspicere quidē potuit, sed reuocare prædam in eius arbitrio non fuit. Vnde nimium turbatus animo, cum omne auxilium deficeret humanū, se totum conuertit ad diuinum. Flexis igitur in terram genibus sanctam Dei matrem cum lacrymis inuocauit, dicens. O sancta MARIA mater Domini, redde mihi puerum illæsum, & ego sanctam imaginem tuam in arena prope Dittelbach, qua potero deuotione, adibo, & memoriam tuam precibus simul & oblationibus honorabo. Mira res. Mox vt preces homo compleuit, puerum lupus dimittens ab ore in terram procul inde aufugit. Pater autem videns à remoto lupum fugiētem accessit ad puerum, & inueniens eum sanum & incolumem dominæ nostræ gratias egit, & votum suum lætus impleuit. Reliqua memorati anni miracula, quæ ad imaginem S. MARIÆ facta sunt, à nobis tulit obliuio, quoniam nec litteris erant commendata, quamuis multa quotidie, fierent nec ea homines commendare memoriæ curauerant.

CA-

MIRACVLVM III.

DE PVERO SEXENNI, QVI CECIDIT IN PVteum profundum, & meritis Dominæ nostræ sine læsione fuit extractus.

ANNO Domin. Natiu. M. D. VII. indictione Romanorum X. puerulus quidam sex habens annos ætatis filius Conradi Lutanistæ nuncupati in villa, quæ dicitur Weyer, cecidit in puteum aquarum valde profundum, nemine penitus sciente, & ibi diu iacuit dormiēti similis. Quem parentes diutius in domo & extra quærentes, cum non reperissent, animis consternati sunt, & pro eius salute dominam nostram implorantes peregrinationem ad illius memoriam huc prope Dittelbach cum libra vna ceræ, vt moris est villanis, anhela deuotione promiserunt. Cumq; puerum diutius quæsiuissent per totam villam, postremo in puteo iacens super aquas quasi dormiens fuit inuentus. Qui cum festinatione statim extractus sanus & incolumis apparuit, & præseruante illum beatissima Dei genitrice Maria, nec vna quidem aquarum guttula interiora eius penetrauit. Huius rei testes multi sunt, qui puerum de puteo leuari conspexerunt: factumq; est per totam circa regionem huius miraculi præconium, & inchoatum auxit concursum.

MIRACVLVM IV.

DE HOMINE, QVEM BEATISSIMA VIRGO MARIA miraculosè à Gallicanis pustulis liberauit.

HOMO fuit in oppido Geroldeshofen, nomine Conradus Kremer, q. miserabili illo morbo pustularum tam grauiter laborabat, quod nec manus mouere potuit, nec pedes: sed iacuit in lecto velut alter Lazarus putridis hulceribus plenus, maximisque doloribus continuè, & sine aliqua intermissione cruciatus. Hic in tāta ægritudine constitutus cum audisset, quæ fiebant hic ad memoriam sanctissimæ matris Dei miracula, sumpsit fiduciam, & inuocans patrocinium cum lacrymis pientissimæ aduocatæ generis humani sic iacens in lecto supplex orabat. O beatissima Dei mater, si vera sunt, quæ apud Dittelbach miracula tuis meritis facta narrantur, miserere mei precor etiam, & ora pro me: quoniam si precibus tuis sanitatem assecutus fuero, tuam sanctam memoriam cum libris ceræ quinquaginta in memorato loco votiua deuotione quantocyus visitabo. Completa oratione cum magno desiderio & fiducia tacuit, & confestim sentire melius cœpit. Atq; ita contra omnem opinionem hominum totus in breui conualuit, & veniens huc in die S. Michaelis Archangeli, anno Domini M. D. VII. quod vouerat impleuit.

MIRACVLVM V.

DE HOMINE CAPTIVO MERITIS BEATÆ Mariæ semper Virginis mirabiliter liberato.

EST homo in ciuitate Herbipolensi, nomine Valentinus Valtsachs, quem anno Domini. Natiu. prænotato quidam latrones, Ecclesiæ Wirtzburgensis inimici & hostes in quodam itinere suo extra ciuitatem ambulantem comprehendentes captiuum abduxerunt, pecuniam ab ipso pro sui liberatione postulantes. Captus est autem feria sexta post Vincula Petri, quæ fuit illo anno festiuitate sancti Sixti martyris sollemnis, & in carcerē positus abstrusum atq; fortissimum, in quo iacuit vinctus, & multis calamitatibus afflictus per dies quadraginta. In ea miseria positus, cœpit tandem miracula, quæ audierat ad memoriam Dominæ nostræ facta prope Dittelbach ad mentem reducere, & eius suffragium tota cordis deuotione cum lachrymis inuocare, promittens & vouens feruente desiderio se memoriam eius visitaturum, si de captiuitate illa fuerit liberatus, & in signū accepti beneficii centum libras ceræ in obsequium liberantis se daturum. Oratione cum voto completa mox liber in turri deambulat, & sentiens adesse misericordiam Domini, quomodo iam turrim posset exire, cogitabat. Erat autem murus spissitudinis magnæ, fortis & durus, qui non facile posset sine instrumentis necessariis ab aliquo perforari. Valentinus tamen sciens nihil Deo esse difficile, desiderio æstuans perstabat in precibus, & tentans manibus parietem lapidem vnum ex maioribus cœpit concutere, qui mox tangentem secutus, & quasi violenter impulsus locum dedit eadem facilitate totum perforandi murum nudis manibus in vna hora, quem ferro nullus biduo perforasset. Mira omnipotentis Dei clementia, quæ deserere nunquam potuit eos, qui orant in fide cum firma cordis fiducia. Perforauit captiuus orator manibus in carcere murum, & veniens cum cera promissa isthuc votum adimpleuit exultans in festo S. Matthæi anno prænotato.

MIRACVLVM VI.

DE MVLIERE, QVAM MISERABILITER EX casu vulneratam beata Virgo sanauit.

MVLIER quædam erat in villa superiore Scheinfelt, Barbara nomine, quæ die quadam ex alto domus suæ forinsecus de transitu eleuato cecidit in statumina sepis quercina à superiore parte, vt fieri solet, acuta. Et quoniam casus nimium fuit altus statuminibus illis durissimis totum corpus eius extitit perforatum, vsque adeo, quod vicini omnes de vita desperabant. Mulier autem in ipso casu patrocinium Dominæ nostræ S. Mariæ apud Dittelbach, sicut postea retulit, anxia inuocauit, & iam statuminibus perforata nihilominus mente votum peregrinationis ad eius memoriam gerebat.

Ex-

Extracta verò de statuminibus sepis quasi mortua iacuit ad horam: postea ad se reuersa dixit. Gratias tibi ago beatissima Dei genitrix virgo Maria, quæ inuocaris apud Dittelbach, quoniam tuis meritis mortem euasi, & vitam sum assecuta pœnè amissam. Et in breui conualescens perfectè mulier sine cura medicorum domina nostra illi opem ferente votum impleuit.

MIRACVLVM VII.

DE PVERO GRAVITER INFIRMO, QVEM beatissima Dei genitrix Virgo MARIA inuocata miraculosè sanauit.

PVER quidam infirmitate grauiter decumbens, & per totum corpus in modum hydropici tumefactus & inflatus miserabile se cernentibus spectaculum præbuit. Qui cum iam omnino videretur morituras, solo visu præsentes in commiserationem sui haud modicam conuertit. Vnde parentes ad consilium amici cuiusdam astantis conuersi ad misericordiam Dei illum se cum oblationibus ad memoriam Dominæ nostræ huc in arena prope Dittelbach exhibituros vouerunt, si meritis eius consequeretur sanitatem. Statim puer melius habere cœpit, & euanescente tumore in breui sanus & incolumis surrexit. Cuius parentes & oblationem quam promiserant, ceram videlicet pro vno floreno cum ipso puero statim præsentari huc ad memoriam Dominæ nostræ curauerunt.

MIRACVLVM VIII.

DE MVLIERE TRIBVS ANNIS INFIRMATA continuè morbo grauissimo, quam Domina nostra sanauit.

EST villa in Ducatu Francorum Orientalium, quæ Grefenreinfeldt patrio vocabulo nuncupatur, in qua fuit mulier quædam, nomine Cunegundis Vnbehen. Hæc propter dislocationem & euersionem matricis per tres annos ferme continuos grauissimos patiebatur dolores: & quanto plura medicamina adhibuit, tanto semper deterius sensit. Cumq; in hac graui molestia omni humano destitueretur auxilio, venit ei tandem in mentem, vt votum ad memoriam gloriosissimæ Dei genitricis semper Virginis MARIAE in arena prope Dittelbach emitteret, & per eius merita, sanitatem à Domino postularet. Nec mora diutius mox bonum sequebatur instinctū: quem nemo bonus dubitabit fuisse diuinum. Sanitatem à matre misericordiæ cum lachrymis petiit, votum peregrinationis cum oblatione ad eius memoriam fecit, & confestim sanitatis beneficium, quo diu caruerat per DEI misericordiam consecuta fuit.

MIRACVLVM IX.

DE QVODAM VIRO, QVI GLADIO TRANSfixus per ventrem ad inuocationem Dominæ nostræ conualuit.

ANNO Domin. Natiu. M. D. IX. indictione Romanorum XII. fuit vir quidam in villa Greusse, nomine Ioannes Cocus, qui cum aliis post prandium, vt consuetudo est rusticorum, ad tabernam die quadam solenni transiuit. Contentione post pocula inter eos suborta, is de quo loquimur, per quendam veteri odio laborantem gladio fuit per ventrem ab interiore parte supra vmbilicum tam validè transfixus, quod acies ferri corpus omnino pertransiuit. Latro fugit: læsus in terram, vt moriturus iam prope cecidit, qui propriam reportatus in domum, nihil aliud, quam mortem expectabat. Cumq; sic iaceret grauiter & periculosè vulneratus, in mentem DEO inspirante reduxit, quanta mortalibus beneficia sanitatum beatissima DEI genitrix semper Virgo MARIA inuocata præstiterit in hoc loco, de quo nobis est sermo: & cœpit etiam ipse cum magno feruore spiritus ab ea postulare salutem. Vnde voto se constringens promisit, quoniam si vitam conseruaret in eo Domina nostra iam pene migrante, quod eius memoriam in hoc loco venerabilem sine dilatione visitaret sanatus, & ceræ tres libras de sua paupertate ad honorem saluatoris offerret. Mira Dei clementia. Qui iam, vt ita dixerim, moriebatur emisso deuotissimè voto meritis Dominæ nostræ conualuit, & promissioni suæ satisfecit.

MIRACVLVM X.

DE QVODAM ALIO SIMILITER GLADIO transfixo, quem B. Virgo MARIA solita pietate sanauit.

ANNO Domin. Natiuit. memorato duodecima die mensis Augusti, quidam rustici post meridiem sole iam vergente in occasum de oppido Mergetheym, quod Ordinis est Teutonicorum ad villã Igersehe haud procul distantem simul pergebant, quibus in via constitutis post varios sermones tandem vinum, quod immoderatius sumpserunt, grauem cõtentionem suscitauit, & in cædem mutuam exardentes, verba statim secuta sunt verba. Erat vn⁹ inter eos, nomine Georgius Levvser de memorato vico Igersehe nihil faciens mali, nec suspicans sibi ab aliquo inferendum, sed contendentes nitebatur ad pacem reducere, nulli omninò cupiens nocere. Vnus autem ex numero dissidẽtium, quem sibi credebat amicum, eius increpationes molestè ferens, gladium quem tenebat manibus in eum vibrans per medium transfodit: qui cadens in terram velut mortuus iacebat, reportatus posteà in domum, desperabatur ab omnibus, & sine dubio iam prope videbatur morituros. Cumq; sic aliquandiu iacuisset mortuo similior, quàm viuo, ad se posteà reuersus, & apertis oculis dixit ad circumstantes. O quid fiet de me, qa morior nũc & non possum euadere. Ad consilium verò circunstantium amicorum suffragium B. MARIAE semper Virginis, qua potuit deuotione inuocans, vitam cum sanitate ab ea petiit, & votum ad eius memoriam hue prope Dittelbach cum offertorio emisit. qui verò sine hæsitatione cum fiducia petiit vitam cum sanitate meritis beatissimæ Dominæ nostræ citius impetrauit.

MI-

MIRACVLVM XI.

DE QVODAM FAMVLO ABBATIS S. STEPHANI ab equo percusso, & meritis Dominæ nostræ miraculosè sanato.

EODEM anno res contigit, quam dicturus sum. Conradus venerabilis Abbas monasterii diui protomartyris Stephani in vrbe Wirtzburgensi inter alios plures famulum quendam habuit in curte Durbach, nomine Adelbertum, qui rusticorũ more cum cęteris agriculturam suo Domino pro mercede annua exercebat. Hunc die quadam incautius agẽtem equus calce tam fortiter percussit, quod elisus in terram sanguinem per nares, os simul & aures in multa copia profluẽtem emisit, quem conserui reducentes in domum grangiæ vicinam vt mortuum deplorabant. Horis tribus sic iacuit sine sensu tãquam mortuus. de cuius vita omnes in communi desperabant. Inspirante autem Dei spiritu, cui omnia obtemperant elementa, cum spes nulla videretur adesse viuendi, ad patrocinium beatissimæ DEI genitricis Mariæ cõuersi præsentes cõseruum iam iam morientem ad eius memoriam sanctam huc præsentandum, si conualescere posset eius meritis, promiserũt. Et ecce, mira Domini pietas, qui cuncta matris defert honori, præstans confidentibus omnia copiosè. Mox enim vt voti promissio facta est, in se reuertebatur famulus, & cœpit loqui, audiensq; votum, quod pro eius salute fecerant astantes, libens annuit, & se facturum omnia fideliter promisit. Statim itaq;, vt voto consensit, opitulante beatissima Dei genitrice Maria totus conualuit, ita quod nullus in eo dolor, nec percussionis vlla cicatrix remansit. Nam altera die mox sanus ac lætus huc ad memoriam suæ curatricis in persona propria venit, & votum suum cũ gratiarum actione impleuit. Huius stupẽdi miraculi testes in grangia memorata fuere præsentes, præfatus Venerabilis Abbas Conradus, vir maturus & religiosus, & cum eo monachus sui cœnobii vnus Ioannes Piemontanus maior cellerarius. In familia vero dicti monasterii plures, qui rei seriem simul & miraculi veritatem cum ipso sanato testantur vsque in præsentem diem.

MIRACVLVM XII.

DE TRIBVS PEREGRINIS S. IACOBI PERIclitatis in mari, & meritis Dominæ nostrę in Dittelbach liberatis

TRES viri ex oppido Franciæ Orientalis Carlestat, Martinus, Paulus & Conradus anno Domini. natiu. M. D. VII. Indictione Rom. X. deuotionis causa in Galitiam ad S. Iacobum profecti sunt. Qui cum redire per Hispaniam & Galliam non vellent viarum pericula metuentes, per Anglicum mare nauigio reuerti statuerunt. Orta est die quadam, cum essent in mari tempestas, in tantumq; conualescens durabat, quod omnes qui erant in naui de vita cœperint desperare. Cumqué singuli pro sua liberatione sanctos quosque sibi speciales inuocarent patronos, isti tres viri sanctissimam Dei genitri-

cem deuotius quo poterant cœperunt invocare, promittentes se, quam cito venissent in patriam, eius memoriam apud Dittelbach cum oblatione votiua visitaturos: & statim cessante maris inquietudine cum gaudio nauigarunt meritis Dei matris procul dubio adiuti. Reuersi autem in propria, implerunt sine dilatione, offerentes nauiculam ceream in signum miraculi.

MIRACVLVM XIII.

DE MVLIERE QVADAM EX PVSTVLIS INfirmante, quæ ad inuocationem S. MARIÆ apud Dittelbach conualuit.

IN villa Bibergavve mulier quædam fuit Elizabeth nomine, textrix officio, quam morbus ille horrendus pustularum annis tribus continuè tam grauiter afflixit, vt præter solam linguam omnia corporis membra suo viderentur destituta officio. Iacebat infirma simul & clauda per totum triennium, & omnis in eius corpore medicina fuit penitus infructuosa, quoniam semper in deterius ægritudo ex medicamentis proficiebat. Postremò tandem, vbi mulier vidit nihil sibi posse conferre humanam industriam ad diuinam se contulit pietatem. Audiens, quanta miracula sanitatum beata Dei genitrix multis feciſſet in arena prope Dittelbach eius quam deuotissimè cœpit inuocare patrocinium, & sanitatis postulare beneficium: deniq; voto se constrinxit, vt si meritis Dominæ nostræ sanitatem mereretur assequi, quod eius memoriam cum oblatione citius visitaret. Votatione promissa statim melius habuit & meritis intactæ genitricis Dei MARIÆ intra paucos dies ex toto sanata fuit.

MIRACVLVM XIV.

DE PVERO QVODAM AD MORTEM INFIRmato, quem Domina nostra meritis suis reuocauit ad vitam.

IN oppido Frickenhausen fuit puer vn' tredecim ferme annorum vsq; ad mortem infirmus, qui cum extremum iam spiritum trahere videretur, candelam ex more ceream in manus eius parentes posuerunt ardentem. At ille per vnius horæ spacium agonizans tandem mortuo similis apparuit, & tamen mori non potuit: cuius anxietudini compassi parentes illum ad memoriam S. MARIÆ penes Dittelbach cum oblatione duarum ceræ libratũ, & aliquo munere viuente pollicentes orabant, quatenus vitam & sanitatem eius patrocinio mereretur accipere. Voto eum precibus ad quater sanctissimam facto, mox puer ad semetipsum rediens conualuit, & die mensis Octob. 27. Domin. Natiu. Anno 1507. veniens huc votum suum personaliter impleuit.

MI-

MIRACVLVM XV.

DE VIRO QVODAM ÆGROTANTE, QVI AD inuocationem S. MARIÆ Virginis fuit sanatus.

EODEM anno vir erat in superiore Sultzheym, nomine Ioannes Neder, qui multo tempore grauem corporis sui patiebatur infirmitatem, medicos consuluit plurimos, à quibus non solum nullum potuit habere suæ infirmitatis remedium, sed etiam, qualis esset morbus, nullus eorum potuit dare iudicium. Desperans igitur de humano suffragio, ad patrocinium S. Mariæ totum se contulit, & vouens se cum oblatione memoriam eius visitaturum in arena prope Dittelbach, sanitatem petiit, & impetrauit. Nam mox, vt votum emisit, & orationem cum deuotione magna & firma intentione compleuit, melius habere cœpit; & in breui totus conualuit veniensq; huc ad memoriam S. Marię venerabilem vigesimaquinta die mensis Augusti anno Dominicæ natiu. prænotato M.D. VII. lætus, quod vouerat impleuit.

MIRACVLVM XVI.

DE VIRO QVODAM IN MVNRICHSTADT, quem beatissima Dei genitrix virgo MARIA curauit à pustulis.

IN Munrichstat opido Francię Orientalis vir erat, noïe Bernardus opilio, quem morbus ille horrendus pustularum (qui humanũ genus in annos iam plus quam viginti per totam Europam, Deo permittente propter peccata nostra miserabiliter afflixit, & multa millia penitus consumpsit) tam ferociter inuasit, & tam miserabiliter cruciauit, quod leproso omnino videbatur horribilior. Duobus etenim mensibus continuè lectulo decumbens infirmus iacuit, vt immobilis truncus, & nec manum porrigere ad os suum potuit nec mouere pedem. Cibum & potum alienis manibus ori porrectum accepit, & nunquam in aliud latus sine ministrorum adiutorio se conuertit. Audiens verò tandem, quanta multis beneficia sanitatum beatissima Dei genitrix intacta Virgo Maria in arena prope Dittelbach quotidie præstaret languentibus, peregrinationem ad eius memoriam vouit cum oblatione, postulans ab eius pietate sanitatẽ. quam sine dilatione, Deo miserante, fuit assecutus, ipsa proculdubio interuenente Domina nostra, quæ matrem se misericordiæ & nouit, & semper inuocantibus cum fiducia clementer ostendit. Anno igitur Christianorum septimo post quingentesimum atq; millesimum die mensis Iunii tertia decima idem Bernardus, sicut promiserat, veniens huc, votum suum lætus adimpleuit.

MIRACVLVM XVII.

DE PVERO, QVI REGIO MORBO CORREPTUS ad memoriam S. MARIÆ prope Dittelbach sanatus est.

MVLIER erat bonæ famæ simul & honestæ conuersationis in Ducatu Franciæ Orientalis filium decem annorum habẽs regio morbo grauissimè laborantem, quẽ vbi nulla medicorum experientia curare potuit, cum oblatione ad memoriam S. Mariæ prope Dittelbach exhibendum quantocyus mœsta genitrix promisit, orans cum fiducia communis patronæ sibi adesse suffragium, quo filium læta conspiceret sanatum: & quia cum summa deuotione salutem puero fideliter petiit, à matre misericordiæ, quod voluit, cito impetrauit. Puer enim ab illa hora perfectè cõualuit, & veniens cum virtute nouiter instaurata votum, quod genitrix promiserat, cum ipsa similiter impleuit.

MIRACVLVM XVIII.

DE ALIO PVERO IN VILLA NORTHEYM A grauissima infirmitate meritis S. MARIÆ liberato.

EST villa non multum distans ab oppido memorato sæpius Dittelbach, sed sub dominio monasterii S. Felicitatis Suartzach, quæ Northeym appellatur, in qua puer quidam vsq; ad mortem iacebat infirmus, & de vita omnino desperatus. Hunc parentes eius, cum iam vltimum spiritum emissurus videretur ad supra dictam memoriã Dominæ nostræ præsentandum cum oblatione vouentes, diuinum pro eius salute auxilium implorabant, quorum preces ob honorem sanctissimæ matris suæ Dominus noster IESVS Christus clementer exaudiuit, & puerum pristinæ sanitati restituit, & hactenus incolumem & viuentem seruauit.

MIRACVLVM XIX.

DE MVLIERE IN PVERPERIO PERICLITANte, quam Domina nostra misericorditer liberans sanauit.

ANNO Christianorum M.D. VII. vir erat in superiori Scheinfeldt, nuncupatus Ioannes Faber, cuius vxor in partu magnam passa difficultatem, tandem cum ingenti dolore peperit, & post partum, vt videbatur cunctis, qui aderãt, mortua fuit, qua sic in longam horam iacente tandem maritus ad consilium obstetricis & mulierum, quæ fuerant præsentes, & semetipsum, & illam cum quinq; talentis ceræ ad memoriam vouit S. Mariæ mediatricis nostræ in arena prope Dittelbach: &, quanta deuotione poterant omnes pro eius salute ad Dominum Iesum Christum orauerũt. Mox in ipsa hora mulier, quæ putabatur mortua, aperuit oculos, loquebatur, & sani-

nitatem perfectè recepit amissam. Post hæc diebus purgationis suæ transactis cum viro suo prænominato huc venit in Sabbatho post Pentecosten ad curatricis suæ sanctæ memoriam, & gratias agens Deo promissum læta impleuit.

MIRACVLVM XX.

DE PVERO CVLTRO TRANSFIXO, ET MERITIS Dominæ nostræ mirabiliter à morte præseruato.

EODEM anno fuit homo quidam in villa Leymach, cui nomen Leonardus Spor. hic puerum habebat annorũ quinq; more puerorum die quadam in manu cultellum tenentem, & cum eo nescio quid gestientem. Verum vbi cultrum incautius manu ferebat puer ipse in terram cecidit, & semetipsum circa orificium stomachi grauiter & nimis profundè vulnerauit: quod vbi mater ventre iam grauida vidisset, clamare cępit in tantum, quod tota vicinitas territa conuenit, qui puerum miserabiliter iacentem intuentes, matrem Domini summa cum deuotione inuocabant, & pro eius salute peregrinationem cum oblatione ad Dittelpach promiserunt. Mater verò pueri mærore simul & perturbatione plena, quid vicini loquerentur non aduertens ad iacentem puerum accessit, & cultrum de eius corpore cũ impetu extraxit, subitoq; præ multitudine tristitiæ deficiens in amentiam cecidit. Puer autem mox extracto cultello surrexit, & liberè discurrens, sicut prius, quasi nihil passus, omninò sanus euasit. Et, quod valde mirum fuit cum vulnus & parẽs esset, & valde profundum, nullam tamen sanguinis guttulam penitus emisit. Sanus itaq; puer, & incolumis euadens, & vulnus ostendit apertum, & vulneris nullum sensit dolorem. Post hæc parentes vna cum puero venerunt huc ad memoriam sanctissimæ Dei genitricis cum donis & oblationibus promissis Domini misericordiam collaudantes, & miraculum istud palam nunciantes.

MIRACVLVM XXI.

DE MVLIERE IN PARTV PERICLITANTE, quam sanctissima Dei genitrix inuocata misericorditer liberauit.

ANNO etiam Christianorum prænotato vir vnus fuit in villa Ducatus Franciæ, quæ vulgò nuncupatur Wilfritzhausen, nomine Nicolaus Cellerarius, cuius vxor in partu grauissimè laborans periclitabatur ad mortem, & licet diu laboraret afflicta, vt pareret, tamen propter fœtus & & meatuum indispositionem parere non valebat. Vnde cũ obstetrix videret matrẽ simul & infantem in mortis periculo positos, virũ monuit, quatenus matrem pietatis dominam nostram apud Dittelbach mortalibus propitiã inuocaret, salutemq; ab ea moriẽti coniugi peteret. qui monẽti consentiens beatissimæ Virginis Mariæ implorauit suffragium, & more periclitantium deuotus iurauit promissum. Statim opitulatione Dominæ nostræ mulier peperit, & non minus à doloribus, quam à fœtu liberata fuit. Postea diebus purgationis impletis maritus cum ipsa vxore ad Dittelpach veniens promissum lætus reddidit, & miraculum, sicut contigerat publicè coram multis quinta die Iunii publicauit.

MIRACVLVM XXII.

DE VIRO, QVI LÆSVS EX CASV DOMINAM nostram inuocauit, & mirabiliter fuit sanatus.

EODEM quoq; anno miraculum contigit: quod dicturus sum. Vir erat in ciuitate Wirtzburg, nomine Ioannes, arte faber lignarius, qui cibum arte & manu quærebat architecti gerens ministerium in arce Reuerendissimi Præsulis memoratæ ciuitatis. Hic die quadam vini vrnam humeris baiulans de monte siue castro præfato ire in domum suam disponebat, qui pede lapsus in via cecidit, & vasculum vini, quod portabat, super semetipsum cadere permisit. Ex quo casu circa verenda grauiter læsus est in tantumq; tumore grauatus, vt iam prope de vita sua desperaret. Tandem verò in mentem ei venit, quanta sanitatum beneficia mortalibus præstitisset beatissima Dei genitrix virgo MARIA in arena prope Dittelpach, & sumpta fiducia se ad eius memoriam cum aurea oblatione vouit ac matrem ipsam misericordiæ sua pro incolumitate quo potuit deuotius inuocauit, & Voto peregrinationis emisso, & oratione completa meritis patronæ conualuit, & promissum cum hilaritate adimpleuit.

MIRACVLVM XXIII.

DE QVADAM PVELLA EX CASV MISERABILITER quassata, sed meritis Dominæ nostræ sanata.

ANNO Domin. natiuit. M. D. VII. indict. Roman. XI. in oppido Kitzingen puella quædam annorum ætatis vndecim ex alto cadens de æstuario per fenestram super caput lapsa est, & grauiter vulnerata alterius brachii dislocationem incidit cum maximo dolore iacens in terra veluti iam moritura. Cuius calamitati parentes compassi matrem pietatis Dominam nostram cum magna deuotione implorantes miserabiliter capite læsam puellam ad venerandam Dei parentis memoriã cum oblationibus exhibendam istuc promiserunt. Quoniam verò deuotè simul & confidenter ad misericordiam Dominæ nostræ habuerunt recursum, cito quod postularunt meruere consequi natæ remedium. Puella enim statim conualuit: & veniens huc vna cum parentibus votum impleuit.

MIRACVLVM XXIV.

DE MVLIERE SVRDA SIMVL ET EPILEPTICA istic ad memoriam Dominæ nostræ perfectè sanata.

EODEM anno fuit mulier quædam in Ochsenfurt oppido maioris Ecclesiæ Herbipolensis, quæ casu infirmitatis obsurdescens in spacio duorum fere mensium nihil penitus audiuit. Audierat autem prius,

prius, quam multa beneficia sanitatum beatissima Dei Virgo Maria istic in arena præstitisset fidelibus, & fiduciam sumens votum ad eius memoriam peregrinationis deuota promisit, & miserante Domino statim conualescens auditum recepit Quæ cum votum suum implere differret, leuitatem eius Deo vindicante, morbo caduco cepit grauiter laborare, cuius nouæ infirmitatis accessu perterrita culpam infidelitatis suæ tandem ad memoriam cœpit reducere, & de negligentia semetipsam durius increpare. De nouo igitur voto se constringens huc venit ad S. MARIAE genitricis Dei memoriam, & deuota obtulit quam promiserat oblationem. Ab illa hora liberata est tam à morbo caduco, quàm à surditate vsq; in præsentem diem.

MIRACVLVM XXV.

DE HOMINE QVODAM INFIRMO, QVI AD inuocationem B. MARIÆ semper Virginis conualuit.

VIR erat in villa, quæ Hemelstega nuncupatur Ducatus Franciæ orientalis, nomine Adam aurei scriptor telonei, qui ex morbo pustulatum (quas vulgari vocabulo malum gallicum appellãt, quoniam à Gallis sumpsit exordiũ) vsq; adeo infirmatus est, vt lecto decumbens nec manum ad os porrigere, nec pedem vllatenus posset mouere. Vnde factum est, q; brachiis & tibiis hulcere pessimo miserabiliter perforatus in lecto velut truncus continuè iaceret immobilis, aliorumq; manibus, vt puer infans, pasceretur & potaretur, nihilq; aliud expectare videretur, quam aut longam ægritudinem, aut mortem crudelem. Non enim videbatur possibile, quod conualescere à tantis infirmitatibus posset. Cumq; die quadam solitis acrius torqueretur doloribus, matris Domini nostri IESV Christi auxilium deuotus inuocauit, sese voto constringens humiliter, quod eius in arena prope Dittelbach venerandam memoriam cum oblatione muneris fideliter quantocyus visitaret. Mira diuinæ pietatis dispensatio. Ab illa hora dietim melius habuit, & qui prius de salute consequenda penitus desperauerat, intra breue tempus adiuuante Domina nostra S. Maria perfectè conualuit, & veniens lætus votum quod promiserat impleuit..

MIRACVLVM XXIV.

DE QVODAM PVERO, QVEM BEATISSIMA Dei genitrix semper Virgo MARIA de morbo caduco liberauit.

ANNO Domin. Natiu. prænotato erat vir quidam in villa Willẽtzheym nomine Bartholomæus Elgast puerum habens paruulum morbo caduco grauiter vexatum, quem nulla remedia, quamuis multipliciter adhibita poterant sanare. Vnde parentes misericordia moti super eum patrocinium sanctissimę Dei genitricis inuocarunt pro eius salute humiliter supplicantes atq; se voto constringentes; quod si meritis suis curauerit puerum, venerandam illius memoriam cum hostia placationis apud arenam prope Dittelbach quantocyus visitarent. Ex audiuit S. Maria preces humilium, & puerum deinceps vsque in præsentem diem ab ipso morbo suis meritis liberauit.

MI-

MIRACVLVM XXVII.

DE MVLIERE IN PARTV LABORANTE, QVAM Domina noſtra meritis ſuis miſericorditer liberauit.

ANNO Chriſtianorum M.D. IX. indict. Roman. 12. fuit mulier vna nomine Cunegundis, quæ in partu laborans grauiſſimè periclitabatur, intantum quod à ſenſibus deficiens præ nimio dolore vſum rationis amiſit: mulieres autem circumſtantes periclitantem, vt moris eſt, & de vita illius deſperantes beatiſſimam Dei genitricem, qua poterant deuotione inuocabant pro eius ſalute intentius orantes: ipſam quoq; patientem ad memoriam Dominæ noſtræ venerandã apud oppidum Dittelbach cum oblatione imaginis de cera promiſerunt, ſi meritis eius à periculo fuerit liberata. Statim beatiſſima Virgo MARIA preces admiſit, ſupplicantium, & periclitantem miſericorditer liberauit. Mox enim ad ſeipſam mulier rediit, fauſtè peperit, & plenè conualeſcens non diu poſtea votum pro ſe factum impleuit.

MIRACVLVM XXVIII.

DE VIRO QVODAM INFIRMO, QVI AD INVOcationem Dominæ noſtræ apud Dittelbach conualuit.

EODEM anno in villa, quæ quæ dicitur Emerſche, Ducatus Franciæ orientalis erat vnus, nomine Fridericus, Molitor artificio, q̃ grauiſſima diutius in corpore ſuo torq̃batur infirmitate, eũq; ſanitatis amore plures conſuleret medicos, curari à nullo potuit, & nec cauſam ægritudinis ab aliquo inueſtigare valuit, nec nomen aut qualitatem. De omni ergo humano remedio deſperatus, tandem ad diuinum ſe contulit, & beatiſſimam Dei matrem apud Dittelbach in arena propitiam deuotius inuocauit, promittens ſe quantocyus cum oblatione locum viſitaturum, ſi meritis eius optatam conſecutus fuerit ſanitatem. Orauit, vouit, conualuit, veniens q; huc promiſſa adimpleuit.

MIRACVLVM XXIX.

DE MVLIERE, QVAM BEATISSIMA DEI GEnitrix Virgo MARIA ex magna liberauit infirmitate.

MEMORATI molitoris vxor Eliſabeth graui corporis moleſtia laborabat & crescente morbo quotidie tandem vt iam iã moritura iacebat. Dolores namq; capitis intolerabiles diutius paſſa vſum rationis

rationis pæne amisit. Postremo inducta viri admonitione, quippe qui matris Dei clementiam in sua ægritudine fuerat experrus, votum cum oratione ad venerandam eius memoriam in arena prope Dittelbach promisit. & in breui tempore meritis Dei parentis conualescens, Domino Deo eius & genitrici castissimę gratias retulit, veniensq; ad hũc locũ in arena cum oblationibus promissis comitante marito votum suum læta mente adimpleuit.

MIRACVLVM XXX.

DE HOMINE, QVEM EX PVSTVLIS GALLICANIS infirmum DOmina nostra inuocata sanauit.

ANNO Dominicæ natiu. prænotato, Stephanus quidam faber lignarius in villa maiore Harbach diœcesis Herbipolensis, haud procul ab oppido Rottenburg prope Tuberam morbo pustularum, quas malum Gallicum vulgò nuncupant (de quo in Chronicis latius disseruit) multo tempore grauiter laborabat: cuius facies tota pustulis turgentibus vsq; adeo fuit infecta simul & perforata, vt monstrum potius abominabile, quàm homo videretur. Venter etiam pustularũ veneno in tantum corrosus fuit, & graui hulcere plenus, vt sanitatis recuperandæ spes nulla penitus haberetur. Omnium namque infirmitatum extrinsecus nostro tempore apparentium hic morbus grauior, & lepra etiam abominabilior esse cõsueuit, ac dici. Vir igitur memoratus, posteaq̃ à festo S. Bartholomæi vsq; ad natale Saluatoris & Domini nostri Iesu Christi prædicta infirmitate grauissimè laborasset, tandem in nocte, quæ festum S. Ioannis sequebatur in somnis quendam audiuit monentem, vt se cum oblatione ad memoriam S. Mariæ Dominæ nostræ apud Dittelbach in arena iturum promitteret, sicq; sanitatem sine dubio recuperaret amissam. Euigilans homo, & visioni credens, se quantocyus vouit iturum, conualescensq; perfectè meritis reginæ cælorum, gratias curatrici suæ retulit, ac votum lætus impleuit.

Chron. Spanhem. anno 1496.

MIRACVLVM XXXI.

DE VIRO PERCVSSO SAGITTA IN CAPITE, quem beatissima Dei genitrix MARIA liberauit.

EODEM quoq; anno contigit miraculum, quod dictum sum. Homo quidam, Georgius nomine, ex Bambergensi ciuitate oriundus, arte chyrurgus iter die quodam de oppido Bischoffsheym cũ quibusdã aliis mercatoribus versus Herbipolim agebat, die videlicet Dominico post Exaltationẽ S. Crucis cũq; pueniissent in locũ, quem vulgo, das Kalteloch nuncupant, quatuor ex nemore latrones armati prorumpunt in equis sedentes, qui cum sagittis & gladiis vim transeuntibus inferre tentabant: è quibus vnus sagittam emittens memoratum Georgium in fronte supra dextrum oculum tam fortiter percussit, quod telum in capite fixum permansit. Vulneratus autem cadens in ter-

tetram de vita iacebat desperans: tandem Domino miserante cogitauit, quanta miracula Domina nostra in arena prope Dittelbach generi ostendisset humano, & mente confortatus, eius mox implorauit suffragium; & peregrinationis ad locum emisit votum. Cuius preces beatissima Virgo MARIA clementer exaudiens optatam sanitatem læso contulit, & quanta pietate genus humanum prosequatur, stupendo miraculo declarauit. Enimuerò contra spem omnium transfixus capite surgens iter suum cum sociis fugatis latronibus continuauit Herbipolim: vbi facta imagine de cera, sicuti promiserat, vlterius processit ad S. MARIÆ in arena venerandam memoriam, cuius expertus fuerat medicinam.

MIRACVLVM XXXII.

DE PVERO, QVEM BEATISSIMA DEI GENITRIX inuocata de mortis interitu reuocauit ad vitam.

ANNO etiam prænotato vir erat in vico Wilentzheym, nomine Leonardus de Wenckheym. Hic puerum habebat infirmitate grauissima laborantem, qua nimium crescente puer ad extrema deuenit, & quasi mortuus aliquandiu iacuit: cuius parentes ad misericordiam Dominæ nostræ conuersi eius auxiliũ tota deuotione mentis inuocarunt, promittentes, se puerum, si ad vitam seruatus fuerit, cum cera pondere corporis eius ad capellam in arena prope Dittelbach quantocyus oblaturos. Mox ad vitam puer, qui mortuus videbatur, intercessione piissimæ Dominæ S. MARIÆ conualuit.

MIRACVLVM XXXIII.

DE QVADAM PVELLA CORPORE QVASSATA ex casu, quam virgo MARIA sanctissima curauit.

IN oppido Frickenhausen contigit anno prænotato quod narramus. Erat puella in domo balnearia lauari cupientibus ad seruiendum conducta, cuius nomen memoriæ non occurrit. Hæc die quadam incautius progrediens de alto cecidit, & quassato corpore duas costas enormiter confregit. In maximis igitur doloribus constituta suis clamoribus omnes inquietabat, cum neque in die requiem habere posset, neq; in nocte. Vnde necessitate compulsa, cum industria humana nullum inueniret, ad auxilium se totam contulit diuinũ. Audiens verò, q̃ multa quamq; stupenda sanitatum beneficia mortalibus exhibeat beatissima Dei genitrix Virgo MARIA in noua capella prope Dittelbach, eius subsidium deuota petiit, & pro sanitatis consecutione votum peregrinationis cum oblatione argentea ad ipsam eius memoriam emisit. Confestim meritis beatissimæ Virginis melius sentiens in breui tota conualuit, & veniens læta promissionem impleuit.

MIRACVLVM XXXIV.

DE MVLIERE IN PARTV PERICLITATA, quam inuocata beatissima Virgo miraculosè liberauit.

EODEM quoq; anno fuit in villa Halstat mulier vna in partu grauiter periclitata, cuius dolores intantum creuisse memorantur, quod mulieres conuocatæ præsentes eam pro mortua computantes ad sua redierunt. Quo viso maritus nimium contristatus flexis in terram genibus auxilium Dei genitricis deuotè inuocauit, & vxorem, si conualesceret cum oblatione ad eius memoriam prope oppidum Dittelbach exhibendam promittens deouit. Statim ad semetipsam mulier rediit. & meritis Dominæ nostræ conualescens marito comitante venit, ac votum consummauit.

MIRACVLVM XXXV.

DE MVLIERE, QVAM INVOCATA MATER Domini misericorditer sanauit.

ANNO Domini prænotato fuit mulier quædam in oppido Wirtzburgensis Ecclesiæ Ochsenfurt. Elisabeth nomine, q̃ diu febribus grauissimè laborauit. Hæc posteaquam nulla medicorum industria potuit curari, diuinum crebrius auxilium inuocauit. Audiens autem plures ad memoriam Dominæ nostræ in arena prope Dittelbach miraculosè fuisse sanatos, cœpit habere confidentiam, & multiplicauit orationem. Vnde votum vouit mente spontanea, & in animo contrito reginæ cælorum: quoniam si meritis eius sanitatem consecuta fuerit, venerandam illius memoriam in arena quantocyus visitaret. Et ecce beatissima Dei genitrix semper Virgo intacta Maria, quę nullum fideliter inuocantem aliquando contempsit, vota mulieris clemẽter acceptans omnimodam ei sanitatem contulit, & meritis suis febrium ardorem fugauit. Sanata mulier grata esse cupiens beneficio cum duabus ceræ libris venit ad sanctæ Mariæ venerandam memoriam feria tertia post festum resurrectionis Dominicæ anno prænotato faciens quod promisit.

MIRACVLVM XXXVI.

DE PRESBYTERO LITHIASIM GRAVISSIME patiente, quem sancta Dei genitrix misericorditer liberauit.

PRESBYTERVM noui hominem religiosum, cuius nomen inanis gloriæ vitandæ causa rogatus omitto. hic lithiasim grauissimè patiens lecto decubuit, & inæstimabili dolore quassatus mirabile intuen-

tibus spectaculum fuit: cumq; omnia remedia, etiam prius experta simul & probata deficerent, ad inuocandum suffragium beatissimæ Dei genitricis Mariæ totum se contulit, & tali ad eam, sicut mihi retulit, prece deuotus orauit. O sanctissima Dei genitrix semper intacta Virgo Maria, mater clementiæ, fons & origo pietatis, quæ neminem vnquam in sua tribulatione te fideliter inuocantem despexisti, miserere mei, & ora pro me ad filium, vt liberet me ab hoc intolerabili morbo, quem patior, & ego in propria persona venerandam tui memoriam in arena prope Dittelbach quantocyus visitabo, & tuam pietatem, quanta deuotione potero, deinceps semper prædicabo. Oratione completa, non sine lacrymis, quoniam dolore nimium erat fatigatus, parumper obdormiuit, & postea euigilans sanum se resoluta materia inuenit. Cupiens autem gratus esse curatrici venit ad eius sanctam memoriam, & qua potuit deuotione suam impleuit promissionem. Imaginem verò, aut signũ accepti beneficii nullum posuit, propterea quod notari de vana gloria penitus recusauit. Idem presbyter biennio postea in infirmitatem aliam satis grauem incidit, propter quam semetipsum de vita desperauit. Vnde memor prioris beneficii, quod meritis Dominæ nostræ, sicut diximus, acceperat, iterum de pietate illius sumpsit fiduciam: petiuit, & obtinuit sanitatem. Magna Dei matris clementia, quæ suos famulos tam pia & prompta miseratione prosequitur. Nam, sicuti veridica eiusdẽ sacerdotis relatione cognouimus ab vtroq; morbo, lithiasis & asmatis liber & sanus viuit in præsentem diem.

MIRACVLVM XXXVII.

DE QVODAM VVLNERATO GRAVITER, QVI meritis Dominæ nostræ miraculosè conualuit.

VIR quidam erat ex oppido Karlestat, nomine Nicolaus qui de opere manuum suarum victum & amictum rusticorum more quærebat. Hic die quadam in villagio Northeym, vbi conductus pro mercede laborabat, iocans cum socio, eius cultello in sinistro latere, & casu grauiter vulneratus est intantum, quod semetipsum desperabat. Votum peregrinandi fecit ad prædictam S. MARIÆ memoriam, orauit, conualuit, & suam peregrinationem adimpleuit.

MIRACVLVM XXXVIII.

DE PVELLA, QVAM BEATISSIMA DEI GENITRIX virgo MARIA à morbo caduco subito liberauit.

ANNO Domin. natiuit. prænotato M. D. IX. puella erat paruula in oppido Suartzaeh, quod haud multum distat à capella S. Mariæ in arena, de qua loquimur, filia Conradi macellarii, & nomen iuuenculæ Anna. hanc morbus epilepsiæ, quem caducum vocamus à casu, XII. die mensis Decembris subitò corripuit, & prosternẽs in terrã grauiter afflixit. Nam septies inter diem collapsa & noctem horren-

rendum cernentibus spectaculũ præbuit: cũq; in septimo iã paroxismo grauissimè laborans morti videretur proxima, parẽtes natæ compassi, patrocinium beatiss. Dei genitricis Mariæ, qua poterãt deuotione inuocarunt, voto promittẽtes humiliter, quoniã, si Domina ipsa nostra ter sancta, quaterq; beatissima puellam sanitati meritis suis restitueret, eius memoriam isthic in arena quantocyus cum oblatione imaginis cereæ ad pondus ægrotæ visitarent. Et ecce huiusmodi votatione cũ lachrymis à parentibus facta, mox ad se puella rediit, & morbum caducum vsq; in præsentem diem non amplius passa fuit. Nec implere votum fideles distulere parentes, sed quantocyus ad memoriam Dominæ nostræ venientes in arenam promissa soluerunt.

MIRACVLVM XXXIX.

DE QVADAM MVLIERE IN OPPIDO ROTtenburg, quam Dei mater à grauissima infirmitate liberauit.

MVLIER erat in oppido Rottenburg imperiali iuxta Tuberam fluuium, cuius nomen hac vice nobis non occurrit, quæ multo tempore graues totius corporis sui patiebatur dolores, nec ab aliquo medicorum poterat releuari. Quæ cum audiuisset multos ad memoriã Dominæ nostræ sacrosanctissimę prope Dittelbach in arena de multis & variis infirmitatibus miraculosè fuisse curatos, spem salutis consequendæ hausit animo, & votum peregrinationis ad locum fideli deuotione consummandum emisit. Et, quia fideliter credidit, confidenterq; orauit, mox sanitatem totius corporis accepit.

MIRACVLVM XL.

DE MVLIERE IN PARTV PERICVLOSE LAborante, quam inuocata Domina nostra statim liberauit.

ALIA fuit mulier in partu grauissimam per biduum passa difficultatem: quæ cum maximis continuè vrgeretur doloribus, nec tamen fœtum in lumen edere posset, de sua etiam desperauit salute: cum ecce subitò ei venit in mentem, quanta omnipotens Deus per merita suæ castissimæ Dei genitricis in hac peregrinatione noua sanitatum exhibuerit mortalibus beneficia, & quod nullus discretur contemptus, qui patrocinium eius deuota syncritate inuocauerit. Vnde & ipsa fiducia cõcepta eius fideliter imploraui auxilium, & sanctæ peregrinationis ad eius memoriam in arena cum muneribus protulit votum. Voto cum oratione promisso statim habere melius cœpit, & sine magno dolore infantem viuum in lucem protulit.

MIRACVLVM XLI.

DE QVODAM VIRO NOBILI, QVEM INVOcata sanctissima DEI genitrix in brachio dolentem sanauit.

ANNO quoq; Domini memorato contigit miraculũ quod dicturus sum. Sigismundus vir nobilis Dominus in Svvartzenburg Herbipolensis diœcesis in altero brachiorum suorum nescio quid passus grauiter dolebat, intantum, quod neq; diebus requiem, neq; noctibus habere poterat. Qui audiens plura meritis Dominæ nostræ in arena mortalibus præstari beneficia, eius patrociniũ petiit, votum peregrinandi ad venerandam eius memoriam emisit, & quã optauerat sanitatem citius impetrauit. Sanatus autem meritis beatissimæ Dei parentis gratum se curatrici exhibuit, & veniens promissum adimpleuit.

MIRACVLVM XLII.

DE PVERVLO EPILEPSIÆ MORBO ATROCIter correpto, & meritis Dominæ nostræ S. MARIÆ sanato.

ANNO item nono supra M. D. accidit miraculum, quod iam dicturi sumus. In oppido Ducatus Franciæ Orientalis Geroltzhoffen nuncupato puerulus quidam erat remissione parentum vino nimium inebriatus: quæ consuetudo pueris apud Francos nostros frequenter multarum est causa ægritudinum, sicut & illi contigit, de quo loqui cœpimus. Inebriatus enim diro epilepsiæ morbo statim correptus est, & sanguine per os simul & nares emanante, nihil aliud, quam mors adesse putabatur in puncto. Conterriti parentes auxilium beatissimæ Dei matris humiliter inuocarunt, promittentes se vna cum puero sanctam eius in arena quantocyus visitaturos memoriam, & ad pondus infirmi ceræ oblaturos imaginẽ. Exaudiuit humilium preces altissimus, & pro matris suæ reuerentia puerum à miserabili ægritudine sanauit.

MIRACVLVM XLIII.

DE MVLIERE TRIDVO PERICLITATA IN PARtu, quam DEI semper inuiolata genitrix liberauit.

ANNO Christianorum M. D. X. indict. Romanorum X. fuit in villa Vesten dicta mulier vna, quæ per continuos tres dies & noctes in partu grauissimè laborabat, intantumque debilitate mentis

tis & corporis afflicta iacebat, vt omninò moritura videretur. Nam obstetrix, & mulieres, quæ fuere præsentes nimio pauore perculsæ occasum parturientis expectabant. Interea mulier viribus deficiens mortuæ simillima videbatur, quæ in semetipsa conuersa venerandam Dominæ nostræ memoriam apud Dittelbach celebrem in mente reuoluebat. Verum, quia sermone non potuit, desiderio mentis auxiliũ eius inuocauit, salutem postulans corporis, & votum faciens sanctæ visitationis: quo mente deuota emisso mulier confestim peperit, & contra spem omnium vita reseruata fuit. Vnde non diu postea vicesima octaua die mensis Maii plebano suo presbytero cum tredecim personis aliis eiusdem villæ comitata in sanctam diuæ Parthenices memoriam, & votum quod promiserat deuota impleuit.

MIRACVLVM XLIV.

DE PVERO IN AQVA SVBMERSO, ET MORTUO, quem beatissima Dei genitrix ad vitam reuocauit.

EODEM anno vir erat in villa Reperndorff, nomine Lilianus, qui filiam habebat paruulam annorum ferme trium. Hæc feria quadam sexta post medium Quadragesimæ domum egressa paternam in medio villagii iuxta lacum aquarum ad equorum potum, vt moris est, rusticorum colligendum in terra factum deambulauit, & puerili circuiens leuitate tandem in ipsum stagnum cecidit, & in aqua submersa fuit. Post horã parentes nihil tale metuentes, cũ filiam per totum villagium quærerent, nec tamen inuenirent, casu ad aquarum lacunam peruenerunt: cum ecce Pater in aquam visum contorquens filiæ camisiam desuper natantem conspexit, ipsa desubtus totaliter corpore immersa. Nimio autem pauore correptus in aquam saltauit, camisiam cum filia submersa extraxit. in qua nulla vitæ signa, sed mortis manifesta indicia reperit. Pluribus namque horis mortua iacuit, quoniam aquis præfocantibus plena fuit. Vnde parentes compellente affectu pietatis, vbi auxilium nullum erat humanum, suffragium consultè imploruere diuinum, scientes Deo nihil esse difficile. Voto igitur promiserũt Deo, & eius castissimæ genitrici semper Virgini Mariæ, si filia eorum vitæ restituta fuerit, quod casulam vnam sacerdotalem de serico nouam in memoriam tanti beneficii ad capellam sub nomine reginæ cælorum in arena constructam de suis facultatibus essent oblaturi vna cum cæteris ad ornatum Missæ pertinentibus. Et ecce mira diuinæ pietatis operatio. Nam mox vt promissio voti cum orationibus ad matrẽ pietatis insonuit: puella, quæ videbatur, & erat mortua, Deo miserante ad vitam reuocata fuit. Cuius reparationi pater & mater congaudentes, ne arguerentur ingratitudinis, si votum implere diutius distulissent, comparata sacerdotali casula, siue planeta serica coloris albi, vna cum reliquis ornamentis ad eam pertinentibus venerũt in sanctam Diuæ genitricis Dei memoriam, & summa cum deuotione offerentes eam Domino suam impleuerunt promissionem.

MIRACVLVM XLV.

DE QVADAM MVLIERE IN PARTV PERICLItata, quam Domina nostra sancta Maria liberauit

IN villa Ducatus Franciæ Orientalis, Heydenfelt nuncupata, fuit mulier quædam nomine Anna, quæ anno prænotato meritis beatissimæ Dei genitricis taliter fuit à mortis interitu liberata. Grauida fœtu, cum instaret tempus pariendi maximam incidit huius rei difficultatem. Per plures etenim dies grauissimè laborans parere non potuit: quamuis in vtero viuus infantulus, & tactu & visu obstetricum sentiretur. Ad portam quippe natiuitatis modo inconuenienti ad nascendum processerat, sed extrahi viuus aut integer nulla potuit ratione. Vnde post multos obstetricũ labores, & inæstimabiles puerperæ dolores de vita tandem vtriusq; desperatum fuit. Cupiens autem sagax obstetrix animam Christo consignare mox recessuram, comprehẽsa corpusculi parte, quæ lucem intrauerat in nomine patris & filii & spiritussancti, vt periclitantium consuetudo est, hęreatem baptizauit, & mox infans seminatus mortuus est. At mulier immensis afflicta doloribus iacebat etiam ipsa moritura, quoniam à mortuo puero liberari non potuit. Postremò donauit marito iacentis in mentem omnipotentis miseratio, quatenus auxilium Dominæ nostræ pro salute vxoris inuocaret. orauit, vouit, exaudiri meruit. Statim namq;, vt beatissimæ Dei matris auxilium, contulit viribus infirmæ Deus incrementum, cœpitq; subitò conualescere, & votum, quod maritus pro ea fecerat, collaudare, votumq; pro ea sanctam ad memoriam illius in arena prope Dittelbach emitteret. Consilio aũt inito, mulieres, quæ fuerunt præsentes, puerum ex vtero mortuum cum instrumentis ferreis extraxerunt in frusta quindecim diuisum. Quo facto mulier Dominæ nostræ meritis conualuit, & veniens cum marito suo votum adimpleuit.

MIRACVLVM XLVI.

DE PVERO PATIENTE MORBVM CADVCVM quem beatissima Dei genitrix miraculosè liberauit.

ANNO etiam prænotato erat vir quidam nobilis, nomine Wolffgangus, Dominus in castro Baltenberg, cuius puerulum morbus epilepsiæ per quatuordecim dies continuos grauissimè collidens singulis diebus ad minus septies in terram prostrauit. Monitus pater à familia, quatenus illum ad memoriã sanctissimæ Dei genitricis Mariæ cum oblatione aliqua deuoueret in arena ,ppe Dittelbach, libens acquieuit. Orauit pro sobole, votũque sanctæ peregrinationis iuxta suorum consilium emisit, & patienti sanitatẽ impetrauit. Ab illo namq; die vsque in præsens puer à morbo epilepsiæ liberatus sanus & incolumis miraculo perhibet testimonium veritatis. Pater autem, quod promiserat, summa celeritate mandauit impleri.

CA-

MIRACVLVM XLVII.

DE PVERO, QVI IN CVLTRVM CECIDIT, ET meritis beatissimæ Virginis Mariæ sanatus fuit.

IN villa Russbrun haud procul ab imperiali oppido Windesheym puerulus quidam in cultrum cecidit, de quo vulnus graue sub vno oculorum accepit. Culter etenim satis profundè caput ingressus, aut morti timebatur adesse introitum, aut omnino destructurus ocellum. Vnde parentes pueri, tam pro vita, quam pro oculo eius soliciti patrocinium beatissimæ Virginis Mariæ summa cum deuotione inuocãtes infantem cum oblatione hostiarum ad eius venerãdam memoriã in arena deuouerunt: quorum preces sanctissima Domina nostra clementer admittens, & puero vitam & à læsione oculum præseruauit.

MIRACVLVM XLVIII.

DE QVODAM HOMINE, QVEM BEATISSIMA Dei genitrix à febribus inuocata liberauit.

ERAT vir quidam in partibus Franciæ Orientalis, nomine Ioannes, qui morabatur in eo loco, quem vulgo Burgvvinheym nuncupant. Hic magnis febribus diutius grauiter æstuans, cum nullum humanæ artis inueniret remedium, prudenter se contulit ad diuinum. Audiens enim, quanta singulis pænè diebus miracula fierẽt ad venerandã Genitricis Dei memoriam prope Dittelbach in arena ipsam Dominam nostram, qua potuit deuotione, inuocare studuit, & si liberaretur à febribus eius visitare capellam quãtocyus promisit. Orationibus & voto cõpletis Deo miserante conualuit, & veniens cum oblatione promissa gratias egit. Multos deniq; curatos à febribus meritis & intercessione beatissimæ Dei genitricis MARIÆ cognouimus: quorum in hoc volumine mentionem nullam facimus. Eorum duntaxat hic fit mentio, qui ad percepti beneficii memoriam schedulas rem gestam continentes in Ecclesia posuerunt.

MIRACVLVM XLIX.

DE QVODAM PVERO, QVEM EPILEPSIÆ morbo correptum sanctissima Dei mater & Virgo sanauit.

IN villa Thelheym erat anno Domin. Natiuit. suprascripto vir quidam, nomine Ioannes Steinbach, cuius filius paruulus morbo caduco, seu epilepsiæ correptus miserabile suis spectaculum

fuit. Eo tempore, sicut & hodie, dum ista scribimus celebris & magnæ opinionis fuit per totam Franciam Teutonicorum veneranda Dei genitricis memoria prope Dittelbach in arena & multi à diuersis infirmitatibus ibidem eiusdem Dominæ nostræ meritis quotidie sanabãtur. Quod cum virum nequaquam lateret prænominatum pro filio suo preces ad matrem Domini fudit cum lachrymis & votum emisit ad eius memoriam sanctæ peregrinationis. Cuius deuotionem Dei mater suscipiens ilico sanauit puerum, & vsq; in præsens ab eo morbum caducum fugauit.

MIRACVLVM L.

DE QVODAM RVSTICO PAVPERE, CVIVS horreum beatissima DEI genitrix ab incendio præseruauit.

EST villa in Ducatu Franciæ Albertzhausen nuncupata, in qua vir pauper cum aliis rusticis commanebat, sibi & suis victum de agricultura conquirens simul & amictum. Quodam igitur tempore, quando fruges suas iam in horreum congregauerat omnes, latrunculi quidã noctu ipso ex metu eorum vigilante & vidente sagittas in horreum deforis miserunt ignitas, domos villæ omnes cum frumentis cupientes in fauillam redigere. Quod ille videns, sed domum propter timorem latronum egredi non præsumens ad genua procidit, & defensionem beatissimæ MARIÆ semper Virginis humiliter inuocauit, rogans, vt sibi totius anni victum ab incendio præseruare misericorditer dignaretur. Deniq; votum vouit ipsi reginæ misericordiæ, quod eius venerandam in arena quantocyus visitaret memoriam, & secum gratitudinis quam posset, aliquam deferret oblationem. Et ecce virtutem ignis pia constrinxit deuotio, quoniam super stramina in horreum proiectus colligatam sibi consumpsit materiam, & postea deficiens stramina non læsit. Homo namq; mane post recessum latronum ingressus horreum, sagittas tres ignitas in straminibus reperit: quarum duæ in semetipsis consumptæ defecerant: tertia verò extincta sine ignibus iacebat. Cognouit autem fidelis homo Dei miraculum, & impleuit citius, quod promiserat votum.

MIRACVLVM LI.

DE IVVENE, QVEM BEATISSIMA DEI GENITRIX MARIA de grauissima infirmitate liberauit.

VIT anno Dominicæ natiuit. M. D. X. in vico Nidernbreit vir quidam nomine Bartholomæus præceptor puerorum in primis elementis litterarum, qui filiũ habebat morbo pustularum grauissimè infirmantem. Est autem morbus luridus instar lepræ pustulosus, contagio plenus, qui corpus infecti non solũ foris reddit leproso abominabilius (in tantum, quod etiam ipsi leprosi consortia fugiunt hac ægritudine infectorum) sed etiam interriora

teriorà putrescere facit, linguam, guttur, & palatum consumens penitus infirmorum. Memoratus itaq; puer, nomine Ioannes foris toto corpore hulcerosus, & interius pænè ad mortem corruptus sic iacebat, inutilis sibi, & parentibus onerosus. Os eius pustulis erat plenum, & lingua simili putredine in magna sui parte corrupta. Cibum absumere multis diebus poterat nullum, sed liquoribus duntaxat in ore missis vitam miserabilem protrahebat. Continuis deniq; doloribus, & immensis torquebatur, & neq; diebus, neq; noctibus quiescendi horam vel modicam poterat inuenire. Compulsus dolore gemebat, & miserandis impleuit clamoribus domum. Quadam igitur nocte nimium dolorem fletu & gemitibus, vt fieri solet, manifestans, omnes in sui compassionem attraxit. Pater verò peramplius illi compatiens misericordiam Dei omnipotentis & patrocinium eius castissimæ genitricis semper Virginis Mariæ, qua potuit deuotione inuocauit orans & gemens pro filio, cui mors magis optanda videbatur, quam vita. dixitq; inter orandum. O beatissima Dei genitrix Virgo semper intacta Maria exaudi me patrem infelicem pro misero filio supplicantem, & quæ inuocata sanitatem multis contulisti ægrotantibus, etiam huius miserata infirmi elementiam in eo tuam ostende precor, quam nulli vnquam denegasti postulanti fideliter. Promitto enim tibi, ô sanctissima Virgo virginum, quoniam si meritis tuis sanitatem assecutus fuerit, præsentabo illum quantocyus in arena Dittelbach cum oblatione gratiarum ad venerandam sanctitatis tuæ memoriam: & quamdiu vixero, miserationum tuarum præconium prædicabo. Ab illa hora puero gratia Dei melius sentire contulit, & inbreui totaliter conualescens promissionem patris adimpleuit.

MIRACVLVM LII.

DE QVODAM INFIRMO A SENSV ALIENATO, quem beatissima Virgo MARIA sanauit.

EODEM quoq; anno institutor puerorum in Eysentzheym superiore nomine Ioannes in grauem ægritudinem incidit, qua dietim crescente vsum rationis simul & loquelam penitus amisit. Per dies enim quinq; alienatus à semetipso, ac mutus sic iacuit: & neq; bibit, neq; manducauit. Homines autem circumstantes iacentem die quinto, postquam obmutuerat, pro salute eius sanctissimam Dei genitricem inuocabant, promittentes illum, si sanatus fuerit, cum oblatione sacri muneris ad sanctam eius in arena memoriam, vbi cõplures nouerant amissam recepisse sanitatem. Et ecce, quamprimum nomen sanctissimæ Dei genitricis dulcissimum cum voto insonuit, ad rationis vsum infirmus reuersus fuit. Qui meritis patronæ fidelium sanus factus peregrinationem promissam sine dilatione peragere studuit, veniensq; huc ad venerandam eius memoriam cum sufficiente testimonio votum pro se adimpleuit.

MIRACVLVM LIII.

DE QVODAM PRESBYTERO FEBRICITANTE, quem Domina nostra sua pietate sanauit.

NOVI presbyterum populorum quartanis febribus grauiter laborantem, qui ad consilium cuiusdam fidelis amici patrocinium semper ab omni macula præseruatæ Dei genitricis Mariæ pro sui liberatione

ne inuocauit, promittens se venerandam eius in arena memoriam cum oblatione muneris quantocyus visitaturum. Verè omnia possibilia sunt credenti: & nihil est, quod non valeat confidens impetrare oratio. Sanus etenim factus est presbyter in ipsa hora, & veniens, quod promiserat, impleuit.

MIRACVLVM LIV.

DE QVODAM VIRO, QVI VSVM RATIONIS perdiderat, meritis sanctissimæ Dei genitricis sanato.

ANno Domin. Natiu. præsenti, in quo viuimus, & ista scribimus. M. D. XI. indict. Romanorum quarta decima erat vir vnus in Thelheym, nomine Andreas, qui diuturna & grauissima ægritudine in phrenesim incidit, & tantam vesaniam incurrit, quod, ne quempiam læderet, in vincula coniectus fuerit. Hunc amici tandem ad sanctam Dominæ nostræ memoriam in arena cum oblatione muneris præsentandum deuouerunt, Dei auxilium, & eius castissimæ genitricis patrocinium pro illius salute deuotissimè postulantes. Et quoniam impossibile est, multorum preces non exauditi promissione facta æger conualuit, & vsum rationis, quem amiserat, sanum & integrum recepit. Qui curatrici non ingratus suæ, memoriam eius voti completor honorauit.

MIRACVLVM LV.

DE PVERO EPILEPSIÆ MORBO LABORANte, quem sanctissima Dei genitrix misericorditer liberauit.

IN oppido Mergetheym vir erat, anno prænotato, nomine Ioannes, qui puerum habuit ætatem vnius anni agentem. Hunc morbus epilepsiæ, quem caducum appellãt, inuasit, & secundo tam atrociter collisit, vt de vita illius parentes omnino iam desperarent. Inspirante autẽ diuino spiritu pater multitudinem signorum mirabilium, quæ ad memoriam genitricis suæ in arena Dei operatus est filius, ad mentem cœpit reducere, & concepta fiducia etiam pro suo infantulo deuotius orare. Deniq; votum visitandi hunc locum sanctum adiunxit precibus, & continuò morbus reliquit puerum, nec amplius vllum contigit vsq; in diem hodiernum. Quod subitaneum pater cernens miraculum, cum summa deuotione impleuit, quod promiserat votum.

MIRACVLVM LVI.

DE VIRO PVSTVLIS GALLICANIS INFIRmante, quem sanctissima Dei genitrix sanauit.

FVit anno præscripto in villa Eckelsheym prope Forcheym Bambergensis diœcesis homo quidam Martinus nomine, quem morbus ille Gallicanus per multum tempus vsq; adeo contriuerat, quod in lecto decumbens,

bens, nec pedem mouere potuit nec manum. Escam simul & potum aliorum manibus sumebat applicitum, adeoq; iacebat infirmus, vt præter linguam nullum in toto corpore membrũ suo fungeretur officio, in hac miserabili ægritudine tabescens, & quotidie à semetipso magis ac magis deficiens tandem ad mentem reduxit, quod sæpius audiuit, quomodo beatissima DEI parens semper intacta Virgo MARIA suis meritis & precibus apud Dittelbach innumerabiles penè sanaret ægrotos, quibuslibet etiam infirmitatibus viderentur prægrauati. Vnde & ipse spem sumens desiderio sanitatis incaluit, & suffragium diuæ Parthenices cum interpositione voti rogans, orans & plorans deuotissimè inuocauit. Nec mora. miserator & misericors Dominus pro reuerentia & honore suæ castissimæ genitricis MARIÆ preces exaudiuit pauperis, sanitatem contulit, & inueteratum diu morbum de toto eius corpore misericorditer fugauit. Qui sanus factus contra spem omnium surrexit de lectulo, & veniens huc ad arenam, impleuit, q; promiserat, votũ.

MIRACVLVM LVII.

DE QVODAM PVERO GALLICANIS PVSTVlis penè consumpto, quem S. MARIA sanauit.

IN eadem villa Eckelsheym puer vnus fuit duorum ferme annorum, quem pustulæ Gallicanæ (sic etenim propterea nominantur, quod ex Gallis ante annos decem & octo primum venerunt in Germaniam, & deinceps totam vsq; in præsentem diem occupauerunt Europam) tam enormem reddiderunt, & aspectu horrendum, vt monstrum potius esse videretur, quàm homo. Corpusculum quippe totum hulceribus turgidis erat plenum, & multis foraminibus ex putrefactione carnis perforatum. Horror cunctis erat, miserabilem videre puerum, de cuius vita etiam parentes ipsi desperauerãt. Venit eis postremo in mentem vtile consilium, vt quia spes non esset in humanis medicinis vlla, patrocinium Dominæ pro sanitate miserę sobolis inuocarent. Flexis igitur in terram genibus pater & mater superbenedictã Virginem MARIAM cum lacrymis rogabant, quatenus sanctis apud DEVM meritis suis impetrare dignaretur sanitatem puero, & pro eius omnimoda restitutione exorare. Votum insuper vouerunt coram Domino, quoniam si puer sanitatem assecutus fuerit, ipsum quantocyus cum oblatione hostiarum ad memoriam Dominæ nostræ prænotata in arena prope Dittelbach offerrent. Et ecce puer in toto conualuit, cuius mater promissum adimpleuit.

MIRACVLVM LVIII.

DE QVODAM ALIO SIMILI MORBO LABOrante, quem Domina nostra S. MARIA sanauit.

IN oppido Franciæ nostræ Orientalis Ipshoffen fuit anno Domin. Natiu. prænotato homo quidam, cuius nomen schedulæ facti non fuit assignatum. Hic morbo Gallicano, de quo iam antea diximus, grauissimè iacebat infirmus, & viribus corporis,

poris, vt in ea fieri ægritudine solet, omnino destitutus, qui de meritis Dominæ nostræ sumens fiduciam, eius patrocinium petiit, & se cum oblatione muneris ad eius venerandam memoriam in arena vouit, DEO miserante bene conualuit, & promissum adimpleuit.

MIRACVLVM LIX.

DE MONACHO, QVEM BEATISSIMA DEI GENITRIX à quartanis febribus miraculosè liberauit.

MONACHVM noui multo tempore quartanis febribus grauiter laborantem, in quo medicorum curæ defecerant omnes, quarum & variæ & plures fuerant sine profectu adhibitæ. Quadam igitur nocte fatigatus accessu febrium profundo dormiens sopore vidit in somnis Dominam sibi astare venerandam, atq; pulcherrimam, quæ dixit. Quare frater patrocinium Dominæ nostræ non inuocas? ad cuius venerandam in arena prope Dittelbach memoriam tot sanitatum beneficia præstantur mortalibus? His dictis mox visio euanuit, & monachus de somno euigilauit, qui mane visum superiori suo proposuit, & vouendæ peregrinationis ab eo licentiam postulauit. Sed ille non facilè credulus petenti monacho respondit illud Catonis. *Somnia ne cures, nam fallunt somnia plures.* Vicit nihilominus precibus monachus, & vouendi licentiam obtinuit, quam postulauerat. Et ecce dormiens nocte sequenti monachus vidit sibi rursus astare Dominam, quam prius in visione conspexerat, quæ proprius accedens verticem dormientis leniter tetigit, & à capite incipiens cutem totius corporis detraxit, dicens. Ecce iam sanus factus es. cura, vt gratus sis Deo, ne quid tibi contingat deterius. Monachus autem euigilans de somno sanum se reperit, & mirabatur visionis nocturnæ tam velocem atq; mirandum effectum. Nam ab illa hora vsq; in præsentem diem febris eum quartana reliquit, & eum amplius non occupauit. Consensu ergo sui Rectoris huc veniens obsequium Dominæ nostræ promissum deuotus impleuit, & quia, quod offerret, aurum & argentum non habuit, Missam vnam sub honore castissimæ Dei genitricis Mariæ semper Virginis celebrauit.

MIRACVLVM LX.

DE QVADAM MVLIERE IN PARTV PERICLITATA, quam beatissima Dei genitrix à mortis interitu liberauit.

VIR erat in villa quadam territorii Rotenburgensis, cuius vxor in partu vsque ad mortem periclitata parere non potuit, cumq; per continuum triduum grauissimè laboraret, nec fœtum, quo grauabatur, eiicere posset, omnes tandē de vita illius desperauerunt. Postremò infans vno tandem brachio foras extracto, per obstetricem baptizatur & moritur. Miserabilis verò mulier, vt iam moritura cōmunicatur & inungitur, ac multis doloribus cruciatur. Deinde suffragiū intactæ genitricis Dei Mariæ imploratur, votū peregrinationis ad eius memoriā ppe Dittelbach emittitur, & partu exciso mulier sanatur.

CON-

CONCLVSIO.

HÆc sunt Lectores, quæ mihi de miraculis in arena prope Dittelbach ad memoriam beatissimæ DEI genitricis MARIAE per transactum quinquennium factis scribenda fuerant, à senatu & Magistris fabricæ nuper oblata: in quibus, Deum testor, & eius innocentissimam matrem nihil falsitatis me sciente reposui, nihil mendaciter confictum inserui, sed omnia veraciter facta, aut ipse vidi per me aut cognita per manus fideliũ ab aliis accepi. Nemo vero existimet omnia me comprehendisse litteris miracula, quæ ad inuocationem Dominæ nostræ apud Dittelbach in arena sunt ostensa: quoniam omnia scribere, & mihi foret impossibile, & lectoribus tædiosum. Compleui autem hunc sexagenarium miraculorum numerum sexta die mensis Augusti, Anno Domini millesimo quingentesimo vndecimo. Reliqua verò, quæ fient in posterum, addat quicunq; voluerit. Deo gratias semper.

FINIS.

EX MS. COD. CHRONICI COENOBII SPANHEMENSIS HERBIPOLI MOGVNTIAM MISSO.

AD annum M. D. VIII. His, *inquit IOAN. TRITHEMIVS*, temporibus magnus concursus fit hominum ad capellam nouiter fundatam in vineis prope Dittelbach sub honore beatissimæ Virginis Mariæ, in qua ad eius inuocationem sanctissimi nominis multa fieri miracula perhibentur. E quibus duo, quæ sumus experti, referamus. Anno prænotato in quadragesima frater quidam noster Laurentius, presbyter & monachus huius cœnobii S. Iacobi Pæapolitani de Schweinfurdia oriundus quartanis febribus grauissimè vexabatur. Votum de licentia Ioannis Trithemii Abbatis sui ad beatissimam Dei genitricem circa Dittelbach peregrinandi emisit, & ecce proxima nocte sequente Virgo pulcherrima sibi dormienti apparens, veterem totius corporis pellem videbatur auferre, & nouam candidamq; in locum reponere. Qui mox euigilans sanum se & incolumem reperit, & nullum deinceps vsq; in præsentem diem febrium ardorem sensit. IOANNES quoq; ipse Trithemius Abbas noster alio tempore postea reumatis fluxu grauatus periculosum apostema patiebatur in gutture, quo crescente omnem comedendi bibendiq; ei facultatem ademit. Desperatus itaq; de humano suffragio, se totum conuertit ad diuinum. Votum fecit peregrinandi ad beatissimæ Dei genitricis capellam prope Dittelbach, & statim in ipsa hora restricti meatus gutturis aperti sunt: ita quod sine dolore comedere potuerit & bibere. Benedictus DEVS, qui per merita suæ sanctissimæ genitricis tanta in nobis peccatoribus miranda beneficia operatur.

Mirac. 61

Mir. 62.

IOANNIS TRITHEMII MONASTERII D. IACOBI APVD HERBIPOLIM, QVONDAM VERO SPANHEMENSIS ABBATIS, ORDINIS D. BENEDICTI.

DE MIRACVLIS IN VRTICETO IVXTA HEILBRONNAM VVirtzburgensis diœcesis oppidum ad inuocationem Beatiss. Virginis MARIÆ factis,

LIBRI TRES.

Argumenta Capitum Libri I.

CAP. I. Declarat, quibus testibus veritatem horum miraculorum cognorit.

II. Quod amore Dei, B. Virginis reuerentia, & fraternæ caritatis consideratione ad scribendum sit impulsus.

III. Contra eos, qui miraculis nouis, antequam ea examinarint, fidem derogant.

IV. Quod beatissima Virgo Maria sit omni honore dignissima.

V. Quod B. Virgo nunquam originali maculæ subiacuerit, sed nec vnquam actualiter peccarit.

VI. Quemadmodum B. Virgo dignitate & cumulo meritorum cunctis angelis præemineat & hominibus.

VII. Quod eadem sit longe nobilior omnibus creaturis in cælo & in terra.

VIII. Quod eadem plus meruerit de fidelium Christianorum Ecclesia, quam omnes sancti in cælo & in terra.

IX. Quod B. Virgo Maria humano generi ad filium promptissima sit mediatrix, & patrona.

X. Quod dignum & iustum sit Mariam post Deum à nobis summa deuotione coli, quantumcunq; possumus.

IO-

simul & miracula in Vrticeto hactenus ad eius memoriam diuinitus ostensa pro aedificatione fidelium tuorum veraciter, sinceriter, & luculenter describere, omniumq; posterorum meorum litteris commendare. Honora precor in me Domine IESV Christe matrem tuam, quæ nulli peccato, vel originali, vel actuali vnquam subiacuit sed tua prouidentia in omni puritate creata, & in æternum præseruata fuit. Da mihi obsecro Domine IESV sanctissimam laudare matrem & Virginem, de cuius vtero purissimo sine pollutione homo processisti nostram in salutem. Nisi tu à peccatis meis per misericordiam me purgaueris, non erit speciosa laus in ore peccatoris. Si autem me laueris, gratum facies officium laudatoris. Veni & tu sancte spiritus cum Patre & filio DEVS in Trinitate personarum substantialiter vnus, qui sacram tuo munere obumbrasti Virginem, & fœcundasti sine commercio naturæ in sanctæ Virginitatis proposito cum gloria materni honoris perpetuo nihilominus permanentem. Veni dator spiritus increati luminis, & cor meum tuo spiramine clementer illumina, atq; per incendium diuini amoris conscientiam meam ab omni affectione inordinatæ mentis purifica, quatenus numine tuo mundus & purgatus eam virginem dignè laudare pro modulo meo valeam, quam tua præueniens gratia specialis ab omni peccato in æternum præseruauit. Tuum est enim, ô sancte spiritus credentium viuificare animas, & mentes illustrare pœnitentiæ remedio humiliatas. Miserere itaq; mei Domine sancte spiritus cum Deo Patre in vnitate filii Deus omnipotens, manum scribentis in tramite veritatis dirige, sordes conscientiæ peccatricis clementer ablue, ingenium & vires indigno reginæ cælorum laudatori concede. Tu quoq; ô semper castissima Dei genitrix Virgo Maria, Domina mundi, Regina cæli, fautrix & defensatrix humilium, & pia mater pœnitentium peccatorum, adesto precibus, adesto intercessionibus, ad filium continuis. Dignare me laudare te ô mater & virgo sacrata, illustrationis internæ gratiam impetra. vt vera, sancta, & recta de beneficiis per te in Vrticeto mortalibus ostensis miraculosè valeam scribere, & quam digna sis cunctis laudibus fideliter enarrare. Tunc etenim sine timore seu trepidatione laudes tuas simul & miracula scribere potero, cum me tuis meritis omnipotens DEVS mundauerit à peccato. Ora virgo mater ad filium, vt me laudatorem tuum faciat idoneum, detq; mihi peccatorum omnium veniam, & intellectum dono sancti spiritus illustratum.

IOANNIS TRITHEMII ABBATIS DE MIRACVLIS AD INVOCATIONEM BEATISS. VIRGINIS MARIÆ IN VRTICETO IVXTA HELbrunnense oppidum nostro tempore ostensis.

LIBER I.

INITIO DECLARAT, QVIBVS TESTIBVS VERITAtem miraculorum horum sit asserturus.

CAPVT I.

SCRIPTVRVS itaq;, si vires ingenio donauerit altissimus, fundationem monasterii, quod in Vrticeto extra muros Helbrunnenses inhabitant Deo dilecti fratres ordinis B. MARIÆ semper Virginis de monte Carmelo, simul & miracula, quæ diuina potestas in eodem loco ad inuocationem eiusdem beatissimæ Dei genitricis ab anno dominicæ natiuitatis M.CCCC. XLII. indictione Romanorum quinta credentibus exhibere

hibere dignata est vsq; in præsentem annum M. D. XIII. quo istam compilationem inchoaui: operæ pretium imprimis fore arbitratus sum, si maledictis æmulorum defensionis meæ clypeum, & veritatis obiiciam scutum, qui aut inuidiæ stimulis agitati, aut temeritatis & superbiæ facibus incensi omnibus vna sententia nouis miraculis contradicunt, quasi manus Domini sit abbreuiata, & miraculorum exhibitio fidelibus nihil conferat veram ad salutem. Nunquam mortalibus desunt miracula, quamuis hæc ipsa nemo pœnè miretur. Totus mundus miraculũ est, miraculosè regitur & subsistit. Verũ de his miraculis, quæ vsu perpetuo viluerunt apud homines nõ est nobis tractatus, sed de illis, quæ ad inuocationem B. Mariæ Virginis in Vrticeto facta dicuntur: quorum ego me scriptorem exhibeo, non iudicem. Nullum eorum vidi, in Vrticeto hactenus non fui, nec miraculis, quæ scripturus sum, præsens aliquando interfui. Dicet ergo in posterum aliquis, quomodo ausus es miracula tot & tanta conscribere, quorum nec vnum quidem ex omnibus meruisti videre? Cauillanti re-
Deut. 17. spondeo, scriptum est. *in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum.* Qui sunt hi testes, & vnde venerunt? Petrus, cognomento Wirt, S. Theologiæ solidus & eruditus Doctor in Gymnasio Heydelbergensi ante plures annos promotus, & Prior conuentus memorati fratrum Car-
Qui sint testes veritatis miraculorũ Heilbronnensium. melitarum in Vrticeto, primus veritatis miraculorum est testis, qui mihi codicem in quo multa eorum scripta continebantur, in lingua Teutonica nuper exhibuit, & vt ea in latinum veterem sermonem ad beatissimæ Virginis Mariæ honorem instantius rogauit. Homo est bonæ famæ, reformatæ vitæ, eruditionis multæ, & Doctor veritatis, qui mentiri nesciens, omnia quæ sum scripturus, miracula veraciter facta, & minimè conficta profitetur. Secundus testis accessit Henricus, cognomento Sartoris, & ipse Doctor excellens diuinarum scripturarum Gymnasii Heydelbergensis, qui Magistro PETRO Wirt iam memorato die S. Augustini anno 14. supra quingentesimum atq; millesimum spontanea voluntate, amore quietis & studii lectionis diuinæ cedenti successit in prioratu, homo prudens, bonæ famæ, & laudabilis conuersationis, & eadem testificatur. TERTIVS verò testis miraculorum veritatem confirmat PETRVS, cognomento Svvicker eiusdem conuentus ad S. Theologiæ Magisterium Licentiatus, homo doctus, & in gymnasio Ingolstadiensi promotus, qui prior existẽs in conuentu Herbipolensi scripsit, & publice legit in eodẽ super 4. libros Sententiarum Petri Lombardi pro Licentia indultu facultatis libros quatuor. Item sua spõte scripsit & legit in auditorio plurimorum expositionẽ Canonis Missæ insigne volumen. In septem quoq; psalmos, quos Pœnitentiales vocant, librum vnum, Sermones ad populum dixit multos. Sunt deniq; testes miraculorum in Vrticeto factorum omnes in eodem conuentu fratres, qui vel hodie viuunt, vel eos morte intercedente præcesserunt, quorum ego contradicere testimonio de visis & auditis, sicut non debeo, ita nec possum, nec volo. Noui eñ plures inter eos in S. Theologia promotos venerabiles viros, qui opere & sermone se fratres B. MARIÆ semper intactæ genitricis Dei pro viribus exhibere statuerunt. Tantis & tot viris sub regulari obseruantia vitam sine reprehensione agentibus, qui fidem denegat, se vel ignarum veritatis, vel inuidum fraterni profectus, vel temerarium certè, aut superbia tumidum demonstrat. Nec mihi contradictor quisquam obiiciat, quasi testes introduxerim de falsitate suspectos, vtpote fratres ordinem intemeratæ Virginis MARIÆ de monte Carmelo, & in ipso Vrticeti loco professos, q veritati clanculum derogantes patronæ faueant, & pro eius honore miracula nusquam visa vel audita confingant. Impium esset hoc de tantis, tamq; venerabilibus viris & Deo dilectis fratribus suspicari, quos neq; inopia mendicitatis ad falsum, neq; temeritas obstinatę cuiuscunq; opinionis impellit ad mendacium. In huiusmodi *Laudes Carmelitarum Heylbronnens.* etenim vitæ necessariis miserante DEO tam copiosè prouisi sunt, vt neq; subuentione falsis interpositis miraculis more quorundam tenebrionum indigeant, neque genus illud mendicitatis, quod Stationarium vocamus in eo fratrum conuentu admittant. Deniq; nulla de conuersatione illorum habetur sinistra suspicio, vt consuetudine hypocritarum & nebulonum sit eis necessarium falsis miraculis confingere quam non habeant

sanctitatem. Sed neq; doctrina, neq; fide, neq; opinione à communi Ecclesiæ determinatione in aliquo dissentiunt, vt eis sit opus pro confirmatione suę sententię, populiq; comparanda in idipsum beneuolentia reuelationes Dei matris fingere, aut miraculorum ostentatione fallaci & composita mendacio fauorem comparare. Verum ne solt testimonio videamur inniti Carmelitarum, reddamurq; propterea cum ipsis de falsitate suspecti, etiam Consules memorati Helbrunnensis oppidi qui sunt, & ab exordio tanti concursus ad Vrticetum fuerunt, in testimonium veritatis miraculorum citamus. Viri enim sunt prudētes, iusti, virtuosi, Christianæq; religionis deuoti cultores, qui omne falsum detestantur & oderunt mendacium, quorum tanta semper fuit, & est sapientia, vt possibile non sit eos falsis esse deceptos miraculis, aut reuelationibus mirandorū fidē præstitisse non sufficienter probatis. Vnde ne qua interueniret leuium personarum deceptio, certis locū viris prudētioribus à principio concursus memorati procurandum commiserunt, qui non solum oblationes fidelium colligerent, sed etiam, quæ nunciabantur ab aduentantibus facta miracula diligentius examinarent. Nec omnibus miracula circa se facta nunciantibus passim fides adhibebatur, nisi hoc ipsum vel totius communitatis alicuius, vel plurimorum ad minus testimonio comprobassent. Huius autem positionis fundamento veridicorum relatione sufficienter informati miraculis, quæ scripturi sumus, nequaquam derogamus, certam de bonis viris habētes fiduciā, q; nihil falsi nihil friuoli, nihil nō ꝓbatum prius admiserunt. Quod si miraculorum antipalus q; piam testimoniis etiam refragetur Heilbrunnæ Consulatus tanquam incolarum terræ, qui suum oppidulum confictis & excogitatis mendacio miraculis petronum & rusticorum relatione libenter acceptis, fama, diuitiis, honore tali commēto fecerint gloriosum. Alienigenas & ꝓcul & lōge distātes in testimoniū vocam° qbus nemo rationabiliter, nisi fatuus sit, cōtradicet. Sunt nobiles & ignobiles, sunt clerici & laici plures, viri magni & honestissimi, quorum attestationes, quemadmodum suo loco per ordinem dicemus inferius veritatem nostrę assertionis plus, quam sit necessarium, comprobabunt. Quocirca mihi persuasum esse confiteor, miracula in Vrticeto per inuocationem Beatiss. Dei genitricis semper intactæ Virginis MARIÆ, sicuti nobis fuerunt exhibita, & facta esse veraciter, & conscripta nihilominus fideliter. Vnde nemo de me precor sentiat aliter, quam, si mihi constaret, in his aliq; subesse mendacium, tantum laborē non feciſſem, vt scriberem falsū. Deniq; nulla mihi fuit causa, vt onus tantisubirē laboris, nisi amor veritatis, & reuerentia intactæ Virginis Mariæ, quæ mater est Saluatoris, in S. Euangelio dicentis. *Ego sum via, veritas & vita.* Si manseritis in veritate, ipsa veritas liberabit vos. Cum ergò Christus sit veritas, sine quo salus est nulli, certe longius recederem à salute, si matrem veritatis pergerē scienter falsis laudare miraculis. Absit à me procul huiusce vesaniæ præsumptuosa temeritas, quoniam os quod mentitur occidit animam: & qui veritati falsa supponit est Deo contrarius.

Laudantur Consules Heilbrun. vt testes.

Et exterri.

Ioan. 14.

CAPVT II.

QVOD AMOR DEI, REVERENTIA BEATISS. Virginis MARIÆ, & consideratio fraternæ caritatis auctorem impulerint ad scribendum.

Prima causa scriptionis.

IRIBVS moueor causis ad scribendum ea, quæ in Vrticeto facta mihi proponuntur miracula. Prima est omnium, atq; potior inter omnes, Dei amor, qui virtute sui feruoris etiam ad magna compellit sæpe

sæpe infirmos, & facit amanti DEVM possibile, quod aggredi vires humanæ nullatenus præsumerent. Nam, vt diuus ait Papa GREGORIVS, *Amor Dei nunquam est otiosus: operatur enim magna, si est.* Quod si operatur magnis omissis minima, amor non est feruens in corde operantis, sed tepidus, & ob id amor minimè dicendus. Dei amor continuè feruet, præ desiderio semper ad Deum æstuat, & nihil occurrit tam durum, nihil instat tam arduum, nihil præcipitur tam magnum, quod amanti subire non videatur leue, paruum & modicum. Vnde sentẽtiam veram, quam turpis olim scripsit amator. *Qui non vult fieri desidiosus, amet*, ad nostrum propositum iustissima reuocantes ratione, cum S. Pontifice GREGORIO sentimus, quod amor Dei amantem non finit otiosum, sed iuxta verbum Dominicum ignis est de cælo missus in terram, quem ardere in nobis vult ille, qui misit, vt bonum semen Dei in terram cadens aratro sanctæ compunctionis cultam fructum boni operis faciat contuplum, & cor non sinat otiosum. Huius ego scintillam diuino munere consecutus amoris, ne otio torpescerẽ pernicioso, ex quo desideria carnis nascuntur & vitia, his sanctis Quadragesimæ diebus omnes alias meas occupationes litterarias reposui, & me totũ pro Dei amore, cui debeo id omne quod sum, valeo & possum ad scribendum eius beneficia fidelibus in Vrticeto nuper exhibita libens, volens, & amans labori arduo, vt cernitur, submisi. Puto enim iustissima ratione in hoc opus me diuinitus concitatum: in quo Dei amor scribenti & vires, quas non habuerat, contulit, & arbitrii potẽtiam, vt vellet, gratioso munere præuenit. Quid verò habemus, quod à Deo non accepimus? Si autem accepimus, dignum censetur & iustum, vt in eius honorem rursus totum refundamus. Paruas igitur ingenii vires, quas Deo donante arte & vsu consecutus sum, in honorem sacro sancti nominis eius, & debeo fideliter, & libenter volo omni tempore pro viribus expendere, & beneficia Christi posteris enarrare. Amor itaq; Dei, qui scienter nullum admittit mendacium, me principaliter impulit ad scribendum, qui sicut posse contulit, ita & velle remunerabit. Honor intactæ semper Virgini MARIÆ, secundo mihi loco, vt ista scriberem, causam dedit, simul & fiduciam: cui tantum post Deum reuerentiæ, deuotionisque debeo & honoris, quantũ nullus vel mente concipere, vel ore poterit proferre. Ipsa enim est post Deum vna & sola, de qua sancta mater credentium canit Ecclesia. *Felix namque es sacra Virgo MARIA, & omni laude dignissima, quia ex te ortus est Sol iustitiæ Christus Deus noster* Quid felicius hac virgine? quid in cælo & in terra post Deum dignius DEI genitrice? Ab æterno, & porrò ante mundi constitutionem futura Dei genitrix in tempore summa creatoris prouidentia indubitanter à nobis præordinata creditur, eaq; ratione mox creata eius anima infundenda corpori prærogatiua gratiæ specialis ab originali macula præseruatur. Ne stomacheris, oro, qui sentis contrarium, sed audi prius assumptæ rationis complementum. Si Mariam salutis nostræ parẽrem credis omni laude dignissimam, fateberis eam necessariò Dei munere singulari ab omni macula originali præseruatam. Si obiiciens dicas, soli Christo mediatori Dei & hominum hoc priuilegium competit, qui peccata mundi morte sua penitus innocentissima deleuit, pedem siste, breuiter respõdeo. Mihi persuasit Christiana pietas, Mariã ea puritate conceptam in vtero matris, qua maior & purior post filiũ non fuit in mortalib⁹ cunctis. Cõsidera nunc igitur, q̃ via sit opinantibus tutior, piũ sentire de Marię Virginis cõceptione, an impiũ? Quod omnipotens Deus animã eius ab originali reatu præseruare potuerit, scio, quia non dubitas: sed quod voluerit, eãq; præseruauerit, nescio an temerè magis, quam constanter negas. EVA prima cunctorum peccantium mater, de costa viri à Domino Deo sine originali peccato in innocentia ꝓducitur: & Maria salutis & iustitiæ mater, quam Deus præseruare potuit, secũdum opinionem tuam, quam ego non approbo, originali reatu maculatur? Nunq̃d mater, quæ nos genuit peccatores tuo iudicio maioris censenda est dignitatis ab origine, quam Dei mater intacta semper Virgo Maria, quæ peccatores iustificantem peperit sine pollutione? Non consentis pietati, qui crudelis vis esse in Dei parentem. Ego autem cum sancta Ecclesia Christi non verecundor MARIAM & credere & dicere

Greg. hom. 30. in Euang

B. Virgo expers pecc. originis.

Eua expers peccati producta.

a, Causa.

omni laude verè & indubitanter esse dignissimam, totam pulchram, & speciali munere spiritus sancti ab omni sorde peccati, tam originalis, quàm actualis in æternum præseruatam. Et quamuis hæc assertio in scripturis sacris non habeatur expressa, est tamen pia consideratione rationabiliter admittenda, quæ nec diuinæ ordinatæque potentiæ vel æquitati aliquod infert præiudicium, nec inconuenientiæ piè considerantibus causat argumentum. Multa enim sunt credibilia, quorum in scripturis sanctis manifesta non sunt documenta. Ego verò hanc piam de Mariæ purissima conceptione assertionem eo possum securius admittere, quo me scio cum sancta Ecclesia Roma. sentientem non posse vllatenus errare. Bene sentit, & rectè, qui non aliter sentit, quam summi Principes, & Doctores Ecclesiæ. Mariam ab originali sorde præseruatam sancta Romana sentit Ecclesia: idem schola firmiter credit, docet & defendit Parisiana. Consentiunt his Colonienses Theologi. Consentiunt Lipsenses, Tubingenses, Moguntinenses, Louanienses & Erphordiani. Totus deniq; cœtus claustralium Ordinis, quem profiteor S. Benedicti Romanę consentit Ecclesiæ, & puram confitetur semper extitisse Cõceptionem sacrosanctæ Virginis Mariæ. Fratres etiam ipsius B. Mariæ Virginis hoc ipsum sentiunt, dicti Carmelitæ. Cõsentiunt & nobis fratres minores Diui Francisci, simul & Canonici vna cum eremitis regulæ S. Augustini. Et quid opus est reliquarum religionum nomina singulatim recensere, quarum professores Mariam omni laude verè dignissimam, ab originali q; reatu præseruatam & credunt, & sentiunt, quando exceptis paucissimis omnes pœnè totius Ecclesiæ Pontifices, Rectores & Doctores, cum Clero simul & vniuerso credentium populo à minore vsq; ad maximum nobiscum in eandem sententiam concurrunt. Quanti verò sit meriti apud Deum beatissima virgo MARIA quicunq; fideliter considerat, nunquam ab eius laudibus & præconiis cessat. Ipsa est enim genitrix Dei, domina mundi, regina & imperatrix vnica cæli. Maria Virgo excellentior est angelis, lucidior astris, maior & purior cœlis. Eius consideratione dignitatis impulsus sum vt scriberem. Et ne pereant à memoria hominum, quæ in Vrticeto tam crebro exhibuit, virtutum suarum miracula, litteris commendarem. Non compellit me ad ista curiositas, nec me trahit lucri alicuius auara cupiditas, sed amor & reuerentia intemeratæ Virginis, cuius interuentu precor absolui à peccatis. Tertiam verò causam assumpti laboris dixi, caritatem esse fraternam, cuius intuitu motus sum duplici ratione. Altera scilicet, vt postulationi prædictorum trium venerabilium Patrum satisfacerem. Altera verò, vt Dei mirabilia commendando litteris, & viuus & mortuus Mariæ laudes ad ædificationem fideliter legentium pro ingenii mei paruitate prædicarem.

Ecclesia Romana sentit B. Virg. caruisse p. orig. & Academiæ multæ.

3. Causa scriptionis.

CAPVT III.

EXHORTATIONIS SERMO AD EOS, QVI MIRACULIS NOUIS FIDEM TEMERE DENEGANT, & ea, priusquam examinauerint, damnant.

QVEMADMODVM sacra testante scriptura, *Qui cito credit, leuis est corde*, ita & qui temerè & imprudenter omnia condemnat, quæ comprehendere suo intellectu non potest, sæpius aberrat à veritate. Quicunq; autem in iudicio miraculorum, quæ nostris facta diebus narrantur, voluerit esse cautus ad proferendam sententiam, in neutrã partem sit præceps nimium, aut promptus: sed consilio vtatur B. Ioannis Apostoli & Euangelistæ dicen-

Eccli. 19.

1.Io.4. centis. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Et sacer Apostolus 1.Thes.5. Paulus. *Omnia probate, & quod bonum est tenete.* Qui verus æstimator rerum dubiarum esse desiderat, nec prius quàm examinarit causam rei leuiter approbat, nec antequam deprehenderit errorem subesse ignotum temerè damnat. Vnde quicunque nouorum se miraculorum gerit iustum, rectum & æquum censorem, semper & timet cum reuerentia, & iudicat cum humili & pauida conscientia. Vtrobique timor est iudicanti necessarius, ne aut damnanda per imperitiam approbet, aut quæ merito essent laudanda, per temeritatis & superbię vitium condemnet. Nunquam defuerunt Ecclesiæ Christi miracula, quamuis non omnium ad notitiam omnia semper fuerint delata. Spiritualibus in mysterio cælestis arcani spiritualia diuinitus comparantur: Sed quia 1.Cor.2. carnalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: Stultitia est enim illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Enimuero, qui separati sunt à mundo, & cunctis abstinent illecebris carnis in omni puritate mentis & corporis cum Deo ambulantes per continuum diuini amoris exercitium, nouerunt, quod etiam temporibus istis plura fiant in Ecclesia Dei miracula, quæ carnalibus hominibus, aut ignota sunt penitus, aut videntur esse stultitia. Sed ista me scribentem nemo existimet vanis populi pagani & nouis quibuslibet assentire miraculis, qui vel stipis, vel admirationis & laudis gratia, quicquid excogitauerunt, in publicum efferunt, & in nouis hominum imperitorum concursibus loquuntur mirãda quæ confinxerunt. Scio enim, quam sit necessarium diligens in exaltatione cuiuslibet sancti examen vitæ transactæ simul & doctrinæ ipsius honorandi, ne sancta mater decipiatur Ecclesia.

Miracula etiam hoc tempore fiunt

Nec minorem censemus adhibendam cum pietate ac veritate industriam, quoties ad nouos concursus populi noua narrantur diuinitus ostensa miracula. Nec me fugere putet antipalus, quemadmodum rustica simplicitas, & cito credat nouis, & contraria sit semper Dei ministris præsumptuosè ac periculosè nouis adinuentis eorum contradicentibus. Effæminata sunt tempora, feruor diuini amoris nimium in hominibus tepuit, noua & curiosa placent, antiqua Christi & Ecclesiæ dogmata displicent: propterea longè à peccatoribus salus, & multi vadunt in perditionem, & pereunt multi. Noui scriptum in Ieremia. *Foderunt* Ierem. 2. *sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Cisternæ dissipatæ hæreses sunt & doctrinæ errantium à tramite veritatis falsæ, peregrinationes sub mendacio nouæ, ostensiones miraculorum fraudulenter excogitatæ, sectæ, traditiones & deceptiones innocentium peruersæ. Contra has diaboli vulpeculas vigilandum Christianis est omnibus, & maximè illis, qui sunt in specula positi, quibus ratione assumptæ dignitatis præcipitur, vt contra insidias vigilent inimici. De miraculis autem, quæ ad inuocationem beatiss. Virginis Mariæ facta in Vrticeto narrantur, mihi discretionis ferre sententiam non licuit, quorum veritas per tot insignes, doctissimosq; in Theologia viros comprobata fuit. Propterea nihil de veritate hæsitãs assumpsi cũ fiducia scribẽtis officiũ mihi per ipsos iudices fideliter iniunctũ. Iudicarer sanè haud immeritò demẽs & fatuus, si post examen tantorũ & ciuiũ & Patrum fierẽ in re manifesta vel dubius, vel temerarius. Si quis verò mihi contrarius adhuc dubitat, ne vel temeritatis notã. vel stultitiæ maculã inferat gloriæ suæ pertimescat. Nec impossibile est, nec incredibile noua sæpius fieri miracula, q̃uis non sint omnibus semper & vbiq; manifesta. Dicit namque in sancto Euangelio Dominus. *Pater meus vsque modo operatur,* Ioan. 5. *& ego operor.* Quid vero Dei coram nobis sunt opera, nisi miracula, signa simul atq; prodigia. Ergo si Deus operatur vsq; modo, & facit mirabilia magna, nunquam in mundo cessabunt miracula. Quisquis igitur his miraculis, quæ nostris fiunt temporibus, fidem adhibere non vult, semetipsum prius diligenter examinet, & quo moueatur spiritu ad contradicendum penset, ne forte mentem eius obnubilent vitia, vel interior oculus cordis tenebrescat superbia. Non omnes vna consideratione mouentur ad credendum nouis miraculis, vel ad contradicendum. Alium quippe, vt aduersetur facilè credentibus amor veritatis concitat, quia simpliciores quosq; decipi formidat. Si causam habet hæsitandi legitimã, non delinquit, qa dubitat;

Cum iudicio credenda.

Audiris miraculis nouis vt se homo gerere debeat.

teme-

temerè tamen & pertinaciter, nisi constiterit falsitas, minimè cõtradicat, ne quod erat sine reatu dubium, temeritas & superbia vertant in peccatum. Si non potes tibi rationabiliter persuadere, vt fidem dictis adhibeas, sub conditione humiliter cum timore Dei, & reuerentia sanctorum contradicas. Veruntamen, si tibi neq; vera constant, neq; falsa, quæ narrantur miracula nouitatis, tutius est nihil definire, sed cum humili timore seruare silentium, quam damnare negotium, cuius nullum feceris experimentum. Alius autem, ne credat miraculis nouis moueatur ex superbia, quia cum se multum scire, & sapientem melioreḿq; cæteris esse existimat facile spernit & contemnit, quod innocens & humilis in sua simplicitate laudat.

Prou.14. Hinc dicit scriptura. *Innocens credit omni verbo: astutus autem considerat gressus suos.* Sed

1.Cor.13. & caritas, teste Paulo, *omnia sperat, omnia credit, & suffert*, fidem non capit elata superbia, & simplicitatem non admittit inuidia. Nonnulli quoq; propterea nouis miraculis derogant, quia velamen ignorantiæ ac vitiorum expansum super cordis intuitum portant. Manifestantur autem intima cordis per exterius officium sermonis. Beata Christianorum in recta fide simplicitas si manserit in opere & sermone pura sinceritas. conscientiæ sanctis adornatæ virtutibus diuina miseratione reuelantur miracula, quorum perfecta cognitio reprobis manet aliena. Firmiter credere, sinceriter viuere, & confidenter orare, facit mirabilia posse. Hinc fieri existimo, quod plura simplicibus, quàm eruditis vel curiosis præstantur miracula sanitatum, nostris præsertim temporibus quibus abundat iniquitas, & refriguit caritas multorum: propterea, quod communiter sit maior & fortior in simplicitate fiducia, & rara in curiositate mundana prudentia orandi constantia. Enimuerò cum omnia possibilia sint credenti, restat illum postulata in oratione consequi posse facilius, qui de impetrando minus hæsitans orat confidentius. Dicit in S. Euangelio Dominus. *Omnia, quæcunq; orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.* Cernisnè Lector impetrandi facilitatem in vera confidentia supplicantis consistere? quæ tanto citius impetrabit, quod postulat, quanto minus in spe & fiducia pro suæ petitionis effectu vacillat. Quanto enim, fidei firmitate suppositа in oratione quis minus de impetratione petitionis suæ dubitauerit, tanto, quod petit, facilius impetrabit. Verba Domini & Saluatoris nostri IESV Christi, quæ promittendo fidelibus suis locutus est, omnia sunt sancta vera simul & certissima: & idcirco, qui nos in fide constanter iubet petere, voluit procul dubio postulantibus cuncta nobis necessaria veraciter conferre. Hac simplices & boni homines, qui fideliter credũt, magna confidentia in DEVM eleuati, peccatorum suorum ab ipso petunt & accipiunt veniam, & quoties ingruerit necessitas, tam corporum, quàm mentium miraculosam consequuntur sanctorum meritis medicinam. Tunc verò, quemadmodum nos docet experientia, maiori deuotione mentis Dei auxilium quærimus, quando vel tribulamur amplius, vel grauioribus incommodis & ægritudinibus infirmi corporis laboramus. Propterea nobis incautum, & vicinum periculo esse videtur, non prius diligentissimè discussa materia nouis temere, cõtentionéq; pertinaci contradicere miraculis: cum nemo sit vel mediocriter in doctrina mysticæ speculationis expertus, qui nesciat, quanta possit oratio confidentis. Quisquis huic positioni defendit contrarium, ipse sibi & reatis & iudex est, quod orationum suarum adhuc nullum sensit effectum. Est profecto nimis frigidi cordis indicium, negare confidentis orationem impetrare posse miraculum. Qualis verò debeat esse confidens ad DEVM orator & Christus dixit in Euangelio, & D. Iacobus cap. primo. Crede mihi, Dominus inquit, *venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. nam & pater tales quærit, qui eum adorent. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum in spiritu & veritate oportet adorare.* Hunc adorandi modum, nec Pharisæi & sacerdotes Iudæorum habuerunt, nec scribæ, qui suis traditionibus confisi orabant sine spiritu compunctionis & veritate. Centurio autem, & mulier illa Cananæa, nullam aut paruam scripturarum notitiam habentes, Deum hominem factum simpliciter accedunt, firmiter credunt, cum perseuerantia orant confidenter, & ob id sunt exauditi per Dominum faciliter. Oratio namque, quæ sine impetrandi confidentia effunditur, quam sit inefficax per ipsum S. Ia-

Cur simplicibus concedantur miracula & nõ doctis.

Marc.11.

Ioan.4.

Matt.8.

Matt.15.

co-

cobum demonstratur. Sic namq; dicit in
Iac.1. epistola *Si quis vestrum indiget sapientia postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabiturei. postulet autem in fide nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur. Non ergo æstimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino.* Magna paruis, & paucis multa conclusit, qui modum orandi cum effectu tam breuiter ostendit. His certa consideratione præmissis, rationabiliter satis videtur probatum, quod simpliciores quandoq; citius exaudiuntur, orantes in fide, quam docti, propterea, quod maior sit illis in supplicatione deuotio, & istis frequenter adsit familiaris elatio. Vnde mirum non est, quod simplicibus nonnunquam diuinitus exhibentur miracula, quæ doctioribus nonnullis, & de humana scientia nimium elatis, appareant deliramenta. Omnipotens namque DEVS puræ simplicitatis amator elatum & curiosum oratorem spernit & despicit, qui humilem in feruore mentis confidenter supplicantem clementer exaudit. Audiuit à Christo quidam
Marc. 9. orator. *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Ad discipulos verò dixit.
Marc.11. *Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quoniam quicunq; dixerit huic monti: tollere & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia quodcunq; dixerit fiat, fiet ei.* Magna est hæc pollicitatio summæ veritatis, quæ etsi nostris temporibus paucis experimento sit cognita, est tamen indubitanter solida & vera. Oratio enim puri cordis in fide & confidentia perseueranter ad Deum facta cælum penetrat. & virtute humilitatis adiuta facile quod petierit reportat. Et frequenter quidem impetrat postulata simplicitas, quæ suscipere non meretur elata curiositas. Hinc fit, quod indocti homines bonæ tamen vitæ, & rectæ ad Deum credulitatis in sua simplicitate confidenter orantes, plerunque citius exaudiantur à Domino in petitionibus suis, quam viri sublimi doctrina fulgentes. Nihil enim discutit vel discernit in oratione recta & sancta simplicitas, sed Deum, quem omnia posse didicit, concessurum sibi, quicquid postulauerit cum certa quadam fiducia confidit. Vnde mirandum non est, quod ad memoriam beatissimæ Virginis Mariæ, vel in Vrticeto, vel in aliis quibusdam locis multa simplicibus dietim à Domino exhibentur miracula, quæ à curiosis, & nimium certè, vel non spiritualiter eruditis veluti somnia iudicentur, aut fictitia. Nam illi quodam firmissimæ credulitatis spiritu vel instinctu mouentur ad supplicandū. omnia quæ narrantur eis vera credunt miraculis sanitatum, atq; in spem similiter consequendæ sanitatis fiduciaaliter animis erecti, non dubitant, non hæsitant, non vacillant, sed quasi de precum suarum effectu certissimi sine fluctuatione adorant. Nihil enim fortius oratione sancta, quæ in fide constans, & in conscientia pura, feruens ad Dominum funditur, & nulla curiositatis aut diffidentiæ nebula offuscatur, sancto dicente Apostolo Paulo. *Quoniam spes non confundit.* Doctis autem viris, & in humanis Rom. 5.
traditionibus eruditis, vel etiam in littera & non in spiritu diuinarum scripturarum quantumlibet imbutis, maximè tamen oratoribus, poetis, & omnibus carnaliter viuentibus, vitiosisq;, qui opera spiritus vel ratione philosophica examinant, vel auctoritate scientiæ mundanæ, propter eorum superbiam & curiositatem his contrarium accidit, quorum in oratione firmitatem confidentiæ, vel humana curiositas, vel mentis deprauatæ iniquitas debilem reddit. Enimuero, nisi feruor purificatæ mentis sursum per incendium diuini amoris actualiter tractus humanæ scientiæ modum transcenderit, ad veras in spiritu supplicandi metas non pertingit. Sed hactenus de his dicta sufficiant, quæ idcirco pia consideratione præmisimus, vt quam sit periculosum Dei mirabilibus temerè, seu pertinaciter contradicere, panderemus.

Cur simplicibus Deus concedat miracula, non doctis.

CAo

CAPVT IV.

QVOD BEATISSIMA DEI GENITRIX SEMPER intacta Virgo MARIA verè & indubitanter sit omni honore dignissima.

QVAMVIS neminem esse confidam inter omnes Christi fideles, qui matrem eius semper innocentissimam Virginem Mariam non credant omni reuerentia & honore post filiũ esse dignissimam: nihilominus tamen mihi & deuotio persuasit, & suscepti operis ratio indixit, vt breuem de eius dignitate & meritis hoc in loco exordiar sermonem. Ipsa est enim humanæ salutis reparatrix castissima, quæ Deo præseruante nulli vnquam reatui fuit subiecta, innocens, pura, & sancta in vtero matris suæ concipitur. Et, quod matrem Dei post filium decebat solam, à næuo peccati originalis priuilegio præseruatur singulari. Anima Mariæ pura, sancta & innocens corpori formato infusa creditur, & nunquam ex somatis sui commercio inquinatur, pura semper extitit, pura in æternum permansit. Maria virgo, sicuti pura in sui conceptione dono creatoris præseruata resplenduit, sic nata in mundum eadem comitante gratia nunquam peccauit. Hoc priuilegium speciale diuina prouidentia Mariæ contulit, quam futuram Dei genitricem cum decore virginitatis ab æterno præordinauit. Et certè MARIAM valde decuit, vt pura conciperetur in matris vtero, quæ illum sine virili commercio fuerat paritura, qui suo mundum sanguine purgaret à peccato. Hinc Maria semper pura, semper innocens, & Deo semper placens nunquam displicuit, iræ filia nec ad momentum fuit. DEVS etenim Pater omnipotens, qui filium sibi consubstantialem & coætternum hominem ex Maria fieri disposuit, eam sine dubio puram, sanctam & innocẽtem, priusquam nasceretur præparauit. Nihil apud me facit eorum sententia, qui dicunt eam post contractum originalis peccati reatum, sanctificatam à Domino cum eam præseruare tam facilè potuerit, quàm & sanctificare. nihil enim est difficile apud Deum. Ipse matrem sibi præparauit, qualem decuit: qui cum sit omnipotens, quod potuerit, nemo dubitabit. Mihi autem salubrius, & multò tutius est, MARIAM credere nulli vnquam subiacuisse peccato, quam sentire contrarium ausu temerario. Potuit enim Deus Mariæ communicare omne bonum quod voluit, videturq; multum conueniens & decens, vt tam esset pura, innocens & sancta statim à conditionis principio suæ, qua sanctior pura fieri creatura non posset in mundo. In superioribus autem diximus, quod mortalium prima cunctorum mater EVA sine originali peccato in principio condita & producta ex Adam innocens & pura legitur: quod verum esse non minus ratione, quam auctoritate scripturarum comprobatur. Quis ergo mihi persuadebit, vt non credam omnipotentem Deum eadem gratia & facilitate in prima innocentia præseruasse Mariam, in qua & Adam creauit & Euam. Decens itaq; & congruum pia consideratione videtur, Mariam non minoris gratiæ, puritatis & innocentiæ priuilegio donatam à Domino, quam Eua assecuta fuerat in paradiso. Supra communẽ legem Mariæ de semine paterno in vtero matris iuro concipitur, quæ Dei filium erat sine virili semine paritura virgo, in cuius sacro sanguine humani generis innocentia repara tur. Nulla fit in futuræ matris Dei conceptione filio iniuria, quæ propterea gratiosè fuit præseruata in prima innocẽtia, quod Deum factum hominem erat virgo paritura. Mariæ corpus in vtero B. Matris ANNÆ more ceterorum ex paterno semine concipitur. Sed eius anima Deo volente

B. Virgo præseruata à peccato originis.

ab

ab originali macula cum infunderetur, præseruatur. Memini quendam ex eorum numero, qui Mariam in originali peccato conceptam fuisse affirmant, olim in mensa vnius Archiepiscopi, cuius erat Confessor rogatum, quando peccatum originale contraheretur, triplici prius conceptione illi ab interrogante proposita, seminis, embrionis & infusionis. At ille respondit. Mariã in conceptione seminis originale contraxisse peccatum. Cui mox Archiepiscopus, etsi parum doctus, doctè tamen ita respondit. Ergo prius Maria fuit peccatrix, quàm homo, quod nec consequens esse potest, nec possibile. Tunc enim culpa contrahitur, quando corpori anima primo infunditur. nam res inanimata, vt est semen, vel embrio, priusquam homo formetur & viuat, non potest habere peccatum. Et subintulit Præsul. Multum estis temerarii iudices, qui de originali peccato iudicatis Mariam, & quomodo, vel vnde contrahatur in conceptione necdum intelligitis. Historiam huius facti, quoniam præsens interfui, propterea in medium proposui, vt nouerit Lector, esse plures, qui puritatem conceptionis innocentissimæ semper virginis MARIAE magis temerè, quam scitè impugnant. Rectissimè igitur Maria omni laude prædicatur dignissima, quæ in conceptione sua DEI munere fuit, vt redemptoris futura mater, ab omni reatu originalis maculæ præseruata.

Exemplum.

Quando peccatum orig. contrahatur.

CAPVT V.

BEATISSIMA DEI GENITRIX SEMPER INTACTA Virgo Maria, sicuti nunquam originali maculæ subiacuit, ita nunquam actualiter peccauit.

VERE dignum & iustum est, pium & sanctum, decens simul & congruum, vt MARIAM Dei matrem, cæli reginam, mundi Dominam, credentiumq; omnium pientissimam aduocatam, tanta fateamur mentis & corporis munditia, puritate, sanctimonia vitæ in hac mortalitate semper fuisse decoram, præditam & ornatam, qua post filiũ nemo fulsit maiore inter natos mulierum. Neq; minuit hanc nostram sententiam Ioannis Baptistæ præconiũ, de quo dixit in Euangelio Dominus. Quod illo maior nõ surrexerit inter natos mulierum: quoniam & matris suæ laudes humilitatis semper causa tacuit, & præcursorem suum pro confirmatione fidei merito laudauit. Quanto namque rex milite censendus est nobilior, tanto & regis mater dicenda cunctis filio subditis maior & dignior. Sunt enim certi sanctimoniæ gradus.

Matt. 11.

S. Ioan. Baptista.

Ioannes baptista & Hieremias prophetæ in vtero sanctificati fuisse memorantur ab originali macula, quam contraxerant more ceterorum. Sed Maria nullum originale contraxit peccatum, & ideò semper innocens, semper Deo placens & pura mansit in æternũ. Christus autem Dei filius ex ipsa Virgine Maria natus, quẽadmodum nunquam subiacere peccato potuit, ita & præseruatione illi, nõ vt matri, nec sanctificatione vt Ieremiæ vel Ioanni opus fuit. Supremum igitur in hac distinctione gradum dignitatis & puritatis DEVS homo factº iure obtinuit, quia peccatum in eius cadere animam impossibile fuit. Vnde nec præseruationе, nec sanctificatione indiguit per gratiam, qui fuit impeccabilis per naturam. Secundum verò gradum dignitatis primæuæ, quamuis longè post filium, beatissima Virgo Maria obtinuit: q̃ nisi præseruata fuisset per gratiam, fuisset more ceterorum infecta per naturam. In tertio gradu Dei miseratio Ieremiã & Ioannẽ cõstituit, quos priusquã nascerentur sanctificauit. Quar-

& Ieremias sanctificati in vtero.

Circũcisio olim expiabat p. orig

tum verò gradum destinati ad salutem fideles etiam per gratiam Dei obtinẽt, qui nati purificantur ab originali macula expiatione sacramentali, quam hodie confert baptism° Christianis, sicuti olim ante gratiam circumcisio fecerat Iudęis. Constat nũc igitur has graduum distinctiones pia consideratione pensiculantibus Mariam castissimam Dei genitricem maioris esse dignitatis post filium inter omnes mortales, quæ sola præseruata fuit ab originalis peccati macula illius gratia, quem fuerat paritura. Denique non solum concepta & nata sine culpa cuiusquam offensionis paternæ à nobis & maiori parte fidelium pio intuitu creditur: sed etiam toto tempore, quo vixit in mundo nũquam actualiter contra Deum in aliquo deliqsse, cõmuni omnium Christianorum sententia tenetur. Quod singulare puritatis & innocentiæ munus nullus sanctorum obtinuit, quemadmodum scriptura dicit. *In multis offendimus omnes.* Cetera in hanc sententiam loca sacri eloquii perttranseo, quę cum nota sciam doctis, ad alia festino. Maria ergo inter omnes filias Sion iure cẽ setur pulcherrima, quæ sublimiori puritatis gradu præ cunctis fuit mortalibus decorata in matrem vnigeniti filii Dei ab æterno præuisa, prælecta, & præordinata in mente diuina extitit, nascitura in mundum, ab originali displicentia exempta & præseruata, viuens in carne peccati sine peccato nunquam vel in minimo deliquit. Corpore fuit castissima, intellectu supra mortales omnes illustrata, mente semper purissima, desiderio cordis iugiter Deo proxima, & in eius feruentissimo amore sine intermissione dulciter occupata. Sancti spiritus gratia cum omnibus charismatibus suis Mariam inhabitans nunquam deseruit, quam prædestinato ab æterno munere semel in tempore adimpleuit: nec vllum potuit in eius anima esse peccatũ, in qua numẽ inhabitauit, & mansit diuinum. Hoc Dei nuncius Gabriel insinuat, quando missus à DEO Dominam salutat. *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Verè Maria spiritus sancti gratia plena extitit, quam sibi vnigenitus Dei filius in matrem præparauit. Maria plenitudinem gratiæ spiritus sancti habuit, per quam iugi exercitio diuini amoris feruentissimè arsit. Tanta puritate mentis enituit, quod in omni vita sua nec minimam paruæ suggestionis cogitationem admisit. Luc. 1.

B. Virgo nũquam actualiter deliquit.

Iac. 3.

In cogitatione semper fuit purissima, in locutione sapientissima, & in operatione innocens & recta, mente humilis, animo fortis, conuersationis integritate par angelis, Deo plena, desiderio cælesti feruida, corde per omnia pudicissima. Ab origine mundi homo non extitit, nec hodie quisquam viuit, nec aliquis in posterum erit, in quo diuina bonitas tot insignia virtutum, gratiarum & meritorum, sicuti in ipsa Virgine MARIA, collocauit. Nec mirum. Mariæ personam maximè decebat, donis gratuitis, meritis quoq; & dignitatum prærogatiua longè cunctis præeminere mortalibus, quę DEVM fuerat paritura hominem factum sine commixtione carnis, spontanea voluntate moriturum pro mundi peccatis. Domino itaq; vniuersorum eam præseruante ab originalis peccati macula spiritu quoque sancto mentem eius custodiente ab omni reatu cuiuscunq; actualis delicti, & filio ex ea carnem sumente Dei patris sempiterni, quis fidelium non crederet, confiteretur, & vique ad sanguinem non defenderet eam non solum mortalibus maiorem esse cunctis, sed etiam longè digniorem in cælo angelicis spiritibus? Quod si donis gratuitis diuina prouidentia MARIAE collatis etiam dignitas conferatur meritorum, manifestè cõstabit neminem sanctorum plus meruisse, quam ipsam. Cuius sententiæ fidem paucis astruamus, prout ingenii nostri minutissima facultas admiserit per Deum sufful-

ta.

CA

CAPVT VI.

QVEMADMODVM BEATISSIMA DEI GENITRIX Virgo MARIA dignitate & cumulo meritorum cunctis angelis præemineat & hominibus.

OMNES qui credunt glorioſiſſimam Dei genitricem ſemper intactam Virginem Mariam cum filio regnantem in cælo & ſublimatam ſuper omnes choros angelorum dici & eſſe cæli reginam, meritis eam negare non poterunt omnibus ſanctis Dei ſimul & angelis eadem ratione longè ſuperiorem. Iuſtus etenim Deus, qui propheta teſtante, *vnicuique reddit ſecundum opera eius*, matrem ſuam non prætuliſſet omnibus, niſi eam inueniſſet, imò feciſſet meritis clariorem vniuerſis. Deus Mariæ gratiam dedit, vt vellet bonum: contulit etiam, vt poſſet bene facere ad meritum. Quicquid ergo Maria virgo ſanctiſſima boni operata eſt, & ipſa fecit, & voluit, & Dominus contulit & fecit. Verum quod Maria ſit regina cæli, Domina mundi, poſt Deum quoq; ſanctiſſima Imperatrix totius vniuerſi, & exaltata ſuper omnes ſanctos ſimul & choros angelorum, canit, admittit & credit omnium Chriſtianorum ſancta mater Eccleſia. Et propterea in Litaniis & precibus ſuis ad Deum ante omnes ſanctos eius implorat ſuffragia. Quæ cum ita ſint nemo rationabiliter dubitabit Mariam & numero & dignitate meritorum omnibus ſanctis & angelis longè præſtantiſſimam, quam ſecundum quod diximus, potentem in cælo conſtituit reginam. Præmia enim diſtribuuntur iuxta qualitatem meritorum: & quia magna meruit indubitanter etiam magna reportauit. Maria ergo cunctis ſanctis & ſpiritibus prælata eſt, nõ propterea ſolum, quia Dei mater extitit, ſed quia Deum plus & feruentius diligens maioribus meritorum ſtudiis ſemper honorauit. Si comparationibus meritorum vtamur in hac parte, nulli prorſus erit odioſum, quia caret inuidia cælum, in quo nullus beatorum eſt ſpiritus, qui Mariæ non amplius cæli faueat omnem principatum quam ſibi, aut diligat ſeipſum. Omnes eam intelligunt meritorum prærogatiua cunctis honoribus eſſe digniſſimam, & propterea nobis quadam ineffabili congratulatione ſibi gaudent prælatam. Nam, vt iam diximus caret inuidia cælum, & tanta eſt inter ipſos cælicolas concordia & vnanimitas pacis, vt alterius bonum vnuſquiſq; reputet ſuum.

Pſal. 61.

In cælo nulla inuidia.

Ibi Deus eſt in omnibus vnus. cunctorum voluntas in vno principio & centro felicitatis omnium vna, nec eſt aut eſſe poteſt in ſumma tranquillitate diſcordia, ſed omnia ſunt diuinæ voluntati conformia, quia nulla poteſt eſſe inuidia, vbi procul abeſt omnis diſplicentia. Nam etſi pro meritorum varietate præmia ſanctorum differant in magnitudine quantitatis, tamen vnuſquiſq; in ſuo gradu felicitatis, quem meruit, contentus eſt, & neque plus habere appetit, neque dolet, aut pœnitet eum, quod minus in hac vita meriti cumulauit. Qui minoris eſt gloriæ maiori non inuidet, & qui maioris eſt, minorem non contemnit: vſq; adeò vnuſquiſq; beatorum ſpiritus in illo tranquillitatis regno de ſua portione felicitatis ſibi ſufficiens eſt, vt nec plus appetat, nec ſi daretur amplius capere ſe poſſe credat. Duos in ſimilitudinem homines proponamus, quorum alter ſit magnus, alter verò ſtatura paruus, ambo tamen ſani & ad manducandum idonei. Ambobus in vna menſa ſedentibus carnes inferuntur, ad cibum paratæ, de quibus maior corpore libras comedit quatuor, & ſufficit: verum alter, qui corpore minor eſt libram

In cælo quiſq; ſuo gradu felicitatis contentus

B. Virgo ſur ſanctis omnibus ante-lata.

duntaxat vnam manducat, & saturatus quiescit. Si dixeris minori, quare non tantum edis, quantum ille dum cibus abundat? respondebit, non possum. Sufficit enim. & si plus caperem, nec ego possem portare, nec stomachus digerere. Dic maiori. Quare tu ciborum plus illo sumpsisti? & audies respondentem. Si minus sumpsissem, adhuc esurirem. Quemadmodum hi duo ex vno edulio comedentes, maior libras quatuor & minor vnam duntaxat sumpsit, & ambo saturati sunt, non obstante, quod inæquali portitione comederunt: & nec minor inuidit maiori, nec maior ob id spernit aut vilipendit minorem, sed vterque pro sua capacitate optime refectus, & est contentus, & sufficit. Ita fieri sine dubio in regno constat cælorum, vbi sufficientia vniuscuiusque beatorum iuxta capacitatem singulorum distinguitur, prout ex meritis disponuntur. Datur enim præmiorum distributio iuxta qualitatem meritorum. Cum ergo beatissima Dei genitrix, semper innocens, & nunquam maculata Virgo Maria magnitudine sanctitatis & meritorum omnibus sanctis & maior sit, & longè præstantior, nemo dubitabit fidelium eius gloriam pari modo esse cunctis supereminentem: & certis gradibus locupletiorem. Solus Deus gradibus omnibus excellit infinitis.

B. Virgo meruit sua caritate anteferri omnibus beatis.

Si quæras, quibus meritis ad tantam beatitudinis & gloriæ sublimitatem potuerit peruenire, vt non solum omnibus in cęlo & in terra sanctificatis hominibus, sed etiam spiritibus angelicis iure debuerit præferri? Breue damus responsum. MARIA speciali munere spiritus sancti præuenta in vtero matris, eiusdem largitoris gratia semper comitata, vt omnibus præemineret sanctis operibus meruit excellentissimæ in DEVM caritatis. Et quamuis illi caritati, qua nos vnigenitus DEI filius de perpetuæ mortis interitu redemit, nullius creaturæ dilectio valeat æquari: Mariæ tamen in Deum amor tantus, & esse semper, & fuisse creditur, quod ei sanctorum nullus comparatur. Quis enim feruentiore caritate DEVM vnquam diligere potuit, quam Maria virgo castissima, in cuius ventre sacratissimo nouem mensibus factus homo creator eius, & filius mirabili dispensatione pro nobis habitauit?

B. virgo fide omnes superauit

Si de fidei merito quæstionem moueris, scias, quod nemo sanctorum firmius, constantius, & feruentius MARIA in DEVM credidit, cuius gratia fuit plena, priusquam in mundum nasceretur. De nullo sanctorum canit Ecclesia, quod cunctas hæreses interemerit solus, nisi tantum de hac sola Virgine MARIA, de qua natus est Dominus. *Gaude*, inquit, *MARIA virgo, quia cunctas hæreses sola interemisti:* Christo denique pro totius mundi peccatis mortuo, & sepulto, cum Apostoli vna cum cæteris fere omnibus, qui prius in eum crediderant torpore quodam diffidentiæ fluctuarent, & iam pæne deficerent, Maria sancto spiritu plena & sola firmiter credidit, & DEVM esse quem genuerat, minimè dubitauit.

De cuius fidei constantia spiritus sanctus per Salomonem in libro Prouerbiorum sub mulieris fortis typo sic figuratè prænunciauit dicens. *Gustauit & vidit, quoniam bona est negotiatio eius, non extinguetur in nocte lucerna eius.* Lucerna est integerrimæ fidei constantia, quæ in nocte Dominicæ passionis & mortis extincta non fuit in Maria. Et in Euangelio de Maria sic scribitur. *Maria autem conferebat omnia verba hæc*, scilicet, quæ de puero Iesu pastores loquebantur, vel alii: *conferens ea in corde suo*, non vt per exitum rei sibi fidem compararet, quæ dubitare non potuit, sed vt in futurum dubitantibus etiam alieno testimonio subueniret. Et ea forsitan ratione factum est, quod Dominus Iesus post ascensionem suam in cælum ipsam dilectissimam sibi matrem tot annis dimisit super terram: quatenus Apostoli prædicatores & scriptores sancti Euangelii ad eam in dubiis haberent recursum. Nemo enim & melius & profundius nouit mysteria fidei Christianæ, quam Maria.

Prou. 31.

Luc. 2.

Cur B. Virgo diu post ascēs. Christi vixerit.

Vixit autem post ascensionem saluatoris mater in carne, vt Epiphanius ait, annis quatuor & viginti. Quæ cum annorum esset quindecim, Christum peperit, eum quo in annum quartum atque tricesimum conuersata fuit. His simul computatis vixit annis septuaginta duobus, & tot diebus, quot fuerunt ab ascensione Domini vsque ad eius de terra in cælum emigratiouem. Sunt alii, qui dicant, eam

Epiph. presb. orat. de Deipara Vide Baron. tom. 1. annal. an 48.

eam Christo supervixisse annis duodecim. Alii tantum vno, reuelationem Elisabeth Abbatissæ in Schonaugia Treuirensis diœcesis amplectentes. Sed hanc eius reuelationem non omnes approbant, quia plures fidem his opinionibus negãt. Verum, siue multis, siue paucis post Christum vixerit annis, nostræ positioni, aut nihil, aut parum derogare poterit, cum sit manifestum, quod Maria fide, spe, caritate, cunctisq; operibus virtutum omnes sanctos longe superarit. Nam quod illi susceperunt per partes, Maria totum accepit, cuise spiritus Dei sanctus plenitudine gratiarum infudit. Dignum igitur & iustum est, vt in regno cælorum cunctis sit excellentior, quæ fide, spe, & caritate fuit in hac peregrinatione sanctis omnibus maior atq; præstantior. Humilitate sempiternum in cælis & in terra super omnes sanctos meruit principatum, fide & caritate consecuta est regnum, & non minus virtute, quàm propinquitatis iure glorioßissimum obtinuit in dextra filii consessum. Reuoluamus ab initio mundi ordinem iustorum & gradus per merita discernamus: & luce nobis patebit clarius, quod Maria patriarcharum meritis est sublimior, perspicacitate prophetarum illustrior, fide Apostolorum constantior, Martyrum caritate maior, Confessorum puritate clarior, Virginum candore nitidior, cunctis innocẽtibus multum innocentior, & omnibus sanctis in cælo & in terra sanctior. Maria testis est diuinitatis Christi fideliſſima, quæ licet pro eo sanguinem non fuderit, plus tamen, quàm martyr fuit. Ceteri namque omnes, qui pro Christi fide martyrium susceperunt, non in anima, sed in corpore dũtaxat passi sunt, & sanguinem fundentes, non mentem, sed carnem tradiderunt, MARIA verò Dei mater intacta martyrii duros cruciatus in anima sustinuit, quemadmodum Simeon ille senex & iustus de illa in templo prophetauit.

Reuelatio Elisabeth Schonaugensis.

Maria plus quã martyr.

Luc. 2.

Et tuam, inquiens, *ipsius animam gladius pertransibit, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Enimuero sicut maiora sunt gaudia mentis, quã ventris: ita procul dubio grauiores sunt passiones & dolores animæ, quam corporis. MARIA vero, quæ patienti & morienti filio sub cruce mœrens & dolens astitit, tam grauiter anima compatiendo cruciata fuit, vt nemo S. Martyrum grauius in mente sua tormentum pertulerit. S. Martyres in ea parte sui, quæ mortalis erat, passi sunt. Maria verò in anima, quæ mori non potest, compatiendo Christo patitur, & propterea merito cunctis martyribus gloria & honore antefertur. MARIA verò superior est angelis & nobilior omnibus creaturis. Maria institutrix patriarcharum, quibus Christus promittebatur est morigeratissima, in cuius actibus vera lucet diciplina. Maria prophetarum est speculum, & totius ædificii diuinæ lectionis fundamentum. Maria virgo normam credendi statuit Apostolis, & scribendi fiduciam tradidit Euangelistis. Maria illustratrix discipulorum Domini, & imperatrix facta est totius vniuersi. Maria princeps est martyrum, & fidei Christianæ fidelis informatrix confessorum. Maria decus & splendor est Virginum, Lucerna quoque & lumen omnium sanctorum. Maria salus & consolatrix viuentium, liberatrix est & in Christo mortuorum. Maria fons est sapientiæ, & cælestis ergasterium disciplinæ. Maria cisterna est salutis humanæ, & reparatrix felicitatis æternæ.

Mariæ varia encomia.

Maria est plenitudo gratiæ, puteus & mare inæstimabilis misericordiæ. Maria sanctissimis est insignita nominibus, cui nec in cælo, nec in terra dignitate & meritis reperitur aliqua creatura æqualis. Maria virga nominatur Iesse nobilissima, quæ Virgo DEI filium nobis peperit inuiolata. Maria virgo gemma est pudicitiæ simul & inuentrix salutis amissæ. Maria flos est cælestis pulchritudinis, & columba prudentissimæ simplicitatis. Maria cælestis pinguedo dulcedinis, & gazophylacium totius puritatis. Maria terror est dæmonum, & profligatrix omnium peruersorum. Maria clementissima procuratrix est pauperum, & consolatrix pientissima infirmorum. Maria dulcissima promotrix pœnitentium, neminem spernit, sed intercedit pro cũctis, qui veniam postulant peccatoribus. Maria semper innocentissima Virgo, & mater & ancilla est Domini, quæ nullius vnquam peccati maculæ subiacuit.

Maria est castitatis lilium, & totius perfectionis arcanum. Maria refocillatrix est pauperum, & mater piissima egenorum. Maria Christianæ fidei mons & petra incommouibilis, per quam nobis iter ostenditur cælestis patriæ. Maria intellectualis aurora est luminis, & diuini radius amoris. Maria est luna temperantiæ, & sine defectu norma superabundans sapientiæ Christianæ. Maria sol est pulcherrimus vniuersam illustrans Ecclesiam, per cuius patrocinium vitam nos consequi speramus æternam. Maria turris est fortitudinis, & totum propugnaculum contra omnes insultus diabolicæ prauitatis. Maria templum est Dei pulcherrimum, quod cunctis virtutibus in cælo splendet exornatum. Maria sanctæ Trinitatis architriclinium, fons & scaturigo viuens omnium virtutum. Maria supernæ felicitatis abundans est gazophylacium, & paradisus omnium cælestium diuitiarum.

Maria speculum est castimoniæ, & verum agiasterium sanctæ institutionis Christianæ. Maria sanctissimum tabernaculum est fœderis, & vas plenum internæ consolationis. Maria choris angelorum est celsior,, omnibusque sanctis Dei sanctior, & cunctis spiritibus beatissimis iure beatior. Maria plena est gratia, & humilium corde mitis apud Deum aduocata.

Maria virgo super omnes sanctos, & verè sanctissima, & summo rerum omnium principio Deo, quem peperit, mente & corpore sociata. Maria Virgo semper manens intacta sine corruptione peperit filium, lactauitq; virgo propriis vberibus DEVM. Maria nulla prorsus infecta fuit libidine, sed vt rubus ardens diuino semper flagrauit amore. Maria pomum granatum odoriferum totum sua dulcedine reficit mundum. Maria spes desolatorum post DEVM est vnica, & superni luminis inextinguibilis lucerna. Maria est aula diuinæ pulcritudinis cathedra spiritus sancti, & thronus veri Salomonis.

Maria cypressus est, & ligni arbor incorruptibilis, quam angeli venerantur vt solium summæ Trinitatis. Maria consolatrix vna gementium, & pientissima patrona est miserorum. Maria fortitudo fragilium, post Deum suis meritis iustificatrix est vnica pœnitentium peccatorum. Maria reuocatrix pereuntium, & vnicum solamen est sub humilitate mœstorum. Maria cynamomum dulcedinis, ipsa est mater pulchræ dilectionis. Maria gariophyllum est mentes confortans Christi fidelium, & balsamum conseruans animas humilium à putredine vitiorum. Maria vernans rosa est suauitatem redolens supernæ dulcedinis, cuius nomen dulcissimum in se continet spiraculum æternæ suauitatis. Maria viola castitatis est speciosissima, & gratiæ spiritus sancti abundans apotheca. Maria domicilium mansuetudinis, & flumen est inexhaustæ pietatis. Maria renouattix est seculi, quæ ianuam nobis per lasciuiam Euæ clausam aperuit cælestis paradisi. Maria consolatrix est tristium, & myrrha consolidans vulnera peccatorum. Maria Minerua est clementiæ, & collapsæ mirabilis instauratrix misericordiæ. Maria diuinæ maiestatis est reclinatorium, & omnium sanctorum post filium obtinet principatum. Maria thesaurus indulgentiæ, ipsa fons & cisterna indeficiens totius misericordiæ. Maria decus & norma iustitiæ, & prima inuentrix gratiæ plenitudinis diuinę. Maria lucerna fidelium, pia mater est omnium Christo in vera mentis compunctione deuotorum. Maria cedrus est libani, & arca noui & salutaris testamenti. Maria lignum est vitæ dulcissimum, cuius sancti nominis inuocatio procul fugat omne malignum. Maria stella maris est noctis tenebras illuminans: cuius memoria sæpe frequentata debiles confortat, cæcitatem cordis mirabiliter illustrans. Maria omnium promotrix humilium suis deuotis famulis impetrans omne bonum. Maria oliua est fructuosa misericordiæ & famæ conseruatrix suorum ac reparatrix glorioſæ. Maria vinetum est gratiæ, in quo sempiternæ vinum creuit lætitiæ, de quo cælestis beatitudinis inebriantur conuiuæ. Maria fructifera est vitis, & vrna penitus aurea, in qua reseruatur cælestis dulcedinis manna.

Maria ciuitas est pacis & concordiæ, in qua triticũ abundat nunquã deficientis alimonię. Maria dulcedo claustralium, & summa recreatio humiliũ monachorũ.

Ma-

Maria refugium & spes vnica iniuriam pro veritate patiẽtium, & certa omnium fiducia contumelioſè & violenter oppreſſorum. Maria eſt multitudinis Chriſtianæ præſidium, & vnicum in fide firmamentum. Maria medicina ſalubris ægrotantium, quæ ſuis meritis & precibus mentes releuans mitiſſimè confirmat animos puſillorum. Maria ros eſt auroræ cæleſtis tribulatos corde refrigerans, & ſapphyrus triſtes fidelium mentes lętificans. Maria ſmaragdus eſt pudicitiæ, & carbunculus lucens in tenebris mundi claritatis æternæ. Maria ſuper aurum & topazium gemma eſt omnium in cælo & in terra pretioſiſſima, cui nulla margaritarum aut lapidum nobilitas eſt comparanda. Maria iaſpis eſt viſu delectabilis, qui ſuis virtutibus omnia dæmonum repellit phantaſmata, ſiſtitq; peccati ſanguinem, & cæleſtis gratiæ multiplicat dona. Maria virgo adamas lapis eſt ferro durior, cuius meritis protectum nullus poterit ſuperare tentator. Maria lapis eſt Achates nobilis, qui diabolicis reſiſtit venenis. Maria virgo lapis eſt amethyſtus aſpectu violis pulchrior, qui mentis ebrietatem reprimit, intellectum acuit, cogitationes malas pellit, venenum prauæ ſuggeſtionis extinguit. Maria lapis allectorius candidus fidelem ſuum reddit in tentatione inuictum, Deo ſummo principi gratum, ad regnũ quoq; perducit æternum. Maria pretioſior auro lapis Agapis dilectionem Dei ſe venerantibus impetrat, morſum ſerpentis antiqui ſanat, omnia ſauciatæ mentis vulnera curat. Maria lapide amandino pretioſior ventum diabolicæ prauitatis de cordibus ſuorum fidelium potenter extrahit, ænygmata ſcripturarum aperit, conſtantiam & victoriam in tribulationibus concedit. Maria lapide Abeſton nobilior eſt atque feruentior, in qua diuinus amor ſemel accenſus nunquam extinguitur, ſed perpetuo eius flamma in templo Dei ardens continuatur. Maria lapis Aſius pretioſus & candidus phtiſin curat deficientis animæ, & ſanat podagram tumentis ſuperbiæ. Maria lapis amianthus incolore lucidus maleficia dæmonum annihilat, & omne venenum cogitationis prauæ fugat. Maria cunctis agminibus cæli nobilior mitis ſemper adeſt, quoties deuotè inuocatur.

CAPVT VII.

QVOD INTEMERATA DEI GENITRIX VIRgo MARIA cunctis Dei nobiliſſimis creaturis in cælo & in terra ſit longè nobilior.

FERVENTE mentis deſiderio in tuis laudibus, ô caſtiſſima ſemper Virgo Maria, ſupra vires nitimur, quoniam ea quæ nobis ſcribenda cogitatio ſuggerit, exprimere non poſſumus: quæ etiamſi dicere poſſemus, tuis tamen meritis inferiora eſſe multũ, & nullatenus paria minimè ignoramus. Conabor nihilominus, quantũcũq; ſub huius Capituli breuitate potero, & nomen tuũ angelis venerabile, ſanctis omnibus honorabile, mihi ſupra omnes mundi delitias dulce, maligniſq; dæmonibus terribile, q̃diu vixero in humanis, laudare non ceſſabo. Cũcti fideles Mariæ nomen mecũ deuotiſſimè cõcelebrent, & ab eius laudibus nunq̃ in æternum ceſſent. Laudemus eam totis viribus cordis, quamdiu in carne viuimus, quia videbimus eam cum omnibus ſanctis perpetuo, ſi nomen eius pro Dei reuerentia veraciter honoramus. Ipſa eſt nobis meritis & precibus ſuis benigna mediatrix ad filium, ſi nos eius ſacratiſſimo nomini cõdignum exhibuerimus famulatum. Enimuerò cũ ſit mater pietatis & miſericordiæ, nunquã ceſſabit inuocata miſeris ſubuenire. Maria ſuo nomini deuotis in

B. Virgo eſt mediatrix noſtra ad filium.

omni tribulatione confert auxilium, & confidentem oratorem suum nunquam dimittit inconsolatum. MARIA balasius lapis roseo colore, siue purpureo virtuosus & nobilis, facit inter dissidentes placentem Deo concordiam, vanas aufert cogitationes, & extinguit luxuriam. Vinetum animæ Deum amantis custodit à fulmine diaboli, & conscientias peccato vulneratas restituit sanitati. Maria berillus lapis est lucidissimus purgatam vitiis mentem solis veri radio incendens illuminat, spiritualis coniugii amorem inter Deum & animam conseruat, pura deuotione seruientem sibi reddit alacrẽ, prægnantibus sanctis cogitationibus fert opem, turpia huius mundi aufert somnia, & pœnitentis animæ in gaudium mutat suspiria. Maria chalcedonius multis diues virtutibus illusiones dæmonum phantasticas pellit, simul & melancholiæ nocentis animæ tristitiam. confert amatori suo in omni certamine & litigio contra quoslibet inimicos victoriã, vires auget Deo seruientis animæ, raucedinemq; prohibet immundi cordis, & laudis vocem clarificat diuinæ. Maria chelidonius lapis virtuosissimus, licet in quantitate humanæ conditionis ab his qui dignitatem eius non intelligunt videatur minimus. Insanos namq; & vitiorum maculis Lunaticos rationis vsui restituit, in consuetudine peccandi sepultos quasi ex diuturna infirmitate ad sanitatem mẽtis virgo Maria inuocata reducit. Qui morbum peccantis animæ patiuntur caducũ, eius inuocatione sanantur. Maria quasi corallus lapis rubicundus atq; pulcherrimus omnem sedat fluxum peccati & animæ sanguinis malignorum spirituum fugat impetum fulminis, conscientiæ inuocantis confortat stomachum, & debilem, nauseamq; ad amorem boni operis prouocat appetitum. Maria instar corneoli diuino rubens amore cuncta dæmonũ pellit maleficia, peccatricis animę fortiter sistit menstrua, diabolica soluit phantasmata, & corda hominum in timore Domini facit esse tranquilla. Maria vt chrysoprassus boni operis fructu viridis auaritiam pellit, visumq; clarificat, & in omnibus exercitiis virtutum perseuerantiæ assiduitatem præstat. Maria sicut crystallus lucidissima peccatorum mala depellit somnia, fascinatorum soluit cuncta phantasmata, mentes pœnitentiæ laboribus deditas ad verum iustitiæ solem dirigit, ex cuius miserationum radiis ignẽ in eis diuini amoris accendit. Maria, quemadmodum lapis chrysolithus resplendet aureus, incantationibus resistit dæmonum, & febres pellit omnes malè in conscientia torquentium cogitationum. Maria, sicut ceraunius lapis amatorem suum præseruat, ne lædatur ab elationis fulmine, custoditq; sibi deuotum, ne mergatur in aquam tentationis peruersæ. Maria, vt Draconius lapis perspicuus cõtra omnes dæmonum insultus famulantibus sibi promptum confert auxilium, & procul depellit omne prauæ suggestionis venenum. Maria, sicut heliotrophius lapis virtute mirabilis radios diuini amoris in corda seruorum suorum attrahit, & aquam lachrymarum deuotarum mentium facit auream. Maria, lapis vt hematites omnem sanguinis fluxum sistit & reprimit cum suis meritis & precibus vitiorum in nobis putredinem consumit. Maria semper seruis, & cultoribus sibi deuotis à Domino impetrat & stillat misericordiam, quemadmodum lapis enhydros perpetuo dicitur emittere aquam. Maria deuotissimè supplicantibus in necessitatibus reuelat arcana salutaris mysterii, sicut eumathes lapis fertur præstare somnia in modum oraculi. Maria suis meritis humilem deuotumq; pœnitentem spe bona de misericordia Dei donat, simul & certa remissionis confidentia, quemadmodum philaterius lapis hilaritatem fertur conferre gestanti, & fugatis cunctis animi passionibus confortare spiritualia. Maria virtutes hyacinthi lapidis in immensum superat, & plura, quàm ille temporaliter ipsa spiritualiter pietatis munera fidelibus donat, ingenium acuit, & spirituales auget diuitias, tristitiam fugat, simul & suspiciones quaslibet vanas, gloriam sempiternam confert humilibus, & securitatem iter in hoc mundo periculosum agentibus. A peste præseruat vitiorum deuotam Christo animam, & regionem mentalis aëris ab omni corruptione reddit serenam. Maria super iaspidem colore viridem plura se honorantibus confert beneficia, quibus nullius est gemmæ virtus comparanda partu laborantibus velox inuocata præstat subsidium sanguinis fluxum spiritualiter sistit

Maria variis pretiosis lapidibus collata.

stit nimium, & sincerum amatorem suum Deo facit & hominibus gratum. Maria plus quam iris lapis hexagonus pulchram cælestis arcus reddit imaginem, & pœnitentis orationem coram summo rege DEO facit efficacem. Maria super crabaten crystallini fusci coloris lapidem deditum sibi hominem cælesti donat eloquio, honores, beneuolentiam & hilaritatem serenæ mentis præbet cum gaudio, hydropisin curat auaritiæ, ab omnib⁹ præseruat casibus naturæ deprauatæ. Maria ligurio lapide virtuosior, quæ non solum corporaliter, sed etiam spiritualiter meritis suis & precibus dolorem stomachi releuat, fluxum ventris nimium sedat, icteritiæ morbum curat, visus debilitatem releuat, febris animæ pestilētiales efficaciter sanar. Marialymphicum lapidem multarum virtutum longè superat, quæ à morbo spiritualis epilepsiæ præseruat, à casu peccandi longa infectos consuetudine, & curat ophtalmiam, gulam, fauces tussim, & caput male habentis conscientiæ. Maria cunctis vnionibus, quas perlas vocant, effectu atque virtute medendi longè præstātior cultorem sibi deuotum, castum reddit & placidum, infirmum cōscientiæ pœnitentis cōfortat stomachum hulcera mentis curat mortifera, vocis, cordis & totius animæ tollit nocumenta. Epilepticos, cardiacos, & nimio fluxu ventris infirmos liberat, febres animi pœnitentiales curat. Maria viridem superat Malachiten, quæ infantibus, & adhuc in operatione virtutum paruulis contra omnes terrores, fascinationes nocturnas, inquietudines, & pauores subitaneos potenter subuenit, eosque in omni prosperitate crescentes suis meritis tuetur & defendit. Maria Virgo cunctis decorata virtutibus magnetem procul superat, quæ meritis suis & precibus ferreum pectus hominis peccatoris trahit, & emollit ad pœnitentiam, nauigantibus in hoc mari magno & nimis periculoso præmonstrat rectitudinis viam. Et tanta præstat beneficia mortalibus, quanta nullius facundia poterit exprimere disertissimi oratoris. Maria vt onyx lapis transparens animæ fœtum educit, & partum boni propositi suis meritis apud DEVM in opus bonum accelerat, internumque mentis oculum intrans ab omni paluere terrenæ cupiditatis efficaciter purgat. Maria longè præcellit opalum varii coloris pretiosissimum, qui sanat omnes ægritudines oculorum. In sola India hic lapis reperitur ad quantitatem magnæ nucis auellanæ, & Deū virgo sola peperit humilis & innocens Maria. Opalus aspectu mirabilis Carbunculi, smaragdi, sapphyri, amethysti & aliorum diuersorum fulgentium coloribus lapidum decorus, pulcherrimusq; describitur. Et Maria intacta Dei genitrix cunctis sanctorum in cælo virtutibus & meritis, vt lucidissimum speculum exornatur. Maria plusquam triplicis speciei Orithes virtute mirabilis cū nigro rotundo morsus infernarum ferarum venenosos curat, & præseruat à serpentum, aliarumque bestiarum diabolicarum percussionibus cum virente albis permixto venulis aduersis resistit casibus, cum tenui verò non finit animam fœtum concipere malignitatis.

Maria super pulchritudinem sapphyri speciosissima, amatoris sui spirituale corpus vegetat, ardorem cupidinis illicitæ fugat, castitatis donum confert precantibus, sudorem restringit putridum in peccatis, frontis interni hominis dolorē mitigat, sordes oculorū cordialium purgat, ventris conscientię torsiones pœnitentiū sanat, anthraces solo tactu liberat, piū mitēq; reddit atq; pacificū, in bonis operib⁹ facit deuotum, & seruat hominem à fraudibus, dolis ac terroribus dæmonū immunem semper & illæsum. Et sicuti sapphyrus gemma gemmarū sua pulchritudine & virtute mirabili omnes pretiosos excellit lapides, sic beatissima Dei genitrix Virgo Maria dignitate, meritis atq; virtutibus vniuersos ciues longè superat cęlestes. Maria instar smaragdi viridis, lucentis, & optimi, sanctæ pro Christo virginitatis domicilium, amatrix & custos omnium mortalium verè & indubitanter castissima suis amatoribus salutarem mentis & corporis præstat continentiā, necessarii victus auget substantiam, illusiones & tentationes fugat diabolicas, vires interioris hominis reficit fatigatas, Deo & hominibus reddit amabilem. Curam epilepsiæ confert efficacem, ingenium & memoriam dominicę passionis acuit, vim deuotè precātibus infundit, medicinam affert visui defatigato, morsuiq; canis rabidi, intoxicatis atq; leprosis, apostema simul & calculum patientibus. Maria

vt

vt Sardius lapis inter ardentes gemmas coloris rubei computatus ſpirituales auget diuitias, dæmonum à dormientibus horrendas ſomniorum reprimit laruas, hilaritatem inducit, acuit ingenium, inimicos vincit, & ſtringit ſanguinis fluxum. Maria, vt ſiderites lapis per totum ſtellis virgulatis plenus, qui græce νικόλιθος, id eſt victoriæ lapis nuncupatur, multis diues virtutibus deuotione in nobis cum Luna creſcente maxima operatur atq; ſtupenda: quoniam amorem inter Deum & animam conciliat, pthiſicos à tentationis impulſu deficientes mirabili efficacia releuat, & in omni certamine ſpirituali victoriam præſtat. Maria veluti ſamius lapis albus, grauis atq; frangibilis, puriſſima, candidiſſima, cunctisq; ponderoſa virtutibus, & facilis ad commiſerationem omnem vertiginem & mentis alienationem à ſuis pellit fidelibus, antiquas ſiſtit pœnitentium lachrymas in oculis cordis, & bonarum cogitationum aborſum prohibet, intellectusque veram illuſtrationem exercitantibus ſe in contemplatione diuini amoris præbet. Maria glauci coloris, topazio pretioſior inuocata deuotis precibus laſciuos motus comprimit, incendium libidinis extinguit, hemorrhoidas turpium deſideriorum ſtringit, & ſanat ira Lunaticos atq; phreneticos, animas triſtes & cogitatus mentis lætificat perturbatos, ſanguinem vitiorum ſiſtit, & mortem auertit ſubitaneam, ſummiq; Principis Dei & ſanctorum eius omnium ſupplicantibus impetrat gratiam. Maria plusquam Durcas, ſiue turqueſia lapis ex albo & flauo colore mixto viſui multum delectabilis ſeruum ſibi deditum præſeruat à caſu & præcipitio, & interiorem mentis oculum cuſtodit à peccato. Maria vt Thyrſites lapis corallo perſimilis ſomnum dilectis ſuis inducit diuinæ contemplationis. Maria lapidis angularis IESV Chriſti pia genitrix tanti apud DEVM eſt meriti, tantæ præeminentiæ & dignitatis, vt, ſi fieri poſſet, quod arena maris & guttæ, puluis terræ, & lapides, nemora ſyluæ, & arborum folia, flores, herbæ & gramina, ſtellæ, piſces, & cum ſuis pennis ſingulatim volatilia cuncta linguæ forent humanis vſibus aptæ, minimè depromere poſſent, qualis ſit & quanta ſanctiſſima Virgo Maria. Eius merita laudem omnem humanam procul ſuperant, & longe pręcedunt intellectum, cuius immenſum eſt dignitatis præconium.

CAPVT VIII.

QVOD MARIA SANCTISSIMA DEI GENITRIX plus meruit de fidelium Chriſtianorum Eccleſia, quàm omnes ſancti in cælo & in terra.

MARIAM ergò nullus mortalium dignè laudare ſufficit, quam omni laude digniſſimam ſancta mater fidelium Eccleſia canit. Plus etenim nobis in Dominum Ieſum Chriſtum fideliter credentibus MARIA contulit, quàm omnes ſancti, quos omnipotens Deus vſque in præſens ab origine creauit-Maria nobis vitam innocentiæ reſtituit, quam Eua cunctorum mater prima mortalium ſuadente diabolo amiſit. Maria nobis fontē æternæ ſalutis per humilitatem aperuit quem Euæ temeritas per laſciuiam obſtruxit. Maria per obedientiam mandatorum vniuerſum mundum viuificauit, quem Eua tranſgrediens Dei præceptum vita ſpoliauit. Maria ſempiterni Dei Patris ſapientiam orbi terrarum protulit, quem Eua miſerabiliter infatuauit. Maria genus humanum veram Dei ſcientiam docuit, quod Eua ſub ignorantiæ tenebris inuoluit. Maria lumen æternæ claritatis reddidit. Eua mundum luce priuauerat

Maria quanta bona nobis attulerit.

Cum Eua confertur

uauerat peccando. Maria intellectum restituit mortalibus. Eua cognitionem Dei subtraxit vniuersis. Maria virgo mater scientiæ & disciplinæ salutaris. Eua inuētrix ignorātię & pernicioſę dissolutionis. Maria mentes fidelium per fidem & dilectionem sursum sustollit & erigit, quas Eua carnalibus desideriis, & mūdanis concupiscētiis mersit. Maria nobis partu suo virgineo aperuit cælum. Eua miseris reserauit infernum. Maria per filium Dei & suum quem virgo peperit nos Deo reconciliauit, quos filios iræ mater Eua constituit. Maria pares nos fecit angelis quos Eua subiecit dæmonibus. Maria in se & in filio suo genus humanum magnificis exornauit virtutibus: quos Eua donis spoliauerat naturalibus. Maria super omnes angelos & ministros Dei cælestes humanam exaltauit substantiam, quam illa & bestiis & dæmonibus subiecerat in seruitutem. Maria mundo salutem reddidit, quam Eua decepta per diabolum euacuauit. Per Euam mors introiuit in orbem terrarum ex inuidia diaboli. Per Mariam verò salus & vita nobis redditur caritate vnigeniti filii DEI. Vitæ fructum Eua perdidit, Maria recuperauit, Morti nos Eua subdidit: ad vitam Maria nos reuocauit. Eua in innocentia naturæ condita per noxialis ligni esum turpiter in foueam peccati cecidit, sed Maria Dei miseratione ab eius originali macula prę-seruata nulli vnquam peccato subiacuit. Eua gratiæ donum, quod acceperat, lasciuiens perdidit. Maria collatum sibi mun⁹ gratiæ in æternum custodiuit. Eua mater mortalium extitit misera. Maria parens est omnium in fide Christi viuentium beatissima, & in sempiternū glorioſa. Vitam nobis Maria recuperauit amissam, cælestis regni aperuit ianuam, salutem miseris reparauit æternam. Non angelus, non homo, non patriarcha, nō propheta, non Apostolus, non Euangelista, non Martyr, non Pontifex, non confessor, non eremita, nō virgo, non vidua, non innocens, non continens, non alia quæcunq; in cælo vel in orbe terrarum creatura post Deum tāta nobis beneficia contulit, quanta Dei genitrix sola donauit humano generi castissima, & verè innocētissima Virgo Maria. Dignum est igitur, vt quemadmodum ipsa nobis ad veram æternamq; salutem post Deum plus contulit omnibus, ita laudetur, honoretur, & ametur à nobis plus ceteris Dei sanctis, & angelicis spiritibus vniuersis. Ipsa enim est Dei mater sanctissima, quæ caput serpentis contriuit antiqui, & graue iugum seruitutis à nobis abstulit primi seductoris diaboli. Quę cū sit in regno cælorum potens, & super Dei sanctos omnes præcellentissima, semper à nobis deuotissimè in omni confidentia orationis est inuocanda. Vult enim & potest nostris incommoditatibus succurrere, & omnibus eam pura mentis confidentia inuocantibus promptissima celeritate subuenire. nā quanto præ cæteris in regno cælorum est dignior, tāto est etiam ad impetrādum postulata potentior. Petat à filio, quæcunq; voluerit, repulsam nō patitur, sed placidissimè in omnibus exauditur. Vult idem per omnia semper, q̄ Dominus, & matri voluntariè filius. Vnde Maria humanæ salutis ianua rectissimè dicitur, per vnigenitum filium, cuius fidelium animę saluātur, pro nobis virgo dum petit libens filius exaudit, & concedit. Scio, & confidenter affirmo, quod filius inter mortales null⁹ vnquam genitricem suam citius & liberius exaudiuit supplicantē in minimis, quam Domin⁹ vniuersorum Iesus Christus matrē suam exaudiuit, & exaudit in maximis. Maria namq; potest omnia in eo, qui condidit vniuersa: nihil precanti poterit denegare, q̄ matris castissimæ confirmat effectu precat⁹. Ipse Dominus noster Iesus Christus ad Deum patrem nobis præstabit accessum, mater pro nobis accedit ad filium. Si veri sumus Christiani, nullum nocebit aduersum pœnitētibus & orātibus in vera humilitate. Maria veniam impetrat, gratiam bonæ volūtatis & perseuerantiæ Dei miseratio subministrat, crescit in mente deuotionis affectus cū tempore, si ipsa se custodiat ab acedia & torpore. Ego me tibi ô sanctissima virgo Maria, Dei genitrix post filium supra creaturas omnes iure confiteor debitorem, quoniam in me quicquid est fidei, quicquid spei, quicquid caritatis, virtutis atque scientiæ salutaris, ab eo est totum, quem tu sancto spiritu obumbrante concepisti Virgo, & inuiolata peperisti sine dolore filium. Necesse fuisset perire cum idolis, nisi filius tuus intermiscuisset se electis. Enimuero præter gentem tuam Israheliticam totus mundus stultus errauit à scientia Dei, inter quos nō du-

S. Virgō cupit nobis subuenire.

Quantũ boni per Christum nobis attulerit.

dubito fuisse meos progenitores. O pernicioſa generis humani pernicies & cæcitas, quæ Deum ſuum ignorauit ad culturam dilapſa idolorum. Ignorantiæ cæcitatem ſecuta eſt alienatio mentis cum viuerent in deſideriis corruptibilis carnis ignari homines ſine caritate Dei, ſine affectu diuini amoris, & ſine cultu veræ pietatis. Hanc generis noſtri calamitatem, ſicuti ab æterno prædeſtinauerat vnigenitus Dei filius ex te homo factus eſt, duo maxima fecit, & mundum per ea ſaluauit. Sua enim doctrina cæleſti & ſanctiſſima prædicatione ſcientiã, quã nõ habebant, & intellectum veritatis parvulis infudit, atq; humilibus, genusque noſtrum ab errore ad ſui cognitionem inſtitutione benigniſſima reuocauit. Impleto tandem docendi ordine pro nobis eſt paſſus voluntariè mortem diuerſis contumeliis & opprobriis, ſicuti innocentem, ita & amaram nimis. In docendo cognitionem Dei nobis contulit, intellectum ad ſummi boni intuitum illuſtrauit. In eo verò, quod pro noſtra redemptione mortuus eſt, & reſurrexit tertia die, aſcendensq; in cælum ſedet ad dexteram Patris, inde venturus iudicare viuos & mortuos, & cauſam dedit, & genus noſtrum ſibi firmiter obligauit, maximeq; de nobis meruit, vt eum ex intimo corde, ex tota virtute, ex cunctisq; viribus animæ ſuper omnia diligamus, eius mandata diligentiſſimè cuſtodiamus, venturum iudicem filialiter timeamus, & ſecundum eius inſtitutionem viuentes Euangelicam vitam & beatitudinem in cæleſtibus ab ipſo, in ipſo, & per ipſum cum patientia ſperemus æternam. Ipſo enim in ſancto Euangelio nos docente audiuimus: quoniam hæc eſt vita æterna, vt patrem cognoſcamus, ſolum verum Deum, & quem ille miſit in vterum tuũ virgineũ, vt homo fieret pro nobis Ieſum. Duo ſunt iſta munera ſummę in nos diuinæ pietatis, quæ generi noſtro per filium ſuum ex te hominem factum dignanter exhibuit: quippe qui per ſalutarem doctrinam in cognitione ſummæ & indiuiduæ Trinitatis prius cæcum illuminauit intellectum, & per beneficium innocentiſſimæ paſſionis & mortis, qua nos ex inferno liberauit in amorem ſui prius ſine dilectione Dei ſuccendit, & inflammauit affectum. His etenim duobus, cognitione & amore fidelibus Chriſti tribuitur fruitio cum ſanctis omnibus felicitatis æternæ. Cum igitur hæc omnia per eum ſint collata mortalibus, quem tu ô ſanctiſſima Virgo Maria innocens, pura, & ſemper innocentiſſima de ſpiritu ſancto concipiens ſaluatorem mundo inuiolata peperiſti, ſacriſq; lactans vberibus infantem nutriuiſti, & mater filium educaſti: quis non intelligat omni te honore porro digniſſimam? & ſumma poſt Deum pietate internæ deuotionis à nobis ſemper eſſe venerandam? Tu enim reparatrix es orbis, tu ſempiternæ ianua ſalutis, tu reconciliatrix pœnitentium, tu piiſſima conſolatrix miſerorum, tu poſt Deum ſpes vnica, & refugium in tribulatione gementium. Te igitur, ô mater pietatis, quo poſſum deuotionis & humilitatis cultu veneror, laudo, benedico, & diligo: tuæ ſanctitati, qa me dignum Dei muneribus exhibuiſti, quas valeo, gratias ago: me tuis meritis & viuum, & paulo poſt mortuum humiliter commendo, vt mei pauperis

TRITHEMII Abbatis tui ſis
memor inſtantius
oro.

Deuotio Trithemii erga D. Virg.

CAPVT IX.

QVOD BEATISSIMA DEI GENITRIX SEMPER intacta Virgo MARIA humano generi ad filium promptiſſima ſit mediatrix & patrona.

BEATISSIMA Dei genitrix ſemper intacta virgo Maria ſicuti omnium ſanctorum ſpirituum in cælo & in terra pro meritis ſuis principatum obtinet, ita plus apud DEVM ſuis precibus, quam omnes, ſola poteſt.

test. Enimuerò, sicut nulla fuit in mundo creatura, quæ diuinitatem Christi intelligeret profundius, quam Maria, firmius in eum crederet,& feruentius amaret: ita nullus hodie est in cælo sanctus,quem maior & glorioſior diuinæ remunerationis ſplendor illuſtret. Et iuſtiſſima quidem ratione ſuper omnes angelorum choros ſublimata reſidet in excelſis, quæ pura Dominũ gloriæ peperit,& lactauit in terris, pari quoque diſtributione præmiorũ ſecundum merita, quemadmodum poſt filium inter ſanctos omnes iure creditur eſſe ſanctior, ita vt nulli ſit dubium,quin etiam habeatur cunctis in cælo & in terra potentior. Lætandum proinde nobis eſt, ô Chriſti fideles, & iugi exultatione gratulãdum, quod vnigenitus Dei filius non ſolum in ſua perſona ſuſceptæ humanitatis noſtræ ſubſtantiam ſuper omnem cæli militiam, ſed matrem quoq; ſuam corpore ſimul & anima ſibi proximam ſupra omnes angelos & ſanctos collocauit. Multum & matri & filio debemus fidei, deuotionis & reuerentiæ,pariter & amoris: per quos humilitatis noſtræ conditio tantum conſecuta eſt dignitatis. Nec eſt otioſa in vtroq; ſublimitas, quoniam penes vtrumq; manet ſumma ſalutis humanæ poteſtas. Mater pro nobis interpellat, ad cuius nutum filius omnia præſtans impium pœnitentem iuſtificat,filius matrem ſuam aduocatam nobis eſſe voluit & patronum,cuius ſibi vnitæ voluntati omnia ſubiiciens, quicquid illa petierit,ſine mora concedit. Non eſt in illo ſummæ fælicitatis regno voluntatum diuerſitas, vbi Deus eſt omnia in omnibus vnus, & nullus eſt,qui aliud velit,quam Dominus.Et quamuis diuina voluntas non ſit commutabilis, vt ſanctorũ precibus flecti poſſit ad miſericordiam, ſi ante nolebat, meritis tamen beatorum,& maximè beatiſſimæ genitricis ſuæ pro nobis orantis indulgentiam præſtare dicitur, non quod incipiat velle, ſed quia ſic ab æterno præſciuit, & præordinauit nos ſaluos fieri mediantibus Diuorum ſuffragiis, quibus in DEO ſtabili firmitate conſiſtentibus nos ſupplicando potius, quam ille ſurſum trahimur,& in affectum piæ compunctionis mutamur. Semper manet incommutabilis DEVS, velle non incipit, ſed quicquid meritis ſanctorum nobis præſtat orantibus ſemper,vt more noſtro loquar, voluit & fieri his ipſis mediis quibus fiunt, ſua prouidentia præordinauit. Scriptũ eſt enim. *Glorioſus eſt Deus in ſanctis ſuis, & mirabilis in operibus ſuis.* Ne dixeris, in corde tuo. Quis nouit ſenſum Domini & quis oſtendet mihi voluntatem Dei? In te ſunt media, quibus ad ſalutem tuam voluntas Dei complebitur ſine principio ſemper conſtituta. Si media tuleris, non Dei volũtatem, qui cum omnibus & hoc ipſum præſciuit, mutaſti & fefelliſti, ſed propriam tua negligentia impediuiſti ſalutem. Vtrum Deus ſanctorum inuocatione & meritis te ſaluare ac liberare de inſtantibus huius mundi periculis velit,aut non velit,non eſt tuũ diſcutere,ſed firmiter ſinceriter viuere, Deum confidenter in ſpiritu & veritate adorare, & ſanctorũ eius, maximè genitricis intactæ Virginis Mariæ ſine intermiſſione poſtulare ſuffragia. Si non intelligis,crede precor expertis. Non mutatur noſtris orationibus Deus immutabilis, ſed nos in feruore mentis plorantes & orantes ipſo miſerãte ſurſum trahimur, & per deſidetium interni amoris in alium cordis affectum mirabili ſpiritus Dei cooperatione commutamur. Neq; vacilles animo carnali cæcitate percuſſus mentis, quaſi fruſtra dicas. *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam,* ſi etiam ſanctorum flecti nequeat precibus ad commiſerationem. Enimuerò quos ſaluare vult,non cœpit velle in tempore, ſed voluit ſemper in æternitate.

Pſal.67.

Multi voluntate Dei ſanctorum precibus ſaluantur

Prædeſtinatio Dei eſt per media.

Vt autem ſempiterna eius voluntas fiat in his,quos ſaluare diſpoſuit, certa ipſis media,quibus aptentur ad ſalutem, præordinauit. Tu vero, ſi media ipſa negleXeris, non voluntate compulſus, ſed tuo arbitrio proprio & negligentia peribis. Media tibi ſunt ad ſalutem, firmiter credere, rectè viuere, DEVM in ſpiritu & veritate confidenter adorare. Media ſunt ad ſalutem, pœnitere malorum, emendare vitam,bonis operibus inſiſtere, DEVM ſuper omnia diligere, eiusq; mandata inuiolabiliter cuſtodire. Media ſunt ad ſalutem, ſanctorum Dei ſuffragia petere,& preces eorum pro ſe ad Dominum inuocare. Multa deniq; ſunt & alia pietatis exercitia, quorum medio ſalutem noſtram conſtituit operari diuina prouidentia. Tu autem cum neſcias, quibus te mediis ſecundis omnipotentis DEI velit

Inter ea eſt inuocatio ſanctorum.

ſaluare clementia, quantum fieri poteſt, hortamur, vt cuſtodias vniuerſa. Exiſtimo tamen, quod poſt illa media prima, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, nihil ſit nobis ad conſequendum feruorem diuini amoris, & veniam delictorum efficacius, melius atque ſalubrius, quam ſi quotidie in commemorando hiſtoriam incarnationis, natiuitatis, vitæ, actionis, doctrinæ, paſſionis & innocentiſſimæ mortis Domini noſtri IESV Chriſti cum interna deuotione mentis gratias agamus. Deinde reor nobis valde commodum & vtile, ſi nos meritis crebius intemeratæ genitricis Dei commendemus, qua mediante cum omnibus ſanctis frequenter DEVS iudex iuſtus ſuper pœnitentibus mutat ſententiam, incommutabili nihilominus ſempiternoq; eius conſilio permanente. Aduocatam ergo noſtram ſemper intactam Virginem Mariam, quam Dei filius medium quoddam ad ſalutis iter nobis propoſuit, qua poſſumus reuerentia veneremur, ad honorem & laudem eius ſacri nominis quotidie boni aliquid faciamus, & in omni tribulatione, periculo, vel neceſſitate ſuffragia eius confidenter imploremus. Benigna eſt mater pietatis, & regina miſericordiæ, cuius tanta ſanctitatis apud filium ſunt merita, vt facile quilibet impetret poſtulata. Mitiſſima eſt, neminem ſpernit, neminem deſpicit, neminem contemnit, non perſonam, ſed merita ſupplicantis accipit, non munera, ſed affectum ſui amatoris attendit. Quicunque in fide Chriſti mente compunctus, & propoſito mundus eius nomen inuocauerit, Dei miſerante gratia, de quacũq; tribulatione ſaluus erit. Voluntaria eſt noſtris ſubuenire neceſſitatibus, promptiſſima eſt nobis ſuccurrere in periculis, clementiſſima eſt nos exaudire in orationibus. De potentia verò & poteſtate Mariæ ad filium nemo dubitet, nemo de precum ſuarum effectu vacillet: potens eſt apud Deum ſuper omnia. eius nutui ſubiecta ſunt vniuerſa: quia ſicuti illi eſt vna cum Deo voluntas, ita & plena in DEO poteſtas, & quod Deus habet per naturam, Maria ſuſcepit per gratiam. Deus, qui nobis patrem & matrem honorare præcepit in terris genitricem ſuam, procul dubio glorioſius honorat in cælis, & qui nos mortales in carne parentes tantopere diligere & reuereri voluit, matrem ſuam in æternum glorioſam multo iam amplius honorauit. Si te conſcientia tua remordet, propter malè commiſſa ſcelera, ſi perturbat animum propter enormitatem reatus interemptrix ſpei & ſalutis diffidentia, ad Mariam pietatis fontem & miſericordiarum Dominam feſtina recurrere, eius patrocinium ne tardaueris inuocare. Ipſa eſt enim aduocata pœnitentium, quæ vult & poteſt ſuis pro te meritis intercedere, & omnium tibi veniam peccatorum tuorum à ſuo filio impetrare. Accede confidenter, ora perſeueranter, & impetrabis quod petis finaliter. Non eſt parua res per medium reginæ cæli veniam impetrare delictorum, & ideo conuenit neceſſariò, quod oratio tua ad eam ſit deuotione feruida, confidens & ſumma confidentia in eam cõtinuata. Si mentem tuam triſtitia & ignauiæ torpor aliquis cum pernicioſa melancholia inuaſerit, mox in toto corde tuo conuertere ad MARIAM: & ſi perſeueraris pulſans veram ſpiritus impetrabit animo tuo lætitiam. Ipſa eſt enim prompta conſolatrix triſtium, & omnium ſub fide Chriſti recreatio mœſtorum.

In omni neceſſitate B. V. inuocanda.

Et quidem feruenter ac cum fiducia.

Si te premit paupertas vel inopia, confidenter ſuffragium Mariæ inuoca, & ſi conſtans animo deuotè orare non ceſſaueris, auxilium indubitanter conſequeris. Ipſa eſt enim vnica mater pauperum, & certiſſima nutrix egenorum. Si corporalis te grauet infirmitas, non tardes inuocare Mariam, & ſalutarem eius experieris medicinam. Ipſa eſt enim Virgo, quæ mundi ſaluatorem innocens & caſtiſſima peperit, à quo facile, quicquid petierit, impetrabit. Crede mihi, & nullatenus dubites: quæ tot beneficia ſanitatum tàm multis, & pæne innumeris etiam noſtris diebus in diuerſis locis inuocata præſtitit, tibi vni, ſi deuotè, feruenter, & confidenter eam rogaueris, ſanitatem non negabit. Si te libidinis ardor, ſeu cuiuſlibet alterius vitioſæ peſtis tentatio facit inquietum, ſta fortiter, & tota mentis intentione fugito ad Mariam: cuius obſequio, ſi te totum mancipaueris, certus ſum quod breui ſenties melius, & glorioſam conſequeris victoriam. Ipſa eſt enim verum caſtitatis & totius pudicitiæ ſpeculum,

quam

quam nec originale vnquam, nec actuale maculauit peccatum. Si te persequuntur homines, si malè famam tuam, & mendaciter denigrant, obloquuntur, vel detrahunt, non petas à Domino vindictam, sed Mariæ omnem committito causam, & sine intermissione orans postula misericordiam. Ipsa est enim mater pulchræ dilectionis, & boni restauratrix nominis: in cuius famulatu si perseueraueris omnes detractores & inimicos superabis tuos. Et, ne sim iusto prolixior, paucis accipe totum. In omni tribulatione & angustia, in omni calamitate & miseria potès est nos releuare castissima Dei genitrix virgo Maria, potens est, inquam, saluare nos & omnino voluntaria. Hanc nostri sermonis assertionem ipsa confirmant miracula, quæ ad eius sanctissimi nominis inuocationem nostris sunt temporibus facta. Multa siquidem & stupenda facta sunt Mariæ meritis isthic in Vrticeto miracula sanitatum his nostris temporibus, de quibus sumus facturi sermonem. In Clvsa quoque Eberhardi Treuirensis diœcesis, ad duplicem quercum in Saxonia in vibiceto, & in arena prope Dittelbach Herbipolensis diœcesis, ad lapidē S. Antonii prope Andernach, ad quercū prope Pfortzheym Spirensis diœcesis, & in plerisque aliis locis tot & tanta sunt facta & hodie fiunt ad inuocationem nostræ Dominæ S. Mariæ signa & miracula sanitatum, vt æstimationem nostri excedant. Beatissima itaque Dei genitrix intacta virgo Maria, quæ tot millibus in ægritudinibus, periculis, & variis angustiis constitutis subuenire dignata est, te vnum contemnere non poterit, si tu pura intentione, sincera deuotione, & cōstanti supplicatione auxilium eius non omiseris inuocare. Mitissima est, benignissima est, clementissima est, & omnia potest apud Deum, quæ deuotè inuocata suum nulli negat subsidium. Si oratorem caritatis feruore ardentem inuenerit, pro suscipiēdis diuinæ pietatis muneribus dispositum reddit. Nam licet ipsa nulli vnquam peccato subiacuerit, ob id tamen peccatores ad pœnitentiā conuersos non contemnit, quæ se matrem Dei factam esse propter peccatores indubiè recognoscit.

racula à B. Virg.

Potens enim est nos iuuare.

In multis locis hodie fiunt mi-

CAPVT X.

QVOD VERE DIGNVM ET IVSTVM EST, Æquum & salutare, Mariam post Deum à nobis venerari summa cum deuotione quantumcunq; possumus.

Vicvnq. beatissimam Dei genitricem semper intactam Virginem Mariam fideliter credit omni honore dignissimam: quisquis eam omnipotenti Deo intelligit supra cælicolas omnes fore dilectissimam, pensiculet ipse secum, qua constituat reuerentia venerandam. Regina est cęli, Domina mūdi, mater vnici. Quid sub Deo excogitari potest sublimius? qd esse aut fieri hac virgine glorioſius? Dei mater præ sanctis omnibus iure censetur proxima, meritò cunctis est in cælo & in terra creaturis, vt Domina maior, venerāda. Maria non angelū, non purū hominem sanctū, sed filium Dei peperit hominem factum, & propterea omniū Sanctorum iure tenet principatum. Deū castis lactauit vberibus, sanctissimis cōtinuè honorauit operationibus, super omnes pientissimo cultu amoris eū genitrix inuiolata dilexit, quem genuit, cui & crucifixo præ nimio desiderio amoris mente crucifixa est. Vidit duris cæsum verberibus, quem Virgo peperit, vidit impiorum sputis maculatum facie, quē virgo lactauit, vidit spinis coronatum, quē innocentissimum nouerat, vidit crudeliter exten-

Mater Dei omnibus præponenda.

sum in cruce, quem Deum esse certissimè sciebat. Non est, nō fuit, non erit homo in terra, nō aliqua in toto vniuerso creatura, quæ maiorem in passione Domini vim compassionis in sua mente sentire potuerit, quam sanctissima Virgo Maria sensit: quo compassionis dolore, quantū omnipotens Deus merita eius auxerit exhibitio miraculorum quotidie ostendit. Nam in omnibus locis à nobis visis, in qbus ad inuocationem sacratissimi nominis eius propter miracula concursus fit, populi, non alia imago ipsius B. Virginis ostenditur, quam illa, quæ vespertina nominatur. Neq; mysterio carere credimus, quod ad huiusmodi potius imagines, quam ad alias miracula fieri videmus. Enimuero quemadmodum Christi passio & mors eius innocentissima omnium fuit beneficiorum, quæ nobis exhibuit, maximum: sic etiam dolor cōpassionis B. Mariæ semper Virginis, non vltimum eius apud Deum extitit meritum. Volens itaq; misericors Deus cunctis manifestū esse mortalibus, quam grata sibi fuerit mœstæ compassio matris, ad eā illius imaginem stupēda facit miracula, quæ instar sub cruce sedentis, & mortui corpus in sinu tenentis facta, nuncupatur vespertina. Sic enim sancta mater orat Ecclesia. *De cruce deponitur hora vespertina, fortitudo latuit in mente diuina.* Et rursus. *Mortuus iam Dominus cruce relaxatur, & in sinum Virginis matris collocatur. Gemit mater Domini, virgo benedicta, natū cernens mortuum hora vespertina.* Hinc nomen imago prædicta obtinuit, quoniā in ipsa hora virgo in maxima cordis amaritudine fuit. Nā etsi corpore passa non fuerit, qa tamen in anima propter Christi passionē nimiū doluit, indubitāter plusq̄ martyr fuit. Verè igitur dignū & iustum est, æquum & salutare, vt eius memoria celebretur cum summa deuotione ab omnibus, & nomen Mariæ prædicetur ab vniuersis. Maria .n. diuina miseratione priusq̄ conciperetur in matris vtero præuenta, supremū in cælo honoris gradum meruit, quia Deū super omnes creaturas feruentius amauit. Dignum igitur & iustū est, vt post Deū à nobis præ cæteris creaturis omnib⁹ diligatur, laudetur & honoretur in terris, q̄ rex vniuersorū Christus, vt matrem sibi carissimam, optimeq; meritam super omnes sanctos & angelorum choros exaltauit in cælis. Mariam angeli Domini cū sanctis omnibus continua sollennitate celebrant, laudant & venerātur in cælesti patria: quos iure ꝑ viribus imitari debemus nos miseri in terra. Angeli cum sanctis omnibus in cælo Mariam venerantur perpetuo cultu amoris, vt cæli reginam & Dominam, nos eā laudare, venerari, & honorare debemus totis viribus, vt ꝑmptā in omni necessitate aduocā tā. Angeli Mariā Dei genitricem ob amorem & reuerentiā summæ maiestatis puro venerantur intellectu, sibiq; congaudēt esse prælatā & nos eam sincerę deuotionis affectu prosequamur, q̄ habemus fidelem in cunctis tribulationibus nostris ad filium patronam. Angelorū laus est in amore Dei continuè feruens intellectus, ita sit & nostræ deuotionis Marię veneratio in vera fide Christi ab omni desiderio mentis inordinato purgatus, mundus, & Christo per dilectionē subseruiens omni tempore affectus. Nā si angeli sancti, quorum beatitudini essentiali Maria nihil contulit, ob reuerentiam tamen & honorem saluatoris nostri eam tanta prosequuntur veneratione, vt sit nobis penitus ineffabile, quanto nos miseri cordis amore, quanto cultus honore, quantaq; veneratione laudis eam debemus laudare, diligere & amare, per cuius partū virgineū æterna sumus liberati à morte. Omnes sancti in cælo continua, & nūquam intermittenda festiuitate laudes Mariæ concelebrant, eamq; vt reginā cæli & Dominam suam intellectualis vocis organo in sempiternū collaudant. Quid nos honori eius dignum impendimus, per cuius filium de mortis perpetuæ interitu liberati sumus? Quid, inquā, facimus, aut in quo Marię nomē honoramus? Septē in honorem eius festa celebramus per annū, quāuis non omnes omnia seruent. Annuntiationis, Visitationis, Assumptionis, Natiuitatis, Præsentationis, Cōceptionis, & Purificationis. Sed ista septem dierum veneratio, quam sub multa negligētia & ariditate mentis beatiss. Virgini Mariæ annuatim exhibemus, quid est ad eā laudis continuationem, qua veneratur ab angelis comparata, nisi momentū ad ęternitatem, & vmbra ad Solem? O cæca humanę mētis cōditio, cui semper est familiaris ignorantia, cæcitas amica, fides infirma, amoris in Deum cordis deuotio nulla. Quis hodie matrē Dei cōdignis laudibus cele-

Imago Vespertina B. Virg. miraculis maximè celebris.

B. Virgo quanto-pere ab angelis colatur.

Et cæt. sanctis.

7. Festa B. Virg.

celebrat, cum verus ipsius Dei cultor rarus occurrat? Miseri sumus, & non attendimus, infirmi vsq; ad mortem animæ & non curamus. Arma nobis diuinitus collata, quibus contra vitia pugnare oportuerat, abiicimus, remedia quibus curantur animæ vulnera ignaui refutamus: propterea contenebrantur in cæcitate pernicioſa oculi cordis noſtri, hebetatur mens, intellectus confunditur, affectiones noſtræ deturpantur. Qui Deum ſuper omnia puro corde, firma fide, ſincera deuotione, ac purgata conſcientia deberemus diligere, vana, terrena, carnalia, & breuiſſimo tempore manſura ſeducti carnis infirmæ commercio amplectimur, prauos dæmonum inſtinctus ſequimur, & Chriſti neglecto Euangelio paganos imitamur. Viam ſalutis æternæ non quærimus, nihil aut parum de cæleſti patria cogitamus. Debitos aduocatæ ſalutis noſtræ Virgini Mariæ, cum poſſumus, non exhibemus honores, nomen eius congruente animi deuotione laudare negligimus: propterea & ipſa non exaudiet nos in neceſſitate, dum clamamus. Conuertamur nunc igitur ad Dominum Deum noſtrum in toto corde noſtro, priuſquam nos vrgeat ſæuæ periculum mortis: pœnitentiam agamus veram de præteritis peccatis, & ſumma cuſtodia mentis caueamus à futuris. Mariam honoremus Dei parentem. ipſam laudemus noſtram aduocatam, quotidie nomen eius aliquo ſancto veneremur obſequio, vt ſuis nos precibus ab omni liberet malo.

FINIS.

IOANNIS TRITHEMII S. IACOBI APVD HERBIPOLIM ABBATIS MIRACVLORVM IN VRTICETO IVXTA HELBRVNNAM AD INVOCATIONEM B. MARIÆ Virginis factorum,

LIBER SECVNDVS.

Argumenta Capitum Libri II.

CAP. I. Oſtendit quanta vtilitas ex deſcriptione miraculorum in Vrticeto Helbrunnenſi à B. V. factorum redundare queat.

II. Quod initium fuerit concurſus in Vrticeto.

III. Quemadmodum imago B. Virg. in Vrticeto locuta ſit mulieri.

IV. Quantus hominum concurſus fuerit ad locum, & quot miracula ibi facta.

V. Quod anno 1444. ex oblationibus cæptum ſit conſtrui monaſterium in Vrticeto.

VI. Quod monaſterium illud in Vrticeto auctoritate Apoſtolica & ordinaria Carmelitis attributum ſit.

VII. Quibus poſſeſſio loci primum tradita, & qui primi fratres eo aduocati.

VIII. *Quod locus ille congruenter sit commendatus Ordini Carmelitarum, vbi de eorum antiquitate & approbatione, & de nomine Vrticeti.*

IX. *Quo tempore, & à quo Episcopo altaria Ecclesiæ Vrticeti sint consecrata.*

X. *De indulgentiis variis Ecclesiæ in Vrticeto concessis.*

XI. *De variis Indulgentiis Ordini Carmelitano concessis.*

XII. *De variis Sanctorum reliquiis, quæ in Ecclesia Vrticeti continentur.*

XIII. *De Confraternitate S. Annæ in eadem Ecclesia instituta, & à Legato Apostolico confirmata.*

XIV. *Nomina 13. Priorum & laudes recitantur, qui monasterium in Vrticeto per annos 68. administrarunt.*

IOANNIS TRITHEMII S. IACOBI APVD HERBIPOLIM ABBATIS MIRACVLORVM IN VRTICETO IVXTA HELBRVNNAM AD INVOCATIONEM B. MARIÆ Virginis factorum,

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Ostendit quanta sit huius scripti vtilitas.

PRIMO huius nostri operis libro iuxta tenues ingenii vires, Domino misericordiarũ adiuuante vtcunq; explicito, iam nunc deinceps aggredimur rem, in quo causam & exordium concursus populi ad imaginem B. Mariæ semper Virginis in Vrticeto, simul & fundationẽ notabilis cœnobii, quod ex fidelium oblationibus ibidẽ cernitur, hodie constructum, cum reliquis hoc sanctum negotiũ concernentibus diuina mediante gratia sumus scripturi. Confidimus enim hunc nostrum laborem non solum his, qui hodie viuunt in humanis, sed etiam omni fidelium posteritati, qui nobis in cineres redactis futuri sunt, gratum fore atq; proficuum. Enimuero quisq; Deum veraciter diligit facta per eius genitricem signa atq; miracula non contemnit, sed tanto ea diligentius percipit, quãto Mariæ patrocinio amplius confidit. Quicunq; humilis est corde, qui mitis est animo, qui mente spirituq; salubri, deuotione, cõpunctioneq; in Dei amore feruescit, alta fugit, humilia diligit, deuotionẽ excitantia q̃rit, curiosa cõtemnit. Eũ verò hominẽ, quẽ gesta sanctorum & signa virtutũ non ædificant, ad internæ compũctionis exercitium, nescio si quæstionum subtilitatibus vnquam excitari possit ad fontem pœnitẽtium lachrymarum. Nam vt frequenter humilitatis studia mentes humiles ad feruorem diuini amoris per amplius excitant; sic e conuerso lectiones cutiosę, nimium seculares, & plus eloquentiæ habentes, quam spiritualis ædificationis, legentis animum vt plurimum eneruant. Vnde, qui potest capere capiat, melius est mentẽ satiare diuinis eloquiis, vtilius est cum timore Dei consentire humilibus, quam studiis oblectari vanis, & lectionibus vacare superbis. Fratribus autem Carmelitani Ordinis iam Deo in Vrticeto seruientibus, & in posterum seruituris, non erit inutilis hæc nostra cõpilatio, sed præ ceteris mortalibus cũctis lectione iucũda & quotidiano vsu multum fructuosa. Et primo quidem ex huius lectione voluminis intelliget, quanto honore hunc locum omnipotens Deus ab initio dignum fecerit, in quo mortalib⁹ ad inuocationẽ & memoriam

deuotionẽ plus excitant, quã subtiles disputationes.

Gesta & miracula sanctorũ sæpe ad

Vrticetum Helbrunnense magnificandū.

riam sanctissimæ genitricis suæ semper intactæ Virginis Mariç tot miracula & sanitatum beneficia ostendi; & reuera terribilis est locus iste, in quo tanta pietas diuinæ miserationis exuberat, tantaq; cęlestis gratiæ suauitas abundat. Verè locus iste sanctus est, & cunctis semper honorādus fidelibus, in quo regina cæli, Dña mūdi, mater vnigeniti Dei proprium nomini suo & electum speciale domicilium constituit: quod & suis fratribus de monte Carmelo specialiter dilectis ab origine concessit. Secundo hæc nostri laboris cōpilatio posteris maximè in vrticeto victuris memoriale stabit perpetuū, vt semper ad mentem cogitando reuocent sub quāta puritate regularis obseruantiæ hoc ipsum eorum cœnobium ab initio fuerit institutum. Enimuero, sicut & seniorū relatione cognouimus, & ad oculum hodie videmus, fundato olim in Vrticeto cœnobio, quemadmodum latius postea dicemus, ordini B. Mariæ semper Virginis de monte Carmelo inhabitandum, auctoritate ordinaria simul & Apostolica conceditur, & primi fratres de regulari obseruantia viri optimi & religiosissimi ad seruiendum Domino collocantur. Ab eo tēpore per annos ferme sexaginta sex vsq; ad præsentem diem conuentus iste Vrticensis inter omnes huius prouinciæ Germaniæ superioris, tā in obseruantia regulari, quàm in multitudine, copia, & excellentia Doctorū virorū obtinuit, & hodie facile obtinet principatū. Hinc monendi sunt omnes, q̄ futuris temporibus ordinē sacrum B. Mariæ sp̄ Virginis profitebūtur in Vrticeto: quatenus maiorū suorū rectis & sanctis vestigiis omni tēpore studiosius inhæreant, & ab obseruantia regularis disciplinæ nullatenus discedant. Cunctis hoc volumen erit in testimonium coram Deo & hominibus, q̄ fratres hodie in Vrticeto sine querela cōuersantes omnipotenti Deo famulantur in veritate, regulā suam purè custodiunt, sub obedientia maiorum castè & sine peculio viuant, in dilectione fraterna pacificè, quietè, religiosissimè, ac sine querela Domino vota sua reddant. Si quis in futurum Prior, aut Lector, prælatus aut frater hunc sacrum canonem destruxerit, si regulārē hanc institutionem violauerit, si vitā laxiorē introduxerit, sciat se perpetuo fore dānandum ab eo, cuius vineam vitibus & fructu spoliauit. Erit deniq; loco tertio posteritati vtile & iucundum scire causam, modum & tempus fundationis sui monasterii vna cum cæteris, de quibus in hoc secūdo libro per ordinem faciemus sermone rustico, vt poterimus, narrationē. Pulchrum est enim, & honesta voluptate mentis optandum claustralibus cunctis, si legant, intelligant, & memoriæ cōmendent fundationum suarum auctores & tēpus, maiorum quoq; suorum vitam, & actus: quæ scire non curans aut bestiam viuit, aut absorptus in contemplatione Dei hominem transcendit. Sed & omnibus Deum timentibus, præsentibus & futuris istæ lucubrationes nostræ haud parum conducent ad vtilitatem: ex quibus intelligent beatissimam DEI genitricem humani generis pientissimam esse patronam, & propterea in omni periculo, in omni tribulatione, in omni necessitate, & in omni molestia mentis & corporis fiducialiter inuocandam. Enimuerò, quæ tot beneficia sanitatum apud Vrticetum nostra tempestate mortalibus exhibuit, libens etiam posteris in omni petitione subueniet, si confidentiæ feruor ad eam non defuerit.

Cœnobium in Vrticeto Carmelitis attributū.

CAPVT II.

QVO TEMPORE, QVIBVS EX CAVSIS ET MODIS peregrinatio hæc populi & concursus cœperit ad imaginem S. Mariæ in Vrticeto.

ANNO Dominicæ Natiuitatis M.CCCC.XLII. Indict. Romanorum quinta, anno ab origine mundi sexies millesimo sexcentesimo quadragesimo, anno ab aduentu Francorum in Germaniam millesimo octingētesimo septuagesimo quinto Anno à fundatione vrbis Treuirorū ter-

milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo. Anno EVGENII Papæ IIII. vndecimo. Anno regis FRIDERICI III. ſecundo. Anno Sigiſmundi Epiſcopi Wirciburgenſis tertio, concurſus admirandæ peregrinationis populi & eatenus continuatæ vſq; in præſentem diem ad imaginem B. MARIÆ ſemper Virginis in Vrticeto extra muros regalis oppidi, Fontis ſalutis, Heilbrunnæ, tali occaſione ſumpſit initium. XXV. die menſis Aprilis, quæ fuit S. Marco Euangeliſtæ ſollemnis anno prænotato clerus & populus memorati oppidi Heilbrunnenſis cum reliquiis ſanctorum, vt in Litaniis maioribus fieri ſolet ordine turmatim diſpoſito extra portam ad vicinam Eccleſiam in Bœckingen, quæ antiquitus Parochialis, deuotionis gratia proceſſerunt. Stabat iuxta viam à latere paululum vltra portam Vrbis in muro cuiusdam agelli Beatiſſimæ Virginis MARIÆ ſculpta imago veſpertina IESVM iam mortuum filium repræſentans in ſinu de cruce depoſitum, ad cuius venerationem propter ſtratam continuè luteſam, & multitudinem vrticarum per circuitum muri creſcentium nemo quærebat acceſſum: vnde penitus in obliuionem deducta negligebatur ab omnibus: nec quiſquam prætereuntium, vt nobis conſuetudo eſt non optima, dixiſſet vel ſemel, *AVE MARIA*. Vix enim, & cum difficultate videri poterat à prope tranſeuntibus propter magnitudinem vrticarum: Sed non patiens hanc iniuriam ſtatuæ matris ſuæ diutius omnipotens DEVS virtutem fidei Chriſtianæ, quam ad eius facere memoriam ab æterno diſpoſuit, in præſcripto tempore mirabili concurſu populorum taliter inchoauit.

B. Virg. imago veſpertina.

Nam plebe cum clericis ad Eccleſiam prænominatam in Bœckingen ordinata proceſſione imaginem præeunte, nec vnus quidem homo, qui pedem in loco ſiſteret vrticarum comparuit.

Cum verò redirent eodem ordine verſus vrbem tanta peregrinorum ibidem multitudo conuenerat, vt ciues verteret in ſtuporem. *Concurſus primus ad dictam imag.*

Quid dico ſtuporem? & non potius in metum? interim quippe, quod ciues ipſi orationibus conſuetis vacabant in Eccleſia, confluxerat de viculis & pagis circumuicinis hominum plusquam quingentorum turba cum oblationibus variis ad imaginem ſingulari & mirando feruoris affectu B. MARIÆ deuota. Hanc à longè ciues multitudinem hominum videntes conueniſſe in vnum, & neſcientes cauſam, nimium animis perturbati ſunt, & ſubordinatos vel hoſtes, vel inſidiatores rei ſuæ publicæ conueniſſe putauerunt. Verum poſteaquam didiciſſent per intermiſſos cauſam tã inſperati conuentus, timor conuerſus eſt in lætitiam, & ſtupor in admirationem.

Primum hoc omnium in illo tempore miraculum ad memoriam B. Mariæ Virginis in Vrticeto factum extitit, quod tanta multitudo populi diuinitus inſpirata ſubito ſimul in vna hora conuenit. Ex eo tempore concurſus ille ſemel inchoatus per annos iam ſeptuaginta duos ſine intermiſſione continuatur vſque in præſentem diem: & pœne infinita numero ad inuocationem nominis caſtiſſimæ Dei genitricis MARIÆ facta ſunt in eo loco miracula, quorum veritas multis eſt teſtimoniis bonorum hominum comprobata ſuffieientiſſimè. *Miraculis innumeris claret.*

Et de his in tertio & aliis ſequentibus libris miſerante Domino noſtro IESV Chriſto neceſſariam & pleniorem faciemus narrationem. *Hinc patet primus tribus ſequentibus liber.*

Prius tamen recitandum eſt miraculum vnum, quod factum eſt ante prædictam imaginem in vrticis retroactis temporibus, & cauſam dedit primam ſequentibus.

CAPVT III.

QVEMADMODVM IMAGO B. MARIÆ SEMPER Virginis in Vrticeto visa sit loqui cuidam mulieri volenti eam auferre & deportare.

I. Miraculum.

CONTIGIT ante paucos annos, priusquam populi concursus initium sumeret ad Vrticetum, hominem quendam villanum de Einzingen, nomine Albertum cum vxore sua Kunegunde piæ deuotionis instinctu Ecclesiam peregrinando visitare, S. Genouefæ Virginis in Vico Elnhoffen prope Winsberg: cumq; in reditu ad eum locum peruenissent, in quo beatissimæ Virginis Mariæ stabat imago inter vrticas, conspicata mulier icone dixit ad maritum. Cerne vir bone, quam pulchra isthic imago stat Dominæ nostræ inter vrticas sine honore. Sistentes ambo paululum gressus secum taciti orauerũt. Oratione cõpleta vir ait mulieri. Eamus, quia tempus est breue, & longum iter, q; nobis restat ad propria. Cui mulier, præcede paulisper obsecro, donec adhuc vnum AVE MARIA orauero, & mox prosequar sine mora tua vestigia. Abeunte marito stabat vxor deuota intuens quodam compassionis dolore sculptam tanta pulchritudine imaginem inter lutum & vrticas sine veneratione contemptã. Pietatis tandem in ea vincente affectu deliberauit, & mente concluſit fore bonum, si imaginem ipsam secum ferret, & in sua villa Eysingen, vbi à populo haberetur in reuerentia, collocaret. Hæc animo reuoluens manus extendit, & de muro imaginem extrahere voluit: & ecce vox de imagine facta est, dicens. Desiste mulier cœpris, & in meo me locello stare permitte, quoniam hinc me auferre non poteris. Multa enim in hoc loco signa virtutum, & miracula sanitatum per me diuina potestas breui exhibebit mortalibus. Hanc audiens mulier vocem, nimio pauore correpta in terram cecidit, & amisso rationis officio, mortem quadam similitudine potius, quam vitam repręsentare videbatur. At vir eius, vbi paululum processisset à loco, & crebro retrospiciẽs eam non videret sequentem, ad vrticas reuersus est, & reperit illam coram imagine veluti mortuam inter herbas iacentem. Exclamans autem quasi dormientem de somno excitare conabatur, quæ tandem & manibus concussa viri, & voce clamantis impulsa pristinum corporis vigorem recepit. Marito interrogante, an sopore fuisset oppressa, vel quid pateretur, somnum negauit, sed facti historiam, quæ sibi contigerat cum sancta imagine Dominæ nostræ per ordinem dixit. His vir auditis contemnit, & indicto mulieri silentio cœptum eum ea iter continuauit. In sua reuersi miraculum sub taciturnitate seruauere sepultum, nemini inde verbum penitus facientes. Cum autem dies Quadragesimalis aduenisset ieiunii, mulier perurgente scrupulo conscientiæ factum suo presbytero in confessione aperuit, & silere deberet, an proferre in publicum mysterium consultauit. Erat in diebus illis monachus Cistertiẽsis Ordinis in cœnobio Mulbrunnensi Spirensis diœcesis, nomine Ludouicus, vir sapiens, doctus & religiosus, ad cuius consilia multi per circuitum consueuerunt habere recursum. Ad hunc Ludouicũ presbyter mulierem destinauit sibi confessam, vt eius vteretur consilio, cuius exploratam in multis habebat prudentiam. Ludouicus ergo cum audisset mulierem, dixit. Bona mulier, nõ expedit his factis leuiter adhibere fidem propter dęmonis astutiam, qui se nouit & potest in angelum lucis transferre, & cito credentes enormiter supplantare. Vnde consulo tibi fideliter, vt sileas, & ea quæ audisti, nulli mortalium dicas, ne si ex aduersario fuerint, ludibrium & confusionem multorum incurras. Nam si ex Deo negotium est, non poterit impediri,

Celatur miraculum.

Imago loquitur.

quo

quo minus fiat, quod ille prædispoſuit ob matris honorem ad eius imaginem, de qua loqueris, ad operandum. Quibus mulier auditis cum ſuo marito domum rediit, & ſecretum ambo tenuerunt. Verum poſt annos aliquot, cum iam populi concurſus ad Vrticetum magnus fieret, & plura quotidie miracula diuinitus ibidem oſtenderentur, aduentantibus tunc mulier, quid olim viderit & audierit, palam cunctis retulit, & nemini verbum interroganti abſcondit ad eius gloriam Patris, qui facit mirabilia magna ſolus. Denique poſt hæc, quando loci confirmatio & ordini fratrum Carmelitarum facta incorporatio Romano proponebantur antiſtiti, etiam huius facti mirabilis narratio ſupplicationi fuit inſerta, muliere & marito eius conteſtantibus.

Pateſit.

CAPVT IV.

QVOD A TEMPORE SVPERIVS MEMORATO populi magnus ad Vrticetum continuatus fuerit concurſus, pluraq; oſtenſa in eo loco miracula.

CONCVRSVS autem populi anno Dominicæ Natiuitatis prænotato M. CCCC. XLII. indict. quinta, ſicut dictum eſt, in die S. Marci Euangeliſtæ, inchoatus ab eo mox die creſcere cœpit, & quotidie mirum in modum augebatur. Nec ſolum de locis per circuitum in vicino conſtitutis homines confluebant, ſed etiam de remotis, quos miraculorum ingens rumor ad nouitatis ſpectaculum excitauerat. Mox enim vt primus ille quingentorum hominum concurſus cæteris per omnem regionem habitantibus innotuit, quotidie vltra & remotius etiam ad alienas prouincias denunciatus fuit. Multa quoq; ſingulis pœne diebus ad inuocationem ſacratiſſ. Virginis Mariæ coram veneranda eius imagine fiebãt miracula, quæ per vniuerſam orientalem Franciam, per Sueuiam quoq; & Alſatiam, perq; longum Rheni diſtrictum vbiq; diuulgabantur, & ſyluam quam ageorgetam vocant incultam. Et breui quidem eò proceſſit iſta magnitudo ſignorum, vt omnes, qui vel morbo laborant corporali, vel qualibet grauabantur neceſſitate, non medicorum, non cuiuscunq; alterius, vel conſilium implorarent, vel opem; Sed conuerſi ad humani generis patronam Dei venerabilem genitricem, eius quærebant auxilium, peregrinationis & oblationis vota promiſerunt ad Vrticetum, receptaque diuinitus ſanitate, magna cum alacritate veniẽtes implebant promiſſum. Mirares, & vehementer ſtupenda. Tanta in biennio coram imagine ſæpe dicta in Vrticeto ſunt facta miracula, vt ſi cuncta litteris comprehendere niteremur, immenſo volumine opus videretur. Tanta erat populi fides in DEVM, tanta mentis deuotio ad Mariam, tantus quoq; reuerentiæ feruor ad nouæ peregrinationis locum, vt nulla poſſet alicui ægritudo, vel neceſſitas occurrere, cuius remedium & conſolationem, ſe poſſe diffideret in Vrticeto meritis B. M. Virginis inuenire. Nec aliquem fefellit confidentia in Mariam, cuius petitio debitè formata rationabilem habuit cauſam. Non omnia ſemper à Deo poſtulanda ſunt, quæ nobis cõmodoſa videntur, ſed noſtræ diuina in omnibus eſt præferenda voluntas: contra cuius ordinatiſſimam prouidentiam nihil eſt petendum, quia nihil poterit impetrari. Factæ ſunt autem ex illo fidelium concurſu breui tempore oblationes multæ in moneta, in auro & argento, in cera & veſtimentis, in annulis & diuerſis iocalibus; quæ omnia pro honore beatiſſimæ M. V. donata ad locum certi à ſenatu deputati leuantes fideliter conſeruabant.

Mirus concurſus ægrorum ad Vrticetum.

Omnes iuuantur.

Caſu-

Casulam de lignis leuigatis super imaginem, ne læderetur à pluuia nouiter appensus varietate ornatus ciuium construxere maiores, & tugurium simile tabulato ligneo paruum, in quo custodes vigilarent, soliciti, ne quid fraudis maleuolentia committeret in oblationes.

CAPVT V.

DE FVNDATIONE MONASTERII ET ECCLESIÆ in honorem sanctissimæ DEI genitricis semper intactæ Virg. MARIÆ in Vrticeto.

NEMO Heilbrunnensium incolarum ad iniuriam, contumeliamué suorum capiat progenitorum, si ea scribamus, quæ nobis sunt relatione comperta, cum id summa cum discretione & modestia Deo prouidente simus facturi. Scimus enim de mortuis nihil temerè esse dicendum. Et certè multò minus litterarum officio memoriæ posteritatis tradendum, nisi iustæ rationis id fieri consideratio cum veritate postulauerit. Scribimus ergo cum pudore & modestia, nullius nomen infamantes, quemadmodum de veritate facti sufficienter sumus informati: quoniam si pecuniæ omnes, quæ fidelium ex deuotione beatissimæ Mariæ Virgini pro construendo cœnobio in Vrticeto fideliter, & in vsum debitum fuissent expensæ, inchoatum structuræ opus procul dubio & citius & magnificentius fuisset consummatũ. sed quia non omnes, quibus procuratio pecuniæ sacræ videbatur commissa semper & vbiq; in omnibus fideliter egerunt, cœptum ædificii opus tardius perficiebatur, & in plures annos fuit protractum. Enimuero nonnulli sua quærentes, matris Dei neglexerunt honorem & Iudæ proditoris sequaces, oblatas Deo & B. M. Virgini pecunias furtiuè in vsus proprios conuerterunt. E quibus anno Domin. natiu. 1452. indictione Romanorum quintadecima vnus nomine GVDEN BECHTOLDT anno procurationis suæ septimo deprehensus, cõuictus est & confessus, quod successiuè notabilem summam pecuniarum de oblationibus Dominæ nostræ factis subtraxisset furtiuè, suisq; importasse vsibus, pœnam furibus debitam suscepit in furca suspensus. Ad fabricam deniq; Parochialis Ecclesiæ in oppido Heilbrunna pecuniæ non paucæ ferebantur expensæ, quæ ad honorem B. Mariæ semper Virginis in Vrticeto fuerunt oblatæ. In alios etiam vsus Reipub. communes nõnihil pecuniarum huius sanctæ peregrinationis à principio fuit expositum, de quo expressius scribere, superfluũ & invtile iudicamus. Stultũ est enim cũ dolore ad memoriam sæpius reuocare damnũ, quod certò scias nulla ratione posse deinceps recuperari. Anno igitur Dominicæ Natiuit. 1444. indict. Rom. 7. cernentes viri de senatu Heilbrũnensi, quod cõcursus populi ad imaginẽ beatiss. Virginis in Vrticeto quotidie magis ac magis cresceret, multaq; dietim pecunia ex oblationibus fideliũ proueniret, habito inter se cũ maturita te consilio, ne pauperũ eleemosynæ Deo & Mariæ eius matri, virgini castissimæ, oblatæ, alienũ cõuerterentur in vsum, Ecclesiã in eo loco fundare cœperunt cum aliis certis ædificiis, prout res ipsa postulare videbatur & tempus. Imprimis igitur pecunia data Bernardo ciui, cognomento Berlin, agrum, in quo stabat imago Dominæ nostræ anno prænotato pro ædificanda Ecclesia ab eo cõpararunt. postea cũ tempore intra annos ferme quatuor aut quinque empti sunt etiam reliqui per circuitum agri, & in possessionem reginæ cæli adscripti. Anno autem Domin. natiuit. 1450. emptus est ager, vbi nunc est ambitus claustri, dormitorium, hortus & reliqua per gyrum ædificia. Cœpit autem

Monasterium cœptum construi in vrticeto ex oblatis.

autem construi monasterium in Vrticete, Anno Christi 1444. & per annos quatuor & triginta continuato labore perficiebatur inceptũ. Per eos 34. annos fratres ordinis B. Mariæ semper Virginis de monte Carmelo, quibus Vrticeti iam locus erat donatus, vt in Capitulo proximè sequenti dicemus in oppido Heilbrunnensi morabantur in domo ad vsum eorum prius constructa, quæ domus Prioris nuncupatur vsq; in præsentem diem, & ab omni grauamine liberrima pertinet ad Conuentum. Sed iam prosequamur seriem historiæ, quam cœpimus, & quando locus sæpe memoratus Ordini sit incorporatus Carmelitarum, breuiter ostendamus.

CAPVT VI.

QVEMADMODVM LOCVS IN VRTICIS ORdini fratrum Carmelitarum donatus fuerit, & auctoritate Apostolica simul & ordinaria confirmatus.

ANno Domini nostri IESV Christi 1446. indict. Rom. nona concursu populorum ad nouam fabricam in Vrticeto semper crescente & oblationibus fidelium pro honore S. Mariæ multiplicatis, considerantes oppidi Consules, quod ipsi, vtpote laici, rebus non satis possent præesse diuinis, censerentq; fore dignum & iustum Eleemosynas omnes ad Dei matris oblatas honorem non aliter, quam in illius quoq; deputare obsequium, consilio & assensu Reuerendissimi Patris Domini GOTFRIDI, eo tempore Wirciburgensis Ecclesiæ Pontificis, orientalisq; Franciæ Ducis Ordini fratrum Carmelitarum sæpe dictum locum B. Mariæ semper Virginis in vrticeto cum omnib⁹ appendiciis rebus & oblationib⁹ suis in possessionem perpetuam tradiderunt, quam donationem, traditionem, & incorporationem Ordini, vt præmittitur, factam NICOLAVS Papa V. anno sequenti sub hoc tenore confirmauit.

Gotfridus Episc. Herbipol.

Nicol. V. Papa.

NICOLAVS Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Episcopo Herbipolensi salutem & Apostolicam benedictionem. Inter clara salutis opera, quibus sedulò deuotionis sinceritas deuotorum filiorum incolarum & habitatorum oppidi Fontis salutis, alias Heilbrunnæ tuæ diœcesis versari conspicitur, acceptum gerimus, & exauditione dignissimum, vt suis, quæ præsertim religionis & diuini cultus propagationem contemplari videntur, & quibus suæ, aliorumq; saluti animarum consuli valeat, votis, quantum cum Deo possumus, fauorabiliter annuamus. Sanè pro parte incolarum & habitatorum eorundem nobis nuper petitio continebat, quòd illi & nonnulli alij Christi fideles, ciuitatum, oppidorum, & villarum circumuicinarum cupientes terrena in cælestia, & transitoria in æterna felici commercio commutare, ob singularem, quam ad B. Mariam reginam, cuius imago in quodam muro à loco suarum habitationum per centum fere passus distante sculpta, magna operari dignata est miracula, & operari non desinit, gerunt deuotionem in dicto loco aliquod monasterium Ordinis fratrum B. Mariæ de monte Carmeli, pro vsu & habitatione nonnullorum dicti Ordinis fratrum sub regulari obseruantia viuentium, ac inibi in Missis, ac aliis diuinis officiis Deo seruientium, pro suarũ, ac successorum, & prædecessorum eorundem animarum salute & bonis propriis, & aliis eleemosynis construi & ædificari facere desiderant. Quare pro parte incolarum & habitatorum prædictorum nobis humiliter fuit supplicatum, vt eis dictum monasterium in eodem loco fundandi & construendi, seu fundari & construi faciendi licentiam concedere, & alias super his opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de prædictis & præmissis certam notitiam non habentes, necnon religionis propagatione, ac diuinum cultum vigere & augere intensis desideramus affe-

affectibus, huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus de præmissis auctoritate nostra te diligenter informes; & si per informationem huiusmodi ita esse repereris, sup quo tuam conscientiam oneramus eisdem incolis & habitatoribus monasterium cum Ecclesia, campanili, campanis, claustro, domibus, habitationibus & aliis necessariis officinis in eodem loco pro vsu & habitatione prædictorum fundandi, constituendi, & aliis ædificandi, ac eisdem fratribus monasterium ipsum pro huiusmodi eorum vsu & habitatione recipiendi, & perpetuo retinendi plenam & liberam auctoritate Apostolica licentiam largiaris, non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ octaui prædecessoris nostri cõstitutione prohibente, ne fratres Ordinum Mendicantium in aliqua ciuitate, siue villa, siue quouis castro, siue loco ad habitandum quomodocunq; domos, vel loca de nouo recipere, vel eatenus recepta mutare præsumãt, ab q; sedis Apostolicæ licentia speciali faciente expressam de huiusmodi prohibitione mentionem, & aliis Apostolicis constitutionibus contrariis quibuscunq;. Nos etiam vniuersis & singulis, quos in eodem fundando monasterio pro tempore morari siue residere contigerit ipsius Ordinis fratribus, vt priuilegiis, indulgentiis, immunitatibus, & exẽptionibus q̃buslibet præfato Ordini, & aliis ipsius monasteriis alicq; locis, nec non personis eorundem per sedem prædictam, & alias quomodolibet generaliter constitutas & concessas: vti & gaudere liberè & licitè valeant, auctoritate præfata tenore præsentium indulgemus. Iure tamen Parochialis Ecclesiæ & cuiuslibet alterius in omnibus saluo. DATVM Romæ apud S. Petrum anno Dominicæ incarnationis 1447. 4. Kalend. Februar. Pontificatus nostri anno primo.

His litteris Nicolai, Papæ V. susceptis Gotfridus Wirciburgenſiũ inclytus Præsul, Duxq; Francorum Orientalium, volẽs commissioni satisfacere sibi demandatæ iuxta tenorem bullæ præinsertæ de omnibus & singulis in supplicatione signatis se fecit diligentissimè informari, reperitq; omnia vera sana & integra, quæ fuerãt in Apostolicis narrata rescriptis, & propterea, vt fidelis Dei minister executionem suæ commissionis fecit sub horum tenore verborum.

VNIVERSIS & singulis præsentes litteras inspecturis, nos GOTFRIDVS Dei gratia Episcopus Herbipolensis, ac Franciæ Orientalis Dux, à sanctissimo Patre ac Domino NICOLAO Papa V. commissarius & executor vnicus ad infrascripta specialiter deputatus, per præsentes patefacimus litteras Apostolicas dicti sanctissimi D.N. Papæ, nobis pro parte incolarum & habitatorum oppidi Heilbrunnensis nostræ diœcesis Herbipolensis cum vera bulla plumbea præsentatas digna reuerentia, prout decuit nos recepisse talismodi tenore.

NICOLAVS Episcopus, seruus seruorum Dei, &c. vt supra. *Quibus quidem litteris per nos, vt præmittitur dignè receptis ipsisq; diligenter visis & inspectis, affectantes quoq; circa ipsarum executionem cum omni solicitudinis studio intendere, per edictum publicum in locis ad hoc aptis, & præsertim in oppido, omnes sua interesse putantes, si qua in contrarium rationabilia alle legare & proponere vellent, quo minus nobis in prædictis litteris commissa exequeremur, in centum competentem terminum euocauimus, & ad superabundantem cautelam per processus nostros euocari fecimus. Termino vero eodem adueniente, & executione corã nobis legitimè reproducta accusata citatorum & præsertim dicti oppidi Parochialis Ecclesiæ Rectoris contumacia, visis etiam litteris & instrumẽtis publicis super signis, prodigiis & miraculis in eodẽ loco nunc pro oratorio & monasterio fratrũ B. Mariæ de monte Carmeli ad honorem eiusdem Virginis deputando miraculosè apparentibus, recepta denq; informatione competenti super desiderio & deuotione populi in dicto oppido Heilbrunn commorãtis ad locum prælibatum quodq; populus ipse pro augmento cultus diuini de bonis sibi à Deo collatis ad locum prædictum pro Ecclesia instauranda & aliis ad prædictum monasterium fundandum necessariis, promptissimè conferre cupit, ceterisque in dictis litteris Apostolicis nobis directis comprehensis veris existentibus & inuentis: Idcirco habitatoribus & incolis dicti oppidi Heilbrunnensis monasterium prædictum cum Ecclesia, campanili, campanis, claustro, domibus, habitationibus & aliis necessariis officinis in eodem loco pro vsu habitationeq; prædictorum fratrum fundandi, constituendi, & ædificãdi, ac eisdem fratribus monasterium ipsum pro huiusmodi eorum vsu & habitatione recipiendi & perpetuo retinendi plenam & liberam auctoritate Apostolica nobis in hac parte commissa iuxta dictarum litterarum continentiam, vim & formam in Dei nomine per præsentes largimur & indulgemus, iure tamen parochialis Ecclesiæ & cuiuslibet alterius in omnibus semper saluo. Et cũ dicti sanctissimi Patris & Domini D. Nicolai Papæ V. monita & præcepta nõ solũ exequi, sed etiã quantum in nobis est pro viribus manutenere desideremus prædictũ locum, monasteriũ, & fratres in eodem commorãtes, ac ipsorũ res &*

bona in nostram & nostrorum successorum Episcoporũ Herbipolẽsium protectionẽ & tuitionem recepimus, & per præsentes recipimus singularem volentes ipsos omnibus & singulis priuilegiis, libertatibus, immunitatibus & exẽptionibus gaudere & tueri, quibus alia eiusdem monasteria in nostra diœcesi, & ciuitate Herbipolensi sita & eorum bona & res gaudent & tuentur. Præterea, vt populus Christianus ad glorioſissimæ Virginis Mariæ memoriã dignè habẽdam, ob cuius honorem dictum monasterium cõstruatur auidius & copioſius aggregetur deuotio ipsius crescat & augeatur, vltra temporalia commoda, quæ deuoti eiusdem cultores recepturi sunt à Domino spiritualia etiam stipendia duximus concedenda. Omnibus enim verè contritis, pœnitentibus & confeſsis, qui dictum monasterium in Natiuitatis, Circũcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, & Corporis Domini nostri Iesu Christi, nec nõ Natiuitatis, Cõceptionis, Annunciationis, Purificationis, & Assumptionis B. Virginis Mariæ, ac natiuitatis B. Ioãnis Baptiſtæ, SS. Petri & Pauli, nec nõ & aliorũ Apostolorum, & beatorum Kiliani, Colonati & Tothnani & dicti monasterii dedicationis omniũ sanctorum & singulorũ dierum Dominicorũ feſtiuitatibus deuotè visitauerint, diuinis interfuerint, & de bonis, sibi à Deo collatis exhibendo, pro ipsius monasterii cõstructione & ornamẽtorũ eius augmentatione manus porrexerint adiutrices, quoties hoc fecerint, toties 40. dies de iniunctis sibi pœnitẽtiis de omnipotẽtis Dei misericordia beatorũ quoq; Petri & Pauli Apostolorum, & dictorum Martyrũ Kiliani, Colonati & Tothnani Ecclesiæ nostræ Herbipolensis patronorum meritis confiſi misericorditer relaxamus præsentibus, perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorũ omnium & singulorum teſtimoniũ has nostras litteras sigilli nostri Vicariatus appensione iußimus communiri. Datæ in ciuitate nostra Herbipolensi die 4. mensis Maii anno Dominicæ natiuitatis 1448.

Indulgentia conceditur.

Apostolicæ cõmißionis executione facta, vt præmittitur, per Dominum Godfridum Episcopum Herbipolensem, & licentia pro noui constructione in Vrticeto ciuibus oppidi Heilbrunnensis fauorabiliter impẽsa. Cœpit iam deinceps Ecclesia ibidẽ inchoatã in cœnobii dispositionẽ mutari, & singulæ structuræ, mansiones & domus in modum habitationis clauſtralis fratrum ordinatione distribui. Ab eo tempore, quo locus pro Carmelitarum Ordine, sicut diximus, fuit confirmatus, anni duo & triginta in constructione monasterii subsequenter transierũt.

CAPVT VII.

QVANDO, ET PER QVOS LOCVS VRTICETI primo fuerit in possessionem Ordinis susceptus. Qui, & vnde venerint primi fratres transmissi.

EODEM fere Domin. natiu. anno 1448. indict. Roman. 11. feria secunda in sacris diebus Pentecostes post loci pro monasterio ædificando confirmationem, quemadmodum paulo prius iam dictum est, ordinata solenni processione totius cleri, populi & religioſorum, qui erant in oppido Heilbrunnensi, ad imaginẽ beatiſſimę Virginis Mariæ inter vrticas, & diuino ibidem officio deuotiſſimè celebrato, locus ipse cũ Ecclesia, oblationibus, rebus, mansionibus, & cũctis ad eũ pertinentibus assignatus est Ordini fratrũ Carmelitarum in ius proprium, & perpetuã possessionẽ ad prouinciã Germaniæ, & Hungariæ, q̃ ipsi impropriè vocant, Alemaniæ superioris sub regimine Reuerẽdi Patris, Ioãnis de Mollerstadt Franci eiusdẽ prouinciæ Prioris & magistri Prouincialis. Et hæc fratrũ introductio solemnis ea protestatione coram notario & testium multitudine facta est auctoritate Apostolica simul & ordinaria, vt monasterium tunc ædificandum, nunc verò consummatum in dispositione, proprietate, & quieta possessione dicti Ordinis fratrum B. Mariæ semper Virginis perpetuo maneat, & nulla persona sæcularis vel spiritualis extra ipsum Ordinem viuens, sed de illius regimine, dispositione, aut bonis seu rebus quouis modo intromittat.

Et

Et vt fratres ibidem omni tempore sub regulari disciplina Domino Deo seruientes, omnibus & singulis gaudeant priuilegiis, indultis & libertatibus sui Ordinis, prout in bulla & executorialibus continetur. Inter fratres autem Ordinis, qui primi ad construendum & inhabitādum monasterium nouum ad hunc locū Deo dilectum fuerunt Prouincialis prænominati iussione transmissi, subscriptorum nomina reperimus in scriptis. Senior fuit frater Ioannes Cæsaris de conuentu Eslingensi, deinde frater Ioannes Seltenschlag, de conuentu Rottenburgensi. F. Ioannes Organista cognomento Iesus Christus, de conuentu Eslingensi. F. Ioannes Fry, & F. Sebaldus de conuētu Nurenbergensi. Primus autem Prior fuit huius loci per R. P. Ioannem Mellerstadt supra dictum Prouincialem institutus F. Ioannes Nagelt de conuentu Rottenburgensi missus cum primis. Aliorum verò nomina fratrum, qui cum supra scriptis huc missi fuerunt, quia literis commendata non sunt, minimè scribere potuimus. Verum, sicut dictum est in præcedentibus, non statim, posteaquam Ordo locum sibi acceptauit oblatum etiam fratres missi habitare in eo cœperūt. Sed per annos 32. in oppido Heilbrunnensi manserunt in domo dicta Prioris ad hoc prius dispositā, donec incœpta monasterii structura consummaretur. Fuerat autem in loco sæpe dicto Vrticarum à principio concursus tugurium ex lignis cōstructum, & post biennīū capella super imaginem ædificata, in qua Vicaria vel præbenda vna sacerdotalis cum quatuor in hebdomada Missis per Petrū Butneck presbyterum, & perpetuum Vicarium altaris D. Leonardi Abbatis in Parochiali Ecclesia erat instituta, quam fratres postea cōuentui à sede Apostolica impetrarūt vniri & incorporari de bona voluntate collatorum. In illis diebꝰ multæ fuerunt dissensiones inter Adolphum de Nassavv, & Dietherum de Eysenburg pro Archiepiscopatu Moguntino cōtendentes, & grauissima inter se bella gerentes, quorum occasione noui monasterii in Vrticeto diutius fuit retardata consummatio. Romanus etenim Pontifex PIVS II. Dietherum Archiepiscopum pro certis causis per sententiam deposuit, & Adolpho de Archiepiscopatu Moguntino prouidit. Verum Dietherus sententia Papæ contempta se nihilominus vt Archiepiscopum gessit, & bellum aduersus Adolphum concitauit. Diethero Fridericus comes Palatinus Heilbrunnensium eo tempore defensor & tutor adhæsit. Pro Adolpho autem Vdalricus Comes in Wrtenberg, Carolus Marchio in Baden, Ludouicus Dux Bauariæ, cognomento niger. Ioannes Nix Episcopus Spirensis, Georgius Episcopus Metensis, Albertus Marchio Brandeburgēsis cum aliis Principibus & ciuibus regni Germanici multis contra Dietherū & Fridericum Comitem Palatinum, qui Heydelbergæ morabatur, bella mouerunt. Durauit ista tribulatio annis fermè quinq;, incipiens anno Dominicæ natiuitatis 1459. quotempore Heilbrunnenses continuo fuerunt in timore.

Qui fuerint primi fratres

Sacellum in Vrticeto.

Contentio de Archiepiscopatu Mogunt.

Multis post annis primo ingressi monasterium.

CAPVT VIII.

QVOD NON SINE MYSTERIO PROVIDENtiæ diuinæ locus iste Carmelitis fuerit donatus, & longè prius Vrticetum vel in Vrticis nominatus.

AD amussim rem gestam pensiculantibus nobis, & quam pulchro, decoro, & decenti ordine incircumscriptibilis atq; infallibilis illa diuinæ maiestatis prouidētia cuncta disposuit in cælo, & in terra, in mari & in abysso, statim occurrit nullatenꝰ secreto caruisse mysterio, quod locus iste Virgini Mariæ dilectus non aliis clausstralibus, sed Carmelitis est datus.

tus, & longè prius, quàm in eo miracula fieri inciperent Vrticetum est dictus. Ambo enim hæc duo manifestum diuinæ prouidentiæ præstant indicium. Inter omnes namq; clausirales Ordo fratrum Carmelitarum antiquior est, & primus qui beatissimam Dei genitricem semper & puram Virginem Mariam singulari deuotionis affectu coluit, & in patronam speciali confidentia deuotionis assumpsit. Ad primæ assertionis nostræ firmamentum, quod Carmelitarũ religio cũctis sit ordinibus clausiralium antiquior operæ pretium fore constat memoriæ infundere, q; à temporibus Elię & Elisæi prophetarum qui claruerunt in humanis anni mundi quater millesimo ducentesimo sexagesimo, anno videlicet ante natiuitatem Domini millesimo centesimo quadragesimo, tempore Capys octaui regis Latinorum, nunquam defuerunt monti carmelo habitatores sancti vsq; ad annum Dominicæ natiuitatis sexcentesimum nonum, quando fratres memorati Ordinis Carmelitarum fugati per Saracenos de Syria, venerunt ex vrbibus in solitudines Asiæ, vbi multis annis habitauerunt hinc inde dispersi. Non enim permittebant Saraceni, vt in ciuitatibus, oppidis, & villis habitarent, plures tamen in monte Carmelo manserunt. Verum, ne digrediamur à proposito, notandum, quod Elia translato, quemadmodum in 4. libro Regum, cap. 2. scribitur, quod factum est anno Capys memorato regis Latinorum septimo, remansit Elisæus propheta discipulus eius, qui superuixit deinceps annis octogintaquinque, & in nomine Domini Dei Israel mirabilia magna patrauit. Habitabant eo tempore in monte Carmelo filii prophetarum ab Elia in lege Domini & sanctis moribus instituti, quorum rector & moderator post magistrum fuit Elisæus in medio eorum sæpe conuersatus. Ex illo tempore vsque ad natiuitatem Christi, sicut diximus, nunquam fuit mõs ille sine eremitis, & habitatoribus sanctis, qui iuxta fontem Eliæ residentes Dominum adorabant. Post ascensionem verò Domini fidem per Iudæam suscipientibus multis, etiam fratres, qui morabantur in Carmelo, eremitæ omnes, in IESVM Dei filium crediderunt, qui ex institutione Eliæ & Elisæi prophetarum eatenus Domino secundũ legem Moysi in eodem loco seruierant. Ex his fratres beatissimæ Virginis Mariæ institutionis suæ sumpserunt initium, imò melius dixerim, Eliæ continuant sanctum & laudabile institutum. Quare non minus verè, quam conueniẽter dicere possumus, dicimus & affirmamus, ELIAM præfati Ordinis Carmelitarũ principẽ extitisse simul & fundatorẽ triplici ratione: videlicet loci, habitus & conuersationis. Cũ ergo nomen Ordinis à loco sumitur, meritò Elias Carmelitarũ princeps memoratur: q& montẽ Carmeli primus eremita incoluit, à quo nomẽ ordo Carmeliticus accepit. Verũ, si quis olim fuerit, q; fidem nostris assertionibus adhibere dubitauerit, libros legat Ioannis Hierosolymitani Patriarchæ sanctissimi, Cyrilli quoq; græci Patriarchę Alexandrini, Guilielmi de Gamaco, Siberti de Beka, Philippi Riboti, Ioannis Grossi, & Ioannis de Bachone insigniũ virorum, qui cum aliis multis vna tenent, scribunt, & confirmant sententia, fratres Carmelitas ex institutione Eliæ Ordinis sui continuasse propositũ. Vnde satis dictũ credim⁹ atq; probatũ, q; Ordo prænominatus Carmelitarũ omnibus sit institutionibus clausiralium antiquior. Nunc verò dicendũ est, quare fratres isti Ordinis esse dicãtur B. Mariæ sp Virginis; simul & confirmandum, quod ipsi ante omnes clausirales Dominam nostram primi cunctorum venerationis fuerint obsequio prosecuti, & ob id iusta retributione sacri nominis eius insigniti. Post ascẽsionem Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi crescẽte per Iudæam religione Christiana, ipsa quoq; matre Domini Virgine Maria gloriosè in cælum assumpta fratres montis Carmeli, vt prænominati auctores sunt testes, ea-pellã in eiusdẽ montis latere ptimi omnium in memoriã & honorem eius cõstruxerũt, eãq; in Ordinis sui patronã, specialemq; aduocatã & protectricem vnanimi consensu elegerunt, & fratres B. Mariæ DEI genitricis de monte Carmelo deinceps nuncupati sunt vsq; in præsentẽ diẽ. Quemadmodũ itaq; à monte Carmelitę, ita & à Capella, quam sub honore Dominæ nostræ construxerant, fratres eius meritò sunt nominati, & eam non solum post assumptionem eius in cælos, sed etiam, cum adhuc viueret in carne, summo venerantes honore specialem sui Ordinis susceperẽ patronã. Sed ne quis hũc titu-

Carmelitarum ordo omnium antiquiß.

Carmelitæ in Carmelo monte habitarunt ante Christum

Elias princeps ord. Carmeli.

Scriptores de ord. Carmel.

Cur dicantur fratres B. Virg.

Sacellum primum B. V. erectum.

titulum Ordini quasi auctoritate propria Impositum ex inuidia moliretur infringere, sciant omnes, qui hanc nostram compilationem lecturi sunt, plures Romanos Pontifices, & Ordini titulum, & titulo ipsum Ordinem cõfirmasse, è quorum numero isti sequuntur. Honorius Papa III. anno Pontificatus sui primo, Dominicæ verò nativitatis 1207. indict. Rom. quinta, primus Ordinem Carmelitarum de Syria pulsum à Saracenis, & in Europam venientem cum regula, & B. MARIAE semper Virginis titulo patronatus sub privilegio mendicitatis auctoritate Apostolica solenni confirmatione approbauit. Post quem GREGORIVS Papa IX. Innocentius Papa IV. Alexander Papa IV. Vrbanus Papa IV. Nicolaus Papa IV. Bonifacius Papa VIII. Leo Papa IV. Anno Domini 848. ante præscriptos omnes, cum adhuc fratres essent in Syria & Carmelo, Adrianus etiam Papa II. Stephanus Papa V. & Sergius Papa III. anno Domini 913. indictione Rom. prima, & plures alii summi Pontifices Ordinem & titulum approbantes multis privilegiis, gratiis, libertatibus, & indulgentiis cumulauerunt, membra eius nunquam aliter in litteris Apostolicis, quam Fratres Ordinis B. Mariæ semper Virginis Dei genitricis de monte Carmelo honorificè nominantes. VRBANVS autem eius nominis Papa VI Anno Domin. natiuit. 1381. indict. Rom. 4. inter alia benignitatis Apostolicæ beneficia Ordini Carmelitarum indulta, omnibus & singulis, qui Ordinem ipsum & Professores eius, fratres beatissimę Virginis Mariæ genitricis Dei de monte Carmeli vocauerint, nominauerint, seu appellauerint, si in gratia extiterint, indulgentias trium annorum, & tot quadragenarum perpetuis temporibus duraturas gratiosè concessit viuæ vocis oraculo, vt in litteris patet, quæ sequuntur.

Pontifices confirmant Ordinem.

Indulgentiæ Carmelitis concessæ.

BARTHOLOMÆVS miseratione diuina tituli S. Marcelli presbyter Cardinalis dilectis nobis in Christo venerabilibus & religiosis viris, Priori Generali, cæteriq; fratribus Ordinis B. Mariæ Virginis genitricis Dei de monte Carmelo Brugis in Capitulo generali congregatis salutem in Domino perpetuam. Tenore præsentium vobis omnibus notum facimus ex parte vestra sanctissimo D.N. Vrbano diuina prouidẽtia Papæ VI fuisse duas supplicationes porrectas, quarum tenor talis erat. PRIMA SVPPLICATIO. Beatissime Pater, quia sancti Romani Pontifices Sanctitatis vestræ Prædecessores pauperes religiosos mendicantes ab antiquo solebãt in ipsorũ Capitulis generalibus tam temporaliter, quam spiritualiter visitare, & iam in festo Pentecostes proximè futuro Capitulũ generale fratrum Ordinis B. Mariæ de monte Carmelo pro conseruatione & augmento religionis & cultus diuini in villa de Brugis in Flandria celebrabitur, Domino annuente pro parte deuoti filii vestri Prioris Generalis & singulorum fratrum eiusdem ordinis supplicat sanctitati vestræ F. Nicolaus de Luca filius vester humilis & deuotus procurator Ordinis antedicti, quatenus omnibus & singulis fratribus eiusdem Ordinis dignemini concedere gratiosè, vt eis & eorum cuilibet liceat semel Confessorem eligere, qui eorum quemlibet, nisi talia commiserint propter quæ sit sedes Apostolica meritò consulenda de omnibus peccatis suis verè confessis & contritis auctoritate Apostolica poterit absoluere, & eisdẽ eadem auctoritate beneficium misericorditer impertiri cum clausulis necessariis & opportunis. SECVNDA supplicatio talis erat. Beatissime Pater, quia idem Ordo fratrum B. Mariæ de monte Carmeli tam de iure positiuo, quam per sanctos Romanos Pontifices diuersos est, & fuit ab antiquis temporibus confirmatus, & gloriosæ Virginis Mariæ titulo specialiter insignitus: quidam tamen iniquitatis filii & alumni spiritu inuidiæ & malitiæ agitati, nõ obstantibus confirmatione & intitulatione supradictis eidem Ordini detrahere non desistunt, dicentes, nec ipsum Ordinem, nec fratres eiusdem Ordinis, esse vel fuisse iure positiuo confirmatum, seu confirmatos, nec ipsos esse fratres beatissimæ matris Dei, sed potius cuiusdam Mariæ hæreticæ inhabitantis montem Carmeli per angelum conuersa. Et ista, & alia malitiosè confingunt non solum in disputationibus publicis, sed etiam in determinationibus & aliis Actibus scholasticis & alibi indifferenter, publicè & priuatim, non solum cõtra iura Canonica, & SS. Patrum summorum Pontificum canonicas sanctiones, sed in detrimentum finale eiusdem Ordinis & grauamen. Supplicat igitur Sanctitati vestræ, F. Nicolaus de Luca Procurator ordinis supradicti pro parte deuoti filii vestri Prioris Generalis, & omnium & singulorum sanctitatis Vestræ deuotorum fratrum Ordinis supradicti, quatenus eadem Sanctitas vestra contra taliter obloquentes & detrahentes, in fauorem & honorem Ordinis supradicti dignetur de opportuno remedio prouidere, & omnibus Christi fidelibus, qui Ordinem ipsum, & fratres eiusdem Ordinis, Ordinem seu

fratres beatissimæ Mariæ Dei genitricis de monte Carmeli vocauerint, nominauerint, seu appellauerint, si in gratia extiterint, indulgentias trium annorum & tot quadragenarum concedere gratiosè temporibus perpetuis duraturas dignemini cum aliis clausulis necessariis & opportunis sine alia electione. Quibus supplicationibus de benignitate sedis Apostolicæ paternali affectu annuēs ipsas liberè & in eadem forma concessit. Insuper ampliorem gratiam faciens omnibus fratribus eiusdem Ordinis, qui auctoritate Apostolica confessi fuerint & absoluti vt in prima supplicatione continetur, pro quolibet ipsorum tres annos indulgentiæ misericorditer concessit. Vos ergo quantum possumus, hortamur in Domino, quatenus pro Ecclesia sancta Dei, & fœlici statu præfati Domini nostri sanctissimi D. Vrbani Papæ VI. per totum ordinem vestrum faciatis ad Deum supplices deprecari, ac pro nobis, quod ad omnia vestra beneplacita prompto animo intendere famus parati. In quorum omnium testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. DATVM Romæ in hospitio habitationis nostræ 7 Kalend. Maij, anno Pontificatus sanctissimi in Christo Patris ac Domini D. Vrbani Papæ VI secundo.

Et hic fuit annus Domini 1381. Anno etiam Domin. Natiu. 1287. indict. Rom. quintadecima BERTHOLDVS Episcopus Herbipolensis, Dux Franciæ Orientalis per suam diœcesin fratribus Carmelitis memoratis tale dedit munus.

BERTHOLDVS Dei gratia Episcopus Herbipolensis vniuersis Abbatibus, Præpositis, Decanis, & aliis Ecclesiarum Rectoribus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Cum dilecti nobis in Christo fratres Ordinis B. MARIÆ de monte Carmeli ex indultis PP: & ex ordinatione sui Generalis Capituli stripeticum pallium ob decentiam clericalis habitus deposuerint, albam cappam pro signo suæ religionis assumendo, sicuti in litteris prædicti Capituli vidimus contineri, vobis eosdem fratres cōmendamus, in Domino exhortantes, quatenus ipsos promouendo, quantum in vobis est faciatis eos proprio titulo Fratres B. MARIÆ, seu fratres Dominæ nostræ vulgariter appellari. Nos verò pietatis affectu omnibus Christi fidelibus contritis & confessis eorundem fratrum fautoribus, ac ipsos suo titulo deuotè nominantibus in nostra diœcesi decem dies indulgentiarū auctoritate omnipotentis Dei, & ea qua fungimur, misericorditer elargimur. Datæ anno Domini 1287. in festiuitate B. Remigii Episcopi & Confessoris.

Ex præscriptis litterariis Romanorum, & aliorum Pontificum testimoniis, quorum plura breuitatis amore prætermisimus, satis reor probatum ordinem fratrum B. MARIÆ Virginis de monte Carmeli cunctis antiquiorem esse claustralibus, & speciali priuilegio dignitatis titulo eiusdem Dei matris à multo tempore insignitum.

Dignum ergo, iustum & æquum dicere non formidamus, Carmelitis eum locum esse donatum, in quo sanctissima Dei genitrix semper Virgo Maria tot humano generi miracula sanitatum exhibuit, quorum sancta religio præ ceteris claustralibus cunctis se totam eius obsequio impendit.

Merito, inquam, fratres Carmelitæ locum Dei genitrici donatum inhabitant, cuius insigniti vocabulo præ cæteris claustralium ordinibus sanctissimum nomen speciali veneratione honorant. Diuina igitur ordinatione factum est, vt fratribus Beatæ Dei genitricis Vrticetum traderetur præ ceteris omnibus: qui sicuti sub eius patrocinio inter monachos & claustrales omnes primi, sic etiam in veneratione sacri nominis eius dignoscūtur singulari deuotione strenui, & sempiternæ puritatis, innocentiæ, & præseruationis ab omni peccato, tam originali, quam actuali, assertores præcipui. *

Denomine Vrticeti.

DE nominis autem loci ratione, cur sit *in Vrticis* dictus, vel *Vrticetum*, à cælesti mysterio non credimus alienum. Vrtica enim, vt medici scribunt, herba est cunctis notissima, in primo gradu calida, & circa principium gradus primi sicca, in medendis humanis corporibus magnam habet efficaciam, & miram in foliis atque seminibus virtutem. Nam vt Dioscorides græcus est auctor, Vrtica ex vino potata morbum sanat regium, semen curat cholicam antidotis mixtum: tussim diuturnam cum melle tritum & datum potui releuat, ventris torsiones & tumores valenter emendat, frigus in pulmone conceptum sedat, & omnes humores suo calore siccat. Multis est vrtica & aliis decorata virtutibus, quas hic prætereo causa breuitatis. Vnde locus Vrticarum Carmelitis diuina prouidentia indubitanter oblatus esse creditum quorū initio, progressui & moribus Vrticæ virtus mysticè comparatur. Enimuerò

Carmelita laudatur.

uerò ſicut Vrtica primo gradu ſicca eſt & calida, ita religio fratrum Carmelitarum ſub exercitio diuini amoris ab Elia prophera ſummo Dei zelatore ante omnes alios clauſtrales eremitas vel monachos dignoſcitur inſtituta. Vrtica in primo gradu eſt calida, & Carmelitarum religio ſingulari feruore caritatis Deo ſemper viuit deuota. Vrticæ calor magnam vim habet in medendis ſanguoribus, & Carmelitarum ſancta religio multis ab origine ſui coruſcauit virtutibus. Et ſicut ſemen vrticę remedium frigidis præſtat corporibus: ita & fratres Carmelitici Ordinis veram medicinam doctrina & prædicatione ſua tepidis conferunt animabus. Calor vrticæ ſeminis temperamento medico calefacit frigida: & Carmelitarum ſancta inſtitutio multorum corda tepentium verbo ſimul & bonæ conuerſationis exemplo in Dei feruentia amore feruentia. Virtus vrticæ humanæ carnis deſiccat humida: & fratres huius ſacri Ordinis vitia mentis domant in ſe, & conſumunt ſermonibus continuis etiam in aliis vniuerſa. Vrtica manus tangentis ſemen eius aut herbam vredine quadam adurens repercutit: ſic & ordo fratrum Carmelitarum hactenus ſine ſcandalo hæreſum ſuos imitatores in Dei amore ferueſcentes & ardentes facere conſueuit. Quot vrtica virtutes habet pro curanda mala habitudine corporis, tot Ordo Carmelitarum, & multo plures gratiarum donationes ad ſanandum vulnera mentis. Dignum ergò fuit eos manſionem inter vrticas prouidēte Deo ſuſcipere, quorum ſancti Patres Elias & Eliſæus, & filii prophetarum principes Ordinis monachi & eremitis viuēdi normam conſtituentes primi nos docuerunt curas, & ſolicitudinis vanæ occupationes contemnere, ſoli Deo in vera mentis vacare deuotione & ſicut vrticæ in eius amore ſemper ardere.

CAPVT IX.

QVANDO, ET PER QVEM PONTIFICEM CHOrus & altaria huius honorabilis Eccleſiæ B. Mariæ ſemper Virginis in Vrticeto conſecrata fuerint.

QVONIAM, ſicut in præcedentibus eſt dictum, Eccleſia cum altaribus & monaſterio, neq; ſubitò, neque ſimul vno tempore fuit conſtructa, ſed ſucceſſiuè paulatim, & plures per annos, contigit etiam neceſſariò & templum ipſum & aras eius non pariter vno die, aut menſe, ſed diuerſis, & longè à ſe inuicem diſtantibus conſecrari. Et quamuis mora conſummandi ædificii totius fratribus interea commorantibus in oppido & longa videretur nimium, & tædio plena, famulabantur tamen omnipotenti DEO ſub directione ſuorum ſeniorum, quos vocant, Priores cum patientia, vt nulla penitus de ipſis audiretur querela. ANNO igitur Dominicæ Natiu. 1454. indict. Rom. ſecunda, die Februarii menſis 14. quæ ſolennitate D. martyris Valentini fuit feſtiua, Ioannes de Ordine fratrum minorum, Epiſcopus Nicopolenſis GODFRIDI Epiſcopi Herbipolenſis generalis in Pontificalibus Vicarius, quinq; primum altaria in Eccleſia huius monaſterii Vrticenſis conſecrauit, datis indulgentiis, & adhibitis ſolennitatibus ex more conſuetis. Poſt hæc anno Domini noſtri Ieſu Chriſti 1458. indict. Rom. 6. menſis Septembris die 8. quæ fuit Natiuitate B. Mariæ ſemper Virginis populi deuotione ſolennis, idem Præſul Nicopolenſis memoratus chorum, & principale, quod ſummū vocāt, altare Vrticenſis Eccleſiæ

huius in memoriam & honorem eiusdem genitricis Dei semper intactæ sollemni benedictione consecrauit in frequentia assistente multorum Christo fidelium hominum de circumregione isthuc peregrinantium; aliud quoq; in eadem Ecclesia exteriori sæpe dictus Pōtifex Ioannes altare eodem tempore 4. feria videlicet, post festum Natiuitatis dominæ nostræ sub eius similiter honore, & in memoriam S. Ioannis Baptistæ cōsecrauit. Quæ reliqua sunt sacræ Dominici corporis aræ in Ecclesia Vrticensi, & alio sunt tempore constructæ similiter & consecratæ.

CAPVT X.

DE INDVLGENTIIS ORDINI FRATRVM CARmelitarum generaliter, & Ecclesiæ S. MARIÆ in Vrticeto specialiter concessis à diuersis Pontificibus.

ORDO fratrum beatiss. Dei genitricis semper intactæ Virg. MARIÆ de monte Carmelo multis gratiis & indulgentiis à diuersis, tam Romanis, quam aliarum Ecclesiarum Pontificibus est decoratus, quarum participes fieri poterunt omnes Christi fideles, qui eorum necessitatibus manus porrexerint adiutrices. Specialiter autem ad hunc locum in Vrticeto pro honore ipsius Reginæ sanctorum omnium Sanctæ MARIÆ, simul & pro conseruatione structurarum, ac in releuamen inopiæ fratrum plures indulgentiæ datæ sunt pro temporis successu à ceteris Præsulibus, de quibus iuxta seriem & ordinem annorum, quibus impetratæ fuerunt, breuiter in præsenti capitulo fecimus memoriam. ANNO Domini nostri IESV Christi 1448. Indict. Rom. vndecima primus omnium GODFRIDVS Herbipolensis Ecclesiæ Præsul, sicuti patet in eius litteris confirmationis, quarum exemplar paulo prius in 6. huius libri capite reseripsimus omnibus Christi fidelibus, qui diuinis interfuerint, suasq; eleemosynas dederint ad monasterii Vrticensis decorem & conseruationem, diebus subscriptis pro qualibet vice 40. dies de iniunctis pœnitentiis contulit Indulgentiarum. Et hæc sunt festa, quibus dictæ donantur indulgentiæ. Natiuitatis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, Pētecostes, & Corporis Dom. nostri IESV Christi, necnon conceptionis, natiuitatis, annunciationis purificationis & assumptionis B. MARIAE semper Virginis ac natiuitatis B. Ioananis Baptistæ, Sanctorum Petri & Pauli, aliorumq; decem, imò omnium Apostolorum, quia cum Paulo tredecim fuerūt, Kiliani Episcopi, & sociorum eius martyrum, in festo omnium Sanctorum, in die dedicationis Ecclesiæ in Vrticeto, & singulis diebus Dominicis per totum annum, & sic perpetuò durabūt. Anno post hæc Dom. Nat. 1454. indict. Rom. 2. die mensis Nouemb. 7. GEORGIVS Episcopus Prænestinus, Isidorus Episcopus Sabinensis, Alphonsus tituli SS. 4. Coronatorum, Dominicus tituli S. Cucis in Ierusalem, Alanus tit. S. Praxedis, Antonius S. Chrysogoni, Latini de Vrsinis tit. S S. Ioannis & Pauli, Guilielmus tituli S. Sabinæ, Petrus tit. S. Marci presbyteri, Prosper tit. S. Georgii ad velum aureum Diaconus, miseratione diuina sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales ad Ecclesiam memoratam in Vrticeto fratrū B. Mariæ de mōte Carmelo, quilibet eorum omnibus & singulis verè pœnitentibus, cōtritis & cōfessis, qui dictum monasterium in Conceptionis sanctæ Dei genitricis, Thomæ Apostoli, Laurentii martyris, necnon & in B. Catharinæ Virginis & martyris festiuitatibus deuotè visitauerint annuatim, & ad reparationem & conseruationem ædificii calicum, librorū, & ornamentorū, p diuino

Indulg. concessæ Vrticeto ab Herbipol. Episc

2. Indulgentia.

diuino cultu ibi necessariorum, quotiescunq; manus porrexerint adiutrices cētum dies indulgentiarum pro qualibet die ipsarum festiuitatum de iniunctis eis
2. Indulg. pœnitentiis relaxauerunt. Anno Domini 1456. indict. Rom. 4. mensis autē Februar. die 3. Ioannes electus & confirmatus Episcopus Herbipolensis præscriptorum decem Cardinalium indulgentias, vt loci Ordinarius approbauit, & auctoritate superaddidit propria 40. dies indulgentiarum sub eadem forma verborum in festis subscriptis Conceptionis B. Mariæ Dei genitricis, natiuitatis, annunciationis, Visitationis & assumptionis eiusdem: nec non Thomæ Apostoli, Laurentii martyris, Catharinæ Virginis & martyris. Anno
4. Indulg. quoq; Dominicæ natiuitatis 1496. mensis Martii die 6. indict. Romanorum 14. Laurentius tit. Cæciliæ presbyter, Ascanius S. Viti Martyris in macello. Ioannes S. Mariæ in Dominica, Iulianus SS. Sergii & Bacchi martyrum, Dominicus S. Nicolai inter imagines, & Bernardinus S. Cyriaci martyris Diaconi miseratione diuina SS. Romanæ Ecclesiæ Cardinales omnibus & singulis verè pœnitentibus, contritis & confessis, qui dictam Ecclesiam Vrticensem in festiuitate S. Annæ Christi, trium Regum, hoc est, in Epiphania Domini, decem millium martyrum, Otiliæ Virginis, & Dedicationis ipsius Ecclesiæ à primis vesperis vsq; ad secundas dictarū festiuitatum inclusiuè deuotè visitauerint annuatim, & ad præmissa manus porrexerint centum dies indulgentiarum de iniunctis pœnitentiis relaxauit. Alexan-
5. Indulgentia. der etiam Papa VI. anno Pontificatus sui 4. Dominicæ verò natiuitatis 1495. mensis Martii die primo, qui fuit apud Germanos annum à prima die Ianuarii incipientes sextus, & nonagesimus supra quadringentesimum atque millesimum, omnibus Christi fidelibus verè pœnitentibus & confessis, qui Ecclesiam in Vrticeto prædictam in Resurrectionis Domini nostri IESV Christi, Pentecostes,
* natiuitatis, & compassionis B. Mariæ semper Virginis, ac eiusdem Ecclesiæ dedicationis die, nec non tribus, singulas festiuitates huiusmodi immediatè sequentibus deuotè visitauerint annuatim, & fratribus manus porrexerint adiutrices pro singulis festiuitatibus & diebus huiusmodi decem annos, & totidem quadragenas: Nec non iisdem & aliis quibuslibet, qui de eodem compassionis festo sermonem, vel Missam audierint, vel legerint, vel legi fecerint. Sed & qui singulis festiuitatibus 6. Indulgentia. eiusdem Virginis Mariæ, & Sabbathinis diebus per circulum anni hora vesperarum antiphonam, quæ de ipsa gloriosissima Virgine coram eius imagine decantari consueuit, interfuerint: quoties id fecerint, centum dies de iniunctis pœnitentiis relaxauit. Raymundus quoq; tituli S. Mariæ nouæ presbyter Cardinalis Episcopus Gurcensis, & sedis Apostolicę de latere per Germaniam Legatus, anno Domin. Natiuitat. 1501. indict. Rom. 4. mensis Februar. die prima, cum esset personaliter in monasterio Vrticensi ratione legationis suæ constitutus, ad instantiam Prioris & fratrum concessit, quod ipsi & eorum successores perpetuis futuris temporibus quater in anno corpus Dominicum in processione sollemni publica per ambitum remoto velamine in monstrantia portare possent, & valeant visibile cunctis, videlicet feria 3. Dominicæ Resurrectionis, feria 3. Pentecostes, Kiliani, & Dedicationis Ecclesiæ. Idem Raymundus Cardinalis atq; Legatus Apostolicus omnibus & singulis verè pœnitentibus & cōfessis, qui Ecclesiā in Vrticeto præscriptis 4. diebus deuotè visitauerint, processioni interfuerint, manusq; loco porrexerint adiutrices, similiter in festis SS. Andreæ Apostoli, Matthiæ Appstoli, Nicolai Episcopi, in cœna Domini, in festo Compassionis B. Mariæ semper Virginis, * à primis vesperis vsque ad secundas inclusiuè pro singulis diebus prædictis, quibus id fecerint, centum dies indulgentiarum de iniunctis eis pœnitentiis relaxauit. Singulis etiam diebus Sabbathinis, & vigiliis festorum B. Mariæ semper Virginis per circulum anni illis, qui decantationi antiphonæ post vesperas coram imagine Dominæ nostræ deuotè interfuerint, verè pœnitentes & confessi, 60. dies indulgentiarum de iniunctis pœnitentiis concessit.

ANNO sequente, qui fuit Dominicæ 7. Indulg. natiuit, 1502. indict. Rom. quinta Laurētius Episcopus Herbipolensis, & Ordinarius loci prædictas Raymundi concessiones approbauit, & omnibus ac singulis, qui Ecclesiam Vrticensem in festis præscriptis visitauerint, manusq; porrexerint

adiu-

adiutrices, quoties hoc fecerint, verè pœnitentibus & confessis 40. dies indulgentiarum concessit. Anno autem Domini 1504. indict. Rom. 7. prædictus Cardinalis Raymundus Apostolicæ sedis Legatus Confraternitatem S. Annæ in Vrticeto confirmauit, & vt venerabile Sacramentum Dominici corporis in festo S. ANNÆ per ambitum monasterii, nec non & singulis feriis tertiis cuiulibet mensis anni publicè portari valeat, indulsit, omnibusque & singulis Christi fidelibus verè pœnitentibus & confessis dictæ fraternitatis confratribus & sororibus, q̃ Missarum celebrationi ac dictæ fraternitatis peractioni interfuerint, quoties hoc fecerint, centum. Qui verò sacramenti diebus prædictis interfuerint, ac Christi fidelibus qui pro ipsius confraternitatis conseruatione manus suas porrexerint adiutrices, quoties id fecerint, similiter centum dies de iniunctis eis pœnitentiis in Domino relaxauit.

8. Indulg. S. Annæ confraternitas.

Eodem quoq; anno Laurentius Herbipolensium Episcopus concessa per Legatum Apostolicum collaudans 40. dies indulg. auctoritate ordinaria supaddidit, quas verè pœnitentibus & confessis, qui præmissa fecerint, in diebus prænominatis de iniunctis eis pœnitentiis relaxauit. Aliis etiam indulgentiis multis Ecclesia B. MARIÆ semper Virginis in Vrticeto exornata dignoscitur, quarum litteræ & bullæ in eadem habentur.

9. Indulg.

CAPVT XI.

DE INDVLGENTIIS TOTI ORDINI FRATRUM B. M. semper Virginis de monte Carmelo à diuersis Romanis Pontificibus generaliter concessis.

PRÆTER indulgentias ad Ecclesiam beatiss. Dei genitricis & Virg. Mariæ specialiter concessas, sunt & aliæ multò maiores & plures Ordini generaliter à diuersis Romanis Pontificibus indultæ, de quibus præsens XI. huius libri II. capitulum decreuimus ordinare, scientes operæ pretium fore, si tantus gratiarum thesaurus ad notitiam diuulgetur plurimorum. Tum enim Christi fideles loca sanctorum & Ecclesias Dei libentius visitabunt, quãdo se diuinis muneribus, donisq; cælestibus abundantius cumulari & refici non desperant. ANNO igitur Domin. Natiuit. 1477. indict. Rom. 10. SIXTVS Papa IV. anno Pontificatus sui sexto bullam dedit ordini Carmelitarum, quæ incipit. *DVM attenta meditatione pensamus.* In hac bulla idem Pontifex recensuit & confirmauit omnes & singulas indulgentias dicto Ordini à Rom. Pontificibus à multis retro annis concessas, sub hac videlicet forma verborum, quæ sequitur.

LEO Papa IV. omnibus Christi fidelibus, qui Ecclesias fratrum Ordinis B. Mariæ semper Virginis de monte Carmelo in festis Natiuitatis Dominicæ, Paschæ, Apostolorum Petri & Pauli, Pentecostes, Assumptionis, Natiuitatis, & Purificationis eiusdem sacratissimæ Dei genitricis Mariæ, sancti quoq; Michaelis, omnium sanctorum, in diebus festis S. Crucis, natiuitatis S. Ioannis Baptistæ, SS. Martyrum Fabiani & Sebastiani, in die quoq; Parasceues, & per octauas prædictarum festiuitatum, & vocabulis omnium Ecclesiarum dicti Ordinis deuotè visitauerint, & pias eleemosynas largiti fuerint, seu domos eiusdem Ordinis constructas refecerint, septem annos & 12. quadragenas verè pœnitentibus de iniunctis piè relaxauit. Adrianus II. Stephanus V. Sergius III. Ioannes X. Ioannes XI. Sergius V. & Innocentius IV. qui dictum Ordinem in Europam translatum confirmauit, omnibus Christi fidelibus verè pœnitentibus, contritis & confessis, qui

1. Indulg.

II.

qui prædictas Ecclesias pia deuotione visitauerint in prædictis festiuitatibus, & earum octauis, seu qui domos fractas eiusdem Ordinis refecerint, aut pro fabricis ipsarum Ecclesiarum munera dederint, vel confraternitatem dicti Ordinis assumpserint, vel eum intrauerint, aut calicem pro Missis celebrandis, & qui tabellas, aut mappas, vel qui in præmissis, aut in quolibet præmissorum manus porrexerint adiutrices, vel qui in suis vltimis voluntatibus Carmelitis aliquid legauerint, tertiam partem omnium peccatorum in Domino misericorditer relaxarint, prout in originalibus continetur.

III. ITEM Clemens Papa III. Alexander II. Gregorius V. & Gregorius VII. in prædictis quindecim festiuitatibus, & earum octauis omnibus & singulis verè pœnitentibus, qui aliquid præmissorum fecerint pro quolibet festo tertiam partem omnium peccatorum simili pietate in Domino misericorditer relaxarunt perpetua firmitate subnixam. Item Clemens Papa IV. omnibus Christi fidelibus, qui prædictas Ecclesias quater in anno deuotè visitauerint pœnitentes, contriti, & cõfessi, videlicet in IV. festiuitatibus eiusdem genitricis Dei Virginis Mariæ, hoc est, natiuitatis, annunciationis, purificationis, & assumptionis 30. annos Indulgentiarum, & totidem quadragenas misericorditer indulsit. IV. Lucius Papa IV. omnibus Christi fidelibus pœnitentibus & confitentibus peccata sua fratribus Carmelitis, vel Ecclesias eorum visitantibus, seu aliquid præmissorum facientibus in quodam priuilegio generali leuia peccata remittit, offensam quoq; parentum, & ex negligentia fractionem votorum, dum tamen fractores ad votorum obseruantiam redeant, & malè acquisita, si nesciatur, cui debeant restitui, prædictis locis seu conuentibus, dummodo per eosdem assignentur. V. ITEM Innocentius Papa IV. & Gregorius VIII. contulerunt quolibet die cuilibet dicenti, Pater noster, & Aue Maria, in dictis Ecclesiis semel pro viuis & defunctis 40. dies Indulgentiarum perpetuo. VI. Honorius Papa X. & Nicolaus IV. omnibus verè pœnitentibus, contritis & confessis, manus adiutrices prædictis domib°, ipsiusq; personis Ordinis porrigentibus omnium peccatorum suorum veniam pollicentur. VII. Honorius Papa IX. & Nicolaus IV. omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui dicti Ordinis Ecclesias deuotè visitauerint, seu manus illis adiutrices porrexerint 40. annos, & totidem quadragenas in festis vocabulorum ipsarum Ecclesiarum. In die quoq; Parasceues, in inuentione simul & exaltatione S. Crucis: Natiuitatis, Annunciationis, Purificationis B. Mariæ semper Virg. de iniũctis pœnitentiis misericorditer relaxauit. Benedictus Papa X. omnibus verè pœnitentibus, cõtritis, & confessis, qui tempore quadragesimali ter in hebdomada, hoc est 2. 4. & 6. feriis, & in festis vocabulorum omniũ Ecclesiarum, dicti Ordinis, nec non Sabbathinis diebus ob reuerentiam beatiss. Dei genitricis semper Virg. M. simul & in Dominicis diebus pia deuotione visitauerint 40. annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitẽtiis in Domino relaxauit. Remissionem quoq; septimæ partis omnium peccatorũ eisdem indulsit. Insup omnes indulgẽtias, gratias & remissiones à suis prædecessoribus Romanis Põtificibus Ordini memorato concessas duplicauit. VIII. Ioannes Papa XXIII. simili modo confirmauit omnes indulgentias per antecessores suos ordini Carmelitarum cõcessas. Insuper omnibus & singulis Christi fidelibus verè pœnitentibus & confessis, qui Ecclesias dicti Ordinis deuotè visitauerint, in qualibet festiuitate Dominicæ Natiuitatis, videlicet, Annunciationis, Purificationis & Assumptionis 40. annos, & totidem quadragenas indulgẽtiarum de iniunctis eis pœnitentiis relaxauit. IX. Vrbanus Papa V. similiter omnes indulgentias à prædecessoribus suis Romanis Pontificibus dicto Ordini concessas auctoritate Apostolica cõfirmauit, & omnibus Christi fidelibus, qui in festo Annunciationis eiusdem ordinis Ecclesias visitauerint 7. annos & 12. quadragenas indulsit. X. Postremo Papa Nicolaus, eius nominis quintus simili auctoritate omnes Indulgentias & remissiones ordini p suos antecessores datas cõfirmauit in omnib° festis & diebus p ordinẽ superius expressis, atq; in singulis motu ꝓprio 7. annos & totidẽ quadragenas adiũxit. XI. Et ipse Sixtus Papa IV. supradictus easdem remissiones & indulgentias omnes Ordini per suos antecessores datas cõfirmauit, anno videlicet Dominicæ nati-

natiuitatis prænotato. Omnibus etiam Christi fidelibus verè pœnitentibus & confessis, qui in 7. festiuitatibus B. M. semper Virg. conceptionis, natiuitatis, præsentationis, annunciationis, visitationis, purificationis, & assumptionis, & per 7. dies immediatè sequẽtes dicti Ordinis Ecclesias deuotè visitauerint, & manus fratribus porrexerint adiutrices, prio motu 30. annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitẽtiis misericorditer in Dño relaxauit. Anno sui Papatus omnes præscriptas indulgentias Ordini generaliter concessas promereri poterunt, cuncti Christi fideles in Ecclesia B. Mariæ semper Virginis in Vrticeto diebus festis prænominatis, eam deuotè visitando, & manus necessitatibus loci & fratrum porrigendo adiutrices. Vnde crebrius admonendi sunt omnes Christi fideles, maximè Heilbrũnenses, & qui vicinas regiones inhabitant, vt salutis propriæ memores tàm ingentem thesaurum, ante fores propositum non negligant, sed continua deuotione inquirant, illiusq; inuentione se dignos faciant, & bonis semper operibus intendant. Magna est sanctæ matris Ecclesiæ auctoritas, & ingens Pontificis Romani potestas, cuius indulgentiis rationabiliter datis qui contradicit, temerè aut circa fidem est impius, aut in rerum æstimatione stultus. Papa enim, qui canones olim pœnitentiales aut statuit, aut per alios editos confirmauit, semper eos circa verè pœnitentes, vel commutare, vel etiam pia consideratione relaxare potuit. Et propterea remissio in omnibus præscriptis indulgentiis non in incertum sed de iunctis pœnitentiis exprimitur, vt dictorum veritas comprobetur. Nam etsi hodie vsu canonum pœnitentialium, vtplurimum abolito pœnitentiæ moderatio penes confessorem videatur arbitraria, nihilominus tamen idem confert indulgentias, ac si pœnitentia canonis fuisset iuncta.

In contẽptores indulgentiarum.

CAPVT XII.

DE RELIQVIIS ET PIGNORIBVS SANCTORUM, quæ habentur in Ecclesia B. MARIÆ semper Virginis in Vrticeto.

POSTEAQVAM thesaurum indulgentiarũ, qui habetur in Vrticeto, fidelibus Christi descripsimus, ordo nunc postulat rationis, vt sacras reliquias in eadem Ecclesia repositas in eorundem notitiam deducamus: quod tali ordine decreuimus executioni demandare, vt primo loco eas ponamus res, quæ Domini & saluatoris nostri IESV Christi sanctificatæ feruntur attactu. Secundo ordine locabimus reliquias de beatissima Dei genitrice semper Virgine Maria. Tertio loco de Apostolis. Quarto de martyribus. Quinto de summis Pontificibus. Sexto de SS. Virginibus. Octauo de SS. matronis & continentibus. In primo itaq; ordine reliquiæ habentur subnotatæ. De Ligno S. Crucis duæ particulæ veræ & approbatæ cum aliis particulis multis, de quibus tamen non habetur tanta certitudo, quanta de primis duabus. De loco, in quo S. Crux stetit Christo in ea pendente. De columna, ad quam Christus fuit flagellatus. Petia de panno, in quo Christus infans iacuit in præsepio. De lapide, super quo Christus orauit in horto, & sudore suo sanctificauit. Lapis, super quem Christus dicitur cecidisse iuxta Cedronem, quando captus de horto ducebatur. De sepulchro, de lapide, super quem Christus sedit, quando fleuit super Hierusalem. De loco, in quo Christus ieiunauit 40. diebus & noctibus. De monte Caluariæ. De monte Sion, De monte Oliueti. De monte Thabor, vbi Christus transfiguratus fuit. De lapide, à quo Christus ascendit in cælos. De loco, in quo Christus

Reliquiæ de rebus a Christo tactis.

Christus natus fuit. De præsepio Domini. de pannis, quibus Dominus inuolutus iacuit in præsepio. De scutella, ex qua saturata fuerunt 5. millia hominum iuxta mare Tyberiadis. De mirrha & thure per tres magos oblatis Christo Domino. *II. De B. Virgine.* In Ordine secundo istæ reliquiæ habentur. De capillis beatiss. Virginis Dei genitricis Mariæ, De Camisia eius. de tunica eius. de pallio eius. de peplo eius. de Sudario eius. De loco, vbi post ascensionem Domini quiescere solebat. De loco, vbi Iudæi corpus eius de feretro præcipitare conabantur. de sepulchro eius. de filo quod ipsa propriis manibus suis filauit. De lapide, super quo sedit corporaliter audiendo verbum filii sui Domini nostri Iesu Christi. De arbore dactylo, quæ ad eius iussionem se inclinauerat, cum iret in Ægyptum. De loco, in quo ipsa obiit. De lacteeius miraculoso. De lapide ei⁹ sessionis. *III. Apostolorum.* In ordine tertio istæ habẽtur Apostolorum reliquiæ. De S. Petro Apostolorum Principe. De S. Andrea Apostolo. De S. Iacobo maiore. De S. Thoma Apostolo. De S. Philippo Apostolo. De S. Iacobo minore Apostolo. De S. Bartholomæo Apostolo. De S. Matthæo Apostolo. De S. Simone Apostolo. De S. Iuda Apostolo. De S. Matthia Apostolo. De pallio S. Petri Apostoli. De tunica quoq; eiusdem S. Petri Apostoli, de lapide in quo stetit idem S. Apostolus, quando verbum Dei populo prædicauit. De alba tunica & terra sepulchri S. Ioãnis Apostoli & Euãgelistæ. De cruce, in qua sanctissimus Andreas Apostolus Christi suspensus fuit occisus. *IV. Martyrum.* In Ordine quarto istæ SS. martyrum reliquiæ continentur. Vna tibia ex societate 10. milliũ martyrũ. de societate S. Mauritii martyris particulæ sunt plures De S. Ioanne baptista, de S. Stephano protomartyre. De S. Laurentio martyre. De S. Vincentio martyre, De SS. Fabiano. & Sebastiano martyribus. De S. Dionysio martyre. De S. Blasio martyre. De S. Bonifacio martyre. De S. Georgio martyre. De S. Kyliano matyre. De S. Pantaleone martyre. De S. Chrysogono martyre. De S. Quintino martyre. De S. Victore martyre, De S. Cypriano martyre. De S. Marcellino & Petro martyribus. De S. Demetrio. De S. Cyrenæo martyre. De S. Maragario martyre, de S. Crescentiano martyre. De S. Quirico martyre. De S. Cyriaco martyre. De S. Albano martyre. De S. Theodoro martyre. De SS. Innocentibus martyribus. De lapide, sub quo Ioannes Baptista latuisse fertur tempore persecutionis innocentum. Lapis vnus, quo S. Leuita Stephanus fuit lapidatus. De sepulchro S. Lazari resuscitati à Domino, Episcopi & martyris. *V. Episcoporum.* In Ordine quinto SS. summorũ Pontificum, non martyrum istæ reliquiæ habent. De occipite S. Basilii magni Episcopi, q primus regulã Carmelitis dedit monasticam. De S. Hieronymo presbytero Cardinale. De S. Augustino Episcopo. De S. Ambrosio Episcopo. De S. Martino Episcopo. De S. Germano Episcopo. Dẽs S. Nicolai Episcopi. De S. Cyrillo Alexãdrino Episcopo. De S. Madardo Episcopo. De S. Maximino Treuirorũ Episcopo. De S. Maximo Aquẽsi Episcopo, cui B. Maria Magdalena legit à Domino fuisse commissa. De S. Leone Papa primo. De S. Amando Episcopo. *VI. Monachorum.* In sexto Ordine sunt istæ reliquiæ SS. Confessorum non Pontificum, Abbatum, monachorum & eremitarum. De S. Benedicto Abbate. Tunica S. Bernardini Ordinis Minorũ, in qua obiit. De S. Onofrio seruo Domini. De S. Siagrio monacho. De S. Apollonio monacho eremita. De SS. Valeriano, Emerẽtiano, & sociis eorundẽ. De S. Alexio Confessore. De S. Evvaldo Cõfessore. De S. Albano Confessore. De S. Cypriano. De S. Euchario. De S. Paulo primo emerita, & plures aliæ. *VII. Virginum.* In Ordine septimo sunt reliquiæ SS. Virginum & martyrũ Iesu Christi. De S. Cæcilia. De S. Barbara. De S. Margaretha Virgine & martyre. De S. Dorothea Virgine & martyre. De S. Lucia virgine & martyre. De S. Agnete Virgine & martyre. De S. Christiana Virgine & martyre. Caput vnũ integrum de societate 11. milliũ martyrũ. Scapulæ duæ & plures aliæ particulæ de eadem societate. De S. Otilia virgine. De S. Euphrosyna virgine. De S. Alasia Virgine. De S. Celsa Virgine. De S. Federia Virgine De S. Feliciana Virgine Dñi. *VIII. Non Virginum.* In octauo ordine reliquiæ SS. fœminarum istæ cõtinentur. De Capite S. Annæ auiæ Domini cũ aliis plerisq; particulis eius. De S. Maria Magdalena amatrice saluatoris nostri ardẽtissima, cũ aliis multis particulis eiusdẽ. De S. Helena matre Constantini Cæsaris magni. De S. Elizabetha Lantgrauia Thurĩgorũ & Hassiorũ. De S. Afra

martyre. De S. Brigitta vidua Principis Suetiæ. Oleum quod fluxit de tumba lapidea S. Catharinæ Virginis & martyris Christi. Præter eas verò sanctorum reliquias, quorũ nomina per ordinem explicauimus, sunt & aliæ diuorum in memorata beatissimæ Dei genitricis Mariæ in Vrticis Ecclesia reliquiæ sine certo numero vel ordine multæ, quorum nomina quamuis sint hominibus incognita, Deo tamen sunt manifesta, & in libro vitę cum iustis omnibus scripta. Nam & Patres ipsius loci præsidentes, qui pro tempore fuerunt, in comportatis sanctorum pignoribus magnam fecere diligentiã, & faciunt vsq; in præsentem diem. Sunt enim præ ceteris multis ex primæua institutione sui Ordinis beatissimæ Dei genitrici semp immaculatæ Virgini Mariæ singulari famulatu deuotissimi, & in veneratione Sanctorum pientissima celebratione religionis præcipui. Maxime autem honorant Dominicam parentelam, Diuum * videlicet Ioachim Nazarenum, & sanctissimam coniugem eius Annam, parentes intactæ Virginis matris DEI, sanctum quoque Ioseph sponsum Dominæ nostræ † sanctissimum & castissimum, & Saluatoris nutritium. De quibus nobis ad honorem omnipotentis DEI sermo breuis habendus imponitur.

CAPVT XIII.

DE CONFRATERNITATE CHRISTI FIDELIum in Vrticeto sub memoria & honore beatissimæ matris ANNÆ auiæ Christi laudabiliter instituta & confirmata.

CVm fratres memorati Ordinis B. MARIAE de monte Carmeli exordium primæuæ institutionis suæ, ab Elia & filiis in Iudæa susceperint prophetarum, longè ante incarnationem Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, viris tunc in Israhel iustis & Deum timentibus, familiari semper deuotione præ ceteris adhæserũt. Sanctiores autem & iustiores eo tempore nullos fuisse in mundo crediderim, quam eos, de quibus natus est Dei filius in terra secundum carnẽ. Quis enim fidelis Christianus addubitet Ioachim Nazarenum patrem innocentissimæ, & semper immaculatæ Virginis Mariæ virũ omnium suo tempore iustissimũ extitisse, atque sanctissimum: eius verò coniugem Dei genitricis venerabilem matrem, quis vitæ meritò negabit fuisse sanctissimæ? Parentes quoq; D. Ioannis Baptistæ coram Deo & hominibus enituisse iustos, non est fidelium, vt arbitror, quisquam qui ambigat. Quamuis in genealogia Saluatoris non negemus etiam fuisse peccatores, quod testimonio scripturæ sacræ constat manifestum. Verum, vt pietatis ac deuotionis officio fratrum prædictorum satisfiat, quo Domini saluatoris mundi venerantur parentes, genealogiam Beatiss. Virg. Mariæ Dei memoratæ genitricis ex historia Philonis, Hieronymo, & aliis scriptoribus satis laborioſè cõportatam, his placuit inferre sententiis: quam non ego, sed alii ante me viri religiosi & studiosi conscripserunt.

De genealogia B. Mariæ.

In Matthæo legimus, q, Iechonias genuit Salathiel, q & Mesezebel. porro Salathiel genuit Zorobabel, Zorobabel autem, qui & Barachias, genuit duos filios, quorũ maior natu dictus est Abiud, simul & Ananias, de quo genealogia in Mathæo cõtinuatur vsq; ad S. Ioseph spõsum Mariæ. Secundo genitus Zorobabel dictus est Ressa simul & Missiola, per quem paterna genealogia B. Virginis MARIAE tali ordine descendit. Ressa namque genuit Ioannem, quem nominauerũt Ioanna, Ben Ressa, id est, Ioannem filium Ressa. Ioannes autẽ genuit Iudã, cognomẽto Hir-

Hircanum. Iudas autem genuit Ioseph. Ioseph autē genuit Abner, qui & Semei. Abner autem genuit Mathatiam. Mathatias autē Ioseph. Ioseph autē genuit Ianeum. Ianeus autem genuit Melchi. Melchi autem genuit Leui. Leui autem genuit Mathan, qui duxit vxorem, nomine Vestam, de qua genuit Ioachim, qui & Elich patrem S. Mariæ semper Virginis. Habuit autem hæc mulier ante Mathan patrem S. Ioachim alium maritum eiusdem nominis Mathan filii Eleazar, de quo filium pepererat nomine Iacob, qui pater extitit S. Ioseph sponsæ Mariæ genitricis Dei semper intactæ. Hinc D. Hieronymus dicit, quod Ioseph nutricius Domini filius fuit Iacob genitura. Et Elich siue Ioachim lege vxoria. Et ergo Lucas scribit genealogiam Ioseph legalem, & Matthæus naturalem. Concordat in eam sententiam & Damascenus. Ioachim autem duxit vxorem, nomine Annam, quæ filia fuit cuiusdam nobilis & iusti viri, qui dicebatur Stolanus de tribu Iudæ, & nomen vxoris eius Emerentia, de qua genuit duas filias, Annam, sicut dictum est, vxorem S. Ioachim, quæ peperit ei Mariam innocentissimam semper Dei genitricē, & Esmeriam vxorem Afræ cuiusdam religiosissimi Iudæi, quę peperit Elisabeth matrem S. Ioannis baptistæ, & filium nomine Eliud, qui genuit S. Martialem. Hæc de genealogia B. Mariæ semper Virginis dicta sufficiant: quæ propterea his lucubrationibus nostris interseruimus, vt dignam Confraternitati S. ANNÆ memoriam præstantes eo commodius propositum nostrum ad eius honorem ꝓsequi possemus. Mons etenim Carmelus à temporibus Eliæ & Elisæi prophetarum vsq; in aduētum Domini sanctis & iustis semper claruit eremitis Deo secundum Pharisaicā traditionem inculpatè famulantibus, ad quos pro consilio & informatione doctrinæ salutaris ad iustitiā, & sacratioris vitæ institutionē, non modo prę scripti saluatoris nostri secundum carnē parentes, verumetiā alii quiq; de vniuersa Iudea viri boni & iusti frequenter & crebrò leguntur habuisse recursum. Post passionē verò Dñi nostri Iesu Christi fratres eremitæ, q Eliæ, Elisæiq; prophetarū imitatione in monte Carmelo habitabant cum primis post Apostolos orthodoxā fidē susceperunt, & primi omniū basilicā in ipso monte Carmelo sub memoria & honore beatiss. Dei genitricis semper intactę Virginis Mariæ cōstruxerunt. Exinde fratres B. Mariæ Virginis de mōte Carmelo sunt nuncupati, & per Apostolicam sedē confirmati vsq; in præsentem diem. Cum ergo prima ordinis sui sanctæ institutionis primordia in Iudæa fratres Carmelitę susceperint, magnāq; & singularē amicitiæ familiaritatem cum sanctissimis parentibus Domini olim Patres eorum in mōte prædicto commorantes habuerint, sintq; prouidētia miserationis diuinę tā insignis ꝓrogatiuę titulo sublimati, vt præ ceteris ordinibus claustralium cunctis fratres beatis. Dei genitricis nominentur, ne Domino Deo, & Ordinis sui patronæ atq; ꝓtectrici viderentur ingrati speciali deuotione sp eius parentes venerantur, & amicos, quorum merita non dubitant Deo esse gratissima, præcipua tamen omnes Carmelitani Ordinis fratres deuotione Dei genitricis Mariæ matrem honorant, colunt & venerantur Annam vsq; adeò, quod rarò reperitur in eorum sancta religione conuentus, in quo non sit altare vel capella sub eius memoria & honore consecrata. Sanctum quoq; Ioachim beatis. Virg. Mariæ patrem, & eius castissimum Sponsum Ioseph pari deuotione venerātes, quotannis eorum festa summa reuerentia, & ingenti pietatis affectu cultuq; concelebrant, cuius deuotissimæ cōsuetudinis æmulatores pientissimi, venerādi Patres & fratres memorati Ordinis in Vrticeto extra muros regalis oppidi Heilbrunnēsis in eorū Ecclesia nō solum altare sub honore auiæ Christi Annæ, sed etiā confraternitatē laudabilē instituerunt ad ædificationē & salutē fidelium in Christo populorum. Quam quidem sanctam confraternitatē tredecim vicibus in anno solenniter concelebrāt, & ex indulto Sedis Apostolicæ per ambitum & Ecclesiam SS. Corpus Domini processionaliter portant in solennitate videlicet ipsius beatissimæ ANNÆ, & qualibet prima, vel altera feria tertia cuiuslibet mensis totius anni, quemadmodum probatur ex litteris Confirmationis per Legatum Apostolicū, q̄ sequuntur. *RAIMVNDVS miseratione diuina S. Romanæ Ecclesiæ tituli S. Mariæ nouæ presbyter Cardinalis Gurcensis ad vniuersam Germaniā, Daciam, Suetiam, Norwegiam, Frisiam, Prussiam, omnesq; & singulas*

S. Annæ parentes.

Carmeli montis in cola primi

post apostolos fidē Christi susscipiunt.

Carmelitarum singularis deuotio in D. Virg. S. Annā Ioseph & Ioachim.

Confraternitas S. Annæ in Vrticeto.

illarum ciuitates prouinciarum, terras & loca, etiam S. Romano Imperio in ipsa Germania subiecta, ac eis adiacentia Apostolicæ sedis de latere Legatus vniuersis & singulis fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternã. EA quæ pro diuini cultus augmento & Christi fidelium deuotione instituta censentur, debito conuenit subsidio communiri. Sane siquidem pro parte dilectorũ nobis in Christo, Prioris & conuentus monasterii B. Mariæ montis Carmeli ad Vrticas extra muros imperialis oppidi Heilbrunnensis Herbipolensis diœcesis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsi in eorum conuentu quandam laudabilẽ confraternitatẽ in honore S. Annæ super eiusdem S. Annæ in eodem conuentu suo certis anni temporibus, videlicet singulis feriis tertiis cuiuslibet mensis anni, ac in die ipsius S. Annæ cum Missarum solennitatibus & decentibus cærimoniis decãtare ac seruare consueuerunt. Et, sicut eadem petitio subiungebat, si ad eandem confraternitatem nostræ confirmationis robur cũ aliquarũ Indulgentia ad eandem, nec nõ delationis Venerabilis sacramenti, quæ singulis annis in die S. Annæ etiam fieri consueuit, elargitione accederet, profectlo diuinus cultus ex hoc magnũ sumeret incrementũ, & maior Christi fidelium oriretur deuotio. Quare pro parte eorundẽ, Prioris & Cõuentus nobis fuit humiliter supplicatũ, quatenus Confraternitatem huiusmodi, eiusq; erectionem & institutionem confirmare, & ad eandem, ac ad venerabilis Eucharistiæ sacramenti delationẽ aliquas indulgentias misericorditer elargiri dignaremur. Nos igitur, qui diuini cultus augmentum supremis desideramus affectibus, huiusmodi deuotis in hac parte supplicationibus inclinati eande Confraternitatẽ, eiusq; erectionẽ & institutionẽ ratificamus, approbamus & confirmamus, & præsentis scripti patrocinio cõmunimus, supplentes omnes & singulos tã iuris quã facti reparabiles defectus, si qui interuenerint in iisdẽ. Et nihilominus cupientes, vt dicta fraternitas in debita veneratione habeatur, conseruetur, & manu teneatur, cultusq; augmẽtetur diuinus, ac Christi fideles ipsi ad dictæ fraternitatis peractionẽ confluãt, manusq; promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc dono cælestis gratiæ se respexerint refectos de omnipotẽtis Dei misericordia ac beatorũ Petri & Pauli Apostolorũ eius auctoritate confisi, vniuersis & singulis dictæ cõfraternitatis fratribus verè pœnitenibus & confessis, qui missarum celebrationi, ac dictæ fraternitatis peractioni interfuerint, quoties hoc fecerint centum; qui verò sacramenti delationi diebus prædictis interfuerint, ac Christi fidelibus, qui pro ipsius fraternitatis conseruatione manus suas porrexerint adiutrices, quoties id fecerint, similiter centum dies de iunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus præsentibus ppetuis futuris tẽporibus duraturis. In quorũ fidem præsentes litteras fieri, nostriq; sigilli iussimus appensione communiri. DATÆ Argentinæ anno Incarnat. Dominicæ 1504. 13. Kalend. Maii, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri D. IVLII diuina prouidentia Papæ II. anno primo. His litteris confirmationis memoratæ confraternitatis beatissimæ auiæ Christi Annæ, R. Pater & sacrarum scripturarum Doctor insignis, Magister Petrus cognomento Witt, de quo infra plenius loquemur, Prior conuentus in Vrticeto duodecimus à Legato sedis Apostolicæ impetratis, cum esset vir in omni pietate ad Deũ feruẽtissimus, Christiq; parentum cultor & amator deuotissimus, quo multos in obsequium sacræ ꝓuocaret religionis Christianæ, accessit ad Reuerendiss. in Christo Patrem, & Dominum nostrum D. Laurentium Episcopum Herbipolensem, Franciæ Orientalis Ducem, & petiit ab eo simili deuotionis feruore litteras cõfirmationis memoratæ fraternitatis cum gratiis & indulgẽtiis consuetis. At Præsul insignis nil moratus, vtpote singularis & deuotissimꝰ cultor Dei genitricis, litteras Cõfirmationis Priori tradidit sub forma sequenti verborũ.

Confraternitas confirmatur.

LAVRENTIVS Dei gratia Episcopus Herbipolensis, Franciæq; Orientalis Dux vniuersis & singulis nostræ Herbipolensis diœcesios Prælatis, plebanis, & diuinorum Rectoribus, aliisq; beneficiatis presbyteris non curatis, & cuiuscunq; status hominibus præsentium inspectoribus salutem in Domino. Litteras Reuerẽdissimi in Christo Patris & Domini D. Raymundi miseratione diuina S. Romanæ Ecclesiæ tituli S. Mariæ noue presbyteri Cardinalis Gurcensis ad vniuersam Germaniam, Daciam, Suetiam, Norwegiam, Frisiam, Prussiam, omnesque & singulas earum prouincias, ciuitates, terras, & loca S. Romano imperio in ipsa Germania subiecta, & eis adiacentia, Apostolicæ sedis de latere Legati, eiusdẽq; sigillo oblongo de cera rubea glaucæ impresso zona rubea impendente dilectis nobis in Christo Priori & conuentui monasterii B. Mariæ de monte Carmelo ad vrticas extra muros imperialis oppidi Heilbrũn. nostræ diœcesis concessas nobisque præsentatas; quibus videlicet hæ nostræ affixæ sunt litteræ, Vidimus. easque ex diligenti inspectione sanas & integras nullo suspicionis vitio subiectas comperimus, erectionem fraternitatis huiusmodi litteris Apostolicis expressis deuotè visitauerint, & ea, quæ in iisdem con-

continentur adimpleuerint, quoties id fecerint de omnipotentis Dei misericordia. & BB. Petri & Pauli Apostolorum, nec non SS. Martyrum Kiliani & sociorum eius meritis confisi quadraginta dies de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus, præsentibus, perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum fidem has litteras fieri, nostriq; officii sigillo, quo ad præsens vtimur, fecimus & iussimus appensione communiri. DATÆ in nostra ciuitate Herbipolensi die Iouis 28 mensis Iunii, anno Domin. natiu. 1504. indictione 7.

His etiam litteris ab Ordinario impetratis per supradictum venerabilem S. Theologiæ Doctorem D. Petrum noui monasterii B. Mariæ semper Virginis in Vrticeto Priorem duodecimum sancta fraternitas D. matris Annæ iam sufficienter cõfirmata per singulos ferme dies merito & numero personis conualuit, & breui sub tempore multum dilatata creuit. Plures namq; vtriusq; sexus Christo fideles, nomina sua inscribenda memorabili Confraternitati S. Annæ summa cum deuotione quotidie offerunt, Ecclesiam B. Virg. Mariæ in Vrticeto crebrius visitant, matrem Christi vna cum auia precibus, & pietatis operibus multipliciter honorant. Ipsi etiam fratres Carmelitæ Domino & eius parentelæ apud Vrticas deuotissimè famulantes, & in vera humilitate sub regularis obseruantiæ puritate viuentes decem & tribus in anno diebus B. matris Annæ confraternitatem sollenniter peragunt, sacramentum Dominici corporis cum magna reuerentia per ambitum Ecclesiæ circumferunt; Missas, orationes & vigilias pro confratribus tam viuis, quam vita defunctis matriculæ fraternitatis B. Annæ inscriptis ad Dominum supplices fundunt, fidelis è vicino Dei populus confluit, de pulpito concionantem Christi sermones Doctorem alacriter audit, recreantur mentes indulgentiis spiritualibus, & confirmati omnes in timore Domini fideles ad propria cum gaudio reuertantur.

CAPVT XIV.

NOMINA SEQVVNTVR PRIORVM PER ORdinem sibi mutuo succedentium, qui per annos ferme octo & sexaginta in Vrticeto laudabiliter præfuerunt.

A B eo tempore, quo anno Domin. Natiu. 1448. indict. Rom. 11. Locus cum Ecclesia & prouentibus in Vrticeto liberè donatus est Ordini Fratrum B. Mariæ semper Virginis de monte Carmelo, & tam per Godfridum Episcopum Wirciburgensem Ordinarium, quam Nicolaum Papam eius nominis V. hæc ipsa donatio legitimè fuerat confirmata, fluxerunt anni non minus quam octo & sexaginta vsque in sextum decimum supra quingentesimum atque millesimum Dominicæ natiuitatis annum, quo nos ista perscripsimus: in quibus Priores fuerunt cum eo, qui hodie supereſt, numero tredecim sibi per ordinem succedentes; de quibus, vt hoc quoq; terminaremus Capitulum rationis cõsideratio postulauit.

Anno 1561 hæc scripta à Trith.

I. Prior. PRIMVS itaq; Prior omnium in conuentu memorato S. Mariæ in Vrticeto per Ioannem de Mellerstadt Magistrum Ordinis Prouincialẽ anno Domini præfato fuit institutus F. Ioannes Nagelt ex conuentu Rotenburgensi assumptus vir bonus & religiosus, qui propter nouitatem structurarum & indispositionem habitationum clausträliũ eo tempore multis fuit necessario laboribus implicatus. Eius tempore, hoc est, anno Domin. natiu, memorato 1448. habita cõfirmatione Apostolica, sicut est dictum, priusquam Ecclesia esset constructa vel chorus, Patres de Ordine agros certos, & pro structura facienda omninò necessarios circa fossata conuentus emerunt à ciuibus, quos etiam de prompta soluêre pecunia, de oblationibus Christi fidelium: nec erat inter vendentes quispiam, qui pro DEI genitricis honore vnius pedis terræ spa-

canobii.

tium gratis contuliſſet. Ex his agellis factum eſt illud circa conuentuale monaſterium Vrticeti foſſatũ, & via, ſiue ſtrata publica de ſtagno verſus cœnobium, quæ prius de lapidicina, vbi nunc eſt ſtagnum maius ſurſum tendebatur. Reliqua huius primi apud Vrticetum Prioris bonarum actionum merita, & quot annis prę fuerit, ad noſtram ſcientiam non peruenit, vt ſcriberemus, mercede iam apud Deum recepta fruitur in æternum.

II. SECVNDVS in Conuentu B. Mariæ ſemper Virginis Prior, fuit frater Ioannes cognomento Enderer ex conuentu eiuſdem Ordinis in oppido Dunckelſpiel aſſumptus, vir & ipſe bonus, religioſus & induſtriæ ſingularis. Cuius tempore, vel paulo ante pro pecunia prompta empti fuerunt à ciuibus agri, ſuper quibus nunc ambitus, ſiue circuitus monaſterii, dormitorium quoq; & ceteræ domus vna cũ horto fratrum cernuntur eſſe conſtructa. Eodẽ tẽpore, anno videlicet Domin. natiuitatis 1450. ind. 8. Rom. 13. quẽadmodum & alibi cõmemorauimus, conſtructa eſt noua domus Conuentualis in oppido Heilbrunna, in qua Prior & fratres habitauerunt annis ferè 34. interea videlicet, quo monaſterium illud inſigne, quod nunc perfectum & conſummatum cernitur extra oppidum in campis fuit exſtructum. Eo quoq; tempore, cũ in conſtruenda Eccleſia fratres multipliciter eſſent occupati, vt operis deſiderati quantocyus acceleraretur cõſummatio, nullis labor̃, nullisuè pepercerunt impẽſis. Vnde magnam lapidum copiã expenſis B. Mariæ ſemper Virginis in eũ locum, vbi nũc eſt, cæmiterium adduci procurarũt, quos omnes propria auctoritate ſenatus abſtulit. Fortalitiũ, quod cernitur in ſuperiori parte oppidi ad portã, q̃ dicitur Flemeria ex eis conſtruxit, & nihil B. M. Virgini penitus in recompenſam dedit, cuius ſimile plures feciſſe dicuntur. Et ne cauſam huius facti ſilẽtio tranſiſſe videamur, notum ſit poſteritati, q; in diebus illis magna inter DIETHERVM de Eiſenburg & ADOLPHVM de Naſſavv ꝓ Archiepiſcopatu Moguntino cõtendẽtes diſcordia fuit. Et qa Fridericꝰ Comes Palatinus Rheni, q; Heidelbergæ morabatur, patruus & tutor Philippi eo tempore Heilbrunnenſiũ ſelectus erat defenſor, & partibus Dietheri cõtra Adolphũ ſibiq; adhærẽtes fauebat, hoſtium metuentes incurſum Heilbrunnenſes, quo tutiores in oppido conſiſterent, fortalitium de monaſterii lapidibus erexerunt.

Contentio de Archiep. Moguntino.

III. TERTIVS in ordine Prior memorati monaſterii B.M. ſemper Virginis in Vrticeto fuit Ioannes cognomento Cæſaris aſſumptus de conuentu Rotenburgenſi, q; qualis fuerit, & q̃diu in officio Prioratus permanſerit, ſcribere non poſſumus, eo, q; de hoc nihil certi nobis fuerit cõſignatũ.

IV. QVARTVS autẽ Prior memorati Cõuentus fuit M. Symphorianus S. Theologiæ Profeſſor, cuius doctrina in ſcripturis ſanctis prædicando & docendo multis ꝓfecit ad ſalutem. Hic poſtremo certis pro negotiis ſui conuentus & Ordinis ſacri ad curiam profectus Romanam ex corruptione aeris infirmari cœpit, ibiq; morbo inualeſcente mortuus & ſepultus eſt.

V. QVINTVS in Vrticeto Prior fuit Conradus Steiger de conuentu Straubingenſi aſſumptus, & præfuit annis tantum duobus: vir moribus & vita ſincerus, q; regularis vitæ obſeruantiã & laudabiliter introduxit, & glorioſè continuauit. Deniq; amore q̃etis, cũ ſecularibus curis biennio deſeruiſſet inuitus, ſpq; cæleſtia præferret caducis, præmia ſecutus æterna largientem, reſignauit Prioratũ, & multis deinceps annis officiũ ſubprioratus in magna puritate religionis diligentiſſimè adminiſtrans, verbo pariter & exemplo multos ad iuſtitiæ ſemitas reuocauit: tandem plenus ætate in Domino quieuit.

VI. SEXTVS Prior fuit Ioannes cognomẽto Seltenſchlag de cõuentu Rotẽburgenſi aſſumptus, & præfuit annis 20. vir prudens in agendis: qui multa fecit bona cõuentui in Vrticeto. Enimuero, cum haberet ordinatione parentum ſingulis annis quoad vixit à ſenatu Regalis oppidi Nortlingẽ auri nũmos, ſiue florenos 30. vt verus Eliæ diſcipulus, nihil in vſum conuertit proprium, ſed omnia expoſuit in vſum fratrum cõmunẽ. Inter multa, quæ fecit conuentui, bona, ſcribi ordinauit, & ſoluit Antiphonaria tria illa magna in pergameno & multum pretioſa. Gradualia quoq; magna ſimiliter tria. Pſalteria octo, & ſex numero Miſſalia. Deniq; ad ampliorem ornatum & vſum Eccleſiæ, planetas ſiue caſulas ſacerdotales diſpoſuit plurimas cũ dalmaticis earũ, & cappis feſtiualibus chori: quæ omnia de pannis pretioſis, damaſco, Sametto, & aliis diuerſi generis ſericis pulchro ſatis ornatu ad ho-

no-

borem Dei omnipotentis comparando decorauit. Multa fecit & alia tempore sui regiminis bona, pro qbus memoriã apud posteros suos dignè meretur æternam. Senio tandem grauatus resignauit Prioratum, & anno gaudens lubilæo post ætatis consummatæ plenitudinem coruscans meritis transiuit ad cælum.

VII. SEPTIMVS Prior fuit Ioannes, cognomento Bentzenreuter Lector S. Theologiæ de conuentu Culmensi assumptus, & præfuit annis 7. Sub cuius directione nouum illud monasteriũ in Vrticeto, quod hodie cernitur, magnificè constructũ est, ad quod inhabitandum fratres anno Domin. Natiu. 1480. indict. Rom. 13. primo conuentualiter intrauerunt. Nam eatenus, vt supra dictũ est, in domo Prioratus quæ est in oppido Heilbrunnensi, mansionẽ per annos plures continuauerunt. Ioannes aũ Prior cum esset vir magnæ religionis & deuotionis in Deum, primus introduxit fratres anno, sicut duximus, prænotato in nouũ monasteriũ, in quo & regularis disciplinæ obseruationẽ laudabiliter instituit, & fratres sibi commissos non minus exẽplo boni operis, q̃ verbo sanctæ prędicationis ad iustitię semitas erudiuit. Annis in Prioratu septẽ exactis amore diuinarũ scripturarũ cessit officio, & de fauore sui Prouincialis ꝓfectus ad vniuersale gymnasiũ in Tubingẽ, vbi discendo mãsit expẽsis conuẽtus S. Mariæ in Vrticeto, quousque Doctor Theologiæ magnificus euasit. Reuersus post hæc ad Vrticetum iam Doctor, iterum fit Prior, loci eiusdem vndecimus.

VIII. HVIC in ordine Prior octauus fratrum electione successit Henricus cognométo Moll, & anno præfuit duntaxat vno. Hic primus nouitius in conuentu Heilbrunnensi exstitit, & ob id primus etiam ratione ꝓfessionis filius iure nominandus venit. Verũ cũ homo esset bonus & columbinæ simplicitatis, & pro magnitudine negotiorũ noui conuentus contra æmulorũ incursus, & maximè senatus ad defensionẽ iuriũ Ordinis & loci non satis idoneus, sponte Prioratus officio cessit, postquã vno præfuisset anno vitamq; deinceps, vt prius, in medio fratrum suorum duxit communem.

IX. NONVS fuit in ordine Prior Ioannes, cognomento Kuttler de conuẽtu Straubingensi assumptus, & solum præfuit annis duobus, vir bonæ & religiosæ cõuersationis per omnia, in musicis instrumentis, & in eo maximè, quod Organum vulgò nuncupant, satis peritus, qui & ipse negotiorum secularium multitudine attædiatus, cum se ad eorum ministerium nequaquam sentiret idoneum, cedens officio Prioratus ad vitam se retulit priuatã.

X. DECIMVS autem Prior fuit Ioannes Pistoris filius conuentus, & S. Theologiæ Baccalaureus, vir morum integritate venerabilis, obseruantiæ regularis amator, cultor & propagator insignis, & non minus in temporalibus, quam spiritualibus causis agendis & disponendis expertissimus. Multas infestationes & molestias à senatu Heilbrunnensium perpessus est, contra quorum insultus Ecclesiasticam libertatem sui monasterii & Ordinis constantissimè vbiq; defensauit, quemadmodũ in actis memorati cõuẽtus diffusè cõtinetur. Senio tandẽ suo grauatus, & multis laboribus exhaustus febricitare cœpit, & morbo paulatim crescente in Domino quieuit, Prioratus sui anno 6. qui fuit Domin. Incarn. annus 1490. indict. 8.

XI. VNDECIMVS huic in Prioratu successit iterũ cõmuni fratrum electione Prior institutus Ioannes Bentzenreuter iã S. Theol. Doctor consummatus, qui ẽ prius Priorẽ fuisse septimũ dixim⁹, & renunciasse officio diuinarũ amore scripturarũ. Primo autẽ Prior fuit annis 7. sicut dictũ est supra. Iterum secundo Prior factus decimũ præfuit in annũ. A primi resignatione Prioratus vsq; ad institutionẽ secundi anni pœne fluxerunt nouẽ qbus inter Priores, tres numero extiterunt. Ioannes aũ Bẽtzenreuter memoratus Prior denuo factus, cum esset vir doctissimus in sacris scripturis, ingenio ꝓfundus, consilio cautus, prudentia singularis, vita & conuersatione religiosissimus, ac talis omninò, q præesse multis & posset, & dignus haberetur cõmuni assensu primũ Magister Prouincialis per superiorem Germaniam & Hungariæ regnum electus, quamdiu vixit in eo Prouinciali atus officio commissos sibi fratres strenuè gubernauit. Mansit deniq; Prior Localis in conuentu suo Vrticeti, magistrũ nihilominus gerens prouincialem, & multa fecit bona pro vtilitate fratrum communi, cõordiam, qualem potuit, fecit cum ciuibus, structuras & bona cõuentus haud mediocriter ampliauit. Fratribus suis, quod bonum maximè decet Pastorem, se non minus opere

Ioan. Bentzenreuter.

quam sermone imitabilem in cunctis semper exhibuit, quibus & præsentis vitæ necessaria sufficienter procurauit. Regularis disciplinæ obseruantiam in se, & in cõmissis sibi à Deo fratribus tanta cum diligentia in omni loco & tempore custodiuit, vt similem ea tempestate in Ordine neminem habuerit. Tandem post multa in Prioratu & Magistratu pro conseruatione Ordinis sui laudabiliter gesta, cum iam tempus instaret, quo DEVS omnipotens eius disposuit remunerare labores, contigit Venerabilem Decretorum Doctorem M. Ioannem Schvvinde Priorem conuentus Viennẽsis in Austria per mortem transire ad superos. Vnde pro instituendo nouo Priore in locum vita defuncti per litteras à fratribus rogatus descendit in Austriam, cumq; peruenisset in conuentum Viennensem, podagra, & aliis incommodis corporalibus grauiter laborare cœpit, præmunitusq; viuificis sacramentis Domino reddidit spiritum, qui dedit illum, anno Domin. Natiuit. prænotato 1499. indict. Rom. 2. cuius corpus in choro ante corpus Dominicum sepelitur.

XII. Petrus VVirt. laudatus.

DVODECIMVS monasterii B. M. Virg. in Vrticeto Prior institutus fuit 27. die mensis Martii anno Domin. Natiuit. 1499. Petrus, cognomento Wirtt, Patria Heilbrunnensis, & filius conuentus, artium, Philosophiæ & diuinarum scripturarum Doctor insignis, & præfuit annis ferme 16. His in Gymnasio Heydelbergensi discendo, legendo, disputando & docendo multis ante Prioratum annis gloriosam nominis sui famam obtinuit, & inter Doctores nominatissimus fuit, qui plures verbo & exemplo ad iustitiam erudiuit. Fuit nempe ingenio subtilis & acutus, sermone disertus & luculentus, eruditione præcipuus, & in omni varietate Scripturarum cõsummatus. In agendis fuit prouidus, in cura animarum sibi commissarum solicitus, & in cunctis operibus suis debitè circumspectus: In conuersatione sua semper mitis fuit, atq; pacificus, animo stabilis, & laudabili mãsuetudine tranquillus, & nulla superbię nota turbulentus. Amator est maximus obseruantiæ regularis, & custos vnicus exemplarq; & speculum lucens totius honestatis. Multa fecit in diebus suis memorato conuentui bona, & à fundamentis noua plura construxit ædificia. Inter quæ hodie constant, præcipua domus æstuarii, pulcherrima quoq; habitatio pistorum cum officina multum egregia. Quatuor deniq; piscinas circa monasterium nouas & valde vtiles constituit; pro quarum consummatione plus quã duo florenorum auri millia expendit Beneficium, quod Apostolorum nuncupatur, & fuit in Ecclesia Dominæ nostræ apud Vrticas in principio concursus populi constructum, priusquam locus daretur Carmelitis auctoritate sedis Apostolicæ suo conuentui incorporauit, de quo singulis annis floreni ad minus 30. communitati fratrum prouentunt. Cum sit Doctor diuinarum Scripturarum valde insignis, nihilq; in hoc mundo dulcius animo ducat, quàm lectionibus insistere sacris, Bibliothecam multis voluminibus auxit, & locupletem in omni varietate scripturarum tempore sui Prioratus decorauit. Nouit enim vir prudens copiam librorum suis valde necessariam propter sedulum prædicandi officium, & singulis non minus fructuosam & vtilem propter mentis propriæ spiritualem ædificationem. Quid enim claustralibus in hac mortalitate potest esse vtilius, aut quid merito debebit esse iucundius, quam spiritualibus exercitiis mentem intendere, sacras scripturas deuota meditatione reuoluere, sanctis orationibus, si non semper, saltem frequẽtius insistere, & se purum ac immaculatũ ab hoc seculo, & cunctis inquinamentis animi & corporis custodire? Sed hunc viuendi modum, sicuti non omnes nouerunt claustrales, ita nec obseruant; & illi maximè, quos ignorantia mentis excæcat, qui diuinarum scripturarum lectiones nec diligunt, nec libros manibus, sicut oportuerat, reuoluunt, sed diem totũ in circuitu cum impiis ambulant, fabulis & inordinatis vitæ motibus continuè, seu otio intenti nihil minus, quam scientiam sacræ lectionis curant. Ignorantia etenim sacrarum scripturarum in claustralibus maximè est damnabilis, quæ cum sit mater omnium vitiorum, inducit errores, perniciosumq; parit otium animæ, & mẽtis omnimodam causat dissolutionem. Quod probè intelligens Petrus iste, Doctor venerabilis, & cupiens fratres suos diuinis aptare Scripturis, neq; laboribus vnquã pepercit, neq; retractauit impensas,

sas, sed quoscunq; vidit dociles animis, & ad scientiam scripturarum capessendam idoneos, tam per se, quam per suos iuuenũ præceptores primò in Grammaticis, & minoribus doctrinarum studiis in ipso monasterio fecit diligentissimè, ac postea missos ad gymnasia vniuersalia etiam in altioribus promoueri. Ex his nonnulli magnificè proficientes in studio scripturarũ Doctores eruditi & insignes postea euaserunt, de qbus in capite sequeti mentionem faciemus pleniorem. Anno Prioratus sui fermè sextodecimo, qui fuit Domin. natiuit. 1500, &, si rectè memini, qntus decimus, Indict. Rom. 3. memorabilis iste Doctor Petrus Wirt Prioratus sui officium tali occasione resignauit. Habebat inter alios fratrem vnum conuentualem nomine Henricum, virum valde notabilem, vita & conuersatione integerrimum, & S. Theol. Doctorem insigniter eruditum, quem ipse à puero, vt ita dicam, educatum ad litteras instituerat, & in scholis ad Magisterium sacræ scripturæ fecit promoueri, semperq; vt filium vnicum in Christo dilexit. Contigit eodem anno Prioratum cuiusdam Ordinis sui vacare conuentus, cũius fratres memoratum Doctorem Henricum, vt bene notum sibi, decreuerant in Priorem assumere. Quod vt præsensit venerabilis senior M. Petrus, & separari à se tantum virum nulla posset ratione sufferre, quem suo Conuentus vtilem fore maluit, quàm alieno, magno charitatis & prudentiæ consilio negotium præuenit. De consensu & voluntate sui conuentus in Vrticeto mox Prioratum, vt senio & morbo grauatus resignauit, & prædictũ Doctorẽ Henricum in locum suum substitui Priorem obtinuit. Maluit enim vir optimus honorem proprium contemnendo pro vtilitate fratrum suorum amittere, quàm vnius docti viri solatio carere. Magna in seniore prudentia, qua virum vtilem iam iam rapiendum ab aliis in suo conuentu retinuit: Sed maior in eo notatur humilitas, qua honorem proprium spernit. Maxima verò in eius mente ardebat caritas, qua suis commodis prætulit & fratris reuerentiã & totius conuentus vtilitatem communem. Paucorum est virtus ista Prælatorum claustralium, vt alteri suum concedant honorem, aut propriis commodis præferant communem subditorũ vtilitatem. Petrus autem iste spectabilis Doctor ad imitationem Apostolorum nominis ęquinoci feruens in amore Christi, non attendẽs, quod sibi cõduceret vni, sed quod multis, & totius congregationis proficeret saluti, Prioratum spontanea voluntate deseruit, vt virum, quem non dubitabat fore vtilẽ, suis potius quàm alienis reseruaret. Viuit adhuc in suo conuentu Heilbrunnensi cunctis fratribus reuerentia & caritate nõ minus venerabilis, dilectus & obseruandus, quàm fuerat in Prioratu, Deo, & saluti vacans propriæ, in oratione sancta frequens, in studio sacræ lectionis assiduus, potens in opere & sermone: qui primus & principalis ob honorem Virginis Mariæ huius operis sollicitator extitit. Henricus itaq; memoratus post resignationem M. Petri Wirt fratrum electione tertius decimus in ordine Priorũ constitutus, anno Domin. natiuit. prænotato 1515. indict. Rom. 3. hodie præest conuentui Heilbrunnensi apud Vrticetum in omni solicitudne senioris sui consilio & solatio non mediocriter adiutus. Nam cum sit & ipse vir optimus, Magister in Theologia formatus, doctus & eruditus, vita & conuersatione religiosissimus, dignum se commissis sibi Christi ouibus curat exhibere pastorem. Petrus igitur Wirt, & Hẽricus Seyzenvviler Priores Carmeli in Vrticeto diuinarum scripturarum Doctores ambo insignes, virtutib⁹ & meritis bonorum ambo locupletes, quasi duo firmamenti lumina sanctum illustrant conuẽtum, & multos non minus opere, quàm sermone ab iniquitate reuocantes in viam salutis confirmant.

Resignat prioratum.

XIIII.

CA-

CAPVT XV.

DE ILLVSTRIBVS VIRIS, QVI IN CONVENTU S. MARIÆ Virginis apud Heilbrunnam in Vrticeto eruditione & doctrina scripturarum excelluerunt.

PLVRES inter fratres memorati Conuentus B. MARIÆ semper Virginis apud Heilbrunnam in Vrticeto ingenio & eruditione claruisse diximus. operæ pretium nunc fuerit, vt paucos saltem è multis nominatim explicemus. Omnium enim notitiam nequaquam potuimus habere, propterea, quod & anni iam à prima fundatione loci plurimi fluxerint, & pro negligentia successorum non omnes memoriæ posteritatis litterarum fuerint testimonio commendati. Et hæc est consuetudo perniciosa mortalium, vt æstimationi semper vilescant præsentia sola præterita menti placeant, de futuris pauciſſimi animum intendant. Vnde cõsurgit in contemptum dissimulatio veritatis, & plures occurrunt, qui veterum libenter & audiunt & legũt historias, pauciſſimi verò, qui res memoratu dignas sui temporis ad notitiam consignent posteritatis. Quid memorabilium rerum transacti temporis curiosæ fœnerator haberes ad legendum, si tuo more nihil demandassent litteris, qui nos testimonio suarum lucubrationum ætate præcesserunt? Qui historias rerum gestarum libenter versas cõscriptas à veteribus, quare quod laudas non imitaris? Quemadmodum nos hodie magni facimus chronica scripta veterum: ita quæ nos scribimus, quamuis animis vilescant nostris, olim iudicio placebunt posterorum. Sicuti ergo nobis prouiderunt scriptores historiarum præcedentes, ita & nos posteris consulere nostris in simili causa pro viribus iure debemus. Placebunt illis cognita, quæ nobis displicẽt visa, & laudantes admirabuntur tunc eis præterita, quæ iam nobis vilescunt præsentia.

Chronica scribere quam vtile.

I. IOANNES igitur Bentzenreuter supradictus Prior huius conuentus sacri Vrticeti, primo septimus, & postea vndecimus, quemadmodum in ordine promotorum pecuniis & impẽsis B. Mariæ semper Virginis præcessit omnes, ita merito in illustrium virorum Catalogo sæpedicti conuentus primum obtinet locum. Nec refert, quod filius eiusdem conuentus nõ extitit, cùm & Prior loci fuerit valde vtilis, & impensis eiusdem promotus ad Doctoratum. De quo isthic plura dicere iudicamus superfluum, cum satis antea fuerit dictum. Scripsit in 4. sententiarum libros M. Petri Lombardi comportationes quasdam notabiles, quas, vt mos est promouendis in Tubingensi gymnasio legens publicè recitauit. Quæstiones etiam & varias disputationes in scholis habuit, & alia diuersa lucubrauit. Moritur tandem Viennæ, ante sacramẽtarium in choro sui Conuentus cum honore, vt Magistrum decebat Prouincialem, sepultus anno Domini 1499. indictione 2.

II. SIMON Currificis, huius conuentus filius in Vrticeto professus, cũ esset iuuenis ætate, docilis promittens ad studium vires à Priore suo ad Parisiense Gymnasiũ mittitur, vbi annis 4. litteris operam dedit, & non mediocriter in omni scientia litterarum profecit. Reuersus post annos quatuor in patriam ordinatione Prouincialis Capituli primò constitutus est Lector regens in conuentu Straubingensi, ac deinde in conuentu Rabenspurgensi, & in vtroq; loco eruditionis & religionis suæ documenta glorioſa reliquit. Postremo cupiens de bono proficere in melius de superiorum suorum licẽtia se ad Heydelbergam contulit continuatoq; studio scripturarũ tandẽ in Baccalaureum S. Theologiæ promotus fuit. Moritur deinde cholica passione sublatus,

tus, qui an lucubrauerit aliquid, certo nobis non constat.

III. WOLFGANGVS Berlin filius huius conuentus in Vrticeto professus, ingenio promptus, & studio scripturarum aptus qui cum prædicto fratre Simone missus ad scholas Parisienses, quatuor ibidem annis perseuerauit in studio, pro viribus, litteris diligenter intentus. Reuersus postea cum Simone in patriam apud Vrticetum sacrum consenuit, & scholas vlterius nullas visitauit, sed in vera humilitate mentis Domino Deo sub Prioris obedientia seruiuit.

IV. IOANNES Pistoris, filius conuentus in Vrticeto professus, & postea ibidem in ordine Prior decimus, de quo dictum est, vir morum integritate præcipuus, in Gymnasio Viennensi S. Theol. Baccalaureus factus eo anno, quo prædicti duo fratres Simon & VVolffgangus mittebantur in Galliam: qui cum esset ingenio subtilis & vuax, multum discendo profecit. De Austria reuersus in Vrticetum, breui postea factus est decimus Prior, & præfuit sex annis regularis amator disciplinæ, & libertatis Ecclesiasticæ defensor acerrimus, qui optimè rexit conuentum. Moritur Prioratus sui anno sexto, Dominicæ verò natiuit. 1490.

V. KILIANVS Mergler, filius & ipse conuentus in Vrticeto, ad Viennam missus in Austriam, cum prædicto fratre Ioannis Pistoris, diligenter litteris operam dedit, gradum tamen nullum adeptus fuit. Postea reuersus ad conuentum iussione Prouincialis Capituli ad Bernam Heluetiorum mittitur, vbi multo tempore conuentualis pro eleemosyna terminarius habetur. Postremò graui corporis infirmitate percussus ad Vrticetum reuertitur, inualescenteque cum tempore morbo mortuus est, & in ambitu Ecclesiæ sepelitur.

VI. PETRVS VVirt, oriundus ex regali oppido Heilbrunnensi, filius conuentus in Vrticeto, Prior postea duodecimus ad Gymnasium Erphordianum missus est, anno Domin. natiu. 1483. indictione Rom. prima, qui primo aliquot annos quibus insudauerat artibus Erphordiæ iussu maiorum ad Heidelbergam se contulit, vbi continuans studium in Philosophia & artibus Magisterium suscepit. Interea sæpius conuentum repetens, non sibi tantum profuit, sed etiam aliis profecit. Nam reuersus de Erfordia ad conuentum, priusquam Heidelbergam peteret, per aliquot annos informator fratrum iuuenum extitit, quos docere, litterisq; imbuere necessariis summa diligentia curauit. Postremo, sicuti est dictum, ad Heidelbergense Gymnasium remissus, deinceps continuauit studiũ, & diuinarũ scripturarum promeruit Doctoratum: de quo in præcedente huius Operis Capitulo mentionem fecimus latiorem. Eius lectiones & lucubrationes needum ad nostram notitiam peruenerunt. Viuit hodie in conuentu suo Heilbrunnensi sub Maximiliano Cæsare Augusto quando hæc scripsimus, anno Domini 1516.

VII. HENRICVS Navver filius conuentus B. MARIÆ semper Virg. in Vrticeto professus eodem anno missus est ad Gymnasium Friburgense, quo Petrum diximus ad Erfordiam fuisse destinatum. Annis aliquot in Friburgo exactis descendit Viennam in Austriam, vbi cœptum laudabiliter continuauit studiũ scripturarum. Postremò in Capitulo Prouinciali apud Eslingen celebrato, Patrum constitutione Lector est ordinatus, & in eo gradu permansit.

VIII. PETRVS cognomento Svvickel oriundus ex regali oppido Heilbrunnensi filius & ipse conuentus memorati professus ad Heydelbergense Gymnasium sub directione M. Petri Wirt pro litterarum studio missus Baccalaureatum ibidem in artibus suscepit. Exinde reuocatus ad conuentum institutor iuuenum fuit per certos annos. Postea Heydelbergam remissus Philosophiæ Peripateticæ operam dedit, simul ac diuinarum scientiæ litterarum. Consequenter in Prouinciali Capitulo Heilbronnæ in Vrticeto celebrato Lector fuit ordinatus: non multo post in Socium assumptus est M. Prouincialis. Deinde post annos paucos Prior constitutus fuit super conuentum Dunckelspulensem. Verũ, cum esset vir ingenio subtilis & facundissimus ad populum Dei p̃dicator, multisq; optaret suis ꝓdesse laborib⁹, nihil in hoc mũdo amplius desiderauit, quam cæptum vtiliter continuare studium scripturarũ. Permissu igitur & consensu Pontii generalis Magistri totius Ordinis ad Gymnasium Ingolstadiense in Bauaria se contulit, & studium sa-

sacrum præferens officio Prioratus, non parum breui tempore legendo, disputãdo,& discendo in omni scientia profecit. Interim verò, quod in dicto gymnasio stetit Prior conuentus Herbipolensis migrauit ad Dominum, cui Petrus, de quo loquimur, promotione Ioannis Fortis M. Prouincialis mox in Prioratu successit anno Domin. natiuit. 1507. & præfuit annis ferme quinq;. De permissione autem facultatis Theologicæ Vniuersitatis memoratæ legit Herbipoli in conuentu suo, M. Sentẽtiarũ pro Licentia, vt est moris, obtinenda, coram multis viris doctis & magnificis. Quo ritè completo, Ingolstadiũ proficiscitur, & Doctorandi licentia sollemni pompa condonatur. Scripsit super canonem Missæ librũ vnum, vtrumque in publica audientia multorum legit in memorato conuentu suo Herbipolensi. Amore autem quietis tandem resignauit Prioratum, & hodie sibi vacans viuit, & populo Dei prędicans viam salutis.

IX. Henricvs Seytzenvviler filius conuentus in Vrticeto professus ad Heydelbergense Gymnasium missus sub directione M. Petri Wirt artibus studiosè impendit operam, & Baccalaureus ibidem factus artium breui tempore haud mediocriter profecit. Exinde ad Tubingen profectus magisterium in artibus & philosophia suscepit, & iam deinceps ad S. Theologiæ studium se contulit, pro cuius amore post aliquot annos ad Viennam Austriæ descendit. Vbi sacro diligenter intendens studio gradum in Theologia Baccalaureatus obtinuit, & vsq; ad Doctoratum continuare studium scripturarum proposuit. Sed sæua cumpestis nimium tribularet Viennæ mortales, ascendit Norembergam, duobusq; annis ibidem Prædicatoris gerens officium, nouo tactus est morbo gutturis simul & graui rauedine vocis, quorum molestatus incommodo ad Vrticetum postremo reuertitur. Deinde miserante Deo conualuit, Doctoratum Theologiæ suscepit, & post resignationem venerabilis M. Petri Wirt, sicut in præcedenti capitulo dictum est, Prior in Vrticeto decimustertius constitutus hodie, cum nos ista scribimus, sanus in Domino viuit.

X. Wendelinvs Hoffmann filius conuentus in Vrticeto professus, similiter Heidelbergam pro studio missus sub directione M. Petri Wirt factus est Baccalaureus artium, inde domum rediens, & paulo post remissus Heidelbergam suscepit in eadem facultate Magisterium, deinde ordinatus Lector Theologiæ notabilis sua doctrina & prædicatione pœne cõtinua multos ab impietate conuertit ad iustitiam. Viuit hodie in conuentu Vrticensi.

XI. Lazarvs, & ipse filius conuentus in Vrticeto professus, cognomento Lebkucher Heidelbergam missus completo studiorum tempore Baccalaureus artium & Philosophiæ ad conuentum suum reuertitur, & hodie institutor iuuenum existens, etiam sacræ prædicationis officio decoratur.

Michael Diemar iuuenis sacerdos, & Adam de Spira filii conuentus, ambo in Vrticeto professi, scriptoris nauant operam, alter in gymnasio Viennensi, & alter in schola Friburgensi, cum tempore, vt speratur, doctiores euasuri, si gratuitis Dei donis bene voluerint vti. sunt etenim singulari perspicacitate ingenii, viuaces & idonei ad studium. Omnes præscripti fratres numero tredecim præter vnicum in ordine primum filii conuentus memorati fuerunt B. Mariæ semper Virginis in Vrticeto Professi, cuius & impensis, vt dictum est prius, gymnasia incoluere prænominata, gradibusq; fuerunt donati promeritis. Gaude nunc & lætare Heilbronna regale oppidum, quoniam complacuit Domino in te, qui meritis intemeratæ genitricis suæ beatiss. Virg. Mariæ præ cunctis in terra locis te honorat mirabiliter, signis decorat mirãdis, atq; virtutibus: eruditis q; nõ cessat filios tuos, qui in te sunt, illustrare Doctoribus. Cognosce tempus visitationis tuæ, & semper te gratum benefactori tuo exhibere memineris, qui viuit & regnat Devs in omni tempore gloriosus.

FINIS.

IO-

IOANNIS TRITHEMII ABBATIS DE MIRACVLIS AD INVOCATIONEM B. MARIÆ VIRGINIS IN VRTICETO IVXTA HEILBRUNNAM factis.

LIBER III.

PRÆFATIO.

POSTEA QVAM exordium & causam concursus fidelium ad memoriam beatissimæ Dei genitricis semper intactæ Virginis MARIÆ, simul & insignis monasterii sub eius honore dicati, erecti & fundati apud Vrticas in cãpis extra muros regalis oppidi Heilbrunnensis consummationẽ, & fratribus Carmelitis donationẽ, traditionem, & confirmationem, eorumq; ad ipsum locum introitum, profectum, & virtuosum tramitem cum alijs, quæ ratio postulare videbatur in duobus libellis præcedentibus descripsimus, vt iam deinceps miracula cæutus in eodem loco facta, quantum ingenij vires suppetunt, describamus, operæpretium fore arbitrati sumus. Nemo tamen existimet nos omnia, quæ facta nouimus, ad inuocationem Dominæ nostræ in Vrticeto signa, atq; miranda sanitatum beneficia, aut velle aut posse perscribere, cum id laboris sit immensi: sed è multis pauca in medium producere statuimus, quibus & Dei misericordiam in genus nostrum promptam semper & indeficientem esse, sicuti ab initio mundi, & insignis monasterij fratrum B. Mariæ semper Virginis de monte Carmelo in prænominato loco Vrticeti dignitatem & præeminentiam cunctæ posteritati memorabilem redderemus. Enimuero vires nostras procul negotium excederet, si omnia miracula per merita Dominæ nostræ facta in Vrticeto conaremur litteris comprehendere, cum ea omnia nemo sufficiat numerare. Non est infirmata manus Domini ad saluandum, sed miserationes eius super omnia quæ fecit, & semper præsto est omnibus inuocantibus eum in veritate. Nemo vnquam derelictus est à Domino, qui vera in eum confidentia sperauit. Oportet enim beneficia postulantem à Deo non diffidere, si cupiat impetrare, sit fides firma, sit Christiana vita, sit in oratione spirituali confidentia, & fient miserante Deo per publicam iustitiam ordinatæ supplicationis in mente pura miracula. Detestatur & odio habet curiosos Dei spiritus, cum simplicibus in amore Dei & constantia fidei ardentibus graditur, & in his, qui timent Dominum miranda operatur. Ad laudem igitur omnipotentis Dei, patris, filii & spiritussancti, ad honorem beatiss. Dei genitricis immaculatæ semper Virginis Mariæ, ad obsequium & complacendum venerandis Patribus, eximijsq; S. Theol Doctoribus, D. Petro V Virt de Heilbrunna duodecimo, & Domino Henrico Seitzenvveiler tertiodecimo & moderno in Vrticeto Prioribus, atq; in humanis ad huc agentibus, ad totius etiam eorum conuentus decorem, & omnis in eodem loco posteritatis memoriam, ædificationem & profectum, ego IOANNES TRITHEMIVS inutilis Abbas monasterii S. Iacobi maioris Apostoli prope VVirciburgum in suburbanis, quondam verò Spanhemensis, Ordinis D. Patris Benedicti obseruantiæ Confraternitatis Bursfeldensis, præsens opus miraculorum in nomine IESV Christi saluatoris nostri aggredior, quod post duos, qui præcesserunt, libros ratione abiliter in quatuor paraui distinguendum, ne aut multitudo signorum nimia confunderet, aut Lectorem prolixitas impediret. Fuerunt, quibus videbatur conueniens, vt miracula quæq; sibi mu-

Trithemius sex libros miracul. scribere voluit.

tuo conformia simul per ordines singulos in vnius narrationis seriem debuissem collocare: quod mihi tamen ea ratione non placuit, quoniam si per singula capita sibi mutuo conformia collocassem, totum opus tali fuisset terminatione constrictum, quod nihil deinceps relinqueretur addendum, fieretq; volentibus adiicere noua miracula, quæ fiunt quotidie multa, graue impedimentum, nisi opus noluerint adiicere nouum. Magis igitur conueniens visum est mihi, vt annalium instar miracula singula singulis assignata permittam annis, siue temporibus, quibus facta sunt, quatenus & locus relinquatur, & opportunitas volenti consignare futura: vt si quis ea voluerit commendare memoriæ, septimum incipiat librum, vbi nos terminauimus sextum: quod fieri non posset, si eiusdem generis & conformitatis quæq; miracula seorsim locis singulis distribuissem. Quamuis labor in hac ipsa editione mihi multò fuerit maior quàm si ordinem præscriptum potius elegissem. Verum nullus mihi labor durus esse poterit, quo reginæ cælorum semper innocentissimæ Virginis Mariæ laudes & merita venerationi fidelium exponuntur, quæ cum nulli vnquam subiacuerit delicto, tam ab originali, quam actuali semper est præseruata peccato, Dei mater & Virgo, angelis maior cunctis & altior cælo. Pro viribus igitur minutissimis ingenii mei laudare sanctam Dei parentem sum voluntarius promptus & tota mentis intentione paratus. Pro cuius honore, quicquid mihi per prædictos Priores miraculorum nuper fuit exhibitum, libens totum de sermone populari seu teutonico transtuli in latinum. Nec refert si similitudo in diuersis locis occurrat sæpius, quoniam propositi fuerat mei nullum scienter omittere sed omnia mihi scriptis exhibita secundum seriem temporis per ordinem recensere. Quocirca lectores meos præmoneo, & precor omnes tam hodie præsentes quam tempore quolibet futuros, ne quid mihi succenseant in hac editione noua, quoniam non iudicis, sed notarii siue scriptoris desumpsi officium & in formam narrationis continuæ sermonem miraculorum mihi præsentatum redegi. Nec fuit meum curiosa hæsitatione diuinitus ostensa discernere, qui DEVM non solum hac posse facere ad honorem matris suæ semper innocentissimæ Virginis MARIÆ, sed maiora, & omnia quæcunq; voluerit in cælo & in terra, nullatenus possum dubitare. Et ideò mente firmatus ad scribendum: altero quod Deum omnia posse quæ vult, & omnia velle, quæ suam maiestatem decent, & suorum honorem sanctorum; altero verò, quod viri graues fidem miraculis, quæ scripturus sum iamdudum adhibuerunt, non solum assertionem eis præstantes, sed & sufficientis testimonii firmitatem. Addo & tertium, quod me firmat animo, ne consuetudine plurimorum nouis miraculis temerè detraham, aut ea præsumptuosè discutiam, ea maximè quæ scriptor in manibus verso, quod non solum Episcopus Herbipolensis, vt loci Ordinarius in Vrticeto, sed etiam summus Pontifex Romanus concursum populi fundationem monasterii, & conuentus sacri Ordinis Carmelitarum expresse confirmarunt, gratiis indulgentiarum variis honorauerunt, apertam miraculorum diuinitus in eo ostensorum mentionem per modum approbationis in suis monumentis facientes. Hic funiculus triplex ad scribendũ facit audacem, quoniam & sedes Apostolica laudat & approbat, mea infirmitas curiosius discutere non debebat. Sed nec parum credulitatis in mente scribentis attulit, quod mirabilis ille populi concursus ad sæpe dictam B. Virginis Mariæ in Vrticeto memoriam, quemadmodum ante 70. ferme annos cum magno feruore deuotis cœpit & sumpsit exordium, ita sine intermissione perseuerat & continuatur vsq; in præsentem diem. Nunquã interea defecerunt in eodem loco virtutes, & stupenda sanitatum miracula, sed quotidie succedunt miserante Deo veteribus noua. Confirmat nihilominus fidem signorum grauitas personarum: nec præsumitur eos miracula falsa fingere, quos non solum excellentia dignitatis Ecclesiasticæ, sed & vitæ meritum vt veraces cæteris iure facit præminere. Narrationes igitur miraculorum Dei libens audio, veneror, & scribo, quas non à mulieribus leuibus & vagis, non à circumcellionibus spaticis & mendosis, sed viris doctis, eruditis, maturis & non minus conuersatione integerrimis quàm fide dignis accepi. Nolo esse temerarius, nolo præsumptuosè miraculis cum periculo mentis contradicere, cum sine delicto possim ea indiscussa pertransire. Si quis aliter sentit, mihi precor vt parcat qui malo totum Deo cum humilitate sine discussione committere, quàm ea quæ nescio cum periculo animæ temerè iudicare.

Transtulit miraculorum narrationẽ ex idiomate germanico.

Quid eum mouerit ad diuulganda miracula scripto.

IO-

IOANNIS TRITHEMII ABBATIS IN HISTORIAM MIRACVLORVM IN VRTICETO AD INVOCATIONEM D. VIRG. MARIÆ PATRATORVM.

PROLOGVS.

HISTORIAM miraculorum B. Mariæ semper Virginis apud Heilbrunnam in Vrticeto fratrum Carmelitarum Herbipolensis diœcesis ad laudem omnipotentis Dei scripturus ipsius gratiam inuoco, qui cum sit mirabilis Deus in sanctis suis, in matre tamen præ cæteris omnibus iure creditur esse gloriosus. Vnigenitus namq; Dei, qui cum Patre & spiritu sancto Deus vnus nobis mandauit parentes honorare, venerari, ac debita cum reuerentia diligere, matrem suam ominum creaturarum verè sanctissimam, super omnes sanctos indubitanter creditur amare. Ad cuius reuerentiam ego Ioannes Trithemius Abbas D. Iacobi maioris Apostoli Peapolitanus, quanquam vilis, & tantæ maiestatis immundus laudator præsens opus hilari deuotione aggredior, in quo non eloquentiam, sed veritatem cum simplicitate sermonis polliceor, tali sinceritate scripturus omnia, quę sunt à Patribus memorati conuentus à principio concursus fidelis populi per tempus & ordinem diligenter examinata, vulgari sermone fideliter conscripta, & mihi nuper in vno per eosdem volumine præsentata. Nihil miraculorum adieci, nihil omisi, sed officium fidelis peregi interpretis, & nullum quod sciam admisi vitium falsitatis. Ordinem miraculis dedi mihi præsentatis, & faciam, vt eo magis oblectent piũ atq; deuotũ Virgis Mariæ Lectorem. Notandum tamen, quod omnia miracula in Vrticeto facta, nec litteris commendata sunt, nec mihi præsentata. Ea tamen, quæ mihi per Patres loci transmissa fuerunt, cuncta per ordinem, qui sequitur, in vnum comportaui.

MIRACVLVM I.

DE PVERO SVB ONERATO LIGNIS CARRO grauiter collisо & sanato.

ANNO Domin. Natiu. 1442. indict. Roman. quinta miraculum contigit primum apud Vrticas coram imagine vespertina beatiss. Virg. Mariæ, quod dicturus sum. Puer quidam paruus in villagio cum suis coæuis pueriles in platea exercebat ludos, quem carrus lignis oneratus, ac à duobus equis tractus negligentia rusticani vectoris opprimens, tam forti collisione quassauit, vt viuere ad horam posse minimè speraretur. Cuius parentes villani Henricus cognomento Singer & Agnes patrocinium B. Mariæ semper Virginis cum lachrymis inuocantes votum ad eius memoriam in Vrticeto fecerunt, ipsumq; puerum, si conualesceret perpetuo censu Dominæ nostræ tradiderunt volentes ob noxium. Exaudiuit preces pauperum ilico regina misericordiæ, & puer meritis patronæ statim miraculosè conualuit, parentum sancta deuotio sacrum Vrticetum cum sanato visitans votum impleuit censum octo denariorum quotannis, quamdiu vixit, sanitatis beneficium consecutus persoluit.

MIRACVLVM II.

DE IVVENE QVINDECIM ANNORVM EX VIco Feuchtvvangen oriundo, qui ruptus ad memoriam Dominæ noſtræ in Vrticeto miraculoſè fuit ſanatus.

ANNO Domin. natiu. prænotato 1442. erat in villa Feuchtenvvangen molendinarius quidam, nomine Henricus Bader, qui filium habebat annorum 15. grauiſſimo rupturæ incommodo laborantem. Audiens verò, quod meritis B. Virg. Mariæ Dominæ noſtræ beneficia ſanitatis præſtarentur in Vrticeto poſtulantibus, votum illius peregrinationis fide plenus emiſit. ad ſanctam imaginem cum filio venit, preces cum lachrymis ad matrē pietatis effudit, ſanitatem filio magna cū confidentia orando & ingemiſcendo diutius poſtulauit. Orationibus & voto, quod emiſerat cum animi feruore completis, ſubito puer in oculis omnium Dominæ noſtræ meritis tàm perfectè conualuit, quod nullum in eo rupturæ veſtigium remanſit. Notum factum eſt hoc ſignum & diuulgatum per totam prouinciam in circuitu Sueuiæ ac Franciæ Orientalis, cuius admiratione multi fideles prouocati ad locum Vrticeti peregre conuenerunt.

MIRACVLVM III.

DE QVODAM VIRO IN ALTISSIMA TVRRI CAptiuo, quem beatiſſ. Dei genitrix ſemper Virgo Maria deuotius inuocatā meritis ſuis miraculoſè liberauit.

EODEM Domin. natiu. anno 1442. erat vir quidam nobilis in altiſſima turri captiuus, manicisq; & compedibus ferreis duriſſimè conſtrictus. Hic auditum habēs quanta in Vrticeto miracula fierēt ad inuocationem Dominæ noſtræ. quadam die mente compunctus, & captiuitatis ſuæ miſeria grauiter attenuatus, cū nulla euadendi ſpes ei in eſſet relicta, niſi Dei miſericordia ſola, cum gemitu & lachrymis patrocinium Dominæ noſtrę inuocauit. votum peregrinationis ad eius in Vrticeto memoriam cum oblatione promiſit. Oratione ſuſpiriis multis completa, manus & pedes quod fruſtra ſæpius antea fecerat de vinculis extrahere confidentia firmatus tentauit: cum ecce ſubitò, quod prius nunquam poterat B. Maria ſemper Virgine præſentia inuiſibili ferente ſuffragium vincula partim diſiecit, manus & pedes confeſtim extraxit. Quo facto ſcitid veſtimenta ſua, & quicquid pannorum habebat ad manum in longas petias virgulatas & compoſito ex eis funē nodoſo per feneſtrā ſe deorſum mittere cœpit. Cumq; adhuc pendens in aere diſtaret à terra cubitis Geometricis plus minus duodecim, funis rumpitur, cadensq; deorſum ſuper terrā patrocinio ſuæ liberatricis ab omni colliſione membrorum miraculoſè præſeruatur. Qui mox conſurgens à terra eadem nocte ambulauit itineris mente diſpoſiti compentes, veniensq; ad Vrticetū cunctis narrauit opera Domini, gratias egit, votum adimpleuit.

MIRACVLVM IV.

DE PVERO QVODAM EPILEPTICO, SIVE CADVco meritis & precibus beatiſſimæ Dei genitricis & Virginis Mariæ in Vrticeto miſericorditer liberato.

HOMO quidam de Trusburg villanus infantē habebat morbo epileptico ſeu caduco graiter laborantē. Qui audiens, quod ſanctiſſima Domina noſtra multa ſanitatū beneficia in Vrticeto largiretur deuotè ſupplicantibus, cum anno Domini prænotato 1442. die quadam puer

ipſe

ipse in paroxismo epileptici morbi dolore grauissimo laboraret, compassus genitor nato, gratiã S. Mariæ matris Domini qua potuit deuotione inuocauit, ad eius memoriam se in Vrticeto cum puero vẽturum, & ad pondus infantis ceram se oblaturum vouit. Mox in instanti puer Dominæ nostræ meritis perfectè sanatus est & nunquam postea dicti morbi epileptici incommodo visus est laborasse. Venit homo ille cum puero iam sanato lætus ad Vrticetum, & quæ promiserat fideliter impleuit.

MIRACVLVM V.

DE VIRO QVODAM, QVEM INIMICI SVI RAptores pecuniarum cupidi captum incarceraue-rant, sed per Dominam nostram liberatus sine damno euasit.

ANNO item memorato Domin. Natiu. 1442. homo quidam de Weissenloch ab inimicis suis prædonibus captus, & duos menses continuos vinculis & catenis ferreis durissimè mancipatus, cum postulatam raptoribus pecuniam dare non posset, inedia graui ab eis fuit maceratus. Qui desperatus de omni humano auxilio spem suam totam in reginam misericordiæ matrem Domini collocauit. Quam posteaquam diutius cum multis lacrymis inuocasset, se cum oblatione munerum ad eius memoriam in Vrticeto deuouit. Cum ecce repẽte inuisibili Dominæ nostræ auxilio ac miseratione adiutus à vinculis soluitur, & sine periculo, vel damno libertati donatus venit in Vrticetum, coram magna multitudine populi contestans, & annuncians magnalia Dei ad laudem eius intactæ parentis.

MIRACVLVM VI.

DE ALIO QVODAM VIRO AB HOSTIBVS IN campis capto, & funibus fortiter constricto atq; ligato, quem inuocata beatiss. Dei genitrix liberauit.

MARIA Dei mater intacta, captiuorũ liberatrix potentissima à cunctis est mortalibus iure veneranda. Anno Dom. Natiu. ex ipsa Virgine semper innocentissima 1442. prænotato, virquidam (nomen nobis minimè fuit expressum) iter faciens in campestribus Sueuiæ ab hostibus Domini sui abiuratis captus est, & durissima constrictione ligatus: cumq; sic abduceretur vinctus ab inimicis, Dominam nostram tacitus inuocauit, peregrinationem ad eius memoriam in Vrticeto vouit, oblationem gratitudinis suæ promisit. Confestim vt votum emisit soluta sunt vincula manuum eius, hostium nullo considerante. Qui declinans à tramite itineris cœpti per deuia fugit, & meritis beatiss. Virginis Mariæ protectus manus hostium euasit. Veniens ad Vrti-

cetum coram sancta imagine liberatricis suæ aureũ nummũ, & ceræ talenta quinq; obtulit, laudes Dominæ nostrę deuotus reddidit, factum publice prædicauit.

MIRACVLVM VII.

DE PVERO PASSIONE RENVM, ET CALCVli morbo grauiter laborante, quem beatissima Dei genitrix inuocata misericorditer liberauit.

REGINA COELI, virgo MARIA, diues, pia & misericors in omnes, qui confidenter sanctum inuocant nomen eius, nec ætatem despicit, nec personam supplicantis discernit. Mater pientissima est omnium fidelium, & promptissima consolatrix afflictorum. Anno Virginei partus eius memorato 1442. puer quidã de casa vitrea per suos parẽtes ad memoriam ipsius Dominæ nostræ in Vriceto adductus, qui morbo calculi grauiter laborabat precibus fusis, & promissis oblationibus deuotè impensis, iuxta quod vouerant pater & mater, confestim patronę meritis in conspectu omnium conualuit, ac lætus & incolumis cum parentibus ad ꝓpria remeauit. Et qui præ nimio dolore prius ambulare non poterat, sed curru vectus aduenerat, iam vehiculo contempto pedibus ambulabat.

MIRACVLVM VIII.

DE QVODAM ALIO PVERO SIMILI MORBO calculi grauiter afflicto, qui ad memoriam Dominæ nostræ in Vrticeto adductus confestim sanatus est.

OMNIPOTENS Deus meritis intemeratæ genitricis suæ semper castissimæ Virginis MARIÆ gratiam contulit sanandi omnes languores eam fideli constantia mentis inuocantium, quod multis documentis verum legimus & probatum. Fuit anno Domini præsignato 1442. puer quidam à præsenpto alius per duas honestæ conditionis matronas ad memoriam Dominæ nostræ in Vrticeto adductus, qui & ipse grauissimo incommodo calculi laborabat. Cumq; iuxta votum ante imaginem reginæ cæli vespertinam ad Vrticas veniisset, meritis illius statim conualuit, & calculus per meatus vrinales ab eo in magna copia exiuit, nec eum deinceps amplius vexauit.

MIRACVLVM IX.

DE PVERO IN THERMIS BADENSIBVS SVBmerso, qui ad inuocationem intemeratæ genitricis DEI semper Virginis MARIÆ ad vitam restitutus est.

QVEMADMODVM per supernaturalem partum semper castissimæ Virginis MARIÆ porta cœlestis vitæ æternæ reserata est fidelibus, ita meritis & precibus eius præsens in mundo vita carnis sæpe prolongatur orationibus, & nonnunquam ad preces superstitum restituitur etiam defunctis. MARIA in filio potest omnia, quæ sola Virgo Deum peperit inuiolata. Anno præsignato Dominicæ natiuit. 1442. homo quidam ex inferiori Baden, vbi residentia est Marchionis, oriundus, & incola loci, cum duobus filiis suis lauandi gratia thermas, quæ aquas in eodem oppido calidas emanant, ingressus est. Quo dormiente, calefacto iam corpore puerorum alter in aquam cecidit, & sub vnda iacens immobilis mortuo similis fuit. Quod cernens alter, flere mox incipit, & clamore suo parentem è somno excitauit. Euigilans autem homo, & circumgyrans hinc inde ocellos, puerum vidit in aqua submersum, nimioq; pauore turbatus iacentem aqua iam plenum extraxit. Et non erat in eo, neq; vox, neq; sensus, neq; spiraculum anhelitus, sed mortuo similis per omnia iacebat. Tunc pater ad memoriam reuocans miracula, quæ facta in Vrticeto per Dominam nostram audierat, flexis in terram genibus auxilium reginæ cælorum petiit, votum ad eius memoriam in Vrticeto cum lacrymis emisit, & vitam suo filio impetrauit. Mox enim, vt voti sermonem compleuit, puer, qui mortuus videbatur reuixit, & sanus per merita viuificantis Dei parentis intactæ surrexit. Qui beneficio Dei nequaquam ingratus ad memoriam Dominæ nostræ venit in Vrticetum secum resuscitatum adducens puerum. Promissa munera obtulit Deo, & eius matri gratias egit.

MIRACVLVM X.

DE ALIO QVODAM PVERO, QVI DE VEHIculo carrato cecidit, & in quartam horam iacens velut mortuus ad inuocationem Dominæ nostræ sanatus fuit.

FIDE nihil fortius, quemadmodum experientia multorum edocemur, quã simplicis confidentiæ firmitas commendat, Saluatore mundi prædicante in Euangelio sancto. *Si quid petieritis patrem in nomine meo credite quod accipietis, & fiet vobis.* Liquet ex his, quoniam si defit orationi confidentia, præstatio beneficii iure denegatur. Anno Domin. natiu. prænotato 1442. venit ad S. Mariam in Vrticetum cum filio suo, qui tribus horis & diutius de carro lapsus in vico, qui dicitur Crombach, mortuus iacebat, pater satisfacturus quod emiserat voto. Enimuerò posteaquam puer sine sensu, motu & voce iacuisset lapsis tribus horis, vt omnes

eum iam dicerent vita defunctum, pater simplici confidentia commotus ad fletũ, Dominam nostram inuocauit, puerum cum pondere illius ceræ ad Vrticetum se oblaturum deuouit. Mira genitricis Dei clementia, & virtus confidentię orationis magna. Quam citò pater voti verba compleuerat, puer protinus reuixit, loquebatur, & coram multis, qui aderant, surrexit sanus. Ex his, qui miraculo interfuerunt plures cum genitore pueri ad Vrticetum venientes testimonium facto sub iureiurando reddiderunt. Deniq; litteras huiꝰ rei testimoniales quatuor Scabinorum, seu iudicum sigillis communitas secum attulelerunt.

MIRACVLVM XI.

DE PVERO TERTIO MORBO CALCVLI NIMIUM grauato, quem mater huc ad memoriam Dominæ nostræ deuouit, & statim eius meritis sanatus fuit.

OMNIS, qui sub fide Domini & Saluatoris nostri IESV Christi dono rationis vtitur, necessarium est illi, si suas cupiat exaudiri preces, vt propria mentis confidentia in DEVM firmiter eleuetur. pueris autem infantibus, & his, qui rationis vsum habere non possunt, parentum preces confidenter effusæ, siue etiam amicorum in necessitate multoties succurrunt. Fuit anno Domin. natiuit. iam dicto superius 1442. in villa Guglingen puer quidam necdum per ætatem idoneus ad supplicandum, qui graui passione arenæ simul & calculi morbo laborabat: cuius dolori mater compatiens, patrocinium Dominæ nostræ sancta fidei constantia implorabat, puerum cum oblatione hostiarum ad eius memoriam deuouens in Vrticis. Confestim vt votum emisit, calculus in vesica pueri virtute Dei resoluitur, & per meatus vrinales profluens à dolore filius liberatur. Quem mater vt vouerat cum oblationibus in Vrticetum adducens omnipotenti Deo & eius genitrici gratias retulit, beneficiumq; miraculi palam nunciauit.

MIRACVLVM XII.

DE QVADAM MVLIERE EX NOVA CIVITATE, quæ bestiolas centum quinquaginta in suo ventre portauerat annis quatuor, à Domina nostra liberata.

QVAMVIS autem nostræ actionis merita non sint condigna gratiæ saluatoris, vt precum nostrarum possimus sperare effectum, cum simus iniqui & peccatores, dicente scriptura; *Quoniam iniquitatem, si aspexi in corde meo, non exaudiet me Dominus, quia scimus, quod peccatores non ex-* Psal. 65. Ioann. 9.

exaudit; tamen nisi misericordia Dei superexaltaret iustitiam, nemo mortalium saluaretur. Enimuerò, quos saluat per misericordiam, saluat in eorum bona voluntate, & quos damnat per iustitiam, damnat in eorum mala voluntate. In tribulationibus igitur mente compuncti, citius exaudimur à Domino, quam in prosperitate. Si tamen cum perseuerantia feruoris constanter oremus. Anno Domin. Nat. præmemorato 1442. fuit mulier quædam in noua ciuitate Spirensis diœcesis quæ aquam potauerat ex quodam fonte compestri stagno fœtulento propinquo, in quo sanguisugæ fuerant multæ. Assumpto potagio cum seminario bestiolarum non pensiculato creuerunt in ventre eius sanguisugæ, à quibus per annos quatuor continuos in visceribus suis tumefacta mirabili torquebatur cruciatu. Non erat medicus in ea regione tota, nec quisquã alius, qui aut causam ægritudinis posset dicere, aut efficacem adhibere medicinã. Postremò vicinarum summa cum intentione deuouit. Mox autem vt emiserat votum, sanguisugæ omnes viuæ, numero 150. per os de ventre illius exierunt: & sanata est mulier ex eadem hora gratias agens Mariæ Virgini.

MIRACVLVM XIII.

DE MVLIERE QVADAM A DÆMONE OBSESSA, quæ ad inuocationem B. Mariæ semper Virg. apud Vrticas fuit liberata, & pristinæ sanitati restituta.

BEATISSIMA Dei genitrix semper intacta Virgo Maria, sicuti cunctis Christi fidelib⁹ eam puta simplicitate inuocantibus mitis est, atq; pientissima, ita dæmonibus, & reprobis in fide mortalib⁹ vbiq; terribilis creditur, & metuẽda. Perfidia dæmones imitantur Iudæi, qui hoc sanctissimum nomen Maria detestantes, horrescunt, fugiunt, & nullatenus audire possunt. Cum ergo perfidia sint dæmonibus pares, erunt eis procul dubio etiam in tormentis apud inferos socii & æquales Fuit anno Domini 1442, quo supra, in Hasmasheym mulier à dæmone corporaliter obsessa, cuius malignitate haud parum torquebatur. Cuius maritus & amici post multa, licet frustra, hinc inde quæsita remedia, cum nihil proficerent, energumenam cum oblatione muneris ad S. Mariam in Vrticetum deuouerũt. Cumq́ venissent cum ea, sicuti nouerant, ad memoriam Dominæ nostræ in locum prænotatum mulier ante sacram DEI parentis imaginem à dæmonie est liberata, & quæ prius diabolico furore agitata insaniebat, iam mente sana & corpore liberatrici suæ grata redit in propria.

MIRACVLVM XIV.

DE QVODAM VIRO, SVPER QVEM CARRVS cecidit lignis onustus, qui contritus grauiter ad inuocationem patrocinii B. Mariæ semper Virginis conualuit.

QVEMADMODVM beatissima Dei genitrix semper intacta Virgo MARIA filium suum Dominum & saluatorem mundi Iesum Christum, Deum & hominem credens & intelligens super omnes creaturas

turas amauit ardentius: ita nunc illi perpetuo coniuncta in cælo per gratiam, pro suorum reuerentia meritorum præ cæteris sanctis potentior in Deo creditur ad subueniendum fidelibus in necessitate constitutis. Anno Domin. Natiu. ex ipsa Virg. prænotato, videlicet 1442. vir erat in villa Brettach non longè ab oppido Neapolitano, nomine Ioannes Eck, super quem carrus lignis cecidit onustus, eiusqué corpus tanta collisione quassauit, vt immobilis, ac mortuo iaceret similior, quam viuo. In se tandem reuersus patrocinium Dominæ nostræ, quia verbis non potuit, tota mentis deuotione inuocauit, seq; ad eius memoriam in Vrticeto cum oblatione vnius talenti ceræ deuouit. Mira genitricis Dei benignitas. Nam statim, vt votum emisit, sanissimus, ac si nihil sustinuisset aduersi, de terra surrexit, veniensque ad vrticas, votum quod vouerat impleuit.

MIRACVLVM XV.

DE HOMINE, QVI FISTVLAM IN ORE SVO HABUIT annis vndecim, & à nemine potuit curari, sed per meritum Dominæ nostræ tandem conualuit.

MIRVM non est, quod Maria Dei genitrix inuiolata potentiæ principatum in regno cælorum super omnes Dei sanctos obtinet, quæ Dei omnipotentis filium virgo concepit, virgo luce sancti spiritus circumfusa peperit, & virgo post partum inuiolata permansit, qua nulla sanctior creatura vnquam in mundo fuit. Anno Domini suprascripto 1442. venit ad memoriam Dominæ nostræ in Vrticeto, homo quidam, nomine Ioannes Stutz de Bravvburg, qui per vndecim annos fœtidũ in ore suo patiebatur morbum, quem vsitato vocabulo fistulam nũcupamus: nec erat in tota prouincia medicus, qui tantum in eo malũ curare potuisset. Cum ergo nimio ac diuturno vexaretur dolore, & de omni medicina humanitus inuenta, seu inuenienda potius esset desperatum, postremò se totum ad Dei genitricem conuertit, eiusq; patrocinium, qua potuit, synceritate mentis inuocans se memoriam illius apud Vrticas quotannis deinceps cum oblatione vnius talenti ceræ visitaturum deouuit, & confestim, vt promissionem verbis cõpleuerat, euanescente fistula sanus eadem hora miraculosè cunctis, qui aderant, stupentibus apparuit, & gratias Virgini Mariæ dixit.

MIRACVLVM XVI.

DE QVADAM MVLIERE, QVÆ MVLTIS ANnis clauda extitit, sed ad memoriam Dominæ nostræ in Vrticetum adducta, meritis eius statim conualuit.

IVSTISSIMA ratione sanctam, ac venerabilem Dei genitricem semper castissimam Virginem Mariam, cunctis in cælo & in terra sanctis sanctiorem, digniorem, & longè potentiorem esse credimus quam non

non solum speciali gratia Dei omnipotentis præseruatam ab originali macula, sed etiam nunquam in hac vita mortali actualiter peccasse firma fidei constantia sine hæsitatione affirmamus. Mulierat in noua ciuitate anno Domini prescripto 1442. quæ paralysi miserabiliter membris dissoluta multis annis clauda iacebat. Audiens autem, quod ad inuocationem Dominæ nostræ multa beneficia sanitatum postulantibus exhiberentur in Vrticeto, cœpit & ipsa de ipsius sancto patrocinio plurimum confidere, eiusq; suffragium deuotius inuocare, & se cum eleemosynarum quadam oblatione illius deuouere. Deinde huc carro ad imaginem Dominæ nostræ aduecta precibus fusis conualuit, & sanata ex illa hora gratias egit.

MIRACVLVM XVII.

DE PVERO QVODAM IN HORA NATIVITATIS suæ mortuo, quem beatissima Dei genitrix semper Virgo MARIA deuotius inuocata resuscitauit.

QVEMADMODVM beatissima Dei genitrix semper Virgo Maria creditur, & canitur publicè in Ecclesia sanctorũ omni honore esse dignissima, ita & in cælo post filium super omnes est creaturas potens & gloriosa. Nec enim rectè diceretur cæli regina, & angelorum Domina, si merito sanctitatis, & potentia honoris non esset supra sanctos DEI omnes excellentius sublimata. Anno Domin. Natiu. memorato 1442. mulier quædam in villa Zeitern in pago Kreichgavv Spirensis diœcesis infantem peperit mortuum. Quod cum eius nunciaretur marito, valde contristatus est, & flexis in terram genibus auxilium ipsius Dominæ nostræ summa cum fiducia mentis deuotissimè inuocauit, se quoq; ad memoriam eius in Vrticeto cum ceræ talentis nouem peregrinum simplici pietate deouit. Et ecce mox vt orationis suæ verba compleuit, infans, qui erat mortuus apparuit viuus.

MIRACVLVM XVIII.

DE QVODAM VIRO, QVI SAGITTA IN CRVre dextro grauiter vulneratus claudicabat enormiter, sed ad inuocationem B. Virg. Mariæ perfectè conualuit.

NONNE beatissima Dei genitrix, Virgo Maria, mater & est, & nominatur misericordiæ ab omni caterua fideliũ populorum? Quod si potens non esset inuocantibus se, præstare misericordiã impropriè, ac sine causa mater diceretur indulgentiæ, misericordiæ simul & pietatis. Nunc verò quia constat eam quotidie fidelibus multa suis meritis impetrare beneficia, manifestum est, quod apud DEVM super omnes sanctos potentia, meri-

meritis & honore sit procul altius sublimata. Anno Domini prænotato 1442. fuit homo quidam de Eslingen oppido regali, cuius nomen dicebatur, Ioannes breuis. Hic tibiam cruris dextri, sagitta habens perforatam dolores & cruciatus multo tempore sustinuit immensos, & à nullo chirurgorum poterat sanari. Qui de corporali medicina desperans patrocinium S. Mariæ, qua potuit, deuotione inuocauit, & se ad eius memoriam in Vrticetum deuouit. Mox vt votum emisit cum precibus, conualuit & nullum læsi cruris dolorem, aut vulnus amplius sensit.

MIRACVLVM XIX.

MARIA VIRGO SANCTISSIMA DEI GENItrix semper intacta suis meritis vnum hominem à vinculis simul & morbo caduco liberauit.

CVM ergò de potestate magna intemeratæ Virginis Mariæ nullus Christianorum sit ambiguus, restat necessariò, vt eam nostris posse patrocinari necessitatibus firmiter credamus. Quisquis autem sentit huic positioni contrarium, procul dubio manifestat se diuini muneris dulcedine inexpertum. Anno salutis fidelium memorato 1442. homo quidam, dictus Ioannes Synner in conuallibus Murtall vulgo nuncupatis duplici calamitate circumdatus, quia & durissimis fuit mancipatus vinculis, & morbum epilepsiæ, siue caducum nimis patiebatur infestum. Qui libertatis & sanitatis amore concitatus animo in ipsa captiuitate sua misericordiam simul & suffragium, eius castissimæ Dei genitricis cum lacrymis & multis precibus inuocauit, promittens, si à tanto fuerit incommodo liberatus, memoriam eius in Vrticeto cum oblatione medii nummi aurei, siue floreni quantocyus visitaturum. Magna Virginis Mariæ subueniendi potestas, & incredibilis bonæ voluntatis eius ad salutem inuocantium se pietas. Mox enim vt votum homo emisit cum precibus exauditus est, & vtrumq; obtinuit meritis aduocatæ. Nam & carcerem mira Dei clementia euasit, & epilepsiæ morbum deinceps non sensit. Venit in Vrticetum, sicuti promiserat, cunctis annuncians gratiam Dei.

MIRACVLVM XX.

MARIA DEI MATER ET VIRGO SEMPER IMmunis peccati suis meritis iuuenem ruptum precibus inuocata deuotis integritati & sanitati restituit.

QVID enim, si nonnulli, & forsitan plures occurrant, qui se in tribulatione patrocinium inuocasse dicant beatiss. Dei genitricis intactæ semper Virginis Mariæ, nullũ tamen sensisse remedium? Respondemus causas

causas esse plures non ex parte ipsius reginæ miserationum, sed propter indispositionem postulantium, quod precum suarum nullum consequuntur effectum. Anno Domin. Natiuit. prænotato 1442. homo quidam in villa Husen, nomine Ioannes, artificio latomus filium habebat iuuenem ruptura gemina grauiter laborantem, quem nemo curare potuit vel sanare. Vnde pro nato sollicitus, & de hominum solatio desperans, ad misericordiam Dei precandã conuertit se totum, & quãta potuit deuotione auxilium B. Mariæ semper Virginis inuocauit, se vna cum filio & oblatione cerea ad memoriam eius in Vrticetum lachrymantibus oculis deuouit. Quo facto puer meritis Dominæ nostræ conualuit, & veniẽs ad imaginem eius vespertinam apud Vrticas, votum quod promiserat impleuit. Magna virtus Marię semper virginis ad sanandum fideles, qui eam Deo per contritionem reciliati feruenti deuotione implorant.

MIRACVLVM XXI.

MARIA VIRGO DEI PARENS LVCIDISSIMA mulierem per dies quinq; & noctes periclitantem in partu liberauit misericordia consueta.

MARIAM igitur cupiens in suis tribulationibus promptã habere patronam imprimis cum Deo per veram omninò pœnitentiam se reconciliet, quoniam vt scriptura dicit. Qui auertit aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Impii autem homines, & qui perseuerant in peccatis, non merentur exaudiri, quoties orant in necessitate à Domino, nec paradiso sunt digni Mariano. Hinc est, quod multi non exaudiuntur orantes, quia non pœnitent, sed permanẽt proposito peccatores, Domino dicente p prophetam. Peccata vestra diuiserunt inter me & vos. Anno Domini, quo supra, 1442. vir erat in villa superiori Buhel, nomine Nicolaus Cubius, cuius vxor in partu difficultate per quinq; dies & noctes continuas periculosè laborauit. Cumq; spes omnis deesset humani compassus, nec mirum vxori maritꝰ, eam deuouit ad memoriam S. Mariæ in Vrticis, si meritis illius fuisset à tanto periculo misericorditer liberata. Cuius preces optatum mox consequuntur effectum, statim fœmina peperit, & liberata protinus gratias egit.

MIRACVLVM XXII.

MARIA DOMINA MVNDI CVNCTIS LAVDIbus digniſſima fæminam ſuis meritis inuocata ſanauit ab ægritudine humanitus incurabili.

QVISQVIS ergo lumen solis videre desiderat, faciem & apertos oculos ad solem conuertat. Enimuerò, qui vel oculos claudit, vel retrorsum faciem auertit, solis iubar non videbit. Ergo dum postulas aliquid à

Domino, tolle peccatum, si precum tuarum cupis nanciſci effectum. Maximum inter Deum & preces noſtras cenſetur fore obſtaculum, ſi adhuc in nobis regnet mortale peccatum. Anno ſalutis noſtræ præſignato 1442. fuit homo in villa Mulberg Badenſis Marchionatus, qui habebat filiam rara & nimis miſerabili ægritudine infirmam, cuius morbo, cum nullus medicorum poſſet mederi, & miſera prævalente infirmitate ſæpius iacc-
ret vt mortua, immenſis pater doloribus eius compatiens patrocinium Dominæ noſtræ multis precibus & lachrymis, quibus potuit, deuotius inuocauit & ſe vna cum filia, ſimul & ſigno beneficii accepti de cera in Vrticetum ad eius memoriam humili deuotionis confidentia deuouit. Quo facto mox fœmina conualuit, & veniens ad imaginem Dominæ noſtræ gratias egit.

MIRACVLVM XXIII.

DE QVODAM IVVENE, QVEM SÆVÆ PESTIS morbus tribus in locis corporis ſui inuaſerat, ſed ad inuocationem Dominæ noſtræ perfectè fuit ſanatus.

STante in nobis illa diuiſione pernicioſa, quam inter Deum & nos cauſat mortale peccatum, mirandum non eſt, ſi precum noſtrarum nullum conſequamur effectum. Omnis enim peccator ſcienter & voluntariè inimicus Dei cenſetur & hoſtis. Scimus autem, quod Deus peccatores, hoc eſt, inimicos ſuos non exaudit. Anno Domin. Natiu. præſcripto 1442. venit ad memoriam S. Mariæ in Vrticeto, Ioannes cognomento Koib de Eichelberg, cum iuuene ſuo filio, qui cum tribus in locis corporis ſui contagioſo peſtilentiæ morbo eſſet infectus, magniſque torqueretur doloribus, auxilium pro eius incolumitate pater S. Mariæ humiliter implorauit, ſe & puerum ad eius imaginem cum oblatione muneris deuouit, & ecce puer iſte infirmus confeſtim precibus & meritis reginæ cælorum Deo miſerante cõualuit. Hoc miraculum præfatus homo coram multis in Vrticeto retulit, iureiurando firmauit, impletoque voto lætus in ſua remeauit.

MIRACVLVM XXIV.

DE TRIBVS VIRIS IN FLVMINE RHENI PEriclitatis, & pæne ſubmerſis, quos inuocata beatiſſ. Dei genitrix ſemper Virgo Maria miſericorditer liberauit.

AVferamvs igitur de conſcientia noſtra omnem rubiginẽ obſtantis peccati, & peruenient orationes noſtræ placabiles ad aures Dei. Quanto enim purior conſcientia ſupplicantis extiterit tanto quod poſtulat facilius impetrabit. Anno Domini præſignato 1442. tres viri

viri cum duobus equis Rhenum nauigio transmeare volentes grande periculum inciderunt. Tempestate namq; suborta nauicula mergi cœpit in medio sæuientium aquarũ. nec poterant eã viri, quamuis enixè laborantes, suum gubernare ad nutum. Equorum deniq; pondus, & titubatio grãdis ex nauiculæ motu haud parum viris auxit periculum: cumq; prope iam esset, vt mergerentur in profundum, diuinitus inspirati B. Mariæ semper Virginis patrociniũ inuocantes se ad eius memoriam in Vrticetum ceræ cum talentis deuouere duobus: & mox regina cælorũ exaudiente preces eorum cum nauicula, equis, & rebus suis omnibus salui ad littora fluminis peruenerunt.

MIRACVLVM XXV.

MARIA SANCTISSIMA DEI GENITRIX SEMper innocentissima Virgo maritum cum eius vxore de profundo aquarum gurgite miraculosè liberauit.

VERVM, si quis obiecerit, non apparere verisimile, q; eorum nullus actu fuerit in peccato mortali, quibus in præsenti volumine narrantur exhibita miraculosè sanitatum beneficia Dei, positione breuissima respondemus. Nihil est quo citius mutetur consilium, quam grande, subitaneũq; in tribulatione mortis periculum. Nam quoties de periculo interitus agitur, confestim mens pœnitudinem assumit commissi reatus. Quam sit verum quod diximus, nullus ignorat, vel mediocriter periclitatus. Anno prænotato Dominicæ natiu. 1442. vir vnus de Buvvenerlenbach cum sua vxore in parua nauicula positus flumen satis profundum sulcare tentabat. Erat autem ventus contrarius, & valida commotio aquarum. Vnde nauicula tandem à fluctibus absorpta, etiam ipsi ambo ceciderũt in aquam, & cum cœpissent mergi, Dominæ nostræ patrocinium plus mente, quam sermone inuocant, votum ad memoriam eius in Vrticetum cum cerea oblatione faciunt, & statim Mariæ intemeratæ meritis ad littus sani peruenerunt.

MIRACVLVM XXVI.

MARIA VIRGO DEI GENITRIX AB OMNI LAbe peccati semper immunis & præseruata mulierem ab infirmitate grauissima suis meritis liberauit.

SACRA namq; scriptura testante omnipotens Deus clementer omnibus hominibus in tribulatione peccata dimittit, pro eo, quod mẽs viri peccatoris in angustia tribulationis magnæ cõstituti facilius ad pœnitẽtiam compungitur, & ideò supplicans in amaritudine cordis pro sui

liberatione citius à Domino exauditur. Anno Domini 1442. mulier quædam Otilia nomine, vxor cuiusdam Nicolai Hande vico Lampsal nũcupato infirmabatur ad mortem, ita quod spes nulla videbatur superesse diutius in hoc mundo viuendi. Hæc suo consentiente marito votum voluit Dominæ nostræ, quod si meritis eius consurgeret sana de lectulo sacram eius memoriam cum oblatione muneris quãtocyus in Vrticeto visitaret. Cõualuit repente fœmina meritis S. Mariæ, & veniens cum viro suo, quod promiserat, votum impleuit.

MIRACVLVM XXVII.

MARIA GLORIOSISSIMA DOMINA MVNDI, Regina cæli, ac semper castissima genitrix Dei iuuenculam à grauissimis infirmitatibus reparauit.

LEGIMVS Israhel filios in prosperitate legem Domini pluries fuisse transgressos & peccatum multipliciter addidisse peccato, sed quoties in tribulationes & angustias Dei permittente iustitia fuissent detrusi, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum, & rememorati sunt, quia Deus est auditor eorum, & Deus excelsus redemptor eorũ est. Ipse autem est misericors & propitius fuit peccatis eorum, & non disperdidit eos propter pœnitentiæ luctus, quos in eis tribulatio prouocauit. Fuit anno Domin. Natiu. 1442. in Lampsal vico prænotato puella iuuenis ætate, quæ maximos in suo corpore patiebatur dolores, quorum medici nec causas inuenire poterant, nec aliquod ad sanitatem dare consilium. Quę cum grauiter multis torqueretur diebus, postremò conuersa toto mẽtis desiderio ad reginam misericordiæ, quanta deuotione potuit, eius implorauit auxilium ad memoriam ei⁹ votum cum oblatione muneris promisit ad Vrticetum. Quo facto, confestim Dominæ cælorum meritis conualuit, veniens q; ad eius sacram imaginem, quod promiserat, impleuit.

MIRACVLVM XXVII.

MARIA VIRGO SANCTISSIMA, INVENTRIX æterni luminis, & mater diuini splendoris, suis inuocata meritis cæcum illuminauit infantem.

FRVCTVOSIOR est igitur sæpe tribulatio multis, quam læta quæuis prosperitas mundi, quoniam illa humiliat compunctos corde ad pœnitentiam: ista verò seducit, & præcipitat animũ fortunati hominis in gehennam. Non omnes vti prosperis nouerunt ad verã salutem: & illis tribulari potius in hoc mundo expedit, q; secũdis euẽtibus dissolui. Anno Domin. Natiu. prænotato. 1442. fuit homo qdã in Rottẽburgo, nomine Wendelinus Kel-

Kelner, cuius vxor peperit infantem, qui post quartum natiuitatis suæ diem tali fuit ordine obcæcatus. Quinto namq; tumor ex reumate sanguineo descendens oculos de loco suo interiori violenter excussit, & prope extra fecit eminere. Ad consilium amicorũ chyrurgus ferro clausos infantis ocellos aperuit, & in magna copia sanguis erupit. Quod posteaquam singulis diebus per vnius mensis integri spatium fuisset continuatum, oculi pueri cum pupillis fuerunt destructi, visumq; totum penitus amisit. Parentes autem de omni medicinali subuentione desperati, patrocinium beatiss. Dei genitricis semp intactæ Virginis Mariæ summa cum deuotione inuocarunt, puerum cum vnius floreni cera deuouentes ad eius memoriam in Vrticeto præsentandum. Mira pientissimæ matris Dei clementia. Quamprimum parentes votum pro salute infantis emiserunt, conualuit: moxq; recedente omni tumore oculos pulchros & sanissimos recepit. Lætati, nec mirum, eo miraculo genitores, votum, quod promiserant, quantocyus impleuerunt.

MIRACVLVM XXIX.

MARIA MATER GRATIÆ, PATRONA MITISsima generis humani suis meritis inuocata deuotius virum infirmitate grauissima laborantem sanauit.

QVOTIES verò nullius peccati nobis conscii non exaudimur orantes, fit vel propterea, quod petimus nostræ saluti contraria, vel sine circumstantia debita necessariæ caritatis. Enimuerò, qui magna petit, magno feruear in Dominum & sanctos amore necesse est. Vnde Saluator de B. Maria Magdalena dixit ad Simonem. *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. cui enim minus dimittitur, minus diligit.* Eodem Domin. Natiu. anno 1442. vir erat in noua ciuitate, nomine Heidenricus, qui grauissima infirmitate laborans non solum à medicis non poterat sanari, verum & de semetipso iam desperauerat. Inductus tandẽ consilio bono suffragium beatiss. Virg. Mariæ cum lacrymis inuocauit, sq; ad eius memoriam in Vrticeto cum obiatione muneris grati deuouit. At Virgo Maria Dei genitrix innocentissima, pauperum Christi mitis aduocata, se non desq; exinuocantem, sed confestim supplicantem exaudiuit infirmum. Mox enim vt votum gemens emisit, sanus patronæ meritis in toto corpore surrexit.

MIRACVLVM XXX.

MARIA PVTEVS INNOCENTIÆ, AC REPAratrix salutis æternæ puerum lapsum ex alto, contritum & mortuum suis inuocata meritis resuscitauit.

RESTAT ergo debitum iure, vt qui magna petit à Domino, magno cor eius, mens quoq; & anima in Dominum affectu caritatis feratur. Aperta enim est sententia veritatis in S. Euangelio dicentis *Non*

omnis qui dicit mihi, Domine, Domine intrabit in regnum cælorum. Requritur ergò personæ precãtis dispositio, requritur causa, requrit & mod⁹ in oratione animi feruore successi. Anno memorato natiuit. Iesu Christi ex virgine Maria 1442. puer q̃dã paruulus ex incuria puerilide supremo paternę domus pauimento cadens in terram, grauiterq; collisus in multam horam sine spiritu iacuit vt mortuus. Cuius pater, nomine Nicolaus Sehmaltz de Lorch nimia compassione turbatus auxilium beatiss. Virg. Mariæ pura simplicitate inuocauit, & puerum ad eius memoriam cum oblatione in Vrticetum simplici puritate deuouit. Statim vt homo voti sermonem finiuit, puer, qui mortuus erat, reuixit, sanusqué surrexit, & genitor promissa impleuit.

MIRACVLVM XXXI.

MARIA FONS INEXHAVSTÆ PIETATIS, AD-uocata Christianorum vnica multis doloribus contritum hominem inuocata repente sanauit.

DISPOSITIO personæ miracula vel beneficia sanitatis pro se, vel pro aliis à Domino DEO postulantis, aliam considerationem habet in viris doctis & eruditis, atque aliam in simplicibus & idiotis. Nam simplex & indoctus signis facilè mouetur, citoq; credit miraculis nouis. Doctus autẽ & eruditus in scripturis, cum omnia curiosè disquirat & iudicet, rarò fidem his rebus accommodat. Fuit anno Domini prænotato 1442. vir vnus, nomine Ioannes Carrarius, qui dolores in corpore suo magnos & diuturnos patiebatur, & à nullo medicorum poterat iuuari: cumq; iam de vita penitus & ipse desperasset, humanum nullum cernens supereſſe patrocinium, bono vsus consilio, adiutorium supplex inuocauit diuinum. Conuersus itaq; in toto corde suo ad matrem misericordiæ summa cum deuotione patrocinium eius inuocauit, seq; ad eius memoriam cum decenti oblatione in Vrticetum deuouit. Quã cito verba promissionis finiuit, subito cõualuit, & consurgens, quod vouerat, impigrè compleuit.

MIRACVLVM XXXII.

MARIA PIETATIS ARCA ET LILIVM CASTI-tatis, puerum ab alto lapsum, ac triduo pænè mortuum vitæ simul & sanitati pristinæ restituit.

CVM ergò simplicitas fidem & credulitatem augeat, liquet ex contrario manifestè, quod nimia curiositas confidentiam orationi necessariam infirmat. Oratio autem sine confidentia nihil impetrat, quemadmodum nos experientia multipliciter informat. Vnde miracula & beneficia sanitatum virtute diuina crebrius conferuntur indoctis atque simplicibus, rarius

rarius verò doctis & curiosis. Vir erat in villa Reiningen Spirēsis diœcesis, cuius filius adhuc puerulus anno Domin. Natiu. 1442. lapsus ab alto in terram per triduum iacuit veluti mortuus nō bibens, non manducās, ita vt multi dicerent, quia mortuus est. Ex appositione plumæ subtilioris ad os, paruus tantum notabatur anhelitus. Cum verò spes vitæ omnis abisset, genitor pueri substantia pauper, sed confidentia diues in Deum, iacentem natum cum oblatione vnius talenti ceræ ad memoriam Dominæ nostræ ad Vrticas, eiusque patrocinium cum lachrymis humiliter inuocauit. Confestim voto cum orationibus facto puer se mouere cœpit, oculos aperuit, locutus est, sanusq; surrexit. Veniens autem pater cum puero in Vrticetum, promissum impleuit, & factum narrauit.

MIRACVLVM XXXIII.

MARIA SEMPITERNI MATER LVMINIS, ET regina potens angelicæ caritatis virum cæcum suismeritis illuminās claro visu oculisqué donauit.

VANTVM igitur ad personam respicit supplicantis, oportet vt mens adornetur decore humilis & columbinæ simplicitatis. Nimia enim curiositas vitio non carebit, quoniā sicuti scriptura dicit. *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.* Simplicitas puræ credulitatis magna potest per confidentiam, quæ negat hæsitatio introducta per curiositatem. Veruntamen quibus incumbit ex officio super nouis inuestigare miraculis, aliter cum reuerentia Dei & timore erit agendum. Vir erat in villa Kircheym, nomine Michael Pistoris, qui anno Dominicæ natiu. prænorato 1442. magnum & diuturnum dolorem incurrit oculorum, quo dietim increscente vehementius, tandem factus est præ nimio dolore cæcus. Audiens postremo, quanta beneficia sanitatum beatiss. Virgo Maria in Vrticeto præstaret mortalibus se illo cum oblatione deuouit, eiusqué patrocinium humiliter inuocauit. Exaudiuit eum Domina misericordiæ clamantem suisqué meritis & visum illi restituit, & omnem dolorem procul ab eo effugauit. Qui veniens in Vrticetum, quod promiserat impleuit.

Prou. 25.

MIRACVLVM XXXIV.

MARIA IMPERATRIX ANGELORVM, QVÆ sexum non spernit fragilem suis meritis à magna sanauit ægritudine mulierem.

MODVS deniq; orationi purificatæ mentis, vt sit efficax, necessarius est, qui ex multitudine non constat verborum, sed in qualitate potius feruentium sursum desideriorum. Funiculus est triplex, qui

facile non rumpitur: in cuius descriptione orationis perfectæ summa continetur firmiter credere, sinceriter viuere, confidenter orare. Hoc suffulta ternario otiosa nunquam erit oratio. Anno Domini præscripto 1442. mulier fuit vna de Nippenburg, nomine Agnes Duckingen, quæ multo tempore capitis sui vehementes patiebatur dolores, & nihilominus etiam postremo horrendæ pestis morbum incurrit. Vnde cum sibi nihil aliud, quam mortem instare videret, præsidiũ B. Mariæ semper Virginis humiliter inuocauit, & se ad eius memoriam in Vrticetum cũ oblatione deuota obligauit. Conualuit subito, sana ab omni molestia corporali surrexit, gratias egit Dominæ nostræ, votumq; impleuit.

MIRACVLVM XXXV.

MARIA VIRGO SEMPER INNOCENS, DEOque placens, mente & corpore integerrima suis meritis & precibus consolidare potest confracta.

ENIMVERO cum fides sit necessaria ad salutem, sine ipsa Deus nullam exaudit quantumlibet precantis orationẽ. Scriptum enim est. *Sine fide impossibile est Deo placere.* Fide nihil fortius, per quam in Christo IESV credentes viceruntregna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissam sanctis vitam æternam. Anno Domin. Incarn. præsignato 1442. homo erat in Meinsheym nomine Bertholdus, cognomine autem Savverschvvartz, qui annis duodecim in ruptura Zvvyfach magnos & ferme continuos patiebatur dolores. Is super mirandis beneficiis sanitatum ad memoriam Dominæ nostræ in Vrticeto fidelibus Christi exhibitis præmonitus cum oblatione muneris votiui se illuc spopondit, & ilico sine mora conualuit.

MIRACVLVM XXXVI.

MARIA MATER GRATIÆ MATER MISERIcordiæ venenum pestilentię procul facit recedere, vt patet in hoc puero, quem voto sanat vnico.

QVICVNQVE igitur pro qualibet necessitate oraturus ad Dominum suarum cupit precum salutarem obtinere effectum, credat imprimis necesse est in Deum patrem, & filium & Spiritum sanctum iuxta traditionem Euangelicam, & Ecclesiasticam Domini & saluatoris nostri IESV Christi. Fides enim est omnium bonorũm fundamentũm, sine quo nullum virtutis firmatur ædificium; Imprimis itaque firmiter credat orator deuotus testimonia Dei, quæ credibilia facta sunt nimis, noueritq; omnia possibilia fore credenti Anno Domin. Natiu. prænotato 1442. venit ad memoriam S. Mariæ in Vrticetum Laurentius Pistor de Harvviler secum adducens puerum sexennem cum

cum oblatione cerea, quam promiserat in graui eiusdem pestis morbo. Nam cum eo tempore pestilentiæ venenum grassaretur in multis Germaniæ locis, dictum quoq; puerum inuasit, quem genitor memoratus deuouit ad S. Mariam in Vrticetum: & mox vt verba protulerat Mariæ meritis planè sanum aspexit.

MIRACVLVM XXXVII.

MARIA SALVS OMNIVM, ET CONSOLATRIX pauperum nullius votum despicit, sed prompta cunctis subuenit, virum sanauit debilem, mitis saluando pauperem.

VERVNTAMEN cum fides sine operibus otiosa sit, & mortua, oportet fidelē Christi oratorem secundum Euangelicam legem iustè, innocenter & sinceriter viuere, si precum suarum effectū voluerit impetrare. Frustra enim de fide sibi pollicetur salutem, qui conformem fidei non coniungit operationem. Nam sicut operatio sine fide à Deo nulla suscipitur, ita fides sine operibus nunquam approbatur. Vt ergo fides ad impetrandum postulata sit idonea, commendet eam orantis conuersatio sancta. Vir erat in noua ciuitate nomine Ioannes, artificio autem cerdo, qui anno Domin. Natiu. memorato 1442. maximas in suo corpore sustinuit passiones, quarum medici neque remediū nouerunt vllum, neq; originem vel causam. Desperatus igitur ab omnibus postremo spem suam in reginam misericordiæ posuit, cuius patrocinium multis precibus & lachrymis inuocauit, promittens se memoriam eius cum vno ceræ talento quantocyus apud Vrticas visitaturum, & subito conualuit.

MIRACVLVM XXXVIII.

MARIA VIRGO MATER DEI SANCTISSIMA, sicut mundo salutem diutius amissam reddidit, ita geminum viri ruptum suis meritis reparauit.

BONA conscientia fide Christi & sanctis operibus adornata confidentiā ad Deū orationibus suis concipit, & tamen à custode virtutum omnium humilitate non recedit. Nam qui aliquid petit à Domino sine confidentia, quod indignus sit ex audiri, manifestè ostendit scriptura. Sic enim D. Iacobus testatur. *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat & dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est flu-* Iac. 1.

fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur. Non ergo æstimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino. Fuit anno Domini 1442. in villa Dorstat homo quidam, nomine Petrus Motzger, qui mensibus 18. graues rupturæ molestias sustinuit. Hic patrocinium B. Mariæ semper Virginis inuocans magna cum deuotione se ad eius memoriam in Vrticetum deuouit, cuius meritis confestim sanatus est.

MIRACVLVM XXXIX.

MARIA THESAVRVS INNOCENTIÆ, AC DEprauatæ reparatrix naturæ puerum resuscitat mortuum, & morbum pestis depellit horrendum.

NEMO autem stabilem & veram potest habere in oratione confidentiam qui sanctam in moribus non exhibet conuersationem. Nam sine testimonio bonæ conscientiæ, certa nunquam erit ad Deum confidentia in oratione. Quis enim à Domino Deo confidenter postulabit miraculi beneficium, cui se nouit & intelligit viuere, concupiscere & operari sine pœnitentiæ fructu contrarium? Non est confidentia firma in Deum conscientiæ prauæ, nec potest eum confidenter aceedere, quem toties & semper nouit grauiter offendisse Anno præscripto Dom. Natiu. 1442, fuit mulier quædam in villa Eidesheym, nomine Catharina Curteria. Hæc habuit puerum sæuo pestilentiæ morbo infectum, aliisq; infirmitatibus grauiter laborantem: quibus tandem in eo prævalentibus per triduum sine voce ac motu iacuit quasi mortuus. At illa preces fudit ad DEVM & Dominum cæli cum lacrymis & gemitu pro sanitate simul & vita pueri eius implorans auxilium & patrocinium, seq; cum illo & oblatione muneris ad sanctam eius memoriam in Vrticetum deuouit, & puer meritis beatissimæ Dei genitricis semper intactæ Virginis Mariæ continuo incolumis euasit.

MIRACVLVM XL.

MARIA LVMEN GRATIÆ, LVCERNA PIEtatis, amatrix innocentiæ, succurre prægrauatis, sanasti puerum, à matre cum rogaris.

PROPTEREA quicunq; voluerit ad Deum idoneus esse orator, sit firmus in fide, rectus in conuersatione, constans & sine intermissione confidens in oratione, memineritq; Dominum dixisse in sancto Euangelio. Quoniam veri oratores patrem adorabunt in spiritu & veritate. Illud quoq; iuxta Matthæum. Orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt. putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur. Anno Domini præ-

præsignato 1442. puer erat in Hexberg qui ex diuturno & grauissimo dolore oculorum amisit penitus visum, & cæcus iam factus nihilominus vehementer sustinuit passiones. Cuius miseriæ genitor compassus B. Mariæ semper Virginis patrocinium inuocauit, ipsumq; puerum ad sacrum Vrticetum deuouit, & Dominæ nostræ in eodem loco, quoad viueret, singulis annis in vno solido bohemico tributarium fecit. Mira Virginis gloriosæ in pauperes Christo fideles clementia. Mox enim, vt votum emisit pater, visum puer amissum recepit, & nunquam deinceps in oculis doluit. Magna potest fides preces confidenter fundentis.

MIRACVLVM XLI.

MARIA VIRGO MATER DEI SANCTISSIMA cunctis adest in tribulatione constitutis, si & ipsis non desit firma confidentia impetrandæ supplicationis.

FVNICVLVS ergo, ne rumpatur de facili, sapienter triplicetur, vt fides sit firma, conscientia pura, & recta oratio humili confidentia in Dominum Deum sublata. Si vnum ex his tribus oratori defuerit, non æstimet, quod aliquid suis precibus impetrare possit. Sin autem funiculus iste triplex fuerit, omnia quæ oranti ad salutem mentis & corporis sunt necessaria, facilè impetrabit. Eodem anno Domin. Natiu. 1442. homo quidam de villa Badach vna dierum laborans in vineto, cum statumina minus cautè infigeret humo, casu hastula eius manum perforauit, & vulnus periculosum inflixit. Nam manus enormiter læsa confestim intumiut, eoq; infecta morbo, quem vulgo ignem S. Antonii nuncupant inauditis virum doloribus multo tempore cruciauit. Postremò, cum nullius exhibitio medicinæ quicquã in eo proficeret, nihilqué aliud, quàm abscissio manus videretur posse iuuare, territus homo ad memoriam Dominę nostræ in Vrticetum se deuouit. Veniens itaq; cum oblatione muneris promissi, preces ad matrem pietatis effudit, & in conspectu sanatus omnium lætus abscessit.

MIRACVLVM XLII.

MARIA SVSTENTATRIX PAVPERVM, ET PIA mater egenorum gressus debilium dirigit, emendat nostra vitia, & paralysin restringit.

VERVM vt hanc triplicis funiculi, paradigmatisq; propositionẽ clarius orator christianus intelligat, replicandum hunc ternarium iuxta sententiam B. Bernardi Abbatis diligẽtius attendat. Tria, inquit in

in libro de amore Dei, requiruntur ad orationem, vt sit efficax ad impetrandum. Primum, quod in orante tanta sit fides, vt speret omnia. Quia vt scriptura dicit. *Credere oportet accedentem ad DEVM quia est & quia inquirentibus se remunerator sit.* In epistola quoq; prima ad Corinth. idem Christi Apostolus dicit. *Caritas omnia credit.* Anno Domin. Natiuit. memorato 1442. erat homo quidam in villa Kurr, nomine Henricus, artificio Sartor, qui puerulum habebat pedibus omnino debilem & claudum, vsq; adeo, quod nec mouere gressum poterat, nec penitus ambulare quoquam. Post annos tandem plures audiens pater, quanta in Vrticeto fierent miracula, pura simplicitate fidem dictis adhibuit, preces ad Dominam cæli pro salute filii multiplicauit, ipsum ad eius memoriam cum hostiis eleemosynariis ardente desiderio in Vrticetum deportauit. Post hæc venit in locum, puerum secum adducens vehiculo, orationes fudit, promissiones quas vouerat impleuit: subito puer intuentibus multis, qui aderant, conualuit, & qui ministerio vehiculi subuectus aduenerat, iam sanus pedibus ad propria remeabat.

MIRACVLVM XLIII.

MARIA ARCA SEMPITERNI TESTAMENTI gratiæ puerum suis inuocata meritis à diuturno & periculoso dysenteriæ fluxu sanauit.

SECVNDVM quod orantis tanta sit deuotio in Dominum Deum, vt eum quodam modo cogere videatur secundum Domini IESV parabolam in S. Euangelio dictam, de amico tres panes ab alio postulante amico: quam ita concludit. *Et ille, si perseuerauerit pulsans, dico vobis & si non dabit illi surgens, eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.* Intellige mysterium, experire promissum, quia veritas non admittit mendacium. Amicus esto Dei, & perseuerãter orans non patieris repulsam. Mulier quædam de villa Durn, nomine Catharina Waltheri, anno Domin. Natiu. prænotato 1442. puerum habuit, qui nouem annis dysenteriæ fluxũ, & alias infirmitates patiebatur grauissimas, à quibus nullo poterat medicamine releuari. Quem mater ad memoriam S. Mariæ cum oblatione deuoti muneris adduxit, preces pro eius sanitate fudit, & mox incolumem & sanũ inuenit.

MIRACVLVM XLIIII.

MARIA FONS DVLCEDINIS ET CLEMENTIÆ poculum vitæ præbet sitientibus, quæ suis meritis virum à febribus grauissimis curauit.

TERTIVM oranti necessarium est. Tantus in eo sit amor Dei, internæq; feruor caritatis, vt omnia quæ petit orans in spiritu & veritate se sentiat obtinere. Charitas enim omnia potest, & suo fulgore operit

operit multitudinem peccatorum. Nam virtute animę actu feruenter amantis per gradus sapientiæ spiritualis in fide IESV Christi surſũ ad apicẽ sacræ monadis scitè & constanter eleuatæ, formamq; à primo principio vniuersorum recipientis, effectus in oratione fiunt mirabiles, & postulationes in omni re vel causa necessaria efficaces. Fuit anno Domini præfignato 1442. in Harvviler vir vnus, nomine Henricus Wagner, febribus in mensem fermè tertium grauiter laborans, qui desiderio sanitatis patrocinium beatiſſ. Virginis Mariæ simplici deuotione inuocauit, & se ad eius memoriam cum oblatione cerea humiliter deouit, statimqué conualuit.

MIRACVLVM XLV.

MARIA VIRGO VIRGINVM, CÆLICA REGINA, refocillatrix pauperum, vitæ medicina febres pellit mortalium, seruat à ruina.

PRIVM verborum, quæ præmisimus, in sacro triplicitatis funiculo scita quidem operatio consistit in eo, vt deuotus Christi orator per binarium sanctum nouerit seipsum per ternarium intellectuales sursum actiones in simplicem reducere vnitatẽ. Enimuero nisi mens futuri oratoris ad binarii similitudinem reducta fuerit, nunquam ad monadem pertingit. Scimus enim, quod inter duo quælibet stante contraria dissimilitudine fieri concordiæ vnio non potest. Anno Dominicæ natiuitatis præscripto 1442. posteaquam Henricus Wagner de Harvviler ab Vrticeto in sua redierat sanus, vxor eius, quæ in secundum annũ debilis iacuerat, pedum officio penitus destituta spem sanitatis concepit, & auxilium glorioſiſſ. Virginis Mariæ, quo potuit feruore mentis, inuocauit. Ducta igitur cum oblatione votiua in Vrticetum ad memoriam eius venerabilem promiſſum soluit, preces humili deuotione continuauit, exaudita fuit & sana in propria rediit.

MIRACVLVM XLVI.

MARIA CANDOR LVCIDVS, SPLENDOR PLVSquam æthereus curauit suis meritis magnum dolorem capitis vnius matronæ pauperis.

ACCEDAT prudentia conueniens formata similitudo, & mox per glutinum surget caritatis vnio. Intellectus nãq; angelicus est purus, simplex, sibimetipsi vnitus, nihil impuri admittens, nusquam extra suum circulum diuinæ speculationis discurrens, manet in se per Deum, intelligit, amat, obiecto continuè fruitur suo sine intermiſſione, sine intercapedine loci, temporis, vel momenti. Anno redemptionis humani generis

iam dicto 1442. venit quædam mulier ad memoriam Dominæ nostræ in Vrticetum, nomine Catharina Attisbachin de Gundersheym, quæ multo tempore grauissimos patiebatur capitis dolores. Mox autem, vt votum peregrinationis suæ impleuit, sanctæ Mariæ meritis conualuit, & Deo gratias egit.

MIRACVLVM XLVII.

MARIAM SVIS PRECIBVS ET MERITIS APVD Deum omnia posse obtinere credimus, & de potentia eius in curia cælesti maxima non dubitamus.

AD exemplum igitur angelicæ puritatis, quanto mens hominis Christiani propius potuerit accedere, tanto magis erit idæa in oratione, quod voluerit impetrare. Si omnem huius sæculi tumultuantis à se multitudinem reiecerit, si per imitationem angelicæ puritatis Deum cognoscere, ac amare feruenter omni tempore curauerit ternarium in monadem per binarium iam reuocauit. Anno salutis nostræ iam memorato 1442. vir erat in Prentzingen, qui dicebatur Petrus Messerer. is habebat puerum, qui cadens ab alto alterum pedem grauiter læsit. Perforatus enim ligno acuto intumuit, & ligni acumẽ in vulnere clausum per duodecim dies remanens nulla poterat arte vel ingenio educi. Vnde Pater ad memoriam Dominæ nostræ in Vrticeto puerum deuouit, & continuò sanus lignum de tibia, cui fortissimè adhæserat, enter exiuit, & ilico puer surrexit.

MIRACVLVM XLVIII.

MARIA INTERVENTRIX POENITENTIAM Agere cupientium precibus inuocata mulierem sanauit ægrotam, amissamq; reparauit loquelam.

QVEMADMODVM Paulus Apostolus dicit Corinthiis scribens, *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est:* ita contrarium facientes, qui huiusmodi negotiis se implicant, & carnis sordidantur illecebris, longè sunt, & manent à Deo in perpetuam suam perniciem diuisi. Attendãt miseri, & qui se non ignorant breui morituros, vel serò tandem resipiscant. Omnis, qui Deo per fidem & caritatem in hac vita non vnitur, mortuus ab eo perpetuo erit alienus. Anno Domini prænotato 1442. fuit vna mulier, quæ in mensem sextum gutturis tumorem, & exulcerationẽ adeò sustinuit grauem, quod per totum illud tempus nihil poterat loqui, cibum quoque solidum nullatenus sumere valuit, sed brodiis & liquoribus vitam vtcunque sustentauit. In eo vitæ periculo constituta & morti iam prope vicina patrocinium Dominæ nostræ humiliter inuocauit, ad

eius

eius memoriam in Vrticetum cum oblatione 4. talentorum ceræ si conualesceret, deuouit, & ecce subitò conualuit per omnia, & loquebatur.

MIRACVLVM XLIX.

MARIA VIRGO INTER OMNES CREATVRAS post filium potentissima in cælo & in terra suis meritis virum inuocantem se sanauit infirmum.

ARBITRIO suo homines sunt boni vel mali, quod eis creator omnium Deus liberum concessit. Sed quid ait scriptura. *Deus fecit hominem ab initio rectum, sed ipse quæstionibus se immiscuit infinitis. Corpus enim, quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Vnde, nisi mentem nostram per quotidianum exercitium diuini amoris à multitudine dispersionis in seipsam studiosissimè reduxerimus, & nisi propositum emendationis vitæ singulis renouare momentis curauerimus, ad vnionẽ Dei minimè perueniemus. Vir erat in Lambsal. nomine Ioannes sartor, qui anno Domin. Natiu. præscripto 1442. magnam corporis sui patiebatur infirmitatem, ingentesq; per dies plurimos dolores sustinuit. Nec erat in prouincia tota medicus, qui eum posset curare. Vnde tandem ab omnibus desperatus, qui nouerunt illum, ad auxilium reginæ cæli tota mentis intentione conuertitur, & eius patrociniũ cum lachrymis precatur. Ad sacram eius memoriam in Vrticeto sese quantocyus cum oblatione vnius calicis argentei inaurati pro matris Dei honore deuouit, si meritis eius consequatur sanitatem. Simili deuotione Notpurgis eius vxor tunicam ex vestibus suis meliorem B. Virgini cum visitatione personali ad eundem locum pro salute mariti deuotissima supplicatione deuouit. Ab illa mox hora paulatim homo melius & melius sentire cœpit, & meritis beatiss. Virg. Mariæ non diu post in toto conualuit, & quod promiserat impleuit.

Eccli. 7.

Sap. 9.

PRÆSCRIPTA 49. miracula ad memoriam Dominæ nostræ in Vrticeto diuinitus facta anno Domin. natiu. 1442, indictione Romanorum quinta per eos, qui eo tempore loco præfuerunt litteris sermone patrio commendata nobis in ordinem voluminis lingua Romana pro viribus traducenda, sunt anno Domini. 1515. indict. 3. per Dominũ Petrum Wirt, S. Theologiæ Doctorem, ipsiusq; Conuentus fratrum Carmelitarum in Vrticis Priorem, vt supra diximus exhibita. Ferunt & alia miracula plura eodem anno facta, quæ litteris non sunt commendata.

FINIS.

INDEX
LOCORVM S. SCRIPTVRÆ IN HOC OPERE TRITHEMIANO EXPOSITORVM.

EX VETERI TESTAMENTO.

Psal. 14. DOmine, quis habitabit in tabernáculo tuo. pag. 180. & seqq.
33. Diuerte a malo, & fac bonum, inquire pacem. 174.
49. Quare tu enarras iustitias meas, & c. tu vero odisti disciplinam. 229. 230.
65. Imposuisti homines super capita nostra. 367.
73. Vineam de Ægypto transtulisti, & c. singularis ferus depastus est eam. 876. & seqq.
90. Non timebis a timore nocturno &c. 872.
Psal. 90. Domine non est exaltatum cor meum. pag. 335.
Eccles. 12. Deum time, & mandata eius obserua, hoc enim est omnis homo. 152.
Prou. 23. Septies in die cadit iustus, & resurget. 401.
Cant. 8. Fortis, vt mors dilectio. 443.
Isa. 66. Vermis eorum non morietur. 373.
Ierem. 48. Et eritis quasi myrica in deserto. 841. & seqq.

EX NOVO TESTAMENTO.

Matth. 7. QVam angusta est porta, & arcta via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inuenient eam. 152. 541. 947. 948.
Ibid. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine &c. 189.
Venerunt flumina & flauerunt venti &c. 189.
16. Qui vult venire post me, abneget semet ipsum. 152. 157.
19. Sunt Eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt 452.
19. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia 156. 157.
25. Vni dedit quinq; talenta, alii autem duo. 215.
Luca 10. Qui vos audit, me audit, & qui vos, &c. 320.
Ibid. In eadem domo manete, edentes & bibentes. 201.
12. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes. 178.
18. Oportet semper orare, & nunquam deficere. 438. & seqq.
19. Videns Iesus ciuitatem, fleuit super illam. 850. & seqq.
Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum. 179.
11. Domine, iam fœtet. quatriduanus est enim. 400. & seq.
21. Petre amas me? pasce oues meas. 226.
Rom. 3. Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus legis. 200.
13. Hora est iam nos de somno surgere. 167.
Gal. 1. Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. 940.
Ephes. 6. State succincti lumbos vestros in veritate. 420. & seqq.
2. Tim. 4. Argue, obsecra, increpa in omni patientia. 238. 239
1. Ioan. 3. Qui facit peccatum, ex diabolo est. 544.

INDEX
RERVM MEMORABILIVM IN HOC OPERE COMPREHENSARVM.

A.

ABBAS.

ABBAS, qualis *eligendus* 503. 571. 573. *Qualis esse debeat* 213. 214. 226. 414. 481. 482. 1004. & seq. *Bonus vtilior, quam doctus, qui bonus non est* 226. *Docere debet verbo & exemplo* 227. 228. *Tripliciter pascere debet suos subditos* 864. & seq. *vices Christi agit.* 216. *Tenetur seruare regulam sui ordinis præ aliis* 229. *Debet æqualiter omnes amare* 234. 237. *Discretus esse in corrigendo* 238. & seq. *Non accipere personam* 231. *Faciens*

quod in se est non est reus culpæ subditorum 220.222. Quibus casibus debeat requirere consilium fratrum 254. & seq. Non potest habere proprium, nec subditis concedere 733 734. Spiritualia potius, quam temporalia ei curanda 250. Auaritia cauenda 251. Negligens Abbas est prima causa subuersæ religionis 215. Abusus est, quod gratiosi Domini vocari velint 216. De vitiis Abbatum in gubernatione 572. 573. Contra ambientes Abbatias 214. Exempla Abbatum, qui ob improbitatem fratrum Abbatiam deseruere 971. Quam seueram Abbas in die iudcii sit redditurus rationem 218. 219. 251. Etiam de peccatis occultis subditorum 222. Non diligit Deum, qui non paratus est officio cedere 894. Abbati a fratribus pandendæ cogitationes 368. 369.

S. ABEL archiepisc. Remensis 108.133.
Acceptio personarum *in quo consistat* 231.
Acedia *reprehensa. Vide*, Tepiditas
Achatius Episcop. Catalanensis 146.
Adam abbas laudatus 46.
Adamannus presbyter & Abbas 33.90.93.
S. Adelmus Abbas 37.88.139.
Adelboldus Episcopus 43.100.131.142.144.
Adelmus monachus stabulensis 111.
S. Adelbertus Episcopus Pragensis 101.142.
S. Adelbertus monachus Epternacensis 108.
S. Adelarius Episcopus Erfurtensis 94.140.
S. Adelerus martyr. 94.
S. Adelhardus Abbas Corbeiensis 103.
S. Adelphus Abbas 55.110.
S Adeodatus Abbas 109.
S. Adelbertus S. Maximini monach. post Ruthenorum Archiepiscopus 132.
S. Ado monachus 80.
Adeonaldus mon. Floriacensis 4.
S. Adrianus Abbas 84.
S. Ægidius Abbas, Græcus 35.
S. Agathon Papa ex monacho 89 119
S. Agilus Abbas 8.
S. Agnillus Abbas 103.
S. Adainus Episcopus 77.135.
Albericus Episcop. Traiectensis 142.167.
Albertus Abbas Gemblacensis 45.111.
Albertus monachus Metensis 46.
S. Albinus Abbas Turonensis 97.
S. Albinus Episcopus Andeganensis 92.140.
Albo Floriacensis Abbas 43.
Albo Archiepiscop. Senonensis 128.
S. Albuinus Episcopus Fritzlar 141.
S. Albinus 105.
Alcuinus, siue Albinus, præceptor Caroli magni, Rabani, Haymonis 36.
S. Alfridus Episc. Hildesianus 98.
Algerus monachus Corbeiensis 48.
Almannus mon. altuillarensis 41.
Almannus Epis. Patauinus 146.
Alphanus Archiep. Salernit. 43.132.
S. Altanus monachus 80.
S. Amatus Abbas 80.110.
S. Amandus Episcopus Traiect. 74.129.135.
S. Amalberga virgo 96.
S. Ambrosius Abbas 106.143.
Ammonius monachus Floriac. 43.
Amuluinus Abbas 105.142.
Amalarius Archiep. Treuir 40.
S. Anastasius Persa martyr 77.
Anastasius Papa IV 120.123.
S. Anastasia Abbatissa 98.
S. Annæ confraternitas 1178.
Anachoretæ, *quomodo differant à cœnobitis* 210.
Angelus custos *hominis* 343.
Andreas monachus Episc. 59.
Andreas mon. Spanhemens. 60.
Andreas Hispanus Cardinalis 124.
S. Angadrisma Abbatissa 81.
Angelomus monachus Luxou. 40.
Andreas mon. S. Gregorii 84.
S. Anscharius I. archiep. Bremens. 98.129.
S. Ansbertus Archiep. Rotomag. 126.
S. Annichadus mon. inclusus. Fuldæ 105.
Ansegisus Archiep. Senonensis 40.129.
Anoutinus, vel Bano 77
Anselmus mon. Rhemensis. 48.
S. Anselmus Cantuar. Archiep. 31.111.133.
Ausbertus, dictus Ambrosius monachus 52.
Anselmus Suession Episc. 146.
S. Apollinaris Abbas Cassin. martyr 110.
Apostoli *omnes magni* 186.
S. Aridius Abbas 72.
Arnulphus monachus 48.111.129.
S. Assuerus Abbas, martyr 109.
S. Athela filia regis Dagoberti 91.
S. Attalus monachus 78.
Avaritia *contempta* 790.
S. Audomarus, Episc. Taruanensis 80.138.
S. Augustinus, Archiep. Dorurern. 74.124.
S. Aurea abbatissa 80.
S. Ausbertus Episcopus 81.
S. Ausfridus Episc. Traiectensis 108.

B.

Baldericus monachus 89.
Balafridus monachus 89.
Balduinus Archiep. Bremensis 134.
S. Bardo Archiepisc. Moguntinus 103.133.
S. Basilissa monialis 98.
Basinus Treuirens. Archiepiscopus 127.
S. Basolus Abbas 74.
S. Bathildis regina 83.
S. Bauo Gandauensis eremita 77.
S. BEDA 21.34.90.

S. Benedicti Ordo.

S. Benedictvs, eiusque ordo *laudatus 17. 18. 20. 29. 64 154. 156. Corpus eius an sit in Italia 41. Duo conseruarunt ordinem, sanctitas & scientia scriptur 161. 86. 854. Quot sancti in ordine 19. 63. & seqq. Sunt plus quam 15. millia 114. 531. Quot docti sint in ordine 21. Quot ex eo facti summi Pontifices, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi 20. 118. 121. 807. Quot Abbatiæ nunc vltra 5. millia. In sola prouincia Moguntina esse 124. Tertiã partem Christianitatis S. Benedictũ obtinere 18. 154. Vnde tã opulenta Benedictina cœnobia. 22. Qui viri in ordine ab eruditione celebres, & quibus dicarint libros suos 862. Carolus Magnus ordinẽ promouit 831. Quæ causæ defectionis ord. 23. 564. 807. & seqq. REFORMATIONES eius variæ 24. 332. 831. 832. 852. auctore reformationũ 864. De reformat. Conc. Constantiensis, Ba-*

ſſdenſis, & Cuſani Cardinalis 24. 25 De Burſfeldenſi reformat. & quomodo conſeruari queat 25. 532. 533. Omnes reformat. defeciſſe, & idem timendum de Burſfeldenſi 872. De 12 excidiis, vel vulpibus vaſtantibus ordinem 873. Queritur Trithemius monachos Benedictinos verti in Canonicos 821. & ſeqq. In Moguntina diœceſi ſuo tempore ſex monaſteria ita tranſlata 826. Quam ſit neceſſaria reformatio 835. Et viſitatio 24. 25. 837 Conſtitutiones reform. Burſfeldenſis 966 Bulla reformationis 1016. Articuli reformationis 1018 & ſeqq.

Benedictus Abbas in Anglia 33. 89.
S. Benedictus martyr cum ſociis 110.
S. Benedicta Abbatiſſa 105.
S. Benno miraculis coruſcans 971.
S. Bercarius Abbas martyr 83.
Berchuardus Archiep. Cantuar. 127.
Berinus Epiſcopus Dorcienſis 136.
Bernardus Aquenſis Cardinalis 123.
Bernardus Abbas Caſſinenſis 18.
Bernardus monachus Cluniacenſis 48.
Bernardus mon. Corbeienſis, Epiſc. Padelborn 53. 147.
Bernardus Abbas Maſſil. Cardin. 124.
Berno Abbas Augienſis 46.
S. Berno auctor Ordinis Cluniacenſis 24. 99.
S. Bertolphus Abbas 109. 130.
S. Bertinus Abbas 82.
Bertorius Abbas Caſſinenſis 35. 111.
Bertramus monachus 40.
S. Bernardus Epiſc. Hildeſ. 101.
Beneficiorum pluralitas *reprehenditur* 858. 932.
BOETHIVS Conſul Rom. familiaris S. Benedicto 65. 66.
S. Boniſius Abbas 85.
S. BONIFACIVS Archiepiſ. Moguntinus 21. 35. *a Greg. II. miſſus in Germaniam* 92. 93. 128.
Bonifacius IV. Papa pantheon à Phoca Cæſare obtinuit 89. 118.
Bonum vbiq; *mixti malis* 951.
S. Boſinus Epiſcopus Treuirenſis 91.
Boſo archiep ſc. Eboracenſis 127.
S. Boſo monachus, martyr. 94.
Boſo Merſburg. Epiſcopus 143.
Brandanus Epiſc. Halberſtadenſis 143.
S. Brendanus Abbas 71.
Bruno Epiſcopus Ratiſpon. 149
Bruno Epiſcopus Verdenſis 144. 146.
S. Bruno Epiſc. Ruthenorum, martyr. 47. 101. 133.
S. Burchardus Epiſc. Herbipol. 95. 140.
Burchardus Epiſcopus VVormatienſis 44. 147.
Burſfeldenſis reformatio *ord. S. Benedicti quæ dicatur, eiusq; laudes 25. 26 defenditur contra calumniatores 27. Approbata a Papa 28. 532. 533 Eius Capitula prouincialia varijs in locis celebrata 1031. & ſeqq. multis. VIDE.*
S. Benedicti Ordo.

C.

S. *Cæcilia Abbatiſſa* 10.
Cæſarius Abbas Lirin. & Epiſcopus Arelatenſis 32. 79. 138.
S. Candidus monachus 105.
S. Capraſius Abbas 106.

CARITAS

Caritas Dei & proximi 264 265. *Cur Deus ſuper omnia diligendus* 549. 550. *Tres modi amandi Deum* 613. *De operatione diuini amoris* 888. *& ſeq. Quam mira operetur diuinus amor* 891. *Nunquam Dei amor otioſus* 915. *De caritate in Deum ſermo* 515 516. *& ſeq. De caritate fraterna ſermo* 512. *& ſeq an homo teneatur diligere inimicum vt ſeipſum* 285. *Caritas ad omnes habenda, familiaritas ad paucos* 461.
Caro *hoſtis domeſticus infeſtiſſ.* 159. *Caſtiganda eſt,* 432. 433.
De eius tentationibus 666.
Carolus Archiepiſc. Moguntinus 130.
Carmelitis conſtruitur monaſterium iuxta Heilbrunnam 1164. *& ſeq cur dicantur fratres B. Virg.* 1168. *Indulgentia ordini conceſſa* 1174.
Caſſinenſe *monaſterium S. Benedicti exuſtum* 65. *a Tertullo S. Placidi patre fundatum* 66. *a Petronace reſtitutum tempore Gregorii II.* 92.
Caſſiodorus monachus 21. 30. 68.
Caſtitas *a religioſo ſeruanda* 266. 310. *qua amiſſa difficile reſurgitur. Et de medijs eam conſeruandi* 509. 510. *De eadem ſermo* 507.
S. Ceadda Epiſcopus 84. 126.
Cedda Archiepiſc. Londinenſis 127. *& Lindisfarnenſis* 137.
Ceolfridus Abbas 33. 90.
S. Chalnoaldus Epiſcopus 78.
S. Chilianus Epiſcopus Herbipol. 86. 139.
S. Chillenus monachus 78.
Cilicio vti *ſemper S. Benedictus* 64 *& S. Placidus* 67.
CHRISTVS *non opus habuit fide* 188. *Meditatione paſſionis Chriſti nihil efficacius* 483. *Chriſtum fuiſſe Meſſiam à veteribus Patribus prædictum probatur* 698.
Chriſtianus Druthmarus 44.
Chronicon cœnobii *S. Iacobi apud Herbipolim. pag.* 1.
Cur a Trithemio poſt Spanheimenſe ſcriptum, pag. 9. *& 10.*
S. Clarus Abbas 103.
Claudius Beda auditor 36.
Claudius Claſſenſis Abbas 32.
Clemens VI. Papa 121. 123.
Clemens, dictus VVillebrordus, Traiect. Archiep. 127.
Clerici tonſura *quid ſignificet* 766. *Clericorum vita reprehenſa* 958. 926.
S. Cobanus Epiſc. Traiectenſis 94
Cogitationes *quomodo cuſtodiendæ* 444. 447. 462. *quomodo per eas diabolus tentet* 675. *& ſeq.*
Colachus Epiſcopus 137
Colomannus Epiſc. Angliæ 137.
S. Colonatus, diſcipulus S. Kiliani 86
S. Columbanus Abbas 30. 71.
S. Columbinus Abbas 79.
Comanus Epiſcopus Roſſenſis 136.
Communio *ſacra an pollutione impediatur ſemper* 676.
Concordiæ laudes. Vide pax.

CONFESSIO.

Confeſſio peccatorum *laudata* 368. 369 464. *quicquid per eam ſcitur, neſcitur* 369 *Eius conditiones* 471. *ſecretum quando reuelari queat* 953. 954. *Qualis pœnitentia iniungenda* 958.
Conradus Celtes laudatus 15.
Conradus de Rodenberg Abbas S. Ioan. in Rinchauia 60.

CONSCIENTIA.

Conſcientiæ *examen laudatur.* 295 471. 564. 706. 773. *Modus examinandi eam practicè* 647. *Burſfeldenſis congregatio quotidianum examen vſurpat poſt Completorium* 536. *Quid ſit conſcientia, & quid ſyndereſis* 373. *Quid conſcientia erronea* 374. *An facere*

teneamur, quicquid conscientia dictat.

CONSVETVDO.

Consuetudinis bona vtilitas 399. Male damnum 448. vt vinci queat mala. 705.
Constantinus monachus Cassinensis 44.168.
Cor durum, quod dicatur 169. Eius puritas quanti facienda 192. Cur inquietum 444.
Correctio superioris erga subditos, qualis esse debeat 238. 239.
Crucis signo contra tentationes vtendum 422. Crux vt ferenda Christiano 453. quid agendum, dum Crux in via erecta occurrit 461.
S. Cunegundis Imperatrix 104.
Cuno Episcopus Ratisbonensis 148.
S. Cuethbertus Episcopus 85.138.
Cymbertus Episcopus Vecliorum 139.
S. Cyprianus Abbas 104.

D.

DEspetatio fugienda 316. Remedia contra eam 701. & seq.
Detractio reprehensa 266.
S. Deicolus Abbas 76.
S. Deocarus Abbas 101

DEVS.

DEVS quo sensu dicatur tristari vel irasci 182. cur gratiam suam etiam diu petenti vel differat, vel neget. 185.
Deo nihil ignotum 344. 347. 349. Ethnicorum errores de Deo 699. Deum verum an coluerint Iudei 701.
Deusdedit Abbas Cassin. 106.
Deusdedit Episcopus 93.126.

DIABOLVS.

DIABOLVS, vnde dictus, cur malignus 183. quanta eius in tentando potestas. ibid. Eius artes in tentando. 668. & seqq. Quomodo illudat cogitationibus 175. Maxime tentat orationi deditos 176. Secreta cogitationum quomodo noscat. 680.
Diegerus Episc. Metensis 148.
Diemo Salizburg. Episcopus 133.
Diethardus Episc. Hildesiensis 142.
Dionysius Exiguus, Abbas 20.
S. Disibodus Episcopus. 107.
S. Dodo Abbas 105.
S. Donatus martyr, discipulus S. Benedicti 68.
Donatus Episcop. Vesontion. 145.
S. Domitianus Abbas 108.
Drogo Abbas Cardin. 123.
Drogo Episcopus Metensis 144.
S. Dunstanus Archiep. Cantuar. 100.131.
Durandus Episc. Tolosan. 146.

E.

EArmualdus Episcopiscopus 84.
S. Eatta Episc. 85. Landiffarn 138.
S. Ebbo archiepisc. Senonensis 96.
S. Eberhardus eremita, olim Decanus Argentin. 100.
S. Ebertrannus Abbas 83.
Ebrietas reprehensa 289.
Ecbertus Abbas 56.
Eckardus Abbas 32.86.132.
Edbrechtus Episc. Anglia 139.
S. Edeltrudis virgo, regina 85.
Edilberga Abbatissa 79.84.
Ediluuinus Episcopus 137.
S. Egidius Abbas 92.
S. Egelnotus Archiep. Cantuar 103.
Egilberius Episcopus Dorcensis 139.
Eleemosynæ laudes 271.
Eleutherius Episcopus Ventanus 137.
Eleutherius Abbas 69.
S. Elisabeth Abbatissa Schonaug. 56.113.
S. Elphegus, archiep. Cantuar. martyr. 102.132.
S. Elutus Abbas 73.
Embricho Herbip. Episc. fundator cœnobii S. Iacobi Scotorum apud Herbipolim. p. 3. & 4.
Emundus monachus 54.
Engelbertus Abbas 58
S. Equitius Abbas 69.
Erckenbaldus Archiep. Moguntinus 132.
Ercumualdus Episcop. Londinensis 138.
S. Erenbertus Episcopus 106.145.
S. Erentrudis Abbatissa 98.
Erhardus monachus 46.
Ericus monachus 42.
S. Ermenfridus monachus 109.
S. Erualdus mon. 88
S. Erucongota monialis 77.
Eremitica vita tantum conuenit perfectis, & in cœnobio bene exercitatis 924.
S. Ethlunus monachus 73.
S. Eualdus albus, martyr 88.
S. Eualdus niger, martyr. 88.
S. Eucherius Episcopus Aurelian. 96.140.
Eugypius Abbas 31.
S. Eustasius Abbas 79.
S. Euticius Abbas 69.
Eutropius Abbas, & Episcopus 32.
Examen conscientiæ. Vide. Conscientiæ examen.
Exempli imitatio quanti facienda 192.780.

F.

SFara abbatissa 77.
Fato quid tribuendum 954.
Faustus S. Benedicti discipulus 30.65.
S. Felix, monachus Fritzlarien sis. 107.
Festis diebus, liceatne scribere libros? 754. Vnde initium sollemnitatis festi sumendum & vnde finis 954.
Fides sola non sufficit ad salutem 418. 419. Eius præstantia 419. 527. De tentationibus circa illam 678.697.
Filius quot de causis possit exhæredari a Patre 163.
Florus monachus S. Trudonis 40.
Flualdus monachus 44.
S. Fotlanus martyr 80.
Franciscus Gebennensis, Cardin. 123
Franco Abbas Hasslingensis 52.
Freculphus monachus, Episcopus Lexouiensis 38.141.
S. Furseus Abbas 80.

G.

GAibaldus Episcopus Ratisbon. 144.
S. Galla virgo 69.
S. Gallus Abbas 78.
S. Gallus Episcopus 69
Gandoaldus Episcopus Meldensis 135
Gaudentius Archiep. Pragensis 130
Gebhardus Episc. Augustanus 145.

Geb-

Gebhardus Episc. Constantiensis 146.
Gebhardus Episc. Spirensis 146.
Gelasius Papa II. 120.
S. Genesius Archiep. 97.126.
S. Gerardus Abbas Brumiensis 105.
S. Gerardus Episc. Hungariæ 145.
S. Gerardus martyr 102.
S. Geremarus Abbas 81.
S. Gertrudis Abbatissa 84.
S. Gibertus Abbas, martyr 111.
S. Gilda monachus 74.
Giselbertus monachus 52.
S. Glodesindis virgo 108
Gloria vana fugienda 184. 184. Eius tentationes, & contra eam remedia 716 & seq.
S. Goderamius mon. & Episc. 112. 147.
S. Gothardus Episc. Hildes. 102. 143.
Gratiam Dei homini inesse, quibus signis cognoscatur 552. & seq. 601. Quomodo amissa recuperetur 557.
S. Gregorius Papa I. 31. 75. 118. 122.
S. Gregorius Papa II. 92.
Gregorius Papa VII. 120. 122.
Gregorius Episc. Traiect. 107. 140.
Gregorius Episc. Turon. 32. 75. sepeliri voluit, ubi calcaretur omnium pedibus 124.
S. Guidbertus, monachus Fritzlar. 109.
S. Guido Abbas Pomposi. cuius corpus est Spiræ 110.
S. Guido Aretinus, monachus 44.
Guimundus Episc. Auersanus 46.
Guntherus monachus 49. 94. 146.

H.

Hadeloga Abbatissa 107.
Hædericus monachus 32.
Hæretici exusti 56.
S. Hamundus martyr 94.
Hartmundus Episcopus Antisiod. 149.
S. Haruolfus martyr 94.
Hatto I. archiep. Moguntinus 131.
Hatto II. archiep. Mogunt. 131.
Haymo Halberstad. Episcopus 37. 97. An Fuldensis monachus fuerit 61. 141.
Hedde Episcopus Angliæ 138.
S. Helias, Abbas Colonienſis 103.
Helinandus monachus 57.
Helpericus monachus S. Galli 46.
Heilbrunnense Vrticetum claret miraculis 1158. & seq.
Henricus VI. Imperator regnum Siciliæ obtinuit 9. Exercitum mittit in Syriam, & moritur ibid.
Henricus de Gulpen, Abbas 59.
Henricus Episc. Lubecensis 149.
Henricus Episc. Mindensis 145.
Henricus monachus 57.
Henricus Episc. Paderborn 148.
Herculanus Episcopus Perusinus 135.
S. Herculanus Episcopus 69.
Herebertus Episc. Frisingensis 144.
Herigerus Abbas Lobiensis 43.
Herbipoli Scotis cœnobium construitur 3. 5. Ritus sepulturæ Episcopalis 6. Heroldus Episcopus bullæ aureæ libertatem impetrat ab Imperatore per totam Franconiam 7. Alioquot Episcopi Herbipol. nominati 7 9. 10. 11. Herbipolis ab Episcopo obsessa 11.
Hermannus Bambergensis Episcopus 147.
Hermannus Contractus, auctor cantici. Salue regina. à B. V. impetrauit scientiam omnium. 47.
Herrandus Episc. Halberstadensis 146.
S. Hervvinus Episcopus 92.
Heruinus Episc. Lobiensis 140.
Hibatius monachus S. Albani Moguntiæ Ruthenorum Archiepiscopus 132.
Hilarius Epis. Theanensis 145.
S. Hilda Abbatissa 85.
S. Hildebertus Episcopus 79.
Hildebertus Archiep. Moguntinus 131.
Hildebrandus martyr 94.
S. Hildegardis Abbatissa Bingensis 55. Eius scripta approbata a Papa ibid. & 1134.
S. Hildelidis Abbatissa 85.
Hildemannus Episc. Beluacens. 144.
Hildemicus Episcopus Meldensis 136.
Hildeuinus archiep. Mediolan. 131.
Hilduinus Abbas S. Dionysii 38.
S. Hildulphus Archiep. Treuir. 98. 128.
S. Hildulphus Episc. Lobiensis 109. 145.
Hincmarus Rhemensis Archiep. 37. 130.
Honorius monachus 52. 76. 126.
Horæ canonicæ vocaliter sunt orandæ 439.
Hucbaldus monachus S. Amandi 41.
S. Hugo Abbas Cluniac. 112.
Hugo Episc. Antisiodor. 147.
Hugo de Poligeto 55.
Humbertus Cardinalis Lotharingus 48.
S. Humbertus monachus in Burbach prope Fritzlariam 106.
Humbertus monachus Tullensis, Cardin. 123.

HVMILITAS.

HVMILITAS fusè laudata 334 & seq. 710. & seq. Gradus eius duodecim exponuntur 342. & seq. 594. & seq. 382. 383. 460. Sermo de humilitate 496. & seq. Alius de 30 signis humilitatis 537. & seqq. De contemptu sui, multa 598.

I.

IEIVNIVM.

IEIVNIVM laudatur 269. & seq. 473. 474. immodicus appetitus cibi etiam vilis culpabilis est 474. De Quadragesimali ieiunio 479. 480. Ieiunio corporali coniunctum esse debet ieiunium à vitiis 482. Nicolaus Heluetius 20. annos omni cibo abstinuit tempore Trithemii 477.
Ignorantia, quæ inculpabilis 425. 426.
Ioachim Abbas Florensis propheta habitus 55.
Imago B. Virginis claret miraculis in Dietelbach non longe ab Herbipoli p. 1081. & seqq. Et in Vrticeto Heilbrunnensi 1133. & seq.
Inferni pœnæ quam sint graues 194. 195. & seq. Cur peccata temporalia, eterna pœna puniantur. Ibid. Vbi infernilocus 196. Situs ignis corporeus. 963.
Ingratitudo reprehensa 185.
Joannes Baptista princeps monachorum 432.
Joannes Episc. Atrebatensis Cardin. 123.
Joannes Colenhusen, Abbas Seligenstad 492.
Joannes Episcopus Constantiensis 146
Joannes monachus Castellensis 38.
Joannes Damascenus 35.

Ioannes Erigena Abbas Vercellensis, Scotus, interpres Dionysii Areopag. 41.
Ioannes Episcopus Gerundensis 33.79.137.
Ioannes monachus S. Gregorii 76.
Ionas mon. discipulus S Columbani 31.70.
S. Ioannes Episc. Hagulstad. 85.127.139.
Ioannes Episc. Mekelenburgen. 147.
Ioan. Abbas Pennatensis 107.
Ioannes Archiep. Salizburgensis 132.
Ioannes Scotus 36. martyr graphiis puerorũ confixus 99.
Ioannes Tullensis Cardin. 124.

IOANNES TRITHEMIVS.

Ioan. Trithemius scripsit Chronicon Spanh. mense. pag. 9. Herbipoli factus Abbas deserta Spanhemensi Abbatia ob amulos 15. Eius praeceptor Conradus Celtes & Capnion. Ibid. vocatur a Maximil. Imperatore Colonnam 16. Cur 4. libros de viris illustribus ordinis sui scripserit. 16. 17. Inuitus factus Abbas & iuuenis 56. Festis habuit exhortationes ad fratres ex scheda 526. Studuit olim Treuiris 1084. Chronicon Hirsaug. complet 976.
Ira vitium reprehenditur 275.276.
S. Irmina Abbatissa Treuir. cuius caput est in Spanhem. 87.
S. Isaac Abbas 69.
S. Isanus Abbas 73.
S. Itta monialis 83.
Ithamar Episcopus Roffensis 136.
Iudicii diuini post mortem seueritas 218. Cur formidabile. 290.291.546.
Iuramenta quando licita 279.
Iustitia omnes virtutes complectitur 181.182.529.
S. Iustus Episcopus 76.125
S. Iutta, virgo inclusa 112.
K. quare in C.

L.

LACRYMARVM gratia laudata 205.306.307.
Lambertus Archiep. Bituricensis 126.
S. Lambertus Episcopus Leodiensis, martyr 83.138.
Lambertus Archiep. Senonensis 128.
S. Landrada Abbatissa 107.
S. Lanfrancus Cantuar. Archiep. 50.111.133.
Lapus Abbas 58.
Laromannus Episcopus Merciorum 137.
S. Laurentius Episcopus 76.125.
Laurentius de Bibera Episc. Herbipol. 13.14.15.
S. Lauriomarus Abbas 103. 15. discernebat nummos vsura acquisitos ab aliis
S. Leander, Episc. Hispal. 31.71.134.
S. Lebuinus monachus 89.
S. Leo Papa 4.93.119.
S. Leo Papa 3. 119
Leo Episcopus Theanensis 148.
S Leobatius Abbas 72.
S. Leodeboldus 82.
S. Leodegarius Episc. & martyr. 86.139.
S. Leonardus eremita 71.
S. Leufredus Abbas 86
Liberum arbitrium necessarium in adultis ad promerendam salutem 476.
Libertas vera quae. 236.
Libido non pugna, sed fuga vincitur. 508 509
Librorum scriptio quam sit vtilis 747. & seq. Quid liber, volumen, tractatus, scheda 757.
Linguae, quanta mala 173. & seqq. 82.299.328. & seq. 387.390 391.446.
S. Lioba Abbatissa 94.
S. Liphardus monachus 92.
Lubentius Bremensis Archiep. 132.
Lucas Abbas 50.
S. Lullus Archiep. Mogunt. 96.129.
S. Lutgerus Episc. Monaster. 97.140.
S. Lutrudis virgo. 109.
S. Luvvinus Archiep. Treuir. 95.128.
Luxuria, quibus remediis curetur. 773.

M.

S. Macarius primus Abbas S. Iacobi Herbipoli vinum convertit in aquam. p. 3.4.10. Alius miraculis clarus 5.6.
S. Maclonius, vel Machutes monachus 72 135.
S. Maglorius Episcopus 74.125.
Magnoaldus Archiep. Bituricensis 125.
S. Magnus monachus S. Galli 82.
S. Maiolus Abbas 100.
S. Malachias Episcopus 112.134.
S. Malchus monachus, Episcopus 112.147.
Manuetudo laudata 489.490.491.
S. Marcolphus Abbas 75.
S. Marianus Abbas Bituric. 109.
Marianus Archiep. Rauennas. 130.
Martinus Aquinensis Episcopus 148.
Martinus Dumiensis Episc. 330
S. Martius Abbas 71.

MARIA VIRGO.

MARIAE virg. immac. conceptionem quot teneantur Academiae 975.136. Immunem fuisse a peccato originali probat Trithemius 1095.135.1340. Item esse aduocatam & mediatricem nostram 1094.1095.1153. incredibilem eius esse amorem in nos 1092. Esse honore dignissimam 1140. Varia eius elogia 1093. Cur tot templa ei erigantur 1089. omnibus sanctis antelatam in caelo 1144. nunquam actualiter peccasse 1141. Confertur cum Eua 1150. Trithemii deuotio summa erga illam 1131. 1132. 1152. De miraculis ad imaginem eius in Dittelbach factis 1074. & seq. 101. & seqq. Et in Vriceto iuxta Heilbrunnam 1133. & seqq totoq; libro 3. De Festis B. V. 156.
S Mathildis Abbatissa 100.
Matthias de Busegk, Archiep. Mogunt. 134.
S. Maurus monachus 65.
Maurilius Rotomag. Archiepiscop. 133.
Maurinus Abbas, martyr. 86.
Maximianus Episc. 70.145.
S. Medericus Abbas 101.
S. Meginbadus, Abbas Fritzlar. 104.
S. Meginradus martyr. 98.
Menfridus Archiep. Magdeburg. 133.
S. Mellitus Episcopus 76.125.
S. Merolus Monachus 71.
Mendacium, quando licitum 280. & seqq.
Meritum bonorum operum non excludit gratiam 200. nullum bonum opus apud Deum manet irremuneratum 1099.
Milo monachus S. Amandi. 40.
Milo Episcopus Snessionensis 144.

Mi-

Misericordiæ opera laudata 271. & seq.
Missæ sacrificio ministrans. vt gerere se debeat 636. præparatio sacerdotis celebraturi 637. In eo offertur verè corpus Domini 919.
Miracula noua non esse contemnenda 1076. 1077. 1137.
S. Modesta Abbatissa 88.
S. Monegundis Abbatissa 72.

MONACHVS.

MONACHI nomen à solitudine sumptum 115. 204. 209. 410. 432. 479. nominis monachi quosdam pudet 216. Quis finis ei propositus esse debeat 588. Quod eius officiũ 20. 410. Quæ eius exercitia olim 21. 433. Quæ veræ virtutes 28. 417. maxima virtus humilitas 237. 333. 495. & seq. monachus superbus diabolo similis 252. 288. Eius est abnegare propriam voluntatem 158. 268. 413. 442. 481. 595. 723. patientia ei necessaria 488. quam mitis esse debeat 489. Quam studiosus mortificationis 591. Quam castus 507. quanta caritate in Deum & proximum 511. & seq. Monachus non est qui illatas iniurias non fert. 384. Tota vita pœnitentialis 116. 468. Plangentis habet officium, non docentis 209. compunctio cum lachrymis ei congruit. 307. 446. Risus excussus eum dedecet. 238. 389. 446. Quomodo Christus monacho imitandus 415. 416. Non potest esse perfectus qui aliquid habet præter Christum 412. 416. Monasticarum regularum fundamentum est Euangelium 420. Arguuntur non imitãtes ordinis sui sanctos 14. 115. Monachi militia est spiritualis. 411. 412. 417. Quæ eius arma 418. Proficere debet quotidie 430. 471. Vota eius quæ sint in ordine S. Benedicti 412. Ea tenetur seruare 505. Nihil debet habere proprium ratione voti paupertatis 152. vnde officiales claues resignant Abbati quotannis, ne proprietarii videantur 736. Sit amator solitudinis & quietis 432. 433. 458. 459. Et silentii 299. 390. Tenetur superiori cogitationes patefacere 295. 269. 462. De obedientia seruanda 570. 571. plus Abbati, quam suæ conscientiæ fidere 372. Confiteri quoque mense 296. 465. Trithemius 4. confessarios in suo cœnobio constituit. 464. Tenetur à peccatis venialibus abstinere 470. 471. Examinare quotidie conscientiam saltem semel. 471. Et minimum semel recordari passionis Dominis 483. Sacris scripturis operam dare 62. 300. 424. 426. Sacra, non prophana legere 300. Vitas imprimis sanctorum 301. 593. Ab otio abhorrere 430. 433. 434. 436. 458. 484. 626. Manibus laborare 434. & seq. maximè describendis libris vacare 436. 746. & seq. Orationi operam dare. Modus orandi quotidie priuatim 627. & seqq. Maximè mentali 430. Cum quibus debeat conuersari 455. 456. 457. Quomodo cum externis, & extra monasterium, vel in itinere 459. Gyrouagi monachi qui 211. 715. Non conuenit ei egredi cœnobio 211. 432. Regulæ modestia externa monachi 652. Monachus extra monasterium, est vt piscis extra aquam 178. 432. 458. 727. Quid rasura monachi significet 766. Quis monachi habitus & situs esse debeat exterior 396. De ieiunio monastico 474. & seq. Quæ fercula S. Benedictus præscripserit 478. De Quadrageſimali ieiunio 479. Non decet monachum conqueri de cibo 268. Vel esse singularem 176. 385. Vel scandalizari ob imperfectos quosdam 153. Monachi est arctam viam inire ad cælum 543. Monachorum conditiones variæ in canonibus descriptæ 1000. Quæ causa monasticæ vitæ ruinæ 564. Monachorum carnalium proprietates 567. 575. De inobedientia eorum 570. 571. An præsidere queant secularibus Ecclesiis, & monialibus 573. Liceatnè eis prædicare 79. An in aliquo resistere Abbati 260. 261. Vide Religio. Paupertas. satisfactio. Vota. Regula.

MONASTERIVM.

Monasteriorum quæ origo, & eremi 432. Cœnobitica vita, an præferenda eremiticæ 210. 212. Si paradisus in terra est, in monasterio vel eremo est 153. 434. 845. Quid conseruet ea in flore, & cur olim tam opulenta 22. 252. Vnde habeant carcerem. 263. Capitulum in eo est locus expiatorius quotidianorum peccatorum, & quam vtilis publica eorum confessio 464. 465. 468. Iniustas etiam accusationes in eo patienter ferendas 468. 884. 633. An liceat ex vno ordine ad alium migrare, 280. Opes destruere cœnobia 435. Reformationes crebræ in ordine S. Benedicti 24. & malis exosæ. 27. monasteriorum visitatio qualis esse debeat 979. 1026. Quales visitatores 981. & seq. Quomodo inchoanda visitatio & prosequenda 990. & seq. De modo celebrandi Capitulũ prouinciale 1003. & seq. Capitulorum variorum decreta 1032. & multis seqq. In monasterio Hyberniæ Benchor 900 martyres facti ex monachis 114.

MONASTERIVM S. Iacobi Herbipoli.

Monasterium S. Iacobi Scotorum in suburbio Herbip. fundatur 38. Abbatum eius catalogus 10. & seq. A Scotis monachis per Papãtransfertur ad Teutonicos reform. Bursfeldensis 12. & 13. Laurentius à Bibera Episc. Herbip. secundus eius fundator. 14. Trithemius in eo Abbas factus 15.
Mortis memoria salutaris 293. 427. 498. sermo de præparatione ad mortem 521. 522. 523. Mortis acerbitas quanta 802.
Mortificationis studium laudatum 591.
Mundi vanitas ostenditur 787. & seq. Oratio de fuga seculi 840. & seq.
S. Mummolinus Episcopus 83. 138.

N.

NIcolaus de Cusa Cardin. constitut. edit de visitatione monachorum ordinis S. Benedicti 10. 6.
Nicolaus Donis monachus 60.
Nicolaus Heluetius 20. annis cibo omni abstinet 477.
Nicolaus Panormitanus Abbas, & Archiep. Panorm. 59. 135.
Niuardus Archiep. Remensis 127.
Notburgis virgo in Capitolio Colon. 105.
Notgerus Episc. Leodiensis 43. 143.

O.

OBEDIENTIA.

OBedientiæ laudes 160. 260. 316. 504. 506. Reprehensio inobedientiæ 570. 571. 596. Obedientia est primũ in religione 327. Obediendum Abbati vt Deo 152. 320. Quibus casibus non teneatur monachus obedire. 217. 319. An in omnibus? 319. Gradus obedientiæ varii 323. & seq. De obedientia Abrahæ. 317. Qui alterius regitur voluntate, errans non errat 347. 353. 354. 356. Inobedientia an sit peccatum mortale. 358. Obedientia S. Fausti monachi. 66.
Obduratio cordis quid sit 168.
S. Odilo abbas Cluniac 44. rexit 56. annis. 102.
Odo Beluacensis Episcopus 143.
S. Odo Abbas Cluniacensis 41. 99.

Odo Rotomagensis Archiepisc. 132.
S. Oduualdus Abbas. 85.
Ogo Episcopus Leodiensis 143

ORATIO.

Orationis *bonæ conditiones* 304.305.440. *Cauenda in ea somnolentia* 486.487. *orationis vtilitates.* 161.440 441. *Mentalis vocali præfertur* 306.439. *Efficacia puræ & ardentis orationis. vbi & oratio breuis contra tentationes* 441. *Oratio de vera conuersione mentis in Deum* 902. & *seqq Vt oratio exaudiatur, quid requiratur* 1086. *Cur Deus etiam diu petentibus gratiam neget* 185. 193. *Cur simplices & idiotæ facilius exaudiãtur, vt miracula fiant, quã docti* 1078.1097.1139. *Cur deuotionis sensus piis aliquando subtrahatur* 556. *De summa eleuatione spiritus in Deum* 617. & *seq Quomodo oretur sine intermissione* 438. & *seq. Horæ canonicæ vocaliter orandæ* 439. *Bona vita, bona oratio* 443. *Gratiæ Christo agendæ minimum semel in die.* 442. *Orandi modus per totum diem* 528. *Orationes variæ a monacho toto die dicendæ* 656. *Meditatione passionis Christi nihil efficacius* 483.484.535.604.613.

ORDO S. Benedicti. Vide, S. Benedictus
Osbertus monachus Cantuar 43.
Osdachus Episcopus Hildes. 142.
Osthorius Episcopus Vectiorum 143.
S. Osualdus Episcopus Eborac. 101.131.
Osuuinus monachus 84.
OTIVM *reprehenditur* 430.436.437.480.484.
S. Othmarus Abbas 101.
Otto Abbas. 55.
S. Otto Bambergensis Episcopus 112.148.
Otwinus Episc. Hildesiensis 142.

P.

Paschalis Papa II 120
Paschasius Ratbertus Abbas Corbeiensis 42.
Passionis Christi *memoria salutaris* 535. *Cur acerbissima fuerit* 605. *Meditatione passionis nihil efficacius* 483.535.604.
Paternus Episc. Pictauiensis 148.
S. Paternus Scotus, monachus inclusius 111.
Patientia *persecutionis est communis omnibus Christianis* 287.360. & *seq. Nouem habet gradus* 306. *Animam magis purgant mala tolerata, quam bona opera facta* 450. 480. *sermo de patientia* 494. *Tribulationes omnes patienter ferendæ* 969.
S. Paulus Episcopus Leonensis 74.135.
Paulus Longobardus monachus Cassin. 26. *Auctor hymni* Vt queant laxis 37.
Paulus Episcopus Virdunensis 142
Paulinus Archiep. Eboracensis.

PAVPERTAS VOLVNTARIA.

Paupertas voluntaria *consulta secularibus, sed præcepta monachis* 156. *Est thesaurus monachi.* 198. *monachus nõ potest habere pecuniam* 535. *Liber contra proprietarios monachos* 725. & *seqq. Patres omnes docent pecuniam vetitam monacho* 729. *non potest ab Abbate dispensari in proprietate* 733. *Nec a Papa* 728. *Proprietarii puniuntur post mortem* 728. *Quam noxium sit etiam parum pecuniæ habere* 737. *Viles vestes conueniunt monacho* 377.378. & *seq. Vestes, & alia a paupertatis studioso diligenter conseruanda* 436. *Nihil sine licentia monachus habere potest* 738. *Paupertas religiosi est genus martyrii* 199. *Pauperes tales non contemnendi.* 233. *Inuectiua in paupertatis transgressores* 199 273. *Peccata quæ committuntur contra paupertatem* 579.
Pax laudata 174.175.278.421.
S. Pechtelmus Episcopus 88.
Peccatum mortale *committens manus iniicit in Deum* 163. *Nullum peccatum manet impunitum apud Deum* 466. *Qua hominem reuocent a peccatis* 545. & *seqq. Venialia non esse contemnenda* 648.
Peregrinus monachus Hirsaugiensis 52.

PEREGRINATIO.

Peregrinationes *ad imagines B Virg. crebræ* 1081. 1082. 1087. & *seq In sola Herbipolensi diœcesi vndecim fuere loca miraculosa, in quibus miracula facta ad imag. B. V.* 1089. *Ad fabulosas quoq; imag. peregrinationes falsa* 1084.
Perfectio *vitæ spiritualis nouem graduum ascensione obtinetur.* 557. & *seq.*
Perseuerantia *in bonis operibus necessaria* 162.530.538.
Petrus Boherii Abbas 58.
Petrus Berthorii 58.
Petrus Comes Campan. Cardinalis 822.
Petrus Abbas Cluniacensis 57.
Petrus Damiani Cardin. 49.123.
S. Petrus Abbas, monachus S. Gregorii 75.
Petrus de Rosenheym, monachus Mellicensis 59.
S. Pharo Episcopus. 78.135.
S. Philbertus Abbas 81.
Philippus de Pergamo 57.
S. Pirminius Episcopus 105.141.
S. Placidus discip. S. Benedicti, martyr. 66.67.
Plechtelmus Episcopus Casæ candidæ 139.
Pnotho Paderborn. Episcopus 143
S. Poppo Abbas Stabulensis 102.

PŒNITENTIA.

Pœnitentia *monacho necessaria* 469. *Nec differenda vlli.* 470.785.794. *Quatuor ad eam requisita* 471. *Contritio cordis non sufficit sine confessione oris* 472. *Exhortatio ad emendationem vitæ* 493.494.937.

PAPA.

PONTIFICIS Romani *summa est potestas in Ecclesia* 733. *Est Vicarius Christi: licet eius dispensatio non sit secura quando sine iusta causa facta est* 836.821. *Potest dispensare, vt monachus fiat canonicus* 823.

PRÆLATI.

PRÆLATI *aliorum, acriter arguuntur in scripturis, si mali sint* 220. *Regimen animarum res ardua* 246. *Verbo & exemplo debent docere* 226.227.228. *Æqualiter omnes subditos amare* 334.237. *Familiares esse Deo* ib. *In corrigendo discreti* 238.239. 240. & *seq Cõtumelias subditorum non debent ferre* 360. *Quando dicatur contemni mandatum Prælati* 223. 224. *obediendum etiam malis Prælatis* 224.225.23.2309.
S. Procopius Abbas 110.
Proprietatis *vitium in monachis. Vide.* Monachus, & Paupertas.
Prudentiæ *Christianæ laus* 529.
Purgatorium *expiat peccata venialia* 181. *An expeti possit Purgatorium, & omitti satisfactiones* 467.
Putho Episcopus Ratisbonensis. 148.

Q.

Quadragesimæ *ieiunium seruandum* 479. 480. *In eo abstinendum a carnibus* 201.

S. Ra-

R.

S. Rabanus Archiep. Mogunt. 21. 38. 97. 129.
S. Radbodus Archiep. Treuirensis 130.
S. Radbodus Episcopus Traiectensis 38. 104.
S. Radegundis monialis 71.
Radulphus Flauiacensis, mon. Fuldensis 43.
Radulphus Archiep. Bituricensis 99.
Ratherius mon. Episc. Veronensis 42. 142.
Regino Abbas Prumiensis 42.

Regvla S. Benedicti.

Regvla S. Benedicti *omnium ordinum regulis prælata* 18. *Ordines multi profitentur illam* 19. *Ter quotannis publicè prælegitur* 156. 533. *Nihil habet asperum* 200. 203. *Cur vetet vsum carnium* 201. *Remedia contra asperitatem regulæ* 206. *Regula seruanda ab omnibus, etiam Abbate* 384. 229. *Quando transgressio regulæ sit venialis* 255.

Religio.

Religio, vel religiosorum vita laudata. 840. *& seq. Bernardi sententia,* In relig. homo viuit purius &c. *exponitur* 405. 846. *delectus habendus in suscipiendis ad illam* 874. *Non pueri, vel vicini suscipiendi.* 876. *Non claudi, vel alii defectuosi* 159. *Iuuenes tamen senibus aptiores* 943. *Propositum ingrediendi non differendum.* 943. *Non ideo fugienda religio, quia aliquos imperfectos habet* 950. *Nouitii tentationibus magis obnoxii, quam alii* 159. 160. *Vnde cognoscat qs se vere religiosum* 602. *Quam vtile ab adolescentia seruire Deo* 399. *sine pace & vnione religio consistere nequit* 175. *minimè congruit ei torpor* 167. 169. 429. 430. *De causis teporis* 204. *& seq. Nec congruit loquacitas* 173. 174. 387. 390. *peccati grauitas in relig. facilius cognoscitur* 160. *Oratio mentalis ei commendatur* 439. *Propositum debet quotidie renouare* 427. *& seq. Et semper proficere* 430. *Societatem malorum vitare* 454. 456 457. *De* 9. *gradibus, quibus ascenditur ad perfectionem* 557. *& seq. Tenetur cogitationes & errata superiori aperire* 369. *Quando non teneatur illi obedire* 217. *Debet operam dare litteris* 880. *Cœnobio non debet egredi* 881. *Quibus ex causis possit eiici* 163. *VIDE.* Monachus. Monasterium. Vota.
Remaclus Episcopus Leodiensis 137
Remaclus Episcopus Traiectensis 81.
S. Rembertus Archiep Bremensis 98. 130.
Remigius monach. Antisiod. 41, 141.
S. Remoldus martyr 103.
S. Richardis imperatrix Abbatissa 110.
S. Richarius Abbas 81. 103. 108
Richboldus Archiep. Treuir. 129.
S. Rodolphus mon. Fuldensis 111.
Rogerius monachus 46.
S. Romaricus Abbas 80.
Rupertus Abbas Casæ Dei 107
Rupertus Abbas Cassinensis 43
Rupertus Abbas Limpurgensis 53.
Rupertus Abbas Tuitiensis 53. *Oratio de eius laudibus* 912.

S.

S. Abinus Episcopus Galiopolitanus 148.

Sacerdos.

Sacerdos, *quos mores habere debeat* 766. 918. 919. 925. *Quæ conuersatio externa & interna* 778. 780. 781. 925. 926. *Auaritiæ hostis esse debet* 77. *Scripturis vacare* 775. *Tabernas vitare* 941. *Et mulierum consortium* 768. 928. 769.
S. Salaberga Abbatissa 79.
S. Sampson Episcopus 73. 125.
S. Sandradus Abbas in Gladbach 110.
Sanctorum vitæ *legendæ* 301.
Satisfactio *pars est pœnitentiæ* 472. *satisfactiones monachorum in Capitulis quales* 633. 634. *Quam necessariæ* 884. *S. Scholastica soror S. Benedicti* 66.

S. Scriptvra.

S. Scripturæ *studium laudatum* 62. 65. 166. 300. 423. 743. 763. 957. 974. *Modus operam dandi scripturæ* 946. *Qui idonei ad studium S. Script.* 424.
Senes honorandi 312. Sensus custodiendi 444. *& seq.*
S. Senoch, Abbas 72.
S. Sequanus Abbas 109.
S. Seuera Abbatissa Treuir. 91.
S. Seuerinus Abbas 104.
Sexulphus Merciorum Episcopus 137.
Sigebertus monachus Gemblacensis 54.
Sigefridus Archiep. Mogunt. 133.
Siluester Papa II. 119.
Siluester monachus 106.
Silentii vtilitas 173. 174. 299. 328. *& seqq.* Vaniloquia *æterna clausura à S. Benedicto vetita* 333. 386. 387.
S. Simeon monachus Treuirensis 101.
S. Similianus Abbas 73.
Simon monachus Hafflingensis 57
S. Simplicius Abbas Cassin. 69.
Sinanus Episcopus 137.
S. Sindolphus monachus 74.
Societas malorum *fugienda* 454. 455
S. Sola Abbas 104.
Somnus *multiplex in S. scriptura* 366. 367.
Spei virtus *laudata* 528.
S. Spes Abbas 70.
Spiritus sancti *proprietates* 170.
S. Stephanus Papa III. 97. 119.
Stephanus Papa IX. 119.
S. Stierbaldus 95.
Strabus Rabani discipulus, & scriba 39.
S. Sturmus primus Abbas Fuldensis 96.
S. Suigbertus Episcopus Verdensis 92. 140.
S. Sulpitius Episc. Bituricensis 79.
S. Sunderoldus Archiep. Mogunt. 100. 130
Superbia, *& vana gloria reprehensa* 184. *De eius gradibus* 576. *& seqq. Remedia contra eam* 707. *& seq.*
S. Suranus martyr, Abbas 70.

T.

Taduinus Archiep. Cantuar. 127.
Taffridus Episc. Vectiorum 140.
S. Tecla Abbatissa 93.
Tempus, *quo ratione bene impendatur* 791.
Tetdefridus Albianensis Episcopus 143.

Tentationes.

Tentationes *omnibus hominibus communes* 449. *Nouitiis in religione crebriores, & cur?* 159. 203. *Magnæ earum vtilitas.* 689. *Quando sint materia virtutis* 678. *Occasiones tentationum quæ* 682. *De tentationibus, Deo, mundo, carne & dæmone* 662. *& seq. Cur Deus tentet* 450. *Tentat variis modis* 451. *Vnde cognoscat quis*

quis se ex amore tentari à Deo 696. Damon tentatione vna exclusa immittit aliam 449. De tentatione circa fidem 678. De variis tentationibus vanæ gloriæ 716. & seq. Initio resistendum illis, dum paruæ sunt 184. 296. 922. 923. Remedia contra illas 375. 376. 449.
Tepiditas, quantum malum 167. 169. Causæ eius in religiosis 204. 428. 429. 480. 583.
Theobaldus Archiep. Cantuar. 134.
S. Theodardus mart. 82.
Theodoricus monachus Hirsfeld. 48.
Theodoricus Abbas Moguntin. 57.
Theodoricus Abbas S. Trudonis 50.
Theodorus Archiep. Cantuariensis 33. 84. 120.
Theodorus Abbas Lateranensis 70.
S. Theodulphus Abbas 104.
Theodulphus Episc. Aurelian. auctor hymni, Gloria, laus & honor. 39. 141.
S. Theodulphus Episcopus Remensis 108. 131.
Tiagrinus Episcopus Halberstadensis 141.
Thiedagus Archiepisc. Pragensis 132.

TIMOR DEI.

TIMOR DEI duplex 164. 170. imò quintuplex 342. & seq. Eius laudes 528. 594. De radicibus timoris Domini 601. & seq. De timore seruili 962.
Tobias Episcopus Roffensis 139.
Tonsura clerici & monachi quid designet 926. 776.
Tornanus socius S. Kiliani 86.
Tristitia, & contra eam remedia 705.
S. Trudo monachus S. Quirini 82.
Trumherus Episcopus Merciorum 136.
Trumuinus Episcopus Pictorum 138.
Tuda Episcopus Angliæ 137.
S. Tuto Episcopus Ratisponensis 109.
Typographia inuenta Moguntiæ 436. Eius vtilitas 853.

V.

VAlafridus Abbas S. Galli 38.
S. Valentinus Abbas 69.
S. Valentinianus 68.
Vandelbertus monachus Prumiensis 38.
S. Vdalricus Episcopus Augustanus 101. 144.
S. Venantius Abbas 72
S. Vendemius monachus 92.
Veritas laudata 182.
Victor Papa III. 120.
S. Vigor Episc. Atrebatensis 106.
Vigor Episcopus Baiocensis 135.
Vimo Ventanus Episcopus 136.
S. Vincentius Abbas 108.
Viomadus Archiep. Treuir. 128.
Vindechinus monachus Corbeiensis 43.
Vitæ humanæ fragilitas 171. & seq. In omni statu miseria. 796. 797. De breuitate vitæ 800.
Volquinus Abbas Lobiensis 43.
S. VVolffgangus Episc. Ratisbon. 144.
S. Volmarus Abbas 108.
Voluntatis propriæ abnegatio laudata 352. 353. 570. Quæ laudatissima voluntas 601. Nemo adultus sine libero arbitrio saluatur 476.

VOTA.

Vota religiosorum tria 152. 198. 725. Eorum vtilitas 1091. Et necessitas seruandi monacho 505. Vota violans Christum negat 821. Ex voto facta, laudabiliora, quam quæ non ex voto fiunt 354. 355. 412.
Vrbanus Papa II. 120. 122.
Vrbanus Papa V. 121. 124.
S. Vrsmarus Episcopus 9. 139.
S. Vrsus Abbas 72.
Vrticetum Heilbrunense claret miraculis B.V. 1158 & seq.
S. VValaricus monachus 79.
VValbertus Episcopus Meldensis 135.
VValbertus Episcopus Hildes. 141.
S. VValbertus Abbas 78.
S. VValefridus Abbas 107.
S. VValpurgis Abbatissa 102.
S. VValtherus monachus 95.
S. VValtrudis, Abbatissa 107.
S. VVattarus monachus 95. 138.
VVazzo Archiep. Treuirensis 129.
S. VVandalinus monachus 79.
S. VVandregisilus Abbas 81.
S. VVenfridus monachus 89.
S. VVernfridus monachus 88.
S. VViberadis virgo inclusa 106.
S. VVibertus monachus Gemblacensis 99.
S. VVigbertus monachus Fritzlar. 109.
Vilebrandus Episcopus Mindensis 147.
S. VVilhelmus monachus 106.
S. VVilhelmus Abbas in Dacia 108.
S. VVilhelmus Abbas Diuionensis 101.
VVilhelmus monachus Paris. 57.
Vilhelmus Abbas Pictauiensis 57.
Vilhelmus Abbas Hirsaugiensis 51.
S. VVilibaldus Episcopus Eistetensis 95. 35. 140.
S. VVillehadus Archiep. Bremensis 96.
S. VVillefridus Episcopus 92 127.
S. VVillicus monachus 93.
VVilleramus Abbas Merspurg. 50.
S. VVillibrordus Episcopus 87. 127.
VVillegisus Episcopus Lobiensis 139.
VVimo Archiep. Bremensis 130.
S. VVinibaldus monachus 96.
VVinfridus Episc. Merciorum 137.
S. VVinibaldus Abbas 77.
S. VVinfridus, vel Bonifacius Archiep. Mogunt. 93.
S. VVinualocus monachus 73.
S. VViro Episcopus 105.
S. VVulframus Archiep. Senon 93 128.
S. VVulgisus Episc. Lobiensis 139.
S. VVutringus monachus 95.

Y.

Ysuardus monachus 36.

FINIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

B. u. Hs. Q. 511.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf